MONVMENTA
GERMANIAE
HISTORICA

INDE AB ANNO CHRISTI QVINGENTESIMO
VSQVE AD ANNVM MILLESIMVM
ET QVINGENTESIMVM

AVSPICIIS
SOCIETATIS APERIENDIS FONTIBVS
RERVM GERMANICARVM MEDII AEVI

EDIDIT
GEORGIVS HEINRICVS PERTZ
SERENISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS.

SCRIPTORVM
TOMVS XXIII.

HANNOVERAE
IMPENSIS BIBLIOPOLII AVLICI HAHNIANI
MDCCCLXXIV.

SOCIETAS APERIENDIS FONTIBVS RERVM GERMANICARVM MEDII AEVI.

SANCTVS
AMOR PATRIAE
DAT
ANIMVM.

FRANCOFVRTI A. M.
XIII. KAL. FEBR. MDCCCXIX.

SCRIPTORUM TOMO VICESIMO TERTIO CONTINENTUR:

Pagg.

Addenda et Corrigenda . . . . VII. VIII.

I. Annales S. Victoris Massilienses . . . . 1—7

 1. Annales Barcinonenses 538—1137. . . . . 1—2

 2. Annales S. Victoris Massilienses 1000—1542. . . . . 2—7

II. Chronicon Gurcense edidit W. Wattenbach 1088—1180. . . . . 8—10

III. Monumenta Epternacensia edidit L. Weiland . . . . 11—72

 1. Ex Vita S. Willibrordi auctore Thiofrido abbate —1100. . . . . . 23—30

 2. Catalogus abbatum primus 739—1110. . . . . 30—33

 3. Catalogus abbatum secundus 897—1539. . . . . 33—38

 4. Chronicon Epternacense auctore Theoderico monacho —726. 1191. . . . 39—64

 5. Libellus de libertate Epternacensi propugnata auctore Theoderico 1192. . 66—72

IV. Gesta episcoporum Halberstadensium edidit L. Weiland 781—1209. . . . . 73—123

 Gesta Alberti II. episcopi Halberstadensis 1324—1349. . . . . 123—129

V. Chronicon Montis Sereni edidit E. Ehrenfeuchter 1124—1225. . . . . . 130—226

 Genealogia Wettinensis . . . . 226—230

VI. Heinrici Chronicon Lyvoniae edidit W. Arndt 1186—1227. . . . . . . 231—332

VII. Burchardi et Cuonradi Urspergensium Chronicon ediderunt O. Abel et L. Weiland —1229. 333—383

 Hystoria Friderici imperatoris Magni . . . . 384—385

 Excerptum ex Gallica historia . . . . 385—390

VIII. Chronicon S. Michaelis Luneburgensis edidit L. Weiland 937—1229. . . . . 391—397

 Tituli Luneburgenses . . . . 397—399

IX. Gesta episcoporum Traiectensium edidit L. Weiland 1139—1232. . . . . . 400—426

X. Chronicon Ebersheimense edidit L. Weiland —1235. . . . . 427—453

	Pagg.
XI. Emonis et Menkonis Werumensium Chronica edidit L. Weiland	454—572
1. Emonis Chronicon 1204—1234.	465—523
2. Menkonis Chronicon 1234—1273.	523—561
3. Continuatio 1278—1296.	561—572
XII. Gesta abbatum Horti S. Mariae edidit L. Weiland 1230—1259.	573—608
XIII. Chronicon Ottenburanum edidit L. Weiland 764—1235.	609—630
XIV. Albrici monachi Triumfontium Chronicon edidit P. Scheffer-Boichorst —1241.	631—950
Index Rerum scripsit L. Weiland	951—1025
Glossarium scripsit L. Weiland	1026—1027

Tab. 1 ad pagg. 8. 19. 77. 136. 232. Tab. 2 ad pag. 20. Tab. 3 ad pagg. 461. 609. 671.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag. 1. *l.* 25. *loco* ad S. Privati burgum *leg.* Vionisvillae. — *p.* 11. *l.* 30. *loco* inbeneficavit *leg.* inbeneficiavit. — *p.* 11. *not.* 6. *loco* Niederrhein. *leg.* Mittelrhein. — *p.* 12. *l.* 30. *loco* imperali *leg.* imperiali. — *p.* 12. *not.* 8. *Ravangerum cum* 40 *monachis advenisse tradit Catalogus II, p.* 33. — *p.* 13. *l.* 3. *loco* quaeque eadem *leg.* quamque eandem. — *p.* 18. *l.* 25. *loco* Laureshamenses *leg.* Laureshamensibus. — *p.* 20. *l.* 2. *Ioannis Roberti opusculum integrum iterum recudi fecit Migne, Patrol. cursus CLVII,* 298 *sq., ubi invenis: Flores; cap.* 36 *Vitae Willibrordi; Sermones duos, quos nosmet ipsi iam supra p.* 15. *Thiofrido vindicavimus; ea quae Mabillonius III,* 1, 629 *e Vita Willibrordi excerpsit.* — *p.* 20. *l.* 19. *loco* quod *leg.* quae. — *p.* 21. *l.* 13. *loco* praeter unam *leg.* excepta una. — *l.* 36. *loco* praeter Ludowici Pii *leg.* excepto Ludowico Pio. — *not.* 79. *chartam Bertae iam edidit e Libro aureo v. d. Sickel in Forschungen zur deutschen Geschichte IX,* 412. — *p.* 22. *l.* 16. *loco* et *leg.* ex. — *l.* 6. 26. 32. *loco* praeter *leg.* exceptis. — *l.* 40. *Nuper Karolus Pertz in Mon. DD. I. ex ipso Libro aureo edidit Nr.* 1—7. 14. 16. 17; *chartas Irminae inter spurias relegavit et Theodericum monachum sec. XII. exeunte eas confecisse censuit. Cuius argumentis equidem iam prius reluctatus, etiam nunc chartas illas genuinas esse contendo. Quod attinet fraudem Theoderici, sufficiat monere, iam Thiofridum saec. XII. ineunte chartas Irminae cognovisse. W.* — *p.* 23. *l.* 21. *loco* aequae *leg.* aequę. — *p.* 27. *l.* 48. 49. *Versus e Lucani Pharsal. III,* 576. 577. — *p.* 28. *l.* 25. *loco* tahernaculi *leg.* tabernaculi. — *p.* 31. *not.* 62. *loco* Aug. 19. *leg.* Iul. 19. — *p.* 32. *not.* 82. *Reginharius comes et abbas occurrit a.* 907. *Mart.* 19. *in charta Ludewici regis ap. Dronke, Cod. dipl. Fuld. n.* 653. — *p.* 50. *not.* h. *adde:* legendum videtur Cunibaldo. — *p.* 55. *not.* 95. *locus Monhore potius Oster- seu Gross-Monra praefecturae Eckartsberga esse videtur.* — *p.* 74. 75. *De Gestis ep. Halberstadensium nuper egit Scheffer-Boichorst in Forschungen zur deutschen Geschichte XI,* 498 *sq. et evicisse mihi videtur, extitisse fontem quendam antiquum, qui de fundatione episcopatus exordium sumens sub episcopo Hildewardo (a.* 968—996.*) a coaevo auctore scriptus sit. Hunc fontem, inquit, alius scriptor subsidio Annalium Quedlinburg. et Thietmari chronici in novum opus redegit et usque ad a.* 1140. *continuavit, quod opus dein et Annalista Saxo (usque ad a.* 1113.*) et auctor Gestorum adhibuerunt. Opus istud Annales Halberstadenses appellat Scheffer. Equidem vero, disquisitione iterum instaurata, Chronici episcopalis potius indolem hoc opus praebere censeo et concedo, me in hoc errasse, ut Annalistam ipsum in Gestis esse adhibitum crediderim. At locus ille, quem supra p.* 74 *allegavi, ut connexum Annalistae et Gestorum ostenderem, novum vestigium, quod etiam Schefferum fugit, indicare iam mihi videtur. Oratio enim directa, qua hoc loco utuntur et Annalista et Gesta, certo genuina est neque e Thietmari oratione indirecta immutata, et ad Chronicon antiquum recedit. Thietmarus autem et ipse istud iam adhibuisse videtur, quippe qui multoties de episcopis Halberstadensibus prolixe disserat (v. supra p.* 74. *not.* 7*) et aliquoties tempus secundum annos ordinationis eorundem discernat. Etiam Ann. Quedlinburgenses iam Chronico illo usos esse arbitramur et eo modo opinioni virorum d. Pertz et Simson appropinquamus. Ceterum et Thietmarum et Ann. Quedlinburgenses ipsos in Gestis nostris adhibitos esse vix negaverim. W.* — *p.* 91. 92. *De terminis diocesis Halberstadensis cf. Zeitschrift des Harzvereins III,* 370. 399. — *p.* 102. *l.* 50. *loco* stennuus *leg.* strennuus. — *p.* 105. *not.* 22. *Dusne hodie esse Deutschenthal probavit Winter in Zeitschr. des Harzvereins II,* 3. 195. — *p.* 106. *not.* 26. *loco* Ledebur, Archiv XVIII *leg.* Ledebur, Archiv VIII. *Addendum, Ottonem adhuc a.* 1133. *Iul.* 25. *annum ordinationis* 11. *numerare, v. Zeitschr. des Harzvereins I,* 20. 256. — *p.* 108. *not.* 32. *Addendum, Olricum non ante diem* 18. *Oct.* 1149. *ordinatum esse, quippe qui a.* 1151. *Oct.* 18. *annum* 2. *numeret, v. Falke, Trad. Corbei.* 769. — *p.* 110. *not.* 40. *Theodericus iam a.* 1184. *Mai.* 27. *episcopum sese appellat (Zeitschr. des Harzvereins I,* 277; *cf. ibid. III,* 676 *sq.) et iam a.* 1184. *Mai.* 6. *annum ord.* 1. *numerat, Magdeburger Geschichtsblätter VI,* 212. — *p.* 130. *not.* 5. *Auctori Chronici Montis Sereni revera Conrado nomen fuisse, mihi haud dubium. Huius nominis canonicus in Chronico semel modo occurrit p.* 197 *in charta, qua ipse cum Thiderico de Crozuc ab excommunicatione eis a Thiderico praeposito inflicta absolvitur. Perspicuum est, hunc Conradum fuisse canonicum illum, qui a fratribus Thiderico de Crozuc Romam proficiscenti comes datus erat (p.* 195*). Miraremur denique, quod auctor, qui semper fratrum vel infimorum nomina accurate recenset, nomen canonici illius gravissimo munere functi omnino reticuerit, nisi certo quodam consilio eum ductum esse iudicaremus. Erat autem mos auctorum medii aevi sua ipsorum nomina silentio supprimere, ideoque ex hoc silentii argumento concludimus, auctorem ipsum socium illum Thiderici de Crozuc fuisse, cuius nomen Conradum charta illa detegit. Cui opinioni optime quadrant ea quae auctor p.* 195 *de processu fratrum philosophatur. W.* — *p.* 136. *l.* 22 *loco* Ex his auctoribus *leg.* Ex hoc auctore — *Thietmaro scilicet, cum Ann. Nienburgenses ex Annalista Saxone hausisse nemo contenderit, res potius contrarie se habeat. W.* — *p.* 333. *l.* 12 *loco* Placidius *leg.* Placidus. — *p.* 335. *l.* 24 *loco* cuidam *leg.* quodam. — *p.* 336. *l.* 7. *Scheffer-Boichorst animadvertit, auctorem ad quem Urspergensis sub Lothario III. verbis* ille scriptor quidam *provocat, alium fuisse atque Iohannem Cremonensem. Nam Cremonensis si fuisset, cuius patriam Lotharius, summus adversariorum Mediolanensium fautor, gravibus incommodis afflixit, imperatorem* veritatis amicum, iustitiae socium, iniustitiae inimicum *non celebrasset. Ceterum Scheffer opus superstes Iohannis Cremon. detexit, quod tamen haud multum valet neque auctorem maioris indolis sapit; v.* Miracula S Hymerii auct. Iohanne canonico Cremonensi coaevo *in Actis SS. Iun. III,* 373. — *p.* 388. *l.* 5 *loco* instructissimum *lege* instructissimo. – *p.* 405. *not.* 43, *Richardis non fuit de Nassau oriunda, sed filia Ottonis I. ducis Bawariae, v. Hermann. Altah. SS. XVII,* 376. – *p.* 406. *l.* 13 *sq. Acta sunt haec a.* 1194. *v. Ann. Stad.* — *p.* 406. *l.* 41 *loco* communicaret *leg. secundum codd.* comminaret. *Ex verbo enim Latino* minari *Latinitas media formavit verbum activum* minare = minando compellere. — *p.* 408. *not.* 71. *Otto comes adhuc occurrit testis in charta Philippi regis a.* 1207. *Apr.* 30, *v. Böhmer, Reg. n.* 90. — *p.* 454. *l.* 18 *loco* et *leg.* ex. — *p.* 455, *l.* 33 *loco* sedet iam *leg.* sed etiam. — *p.* 457. *Inter fontes Emonis et Menkonis recensenda est etiam Oliveri Historia regum terrae sanctae, v. infra ad p.* 474. 539. — *p.* 460. *l.* 42 *loco* duobus *leg.* duabus. — *p.* 461. *l.* 17 *delendum comma post* editores. — *p.* 474. *l.* 7 *usque p.* 475. *l.* 26 *verba* Innocentius qui — obdormivit in Domino *ex Oliveri Hist. reg. terrae sanctae desumpta sunt.* — *p.* 475. *l.* 15 *loco* portum *leg.* Portum. — *p.* 475 *not.* 34 *loco* Iacobus I. *leg.* Petrus II. — *p.* 503. *l.* 38 *post* archiepiscopum *ponendus est numerus notae* 68. — *p.* 539. *l.* 24 *verba* ad loca — die dominico *et l.* 27 *verba* Innocentius enim — ad Fretherieum iuvenem *ex Oliveri Hist. reg., terrae sanctae desumpta sunt.* — *p.* 647. *l.* 8.

Henricus landgravius Thuringiae iam ad annum 1168 in regem Romanorum electus *vocatur. cf. p.* 851. *l.* 22. — *p.* 659. *not.* 61 *me nescire dixi, an Albricus ampliorem Antapodoseos recensionem secutus sit, verba enim:* Imperator sanctus etc., *quae haud dubie Liudprandum sapiant, editionem iterum iterumque revolvens investigare non potui. Sed eheu quasi in sole caligasse mihi videor! Nam ut Guil. Wattenbach me postea docuit, locus ille omni labore quaesitus nec vero detectus in cap.* 17 *legitur. Cuius rei ratione habita p.* 769. *l.* 20 *corrigas. S. B.* — *p.* 664. *l.* 10—30. *Du Pin Nouvelle bibl. des auteurs eccl. VI,* 114 *de Historia miscella disserens, Paulo Diacono opus illud* — un abregé de l'histoire Romaine tiré des plusieurs auteurs — *errore virorum doctorum asscriptum esse affirmat:* car quoiqu'il ait fait un addition à l'abrege d'Eutrope, il n'est point auteur de cette collection, qui est plûtôt d'Anastase le bibliothequaire. *Hanc sententiam quamvis perversam vir doctus in Albrico nisus fulcire potuisset. Nam ea, quae monachus noster* De anno Dominice passionis in Romana hystoria secundum Anastasium *se legisse ait necnon prodigia illa,* quae in Romanorum hystoria describuntur, *in Hist. misc. ed. Eyssenhardt* 112. 182 *invenimus. Quod opus num auctor saepius in auxilium vocaverit, in medio relinquam. Locos enim alios, quos ullo sine dubio ad Historiam miscellam referri liceat, equidem frustra quaesivi. S. B.* — *p.* 668. *l.* 30—35. *Fr. Zarncke benigne mecum communicavit, narrationem illam de adventu patriarchae Indorum, quam Albricus se ex Gestis Calixti papae deprompsisse ait, in passionali quodam saec. XIII. extare. Manuscriptum in bibliotheca senatoria Lipsiensi asservatur; verborum tenor fere idem est atque Albrici, nec plura scriptor passionalis hac de re narravit. Praeterea vir doctus animadvertit, fabulas nostras Indicas unacum epistola, quam Iohannes Indorum presbiter de vita et moribus Indorum scripserit, iam saeculo XV. ex. praelo datas esse. Inde eas repetivit Ioh. Hese in libro Itinerarium. S. B.* — *p.* 671. *l.* 7. *Versus de archiepiscopis Rothomagensibus iam excusi sunt in Appendice ad Opera Angeli Maii. cf. p.* 857. *n.* 68*. 69. *p.* 858. *n.* 69*. — *p.* 673. *l.* 43 *adde:* anno 1873. — *p.* 792. *l.* 33 *loco* archiepiscopatus *lege* archiepiscopus. — *p.* 821. *l.* 14 *loco* sancti *corrigendum videtur* secundi. — *p.* 825. *l.* 9 *loco* cellarum *lege* celsarum. — *l.* 29 *secundum libros, de quibus in praecedenti additione disserui, loco* recurrit *legendum est* revertit. — *p.* 851. *l.* 17 *Stemma comitum de Rineck nuper accuratissime explicavit F. Stein in Archiv für Unterfranken XXII,* 244. — *p.* 903. *l.* 37 *in margine omissum est:* Acta conc. c. 1—17. *Nonnulla loci sequentis, inprimis l.* 40 Condempnamus *usque ad l.* 46 inodentur, *ex instituti nostri more litteris cursivis imprimenda erant. Sed quum typographi laborem in re haud magni pretii augere nollem, litteras rectas quibus usus erat mutari non iussi. S. B.* — *p.* 906. *l.* 34. *Ad verba* nomine Sibiliam. *cf. p.* 924. *not.* 13. — *p.* 935. *not.* 40 *adde:* Cf. tamen supra p. 930. l. 10. — *p.* 939. *l.* 53 *loco* Atheniensi *lege* Corinthiensi.

ANNALES
SANCTI VICTORIS MASSILIENSES.

Primo hoc loco cum lectoribus nostris communicare libet annales quos in codice Christinae reginae Vaticano, numero 123 *in folio signato (cf. Arch. XII,* 268*), extare diu noveram, sed repetitis votis hac demum aestate Pabstii nostri cura Romam legati exscriptos accepi. Codex anno* 1056 *apud Sanctum Victorem una eademque manu exaratus, Bedae opus de ratione temporum et natura rerum libris quatuor exhibet una cum cycli primi maioris parte secunda annos* 532—1063 *complexa, unde in Labbei Nova bibliotheca historica T. II, p.* 339 *sub titulo Chronici Massiliensis et iterum T. XII. et XIX. inter Scriptores rerum Gallicarum et Francicarum prodiit. Scriba Massiliensis ante oculos habuit exemplar antiquius Barcinonae exaratum atque adnotationibus historicis auctum, quas suo quoque libro inferre constituit. Quo exemplo ducti, alii Sancti Victoris per duodecimum saeculum clerici suas adnotationes inseruerunt. Quibus cyclis altera manus saeculo XII. annos magni cycli secundi* 1064—1595 *subiecit, eoque plurimarum intra a.* 1334—1453 *additionum coaevarum segetem prolexit, quas historiae regni Arelatensis et orae maritimae studiosis haud frustra commendabimus. Scribae notitiarum Barcinonenses et Massilienses*[1] *circiter quadraginta per saeculorum seriem sibi succedentes, littera in universum pulchra eminent, et rara nobis vitia corrigenda reliquerunt.*

Haec paucos ante dies praefatus typis mandanda statueram, quum subito tristissimus nuntius ex Lotharingia allatus, Pabstium nostrum, quem ante hoc quadriennium salvum ex Bohemia reducem receperamus, ex bello quoque Gallico post fortiter ad Sarram atque Mosellam peracta salvum rediturum speraveram, die 16. *Augusti in pratis Mediomatricensibus ad S. Privati burgum una cum sociis heroibus pro patria victorem occubuisse audivimus, flevimusque beatum; beatae certe vitae et memoriae iuvenem praedicamus semperque colemus, qui sancto amore patriae animatus, quamdiu fata superstitem tulerunt, Germaniae historiam eodem studio amplexus est, quo salvandae restaurandaeque succurrere continuit.*

Berolini d. 5. *Septembris* 1870. *G. H. PERTZ.*

ANNALES BARCINONENSES.

538. Obitus sancti C. S.[2] papae.
568. Longobardi Italiam invadunt.
571. Domnus abbas.
661. Translacio sancti Benedicti.

---

[1] Scribae Massilienses et ad cyclos et in codicis marginibus notas posuerunt, quas omnes, quippe aequales, ordine chronologico transposuimus.

[2] i. e. Caelii Silverii, ut Labbeus recte explicat.

715. Sema rex cum Sarracenis ingressus est Ispaniam.

768. Obiit Pipinus, pater Karoli imperatoris[a].

767. Karolus imperator.

785. Gerundam civitatem homines tradiderunt regi Karolo. Apparuerunt[3] acies in celo, et signum .†. in vestimentis hominum, et multi viderunt sanguinem pluere. Et mortalitas magna secuta est.

801. Introivit Ludovicus in Barchinona[b], filius prelibati Karoli, et tulit civitatem Sarracenis.

940. Obiit Karolus rex indictione 13.

993. Obitus Borrelli comitis[c] Barchinonensis indictione 6.

996. Obiit Ugo rex indictione 9.

1017. Obiit Raimundus Barchinonensis comes, filius Borelli comitis.

1035. Obiit Berengarius comes Barchinonensis, et Sancius rex de Castela.

1076. Obiit Raimundus Berengarius comes Barchinonensis.

1082. Raimundus comes Barchinonensis occisus est.

1083. Cenobium sancti Iohannis redditur monachis.

1096. Concilium Urbani pape.

1097. Osca civitas capta est[d].

1098. Civitas Iherusalem capta est.

1099. Hoc anno venerunt sanctimoniales in sancti Iohannis cenobium.

1106. Aianricus rex de Alamannia[4].

1115. Capta est civitas Maiorica[5]. Monasterium sancti Iohannis redditur clericis.

1117. In isto anno apparuit luna mortua.

1118. Cesaraugusta capta est a rege Aragonense[6].

1131. Raimundus comes Barchinonensis.

1134. Rex Aragonensis Alifonsus tricesimo anno regni sui, post plurima bella, que gessit cum Moabitis aput Ispaniam, et post tocius Yspanie lustracionem, aput Fragam ab eisdem debellatus Moabitis, in obsidione[e] ipsius urbis non multo post Almunien castrum[f] diem clausit extremum.

1137. Ollegrarius[g] archiepiscopus Terragonensis[7].

ANNALES SANCTI VICTORIS MASSILIENSES.

Anno ab incarnatione Domini 1000. cepit Massiliense monasterium restaurari, domno Guifredo existente ibi prius quinque annorum priore, in quindecim sequentibus annis vivente eodem ibi abbate; qui sic 20. anno incarnationis Christi post millesimum obiit in senectute bona, relinquens monasterium cum 50 fratribus, quod prius accepit cum 5, sicut nobis retulerunt fratres, qui tempore illius in monasterio nutriti fuerant.

1021. Obiit domnus abba Uuifretus.

1048. Obiit domnus abba Isarnus.

1056. Eodem anno factus est liber iste.

1060. Obiit domnus abba Petrus.

1064. Obiit domnus abba Durandus.

1071. Abbas Bernardus[h] Massilie, accepit Rivipullense cenobium.

1079. Obiit domnus abbas Bernardus[i].

---

a) *haec nota signo* ╫ *m. moderna ad annum* 762 *tracta est c.* b) barchinonona *c.* c) comiti *c.* d) *ad hunc annum manu saeculi XIV. in margine legitur:* ibi facta fuit abbatia Cisterciensis. e) *supra e rasura c.* f) castra: *corr. m.* 1. Almarine 16. *Kal. Novembris captio civitatis a.* 1197 *supra T. XVIIII. p.* 501 *memoratur.* g) olleḡriꝯ *c.* h) Bernadus *c.* i) plenus Christi dilectione. Rexit abbatiam annos 15. *addit m. s. XIV.*

3) Cf. Ann. S. Amandi et Laubienses a. 787 supra SS. T. I. 4) Heinricus V. 5) a. 1114. 8. Id. Febr. cf. Ann. Barcinonenses supra SS. T. XVIIII. p. 501. 6) Alfonso d. 18. Decbr. 7) sc. obiit.

1091. Obiit domnus abbas Ricardus. Rexit abbatiam annos 29. Post istum inter Bonum vassalem et dompnum Othonem regebant abbatiam tres annos sequentes.

Anno ab incarnatione Domini 1098. 12. Kal. Aprilis facta est abbatia Cisterciensis.

1099. Obiit abbas Oddo cognomento Alamannus. Rexit abbatiam annos[a] 5, postea factus est episcopus Ianuensis[b].

1105. Obiit abbas Radulphus. Rexit abbatiam annos 6. Post istum fuit abbas domnus Bernardus Garinus[c]. Rexit abbatiam annos 6. Postea factus fuit archiepiscopus Arelatensis.

1112. Obiit Gaucelinus abbas Massiliensis. Rexit abbatiam annum 1.

1121. Domnus Ricardus abbas Massiliensis, postea fuit archiepiscopus Narbonensis.

1129. Obiit abbas Petrus Salamonis, rexit abbatiam 17 annos.

1145. Obiit abbas domnus G. Petrus[8]. Rexit abbatiam annos 15. Post istum fuit abbas domnus Fredolus. Rexit abbatiam 3 annos. Postea factus fuit episcopus Foroiuliensis.

1147. Colrasus imperator[d] Romanorum et Lodovicus rex Franchorum et Ildefonsus Tholosanus[e] comes, et plures alii comites et principes horum duorum regnorum perrexerunt Iherosolimam.

1147. Capta est Almaria.

1149. Capta est Tortuosa[f, 9].

1156. Obiit domnus P. de Nogaret[10] abbas Massiliensis. Rexit abbatiam annos 11 et 4 menses.

1160. Obiit domnus Deodatus de Severiaco. Rexit abbatiam annos 3, menses 2.

1162. Obiit Raimundus comes Barchinonensis princeps Aragonensis et marchio Provincie seu Tortuose.

1166. Obiit Raimundus comes Provincie nepos suprascripti bone memorie domni comitis Barchinonensis. Eodem[g] anno Ugo Gaufredi vicecomes Massiliensis.

1168. Hi sunt abbates Rivipollenses ab ingressu Massiliensium usque nunc, anni scilicet Domini 1168:

Bernardus professus Massiliensis.
Benedictus professus Massiliensis.
Gaufredus professus Massiliensis.
Gaucelmus professus Massiliensis.
Helias professus Massiliensis.
Petrus professus Massiliensis.
Gaufredus professus Massiliensis.

1178. Tholonensis urbs a rege Maiorice debellata et capta est, et Ugo Gauzfridi vicecomes Massiliensis et nepos eius et multi alii capti in Maioricam ducti sunt[h].

1179. Concilium domni pape Alexandri III. celebratum in Lateranensi patriarchatu.

1181. Raimundus Berengarii comes et marchio Provintie, frater Ildefonsi Aragonensis regis et comitis Barchinonensis, vir nobilis ac strenuus et omnibus amabilis, a proditoribus in die sancto pasche interfectus est.

1185. Pateat cunctis quod anno dominice incarnationis 1185, mense Iunio domnus Fulco Antipolitanus episcopus monasterium Massiliense restauravit, cum de manibus Iudeorum vallem Massiliensem liberavit. Qui eodem anno 4. Id. Iulii apud prefatum monasterium sepultus est.

Anno Domini 1185. Christiani ceperunt palatium civitatis Maioricarum et fuerunt liberati a captivitate.

1187. Iherusalem et universe civitates regni excepta Tiro capte sunt a Saladino, et crux dominica Damascum ducta, capto rege Iherusalem.

---

a) anno *c.* b) *vox pene evan. c.* c) B. garinus *c.* d) *abhinc in marg. sup. c.* e) tholosaniꝯ *c.* f) tortasa *corr. m.* 1. g) *vox pene evan. c.* h) Eodem anno fuit eclipsis solis *add. al. m. coaeva.*

8) id est Garinus Petrus. 9) notae annorum 1147 et 1149. fortasse ex annalibus Barcinonensibus fluxerunt. 10) i. e. Petrus.

1190. Francorum rex Philipus et Ricardus rex Anglorum cum multitudine nobilium virorum mare transierunt. Qui parvo transacto tempore civitatem Acon a manibus Moabitarum virtute divina recuperaverunt.

1191. Obiit domnus Astorgius de Cambaco Mimatensis [11] diocesis abbas Massiliensis. Rexit abbatiam 10 annos et unum mensem.

1192. Obiit Raimundus Barralus Massiliensis vicecomes. Et rex Aragonum obsedit Massiliam.

1194. Obiit Raimundus comes Sancti Egidii.

1196. Obiit Ildefonsus rex Aragonensis.

Eodem anno obiit Gaufredus de Massilia episcopus Biterrensis [12].

1200. Noscant presentes et futuri, quod anno 1200 ecclesia monasterii Massiliensis cepit reedificari mense Ianuarii.

1203. Obiit W. Montispesulani [a].

1204. Civitas Constantinopolitana virtute divina capta est a Francis. Eodem anno Petrus rex Aragonensis peciit Romam cum multis nobilibus Provinciarum, Ugone videlicet de Baucio et Roncolino vicecomitibus, ibique coronatus fuit a domno papa Innocencio.

1208. Petrus de Castronovo apostolice sedis legatus apud Arelatem interfectus est.

1209. Noscant presentes et futuri, quod urbs Biterris fuit destructa a crucesignatis.

1212. Omnibus qui hoc scriptum legerint vel audierint, manifestum fieri volumus, quod anno dominice incarnacionis 1212 Ildefonsus rex Castelle et Petrus rex Aragonis et Sancius rex Navarre, cum multitudine nobilium virorum de diversis mundi partibus congregatorum, pugnaverunt cum Mamelino rege Marroc et gente eius innumerabili in Hispaniis, et potenti virtute Dei vicerunt illum, et de exercitu eius interfecerunt plus quam centum milia Sarracenorum.

1213. Dedicatio altaris sancti Blasii et sancti Laurentii martirum.

1213. Noscant presentes et futuri, quod anno dominice incarnationis 1213 Petrus illustris rex Aragonensis apud Tolossam, in bello quod habuit cum Francigenis, peccatis exigentibus, interfectus fuit. De cuius morte tota christianitas lugere debet et tristari.

1215. Concilium [b] domni pape Innocencii III. in Lateranensi [b] patriarchatu.

1216. Obiit Rocelinus vicecomes Massiliensis et monacus Sancti Victoris.

1218. Obiit inclitus Simon comes Montisfortis in obsidione Tolose 7. Kal. Iulii.

1219. Anno Domini 1219. 4. Kal. Decembris dedicacio altaris Omnium Sanctorum. Et 3. Kal. Decembris dedicacio altaris sancti Mauricii et sociorum eius.

1219. In festo sancti Leonardi christiani divina virtute auxiliante ceperunt civitatem Damiatam.

1220. Anno Domini 1220. fuit consecratum altare beati Iohannis baptiste et sancti Iohannis ewangeliste.

Anno dominice incarnationis 1222. mense Iunii captum fuit castrum de Lambesco et funditus dirutum et penitus destructum a Berenguario comite Provincie et Massiliensibus. Eodem anno et mense captum fuit ab eisdem castrum de Roca Martina.

Anno dominice incarnationis 1222. mense Octobris die 11. Kal. Novembris luna 14. [c] fuit eclipssis lune. Et in eodem anno 16. Kal. Madii similiter fuit eclipssis lune.

Anno 25. 16. Kal. Marcii luna 13. fuit eclipsin lune, et fuit quasi sanguinea.

Anno 1226. mense Septembri capta fuit civitas Avinionensis a domno Lodovico rege Francorum, et muri eius dirupti et fossati solo adequati.

---

[a] montis *rasa c.* [b] *vox pene evan. c.* [c] XI. *in rasura m.* 1.

[11] Mende. [12] Beziers. Episcopus Gaufredus a. 1199. obiit.

1229. Iacobus rex Aragonensis cepit gladio virtute divina 2. Kal. Ianuarii civitatem Maioricarum[a]. Eodem anno Raimundus Berengarii, comes Provincie, cepit civitatem Niciensem[13].

1230. Noscant[b] presentes et futuri[c], quod anno Domini 1230. Iacobus illustris[d] rex Aragonensis cum Massiliensibus[e] cepit Maioricas et totam[f] insulam tempore natalis[g] Domini. Et post eodem[h] anno Raimundus[i] Berengarius comes Provincie[k] debellavit Massiliam[l] infra civitatem[m] ab intranti Augusto usque[n] post festum Omnium Sanctorum[o], et non potuit obtinere.

1238. Transacto[p] spacio . . .[q] annorum hisdem rex[r] cepit civitatem Valenciam[s] videlicet in vigilia[t] sancti Michaelis.

1239. . . .[q] Non. Iunii 6. feria[u] luna 28. fuit[r] eclipsis solis.

Anno 1239. domnus episcopus Massiliensis Benedictus et Teobaldus rex Navarensis et comes Campanie, cum multis aliis perrexerunt Ierosolimam.

Et in alio anno Ricardus comes cum aliis multis perrexit similiter[v] Iherusolimam.

Anno ab incarnatione Domini 1244. inter festum beati Micaelis et festum Omnium Sanctorum venit domnus[w] papa Innocentius[x] IV. Lucdunum.

1245. 16. Kal. Augusti[y] in ecclesia sancti Iohannis Lugduni sollempniter concilio[y] celebrato, domnus papa Innocencius IV. de communi voluntate omnium cardinalium contra Fredericum olim imperatorem sentenciam perpetue deposicionis sollempniter promulgavit, sacrato consilio approbante imperatorem et heredes eius imperio et regno Scicilie et aliis regnis, potestatibus, honoribus ac omnibus[z] dignitatibus sentencialiter omnino privavit.

1245. 14.[a] Kal. Septembris obiit illustrissimus vir Raimundus Berengarius[b] comes Provincie apud Aquas[14]. Cuius anima requiescat in pace. Amen.

Anno Domini 1245. Karolus comes, frater Lodovici Francorum regis, contraxit matrimonium cum Beatrice filia illustris comitis Provincie[c] bone memorie Raimundi Berengarii, vedelicet mense Ianuarii[d] pridie Kal. Febroarii.

Anno ab incarnatione Domini 1248. mense Augusti Lodoycus Dei gratia illustrissimus rex Francie transfretavit . . . . .[e]

Anno ab incarnatione Domini 1248. festo beati Martini fuit capta civitas Sibilie a rege Castelle.

1249. Obiit Raymundus comes Tolosanus.

1250. In vigilia sancte Lucie obiit Fredericus olim imperator.

1251. 2. Kal. Mai. domnus papa Innocentius IV. cum quibusdam cardinalibus visitavit monasterium sancti Victoris Masilie. Et in festo inventionis sancte .✝. domnus Petrus[f] cardinalis Albanensis consecravit altare beate Marie virginis. Et eadem die exierunt a monasterio versus Italiam. Eodem anno Karolus comes Provincie in vigilia beati Bartolomei[g] cum magno exercitu intravit vall(em) Massilie contra Massilienses quorum occasione omnia bona monasterii tam in edificiis quam in molendinis et in vineis fere penitus devastavit et diluit.

Anno Domini 1257. Brito miles et civis Massiliensis, filius condam Ancelmi feri, vir sapiens et summe eloquentie, inimicorum invalescente malicia fuit eiectus de civitate Massilia, et bona ipsius distracta. Hoc fuit actum 3. Non. Madii. Eodem anno 3. Non. Iunii Karolus comes Provincie accepit dominium tocius civitatis vicecomitalis Massilie perpetuo, comune et consilio eiusdem civitatis penitus approbante. Sequenti vero die domnus

---

a) virtute c. M. div. 2. K. I. *c.* b) noscant *bis c.* c) *vox evan. c.* d) ill *nunc ligatura abs. c.* e) sibus *nunc ligat. abs. c.* f) et t *nunc ligat. abs. c.* g) nat *nunc ligat. abs. c.* h) eo *nunc ligat. abs. c.* i) R. *c.* k) uī *nunc ligat. abs. c.* l) mas *nunc ligat. abs. c.* m) 2 *litterae abs. c.* n) us *nunc ligat. abs c.* o) s *nunc ligat. abs. c.* p) trā *nunc ligat. abs. c.* q) *numerus ligat. c.* r) *vox nunc ligat. abs. c.* s) va *nunc ligat. c.* t) lia *nunc ligat. c.* u) fer *ligat. c.* v) *vox in rasura m.* 1. w) *vocem int. lin. add. m.* 1. x) innec. *corr. m.* 1. y) *vox super lineam adiecta m.* 1. z) potestatibus *prius adiectum delevit m.* 1. a) X. *in rasura c.* b) benegaruus *c.* c) *vocem int. lin. add. m.* 1. d) ianua *in rasura m.* 1. e) *post* transfretavit *versus unus erasus c.* f) p. *c.* g) in v. b. b. *supra lin. add. m.* 1.

[13] Nizza.

[14] Aix.

Benedictus, tunc Massiliensis episcopus, dedit et concessit predicto Karolo comiti Provincie ius et dominium ville episcopalis Massilie. Et tunc fuit eadem villa cum inferiori villa coadunata in omnibus et coniuncta.

1264. Quatuor et mille bis centum cum decies sex
Anni post verbum Domini Gabriele sonante
Essent, cometetes Iulii[a] quasi fine lucesit
Tunc in Castella pagani bella moverunt.
Anglia per Symonem[b] mansit viduata ministro[c].

1265. Princeps Manfredus[d] Frederici filius olim
A Karolo rege fuit armis namque perhemtus
Annis transactis post partum Virginis alme
Sex denis quinque nec non mille ducentis.
fuit die Veneris ante festum chathedre sancti Petri.

Anno Domini 1334. obiit quarto[e] Novembris domnus Iohannes papa XXII. Sedit[f] in episcopatu annos 18. Hic rexit ecclesiam Romanam viriliter in spiritualibus et temporalibus. Tempore suo anno pontificatus sui 14. fuit creatus in Roma per falsos creatores, qui dicunt se habere potestatem eligendi papam, unus antipapa qui vocabatur Nicholaus V. qui per magnam erudicionem[g] suam tantum fecit, quod ipsum antipapam confitendo eresim suam a Roma usque in Avennione fecit venire captum[h] et per omnes civitates et locos nominatos magnos ipse antipapa confitebatur[i] heresim suam, quomodo ipse creaverat plures cardinales contra Deum et sanctam ecclesiam; populo Romano ei conscensiente, et quod omnia que fecerit ipse fecerit contra Deum et sanctam ecclesiam plus timendo populum quam Deum; erat autem frater Minor. Obiit in palatio dicti domni Iohannis in civitate Avennionis[k] anno pontificatus sui 16[l]. Ipso autem anno 16. Decembris fuit electus papa Benedictus XII. Erat autem cardinalis monachus albus.

1334. Obiit Iohannes papa XXII.
1341. Obiit Benedictus papa XII.

1345. Andreas rex Cicilie, filius regis Ungarie, fuit peremtus per suos in Aversa civitate.

Anno Domini 1347. obiit domnus Amalvinus de Rochalaura abbas huius monasterii, et sepultus in ecclesia antiqua in capella sancti Martini in qua ordinavit terciam ebdomadam, et redditus pro illo qui celebrabit pro eo.

Anno Domini 1347. incepit mortalitas universalis gentium circa partes istas quasi circa festum Omnium Sanctorum, et vix remansit tertia pars ex civibus; et convertit[m] et circuivit totum mundum. Et ante alibi inceperat quam hic, et duravit per tres annos et plus 50,000[n] in hiis partibus, duravit quasi per sexdecim menses[o].

1356. Existente papa Innocencio V. et rege Ludovico et Iohanna presidentibus in Cicilia insula, Cicilia sibi sine vi armorum nutu Dei subiecta est in mense Decembris. Eodem anno translatum est caput sancti Lazari in castraturam argenteam satis pulcram.

1356. Prodicio regis Francie Iohannis per suos et captio per Anglicos, scilicet per principem[p] de Galia[q] filium regis Anglorum. Et stetit captus in Angliam per annos duos. Et ex captione ista facta fuit sedicio magna in dicto regno Francie inter communitates et nobiles. Presidebat nobilibus delphinus filius regis, et rex Navarre communitatibus.

1357. Tractatus prodiciosus contra regem Ludovicum[r] et Iohannam[s] eius consortem, ut perderet Provinciam[t] et comitatum Forquaquirii, cuius fuerunt actores Amelius de Bausso et comes Avellini cum multis conplicibus suis Vasconibus, scilicet Arnaldo et Petro de Cervala. Et licet multa dampna dederint, tamen Dei gratia et sancte Romane ecclesie diligentia et domni Stephani, abbatis huius monasterii nostri, frustrati sunt fine per eos intento[u]. Et isto anno fuit destructa Albanea, et Sanctus Marcellus et Rochafort fuerunt destructa per Massilienses[v] et multa alia castra ipsius comitatus per alios.

---

a) illa stella flamifgera *super* c. I. *scripsit m.* 1. b) Montis fortis *superscr. m.* 1. c) .i. rege *superscr. m.* 1. d) Matffredus *legit Pabst.* e) *vox fere evan. c.* f) sedis *c.* g) eridicionem *c.* h) captū *int. lin. add. c.* i) tur *absc. c.* k) *vox pallid. c.* l) *numerus pallid. c.* m) *ita explico* ꝯūr *c.* n) *intellige* abripuit *c.* o) *ante* menses *c.* p) pncipē *c.* q) gal̄ *c.* r) ludocū *c.* s) iohān *c.* t) ꝓuiciā *c.* u) īteto *c.* v) et — Massilienses *add. m.* 1.

Anno a nativitate Domini 1423. et die sabbati 20. mensis Novenbris circa solis occasum Alfonsius rex Aragonie cum suo stolio 22 galearum, veniens de Neapoli, intravit civitatem Massilie, eam prede et incendio usque Marcium inmediate sequentem exponendo[a], et demum recessit versus Aragoniam.

Anno a nativitate Domini 1424. et die 18. mensis Ianuarii in crastinum sancti Anthonii obiit domnus Petrus Flaminchi abbas in castro de Apriolo, qui statim fuit translatus sive portatus ad monasterium. Anno eodem et die 16. mensis Novembris recepit possessionem monasterii per procuracionem domnus Guillelmus de Lacu cum bullis papalibus abbas etc. Usque ad quam receptionem possessionis gubernaverunt[b] domnus Iohannes de Vitrolis decretorum doctor et prior de Remeta ac Persivallus de Clavoto elemosinarius vicarii, per conventum dicti monasterii concorditer electi.

Anno a nativitate Domini 1428. et die Iovis de vespere post solis occasum inter horam sextam et septimam, prima hora noctis, que fuit dies 23. mensis Septembris, fuit eclipsis lune universalis et fuit tota nigra, quasi non apparens.

Anno a nativitate Domini 1433. et die 17. mensis Iunii fuit parva eclipsis solis in civitate Massilie. Licet secundum quosdam astrologos dicta eclipsis debuisset esse magna, tamen non fuit verum.

1453. Eodem anno et die 28. mensis Madii magnus Thurcius[c] cepit inclitam civitatem Constantinopolitanam destruens[d] campannas et reliquias quas ibidem reperit et omnia sacra prophanans multamque christianorum stragem faciens et multos in captivitatem ducens; quod proch dolor est dicendum.

1524. *Marchelhe fut assigee de Borbon.*

1542. *Le douphin assiega la cite de Perpignan et eoden anno le duc d'Orleans prin la duche de Luxambourg et Yvor.*

---

a) *vocem int. lin. add. m. 1.* b) gubernaunt *c.* c) theucius *c.* d) destru^{ant} *c.*

CHRONICON GURCENSE.

EDIDIT

WILHELMUS WATTENBACH PROF. HEIDELBERGENSIS.

Chronici huius, quod iam Aventino notum fuisse videtur, partem posteriorem vulgavit Hansizius Germaniae Sacrae tom. II, 300. *Quod quum in cod. bibl. caes.* 483, *olim hist. eccl.* 73[1], *Vindobonae legerem, exscripsi integrum a.* 1847. *Primum eius folium occupat, et teste scripturae specimine non multo post a.* 1183. *cuius cap.* 4. *mentio fit, exaratum esse videtur, et mox quibusdam in margine ab alio sed eiusdem temporis scriptore adiectis auctum. Chronicon excipit manu non multo posteriore exarata epistola capituli generalis fratrum Carthusiensium Ekehardo episcopo* (1195—1200) *pro fratribus in Geyrach directa, quam infra poni licebit*[2].

1088. Iun. 15. 1. Anno ab incarnatione Domini 1088. 16. Kal. Iulii[3], Gebhardus archiepiscopus
1090. ultimum diem clausit. Eodem die revolutis duobus annis Guntherus Gurcensis episcopus obiit[4]. Hunc hic Gebhardus Guntherum fecit episcopum, anno 1072.[5] Hic[a] Guntherus sedit annis 18, quorum 16 sub domino Gebhardo rexit ecclesiam, et aliis duobus rexit ecclesiam tempore scismatis, quod in ecclesia Salzburgensi viguit tempore domini Hainrici senioris imperatoris, qui beato Timoni canonice electo superposuit quendam Pertoldum, qui a vulgo Prunzagel dictus est, oriundus de Mosburch, castello Bawarie.

2. Qui Pertoldus quendam alium Perhtoldum de Celsach oriundum Gurcensi ecclesie intrusit episcopum; et hic totum dilapidavit episcopatum. Sedit annis 16. Hec sunt allodia quibus sub nomine beneficiorum nudatam se gemit Gurcensis[b] ecclesia ab eo: ecclesia in loco qui dicitur Wztrich cum 150 mansis duci ....[c] [6] et ad hoc Fresaci[7] curtis una, altera Dernsteine[8]. Poppo[9] cum fratre suo Willehelmo 80 mansos eiusdem possidet Gurcensis ecclesie et curtim unam et ecclesiam in eodem edificatam predio. In Marchia[10]

---

[a] *macula deletum cod.* [b] *verbum situ deletum cod. coniectura usus restitui.* [c] *verbum macula tectum cod.*

[1] Cf. Archiv X, 455.

[2] *Reverendo patri et karissimo domino suo in Christo E(kehardo) Dei gratia Gurcensi episcopo, fratres in generali capitulo Cartusie congregati, salutem et siquid eorum possunt orationes. Satis ut credimus audivit vestra veneranda paternitas nos non habere servos, non ancillas, et nichil penitus extra nostros terminos possidere. Adtendentes autem quod fratres nostri de Girio vel vivere non velint vel forsitan non possint, eos, ne sub nomine Kartusiensium detrimentum sui fatiant, communicato consilio, Deo et sibi ipsis relinquimus. Malumus enim ut ad professionem aliam se transferant quam quod in dispendium animarum suarum et etiam nostrarum — si consenserimus — nostri propositi et sui existant cottidie transgressores. Nam cum turpe sit in quolibet christiano aliud promittere, et aliud facere, turpius est in religiosis quibus dicitur: Vovete et r. d. vota vestra. Si vero in posterum vestro consilio, vestro auxilio, vestra providentia vellent redire ad nos et secundum qualemcunque Cartusie propositum vivere, eos libentissime et benignissime tanquam fratres nostros karissimos reciperemus.* — Ex Eichhorn, Beiträge zur älteren Geschichte von Kärnthen II, 123 discimus, reformationem Carthusiae in Geyrach a. 1200. Apr. 13. canonicis Gurcensibus commissam esse.

[3] Cf. SS. Tom. XI, 39. not. 23.

[4] Et hunc Necr. Admunt. et Salzb. 17. Kal. Iul. commemorant.

[5] De consecratione v. chartam Gebehardi d. 6. Mai. 1072. ap. Eichhorn, Beiträge zur älteren Geschichte von Kärnthen II, 111.

[6] Liutoldo duci Karinthiae a. 1090. Heinricus filius successit.

[7] Friesach.

[8] Dirnstein Stiriae, haud procul a Friesach.

[9] comitem de Celsach fuisse opinor, qui Thimonem archiepiscopum cepit.

[10] scil. Winidorum.

1. Chronicon Gurcense. Cod. Vindobon.



iterhusen qđ way dustrie ⁊ magni ꝯsiliū elect⁹ ad eo ⁊ ꝑ ipo ꝯfirmat⁹ a dn̄o. Alex̄ papa et ei⁹ mandato cū con
senberch dicit' ē paciencia dn̄i. Albti ꝯsecrat⁹ ē a dn̄o. patarcha Wlrico eo q̄ grauissima tc̄ tēp'is persecu
a wolfpro delle tione laborauit archiep̄c regq; ecclam uitanto discrimine v. annis. ⁊ a. & . c. l. xx^mo. viiii.
benberch. cent̄

W. Wattenbach fec.

2. Vita Willibrordi auct. Thiofrido. Cod. Gothanus.

fol. 37.



patris cespitem fluctibus obrutum diuinę censurę potius per
mitteret potentia. Est his data sub iudice. prescripta est dies

W. Arndt f.

4. Gesta episcoporum Halberstadensium.

Cod. Gymnasii Halberstadensis.

p. 75.



Rex pie cernēs cūcta gubn̄ās pce cremat's
Caumate stratos redde bt̄os fine pietatis 8
Pro igit' fc̄o duci Heinrico corā ipso ducat' saxonie. Noia q̄
hēbat p snīam sue abiudicata. Heinric' dux deponitur

W. Arndt scripsit Berolini 4/66.

5. Chronicon Montis Sereni.

Codex Halensis.



Anno dn̄i m° c° lxxx viii° Imperato' p legacōe fc̄a p adiutorio
terre sc̄e curiā moguncie celebrauit ubi Colon. archiep̄s
grām imperatoris sc̄ et ciuitate sua ci ꝯdicōe tm̄ iusta tradidit obti
nuit. Imperato' eni p'mūa albaneñ epi legati sūmi pontificis ꝯcilio
filius eius dux friderice Lantgrauius et multi epi duces et comites

Ehrenfeuchter fec.

6. Chronicon Lyvoniae.

Codex bibliothecae Zamoscianae.



spectans si forte q̄spiam appareret referēs ei q̄d age
tur. Subito apparuit nauicula de lōge. in q̄ quidā de
fr̄ib; milicie rediens cū uexillis q̄busdā. capit' aliquoꝝ
p signo victorie ep̄o p̄sentat. At ille gaudēs cū uniu
sis qui domi remanserant grās agit deo. q̄ p paucos
operatus est salutē ecclesie sue. De expugnatione cast
Applicant interim zepiani menia ... ri.
Suburbana. muro castri. ignē īponūt. patherelli
ignē ⁊ lapides ī castrū p̄iciūt. balistarij quā plures
ī munitōe wlnāt. Unde post oracionē tancq; iā
se defendē nō sufficiūt. Hinc thoreidenses pacē petūt
erat aūt cor ei⁹ fiducia plen⁹ ī dn̄o

Mon. Germ. SS. T. XXIII Tab. 1. ad pag. 8.

Wilh. Arndt scrips. 4/3 65.
Berolini

episcopus duci et commetisse[11] 80 villas et duas curtes concessit. Idem episcopus iuniori Engelberto duas urbes, Truxinas[12] nomine, dedit et 12 vineas et curtes 4, et ea die qua ab episcopatu recessit 12 alias vineas; Friesacense insuper forum cum 10 mansis et unam curtem in villa Micheldorf[13]; Dietrico in Carinthia 30 mansos et curtim unam, et in Bawarica[a] 10 in villa Vohendorf[14]; Regenberto de Tanna curtim unam cum 15 mansis; ministeralibus eiusdem ecclesie 50 dedit et sic episcopali iuri[b] nichil remansit. Popponi supra dicto 12 servos dedit quorum unusquisque 8 marturinas singulis annis dare solebat. Preterea idem Poppo absque omni traditione 2 molas et 17 servos eiusdem ecclesie sue vendicavit potestati.

3. Beatus vero martyr Tymo sedit annis 17, et 1105. feliciter martirio coronatus obiit. 1101.
Cui successit Chuonradus senior venerabilis archiepiscopus sub quo praedictum scisma 1106.
quievit. [Huic[c] Conrado dominus Paschalis papa iniunxit, ut Perhtoldum intrusum Gurcensis
ecclesie, quem ipse excommunicaverat, removeret; quod et fecit. Qui Perhtoldus
licentia domini pape secessit in monasterium sancti Pauli in Lavent et ibi mansit usque ad
obitum suum[c].] Qui[d] Chuonradus Hilteboldum venerabilem Gurcensem ordinavit episcopum.
Sedit autem dominus Hildeboldus episcopus sub domino Chuonrado[e] annis 25. 1106.

4. Post cuius felicem[f] obitum[15] ab eodem Chuonrado Romanus Gurcensium ordinatur 1131. Oct. 8.
episcopus, vir valde pacificus. Obiit autem dominus Hilteboldus anno 1131. Verum
dominus Chuonradus sedit annis 42 et dimidio[16]. Huius tempore iniciata[g] est vita
communis Salzburch a. 1121. Sub hoc etiam tempore domini Hilteboldi iniciata est vita
communis in Gurcensi ecclesia a. 1123.[17] Verum dominus Chuonradus obiit a. 1147. Cui 1123. 1147.
successit sanctus Eberhardus[h] Biburgensis abbas, elemosinarum largissimus distributor; Apr. 9.
sedit annis 17, et a. 1164.[i] diem obiit. Sane huic successit Chuonradus Pataviensis[k] 1164. Ian. 22.
episcopus, frater Chuonradi Romanorum regis, vir admodum strennuus, sed modico tempore
rexit ecclesiam: nam 1168. diem clausit. Huius tempore dominus Romanus senior 1168. Sept. 28.
clausit diem ultimum a. 1166[18]; hic prebendam fratrum . . . . auxit, episcopatum 1167.
sublimavit, 4 castra construxit, Strazburch et Pockstain[l][19], Predsiggin et Wolchenburch, Apr. 3.
monasterii fundamenta iecit, multo tempore strennue archiepiscopatum rexit, patriarchatui
profuit; sedit autem annis sub domino Chuonrado 17, sub sancto Eberhardo 17, sub
domino Chuonrado Pataviensi duobus. Huic Chuonrado successit ex sorore nepos, filius
Boemorum regis Albertus, vir mire patientie; episcopatum tamen tenuit 8 annis contra
omnes insultus imperatoris[20]. Post nono anno facta pace inter imperatorem et papam 1177.
Alexandrum, depositus est, et substitutus est ei Chuonradus Mogontinus archiepiscopus
cui in propria ecclesia superpositus fuerat Cristianus archichancellarius. Qui Chuonradus
6 annis rexit ecclesiam, et mortuo Cristiano revocatus est ad suam ecclesiam, et dominus
Albertus ad suam a. 1183.

5. Post discessum[m] domini Romani senioris, vigente adhuc scismate sub domino
Chuonrado qui et Pataviensis, electus est dominus Hainricus abbas Sancti Petri[21] in Gurcensem 1167.
episcopum et ab archiepiscopo ordinatus est[22], rexitque ecclesiam in pace tempore 1168. Mart. 4.
scismatis 7 annis. [Hic[n] instituit cenobium in Giriou[23] Cartusiensium in honore sancti
Iohannis baptiste, et castrum in Trhusen quod Waysenberch dictum est[24] a Wolfperto de
Liebenberch centum marcis et aliis bonis redemit.] Chuongisperch destruxit, Ottonem et
Reinbertum cepit, de quibus ut de ecclesie hostibus magnifice triumphavit; et anno 1174. Oct. 3.
Domini 1174. feliciter obiit.

6. Cui successit Romanus consanguineus Romani superioris, Gurcensis ecclesie

---

a) bawariea *cod.* b) iure *cod.* c) *haec manu aequali in marg. addita sunt cod.* d) Qui *et* Sedit a. d. H. ep. *alia manu puto eiusdem qui illa in marg. adiecit scripta sunt cod.* e) Chůrado *cod.* f) filicem *cod.* g) inicitata *cod.* h) Gebhardus *cod.* i) 1144. *cod.* k) pateuiensis *cod.* l) *ita restitui verbum paene deletum cod.* m) dicessum *cod.* n) *in marg. cod. scripta ut supra.*

11) fort. Hadwigi, filiae Heinrici ducis, matri Engelberti qui a. 1130. dux factus est. 12) Trixen superius et inferius, haud procul a Völkermarkt. 13) districtus Klagenfurt. 14) Voggendorf, iudicii ruralis Kötzting in inferiore Bawaria. 15) Dies in Necrol. Admunt. et Salzb. notatur. 16) potius 41 et 4 mensibus. 17) V. chartam qua reditus certos eis attribuit a. 1124. ap. Eichhorn, Beiträge II, 117. 18) In a. 1167. consentiunt Ann. Admunt. et Salzb. cum Necr. Salzburgensi. 19) Pöckstein. ubi Mettnitz Gurcam influit situm. 20) scilicet Friderici I. 21) scilicet Salzburgensis. 22) V. Ann. Salzburg. 23) nunc Geyrach, v. Pusch et Froelich Dipl. Styr. II, 135. 24) Waisenberg confinis est superiori Trixen.

prepositus tertius, vir magne industrie et magni consilii, electus a clero et populo, confirmatus
a domino Alexandro papa; et eius mandato cum conpacientia domini Alberti
consecratus est a domino patriarcha[25] Uolrico[a], eo quod gravissima tunc temporis persecutione
laboraverit archiepiscopus; rexitque ecclesiam in tanto discrimine 5 annis et
1179. Aug. 16. a. 1179. ob Ierosolimitanum[b] iter infirmatus ultimum diem clausit in Domino. Post cuius
felicem obitum eclypsis lune facta est.

Aug. 19. 7. Dominus Hermannus de Ortenburch archidiaconus tocius ecclesie voto in episcopum
eligitur et intronizatur. Super quo dominus archiepiscopus Chuonradus graviter motus
dominum Dietricum Gurcensem prepositum[c] episcopum elegit et investivit[d] absque coniventia[e]
tocius Gurcensis ecclesie. Post elapso aliquo tempore eundem intronizavit magna
fretus[f] milicia, castrum Strazpurch obsidione cinxit; cuius impetum tam clerus quam
inermis aliis se locis conmendaverit[g]. Tandem post tocius provincie devastacionem quodam
Nov. 29 consilio mediante 3. Kal. Dec. soluta est obsidio. Inde procedens in purificatione beate
1180. Febr. 2 Marie dominum Dietricum ordinavit episcopum. Postmodum eodem anno 3. Nonas Iulii
Iul. 5. dominus Dietricus episcopus idem castrum obsedit. Cui se dominus archiepiscopus Chuonradus
Iul. 25. 8. Kal. Augusti cum copiosa militum multitudine coniunxit[h]. Verum ad eandem
obsedionem legatus domini pape Alexandri[i] Petrus de Bono[26] cardinalis veniens, in presentia
domini Babenbergensis Ottonis[k] et domini Brixiensis[l] Hainrici[m] episcoporum et principum
ducis Karinthie[27], comitis Wolfradi[28], palatini iunioris Ottonis[n] dominus Herman iuri suo
Aug. 31. abrenuncians pacem fecit; urbeque data et incremata 2. Kal. Sept. soluta secunda obsedio.

a) ẘlrico *cod.* b) ierosolimitarum *cod.* c) ꝑpm̄ *cod.* d) inuestium *cod.* e) conuientia *cod.* f) fretͦ malicia *cod.* g) *ita cod.* h) coniunxī *cod.* i) aex *cod.* l) ø *cod.* m) Bxu *cod.* n) H. *cod.* o) O. *cod.*

[25] Aquileiensi II. [26] tituli Sanctae Susannae presbyter cardinalis. [27] Hermanni. [28] de Treffen.

MONUMENTA EPTERNACENSIA

EDIDIT LUDEWICUS WEILAND.

Sancti Willibrordi nobilis abbatiae Epternacensis monumenta historica, quae collecta propositurі sumus, tanti quanti aliorum monasteriorum monumenta pretii non sunt, attamen digna ut oblivioni eripiantur, quippe ex eis cognoscitur; qualis status artium liberalium per anteriora medii aevi saecula in remotis Ardennensis saltus finibus fuerit, et nonnulli etiam ex eis lucis radii super Lotharingiae et totius patriae historiam funduntur. Et in monasterio Epternacensi ab initio floruit litterarum studium a monachis Anglicae nationis, ex qua etiam sanctus Willibrordus oriundus erat, una cum fide christiana et aratro a patria insula advectum. Vitam fundatoris primum monachus quidam Scotus rudi quidem stilo litteris mandavit[1]. *Dein Alcuinus egregius doctor precibus victus Beornradi tertii abbatis Epternacensis, archiepiscopi Senonensis, urbaniore latinitate et prosaice et metrice gesta viri sancti, cui et ipse et abbas consanguinitatis vinculo coniuncti erant, composuit, sermonemque in diem natalem Wilgisli patris Willibrordi adiunxit. Beornradus etiam mandato Karoli gloriosi imperatoris*[2] *obediens, traditiones, quae uberrime monasterio iam Willibrordo superstite factae fuerant, descripsit*[3] *sicque fundamentum posuit libri illius qui vocabatur* Liber Aureus, *de quo infra agemus. Beornradi temporibus in monasterii solitudine degerunt etiam aliquamdiu populares eius Willehadus a.* 788 *factus episcopus Bremensis*[4] *et Stigandus*[5] *et connexum cum patria et cum aula regia retinuerunt. Motibus bellicis post mortem Ludewici Pii inter filios et nepotes eius ortis abbatia, inter Scyllam et Charibdim posita, graviter laesa est. Anno enim* 849 *Adelardus comes a Lothario I. imperatore, abbas laicus, monasterio donatus, clericos eo introduxit, Karlomannus filius Karoli Calvi, cui a patre excaecato Ludewicus I. rex Ostrofranciae coenobium ad subsidium vitae a.* 873 *tradiderat*[6], *monasticum ordinem prorsus destruxit, ita ut canonici per centum annos sub laicis abbatibus conversarentur. Accessit quod Arnolfus imperator propter incursiones Nortmannorum praedia ecclesiae amplissima ad supplendum scutum regalis exercitus laicis inbeneficavit*[7]. *Anno demum* 973 *ultimus ex laicis abbas, Sigefridus comes, abbatiam Ottoni I.*

---

[1] Thiofridi Vit. Willibrordi c. 24. f. 31: *Nam primo quidam linguae ac gentis Scotticae aggressus tanti viri gesta describere, rustico stilo detrivit dignitatem hystoriae, dein Albinus cognomento Alcwinus de Britannia, vir urbanae elegantiae, utpoti magni Karoli yperasspistes ..... conatus est in urbanum lepido seponere dicto et incompta comere.*

[2] V. quae adnotavit v. ill. Pertz Legg. I, 175 not. 1.

[3] V. infra Thiofrid. cap. 29.

[4] Ansgarii Vit. Willeh. cap. 7. (Thiofrid. c. 29.)

[5] Thiofrid. c. 29.

[6] V. infra Catalogum abbat. I. Karlomanno soli hanc destructionem adscribit charta Ottonis I. a. 973. data ap. Beyer, Niederrhein. Urkundenbuch I, 236. Theodericus in Libello f. 115 aptissime combinavit dicens de Karlomanno: *Qui, licet ante eum plus quam 20 annis, eiectis monachis, inducti fuissent clerici, monachos quosdam adhuc superstites fugavit, congregationem destruxit, monasterii possessiones satellitibus suis divisit, et pro monachis seculares clericos inducens, que sancta et iusta erant mutavit et dissipavit.*

[7] V. infra Theodericum in Chron. Eptern. lib. II, praefat. et in Libello f. 114.

imperatori resignavit, qui ordine monastico ibidem reparato, Ravangerum monachis denuo congregatis abbatem praefecit[8]. *Ravangeri successor quartus exstitit Thiofridus, qui doctrina suis temporibus eximia excellens, diversis scriptis claruit specimenque egregium litterarum studii in schola Epternacensi saeculo XI. vigentis nobis praebet. A primaeva aetate ut videtur in monasterio nutritus — iam a. 1031 elevationi sancti Willibrordi interfuit*[9] *— et primis litterarum studiis imbutus, postea Maecenatibus usus est consanguineis Brunonis ex comitibus Laufensibus oriundi, a. 1102 facti Trevirorum archiepiscopi, cui* litteris satis erudito, plus quam dici potest munifico[10] *intima familiaritate iungebatur*[11]. *Quorum principum ope fultum eum et aliis locis, fortasse Leodii seu Parisiis, studia exercuisse coniici fas videtur. In coenobium redux Reginberti abbatis aestimatione et familiaritate fruebatur, qui postremo moribundus Thiofridum fratribus successorem designavit*[12]. *Erat annus Domini 1081, quo Heinricus IV. imperator ab Hildebrando papa excommunicatus, in obsidione Romae laboravit. Qui cum biennio consumpto nondum in patriam reversus esset, Thiofridus iter trans montes aggressus, dominum suum de Hildebrando triumphantem et Urbem intrantem vidit, ubi a. 1083. Nov. 19. regalibus investitus, forte etiam inthronizationi Clementis papae caesariani sequenti anno Mart. 24.*[13] *factae interfuit. Refutatur ergo et studio partium papalium orta videtur opinio auctorum quorundam recentiorum*[14]*, qui, ut Thiofridum sibi et orthodoxis vindicent, eum contra aemulum imperatorium reluctantem a Gregorio VII. abbatiam Romae suscepisse praetendunt. Egit potius sicut postea fautor eius Bruno, qui et ipse sceptrum ante baculum ab imperatore recepit*[15] *et, quamvis mediatoris potius munere fungeretur, constanter tamen ad partes domini sui imperatoris et contra pontifices Romanos et contra filium rebellem stetit*[16]. *Summa cum reverentia Thiofridus in scriptis suis imperatoris mentionem facit, imperatoris, qui a. 1101 Leodii orationibus abbatis animam suam commendavit,* memoriam in imis *fratrum* recondit visceribus, *imperatorem eo anno implorat, ut monasterio ecclesias ipsi in Hollandia alienatas restituendas curet*[17]. *Sicut decuit pro abbate imperali se gerebat, non vero pro Romano, et fortasse ob hanc causam in ultimis vitae annis infestatus esse videtur, quippe qui saepius in scriptis suis de* oblatrantis invidiae morsu et reprehensione *conqueritur*[18]. *Anno* 1110. *Apr.* 3. in senectute bona *diem extremum obiit et ab amico suo Brunone archiepiscopo in conventu depositus est*[19].

---

8) Ravangerum cum 40 monachis advenisse dicit Iohannes Bertelius (abbas Epternacensis a. 1595—1607) in Historia Luxemburgensi, ed. nov. cur. Brimmeyr et Michel. Luxemb. 1856. 8°. p. 274. Ex Sancto Maximino eum assumptum esse autumat Mabillon, Annal. ord. S. Bened. III, 608. — Praeterimus quae Trithemius, Ann. Hirsaug. ad a. 932. 952. 970. 990. de quatuor scholarum Epternacensium rectoribus, Marquardo qui inter alia Vitam Willibrordi gemino descripsit eloquio, Heriberto, Rudigero, Adelhario qui inter alia Chronicon coenobii composuit, suo nisus Meginfrido mentitus est.

9) Flores I, c. 6. f. 111. 111' dicit: *insinuavitque* (scil. Humbertus abbas) *per ea quae potuit dicere, facile nos posse conicere maxima esse quae vel non potuit vel timuit verbis exprimere.*

10) Gesta Trevir. SS. Tom. VIII, 192.

11) Brunonem in dedicatione Florum f. 100' his verbis aggreditur: *Antequam, domne mi, presulum gemma et gloria, archyantisticii ascendissetis fastigia, ut David Ionathae, sic sanctae vestrae animae mea conglutinata exasperatrix est anima, cum pro honestissima morum comitate et modestia, tum ex consanguineorum vestrorum, summae generositatis et dignitatis heroum, in me dignatione ac benivolentia.*

12) V. infra Catalogum abbatum I. Obiit Reginbertus a. 1081. Dec. 11.

13) V. Ekkehardi Chron. 1084. SS. Tom. VI, 205.

14) Primus fuisse videtur Bertelius, qui p. 276 dicit: *ut ex quibusdam eius* (Thiofridi) *scriptis liquido constat, competitorem habuit* etc. Bertelium exscripserunt Brower, Metropolis ecclesiae Trevericae (ed. Stramberg. Confluent. 1855.) I, 529; Mabillon, Annal. V, 136; Histoire litéraire de France IX, 503; Neyen, Biographie Luxembourgeoise. Lux. 1860. 4°. p. 167.

15) Gesta Trevir. l. c. Ob hanc causam postea Romanae sedi satisfacere coactus est.

16) Cf. Ann. Hildesheim. 1105. 1109. Ekkehard. 1106 p. 233.

17) Epistola Thiofridi ed. Martene, Coll. ampl. I, 584 et post eum alii multi.

18) In praefat. Vit. Willib. et Florum f. 101'.

19) V. Catal. I.

Scripsit Thiofridus primo Vitam sancti Liutwini, quam Udoni archiepiscopo Trevirensi (a. 1066—1078) dedicavit, ut ipse in praefationibus Florum et Vitae Willibrordi confitetur[20], *quaeque eadem fuisse quae Nizonis abbatis Mediolacensis nomine fertur, Perierus mihi evicisse videtur*[21]. *Sed eundem falso iudicasse censeo, cum Thiofridum etiam auctorem Vitae sancti Basini aestimet, Henschenium secutus, qui unum eundemque auctorem Vitam utramque scripsisse statuerat*[22]. *Vix enim auctor de sui ipsius scripto talis arrogantiae verbis ageret qualia leguntur in Vita Basini*[23]: qui nosse desiderat *(gesta Liutwini)*, ad libellum sanctorum eius gestorum recurrat ibique acta luculenter descripta reperiet. — 2. *Librum composuit quem Brunoni archiepiscopo inscripsit, intitulatum* Flores epitaphii sanctorum, *quatuor libris septenorum capitum distinctum. In quo potissimum quae Reginbertus abbas per inspirationem Spiritus paraclyti excogitaverit et ipsi commendaverit se referre dicit*[24]. — 3. *Vitam sancti Willibrordi exemplum secutus Alcuini et prosaicam 36 capitibus disiunctam et metricam et Sermones in dies natales Willibrordi et Wilgisli conscripsit. Cum Vitam Willibrordi post Flores, i. e. post a. 1102, attamen secundum c. 22 vivente adhuc Heinrico IV. scripserit, utrumque opus inter spatium annorum 1102—1106 ortum sit oportet. Adhibuit Thiofridus ad Vitam Willibrordi, quam suis Epternacensibus dedicavit, concinnandam imprimis Vitam ab Alcuino compositam tali modo ut gesta sancti eodem omnino ordine narraverit, sicut et Alcuinus, cuius enuntiata plerumque magna et superflua verborum pompa ampliavit et obtenebravit. Sed et Vitam Scoti istius, qua Alcuinus pro fundamento usus est, ei adhuc cognitam fuisse ex parcis quibusdam additamentis concludere licet*[25]. *Praeterea ad Bedae Ecclesiasticae historiae Anglorum celeberrimum de Willibrordo*[26] *locum recurrit*[27]; *Reginonis chronicon (c. 22) et Vitas sancti Bonifacii a Willibaldo (c. 23), sancti Willehadi ab Anskario (c. 29) scriptas et Vitam quandam sanctae Amalbergae (c. 30) ad ampliandam narrationem adhibuit. Cap. 12 codicem antiquum traditionum, quem Beonradum primo composuisse supra diximus, excussisse videtur. In ultimis capitibus quae in monasterio scriptis vel traditione memoriae conservabantur quaeque ipse vidit, audivit vel egit litteris mandavit, quorum nonnulla tamquam ex coaevo fonte effluentia ad historiam indagandam non sine fructu viris doctis fore censemus. Cum Theodericus in Chronico Epternacensi non solum ex textu Vitae sed et ex capitum inscriptionibus hauserit cumque tota operis indoles inde perspiciatur, indicem capitum, quem Thiofridus operi praemisit, hoc loco afferre libet:*

Incipiunt capitula. f. 4'.

1. Quod sanctus Willibrordus sempiternae lucis filius mundo ante mystico oromate est cognitus, quam editus.

2. De eius nativitate et digna ortu suo educatione et oblatione.

3. De patris eius conversione et in monachico proposito sancta conversatione et cursus consummatione.

4. Quod egregiae indolis puer tenellae aetatis teneritudinem morum maturitate transcendit et in vicennalibus suis in Hyberniam amplioris profectus gratia secessit.

---

[20] f. 101' ad Brunonem: *errata corrigite et consultus exemplo predecessoris ac nutritoris ac sanguine propinqui vestri, Udonis archypresulis aeternae memoriae, qui vitam . . . Lwitwini a me qualicumque stilo caraxatum sui testimonii corroboraverit examine . . .* f. 4' ad fratres: *cum ante dictassem vitam summae sanctitatis et popularis laeticiae Liutwini sanctae Trevericae sedis archypresulis, et sparsissem Flores epitaphii sanctorum per 4 volumina.* [21] Act. Sanct. Sept. VIII, 159 sq. Cf. Waitz SS. T. VIII, 115, not. 39 qui codices enumerat. [22] A. SS. Mart. I, 314, n. 5. [23] ibid. 319 c. III, n. 19. [24] f. 147. [25] e. g. c. 5. Willibrordum in portum Gravelingae primum applicuisse narrat. [26] Lib. V, c. 10. 11. [27] c. 8. f. 13 et f. 13': *ut venerabilis Beda testatur in aecclesiastica Anglorum historia;* Sermo in diem nat. Willibr. c. 10 f. 50: *in cuius preconium ipsius synchronon ven. Beda in preclaro chronicae suae textu tale intexuit elogium: Papa Sergius — facit augmenta.*

*f. 5. *5. Quod anno aetatis suae 33. in portum Gravalingae villae maritimae, inde venit Traiectum arcem tunc et solium regni Fresiae.

6. Quod a Pipino victoriosissimo duce Franciae honorifice est susceptus et ad pontificatus dignitatem electus et Romam directus.

7. Quod adventus eius per angelum papae Sergio est revelatus, et ab eo cum ingenti exultatione et gloria est susceptus et archipresul ordinatus.

8. De reditu eius in Franciam et delegata sibi in illustri castello Traiecto pontificali cathedra et conversatione eius monachica et apostolica.

9. Quod plures in illa regione aecclesias et monasteria construxit et antistites et rectores constituit.

10. Quod curiam expulsi regis Rabodi adiit et, quia ibi fructificare non potuit, ad conterminam Danorum barbariem se transtulit et 30 ibi pueros ibi adquisitos et regeneratos rediens secum detulit.

11. Quod in insula Fositeslant in magnae supersticionis loco fixit tentoria et animalia ibi pascentia in suorum distribuit cibaria et ob id apud regem accusatus, sorte triduo ternis vicibus in urnam missa, divina liberatus est gratia.

12. De opido Efternacensi et villa Suestra et aliis villis et aecclesiis sibi a potentibus et divitibus viris rata concessione traditis.

13. De adventu eius in insulam Walichrum, ubi custos delubri eum vulneravit ob destructum ydolum et vexatus a daemone per triduum in aeternae dampnationis precipitatus est baratrum.

14. Quod procurator cuiusdam agelli divitis repentina morte interiit, quia iniuriam ei intulit.

15. De aqua oratione eius producta de terra harenosa.

16. Quod bissenos inopes ex parvo itineris sui vasculo affatim refecit et vinum tamen non defecit.

*f. 5'. *17. Quod per baculum eius missum in pene vacuum enoforum inundavit cecubum et infusum est pavimentum.

18. Quod duobus ferme sextariis exuberante divinae benedictionis gratia quadragenis conviviis in uberi propinavit sufficientia.

19. De paena et reparatione divitis, qui eum a suis abegit pascuis.

20. De sanctimonialibus Treveri sanitati restitutis, pestilentia effugata eius precibus.

21. De fantasmate excluso eius benedictione de cuiusdam patris familias domus miserabili infestatione.

22. Quod filium ducis Karoli Pipinum baptismate consecravit et de eius inposterum sublimitate prophetavit.

23. Quod sanctum Bonefacium sibi in regimine episcopali succedere rogavit.

24. De eius formae pulchritudine, et naturali diiugio corporis et animae, et augmentato divinitus tumbae eius marmore, et divino ibi sepius viso lumine et fumo aromatum instar densissimae nebulae.

25. De oleo quod super tumulum eius lucere et inter missarum solempnia usque ad effusionem consuevit excrescere.

26. De paralytica ad eius tumulum curata, et ephebi tremuli sanitate reparata.

27. De sacrilegio diaconi subitanea morte mortui.

28. De augmentato divinitus vino in sancti Wilgisli festo.

29. Quod sanctus Willehadus Efternaco duobus annis heremiticam vitam exercuit in reclusione, et Beornradus et Stigandus archipresules ibidem conversati sunt ingenti devotione.

30. Quod sanctam Amalbergam, quam in carne degens chrismatis unctione consecravit, post mortem sacro velamine in visione velavit.

31. De monomachia constituta propter inundationem maris super agrum eius dicionis.

*f. 6. *32. De custode sanctae Treverensis aecclesiae Hilderico per eius merita de horribili tempestate eruto in Iherosolimitano itinere.

33. De severitate eius in adversarios et advocatos suae familiae incommodos.

34. De eius inventione et mirifica translatione.

35. De palma victoriae Walchrensibus contra Ruopertum comitem Flandriae concessa eius iuvamine.

36. De adventu ygumeni Thiofridi in Walichrensem insulam et pace ibi reformata et confirmata per iucunda miracula.

Expliciunt capitula.

Thiofridum et Vitam sanctae Irminae primae Epternacensis monasterii donatricis scripsisse, auctores quidam contenderunt[28]*. Sed quae ex ea attulerunt, plane cum verbis Theoderici in Vita Irminae Chronico suo inserta conveniunt*[29]*, ita ut auctores istos Thiofridum cum Theoderico confudisse eluceat*[30]*.*

---

[28] A. 1626 Brower, Antiquitates Trevirenses I, pag. 360; Henschen, De tribus Dagobertis pag. 110; Mabillon, Annal. ord. S. Bened. I, 534; Bertholet, Histoire de Luxembourg II, 153; Histoire littér. IX, 509 aliique recentiores. Auctor huius opinionis forte existimandus est Trithemius, qui a. 1489 Vitam Irminae vulgasse fertur, v. praefat. ad Trithemii opera pia ed. Busaeus.

[29] Cf. e. g. Brower, l. c. in margine: *Theofrid. in actis b. Irminae ex quo et Trithemius; Theofrid. in vita S. Irminae* cum iis quae in textu referuntur; dein locos a Bertholeto et Henschenio l. c. exhibitos.

[30] De Browero qui ad Antiquitates Treverenses componendas utrumque codicem, quem infra describemus, et Thiofridi et

Econtra Sermones duos de sanctorum reliquiis et veneratione, *qui in Bibliotheca maxima patrum*[31] *sub nomine Theofridi abbatis vulgati sunt, Thiofrido nostro vindicare velimus, cum ipsum eandem materiam in libro Florum tractasse constet.*

Opera Thiofridi in universum inspicientes imprimis stilus eius offendat necesse est, quem iam Mabillonius[32] *et Perierus*[33] *reprehenderunt. Maxima verborum moles, Graecorum vocabulorum affectatio, periodi prolixissimae et salebrosae, parabolae a rebus perlonginquis et alienissimis petitae, permixta cum locis veterum biblica enuntiata partim risum partim taedium nobis moveant oportet*[34]. *At haec non erant Thiofridi propria, nec ab eo inventa, sed per hoc saeculum maxime apud Lotharingiae scriptores usitata et in scholis, tamquam stili Latini elegantissimus flos, docebantur, ita ut Thiofridum inter contemporaneos suos sane egregio scribendi modo excelluisse non possimus quin fateamur. Materiam parabolarum et locorum laudatorum ei praebuerunt cum scriptura sacra tum pars haud spernenda operum veterum Latinorum et Graecorum auctorum, quam legerat. Horatium, Vergilium, Ciceronem, Lucanum, Sallustium, Terentium, Trogum Pompeium a Iustino epitomatum multoties laudat, eorumque dictis ad adornandam suam narrationem utitur; inter Graecos non solum ad Calcidii explanationem super Thymaeum Platonis provocat*[35], *sed etiam Homeri carmina legit*[36] *et Plutarchi Vitas cognovisse videtur*[37]. *Patribus vero ecclesiae minus familiaris fuisse videtur; Tripartitam modo historiam eum laudasse semel deprehendi*[38]. *Thiofrido praeter eruditionem, quae eum aptum fecit ad rem litterariam exercendam, non defuit indoles quaedam, ut ita dicam, historica, quam in cap.* 22 *Vitae Willibrordi, ubi succincte percurrit gesta Pippini et Karoli Magni, egregie ostendit. Doleamus igitur oportet, eum ad scripta modo religiosa calamum aptasse, neque vero dubitamus, quin pro tempore quo vixit et proxime subsequente scholae Epternacensi et fratribus rem litterariam iugiter exercendam insinuaverit.*

Iam sub Thiofridi antecessore secundo, Humberto abbate, Catalogus abbatum, *quem infra edituri sumus, prior, congestus esse videtur. Auctor eius chartis monasterii usus est, et sub Humberto, Reginberto, Thiofrido testis oculatus narrat. Tempus Gerhardi I. qui Thiofrido successit, rei litterariae non favebat, ut ex fine Catalogi istius elucet. Gerhardo anno* 1122 *deposito, sub regimine strenuo Godefridi I. (a.* 1123—1155*), qui a.* 1140 *etiam Prumiensi abbatiae praefectus est, statim anonymus quidam monachus* alterum Catalogum abbatum *composuit, qui licet primo ex parte innisus, seriem abbatum aliquantum diversam enumerat. Sub illo abbate quoque* Codex *quidam* epistolaris *in coenobio Epternacensi congestus seu ex alio quodam Trevirensi descriptus esse videtur, quem adhuc Marteneus in manibus volvit*[39], *cuius tamen vestigia iam non inveniuntur.*

Theoderici, adhibuit, utrumque auctorem multoties laudat, hoc mihi et ex aliis momentis luce clarius est. Masenius vero in opere posthumo Broweri, Metropolis eccl. Trevericae I, 519 accurate de utroque egit.

31) ed. Lugdun. 1677. Tom. XII, 417—419. In indice indicatur, recentiores licet sine argumento Theofridum istum c. a. 1120. ponere.

32) Annal. V, 498.

33) A. SS. Sept. VIII, 160.

34) Cf. e. g. parabolam foetidam c. 33: *sicut in supplices pietatis semper exeruit viscera!*

35) Vit. Willibr. c. 6 f. 12. Chalcidius erat Neoplatonicus.

36) ibid. c. 24. f. 29: *ut Homerus testatur de Nestore Pylio;* f. 94ʹ finis Vitae metricae: *Vatis Smyrnei quae mens si nosset Homeri* (nempe gesta Willibrordi!), *Vix caneret licet Yliaden et Odyssea tractet.*

37) c. 11. f. 17: *Noluit* (Rabodo dux Frisonum) *a quoquam deprehendi leges a se infringi, quas ipse primus primum ex gentilitate legislatorem secutus Lacedemonium Ligurgum, suffectum fratri suo Polibitae Spartanorum regi, invenit ac instituit Fresonum genti.* (Secundum v. ill. de Richthofen Legg. III, 641 sq. Lex Frisionum non ante a. 734. scripta est.)

38) Sermo in nat. Willibr. c. 12. f. 53ʹ.

39) Praeter diplomata, quae Marteneus in Tom. I. Coll. ampl. dedit *ex cartario Epternacensi* (i. e. Libro aureo) epistolas quatuor praebet *ex ms. Epternacensi*, quae sunt:

Circa eadem tempora Iohannes monachus, ut credi licet Epternacensis, epistolam prolixiorem seu tractatum De tribus missis in nativitate Domini celebrandis *Alberoni archiepiscopo Treverensi (a.* 1131—1152*) direxit, quam idem Marteneus ex eodem fortasse codice publici iuris fecit*[40].

Sed ut ad propositum revertamur, de Catalogo secundo *adhuc breviter notandum est, auctorem eius primarium in primordiis Gerhardi II. abbatis c. a.* 1155 *stilum deposuisse. Quem sub Arnoldo I. abbate circa saeculum XIII. medium alter excipiens, abbatum quinque interiacentium gestis succincte narratis, de Arnoldo fusius tractavit. Dein continuatorem secundum gesta abbatum Arnoldi II. et Theoderici ab a.* 1328 *usque* 1340 *coaevum narrasse elucet. Quae sequuntur a diversis scriptoribus saec. XIV. XV. XVI. litteris mandata esse facile perspicias. Catalogum utrumque iam Theodericus ad Chronicon et Libellum concinnanda adhibuit.*

Iam de Theoderico monacho nobis videndum est, qui a. 1191, *rumore de obitu Friderici I. gloriosissimi imperatoris nondum ad partes Lotharingiae perlato, opus aggressus est, quo ad instar Chronici Laureshamensis historia abbatiae imperialis chartis et diplomatis in tabulario ecclesiae asservatis innixa cum dominorum imperatorum et regum historia coniungeretur. De ipso auctore non multa nobis innotuere. Erat, ut ipse profitetur*[41], alumnus ecclesiae, a puero fere claustralibus institutus disciplinis, *a.* 1192 *iam provectae aetatis. Complures eo tempore eiusdem nominis fratres in monasterio exstitere, ex quibus Theodericum nostrum eligere vix valeamus. Theodericus decanus a.* 1166. 1175. 1179 *occurrit*[42]*; Theodericus scholasticus a.* 1175. 1179[43], *idem magister (nimirum scholarum) iam temporibus Gerhardi II. abbatis (a.* 1155—1173*)*[44]*; Theodericus camerarius legatione fungens ad Heinricum VI. imperatorem a.* 1192[45]*; Tidericus scriptor et Tidericus capellanus in charta Godefridi II. abbatis (a.* 1181—1210*)*[46]*; Theodericus denique sacerdos a.* 1175[47]. *Cum Theodericum nostrum haud multum post a.* 1192 *obiisse nobis probabile sit, praetereundi sunt nobis Theoderici illi qui temporibus Bartholomaei abbatis (a.* 1210—1231*) apparent*[48]. *Ex eadem causa Theodericum decanum reiiciamus oportet, qui adhuc tempore istius abbatis occurrit*[49]. *De scriptore, cuius officio iuniores plerumque fratres fungi solebant, de capellano et sacerdote, qui sane munus clericatus saecularis vice plebani cuiusdam in oppido Epternacensi seu alibi, ubi monasterium patronatus iura exercebat, gerebant, minus cogitandum esse censemus. Restant camerarius et scholasticus. Camerarii in Libello tantum obiter in epistola imperatoris fit mentio; Theodericus ubi de se ipso in Libello loquitur*[50]*, persona ut dicunt tertia, sibi hunc titulum non vindicat. Porro in Libelli alio loco* Tidericus Rufus ille *occurrit, qui re bene gesta Godefridum abbatem ad suscipiendum rursus ecclesiae regimen invitat*[51]. *Hunc esse ipsum nostrum Theodericum, a camerario alienum, nemo est qui infitietur. Et quid*

---

1. Alexander II. papa Udoni archiepiscopo p. 480. — 2. Thiofridus Heinrico IV. imp. p. 584. — 3. Brunonis archiepiscopi decretum p. 677. — 4. Adriani IV. papae bulla conventui Horreensi data a. 1155. Mart. 14. p. 833. Porro p. 550 charta de advocatorum iure a. 1095. quae exstat in Lib. aur. f. 100 (Beyer II, 37), ex alio codice edita videtur, quippe quae caret Invocatione et variam lectionem praebet; in margine legitur item: *ex ms. Epternac.*

[40] Coll. ampl. I, 712 *ex ms. Epternacensi.* Idem p. 713 not. adnotat, se vidisse Calendarium Epternacense (forte Bedanum a Willibrordo seu Beornrado eo adlatum) saeculo VIII. exaratum. — Necrologii Epternacensis fragmentum edidit vir d. de Reiffenberg in Bulletin de l'académie de Bruxelles X, 2. 1843. p. 243.

[41] V. praefat. Chronici et Libellum f. 113'.

[42] Beyer I, 648; II, 24. 34.

[43] Beyer II, 24. 34.

[44] Lib. aur. f. 107.

[45] Libellus f. 119.

[46] Lib. aur. f. 121'.

[47] Beyer II, 24.

[48] Lib. aur. f. 124' *Theodericus cantor; Theodericus confrater noster qui prefuit elemosine* f. 124' a. 1215 et f. 125' a. 1219.

[49] Lib. aur. f. 124'.

[50] f. 113'.

[51] f. 119.

obstat, quominus illi, qui litterarum studio inter confratres excellebat, scholastici, magistri scholarum officium vindicemus?

Theodericus cum iam dudum in animo volvisset[51] *gesta sancti Willibrordi et successorum eius describere et documenta, quibus abbatia bonis quibuslibet donata erat, in unum volumen coacervare, demum Godefrido II. abbate ipsi idem opus iniungente, propositum ad perfectum ducere coepit anno, ut diximus,* 1191. *Et primo quidem, enumerata in praefatione abbatum serie, Francorum regum gesta inde a Clodoveo cum primordiis sancti Willibrordi usque ad monasterii fundationem ea de causa enarravit, ut ex qua prosapia fundatores originem traxissent lector edoceretur. Dein* a secundo libro incipiens testamentorum densissimam silvam describere *sibi proposuerat, quae inter se historiae abbatum et principum narratione coniungerentur. Primordia Willibrordi cum intime cohaererent cum domus Pippinorum incrementis, recto ingenio in praefatione libri II. regum et imperatorum seriem a Pippino filio Ansgisi usque ad Fridericum I. percurrit, et in ipsius libri exordio Vitam sanctae Irminae, filiae Dagoberti II.*[52] *regis, posuit, quae una cum Pippino Willibrordo praedia sua ad construendum peregrinorum monachorum monasteriolum donavit. Hoc libro usque ad canonicorum inductionem circa a.* 849 *factam se progressurum pollicetur, sed tantum ad a.* 726 *narrationem protractam esse invenimus. Causa ex qua Theodericus ipso adhuc a.* 1191[53] *opus interrumperet, facile perspectu est. Anno enim sequenti ad aliud opus monasterio pro tempore utilius vocatus est. Maximum*[54] *enim periculum abbatiae imminebat, cum Heinricus VI. imperator eam pro castro Nassau Iohanni Trevirensi archiepiscopo tradidisset, et Godefridus abbas pressus ab archiepiscopo et capitulo Trevirensi iam baculum deposuisset. Tunc Theodericus,* qui[55] pro eo quod multa audierat, viderat et legerat, statum ecclesie et eventum a principio optime noverat, et quod sepe variis fortune iactata proventibus, numquam a ditione regum et imperatorum alienata fuerat, — *instante et rogante fratrum conventu, ex parte illius imperatori epistolam seu potius tractatum historicum direxit, quo historiam ecclesiae a principio percurrens, libertatemque eius demonstrans, imperatoris concambium ad detrimentum ipsius et regni factum esse probat, et verbis liberalibus et devotis imperatorem precatur, ne conventum ipsi* adhuc parum cognitum, utpote in arduis Ardenne sinibus sepositum, tamen mente et corpore semper ipsi subditum[56], *ab imperio avellat. Epistola haec eximia effectu non caruit: imperator abbatiae pristinum statum reddidit et privilegio suo eius libertatem corroboravit. Fratres autem ad aeternam memoriam diem, quo abbas mutationem imperatoris eis intimavit, festum celebrandum statuerunt. Huius totius eventus ordinem et processum nobis servavit Libellus infra edendus, quem Theodericum ipsum composuisse pro certo habemus. Inter alia argumentum praesertim unum exhibeamus: et in epistola Theoderici ad imperatorem directa et in Chronici praefationibus et maxime in Vita sanctae Irminae similes verborum exitus, quod genus rhythmicum, saeculo XI. potissimum usitatum, vocamus* Reimprosa, *animadvertimus. Cum iidem et in reliquo Libelli textu occurrunt, non possumus quin et ipsum Theoderico vindicemus. His negotiis detentus, anno* 1192 *Chronicon, ex quo partes nonnullas iam epistolae ad imperatorem missae inseruit, protelare nequivit. Ideoque eum, qui hoc anno*

---

[51] Cf. praefationem Chronici.

[52] vel, ut Theodericus credit, Dagoberti I.

[53] Hic annus etiam in praef. lib. II. adnotatur, ita ut Theodericum duos libros continuo scripsisse elucet.

[54] De sequentibus v. Libellum.

[55] f. 113'.

[56] f. 114.

iam provectae aetatis erat, paullo post mortuum esse contendamus. Dolendum certo, virum tantae eruditionis, liberalitatis, modestiae, tantique veritatis amoris, qualem se in scriptis suis ubique repraesentat, prohibitum esse, quominus coeptum propositum ad perfectum duxerit, gestaque sui temporis litteris mandaverit. At dignum est et iustum, nos opus, quod imperfectum reliquit, quamvis eius partem historicam compilationem nullius pretii fortasse quis arguerit, oblivioni eripere.

Quod ad fontes, quos Theodericus in Chronico adhibuit, gesta Francorum ex Gestis regum Francorum, Gregorio Turonensi, Fredegarii continuationibus contexuit, non ad verbum auctores suos secutus, sed ratione adhibita textus complures in unum redigens verbaque et enuntiata plerumque suo modo mutans, et ex multis, quae ipsi prae oculis erant, pauca eaque gravioris momenti depromens. Interseruit dein seriem imperatorum et pontificum Romanorum ex Bedae et Reginonis chronicis, nonnulla ex ipso Libro pontificali seu Gestis pontificum Romanorum supplevit. Ex Bedae Historia ecclesiastica Anglorum, Pauli Historia Romana, sancti Gregorii Dialogis pauca excepit, fortasse etiam ex Gestis Langobardorum[57]*; Vitas sanctorum adhibuit: Remigii quam scripsit Hincmarus, Rigoberti, Amandi, Landberti quam Sigebertus Gemblacensis, Bonifacii quam Willibaldus composuit, Willibrordi utramque ab Alcuino scilicet et a Thiofrido scriptam*[58]*. Ad Vitam sancti Nicolai, nescio cuius, quem a. 700 obiisse dicit l. II, c. 34 libri I. provocat*[59]*. Ad Vitam sanctae Irminae, quae librum II. incipit, componendam ei quaedam antiquior, minoris tamen pretii, usui fuit; ad a. 717 lib. II. fortasse Vitam Liutwini a Thiofrido scriptam prae oculis habebat. Praterea Genealogia quadam sancti Arnulfi lib. I, c. 24 usus esse videtur; Annales veteres Francici, cum Sancti Amandi, Laureshamenses, Petavianis cohaerentes ad a. 708. 711. 722. (lib. II.) conspiciuntur. Ex Catalogis duobus abbatum Epternacensium in praefatione prima seriem novam composuit, cui fides minor attribuenda videtur*[60]*. Praeter fontes quos novimus Theodericus ad historiam Francicam conscribendam et alios adhibuit, quorum origo et indoles nos prorsus latent. De Karolo Martello refert aliqua, quae ab aliis fontibus notis recedunt, ex quibus tamen ad fontem quendam uberiorem, et fortasse antiquum, concludi licet*[61]*. Uberrimam vero copiam Theoderico praebuit abbatiae tabularium et, ut credi licet, Beornradi praediorum descriptio, ex quibus operi chartas et traditiones multas inseruit, quae illi maximum pretium praebent et a nobis infra breviter tractabuntur.*

Ad Libellum concinnandum in usus suos vertit Theodericus Catalogum utrumque et sui ipsius Chronicon.

Sufficiant haec de Theoderico, viro eruditione et indole sane aptissimo ad describendam sui temporis historiam, cui pro iis quae nobis servavit cognitione dignis, gratias optimas agere duximus, si integrum opus eius compilatorium luci damus.

---

[57] Cf. lib. I, c. 37.

[58] Quarum textum adeo coniungebat, adhibitis etiam verbis capitum inscriptionum a Thiofrido praemissarum, verbaque plerumque adeo mutavit, ut quid unicuique debeat difficile sit intellectu.

[59] Cf. II, 29.

[60] Seriem abbatum dederunt ex recentioribus Bertelius, Hist. Luxenburg. p. 270; Brower, Metropolis I, 521; Bertholet I, P. j. VIII; Beyer, Mittelrhein. Urkundenbuch II, CLXXV; omnes arte critica postposita. Michel, Catalogue des abbés d'Echt. Programme du progymn. d'Echt. 1844—1845 inspici non licuit.

[61] Quae de istis Theoderici adnotationibus disputat Breysig, Jahrbücher des Fränk. Reiches zur Zeit Karl Martells p. 11. not. 1, levis sane iudicii sunt. Theodericum integrum non cognovit, quamvis eundem prelo datum esse procaciter contendat. Nostrum has notitias non e digitis, ut dicunt, suxisse patet.

Ad editionem Monumentorum Epternacensium parandam haec subsidia adhibuimus:

I. Vitam sancti Willibrordi continet codex Gothanus 70. *membr. fol.* 149 *foliorum, una manu saeculo XI. nitidissime exaratus. Complectitur: a) f.* 1'. *imaginem monachi nigri librum magnum in manibus gerentis, cui inscripta sunt aureis litteris:*

Thifrid verna tuus, Wilbrorde[a], hoc dedico munus.
Pauperis ingeni tibi prome volumen honori.
Si quid desipui, veniam da; te, tua scripsi.
In librum[b] vitae me, laus mea, spes mea, scribe.

— *b) f.* 2. *imaginem sancti Willibrordi, in sella rubra sedentis, missali viridi induti, pallio amicti, nudi capitis, dextram ad benedicendum elevantis, sinistra librum gestantis. — c) f.* 2'—45'. *Vitam prosaicam. — d) f.* 45'—56'. *Sermonem in natali sancti Willibrordi. — e) f.* 57—94'. *Vitam metricam. — f) f.* 94'—98. *Sermonem in natali sancti Wilgisli abbatis. — g) f.* 98'. *imaginem monachi nigri, immo Thiofridi, corbem floribus plenam manu gestantis et stantis ante pulpitum, quo liber superpositus est, inscriptus:* Extruo pyramides, cyboria, colligo flores ....[c] — *h) f.* 99. *imaginem repraesentantem scrinia reliquiarum, tumbas sepulcrales, varii generis tormenta. — i) f.* 99'. Incipit prohemium in librum florum epytaphii sanctorum. *f.* 100. Olivae uberi, pulchrae, speciosae *(initialis littera* O *continet imaginem archiepiscopi sedentis, capillis albis, mitra alba, rubro missali pallioque induti, sinistra librum gerentis, dexteram ad benedicendum ante pectus tenentis, cum inscriptione:* Brun archiepiscopus[62]*); f.* 100'. fructiferae in domo Domini sanctae Trevericae sedis archypresuli Brunoni oleaster aridus Efternacensis caenobii nullius momenti ygumenus Thiofridus *etc. usque ad f.* 149. *med. — k) f.* 149. *med. legitur manu saeculi XII. in. descriptio redituum quam in adnotatione*[63] *dandam duximus. — Codicem omnia indicia autographum esse arguunt. Rubricarum loco aurum semper adhibitum est; compendia scribendi perpauca conspiciuntur*[64]*, mendae rarissime. Ex iis, quae supra de tempore, quo Thiofridus scripta sua composuit, disseruimus, apparet, codicem inter annos demum* 1102—1106 *exaratum esse. Quem librum nacti, superfluum duximus aliud exemplar, saec. XII. exaratum, quod in bibliotheca Treverensi asservatur, Vitamque tantum metricam continere videtur*[65]*, in nostros usus vertere. — Vita Willibrordi, quam scripsit Thiofridus, inedita videtur.*

---

a) Wilƀ *cod.* b) liƀ *cod.* c) *cetera iam legi nequiverunt.*

[62] Notandum, imagines omnes pro tempore pulchras esse et praesertim colorum elegantissima electione excellentes. [63] *In*[*] *Texandria. Census de Disna:* 20 *mansi, quisque mansus solvit* 5 *solidos ad cameram denario minus. Preposito ex censu et ex visitatione* 10 *solidi duobus denariis minus. Quisque censualis solvit* 7 *denarios et semis. Censualis caerae duos denarios. Apud Waderlo sunt* 24 *mansi qui solvunt ad cameram* 8 *libras et* 5 *solidos. Preposito solvuntur ex visitatione et de molendinis* 3 *solidi et* 1 *libra. In Thurne sunt* 11 *mansi, quorum* 10 *quisque solvit* 4 *solidos,* 1 *denario minus, undecimus* 4 *solidos,* 7 *denariis minus. In Bacle sunt* 7 *mansi, quisque mansus solvit* 8 *solidos et* 6 *denarios. In Rinhera sunt* 6 *mansi dominicati et quarta pars unius, quorum singuli in omni ebdomada serviunt duos dies et solvunt duos solidos et porcum adultum et ex his unus et dimidius trans Renum in ascensione Domini solvunt* 18 *denarios, et reliqui cis Renum* 6 *denarios, qui simul iuncti faciunt* 4 *solidos duobus obolis*[**] *minus ad coria emenda et conficiunt duo bracia id est octo modios. Inter Niele et Werethe sunt* 7 *solidi et* 2 *denarii. In Nittera sunt* 3 *mansi, quorum singuli solvunt* 5 *solidos et* 1 *porcum. Inter Villare et Braclam sunt* 3 *mansi, quorum singuli solvunt* 5 *solidos et tantum terre restat quod solvit* 10 *denarios. In Mere sunt* 3 *mansi, quorum singuli dant* 5 *solidos et restat terra* 11 *denariorum. In Dufla sunt* 5 *mansi, quorum singuli solvunt* .... explicit pagina expleta; f. 149'. vacuum est. [64] Inter quae notandum p̄ quod solvendum est *pre,* non vero *prae.* Ceterum semper ę pro *ae* invenitur. [65] V. Archiv VIII, 603. Nr. 1378. Cf. Brower, Metropolis I, 529.

[*] I *initialis littera deest cod.* [**] oƀ *cod.*

Flores autem epitaphii sanctorum publici iuris fecisse Luxenburgi a. 1619. *Ioannem Roberti S. I., vitamque ipsius Thiofridi praemisisse, testantur Mabillonius*[66], *Perierus*[67] *et Marx*[68]. *Quem librum in bibliotheca regia non exstantem inspicere mihi non licuit. Browerus vero in Antiquitatibus Treverensibus multoties ad Thiofridum provocat, et aliqua ex Vita Willibrordi, vel ad verbum vel deflexis suo modo verbis paullisper, prelo dedit, ex quibus pauca Mabillonius*[69] *ad calcem Vitae Alcuinianae repetiit.*

II. et III. Catalogos abbatum iuxta editionem unicam, quam Marteneus in Collectionis amplissimae tomo IV, p. 505—517 *a.* 1729 *instituit, edidimus omni codicum manuscriptorum subsidio destituti.*

IV. Theoderici Chronicon continet codex praestantissimus Gothanus 71. *membr. fol., quem fusius descripsit ill. Waitzius in Archiv. XI, p.* 338—343, *quique vocabatur* Liber aureus *non ex litterarum colore, sed ex documentorum in ipso contentorum pretio auro argentoque praestantiore*[70]. *Codicem in duas partes seiungere possumus, si quae posterioribus manibus ei inscripta sunt praetermittimus. Pars prior f.* 4—43′. *continet manu saec. XII. exaratum Chronicon nostrum, sine dubio autographum, licet non ipsius Theoderici manu exaratum. Compendia multa conspiciuntur, littera* ę *saepius quam* e *(pro* ae*), quod maxime in vocibus* pre *et* sepe *apparet. Notandum certo, quod praeter* q (que = quae) *et* p̄ (pre = prae) *rarius etiam deprehenduntur* q̧̄ *et* p̧̄, *quae solvenda sunt* quae *et* prae[71]; *semel etiam f.* 36. *apparet* æ (ęternæ). *Praeter compendia usitata vocis* quod *etiam* q́ *invenitur. Textus ornandus erat picturis, uti patet e spatio vacuo f.* 10. *relicto*[72], *sed Theodericus morte praeventus opus imperfectum dereliquit. Folio tamen* 25. *conspiciuntur imagines Irminae et Willibrordi, et folio* 29′. *Pippini et Irminae basilicae structuram manibus tenentium, atramento delineatae, quae mirae sunt elegantiae et pulchritudinis. Sed et inscriptiones et totus delineandi ritus eas non ante saec. XIV. codici illatas esse probant. — Pars codicis posterior manu saec. XIII. exarata f.* 44—125′. *continet diplomata numerum centenarium longe excedentia, inde a primordiis ecclesiae usque ad a.* 1222[73], *maxima ex parte inedita; et f.* 111—120. *Libellum Theoderici. Idem, ut videtur, scriptor qui f.* 44. *initium fecit chartarum describendarum, ut opus aliquomodo operi Theoderici simile crearet, compluribus locis, litteris minoribus usus, aliqua ex imperatorum gestis codici inscripsit, quae tamen ad chartas minime quadrant. Leguntur autem: f.* 44. *de Karolo Martello ex Reginone*[74]; *f.* 46′—48. *de Karolo Magno ex Reginone et Vita ab Einhardo scripta; f.* 49′—50. *de Ludewico Pio ex Thegano c.* 8—11. 13—17. *et Reginone; f.* 72′—73. *de Pippino rege ex Reginone; f.* 90. *de Ottone I. aliqua nullius momenti, quae ad certum fontem reducere nequimus*[75]; *f.* 94′. *de Heinrico II. ex eius Vita. Eodem tempore haec posterior pars codicis adornata est picturis, rudissimae licet formae, coloribus illitis, quae ab illis figuris, quarum supra mentionem fecimus, valde abhorrent. Conspiciuntur: f.* 44 *Karolus Martellus; f.* 49′ *Ludewicus Pius; f.* 65′ *Lotharius III;*

---

[66] Annales ord. S. Bened. V, 498.

[67] A. SS. Sept. VIII, 160.

[68] Geschichte des Erzstifts Trier II, 1. p. 323.

[69] Act. SS. ord. S. Bened. III, 1. p. 629. 630.

[70] Chartulariis Prumiensi et S. Maximini idem nomen inditum erat, v. Beyer I, p. IV.

[71] Etiam in *quaerebatur* f. 17′.

[72] quod sane Clodowechi regis imaginem suscepturum erat.

[73] Haec ultima charta, quae datum gerit, exstat f. 125.

[74] Quae manus posterior margini f. 44. adscripsit de Karolo (v. Archiv XI, 340) ex Gotifredi Viterbiensis Pantheo desumpta sunt.

[75] F. 90. alia manus, ut videtur, coaeva aliqua de Ernesto duce addidit, quae hoc loco danda duximus: *Qua defuncta, accepit uxorem Adeleidam splendidissimam matronam que viduitatem amans honestissime*[a] *se gesserat, nutriens filium Ernestum ducem, quem prefatus imperator ut dilectum*

[a] honestime *cod.*

Flores autem epitaphii sanctorum publici iuris fecisse Lucemburgi a. 1619. *Ioannem Roberti S. I., vitamque ipsius Thiofridi praemisisse, testantur Mabillonius*[66], *Perierus*[67] *et Marx*[68]. *Quem librum in bibliotheca regia non extantem inspicere mihi non licuit. Browerus vero in Antiquitatibus Trevirensibus multoties ad Thiofridum provocat, et aliqua ex Vita Willibrordi, vel ad verbum vel deflexis suo modo verbis paullisper, prolo dedit, ex quibus pauca Mabillonius*[69] *ad calcem Vitae Irminae repetit.*

II. et III. **Catalogos** *abbatum secuti editionem unicam, quam Martenius in Collectionis amplissimae tomo IV. p.* 505—517 *a.* 1729 *instituit, edidimus omni codicum manuscriptorum subsidio destituti.*

IV. **Theoderici Chronicon** *continet codex praestantissimus Gothanus* 71. *membr. fol., quem fusius descripsit G. Waitzius in Archiv. XI, p.* 338—343, *quique vocabatur* Liber aureus *non ex litterarum colore, sed ex documentorum in ipso contentorum pretio auro argentoque praemunitorum*[70]. *Codicem in duas partes seiungere possumus, si quae posterioribus manibus et inscripta sunt praetermittimus. Pars prior f.* 4—43'. *continet manu saec. XII. exaratum Chronicon nostrum, sine dubio autographum, licet non ipsius Theoderici manu exaratum. Compendia multa conspiciuntur, littera* ę *saepius quam* e (*pro* ae), *quod maxime in vocibus* pre *et* sepe *apparet. Notandum certo, quod praeter* q (que = quae) *et* p̄ (pre = prae) *rarius etiam deprehenduntur* q̧ *et* p̧, *quae solvenda sunt* quae *et* prae[71]; *semel etiam f.* 36. *apparet* æ (ęternæ). *Praeter compendia usitata vocis* quod *etiam* q̇ *invenitur. Textus ornandus erat picturis, uti patet e spatio vacuo f.* 10. *relicto*[72], *sed Theodericus morte praeventus opus imperfectum dereliquit. Folio tamen* 25. *conspiciuntur imagines Irminae et Willibrordi, et folio* 29'. *Pippini et Irminae basilicae structuram manibus tenentium, atramento delineatae, quae mirae sunt elegantiae et pulchritudinis. Sed et inscriptiones et totus delineandi ritus eas non ante saec. XIV. codici illatas esse probant. — Pars codicis posterior manu saec. XIII. exarata f.* 44—125'. *continet diplomata numerum centenarium longe excedentia, inde a primordiis ecclesiae usque ad a.* 1222[73], *maxima ex parte inedita; et f.* 111—120. *Libellum Theoderici. Idem, ut videtur, scriptor qui f.* 44. *initium fecit chartarum describendarum, ut opus aliquomodo operi Theoderici simile crearet, compluribus locis, litteris minoribus usus, aliqua ex imperatorum gestis codici inscripsit, quae tamen ad chartas minime quadrant. Leguntur autem: f.* 44. *de* Karolo Martello *ex Reginone*[74]; *f.* 46'—48. *de* Karolo Magno *ex Reginone et Vita ab Einhardo scripta; f.* 49'—50. *de* Ludewico Pio *ex Thegano c.* 8—11. 13—17. *et Reginone; f.* 72'—73. *de* Pippino rege *ex Reginone; f.* 90. *de* Ottone I. *aliqua nullius momenti, quae ad certum fontem reducere nequimus*[75]; *f.* 94'. *de* Heinrico II. *ex eius Vita. Eodem tempore haec posterior pars codicis adornata est picturis, rudioribus licet formae, coloribus illitis, quae ab illis figuris, quarum supra mentionem fecimus, valde abhorrent. Conspiciuntur: f.* 44 *Karolus Martellus; f.* 49' *Ludewicus Pius; f.* 90' *Lotharius III;*

---

[66] Annales ord. S. Bened. V, 498. [67] A. SS. Sept. VIII, 160. [68] Geschichte des Erzstifts Trier II, 1. p. 323. [69] Act. SS. ord. S. Bened. III, 1, p. 629. 630. [70] Chartulariis Prumiensi et S. Maximini idem nomen inditum erat, v. Beyer I, p. IV. [71] Etiam in *quaerebatur* f. 17'. [72] quod sane [illegible] regis imaginem suscepturum erat. [73] Haec ultima charta, quae datum gerit, exstat f. 125. [74] Quae manus posterior margini f. 44. adscripsit de Karolo (v. Archiv XI, 340) ex Gotfridi Viterbiensis Pantheo desumpta sunt. [75] F. 90. alia manus, ut videtur, coaeva aliqua de Ernesto duce addidit, quae hoc loco danda duximus: *Qua defuncta, accepit uxorem Adelheidam splendidissimam matronam que viduitatem* [illegible] *honestissime*[a] *se gesserat, nutriens filium Ernestum nomine, quem prefatus imperator ut dilectum*

a) honestime *cod.*

3. Liber aureus Epternacensis.

Manus 1. Theoderici monachi anni 1191.

Codex Gothanus fol. 4 in.

4.

I 17. Codex mõsterii sti willibrordi eptnacen· cũ omnibus fũdatores mõsterii ⁊ priuilegia ꝛc



Venerabili eptnacensis ecclę abbati. Theoderic9 eiusdem
ecclę humilis alumpn9. p bona tēporalia puenire
ad gaudia ętnalia. In describendis memorabilib;
factis seu dictis elegantissimę eloquentię uiri qn-
dā studiū impenderēt. & incredibili dicendi co-
pia iocundis atq; suauissimis. rē autē utillimis

K. Pertz scr. 22. 2. 1870.

manus secunda saec. XIII, correctoris saec. XV, correctoris alterius saec. XVI.

fol. 51 p. med.

cessim9. p qđ pcipim9. ut antedicta cōcessionis firmatio incōuulsa
stabilitaq; pmaneat ⁊ nullus umquam ipsius ecclie dominator existat.
q hoc ab illoꝝ frm potestate demere audeat. quaten9 p nob ⁊ p omnib;
quib; debitores esse uidem fideliores intcessores ad dnm semp exi-
stant. Et ut hoc firmior habeat ⁊ inreprehensibilior manu ppria subt9
roborātes ipi firmauim9. anuli nri inpssione diligent iussim9 insig-
niri. Signū dnī · ZEBTLN · regis glosissi zwendeboldi

hic nos de libertate ecclesie

Waldger notarius ad vice ratpoti archicācellarii recognouit

Data. v. kl' nouēbris. Anno īcarnationis dni dccc xv · Indictione xiiij
Regnante zuentibulde serenissimo rege. anno pmo. Actū in urbe Treuiri
in dei nomine feliciter. Amē

K. Pertz scr. 26. 2. 1870.

f. 68'. duo reges. Dein delineator supra memoratus saec. XIV. huic parti codicis addidit figuras tres elegantissimas: f. 65' Lotharium III; f. 90 Ottonem I; f. 94' Heinricum II.[76]

Apographon Libri aurei saec. XVI. ineunte factum nunc est viri d. Neyen in oppido Wiltz ditionis Luxenburgensis[77].

Pars minima Chronici Epternacensis edita est iuxta apographon P. Alexandri Wiltheim a viro d. de Reiffenberg in Bulletin de l'académie de Bruxelles X, 2. 1843, p. 264. et repetita ab eodem in Monuments de Namur VII, 209. (XV. collectionis chronicorum Belgicorum). Vitam sanctae Irminae Chronico insertam ad verbum fere descripsit Trithemius in libro De viris illustribus ordinis S. Benedicti l. III, c. 138[78].

Restat ut disseramus de editionibus chartarum, quas continet Liber aureus. Cum enim per 240 annos omnes praeter unam[79] *saepius editae sint, et nobis constet, magnam partem originalium documentorum usque ad invasionem Francogallicam a. 1794 factam in monasterii tabulario adhuc superstitem fuisse*[80], *quaeritur, textusne Theoderici editionum ope emendetur et suppleatur. At comparatione instaurata, sola Bertholeti editio consideranda videtur. Primus a. 1624 duas chartas Nr. 22 et 23 edidit cum Testamento Willibrordi Miraeus in Codice donationum piarum, a. 1628 addidit Nr. 2 in Diplomatibus Belgicis; has quatuor insimul repetiit a. 1630 in Notitia ecclesiarum Belgii*[81]. *Miraeum originalia descripsisse, vix mihi persuaserim, cum textus quem dat mendis scateat, ut patet ex varia lectione quam infra ex parte adnotabimus.*

Saeculo XVII. medio Nr. 3 et 4 prelo data sunt ab Alexandro Wiltheim in Annalibus abbatiae S. Maximini lib. II, 156. 162[82], *quem librum nancisci non potuimus. Wiltheim cum Librum aureum manibus volvisse constet, etiam has chartas ad eius fidem prelo dedisse videtur.*

---

privignum suum prudenter et industrie se gerentem amplius cepit diligere. Quod graviter ferens palatinus comes Henricus, consiliarius et consanguineus augusti, apud regiam maiestatem eum inique accusavit, suggerens ei vita regnoque se privare velle eum conari. Unde perturbatur et miratur cesar et per ipsum consiliarium suum castra eius destruens terramque invadens, illo tamen viriliter resistente et palatino perempto audacter, tandem a regno suo ducem pepulit.

[76] Omnes imagines Libro aureo contentae praeter Ludewici Pii lapide sculptae sunt in Publications de la societé pour la recherche et la conservation des monuments historiques de Luxembourg. Année 1862. XVIII. Luxemb. 1863. At male artifex cum iis egit ita ut discrimen pulchrarum et deformium vix appareat.

[77] V. Publications de la soc. de Luxemb. XVI, p. 1 sq.

[78] Trithemii opera pia ed. Busaeus. Mog. 1605. p. 87.

[79] Chartam Bertae f. 42. — Ut facilius citemus, conspectum brevem chartarum hoc loco dare libet. Sunt autem per ordinem hae:

1. 698. Dec. 1. Irmina dat medietatem Epternaci.
2. 698. Nov. 1. Irmina idem dat.
3. 699. Iul. 1. Irmina dat villam Montis.
4. 704. Mai. 8. Irmina dat villam Staneheim.
5. 704. Mai. 8. Irmina dat vineam apud Treverim.
6. 706. Mai. 13. Pippinus dat medietatem Epternaci.
7. 706. Mai. 13. Pippini charta defensionis.
8. 704. Mai. 1. Hedenus dux dat Arnestati.
9. 704. Oct. 1. Aengilbaldi donatio.
10. 709. Mai. 21. Aengilbertus dat Alfheim.
11. 710. Iul. 29. Bertilindis donatio.
12. 712. Mart. 1. Aengilbertus dat Eresloch.
13. 712. Iun. 1. Ansbaldi donatio in Diesne.
14. 714. Mart. 2. Pippinus dat Suestram.
15. 716. Apr. 18. Hedenus dux dat Hamulo.
16. 716. Arnulfi ducis donatio.
17. 718. Febr. 23. Karoli Martelli donatio.
18. 717. Oct. 24. Ansbaldi donatio in Haeslaos.
19. 720. Dec. 12. Herelaefi donatio.
20. 720. Ebroini comitis donatio.
21. 720. Bertae donatio.
22. 726. Oct. 20. Rauchingi donatio in Antwerpo.
23. 726. Rohingi donatio in Sprusdare.

[80] Chartae regum complures, e. g. Zventibolci, Ottonum, hodie in tabulariis Treverensi et Luxenburgensi asservantur; Browerus, Ant. I, 361. a. 1670 se *vetus diploma* inspexisse dicit, quo Pippinus Willibrordo Suestram donat; Hontheimius Hist. Trev. dipl. I, 115 not. a. 1756. autographon Testamenti sancti Willibrordi (dubiae fidei) suo adhuc tempore Epternaci servari testatur. Documenta nonnulla inclytus dux Karolus Augustus a. 1807. in partibus Rhenensibus emit, tabularioque Weimariensi intulit, inter quae antiquissima traditio Godoini a. 763, quae exstat etiam in Lib. aur. f. 69. (Beyer II, 7), v. Publications de la soc. de Lux. XIX, 215.

[81] Exstant in Miraei Opera omnia ed. Foppens I. (a. 1723) p. 10. 11. 243. Ex Miraeo Nr. 2. 22. 23 recepit a. 1670 Le Cointe in Annalibus eccles. Francorum IV, 348. 742. 743.

[82] Teste Wurth-Paquet in Publications XVI, p. 5; cf. XVIII, p. 99.

Browerus in Antiquitatibus Trevirensibus primo a. 1626 Coloniae editis[83] *ad ipsum Theoderici codicem manuscriptum saepius provocat, sed ex eo duas modo chartas (Nr. 1 et 6) p. 359. 360. suo modo immutatas et decurtatas inseruit*[84].

Martene deinde a. 1724 tomo I. Amplissimae collectionis ex ipso Libro aureo satis accurate dedit chartas omnes praeter Nr. 2. 5. 6. 17. 20. 21. 22. 23.[85]

Anno 1728 in editione prima Calmet, Histoire de Lorraine I, p. 262—268. dedit Nr. 1. 6. 14. 15. 16. Lectio satis depravata eum nequaquam ex originalibus hausisse probat; Nr. 16 cum lectione dedit, quam praebet secunda eius descriptio depravata in parte posteriore Libri aurei, ita ut eum ipsum codicem Calmetum male excussisse facile perspicias.

Praeter chartas, quas supra memoravimus ab ipso editas, Foppens a. 1734 tom. III, 560 primo vulgavit Nr. 20 ex membrana, quam communicavit Gerardus van Loon. *Sed hanc membranam apographon tantum pessime depravatum fuisse eius lectio arguit.*

Anno 1742. Bertholetus in tomo II. libri Histoire de Luxembourg, qui multas alias chartas recepit e Marteneo, dedit Nr. 1. 6. 8. 14. 15. 16. 22[86], *ut ipse testatur:* extraits des archives d'Epternach. *Textus accuratissimus plerumque formulas finales aliaque omittit. Ex lectione* praesbitero *(Nr. 1) et* inluster *atque nominum quorundam propriorum (Nr. 15) forte concludendum videtur, ex originalibus has chartas haustas esse. Ex Libro aureo econtra Nr. 16 desumptum videtur, quippe quod testes, quorum in textu chartae mentio fit, sicut et Theodericus, omisit. Ergo in dubio relinquamus oportet, an originalibus et quot usus sit Bertholetus.*

Hontheimius a. 1750 tomo I. Historiae Trevirensis diplomaticae omnes chartas nostras vulgavit praeter Nr. 5. 13. 19. 20. 21. 23. Librum aureum in eius manibus fuisse ex multis quas laudat chartis ineditis patet, sed ipso non qua decuit sollertia usus est, immo multoties potius ad Miraei, Martenei editiones, quam ad genuinum fontem recurrit, textumque adeo confudit, ut eum fundamento certo manu scripto prorsus carere dixeris.

Simili fere modo et Brequigny a. 1771 versatus est, qui tomo I. libri Diplomata, chartae, epistolae ad res Francicas spectantia omnes chartas praeter Nr. 5. 21 recepit, cui tamen non ipse Liber aureus sed tantum apographa eius, quae Benedictini Sancti Mauri paraverant, usui erant. Pardessus deinde in secunda editione Brequigny a. 1845 facta, tomo II. confusionem potius auxit quam emendavit.

Postremo Beyer a. 1865 in Mittelrheinisches Urkundenbuch II, Nachtrag zum 1. Theil sub Nr. 1. 2. 3 dedit Nr. 5. 16. 17, aliasque complures chartas in Libri aurei parte posteriore[87] *exstantes, non vero ex ipso Libro aureo, sed ex eius apographo, quod possidet D. Neyen.*

Quae cum ita eruerimus, nos textum chartarum optimum iuxta Theoderici

---

[83] Equidem Browerum iuxta paginas secundae editionis a. 1670 Leodii luci datae laudabo.

[84] Ex Browero recepit ambas chartas Le Cointe l. c. p. 351. 446 et a. 1655 Henschen, De tribus Dagobertis diatriba p. 113. 114; solum Nr. 6 Foppens tom. II. Miraei, Op. omn. p. 805.

[85] Ex Marteneo recepit Foppens a. 1734 tom. III. Miraei, Op. omn. Nr. 1 (p. 284). 14 (p. 286). Nr. 10 Foppens p. 285 excepit *ex cartulario Eptern. apud Benedictinos S. Mauri.* Porro Eckhart, Comment. de reb. Franc. orient. I, p. 311. 323 repetiit ex Marteneo Nr. 8 et 15; Bouquet vero tom. IV. Scriptorum Gallic. p. 683. 689 Nr. 7 et 14; Gallia christiana XIII, p. 294. 293 recepit Nr. 1 et 2 ex Marteneo et Miraeo.

[86] Pièces justificatives p. XXIII—XXXII.

[87] Ex hac parte 7 chartas regales prelo dedit vir d. Sickel, Beiträge zur Diplomatik V. Sitzungsber. der Wiener Akad. XLIX, 390—403; unam Reginarii comitis Duemmler, Ostfränk. Reich II, 680.

autographon dare posse haud diffisi, nullam aliam editionem curavimus praeter Bertholeti et Miraei, quorum lectionem sparsim adnotavimus.

V. Libellum de libertate Epternacensi propugnata dedimus secundum Librum aureum f. 111—120. *Editus est ex hoc codice a.* 1729 *a Marteneo, tom. IV. Amplissimae collectionis p.* 453—467. *Quam editionem a.* 1779 *repetiit Kremer, Origines Nassoicae II,* 382—404.

De iis quae Libro aureo in universum continentur rationem dedit a. 1860 *vir d. Wurth-Paquet in Publications de la société pour la recherche et la conservation des monuments historiques dans le Grand-duché de Luxembourg. Année* 1860. *XVI. (Luxemb.* 1861.*) p.* 1—29[1]. *Qui licet apographon modo domini Neyen prae oculis haberet, tamen repertorium quod procuravit chartarum chronologicum mihi in excutiendo ipso Libro aureo magno commodo fuisse grato animo confiteor. Codices preciosissimos et Thiofridi et Theoderici summa cum liberalitate Gotha Berolinum missos ipse in nostros usus verti mense Decembri a.* 1869 *et Ianuario a.* 1870.

Berolini die 5. *mensis Martii a.* 1870. *LUDEWICUS WEILAND.*

I. EX VITA SANCTI WILLIBRORDI AUCTORE THIOFRIDO ABBATE.

12. *De opido Efternacensi et villa Suestra et aliis villis et aecclesiis sibi*[2] *a potentibus et divitibus viris rata concessione traditis* ..... Denique dux excellentissimae generositatis f. 17'. Pipinus cum Blittrude contectali sua aequae generosis orta natalibus 3. Idus Mai anno 12. 706. Childiberti gloriosissimi regis dedit ei Efternacensis fisci medietatem integram a Theodardo egregii ducis Theotharii filio sibi traditam[3]. Hirmina vero Dagoberti regis filia hereditario iure possessam cum omnibus appendiciis et adiacentiis suis cum villa Montis sita in pago Tulbiacensi in Kal. Decembris addidit partem alteram[4]. Idem munificus princeps sub cyrographi circumscriptione[a] anno 4. regis Dagoberti 6. Nonas Martii tradidit illi villam in 714. Mart. 2. pago Mosariorum sitam et a preterfluentis fluvii nomine Suestram nuncupatam et egregiae Blittrudis sagaci industria ab ingenuis viris pecuniae impendiis comparatam[5]. Et quia utriusque loci situs tam sapienti archytecto visus est amaenus et caenobialis vitae *studiis *f. 18. adprime aptus et dignus, in utroque iactis fundamentis, exaedificavit caenobium et in montibus Israhel in pascuis uberrimis pascendum aggregavit gregem dominicam. Aeternae vero memoriae Karolus prelibati ducis filius, maior domus, magni Karoli avus, 4. Idus Mai in urbe Treverica dedit ei sitam in Fresia in pago Kinheim[6] super fluvium Velisena[7], ubi mare fluit in parte altera, integram villam Adrichaim nuncupatam et regalis testamenti confirmavit pagina[8]. Item Rohingus, vir magnarum opum, legitima testamenti confirmatione delegavit ei aecclesiam in Antwerpo castello sitam super fluvium Scalda in pago Renensium cum appendiciis villis et terciam partem thelonei eiusdem castelli, quod nunc est marka regni[9]. Rata item tradicione a viris summa preditis honestate et munificentia sunt ei tradita magnificae utilitatis allodia: ab Heribaldo quidem clericali dignitate functo in pago Marsum dicto[10], in ostio Mosae, una cum omnibus appendiciis suis basilica; ab Angilbaldo villa Waderloe in Texandria super fluvium Dumella[11]; ab Engilberto omnia quae iuri eius cesserunt in villa Ereslohc nuncupata et Alfheim villa integra[12]; ab Ansbaldo cum omni possessione eius in Hockensceit[13] villa Disena[14]; a Thitbaldo in Mulneheim[15] integra cum adiacentiis suis aecclesia; ab Ebroino comite preclara in villa Rinera predia[16] et in Millinga cum omni integritate basilica[17]; a Wachardo venerabili viro 7 et semis mansi

---

a) cum scriptione *cod.*

1) Cf. Publications 1862. XVIII, p. 97 sq. 2) scilicet Willibrordo. 3) V. chartam infra in Chronici Epternac. f. 29'. 4) Confunduntur duae chartae a. 698. Dec. 1. et 699. Iul. 1. datae, v. Chronic. Epternac. f. 25. 27. 5) V. chartam infra Chronic. Epternac. f. 36'. 6) hodie *Kennemerland.* 7) Velzen. 8) Charta iam deperdita videtur. 9) Cf. Chronic. Epternac. f. 31' et 43. 10) in Frisia. 11) V. ibid. f. 33. 12) V. ibid. f. 35' et 33'. 13) De Hoccascaute exstat charta Bertilindis sororis Ansbaldi ibid. f. 34'. 14) V. ibid. f. 36. 15) Mühlheim ad Rhenum infra Deutz. 16) Cf. ibid. f. 42. 17) V. ibid. f. 41.

et 1 molendinum in loco qui dicitur Erle super fluvium Prumia[18], et plura alia quae consulto pretereo propter barbara et hominum et locorum vocabula . . . .

f. 18'. Anno deinde progeniti verbi 714. solis tocius Galliae ac Germaniae contigit deliquium; dux quippe inmortalis memoriae Pipinus naturae solvit debitum, et sicut de extincto in ipso aetatis ac victoriarum flore Alexandro Magno Trogus testatur, magnum triste apud omnem suae dicionis dereliquit populum[19]. Mortuus secundum sapientissimum Ihesu Sirahc dictum, quasi non est mortuus, similem enim sibi reliquit post se filium Karolum, maiorem domus et defensorem contra inimicorum audaciam et amicis reddentem gratiam. Verg. Aen. 6, 853. Qui gnarus *parcere subiectis et debellare superbos*, ut de Iuda *Machabeo legitur, *f. 19. 1 Mac. 3, 3–9. induit se lorica sicut gygas, et succinctus arma bellica similisque factus leoni in operibus suis et sicut catulus leonis rugiens in venatione, hostiles persecutus est phalangas. Dilatavit gloriam populo suo et protegebat castra gladio suo, et repulsi sunt inimici pre timore eius et directa est salus in manu eius, et quia nominatus est usque ad novissimum terrae, in saeculum in benedictione memoria eius. Is anno post patris sui transitum 3. pugnam conseruit cum paterno hoste, Fresonum rege Rabodo, et illo primum gloriosa licet cruenta victoria devicto terrestri prelio, dein[20] navali evectione Bobone eiusdem rebellis populi duce interfecto cum omni exercitu eius sacrilego, Fresiam tandem, destructis et incendio absumptis fanis ac idolis, perdomitam Francorum subiugavit dominio.

22. *Quod filium ducis Karoli, Pipinum, baptismate consecravit et de eius inposterum* f. 26'. *sublimitate prophetavit.* Tantarum et tot virtutum populari rumore inpulsus victoriosissimus in Austria dux Karolus, iam dicti Pipini filius, humillimis apud eum egit precibus, ut filium *f. 27. suum Pipinum *vitali baptismatis fonte ab originalis peccati ablueret sordibus. Cumque honestae et religiosae peticioni annuisset ac regenerationis mysterium peregisset, paraclyti Spiritus infusus rore, preconia tantae sobolis prophetico promulgavit ore. *Hic*, inquit, *infantulus hodie in Christo regeneratus per gratiam incircumscripti spiritus summa gloria et decus omne suis erit progenitoribus et longe prestantior et excellentior universis retro constitutis in sublimitatibus Francorum ducibus.* Nec ullum Ysaicum verius declaratum est vaticinium, sicut autenticis confirmari et comprobari datur testimoniis hystoriarum et annalium et attestacione relatorum in verbo veritatis adprime veracium. Nam hic et aviti nominis et paternae dignitatis et virtutis heres ac ob creberrimam hostium contusionem cognominatus Tudites[21], primus ex tanta prosapia, ob insignis miliciae ingenium et imperatoriarum et oratoriarum excellentiam arcium, edicto et apostolica auctoritate nomine et meritis memoris domni Zachariae apostolici, Hilderico Francorum rege deiecto et pro regali trabea et diademate monachica donato corona et tonica, ob enormis segniciei et inerciae vicium rebus regendis omnino contrarium et incongruum, electus, unctus et 1. Reg. 25, 29. promotus est in regni Franciae solium. Anima eius, iuxta illud sapientis matronae de David secundum cor Dei electo elogium, custodita est quasi in fasciculo viventium apud Dominum, porro anima inimicorum eius rotata est quasi per impetum fundae et circulum. Et quid mea interest retexere ab aliis acutiori et evidentiori stilo tradita memoriae, quibus videlicet corporis viribus, qua[22] virtute animi eximia Aistulfum regem Longobardorum *f. 27'. superaverit et Papiae inclusum 40 obsides dare coegerit, *ac res iuris apostolorum principis Petri tyrannide invasas reddere iuramento constrinxerit, et postea periurum et rebellem ibidem obsidens, Ravennam cum Pentapoli et omni Exarchatu amittere compulerit, et per manum legati sui sanctae aecclesiae Romanae ac Stephano papae tradiderit? Quid item attinet in transcursu percurrere, ut Waifarium summae potentiae ducem Aquitaniae devictum extinxerit, ut durae cervicis et indomabili corde genti Saxonum devictae et aliquantisper domitae 300 equos in tributum singulis annis solvendum imposuerit? Excellentissimum Trogi Pompei de Alexandro Magno testimonium[23] illius magnitudini congruit potissimum: *Cum nullo hostium umquam congressus est quem non vicerit, nullam urbem obsedit quam non expugnaverit, nullam gentem adiit quam non calcaverit.* Sed si haec tam magnifica, tam

---

[18] Legitur de hac traditione charta Willibrordi in Libro aureo f. 81 cum dato corrupto: *Actum anno regnante Pippino gloriosissimo Francorum principe*, cui manus recentior addidit: *XI*. [19] Cf. Iustini Historiarum ex Trogo Pompeio lib. XIII, c. 1. [20] Cf. Fredegar. c. 109. [21] De cognomine hoc vulgo Karolo Martello indito cf. Waitz in Forschungen zur Deutschen Geschichte III, 148 sq. Locus Thiofridi sane singularis. [22] Sequentia de Pipino ex Reginone (Ann. Lauriss. maior.) hausta sunt. [23] Iustinus l. c. lib. XV, c. 16.

preclara ad extollendos gloriae eius titulos deesset dicendi copia, satis tamen superque suppeteret in magnificentiae illius preconia, quod primus omnium Romanum in Galliam transtulit imperium, quod parante Domino lucernam Christo suo genuit magnum Karolum, qui gloriae magnitudine maiestatis suae potentiam oceano et famam terminans astris, quasi recenti memoria in id temporis per orbem terrae celebratur ore omnium, et caesaris augusti meruit[a] et throni sui ac dignitatis heredibus reliquit nomen augustale ac imperatorium. Et procul dubio, ut vaticinii veritas rata et comprobata sit, imperii fundamenta pater iecit, operis tocius gloriam filius consummavit, et de tanta radice et germine densissima et altissima regum et imperatorum usque in victoriosissimum[b] et clementissimum quartum imperatorem Henricum, sub cuius monarchia haec caraxavimus, silva pullulavit. *Per naturales enim genealogiae ramos stema longo ductu pervenit ad Luothowicum *f. 28. quendam egregium Franciae regem[24], Lotharii regis et Karoli ducis[25] genitorem, cuius filiam[26] Cuonradus dux Burgundionum duxit uxorem, de qua genuit patris eius[27] aviam, gloriosissimi Heinrici tercii imperatoris, Giselae videlicet divae memoriae imperatricis matrem[28]. Nimirum tantus internorum symmista secretorum sensum Domini cognovit, quia adhaerens ei unus cum eo spiritus fuit, et tactus de proximo et de longinquo, verum de suo per regenerationis lavacrum filio, verum per ipsum de generosissimae eius posteritatis gloria vaticinium profudit. Nec solum in tantae stirpis magnificentiae presagium, sed in suae quoque usque in omnium finem temporum quietis locum et tumulum non verbis sed factis probavit propheciae se abundantius habere spiritum. Nam cum eum[29] in Treverensi diocesi exaedificasset ac abundissimis tam prediorum reditibus quam pretiosissimis ornamentorum redimiculis ditasset, previdens in spiritu et veritus hinc ex vicinia varias incommoditates et assidua hospicia et servicia presulum et insolentiam, cervicalia sub cubitu manus eorum ponentium, illinc autem ex suo scilicet episcopio ob longum terrarum intersticium grave predonum periculum et rarum vel potius nullum auxilii impendium, neque vicinae[30] neque longinquae suae sedi Traiectensi voluit esse in rebus materialibus subditum, sed rata concessione ac firma testamenti conscriptione et astipulatione tradidit in ius et mundiburdium regum et imperatorum in ordine sibi legali iure succedentium.

24. *De eius formae pulchritudine, et naturali diiugio corporis et animae, et augmentato divinitus tumbae eius marmore, et divino ibi sepius viso lumine et fumo aromatum instar densissimae nebulae* ...... Anno progeniti verbi 739, indictione 7, anno vero ordinationis f. 29'. *eius 46, aetatis 81, qui numerus iuxta genethliacos infirmis decumbentibus minatur *f. 30. horam obitus, anno ducis Karoli 26, 7. Idus Novembris de lacu miseriae et de luto faecis, Nov. 7. de fornace ferrea, de corpore mortis huius evolavit[32] .....

29. *Quod sanctus Willehadus Efternaco duobus annis heremiticam vitam exercuit in reclusione*[33], *et Beornradus et Stigandus archipresules ibidem conversati sunt ingenti devotione* ..... Amoris item intimi igne erga tanti patris quietis locum accensi, advenerunt Beornradus f. 36. ierarcha magnificus, eius consanguineus et rerum possessor hereditarius, et Stigandus Anglorum archipresul eximius, quorum alter eiusdem caenobii rector effectus, incusis auro et argento et gemmatis ornatibus et descriptis ab eo in testamenti pagina prediorum reditibus, alter Efternacense oratorium exornavit et ditavit maximis sanctorum patrociniis omnia auri et argenti metalla et omnem lapidem preciosum longe prestantibus.

33. *De severitate eius in adversarios et advocatos suae familiae incommodos.* Sed sicut f. 38. in supplices pietatis semper exeruit viscera, sic in rebelles et contumaces ultricia animadversionis intorsit spicula et vitae intulit dispendia. Nam Romani imperii dedecus, imperator Arnoldus, qui maximam Efternacensis abbatiae partem in beneficium dedit Luzilinburgensis castri primoribus, Papiae, ut in quadam moderna legitur chronica, miserabili et indigna *illo fastigio morte periit corrosus et extinctus soricum morsibus. Primates de Hol- *f. 38'. lant, Theodericus[34] et Florentius[35] cum filio suo Theoderico[36], qui 25 aecclesias iuris tanti

---

[a] nomen *supplendum videtur.* [b] usque invictoriosissimum *cod.*

[24] IV. Ultramarinum, qui obiit a. 954. [25] Lotharingiae inferioris. [26] Mathildim. [27] scilicet Heinrici IV. [28] Gerbergam nomine, nuptam Herimanno II. duci Alamanniae. [29] scilicet locum quietis suae, Epternacense monasterium. [30] scilicet Trevirensi. [32] sanctus Willibrordus scilicet. [33] Quae de Willehado narrantur omnia ex eius Vita, quam scripsit Anskarius, excepta sunt. [34] IV. mortuus a. 1049. [35] I. mortuus a. 1061. [36] V. mortuus a. 1091.

pontificis tyrannide invaserunt [37], in ipso aetatis flore ut flos faeni aruerunt et marcidi ceciderunt. Patruus Heinrici iunioris Nerviorum ducis [38], Adalbero incliti Paulini apud Treviros prepositus, funem perpendicularem iussit extendi super fundum, in quo situm est eius oratorium, et in eodem momento paralysi resolutus in lingua, promptae loquelae perdidit modulum et nullius verbi potuit exprimere primordium, nisi ut resonabilis echo sonum ultimum. Summae dignitatis et generositatis proceres, regum progenies, Cuono [a] dux Karendinorum et adelphus eius Heinricus palacii comes, qui aecclesiam in villa Crovia [39] iuris sancti Willibrordi invaserunt, nec Heinrici tercii imperatoris rogatu, iussu, comminatione et noni Leonis papae exhortacione flecti et evinci potuerunt, quam evidenti et terribili divini examinis contriti sint verbere et cum omni posteritate castigatione et plaga percussi insanabili, de tam amplae haereditatis et sublimitatis deciderint culmine, novit omnis provintia tripertitae Galliae. Nam Heinricus monachici propositi habitum, quem prius per mentis vesaniam Gorziae induit sed acriori furore regressus ad saeculum, rursus exuit, interempta Mathilde Gozelonis ducis [40] filia, coniuge sua, in Efternacensi caenobio expetiit et optinuit, ibidemque usque ad vitae unguem [41] conversatus, non ut debuit ac tantae nobilitatis virum decuit spectaculum humanarum rerum in se exhibuit. Deteriori frater eius Cuono usus fortuna, propria diffamatus est laniasse membra per amentiam et sic opimam orci victimam exhalasse animam [42]. In utroque erat res spectaculo digna et *fol. 39. aestimatione *sortis humanae rerum varietate miranda. In utriusque clarissimorum Romani imperii syderum occasu omnis eorum generosissima occidit prosapia et in extraneos translata est amplissima hereditas et gloria. Ut consulto pretereamus quam plures quasi sine nomine vulgus, quos aecclesiam suam canino dente rodentes et latratu terrentes tanti patroni ultrix obruit virtus, numquam iniustis et inmitibus familiae suae pepercit nomine defensoribus, re predonibus, sed iudicium absque misericordia eis intulit, misericordiam non facientibus. Inmanis, violentus, atrox, nullaque ferarum micior in caede [b] Frithelo advocatus, cum indebitum exigeret et non optineret servicium, intollerabili fastu elatus, infringi precepit hospitalis promi ostium. Cumque hortator et fautor scelerum, Ruokerus de villa Ornavon [43] furentis eri [c] implesset iussum et desiderium et rapto laetatus inani farsisset aqualiculum, ilico divinae ultionis perpessus est iaculum et reversus domum, nullo conamine, nullo medicamine cibum et potum contra fas innefas accęptum potuit digerere, nulla refrigerari requie, donec octavo die, ex quo tantae presumptionis se polluit crimine, evulsus est de tabernaculo suo carnis tegete. Relatus est defunctus ubi peccatum commisit, mundo vivus, sed Deo mortuus, et simulac a Spiritus sancti sacrario, domno abbate Reginberto, indulta venia est absolutus, dissiluit stringens uterum membrana, intestinis effluentibus. Et quia sepulchrum patens antea guttur eius faetidissimo faetore ebulliente, de proiectis egestionibus affectis omnibus funeris officio astantibus, vix tandem cum ingenti difficultate sepulturae est traditus. Interiecto autem exigui temporis articulo, erus eius, cuius iussu scelus *fol. 39'. commiserat, presidente Gisilberto [44], *advocatiam iusto perdidit iudicio, et ausus Namucensem comitem Adalbertum [45] adtemptare bello, in prima congressione celeri fuga elapsus abiit, excessit, evasit cum hostium nullo vel minimo, suorum vero dampno et dedecore maximo. Hic enim Bedensis pagi omne decus et gloria periit, et populus antea terror gentium omnino viluit, et sicuti telo si primam aciem perfregeris, reliquo ferro vim nocendi sustuleris, sic illa victoria, veluti mucrone teli ablata, nullis postea virtutibus sed cladibus innotuit. Et ipse tantae infamiae ac ruinae auctor prius crebris clarus triumphis a gregario ad eius dignitatis comparationem milite confossus oppeciit, interiit. Preco antichristi, gener eius Bertramnus [46], peretri frutice amarior, sed longe inutilior, qui cum in tenui re maiores pennas nido extendisset et callido ingenio ad altae dignitatis fastigium evolasset, nimiae elationis fastu turgens, nec se ferens, quicquid [d] fraudis, quicquid mali

---

a) Cūno *cod.* b) *sic correxi;* incędes *cod.* c) *i. e.* heri. d) quicquic *cod.*

37) Cf. chartam a Wilhelmo ep. Traiectensi data Reginberto abbati a. 1063. Dec. 28, in Oorkondenboek van Holland en Zeeland ed. van den Bergh I, n. 85. et Miraeus, op. dipl. IV, 350. 38) Intelligit Heinricum VII. ducem Noricorum ex domo Ardennensi qui obiit a. 1047. 39) Cröv ad Mosellam, praefecturae Wittlich. 40) I. Lotharingiae inferioris 41) Obiit a. 1061, cf. Lambertum Hersfeld. a. 1057. 1061. 42) Obiit a. 1058, v. Lambert. Hersfeld. h. a. 43) Orenhofen iuxta Schleidweiler, praefecturae Trier. 44) patre antiregis Hermanni, qui obiit post a. 1056. 45) Qui obiit post a. 1105. 46) Cuius mentio fit in charta a. 1095, v. Beyer II, 37.

comminisci potuit, servientibus Deo et sancto eius Willibrordo intulit, donec non minori divini decreti impetu destructus quam elatus est. Nam ut grandia et plura omittamus eius dedecora, non modo munitissimum suae ditionis castrum Bursceith[47] et copiosissimas opes et aureo curru invectam mundi gloriam perdidit, verum etiam per multorum revolutiones annorum excommunicationis anathemate dampnatus et omni liberi hominis iure privatus aeterni interitus iudicium promeruit. Ante diem clauso componeret vesper olimpo, quam Verg. Aen. 1, 374. repetens tantorum annales laborum omnes scelerum formas ab iniquissimis non tam advocatis quam lupis rapacissimis domui et familiae Dei illatas comprehendere et omnia paenarum illis relatarum nomina possem percurrere[a].

34.* *De eius inventione et mirifica translatione.* Anno vero antea progeniti verbi 1031, *fol. 40. a transitu eiusdem paradoxi patris 292.[b] recidivi reparata oratorii fabrica tocius religionis archytriclynio abbati Humberto cum unanimi sanctae congregationis assensu sedit sententia, ut 14. Kal. Novembris, invitato preclui Popone sanctae Trevericae sedis archy- 1031. Oct. 19. presule et defensore Heinrico gloriosissimo duce Boariae, inter dedicationis solempnia eius ossa transferentur in locum ubi hodie cum reverentia et honore debito celebrantur recondita . . . . [48].

35. *De palma victoriae Walchrensibus contra Ruopertum comitem Flandriae concessa eius iuvamine.* In Walichrensi vero insula, ubi sanguis eius effusus est pro Christi confessione et f. 41. gloria, frequentius adest per spiritus sui presentiam, quia cum signa non sint fidelibus sed 1. Cor. 14, 22. infidelibus, novit efferae gentis suo ingenti sudore fidei regulis imbutae non posse emolliri et ad cultum ac amorem divinum constringi duriciam, nisi per signorum presentiorem et frequentiorem efficatiam. Et licet hoc celebre habeatur in locis mari conterminis, libet tamen in calce voluminis inserere pauca de plurimis, minima de maximis. Divae memoriae presidis Flandriae Baldwini[49] iunior filius Ruopertus[50] exicialis odii in Mitthilburgenses accensus facibus, interminatus est mortis interitum tocius insulae habitatoribus. Nec causae irarum saevique dolores exciderant animo, sed aeternum servans sub pectore vulnus et plurima flammato secum corde volutans[51], cum extremis hominum Morinis iniit consilium et tantum de Francigenis et Theutonibus collegit exercitum, ut vix denis suorum satellitum singuli evenire aestimarentur hostium. Ter denas enim legiones singulas millenis taxatas *militibus adversus trina non integra armavit milia et inpositas navibus per *f. 41'. Scaldemermur[52] in hostilia traiecit littora. Sed quam terribilis visus est eius introitus, tam turpis et foedus subsecutus est exitus. Nam Walichrenses cum missis legatis bellum deprecarentur nec obtinuissent et respectu paucitatis suae multitudinem hostium pertimuissent, coadunato omni suo agmine, convenerunt in basilicam terque quaterque beati Willibrordi consecratam sanguine[53] et ante participacionem mysterii salutaris hostiae voto se obstrinxerunt, quotannis vita comite censum illi persolvere, si interventu eius clementiae potiri mererentur palma victoriae. Nec mora succensi ardentissimae fidei calore, pixydem[c] in qua illius continentur reliquiae in vexilli suspenderunt cacumine, haut secus his freti quam domino Deo previo duce gradiente ante eos in fortitudinis suae multitudine. Nemo in prelio fugam cogitavit, nemo in pedibus spem sed in lacertis habuit, quia pulchrum et dulce pro patria mori mentes omnium subiit. Citato cursu procuraverunt ne hostibus procurrentibus et renitentibus in solis radios pugnam consererent, ne reverberata et obtusa oculorum acie ictus et conatus suos perderent. Pugnatum est deinde tanta virtute, ut hinc viros inde pecudes putares et, ut canitur in Deuteronomii carmine, perseque- Deut. 32, 30. retur unus mille et duo decem milia effugarent. Victi hostes cum ad naves refugerent, alii perempti in suis cecidere navibus, et obducti sunt spumante et concreto cruore fluctus, et iuxta illud nobilissimi vatis dysticon

Semianimes alii vastum subiere profundum,
Hauseruntque suo permixtum sanguine pontum.

Secundum mysticae apis Debborae canticum de caelo dimicatum est contra eos, anima Iudic. 5, 20.

---

a) precurrere *cod.* b) CC.CX.II. *cod.* c) *litterae* ix *in rasura cod.*

47) prope Diekirch ditionis Luxenburgensis. 48) Elevationem et miraculum quoddam, quae sequuntur, require ap. Brower, Antiquitates Trevirenses I, p. 516. 49) V. qui obiit a. 1067. 50) I. cognomento Friso, qui Flandriam regebat a. 1071—1093. 51) Cf. Vergil. Aen. I, 54. 52) Quid sit nescio. Scaldis ostium intelligendum patet. 53) *Basilica quae Westcapella appellatur* cap. 13. fol. 20.

*f. 42. electi Domini, principis exercitus, *Dei conculcavit robustos. At Walichrensium populus,
Gen. 49, 24. cuius in forti sedit arcus, ut nobis qui eidem bello interfuit et postmodum, abiectis militaribus
armis, armatura Dei sub monachico habitu se induit[54], verissima adtestacione
retulit, nullum ex suis nisi tres perdidit, quod ex ipsorum inconsulta temeritate evenisse
Ps. 16, 8. liquido constitit. Dominus in umbra alarum suarum sperantes protexit, et cum ferro sub-
Lucan. 7, 520. texeretur aether, noxque super campos telis conserta penderet, ne inde caderent mortes
in gloria sua exultantes, innumerum quod spargebatur missile aliorsum detorsit et largiores
animos amministravit et se presentem per innocuae alitis presentiam demonstravit.
Nivei enim coloris columba, instar eius quae in cataclysmate ramum virentis
olivae ad arcam Noae in ore reportans et baptismatis mysterium presignans pacem terris
redditam indicavit, ab acie nusquam recessit, sed usque ad consummationem victoriae,
ut probatae fidei viris visum est, circumvolavit. Victrix vero phalanx post tanti triumphi
gloriam debitae laudis triumphatori omnium solvit victimam et votum suum quo se ante
obligaverat renovans et confirmans, duo devicti principis vexilla ad Efternacensem transmisit
aecclesiam ibi conservanda in aeternam collatae sibi per magnifici pontificis Clementis
Willibrordi merita gloriosae victoriae memoriam.

36. *De adventu ygumeni Thiofridi in Walichrensem insulam et pace ibi reformata et
confirmata per iucunda miracula.* Post ubi pericula virtute et Dei gratia propulit[55], ab
externis bellis velut in viscera sua arma convertit et exemplo furentium manus ac membra
sua ipsa caesura ab hostili in civilem sanguinem ferrum exacuit. In perniciem exarsit mutuam
et, caesis nobilioribus insulae primatibus, in tantam prorupit discordiam, ut neque libere
*f. 42'. ingredi neque egredi ulli esset copia. De uno populo duo conpugnantia effecta *sunt corpora,
et eorundem castrorum homines in duas hostiles divisae sunt acies. In partibus exicialis odii
adeo conflagravit incendium, ut absque apparatu armorum et caetu contribulium et satellitum
ne ipsa quidem parascheue, qua summus veri tabernaculi pontifex et pastor essentialiter
bonus pro ovibus suis animam suam ponens Deo patri obtulit sacrificium, sanguinem
suum inaestimabile, mundi precium, auderent accedere ad deosculandum lignum
dominicum. Fessis demum et fractis post multa suorum funera variosque labores, in tanto
actu periculorum tutissimus portus consiliorum visus est, communi legatione Efternacensem
ygumenum Thiofridum philochristum ad se arcessere, ut ex auctoritate precluis
patroni Willibrordi, cuius vice fungebatur, mersis rebus suis consulere et disturbatae
pacis faedera operam daret reconciliacionis gracia reformare et componere. In portu
Antwerpensi eum adventantem biduo expectaverunt cum sedecim longis navibus, sed eo
necessitate itineris[a] moras innectente, generalis placiti sui, quod tercio imminebat die,
redire coacti exactionibus, eius adventus et susceptionis honorem necessariis suis et
dilectoribus commendaverunt, ipsius emporii magistratibus. Aruerant autem omnia sata
eorum aeris intemperie nec irrigabantur ullo humore roris et pluviae, sed minitabantur
sterilem annum messibus ingruere. Cumque classem velis cędentibus ventus incumbens
propelleret, mediumque rates profundum tenuissent, mente licet lugubri ingenti tamen
accensi ardore fidei exclamaverunt devocione hylari: *O domine, o sancte Wilbrorde, si
venturus es ad nos, tuum peculiarem populum, apostolatus tui in Domino signaculum evidens*
*f. 43. *da indicium, et antequam portu* * *condamur, alto fac descendere ac influere ymbrem frugiferum.*
Nec mora, subito fragore intonuit levum et turbida testantur conceptum aequora ventum,
Lucan. 4, 75. iamque polo pressae nubes densantur in ymbres, spissataeque fluunt et caumatis ac siccitatis
dispendia excludunt. Pluviam voluntariam Deus hereditati suae segregavit, evidentissimo
clementiae suae signo dilecti sui in spiritu adventum declaravit. Nauticus ilico clamor
ferit aethera, et adductis lacertis spumant ac dehiscunt convulsa remis rostrisque stridentibus
aequora, et omnes aecclesiasticum non nauticum concinentes celeuma in sua hylares
prosiliunt littora. Vix vero illis propria subeuntibus moenia, vicarius egregii antistitis
Willibrordi ab universis Antwerpensibus longe a civitate cum sanctorum suorum pixidibus,
auro et argento operoso artificio incusis, procędentibus obviam, sicut angelus Domini,
sicut Christus Iesus, cum ingenti susceptus est gloria, ibique dissidentibus reductis in
gratiam et confaederatis pace firmissima, eorum honorabili evectione transvectus in

---

[a] intineris *cod.*

[54] Nimirum Ekehardus, cuius fit mentio in capite sequenti. [55] scilicet victrix phalanx Walichrensium.

Mitthilburgensis portus navalia. In crepusculo diei eius comperto adventu, omnes utriusque sexus et diversae aetatis insulani laeto complerant littora caetu et eum, acsi ipse communis eorum patronus et dominus in carne venisset, intimae devocionis affectu ac honoris magnificentia excęperunt et hymnologica vociferacione in orationis proseucham deduxerunt. Postera cum primo stellas oriente fugaret clara dies, per laeta frequentes convenere limina Verg. Aen. V, 42. et coram legato Domini ad firmandum rerum presentium statum contra morem barbaricum summa adstitere disciplina et reverentia. Sed ille regens dictis animos et pectora mulcens[56], primum aggredi et tractare mediocria, in crastinum decrevit differre maiora et magis aspera. Cumque his intentus, *eorum et aliorum quos idoneos ducebat haberet consilium, * f. 43'. vidit comminus quendam de grege inopum prosterni et amplecti pedes cuiusdam ex prosapia et ordine divitum, cui aliquando inconsiderata insolentia inflixit vulnus paene inremediabile et lętiferum. Exurgit, accurrit, cum prostrato prostratus genua eius exosculatur et, deposito in terram ante abnuentem et obstinatius renitentem egregii antistitis baculo, gratiam delicti paenitenti facere deprecatur, monet et obtestatur. Adamantinum vero illius cor et contemptor animus nullis sanae doctrinae fomentis emollescit ac, conclamantibus et tantam duriciam detestantibus universis circumstantibus, non erubescit, non adquiescit. Impos animi discessit, erupit, domum rediit, et ibi e vestigio contemptus et inobedientiae suae paenas luit. Energumenus enim factus, omnes astantes percussionis suae spectaculo perterruit et omni viciniae et familiae suae summum merorem et luctum intulit. Anhelum eius pectus et protensus aqualiculus crebris et gravissimis exagitari pulsibus et sonus audiri, quasi costarum cratem et stomachum interius aliqua vis duris propulsaret vectibus. Et quid tanto cruciatu crudelius, quid amarius? Tanta divinae ultionis animadversione clientes illius et contribules exterriti, multa supplicatione defatigatum[a] compulerunt illo ire veredarium Domini, ut captivum de tanti eriperet amaritudine supplicii. Venit, scriniolum suum, in quo parciuncula costae clementissimi patris Willibrordi recondita est, ventri arrepticii superposuit et evestigio zabulus[57], quia tantae sanctitatis pondus ferre non potuit, vas quod ob vindicandam inobaedientiam arripuit ad glorificandam summi oppificis potentiam deseruit. Tripudium ingens exortum est, quia salus domui illi facta est, quia filius Abrahae a filio aeternae mortis liberatus et absolutus est. Interea *in concione astantis et expectantis populi nobili- * f. 44. tatum est aliud signum de causa quidem simili, sed paena dissimili. Procidit quidam in faciem ante vulneratum iam pridem a se divitem ac summissis precibus laboravit eum sibi efficere propicium et placabilem. Accessit una ad negitantem et reluctantem interpres domni ygumeni, Ekehardus caenobita egregius, ante conversionem inter principes eiusdem insulae nominatissimus, — accessit, inquam, et pluribus ac humillimis supplicavit supplicationibus et genuum inflexionibus, ut veniam petenti eius iure gentium aversus pie propter Dominum et Clementem Willibrordum reconciliaretur animus. Sed ille improbus iuvenili fastu exaudire contempsit, exiluit, discessit et paululum secessit, cum ecce ulcio in eum divina incessit. Nam sicut interiores interiori sic exteriores oculi eius exteriori privati lumine, subito obtenebrati sunt caecitatis caligine, et cuius iniquitas prodiit quasi ex adipe Ps. 72,7–9. et qui non flagellatus intumuit flatu superbiae et non timuit os suum in caelum ponere, quid esset, sentire coactus est sub verbere. Impingebat et impingebatur, huc et illuc palpans, vacillans vertebatur, et confusione sua sicut dyploide indutus, occursum et conspectum hominum verebatur. Occurrit tandem illi offensis nutanti pedibus genitor eius totus ymbre lacrimarum perfusus et increpans duriciam cordis eius, porrecta manu reduxit eum in locum unde bile commotus, temerario ausu est egressus. Veniam ibi supplici suo dedit, visus claritatem recępit, illuminatori omnium quantascumque potuit grates rependit. Pulchrum spectaculum illo die divina pietas piis mentibus exhibuit, et elatis formidinem et maximum incuciendo terrorem futurae pacis et reconciliationis fundamentum posuit. In angusti temporis articulo in duobus *viris quatuor celebrata sunt miracula: alter quippe pro con- * f. 44'. temptus sui reatu desipuit amentia et pro multorum profectu resipuit ac saniori convaluit intellegentia, alter in oculo fratris fistucam videns, in suo trabem non videns, caecitatis Matth. 7, 3. incurrit offendicula, sed ductus paenitentia clariori lumine illustratus est in corpore ac

---

a) defetigatum *cod.*

56) Cf. Vergil. Aen. V, 464. 816. 57) Lactantius hoc vocabulo utitur pro *diabolus*.

Verg. Aen. 7, 148. anima. Proxima vero cum prima lustraret lampade terras orta dies, uno animo eademque sententia tocius insulae quasi apum examina convenerunt agmina, ut coram vicario pontificis egregii et eius reliquiis examinarentur et determinarentur omnium causae ac iurgia et sopirentur simultacium veteres offensae et exicialia odia. Steterunt ut stellae in stacione sua et ordine, et subtilissima indagine investigaverunt lucem et consilia prudentiae, quia omnes viae eius pulchrae et omnes semitae eius pacificae. Nec mora, aeterna sapientia, Prov. 8, 12–15 quae se cecinit per os Salemonis Ydidae: *eruditis,* inquiens, *intersum cogitacionibus, meum est consilium et aequitas, mea est prudentia et fortitudo, per me legum conditores iusta decernunt,* — occultae inspirationis suae gratia in unius eiusdemque consilii summam omnium illexit pectora, ut de singulis in utraque parte peremptorum familiis septena sanguine proxima eligerentur capita et eorum ac presidentis dominici archymandritae et comitum eius decreto ac investigatione diligentissima componerentur firmissimae pacis faedera. Igitur iuxta commune illorum consilium ac decretum rei sanguinis, depositis prius more gentis trigenis tripla compositione libris vellent nollent, ne qua dissensio nasceretur ex ante actis, in aeternam discordiarum oblivionem effecti sunt milites ultorum sanguinis. Nullo humano *f. 45. sed divino terrore viri ea formae pulchritudine *et corporum proceritate et virium ac sapientiae magnitudine prediti, ut qui eos ignoraret non ex una gente sed ex toto terrarum orbe electos iudicaret, viri inquam genere, fama et opibus excellentissimi coacti sunt, longe se inferioribus pupillis summitti et obsequi, quod quasi dedecus improperii, nisi caelesti virtute essent coerciti, mallent morte lucrari quam perpeti. Notandum profecto et pro summa ammiratione in posteros est transmittendum, quod gens tam aspera, audax, bellicosa, quae numquam ferro edomari potuit, simplicium verborum loris se ligari et constringi pertulit, et ut de ipsius veredarii Domini edictis taceamus, quicquid prefatus interpres eius ex auctoritate eius et sancti patris Willibrordi iussit, acsi ex ipsius ore iuberentur, nemo omnium temerare ac transgredi presumpsit, nemo parere distulit. Tantus in omnes Domini terror irruit. Pax exinde bonae voluntatis tam privata quam publica per mirifica antistitis egregii, Clementis Willibrordi merita, tamquam ipso corporali assidente consessu ac ordinante, reparata et iurisiurandi sacramento confirmata est non modo in Walichrensi sed in omni adiacente insula, et aurea fruges pleno cornu defudit copia, et per duorum mensium curricula quibus ibi moras pro communi utilitate innexuit ygumenus, vernarum Dei vernula, nulla ibi opera, nulla exercebantur studia, nisi gaudium, honor et tripudia, mira exultacio, festi dies, epulae et convivia. In summi tum demum honoris magnificentia rediit in patriam et cum ingenti tocius civitatis suae, in occursum eius effusae, susceptus laeticia, sempiternae Trinitati laudis debitae immolavit hostiam . . . . .

II. CATALOGUS ABBATUM EPTERNACENSIUM PRIMUS.

739. **Anno incarnationis Domini 738, indictione 7. migravit ex hoc mundo sanctus Willibrordus, relinquens huius loci provisorem Albertum abbatem; fuitque temporibus regum Clodovei filii Dagoberti, et Clotarii filii Clodovei, et Theoderici fratris Clotarii, et Childeberti fratris[57] Theoderici, atque Dagoberti filii Childeberti, necnon Chilperici qui non de eodem genere fuit, principumque Francorum Pippini, filii Anschisi ex Begga sorore sanctae Gertrudis, ac filii eius Karoli bellicosi cognomento Martelli.**

Albertus praefuit huic loco 38 annis, et 7. anno magni Karoli regis[58], qui est annus incarnationis Domini 777, indictione 15. Berneradum Senonensem archiepiscopum reliquit[59] huius loci provisorem et abbatem.

---

[57] immo filii. [58] Anni Karoli Magni hic et infra ab obitu fratris Karlomanni 770. (rectius 771. Dec. 4.) numerati sunt. [59] Adelbertus apparet in charta Karoli Magni anno 4. data, v. apud Sickel, Beiträge zur Diplomatik V, 393; (cf. Sickel, Regesta Karoli 15 ubi haec charta a 771. Dec. — 772. Oct. posita est) et a. 3. eiusdem regis (774.) ipse chartam dedit, Liber aureus f. 76, ubi perperam *Ado* pro *Adebertus* scriptum est.

Berneradus[60] 20 annis regens hunc locum, 27. anno magni Caroli regis, incarnationis vero Domini 797, indictione 5. Adonem abbatem reliquit sibi successorem.

Ado etiam 20 annis administrans regimen huius loci, 4. anno Ludovici Pii filii Caroli Magni, qui est annus incarnationis Domini 817.[61], indictione 10, Sigoaldum Spolitinae urbis episcopum in regimine huius loci sub nomine abbatis habuit successorem.

Sigoaldus[62] autem postquam per 10 annos rexit hunc locum, 14. anno Ludowici Pii ac incarnationis Domini 826, indictione 5. cessit Hettino Trevirorum archiepiscopo regimen huius loci cum nomine abbatis.

Hettinus rexit hunc locum 11 annis[63], et 35. anno Ludovici Pii, qui est annus incarnationis Domini 838, indictione 1. Hieronymus post eum suscepit nomen abbatis.

Hieronymus etiam praefuit huic loco 11 annis, et 10. anno Lotharii imperatoris filii Ludovici Pii, incarnationis vero Domini 849, indictione 12. nescimus quo ordine vel quo eventu Adelardus comes suscepit nomen abbatis, introductisque clericis, Hiltgerum praepositum praefecit eis. Ab obitu sancti Wilbrordi usque ad 10. annum Lotharii imperatoris, filii Ludovici Pii, computantur 111 anni.

Adelardus comes et abbas praefuit huic loco 7 annis, id est a decimo anno Lotharii imperatoris usque ad annum 2. Lotharii regis filii eius[64], qui est annus incarnationis Domini 856, indictione 4. Hic Lotharius rex excommunicatus est a Nicolao papa pro Valdrade pellice sua, quam duxit, relicta Thietberga regina[65]. Sub Adalardo comite et abbate fuerunt Hilgerus et Guntrannus praepositi canonicorum.

Hatto[a] episcopus[66] et abbas successit Adelardo praefuitque huic loco 8 annis, id est a secundo anno Lotharii regis usque ad 10. annum regni eiusdem, qui est annus incarnationis Domini 864, indictione 12.[67]

Raginarius comes et abbas successit Hattoni[68], rexitque hunc locum 7 annis, id est a decimo anno Lotharii regis, usque ad 16. annum regni eiusdem, qui est annus incarnationis Domini 870.[69] Quo anno idem rex pro absolutione Romam veniens, ab Adriano papa absolutus, apud Placentiam obiit, regnumque suum patrui eius Karolus et Ludovicus, filii Ludovici Pii, aequis partibus inter se diviserunt.[70]. Sub Raginario abbate et comite fuit Altpertus praepositus canonicorum.

Anno incarnationis Domini 871[71], indictione 4. Carolus rex frater Lotharii imperatoris, filius Ludovici Pii, Karlomannum filium suum, qui per apostasiam diaconatus officium spreverat et turbam praedonum ac latronum sibi sociaverat, cum quibus regnum patris infestabat ac ecclesias Dei devastabat, captum oculis privavit. Cui a patruo suo Ludovico rege coenobium Epternacense concessum est ad subsidium vitae[72]. Invenimus etiam cartulam, quae anno 8. post obitum Lotharii regis[73], qui est annus incarnationis Domini 877, indictione 10, suis temporibus facta est, in qua continetur Carlomannum nomen habuisse abbatis. Quo 7. anno post amissionem oculorum suorum defuncto, Adelardus iunior comes successit ei sub nomine abbatis anno 2. Ludovici regis Germaniae[74], qui fuit filius Ludovici filii Pii, qui est annus incarnationis Domini 878, indictione 11. Sub quo Folcricus et Hemeradus fuerunt praepositi canonicorum.

---

[a] Hutto *Martene.*

[60] Berneradus seu Beonradus archiepiscopus Senonensis primo a. 5. Karoli (776.) Liber aureus f. 56', et postremo a. 26. eiusdem, (797.) f. 63. apparet. Idem sane est ac Berneradus episcopus qui c. a. 784—791. cum Radone protonotario legatione ad Hadrianum IV. functus est, v. Cod. Karolin. 97 (ap. Cenni), non vero Beraldus abbas (ibid. Cod. 48). Beornradum, defuncto a. 792. Willebaldo, episcopum Senonensem creatum esse, ex chronicis Senonensibus contendit Gallia christiana nova XII, 15.

[61] Ado adhuc a. 4. Ludowici (817.) occurrit ap. Beyer II, 19 (Lib. aur. f. 52').

[62] Sigoaldi iam in charta Ludowici imperatoris a. 819. Aug. 19. fit mentio, v. ap. Sickel.

[63] Rexit ecclesiam Trevirensem a. 814—847. Mai. 27.

[64] Adelardus adhuc occurrit in charta Hatthonis viri illustris data a. 1. Lotharii regis iunioris, 855. Lib. aur. f. 67'.

[65] Ex Reginone.

[66] Videtur esse Virdunensis a. 847—870. Ian. 1.

[67] Hatto occurrit adhuc a. 8. Lotharii regis iunioris ap. Beyer II, 26 (Lib. aur. f. 88).

[68] Raginarius apparet a. 10. Lotharii regis (Beyer II, 27. Lib. aur. f. 86.), a. 12. (Beyer II, 28. Lib. aur. f. 88'.) a. 13. (Lib. aur. f. 86'.)

[69] Obiit Lotharius iunior a. 869. Aug. 8.

[70] Haec ex Reginone.

[71] Immo a. 873. secundum Hincmari, Xant. Laub. Annal.

[72] Haec ex Reginone ad a. 870. sumpta videntur, cuius verba passim repetuntur.

[73] Exstat haec charta in Lib. aur. f. 89 sub dato depravato: *Actum anno* 8. *Lotharii regis*, omissis verbis *post obitum.*

[74] Adelardus occurrit in duobus chartis a. 2. Ludowici regis, Lib. aur. f. 66' et 67.

Praefuit autem huic loco Adelardus iunior 13 annis. Ac 3. anno Arnulfi regis filii Carlomanni regis Bawariorum, qui fuit filius Ludovici filii Ludovici Pii, qui est annus incarnationis Domini 890, indictione 8, locus iste delegatus est cuidam Ruoberto comiti ad regendum. Sub quo fuerunt Helingaudus et Hilduinus praepositi canonicorum.

Robertus cum 8 annis huic loco praefuisset, 10. anno Arnoldi regis ac incarnationis Domini 897, indictione 15, Reinerus comes adeptus est hunc locum cum nomine abbatis. Sub quo fuit Berengaudus praepositus canonicorum[75].

Reinerus 19 annis praesidens huic loco, anno incarnationis Domini 915, indictione 3, anno 21. regnante Karolo filii Ludovici Balbi ex Adeleida regina, obtulit huic loco[76] Berge[77] et Ruodmachra[78], Waderloi[79] et Thremethe cum ecclesiis et ceteris omnibus suis appendiciis[81]. Et post haec 10. anno[82] Giselbertus filius eius successit ei in regimine huius loci sub nomine abbatis, anno dominicae incarnationis 924, indictione 12, anno vero Heinrici regis 7. Cuius temporibus Goduinus et Herinus fuerunt praepositi canonicorum.

Postquam autem 23 annis rexit hunc locum[83], anno incarnationis Domini 947, indictione 6, Herimannus dux[84] successit ei anno regni primi Ottonis 11. Quo anno Rinera huic loco est restituta[85].

Post Herimannum successit dux Sigefridus[86], cuius hortatu idem Otto imperator 973. anno 34. regni sui, imperii vero 12, incarnationis autem Domini 974, indictione 2. canonicos ex hoc loco expulit et turmam monachorum hic adunavit abbatemque Ravengerum eis praefecit. Haec apud Magdeburch sancita sunt[87]. Fuerunt autem canonici in hoc loco 125 annis.

Praefuit autem huic loco vir venerabilis abbas Ravengerus annis 33, id est a novissimo anno primi Ottonis usque ad 6. annum Heinrici, qui post tertium Ottonem elevatus est in regem.

Anno incarnationis Domini 1007, indictione 5. Uroldus abbas successit ei. Cuius 1016. Aug. 22. 10. ordinationis anno contigit incendium monasterii et claustri 11. Kal. Septembris, et eodem anno fundamentum positum est novi, qui est annus dominicae incarnationis 1016, indictione 14. Qui infra 11 annos hoc monasterium usque ad fenestras perfecit, calicem aureum et tabulam auream et multa alia, quae nostra non recolit memoria, huic ecclesiae ab eo sunt collata. Praefuit autem huic loco 21 annis, id est a 6. anno Heinrici usque 1028. ad 4. annum Cuonradi, tandemque propter incontinentiam corporis est depositus; locumque regiminis suscepit abbas Humbertus ex monasterio sancti Maximini assumptus[88]. Depositus itaque abbas Uroldus Wizenburch secessit, ibique sexto anno depositionis suae ex hoc saeculo migravit. Sed postea a successore suo Humbertus inde est translatus ac in ecclesia ante altare sancti Stephani honorifice sepultus.

Vir itaque venerandus domnus abbas Humbertus opus ab antecessore suo incoeptum devotissime consummavit, ac 4. anno ordinationis suae a Treberensi archiepiscopo Poppone, anno dominicae incarnationis 1031. dedicari fecit[89], imaginibus et picturis decentissime decoravit, analogium[90] argento adornavit, monasticum ordinem ante se pene neglectum strenuissime reparavit. Multa suis temporibus huic loco acquisivit et 24. ordinationis suae 1051. Aug. 9. anno, id est dominicae incarnationis 1051, indictione 4, 5. Idus Augusti ex hoc saeculo migravit, ac retro altare omnium sanctorum sepulturam meruit. Cui successit domnus Dec. 1. Reginbertus in Kalendis Decembris, non impar meritis sui praedecessoris. Praefuit autem huic loco domnus abbas Humbertus a 4. anno Cuonradi usque ad 13. annum Henrici III.

Domnus itaque abbas Reginbertus, assumpto pastorali officio, ut fidelis servus et prudens dispensator, subditos sibi fratres, ut pater filios, educavit ac dilexit. Abbatiam sub descriptione posuit: ex quibus locis et quibus temporibus quisque fiscus fratribus

---

75) Berengaudus occurrit a. 8. Ludowici Pueri Lib. aur. f. 52. et a. 8. Henrici I. (a. 926. seu 932.) f. 87. In illa charta dicit: *germanus et antecessor meus huiusque loci provisor Volcaudus.*

76) i. e. auxit praebendam fratrum.

77) Berg ad Mosellam supra Sirk.

78) Rodemachern in Gallia.

79) Walre.

81) Cf. chartam confirmationis Karoli Simplicis regis a. 915. Ian. 23. data ap. Beyer II, 31. Lib. aur. f. 51'.

82) Reginarius dux obiit a. 915. seu 916.

83) Giselbertum a. 939. occisum esse, nemo ignorat.

84) Videtur esse Herimannus I. dux Alamannorum, qui obiit a. 948. Dec. 10.

85) Cf. chartam Ottonis I. a. 947. Aug. 4. datam ap. Beyer I, 189. Stumpf 150; in qua mentio fit Herimanni ducis.

86) immo comes Luzenburgensis primus.

87) V. chartam Ottonis I. a. 973. Mart. 15. datam ap. Beyer I, 236. Stumpf 524.

88) Monente Poppone abbate Stabulensi, v. eius Vitam supra SS. Tom. XI, 305.

89) Cf. supra Thiofrid. c. 34.

90) i. e. pulpitum.

constitutam praeberet annonam; ac diurnalia servitia instituit. Pani fratrum quadrantem apposuit, praebendam in ovis et caseis et uncia adauxit, addens unicuique fratrum ad statutum ovum unum, et caseum, qui antea inter 4 dividebatur, inter 3 partiri iussit; et ad unciam 18 denarios addidit. In praecipuis diebus et[a] natalitiis sanctorum nec non in anniversariis patris ac matris et duorum fratrum suorum diurna servitia constituit. Ad postremum successorem sibi domnum Tiofridum designavit, sicque 30. ordinationis suae 1081. Dec. 11. anno, 3. Idus Decembris in pace quievit et in sepulchro, quod ipse sibi vivens in conventu paraverat, ab Egilberto Trevirorum archiepiscopo ac devotis sibi filiis anno incarnationis Domini 1081, indictione 4. sepultus est, Heinrico IV. imperatore cum exercitu in Italia degente, anno 26. regni eius. Praefuit autem huic loco a 13.[b] anno Heinrici III. usque ad 26. annum regni Heinrici IV.

Quem post biennium adiens domnus abbas Tiofridus, Romae anno incarnationis Domini 1083. 13. Kal. Decembris abbatiam suscepit, eamque per 28 annos, in omnibus 1083. Nov. 19. sequens vestigia praedecessoris sui, ut verus Israelita strenuissime rexit. Gichilingun[91], allodium apud Burnen[92] et Aldestorph[93] comparavit, eaque fratrum usibus delegavit, ac anno incarnationis Domini 1110, indictione tertia, tertio Nonas Aprilis in senectute bona 1110. Apr. 3. obdormivit in Domino, sepultusque est in conventu a Brunone Treverensi archiepiscopo. Cui successit Gerardus abbas 4. Kal. Maii. Apr. 28. Praefuit autem huic loco beatae memoriae domnus abbas Tiofridus a 28. anno Heinrici IV. usque ad 3. annum regni Heinrici V.

Adepta itaque Gerardus abbatia, multa in rebus ecclesiasticis intulit dispendia. Immutavit omnia ab antecessoribus suis fratribus instituta, quaeque potuit laicis feodavit, quorum consilio depravatus, succidi fecit circumadiacens nemus.

III. CATALOGUS ABBATUM EPTERNACENSIUM SECUNDUS.

Rabodo Trevirorum archiepiscopus et abbas praefuit huic loco 8 annis, id est a 5. anno regni Arnulfi imperatoris usque ad 1. annum Zuendiboldi regis, qui est annus incarnationis Domini 897.[94]

Reinerus comes et abbas praefuit huic loco 19 annis, id est a tertio anno Zuendiboldi regis usque ad 4.[95] annum Caroli regis filii Ludovici Balbi, qui est annus 915. incarnationis Domini. Berengaudus praepositus loco abbatis praefuit huic loco 9 annis, id est a 4. anno regni Caroli usque ad 8. annum Henrici primi regis, qui est annus incarnationis Domini 923.

Gisilbertus dux et abbas, filius Reineri, praefuit huic loco 24 annis, id est ab 8. anno Henrici humilis usque ad 15. annum regni primi Ottonis, qui est annus incarnationis Domini 949.

Godowinus praepositus cum Herino praefuit huic loco . . . annis, sub ducibus Heremanno et Sifrido, hoc est a 15. anno regni primi Ottonis usque ad 34. eiusdem, qui est annus incarnationis Domini 974. Quo anno initio Martii idem imperator, petente Sifrido 973. Mart. 15. comite, deficientibus in hoc loco canonicis, monachos hic restituit, abbatemque Ravangerum eis praefecit. Actum est autem hoc publice apud Magdeburch coram principibus.

Ravangerus abbas missus ab Ottone primo cum 40 monachis, **praefuit huic loco 33 annis, id** Catal. I. **est a novissimo anno eiusdem primi Ottonis usque ad 6. annum Henrici secundi imperatoris, qui post tertium Ottonem regnavit,** ac anno incarnationis Domini 1007. 19. Kal. Septembris in pace quievit. 1007. Aug. 14.

Uroldus abbas **praefuit huic loco 21 annis, id est a 6. anno Heinrici usque ad 4. annum Cuonradi imperatoris.** Anno vero incarnationis 1028. ab abbatia **depositus Wizenburch secessit, ibique anno** septimo 1034. Nov. 12. **depositionis moritur;** secundo Idus Novembris obiit. **Huius decimo ordinationis anno contigit incendium monasterii et claustri 11. Kal. Septembris, eodemque anno fundamenta posuit novi, qui est annus incarnationis Domini 1016,** 1016. Aug. 22. **et infra 11 annos usque ad fenestras aedificavit.**

---

a) *sic correxi ex* a *Martene.* b) *sic correxi pro* XXII. *Martene.*

[91] Geichlingen praefecturae Bidburg. V. chartam a. 1096. ap. Beyer I, 390. Lib. aur. f. 98.

[92] Born ad flumen Sauer. Exstat charta in Lib. aur. f. 98'.

[93] Alsdorf praefecturae Bidburg.

[94] immo 895. Cf. diploma Zuendibulci regis hoc anno petente Rabodone monasterio Epternacensi datum ap. Beyer I, 139. Lib. aur. f. 50'.

[95] immo 21.

Humbertus abbas praefuit huic loco 24 annis, id est a 4. anno Cuonradi regis usque ad 13. Heinrici regis III, ac anno incarnationis Domini 1031. a Poppone Trevirorum archiepiscopo hoc monasterium dedicari fecit, eademque die corpus beati Wilbrordi sub principale altare a loco sepulturae suae transtulit. Hic etiam monasterii opus a praedecessore suo inchoatum consummavit, claustrum quoque aedificiis, disciplina et religione prius neglecta, emelioravit.

1051. Dec. 1. **Reginbertus abbas,** in Kal. Decembris suscepta abbatia, praefuit huic loco 30 annis, id est a 13.[a] Henrici 1081. tertii usque ad 26. annum regni Heinrici IV, qui est annus incarnationis Christi 1081, ac tertio Idus Decembris obdormivit Dec. 11. in Domino. Hic praebendam fratrum sub descriptione posuit, diurnalibusque servitiis, scilicet in praecipuis festis et quorumdam sanctorum honeste augmentavit.

1083. Nov. 19. **Theofridus abbas** anno incarnationis Domini 1083. 13. Kal. Decembris abbatiam Romae suscepit, eamque per 1110. 28 annos strenuissime rexit, ac anno 1110. incarnationis dominicae tertio Nonas Aprilis ex hac luce migravit. Praefuit Apr. 3. autem huic loco a 28. anno regni Heinrici IV. usque ad 3. annum regni Henrici V, subtilisque ingenii monimenta plurima in prosis et metris et diversis historiarum cantibus, in quibus mirifice floruit, dereliquit.

Apr. 28. Gerardus abbas 4. Kal. Maii subrogatus abbatiae, praefuit huic loco 30 annis. Anno 1122. vero incarnationis Domini 1122. iussu Henrici imperatoris et archiepiscopi Brunonis, propter Oct. 30. multimoda dispendia ecclesiasticis rebus illata, pastoralem virgam 3. Kal. Novembris super Nov. 19. altare reddidit, diesque 20 tantum supervivens, anno 15. regni Henrici quinti 13. Kal. Decembris obiit.

1123. Ian. 1. Godefridus abbas, suscepta abbatia Kal. Ianuarii, rexit hunc locum 33 annis et semis, id est a 16. anno Henrici quinti usque quintum annum Friderici imperatoris. Hic annis 17 apud nos strenue agendo spectabilis factus, defuncto Alberone Prumiense abbate eodemque Basiliensi episcopo[96], a Cunrado rege filio sororis Henrici imperatoris, qui Lothario 1140. succedens, tertium annum agebat in sceptris, communi fratrum et fidelium expostulatione, Prumiensi quoque ecclesiae in patrem est subrogatus, primisque et mediis suae praelationis temporibus hic et ibi satis auspicialiter utilem se exhibuit et in claustralibus et in saecularibus actionibus. Cum vero postea, ut ipse dicebat, pro veneficiis quibus infectus fuerat, nescimus quo auctore, graviter infirmaretur, Prumienses ab eo defecerunt, ut a sui regimine cessaret cum Arnaldo Coloniensi archiepiscopo[97] apud imperatorem Fridericum, 1152. 13. anno ex quo ibi venerat, effecerunt. Verum ad nos reversus, tribus tantum annis supervixit, in quibus excoctus igne ingravescentis infirmitatis, anno 5. Friderici imperatoris, 1155. Mai. 24. qui est annus dominicae incarnationis 1155, felici consummatione 9. Kal. Iunii saeculum mutavit, sepulturamque in medio monasterio ante altare omnium sanctorum meruit.

Gerardus[b] abbas praefuit huic loco 18 annis, id est a quinto imperii Friderici imperatoris 1173. toris anno . . . . qui est annus incarnationis 1173. Qui propter multimoda rerum ecclesiae Aug. 15. dispendia in assumptione sanctae Mariae, pastorali virga super altare sancti Willibrordi reddita, abbatiam resignavit et reliquos dies vitae suae in omni humilitate et religione peregit.

Ludovicus abbas Sancti Eucharii Treveris 23. imperii Friderici imperatoris anno electus, praefuit huic loco 8 annis, id est ab anno incarnationis Domini 1173. usque ad annum 1181, et apud dictum imperatorem abbatiam huius loci resignavit, in qua Godefridus eius capellanus subrogatus est; et ipse se ad ecclesiam suam Treveris contulit.

Godefridus abbas praefuit huic loco 28 annis, ab anno incarnationis Domini 1181. usque ad annum 1210.

Bartholomaeus praefuit huic loco 21 annis, id est ab anno 1210. usque ad annum 1231.

Reinerus abbas praefuit huic loco 11 annis ab anno incarnationis Domini 1231. usque ad annum Domini 1242, a Theodorico archiepiscopo[98] confirmatus, abbatia ab Henrico septimo Romanorum rege suscepta.

Arnoldus[c] abbas venerabilis, dignus aeterna memoria, electus in abbatem, ab Arnolfo[99] Trevirorum archiepiscopo confirmatus. Abbatia suscepta a Guirado augusto filio Friderici secundi apud Haganoe anno incarnationis Domini 1242, eamdem suis temporibus strenuissime rexit et fratres sibi subditos ut pater filios educavit et dilexit. Frequentia gravamina suo tempore orta ad gloriosum finem perduxit. Praebendam fratrum suorum in pane,

---

[a] *sic correxi ex* XXII. *Martene.* [b] *hic primus auctor finem scribendi fecisse videtur.* [c] *abhinc rursus scriptor coaevus incepisse videtur.*

96) a. 1137. Oct. 97) I. 98) II. Trevirensi. 99) seu Arnoldo II. 1242—1259.

vino et aliis pitantiis copiose auxit. Ad curtes Berg et Mondrichen[1], quas sua industria de novo aedificavit, et ad aedificia super Mosellam aliarum curtium seu ad molendinorum reparationes quadringintas libras et amplius expendit. Insuper in augmentationem reddituum temporalium, quos suis temporibus comparavit seu conquisivit, quingentas libras et amplius exposuit. Abbatiam etiam, quam in suae confirmationis novitate quadringentis libris debitorum et amplius invenerat obligatam, iuribus monasterii districte conservatis et universis suae curae connexis ad felicem statum redactis, a debitorum onere penitus exemit et absolvit. Sui etiam tempore pastoratus monasterium ac monasterii ambitus testudinibus cooperta, fenestrarum picturarumque ornatibus sunt decorata. Cum itaque dictus Arnoldus abbas venerabilis huiusmodi regiminis exercitio a suae electionis tempore 27 annis efficaciter et laudabiliter insudasset, testamento subscripto in Dei omnipotentis et sanctorum laudes, ad[a] confratrum suorum utilitatis commodum praeordinato et statuto, ab ergastulo huius vitae solutus, glorioso fine migravit ad Dominum, anno dominicae incarnationis 1269. 1269.
16. Kal. Ianuarii, et morte sua corda totius congregationis intolerabili moerore concussit. Dec. 17.

Henricus Gallicus abbas praefuit huic loco uno anno, id est ab anno incarnationis Domini 1269. usque 1270. Obiit 5. Idus Octobris. Cuius memoria sit in benedictione. 1270. Oct. 11.

Richardus abbas praefuit huic loco 26 annis, obiit 3. Nonas Iunii. Diversa ipsius 1296.
instrumenta conspiciuntur pro utilitate monasterii data annis 1280. 1288. 1290. Iun. 3.

Ludovicus abbas praefuit huic loco duobus annis, id est ad annum incarnationis Domini 1298. Obiit 17. Kal. Septembris. 1298. Aug. 16.

Henricus de Schoneck abbas praefuit huic loco 31 annis. Abbatiam ab Alberto Romanorum rege suscepit 13. Kal. Octobris anno Domini 1298, regni Alberti anno primo, Sept. 19.
indictione 12. Hic abbas vir fuit magnae liberalitatis et honestatis, ob quod etiam omnibus dilectus, abbatiam strenue rexit, et 3. Kal. Octobris in pace quievit. 1328. Sept. 29.

Arnoldus abbas in abbatem electus, a venerabili viro Baldewino archiepiscopo Trevirensi confirmatus, abbatiam a Ludovico Romanorum rege in Colonia suscepit, anno incarnationis Domini 1329[b], regni vero eiusdem anno 10, quam suis temporibus tamquam pius pater strenue rexit. Fuit enim homo devotus, pacificus, bonus, mansuetus, verecundus, osor vitiorum et praecipue pollens castitatis decore, modicum sibi usurpans de rebus monasterii, sed convertens in debitorum ipsius solutiones, ut claruit in eius testamento. In civitate Treverensi ab huius ergastulo vitae solutus bono fine migravit ad Dominum 10. 1329. Iun. 10.
die[c] Iunii, in vigilia pentecostes, anno Domini 1329. Post quem crastino diei pentecostes Iun. 12.
electus est in abbatem Theodericus.

Theodericus de Are abbas electus in abbatem, impeditus fuit confirmari per quatuor menses et amplius a Baldewino reverendo viro Treverensi archiepiscopo, quem comitissa de Spanheim in castro suo Starckenberg mancipatum tenebat[2]. Quo tandem soluto, fuit idem Theodericus ab eo confirmatus. Abbatiam autem a Ludovico rege Romanorum suscipere verebatur, quia pontifices summi Iohannes XXII. et Benedictus XII. excommunicabant eum, dicentes non rite fuisse electum in regem. Nihilominus tamen ipse Theodericus opposuit se murum pro domo Domini vigilanter, et non segniter insudando alienata a monasterio suo revocare, iura defendere et conservare, pro quibus defendendis et conservandis saepius non formidavit pericula corporis et rerum. Propter quam quidem animi ipsius alacritatem multa incumbebant eidem incommoda, gravamina et damna. Fuerunt enim temporibus eius horreum infra muros et septa monasterii, plenum frugibus, ab ignotis incendiariis nocturnis in vigilia sancti Willibrordi, et curtis de Bergh in seditione Nov. 6.
quam episcopus Metensis[3] contra dominum de Rodenmachra[d] habuit, ab ipsius satellitibus episcopi combusta. Seditione etiam non levi inter oppidanos in Epternaco, iustitiam ibidem regentes, et plebem exorta, dictus domnus Theodericus prudenter perpendens et praecavens in futurum, et videns quod huiusmodi mota seditio gravis possit afferre impedimentum et detrimentum ipsius iustitiae Epternaci, iustitiam regentibus adhaesit, et probiter adstabat apud dictum domnum Baldewinum Trevirorum archiepiscopum, cui tunc temporis suberat

---

[a] *correxi;* ac *Martene.* [b] *correxi ex* MCCCXXIV. *Martene.* [c] *correxi;* Kal. *Martene.* [d] *correxi;* Codenmachia *Martene.*

[1] Monnerich prope Esch in Luxenburg. [2] Baldewinus captus est a. 1328. secundum Gesta III, 6 ap. Martene, Coll. ampl. IV, 411. [3] Ademarus.

praepositura de Bidburch, a Iohanne rege Bohemiae et comite Lucemburgensi eius consanguineo titulo pignoris obligata, laborando quod dicta gravis discordia fuerat sopita cum dictorum iustitiam regentium honore salvo. Quod male ferentes quidam nequam de vulgo, domni abbatis ipsius torcular ulterius nocturnis incendiis deleverunt. Quae omnia sic incendio devastata idem in multo meliorem statum aedificando reformavit, aliaque multa praeclare gessit. Cum tamen semper timeret, ne ita prodesset sicut voluisset, convocata 1340. Feb. 14. capituli sui congregatione, baculo pastorali renuntiavit anno Domini 1340. 16. Kal. Martii, die videlicet sancti Valentini martyris. Conventus vero eius confidens prudentiae et circumspectioni eius resignationem noluit acceptare, flendo et ululando exorantes unanimiter, ut eos pastore desolatos deserere non vellet. Ipse vero in suo constans proposito, eorum precibus et fletibus non potuit molliri. Fratres vero videntes eius animi invincibilitatem, eum consuluerunt pro alio utili et digno pastore sibi eligendo. Qui cum aliquibus suis confratribus seorsum receptis secedens, in domnum Ioannem elemosinarium, virum bene meritum et dignum, tamquam in pastorem et abbatem concordavit, cum consensu omnium fratrum eum eligens in abbatem, et sic bene concludens, abbatiam strenue suo tempore gubernatam sine magnis debitis reliquit.

Iohannes de Wynningen abbas electus in locum avunculi sui Theoderici praedicti, qui abbatiam resignaverat, cum ipsius avunculi sui Theoderici praedicti voluntate et unanimi fratrum omnium consensu anno Domini 1340, praefuit huic loco 13 annis, et obiit anno 1353. Oct. 7. Domini 1353. septimo die mensis Octobris.

Iohannes de Novavilla praedicti Iohannis successor confirmationem suscepit ab Innocentio[4], anno pontificatus illius quarto. Quot annis hi duo praefuerint ignoratur. Exstat ipsius testamentum datum anno 1355.

1362. Willelmus de Kerpena abbas regalia sua suscepit a Carolo quarto, anno Domini 1362. Diversa instrumenta pro utilitate monasterii fecit annis 1371. 1373.

Hertwinus[a] de Waldeck.

Philippus filius Arnoldi[b] comitis de Homburg electus in abbatem obiit ante confirmationem anno 1377.

Ropertus praefuit annis duobus, obiit anno 1379.

Viricus de Atinbach abbas confirmationem ab Urbano[5] recepit pontificatus illius anno primo, a quo etiam bullam promotorialem ad caesarem impetravit, Carolum scilicet quartum. Regalia suscepit a Wencelao Romanorum rege anno 1379. Diversa instrumenta edidit pro utilitate monasterii 1386. 1393. 1400. ultima Maii.

Petrus Gymnich nepos praecedentis confirmationem suam recepit a Bonifacio papa[6], pontificatus sui anno undecimo. A quo impetravit mandatum ad subditos vassallos et ministeriales Epternaci, ut illum susciperent, et fidelitatem solitam et consuetam ei exhiberent. Regalia recepit a Venceslao Romanorum rege anno 1400. 20. Septembris. Anno 1411. solvit archiepiscopo Trevirensi subsidia.

Nicolaus de Gymnich regalia sua recepit Confluentiae a Sigismundo Romanorum imperatore anno Domini 1414. 19. Augusti. Praeerat adhuc anno 1418.

Petrus de Huben 1426. 1429

Winandus de Gluvel anno incarnationis Domini 1418. venit Epternacum, ubi per preces avunculi sui Godefridi de Gluvel obtinuit locum, factusque monachus regulariter et devote ibidem servivit, ac post anno Domini 1437. die 14. mensis Ianuarii unanimi et concordi omnium fratrum electione in abbatem electus est. Wilhelmus autem abbas Sancti Martini Trevirensis immisit se abbatiae post mortem Petri de Huben titulo resignationis. Unde et dictum domnum Weynandum electum in ius traxit. Sed per diffinitivam sententiam reverendi patris domni Burchardi[7] episcopi Aquensis, iudicis et commissarii a sacrosancta generali synodo Basileensi deputati, cum condemnatione expensarum cedere compulsus est. A quo episcopo idem electus ex decreto eiusdem synodi benedictionis munus accepit Basileae in ecclesia fratrum Minorum anno 1439. die dominico, 28. mensis Decembris, pontificatus sanctissimi domni Eugenii papae quarti anno octavo. Obiit hic Winandus, ut colligi potest ex electione Colini abbatis, anno regiminis 28.

[a] *correxi;* Hertruinus *Martene.* [b] Arn. *Martene.*

[4] VI. qui consecratus est a. 1352. Dec. 30. [5] VI. consecratus a. 1378. Apr. 18. [6] IX. consecratus a. 1389. Nov. 9. [7] immo Bernhardi Laplanca. MARTENE.

Colinus Plieck de Oirwich, vacante abbatia per mortem domni Wynandi abbatis et per cessionem fratris sui germani, in quem electio ceciderat, de consensu, scitu et voluntate totius conventus obtinuit abbatiam anno ab incarnatione Domini 1466. nona die Februarii, et benedictionem a Iohanne episcopo Liberiensi, reverendi patris domni Ludovici de Borbon[8] vicario, in monasterio canonicorum regularium sancti Martini in oppido Lovaniensi recepit anno pontificatus Pauli II. secundo.

Bernarus de Beffort successit, ut colligitur ex quadam supplicatione aliisque litteris, frater Iohannis et domini de Beffort. Sub domino Vinando et sub Colino abbate decanus exstitit.

Franciscus Plick ceteris merito adscribendus, iam pridem ultro oblatos honores mira animi altitudine aversatus repudiarat, eligens abiectus esse in domo Domini, ac subesse magis quam praeesse, rarum exemplum viroque religioso dignum; verum germano fratre abbate praedecessore suo Colino, cui dictos honores detulerat, rebus humanis sublato, ex altera vice unanimi fratrum voto abbas eligitur, eorumque precibus victus, aegre assensum praebens, paulo post vi vel metu saeculari coactus fuit eidem electioni renuntiare, et conventus in eius locum eligere Iacobum a Fay, iam tum monasteriorum sancti Vincentii Metis commendatorem, et divae Mariae Luxemburgensis abbatem, cuius vel amicorum insatiabili ambitioni Franciscus frustra reluctatus, tandem succubuit, aut verius pacem iniit.

Iacobus Fay de Novocastro suscepit habitum religionis et ordinis sancti Benedicti in monasterio sancti Eugendi Lugdunensis diocesis, vicesima prima mensis Ianuarii, anno Domini 1473. ac illico post factus est commendator monasterii sancti Vincentii Metis et abbas monasterii sanctae Mariae apud Lucemburgum, et post anno Domini 1476. vacante abbatia Epternacensi per mortem domni Colini Plick de Oirwich, se electioni, quae per fratres iam altera vice canonice facta fuerat in domnum Franciscum Plick supradicti domni Colini fratrem, obiecit, per vim se intrudens. Causam hanc traxit electus ad Romanam curiam, ubi cum diu multis expensis agitata fuisset, sub concordia sedata est per cardinalem Mediolanensem subscripta et sigillata[a]. Sedit in possessione pacifica a 17. Februarii ad 14. Sextilis 1490. undecim annis, sex mensibus.

Burchardus Poisswynn de Novocastro anno Domini 1455. suscepit habitum religionis in monasterio nostro. Hic lite pendente in Romana curia inter Franciscum Plieck electum et Iacobum Fay de Novocastro intrusum, contendentes de abbatia, ac bonis monasterii per dictum Iacobum et eius adhaerentes vi direptis et distractis, constitutus est administrator generalis et specialis omnium causarum et rerum monasterii per reverendum domnum archiepiscopum Trevirensem[9]. Mortuo domno Iacobo abbate, unanimi fratrum electione electus est in abbatem anno Domini 1490. Hic anno regiminis numquam satis laudati sexto reformationem per fratres aliquot religiosae vitae de monasterio sancti Maximini introduxit, irreformatis certa annua pensione contentis. Anno vero decimo introductae reformationis, id est anno Domini 1506. obiit, sepultus ante sacrarium.

Robertus a Monreal de Malburgh anno Domini 1506, sacerdotii sui secundo, electus abbas, et anno subsequenti a Iulio secundo pontifice maximo confirmatus, ut nobilitate generis sic vitae meritis mirum exsplenduit, Dei nutu spartae Willibrordinae circa turbulentissima tempora, quibus haereticorum pravitas germinare coeperat, submissus, ut immunitates, iurisdictiones et summorum pontificum necnon imperatorum ac regum concessa monasterio privilegia sua auctoritate contra invasores defenderet. Quod et eo felicius est exsecutus, quod reges et principes ecclesiasticos iuxta et saeculares singulari quadam dexteritate et epistolarum frequenti correspondentia sibi conciliarit atque ita conatus perversorum hominum facili negotio reddiderit innocuos. Religiosos suae curae commissos fraterne habuit, divini cultus zelator ferventissimus. Arcem Bollevillanam fere collapsam restauravit, vennamque ibidem piscationi accomodatam in fluvio Sura erexit, multa alia reparavit et etiam acquisivit et redemit. Dum hunc in modum interius exteriusque pro regulari observantia et monasterii commodis per triginta tres annos strenue desudasset, laboribus tandem fractus anno 1539. tertia Maii moritur, et iuxta praedecessorem ante fores sacristiae sepelitur.

1539.
Mai. 3.

---

[a] De hac controversia multa Bertelius historiae suae Lucemburg, catalogo abbatum Epternacensium folio 173. ac potissimum Munsteriensium *add. Martene; sed patet, haec esse manu glossatoris recentioris addita.*

[8] episcopi Leodiensis.

[9] Iohannem II. de Baden.

Mathias a Lutzeradt. Iacobus ab Alten-Eberstein. Godefridus ab Aspermont. Antonius Hovaeus ab Hecmunda[a]. Martinus Masius a Meerbeck. Iohannes Glattius a Lutzemburgo. Iohannes Bertels a Lovanio. Petrus a Richardot. Petrus Fisch a Rosport. Richardus Paschasius de Beure.

IV. CHRONICON EPTERNACENSE AUCTORE THEODERICO MONACHO.

*f. 4. *Domino[b] Godefrido venerabili Epternacensis aecclesiae abbati Theodericus eiusdem aecclesiae humilis alumpnus per bona temporalia pervenire ad gaudia aeternalia.* *In describendis memorabilibus factis seu dictis elegantissimae eloquentiae viri quondam studium impenderunt, et incredibili dicendi copia iocundis atque suavissimis, re autem utillimis verbis delectacionem legentibus paraverunt. Quorum emulari cupiens intencionem, iam olim de gestis sancti Willibrordi st successorum eius quandam facere proposui compilationem, et retractatis variis eventibus, quae aecclesiae nostrae acciderunt post primam rei institucionem, testamentorum quoque, quibus quaelibet bona nostro loco data ac *f. 4'. confirmata sunt, in unius voluminis coacervare volui collectionem, ut excerptis his quae digna memoratu essent, ita demum regum, principum et abbatum caeterorumque benefactorum nostrorum propensiorem apud Deum faceremus commemorationem. Et olim quidem cum hoc opus me vobis dicaturum proponerem, diutinae inconstantia verecundiae me retardavit et a scribendi studio dubia trepidatione revocavit, dum fragilitas ingenii mei nichil se tale scire posse aestimaret, quod dignum fore vestris auribus iudicaret. Cumque in his dubius et anxius hesitarem, nescio quo instinctu eadem quae mente volvebam inopinato michi iniunxistis, et si qua relatu digna possem de precedentium vel subsequentium principum vel abbatum varietate ut scriptis in ordinem digererem, exhortacionis vestrae preceptis michi imposuistis. Itaque ego, cui semper familiare fuit ut omni sedulitate existimationem opinionemque meam in bonis apud bonos commendarem, ac primum placiditate mentis et animi alacritate in affectum hominum influere preoptarem, animatus vestra exhortacione et ea quam vobis et aecclesiae nostrae debeo devotione, studui primum per annos dominicae incarnationis Francorum principum a Clodoveo qui et Loudowicus[c] vocabatur, quem cum omni gente sua baptizavit sanctus Remigius, usque ad Pippinos et Karolos nostros, qui Romanum imperium et augustalem dignitatem toto orbe venerabilem in Galliam transtulerunt, et aecclesiae nostrae primi institutores *f. 5. et propagatores fuerunt, et item ab eis usque ad victoriosissimum imperatorem Fridericum filiumque suum gloriosissimum Henricum sextum imperatorem genealogiam nobilem colligere, et eorum aequivoca nomina, quae obscuritatem inducebant, in distinctionem ordinabilem redigere. Reputavi enim mecum, si tam alti sanguinis venam repeterem superius, qui vel quales nostrae aecclesiae fundatores et propagatores extiterint, investigare possem melius et verius. Quorum etiam memoriam diuturniorem ex eo fore existimavi, quod testamentorum quoque densissimam silvam, quae cuiusque principis diebus facta sunt, suo loco et ordine a secundo libro incipiens describere sollerter curavi. Propter quorum numerositatem et varium statum loci nostri per temporum et personarum mutacionem, ad relevandum lectoris fastidium, etiam librorum congruam ordinavi divisionem. Ubi notare lector poterit quod a transitu beati Willibrordi et ab anno dominicae incarnationis* 739. *in quo obiit, sub* 7 *abbatibus, Alberto videlicet qui* 37 *annis prefuit, Beonrado Senonensi episcopo qui* 22 *annis, Adone abbate qui* 20, *Sigoaldo Spoletano episcopo qui* 9, *Theotgaudo abbate qui* 5, *Hettino episcopo qui* 6, *Iheronimo abbate qui* 10 *prefuit, per annos* 109 *in hoc loco conversati sunt monachi. Post quos ab anno dominicae incarnationis* 849. *sub* 11 *abbatibus, Adelardo scilicet comite qui* 7 *annis, Hattone episcopo qui* 9, *Reinero comite qui* 7, *f. 5'. *Karlomanno qui* 7, *Adelardo comite qui* 13, *Roberto comite qui* 3, *Rabodo episcopo qui* 4, *Reinero duce et comite qui* 19, *Berengaudo preposito qui* 20, *Giselberto duce qui* 24, *Herino et Godowino prepositis qui sub ducibus Hermanno et Sifrido* 25 *annis praefuerunt, hunc eundem locum canonici per* 125 *annos obtinuerunt, ac demum agente prefato Sifrido duce anno incarnationis dominicae* 974. *ab Ottone primo imperatore monachi*

---

[a] Vide Bertelium *add. Martene certo glossatorem secutus.* [b] *sic cod.* [c] Lǒdowicus *cod.*

cum Ravangero abbate inducti, deinceps per annos 223 sub 10 abbatibus usque ad hunc 10. annum vestrae ordinationis, qui est annus incarnationis Domini 1191, licet variis fortunae eventibus agitati, locum hunc incoluerunt. Quos annos ita colligimus: Ravangerus 33 annis prefuit, Uroldus 21, Humbertus 24, Reginbertus 30, Theofridus 28, Gerardus 13, Godefridus 33 et semis, Gerardus 18, Lodowicus 8, post quos Deo donante vos decimus iam decimum annum agitis in regimine nostri loci sicut prediximus, qui est a transitu sancti Willibrordi 452. Igitur adiuvante eo qui iuxta Danihelem mutat tempora et aetates, transfert regna atque constituit, dat sapientiam sapientibus et scientiam intelligentibus disciplinam[a], *erit hoc opus perpetuale vestrae preceptionis et nostrae exsecutionis memoriale, in quo apud posteros et antiqua nostri loci, cui Deo auctore presidetis, dignitas et condigna semper resplendebit*[b] *antiquitas.*

LIBER PRIMUS[c].

1.[d] **Quod Francorum principes, qui aecclesiam Epternacensem instituerunt, de antiquissima Troianorum stirpe descenderunt.* *f. 6.

2. *Quod Troiani in Pannoniam digressi Sicambri sunt appellati. Qui tempore Valentis in Germaniam prorumpentes, primo crinitos principes et reges et leges condentes, Merovingi a quodam rege suo sunt vocati.*

3. *Quod Valens eos de suo nomine Francos appellavit et parte Galliarum ad inhabitandum sine vectigalibus eos donavit.*

4. *De Hilderico rege et quod Franci Agrippinam civitatem ceperunt et, Eugenio*[e] *cum Romanis fugato, Treverim civitatem incenderunt.*

5. *Quod Lodowicus Siagrium filium Eugenii*[f] *ad Alaricum fugere compulit, cui repetito et recepto regnum, thesauros et vitam abstulit.*

6. *De Theoderico Italico et Ostrogothis et Wisigothis, et quod pugnans Odacrum trucidavit et sorores et filias suas regibus copulavit.*

7. *De progenie Rothildis uxoris Lodowici et eorum filiis.*

8. *De victoriis Lodowici et regni incremento et de consulatu ab Anastasio imperatore sibi prerogato.*

9. *Quod recte Lodowicum in hoc opere preponimus, quem primum sanctus ille Remigius baptizavit, cui primo Hormisda papa vices suas per Gallias delegavit.*

10. *Quod 30 annis regnum Francorum nobiliter provexit et Parisius sepultus, quatuor filiis regnum dividendum reliquit.*

11. *De Sigismundo rege et quod, eo occiso, Clodomirus interficitur, cuius filios fratres sui perimentes, regnum eius inter se partiuntur.*

12. *De Theoderico, Theodeberto et Theodoaldo, quorum regnum Clotharius arripuit, sicut Childeberti fratris; quod paenituit, quod obiit et quod, eo sepulto, 4 filii eius regna inter se diviserunt, quae solus optinuit.*

13.* *De morte Kariberti et interitu Sigiberti et successione filii sui Childeberti et de uxore et filiis sancti regis Gunderamni.* *f. 6'.

14. *De iniqua morte Chilperici et ordinatione sancti papae Gregorii.*

15. *De bonitate et morte Gunderamni, cuius regnum Childebertus optinens, post 23 annos regni sui obiit.*

16. *Quod Clotharius filius Chilperici instinctu matris Fredegundis filios Childeberti impugnavit, et illi postea exercitum eius collidentes, etiam Waschones subiugaverunt.*

17. *Quod sanctus Columbanus claruit; quod Longobardi monasterium sancti Benedicti incenderunt; quod Focas imperat, cuius secundo anno sanctus Gregorius obiit.*

18. *Quod Clotharius Theodericum vicit, Berthario duce occiso, et in altera parte Landerico fugiente, Merovecus capitur, Theodebertus pacta pace revertitur.*

19. *De malitia Tiderici, quod*[g] *fratrem victum et captum occidit cum filio; quod*[g] *Clothario bellum parans obiit, cuius filios victos Clotharius cum Brunilde*[h] *occidit.*

20. *Quod Clotharius regna superiorum obtinens, Dagobertum Austriae prefecit; quod Saxones filio in auxilium veniens, occiso Bertoldo duce, perdomuit.*

21. *De bonitate Clotharii et de felicitate temporum suorum et Dagoberti.*

---

[a] *post deletum cod.* [b] bit *supra lin. add. cod.* [c] L. P. *addidi.* [d] *numerum addidi.* [e] *legendum* Egidio. [f] *legendum* Egidii. [g] q̃ *cod.* [h] Brunild' *cod.*

22. *Quod Clotharius moritur et Dagobertus fratri Cariberto regnum partitur.*
23. *De Dagoberto et eius uxoribus, filiis ac filiabus.*
24. *De genealogia sancti Arnulfi et Pippino filio Ansgisi.*
25. *De lapsu Dagoberti et eius correctione et elemosinarum largitione.*
26. *Quod Sclavos superavit, Waschones compescuit, Vulgares occidit.*
27. *Quod Sigebertus* 40 *dierum puer amen respondit, cum eum sanctus Amandus baptizavit.*
28. *Quod cum Eraclio pacem pepigit, qui cum Persis pugnans crucem Domini retulit.*
29. *De infortuniis Eraclii et morte eius miserabili et eius successoribus.*
30. *Quod Caribertus moritur et regnum eius Dagoberto subicitur.*
*f. 7. 31. *Quod Dagobertus Sigebertum Austriae, Clodoveum preficiens Burgundiae *moritur et in aecclesia sancti Dionisii Parisius sepelitur.*
32. *De thesauro eius diviso et de morte Pippini patris sancte Gertrudis.*
33. *Quod* 8. *anno Clodovei natus est beatus Willibrordus, et de patre suo et profectu et institucione adolescentiae ipsius.*
34. *De Grimoaldo filio Pippini et Clodoveo eiecto et de filiis eius: Clothario, qui in oriente, et Kilderico, qui regnabat in occidente, et de Theoderico.*
35. *De Theoderico tonso cum Ebroino et Childerico cum coniuge pregnante occiso.*
36. *Quod Theodericus*[a] *cum Ebroino regnum recepit et Ebroinus postea occisus interiit.*
37. *De strenuitate, pietate et audacia Pippini filii Ansgisi.*
38. *De Warazone et Gislemaro filio suo et de virtute Pippini et pugna contra Theodericum et Bertharium et victoria illustri.*
39. *Quod Pippinus primo dux Austriae maior domus constituitur Franciae.*
40. *De Plectrude eius coniuge et filiis Grimoaldo et Drogone et de pugna eius et victoria contra Rabodum regem Fresiae.*
41. *Quod sanctus Willibrordus veniens in Franciam, a Pippino Romam missus ordinatur et rediens in verbo Dei et aedificatione aecclesiae prosperatur.*

Incipit genealogia principum Francorum.

1.[b] Igitur clarissima principum prosapia, quorum largiflua munificentia a beato Willibrordo primitus Epternacensis fundata usque nunc propagata est aecclesia, de nobilissima non solum Francorum sed et de antiquissima Troianorum descendit genealogia.

G. F. c. 1. 2.[b] Troianorum enim a Grecis expugnatorum pars cum Aenea in Italiam concessit, pars altera, 12 videlicet milia,
*f. 7'. Priamo et Antenore ducibus in finitimas Pannoniae *regiones secus Meotidas paludes secessit. Ibi Sicambri vocati
c. 4. a Sicambria civitate, quam fecerant, in gentem magnam convaluerunt, usque dum tempore Valentis[10] imperatoris
Genebaudo[11], Marcomiro et Sonnone principibus, filiis Priami et Antenoris, in Germaniam prorumpentes, multis
mortalium cesis, obvia quaeque protriverunt et postea sub crinitis principibus agentes, primum regem Faramundum, filium
Marcomiris, super se levaverunt. Sub quo Wisegast, Salegast, Bodegast et Widegast apud villas Germaniae Salecham,
c. 5. Bodecham et Widegam legem habere ceperunt. Post Faramundum Clodio filius eius rex apud Dispargum castrum in
finibus Thuringorum habitavit. Qui missis exploratoribus et insecutus Romanos protrivit, Tornacum, Cameracum civitates
comprehendit et usque ad Summanam fluvium partem Belgicae Galliae occupavit. Eo mortuo Merovingum
filium eius utilem regem fecerunt, a quo Merovingi appellari ceperunt.

c. 2. 3. His Valens imperator et proprium nomen, qui Francus Attica lingua vocabatur, dedit et partem Gallia-
rum ad inhabitandum sine vectigalibus permisit. Hi Hunos[12] ad Meotidas paludes in Pannoniam
redire compulerunt, ubi post multos annos a Pippino et Karolo perdomiti, etiam nomine penitus
disperierunt. Franci propter avaritiam sequentium principum[13], vectigalia eis exigentium, etiam Romanis
coacti sunt fidem non servare et civitates quas adhuc tenent preoccupare.

c. 6. 4. Merovingo vero successit Hildericus filius, qui pro luxuria et insipientia a Francis de regno eiectus in
*f. 8. Thuringiam *ne interficeretur ad regem Basinum est profectus. Franci vero fecerunt sibi regem Egidium a Leone[14]
c. 7. 5 imperatore cum Romana militia in Gallias missum. Qui cum 8 annis prefuisset, per Wiomadum quasi familiari amicitia
c. 6 est defraudatus. Qui reformata cum Francis pace, fecit quod Hildericus in regnum est revocatus. Ad hoc enim ipsum
Wiomadum diviso inter se aureo reliquerat, ut animos Francorum sedaret; quod cum fieret, rex amicus ab amico milite
c. 7. recipiens in solidum quem diviserat aureum, regnum quoque redintegraret. Hoc modo eiecto Egidio, restitutus est Hilde-
ricus, cuius filius ex Basina Thuringorum regina fuit ille famosissimus Clodoveus qui alio nomine vocabatur
c 8. Lodowicus. In illis diebus ceperunt Franci Agrippinam civitatem super Rhenum, quam Coloniam nominaverunt.
Terrisque vastatis et Egidio fuga lapso Romanisque protritis, Treverim super Mosellam, quae prius ab Hunis sub
Theodosio minore diruta et afflicta fuerat, captam incenderunt. Mortuus est autem Egidius, cui super Romanos qui
in Galliis habitabant successit suus filius Siagrius. Hildericus etiam postquam, interfecto Paulo comite, Andegavis et

---

[a] Theod' *cod.* [b] *numerus deest in cod.*

[10] Hic et infra Valentis nomen pro Valentiniani Gestorum Francor. usurpatur.

[11] Genebaudi nomen ex Gregor. II, 9.

[12] Gest. Franc. c. 2 de Alanis a Francis in paludibus Maeotidis victis agitur.

[13] *Valentiniani* secundum Gesta Francorum c. 2.

[14] Nomen desideratur in Gest. Franc.

Aurelianis obtinuit, anno 24. regni sui obiit. Successit autem ei filius suus Lodowicus, qui magna magnis perfecit viribus. G. F. c. 9.

5. Anno enim 5. regni sui Siagrium filium Egidii, Romanae militiae in Galliis regem, Suessionis residentem, bello aggressus vicit, et eliso Romano exercitu, Tolosam ad regem Alaricum fugere compulit. Alaricus vero metuens *vim *f. 8'. Francorum, legatis Lodowici, eum expetentibus, reddidit. Quem ille custodiae mancipatum, quo usque regnum eius sibi Greg. II, 27. subiugaret, postea gladio feriri precepit.

6. Hic Lodowicus sororem Theoderici regis Italici primo habuit, de qua filium Theodericum genuit[15]. Quis vero Theodericus Italicus fuerit dicere non pigebit. Ac primo de Gothis, quibus regnavit, sciendum quod tempore Valentiniani superioris augusti cum in Traciam communiter irrupissent, hi qui cum Fredegerno in Oriente remanserant Ostrogothi, qui cum Alarico in Occidente Wisigothi sunt vocati. Postea Walamer Ostrogothorum rex et Wilimer et Thiedemer fratres cum sibi invicem successissent, Theodemer prefatum Theodericum ex Arilewa concubina genuit. Quem Leo imperator dum cum Ostrogothis fedus Paul. iniret, admodum infantulum obsidem Constantinopoli recepit. Post quem etiam Zeno imperator in filium eum adoptavit ac sacri velaminis dono honoratum per pragmaticum senatum et populum Romanum, totamque Italiam, quam per 14 annos Odacher cum fortissima Herulorum et Turcilingorum multitudine de extremis Pannoniae finibus veniens occupaverat, ei commendavit. Venienti itaque Theoderico de Tracia cum omnibus Ostrogothis in Italiam, non longe ab Aquileia cum grandi suorum exercitu et tocius Italiae viribus Odaccher occurrit. Quem ille alacriter excipiens, magno bello victum in fugam vertit. Postea iterum cum eo Veronae confligens, devictum fugavit atque ipso impetu fugientem insecutus, Veronam invasit. *Odacher autem cum suis qui evaserant Romam fugiens, portis est exclusus. Unde omnibus *f. 9. quae adtingere potuit gladio consumptis et ignibus, Ravennam est ingressus. Theodericus autem a Verona transiit Mediolanum, ubi maximum tocius Italiae recepit exercitum. Ibi dum comperisset Tufa quodam auctore, Odacri crescere exercitum, digressus est Tycinum et ibi[a] matre cum sororibus multaque vulgi communita multitudine Ravennam profectus, obsedit Odacrum per triennium. Qui ex urbe frequenter erumpens, quadam nocte exercitum Tiderici acriter adtrivit, sed repugnantibus fortiter Gothis, tandem in urbem refugit. Nec multo post a Tiderico[b] fraudulenter in fidem receptus, truculenter est ab eo peremptus. Potitus vero Ravenna et omni Italia, Romam est profectus et a Romanis cum magno gaudio honorabiliter est susceptus. Qui ut regni sui vires constabiliret, Malafredam germanam suam Wandalorum regi Honorico et alteram Clodoveo, sicut prediximus, Francorum regi sociavit, unamque filiarum suarum Amalasuntiam Wisigothorum regi Erico, aliam Peditam[c. 16] Sigismundo, Gundebaudi regis Burgundionum filio, copulavit. Iste Theodericus tyrannidem postea in Romanos exercens, quosdam interfecit, quosdam exiliavit, inter quos et Boetium virum clarissimum, insimulatum quod contra eum imperatori scripsisset, Veronae dampnatum et accusatum, duobus filiis eius in consulatu relictis, Papiae in turri quae dicitur Fraudulenta reclusit, ubi et librum de consolatione phylosofiae dictavit. Symmachum etiam patricium Ravennae occidit, ubi et eodem anno Iohannem Beda. papam a Constantinopoli, ubi ceco roganti ad portam quae dicitur *Aurea lumen reddidit, reversum cum comitibus *f. 9'. carceris afflictione peremit, quia catholicae pietatis defensor Iustinus imperator eum honorifice suscepit. At ipse Theodericus[d] sequenti anno in eodem loco subitanea morte periit; sicut in Dyalogorum libro[17] Gregorius dicit, quod solitarius quidam eum viderit inter Iohannem papam et Symmachum patricium discinctum et discalciatum vinctis manibus deductum in vicinam sibi Vulcani insulam[e] esse iactatum. Hec de Theoderico[d] sufficiant.

7. Lodowicus vero aliam duxit uxorem Rothildem Gundebaudi regis Burgundionum neptem. Godowicus enim rex G. F. c. 11. Burgundionum de genere Athanarici persecutoris[18] 4 filios habuit: Gundebaudum, Godegisilum, Chilpericum et Godomarum. Gundebaudus autem interficiens fratrem suum Chilpericum, uxorem eius, ligato sibi ad collum saxo, aquis suffocavit et duas[19] filias, Cronam et Rothildem, exiliavit. Quarum Rothildem Lodowicus ducens in uxorem, cum adhuc c. 14. fanaticus esset, Ingomerem filium genuit, qui pro eo quod mater christiana erat baptizatus, in albis decessit. Postea vero genuit Clodomirum, Childebertum, Clotharium.

8.[f] Lodowicus[g] vero non solum Romanos cum Siagrio sed et Alamannos et Suevos et demum Alaricum cum c. 15. Gothis bellis triumphalibus devincens ingenti animi virtute, interfectis eorum regibus et thesauris ablatis, Galliam quoque c. 17. 10. Brachatam Francis subiugavit et felici successu Turingiam et Burgundiam aggressus, regnum suum primo usque c. 16. 14. Sequanam, dehinc usque Ligerim strenue dilatavit. Ab Anastasio[h] quoque imperatore codicellos de consulatus dignitate c. 17. *accepit, qui et coronam auream et tunicam blatheam ei transmittens, ut consul et patricius et augustus appellaretur precepit[i]. *f. 10.

*9.[k] Hunc igitur Lodowicum regem magnificum in operis huius principio, sicut pro- *f. 10'. posuimus, clarissimis regibus et principibus preponimus, ut quorum facturi sumus mentionem eorum preclarae originis certam habeamus cognitionem. Quod equidem digne et recte nos facere arbitramur non solum propter ingentia et fortia facta, quae eum fecisse miramur, sed et magis propter hoc quia misericordiam[l] caeli suo tempore distillaverunt, dum beatum Remigium pontificem mundo protulerunt. Per quem, spiritu Dei super se fuso, ipse rex c. 15. Lodowicus cum omni gente Francorum iugo dominicae fidei colla passus inclinare, quod prius adorabat incendere, quod

---

a) *supplendum* relicta. b) Tid' *cod.* c) peditā *cod.* d) Theod' *cod.* e) ollam *Greg.* f) *numerus a rubricatore omissus manu recenti atramento suppletus est cod.* g) *littera initialis a rubricatore omissa, postea atramento suppleta est cod.* h) A banastasio *cod.* i) *pagina f.* 10 *praeter duas lineas vacua est cod.* k) VIII. *cod.* l) miscd'iā *cod.*

15) Unde hoc noverit, nescio. Secundum Iordanem, de reb. Get. c. 58 et Pauli Hist. Roman. l. XV. (Muratori, SS. I, 100) Theodericus Audofiedam Clodowechi filiam duxit; Theodericum de concubina natum esse affirmant Gregor. II, 28. Gest. Franc. c. 13. 16) Hoc nomen ex perperam lecto Gregorio III, 5 ortum esse, v. infra ad c. 11. 17) Lib. IV, c. 30. 18) *persecutoris* ex Greg. II, 28. 19) Cf. Greg. II, 28.

Vit. Rem. incenderat deinceps voluit adorare. Huic sancto Remigio antiquae Remensis metropolis episcopo, qui tunc temporis
habuit sub se 12 episcopos et civitates, Hormisda papa vices suas in regno Lodowici, nuper ad fidem Christi cum omni
gente per eius predicationem conversi, scriptis commisit. Ipse autem rex coronam auream cum gemmis, quae regnum
Lib. pont. appellari solet, beato Petro, suggerente sancto Remigio, transmisit. Hic Hormisda papa misit Constantinopolim Iustiniano
imperatori Germanum Capuanum episcopum in legatione, cuius animam vidit ab angelis in caelum
deferri sanctus Benedictus[20], qui procuratione daemoniacae puellae ad sanctum Remigium
legationem direxit.

10. Lodowicus autem ab anno incarnationis Domini 481, qui est 6. Zenonis imperatoris,
regnare cepit et usque ad Anastasii 19. annum, qui est annus incarnationis Domini 511,
G. F. c. 18. Francorum regnum annis 30 nobiliter provexit. Quo defuncto et Parisius in aecclesia apostolorum[21], quam ipse cum
f. 11. regina sua construxerat, sepulto, filii sui diviserunt regnum eius, Theodericus scilicet de priori coniuge natus et ex
G. F. c. 19. Beda. Rothilde Clodomirus, Childebertus, Clotharius. Horum 22. et Iustiniani quintus, qui imperavit 39 annis[22], est
ille famosus incarnationis Domini annus a quo Dionisius[a] incipiens scribit paschales circulos.

Greg. III, 5. 11. Hic ut ad proposita revertamur, mortuo apud Burgundiam Gundebaudo rege, Sigismundus filius eius
in regnum successit, qui de Pedita filia Theoderici[23] regis Italici filium Sigericum habuit. Quem cum, instigante alia
uxore sua, dormientem strangulare fecisset, paenitentia ductus ad sanctos Agaunenses abiit et fletibus amarissimis diutius
G. F. c. 21. peccata sua lugens, psallentium assiduum ibi instituit. Hunc captum postea cum uxore et filiis cum Clodomirus interfecisset
c. 22. et bellum iterum contra fratrem eius Godomarum resumpsisset, Clodomirus idem occiditur, unde fratribus eum
Greg. III, 5. postea vindicantibus, fugato Godomaro, tota Burgundia[24] eius subicitur. Theodericus vero filius Lodowici rex
G. F. c. 24. Sigismundi filiam habuit uxorem. Childebertus et Clotharius fratres Theodoaldum et Guntharium, filios fratris sui Clodomiris,
crudeliter interfecerunt et regnum eius inter se diviserunt. Tercius Clodoaldus evadens, clericus postmodum et
presbiter est effectus.

c. 25. 12. Anno incarnationis Domini 534. Theoderico filio[c] Lodowici post 23 annos regni sui mortuo, Theodebertus
c. 27. filius eius[d], vir bonus, regnat 14 annis. Quo anno incarnationis Domini 548.[e] defuncto, Theodoaldus
f. 11'. filius eius 7 annis regnat. Qui cum 555. anno incarnationis Domini decessisset, Clotharius rapuit regnum eius.
G. F. c. 28. Childebertus etiam cum non multo post moreretur, Clotharius uxorem eius et filias exilians[25], regnum suum
Greg. IV, 3 sicut et ceterorum solus optinuit. Eius filiam Clotsindam Albvinus filius Otwini, rex Longobardorum, accepit
G. F. c. 29. uxorem. Clotharius postea pro facinoribus suis Turonis apud Sanctum Martinum cum gravi gemitu anno regni sui 51.
paenituit. Unde regressus dum in Cottia silva venatur, febre corripitur et ad villam Compendium transiens, inter vexationem
talia prosequitur: *Wach! quid putatis qualis est ille rex caelestis, qui sic tam magnos reges interficit?* In hoc anno
incarnationis Domini 572. expiravit. Quem 4 filii sui cum magno honore Suessionis in aecclesia sancti Medardi,
quam ipse sancto exstruxerat[26], sepelierunt, et deinde regnum eius inter se diviserunt. Charibertus regnum
Childeberti et sedem Parisius habuit, Gunderamnus regnum[f] Clodomiris et sedem Aurelianis, Sigebertus regnum[f] Theoderici
et sedem Remis, Chilpericus regnum[f] patris Clotharii et sedem Suessionis tenuit.

c. 31. 13. Sigibertus de Hispaniis Brunehildem Adanachildi regis filiam in coniugium accepit, de qua filium Childebertum
c. 30. genuit. Caribertus, relicta Ingoberga legitima coniuge, duas sorores Marcovefam et Marfillidam sibi copulavit, unde
c. 31. excommunicatus a sancto Germano Parisiensi episcopo, iusto Dei iudicio moritur et in basilica sancti Romani sepelitur.
c. 32. Regnum eius Sigibertus arripuit[27]. Qui 14. anno regni sui et incarnationis Domini 576.[g] dum
fratrem suum Chilpericum Tornaci obsidere nititur, cultris validis veneno infectis[28] confoditur. Cuius regnum Childebertus
Greg. V, 18 filius cum matre Brunehilde adhuc quinquennis optinuit. Quem etiam Gunderamnus rex in filium adoptavit,
V, 17. V, 36. quia filios non habuit. Duos enim quos habuit subitus morbus absumpsit. Eius uxor Austrigildis iam moritura Herodiana[h]
*f. 12. nequitia rogavit regem sub iuramento, *ut, interfectis duobus medicis qui ei studium adhibuerunt, in exequiis suis
Beda. propensiorem planctum haberet propter eorum funera. Quod et ita factum est. Eodem anno[i] Tyberius Constantinus
Reg. Iustino imperatori succedens, 7 annis imperavit ac anno incarnationis Domini 583. Mauritio
G. F. c. 31. imperium cum filia tradens, statim obiit. Chilpericus quoque Gelsuildem sororem Brunehildis in
coniugium accepit, quam pauco interiecto tempore, suggerente Fredegunda, in lecto strangulavit. Deinde Audoveram
reginam a se repulit eo quod, hortante Fredegunda, filiam propriam de sacro fonte suscepit. Deinde ipsam Fredegundam
sibi iungit. Habuit autem de Audovera tres filios: Theodebertum, Meroveum, Clodoveum.

c. 35. 14. Idem Chilpericus diu, hoc est 23 annis inique vivens sicut alter Nero, anno incarnationis
Greg. VIII, 1. Domini 585. fractione Fredegundis cultro etiam percussus interiit. De quo ipsa filium habuit, quem anno incarnationis
Domini 591.[k] Gunderamnus rex de sacro fonte susceptum, Clotharium nominavit et in regnum patris sublimavit.
Reg. Eodem anno sanctus Gregorius papa efficitur, qui Augustinum, Mellitum, Laurentium et
Iustum[29] et alios in Angliam mittens, eorum predicatione Anglos ad Christum convertit.

Greg. IX, 21. 15. Erat Gunderamnus rex pacificus, omni bonitate ornatus, in elemosinis magnus, in vigiliis et ieiuniis promptus,
insignis etiam virtutibus. Mulieris cuiusdam filius quartanis vexabatur, qui clam fimbria vestimenti regis Gunderamni
Reg. a matre sua abscisa et in aqua ad potandum sibi porrecta, liberatus est ab infirmitate qua tenebatur. Idem rex quadam
die de venatione fatigatus et somno depressus, caput in gremio sodalis militis reclinavit, qui de eius ore parvulum animal
*f. 12'. videbat egressum, tenuem rivulum qui ibi labebatur *velle transire. Ille spatam educens ex ea pontem effecit, per quem
ad partem alteram transiens, in quoddam foramen montis ingreditur et post paululum rediens per eandem spatam in os
regis regreditur. Statim a somno excitatus, miram se vidisse visionem testatur, asserens quendam se fluvium per pontem
transisse ferreum. Is in cuius gremio dormierat cum rem per ordinem retulisset, effossus est locus et inaestimabilis repertus

a) dioniscꝰ *cod.* c) filio *bis scriptum cod.* d) *post* eius *vox* rex *erasa est cod.* e) *correctum ex* d.xl.viiij *cod.* f) r. *cod.* g) .l.lxx.vi. *cod.* h) na *super lineam add. cod.* i) *deest cod.* k) dc.xc.i. *cod.*

---

20) Cf. Vitam Benedicti, libro II. Dialogorum sancti Gregorii contenta, c. 6. A. SS. Mart. III, 287. 21) Cf. Greg. II, 43. 22) 38 *annis* Beda. 23) *Qui perdita priore coniuge filia Theoderici* Greg. Cf. supra c. 6. 24) Cf. Greg. III, 6. 25) Cf. Greg. IV, 20. 26) Cf. Greg. IV, 19. 27) Hoc nec apud Gregorium nec in Gestis legitur. 28) ex Gregor. IV, 46. 29) Laurentium et Iustum ex Bedae Historia eccles. Anglorum excepit.

est thesaurus. Inde Cabillonis oratorium sancto Marcello cum psallentio ad formam Agaunensium instituit et ciborium
solidum ex auro mirae magnitudinis et magni ponderis supra corpus eius fecit, bonisque operibus deditus, regno 33 annis Fred c. 14.
prefuit et 595. anno incarnationis Domini 5. Kal. Aprilis ex hoc saeculo migravit. Tunc claruit Magnericus
Trevirorum presul magnificus. Gunderamni regnum Childebertus optinuit qui, 23 annis in eo expletis, anno incarnationis G. F. c. 36. c. 37.
Domini 599. obiit. Huius regis maior domus fuit sanctus Arnulfus.

16. Childebertus duos filios habuit, quorum Theodebertus cum sede Metensi Austriam, Theodericus cum sede Aurelianensi Fred. c. 16.
optinuit Burgundiam. Contra quos eodem anno[a] Clotharius instinctu matris Fredegundis veniens, graviter eorum c. 17.
exercitum trucidavit. Sequenti vero anno et ipsa obiit. Similiter et illi 5. anno regni sui exercitum Clotharii profligaverunt c. 20.
et pactiones ei imposuerunt. Et eodem anno Waschones subiugaverunt. c. 21.

17. Sanctus Columbanus de Hybernia cum beato Gallo et aliis sociis in Burgundiam veniens, permittente Reg.
Theoderico monasterium Luxovium aedificavit et inde a Brunilde fugatus, Alamanniam secessit. Ubi sanctum Gallum
relinquens, Italiam migravit ibique monasterium Bobium *construens, multorum monachorum pater extitit. Tunc Longobardi *f. 13.
monasterium sancti Benedicti noctu invasum vastaverunt, et monachi pondus panis et mensuram vini secum
ferentes Romam petierunt. Anno autem incarnationis Domini 603. Focas strator Prisci patricii, Mauritio Reg.
imperatore cum uxore et filiis occiso, 8 annis imperavit. Cuius secundo anno sanctus Gregorius papa ad Dominum
migravit. Cui succedens Sabinianus sedit annum 1, menses 5, dies 9. Post quem Bonifacius sedit menses 8, dies 22,
qui optinuit a Foca ut Romana aecclesia caput esset omnium aecclesiarum, quia Constantinopolitana primam se scribebat.
Hic constituit ut nullus vivente pontifice aut episcopo civitatis suae presumat loqui aut partes facere, nisi tercio die Lib. pont.
depositionis suae adunato clero et filiis aecclesiae fiat electio. Post hunc alter Bonefacius sedit annos 6, menses 8, dies 13,
qui peciit Focam ut in veteri fano Pantheon constructo a Domitiano aecclesiam consecraret. Post hunc Deusdedit Reg.
sedit annos 3, mensem unum, diem unum.

18. Anno regni sui 9. Theodericus contra Clotharium Stampis movit exercitum, quia rupto pactionis vinculo, Fred. c. 26.
aliquantulum de regno suo haberet pervasum. Cui obviam venit Merovecus filius Clotharii cum magno exercitu et
Landericus maiordomus, et inito certamine, Bertaldus maiordomus Theoderici cum suos nimium precessisset, cum multis
occiditur, et in altera parte Landerico fugiente, Merovecus capitur, et ingens multitudo de utroque exercitu proteritur, ita G. F. c. 37.
quod Aroana fluvius in sanguinem mutatur. Ibi ut aiunt visus est angelus *tenens evaginatum gladium super populum. *f. 13'.
Tiodericus victus Paris ingreditur. Theodebertus pacem cum Clothario iniit, et sic utriusque exercitus illesus ad propria Fred. c. 26.
rediit. Anno incarnationis Domini 610. Focas a senatu manibus et pedibus truncatus, saxo collo religatus in c. 63.
mare proicitur, et Eraclius imperator efficitur.

19. Anno 15. regni sui cum Theodericus multa mala consilio aviae Brunildis fecisset, sanctum Desiderium c. 37.
episcopum primo exiliatum postea lapidari precepisset, sanctum Columbanum et suos expulisset[30], ad opprimendum quoque
fratrem animum intendit. Clothario itaque ut in fratris solatio non esset mandavit, et propter hoc ducatum Dentelini, si
vicisset, ei confirmavit. Anno itaque 16. regni sui hi fratres dum odiis asperrimis se insectarentur, incendiis, c. 38.
rapinis et cedibus inter se grassarentur, tandem in Tullensi Campania Theodericus Theodebertum gravi
prelio superavit et de eius exercitu nimiam multitudinem prostravit. Theodebertus terga vertens per territorium
Metense, transito Vosago, Coloniam fugaciter pervenit; Theodericus vero per Ardennam cum exercitu Zulpiacum perrexit.
Illic tam atrox pugna conseritur, ut cadavera occisorum non haberent ubi inclina iacerent, sed mortui quasi viventes inter
cadavera stricti starent. Iterum Theodebertus superatur eiusque exercitus a Zulpiaco usque Colonia trucidatur. Theodericus
Coloniam ingressus, omnes thesauros fratris recepit. Bertharius quoque cubicularius ultra Rhenum[b] Theodebertum
insecutus, fugientem cepit. Qui statim fratri presentatus, regiis vestibus expoliatur, equusque eius cum stratura Berthario
donatur. Vinctus deinde Cabillonem destinatus interficitur. Filius eius Merovecus *parvulus iussu Theoderici de *f. 14.
pede ad petram iactatus, excusso cerebro moritur. Cumque Clotharius in suam ditionem ducatum Dentelini redegisset,
Theodericus vehementer iratus de Austria et Burgundia exercitum contra eum movit, premissa prius legatione, ut se de
eodem ducatu removeret, alioquin bello se prepararet. Anno itaque incarnationis Domini 616, sui vero Fred. c. 39.
regni 18, dum factione Brunildis contra Clotharium bellum molitur, de profluvio ventris moritur, et exercitus ad
propria revertitur. Clotharius vero pactione Arnoldi ducis et Pippini, de quibus postea dicemus, Austriam ad c. 40.
regnandum ingreditur. Sed Brunildis Mettis residens filios Theoderici regno substituere nititur. Quorum seniorem c. 39. 40.
Sigebertum Thuringiam misit, ut exercitum colligeret et bellum contra Clotharium disponeret. Quod in Campania c. 42.
Catalaunensi antequam inciperent, exercitus Sigeberti signis datis terga vertit, Clotharius Sigebertum et Corbonem filios
Theoderici captos interfecit; Meroveum, quem de lavachro susceperat, exiliavit; Childebertus fugiens ultra non comparuit.
Sigebertus tamen Dagobertum habuisse filium dicitur, quem licet quidam primum autument,
nichil tamen de eo virtutis scribitur. Beatus Columbanus hoc Brunildi predixerat, cum filios Tiderici ad c. 36.
benedicendum sibi offerret, nequaquam eos regalia sceptra habituros, quia de lupanaribus emerserant. Brunildis Clothario c. 42.
presentatur. Cui imputans quod 10 reges Francorum interfecisset: Sigebertum, Meroveum et suum patrem Chilpericum,
Theodebertum cum filiis Clothario et Meroveco, Theodericum cum tribus filiis, qui ad presens extincti fuerant, diversis
tormentis afflictam per triduo, camelo sedentem duci per totum[c] exercitum[d]. *Deinde coma capitis uno pede et brachio *f. 14'.
ad viciosissimi equi caudam ligatur, cuius calcibus et velocitate cursus membratim disrumpitur.

20. Clotharius itaque regna superiorum regum solus optinuit, filiosque Dagobertum inclytum
et Caribertum genuit. Tunc Bonefacius tercius, Honorius, Severinus et Iohannes Romanam rexerunt aecclesiam. Reg.
Ædvinus rex Anglorum, predicante Paulino episcopo, ad Christi fidem cum gente sua convertitur. Dagobertus cum G. F. c. 41.
Pippino duce, patre sanctae Gertrudis, in Austriam ad regnandum a patre dirigitur et sancto Arnoldo tunc
Metensi episcopo commendatur. Hic cum Saxonibus dimicans preciso crine vulneratur patremque, misso crine, sibi
in auxilium venire precatur. Qui festino cum exercitu veniens, interfecto duce Bertaldo, ita Saxones perdomuit, ut omnes
qui gladii sui longitudinem excessissent peremerit.

21. Clotharius habuit animum patientia deditum, litteris eruditum, unde et timebat Dominum. Magnus erat Fred. c. 42.
remunerator aecclesiarum ac sacerdotum et sustentator pauperum, omnibus se pium exhibens et benignum. Magnum
tunc accepit incrementum et firmum in Francorum regno sancta Dei aecclesia statum, cum

---

[a] *supra lineam cod.* [b] h *supra lineam add. cod.* [c] totum *supra lineam, in qua rasura cod.* [d] *supple* precepit.

30) De Desiderio et Columbano v. Fred. c. 24. 32. 36.

ipse singulariter iusta successione monarchiam regebat, 4 regnorum 40. in sceptris agens annum, quem Eraclius imperator nonum decimum. Hic sceptro suo nullius circumpositi sceptrum passus est occursare, sed quicquid pene Gallia ac Germania regum ac gentium Fred. c. 46. continuit, suis studuit habenis refrenare. Anno regni sui 39. Dagobertum Austrasiis preficiens, etiam regna Germaniae ei committebat, retinens quod Ardenna et Vosagus versus Neustriam et Burgundiam excludebat. Horum felicissimo tempore in tantum exuberavit christianitatis tytulus ubique, ut pene *f. 15. *rara aut nulla citra finitimos inveniatur hodieque aecclesia quae non alicuius eius temporis sancti nobis portendat patrocinia. Tunc sancti viri Eligius et Audoenus palatinis insudabant curis, beatus Arnolfus cum Romarico regalibus tunc intererant consiliis; sanctus Amandus, Remaclus et Goar Aquitaniam nativitatis suae illustrabant auspiciis.

Fred. c. 56. 22. Anno incarnationis Domini 635, sui vero regni 45, Clotharius moritur et in suburbio Parisiorum in c. 57. aecclesia sancti Vincentii sepelitur. Dagobertus succedens, fratri Cariberto partem Aquitaniae et citra Ligerim et limitem Hispaniae et circa Pireneos montes, pagum Tolosanum, Agennensem et Petrogoricum et Sanctonicum concessit. Qui etiam post haec tercio anno totam Waschoniam sibi subegit.

c. 58. 23. Dagobertus cum in Austria, vivo adhuc patre, diu regnasset, postea Burgundiam ingreditur, et tota terra cum gaudio et timore sibi subicitur. Tanta autem aequitate Lingonis[a] iudicabat omnibus, ut nullis premiis intervenientibus sine personarum acceptione sola dominaretur iustitia, quam diligit Altissimus. Veniens quoque Divionem, Ladonam et Cabillonem, demum per Augustudunum, Autisiodorum et Senonis Parisius properavit, ibique Gomantrudem germanam Sichilde reginae, quam patre vivente reginam duxerat[31], in villa Romaliaca relinquens, Nanthildem de puellis nobilibus, in matrimonium cum regali dignitate sibi copulavit. De hac filium Clodoveum[32], qui et Ludowicus nominabatur, et 3 filias: Regentrudem, Irminam et Adelam[33] suscepit. Quarum Regentrudem marito sociavit; Adela in villa Palaciolo monasterium instituit[34] et virginum quas illic adunavit abbatissa fuit; Irmina vero etiam Deo dicata monasterium in honore Dei f. 15'. genitricis semper *virginis Mariae ad Horreum[35] instituens, abbatissa venerabilis claruit. De qua suo loco dicemus quae et quanta beato Willibrordo contulerit, rata descriptione c. 59. testamentorum que habemus. Dagobertus etiam aliam puellam nobilem Regintrudem sibi copulavit, de qua c. 58. filium Sigibertum genuit. Ipse ab initio quo regnare ceperat consilio beati Arnulfi et Pippini ducis usus fuerat. De quibus dicemus sicut proposuimus. Ac primo de sancto Arnoldo, postea de eodem Pippino inter tres primo, et alio, Ansgisi filio.

24. Ansbertus[36] itaque ex senatoribus illustris vir et preclarus ex Blithilde, filia Clotharii regis Francorum senioris, genuit tres filios: Arnoldum ducem, Ferreolum et Modericum, et filiam Tharsillam. Ferreolus in Utra civitate episcopus martyrio est coronatus, Modericus in Arisido civitate episcopus magnis in vita et in morte claruit virtutibus. Tharsilla virgo Christi perseverans, Rodonensem civitatem adornat miraculosis operibus, ita ut etiam per eam suscitatus sit mortuus. Arnolfus vero primogenitus Ansberti genuit Arnolfum hunc, primo ducem, postea episcopum Metensem. Haec de sancto Arnoldo episcopo. Sub Clothario vero iuniore, patre Dagoberti, et sub ipso Dagoberto filioque suo Sigeberto fuit maior domus iste Pippinus primus, qui de nobili coniuge sua Itta genuit Grimoaldum ducem et sanctam Gertrudem virginem, Beggam quoque eius sororem, quam prefatus Ansgisus accepit in coniugem, et genuit ex ea Pippinum primo inclytum Austrasiorum ducem, postmodum Francorum palatii rectorem. Qui suscipiens beatum Willibrordum, posuit ad predicandum genti Fresonum.

*f. 16. Fred. c. 58. *25. Sed ut ad[b] proposita revertamur, post discessum beati Arnulfi ad heremum Dagobertus adhuc c. 60. iustitiam exercebat per Pippini et sancti Chuniberti Coloniensis episcopi consilium, sed postea cupiditatis amore et mulierum in inmane cecidit flagitiorum precipitium. Omnem enim iustitiam, quam prius dilexerat, oblitus de rebus pauperum novos implebat thesauros, et luxuriae nimium deditus, tres habebat instar reginarum, Nantildem, Wilisigundem et Berchildem, absque concubinis plurimis, quae a Deo perverterunt cor eius. Sed postea paenitentia ductus, multa erogavit aecclesiis et pauperibus. Interim vero dum aberraret, fertur de eo quod infirmitate tactus ad tribunal Christi fuerit raptus, ubi in multis accusatus, per beatum Dionisium sanctae Dei genitrici supplicantem, ut apud filium suum pro eo secum intercederet, vitae est restitutus[37]. Inde inter innumera, quae postea Dei aecclesiis contulit, dedit Sancto Petro[38]

---

a) *supra lineam add. cod.* b) *recenti manu supra lineam add. cod.*

31) Ex Fred. c. 53. 32) V. Fred. c. 76. 33) Irmina et Adela filiae fuisse dicuntur Dagoberti II. Cf. Henschen, De tribus Dagobertis diatriba p. 107 sq. 34) V. chartam Adelae a. 732. datam ap. Pardessus Nr 551. Cf. etiam Gesta Trevirorum c. 24, supra SS. Tom. VIII, 160, ubi tamen Adelae non fit mentio. 35) Oeren seu St. Irminen. Cf. etiam not. 34 ad c. 24 Gestorum Trevir. 36) Haec ex Genealogia quadam Arnulfi descripta videntur. Cf. Duchesne II, 642. 37) Similia de Dagoberti visione narrantur in duabus chartis eius spuriis Haslacensi et Wizenburgensi monasteriis datis, v. ap. Pardessus Nr. 261. 262. 38) Treveris.

Altaregiam[39], Witelcham[40], Platenam[41], Rore[42], Maranch[43], Noviant[a].[44]; Sancto Paulino Sulmen[45], Rule[46], Mienam[47], Nuvile[48]; Sancto Maximino Billiche[49] et decimam cum suis appendiciis; Wizenburgensem et Toleiensem[50] et multas alias aecclesias instituit, quibus sufficientes redditus ad usum inibi Deo famulantium constituit.

26. Idem quodam tempore cum Sclavis confligens, eos superavit — quibus rex Samo prefuit — et Waschones rebellantes ferro compescuit. Huni quoque et Vulgares inter se prelia fecerunt, at Huni Vulgares superaverunt. Qui de Pannonia expulsi 9 milia cum uxoribus et liberis Dagobertum adeunt, terram ad manendum expetunt. Quos ad hiemandum Bawariam misit, dispersosque per domos omnes una nocte interfecit. Eius quoque ope Sisenandus regnum optinuit Hispaniae. Reg.

*27. Anno 9. Dagoberti post patris obitum Caribertus Aurelianis veniens, filium fratris Sigebertum de lavacro sancto suscepit. Ubi miraculum magnum contigit. Beatus Amandus Dagobertum dudum pro capitalibus corripuerat, unde non absque iniuria de regno expulsus fuerat. Missis deinde rex sanctis viris Eligio et Audoeno, post episcopis, vix optinuit, quod filium 40 tantum dierum cathezizavit. Circumstantibus vero ad alia occupatis nec respondentibus, puer clara voce *Amen* respondit, sicque baptizatus gaudium omnibus fecit. *f. 16'. Fred. c. 62. Vit. Amandi.

28. Eodem anno Dagobertus missis nuntiis pacem cum imperatore Eraclio pepigit, qui tunc contra Persas multa prelia gessit. |Persae enim tempore Focae multas Romanorum provincias et ipsam Iherosolimam abstulerant, et destruentes et profanantes aecclesias, inter ornamenta sanctorum locorum etiam dominicam crucem asportaverant. Unde Eraclius continuis bellis fortiter per 10 annos cum rege eorum Chosdroe dimicans, eo occiso, Persas perdomuit, crucem Domini de ultimis Persarum finibus cum ingenti triumphi gloria et gaudio utriusque populi Iherosolimam retulit. Fred. c. 62. Beda. Reg.

29. Hic cum esset astrologus, previdit per circumcisos imperium vastandum. Unde missis nuntiis ad Dagobertum, uterque in regno suo coegerunt Iudeos ad baptismum. Sed Agareni qui et Sarraceni, gens circumcisa ad latus Caucasi montis habitans, subito eruperunt et in multitudine gravi orbem Romanum vastaverunt. Contra quos dum Eraclius venire nititur, cesis de exercitu eius 150 milibus, terga vertere compellitur. Congregato demum per provintias alio exercitu, etiam Caspias portas, quas Alexander Magnus propter inundationem gentium *ereis portis recluserat, aperuit, et inde 150 milibus collectis, bello iterum congredi non distulit. Sarraceni 200 milia habebant et se ad bellum disponebant, cum exercitus imperatoris in castris nutu Dei percutitur et usque ad 52 milia moritur. Unde veritus ultra inire prelium, Iherosolimam revertitur, ubi nimia amaritudine arreptus, Euticianam tenens heresim et habens uxorem filiam sororis suae, febre correptus moritur. Regnavit annos 26. Cui successit Heraclonas filius cum matre Martina annis duobus. Quibus diebus miraculis[b] floruit beatus Nicholaus[51]. Constantinus alter filius Eraclii mensibus 6 prefuit, cuius filius Constantinus 28 annis imperat. Qui depravatus ab hereticis, typum contra fidem catholicam exposuit, unde Martinus papa, congregata synodo 105 episcoporum Romae, Cyrum, Sergium, Pyrrum et Paulum hereticos dampnavit anno 9. Constantini, indictione 8. Hac de causa idem papa in exilium apud Cersonam mittitur et ibi mortuus, miraculorum gloria illustratur. Post quem Eugenius constituitur. Quo decedente, Vitalianus subrogatur. His diebus Grimaldus rex Longobardorum cum Dagoberto firmissimum fedus pacis iniit. Fred. c. 65. c. 66. *f. 17. Reg. ibid. Beda. Reg

30.[c] Anno quo supra Caribertus moritur et omne regnum eius Dagoberto subicitur. Qui post haec anno regni sui 12. fecit iurare principes, ut post se in Austria Sigebertum filium suum regem haberent, in Burgundia vero Clodoveum sublimarent. Fred. c. 67. c. 76.

31. Anno incarnationis Domini 652, regni autem post patrem 16, Dagobertus moritur et in aecclesia sancti Dionisii Parisius sepelitur, quam ipse omni devotione excoluerat, auro, argento, gemmis variisque *speciebus exornaverat, quia in ea a morte liberatus fuerat, ad quam quaerebatur[d] tempore patris sui, pro eo quod adhuc adolescens Sandragisum ducem Aquitaniae, sibi exprobrantem, verberibus et rasione barbae deturpaverat. c. 79. *f. 17'. Reg.

32. Chunibertus archyepiscopus Coloniensis et Pippinus maior domus sicut prius in amicitia obligati, cum aliquibus principibus villam Compendium perveniunt et thesauros Dagoberti aequa lance dividentes inter Sigibertum et Clodoveum, terciam partem Nanthildi disponunt, totum tamen Mettim transmittentes Sigiberto presentari et sub descriptione servari statuunt. Iam enim, sicut pater ordinaverat, Sigibertus in Austria, Clodoveus in Burgundia patri successerat. Anno tercio regni eorum Erchanoaldus Dagoberti ex matre cognatus efficitur sub Clodoveo maior domus. Post anni circulum regni eorum Pippinus fuerat mortuus, unde dolor maximus cunctis in Austria manentibus est exortus, quia pro iusticiae cultu et bonitate diligebatur ab omnibus. Fred. c. 85. c. 84. c. 85.

33. Anno incarnationis Domini 659. cum Clodoveus 8. regni ageret, beatus Willibrordus ex claris et religiosis parentibus in Northumbria, provintia Brittanniae insulae, est procreatus. Cuius necdum geniti tocius vitae status matri suae in incrementis lunaribus est revelatus. Qua enim nocte beata soboles in utero eius concipiebatur, vidit in visione lunam in caelo quasi novam usque in plenam crescentem et in os eius subito lapsu ruentem, totamque se intrinsecus vehementi splendore perfundentem. Quod confessa cuidam religioso presbitero, responsum accepit de concepto filio, quod magnus et illustris illuminator *futurus esset Dei populo. Hunc itaque in Christo renatum parentes eius Christo mancipaverunt et per ipsos teneritudinis suae annos disciplina informandum christiana[e] fratribus Ripensis aecclesiae tradiderunt. Pater vero eius beatus Wilgislus ad Sanctum Andream in promunctoriis occeani et Umbri fluminis monachicam arripuit conversationem et, acceptis a primatibus provintiae donariis et prediis, in honore semper Thiof. c. 1. Alc. c. 1. Alc. c. 2. *f. 18. Thiof. c. 2. Alc. c. 3.

---

[a] *correxi ex* Hoiuant *cod.* [b] *supra lineam add. cod.* [c] *radendo correctum ex* XXXVIIII. *cod.* [d] q̄rebat² *cod.*
[e] divina *superscriptum* christiana *cod.*

[39] Altrich prope Wittlich, quod *sedes nostra* appellatur a Rotberto archiepiscopo a. 952. ap. Beyer I, 193. [40] Wittlich. [41] Platten prope Osann praefecturae Wittlich. [42] Wingerohr eiusdem praefect. [43] Maring prope Lieser praefect. Bernkastel. [44] eiusdem praefect. [45] Sülm praefect. Bidburg. [46] Röhl eiusdem praefect. [47] Möhn praefect. Trier. [48] Newel eiusdem praefect. Huius donationis Dagoberti Sancto Paulino factae mentio fit in charta Egberti archiepiscopi a. 981. ap. Beyer I, 255. [49] Wasserbillich ditionis Luxenburgensis. Huius villae non fit mentio in charta spuria Dagoberti ap. Beyer I, 3. Cf. vero chartam Ottonis III. ibid. 263. [50] Cf. Gest. Trevir. c. 24. [51] Cf. infra c. 34 et lib. II. ad a. 700.

virginis theotocos Mariae[52] instituit aecclesiam et congregationem, ubi post plurimos labores triumphalem Deo Thiof c. 4. Alc. c. 4. animam, terrae carnis reddidit materiam. At puer egregius Willibrordus ab ineunte pueritia et sensu proficiens et moribus, placibilis factus est tam Deo quam hominibus et, accepta tonsura clericatus, et pia professione factus monachus, usque ad annum vicesimum alacriter et humiliter sacris lectionibus inherebat, ac postmodum quasi a lacte matris avulsus, sapientiam inter illustres viros Hiberniae per annos 12 sitienter hauriebat. Unde factum est, ut fervidis laboribus discendi non minus fervidos labores superadderet, populum incredulum viam Dei docendi.

Fred. c. 86. 34. Grimoaldus filius Pippini senioris cum eo tempore esset strenuus et ob hoc dilectus, cum Chuniberto episcopo c. 88. in amicitia sicut pater suus est coniunctus. Sed cum quidam Otto contra eum superbiret, a Leutherio duce Alamannorum G. F. c. 43. eius factione fuit interfectus, et Grimoaldus 10. anno Sigeberti in regno Austrasiorum maior domus est effectus. Cumque idem[a] rex postea diem clausisset extremum, Grimoaldus sub optentu munerandi a Clodoveo Parisius evocatus, carceri mancipatus et cruciatus, mala morte hac de causa est multatus. Filium domini sui Sigiberti Dagobertum, quem *f. 18'. in fide susceperat, ut eum patri substitueret, *tonso capillo clericum fecerat filiumque suum regnare instituerat. Anno Beda. incarnationis Domini 669. Constantinus imperator occisus in balneo periit, cui filius Constantinus successit. Reg. Sub quo quod[b] in Vita sancti Nicholai de stratilatibus legitur contigit. Vitalianus papa decedit, G. F. c. 44. Adeodatus succedit. Franci Clodoveum propter amentiam, quae[c] eum arripuit, quia brachium sancti Dionisii abscidit, ibid. de regno eiectum tonso capite Corbeiam dirigunt. Quo post 18 annos regni mortuo, Clotharius Fr. c. 91. 92. c. 91. filius eius in occidente, Kildericus regno preficitur Austriae[53]. Hos enim et Theodericum habebat c. 45. 92. de regina Blathilde. Sub Clothario Erchonaldus maior domus[d] defungitur.

c. 45. 93. 35. Post 4 annos regni Clothario defuncto, Theodericus frater eius regno preficitur, et Ebroinus maior domus c. 45. 94. efficitur. Contra quos Franci consurgentes, de regno eiectos tonsis capitibus Luxovium dirigunt, Hildericum de Austria c. 45. 95. evocatum cum Vulfoaldo duce sibi preficiunt, Leodisium filium Erchonaldi maiorem domus statuunt. Bonus papa Reg. Adeodato successit, quo mortuo, Agatho subrogatur. Sub quo Constantinus imperator 150 episcopos congregavit in regiam urbem et, adsidentibus legatis papae, dampnaverunt heresim quae[e] unam operationem et voluntatem in Christo asseverabat. Recta enim et vera fides est, ut in Christo sicut duae naturae sunt Dei et hominis, ita etiam duae credantur esse voluntates et operationes. Agathone papa decedente, Leo, Benedictus, Iohannes, Conon Romanam rexerunt G. F. c. 45. Fred. c. 95. aecclesiam. Kildericus levis et citatus nimis Francos in seditionem et scandalum commovebat, Bodilonemque nobilem quendam ad stipitem tensum ignominiose verberari precipiebat. Quem Franci irati contra eum concitaverunt et in Lauconis silva cum Blethilde regina pregnante interfecerunt. Vulfoaldus evasit.

*f. 19. c. 45. 96. *36. Ebroinus cum Theoderico Luxuvio egressus, Leodisio interfecto, principatum recepit, sanctum Leodegarium c. 47. 98. fratremque suum Gerinum et Vigilinum[f] episcopos interfecit. Sed non ferens insidias eius Erinfridus quidam nobilis, cui minas tollendae suae substantiae pretendebat, collecta manu sociorum nocte super eum irruit et interfecit et ad Pippinum ducem Austriae, filium Ansgisi ex Begga sorore sanctae Gertrudis, cum muneribus suis confugit.

37. Pippinus iste vir magnae pietatis et mirae fuit audaciae, qui hostes suos statim aggrediendo sepe contrivit strenuissime. Nam super quendam adversarium suum, Rhenum transgressus, cum uno satellite irruit eumque in suo cubiculo residentem cum suis trucidavit[54]. G. F. c. 49. Bella quoque plurima cum Saxonibus[55] gessit, et maxime cum Rabodo rege Fresonum fortiter dimicavit. Anno Reg. dominicae incarnationis 686. Constantino imperatore mortuo, Iustinianus filius eius primo 10 annis imperavit.

G. F. c. 47. Fred. c. 98. 38. Franci illustrem virum Warazonem maiorem domus creant, qui obsidibus datis pacem cum Pippino pepigit. Sed Gislemarus filius eius, qui aliquanto tempore cum eo curam palatii gerebat, callide eum a suo honore supplantavit. Unde sanctus Audoenus eum sepius increpavit, sed ille in duricia contra patrem perseveravit. Habuit et cum Pippino discordias et iurgia, ita quod prorumperent ad bella civilia. Nam ad castrum Namucum contra Pippinum fraudulenter c. 48. 99. consurgens, dato falso iuramento, plures nobiles occidit, sed inde reversus, a Deo percussus interiit. Pater vero eius statim post eum obiit. Cuius matrona nobilis Ansfledis Bertharium generum habuit, qui maior domus effectus fuit. *f. 19'. Quem Franci Audoremus *et Reolus aliique despicientes, ad Pippinum se per obsides contulerunt et eum contra Bertarium cum multitudine Francorum concitaverunt. Illo enim tempore Francorum regibus a solita fortitudine degenerantibus, hi qui maiores domus regalis erant administrabant[g] regni potentiam et quicquid regibus agere mos est agebant, quippe cum caelitus esset dispositum ad prefati c. 48. 100. Pippini progeniem Francorum transiturum esse regnum. Qui movens magnum exercitum ab Austria, contra Theodericum regem et Bertarium properavit et coniunctus Francis in oppido Virmandensi, loco qui dicitur Textrico cum eis pugnavit, fugatisque eis et victoria potitus, totam illam regionem sibi subiugavit. Nec multo post Bertharius factione Ansfledis interficitur.

39. Anno itaque incarnationis Domini 688. Pippinus primo dux Austriae a Francis quoque maior domus Reg. constitutus est Franciae, et obtinens thesauros Theoderici et omnia prospere agens, in Austriam revertitur. Eodem Bedae Hist. V, 7. anno Sergius papa constitutus sedit annos 13, menses 8, dies 23. Sequenti anno Cedvalla rex orientalium Saxonum venit Romam et a Sergio papa baptizatus, in pascha in albis decessit et in aecclesia sancti Petri sepeliri meruit.

G. F. c. 48. Fred. c. 100. c. 49. 101. c. 102. 40. Erat Pippino uxor nobilis et prudentissima Plectrudis, filia ducis Hugoberti nobilissimi[56], de qua duos filios Drogonem et Grimoaldum genuit. Quorum Drogo dux Campaniae, Grimoaldus maior domus postea fuit Franciae. Pippinus his diebus Rabodum regem Fresonum bello vicit castro Duristato et cum multis spoliis rediit, eo cum Fresis fugato.

a) *supra lineam add. cod.* b) q̃ *cod.* c) q̈ (qua) *cod.* d) domus *bis cod.* e) q̣̄ *cod.* f) *seu* iugilinum. g) *corr. ex* administrare *cod.*

[52] Hoc in Alcuini elegia de S. Wilgislo inedita legi monuit Mabillon, Act. SS. III, 2, 604 not. a.

[53] Secundum Gest. Franc. c. 45 Childericus mortuo demum Clothario rex Austrasiae factus est.

[54] Haec leguntur in Pauli Gest. Langobard. VI, 37; desunt apud Reginonem, cuius codicem uberiorem forte Noster in manu habebat.

[55] *contra Suevos* Gest. Franc.

[56] Hoc ex chartis infra positis sumpsit.

41. Audiens vero beatus Willibrordus in Hybernia ubi manebat populum esse in borealibus mundi partibus Alc. c. 5. ydolatriae deditum * erroribus, 33. aetatis suae anno cum 12 sociis navim conscendit atque anno incarnationis Domini 690, * f. 20. Theoderico adhuc regnante, prospero cursu Traiectum arcem tunc et solium regni Fresiae pervenit. Theoderico vero Thiof. c. 5 rege Francorum sequenti anno defuncto, Clodoveus filius eius rex efficitur. Quo itidem 4. postea anno defuncto, Childebertus frater eius inclitus et bonus regnum adipiscitur, sub cuius annorum supputatione inscribitur institucio Epternacensis[a] aecclesiae cum cartarum annotacione. Susceptus est itaque beatus Willibrordus honorifice a prefato Pippino glorioso c. 6. duce, qui sicut prediximus, nuper expulso Rabodo rege, armis subiugaverat gentem citerioris Fresiae. Cumque rogatu Beda V, 10. ducis vir Dei predicaret ibi verbum Dei, effusa est gratia Christi per ministerium eius in nationes Fresonum, illuxerunt choruscationes fidei per illum genti Francorum, multumque desudante illo in agro dominico, multa seges invecta est Christi horreo. Unde ab ipso duce congaudente ceterisque principibus Francorum in pontificatum electus, Romam ad Thiof. c. 7. papam Sergium est directus. Cui cum eius adventus ab angelo esset revelatus, cum grandi honore susceptus, anno incarnationis Domini 696. et Childeberti regis 2. die sanctae Ceciliae[57] ad archyepiscopum est ordinatus atque Clemens ab eo est appellatus. Post 14 vero dies ex quo illuc venerat sumens inaestimabiles sanctorum reliquias rursus ad regnum Thiof. c. 8. Francorum celeriter remeavit et a duce Pippino[b] accipiens sedem pontificatus in castello illustri quod Wiltaburch barbarica, Traiectum lingua vocatur Gallica, stipendia vitae genti illi fideliter dispensavit. Plures quoque ibi aecclesias c. 9. * et monasteria construxit, plures rectores et pastores in eis constituit. Curiam nuper expulsi regis Rabodi adiit, et cum * f. 20'. ibi fructificare non posset, ad conterminam Danorum rabiem se convertit. Sed cum nec ibi proficeret eo quod Ongendus Thiof. c. 10. quidam crudelis tyrannus, qui ibi regnabat, eum audire noluit, tamen ne vacuus ad aream rediret, 30 ibi pueros Christo adquisitos et regeneratos rediens secum in Franciam detulit. Sed in redeundo tempestate iactatus in insulam Fositeslant, c. 11. in magnae supersticionis loco fixit tentoria et animalia ibi pascentia in suorum distribuit edulia. Ob hoc apud regem accusatus, sorte triduo tribus vicibus in urnam missa, cum suis divina liberatus est gratia, preter unum, qui eo quod inconsultius aes presumpserit immolaticium, sorte proditus, veniale delictum expiavit per martyrium. Cumque reversus Alc. c. 12. esset ad presulatus sui cathedram, et per dies singulos numerus fidelium cresceret, et per predicationis eius instanciam plurimi mundi divitiis pollentes et gloria amplissima illi tradiderunt patrimonia, in quibus vir Dei plurimas construxit et Thiof. c. 12. dedicavit aecclesias, ut populus predestinatus ad vitam in eis addisceret ordinem et sanctiones aecclesiasticas.

Anno quo supra Iustinianus ob culpam perfidiae eiectus in Pontum decedit. Cui Leo tribus et Tiberius Beda. 7 annis succedit.

Hic nos ad relevandum lectoris fastidium precedentis libri finem faciamus, ut ab alio exordio initium Epternacensis aecclesiae et testamentorum eius principium alacriori calamo describere incipiamus.

LIBER SECUNDUS[c].

*_Splendida vestrae auctoritatis importunitate sollicitatus, Godefride abba clarissime,_ * f. 21. _quod ultra vires fuit hoc opus nimis audacter arripere temptavimus, et ex origine Francorum diebusque regum ipsorum a Luodowico rege, quem baptizavit sanctus Remigius cum gente sua, usque ad Childebertum regem et Irminam filiam magni Dagoberti, Deo dilectam virginem, et usque ad Pippinos et Karolos nostros in superiori libello quasi ex florigera prati amenitate decerptum de diversis floribus texere sertum procuravimus. Cui deinceps annectere studuimus quae de eis et posteris eorum sparsim aut in cartis legimus aut certa antiquorum relatione didicimus, ita ut per annos incarnationis Domini a praefato Childeberto et Pippino filio Ansgisi et Beggae, qui tunc dux Austriae et maior domus erat regni Franciae, usque ad nostra tempora annos principum, regum et imperatorum computantes, varium eventum loci nostri describamus, et congeriem testamentorum de bonis, quae a sancta Irmina et ab ipso Pippino eiusque coniuge Plectrude caeterisque fidelibus beato Willibrordo in vita sua et post eum successoribus suis usque ad nos collata sunt, ordinabiliter in unum libelli corpus redigamus. Quod equidem quamvis nobis_ *_laboriosum, posteris nostris tamen ut credimus erit gratiosum,_ * f. 21'. _dum eis nostro labore fuerit notum et apertum, quod ante nos per tot secula latuit incognitum et opertum. Regum vero vel imperatorum summa annorum hic breviter est annotata, ut suo loco lector congrue inveniat, cuius principis tempore quaelibet testamenta sint ipsi aecclesiae data et confirmata. In ordine vero abbatum primus ipse sanctus Willibrordus archiepiscopus pretitulabitur, qui cum in episcopatu Traiectensi 44 annis fuerit, tertio vero anno ordinationis suae aecclesiam Epternacensem aedificare ceperit, sublatis tribus de prefato numero, 40 et uno anno ibidem prefuisse videbitur. Ad hoc autem volumus hic a Pippino, qui suscepit beatum Willibrordum, usque ad victoriosum imperatorem Fridericum et filium suum gloriosum imperatorem Henricum sextum genealogiam clarissimam principum summatim extendere, ut et ipsi presentes et futuri rerum domini per nos cognoscentes a quantis et a qualibus tam alti sanguinis venam trahant, locum nostrum more predecessorum suorum diligant, foveant et defendant, et nos scientes qui et quales fundatores et propagatores aecclesiae nostrae fuerint, propensiorem memoriam in orationibus nostris apud Deum studeamus eis impendere. Pippinus itaque maior domus Francorum, de quo iam supra diximus, praefuit annis 25, cuius filius ex_

---

a) sis _supra lin. add. cod._ b) .p. _cod._ c) L. S. _addidi._

57) _a._ 695. _indictione_ 9. 10. _Kal. Dec._ Thiofridus. Dies S. Caeciliae item incidit in diem 22. Nov.

Calpiade Karolus Martellus annis 26 fuit in eadem dignitate. Karlomannus filius eius post
monachus annis 5. At Pippinus frater eius, alter filius Karoli Martelli, consilio Zachariae
papae inunctus a sancto Bonefacio in regem Francorum, prius misso Hilderico rege in monasterium,
*f. 22. *regnavit 19. annos. *Hunc sanctus Willibrordus baptizavit et multa de eius et*
successorum eius sublimitate prophetavit, quod postmodum rerum eventus probavit. Huius
filius Karlomannus regnavit tribus annis. At Karolus Magnus frater eius imperator
augustus 47, cuius filius Lodowicus Pius 27 annis imperavit. Lotharius filius eius maior, a
quo Lotharingia dicitur, apud Fontaniacum pugnavit cum fratribus suis Lodowico[a] *et Karolo,*
et deinde facta regni divisione, ipse cum aliis regnis Romanum imperium optinuit, 18 annis
imperavit, et factus monachus Prumiae eodem anno de seculo migravit. Eius filius excommunicatus
Lotharius 15 annis regnavit, post quem Lodowicus patruus eius annis 6, cuius
filius Lodowicus etiam annis 6, et post eum frater eius Karolus imperator annis 6. Quo eiecto
Arnoldus imperavit annis 11, qui propter incursionem Nortmannorum de bonis sancti Willibrordi
auxit comitatum Lucelburgensem ad supplendum scutum regalis exercitus. In inferioribus
etiam et in maritimis locis de eiusdem sancti bonis magnifice eum augmentavit. Huius
filius non legitimus Zuentibolt cum regno Lotharingiae 6 annis prefuisset, a comitibus Gerardo
et Matfrido occisus fuit. Post quem Lodowicus filius Arnoldi legitimus regnavit annis 12.
Cui successit Cuonradus rex annis 8. Post haec translatum est regnum ad Henricum, humilem
de Quidelenburch filium Ottonis ducis Saxoniae, quod 15 annis rexit strenue. Pugnavit enim
cum Ungaris et percutiens eos plaga magna, eliminavit eos de terra. Huius filius Otto primus
*f. 22'. *imperavit 40 annis et uno, et de sancta Adeleida augusta genuit Ottonem secundum, *qui*
imperans 11 annis, genuit de Theophanu filia Constantini Greci imperatoris Ottonem tercium,
qui post 19. annum imperii decessit sine liberis. Cui succedens Henricus II, filius Henrici
ducis Bawariae, filii Henrici ducis Saxoniae, fratris primi Ottonis imperatoris, regnavit
24 annis, et decessit sine liberis. Tunc unus de primoribus, de genere illo excellentissimo
Ottonum, Cuonradus de Wevelinga elevatus in regem 15 annis imperavit, et ex Gisla de Limpurch,
quae de nobilissima regum Francorum et Burgundiae prosapia processerat, Henricum III.
imperatorem claudum generavit. Qui cum post eum 18 annis imperaret, de Agnete imperatrice
Henricum IV. progenuit, qui 53 annis imperans, Henricum V. edidit, qui cum patre eodem
apud Wegesaz pugnavit et 19 annis imperavit. Inde iterum translatum est regnum ad Lotharium
ducem Saxoniae, qui Rogerum ducem Siciliae fugavit de finibus Apuliae, et cum 14 annis
strenue prefuisset et obisset, Cuonradus filius sororis Henrici V. imperatoris regnum 14 annis
optinuit. Post quem Fredericus, Frederici ducis Sueviae, fratris prefati Cuonradi, filius,
Romanum imperium strenue et gloriose gubernat iam annis 39 cum dignissimo herede filio suo
Henrico sexto, qui regni fasces iam 23 annis digne et laudabiliter cum patre dispensat et regit.
Horum itaque omnium principum summam annorum ita constitutam habentes, ad proposita
redeamus, et in hoc secundo libello ab Irmina et Pippino immo ab ipso sancto Willibrordo
incipientes, densissimam silvam testamentorum de bonis sibi usque ad canonicorum inductionem
per annos 109 collatis scribendo Deo donante transcurramus. Ac primo vitam beatae Irminae
cartis eius in ordine preponamus.

*f. 23. **Vita sanctae Irminae.*

1.[b] Igitur gloriosa Christi virgo Yrmina primi et incliti regis Dagoberti fuit de Nanthilde filia, cuius sicut prediximus ab antiquissima non solum Francorum sed et Troianorum progenie illustrissima processit prosapia. Hanc in primevae adhuc aetatis flore Hermannus quidam comes Gallicanus[58] nobilis et egregiae indolis, conscripta sibi amplissima dote in Tyrasio[59] et aliis locis, desponsaverat, sed ante diem nuptiarum inmatura morte prereptus, magnum triste suis, magis autem ipsi sponsae suae paraverat.

2. Quam cum pater benigne consolaretur et ditiorem et potentiorem maritum ei polliceretur, illa de hoc promisso fidem patris exegit. Qua accepta, protinus Christum regem regum, vero ditiorem et potenciorem omnium, cui servire regnare est, in sponsum elegit. Unde[c] rex sapientia et pietate mirificus, quamquam eam alicui magno regi in

---

a) Lod'. *cod.* b) *numerum a rubricatore omissum addidi.* c) *a recentiore quodam erasum cod.*

58) Cuius mentio fit in charta spuria Dagoberti II. regis conventui Horreensi a. 646. data, ap. Beyer I, n. 7.
59) Hodie *la Thierache*, regio inter Laon et Chimay sita.

terris iungere cogitaverat, audiens nomen summi et incomparabilis regis celestis, quem in sponsum elegerat, maluit ad honorem Dei fidem quam promiserat servare, quam eam a desiderio suo fraudare. Favens igitur electioni eius, ad vota sua animum laxavit et preter dotem prefati comitis, quod eam de hereditate paterna vel materna contingebat ad aedificanda sanctorum loca pro magnificentia regali alacriter ei delegavit.

3. Tunc vero virgo Deo dilecta voti sui compos effecta, cepit in dilectione sponsi sui adtentius inmorari et consideratione beneficiorum eius, quae secundum indulgentiam misericordiae suae largitus est humano generi, in viis mandatorum suorum *studuit propensius *f. 23'. delectari. Ut enim unum eundemque spiritum cum eo haberet, sicut scriptum est: *hominis* Prov. 16, 9. *est disponere viam suam, Domini est dirigere gressus eius*, — ita eum in huius vitae via disposuit diligere, ut bonis operibus apud eum posset obtinere, quod gressus suos ad voluntatem suam dignaretur dirigere. Itaque orationum instantia et scripturarum frequentia templum cordis sui domicilium constituit dilecti sui, et gratia pollens divina ex scripturarum doctrina bonae indolis faemina bona collegit semina, ex quibus hic in lacrimis seminaret, unde in futuro cum exultatione manipulos reportaret.

4. Per singula igitur bonorum operum incrementa virtutum germinavit augmenta, quibus virginale meritum ita sublimavit, quod gratiam dilecti dilectoris sui in perpetuum sibi conciliavit. Virgo enim casta et pudica, vita pollens angelica, optinuit per gratiam quod angelus per naturam, ascendens enim de virtute in virtutem, non suam solius sed et plurimarum animarum proposuit operari salutem. Unde Treberi in honore theotocos Mariae aedificato monasterio in loco qui dicitur Horreum, aggregavit ibi caetum sanctimonialium, quarum ipsa effecta abbatissa, de omni corde suo laudavit Dominum. Quem locum fundis, prediis et amplissimis reditibus ditavit et regali ditioni tunc temporis eum adsignavit.

5. In prefato igitur monasterio beata virgo studebat preesse et prodesse exemplis vitae caelestis et monitis, et crescebat coram Deo et hominibus morum sanctitate et vitae meritis. Cumque circa omnes homines habundaret et afflueret copiosae karitatis visceribus, amplius tamen exuberabat circa eos *quos ferventiores cognoscebat in bonis operibus. *f. 24. Diligebat precipue sanctissimum virum Dei Willibrordum, qui illo tempore, sicut diximus, merito et officio dignissimus antistes, sanctae Traiectensis aecclesiae primus honeste aurigabat currum. Ipse nuper a Pippino Romam directus et ab angelo papae Sergio designatus, ab eo ad archyepiscopum est ordinatus et reversus inaestimabili sanctarum reliquiarum thesauro ditatus, *innumera*, sicut dicit Beda [60], *diabolo cottidie detrimenta et christianae fidei faciens augmenta*, etiam signorum operatione et virtutum gratia fuerat clarificatus.

6. Huic sanctissimo viro beata virgo dedit medietatem fisci Epternacensis cum omnibus suis appendiciis. Nam alteram contulit ei Pippinus et Plectrudis coniunx sua, nobilissimi ducis Hugoberti filia, sicut demonstrabimus postea cum ipsorum describemus testamenta. Qui construxit ibi aecclesiam et imposuit viros qui vitam exercerent monachicam. Hanc [61] quodam tempore visitatum de Traiecto venerat, cum ecce pestis lętifera sanctimoniales de Horreo invaserat. Nam languescebant subito, subitoque cadebant et iuxta prophetam per- Ierem. 4, 10. venit gladius usque[a] ad animam. Advocatus sanctus Willibrordus post castigationis exhortamina, post consolationis medicamina, pro salvatione earum salutarem victimam immolavit et benedicens aquam et omnia earum habitacula aspergens, exterminatoris angeli imminentem gladium ab eis propulsavit. Hic vir beatissimus aecclesiam parrochianam ibidem [62] in honore sancti Pauli apostoli dedicavit, ubi beata virgo 12 prebendarios fratres ad serviendum Domino ordinavit. Dedit quoque ei Montis villam[a] in Zulpiaco pago sitam [63].

*7. His et quam pluribus donariis sancta virgo sanctos et aecclesias honorabat, et ut *f 24'. ad caelestis vitae desiderium eorum doctrina proficeret, libenter exhortacionis eorum verba auscultabat. Erat ei circa pauperes infatigabilis pietas, in honorandis aecclesiis affluens largitas, erga bonos dulcis benignitas, contra improbos liberalis severitas. Non de regia nobilitate elatio, nec de divitiis, honoribus et deliciis dominabatur ambitio, sed comitabatur eam in omnibus omnium virtutum mater discretio. Erat ei in[b] fide secura firmitas, in spe firma

---

a) *supra lineam add. codd.* b) *deest cod.*

60) in Chronici lib. VI, p. 99. edit. Monum. Britannic. 61) Haec de pestilentia ex Thiofridi Vit. Willibrordi c. 20. desumpta videntur, qui dicit *in oratorio perpetuae virginis theoticos Mariae, ubi sanctimonialium sunt contubernia*, haec contigisse. 62) iuxta monasterium Oeren. 63) V. chartam infra p. 51 sq.

securitas, in dilectione Dei et proximi radix omnium bonorum perfecta karitas. Ceterum quis castitatis eius privilegium digne predicet, quis solempnem eius ieiunii morem, instantiam vigiliarum, continuationem orationum idonee explicet? His[a] sanctos angelos cum Dei genitrice ad se invitabat, et sanctos omnes ut cursum vitae suae ad beneplacitum sponsi sui dirigerent, sedulo exorabat.

8. Cum ita in sancto proposito insudaret et ad caelestis sponsi desiderium totis viribus anhelaret, agonis sui tempore iam completo, hinc de medio hominum vocata est ad Dominum, ut eius dulcibus frueretur amplexibus, qui homo factus thalamo processit de virgineo. Quem ut vocantem se audivit: *Surge amica mea, sponsa mea et veni,* statim divinis munita sacramentis, animam in manus angelorum efflavit, illucescente iam ipsa die Christi nativitatis[64], quorum in eius transitu merito credi decet affuisse frequentiam, qui in illa sibi cognatam semper venerabantur puritatem virginitatis. Huius igitur sanctae virginis memorabilem vitam nequaquam neglegenter pretereamus, sed ad honorem Christi propter
*f. 25. exemplum bonum et propter *meritorum eius dignum narratione preconium annua festivitate eam ante vigiliam nativitatis Christi preveniendo recolamus, quae in hac peregrinatione Deo et hominibus gratissima enituit cum splendore geminae pulchritudinis, tum etiam merito pudicitiae virginalis, per eum qui nasci voluit in terris, ut ipsa nasceretur in caelis, Ihesum Christum, dominum nostrum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia saecula saeculorum. Amen.

His ita premissis, tempus est ut testamentorum ipsius sanctae virginis formam describamus. Cuius tenorem talem habemus[b]:

Carta[c] Irminae de Epternaco et suis adiacentiis.

698. Dec. 1. *Anno[65] quarto regni domini nostri Childeberti regis, sub die Kalendas Decembris. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Ego Irmina in Christi nomine Deo sacrata acsi indigna gratia Domini abbatissa, sana quidem, Deo propitio, mente sanoque consilio testamentum meum fieri rogavi, idque fratri in Christo meo Huncione presbitero[d] scribendum commisi. Idcirco dono a die presenti pro remedio animae meae vel pro mercedis meae augmento in aeterna beatitudine vel*
*f. 25'. *retributione *ad basilicam, quae est in nomine sanctae Trinitatis vel in honore sanctae Mariae genitricis domini nostri Iesu Christi, vel beatorum apostolorum Petri et Pauli seu ceterorum sanctorum[e], in villa nostra Epternaco constructa, sita supra fluvium Sura[66], ubi dominus et pater noster in Christo Willibrordus episcopus rector et gubernator esse videtur, donatumque esse volo, hoc est: in ipsa villa Epternacon[f], quantumcumque ibidem ex successione paterna vel materna michi obvenit ad integrum, tam domibus quam aedificiis, casis, mansis, mancipiis, vineis, campis, pratis, silvis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, cum appenditiis, vel omnibus adiacentiis suis, Baidelingo[67], Matholfingo[68], vel portione mea in Oxinvillare[69]. Omnia ista cum adiacentiis eorum, una cum pastoribus vaccariis, porcariis, bervicariis[g] cum gregibus eorum, vel omni peculio promiscuo, ad sepefata loca sanctorum vel ad monasteriolum ibidem constructum in Dei nomine volo esse donatum, exceptis hominibus illis quos per epistolas nostras ingenuos relaxavi, quorum vocabula sunt: Garario, Cumloaldo[h], Achilde, Theodfrido filio, Aldfrido, Clodoare, Raocare, Warinlinde, Bacelinde, Grauceleba, Gundulfo. Isti toti denominati annis singulis unusquisque eorum in luminaribus unam libram cerae ad supradicta loca sanctorum in ipsa villa Epternaco constructa ad nativitatem Domini reddere vel dissolvere studeant. Similiter dono ad iam dicta loca sanctorum vineae pedeturam unam in monte Viennense[70] cum vinitore nomine Alithfredo cum omni peculiari suo. Ista omnia, ut superius intimavi, ad memorata loca sanctorum a die presenti per presentem paginam testamenti nostri*
*f. 26. *tradimus atque transfundimus perpetualiter in *Dei nomine possidendum. Haec sunt quae[i] huic testamento meo annectere volui. Si quae liturae vel caraxaturae adiectionis factae sunt, ego feci fierique iussi, dum michi mea sepius recensetur voluntas. Nam si quis contra hoc*

---

[a] *bis scriptum cod.* [b] *quae sequuntur usque ad finem paginae tertiam modo partem spatii occupant et imaginibus Irminae et Willibrordi saec. XIV. delineatis inclusa sunt.* [c] *rubrica in margine f. 25' cod.* [d] praesbitero *Bertholet.* [e] quae est *add. cod.* [f] Epternachon *Bertholet.* [g] bovicariis *B.* [h] Cũloaldo *cod.* [i] q̄ *cod.*

64) Irmina a. 708. Dec. 24. obiisse et in monasterio Weissenburg sepulta esse fertur, v. Brower, Antiq. Trev. I, 361; Henschen, De tribus Dagobertis p. 120 sq.

65) Pardessus 449.

66) hodie *die Sauer.*

67) Badelingen prope Echternach in provincia Rhenensi.

68) Idem locus qui in charta sequenti audit *Mathulfovillare;* hodie Matzen praefecturae Bidburg.

69) Osweiler prope Rosport ditionis Luxenburgensis.

70) Vianden.

meum testamentum venire temptaverit aut aliquid irrumpere voluerit, sit anathema maranatha, indissolubili vinculo in aeternum dampnatus, et sit lepra percussus Naaman Siri, et insuper inferat fisco auri libram unam[a], *argenti pondo duo, et nichilominus presens testamentum firma stabilitate permaneat.*

Actum Treberi, die et regno suprascripto.

Ego Huncio in Christi nomine presbiter, rogante et iubente domina mea Irmina abbatissa, hoc testamentum perscripsi, et ipsa subter manu propria una cum testibus firmavit. Ego Irmina hoc testamentum meum relegi. Basinus episcopus[71]. *Ego Leotwinus*[b] *episcopus*[72]. *Ego Theodefridus. Gundebertus. Bertwinus. Adelbertus. Trasebrictus*[c]. *Garibertus. Gazebertus*[d]. *Audobertus. Waltharius.*

Item[e] aliud testamentum de Epternaco.

698. Nov. 1. *Domino*[73] *sancto ac venerabili in Christo patri Willibrordo episcopo Ermina in Christo Deo sacrata abbatissa. Dum ab omnibus non habetur incognitum, quod ego, inspirante misericordia Christi, pro consilio virorum apostolicorum, patrum nostrorum, domni Basini et domni Leotwini episcoporum seu et pro consensu sororum nostrarum Christo servientium, que nobiscum sunt congregatae, basilicas in nomine sanctae Trinitatis vel in honore gloriosissimae virginis Mariae, genitricis domini nostri Ihesu Christi, seu et beatissimorum apostolorum Petri et Pauli vel ceterorum sanctorum in villa mea propria quae vocatur Epternacus, sita super fluvio Sura, seu et monasteriolum ibidem ad monachos peregrinos conversandum vel pauperes ibidem alimoniam* **petendum, pro divino respectu vel pro animae meae remedio construxi,* *f. 26'. *dum*[f] *sanctitas et dilectio vestra erga me vel monasterium meum assidue agitur, ideo decrevi apud animum meum, ut vos de rebus meis propriis in aliquo consolari deberem. Quod ita spontanea voluntate feci. Idcirco dono vobis donatumque esse volo memoratas basilicas sanctorum ad gubernandum vel dominandum. Itemque dono vobis ad supradicta loca sanctorum portionem meam in ipsa villa Epternaco, hoc est quantumcumque ex successione paterna vel materna michi obvenit, tam domibus quam aedificiis, mansis, mancipiis, vineis, terris, campis, pratis, silvis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, seu et pastores vaccarios, porcarios, verbecarios, cum gregibus eorum vel cum appendiciis suis, id sunt: Baidalingo, Mathulfovillare vel portionem nostram in Oxinvillare, exceptis hominibus illis, quos per epistolas nostras ingenuos relaxavimus. Similiter dono vobis vel ad supradictas basilicas vineae pedeturam unam in monte Viennense cum vinitore nomine Alitfrido cum omni peculiari suo. Ista omnia, ut dixi, ad ipsa loca sanctorum vel vobis a die presenti tradimus atque transfundimus ad gubernandum vel dominandum, ea ratione, ut quicquid de re superius memorata in Dei nomine facere volueritis, liberam et firmissimam in omnibus habeatis potestatem. Nam si quis contra hanc cartulam donationis meae venire temptaverit, inferat fisco auri libras* 10, *argenti pondo* 20, *manente nichilominus firmitate.*

Actum Treberi, sub die Kal. Novembris. Anno 4. *regni domini nostri Childeberti regis.*

Ego Huncio in Christi nomine presbiter hanc cartulam donationis, iubente **domina mea* *f. 27. *Irmina, perscripsi, et ipsa subter manu propria una cum testibus firmavit vel qui subscripserunt in praesenti*[g] *rogavit. Ego Irmina in Christi nomine hanc donationem relegi. Basinus episcopus. Leodowinus episcopus. Theodefridus presbiter. Waltarius diaconus. Garibertus*[h] *presbiter. Audobertus*[i] *presbiter.*

Item[k] aliud eiusdem de ornamentis et utensilibus aecclesiae et de villa Montis.

699. Iul. 1. *Domino*[74] *sancto et in Christo patri Willibrordo episcopo Ermina abbatissa donatrix. Quicquid unusquisque homo de rebus suis propriis ad loca sanctorum aut servorum Dei spontanea voluntate*[l] *condonaverit, hoc sibi credit mercedis premium recipere in futuro. Idcirco dono ad monasterium vestrum in villa Epternaco constructo, super fluvio Sura, quod ego a novo de fundo proprio aedificavi, vel ad illa loca sanctorum que sunt in honore sanctae Trinitatis et sanctorum Petri et Pauli apostolorum ceterorumque sanctorum constructa, donatumque esse volo a die presenti, hoc est: quantumcumque in ministeria ipsorum sanctorum locorum condonavi, vel in quelibet presidia dedi tam auro, quam argento, gemmis, vestimentis,*

---

a) *deest B.* b) Leodwinus *B.* c) Trasebertus *B.* d) Garebertus *B.* e) *rubrica in cod.* f) ut *suprascript.* dum *cod.* g) p̄senti *cod.* h) Gangbertus *Miraeus.* i) Hudobertus *Miraeus.* k) *rubrica in cod.* l) aliquid *add. cod.*

[71] Trevirensis. [72] item Trevirensis. [73] Pardessus 448. [74] Pardessus 450.

altarium velis, cortinis, utensilia tam aerea, quam ferrea, seu et ligna operis, quantumcumque in ipsa loca sanctorum, vel in praedicto monasterio ponere iussi, aut inantea Christo presule addere potuero. Volo ut hoc ex nostra munificentia in Dei nomine proficiat perpetualiter in augmentis. Similiter dono vobis a die presenti ad ipsum monasterium vestrum Epternacense villam cuius vocabulum est Montis[75]*, sitam in pago Tulpiacensi, quam de dulcissima consobrina mea Erminitrude filia Pantini dato pretio comparavi, hoc est: tam domibus, quam aedificiis, mansis, casis, mancipiis, campis, silvis, pratis, pascuis, adiacentiis, aquis aquarumque decursibus,* *f. 27'. **omnia et ex omnibus ad integrum, vel quantumcumque in memorata villa Montis tempore presenti possidere videor, seu et peculii promiscuo utriusque generis nationum vobis, vel ad sepefatum monasterium vestrum*[a] *Epternacense a die presenti, ut superius dixi, de potestate mea in iure et dominatione vestra vestrique monasterii per presentem paginam donationis meae manu mea firmata trado atque transfundo, perpetualiter in Dei nomine possidendum, ea ratione ut quicquid ex hoc tam vos, quam fratres ipsius monasterii elegeritis, faciendi, habendi, tenendi, commutandi liberam et firmissimam in omnibus Christo propitio habeatis potestatem, et nullius ex hoc calumpniam habere pertimescatis. Nam si quis contra hanc cartam donationis, quam ego spontanea voluntate fieri decrevi, temptare conaverit aut aliquid repetere voluerit, inprimitus iram Dei omnipotentis incurrat, et inferat fisco auri libras tres, argenti pondo 8, et hoc quod repetit nullatenus valeat evendicare.*

Facta est haec cartula donationis sub die Kal. Iulias anno 5. *regni domini nostri Childeberti regis.*

Ego Huncio in Dei nomine presbiter rogante et iubente Ermina abbatissa hanc cartulam donationis perscripsi, et ipsa subter manu propria una cum testibus firmavit. Ego Irmina hoc testamentum a me factum relegi. Basinus episcopus. Leodowinus episcopus. Waltharius diaconus. Bertvinus diaconus. Farobertus diaconus. Ethberictus presbiter. Garberictus. Transberictus. Bosa. Audobertus.

Item[b] aliud testamentum[c] de Steinheim.

704. Mai. 8. *f. 28. *Domino*[76] *sancto et in Christo apostolico patri Willibrordo episcopo Ermina in Christo Deo sacrata abbatissa donatrix. Quicquid *unusquisque homo de rebus suis ad loca sanctorum et servorum Dei spontanea voluntate condonaverit, hoc sibi apud Deum mercedis premium credit recipere in futuro. Idcirco ego Irmina dono vobis ad monasterium vestrum Epternaco, quod nos a novo construximus, situm super fluvio Sura, in honore sanctae Trinitatis vel sanctorum*[d]*, donatumque in perpetuum esse volo ad possidendum, hoc est: quantumcumque a die presenti in villa Staneheim*[77]*, sita super Suram, mea possessio vel dominatio est, tam domibus, quam aedificiis, mansis, mancipiis, vineis, pratis, pascuis, silvis, aquis aquarumque decursibus, sub ea conditione ut quicquid a die presenti vos vel pars monasterii exinde facere voluerit, liberam et firmissimam in omnibus habeatis potestatem faciendi, et nullius repeticiones ex hoc habere vereamini. Si quis vero, quod fieri non credimus, tam ego quam aliquis de heredibus aut coheredibus meis vel quelibet opposita persona contra hanc nostrae donationis cartulam venire conatus fuerit*[e]*, aut eam irrumpere voluerit, primitus iram Dei omnipotentis incurrat, et insuper inferat fisco auri libram unam, argenti pondo duo, nec sic quod repetit ullatenus possit evindicare, manente nichilominus firmitate.*

Actum Treveri 8. *Idus Maias. Anno* 10. *Childeberti regis.*

Ego Huncio in Christi nomine presbiter, rogante domna Irmina abbatissa, hanc cartulam donationis perscripsi, et ipsa subter manu propria cum testibus firmavit. Ego Irmina relegi et subscripsi. Basinus episcopus. Radobertus. Dagoinus. Leodoinus presbiter. Gaucebertus. Garibertus. Magnobertus. Quitario. Trasebertus. Waltarius diaconus. Bobo.

Carta[f] Irminae de vinea Treveris ad Crucem.

704. Mai. 8. *f. 28'. *Domino*[78] *sancto et in Christo apostolico patri Willibrordo episcopo Ermina in Christo Deo sacrata abbatissa donatrix. Quicquid unusquisque homo de rebus *suis ad loca sanctorum*

---

[a] nostrum *cod.* [b] *rubrica in cod.* [c] test^{u}. *cod.* [d] Petri et Pauli *supplendum videtur.* [e] *supra lineam add. cod.* [f] *rubrica in marg. cod.*

[75] Bergheim ad flumen Erft inter Coloniam et Iuliacum. *Bergh in pago Ribuariensi, praediolum olim ab eis per vim abstractum* Otto III. a. 997. monachis restituit. Stumpf 1126.

[76] Pardessus 459.

[77] Steinheim prope Rosport ditionis Luxenburgensis.

[78] Beyer II, Nachtrag n. 1.

vel servorum Dei spontanea voluntate condonaverit, hoc sibi apud Deum mercedis premium creditur in Dei nomine recipere in futuro. Idcirco ego Irmina dono vobis ad monasterium vestrum Epternacum, quod nos a novo construximus, situm super fluvio Sura, donatumque esse volumus in perpetuum ad possidendum, hoc est: vineam infra muros Treveris civitatis ad Crucem, quod nobis Engela Deo sacrata per cartulam donationis condonavit, plus minus centuas tres, ab uno latere Folcobertus et ab alio Heridus Mummolitti et de tercia parte via publica; sub ea conditione ut quicquid a presenti die vos vel pars monasterii exinde decreverit, faciendi liberam et firmam in omnibus habeatis potestatem et nullius ex hoc repeticionem vereamini. Si quis vero, quod fieri non credimus, tam ego quam aliquis de heredibus aut coheredibus meis vel quaelibet opposita persona contra hanc cartulam donationis venire conatus fuerit aut eam irrumpere voluerit, primitus iram omnipotentis Dei incurrat, et insuper inferat fisco auri libram unam, argenti pondo duo, nec sic quod repetit ullatenus valeat evindicare, manente nichilominus firmitate.

Actum Treberi sub die 8. Idus Maias. Anno 10. regni domini nostri Childeberti regis.

Ego Warenbertus presbiter, rogante in Christo Deo sacrata Ermina abbatissa, et ex permisso senioris mei Huncionis presbiteri et ammonitione[a]*, hanc cartulam donationis perscripsi, et ipsa subter manu propria cum testibus firmavit et qui subscriberent vel signarent in presenti rogavit. Ego Ermina subscripsi. Dagoinus. Radobertus. Gaucebertus. Quiltarius. Magnobertus. Huncio in Christi nomine presbiter.*

*Sic beata virgo Irmina sancto Willibrordo in institutione Epternacensis aecclesiae *f. 29. cooperabatur et in omnibus quae ad cultum eius pertinebant promptissima devotione suffragabatur. Sanctus Nicholaus 700. anno incarnationis Domini de hoc mundo transivit. Et sequenti[b] anno, hoc est 3. anno Tiberii, **sanctus Sergius papa obiit. Cui successit Iohannes annis 3 et illi** Reg. **alter Iohannes annis 2, et post eum Sisinnius 20 diebus, itemque post illum Constantinus 7 annis.**

Pippinus filius Ansgisi ex Begga sorore sanctae Gertrudis, de quo supra retulimus, ex Calpiada quoque genuit filium Karolum[79] Martellum. **Sed beatus Lambertus Tungrensis episcopus a** Vit. Lamb. **Dodone fratre Calpiadis et suis occisus fuit, quia eundem Pippinum ab illicito amore sororis suae auctoritate episcopali sub interminatione divini iudicii prohibuit et iam iamque apud ferocem eius animum sancta predicatione effecerat, quod minus in fornicaria insanuit. Unde illa querula fratrem in necem pontificis armavit.**

Sed ut ad describendam propositam seriem testamentorum redeamus, quid idem Pippinus cum inclyta et legitima coniuge sua Plectruda sancto Willibrordo in Epternaco vel alibi contulerit ex ipso tenore testamentorum suorum diligenter inspiciamus. Quorum descriptionem ipsimet anno 12. Childeberti gloriosi regis Francorum, qui est annus incarnationis Domini 706, competenter ordinaverunt, et ut ipsum monasterium Epternacense in sua et heredum suorum dominatione et defensione semper esset, sicut perspicue ex ipsis verbis eorum potest videri, diligenter hoc modo confirmaverunt. *[c] *f. 29'.

706 Mai. 13.

Ego[80] *in Dei nomine illuster vir Pippinus, filius Ansgisili quondam, necnon et illustris matrona mea Plectrudis, filia Huogoberti quondam, cogitantes casum humanae fragilitatis, qualiter peccata nostra possimus abluere et, donante Domino, ad aeterna gaudia pervenire. Idcirco ob honorem domini nostri Ihesu Christi donamus donatumque in perpetuum esse volumus ad monasterium nostrum, quod est in honore sanctae Trinitatis et apostolorum Petri et Pauli et sancti Iohannis baptistae in loco cognomento Epternaco, in pago Bedensi super fluvio Sura, in re proprietatis nostrae edificatum, ubi decrevimus*[d] *et constituimus virum strenuum et Dei cultorem apostolicum, domnum Willibrordum episcopum una cum turma monachorum sub sua gubernatione vita sancta et * regulari degere et conversari, hoc est:* *f. 30. *illam*[e] *medietatem de ipso Epternaco, quam Theotharius quondam dux ibidem tenuit et postea filius suus Theodardus quondam nobis tradidit, praeter*[f] *illam rem quam Ermina in ipso Epternaco tenuit. Quantumcumque in ipsa medietate nostra in ipso Epternaco a die presenti nostra videtur esse possessio vel dominatio, cum terris, cum domibus, aedificiis, acolabus, mancipiis, litis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, mobilibus et immobilibus, farinariis, pecoribus utriusque sexus, quantum in ipsa medietate in ipso Epternaco presenti tempore possidemus, cum omni integritate, de iure et dominatione nostra in iure et dominatione predicti monasterii vel rectoribus suis seu successoribus et omni congregationi*

---

a) ni *supra lineam add. cod.* b) et sequenti *in rasura cod.* c) *medietatem paginae f. 29' occupat imago Irminae et Pippini ecclesiam in manibus tenentium, saec. XIV. delineata, cum inscriptione:* Sancta Yrmina. Pippinus dux. d) decernimus *Berth.* e) *deest Berth.* f) ꝑter *cod.*

79) Ex Fredegarii c. 103. 80) Pardessus 467.

ibidem consistenti tradimus atque delegamus perpetualiter in Dei nomine ad possidendum, ut ibidem omni tempore pro mercede nostra proficiat in augmentis; ea ratione ut ipsum monasterium in nostra vel heredum nostrorum dominatione[a] *vel defensione inantea semper permaneat. Et illud nobis placuit inserendum, si fuerit ullus de heredibus vel propinquis nostris seu quaelibet ulla extranea aut opposita persona, quae contra hanc donationem, quam nos plena et integra devotione pro animae nostrae remedio fieri et affirmare rogavimus, venire aut agere temptaverit, et ipsa carta ei ad relegendum ostensa fuerit, et se ex hoc compescere noluerit, primitus iram Dei incurrat et a liminibus sanctorum efficiatur extraneus, et inferat partibus ipsius monasterii vel cui litem intulerit tantum et aliud tantum, quantum res ipse eo tempore emelioratae valuerint, et inferat una*[b] *cum socio fisco auri* * f. 30'. *libras* 10, *argenti *pondo* 20 *coactus exsolvat, et quod repetit evindicare non valeat, sed presens donatio ad instar testamenti cum stipulatione adnixa omni tempore firma stabilitate capiat firmitatem.*

Actum Gaimundas[81] *publice sub die* 3. *Idus Maias. Anno* 12. *regni domini nostri Childeberti gloriosissimi regis.*

Pippinus et coniunx eius Plectrudis. Drogo. Chuchobertus[c] *episcopus*[82]. *Garebaldus episcopus*[83]. *Bernarius episcopus*[84]. *Constantinus episcopus*[85]. *Iosephus. Winetaharius*[d] *episcopus. Chariganto. Agione. Crodebaldus*[e]. *Carduinus*[e*]. *Remedius. Bainingus*[f].

De[g] monasterio Epternacensi[h].

706. Mai. 13. *Semper*[86] *humana fragilitas casus inevitabiles debet perpendere, ut quandoquidem repentina supervenerit transpositio, non habeat in nobis quod puniat, sed inveniat quod coronet, iuxta* Luc. 6, 38. 11, 41. *mandatum Domini:* date et dabitur vobis, *et illud:* facite elemosinam et omnia munda sunt vobis. *Idcirco ego in Dei nomine illuster vir Pippinus, filius Ansgisili quondam, nec non et illustris matrona mea Plectrudis, filia Hugoberti quondam, cogitantes casum humanae fragilitatis, qualiter peccata nostra possemus abluere et, Deo donante, ad aeterna gaudia pertingere, concedimus domno patri nostro viro apostolico Willibrordo episcopo de monasterio Epternaco, sito in pago Bedensi*[i], *super fluvio Sura, quod ipse donante Deo aedificavit in rebus proprietatis nostrae, et unde ipse beatus Willibrordus testamentum confirmavit, ut sub nostra defensione haberemus ac heredum nostrorum. Unde placuit nobis, ut apostolico patri nostro Willibrordo ipsum monasterium confirmaremus. Quod ita et fecimus, eo modo ut* * f. 31. *ibidem fratres peregrinos *vel alios Deum timentes congreget*[k], *ut ibidem secundum ordinem sanctum degere et conversari debeant. Et illud ibidem nobis placuit inserendum, ut cum ipse beatus Willibrordus de hac luce migraverit, ipsi fratres quem ex semet ipsis elegerint sibi constituant abbatem, ea ratione ut heredibus nostris in omnibus fidelis appareat, et ibidem secundum ordinem sanctum degat; et sub nostro mundiburdio vel defensione persistant. Et si quis Deum timens tam de parte nostra quam et de reliquis hominibus de suis rebus ad ipsum monasterium condonare et confirmare deliberaverint, vel quicquid ibidem, Deo inspirante, de collatis bonis obvenerit, Deo propitio, eis proficiat in augmentis. Si quis vero, quod minime credimus esse futurum, si fuerit ullus de heredibus aut propinquis nostris, seu quaelibet extranea aut opposita persona, que contra hanc nostram confirmationem, quam nos pro divino intuitu vel animae nostrae remedio fieri aut firmare rogavimus, venire voluerit aut infringere, et ista carta ei ostensa fuerit ad relegendum, et se ex hoc compescere noluerit, inprimitus irae Dei omnipotentis incurrat offensam, et a liminibus sanctorum efficiatur extraneus, et insuper inferat partibus eiusdem loci et fratribus tunc tempore ibidem servientibus, aut cui litem intulerit, tantum et aliud tantum, quantum res ipsae eo tempore emelioratae valuerint, et insuper inferat cum socio fisco auri libras* 10, *argenti pondo* 20, *coactus exsolvat, et quod repetit evindicare non valeat, sed presens confirmatio ad instar testamenti cum stipulatione*[l] *adnixa omni tempore*[m] *firma stabilitate capiat firmitatem.*

Actum Gamundias publice sub die 3. *Idus Maias. Anno* 12. *regni domni nostri Childeberti gloriosi regis.*

---

[a] dñatiõe *in rasura manu posteriore, saec. XIV. ut videtur, scriptum cod. Fortasse legendum* mundiburdio, *sed spatium non sufficit.* [b] *supra lineam add. cod.* [c] Cuchobertus *Bertholet.* [d] Winthaharius *B.* [e] Grodebaldus *B.* [e*] Cardimus *cod.* [f] Baimingus *B.* [g] *rubrica in cod.* [h] .e. *cod.* [i] bedensé *cod.* [k] congregent *cod.* [l] stipulatio *cod.* [m] tẽpr̃e *cod.*

[81] Saargemünd. [82] Traiectensis ad Mosam. [83] Tullensis. [84] Parisiensis. [85] Belvacensis. [86] Pardessus 468.

Pippinus et Plectrudis. Droda[a]. *Chugobertus. Gerbaldus. Bernarius. Constantinus. Iosefus episcopi. Wintharius. Agione. Remedius. Bainingus iussus a Pippino et Plectrude scripsi. Hardoino.*

*f. 31'. *Licet per anticipationem cartas sanctae Erminae, Pippini et Plectrudis hoc loco preposuerimus, tamen congruum videtur, ut altius repetentes ordinem annorum Domini et regum, caeterorum quoque[b] illustrium virorum et matronarum, qui sancto Willibrordo viventi bona sua contulerunt, in hoc opere competenter meminerimus. Ipse quippe anno ordinationis suae tercio monasterium Epternacense inchoavit et, cooperantibus sicut dictum est Irmina, Pippino et Plectrude aliisque quam plurimis nobilibus, feliciter consummavit. Quorum traditionis testamenta in eadem aecclesia recondita annis et nomine primo[87] Clodovei filii Theoderici, qui 4 annis, et Childeberti inclyti fratris sui, qui post eum 16 annis regnavit, et secundi[b] Dagoberti filii ipsius Childeberti, qui quinque, et Chilperici, qui 6, et Clotharii, qui 5 cum Chilperico, et Theoderici filii Dagoberti, qui 16 annis regnavit, sunt annotata.

cf Thiof. c. 12. Anno igitur tercio Clodovei, qui est annus 694. incarnationis Domini, indictione 7, Rohingus vir illustris, magnarum opum, legitima testamenti confirmatione delegavit sancto Willibrordo aecclesiam in Antwerpo castello sito super fluvium Schalda in pago Renensium cum appendiciis villis et terciam partem thelonei eiusdem castelli, quod nunc est marca regni.

696. Anno 2. Childeberti Gerbertus comes et Bilitrudis germana eius, Deo sacrata, dederunt sancto Willibrordo[c] sua patrimonia.

698. Anno 4. eiusdem regis Gerelindis filia Odonis dedit ei vineam cum vinitore et omni peculio in monte Clotariense[88].

699. Anno 5. Hadericus filius Odonis dedit ei in villa Rumelacha[89] et in Datmunda et in Tadia cum hominibus ad se pertinentibus omnia sua patrimonia.

*f. 32. 704. *Anno 10. Childeberti[b] Ymena Deo sacrata et Attala atque Crotelindis, filiae ipsius, dederunt viro Dei portionem suam in villa Cabriaco et in villa Bedelinga[90], quae eis a parentibus suis pervenit.

Anno incarnationis Domini 704. Hedenus dux[91] illuster dedit sancto Willibrordo[d] donationem subscriptam cum uxore sua Theodrada.

Carta[e] Hedeni ducis de Arnestati et Mulenberge et Monhore.

704. Mai. 1. *In*[92] *Christi nomine. Dum in presenti vita quisque conversari videtur et hanc caducam vitam morte finiendam vigilanti mente perspexerit, cogitare debet, quatinus animae suae in futuro apud Deum mercedem et refrigerium, dum ipse vivit, conquirat. Idcirco ego Hedenus vir illuster una cum coniuge mea clarissima Theodrada aliquid de rebus nostris pro amore Christi et remissione peccatorum nostrorum et mercede futura Deo et domno patri nostro in Christo Willibrordo episcopo dare disposuimus. Quod et ita fecimus; id est: curtem nostram in loco nuncupante Arnestati, super fluvio Huitteo*[f][93], *cum omni integritate sua, id est: casis, curticlis, campis, pratis, pascuis, silvis, aquis aquarumque decursibus, mobili et immobili, mancipiis, iumentis, vaccariis, pastoribus, porcariis, et quicquid ad ipsam pertinere videtur, a die presenti totum ad integrum in tuam potestatem, domne pater venerande, trado atque transfundo, ut habeas, teneas atque possideas et cui volueris in Dei nomine dimittas. Et in castello Mulenberge*[g][94] *donamus tibi tres casatas cum mancipiis, una cum omni peculiari eorum, et centum diurnales, id est iugera de terra aratoria*[h], *propter aquam et ligna trahenda. Et in curte nostra alia nuncupante Monhore*[i][95] *donamus tibi* 7 *hobas et* 7 *casatas et* 400 *diurnales de terra et tertiam partem de silva ad eandem *curtem pertinente*[k], *et prata* *f. 32'. *ad* 50 *carradas secandas et porcarios duos cum* 50 *porcis et vaccarios duos cum* 12 *vaccis. Has casatas ibidem manentes cum omni peculio vel laboratu eorum, quod habent vel habere*

---

[a] Drogo *legendum censuit Hontheim.* [b] *supra lineam add. cod.* [c] .w. *cod.* [d] .W. *cod.* [e] *rubrica in marg. cod.* [f] Hunteo *Bertholet.* [g] Mullenburgh *B.* [h] *post* aratoria. *parvulum spatium vacuum est cod.; fortasse omissum est* cum silva. [i] Monhorne *B.* [k] pertinentem *cod.*

[87] Cf. Fred. c. 101 sq. [88] Clotten infra Cochem ad Mosellam? [89] Rumlingen prope Esch ad Alzich ditionis Luxenburgensis? [90] V. supra not. 67. [91] Thuringorum. [92] Pardessus 458. [93] Arnstadt ad confluentes fluminum Gera et Welge. [94] Mühlberg ab Arnstadt inter septentriones et occidentem. [95] Videtur esse München inter Arnstad et Weimar.

noscuntur, totum tibi ad integrum trado. Has res omnes superius intimatas tibi domino et patri in Christo nostro damus, donatumque esse perhennis temporibus volumus, ut habeas tuisque habendum derelinquas[a] vel quicquid exinde facere volueris liberam et firmissimam in omnibus habeas potestatem. Si quis vero, quod futurum esse non credo, nos ipsi, quod absit, aut aliquis de heredibus aut proheredibus nostris contra hanc donationis nostrae cartulam venire temptaverit et eam infringere voluerit et tibi de istis iam dictis rebus aliquid quasi hereditario iure auferre conaverit, primitus iram omnipotentis Dei incurrat et sanctorum angelorum, et a liminibus aecclesiae Dei vel communione sanctorum extraneus efficiatur, et lepram Gyezi vel percussionem Ananiae et Saphyrae consequatur, partemque habeat cum Iuda Schariothe[b], qui Dominum tradidit, et insuper[c] inferat tibi una cum cogente fisco auri libras 5, argenti pondo 15, et nec sic quidem quod repetit evindicare valeat, sed frustrata eius vanitate, haec carta perhennis temporibus firma et immobilis permaneat, astipulatione subnixa.

Actum publice in castello Virteburch[d] [96], sub die Kal.[e] Maias. Anno 10. regni domini nostri Childeberti gloriosi regis.

Ego Laurentius indignus presbiter, iubente domno Hedeno duce viro illustri, hanc donationis cartulam scripsi et in Dei nomine subscripsi. Ego Hedenus hanc donationis cartam a me factam et ante me lectam propria manu firmavi et subscripsi cum Theodrada. Ego Thuringus filius Hedeni donationem patris mei firmavi .†. Rocchus. Doda.

* f. 33. *Eodem anno 10. Childeberti regis:

Carta[f] Engelbaldi de Waderlo.

704. Oct. 1. *Domino[96*] vere sancto et apostolico patri Willibrordo episcopo Aengilbaldus, filius Hildiboldi quondam, donator salutem in Domino. Dum quisque in presenti seculo conversare videtur, cogitare necesse est, qualiter animam suam de peccato et paena aeterna liberare debeat. Idcirco ego Aengilbaldus pro salute animae meae vel requie sempiterna trado tibi Willibrordo episcopo terram in loco vel villa nuncupante[g] Waderlo[h] super fluvium Dutmala[97], cum omnibus que ibidem hereditario iure vel laboratu legitime possidere visus sum, totum a die presenti tibi trado atque in tuam potestatem transfundo, id est: tam terras aratorias, cum campis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, mobilibus et imobilibus, et silvam ad eundem locum pertinentem, et 8 casatas cum hominibus et mancipiis et cum omni peculio suo. Haec omnia a die presenti tibi dono, donatumque perhennis temporibus esse volo, ut habeas, teneas atque possideas, tuisque ad habendum derelinquas, et quicquid exinde facere volueris, liberam ac firmissimam in omnibus habeas potestatem. Si quis vero, quod[i] futurum esse non credo, heredum vel proheredum meorum vel quelibet opposita persona contra hanc donationis cartulam venire temptaverit et eam infringere conaverit, primitus iram Dei omnipotentis incurrat et sanctorum angelorum, et a liminibus aecclesiae alienetur, partemque habeat cum Iuda et ultione Ananiae et Saphirae, vel lepra Giezi percutiatur, insuper inferat fisci iuribus auri libram unam, argenti pondo 10, nec sic quod repetit evindicare valeat, sed firma et immobilis haec donatio perhennis temporibus permaneat, stipulatione subnixa.*

* f. 33'. *Actum publice in loco Bettinum[98] *coram testibus. Anno 10. regni domini nostri Childeberti gloriosissimi regis, sub die Kalendas Octobris.*

Ego Aengilbaldus hanc cartulam relegi et confirmavi. Onsbaldus. Eburvines[k]. Edilhardes. Rotbertes. Folcbaldes. Aetrele[l]. Aeutlinde[m]. Bertlinde subscripserunt. Ego Elduinus presbiter, rogante Aengilbaldo viro illustri, scripsi et subscripsi, signumque crucis adfixi .†.

Beda. Anno[n] 706. incarnationis Domini, qui est 12. Childeberti regis, Iustinianus imperium auxilio Terbelli regis Vulgarorum recipiens, Leonem, qui locum suum usurpaverat, et Tyberium successorem Leonis, qui eum Reg in custodia tenuerat, et patricios occidit, Gallinicum patriarcham erutis oculis Romam misit et Cyrum abbatem, qui eum in Ponto aluerat, in locum eius posuit.

Beda Hist. V, 19 Anno[o] incarnationis Domini 708. Coenrat rex Britanniae Romae factus monachus, usque ad mortem Fred. c. 102 studuit virtutibus. Et eodem anno obiit Drogo dux, Pippini filius[99], et in basilica sancti Arnulfi Beda. Mettis est sepultus. Constantinum papam Iustinianus imperator anno incarnationis Domini 711, indictione 9.

---

a) *supplendum videtur* successoribus. b) Iscariothe *Berth.* c) *supra lineam add. cod.; ins. inf. des. Berth.* d) Virteburgh *Berth.* e) 10. Kal. Mai. *Bertholet. Hontheim.* f) *rubrica in marg. cod.* g) nuncupata *cod. corr. ex* nuncupate. h) *superscriptum* Waetriloe *cod.* i) ꝗ *cod.* k) Eburumes *cod.* l) Ętrele *cod.* m) Ęutlinde *cod.* n) *in marg. scriptum est a rubricatore* Historia. o) *in marg. addit rubricator* Historia.

96) Wirzburg. 96*) Pardessus 461. 97) Walre ad flumen Dommele. 98) Bettingen praefecturae Daun in Eiflia? 99) Cf. Annales S. Amandi, Petavianos a. 708.

ad se venire iubens et honorifice suscipiens, prostratus, ut pro peccatis suis intercederet postulavit. Eodem anno aquae valde inundaverunt[1].

Anno vero 15. Childeberti Aengelbertus hanc donationis cartulam scripsit sancto Willibrordo de Alfheim.

Carta[a] Engilberti de Alfheim.

709. Mai. 21.

In[2] Christi nomine. Domino sanctissimo et dilectissimo patri Willibrordo[b] episcopo Ængelbertus, filius Gaotberti[b'] quondam, donator. Dum leges et iura sinunt, et convenientia Francorum est, ut de facultatibus suis quisque quod facere voluerit liberam habeat potestatem, **et necesse est, ut quisque pro incerto huius vitae exitu de rebus suis aliquid ad Dei partem committat, ut per hoc indulgentiam facinorum suorum percipiat, idcirco ego Engelbertus pro remedio animae meae seu retributione aeterna aliquid tibi, domne pater et pontifex Willibrorde[b], de rebus meis donare decrevi. Quod et ita feci; hoc est: in pago Texandriae in loco nuncupante Alfheim[3] quod michi ex paterno iure legitime provenit, hoc est: casatas 11 cum sala et curticle meo, quod[c] ad praesens habere visus sum, cum mancipiis et omni peculio eorum. Hec omnia tibi a die presenti trado atque transfundo cum omni integritate vel adiacentiis eorum, hoc est: casis, curticlis, silvis, terris, pratis, pascuis et aratoria terra, aquis aquarumque decursibus, mobili et immobili, egressu vel ingressu, et watrischafo[d]. Hec omnia tibi do, donatumque esse perhennis temporibus volo. Hoc habeas, teneas, possideas, tuisque ad possidendum relinquas, et quicquid exinde facere volueris liberam et firmissimam in omnibus habeas potestatem. Si quis vero, quod futurum esse non credo, ego ipse* et cetera sicut in superioribus cartis continetur usque: *insuper inferat tibi una cum cogente fisco auri libras quinque, argenti pondo 10 coactus exsolvat, et nec sic quod repetit evindicare valeat, sed firma et immobilis haec nostra donatio permaneat, adstipulatione subnixa.*

*f. 34.

Actum publice Tilliburgis[4], 12. Kal. Iunias. Anno 15. Childeberti gloriosissimi regis.

Et do tibi in pago Testerventi super Mosam, loco Birni, casatam unam cum omni peculio.

Ego Virgilius presbiter scripsi. Ængelbertus. Verengaoto[e] frater eius. Paulus presbiter. Aldrao. Alduino. Nardgaoto. Egisgaro. Nanduiono.

*Carta[a] Bertilindis de Hoccascaute et Hulislaum et Heopurdum.

*f. 34'.

710. Iul. 29.

In[5] Christi nomine. Domino sanctissimo et venerabili patri Willibrordo[f] episcopo Bertilindis filia Wigibaldi, consecrata Deo, donatrix. Quisquis ad Dei partes vel ad loca sanctorum aliquid de rebus suis dare vel delegare voluerit, hoc solempni scriptura firmetur, ut pro temporum serie fides rata atque probata celebretur. Quod et faciendum aestimans, et considerans huius vitae incertum fragilemque statum, aliquid tibi de rebus meis, domne pater et pontifex, pro remedio animae meae seu orationum tuarum inmarcescibili fructu donandum decrevi. Quod et ita feci; dans tibi in pago Texandrensi, loco Hoccascaute super fluvio Dudmala, quod michi mater mea Oadrada hereditario iure legitime reliquit, hoc est: casatas 5 cum sala et curticle meo, quod ad presens habere visa sum, cum mancipiis 5 et uxoribus et infantibus eorum. Haec omnia tibi a die presenti pro mercedis meae augmento dono, ac de mea in tuam transfundo potestatem, cum omni peculiari eorum, hoc est: casis, curticlis, silvis, terris, pratis, pascuis et aratoria terra, aquis aquarumque decursibus, farinariis, mobili et immobili, cum ingressu et egressu, et watriscafo, et vassalos 6 cum tribus puellis, et silvam in loco Hulislaum, et quicquid michi ibidem legitime provenit, et in alio loco dicto Heopurdum terras et silvas, et quicquid ex matre mea ibi possidere visa sum. Hoc tibi do, donatumque esse perhennis temporibus volo. Si quis vero, quod futurum esse non credo ut supra.

Actum publice loco Cale[6], 4. Kal. Augusti. Anno 16. regni domini nostri Childeberti gloriosissimi regis.

Cum testibus Ansbaldo. Folcbaldo. Aengelberto. Rotberto. Adlefo. Werengato. Nanduino. Wigberto. Ego Laurentius presbiter, rogante Bertilinde illustri femina atque Deo consecrata virgine, scripsi et subscripsi.

---

a) *rubrica in marg. cod.* b) .W. *cod.* b') Gaotberto *cod.* c) *superscriptum* quem *cod.* d) *littera* t *supra lineam add. cod.* e) Verengatto *cod.* f) W. *cod.*

[1] Cf. Ann. Lauresham. Petav. a. 711.

[2] Pardessus 474.

[3] Alphen tria miliaria ab oppido Breda inter meridiem et orientem.

[4] Tilburg.

[5] Pardessus 476.

[6] Chelles sur Marne, monasterium virginum quarto ab urbe Parisius miliario distans.

* f. 35. *Eodem[a] anno 16. Childeberti regis sanctus Willibrordus et domna Anastasia abbatissa puellarum in Horreo fecerunt inter se commutacionem vinearum, et dedit domnus Willibrordus[b] domnae Anastasiae vineae petituras duas in monte Paginse super flumen Rheni cum vinitore et omni peculio suo, quae[c] sibi illustris faemina dederat Irmentrudis filia Pantini quondam[c], et recepit ab ea alias petituras duas in monte Cabracense super flumen Mosellae cum vinitore et omni peculio suo.

G. F c. 50. Fred. 194. Eodem[d] anno, qui est annus dominicae incarnationis 711.[7], mortuus rex Childebertus Cauciaco in aecclesia sancti Stephani est sepultus, et filius eius Dagobertus secundus[e] in regnum Francorum est substitutus. Grimoaldus filius Pippini filiam Rabodi regis Fresonum duxit uxorem. Egrotante vero Pippino Iobvilla super Mosam, ad eum visitandum venit Grimoaldus. Qui cum ad aecclesiam sancti Lamberti ad orationem procederet, ab impio viro Rangario impie est occisus. Fuit autem vir mitissimus, omni bonitate preditus, largus in elemosinis, promptus in orationibus. Theodoaldus filius eius adhuc parvus sub prefato Dagoberto constituitur maior domus. Beda. Eodem anno Iustinianus imperator cum exercitum mitteret in Pontum, multum prohibente papa, ad comprehendendum Philippicum, quem ibi religaverat, conversus omnis exercitus ad partem Philippici, fecit eum ibidem imperatorem, reversusque cum eo Constantinopolim, pugnavit cum Iustiniano ad duodecimum ab urbe miliarium et, victo eo atque occiso, suscepit regnum Philippicus. Hic eiecit Cirum de pontificatu. Regnavit anno uno, mensibus 6. Quem Anastasius captum oculis privavit nec occidit, regnavitque pro eo annis 3. Tunc cepit peregrinari sanctus Bonefacius.

* f. 35'. *Anno incarnationis Domini 712. et Dagoberti 2. data est hec carta:

Ængilberti[f] carta de Eresloch et Diesne.

712. Mart. 1. *In[8] Christi nomine. Domino sanctissimo et dilectissimo patri Willibrordo[g] episcopo Ængelbertus, filius Gaotberti quondam, donator. Dum leges et iura sinunt, et convenientia Francorum est, ut de facultatibus suis quisque quod facere voluerit liberam habeat potestatem, et necesse est, ut quisque pro incerto vitae huius exitu de rebus suis ad Dei partem aliquid committat, ut per hoc indulgentiam facinorum percipiat, idcirco ego Ængelbertus cum consilio et licentia fratris mei Verengaoti, pro remedio animae meae seu retributione aeterna aliquid tibi, domne pater et pontifex, de rebus meis[h] donandum decrevi. Quod et ita feci; hoc est: in pago Texandriae, loco Eresloch, quod michi ex paterno iure legitime provenit, hoc est: casatas tres cum sala et curticle meo, quod ad presens habere visus sum, tria mancipia cum uxoribus et infantibus; et in loco[i] Deosne[9] casatam unam et mancipium cum uxore et infantibus. Haec omnia tibi a die presenti trado atque transfundo, cum omni peculiari et integritate et adiacentiis eorum, hoc est: casis, curticlis, silvis, terris, pratis, pascuis et aratoria terra, aquis aquarumque decursibus, mobili et immobili, egressu et ingressu, et vatriscafo. Haec omnia tibi do, donatumque esse perhennis temporibus volo. Si quis vero, quod futurum esse non credo* ut supra.

Actum publice loco Deosne, Kal. Martii. Anno 2. regni domini nostri Dagoberti regis gloriosissimi.

Ego Angelbertus hanc cartam a me factam relegi et propria manu firmavi, coram testibus: Verengaoto fratre meo. Volcbaldo. Framundo. Rumlao. Adlefo. Nandino. Ego Docfa presbiter, rogante illustri viro Ængilberto, hanc cartam scripsi et subscripsi.

* f. 36. *Eodem[k] anno Dagoberti regis Ansbaldus dedit sancto Willibrordo[l] bona sua sub confirmatione subscripti testamenti:

712. Iun. 1. *In[10] Christi nomine. Domino sanctissimo et beatissimo patri Willibrordo Ansbaldus servorum Dei famulus. Dum quisque in presenti seculo conversari videtur, cogitare debet, quatenus anime suae consolationem pro elemosina sanctorum locorum vel orationum subsidio hic* Luc. 11, 41. *adquirere possit, dicente Domino:* date elemosinam, et ecce omnia munda sunt vobis, *et* Eccl. 3, 33. *iterum:* sicut aqua extinguit ignem, ita elemosina extinguit peccatum. *Quapropter ego Ansbaldus, filius Willibaldi quondam, dono pro remedio animae meae et pro retributione aeternae[m] salutis seu orationum tuarum tibi, domno patri ac pontifici, aliquid de rebus meis propriis in pago Texandriae, loco Diesne, casatas* 6 *cum sala et curticle meo, cum* 6 *mancipiis et infantibus eorum. Hos tibi cum omni peculiare suo, cum omni integritate trado, casis, curtilibus, campis, pratis, pascuis, silvis, aquis aquarumque decursibus et aratoria terra,*

---

a) *in marg. addit rubricator* Commutaciones. b) .W. *cod.* c) quae — quondam *in marg. adiecta cod.* d) Historia *addit in marg. rubricator.* e) *supra lineam add. cod.* f) *rubrica in marg. cod.* g) W. *cod.* h) aliquid tibi *add. cod.* i) co *supra lineam add. cod.* k) *abhinc usque ad f. 40' rubricator pausavit; litterae initiales postea atramento suppletae sunt cod.* l) W. *cod.* m) ęternœ *cod.*

[7] Cf. Ann. Lauresham. Petav. [8] Pardessus 485 ad a. 713. [9] Diesen primo miliario ab oppido Hilvarenbeek. [10] Pardessus 483.

mobili vel immobili, cum egressu vel ingressu vel watrischafo. Item do tibi in pago Texandriae, loco Levetlaus, super fluvio Dutmala, casatas 7 cum sala et curticle meo, cum 8 mancipiis et uxoribus et infantibus eorum, cum casis, curticlis, campis, pratis, pascuis, silvis, aquis aquarumque decursibus et aratoria terra, mobili et immobili, ingressu et egressu. Si quis vero ut supra.

Actum publice Waderloe, Kal. Iunii. Anno 2. Dagoberti regis.

Ego Ansbaldus monachus hanc cartam a me factam relegi et propria manu subscripsi.

*Anno incarnationis 714, indictione 12. Pippinus princeps munificus cum Plectrude dedit sancto Willibrordo[a] villam Suestram sub huius testamenti conscriptione et confirmatione: *f. 36'.

Ego[11] in Dei nomine illuster vir Pippinus dux, filius Ansgisili quondam, et illustris matrona mea Blittrudis, filia Huogoberti, intuitu timoris Dei et pro[b] animae meae[c] remedio cogitantes ut oratorium ac cellulam in honore Salvatoris et sanctorum Petri et Pauli vel ceterorum apostolorum et reliquiis sanctorum, mansionile Suestra[d. 12], situm in pago Mosariorum super fluviolo Suestra[d], quod Blittrudis dato pretio ab Alberico et Haderico comparavit, a novo fundamine aedificare deberemus. Quod ita et fecimus, et ipsum mansionile ad ipsam cellam delegavimus. Placuit nobis, ut apostolico patri Willibrordo episcopo ipsam basilicam tradidissemus, quod ita et fecimus, in eo modo ut ibidem fratres peregrinos vel alios Deum timentes congregare debeat. Et illud nobis inserendum placuit, ut cum ipse Willibrordus de hac luce migraverit, ipsi fratres quem inter se elegerint, sibi constituant abbatem, in ea ratione ut nobis vel filio nostro Grimoaldo et filiis suis, vel filiis Drogonis, nepotibus nostris, in omnibus fidelis appareat et ibidem secundum ordinem sanctum[e] degat, et sub nostro mundiburdio et ipsius Grimoaldi filiorumque suorum et Drogonis, nepotum nostrorum, defensione persistere debeat. Et si quis Deum timentium tam de parte nostra quam de reliquis hominibus de rebus suis eis aliquid[f] condonaverit, Deo propitio, eis proficiat in augmentis. Si quis vero, quod minime credimus esse futurum ut supra. 714. Mart. 2.

*Actum Bagoloso villa[13] publice, die secundo Martii. Anno 4. *regni domini nostri Dagoberti regis.* *f. 37.

Et quia nos propter egritudinem in ipsa carta scribere non potuimus, Blittrudem coniugem nostram rogavimus et potestatem dedimus, ut ipsam firmare ad nostram vicem deberet; quod ita et fecit; et qui subscriberent vel signarent in presenti rogavimus. Blittrudis. Blendumen abbatissa. Helmoinus. Remigius. Chrodoaldus[g]. Geraldus. Adalbertus abbas. Chammingo comes. Crodegertus. Ego Adricharius[h], iussu domini mei Pippini et Plectrudae[e], hanc donationem scripsi et subscripsi.

Anno progeniti verbi 714. solis tocius Galliae ac Germaniae factum est deliquium, dux quippe inmortalis memoriae Pippinus naturae solvit debitum, et sicut Trogus de Alexandro Magno in ipso aetatis ac victoriarum flore extincto testatur, magnum triste apud omnem suae ditionis dereliquit populum. Thiof. c. 12. Rexit autem populum Francorum sub prefatis regibus 27 annis. Fred. c. 104. Sequenti anno Gregorius papa succedens Constantino sedit annos 16, menses 9, dies 11. Reg. Circa haec tempora Pertinax civis Brixanae urbis divino amore tactus in castro Cassino monasterium sancti Benedicti, quod iam tunc 110 annis destructum erat reedificans, multorum ibi pater monachorum extitit. Anastasius imperator classem in Alexandriam contra Sarracenos direxit. Exercitus de medio itinere reversus, Theodosium in imperatorem electum atque coactum in solio confirmavit. Qui Anastasium apud Micenas gravi prelio vicit. Septem enim milia de exercitu ceciderunt, datoque sibi sacramento, clericum et presbiterum eum ordinari fecit. Ipse vero anno uno regnavit.

Illis diebus Franci in invicem concurrentes in Corcia silva *mutua cede se conciderunt. Theodoaldus filius Grimoaldi, maior domus, fuga dilapsus ereptus est. Fuit vero inter eos magna persecutio. Tunc Raginfredum[i] maiorem domus instituunt. Qui commoto exercitu Carbonariam silvam transeuntes, usque Mosam terras vastantes succenderunt et cum Rabodo duce gentili amicitias fecerunt. G. F. c. 51. *f. 37'. His diebus Karolus, iunior ex Calpiada Pippino natus, principatum maioris domus Francorum adhuc sub Dagoberto rege affectabat, sed Plectrudis Theodoaldum, filium Grimoaldi filii sui ex Theodosina filia regis Rabodi, ad hunc principatum confortare desiderabat. Unde ipsum Karolum ingressum in cameram palam, sicut mos est iuvenum, cum aliis feminis comprehendit et sub arta custodia in vincula coniecit. Ragenfredus vero ipsam Plectrudem in uxorem accepit. Karolus vero post 4 menses de captivitate, quam Aquisgrani passus est, per foramen, Dei permissione liberatus, collecto per Ribuariam exercitu, ut erat acer ingenio et ad captandum populi favorem instructissimus, in principatum alterius partis est provectus.

---

a) .W. *cod.* b) *supplevi; deest cod., Berth.* c) nostrae *Berth.* d) Swestra *Berth.* e) *correxi;* sancte *cod., Berth.* f) *supra lineam add. cod.* g) Chrodoardus *Berth.* h) Adricarius *Berth.* i) rēginfredum *cod.*

[11] Pardessus 490. [12] Süsteren in ducatu Limburgensi. [13] Bakle in Peelland, provinciae Nord-Brabant.

Anno vero 715. Dagobertus rex quinto anno regni sui in Cortia silva occisus[14],
G. F. 52. Fred. c. 106. Satiniaco[15] est sepultus. At Franci Danihelem quendam clericum, Chilpericum cognominatum, regem constituunt
et, contracto magno exercitu, cum Raginfredo et Rabodo duce contra Karolum bellum instituunt. In quo ille non
c. 53. 106. modicum perpessus dampnum, cesis nobilibus viris, terga vertit, cum videret lesum exercitum. Chilpericus post hec
*f. 38. et Ragenfredus, adunato exercitu, Ardennam silvam transeunt et in alia parte prestolanti Rabodo coniuncti, *Coloniam
perveniunt et, vastatis illis terris usque Mosam, munerati magnifice a Plectrude redeunt. Sed in loco qui dicitur
Amblavium ab exercitu Karoli Martelli grave perpessi sunt dispendium. Post haec contracto iterum exercitu,
Vit. Rigob. Karolus cum secus Remorum civitatem transiens beatum Rogobertum episcopum[a] peteret, ut sibi portas aperiri iuberet,
ut ad aecclesiam Dei genitricis oraret, nec obtineret, comminatus est, si victor rediret, non ultra vir Dei tutus ibi
G. F. c. 53. Fred. c. 106. maneret. Cum Chilperico itaque Vinciaco in pago Cameracensi cum multis nobilibus anno incarnationis
717. Mart. 21. Domini 716. pugnavit. Inter[16] quos erat Milo, genere quidem clarus sed acer et irreligiosus,
filius domni Loutwini quondam ducis, qui in Medelacensi aecclesia, quam ipse fundaverat,
monachus effectus Deo militavit et post sanctum Basinum Trevirorum episcopum, avunculum suum, non solum Trevirensem sed et[a] Remensem et Laudunensem aecclesiam
c. 53. 106. gubernavit. Nimia itaque cede patrata 12. Kal. Aprilis, die dominica in quadragesima, Chilpericum regem et
c. 53. 107. Raginfridum fuga lapsos Karolus usque Parisius est persecutus, et victor ingenti preda potitus, Coloniam reversus, ubi
Plectrudis noverca sua residebat, urbem cepit et ab ipsa omnes thesauros patris sui recepit, militibus suis dona
cf. Vit. Rig. ingentia et laicis hominibus episcopatus distribuit, virum Dei Rogobertum, qui eum de
lavacro sancto susceperat, episcopatu deturbavit, Miloni prefato Remensem et Trevirensem
episcopatum dedit, quos 40 annis[17] irregulariter dispensavit.

Eodem anno dux Hedenus de bonis suis sancto Willibrordo[b] hanc cartam conscribi fecit:

716. Apr. 18. *Ego[18] in Dei nomine illuster vir Hedenus dux dono a die presenti pro Dei timore et
*f. 38'. mercedis meae augmento *donatumque in perpetuum esse volo domino et in Christo patri
Willibrordo in mero[19], quod respicit ad Hamulo castellum[20], ubi et cogito Dei misericordia per ipsius apostolici viri consilium monasterium construere, in parte occidentali super fluvio Sala, in pago Saluense, tam campis quam pratis, pascuis, silvis, aquis aquarumque decursibus, ipsas res quas pater meus[21] et mater[22] michi dereliquerunt, cum servis et ancillis 8. Quantumcumque ibi habere videor totum et ad integrum trado atque transfundo, ut quicquid inde facere voluerit, liberam in omnibus habeat potestatem. Si quis vero, quod futurum esse non credo* et reliqua ut supra.

Actum publice Hamulo castello. Anno quo supra[c] *Chilperici regis* 14. *Kal. Maias.*

Cato comes. Sigericus comes. Ego illuster[d] vir Hedenus dux hanc donationem fieri volui et subscripsi cum Theodrada coniuge mea. Ado nutricius Hedeni et Turingus[e] filius Hedeni[f]. Adogoto[g]. Hererico. Ego Richisus[h] clericus rogatus scripsi et subscripsi.

Anno vero precedenti, hoc est primo Chilperici regis, Arnoldus dux dedit bona sua sancto Willibrordo[b] in Bollendorf his verbis:

715. seu 716. *[Anno[23] primo regni domini nostri Chelprici regis[i].] In nomine domini Dei nostri Ihesu Christi. Ego[k] Arnulfus dux, filius Drogonis[l] quondam ducis, pro animae meae[m] remedio et[n] aeterna retributione[o] dono per hanc cartulam testamenti[p] ad monasterium Efternacum[q], quod est constructum in honore sancti[r] Petri et Pauli[s] super fluvio Sura, ubi[t] Willibrordus[u] episcopus[v] preesse videtur, in[w] villa Bollane[w].[24], hoc est: tam casis, mansis[x], campis, pratis, silvis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, mancipiis ibidem aspicientibus[y], quantumcumque[z] in ipsa villa Bollane michi legibus obvenit, meam portionem[a] in integrum dono[b] atque trado[b], ut a[c] presenti die[c] ipsam[d] rem monachi[d] omni tempore habeant, teneant, possideant et suis[e] possidendum [successoribus] derelinquant. Si quis vero, quod fieri non*

---

a) *supra lineam add. cod.* b) W. *cod.* c) Anno 1. *Martene, Bertholet.* d) inluster *Berth.* e) Tiringus *cod.* f) et Tur. fil. Hedeni *des. Berth.* g) Adagalo *Berth.* h) Richarius *Berth.* i) *uncis inclusa addit secunda (2.) descriptio chartae* f. 44 *eiusdem cod.* k) itaque *add.* 2. l) drogune 2. m) nostre 2. n) vel 2. o) eterne retributionis 2. p) per huius cartule testamentum 2. q) esternacum 2; Epternacum *Bertholet.* r) sanctorum apostolorum 2. s) Ipsum monasterium est constructum *add.* 2. t) sanctus *add.* 2. u) W. 1. v) custos 2. w) dono in villa cui nomen habet Bollanevilla 2. x) mansis casis 2. y) appendentibus 2. z) ibidem 2. a) mea portione 2. b) dono ad ipsum monasterium vel ad ipsa loca sancti Petri et sancti Pauli dono trado 2. c) ab hac die presente 2. d) ipsa res subscripta ipsa loca sancta vel ipsi monachi 2. e) et suis *des.* 2.

[14] *aegrotans mortuus est* Gest. Franc. c. 52; *obiit* Fred. c. 106.

[15] Stenay ad Mosam, ubi Dagobertus martyr colebatur, v. Bertholet, Hist. de Luxembourg II, P. j. 68.

[16] Haec fortasse ex Thiofridi Vita Liutwini inedita.

[17] 40 *annis* Hincmarus in Vitae S. Remigii praefatione.

[18] Pardessus 500.

[19] i. q. ad integrum.

[20] Hammelburg ad Salam Francicam.

[21] Gozbertus.

[22] Geila.

[23] Pardessus 502. Beyer II, 2.

[24] Bollendorf praefecturae Bidburg.

credo[a]*, nos aut aliqui de heredibus nostris vel ulla opposita persona contra hoc testamentum venire temptaverit aut*[b] *emutare voluerit, inprimis a sancto Petro et*[c] *sancto Paulo excommunis*[d] *fiat, et insuper inferat fisco*[e] *auri libras duas, argenti pondus eris, et quod repetit non valeat evindicare. Et ut hoc testamentum apud*[f] *locum sanctum firmum*[f] *et stabile*[g] *permaneat, manu propria subterscribimus*[h]*, et testes qui subterscriberent*[i] *vel signarent in presenti rogavimus, stipulatione subnixa.*

Actum publice castro Bedense[k. 25]*. Anno*[l] et tempore quo supra[l].

Anno vero 5.[m] eiusdem regis dedit idem dux[n] sancto Willibrordo[o] petituram 1[p] vineae cum vinitore Warinhero[q] et domo et terra sua in monte Clothariense[r]. 720.

Anno incarnationis Domini 717. **Karolus regem sibi Clotharium constituens, Chilpericum et Raginfridum auxilium Eudonis ducis Waschoniae expetere compulit. Qui cum magno exercitu cum eis contra Karolum pergens, cum intrepide ab eo exceptus esset, territus, quia resistere non valebat, aufugit. Karolus insecutus usque Parisius, Sequana fluvio transito, Aurelianis peraccessit, Eudonem, Chilpericum cum thesauris suis evehentem et vix evadentem in fines suos fugavit.** G. F. c. 53 Fred c.107.

Anno itaque prefati Clotharii primo Karolus hanc donationis cartam sancto Willibrordo[s] conscripsit:

[Anno[26] *primo regni domini nostri Clotharii regis*[t]*.] In Dei nomine. Karolus pro Dei intuitu vel aeterna retributione et*[u] *pro animae meae*[v] *remedio*[w] *dono*[x] *ad aecclesias*[y] *sancti Petri et sancti Pauli *cum sociis eorum villam, que vocatur Bollunvilla sive Bolluntorf*[z]*, quantumcumque michi ibidem obvenit de genitore meo Pippino, quod contra allodiones meos recepi, totum ad integrum dono atque transtrado*[a]*, terris, silvis, campis, pratis, mancipiis, aecclesiis, aquis aquarumque decursibus, mobilibus et immobilibus, totum ad integrum quantumcumque michi ibidem obvenit; in ea*[b] *ratione ut ab hac die ipsa aecclesia habeat, teneat, possideat vel quicquid inde facere voluerit, liberam et firmissimam in omnibus habeat potestatem. Ac*[c] *si ego ipse aut ullus de heredibus vel proheredibus meis vel quelibet opposita persona*[d] *contra hanc donationem vel testamentum, [quod ego spontanea voluntate fieri rogavi,] venire*[e] *temptaverit vel emutare voluerit*[e]*, inprimitus*[f] *a sancto Petro et sancto Paulo excommunis fiat et sociis eorum, et iram Dei incurrat, et insuper inferat illis aecclesiis et fisco auri libram 1, argenti pondo duo*[g] *coactus exsolvat*[h]*, et quod repetit non evindicet, sed presens donatio*[i] *omni tempore firma et inviolata permaneat, stipulatione subnixa.* 718.[27] Febr. 23. *f. 39'.

Actum publice in[k] *villa que vocatur Fidiacus, die mensis Februarii 23.*

Eodem anno Ansbaldus hanc cartam suae donationis sancto Willibrordo[s] dedit:

In[28] *Christi nomine. Dilectissimo et sanctissimo patri Willibrordo*[s] *pontifici Ansbaldus monachus, filius Wigibaldi quondam, donator. Leges et iura sinunt, et convenientia secularium personarum est, ut de rebus suis propriis unusquisque quod facere voluerit liberam habeat potestatem, et hoc solempni scriptura pro temporum serie firmetur. Quod cum ita est, ego Ansbaldus perpensans in mente mea fragilitatem presentis vitae, cogitavi aliquid de rebus meis tibi pro remedio animae meae seu orationum tuarum lucro dare ac delegare. Quod et ita facio. Hoc est quod tibi dono in loco Haeslaos, in pago Texandriae, super fluvio Dudmala, totum ad integrum quod michi genitor meus Wigibaldus quondam hereditario iure dereliquit, vel quicquid ego ibidem iuste laborare visus sum, hoc est: casis, curticlis, campis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, cum watriscapo et aratoria terra, mobili cum immobili, cum manentibus ibidem aspicientibus, 10 servientes hafergarias, hochofinnas, cum ingressu et egressu, cum omnibus adiacentiis a die presenti tibi ad integrum dono, donatumque perhennis temporibus esse volo. Hoc habeas, teneas, possideas atque defendas, tuisque ad possi-* 717. Oct. 24.

---

a) vel *add.* 2. b) vel 2. c) ab *add.* 2. d) inde communis 2. e) se 2. f) apud loca sancta firmavit 2. g) stabilis 2. h) subter subscribimus 2. i) subscriberent 2. k) bedinse 2. l) Anno 1. Chilperici regis *Martene;* anno 1. regni domini nostri Chilperici regis *Bertholet.* m) *haec notitia exstat etiam* f. 44' *eiusdem cod., ubi legitur* quinto. n) *deest* 2. o) W. 1. p) pendituram unam 2. q) Warinero 2. r) clotariense 2. s) W. *cod.* t) *uncis inclusa adaita sunt in secunda (2.) descriptione chartae* f. 44' *eiusdem cod.* u) *deest* 2. v) sue 2. w) vel abluendis peccatis suis *add.* 2. x) donat 2. y) ecclesiam 2. z) Bollunthorp 2. a) trado *superscriptum voci* fundo *cod;* transtrado 2. b) vero *add.* 2. c) et 2. d) que *add.* 1. 2. e) venire vel remutare voluerit 2. f) *sic* 2; in primis 1; *pergit* 2: iram Dei incurrat et apostolorum Petri et Pauli et sociorum eorum et insuper. g) duos 2. h) co. et solvat 2. i) *deest* 2. k) ea *add.* 2.

25) Bidburg in Eiflia. 26) Pardessus 503 ad a. 717. Beyer II, 3. 27) Cum Karolus post pugnam apud Vinciacum (717. Mart. 21.) demum Clotharium regem constituerit, haec charta a. 718. data sit oportet. 28) Pardessus 481 ad a. 711.

dendum derelinquas, vel quicquid exinde facere volueris, liberam potestatem habeas. Si quis vero, quod futurum esse non credo ut supra.

Actum publice in monasterio Suestra. Anno 1. *Clotharii*[a] *regis, die* 9. *Kal. Novembris.*

Ego Laurentius indignus presbiter, rogante Ansbaldo Dei servo, scripsi.

G. F. c. 53. Fred. c. 107. Post hec Clotharius rex vita decessit, et Karolus per missos suos repetens Chilpericum ab Eudone recepit. Qui Noviomis veniens, non post multum obiit. Karolus vastavit Saxones plaga magna[29].

Reg. Anno incarnationis Domini 718. Leo post Theodosium 9 annis imperat, et Rabodo dux Fresiae nutu Dei percussus moritur.

Vit. Bonif. Sequenti anno sanctus Bonifacius a Gregorio papa missus, Germaniae populis adhuc tunc paganis predicare cepit, et pertransiens Bauwaros, Thuringis et Hessis verbum vitae intulit. Inde Fresiam divertens, Rabodo mortuo, sancto
*f. 40'. Willibrordo *per tres annos adhesit et cum eo in destruendis fanis et aedificandis templis Dei viriliter laboravit. Karolus
Fred c. 107. c. 108. insecutus Ragenfridum, Andegavis obsedit et, vastata regione, cum multis spoliis remeavit. Saxones etiam sequenti[b] anno debellavit, ac demum coacto agmine Renum transiit, Alamannos et Suevos lustravit, Danubio transito, Bawaros
G. F. c. 53. occupavit. Quibus subactis, cum thesauris multis et matrona Beletrude et nepte sua Sunnechilde remeavit. Franci post mortem Chilperici Theodericum, Cala monasterio enutritum, filium Dagoberti iunioris, regem super se constituunt.

Huius primo anno facta est haec carta sancto Willibrordo[c]:

720. Dec. 12. *In*[30] *Christi nomine. Oportet christianos viam veritatis eligere, per quam Creatori suo digne mereantur servire, ut oblatio elemosinarum ad salutem, et devotio proveniat ad mercedem. Idcirco ego Herelaef, filius Badagar quondam, donator, aliquid de rebus meis ad loca sanctorum pro remedio anime meae seu retributione aeterna dare disposui, hoc est ad basilicam sanctorum apostolorum Petri et Pauli et sancti Landoberti episcopi et martiris, quam nuper construximus in loco Baclaos*[31]*, ubi nunc domnus*[d] *pater et pontifex Willebrordus presse videtur. Hoc est quod dono in ipsa Baclaos: tres casatos, una cum sala et curticle meo, cum omni re adposita, quam ibidem legitime ex materno iure habere visus sum. Insuper dono in loco Fleodrodum*[32] *casatum* 1, *et in Durninum*[33] *casatum* 1, *cum omni integritate et peculiare eorum, tam casis quam curticlis, campis, pratis, pascuis, silvis, aquis aquarumque decursibus, rem mobilem et immobilem, cum reliqua oportunitate ibidem aspiciente, ad supradictum locum dono, donatumque esse perhennis temporibus*[e] *volo. Si quis vero* ut supra.

Actum publice loco Baclaos. Anno 1. *Theoderici regis, die* 12. *mensis Decembris.*

Ego Herelaef hanc donationis cartam relegi et subscripsi. Winibadus. Sigibaldo. Eadboldus. Gutbaldus. Egilbaldus. Grimbaldus. Theodbaldus.

Item 1. anno Theoderici regis facta est carta sancto Willibrordo[e]:

720. *In*[34] *Dei nomine. Ego Ebroinus comes, filius Oda quondam, donator, aliquid de rebus meis ad loca sanctorum pro remedio animae meae seu dilectissimae coniugis meae Theodelindae dare disposui, hoc est ad basilicam beati Petri apostolorum principis seu Iohannis baptiste vel caeterorum sanctorum, quae constructa est in loco Rinharun*[35] *in pago Dublensi, super fluvio Rheno, ubi nunc domnus pater et pontifex Willibrordus episcopus custos esse videtur, dono in loco Nitro*[36]*, villa nostra, casatos tres cum uxoribus et infantibus, terras cum sala et curticle meo vel adiacentia et ad eundem locum pertinentia; et portionem meam in loco Haemmi*[37]*; silvam iuris mei totum et ad integrum dono; sed et hoc quod michi legibus provenit in Dangaesbroch*[38]*, medietatem silvae ad eundem locum pertinentem iure meo; et in villa nostra Meri*[39] *casatum cum uxore et infantibus et portione silvae; et in villa nostra Rinhari casatos*[f] 4 *cum uxoribus*[g] *et infantibus cum terris et peculiari eorum, et porciones de silva; et in villa nostra Millingi*[40] *basilicam domnae nostrae Mariae cum omni integritate,*
*f. 41'. *quam ibidem ordinavimus, *ad eundem Sanctum Petrum subrogari volumus et decrevimus; et servum nostrum Folcharium ibidem servientem cum uxore et infantibus, Eodfrid cum uxore et infantibus et terris; et in loco Meginun*[41] *Walamunt cum uxore et infantibus cum terris, duas hobinnas; et in villa Dagaesburge Oda cum uxore et infantibus et peculiari suo. Haec omnia cum integritate, id est tam casis quam curticlis, campis, pratis, pascuis, silvis, aquis aquarumque decursibus, re mobili et immobili, re exquisita et inexquisita vel reliqua oportunitate ibidem aspiciente, ad supradictum locum sanctum dono donatumque esse perhennis temporibus*

---

[a] Dagoberti *legerunt editores Martene, Hontheim, Pardessus, ideoque hanc chartam perperam ad a.* 711. *posuere.* [b] *superscriptum* eodem *cod.* [c] .W. *cod.* [d] dōnus *cod.* [e] esse *abundat cod.* [f] *corr. ex* casatum *cod.* [g] uxore *cod.*

[29] Ann. Lauresham. Petav. a. 718. [30] Pardessus 520. [31] Bakle. [32] Vlierden. [33] Deurne sicut alii vici in Peelland provinciae Nord-Brabant situm. [34] Pardessus 519. [35] Rindern praefecturae Cleve. [36] Nütterden eiusdem praefecturae. [37] Cleverham. [38] Donsbrügge eiusdem praefecturae. [39] Mehr a Kranenburg ad septentriones, eiusdem praefect. [40] Mylingen ditionis Hollandicae in confiniis nostris. [41] Megen ad Mosam.

volo, pro orationum lucro vel missarum sollempniis celebrandis perpetualiter pro me et pro meis. Et ipse locus sanctus et custodes eius hoc habeant, teneant et possideant ac defendant, et quicquid exinde facere voluerint liberam ac firmissimam in omnibus potestatem habeant. Si quis vero, quod futurum esse non credo et reliqua ut supra; post maledictionem et excommunicationem: *auri libras* 10, *argenti pondo* 20 *una cum socio*[a] *fisco exsolvat.*

Actum publice Rinharos. Anno 1. *regni domni*[b] *nostri Theoderici gloriosissimi regis.*

Ego Ebroinus hoc testamentum a me factum relegi et propria manu firmavi. Ego Virgilius indignus presbiter, rogante Ebroino comite, in Dei nomine scripsi et subscripsi[c]. *Guntberechtus. Folchbrectus. Godobrectus. Raedbrectus. Redualdo. Herifuso.*

*Eodem[d] anno 1. Theoderici regis idem Ebroinus comes ad prefatam aecclesiam *f. 42. Rinharun dedit et alios casatos 10 per alterius testamenti paginam, in eadem villa cum uxoribus et infantibus eorum cum omni integritate et peculiari eorum tam casis quam curticlis, campis, pratis, pascuis, silvis, aquis aquarumque decursibus, in ea ratione qua supra; quam[42] et ipse relegit et propria manu firmavit, cum testibus; et Laurentius Virgilius[e] scripsit et subscripsit.

Item eodem anno: *Ego Berta*[43] *Deo sacrata et filius meus*[f] *Chardradus et Harbertus* 720. *donamus pro animae nostrae remedio vel salute ad basilicam sanctae Mariae et sanctorum Petri et Pauli apostolorum vel caeterorum sanctorum, quae aedificata est*[g] *in monasterio Epternaco, ubi domnus et in Christo pater Willibrordus*[h] *episcopus abbas esse videtur, vel monachis ibidem Deo servientibus, donatumque in perpetuum esse volumus et promptissima voluntate confirmamus, hoc est quod vocatur Creucchovilare*[44] *in pago Bedensi super fluvio Prumia*[45], *tam casis quam curticlis, domibus, aedificiis, mancipiis, mobili et immobili, campis, pratis, pascuis, silvis, cultis et incultis, omnia et ex omnibus, quantum in ipsa villa visi sumus habuisse, vobis tradimus atque transfundimus a die presente ad monasterium vestrum, ut semper vobis permaneant. Si quis vero* ut supra, et post excommunicationem: *auri libras* 3, *argenti pondo* 8 *coactus exsolvat.*

Actum publice in villa Sismere[46].

Anno incarnationis Domini 722. sanctus Bonefacius archiepiscopus consecratur a papa Gregorio II, imperante Vit. Bonif. Leone anno 7. et filio eius Constantino anno 4, indictione 6. Eodem anno fuit *magna fertilitas[47]. *f. 42'. Duo filii Drogonis capti et ligati sunt, quorum unus obiit. Karolus quoque graviter infirmatus convaluit[48].

Idem 10. anno principatus sui contra Bawaros pugnavit et eos superavit. Anno vero 15. Alamanniam ingressus Reg. contra Lantfridum dimicavit et sibi eandem gentem subiugavit. Eudonem ducem post hec, transito Ligeri fluvio, Fred c.108. fugavit et bis uno anno de terra sua predam multam asportavit. Qui gentem Sarracenorum in auxilium sibi excitavit. At illi cum rege suo Abdirama Geronnam transeunt, Burdegalensem urbem adeunt, aecclesiis et populis igne et cede consumptis, Pictavis properant et, aecclesia sancti Hilarii concremata, ad domum sancti Martini evertendam Turonis destinant[i]. Super quos Karolus audacter irruit, tentoria eorum subvertit et, protrito exercitu et interfecto rege eorum Abdirama, gloriose de eis triumphavit. Post haec Burgundiam penetravit, fines regni illius suis leudibus distribuit et, c. 109. pace patrata, Lugdunum Galliae suis tradidit ac firmans faedera fiducialiter rediit. Septimo decimo vero anno sui Reg. principatus Sarraceni ex Hispania cum uxoribus et parvulis venientes, Aquitaniam Galliae provintiam quasi in ea habitaturi intrant. Karolus tunc ut dictum est cum Eudone principe Aquitaniae discordabat. Qui tamen in unum contra Sarracenos dimicaverunt, et irruentes super eos Franci, 375 milia ex eis interfecerunt. Eudo namque super eorum castra irruens, omnia devastavit. Mille 50 ex Francis ceciderunt. In epistola ab Eudone Gregorio papae missa continetur de eadem victoria.

Raginfridus Coloniae archiepiscopus et sanctus Willibrordus fecerunt commutaciones de mancipiis.

*Testamentum quod fecit Rohingus de aecclesia in Antwerpo[k] castello et de theloneo, *f. 43. sicut prediximus, quia necdum illud invenimus cum mentionem de eo fecimus, hoc loco inserere dignum iudicavimus. Quod ita se habet:

Credimus[49] *mercedis lucra conquirere, si aliquid de rebus nostris pro peccatis nostris* 726. Oct. 20. *redimendis sacerdotibus Dei conferimus. Igitur ego in Dei nomine Rauchingus*[l] *et coniunx mea Bebelina donamus apostolico domino et patri nostro Willibrordo episcopo donatumque in perpetuum esse volumus, hoc est: aecclesiam quae constructa est infra castrum Antwerpis super fluvium Schaldae, quam domnus Amandus pontifex in honore sancti Petri et Pauli*

a) *correxi ex* sacratissimo *cod.* b) dōni *cod.* c) subsč. *cod.* d) *f.* 42. 42'. 43. *rubricator pausavit; litterae initiales a posteriore atramento suppletae sunt cod.* e) ůgilius *cod.* f) *fortasse legendum* filii mei. g) *correxi ex* qui aedificati sunt *cod.* h) .W. *cod.* i) *leg.* festinant. k) Antweppo *cod.* l) Rauchincjus *Bertholet.*

[42] scilicet paginam testamenti. [43] Eadem esse videtur, quae eodem anno prima monasterii Pruemiensis exstitit donatrix, v. ap. Beyer I, 8. [44] Schankweiler praefecturae Bidburg. [45] Prüm. [46] Simmern in saltu Hundsrück? [47] Cf. Ann. Lauresham. Petav. a. 722. [48] Cf. ibid. a. 723. [49] Pardessus 538.

apostolorum principum vel caeterorum sanctorum construxit; et nos pro ipsa aecclesia vel quicquid ibidem aspicere videtur venerabili viro Firmino abbati de monasterio Quortolodora[50] *locellum nostrum nuncupatum Tumme ....*[a] *in concambio dedimus. Et nos postea a die presenti iam dictam aecclesiam una cum terris, domibus, aedificiis, acolabus, mancipiis, mansis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, adiacentiis, appendiciis ibidem aspicientibus, farinariis, gregibus cum pastoribus, mobilibus et immobilibus, re adquisita et inexquisita, totum et ad integrum, quicquid dici vel nominari potest tam de dote*[b] *quam de comparato vel de qualibet re*[c] *ad nos noscitur pervenisse, nos a die presenti suprascripto domno Wilbrordo episcopo donamus atque tradimus. Et illud teloneum quod ad partem nostram ibidem venerat, hoc est: illam terciam partem ad integrum ei concessimus* *f. 43'. **atque donamus, in ea ratione ut ibi thus vel luminaria debeant esse procurata et presbiteri qui ibidem serviunt pro peccatis nostris Domini misericordiam debeant exorare, et ut ipse suprascriptus domnus Willibrordus ipsam aecclesiam vel quicquid ibidem aspicere videtur seu ipsum theloneum habeat, teneat atque possideat, dandi, commutandi vel quicquid exinde facere voluerit liberam et firmissimam in omnibus habeat potestatem. Si quis vero* ut supra, et *inferat fisco auri libras 2, argenti pondo 5.*

Actum est hoc[d] *Weimodo regia villa, cum fecit October dies 20, regnante Theoderico rege anno 6.*

Hic adtendat lector quod sub Clodoveo rege facta est haec donatio, postea vero sub hoc Theoderico[e] facta est huius cartae confirmatio. Dedit idem et aliam cartam in hunc modum:

In[51] *Dei nomine. Ego illuster vir Rohingus et coniunx mea Bebelina donamus ad sacrosanctam ecclesiam sancti Petri et Pauli apostolorum, quam domnus Amandus pontifex in Antwerpo*[f] *construxit, ubi Willibrordus episcopus preesse videtur, donatumque in perpetuum esse volumus, hoc est: villa nostra, quae est constructa in pago Renensium*[52] *super fluvio Huita*[g]*, quae michi de paterno iure legibus obvenit, in loco nuncupato Sprusdare*[h]*, cum omni integritate, et in alio loco de materno iure ad me pertinente, vocato Winlindechun*[i][53]*, medietatem de casis, domibus, aecclesiis, mancipiis et omnibus pertinentiis tradimus atque transfundimus* et caetera ut supra[k].

V. LIBELLUS DE LIBERTATE EPTERNACENSI PROPUGNATA AUCTORE THEODERICO MONACHO.

f. 111. Cum operante Deo, qui sanctis suis facit magna et inscrutabilia, per merita sancti Willibrordi frequenter Epternaci innoventur signa et immutentur mirabilia[54], merito ingratitudinis notaremur indiciis, si non devotis laudibus tantis Dei responderemus beneficiis, quem iubemur semper in sanctis suis laudare et omni tempore benedicere et magnificare. Ad laudem igitur Dei et gloriam sancti Willibrordi[l] venerantes memoriam, mutationem dextere Excelsi, que suis meritis contigit in ecclesia Epternacensi, volumus memorie commendare, et rem gestam, quam verius possumus, cupimus presentibus et futuris enarrare.

1192. Anno igitur incarnationis Domini 1192. cum prefata Epternacensis ecclesia post varios eventus afflictionum industria prelatorum suorum iam paulatim inciperet respirare et contenta presentibus, intenderet ruinosa sua sustentare, diruta reparare, invidit et impedivit eam adversarius, qui semper omni bono est contrarius. Annus ille erat 11.

---

[a] *tertia pars lineae vacua cod.;* Tumine *leg. Bertholet, nullo spatio omisso; fortasse leg.* Turnine, *v. p.* 62 *not.* 33.
[b] *leg. fortasse* alode.
[c] re *manus posterior in spatio vacuo scripsit cod.; deest, spatio relicto Berth.*
[d] est hoc *des. Berth.*
[e] Theod' *cod.*
[f] t *superscriptum cod.*
[g] *seu* hiuta *cod.;* Nutta *leg. Miraeus.*
[h] *correctum videtur ex* pprusdare *cod.;* preprusdare *leg. Miraeus.*
[i] *leg. fortasse* Winlindechim.
[k] *hic deficit prima manus cod. et Chronicon pagina* f. 43' *expleta.*
[l] willib. *cod. saepius.*

50) Monasterium istud vel Mabillonio incognitum, Ann. ord. S. Bened. II, 76.

51) Pardessus 539.

52) Hodie *het land van Ryen*, cuius caput est Antwerpia.

53) Wyneghem vicus duo miliaria ab Antwerpia.

54) Cf. Eccl. 36, 6.

abbatis Godefridi, qui ab episcopo etiam tunc aliam abbatiam tenebat Treberi apud 1192. Sanctum Mathyam, cum 16. Kal. Iunii, dominica Exaudi ante penthecosten, Iohannes archiepiscopus Mai. 17. reversus a curia Wormatiensi, litteras attulit, quibus magnum dampnum intulit non sine suo dispendio ecclesie Epternacensi. Siquidem cum nuper, evolutis 7 annis, quibus circa electionem Rudolphi prepositi et Folcmari[a] archidiaconi in diversa studia scindebatur Treverensis ecclesia, ipse Arnoldo archiepiscopo successisset, et semel et secundo Epternacum divertens, honeste susceptus et liberaliter habitus fuisset, cupiditate animi captus, libertatem ipsius ecclesie, que semper in ditione et mundiburdio imperii erat, *callide exploraverat, et magnis expensis apud imperatorem Henricum sextum et *f. 111'. aulicos, ut idem locus pro concambio castri Nassouwe[b] in suam ditionem deveniret, omnimodis laboraverat. Super hoc littere, quas abbati et conventui attulit, ista continebant:

Universitati vestrae significare nostra decrevit serenitas, quod nos intuitu dilecti nostri Iohannis archiepiscopi et ecclesie Treverensis respectu, de consilio principum et fidelium nostrorum, abbatiam Epternacensem ecclesie Treverensi tradidimus, eo iure possidendam, quo eam imperium usque ad hec tempora dinoscitur possedisse. Te itaque, dilecte Godefride abba, ab ea fidelitate, qua de ratione eiusdem abbatie nobis teneris, absolventes, discretioni tue mandamus, ut omni occasione postposita, eandem abbatiam a manu predicti Iohannis archiepiscopi recipias et ei, sicut tuam decet prudentiam, obediens et devotus existere non omittas.

Tunc abbas, his litteris Treberi recitatis coram omnibus in id ipsum in capitulum maioris ecclesiae congregatis, dicentibus ei: quod qui nutritus erat inter eos, non deberet contradicere promotioni Treverensis ecclesie, — respondit quod tam gravi obiectioni non posset respondere absque scitu et consilio illius ecclesie[55]. Petiit itaque diem deliberationis et vix obtinuit usque in proximum sabbatum, ut habito consilio cum ecclesia, finaliter Mai. 23. redderet ea die responsum. Statimque litteras imperatoris misit Epternacum, mandans conventui, ut prudentes viros et discretos in proximam 4. feriam convocarent et, se pre- Mai. 20. sente, quid facto opus esset cum illis deliberarent. Cum Epternaci mandatum cesaris esset prolatum, pro gravi deiectione et sua despectione presentem sortem sic detestans quasi mortem, ecclesia conturbata est valde et consternata. Tandem in hoc convenerunt, ut abbas imperatori privilegia predecessorum suorum de libertate ecclesie ostenderet, et per hec iuditio principum ius ecclesie defenderet. Super hec destituti consilio et humano *auxilio, gemebundi servi Dei, fidutia bonae spei, rebus in adversis ut consulat et prope *f. 112. mersis, Willibrordum implorabant patrem et sic orabant:

O rerum columen nostrarum, gloria, lumen,
Willibrorde sacer pater, hostis quos premit acer,
Auxilio celeri clemens dignare tueri,
Ne manibus subici contingat nos inimici.

Abbas etiam ad hoc eos exhortabatur, scribens eis quod propter improvisos rumores nimium anxius, multa apud se volveret, quid sibi faciendum esset, maxime qui quodammodo divisus esset et consilium non inveniret, cui inniti posset, preter solum et unicum divine miserationis auxilium. *Cui*, inquit, *bene facitis intendentes iuxta verba cuiusdam sapientis:* Ubi desunt humana, divina imploranda sunt auxilia; *sicut Deus ipse promittit:* In tribulatione invocasti me, et exaudivi te. *Ut ergo*, inquit, *nobis adsit in auxilio oportuno,* Ps. 80, 8. *in missis*[c] *et orationibus pro redemptione nostra diligenter supplicate*[d] *Domino*. Cumque archiepiscopus insisteret, ut abbas ad curiam non accederet, nec optineret, omnibus modis eum gravare nitebatur, maxime quia et aliam abbatiam ab eo tenere videbatur. Unde prelati Treverenses consuluerunt, ut abbas ad curiam accedens, pro iure ecclesie sue laboraret; et si nichil apud imperatorem obtineret, rediens ipsam abbatiam aut dimitteret, aut ab episcopo reciperet.

Interea illustris comes et advocatus Henricus[56] Epternacum venit, et benigne abbatem et ecclesiam convenit, sanum consilium ostendit, auxilium et adiutorium magnificum pro iure ecclesie laborantibus spopondit. Siquidem et apud eum tunc agebatur, ut accepta ingenti pecunia et conditionum inmensa[e] copia, advocatiam imperatori redderet, et ab

---

a) F. *cod.* b) nassŏwe *cod.* c) op. inmissis *cod.* d) *corr. ex* supplicante *cod.* e) *post* inmensa *deletum est* munera *cod.*

[55] scilicet Epternacensis. [56] comes Namurcensis et Luzelburgensis.

episcopo eam reciperet. Quod ille reputans sibi et successoribus suis esse inglorium, scripsit domno Cuonrado Mogontino archiepiscopo et aliis amicis suis de curia, ut ab intentione illius concambii averterent imperatoris animum. Misit etiam imperatori honesta *f. 112'. *munera, scribens ei et rogans pro Epternacensi[a] ecclesia.

Cumque pontifex instaret et abbatem coartaret, ut votis suis pareret, aut abbatia careret, regni censura defenderet ut sua iura, ille ad regis curiam hanc retulit iniuriam, prius expetito et optento prefati domni Magontini et Sigilonis prothonotharii et Marquardi[57] dapiferi magnifico suffragio. Horum consilio imperator questionem audiens et rationem firmam privilegiorum predecessorum suorum, ut sapiens eque moderans pro tempore queque, distulit audientiam ad principum sententiam. Et primo quidem non posse infringi quod fecerat reputavit; sed postea ab abbate rogatus, ut saltim iuditio principum secum ageret, dilationis prefatae formam in hec verba archiepiscopo mandavit:

Venientes ad maiestatis nostre presentiam fideles nostri abbas Epternacensis[b] et quidam fratres eiusdem ecclesie, privilegiis antecessorum nostrorum et pluribus instrumentis multisque rationibus conati sunt ostendere, quod nos nec de iusticia nec de ratione illam ecclesiam alii ecclesie concedere possimus, nec eam ab imperio aliquomodo rescindere debeamus. Super quo discretioni tue mandamus, quatinus facti huius consummationem differas, neque predictum fidelem nostrum abbatem, sive aliquos de familia predicte ecclesie ad faciendum tibi hominium aliquomodo compellas, quousque nos ad partes Reni revertamur, omnibus interim in eo statu permanentibus in quo hactenus permanserunt. Scias autem, quod in proximo reditu nostro et abbatem et fratres totamque familiam eiusdem ecclesie ad nostram vocabimus presentiam, et quicquit in facto isto facere poterimus, libenter sicut promissum est prosequemur.

Itaque abbas rediens de curia cum imperatoris gratia, prefatas litteras archiepiscopo presentavit. Quibus perlectis, in tantam prorupit iram, quod conviciis plurimis affectum, *f. 113. in contumeliam *litterarum et mandati imperatoris, sine sententia de possessione abbatie[58] quam ab eo tenebat eum eliminavit. Unde prelati ecclesie timentes sibi in simili casu, convenerunt eum, ut abbatem restitueret et postea secum, si vellet, districto iure ageret. Revocatus ergo ad satisfaciendum pro se coram ecclesia stetit, ubi sibi hec capitula obiecit: Quomodo fide data promisisset, quod rediens de curia sine exceptione abbatiam Epternacensem vel ab eo reciperet, vel omnino dimitteret. Ad que cum abbas responderet: quod valde stultum esset, ut bona ecclesie eundo vel redeundo hac conditione expenderet, — et hec omnino negaret, simul compromiserunt, illorum veritati adquiescere qui interfuerunt. Commoniti ergo, veritatem quidem in hoc dixerunt, quod post reditum, archiepiscopi recepturum se promisisset vel dimissurum abbatiam; sed de adiectione gratie imperatoris omnino tacuerunt. Cum vero abbas insisteret, ut modum promissi manifeste dicerent, se non esse interpretes verborum dixerunt, sed tantum nuda verba tenerentur dicere que audierunt; et sic circumventum a causa eum cadere fecerunt. Cumque ab omnibus[c] inclamaretur, ut de obiectis alterum faceret, neque excusationem suam pretendit, neque quod illi a vero declinarent ostendit, sed respondit quod abbatia quidem cederet; episcopo vero quod ab eo non accepisset, neque redderet neque ab eo umquam reciperet. Ita discessum est. Hoc Epternacenses audito, convenerunt et simul compromiserunt, quod ad omnia extrema se prius redigerent, quam ex parte episcopi vel de se vel de alia ecclesia abbatem eligerent. Ita enim fama disperserat, quod abbas omnino abbatiam dimisisset, cum causam suam cum excusatione nec appellatione coram episcopo defendisset. Sed altius considerantibus visum est, sapienter eum fecisse, quia si de oppositis innocentiam pretendisset, iuramentum incurrisset; si appellasset, non sine offensa et dampno illarum personarum etiam illi ecclesie, de qua agebatur, magnum laborem et dampnum intulisset. *f. 113'. *Quia ergo aliud fuit cedere, aliud dimittere, maluit ad tempus non dimittendo cedere, quam insistendo et se et illos et maxime ecclesiam illam amplius ledere.

Epternacenses itaque, facta confirmatione, nuntios ad imperatorem direxerunt, qui ex responso abbatis et querimonia omnium[d] ius et[e] iniurias ab episcopo in contumeliam litterarum et mandati imperatoris sibi illatas exposuerunt. Hoc autem multum ad rem

---

a) epternacenš *cod.* b) epternac̄ *cod.* c) *radendo corr. ex* hoībus *cod.* d) *correxi ex* oms̄ *cod.* e) *pro* ius et *Martene male legit* ei.

57) de Anweiler. 58) Sancti Mathiae.

profuit, quod archiepiscopus tunc non bene in gratia imperatoris fuit. Nam suggerente Hermanno de Numaga[59], pro verbis quibusdam superfluis non solum imperatoris offensam incurrerat, sed et domni Mogontini et pene omnium aulicorum odium promeruerat.

Erat tunc temporis Theodericus[a] unus ex ecclesie illius discipulis, a puero fere usque ad provectam etatem claustralibus institutus disciplinis, qui pro eo quod multa audierat, viderat et legerat, statum ecclesie et eventum a principio optime noverat, et quod sepe variis fortune iactata proventibus, numquam a ditione regum et imperatorum alienata fuerat. Is ergo permotus atrocitate tam subite mutationis, et dolens supra quam credi potest de ruina tante sue dignitatis et antique institutionis, scripsit imperatori ex parte ecclesie epistolam, ex qua prerogativam a predecessoribus suis sibi collatam cognosceret, quam ne ipse immutaret tota ecclesia genibus clementie eius provoluta, suppliciter deposceret. Insinuavit etiam ei ipsius[a*] ecclesie procursum et varium statum per annos principum et abbatum breviter annotatum, et quomodo regnum Lotharingie in ducatu Brabantie et comitatu Luzelburgensi de reditibus eiusdem ecclesie fuerit amplificatum. Cuius epistole talis est modus:

Serenissimo domino suo Henrico[b], *gloriosissimo Romanorum imperatori et semper augusto, conventus humilis Epternacensis ecclesie* angustiatus usquequaque et afflictus, cum ministerialibus et civibus omnibus, eternam in Deo patre salutem et gloriam et letam de quocunque hoste victoriam. Non moveat dignitatem maiestatis vestre, clementissime domine, quod discretioni serenitatis vestre scribere presumimus, licet parum vobis adhuc cogniti, utpote in arduis Ardenne sinibus*[c] *sepositi, tamen mente et corpore semper vobis devoti et subditi atque ad supplicandum Deo pro salute culminis vestri promtissima voluntate usquequaque parati. Scribimus autem excellentie vestre, necessitate cogente, pro ecclesia Epternacensi, dignitate et honoribus quondam tam*[d] *affluenter pollente, ut regni Lotharingie vires eius prediis et possessionibus non parva ex parte sint augmentate, et dignitates, ducatus scilicet Brabantinus, comitatus de Gelre et comitatus Luzelburgensis ad scutum regalis exercitus complendum de bonis eius sint sagaciter ordinate; preter illa que comes Flandrie et comes Hollandie de manu imperii habent in maritimis*[e] *locis scilicet: Walachria*[60], *in Schalda*[61] *et in utraque Bivilandia*[f][62] *et in Brinsila*[g][63]. *Harum vero omnium dignitatum bona quamvis de manu vestre maiestatis suscipiantur, tamen perpendere debet clementia vestre serenitatis, quod in archivis nostre ecclesie adhuc privilegia eorum summa diligentia conservantur. Qui et quales fuerunt nobiles, duces, comites et ceteri Francorum principes, qui hec sancto Willibrordo contulerunt, et quomodo postmodum propter incursionem Nortmannorum ab Arnoldo imperatore ad supplendum, sicut diximus, scutum regium*[64] *delegata in prefatas dignitates concesserunt*[h]. *Ut enim taceamus de Antwerpo castello et ceteris oppidorum vel vicorum nominibus, que vel dux Brabantie vel comes de Gelre et ceteri habent de manu vestre maiestatis in Texandria, in Pedele*[65], *in Bethua*[66], *illud summatim vestre celsitudini significare dignum duximus de Luzelburgensi comitatu, qui sint *et quam nobiles, utpote Salicae conditionis et libertatis ex magna parte homines, qui hominium debent ad eundem comitatum de beneficiis decentibus*[i] *et hereditario iure de regno attingentibus, de prefatis bonis sancti Willibrordi, que ipse sanctus firma et rata testamentorum confirmatione delegaverat ecclesie sue Epternacensi.*

* f. 114.

* f. 114'.

Sed prius opere pretium videtur vestre pandere clementie, quod eundem locum Epternacum ab Irmina, filia Dagoberti regis inclyti, et Pippino seniore sibi concessum prefatus sanctissimus quondam Willibrordus archiepiscopus, cognomento Clemens, de transmarinis partibus predicationis gratia veniens, temporibus Iustiniani imperatoris et Sergii pape, eiusdemque Pippini Francorum principis, monachorum habitationi aptum previdens, edificavit, et collocatis ibi quas a Roma detulit sanctorum reliquiis, monasterium in honore sancte Trinitatis et apostolorum Petri et Pauli dedicavit, et monachus ipse et episcopus, monachos

---

a) theod' *cod.* a*) ipse *cod.* b) H. *cod.* c) finibus *Martene.* d) tūc *cod.* e) habent inmaritimis *cod.* f) buulandia *cod.* g) *legendum videtur* Briusila. h) *leg. videtur* decesserunt. i) descentibus *cod.*

59) Neumagen ad Mosellam, praefecturae Bernkastel. Hermannus chartam imperatoris infra laudandam testis subscripsit. 60) Walcheren. 61) peninsula iuxta Beveland, ubi iacet urbs Ziriksee, hodie *t' land van Schouwen.* 62) Beveland, duae insulae iuxta Walcheren. 63) Borselen insula. 64) Iisdem fere verbis utitur Theodericus in Chron. lib. II, praef. 65) Peelland; v. supra p. 59 not. 13 et p. 62 not. 33. 66) pagus Batavorum, hodie *Betuwe.*

Thiof. c. 22. aggregavit. Previdens vero in spiritu et veritus hinc ex vicinia Trevirensis episcopatus varias incommoditates et assidua hospicia et servicia presulum, illinc autem ex suo episcopio Traiectensi, quod ipse primus instituerat, ob longum terrarum intersticium grave predonum periculum et rarum vel potius nullum auxilii impendium, neque vicine Treverensi, neque longinque sue sedi Traiectensi voluit in rebus esse materialibus subditum; sed rata concessione ac firma testamenti conscriptione, tradidit in ius et mundiburdium regum et imperatorum in ordine sibi legali succedentium. Ibi[67] anno
739. dominicae incarnationis 739, indictione 7, anno vero ordinationis eius 46, etatis 81, 7. Idus
Nov. 7. Novembris plenus virtutibus et insignis miraculis ipse beatissimus pater et pontifex presentem vitam finivit et ibidem in oratorio suo sepultus, quantum nunc apud Deum meritis valeat,
*f. 115. miraculis *cottidie ostendit.

Post cuius decessum multo tempore sub monachico ordine et regulari vita cum electione illustrium abbatum locus ipse permansit, donec facta post cruentam congressionem apud
841. Fontaniacum inter fratres reges, filios Lodowici[a] Pii, regni Francorum divisione, eadem abbatia regalis Karlomanno filio Karoli regis Francie, quem pater propter tyrannidem quam exercebat, cum clericus et dyaconus esset, excecaverat, a Luodowico patruo suo rege Lotharingie[68] ad subsidium vite sue est concessa[69]. Qui, licet ante eum plus quam 20 annis, eiectis[b] monachis, inducti fuissent clerici, monachos quosdam adhuc superstites fugavit, congregationem destruxit, monasterii possessiones satellitibus suis divisit et pro monachis seculares clericos inducens, que sancta et iusta erant mutavit et dissipavit. Sicque ille sacratissimus quondam locus per
Cat. II. 974. multa tempora a prima institutione sua est dilapsus, donec postmodum anno incarnationis Domini 974. imperator Otto primus apud Megedeburch, suggerente Sifrido duce et comite, deficientibus ibi clericis, monachos restituit abbatemque Ravangerum eis preficiens, ut in suo et successorum suorum mundiburdio, sicut fuerat, semper idem locus maneret, imperialibus hunc[c] preceptis et testamentis munire curavit. Fecerunt et hoc clementissimi successores sui Otto filius eius, et Otto tercius nepos eius. Ab illo ergo abbate Ravangero et cum illo est iste decimus abbas Godefridus[d], quem nunc
Chr. Ept. praef. habemus. Summam enim abbatum nostrorum ita colligimus: A transitu beati Willibrordi et ab anno dominice incarnationis 739. sub 7 abbatibus, Alberto scilicet qui 30 annis et 7 post virum sanctum prefuit, Beonrado Senonensi episcopo qui 22 annis, Adone qui 20, Sigoaldo Spoletano episcopo qui 8, Theotgaudo qui 5, Hethino episcopo qui 6,
*f. 115'. Iheronimo abbate qui 10 annis prefuit, per 109 annos in nostro loco conversati *sunt monachi. Post quos ab anno dominice incarnationis 849. sub 11 abbatibus, Adelardo[e] scilicet comite qui 7 annis, Hattone episcopo qui 9, Reinero comite qui 7, Karlomanno qui 7[e], Adelardo comite qui 13, Roberto comite, qui tribus, Rabodo episcopo qui 3, Reinero comite qui 19, Berengaudo preposito qui 20, Giselberto duce qui 24, Herino et Godino prepositis qui sub ducibus Hermanno[f] et Sifrido prefato 25 annis prefuerunt, hunc eundem locum canonici per 125 annos obtinuerunt, ac demum agente eodem Sifrido duce, anno incarnationis Domini 974. ab Ottone primo monachi cum abbate Ravangero inducti, sub 10 abbatibus usque ad hunc 10. annum Godefridi[d] abbatis, qui est annus incarnationis Domini 1191. per annos 218, licet variis fortune eventibus agitati, locum Epternacensem incoluerunt. Quos annos ita colligimus: Ravangerus 33 annis prefuit, Uroldus 21, Humbertus 24, Reginbertus 30, Theofridus 28, Gerardus 11, Godefridus[d] 33 et semis, Gerardus 18, Lodowicus[g] 8, Godefridus vero hic noster iam 10, qui est a transitu sancti Willibrordi 452.

Chr. Ept. praef. II. Sed nec ab re videtur hoc loco annos principum, regum et imperatorum a Pippino seniore, qui suscepit sanctum Willibrordum, usque ad vestre sublimitatis tempora extendere, ut et vos sciatis, a quantis et a qualibus tam alti sanguinis venam trahatis, et nos cognoscentes, qui et quales fundatores et propagatores nostre ecclesie fuerint, propensiorem memoriam apud Deum in orationibus nostris studeamus eis impendere. Pippinus itaque senior filius Begge sororis sancte Gertrudis, ex Ansgiso filio sancti Arnulfi, cuius cartam donationis et immunitatis habemus, primo dux Austrasiorum et postea maior domus regni Francorum fuit 25[h] annis. Cuius filius ex Calpiade Karolus Martellus 26 annis prefuit in eadem dignitate, Karlomannus filius eius post monachus 5 annis. Pippinus vero frater eius, alter filius Martelli, consilio Zachariae papae inunctus a sancto Bonifacio in regem Francorum, prius misso Hilderico rege in monasterium, regnavit 19 annis. Hunc sanctus Willibrordus baptizavit et multa de eius et
*f 116. successorum *suorum sublimitate prophetavit, quod postmodum rerum eventus probavit. Huius filius Karlomannus regnavit 3 annis, Karolus rex Magnus frater eius imperator augustus 47, cuius filius Luodowicus[i] Pius 27 annis imperavit. Lotharius filius eius maior, a quo Lotharingie regnum dicitur, apud Fontaniacum pugnavit cum fratribus suis Luodowico et Karolo, et deinde facta regni divisione, ipse cum aliis regnis imperium Romanum obtinuit, 18 annis imperavit, et factus monachus Prumie, seculum mutavit. Eius filius Lotharius excommunicatus 15 annis regnavit. Post quem Lodowicus patruus annis 6, cuius filius Lodowicus annis 6. Eius etiam frater Karolus imperator annis 6. Quo eiecto Arnoldus imperavit annis 11, qui sicut diximus, propter incursionem Nortmannorum de bonis sancti Willibrordi auxit comitatum Luzelburgensem ad supplendum scutum regalis exercitus. In inferioribus etiam et in maritimis locis de eiusdem sancti bonis magnifice eum augmentavit. Huius filius non legittimus Zuendiboldus[k] regno Lotharingie cum 6 annis praefuisset, a comitibus Gerardo et Matfrido occisus fuit. Post Luodowicus filius Arnoldi legittimus regnavit annis 12, cuique successit Conradus rex Germaniae annis 8. Demum translatum est regnum ad Henricum humilem de Quidelenburch filium Ottonis ducis Saxoniae, quod 15 annis rexit strenue. Huius filius Otto primus imperavit 41 annis[l], et de sancta Adeleida augusta genuit Ottonem secundum; qui

---

a) lod'. cod. b) corr. ex electis cod. c) hunc prius bis scriptum erasum est cod. d) God' cod. e) Adelardo — qui 7 omisit cod., restitui ex Chronici praefatione. f) herm̃. cod. g) Lod' cod. h) corr. ex XXVI cod. i) lũd' cod. k) litteras di supra lineam add. cod. l) xl. et i. anno cod.

67) Indidem c. 24, supra p. 25. 68) Intelligit Ludowicum Germanicum. 69) Ex Catalogo abbatum I. supra pag. 31.

*imperans 11 annis, genuit de Theophanu, filia Constantini imperatoris Constantinopolitani, Ottonem tercium, qui post 19. annum imperii sui decessit sine liberis. Cui succedens Henricus, filius Henrici ducis Bauwariae, filii Henrici ducis Saxonie, fratris primi Ottonis imperatoris, regnavit 24 annis et decessit sine liberis. Tunc unus de primoribus de genere illo excellentissimo Ottonum Cuonradus de Wevelinga elevatus in regem 15 annis prefuit et ex Gisla de Limpurch, que de nobilissima regum Francorum et Burgundie prosapia processerat, Henricum imperatorem, Claudum cognominatum, genuit. *Qui cum post eum* *f. 116'. *18 annis imperaret, de Agnete imperatrice Henricum quartum progenuit, qui 53 annis imperans, Henricum quintum edidit, qui 19 annis imperavit. Inde iterum translatum est regnum ad Lotharium ducem Saxonie, qui Rogerum de Sicilia fugavit de finibus Apulie, et cum 14 annis strenue imperasset et obisset, Cuonradus filius sororis Henrici quinti imperatoris, regnum 14 annis optinuit. Post quem Fridericus[a], Friderici ducis Suevie, fratris prefati Cuonradi filius, pater vester, Romanum imperium strenue et gloriose gubernavit annis 40 uno minus. Cui vos, domine, Deo auctore, heres dignissimus successistis, et imperii fasces iam 25 annis in iusticia et iudicio digne et laudabiliter regitis et recte. De talium enim et tantorum parentum propagine, quia nascendo in hunc mundum venistis, radicis pulchritudinem quasi in virgulto retinetis; dum tantos patres moribus et vita incessanter representatis, et ut divinum quiddam interseratis, per sapientiam Salemonis et per fortitudinem David regis scitis*

Parcere subiectis et debellare superbos. Verg. Aen. 6, 853.

Testatur hoc Boemia, Saxonia, Burgundia, Anglia omnisque Italia et Apulia et omnes in circuitu nationes quas vel consilio sapienter subiecistis vel iusticia armis fortiter perdomuistis, per eum qui est rex regum, qui dicit: Meum est consilium et equitas, mea prudentia, mea est fortitudo; per me reges regnant, et conditores legum iusta decernunt. Prov. 8, 12–15.

*Per hunc ergo auribus vestre clementie miserandam calamitatem nostram, o gloriose imperator, latius explanare curamus, quia per hunc ipsum, qui dedit vobis iudicare populum suum in iusticia et pauperes suos in iudicio, maiestatem vestram ad misericordiam et iusticiam ecclesie nostre faciendam inflectere indubitanter speramus. Idcirco etiam maiores vestros ante oculos reduximus vestre serenitatis, ut cognoscatis, quod ipsi singuli, immo fere omnes quos enumeravimus, validissimis legibus et privilegiis suis confirmaverunt *prefate ecclesie* *f. 117. *iura incommutabilis libertatis, quam nunc ambitiosi homines callidis factionibus nituntur abripere, et serenitatem vestram pretextu concanbii seducentes, ampliora et digniora de manibus vestris ad suos usus, re autem vera ad detrimentum regni et dampnum vestrum[b], conantur eripere, ita ut ecclesia, que omnium antecessorum vestrorum regum vel imperatorum clementia et liberalitate libera esse cognoscebatur, nunc illorum ancilla et servorum suorum fieri cogatur. Quod vero ampliora et digniora illo concambio non solum de ecclesia et civitate nostra sed et de comitatu Luzelburgensi a regno et de manibus excellentie vestre velint extorquere, maiestatem vestram non debet latere, quia hoc nos nec possumus nec debemus reticere: maxime de his, qui inbeneficiati sunt a comitatu de bonis illis que, sicut prediximus, ad regnum[c] translata sunt, et quorum donationes scimus nos adhuc in ecclesia nostra habere.*

*In primis dompnus[d] Arnoldus de castro Rupis[70] habet beneficium vexillarii[71]; et Cuono frater eius de Belpere habet de prefatis bonis; Walterus[e] de Wilz et de Belfurt, Walterus[e] nepos eius de Mesenburg, Tidericus[f] et Becelinus frater eius de Vischebach, Anselmus de Kavelre, Tidericus[f] de Septemfontibus[g] [72], Wezel de Zolvera et frater eius Robertus de Birtinga, Isenbardus de Holvels castrum de Theodonisvilla[73] cum beneficio; Arnoldus[h] de Rodemachra, quod castrum est in proprietate ecclesie, Heicnga[74], Hettinga[i] [75], Pris, Atelpelth[76], Hassele[k.] [77]; Daniel de Ronvels, Iohannes de Wilra et de Burscheth, Godefridus[l] de Asch et Henricus de Ham frater eius et[m] Uoseldinga[78]; domnus Brunicho de Malberch et domnus Rudolphus castrum Bettinga[79], quod tenet domnus Brunicho; Theofridus de Schonevels, Herbrandus de Valkenstein quod est in fundo ecclesie, Walterus[e] et Cuono de Ruolant, Uodo de Asch, Wiricus de Schindice, Walterus[e] de Berge, Tidericus[f] de Manderscheit quod cum altero vicino est in fundo ecclesie, Tidericus de Bruoche. Summa castellorum est plus quam 30 absque Luzelburch. Ipsi autem castellani tenent maxima beneficia de bonis illis que, sicut prediximus, *a regibus quondam et ducibus, comitibus ceterisque nobilibus sancto Willibrordo et ecclesie* *f. 117'.

---

a) frid'. *cod.* b) *correxi ex* nr̄m *cod.* c) *correxi ex* regna *cod.* d) *inferior pars litterae* p *erasa cod.* e) Walt̄ *cod.* f) Tid' *cod.* g) VII fontibus *cod.* h) Arn̄. *cod.* i) Hetᵉtinga *cod.* k) *supra 5 ista nomina in cod. signum* c *scriptum est.* l) God' *cod.* m) N. de *excidisse videtur.*

[70] Fels. De nobilibus sequentibus v. quae congessit Eltester ap. Beyer II, LXXI sq. [71] scilicet munere signiferi fungens. [72] Siebenborn. [73] Diedenhofen. [74] Eysing in Gallia. [75] Hettingen prope Königsmachern in Gallia. [76] Aspelt prope Trier, seu prope Frisingen in Luxenburg. [77] Hassel prope Weiler zum Thurm ditionis Luxenburgensis. [78] Useldingen in Luxenburg. [79] Bettingen praefecturae Bidburg.

Epternacensi collata fuerunt et postea propter incursionem Nortmannorum reprimendam ab Arnoldo imperatore pro supplendo scuto regio et comitatu Luzelburgensi augendo regno delegata fuerunt. Perpendat itaque discretio imperialis maiestatis, quale sibi consilium dederunt qui talem dignitatem a regno et a tam nobilibus heredibus sequestrare voluerunt. Hec vero predicta sunt tantum de Epternacensi ecclesia. Ceterum alia multa maiora sunt ad comitatum pertinentia, preter hoc quod comes est advocatus summus in oppido Epternacensi et in omnibus villis que pertinent ad proprietatem prebende nostre, sive in episcopio Trevirensi sive in Metensi, in quibus habet 777 mansos, de quibus inbeneficiati sunt plurimi nostre terre nobiles.

Ecce, clementissime imperator, statum et procursum ecclesie nostre serenitati vestre significavimus, et quod a beato Willibrordo instituta, non alias umquam quam in ditionem commissa sit regiam, propalavimus; quod regnum in dignitatibus suis de ea decoratum et dilatatum sit, enarravimus; quod maiorum vestrorum inviolabili auctoritate perpetua libertate donata sit, explicavimus; et si hoc fuerit immutatum, sicut iam apud vos ab archiepiscopo est elaboratum, quantum dedecus, quantus error, quantum detrimentum, non tam nobis quam et rei publice inde proveniat, vobis enumeravimus. Quid igitur hinc statuatis, quid cum principibus regni decernatis, vestri est iuris, clementie et maiestatis. Non est autem vestrum, qui iudicatis omnem terram, si salva gratia vestra dicamus, ut nequam faciatis iuditium, et paciamini, nos, qui vestri sumus, pati iniuriam et proscriptionis preiuditium, ut locus noster, qui imperio numquam oneri, semper autem fuit usui, a regno avellatur et ad servitium *f. 118. *hominum redigatur, qui cum sua nequeant defendere, conantur dominationem *suam*[a] *in aliena extendere.*

Ad quod etiam illud considerandum est et precavendum, quod domnus archiepiscopus in maritimis et remocioribus locis, ubi prebenda nostra maxime statuta est, parum vel omnino nichil nobis posset prodesse, cum nisi adesset et prodesset nobis ibi terror nominis vestri, in nichilum reverteretur ibi nostrum posse vel esse. Sed quid de illis loquimur? Ecce iuxta nos et inter nos advocati et subvocati nostri, generali ubique hoc malo seviente, terras sanctorum invadunt, depredantur, vastant; pauperes cultores earum in dolore, fame, nuditate vivere faciunt; precariis immo predationibus ter vel quater in anno, tormentis etiam usquequo eos profugos reddant, affligunt; et non invenitur de his iudex vel episcopus, qui vel seculari vel ecclesiastico iure ea discutiat vel qui stet ex adverso et se murum pro domo Domini opponat.

Inter que mala dominus noster archiepiscopus de curia reversum abbatem nostrum conviciis affectum, in contumeliam litterarum vestrarum et mandati vestri, sine sententia de abbatia quam ab eo tenebat eliminavit; sed postea consultu Trevirensis ecclesie revocatum, ad satisfaciendum pro se coram ecclesia de obiectis citavit. Obiecit vero ei, quomodo fide data promisisset, quod rediens de curia sine exceptione abbatiam Epternacensem vel ab eo reciperet, vel omnino dimitteret. Quod cum abbas omnino negaret, simul compromiserunt illorum veritati adquiescere qui interfuerunt. Conmoniti ergo, cetera quidem veraciter dixerunt, sed de adiectione gratie vestre, quam interposuerat, omnino tacuerunt. Tunc insistente abbate eo, ut modum promissi manifeste dicerent, se non esse interpretes verborum dixerunt, nuda enim verba tenerentur dicere que audierunt; et sic circumventum a causa eum cadere fecerunt. Tunc inclamatus ab omnibus ut de obiectis alterum faceret, nec excusationem pretendit nec, quod illi a vero declinarent, ostendit, sed dixit, quod abbatia quidem cederet, episcopo vero *f. 118'. *quod ab eo non accepisset, nec redderet, nec ab eo umquam reciperet. Ita *discessum est.*

His itaque infestacionibus, o serenissime imperator, archiepiscopus abbatem nostrum fatigare nosque abstractos a regno contendit et festinat sibi subiugare, nec presentiam vestre maiestatis, sicut ei mandastis, vult expectare. Quapropter, clementissime domine, omnes ad pedes maiestatis vestre provoluti, supplicamus pro dignitate parentum vestrorum, pro elemosina regni, pro maiestate imperii, ut nobis tantis erumpnis deformatis clementem animum habeatis miserendi, et restituentes nobis abbatem nostrum, immo vestrum, preiudiciis hominum a nobis avulsum, sibi et nobis detis locum et facultatem, auctoritate et privilegiis maiorum vestrorum, libertatem ecclesie nostre coram principibus defendendi, et nos in ea vocatione, qua vocati sumus, cum omnium antecessorum vestrorum tum vestris beneficiis, eodem iure, eadem libertate, qua hactenus usi sumus, uti permittatis; ac sicut ipsi, ita et vos nobis hoc confirmetis decreto magne vestre auctoritatis.

---

a) *incipit alia manus coaeva, priori simillima cod.*

Dicitur imperator, lecta hac epistola, statim mutata voluntate, multa secum agitasse, utpote qui se seductum paulatim intelligeret a recto tramite deviasse. Interim servi Dei in Epternaco ieiuniis intenti et vigiliis adiuti et aliarum ecclesiarum succursu flebant, orabant, contrito corde rogabant, ut Dominus inclinaret cor regis et immutaret. Sic autem afflicti pro peccatis pulsabant aures summae pietatis:

Spes pia lapsorum, Iesu bone, vita bonorum,
Quos peccata ligant, hostesque perhinde fatigant,
Wilbrordi meritis dissolvens vincula litis,
Tu de cunctorum nos eripe clade malorum.

Quibus Deus de alto meritis sancti Willibrordi aurem sue pietatis inclinavit, et animum imperatoris miro modo ab intentione facti concambii cum episcopo revocavit. Audiens enim a nuntiis ecclesie, quos diximus ad eum directos fuisse, abbatem abbatiam propter vim episcopi dimisisse, non diu expectavit, sed protinus litteras has de electione alterius *abbatis ecclesie destinavit: *f. 119.

Henricus[a] *Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus, dilecto sibi capitulo*[b] *Epternacensi gratiam suam et omne bonum. Hillinus prepositus et Tidericus*[c] *camerarius, ecclesie vestre confratres, ad presentiam nostram accedentes, ex parte vestra nobis retulerunt, quod Godefridus*[d]*, qui abbatiam Epternacensem hucusque tenebat, eam penitus dimiserit et ad aliam abbatiam, sancti Mathie videlicet apud Treberim, quam et ante tenebat, se transtulerit. Quod si ita est, ne ecclesia eadem pastore carens, in peiorem statum personarum inibi Deo servientium transire debeat et immutari, auctoritatem damus vobis eligendi personam ydoneam in abbatem, ut tandem illa ab universitate vestra vestrum consilio electa et nobis rite presentata, regalibus a nostra maiestate investiatur et investita vobis cum solempnitate debita adhibita remittatur.*

His litteris Epternaci lectis, omnis ecclesia magno gaudio exultavit et ymnum Deo magna alacritate iubilavit. Diu vero pertractantes de permissa sibi a cesare electione, tandem saniori consilio adquieverunt, ut quia abbas nec imperatori nec ecclesie abbatiam adhuc resignasset, quamvis pro supra memoratis cedendo quodammodo se humiliasset, nuntius velociter ad eum mitteretur, qui dilationem electionis suggerens, quid ei faciendum esset percunctaretur, diceretque sibi, quod in tali rerum articulo omnes sacius ducerent, se adhuc regi velle sue prelationis adminiculo, quam certa pro incertis mutare, et in dubio electionis vel solempnitate investiture alterius abbatis vel parum laborare. Nuntius itaque, Tidericus[e] Rufus ille, abbatem iam pridem cum episcopo in gratiam reductum et cum eo ad curiam proficiscentem, velocius quam credi poterat consecutus, iniunctum sibi mandatum sagaciter aperuit et ad curiam imperatoris eum prosecutus, non deseruit. Ibi archiepiscopus, nec tunc bene existens in gratia imperatoris, consurgens Epternacensem abbatiam imperatori reddidit et pacto de ea inter eos facto penitus abrenuntiavit. Imperator etiam econtra concanbium de Nassove factum omnino exfestucavit. Cumque *imperator abbatem redargueret, *f. 119'. quare suam pro episcopi abbatia dimisisset, respondit, quod eam non dimisisset, sed propter episcopum usque ad responsum gratie sue pro tempore cessisset. Quod imperatori ita sedit[f] ad gratiam, ut abbas eius gratie statim optinuerit efficatiam. Nam precepit ei, ut deinceps sub imperialis maiestatis dicione abbatiam illam regeret, cercius adiciens, quod pre multis aliis sibi cuperet melius. Statim ipse renovatus abbas scripsit de curia conventui, ministerialibus et civibus Epternacensibus hanc de tribulatione laeticiam:

Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete, modestia vestra nota sit omnibus Phil. 4, 4-5 *hominibus: Dominus prope est*[g]. *Nichil solliciti sitis*[h]*, sed in omni oratione petitiones vestre innotescant*[i] *apud Deum. Laqueus contritus est, et nos liberati*[k] *sumus. Domnus enim impe-* Ps. 123, 7. *rator castrum Nassove ecclesie Treverensi reddidit, et donum quod archiepiscopo de abbatia nostra*[l] *contulerat recepit, nec permittit me abbatia cedere; sed vult me pro abbate suo adhuc habere.*

Has litteras Epternacenses cum ingenti gaudio susceperunt, et diem solempnem in condensis usque ad cornu altaris agentes, in honorem sancti Willibrordi Domino laudis hostiam immolaverunt. O quanta exultacio, quanta gratulatio, quod laqueus contritus est, quod gemitus sopitus est dextere mutacione Dei et salvatione. Omnes gaudebant laudesque Deo referebant. Congratulabantur etiam omnes qui hec audiebant, et ultra quam credi Ps. 76, 11. potest admirantes, dicebant: *Vere hec est mutatio dextere Excelsi.* Vere enim dextera Dei virtutem magnam fecit et salutem, cum reddidit consolatos afflictos et tribulatos, ad merita declaranda Willibrordi veneranda. Non post multos vero dies abbas cum summo honore rediens de curia, cum ingenti tocius ecclesie et civitatis sue, in occursum eius effuse, susceptus est laeticia. Quibus in unum congregatis presentavit has litteras imperatoris, continentes formam restitute libertatis:

---

[a] H. *cod.* [b] *correxi ex* capellano *cod.* [c] Tiđ. *cod.* [d] Gođ. *cod.* [e] Tiđ. *cod.; pro* Tid. Rufus *Martene leg.* Treviros reversus *male.* [f] cedit *Mart.* [g] modestia. u. n. s. o. h. d. p. ē. *cod.* [h] s. s. *cod.* [i] omni. o. p. u. i. *cod.* [k] n. l. *cod.* [l] nostra *supra lineam add. cod.*

Henricus[a] *Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus, dilecto sibi conventui et* *f. 120. *universis fidelibus suis,* **beneficiatis, ministerialibus et toti familie Epternacensis ecclesie gratiam suam et omne bonum. Ea que ad profectum et honorem ecclesiarum pertinent, facilem semper ab imperatoria benignitate debent invenire processum, ut que ad ipsarum spectant utilitatem, effectum in omnibus sorciantur, et que ipsis dampnosa existunt, debita retractacione rescindantur. Inde est quod ecclesiam Epternacensem nullo commutacionis tytulo ab imperio alienari volentes, omnia que ad incommodum ipsius in facto concambii esse videbantur infirmare studuimus et in irritum revocare. Mandamus igitur vobis et precipimus, ut dilecto nostro, abbati vestro obedientes in omnibus existatis, scituri quod nos universitatem vestram a pravorum molestiis hominum et perturbatione manutenere curabimus et defendere.*

His ita perlectis, omnes qui aderant Deum benedicentes, iterum in honorem sancti Clementis Willibrordi[b] laudis hostiam summe Trinitati immolaverunt, et ut hec dies, qua mutacio hec facta est, celebris in perpetuum ob venerationem ipsius sancti et sancti Osvaldi Aug. 5. regis, cuius ea die festum est, apud se et posteros suos quotannis peragatur, devote instituerunt.

Sed nec in his contenta fuit provida filiorum sedulitas. Legatos namque ydoneos ad imperatorem miserunt postulantes, ne simile quid deinceps paterentur, ut eis provideret sua imperialis auctoritas. Quibus annuens clementissimus imperator, iuxta formam et institucionem precedentium imperatorum fecit conscribi et sigillo suo insigniri hoc privilegium, ut ecclesia Epternacensis nec a se nec a successoribus suis ab imperio processu temporis aliquo tytulo fieri debeat aliena in perpetuum[80].

---

a) H. *cod.* b) W. *cod.*

80) Sequitur in codice charta Heinrici VI. imperatoris de d. Wizenowe iuxta Moguntiam a. 1192. Aug. 24, quam ex originali dedit Beyer II, 125. Stumpf 4766.

GESTA EPISCOPORUM HALBERSTADENSIUM.

EDIDIT LUDEWICUS WEILAND.

Investigantes nos, quis sit qui scripserit compendiose Gesta episcoporum Halberstadensium[1]*, aliis fontibus deficientibus, ad ea modo, quae ex ipso opere patent, reiecti sumus. Halberstadensi clero adscriptum fuisse auctorem, eumque familiarissimum fuisse Gardolfo episcopo anno* 1201 *mortuo, Planctu elegiaco edocemur, qui affectu caritatis intimo, disertis et sane singularibus apud medii aevi auctorem sententiis*[2] *virtutes optimi praesulis evehit. Contemporaneus igitur auctor fuit Gardolfo et successoribus eius Conrado et Friderico episcopis*[3]*, quorum res gestas usque ad annum* 1209 *ineuntem descripsit. Et certe nil obstat, quominus haud multo post hunc annum chronicon scriptum esse censeamus, quamvis quae ad probandam hanc opinionem a viris doctis ex ipso chronico sumpta sunt argumenta levioris tantum momenti esse confiteamur*[4]*. At post a.* 1218 *auctorem scripsisse forte dixeris, cum legeris sub fine chronici haec verba:* Anni Ottonis IV. qui regnavit annis 23. *Sed numerum istum genuinum non esse sed potius a rubricatore codicis saec. XV. additum veri simile videtur, cum difficile sit intellectu, cur auctor, si post a.* 1218 *scripsisset, in media narratione a.* 1209 *stilum deposuerit.*

---

1) Sic appellandum esse chronicon nostrum ex prooemio docemur: *sancte Halberstadensis ecclesie gesta pontificum — succincta brevitate percurrere destinavi.*

2) Certo notanda hoc loco verba mihi videntur: *Quantis autem lacrimis quantoque introrsus dolore a clero et a populo Halberstadensi sit susceptus, explicare non valens, pallio caput cooperio, more pictoris qui patris familias pro morte filii dolentis inexplicabilem tristiciam non valens exprimere, caput eius involutum pallio depinxit.* Hausitne haec Noster sine medio e Valerio Maximo seu e Plinio, ad quos provocat Lessing, Laokoon cap. 2? Cf. Valerium VIII, 11: *Summi moeroris acerbitatem arte exprimi non posse confessus est* (sc. Timanthes pictor); et Plinium XXXV, 35: (Timanthes pictor) *cum moestos pinxisset omnes, praecipue patruum* (Menelaum) *et tristitiae omnem imaginem consumpsisset, patris ipsius* (Agamemnonis) *vultum velavit, quem digne non poterat ostendere.*

3) Leve sane iudicium viri d. Toeche (Heinrich VI, p. 556) censendum est, qui, confusione, quam Noster in narrandis primordiis Gardolfi fecit, recte castigata, in haec verba prorumpit: *Diese Irrthümer erweisen, dass der Text der Chronik, wie sie vorliegt, von späterer Hand herrührt.* Quod si ex erroribus ab auctoribus medii aevi vel coaetaneis commissis, concludere necesse esset, opera eorum non esse genuina, multa certo huiusmodi opera fictitia seu a posterioribus depravata non possemus quin poneremus. Arnoldi Lubicensis chronicon e. g. vix re probaretur.

4) Cf. Schatz in editionis suae praefatione p. VII, qui praesertim duas chronici sententias urget. Quarum altera (sub Conrado episcopo) auctor narrat, munitionibus, quibus a. 1203. cives Halberstadenses civitatem vallaverint, impetus hostium *usque in praesens* repressos esse. Quae verba Schatz, secutus Abel, Stiftschronik von Halberstadt p. 270 ad a. 1203—1209. tendere censet. At liquet hoc spatium brevius esse, cum etiam post a. 1209. civitas ab hostilibus incursibus servata sit. Altera vero sententia auctoris invenitur sub Arnulfo episcopo qua dicit: diem festum Palmarum ab Halberstadensibus episcopis in monasterio Quedlinburgensi *usque ad nostra tempora* celebrari. Quam consuetudinem Schatz usque ad a. 1225. viguisse, ideoque chronicon ante hunc annum scriptum esse dicit. Sed documentis inspectis, ad quae provocat (Erath, cod. diplom. Quedlinburg. p. 145), patet nobis, a. 1225. istam celebrationem nequaquam sublatam esse. Huiusmodi argumentis tertium non maioris momenti addere possumus. Rodolfum enim episcopum a. 1146. ecclesiam b. Mariae virginis a fundamentis restaurasse narrat auctor, *ut nunc cernitur.* Quae verba ante a. 1245. scripta sint oportet, quo anno rursus ecclesiam restauratam esse veri simile est; v. Lucanus, Die Liebfrauenkirche zu Halberstadt p. 3.

Chronicon in universum intuentes utique meminerimus oportet, auctorem succincta brevitate gesta episcoporum Halberstadensium, pontificum Romanorum, imperatorum scribere sibi proposuisse, quaterque operi nomen Compendii indere[5]. Quo factum est, ut plerumque fontes quibus usus est: Thietmarum, Annales Quedlinburgenses, Ekkehardum[6], non plane descripserit, sed suo modo haud imprudenter contraxerit, abbreviando immutaverit, eorum textus in unum contexuerit. Accedit — quod certe miramur — quod non omnia quae fontes isti de episcopis Halberstadensibus sparsim referunt, auctor compendio suo inserere digna duxit[7]. Quod ad Annalistam Saxonem, qui de rebus Halberstadensibus summi est momenti, cuiusque enuntiata multoties cum chronico nostro concordant, dubitari licet, utrum inter fontes ipsius recensendus sit, an auctor ad communem eumque antiquiorem fontem recurrerit[8]. Nos equidem, re accuratius perspecta, pro certo habemus, Nostrum Annalistam saltem cognovisse. Hoc satis iam probatur narratione obitus Hildewardi episcopi, quam Annalista (ad a. 996) ex Thietmaro IV, 17, verbis paullisper immutatis, desumpsit. Noster vero immutationes Annalistae, praesertim pro Thietmari oratione indirecta Annalistae orationem directam recepit[9]. Quam rationem duos auctores, liberos ab invicem, aeque adhibuisse, vix contenderis. Haud miraberis, quod auctor et in Annalista adhibendo eodem pacto versatus est, atque in aliis fontibus, quod, inquam, multa eaque gravissimi momenti, quae Annalista de episcopis Halberstadensibus narrat, omisit[10], saepius etiam recta quae iste praebuit aspernatus, falsa nobis retulit. Attamen occurrunt in chronico nostro etiam nonnulla, quae cum Annalista non prorsus conveniunt et ad fontem quendam communem recurrere cogunt. Non urserim cum Waitzio[11] locum illum concilium a. 816 concernentem, qui verba Annalistae, etiamsi sparsim, fere omnia profert, quae infra litteris minutis excudenda curavimus. Quae enim non sunt Annalistae, ea vix e fonte quodam communi deprompta esse dixeris, cum sint verba prorsus inania monachi halucinantis, qui Annalistae relationem succinctam et insulsam falsis episcoporum nominibus lectoribus gratiorem reddere cupivit. Melius ad nostrum propositum spectant quae sub Bernhardo episcopo ad a. 968 de reliquiis Roma adductis leguntur, ubi Annalista similia sed multo breviora narrat. Huc etiam referenda dedicatio maioris ecclesiae Halberstadensis a. 992 facta. Cuius dedicationis anteriorem partem Annalistam ex Annalibus Quedlinburgensibus et Thietmaro concinnasse, adiectis duorum episcoporum nominibus, quae librarius codicis Annalium omiserit, statuit vir ill. Waitz. Chronicon autem nostrum a verbis Thietmari ipsius exordium sumens, in enumerandis praelatis et ab Annalista et ab Annalibus adeo recedit[12], ut fontem alium, communem sane, hoc loco adhibitum esse, negare non audeo. Hoc etiam comprobatur posteriore parte istius relationis, qua dedicationes singulorum altarium enarrantur, quaeque

---

[5] sub Herrando, Olrico, bis sub Conrado, p. 46. 59. 72. 74. ed. Schatz.

[6] Ekkehardi codice quodam simili ei, quem Waitz 6 notavit, Nostrum usum esse, patet ex eo quod a. 1046. additamentum de Albwino Hersfeldensi (cf. Ekkeh. p. 196 not. 2*), et a. 1118. lectionem *Carthanus* (cf. Ekkeh. p. 253 not. h) praebet.

[7] Omisit e. g. quae Thietmarus I, 4 de Sigismundo, II, 23 de Bernhardo, III, 11, de Hildewardo, V, 9. 24 etc. de Arnulfo narrat. De Annalista Saxone v. infra.

[8] Schatz omnia Annalistae vindicavit, quae in chronico cum eo plus minusve conveniunt, v. econtra Waitzium SS. Tom. VI, 546 cum nott. 58. 59.

[9] *Caminata, in qua iaceo — plena est* pro Thietmari verba: *quod caminata hec in qua tunc iacebat — plena fuisset.* Econtra verba: *ad indeficiens lumen transivit*, quae apud Annalistam non leguntur, ex Thietmaro ipso Noster repetiit. En specimen rationis, qua Noster textus fontium suorum contexuit!

[10] e. g. passionem Burchardi II. a. 1088, seriem episcoporum a. 1100. aliaque complura.

[11] l. c. not. 59.

[12] Cf. praecipue: *Hii 11 conbenedictores domni Halberstadensis episcopi exstiterunt,* quae verba desunt in Annalista et Ann. Quedlinburg. *Casini monasterii pater* pro *Cassinus abbas; Longensis monasterii institutor* pro *Longhelus abbas.*

ab Annalista aliquantum recedit. Similis ratio intercedit a. 1071, *ubi formae nominum propriorum antiquiores, quas chronicon praebet*[13], *vetant, ne arbitremur, Annalistam esse descriptum. Commemorare libet etiam loci illius, quo continentur curia apud Salz a.* 804 *habita, determinatio Halberstadensis dioecesis, libertas Saxonibus donata, quem locum ex Annalista ad a.* 803 *et Annalibus Quedlinburgensibus contextum esse forte contenderis*[14]. *At cum legamus in codice epistolari Wibaldino medio saeculo XII. conscripto easdem fere adnotationes*[15], *non possumus quin fateamur, Nostro hoc loco fontem antiquiorem usui fuisse, ex quo hae adnotationes — nescio quo consilio — etiam in codicem Wibaldi fluxerunt. Hunc fontem fuisse Annales antiquos Halberstadenses, quibus Annales Quedlinburgenses usque ad a.* 993 *pro fundamento usi essent, quique etiam Annalistae noti fuissent, vir ill. Pertz iam olim statuit*[16]. *At patet, quod ad locum modo laudatum de curia apud Salz habita*[17], *alium fontem Nostro prae oculis fuisse. Quae cum ita sint, Annales isti Halberstadenses — exstiterint unquam annon*[18] *— ad fidem chronici nostri perscrutandam nihil facere mihi videntur, praesertim cum censeamus alius indolis esse ea quae chronicon usque ad a.* 993 *propria habet, alius quae annalibus illis inserta fuisse quisquam contenderit. Exstabant sane, ut edocemur adnotatione illa codici Wibaldino inscripta, adnotationes variae historicae in ecclesia Halberstadensi, quae imprimis dedicationes ecclesiarum et altarium complectebantur, libris missalibus, ipsis altaribus seu ubivis a diversis clericis adscriptae. Ad huiusmodi adnotationes, quas vocabant Titulos, potius quam ad Annales antiquos Halberstadenses nonnulla etiam quae Annalista refert, recedere opinor, eaedem seu similes quaedam Nostro quoque haud dubie materiam praebuerunt. Ceterum e catalogo quodam episcoporum largissimo eum hausisse, patet. Sed utrum catalogus iste idem fuerit, quem Annalista adhibuit, in dubio relinquamus oportet, cum sicut supra probavimus, auctor etiam ipsum Annalistam prae oculis habuerit. Fortasse etiam episcoporum complurium dies obituales e Necrologio ecclesiae, eodem uberiore eo quod ad nos venit*[19], *cognovit.*

At forte quis ex nobis quaerat, an vestigia Annalium Quedlinburgensium post a. 1025 *deperditorum in chronico nostro reperiantur. Cum ad a.* 1023 *electio frustrata Heremanni,* quem divina pietas maioribus auctum virtutibus et perfectiorem ad hoc ministerium aliis temporibus observarit, *verbis Annalium narretur, forte licebit etiam electionem Heremanni praepositi Halberstadensis in sedem Hamburgensem*[20], *quae inferius adnotatur, si eundem fuisse Heremannum ponamus, Annalibus vindicari. Ex quo etiam concludimus, quae Annales ad a.* 1023 *referunt, demum a.* 1032 *litteris mandata esse*[21].

Praeter fontes nobis notos, quos iam allegavimus, Annales Quedlinburgenses, Thietmarum, Ekkehardum, Annalistam Saxonem, auctor chronici etiam adhibuit ad opus suum conflandum Vitam Heinrici II. imperatoris auctore Adalberto[22] *et Vitam S. Cunegundis*[23] *circa a.* 1200 *conscriptam. Inter fontes eius, nobis deperditos, recensenda est Vita sancti Brunonis Pru-*

---

[13] *Hammaburgensis, Fardinensis, Asneburgensis* pro *Bremensis, Fardensis, Osnabrugensis.*

[14] Nomen fluminis *Scuntra* et verba *habito conventu,* quae apud Annalistam desiderantur, ex Annalibus fortasse petita statueris.

[15] apud Martene Nro 419 deest hic descriptio terminorum.

[16] SS. Tom. III, 19.

[17] quem vir d. Simson Pertzium secutus imprimis annalibus istis vindicat in Forschungen zur deutschen Geschichte I, 313 sq.

[18] Waitz Pertzio contradicit SS. Tom. VI, 542 not. 6.

[19] V. in Förstemann, Neue Mittheilungen VIII, 3 p. 58 sq. Ibi Eiulfus, Sigismundus, Bernhardus tantum adnotati sunt.

[20] quam Annalista ex Ann. Hildesheim. a. 1032. hausisse videtur.

[21] Cf. quae de vestigiis Annalium usque ad a. 1030. seu 1034. dicunt Waitz SS. Tom. VI, 543 not. 6; Pabst, De Ariberto p. 10, Wattenbach, Geschichtsquellen ed. altera p. 219 not. 1.

[22] V. SS. Tom. IV, 792 sq.

[23] V. ibidem p. 821 sq. et 790.

zorum archiepiscopi[24], *cuius vestigia sub Arnulfo episcopo apparent. Quaedam bellum Heinrici IV. et Saxonum concernentia valde conveniunt cum Chronico Sampetrino Erfurtensi*[25], *quod ex Annalibus S. Albani seu Wirziburgensibus hausisse, statuit vir d. Stübel*[26]. *Cum autem chronicon nostrum melius concordet cum Sampetrino, vel in eo quod illud habet proprium, nec veri simile videatur, Nostrum partem illam Sampetrini usque ad a. 1149 cognovisse, forte statuendum erit, et Nostrum et Chronicon Sampetrinum neque inter se cohaerere, neque ex Annalibus S. Albani hausisse, sed ad illorum fontem Chronicon quidem Wirziburgense, quod post a. 1057 deperditum est, recedere. In narrandis gestis Burchardi I. episcopi noster Vitam quandam episcopi a coaevo quodam auctore conscriptam Nostro materiam praebuisse, nobis cum Waitzio veri simile videtur. Passionem vero Burchardi II. ab Herrando scriptam, qua nititur Annalista ad a. 1088, quaeque in versione Winnigstadii superstes est*[27], *Nostro innotuisse fere contendere audeas, cum legeris sententiam chronici:* quidam ex civibus casu sagittam dirigens, innocentis episcopi collum transverberavit, *quae apud Annalistam desideratur, mirum autem in modum cum Winnigstadii*[28] *verbis congruit:* einer aber unter ihnen hatte ohngefehr mit einem Pfeile nach ihm geschossen und hat den Mann Gottes an seinem Halse schwerlich verwundet. *At Winnigstadium textum chronici nostri cum textu Passionis miscuisse, verisimile esse iam vir d. Delius monuit*[29]. *Accedit quod Noster falsum diem obitualem adnotat et episcopum demum exanimem, non vero adhuc vivum in monasterium Ilsenburg deductum esse perperam narrat. — Quae narrantur fabulosa de Gregorio VII. papa necromantico et de Mathildi comitissa ad certum fontem reducere nequeo. Ex traditionibus hominum haec hausta videntur, nec talia Nostrum recepisse miramur, cum iam pontifice superstite huiusmodi narratiunculae scandalosae apud adversarios ipsius ferrentur.*

Haud paucas neque spernendas notitias Nostro praebuerunt chartae imperatorum, pontificum Romanorum, episcoporum in tabulario ecclesiae Halberstadensis asservatae. Quarum unam fictitiam, Ludewici Pii imperatoris, non miramur operi insertam, cum hunc usum inhonestissimum, diplomata falsa inquam cudendi, apud ecclesias medio aevo invaluisse satis constet.

E chronico nostro nonnulla excepit primus auctor chronici idiomate Saxonico circa a. 1372 scripti, quod vocamus Magdeburger Schöppenchronik. Winnigstadius dein medio aevo exeunte chronicon fere integrum in chronicon suum Halberstadense vernaculo sermone scriptum recepit.

Quamvis auctor noster sit clericus professione, natione Saxo, eum tamen res ante sua tempora inter regnum et sacerdotium, inter reges Salicos et Saxones gestas, studio potius partium caesarianarum[30] *tractasse dixeris.*

Hildebrandum etenim papam necromantiae nota maculatum, incentorem schismatis pronuntiat[31], *econtra Burchardum II. episcopum, quem signiferum rebellionis Saxonicae fuisse satis constat,* quia Saxonibus a fide regis discedentibus, reatum periurii incurrere noluerit, sed in regis fidelitate perseveraverit, *a sede sua eiectum fuisse perperam narrat. Quo etiam factum est, ut seriem episcoporum tempore schismatis creatorum, quam ex Annalista optime cognoscere ipsi liceret, perturbaverit, ita ut Hamezonem, Thietmarum II, Fride-*

---

[24] De qua cf. Pertzium SS. Tom. IV, 580 not. 63. [25] sub Herrando ad a. 1089. 1090. Cf. etiam institutionem ordinis Cisterciensis ad a. 1098. [26] in editione sua tomo I. der Geschichtsquellen der Provinz Sachsen. Halle 1869. pag. 3. [27] Abel, Sammlung alter Chroniken p. 289 sq. Cf. Waitz SS. Tom. VI, 724. not. 8. [28] p. 291. [29] in Ledebur, Archiv V, 49. [30] Falso Schatz p. VII. Nostro odium adversus Heinricum IV. imputat. [31] ad a. 1076.

ricum antiepiscopos regios fuisse ex relatione Nostri nequaquam appareat. Vix mihi igitur persuaserim, quin hoc loco studio partium deductus ex industria veritati oculos clauserit. Quod de schismate sub Friderico I. facto agens, partibus Alexandri III. favit, non miramur, quippe qui post pacem Venetam scripserit. Cum Gardolfo et Conrado episcopis Philippo regi adhaesit, non vero Ottoni IV. infestus est, qui tempore, quo scripsit, iam in toto regno rex agnitus erat.

Haec certe est causa, cur Nostro in rebus inter Philippum et Ottonem gestis fides eximia tribuenda sit, quippe qui, sicut et Gardolfus et Conradus, mediatoris potius partes obtineat. Quod in narrandis sui temporis rebus aliquoties titubaverit[32]*, seu eventus maximi momenti tantum obiter perstrinxerit, ordinemque annorum non semper retinuerit, non mirum, cum alios eosque summae gravitatis auctores similia commisisse sciamus. Ceterum in explicandis longe retroacti temporis gestis, saepius falsa veris miscuit; attamen multa, praesertim ad historiam Halberstadensem spectantia solus nobis servavit. Numeros annorum et alios in toto opere admodum depravatos esse, nemo est qui non videat: sed haec res potius librariis quam auctori attribuenda mihi videtur. Exstat enim nullus codex genuinae antiquitatis. Nam*

1. *Codex bibliothecae gymnasii Halberstadensis* 63. *membran. a.* 1432 *exaratus est. Cuius descriptionem v. Archiv XI,* 346. *Lectionem dat satis bonam, non tamen omnibus mendis carentem, quae tamen plerumque coniecturis facile tolli possunt. Librarium forte natione Italicum seu Francogallum fuisse, formae verborum, ut sunt:* excercitus, nunctius, congnitus, cedula, Rinoldus, *similia arguunt. Lemmata seu rubricas, quas fert, genuinas fuisse, negandum videtur, quippe quae in aliis apographis desiderentur et plerumque sint ineptae. Quamobrem eas in notas criticas reiecimus.*

2. Codex Hamburgensis, *inter Historiam Germanicam singularium regionum et urbium* 355. 4°. *chart. saec. XVII. ex. seu XVIII. in. paginarum* 172, *inscriptus:* Annales Halberstadenses auctoris anonymi a fundatore usque ad annum 1209 *(corr. ex* 1352*)* i. e. ab Hildegrimo ad Conradum *(corr. ex* Ludowicum XXX*)* episcopum. Ex bibliotheca I. A. Schmidt theologi Helmstadiens. *Textum dat negligentia atque ignorantia librarii admodum depravatum.*

3. *Textus quem dedit Leibnizius ex apographo codicis cuiusdam mendosissime descripto, quod ei subministravit Iacobus Fridericus Reimannus, primo scholae Martinianae Halberstadensis rector, mox pastor Ermeslebensis*[33]*. Hoc apographon plerumque convenit cum* 2, *sed non est idem, quod comprobatur satis duabus lacunis*[34]*, in* 2 *obviis, quarum verba in* 3 *leguntur. Unum eundemque librarium haec duo apographa exarasse, mihi verisimillimum videtur. Lectiones meliores, quas* 3 *saepius praebet, pro parte coniecturis Leibnizii deberi videntur. At utrumque non ex codice* 1 *fluxisse, comprobatur eo quod aliquoties, sed rarius meliorem lectionem praebet. Iis locis tantum, quibus* 1 *titubavit, varias lectiones* 2 *et* 3 *adnotavimus, qui codices, ut omnino dicamus, ad textum constituendum fere nihil faciunt.*

Editionem primam instituit vir ill. Leibnizius a. 1710 *tomo II. Scriptorum rerum Brunswic. p.* 110—148. *Dein vir d. Schatz a.* 1839 *textum codicis* 1 *praelo dedit in programmate scholae Halberstadensis, notis illustravit, quibus fontes chronici satis accurate adnotavit, textum coniecturis castigavit.*

---

[32] V. supra not. 3.

[33] V. praefationem Tom. II. Scriptor. rer. Brunswic. p. 15.

[34] V. infra sub Arnolfo episcopo in descriptione Halberstadensis dioecesis.

Codicem 1 denuo in nostros usus vertit a. 1866. Berolinum transmissum Arndtius noster non sine fructu; nos equidem 2 et 3 adhibuimus. Quae in exordio operis legitur originem gentis Saxonicae, ex Ekkehardo verbotenus desumptam, itemque alia complura sub Reinhardo et Ottone episcopis verbis tantum initialibus et finalibus indicanda esse rati sumus.

Berolini die 23. mensis Novembris a. 1869. LUDEWICUS WEILAND.

Qui[a] res gestas in scriptum redigere moliuntur, arbitror utique cum[b] eisdem utile ac honestum fore, ut, ne actus veterum favillis oblivionis sepeliantur, vivacis littere certa quadam noticia ad posteros deriventur; ut et boni ex bene gestis virtutis sumant exemplum, et a male gestis discant salubriter abstinendum. Hac igitur consideratione non incongrue circumspecta, ad honorem Dei et laudem sancte Halberstadensis ecclesie gesta pontificum, qui eidem ecclesie presederunt, prout in diversis cedulis et in libris cronicorum scripta repperi, et ab antiquis usque nos fama decurrente investigare potui; numerum quoque et ordinem presulum, gesta etiam singulorum, et sub quibus apostolicis et imperatoribus sive regibus presederint, et in quibus principum liberalitate ecclesia profecerit per eosdem, succincta brevitate percurrere destinavi. Verum quia christianissimus Romanorum imperator Karolus huius Halberstadensis ecclesie primum fundator exstitit in Saxonia, postquam ipse, gentem Saxonum per 30 annos continue debellando, ad fidem nominis christiani vix conpulit eam tandem intrare, de origine Saxonum, cuius varia est opinio, quedam libet breviter et veraciter prelibare.

Super origine gentis Saxonum — triginta annos gerebatur. *ex Ekkehardo p.* 176 *l.* 20 — *p.* 178 *l.* 64. Igitur defuncto Pipino — et subiecta est. *indidem p.* 178 *l.* 71 — *p.* 179 *l.* 13.

Karolus[c] igitur, qui cognominatus est Magnus, Romanorum patricius, Francorum rex, Saxonum apostolus, necnon tocius ecclesie institutor et rector, cum a proavis esset regibus oriundus, morum gravitate non solum ingenuitatem sui generis honestavit, sed et omnem terram Francorum legibus et catholice fidei institutis adauxit in Domino et feliciter stabilivit, unde non solum suis extitit honore debito reverendus, sed etiam exteris nationibus bellorum frequentia et felici semper victoria metuendus. Postquam igitur immensis laboribus et diversis preliis variisque victoriis triumphando Saxones tandem vicit, suoque illos, immo Christi subegit imperio, inter Ore et Albie confluentia, ubi Christi nomen nondum auditum erat, semen divini verbi diffundere non cessavit, et catezizatos tandem sacro baptismate regenerari fecit. Sed populus acquisitionis, quorum postes sanguine agni sunt illiti tam recenter, ne a clade Egyptiaca lederentur, ne quasi oves sine pastoribus deviantes iterum ab antiquo humani generis inimico seducti ad vomitum pristine perditionis redirent, in terra eorum ecclesias instituit, et qui ipsis preessent episcopos fideliter procuravit[d], inter quos terram sagaciter distribuit ac divisit[e].

cf. A. S. 781. Anno igitur dominice incarnationis 781, indictione 4, anno vero regni ipsius postquam fratre suo Karlemanno defuncto solus regnavit 11, primum in loco Seligenstat[f] nuncupato, nunc autem a vulgo Osterwik[g] dicto, primo martiri[h], qui est bonus signifer regis omniumque martirum norma, monasterium construxit atque in honorem Dei omnipotentis et sancti prothomartiris Stephani dedicavit. indict. Qui cum aliquamdiu longe lateque fidelem ac prudentem dispensatorem quereret, quem constitueret super familiam Dei, ut illi in tempore cibum daret, sanctum Hildegrimum[i] Katolanensem[k], a sanctis parentibus, patre scilicet Thiathgrimo[l], matre vero Liafburga[m] editum, fratrem quoque sancti Liudegeri[n], primi Mimmigardovordensis[o] episcopi, Adriano papa Romano iubente, in hoc opus episcopum destinavit. Sanctus[p] vero Hildegrimus statim eodem anno divina gratia disponente sedem episcopalem de Selegenstat[q] in oppidum quod Halberstat dicitur transmutavit. Cum enim rex et pontifex consedissent in eo loco, ubi Ora fluvius Albie influit, de translatione civitatis tractatum habentes, a duobus hiis fluminibus civitatis nove nomen aptantes, Halberstat, quasi Albe-Ore-stat, civitati vocabulum invenerunt.

A. Q. 799. Anno autem incarnationis Domini 799. Leo papa, a Romanis lingua truncatus, cecatus et a pontificatu eiectus, gratia Dei luminis et lingue usui restitutus, accessit ad Karolum in Saxoniam in loco qui Padhelburnen vocatur. Quem rex 800. susceptum ea qua decuit honorificentia Romam reduci et omnia sua restitui sibi fecit. Quem etiam vindicandum

---

a) *lemma in* 1: Incipit liber in annos pontificum Halberstadensis ecclesie; *in* 2: Liber Imus annorum pontificum Halberst. ecclesiae. b) cum *delendum videtur.* c) Constructio Halberstadensis ecclesie post devictam Saxoniam a Karulo *rubrica in* 1. d) pronunciavit 2. e) *sequitur in* 1 *haec rubrica:* Anni Hildegrimi, primi episcopi, qui sedit annis 47. f) Selengenstadt 2. g) Osterwick 2. h) Martii 2. i) Hildegrin. 2 *semper.* k) *superscriptum* Catelaunensem 2. l) Thiatgrino 2. m) *sic et* 3; Haffburga 2. n) Lindegeri 1; Ludegeri 2. o) Mimmigardwerdensis 2; Mimmigardevordensis 3. p) *in margine* 1 *haec rubrica:* Hic Hildegrimus, episcopus primus, transtulit episcopatum Halberstat (halbr̄ *cod.*), ubi nunc est. q) Selengstedt 2.

Romam prosecutus, in die natalis Domini ab eodem papa imposita sibi corona, imperator et augustus a Romanis, 801. dempto nomine patricii, est vocatus. Anno[35] vero dominice incarnationis 804[a], Idus Maii, indictione 10.[b], cf. A. S. 803. sui autem regni 34, imperii vero 3, ordinationis Hildegrimi episcopi 23, anno 5. postquam, ut dictum est, Leo papa fuerat mutilatus, Karolus imperator in palacio Salz nominato, parrochiam hanc certis undique terminis circumscripsit, suoque imperio augustali et inprevaricabili privilegio confirmavit.[c] Hii autem sunt termini Halberstadensis cf. A. Q. 803. dyocesis[36]: fluvius Albia, Sala, Unstrada, fossa iuxta Grune[d] [37], altitudo silve que vocatur Hart[e], Ovacra[f][38], Scuntra[g][39], Dasanek[h][40], Druhterbeke[i][41], Alera, Isunna[42], palus[43] que dividit Hardungaos[44] et Witingaos[k][45], Ara[l][46], Milla[47], Pretekina[m][48] et iterum Albia. Circumscriptis igitur terminis Halberstadensis dyocesis Karolus imperator[49], habito conventu in palacio supradicto, omnes Saxones libertate antiqua donavit eosque pro fide catholica conservanda ab omni solvit tributo, excepto quod omnes eos, divites scilicet ac pauperes, tocius sue agriculture et nutriture decimas Christo ac sacerdotibus eius fideliter dare iussit[50]. Karolus igitur imperator magnus, Saxonum apostolus, Christi et ecclesie vernaculus utilis, A. Q. 814. rationabili ordine rebus ecclesiasticis prudenter dispositis, per totum mundum lugendus, carne solutus, exultantibus angelis, celo reddidit animam, etatis sue anno 71, regni autem 47, imperii vero 14, ordinationis Hildegrimi episcopi 34[n]. Cui filius suus Lodewicus[o] cognomine Pius successit in regnum.[p] Anno igitur dominice incarnationis 815. Lodewicus imperator de consilio episcoporum precepit, ut omnes monachi cursum sancti Benedicti cantarent. Anno vero 816. Leo papa migravit a corpore, qui sedit annis[q] 21. Ekk. Cui successit Stephanus dyaconus, qui et Lodewico[r] regi occurrit Remis post consecrationem suam mense secundo, et ibidem regem Lodewicum in Romanorum imperatorem coronavit[s]. Eodem[51] anno idem imperator de consilio cf. A. S. 816. et consensu Stephani pape in palatio Aquisgrani[t] sollempnem synodum congregavit, beato Bonifacio Moguntine sedis archiepiscopo presidente, qui et postea glorioso est pro Christo martirio coronatus. Aderant quoque multi et magne auctoritatis viri: beatus videlicet Hildegrimus, primus Halberstadensis, sanctusque eius germanus Liuderus[u] Monasteriensis, Willebrordus, Wicpertus, Columbanus, Albinus, venerabiles episcopi et confessores; aliorum quoque episcoporum et abbatum maxima multitudo. In qua synodo sancti patres, annuente Spiritu sancto adunati, piissimo Lodewico augusto ammonente, regulam canonicorum ex dictis Gregorii pape, Augustini, Ieronimi presbiteri, Isidori, Prosperi quoque et aliorum sanctorum patrum excerptam traditionibus observari unanimiter censuerunt, in qua studioso lectori et humili observatori, quid clericis faciendum sit quidve vitandum, descriptione conpendiosa et utili declaratur. Idem quoque imperator Lodewicus petente sancto Hildegrimo[v] episcopo quelibet statuta patris sui in Halberstadensi ecclesia sue etiam auctoritatis[w] robore conmunivit, super quibus etiam eidem ecclesie tale privilegium erogavit[x]:

---

a) 803 *leg. A. S.* b) 12. *leg. A. S.* c) *sequitur in* 1 *haec rubrica:* Termini Halberstadensis (halbr̄ *cod.*) dyocesis. d) Gröne 2. e) hert *corr.* hart 1; Hert 2. f) Onacia 2. g) Seuntia 2. h) Tasaneck 2. i) Drütbeke 2. k) Wittingaos 2. l) Ora *superscr.* Ala 2. m) Predekina 2. n) 24 *leg.* 2. o) Ludovicus 2 *semper.* p) *sequitur in* 1 *haec rubrica:* Anni Lodewici primi imperatoris, qui regnavit annis 26. q) annis *deest* 1. r) .l. 1. s) *sequitur in* 1 *haec rubrica:* Constitutio regule canonicorum. t) Aquisgranensi 2. u) Linderus 1; Luderus 2. v) hild' 1. w) auctoritas 1; sua auctoritate et 2. x) *rubrica in* 1*:* Privilegium Lodewici imperatoris.

35) Eadem fere leguntur in codice epistolari Wibaldino, apud Martene Nro 419. 36) De hac terminatione, et de alia, quae infra legitur, cf. quae disseruit von Bennigsen in Zeitschrift des histor. Vereins für Niedersachsen 1867 p. 1 sq. — De terminationibus episcopatuum Saxoniae iam multos ante annos docte disseruit b. m. Christianus Antonius Wedekind Luneburgensis, patriae historiae amantissimus, cuius libros de duce Hermanno, tum T. 1. libri „Noten" p. 64 sqq. hodieque evolvere iuvabit. PERTZ. 37) Haec fossa haud dubie eadem est quae infra sub Arnulfo vocatur *fossata iuxta Walehusen*, vulgo dicta *der Sachsengraben*. Wersebe in Hesse, Beiträge zur Thüring. Geschichte I, not. 188 et Gaue 80 legendum censet *Grove* pro *Grone*, hac voce ipsam fossam intelligendam esse ratus iuxta chartam Ottonis II. a. 979. Stumpf 740. 38) Ocker. 39) Schunter quae Ovacram influit. 40) incertum. 41) hodie *Drüffelbek*, rivus haud procul ab vico Hillersen ad Ovacram. 42) hodie *die Ise*, quae iuxta oppidum Gifhorn Aleram influit. 43) hodie *der Stöckener Teich*, ex quo effluit Ise. 44) *Bardungaos* legendum est cum Ann. Quedlinburg. 45) Qui incolunt marcam oppidi Wittingen. 46) hodie *die Ohre*. 47) hodie *die Milde*, quae Biesam influit. 48) Pretekina, seu ut infra vocatur Prisacina, a plerisque nomen Slavicum fluminis Biese putatur. Schatz tamen rectius, ut videtur, hanc censet esse fluvium, qui hodie dicitur *der Aland*, quem tamen non usque Schnackenburg, ubi Albiam influit, terminus prosequitur, sed ad dextram versus, aqua quae dicitur *der taube Aland* usque Werben definitur. 49) Eadem leguntur in cod. epist. Wibaldino l. c. 50) Haec ex diplomate quodam fluxisse, monuit Simson, Forschungen zur Deutschen Geschichte I, 313. 51) Sequentia Nostrum ex Annalista Saxone, cuius breviorem sententiam verbis suis iisque inanibus ampliavit, hausisse, falsa episcoporum nomina satis arguunt. Cf. etiam Chron. Sampetr. Erphord. a. 817 (ed. Stübel p. 9), quod et ipsum Bonifacium huic synodo interfuisse narrat.

814. Sept. 2. *In nomine*[a] *domini Dei et salvatoris nostri Ihesu Christi Lodewicus divina ordinante providentia Romanorum augustus. Si sacerdotum ac servorum Dei peticiones, que*[b] *nobis de necessitatibus innotuerint, ad effectum perducimus, non solum imperialem exercemus*[c] *consuetudinem, verum etiam*[d] *ad beate retributionis mercedem talia nobis facta credimus profutura. Quapropter notum sit omni fidelium nostrorum industrie, presencium scilicet et futurorum, quia Hildegrimus Catholanensis*[e]*, ecclesie Halberstadensis episcopus venerabilis, que est constructa in honorem Christi suique prothomartiris Stephani super fluvium Holtemna*[f] 52 *in pago Hartingowe, — cuius parrochia pii*[g] *patris nostri Karoli imperatoris augusti decreto*[h] *statuta et determinata est hiis pagis: Darlingowe et Northuringowe et Belkesheim*[i]*, Hartingowe, Suavia et Hasigowe*[k] *— veniens ad nos detulit nobis emunitates*[l] *sancti genitoris nostri pie semper memorandi, in quibus continebatur, quomodo*[m] *ipsam sedem sub plenissima defensione et emunitatis*[l] *tuitione semper habuisset; pro*[n] *firmitatis namque studio petivit nos idem prefatus episcopus, ut ei denuo similia pro mercedis nostre augmento concedere et confirmare deberemus. Cuius petitioni pro divino amore assensimus et ita in omnibus, quia iuste et rationabiliter peciit, per hanc nostram auctoritatem studuimus confirmare. Precipientes ergo iubemus, ut nullus iudex publicus, neque*[o] *quislibet ex iudiciaria potestate, seu aliquis ex fidelibus sancte Dei ecclesie ac nostris in ecclesias*[p] *aut loca vel agros seu reliquas possessiones, quas moderno tempore iuste et rationabiliter possidere videtur*[q] *in quibuslibet pagis et territoriis sitas, vel quidquid deinceps eciam propter amorem divinum collatum est et ad causas audiendas vel freda*[r] *exigenda aut mansiones vel paratas faciendas, aut homines ipsius ecclesie tam ingenuos quam servos iniuste distringendos, aut ullas*[s] *redibitiones vel villicatus occasiones requirendas ullo umcquam tempore ingredi vel exactare presumat.* [t]*Insuper eciam prescriptorum incolas omnes pagorum prefate ecclesie decimas suas fideliter persolvere pro divino amore iubemus, et donamus, ut omnibus temporibus in alimoniam pauperum et stipendia servorum Dei ibidem Deo famulantium*[u] *proficiant in aucmentum, quatenus ipsis servis Dei, qui ibidem Deo famulari videntur, pro nobis et coniuge proleque nostra et pro stabilitate tocius imperii nostri a Deo nobis concessi atque conservandi iugiter Domini misericordiam exorare delectet. Predictam vero parrochiam illius circumquaque per diversos pagos sitam, nemo fidelium nostrorum ei exinde aliquid abstrahere aut prohibere presumat; quin ei liceat per hanc nostram auctoritatem verbum predicationis, Domino auxiliante, exercere et ministerium suum plene peragere. Et ut auctoritas hec nostris futurisque temporibus, Domino protegente, valeat inconvulsa manere, manu propria subscripsimus et anuli nostri impressione signari iussimus. Data*[v] 4. *Nonas Septembris anno incarnationis Domini* 814, *indictione* 8, *anno primo imperii nostri. Actum Aquisgrani palacio in Dei nomine feliciter*[w]. *Amen.*

Ekk. Anno Domini 817. Stephanus papa obiit, cui Pascalis successit. Item anno Domini 821.[53] in regione Thuringorum cespes longitudine 50 pedum, latitudine 14, altitudine 6, de terra sine manibus precisus et sublatus, a loco, in quo sumptus est, 25 pedum spacio distans inventus est. Item in parte orientalis Saxonie que Sorabis contigua est, iuxta lacum[x] qui dicitur Arnse, in modum aggeris terra intumuit et limitem longitudine unius leuge[y] porrectum sub unius noctis spatio instar valli subrexit[z]. Eodem anno[54] puella quedam circiter annorum 12 post sacram communionem, quam in pascha de manu sacerdotis acceperat, sine omni victus desiderio plenum biennium usque in tercium annum dimidium conplevit, nulla penitus corporis alimenta percipiens. Anno Domini 824. Pascalis papa obiit, cui successit Eugenius.

cf A S. 827. Sanctus igitur Hildegrimus episcopus, dignus operarius in vinea Domini, pondus diei et estus fideliter portans, ecclesiasticas institutiones rite in commissa sibi parrochia ordinavit, 35 ecclesias plebeias in episcopatu suo instituit. Ecclesiam preterea a fratre suo sancto Liudero[a] episcopo inchoatam perfecit, annexam maiori ecclesie in civitate, et in honore beatorum martirum Iohannis et Pauli sollempniter consecravit. Iniunctum denique sibi officium congruenter administrans, castitate et dilectione Dei et proximi, largitate supra vires, immo omnium virtutum armis munitus, Christi fortis miles, de hoste maligno Iun. 19. semper triumphans, ordinationis sue anno 47, 13. Kal. Iulii[55], hominem exutus in paradysum ducentibus angelis victoriosus pervenit. Corpus vero illius in monasterio Werdi-

---

a) *correxi ex* honore 1—3. b) quas 1. c) excercemus 1. d) *deest* 2. e) Catholunensis 2. f) Holtemma 2. g) piissimi 2. h) *inserui; deest* 1. 2. i) Belinesheim 2. 3. k) Husingowe 2. Hassingowe 3. l) immunit. 2. m) quando 2. n) *deest* 2. o) nȝ 1. nec? p) ecclesia 2; ecclesiam 3. q) *sic* 3; videntur 1. 2. r) *correxi;* feoda 1; feuda 2. 3. s) nullas 2. t) *rubrica in* 1: Hic Lodewicus imperator dedit omnes decimas in dyocesi Halberstadensi isti ecclesie Halberstadensi perpetuo possidendas. u) familiantium 1. v) datum 1; dat. 2. 3. w) *sic* 3; fideliter 1. 2. x) locum 1. y) leuce 1. z) subvexit 1. a) Linder. 1. Luder. 2.

52) hodie *die Holzemme*. 53) 822. Ekkehard. 54) 823. Ekkehard. 55) Convenit Necrologium Werthinense.

nensi, quod sanctus Liuderus[a], frater eius, iuxta fluvium qui Rura dicitur fundaverat, requiescit sepultum[b].

Anno igitur Domini 827, indictione 5.[c], imperii autem pii Lodewici 13, Thiathgrimus[d] sanctorum fratrum, episcoporum Hildegrimi et Liuderi[a] nepos, gregi Halberstadensi adhuc novello a iam dicto imperatore Lodewico secundus est pastor ydoneus constitutus. Hic ergo postquam in multis virtutibus sanctorum patrum exemplo claruit, eorumdem vestigia fideliter imitatus, 14.[56] sue ordinationis anno corpore dissolutus est 6. Idus Februarii et est cum Christo. Et ad predecessorem suum Hildegrimum et consanguineum in Werdinensi monasterio corpus eius appositum requiescit.

A. S. 827. — ibid. 840. — Febr. 8.

Anno Domini 827. Eugenius papa discessit, cui Valentinus successit, qui sedit uno mense; cui successit Gregorius, quo decedente, Sergius papa successit, post quem Leo. Anno Domini 840. pius Lodewicus augustus sancte Dei ecclesie merito deplorandus 12. Kal. Iulii[e] nature concessit, anno imperii sui 26, et in Metensi ecclesia est sepultus. Post quem in regem Lodewicus eius filius est electus.[f]

Ekk.

Anno igitur incarnationis Domini 840[g], indictione 3, anno primo regni Lodewici secundi, Hemmo, Heralvesfeldensis monasterii monachus, Halberstadensi ecclesie ab eodem Lodewico secundo tertius episcopus est transmissus, sed magis detrimento quam lucro. Nam decimationes omnes super totum Fresionoveld[h], que de iure essent Halberstadensi ecclesie offerende, non est veritus transferre ad ecclesiam Heralvesfeldensem. Dicunt tamen eiusdem ecclesie monachi, easdem decimationes se cum aliis bonis conmutasse et super hac conmutatione privilegiis[57] asserunt se munitos. Anno igitur ordinationis sue 13. idem episcopus 6. Kal. Aprilis[58] diem clausit extremum, et in Halberstadensi ecclesia est sepultus.

A. S. — ibid. 853. Mart. 27.

[i]Anno itaque Domini 853, indictione prima, Lodewici secundi regni 14, Hildegrimus iunior, sanctorum episcoporum Hildegrimi et Liuderi[k] sororis filius, vir utique multe prudencie et pietatis eximie, quartus episcopus Halberstadensis ecclesie est constitutus. Qui inter multifaria sue ecclesie utilitatis gesta monasterium, quod ab antecessoribus suis invenit inceptum, consummavit, atque contione multorum episcoporum conbenedicentium comitante, in honore omnipotentis Dei et sancti prothomartiris Stephani laudabiliter dedicavit, anno videlicet Domini 859, indictione 6, Nonas[l] Novembris, anno ordinationis sue 7. [m]Anno autem ordinationis eiusdem episcopi 23. Lodewicus secundus, anno sui regni 36, viam universe carnis est ingressus, pro quo filius suus, Lodewicus tercius[n], ad regni eius fastigia sublimatur[o]. Anno vero Hildegrimi iunioris 29. idem tertius Lodewicus, regni sui anno 7, in fata concessit, cui filius suus Karolus in regno successit. Dictus quoque episcopus, iunior Hildegrimus, ordinationis sue anno 34.[59], 12. Kal. Ian.[p] [60] debitum carnis persolvit, cuius corpus in Werdinensi ecclesia cum suis predecessoribus collocatum in Domino requiescit. Tempore vero Lodewici imperatoris secundi, anno videlicet Domini 854, corpus sancti Martini levatur de tumulo. Sequenti anno[61] Leo papa obiit, cui Benedictus succedens eodem anno moritur, cui Nicolaus papa successit, qui sedit annis 11, post quem Adrianus, post quem Agapitus, post quem Basilius, post quem Stephanus. Anno autem Domini 877.[62] Karolus[q], filius Lodewici III.[63], Romam tendens a Iohanne papa in imperatorem est coronatus.

A. S. 859. — cf. Ekk. 876. — 885? Dec. 21. — Ekk. 855.

[r]Orbata igitur pastore suo, ut predictum est, Halberstadensis ecclesia, anno Domini 886.[s], indictione 4.[64], regni vero Karoli regis 7. Eiulfus[t], vir simplex et innocens, quintus Halberstadensis ecclesie ordinatur episcopus. [u]Sed idem Karolus sequenti anno depositus est a regno, et Arnolfus, frater eius, in regem est coronatus. Eiulfus[t] vero episcopus ordinationis sue anno 9, 6. Kal. Februarii[65] mortuus est mundo, ut vivat Deo, corpusque suum in Halberstadensi est ecclesia tumulatum.

886. — cf. Ekk. — 894. Ian. 27.

[v]Anno igitur Domini 894, indictione 12, regni vero Arnolfi regis 7.[66], domnus Sigismundus, vir pius et largus, variis artibus sapienter imbutus, Halberstadensis ecclesie

---

a) Linder. 1; Luder. 2. b) *rubrica in* 1: Anni Thiathgrimi, episcopi 2. qui sedit annis 14. c) 4 *leg.* 2. 3. d) Thiatgrinus 2. e) Martii 2. 3. f) *rubrica in* 1: Lodewicus II. regnavit annis 36. Anni Hemmonis, III. episcopi, qui sedit annis 13. g) *deest* 2. h) Freisionsveld 2. 3. i) *rubrica in* 1: Anni Hildegrimi iunioris, IV. episcopi, qui sedit annis 34. k) Lod' 1; Luderi 2. l) 9 *leg.* 2. 3. m) *rubrica in* 1: Dedicatio prima Halberstadensis ecclesie. n) *rubrica in* 1: Lodewicus III. regnavit annis 7. o) *sic* 3; sublimatus 1. 2. p) Iunii 2. 3. q) *rubrica in* 1: Karolus regnavit, qui 7. anno deponitur. r) *rubrica in* 1: Anni Euilfi, V. episcopi, qui sedit 9 annis. s) *correxi;* 885 *leg.* 1; 888 *leg.* 2. 3. t) *correxi;* Euilfus 1; Giulfus 2. 3. u) *rubrica in* 1: Arnolfus regnavit annis 14. v) *rubrica in* 1: Anni Sigismundi, VI. episcopi qui sedit annis 30.

56) immo 13. 57) V. haec privilegia Karoli Magni et successorum ipsius apud Wenck, Hessische Landesgeschichte III, Urk. p. 11 sq. 58) 5. Kal. Aprilis secundum Ann. Fuld. supra SS. T. I. 368; 6. Id. Februar. secundum Necrolog. Werthin. — Fragmentum Vitae Haimonis a Rocho monacho Ilsenburgensi post a. 998. scriptae v. Archiv XI, 285. 59) 33 rectus numerus videtur esse; annum obitualem enim 885. fuisse veri simile est, quia secundum Annalistam Eiulfus a. 886 episcopus constitutus est. 60) Convenit Necrolog. Werthin. 61) 857. Ekkehard. 62) 875. Ekkehard. 63) immo Karolus Calvus. 64) Indictio et verba *sequenti anno* annum 886. indicant. 65) Convenit Necrologium Halberstad. apud Förstemann, Neue Mittheilungen VIII, 3. p. 60. 66) Cf. Thietmar. I, 12.

Ekk. 900. sextus, nutu divino pontificali est infula decoratus. Huius temporibus anno 2.[67], defuncto papa Stephano, Romani quidam Sergium quendam elegerunt in papam, sed potior pars Formosum, Portuensem episcopum. Cum etiam fautores Sergii ipsum in papam producerent ordinandum, electores Formosi eum ab altari et ab Urbe pellentes, Formosum papam instituerunt.[a] Unde cum ipse ab emulis suis persecutiones pateretur, Arnulfum regem Romam sibi in auxilium evocavit, qui ingressus Urbem multos Romanorum principes ulciscendo pape iniuriam decollari precepit. Formosus autem ipsum regem in imperatorem coronavit. Anno vero Domini 900, ordinationis Sigismundi episcopi anno 6, Arnulfus imperator morte miserabili, scaturitione scilicet vermium quos pediculos vocant tam enormi, ut nullis medicorum curis posset minui, est extinctus. Defunctus est etiam Formosus papa. Fautores itaque Sergii nacta occasione ipsum Romam reducunt, eiecto eo qui Formoso successerat. Qui constitutus Formosum de sepulcro trahi et in sede pontificatus, pontificalibus indutum vestibus, locari sicque decollari precepit. Deinde sacris exutum vestibus abcisisque tribus digitis, in Tyberim iactari iussit. Post Formosum Iohannes papa sedit, cui item Stephanus successit. Defuncto autem Arnulfo, regni sui 14. anno, imperii vero 4, Lodewicus[b] filius eius, qui cognominatus est Infans, post ipsum regnavit. Hic itaque, postulante Sigismundo episcopo, omnia statuta antecessorum suorum, divorum imperatorum, in Halberstadensi ecclesia renovavit et regie auctoritatis privilegio confirmavit, hoc etiam supererogando, ut Halberstadensis ecclesie canonici seu inter se seu aliunde, digne et canonice episcopum eligendi liberam ac propriam habeant facultatem, eamque concessionem suo eis privilegio stabilivit[68].

Ekk. [c]Idem rex Lodewicus Adelbertum, principem Bavenbergensis[d] civitatis, perfidia Hatonis Moguntini archi- 908. episcopi decollari fecit. Hic eciam Lodewicus accepit uxorem, nomine Machtildam, sororem Brunonis ac Ottonis, 912. qui descenderant de stirpe Withikindi ducis Saxonie. Hic Bruno fundator exstitit civitatis que Brunonis vicus vocatur. Qui cum ducatum totius Saxonie amministrasset, duxit exercitum contra Danos, et inundatione repentina circumfusus, periit cum omni exercitu, Ottoni fratri suo ducatum relinquens. Lodewicus[e] autem non habens heredem regni sui anno 13, anno vero episcopi pretaxati 18, diem clausit extremum[e]. Cui Conradus, quondam dux Francorum, filius Conradi principis, quem Adelbertus occidit Bavenbergensis princeps, successit in regnum. Cum enim Lodewico IV. non esset filius, cuncti principes regni Ottonem ducem Saxonie querebant ad regni apicem sublevare. Ipse vero, quasi iam gravior et tanti honoris exellencia iudicans se indignum, onus imperii recusavit: eius tamen consilio Conradus supradictus, qui quarto Lodewico in cognatione[f] proximus erat, utpote filius fratris sui[69], in regem est electus. Huc usque Karoli 914. Magni progenies imperium tenuerunt: abhinc imperatores Saxonici surrexerunt. Hoc tem- Ekk. pore Romane ecclesie presedit Marinus papa. [g]Conradus autem rex regni sui anno 9, Sigismundi episcopi anno 26, ab hoc seculo est ereptus. Cui cum non esset proles regia, de consilio eiusdem regis adhuc viventis universi principes regni Henricum ducem Saxonie, filium supradicti Ottonis ducis, elegerunt in regem, qui 17 annis[h] regnavit. Sigismundus autem Halberstadensis episcopus, ut fidelis servus et prudens supra familiam Domini constitutus, semper preesse studuit in bono et prodesse. Nec inter opera sanctitatis sue hoc est reticendum, quod cum ipse omnibus bonis habundaverat, nichil tamen ad sui corporis percipere voluit alimenta, nisi quod ipse scribendo, pingendo ac propriis manibus Thietm I, 12. operando sibi de suis laboribus compararat. Per divinam quoque revelationem domno Bernardo[i] predixit, quod ipse futurus esset post se antistes. Ipse namque episcopus invalitudine corporis fatigatus vidit in sompnis, quod baculum pastoralem e manibus suis elapsum Bernardus, pone[k] sequens, levaret et manifeste portaret, et advocans eum dixit ei: *Vade ad curtem*[l] *regiam, fili mi, et que tibi fuerint necessaria de rebus meis sumes, ibique melius valentium tibi conpara et graciam et favorem; providit enim Deus, ut sine omni offensione*[m] *michi succedas in huius ecclesie provisorem.* Bonum igitur certamen certans contra hostem malignum, sic in stadio vite presentis 933. Ian. 14. cucurrit, quod iocunditatis eterne bravium non amisit: 30.[70] namque ordinationis sue anno, 19. Kal. Februarii[71] celo reddidit animam. Corpus vero eius in claustro positum, multo tempore post a domno Hildwardo episcopo translatum in ecclesiam iuxta summum altare sancti Stephani ad meridianam plagam honorifice est locatum. Sic enim ipse, dum viveret, semper exoptaverat se locandum, sperans se patroni sui sancta intercessione et sacerdotali benedictione, super se assidue facienda, iugiter muniendum.

Thietm. [n]Anno igitur Domini 923.[o], indictione 11, regni vero Henrici[p] primi regis 5, domnus Bernardus, sicut dictum est, ad consilium senioris sui, Sigismundi[q] episcopi, familiaritatem regis adeptus, inter regni principes primus[72] effectus, dum a rege revertitur, conperit dominum suum ab hac luce migrasse, et continuo reversus ad regem, suo consequitur munere quod petivit, Halberstadensis ecclesie septimus virgam suscipiens pastoralem.

---

a) *rubrica in* 1: Dissentio inter Formosum et Sergium. b) *rub. in* 1: Lodewicus infans regnavit annis 13. c) *rub. in* 1: Privilegium eiusdem. d) bauenb'ges 1, e *ultimum radendo mutatum in* i. e) Lodewicus — extremum *des.* 2. 3. f) congnatione 1. g) *rubr. in* 1: Conradus I. qui regnavit annis 9. h) *rubr. in* 1: Anni Henrici primi regis, qui regnavit annis 17. i) Bernhard. 2 *semper.* k) *radendo effectum est:* pene 1. l) crucem 1. *manu recent. in marg. corr* curiam, *quod habet* 2. m) offentione 1. n) *rubr. in* 1: Anni Bernardi, VII. Halberstadensis ecclesie episcopi, qui sedit annis 48. o) *correxi;* 924. 1. 2. p) *deest* 1. q) S. 1.

[67] Hic numerus prorsus falsus est. [68] a. 902. Aug. 7; v. Böhmer, Reg. Karol. 1185. [69] Hanc cognationem Ekkehardus in dubio relinquit. [70] immo 29. cum Sigismundus post Ian. 27. a. 894. ordinatus sit. [71] Conveniunt Necrolog. Halberstad. l. c. et Ann. Fuld. necrolog. maiores, qui tamen a. 924. praebent, v. Böhmer, Fontes III, 156. [72] *primus inter principes regni* sunt verba Annalistae Sax. ad a. 923 et 968.

Hic itaque inter innumera probitatis sue facta brachium sancti Sixti pape cum parte cf. A. S. 968. capitis eius et plurimis sanctorum reliquiis de Roma adduxit: de sanguine sancti Pauli apostoli, reliquias sanctorum Agapiti, Felicissimi, Stephani pape et martiris, Fabiani et Sebastiani, Iohannis et Pauli, Viti, Dyonisi, Nerei, Achillei, Pancracii, Tyburcii et Valeriani, Prothi et Iacincti, Cosme et Damiani[a], Georgii, Romani militis, Anastasii martiris, Valentini, Processi et Martiniani, Sergii et Bachi, Primi et Feliciani, quatuor coronatorum, costam sancti Cyriaci, digitum sancte Cecilie, Agnetis, Prisce, Petronille, Aquile.

[b]Tempore Henrici regis Karolus rex Francorum captus et carceri mancipatus, manum sancti Dyonisii martiris[c] Ekk. p. 182. auro gemmisque ornatam eidem Henrico regi transmisit in pignus perpetui federis et amoris. Rodolfus quoque Burgondionensis rex, qui in Ytalia annis aliquot imperaverat, lanceam quandam ibi a Samsone quodam comite acceperat, quam Constantini Magni, sancte Helene filii, esse dicebant. Que, excepta ceterarum specie lancearum, novo quodammodo opere novaque elaborata arte et figura erat, utrobique quasi fenestram habens, cui inclusa sunt de spina, de cruce, ex[d] clavis manibus et pedibus Salvatoris nostri afixis. Henricus itaque rex audiens Rodolfum regem tam celeste donum habere, ut Domini erat timens totiusque religionis amator, legatis directis temptavit tum premiis tum terrore illud obtinere, sed quia munus quod petebatur illud erat, quod celestibus terrena coniunxerat[e], Rodolfus rex, licet multum difficilem se reddiderit, emollito tandem eius corde iusto regi iusta iuste petenti protinus tradidit quod petebat. Quanto autem amore rex Henricus hoc celeste munus dilexerit, in hoc presertim claruit, quod datorem huius non solum auro argentoque multo, verum etiam Suevorum provincia non minima honoravit. Dei ergo voluntate rex Hinricus sanctam lanceam est adeptus, per quam ipse sepe de hostibus triumphavit, eamque credimus esse, que ex tunc hodieque in imperatorum tutela manere solet. Idem Henricus rex castrum Brandeborc[f] cepit, Dalmaciam subiugavit, Boemiam quoque tributariam fecit, Saxoniam etiam a tributo quod Hungaris dare consueverat liberavit. Unde cum ipsi tam Saxoniam quam Thuringiam ibid. p. 183. cum multo exercitu devastassent, ipse rex Henricus, licet invalidus corpore, cum multo exercitu per Saxoniam congregato in castro Merseborch congressus est cum eis eosque vicit penitus et fugavit. Hunc triumphum tam laude quam memoria dignum rex apud Merseborch in superiori cenaculo domus regie per zographiam[g] notari precepit, adeo ut rem[h] veram pocius quam verisimilem iudicares. Erat autem Henrico regi uxor nobilissima nomine Mactildis, filia Theoderici principis, ex eadem Saxonum gente, cuius fratres erant Withikint et Reynbern, et hii erant ex stirpe magni ducis Saxonie Withekindi. Reynbern autem erat ille qui pugnavit contra Danos multo tempore Saxoniam vastantes, vicitque illos liberans patriam ab eorum incursionibus usque in hodiernum diem. Genuit autem Henrico regi Mactilda filium qui cognominatus est Otto Magnus, qui et postmodum patri successit in regnum. Genuit quoque et alium, nomine Henricum, qui factus est dux Bawarie, genuit quoque tertium, Brunonem nomine, qui postea Coloniensis ecclesie pontifex est effectus. Hinricus igitur rex, perdomitis circumquaque gentibus, tandem Romam studuit proficisci, sed infirmitate preventus in castello quod Mimeleve dicitur decubuit. Testamento igitur legitime facto et rebus omnibus rite conpositis, designatoque in regem Ottone filio suo, defunctus est anno regni sui 17, vite autem 60, Bernardi episcopi anno 14, translatumque est corpus eius in civitatem que dicitur Quidelingeburg et in basilica sancti Petri ante altare sepultum. Cuius Thietm. I, 11. obitus 30. die domna Machtildis regina, de morte sui coniugis diro vulnere sauciata, congregationem sanctimonialium in Quedelingeburg constituit, et huic quantum necessaria suppetebant ex sua proprietate concessit. [i]Defuncto igitur rege Ekk. Henrico anno Domini 937, filius suus, Otto magnus et pacificus, ei succedit in regnum. Hic autem ex Anglorum gente duxit uxorem filiam fratris Adelstani regis que vocata est Etgit, ab aliis vero Edittis appellata, que et regi peperit filium nomine Lutolfum. Eius[k] etiam instinctu et precum instancia rex Otto Magdeburgensem condidit civitatem, ad quam Thietm. II, 2. c. 5. etiam relliquias sancti martiris Innocencii cum magno adduxit honore. Statuit quoque ibidem abbaciam, incipiens ecclesiam mirum in modum in loco ubi sancta Edida postmodum est sepulta; ibi etiam episcopatum facere conabatur, sed apud Bernardum episcopum, in cuius dyocesi urbs prefata sita erat, id quamdiu vixit non potuit impetrare Quicquid autem in prediis[l] aut quibuslibet rebus potuit congregare totum Deo eiusque militi Mauricio deputavit. In Augusta[m] c. 4. quoque civitate existens, in qua tunc temporis beatus Olricus episcopus presedit, in die beati Laurencii conflictum cum Hungaris habiturus tale fecit votum: ut, si intercessione tanti patroni Christus sibi victoriam dignaretur dare et vitam, in civitate Mersburch vellet episcopatum construere in honore victoris ignium, domumque suam magnam noviter inchoatam sibi ad ecclesiam consummare. Set quamvis divina favente clementia, cesis ea die hostibus et fugatis, victoria magnifice sibi cesserit et triumphus, omnesque regni principes pro signo tam evidenti ad perficienda vota unanimiter acclamarint[n], invictum tamen Bernardi antistitis animum ad consenciendum sibi in ecclesie sue terminis distrahendis nuncquam potuit inclinare; unde eciam imperator ipsum non est veritus captivare et in Quidelingheburch carceris custodia mancipare. In quo dum per dies aliquot fuisset afflictione satis indebita tribulatus, stolam et annulum suum cum virga pastorali per quendam capellanum suum nactus, in cena Domini imperatorem cum episcopis omnibus qui secum ibi aderant hora diei prima ad se postulat accersiri. Qui de terminis memoratis ipsum imperatori velle satisfacere estimantes, ad vocationem ipsius pariter convenerunt. Quibus post aliqua exhortationis verba sub interminatione excommunicationis divinum[o] officium ea die ipsis in sua parrochia interdixit, ipsumque imperatorem pro tam iniusta sui captivitate anathematis vinculo alligavit. Quem assistentes tanquam senem delirum inventum, verba iactantes[p] inania, deriserunt; eductum tandem[q] de carcere pontificalibus indumentis et

---

a) Damiano *prius, radendo mutatum* 1. b) *rubr. in* 1: Qualiter Henricus rex manum sancti Dyonisi et lanceam Domini est adeptus. c) mr̃ 1. d) dex *prius, rad. corr.* 1. e) conmixerat 1. 2; commiscuerat 3. f) Brandenburg 2. g) topographiam 2. h) *ab eadem manu in loco raso* 1. i) *rubr. in* 1: Anni Ottonis primi, imperatoris, qui sedit annis 38. k) *rubr. in* 1: Constructio Magdeburgensis civitatis. l) preliis 1. 2. m) angusta 1. n) acclarīt 1. o) d'inū 1. p) iactantem 3. q) *sic coniicit* 3; tamen 1; tantum 2.

omnibus[a] que necessaria fuerunt armis spiritalibus insignitum conspiciunt et munitum. Tum vero iactantes capita sua, mente non modicum sunt confusi et, quia res in arto[b] posita erat, ad sanissimum tandem[c] consilium hoc accedunt, ut ab omni captivitate liberatus ad sui episcopatus sedem presul venerabilis reducatur. Imperator igitur et episcopi omnes cum universo comitatu suo usque ad ecclesiam beati Stephani ipsum magnifice prosecuntur. Verum in pontifice tanta fuit divini timoris perseverancia et rigoris, ut imperatori cum omnibus suis advenienti nec processione debita nec tintinabulorum sollempniis aliquem exhiberet[d] honorem, ob sententiam videlicet quam in eum iudicio sancti Spiritus promulgarat. Imperator vero divina inspiratione conpunctus, a civitate aliquantulum retrogressus, penitentium[e] more nudis pedibus subito regrediens, coram prefato episcopo humotenus est prostratus, et absolutionis beneficium, quod ab ipso humiliter peciit, impetravit. Ipso igitur episcopo obsecrante, imperator ab urbe longius denuo retrocedens, regalibus ornamentis indutus, vectus equo revertitur, et cum omni tripudio, cunctis exultantibus, sollempnitate congrua est receptus, et in ipsa civitate festum paschale cum uberrima letitia celebravit. Sic igitur inter imperatorem et episcopum omnis controversia est finita, ut eo vivente nuncquam manus apponeret set nec etiam mentionem uncquam faceret voti[f] sui, quod in rebus anxiis ipsum constitit sic vovisse. Imperator vero ex petitione Bernardi episcopi omnes successiones et statuta antecessorum suorum, divorum imperatorum, Halberstadensi ecclesie renovavit et regio ea privilegio roboravit[73].

Ekk. 936. Hiis temporibus presederunt Romane ecclesie post Martinum papam Agapitus, post quem Octavianus[g], post quem cf. Ekk. Leo, post quem Benedictus, post quem Iohannes. Anno Domini 947. defuncta est Edidis regina et sepulta est in civitate Magdeburgensi, que non minus sancta religione quam regali potencia claruerat. Qua defuncta, rex Otto Italiam intravit eamque subiugavit, et Adelheidem reginam sibi matrimonialiter copulavit. Ex qua genuit tres filios Henricum, Brunonem et Ekk. p. 189. Ottonem Rufum, qui et post ei successit in regnum. Anno Domini 952.[h] Otto rogatu Iohannis pape et querimonia multorum Italiam peciit et Romanam ecclesiam ex faucibus Berengarii et filii sui liberavit. Berengarium autem cum uxore et filio suo Babenberch captivos transmisit, ubi et Berengarius defunctus est. Ipse vero rex Romam procedens mirifico apparatu susceptus, ab eodem papa Iohanne in imperatorem est coronatus. Filium quoque suum Ottonem ad se Romam venire fecit, qui et in natali Domini coronam regni ab eodem papa accepit. Cui etiam filiam imperatoris Grecorum in Italia matrimonialiter copulavit.

Thietm. II, 13. Eius quoque temporibus Gero defensor patrie, dum Sigifridi, unici filii sui, morte non modicum turbaretur, senex iam emeritus[i], Romam pergens coram altari apostolorum principis Petri arma victricia deposuit, et apud domnum apostolicum sancti Ciriaci martiris brachio inpetrato, ad Dominum cum omni sua hereditate confugit, patriamque[k] revisens, viduam nati[l] sui, Hathuic[m] vocatam, prius velatam, in monasterio constructo, quod suo signatur nomine, statuit abbatissam, quam etiam Bernardus venerabilis episcopus consecravit. Defuncto autem iam dicto Gerone[74], Bernardus episcopus curtem[n], quam idem Gero Magdeburg habuerat, ab imperatore Ottone obtinuit cum ecclesia in honore sancti Ciriaci martiris inibi constructa et omni edifitio curtis eiusdem tempore vite sue habenda; ipse vero episcopus ob huius muneris reconpensationem omnem decimationem trium villarum, videlicet Osolfstede[o][75], Niandorp[p][76], Nortammensleve[77], Magdeburgensi ecclesie in id ipsum temporis[q] concessit, ea tamen conditione interserta, ut post mortem suam predictarum villarum decimationes ad Halberstadensem ecclesiam sine difficultate redirent[78]. Verum post mortem Bernardi episcopi conditionis predicte vicissitudo mutua licet scriptis tam imperatoris quam episcopi denotata fuisset, Halberstadensis ecclesia nec curtem[n] predictam retinuit nec suas decimas recepit. Idem quoque episcopus constituit congregationem sanctimonialium in Hadhemersleve[r][79], cui de patrimonio suo cum etiam decimarum oblatione sollerter queque necessaria providere curavit, et inibi Domino famulantes iugiter nomen Domini benedicere sine omni

a) *sic* 3; omnia 1. 2. b) arco 1. c) *sic* 3; tamen 1. 2. d) *sic* 3; exhiberent 1. 2. e) penitentiam *prius, rad. corr.* 1. f) *sic* 3; noti 1. 2. g) *rubr. in* 1: Privilegium Ottonis. h) *leg.* 962. i) euentus 1. k) prīam q̊; 1. l) *rubr. in* 1: Fundatio Geronensis cenobii. m) Hathuit 2. n) crucem 1. o) osolphstedt 2. p) Niandrep 1; Aiandrep 2; Aiandorp 3. q) *correxi;* temporibus *codd.* r) Hatheimersleben 2.

---

[73] a. 937. Febr. 4. v. Stumpf, Reichskanzler 63.

[74] scil. a. 965. Mai. 20.

[75] Olvenstedt praefecturae Wolmirstedt.

[76] Niendorf haud procul ab eo loco olim situm, ubi Bewer in Oram influit, hodie locus desertus dictus Winholt; cf. Walther, Singularia Magdeburgica III, 23. Neindorp, de quo Ann. Magdeb. et Chron. Mont. Seren. a. 1167, alium esse, ad Selke flumen situatum, statuit Heinemann, Albrecht der Bär 254 cum not. 63.

[77] Ammensleben duo miliaria a Magdeburg inter septentriones et occidentem.

[78] Notitia huius concambii hausta est e charta Bernhardi episcopi a. 965, quam v. apud Heinemann, Cod. dipl. Anhalt. I, 44.

[79] Cf. chartam corruptam Ottonis II. regis a. 961. hanc fundationem confirmantem, Stumpf 548.

seculari impedimento verbis assidue docuit et exemplis. Tantis igitur presul Dei pollens virtutibus vidit in sompnis se ascendere scalam ad celum erectam, viro[a], qui inibi[b] presidebat, coram iudice presentatus, asistere vidit 12 pauperes nudos et fame confectos. Expergefacto igitur a sompnis affuit etiam soror sua, que inter mutuas collocutiones, nescia quid fratri suo per visum fuisset ostensum, fratri quod et ipsa viderat sompnium simile referebat.[c] Quod ille tam pie quam sapienter exponens: *Duodecim*, inquit, *procuratores pauperum Deus fieri nos elegit.* Sicque ambo de patrimonio suo, quod ipsis[d] iure hereditario contigit, 12 pauperum stipendia ob celestis porte ipsis pandendum introitum in perpetuum feliciter statuerunt[80]. Sub eodem quoque antistite monasterium sancti Stephani propter vetustatem et operis vilitatem corruit, quod Hildegrimus iunior episcopus dedicarat. Venerandus igitur Bernardus episcopus plenus dierum, 48.[81] ordinationis sue anno, 3. Nonas Februarii obdormivit[e] in A. S. 968. Domino, et in predicta ecclesia in medio chori corpus eius honorabiliter est humatum. Febr. 3.

Versa[f] nostrorum finium in luctum cythara et organa nostre spei in vocem flencium. Iusticia Domini recte[g] ibid. corda letificans et preceptum Domini oculos luminando, lucernam que omnibus qui in Domino sunt luceret super candelabrum collocavit, videlicet Hildewardum, aureum decus priorum presulum, rectitudinis normam presentibus et futuris vite sancte exemplum. Iste quidem ecclesie tunc prepositus et ad hanc dignitatem a cf Thietm. II, 14. venerabili Bernardo episcopo presignatus, anno Domini 968.[h], indictione 11, pari voto tocius cleri et populi unanimi acclamatione 3. Kal. Aprilis rite et canonice est electus, et Mart. 30. in castello Werle constitutus, a Heremanno duce Saxonie presul dignus Halberstadensis ecclesie est transmissus. Nam Otto imperator Romam pergens predicto duci provincie Saxonie interim procurande conmiserat potestatem. Otto igitur imperator, iam dicti sublimatione ibid. presulis intellecta, Romam ipsum post se venire mandavit. Cuius cum se conspectui presentasset, benigna ipsum affabilitate recepit et secretum mentis diu absconditum secum iam nacta oportunitate revolvit, scilicet ob spem retributionis eterne et defensionem communem patrie se semper desiderium habuisse in urbe Partinopolitana archiepiscopatum[i] videlicet faciendi, et quecunque sue forent beneplacita voluntati fidelissime se promisit ei in omnibus pariturum, si ad perficiendum hoc votum ipse sibi suum preberet assensum. Ipse autem, ut erat vir sapiens et discretus, pie ipsius petitioni annuere dignum duxit; parrochie igitur sue partem, que sita est inter Oram et Albiam et Bodam fluvios, et insuper viam que Friderici dicitur, Deo eiusque militi sancto Mauritio et imperatori concessit. Insuper etiam karitative inductus ab eodem imperatore, dedit Deo sanctoque Laurencio parrochiam sitam inter fluvios Wilerbike[82] et Salsum mare et Salam ac Unstrot et Helmena et foveam iuxta Walehusen[83], Mersburgensem[k] episcopatum in ipsa condendum. Tali itaque concessioni imperator applaudens per manus suscepit eundem curamque pastoralem baculo ipsi conmittens, inquit: *Accipe precium patris tui!* Sic igitur Hildewardus octavus Halber- cf. A. S. stadensis ecclesie institutus, domum rediens a Hatone Moguntine sedis archiepiscopo 968. Dec. 21. 12. Kal. Ianuarii episcopalem benedictionem accepit. Otto autem magnus et pacificus cf. Ekk. imperator anno ordinationis Hildewardi 6, anno vero 3. postquam Adelbertus primus Magdeburgensis ordinatus est episcopus, in Mimmeleve morte occubuit repentina, anno regni sui 38, Non. Mai, anno Domini 974, et sepultus in civitate sua Magdeburg. Eodem vero anno sanctus Odalricus Augustensis episcopus anno presulatus sui 50, virtutibus plenus migravit ad Christum. Thietm. III, 8 Adelbertus etiam, episcopus Magdeburgensis primus, 13. ordinationis sue anno morte subitanea est extinctus. Boso ibid. II, 23. quoque, primus Mersburgensis episcopus, anno primo presidens in Bawaria vitam finivit. Unde presumitur manifeste, quod dilecti sui Stephani, Halberstadensis ecclesie patroni, Dominus iniuriam ulciscendo, occupatores sue dyocesis tam inopinata vindicta subtraxerit ab hac luce. Defuncto Iohanne papa Benedictus ei successit, post quem Silvester, post quem item Benedictus. Ottone Ekk. 974. igitur Magno[l] defuncto[m] Otto filius suus, qui cognominatus est Rufus, patre vivente a cf. Ekk. Iohanne papa coronatus, ei successit in regnum et imperium, et regnavit annis 9.

Hildwardus autem, episcopus venerandus, utilitatem sue ecclesie semper augens in bono, monasterium sancti Stephani prothomartiris, quod, ut predictum est, collapsum penitus invenit, a fundamentis studiosissime reparavit. Perfecta[n] autem eiusdem monasterii cripta, anno videlicet 974.[o], indictione 3, ordinationis sue anno 6, die Non. Novembris Nov. 5.

---

a) vir 1. 2. b) mihi 2. c) *rubr. in* 1: Quare prebende porte dicuntur. d) ipsos 1. e) *litterae* ob *in loco raso* 1. f) *rubr. in* 1: Anni Hildewardi, VIII. episcopi, qui sedit annis 29. g) r̄cē 1. h) LX. *alio atramento in loco raso* 1, *prius* LVIII. *scriptum erat, et recentissima manus in margine scripsit* LXVIII. rectius; 958 vel alias 968 rectius 2. i) archiepiscopum 1. 2. k) Mersburgñ 1. l) no *alia manu add.* 1. m) *rubr. in* 1: Otto rufus regnavit annis 9. n) *rubr. in* 1: Dedicatio cripte. o) dcc̊cc.lxxxiiii. *prius, ultimum* X *erasum est* 1.

80) Conventus dictus *Porta caeli, das Pfortenhaus,* olim infra forum domus maioris ad flumen Holzemme situs. 81) Hic numerus, ex Ann. Saxone desumptus, in 46 mutandus est, quia secundum eundem Bernhardus ipso die ordinationis suae obiit. 82) Willerbach (non vero ut Lappenberg SS. Tom. II, 749 not. 72 voluit: Wildbach iuxta Kelbra), qui apud Wormsleben in lacum qui dicitur *Süsser See,* dein in Salsum lacum, demum sub nomine Salza in Salam influit, v. Ledebur, Archiv III, 42 not. 5. 83) V. supra p. 79 not. 37 et infra sub Arnulfo episcopo.

omnibus[a] que necessaria fuerunt armis spiritalibus insignitum conspiciunt et munitum. Tum vero iactantes capita sua, mente non modicum sunt confusi et, quia res in arto[b] posita erat, ad sanissimum tandem[c] consilium hoc accedunt, ut ab omni captivitate liberatus ad sui episcopatus sedem presul venerabilis reducatur. Imperator igitur et episcopi omnes cum universo comitatu suo usque ad ecclesiam beati Stephani ipsum magnifice prosecuntur. Verum in pontifice tanta fuit divini timoris perseverancia et rigoris, ut imperatori cum omnibus suis advenienti nec processione debita nec tintinabulorum sollempniis aliquem exhiberet[d] honorem, ob sententiam videlicet quam in eum iudicio sancti Spiritus promulgarat. Imperator vero divina inspiratione conpunctus, a civitate aliquantulum retrogressus, penitentium[e] more nudis pedibus subito regrediens, coram prefato episcopo humotenus est prostratus, et absolutionis beneficium, quod ab ipso humiliter peciit, impetravit. Ipso igitur episcopo obsecrante, imperator ab urbe longius denuo retrocedens, regalibus ornamentis indutus, vectus equo revertitur, et cum omni tripudio, cunctis exultantibus, sollempnitate congrua est receptus, et in ipsa civitate festum paschale cum uberrima letitia celebravit. Sic igitur inter imperatorem et episcopum omnis controversia est finita, ut eo vivente nuncquam manus apponeret set nec etiam mentionem uncquam faceret voti[f] sui, quod in rebus anxiis ipsum constitit sic vovisse. Imperator vero ex petitione Bernardi episcopi omnes successiones et statuta antecessorum suorum, divorum imperatorum, Halberstadensi ecclesie renovavit et regio ea privilegio roboravit[73].

Ekk. 936. Hiis temporibus presederunt Romane ecclesie post Martinum papam Agapitus, post quem Octavianus[g], post quem
cf. Ekk. Leo, post quem Benedictus, post quem Iohannes. Anno Domini 947. defuncta est Edidis regina et sepulta est in civitate Magdeburgensi, que non minus sancta religione quam regali potencia claruerat. Qua defuncta, rex Otto Italiam intravit eamque subiugavit, et Adelheidem reginam sibi matrimonialiter copulavit. Ex qua genuit tres filios Henricum, Brunonem et
Ekk. p. 189. Ottonem Rufum, qui et post ei successit in regnum. Anno Domini 952.[h] Otto rogatu Iohannis pape et querimonia multorum Italiam peciit et Romanam ecclesiam ex faucibus Berengarii et filii sui liberavit. Berengarium autem cum uxore et filio suo Babenberch captivos transmisit, ubi et Berengarius defunctus est. Ipse vero rex Romam procedens mirifico apparatu susceptus, ab eodem papa Iohanne in imperatorem est coronatus. Filium quoque suum Ottonem ad se Romam venire fecit, qui et in natali Domini coronam regni ab eodem papa accepit. Cui etiam filiam imperatoris Grecorum in Italia matrimonialiter copulavit.

Thietm. II, 13. Eius quoque temporibus Gero defensor patrie, dum Sigifridi, unici filii sui, morte non modicum turbaretur, senex iam emeritus[i], Romam pergens coram altari apostolorum principis Petri arma victricia deposuit, et apud domnum apostolicum sancti Ciriaci martiris brachio inpetrato, ad Dominum cum omni sua hereditate confugit, patriamque[k] revisens, viduam nati[l] sui, Hathuic[m] vocatam, prius velatam, in monasterio constructo, quod suo signatur nomine, statuit abbatissam, quam etiam Bernardus venerabilis episcopus consecravit. Defuncto autem iam dicto Gerone[74], Bernardus episcopus curtem[n], quam idem Gero Magdeburg habuerat, ab imperatore Ottone obtinuit cum ecclesia in honore sancti Ciriaci martiris inibi constructa et omni edifitio curtis eiusdem tempore vite sue habenda; ipse vero episcopus ob huius muneris reconpensationem omnem decimationem trium villarum, videlicet Osolfstede[o][75], Niandorp[p][76], Nortammensleve[77], Magdeburgensi ecclesie in id ipsum temporis[q] concessit, ea tamen conditione interserta, ut post mortem suam predictarum villarum decimationes ad Halberstadensem ecclesiam sine difficultate redirent[78]. Verum post mortem Bernardi episcopi conditionis predicte vicissitudo mutua licet scriptis tam imperatoris quam episcopi denotata fuisset, Halberstadensis ecclesia nec curtem[n] predictam retinuit nec suas decimas recepit. Idem quoque episcopus constituit congregationem sanctimonialium in Hadhemersleve[r][79], cui de patrimonio suo cum etiam decimarum oblatione sollerter queque necessaria providere curavit, et inibi Domino famulantes iugiter nomen Domini benedicere sine omni

---

a) *sic* 3; omnia 1. 2. b) arco 1. c) *sic* 3; tamen 1. 2. d) *sic* 3; exhiberent 1. 2. e) penitentiam *prius, rad. corr.* 1. f) *sic* 3; noti 1. 2. g) *rubr. in* 1: Privilegium Ottonis. h) *leg.* 962. i) euentus 1. k) prīam q̊; 1. l) *rubr. in* 1: Fundatio Geronensis cenobii. m) Hathuit 2. n) crucem 1. o) osolphstedt 2. p) Niandrep 1; Aiandrep 2; Aiandorp 3. q) *correxi;* temporibus *codd.* r) Hatheimersleben 2.

73) a. 937. Febr. 4. v. Stumpf, Reichskanzler 63. 74) scil. a. 965. Mai. 20. 75) Olvenstedt praefecturae Wolmirstedt. 76) Niendorf haud procul ab eo loco olim situm, ubi Bewer in Oram influit, hodie locus desertus dictus Winholt; cf. Walther, Singularia Magdeburgica III, 23. Neindorp, de quo Ann. Magdeb. et Chron. Mont. Seren. a. 1167, alium esse, ad Selke flumen situatum, statuit Heinemann, Albrecht der Bär 254 cum not. 63. 77) Ammensleben duo miliaria a Magdeburg inter septentriones et occidentem. 78) Notitia huius concambii hausta est e charta Bernhardi episcopi a. 965, quam v. apud Heinemann, Cod. dipl. Anhalt. I, 44. 79) Cf. chartam corruptam Ottonis II. regis a. 961. hanc fundationem confirmantem, Stumpf 548.

seculari impedimento verbis assidue docuit et exemplis. Tantis igitur presul Dei pollens
virtutibus vidit in sompnis se ascendere scalam ad celum erectam, viro[a], qui inibi[b]
presidebat, coram iudice presentatus, asistere vidit 12 pauperes nudos et fame confectos.
Expergefacto igitur a sompnis affuit etiam soror sua, que inter mutuas collocutiones,
nescia quid fratri suo per visum fuisset ostensum, fratri quod et ipsa viderat sompnium
simile referebat.[c] Quod ille tam pie quam sapienter exponens: *Duodecim*, inquit, *procuratores
pauperum Deus fieri nos elegit.* Sicque ambo de patrimonio suo, quod ipsis[d] iure
hereditario contigit, 12 pauperum stipendia ob celestis porte ipsis pandendum introitum in
perpetuum feliciter statuerunt[80]. Sub eodem quoque antistite monasterium sancti Stephani
propter vetustatem et operis vilitatem corruit, quod Hildegrimus iunior episcopus dedicarat.
Venerandus igitur Bernardus episcopus plenus dierum, 48.[81] ordinationis sue anno, 3. Nonas Februarii obdormivit[e] in A. S. 968.
Domino, et in predicta ecclesia in medio chori corpus eius honorabiliter est humatum. Febr. 3.

Versa[f] nostrorum finium in luctum cythara et organa nostre spei in vocem flencium. Iusticia Domini recte[g] ibid.
corda letificans et preceptum Domini oculos luminando, lucernam que omnibus qui in Domino sunt luceret super candelabrum
collocavit, videlicet Hildewardum, aureum decus priorum presulum, rectitudinis normam presentibus et
futuris vite sancte exemplum. Iste quidem ecclesie tunc prepositus et ad hanc dignitatem a cf Thietm. II, 14.
venerabili Bernardo episcopo presignatus, anno Domini 968.[h], indictione 11, pari voto
tocius cleri et populi unanimi acclamatione 3. Kal. Aprilis rite et canonice est electus, et Mart. 30.
in castello Werle constitutus, a Heremanno duce Saxonie presul dignus Halberstadensis
ecclesie est transmissus. Nam Otto imperator Romam pergens predicto duci provincie
Saxonie interim procurande conmiserat potestatem. Otto igitur imperator, iam dicti sublimatione ibid.
presulis intellecta, Romam ipsum post se venire mandavit. Cuius cum se conspectui presentasset, benigna ipsum
affabilitate recepit et secretum mentis diu absconditum secum iam nacta oportunitate revolvit, scilicet ob spem retributionis
eterne et defensionem communem patrie se semper desiderium habuisse in urbe Partinopolitana archiepiscopatum[i]
videlicet faciendi, et quecunque sue forent beneplacita voluntati fidelissime se promisit ei in omnibus pariturum,
si ad perficiendum hoc votum ipse sibi suum preberet assensum. Ipse autem, ut erat vir sapiens et discretus, pie
ipsius petitioni annuere dignum duxit; parrochie igitur sue partem, que sita est inter Oram et Albiam et Bodam
fluvios, et insuper viam que Friderici dicitur, Deo eiusque militi sancto Mauritio et imperatori concessit. Insuper
etiam karitative inductus ab eodem imperatore, dedit Deo sanctoque Laurencio parrochiam sitam inter fluvios Wilerbike[82]
et Salsum mare et Salam ac Unstrot et Helmena et foveam iuxta Walehusen[83], Mersburgensem[k] episcopatum
in ipsa condendum. Tali itaque concessioni imperator applaudens per manus suscepit eundem curamque
pastoralem baculo ipsi conmittens, inquit: *Accipe precium patris tui!* Sic igitur Hildewardus octavus Halber- cf. A. S.
stadensis ecclesie institutus, domum rediens a Hatone Moguntine sedis archiepiscopo 968. Dec. 21.
12. Kal. Ianuarii episcopalem benedictionem accepit. Otto autem magnus et pacificus cf. Ekk.
imperator anno ordinationis Hildewardi 6, anno vero 3. postquam Adelbertus primus
Magdeburgensis ordinatus est episcopus, in Mimmeleve morte occubuit repentina, anno
regni sui 38, Non. Mai, anno Domini 974, et sepultus in civitate sua Magdeburg. Eodem
vero anno sanctus Odalricus Augustensis episcopus anno presulatus sui 50, virtutibus plenus migravit ad Christum. Thietm. III, 8.
Adelbertus etiam, episcopus Magdeburgensis primus, 13. ordinationis sue anno morte subitanea est extinctus. Boso ibid. II, 23.
quoque, primus Mersburgensis episcopus, anno primo presidens in Bawaria vitam finivit. Unde presumitur
manifeste, quod dilecti sui Stephani, Halberstadensis ecclesie patroni, Dominus iniuriam
ulciscendo, occupatores sue dyocesis tam inopinata vindicta subtraxerit ab hac luce.
Defuncto Iohanne papa Benedictus ei successit, post quem Silvester, post quem item Benedictus. Ottone Ekk. 974.
igitur Magno[l] defuncto[m] Otto filius suus, qui cognominatus est Rufus, patre vivente a cf. Ekk.
Iohanne papa coronatus, ei successit in regnum et imperium, et regnavit annis 9.

Hildwardus autem, episcopus venerandus, utilitatem sue ecclesie semper augens in
bono, monasterium sancti Stephani prothomartiris, quod, ut predictum est, collapsum
penitus invenit, a fundamentis studiosissime reparavit. Perfecta[n] autem eiusdem monasterii
cripta, anno videlicet 974.[o], indictione 3, ordinationis sue anno 6, die Non. Novembris Nov. 5.

---

a) vir 1. 2. b) mihi 2. c) *rubr. in* 1: Quare prebende porte dicuntur. d) ipsos 1. e) *litterae* ob *in loco raso* 1. f) *rubr. in* 1: Anni Hildewardi, VIII. episcopi, qui sedit annis 29. g) r̄c̄ē 1. h) LX. *alio atramento in loco raso* 1, *prius* LVIII. *scriptum erat, et recentissima manus in margine scripsit* LXVIII. rectius; 958 vel alias 968 rectius 2. i) archiepiscopum 1. 2. k) Mersburgn̄ 1. l) no *alia manu add.* 1. m) *rubr. in* 1: Otto rufus regnavit annis 9. n) *rubr. in* 1: Dedicatio cripte. o) dcccc.lxxxiiii. *prius, ultimum* X *erasum est* 1.

[80] Conventus dictus *Porta caeli, das Pfortenhaus*, olim infra forum domus maioris ad flumen Holzemme situs.

[81] Hic numerus, ex Ann. Saxone desumptus, in 46 mutandus est, quia secundum eundem Bernhardus ipso die ordinationis suae obiit.

[82] Willerbach (non vero ut Lappenberg SS. Tom. II, 749 not. 72 voluit: Wildbach iuxta Kelbra), qui apud Wormsleben in lacum qui dicitur *Süsser See*, dein in Salsum lacum, demum sub nomine Salza in Salam influit, v. Ledebur, Archiv III, 42 not. 5.

[83] V. supra p. 79 not. 37 et infra sub Arnulfo episcopo.

dedicavit eandem in honore beate Marie virginis et Stephani prothomartiris. In cuius orientali parte consecravit altare in honore eiusdem intemerate virginis Marie, in quo posuit de sepulcro sancte Marie, reliquias sancti Thome apostoli, sancti Stephani pape et martiris, Servacii confessoris. Ad meridiem vero consecravit altare in honore sancti Martini, Gregorii, Augustini, Ieronimi, Benedicti, Nycolai et omnium confessorum Christi, in quo etiam conclusit reliquias Gregorii, Benedicti, Materniani, Willehadi, Sixti et Sinnicii, Liuderi[a]. In septentrione autem dedicavit altare in honore beate Cecilie, Agate, Agnetis, Lucie, Marie Magdalene et Marthe sororis eius, Marie Egypciace et omnium virginum, in quo continentur reliquie sanctarum virginum Cecilie, Anastasie, Magne et Marite.[b] Oratorium[c] vero, quod super criptam est, dedicavit in honore sancte Trinitatis et sancte crucis. In cuius oriente consecravit altare in honore Trinitatis et sancte crucis, in quo conclusit de sepulchro Domini, de ligno Domini et reliquias Mathie apostoli, Cesarii martiris, Vitalis martiris, Medardi confessoris. Ad meridiem autem consecravit altare in honorem sanctorum Petri et Pauli et omnium apostolorum, in quo inclusit reliquias Philippi et Iacobi, Cornelii, Fabiani et Sebastiani. Ad aquilonem vero dedicavit altare in honore sancti Iohannis baptiste et Iohannis euangeliste, in quo inclusit de ligno Domini et reliquias Vigilii martiris, Georgii, Pancracii, Alexandri martiris. [d]Anno autem Domini 980, indictione 8, sue vero ordinationis anno 12, Halberstadensem ecclesiam idem episcopus cf. A. S. 980. thezauro super aurum et topazion precioso feliciter decoravit. Sanguinem[e] beati Stephani prothomartiris cum ipsius sacris duobus articulis et de veste eius, sicut reperta sunt in altari, in quo Drogo, Magni Karoli augusti filius, Mediomatricorum archiepiscopus, ea cum brachio ipsius tam pie quam religiose locaverat[84], dictus Hildewardus ad Halberstadensem ecclesiam transportavit. Cum enim Metensis et Halberstadensis ecclesie sub eodem patrono militent, tanta fraternitatis et karitatis unione mutua vicissitudine sunt connexe, ut hinc inde transeuntibus canonicis plena, altrinsecus istis illic et illis istic, stipendia ministrentur; propensioris quoque familiaritatis privilegio sibi sunt altrinsecus alligate, ut si alterum episcoporum de sede sua cedere quocumque casu contingat, alter ipsum in domo et palacio suo recipere debeat[f], sicut se ipsum in omnibus procuraturus, quousque recuperet sedem suam. Huius igitur unionis vicissitudine considerata, venerabilis domnus Theodericus Metensis episcopus domno Hildewardo episcopo sueque sancte ecclesie pretaxatas reliquias perpetuo inviolatoque dono delegare curavit, ut cum utriusque ecclesie familia patrono militet sub eodem, eiusdem quoque curetur et dono. Mai. 10. Suscepte sunt autem hee reliquie in Halberstadensi ecclesia 6. Idus Mai[85] a clero et inconparabili multitudine populi cum ingenti tripudio et maxima gloria et honore. Que cuius fuerint sanctitatis et meriti, signis fuit evidentibus divinitus declaratum. Hunc ergo diem adventus beati Stephani Hildewardus episcopus per omnem dyocesim suam statuit in per- cf. Thietm. III, 8. 9. petuum esse celebrem et sollempnem. Hic etiam Hildewardus 15. ordinationis sue anno Mersburgensem ecclesiam, pastore suo eiecto[g] et episcopali sede destructa, Halberstadensi ecclesie, sicut iure debuit subesse, reformavit. Giselerus autem, secundus Mersburgensis episcopus, ecclesie Magdeburgensis constitutus est archiepiscopus. Hildewardus[86] autem in Mersburg statuit abbaciam, que sub regimine abbatum stetit usque ad Henrici tempora secundi regis.

ibid. III, 14. Otto vero imperator, magni[h] et primi Ottonis filius, anno[i] sui imperii 9, ordinationis Hildewardi 16.[k], 7. Idus Decembris[l] ab hac luce migravit et sepultus est Rome, pro quo filius suus Otto III. sublevatus est in regem.

ibid. IV, 12. Hildewardus autem, qui semper anime sue magis quam corporis meditabatur utilia, cf. A. Quedl. monasterium sancti Stephani prothomartiris, quod ipse a fundamentis edificaverat, consummaverat iam ad unguem. [m]Anno igitur Domini 992.[n], indictione 6, anno vero ordinationis sue 24, 17. Kalendas Novembris

---

a) Linderi 1. 2. b) Murite 2. 3; Marine *coniicit L.* c) *rubr. in* 1: Dedicatio Reste. d) *rubr. in* 1: De adventu reliquiarum. e) sanguine 1. 2. f) debet 1. 2. g) erecto *prius, rad. corr.* 1. h) magn⁹ *prius* 1, *alia manu corr.* i) *sic corr. ex* annis 1. k) 26 *leg.* 2. l) decenb' 1. m) *in margine* 1 *haec rubrica:* Otto III. qui regnavit annis 20. n) 99 *leg.* 2; 991. 3.

[84] Sanguinem sancti Stephani Theodericum I. episcopum a. 969. demum ex Italia advexisse, auctor est Sigebertus, quem secuti sunt Ekkehardus et Ann. Saxo. Hildewardum autem *partem* illius *vel modicam* a Theoderici successore Adalberone II. (a. 984–1005) demum petiisse, epistola ipsius docet ap. Leukfeld, Antiq. Halb. p. 662.

[85] 7. *Id. Mai.* Ann. Saxo et Necrolog. Halberstad.

[86] immo Giselerus secundum Thietm. III, 9.

templum iam dictum in honore sancte et individue Trinitatis sanctique sui prothomartiris 992. Oct. 16.
Stephani, confaventibus et conbenedicentibus 11 episcopis, sub duodenario videlicet apostolice
dignitatis typo, honorifice dedicavit. Aderant autem archiepiscopi: Willegisus Moguntine
sedis, Geselarius Magdeburgensis, Lievezo Hammaburgensis[a], cum 16 illorum suffraganeis
episcopis[87]. Aderant etiam Liudolfus[b] Auguste civitatis, Hildebaldus Wormaciensis, Ritharius
Padebornensis, Erpo Fardunensis, Urso Paduane sedis, Hugo Ciciensis, Hildericus Havelbergensis,
Rembertus Mikalenburgensis[88] episcopi. Hii 11 conbenedictores domni Halberstadensis
episcopi exstiterunt. Aderant preterea Agio Capuanus archiepiscopus et Iohannes
Placentinus archiepiscopus et Renwardus Tridentinus episcopus. Abbates vero Manso
Casini monasterii pater, Tidmannus abbas Nove Corbeie, Livezo Lunaburgensis abbas,
Otradus Merseburgensis abbas, Lambertus Longensis monasterii institutor, cum aliis plurimis
monachis et clericis dedicationi illi cooperati sunt. Interfuit etiam dedicationi huic cf. A. S.
serenissimus rex Otto III, corona ceterisque regalibus indumentis sollempniter insignitus,
qui summa devotione et humilitate baculum suum aureum obtulit[c] ad altare beati Stephani,
qui usque hodie in Halberstadensi ecclesia est servatus. Adfuit quoque clarissima
Adhilleidis augusta cum sua filia, regie[d] stirpis gemma perlucida, Machtilde videlicet
Quidelingeburgensis ecclesie abbatissa, et nepte sua Hedewiga Geronensis cenobii abbatissa,
que bonarum actionum fama illustres sanctum altare precibus almis et munere regio
decorabant. Omnes Saxonie principes, dux quoque Bernardus et Ludolfus comes Capuanus
plurimique[e] illic convenientes proceres et prefecti cum innumera[f] vulgi multitudine in
laudem Dei exultantibus animis et vocibus acclamabant. Nuncquam fuit ante nec postea, ut veraces Thietm. IV, 12.
affirmant, in divinis laudibus et in negociis secularibus plenius cunctisque acceptius sollempnitas celebrata. Festivitas
autem erat eadem in die natali confessoris Christi Galli, in cuius monasterio predictus presul fuerat educatus, et ideo
semper votivum habuit desiderium in ipsius festo compos effici sui voti. Adiuvit autem ipsum in omnibus hiis quidam
capellanus suus, Hiddo nomine, prudentissime cuncta ordinans et disponens. 1.[g] Consecravit autem domnus cf. A. Saxo.
Hildewardus maius altare sancte et individue Trinitati primoque suo militi Stephano,
adornans illud quasi caput sponse pro duodecim lapidum conpositione duodenaria[h] episcoporum
unctione. Sub quo recondidit particulam sancte crucis et de presepio et de sepulcro
Domini, barbam sancti Petri et de corpore eius, de veste Iohannis euangeliste, Philippi et
Bartholomei omniumque apostolorum reliquias, sanguinem[i] sancti Stephani prothomartiris
cum sacris sui corporis articulis duobus, martirum quoque reliquias Laurencii, Felicis,
Agapiti, Ianuarii, Marcellini et Petri, Pancracii, Georgii, Nicasii, Urbani, Bonifacii,
Anastasii, Dyonisii, Eleuterii, Ciriaci, Ypoliti, Blasii confessorum[k], Martini, Liuderi[l],
Servacii, virginum Liudrudis[m], Vincencie, Eufemie. 2.[n] Ad meridianam plagam huius
altaris venerandi Giselarius Magdeburgensis archiepiscopus dedicavit altare in honore beatorum
martirum Mauricii, Exuperii, Candidi, Innocencii et Vitalis totiusque eorum exercitus
reverendi, quod et dotavit veste sancti Mauricii, reliquiis vero Exuperii, Candidi,
Innocencii et Vitalis. 3. Ad aquilonem[o] precipui altaris Lievezo Hammaburgensis archiepiscopus
consecravit altare in honore beatorum martirum Viti, Iustini, Ciriaci, in quo
condidit eiusdem reliquias Ciriaci, Eustachii, Longini militis et Willehadi episcopi, in cuius
etiam memoria idem altare dedicatum est. 4. Ad ianuam monasterialis claustri versus
austrum Erpo Fardunensis episcopus consecravit altare in honore sancti Clementis pape
et martiris et sancte Cecilie, in quo posuit reliquias Clementis, et martirum Georgii,
Marcelli et Marcelliani[p]. 5. In septentrione ad ianuam episcopalis cubiculi Retharius
Padebornensis episcopus consecravit altare in honore sancti Dyonisii et sociorum eius,
sanctique Liborii confessoris, in quo posuit reliquias Dyonisii, Prothi et Iacincti et Mathalberte[q]
virginis. 6. In altare sancte crucis positum est de ligno Domini et reliquie Georgii
et aliorum sanctorum. 7. Ad occidentem ecclesie in altioris[r] chori medio consecravit altare
Hugo Ciciensis episcopus in honore martirum Sixti et Felicissimi[s] et Agapiti et Ianuarii[t].
8. Ad huius altaris meridiem Hildeboldus Wormaciensis episcopus consecravit altare in
honore sanctorum[u] martirum Laurencii, Ipoliti, Pancracii, Vincencii, Cyriaci, quod et
dotavit reliquiis Vincentii, Ipoliti et veste sanguinolenta Woneslai martiris. 9. Ad aquilonem

a) archiepiscopi *add.* 1. 2. b) lindolfus 1; Ludolphus 2. c) obtinuit 1, *recentiori manu in imo margine scriptum est:* obtulit. d) regia 1. e) pl'umqȝ 1. f) īmuña 1. g) ī 1. *rubro colore.* h) duodē 1. i) sanguine 1. k) ɔf' 1. l) lind' 1; luderi 2. m) Lindrudis 1; Linderudis 2. n) .ñ. 1. *rubro colore, ut omnes numeri sequentes.* o) aquile 1. p) m̃rcell'. 1; Martini 2. q) Mathalberie 1. 2. r) alterioris 1. s) felecixti 1. t) Iañ 1. u) .s̊. 1.

87) *cum suis confratribus* 16 Thietmar. IV, 12. 88) fortasse legendum *Aldenburgensis.*

vero Ludolfus Augustensis episcopus dedicavit altare in honore sanctorum martirum Sebastiani[a], Bonifacii, Liuderi[b], Magni, Otelrici et sancte Afre, cui inclusit reliquias Sebastiani[c], Pantaleonis, Iuliani et Basilisse. 10. Supremum altare dedicavit Wilegisus Moguntine sedis archiepiscopus in honore sanctorum archangelorum Mychahelis, Gabrielis, Raphahelis et omnium civium supernorum, altare vero in honore eorumdem et insuper in memoriam beati Martini episcopi et sancti Galli confessoris, in quo et condidit reliquias Georgii, Blasii, Castorii. Nomina sanctorum, quorum reliquias Hildewardus episcopus repperit, sub altare sancti Stephani antiquitus reclusas et illic recondidit: de sepulcro Domini, de ligno Domini, de presepio Domini, de columpna ad quam ligatus fuit, de Calvario loco, de lapide in Iordane invento, de monte Olyveti, de monumento Lazari, mixtura balsami, reliquie sancte Marie virginis, de pallio eius, de spongia Domini, de corpore sancti Iohannis baptiste, Petri et Pauli, Andree, Iohannis euangeliste, Mathei[d], Bartholomei, de stola Petri apostoli, de corpore Stephani prothomartiris, brachium sancti Sixti pape et pars capitis eius, reliquie Martini, Felicissimi, Agapiti, Ianuarii, Fabiani et Sebastiani, costa Sebastiani et reliquie Laurencii, Viti, Marcelli pape, Apollinaris, Georgii, Blasii, Abdon, Magni, costa Timothei, Iohannis et Pauli, Crispini et Crispiniani, Marcelli et Petri, Valentini, Ipoliti, Alexandri, Zenonis, Nazarii, Demetrii, Maurencii[e], Felicis, Adaucti, Vincencii, Primi, Martiniani, Tiburcii, Sergii et Bachi, magna pars capitis Urbani martiris, Processi et Martini[f], quatuor coronatorum, costa Cyriaci martiris, dens sancti Nicasii, Silvestri pape, Quiriaci dyaconi et aliorum innumerabilium sanctorum martirum, confessorum virginumque.

cf. A. S. 992. Construxit preterea supradictus episcopus Hildewardus[g] in castello Stuterlingheburch[h][89] monasterium, in quo vitam sanctimonialium ordinavit, quod anno Domini 995.[i] 995. Iul. 19. consummatum[k], ordinationis sue anno 27.[90], 14. Kal. Augusti honorifice dedicavit. Hic etiam ab Ottone imperatore concessiones et statuta imperatorum obtinuit regie auctoritatis privilegio Halberstadensi ecclesie conmuniri. [l] Insuper etiam mercatum in Halberstat[m] et Osterwic habendum cum theloneis ac monetis et regio banno in utrisque locis tenendis et accipiendis, et regalem heribannum super milites, liberos et servos eiusdem ecclesie ab imperatoris[n] munificencia Halberstadensi ecclesie inpetravit; que et suo interventu sibi suisque catholicis successoribus regiis privilegiis sunt inviolabiliter stabilita[91]. Hic igitur tanta vixit perfectione, quod ab antiquorum patrum conversatione videbatur nullatenus deviare. Exemplum karitatis beati Stephani pro inimicis Domini exorantis in pectore suo adeo repositum ostendebat, quod inimicos non minus quam amicos vere dilectionis vinculo diligebat. Quante misericordie, quante conpassionis et pietatis, quam hospitalis, quam ultra facultatem largus in elemosinis fuit, quante paciencie et humilitatis, quam pacificus in doctrinis et exhortationibus, quam malorum oblitus, enarrare nullus posset. Thietm. IV, 17 et A. S. 996. Cum ecclesiam igitur et conmissum sibi gregem ut verus Israelita 29[92] annis gloriose rexisset, in agone sui exitus constitutus vidit gloriam Dei, et vocato ad se capellano suo Vulfario, inquit: *Vides aliquid, fili?* Qui cum nichil se videre respondisset, dixit ei: *Caminata, in qua iaceo et in qua duo antecessores mei obierunt, maiestate Domini plena est.* Nov. 25. Et hec dicens hostia Christi inmaculata 7. Kal. Decembris[o] de hoc carcere ad indeficiens lumen transivit. Corpus vero eius in claustro, ubi ipse instinctu spiritus humilitatis sibi locum cum fratribus suis paraverat, est sepultum.

[p] Post decessum igitur tanti patris cum ecclesia ad electionem alterius consedisset, maior et sanior pars capituli Hiddonem, prefati antistitis fidelissimum cooperatorem, in Thietm. l. l. pontificem elegerunt. Sed hoc sathane membris inpedientibus, cum electione unanimi nequierunt concordare, Arnulfus de curia regis Halberstadensi ecclesie ab Ottone III. est prefectus: sic enim ille vir, sanctus Hildewardus, dum viveret, cunctis qui tum presentes fuerant audientibus prophetarat: *Hunc*, inquiens, *hospitem honorate et quantum potestis illi servite; hic enim providere debet post me.* Anno igitur Domini 996, regni autem Ottonis III. 14. Arnulfus Halberstadensis ecclesie nonus episcopus ordinatur[93], qui A. Q. 997 licet ordine nonus, nulli tamen fuit probitate secundus. Eodem anno monasterium in Quidelingheburg, latiori et altiori modo quam prius fuisset structura perfectum, Arnulfus episcopus confaventibus archiepiscopis et Mart. 10. episcopis quam pluribus 6. Idus Marcii divina favente clementia dedicavit. Eodem etiam anno Wallebicensis

[a] Sebastiane 1.
[b] Linderi 1. 2.
[c] Sebest. 1.
[d] Machei 1.
[e] maurñcii 1.
[f] m̃rĩ 1.
[g] .ħ. 1.
[h] Stucerl. 1.
[i] *correxi;* 997 1. 2.
[k] *sequens* ē, *nunc erasum extat in* 1.
[l] *rubr. in* 1: Privilegium Ottonis.
[m] ħalb'r 1.
[n] imperatorum 1.
[o] Sept. 2.
[p] *rubr. in* 1: Anni Arnulfi, episcopi IX, qui sedit annis 27.

[89] Stötterlingburg ab Osterwik ad occidentem.

[90] Hic numerus ad a. 995. digitat, quem annum Ann. Quedlinb. praebent, qui tamen 12. Kal. Aug. adnotant.

[91] V. chartam Ottonis III. a. 989. Iul. 4. de mercatu, theloneo, moneta, banno in Halberstadt tantum agentem, Stumpf 925.

[92] sic Thietmarus, rectius Annalista 28.

[93] Dec. 13. secundum Thietm. IV, 17.

ecclesia ab Arnulfo episcopo honorifice dedicatur. Eodem quoque anno sanctus Adelbertus, episcopus de Praga civitate, a Prucis[a] glorioso est martirio coronatus 9. Kal. Maii. A. Q. 996. ibid. Item Arnulfus 3. sue ordinationis anno Adelheydem Quidelingheburg[b] cenobii abbatissam, tertii Ottonis regis sororem, in festo sancti Michahelis iterata electione, 999. astantibus episcopis et domna Sophia, sorore sua maiore, et nepte sua illustri, Geronensi[c] abbatissa Hatwiga, cunctis quoque regni primatibus utriusque sexus, coram altari sancti Petri apostolorum principis et sancti Stephani prothomartiris honore congruo benedixit. Hec venerabilis abbatissa ad celebrandum festum palmarum in Quidelingeburg domnum Arnulfum episcopum invitavit. Qui cum festivitatem eandem honorifice celebrasset totique eiusdem ecclesie familie placuisset, ipsa abbatissa concepit in corde suo, qualiter ipsa ad celebrandum hoc festum in Quidelingeburg annuatim Halberstadensem episcopum obligaret. Unde cum ipsa fratri suo imperatori desiderium suum apperuisset et suum super hoc consilium inplorasset, ipse imperator dixit, se timere non hoc[d] expedire et propter cursum tumultuantis populi propter festum et propter expensas inmoderatas ob hoc ab ecclesia faciendas. Ipsa adhuc abbatissa in honesto suo proposito constanter perseverante, episcopus, ut pius et benignus, volens imperatoris suspitionem auferre et sancto desiderio abbatisse satisfacere, de decimis Halberstadensis ecclesie tantum contulit Quidelingeburgensi ecclesie, ut ipsa episcopum cum omnibus sibi advenientibus ea sollempnitate de eis posset uberrime procurare, et sic consuetudo illa tam laudabilis quam honesta usque ad tempora nostra inter Halberstadensem et Quidelingeburgensem ecclesias irrefragabiliter est servata.

Anno autem ordinationis Arnulfi 7.[1] tertius Otto imperator, anno regni sui 20, imperii A. Q. 1002. vero 14, 9. Kal. Febr., omni populo christiano lugendus, ab hac vita discessit, in sinu Abrahe patriarche, ut vere creditur, collocatus. Hic adhuc vivens pro speciali[e] dilectione, quam habuit ad domnum Arnulfum episcopum, contulit ecclesie Halberstadensi bannum suique iuris proprietatem super 6 forestos, quorum hec sunt nomina: Hakil[2], Huy[3], Valesten[4], Assa[5], Elm[6], Nortwalth[7]. Hos[f] forestos cum terminationibus eorum, — quas ex una parte dividit aqua que dicitur Scontra, ex sui fontis origine usque ad villam Ossendorp[8], inde per viam que tendit ad vicum Valeresleve, item inde via que ducit ad Aleram fluvium, et sic eundem fluvium deorsum usque ad fluvium Ovacra, fluvius autem Ovacra sursum usque Net[9], — tradidit autem hos forestos, ut in hiis terminis eorum nulli mortalium liceat cervum aut cervam, aprum vel suem vel huius generis quidquam capere vel venari sine eius vel suorum licencia successorum, et hoc regie munitionis privilegio roboravit[10]. Hic[11] etiam imperator sanctum Brunonem[g], Magdeburgensis ecclesie canonicum, de castro Quernevorde[h] natum, nobilis viri domni Brunonis filium, specialiter dilexit et imperialis aule capellanum fecit. Qui tandem secularis conversationis tumultuationem non sustinens, in Italiam proficiscens habitum religionis induit et monachum se fecit. Exinde cum duobus confratribus sui cenobii, Benedicto et Iohanne, heremi solitudinem inhabitavit; tandemque eosdem confratres suos de consilio domni Ottonis imperatoris in Poloniam misit[12], ipseque Romam proficiscitur a domno papa licenciam accepturus cum eisdem suis confratribus in augmentum corone sue paganis gentibus Christi ewangelium predicare. Presedit tunc temporis Romane ecclesie Silvester papa. Hic antea dictus Gerbertus, ducens originem generis ex occidentalium partibus, Thietm. VI, 61. philosophice artis instructissimus erat; postea vero Remorum urbi pontifex institutus, sed zelo populi inde expulsus, ad Ottonem imperatorem tercium venit, qui ipsum satis honorifice sustentavit. Ipse eciam in Magdeburg existens orologium quoddam honestum[i] satis ibi fecit, constituit illud recte considerata per fisticulam quadam stella duce nautarum. Vacante autem tandem Romana sede auxilio imperatoris Ottonis ad dignitatem presulatus eiusdem ascendit. Qui beati Brunonis agnoscens causam adventus, licentiam ei cum suis sociis tribuit predicandi, pallio quoque sibi dato, remisit eum ad Magdeburgensem episcopum in gencium presulem consecrandum. Compos igitur voti sui[k] factus in terram nativitatis sue rediit, in qua aliquamdiu moram faciens, post consecrationem suam mira perfectione claruit, ita quod pedester super aquas incessit. Illo quoque egrediente de Saxonia, sub pedibus aselli eius in saxo molliebantur vestigia, que apparent usque in hodiernum diem. Tandem de patrimonio suo facto et ditato satis decenter monachorum collegio, ipse cum 18 sociis profectus est in Pruciam, et pro fide Christi quam predicabat Ekk. 1009. in eadem provincia a gentibus beluine feritatis Prucie multis suppliciis afflictus, manibus pedibusque abcisis, postremo capite plexus, stipante illum collegio 18 sociorum, illic[a] cum ipso pariter decollatorum, palmam martirii est adeptus, anno videlicet Domini 1008. 16. Kal. Marcii[13].

---

[a] Prutis 1; Prazis 2; Pruzis 3. [b] Quidelingheb' 1. [c] Geroneñ 1. [d] *in loco raso* 1. [e] sp̄ali 1. [f] *rubr. in* 1: Item privilegium Ottonis tertii super sex forestos. [g] *rubr. in* 1: Vita sancti Brunonis. [h] Quenevorde 1; Quencfurdem 2. [i] *sic radendo et supplendo eadem manu correxit ex* honestā 1. [k] *sequens* et *erasum est in* 1.

[1] immo 6. [2] Hackel inter Gröningen et Kochstädt. [3] Ubi monasterium Huysburg, ab Halberstadt ad septentriones. [4] Fallstein ab Osterwik ad septentriones. [5] Inter Wolfenbüttel et Schöppenstedt, ubi castrum Asseburg. [6] A Schöppenstedt ad septentriones. [7] Quem apud Weferlingen ad Aleram situm fuisse, suspicatur Abel p. 147. [8] Ochsendorf. [9] Legendum videtur *Hert*, der Harz. [10] a. 997. Apr. 20. Stumpf 1110. [11] Sequentia e Vita sancti Brunonis deperdita partim hausta sunt, quam etiam Chron. Magdeburg. p. 275. 284 adhibuit. Cf. etiam Vitam S. Romualdi c. 27 supra Tom. IV, 850. [12] Cf. Vitam S. Romualdi c. 28.

A. Q. 1002. Defuncto[b] igitur Ottone imperatore III, Hinricus dux Bawarie[c], ad quem summa imperii pertinebat ex propinquitate generis regum priorum, ad regie celsitudinem est levatus. Tempore[14] illius Ekk. Gosalaria primum conditur, et ab eodem rege studiose incolitur. Hic etiam anno Domini 1006. A. Q. 1007. Bavenberch episcopatum construxit. Anno ordinationis Arnulfi 11[d]. Heremannus comes[e], frater[f] eius, obiit Kal. Iunii et in claustro monasterii ante ianuam sepelitur. Eiusdem quoque ordinationis anno 13.[15] Ludolfus Treverensis[g] archiepiscopus, vir meritis preclarus, iustus et pius 1008. Apr. 7. 7. Id. Aprilis in villa Ergostede[16] vocata, ex qua ipse oriundus fuit, vitam presentem finivit. Corpus vero ipsius in ecclesia sancti Stephani in Halberstat ante altare sancte crucis honorifice sepelitur. A. Q. 1018. Anno 22. ordinationis Arnulfi Adhelgerus prepositus Halberstadensis obiit. Idem cf. A. S. 996. autem venerandus pontifex multa ecclesie sue providens utilia, Halberstadensem civitatem, quem ex antiquitate collapsam invenit, anno ordinationis sue 2. cepit studiosus reparare. 1018. Hanc eciam postea, anno videlicet ordinationis sue 23.[17] multis civitatibus inconparabilem Dec. 19. consummavit, atque feria 6. ante nativitatem Domini in honore omnipotentis Dei et sancti prothomartiris Stephani, pontificalibus indumentis vestitus, circueundo aspersit ac benedixit et suo banno civitati pacem perpetuam fecit et immunitate insolubili locum sanctum firmavit. Civitates etiam omnes, quas in possessione sua dirutas repperit, in melius reparavit. Preterea fratrum suorum stipendia[h] bene auxit et vestitum illorum annua pensione 5 solidorum augmentavit. Acquisivit quoque sancto Stephano non rapinis, sed lucris congruis et honestis 1200 mansos, exceptis mancipiis utriusque sexus, in molendinis, pratis, areis, silvis, in fossis, salictis[18] et aliis quam plurimis, que explicari non possunt. Ornatum quoque ecclesie in palliis, in missalibus[i] indumentis ad quoslibet ordines pertinentibus sine numero multiplicavit. Tabulam quoque altaris precipui auro puro et gemmis nobilibus decoravit. Thuribulum aureum et acerram de auro et calicem magnum aureum cum patena et varia ornatuum genera, que diffinire non possumus, beato Stephano erogavit. A. Q. 1021. Idem quoque Arnulfus anno ordinationis sue 25. templum in Quidelingeburch castello, presente rege cum archiepiscopis et episcopis et proceribus, vulgi quoque innumerabili multitudine, anno Domini 1021. laudabiliter dedicavit. Idem quoque presul Arnulfus a Henrico imperatore concessiones et statuta antecessorum imperatorum, mercatum quoque in Osterwic et in Halberstat cum theloneis ac monetis et regio banno, in utrisque locis tenendum et accipiendum, et regalem heribannum super milites liberos et servos Halberstadensis ecclesie eidem ecclesie renovari, dari et suo 1004. privilegio confirmari sagaciter impetravit[19]. Huius etiam temporibus anno Domini 1003.[20], indictione 1, anno domni Henrici[k] regis 2, adunatis in Merseburg archiepiscopis et episcopis, ducibus et comitibus, presente bibliotecario Romane ecclesie, Leone episcopo, idem rex Henricus[k] de conmuni auxilio omnium ab Arnulfo episcopo impetravit partem sue dyocesis, quantum videlicet circa fluvium Salam Mersburgensis territorii protenditur ambitus, et instinctu sancte sue coniugis Kunegundis regine, episcopatum Mersburgensem, quem prius Otto imperator ad honorem beati Laurencii martiris instituerat, reformavit, ibidem continuo Wibertum episcopum ordinando[l]. Pro reconpensatione autem horum terminorum rex Hinricus de proprietate sui iuris Halberstadensi ecclesie tradidit lege perpetua 100 mansos litonum[m] et servorum in hiis villis: in villa Unsci[21] 18[n] et[o] decimam mansorum[o], in

---

a) illuc 1. b) *rubr. in* 1: Henricus secundus regnavit annis 24. c) ie *in loco raso* 1. d) 2 *leg.* 2. e) de Ilseburg *add.* 2. 3. f) comes frater *in loco raso* 1. g) treuerēcis 1. h) a *in loco raso* 1. i) misalibus 1. k) .H. 1. l) *rubr. in* 1: Reformatio Mersburgensis episcopatus et reconpensatio pro ipsa facta. m) litoñ 1. n) *deest* 2. o) et dec. mans. *in loco raso* 1.

[13] Cf. Thietm. VI, 58, ex quo Noster fortasse hausit. [14] Cf. Ann. Sax. 1009. [15] immo 12, cf. not. 93. [16] Vicus olim infra Steklenberg in Hartico saltu situs, cuius nomen adhuc marca campestris Ergersfeld retinuit. [17] Si rectam hoc loco rationem Noster adhibuit, annus 1018. indicatus est. Feria 6. ante nativitatem Domini hoc anno incidit in diem Decembr. 19. [18] *in fossis salinariis* Ann. Saxo. [19] a. 1002. Aug. 27. Stumpf 1319. [20] immo 1004; cf. Thietm. V, 26. VI, 1. [21] Videtur esse Unseburg ad Bodam.

Crikstide[a][22] 18 mansos et decimam, in Haldrungin[23] 11 mansos, in Seon[24] 6 mansos, in Wisserodi[b][25] et proxima marca 17 mansos, in Dornedhe[c][26] 30 mansos. Hos igitur mansos Halberstadensi ecclesie datos in perpetuum possidendos regio privilegio confirmavit. Eodem etiam anno idem Henricus rex, domno Arnulfo episcopo efficiente, tradidit sibi 1003. sueque Halberstadensi ecclesie civitatem Ilsineburch[d] et quidquid regali pertinuit potestati intra[e] muros vel extra cum omnibus appendiciis, possessionibus et utilitatibus eidem predio legaliter pertinentibus, mobilibus et immobilibus, servis et ancillis, areis et edificiis, terris cultis et incultis, pratis, pascuis et conpascuis, silvis, aquis, aquarum decursibus, piscationibus, molendinis, viis et inviis, exitibus et reditibus, quesitis et inquirendis ac ceteris que quolibet modo rite vocari aut inveniri possunt utilitatibus et pertinenciis. Que omnia Arnulfo Halberstadensique ecclesie liberaliter data regio eciam privilegio conmunivit[27].

Henricus rex 6. regni sui anno episcopatum Bavenbergensem in honore sancti Petri sanctique Georgii Ekk. 1001. gloriose construxit; 12. vero regni sui anno a Benedicto papa imperiali dyademate cum multa fuit 1013. gloria coronatus.

Venerabilis[f] autem Arnulfus episcopus ab eodem papa Benedicto confirmationem et privilegium inpetravit super terminis episcopatus[g] Halberstadensis, et hos pagos: Hardengowe, Derlingowe, Northuringen, Belkishem, Sueviam et Hasigowe, excepta tantum[h] determinatione intra viam quam dicunt Frederikeswech ac tres fluvios Albiam, Bodam et Oram determinata[28], et quantum pro interventu Henrici[i] imperatoris Mersburgensi ecclesie est permissum; et omnia que Lodewicus imperator Halberstadensi ecclesie concessit, auctoritate apostolici privilegii obtinuit confirmari. Ut autem termini Halberstadensis dyocesis deinceps maneant inconvulsi, idem episcopus expressius eos circumscribi fecit et vocari in hunc modum: versus Verden[29] contra aquilonem, ubi Prisacine[30] fluvius influit Albie, abhinc usque ubi Ora fluvius influit Albie, quo in loco conveniunt episcopatus Halberstadensis et Magdeburgensis. Abhinc ascendit contra fluvium Oram usque Niendorp[31], et abhinc ascendit per semitam que transit indaginem inter Haldesleve et Medenbeke[32] usque in Biveram[33] fluvium; per ascensum Bivere usque quo ei influit Alva[34] fluvius[k]; et per ascensum Alve[k] usque ad ortum ipsius. Abhinc usque ad viam que dicitur Vrederikeswech[35], et[l] abhinc usque Wansleve[l] in Sceram fluvium[36], abhinc per descensum Scere usque Bleckendorp[37] super Bodam; et per descensum Bode usque in Salam; et per ascensum Sale usque in rivum qui transit Boyendorp[m][38]. Qui rivus separat episcopatus Halberstadensem et Mersburgensem. Deinde per viam qua itur per Cricstide[39] usque Bunowe[40]. Abhinc usque ad transitum Sale in Curewate[41], et sic per ascensum Sale usque quo influit Unstrot fluvius Sale. Et per ascensum Unstrot usque quo confluunt Unstrot et Helmena[42]. Et per ascensum Helmene usque ad fossata Walehusen[n][43]. Et per ascensum fossatorum usque ad separationem Saxonie et Thuringie versus montana que dicuntur[o] Hart. Et abhinc usque ad ortum Wippere[44] fluvii[p]. Ab ortu huius usque ad fontem qui Rosingheborne[q][45] dicitur. Abhinc usque ad rivum Crodenbeke[46]. Abhinc usque ad arbores que dicuntur

---

[a] Sarckstidde 2. [b] *sic* 3; Wisserobi 1; Wiserodi 2. [c] Dornethe 2; Dornettae 3. [d] *rubr. in* 1: Donatio Ilseneburch civitatis. [e] infra 1. 2. [f] *rubr. in* 1: Privilegium Benedicti pape super terminis Halberstadensis dyocesis. [g] *9 in loco raso* 1. [h] tm̄ 1. [i] .ħ. 1. [k] fluvius — Alve *des.* 2; *adsunt* 3. [l] et — Wansleve *des.* 2; *adsunt* 3. [m] Bogenderb 2; Bogendorp 3. [n] Walghusen 2. 3. [o] *in loco raso* 1. [p] *sic* 3; fluvium 1. 2. [q] Roringeborne 2. 3.

[22] Kriegstedt. [23] Heldrungen. [24] Fortasse Seehausen in ducatu Magdeburgico. [25] Wiesenrode unum milliarium distans a Ballenstedt inter meridiem et orientem, v. Wersebe in Hesse, Beiträge zur Thüring. Geschichte I, 37. not. 200. [26] Doren praefecturae Weferlingen. [27] a. 1003. Apr. 15. Stumpf 1354. [28] Cf. supra p. 85. [29] i. e. versus Verdensem dioecesim. [30] V. supra p. 79 not. 48. [31] V. supra p. 84 not. 76. [32] vastus vicus inter Neuhaldensleben et Hundisburg, v. Walther, Singularia Magdeburg. III, 22. [33] hodie *die Bewer*. [34] *die Olve*, quae Ohram iuxta Althaldensleben influit. [35] Strata quae tendit a Drackenstedt usque Wanzleben ad flumen Sare. S. [36] *die Sare*, quae iuxta Gross-Germersleben Bodam influit. S. [37] Bleckendorf ante Egeln. [38] Bundorf; rivus iste igitur *die Laucha* est, quae praeterfluit Lauchstedt. [39] Kriegstedt haud procul a Lauchstedt. [40] Beuna a Merseburg inter meridiem et occidentem. [41] Gross-Corbetha. [42] *die Helme*. [43] Cf. supra p. 79 not. 37 et 85 not. 83. [44] *die Wipper*, ea quidem quae praeterfluit oppidum Wippra. [45] Cf. Bennigsen in Zeitschrift des hist. Vereins für Niedersachsen 1867 p. 84. [46] Fortasse rivus hodie dictus *der Trutenbeck* a laeva influens flumen Oder, iuxta cuius ostium strata Hartica ab Harzburg tendens ad Andreasberg Oderam transit.

Seven Eke[47]. Ab hiis usque ad semitam que dicitur Heidhenstig[48]. Et per eandem semitam usque ad fluvium Calvere[49], et per descensum Calvere usque in fluvium Ovecare. Et per descensum eius usque ad pontem Ellardesheym[50]. A ponte usque ad montem Wallenberch. Abhinc usque per viam que descendit per villam Bocle[51]. A Bocle usque in fluvium Alram. Per ascensum eius usque quo ei influit fluvius Ysne[52]. Per ascensum eius usque Stockem[53]. Abhinc usque ad lapidem qui dicitur Bikkenstein[a, 54]. Et abhinc usque ad terminos Witinge ville. Et abhinc usque ad tyliam iuxta Ordorp[55]. A tylia usque in viam que dicitur Hekkerikeswech[56], et per viam usque ad ortum fluvii Rodowe[57]. Et per descensum eius usque in fluvium Iesne[58]. Et per descensum eius usque in fluvium Prisatine[59]. Et per descensum eius usque quo ipse influit Albie.

Foris igitur terminis sue dyocesis taliter circumscriptis, venerandus domnus Arnulfus episcopus intus ad se reversus, zelo karitatis et devotionis accensus, ut perpetuam sibi benedictionis memoriam conpararet, intra[b] ambitum muri ecclesiam in honore Dei omnipotentis et intemerate et gloriose sue genetricis semperque virginis Marie construxit[c], prepositùram et canonicorum vitam ordinans in eadem. Et quia mente provida intuebatur, quod bonum et iocundum esset sub religionis catholice unitate habitare fratres in unum, duas has fraternitates, fraternitatem inquam beati Stephani prothomartiris et sanctissime Marie virginis, sub una regula discipline ecclesiastice adunavit, nec minus simili consuetudinis lege in exterioribus colligavit. Denique ut dissentionis prave contencionem et concertationis dire seditionem penitus exstirparet, consilio et consensu nominate fraternitatis beati[d] Stephani hoc iusticie donum fratribus sancte Marie donavit, ut in omnibus stationibus, in choro, in mensa proximum habeant semper locum, areas quoque et edificia ceterasque res, que a fratribus sancti Stephani in hac civitate dari vel vendi possunt, et ab eis recipere et sua eis dare liberam habeant facultatem. Denique ut hec conditio et mutue fraternitatis traditio sit firma semper et inconvulsa, sicut pius et mansuetus, providus et discretus, coram omnibus banno suo sollempniter confirmavit, quod et postmodum venerabiles successores sui, Branthogus et Burchardus. Tempore autem venerandi Borchardi secundi quidam dum contentiosa elatione pacem et unitatem fratrum disturbare et in detestabilem discordiam deducere presumpsissent, idem antistes graviter ingemiscens, noxam execrabilis calumpnie non verbo redargutionis, sed spectabili probitate et mansuetudine detergere cupiens et pacificare, fratribus convocatis, simplicem iusticiam iudicio maioris ecclesie repoposcit, et pretaxatam fraternitatis traditionem baculo pastorali innixus efficaciter renovavit, et sub stola sanctitatis et iusticie banno suo inviolabiliter confirmavit. 1023. Sept. 7. Arnulfus igitur Dei famulus et divina semper sapientia preditus, 27. sue ordinationis anno 7. Idus Septembris[60] creditum sibi talentum cum lucro reddidit Deo. Cuius corpus[e] ante ianuam claustri erga Hildewardum episcopum iuxta fratres suos fuit traditum sepulture.

A. Q 1023. Post[f] huius igitur dormitionem clerus totusque populus quendam Heremannum natu nobilem, sed morum actuumque probitate nobiliorem, seniori suo antistiti eligunt successorem, maximeque proceres militari habitu beato Stephano servientes innumera prebebant munera, et hereditates proprias potestati[g] regie subdere sunt parati, ut firmitatis robur prefata electio retineret Sed quo id fieri nequiverit divino iuditio, utrumve id peccatis exigentibus frustratum fuerit, vel an illum divina pietas maioribus auctum virtutibus et perfectiorem ad hoc ministerium[h] aliis temporibus observarit[61], occulto Dei iuditio censuimus relinquendum. Anno igitur 1023. Domini 1024, regni autem Henrici 23.[i], imperii vero 12, domnus Branthogus, qui Vuldensi abbacia fuerat sublimatus, sed ob iusticie defensionem[k], quam semper dilexit, cum suis fratribus Dec. 25. late discedentibus eiectus, ab imperatore Henrico[l] in die natalis Domini in Bavenberg decimus

---

a) Binkenstein 2. 3. b) infra 1. 2. 3. c) *rubr. in* 1: Fundatio ecclesie beate Marie in civitate. d) *prius* btīs, *rad. corr.* 1. e) corꝯ 1. f) *rubr. in* 1: Anni Branthogi, X. Halberstadensis episcopi, qui sedit annis 14. g) *sic corr. ex* potestate 1. h) misterium 1. 2. 3. i) 25 *leg.* 2. 3. k) defentionem 1. l) .H. 1.

47) alias dicti *Mahlbäume*, v. terminationem Walkenridensem a. 1533. ap. Leuckfeld, Ant. Walk. 440. 48) Pars stratae magnae Harticae, quae postea *die alte Strasse* dicta, Harzburg versus tendebat, v. Delius, Geschichte des Amtes Elbingerode 33 not. 40. S. 49) *die Kalbe.* 50) V. Bennigsen in Zeitschrift etc. 1863 p. 128. 51) Non Neu-Bokeln in dextra ripa Alerae, sed monasterium Bokel in sinistra olim situm haud procul a loco ubi flumen Hehlenriede Aleram influit. 52) *die Ise.* 53) Stöcken. 54) V. Bennigsen l. c. p. 101. 55) Ohrdorf. 56) V. Bennigsen l. c. p. 102. 57) Hoc flumen Milde esse videtur. 58) *Biesne* legendum videtur: *die Biese;* cf. tamen Bennigsen l. c. 112. 113. 59) V. supra p. 79 not. 48. Cf. etiam terminationem Verdensem in Hamburger Urkb. p. 3. 60) Cf. Ann. Sax. 61) Ex his verbis concludere licet, Heremannum eundem fuisse, qui a. 1032. archiepiscopatum Hamburgensem adeptus est. V. infra p. 93.

Halberstadensi ecclesie est prefectus, et 6. Kal. Ianuarii est ibidem in episcopum consecratus[62]. 1023. Dec. 27.

Eodem autem anno Hinricus imperator 3. Idus Iulii ex hoc seculo vocante Domino est assumptus. Iste Ekk.
Romani imperii gloriosum decus ex auguste nobilitatis gradu, domnam Kunegundim[a] imperatricem, Vit. Cun. c. 1.
duxerat in uxorem, que copulariter non carnaliter sibi iuncta, cum celibem duceret vitam, ipsa
quoque imperatrix regi celesti virginitatem suam consecravit, quam et de pio consensu casti coniugis usque in
finem divina favente gratia conservavit. Dyabolus igitur humani generis inimicus, dum thorum inmaculatum Vit. Hein. c. 21.
non valuit sauciare, eius quoque famam, cui vulnus corruptionis infligere non potuit, ledere intentavit. Facta
igitur erat auctore dyabolo suspecta criminis, que maculam non noverat corruptionis. Que dum expurgationis gratia
super candentes vomeres incessura sicut ovis ad occisionem duceretur, fiducialiter ait: *Domine Deus, creator celi
et terre, qui probas renes et corda, iudica iudicium meum et eripe me, te enim testem*[b] *et iudicem invoco, quia hunc Henricum neque*[c] *alium quemquam virum carnali conmixtione uncquam cognovi.* Hoc dicto, stupentibus universis, vomeres
candentes calcavit et secura sine adustionis molestia nudo vestigio pertransivit, et sic divina gratia virginitatis Vit. Cun. c. 1.
hostem confudit et os loquencium mendacia contra virginem Christi obstruxit. Henricus igitur piissimus
imperator sue castitatis pacientissimus semper custos fuit, coniugiumque non voluptatis sed sancte voluntatis unaque c. 3. 2.
fides inviolate castitatis, quoad vixerunt, extitit inter eos, parque animus in multifariis virtutum effectibus pares
in duobus ostendit affectus, et licet prolem terrene fecunditatis non ediderint, generationem tamen a Domino
celibem[d] receperunt, a quorum ore nuncquam deficiet laus divina. Nam Mersburgensem episcopatum
pariter restaurarunt[63]; episcopatum quoque Babbergensem sicut actenus cernitur studiosissime c. 1.
condiderunt; ad quem etiam confirmandum dignus imperator Benedictum papam cum 82 episcopis invitavit.
De vita etiam et virtutibus, quas fecit in domo Domini, de signis quoque et miraculis, que
post transitum ipsius per eum fecit Deus, satis digne conscripta sancta recepit ecclesia.
In ipso autem sui transitus anniversario die sancta imperatrix in Confugiensi ecclesia in Babberc[e], tam archiepiscopis c. 5.
quam episcopis convocatis, inter missarum sollempnia cultu imperiali decentissime se ornavit. Perlecto[f] autem ewangelio,
curis secularibus sicuti diu desideraverat se cupiens exonerare[g], ante principale altare procedens, regalem purpuram
exuit et vestem religionis assumpsit. Quindecim autem annis vivens in hoc proposito, quante sanctitatis et c. 9.
perfectionis in ipso exstiterit, que Dominus per ipsam operatus est signis evidentibus est
ostensum. Defuncto igitur, ut predictum est, piissimo imperatore Henrico, Conradus, Ekk. 1025.
princeps propinquior sibi genere, ipsi successit in regnum[h]. Qui regni sui anno primo filium
suum Henricum regem fecit; ipse quoque Romam pergens, imperialem benedictionem accepit. Hic etiam Spirensem
episcopatum condidit. Temporibus etiam suis pagani qui Liutici[i] dicuntur Wirbinam castellum in confinio Saxonie ibid. 1035.
positum ceperunt, multis in eo christianis captis et occisis. Quos imperator persequens cum exercitu suo eos imperio
subiugavit. Idem imperator filio suo Henrico filiam regis Danorum Canuti[k] matrimonialiter copulavit. Huius etiam
temporibus eclipsis solis generalis facta est, anno[l] videlicet Domini 1033, 3. Kal. Iulii hora 6.[l]

Anno autem domni Branthogi episcopi ordinationis 10.[64], Lievezo Hammaburgensis cf. A. S. 1032.
archiepiscopus mortem subiit temporalem, cui fuit domnus Heremannus Halberstadensis
prepositus substitutus. Verum tempore Branthogi ob iusticiam, quam dilexit et defendit,
homines sui debitum sibi obsequium impensuri ad tantam inopiam sunt redacti, quod in
vehendis curribus corporaliter cogebantur annecti. Quod dum quadam die pertransiens
conspexisset, graviter ingemuit, et ut terra ad suum rediret statum spontaneum elegit
exilium, Conradi regis ad regem Grecorum legationem assumens. Per aliquos igitur annos
a suis finibus se absentans, cum tandem redisset, tot bonis refertam[m] repperit terram suam,
quod in civitate ecclesiam in honore sancti Iohannis baptiste et Iohannis ewangeliste construxit, et vitam canonicorum ordinans in eadem, de decima collectarum sibi rerum ipsam cf. A. S. 1036.
congrue satis locupletavit. Aliam quoque ecclesiam de eisdem bonis collectis beato Bonifacio in Bossenleve[65] construxit, in qua canonicam pariter ordinavit, et quia eandem
ecclesiam condidit de rebus residuis in vase, quod pixis vocabatur, collectis, eadem ecclesia
Bossenleve teutonice, quod latine pixidis ressiduum sonat, sortito vocabulo nuncupatur.
Hic igitur Branthogus episcopus iuste et regulariter degens, semper et pro suo posse
ecclesie Dei proficiens, 14.[66] sue ordinationis anno, regni autem Conradi 17, imperii 1036.
autem 7. 6. Kal. Septembris[67] ab hoc seculo migravit ad Christum et inter Hildewardum et Aug. 27.
Arnulfum episcopos est sepultus.

---

a) *rubr. in* 1: Vita sancte Kůneghundis. b) *prius* testes 1. *rad. et suppl. corr.* c) nȝ 1. d) celitem 3. e) Bamberg 2. 3. f) Praelecto 2. 3. g) exornare 1. h) *rubr. in* 1: Anni Conradi secundi, qui regnavit annis 16. i) Lintici 1; Linticii 2; Liuticii 3. k) camiti 1; *deest* 2. 3. l) anno — 6. *des.* 2. 3. m) referam 1.

[62] Ann. Quedl. ordinationem ipsam in die 25. Dec. ponere videntur.

[63] Cf. Vit. Heinrici c. 3.

[64] immo 8, quia Lievizo obiit a. 1032. Aug. 25.

[65] Bossleben ab Halberstadt versus septentriones et orientem olim situm. Praepositura S. Bonifacii a. 1237. cum ecclesia S. Mauricii in urbe coniuncta est. S.

[66] immo 13.

[67] Cf. Ann. Sax. a. 1036.

1036. Anno[a] igitur 1036.[b] serena lux Halberstadensi[c] ecclesie illuxit. Inclitus enim domnus Borchardus, carnis progenie nobilis, sed religione utique nobilior et fide, electione cleri et populi pastoralem sortitus est dignitatem, et in natali sancti prothomartiris Stephani a Dec. 26. domno Bardone Maguntine sedis archiepiscopo in Heyligenstat consecratus[68]. Hic igitur beatus Borchardus ex altissimo Bawarie principum sanguine originem ducens, in loco qui Napburch dicitur felicissime nativitatis sue exordium dedicavit. Cuius mater veneranda cum antea multiplici filiorum interitu esset orbata et iam sepe futuri heredis pene esset desolata, in spiritu humilitatis et in animo contrito ad[d] adiutorium Altissimi, qui non derelinquit sperantes in se, confugiendum iudicavit. Ad limina itaque apostolorum Petri et Pauli Romam felici peregrinatione profecta, votum vovit Domino, ut si ei prolem masculini sexus per intercessionem beatorum apostolorum Petri et Pauli divina daret clemencia, divino eum cultui serviturum tradere non dubitaret. Ad vota igitur ancille sue fidelis Deus ex alto prospexit; eaque domum reversa, parvo post temporis elapso curriculo cum summa suorum exspectatione virilem stirpem edidit. Quo[e] secundum principalem magnificenciam per annos infantiles diligenter enutrito[f], litterarum studiis est traditus. Quarum institutione brevi tempore, utpote doctore intus presidente, aprime est eruditus. Future itaque iam in se gratie dono preventus, annorum teneritudinem morum maturitate preibat nec, ut illa etas assolet, voluptati aut lascivie animum intendebat, sed aut ecclesiarum terebat limina aut sacrorum librorum lectioni sollerter incumbebat, et quod littera rectum docuit manu implevit. Tanto denique benignitatis et conpassionis igne fervebat, ut in sustentatione pauperum, in subventione afflictorum patrimonium suum, licet amplissimum, celestis fenerator, valde attenuaret. Crebrescente itaque per universum mundum preclara sancti viri opinione, religionis ac prudencie singularis merito, regni consiliator futurus, ad curiam imperialem evocatur[69]. Tum vero in publicum deducto[g], coacervate in eum gratie claruit plenitudo, quoniam spiritu consilii et pietatis et primatum regni animos sibi conciliavit et regni gubernacula equitatis et misericordie indefessa suggestione solidavit. Quodam tempore dum aput civitatem Ratisbonam degens ecclesiarum limina pro more solito sollicitus frequentaret, ydropicum quendam ad ianuam monasterii cuiusdam iacentem et ab introeuntibus elemosine alimoniam petentem repperit. Cuius miserie vir liberalissimus ex intimo corde conpaciens, elemosinam[h] porrexit, cauteque circumspiciens, cum neminem adesse cerneret, egroti manum intima devotione exosculans abcessit. Divine illico virtutis subsecuta est gratia; nam infirmo sanitas est reddita, eoque Deo gratias agente sanitatisque sue auctorem prodente, beati viri sunt merita propalata. Alio item tempore in Saxoniam cum imperatore profectus, cum in palacio imperiali in loco qui dicitur Werla concilium generale celebraretur, duo nobiles conspiratione inimicorum suorum apud imperatorem ficte in eum necis accusati, capitalem iussi sunt subire sententiam. Quo audito, vir Dei lacrimis profusis, invocato de celis[i] auxilio, curiam audacter irrupit eosque Danielis exemplo a falso crimine liberatos secum letabundus abduxit. Que res tanto favore tantaque gratulatione a principibus et populo Saxonie excepta est, ut licet antea parum fuisset cognitus[k], in episcopum Halberstadensi civitati, defuncto iam bone memorie Branthogo, ab omnibus certatim postularetur. Quorum peticioni imperator gratanter annuit, eumque civitati Halberstadensi, omnium votis in eum concordantibus, honorabiliter transmisit. Ecclesiastico itaque more intronizatus, religionis divine indefessus exstitit instaurator, orphanorum et viduarum consolator, iustitie propugnator, et oratione continua pro populo et civitate sua divine propitiationis non destitit esse suffragator. Et quoniam apud imperatorem et principes regni summa gratia et honore enituit, ecclesiam Halberstadensem multis prediis et possessionibus suarum instinctu petitionum reverendus imperator ampliavit[70]. Felix igitur et reverenda beati Borchardi mater, conperta filii sui tam veneranda sublimatione, gaudere quidem cepit de honore, de civitatis vero Halberstat[c] nomine, quod vulgo civitas dimidiata sonare videtur, subtristi quadam indignatione titubare, indignum videlicet reputans, tam generosi sanguinis virum dimidie

---

[a] *rubr. in* 1: Anni Borchardi Halberstadensis episcopi, qui sedit annis 23. [b] 1066 *leg.* 2. 3. [c] ħalb̃r 1. [d] *deest* 1. 2. [e] Qui 2. 3. [f] enutritus 2. 3. [g] deducta 1. 2. [h] elemosiniam 1. [i] cel' 1. [k] congnitus 1.

[68] Hoc fortasse ex Ann. Sax. a. 1037.

[69] Burchardus munere cancellarii fungebatur inde ab a. 1032. Dec. 17. usque ad a. 1036. Oct. 26, v. Stumpf p. 151.

[70] Conradi II. imperatoris chartae Burchardo I. datae non ad nos venerunt; Heinrici III. donationem v. Stumpf 2361 et infra not. 72 et 73.

civitatis veluti per abiectionem creatum esse episcopum. Post vero parvo tempore evoluto, cum ad visitandam matrem suam vir beatus comitante nobilium ac ministerialium ecclesie Halberstadensis[a] multa caterva repatriasset, mater eius letabunda occurrens, tantamque virorum insignium multitudinem admirans, ait: *Non est hec civitas dimidia, cuius tam multiplex tamque splendida est familia.* Beatus igitur Borchardus multo tempore diem obitus sui ante prescire meruit, quam ipse adhuc vivens per singulos annos summa reverencia et devotione tamquam depositionis sue diem celebravit et in futuras successiones felici providencia celebrem reddidit. Ad beate siquidem memorie sue concelebrationem[b] per singulas ecclesias, que per episcopatum Halberstadensem[a] longe lateque constructe sunt, dotis ipsius ecclesie decimam sacerdoti concessit, quatinus ad anniversarii sui memorandam celebrationem universaliter ac promte convenirent, datisque per singulos sacerdotes cum summa benivolencia duobus denariis, cerei celebres ad sepulcrum ipsius provideantur. Vigiliis quoque et missarum sollempnitate et animarum conmendatione ab omni clero tocius episcopatus devote et fideliter expletis, institutum est a viro karitatis pleno, ut karitativa subsequatur refectio, prediis et possessionibus ad has et pauperum expensas eodem scilicet die sufficienter subministratis. Hac ergo, ut diximus, die divinitus prescita a se vivente, sepius reverenter celebrata posterisque suis provida institutione designata, vir beatus, decurso presentis vite stadio carnisque onere deposito, sanctorum omnium iunctus est consorcio. Ad cuius sepulcrum fidelis servi sui merita Dominus signorum suorum frequenti ostentatione declarat: nam preter revelationes multiplices, que servis et ancillis Dei per visionem de hoc ipso viro beato sunt ostense[c], per merita huius sancti ceci visum, claudi gressum, contracti erectionem receperunt. Quacumque denique afflictione oppressos et ad huius sancti viri sepulchrum et suffragia confugientes per merita et intercessiones beati Borchardi venerandi antistitis, multis experimentis edocti credimus, liberari. Ad roborandam itaque fidem audientium et confitenda viscera pietatis Dei unum restat de eo iocundum confiteri miraculum et omni admiratione dignum, quodque ad omnes laudes eius amplectendas sufficiat. Nam Dei providentia ordinante, cuius nutu decurrunt tempora et momenta, in hoc sancto viro quatuor miracula uno die, licet invicem succedentibus sibi annis, sunt ostensa.
Nam 15. Kal. Novembris maternis effusus[d] finibus, trabea Oct. 18.
carnis indutus veteri Adam est informatus, sed in novo reformatus. Qui etiam hac die studiis litteralibus[e] appositus, in brevi scientiam litterarum tam liberalium quam divinarum assecutus est, quam morum honestate et vite probitate omnibus declarans, provide hac etiam die regimen cathedre Halberstadensis adeptus, pontificalibus infulis meruit sublimari. Ipsa etiam nichilominus die viam universe carnis intrans, carnis tunicam deposuit, sanctorumque omnium iunctus est consortio. Nec est reticendum, quod inter plurima bonarum actionum eius insignia curtem episcopalem in civitate inceptam structuris laudabilibus consummavit, 24 curtes in episcopatu Halberstadensi in opus sui et successorum suorum prudenter exstruxit. Inter quas dum in Huiesburch palacium et capellam conderet studiose[70], ipse tanta sedulitate dedit operam huic operi, quod etiam lapides, cementum et alia necessaria manu propria operariis porrigebat. Huius rei causam dum familiares sui inquisissent, respondit: *Sentio donum Dei, nam locus iste in perpetuum sancte religioni et divinis erit obsequiis mancipandus.*

Eius autem ordinationis anno 4.[71] Conradus imperator moritur, anno regni sui 16, Ekk.
imperii vero 9. 2. Nonas Iunii, filio suo Henrico[f] III. regnum relinquens. Qui 7. regni sui anno ibid
Ytaliam ingressus a Romanis pacifice suscipitur et tres papas non digne constitutos deposuit, et Swidegerum, Bavenbergensis 1046.
ecclesie secundum episcopum, papam constituit, a quo ipse et coniunx eius Agnes in die natalis[g] Domini benedictione imperiali sublimantur. Eodem anno Swidegerus papa obiit 7. Idus Octobris, cui successit Poppo patriarcha Aquileiensis, qui necdum conpleto anno defunctus[h] est. Cui successit Bruno Tullensium episcopus, qui et Leo dictus est. Hic Bruno sub beato Albwino[i] scolastico in Hersvelth, postea in Nienburch in Saxonia abbate, liberalibus disciplinis
inbutus erat. Anno Domini 1049. synodus Maguncie celebratur, cui interfuerunt Bruno apostolicus et Henricus ibid.
imperator. Inde procedentes, domnus papa Ratisponam veniens, reliquias beati Dyonisii martiris, de quibus diu 1052.
dubitatum est an ibi haberentur, presentibus Parisiorum legatis perspexit ibique teneri probavit. Idem papa Bruno qui 1054.
et Leo vitam finivit anno Domini 1053. et Rome in ecclesia beati Petri sepultus miraculis coruscat. Cui successit 1055.
Godehardus, qui et Victor dictus est, Eustatensis episcopus. Henricus imperator, Ytalia in pace disposita, Saxoniam rediit. In cuius oculis sanctus Burchardus episcopus dum multam invenisset

---

a) ħalb̃r 1. b) conculcationem 1. 2; con *in loco raso* 1. c) ostensa 1. 2. 3. d) *in loco raso* 1. e) lr̃alib⁹ 1. f) *rubr. in* 1: Anni Henrici III. qui regnavit annis 7. g) naľ *saepius* 1. h) *prius* defuncto, *corr. partim rad. partim suppl.* 1. i) Balpwino 2; Baldwino 3.

[70] Cf. Ann. Sax. 1071. p. 698.

[71] immo 3.

gratiam et favorem, ad eiusdem petitionem imperator ecclesie beati Stephani dedit comiciam in Northuringhen[a] et in pago Derlingen cum omni determinatione sua et cum omni iure et utilitate[b], que inde poterit provenire, ut episcopi Halberstadenses[c] potestative semper habeant et cui velint tradant, hancque donationem suo privilegio conmunivit[d. 72]. Eadem eciam lege idem imperator pro dilectione domni Burchardi comitatus istos in pagis Hardengowe, Derlengowe partimque Northuringen et Belchesheym Halberstadensi ecclesie cf Ekk. in proprium perpetuo dedit possidendos[73]. Mortuus est autem et hic Henricus imperator III. anno regni sui 17, imperii vero 15, ordinationis domni Burchardi episcopi 21.[74], 3. Non. Octobr., pro quo filius suus Henricus IV. regnavit annis quinquaginta[e].

Cum igitur venerandus domnus Borchardus episcopus ecclesie sue semper pro posse suo profecerit et super conmissum sibi gregem verbo et sancte conversationis exemplo 1059. Oct. 18. totis viribus vigilarit, anno ordinationis sue 23, regni autem quarti Henrici 3, 15. Kal. Novembris[75], non solum sub regimine suo degentibus sed et omni patrie flendus, a mortalibus ad inmortalia sumptus in Domino feliciter obdormivit. Corpus autem eius in ecclesia Halberstadensi versus occidentem honore congruo est sepultum.

Anno[f] igitur Domini 1060, indictione 14.[g. 76], regni vero quarti Hinrici regis 4. Burchardus secundus[h], qui et Bucko dictus est, non minus bonis exemplis quam doctrinis et exhortationibus semper pollens Halberstadensi ecclesie pastor duodecimus est prefectus. Ekk. 1057. Eodem anno Godehardus, qui et Victor papa, finivit vitam, pro quo Fredericus, Godefridi ducis frater, iam monachus 1058. factus, Romanus pontifex ordinatur et Stephanus appellatur. Cui tertio anno defuncto Alexander Lucensis episcopus successit. Huius tempore Hildebrandus, qui ei successit, archidiaconatus officio functus est Rome.

1060. Anno autem primo presulatus domni Buckonis Henricus rex IV. cum matre sua imperatrice et sponsa sua Berta et sororibus suis et cum immensa multitudine episcoporum, abbatum et honorandorum ecclesiastice religionis virorum, ducum quoque ceterorumque Mart. 26. regni principum sollempnitatem omnium sollempnitatum in Halberstat veneratione debita Apr. 18. celebravit[77]. Eodem etiam anno 14. Kal. Maii, feria 4. illius ebdomade qua cantatur: *Iubilate Deo,* ultio divina acerba nimis correctione Halberstadensem ecclesiam corripuit, et monasterium simul cum claustro conbustionis iuditio deputavit[i]. Invaluit quoque idem iudicialis ignis adversus duas alias basilicas maiori ecclesie annexas, unam Iohannis et Pauli et alteram huic vicinam. Conbusta etiam fere dimidia pars ville versus septentrionem ab ortu usque ad occasum. Tam subita igitur divina examinatione primi sui presulatus anni secundus Borchardus graviter sauciatus, tam diri vulneris egritudini medicinam apponere totis viribus festinavit. Tanto namque operi continue insistendo et queque[k] necessaria preparando et suis sibimet parcere non cessavit, donec veterem edificationem, tactam divinitus, in melius renovavit, picturis, campanis multisque egregie ecclesie aptis tam intrinsecus quam extrinsecus famose pompavit, ambonem quoque et summitatem 1071. chori auro et argento venuste ac nobiliter decoravit. Anno igitur Domini 1071, incf. A. S. dictione 9, post conbustionem suam anno 12, Halberstadensem ecclesiam gloriose perfectam Iun. 13. Idus Iunii, feria 2. pentecostes honorifice dedicavit[l]. Prosecuti autem sunt ipsum conbenedictores septem episcopi in laudem regis regum pro ministerio septiformi sancti Spiritus deputati. In secundo[m] Adhelbertus Hammaburgensis archiepiscopus, in tertio Richbertus Fardinensis episcopus, in[n] quarto Wernherus Arguntinensis[n], in quinto Benno[o] Asneburgensis, in sexto Thidmarus[p] Brandeburgensis, in septimo Iohannes Bircensis[q] episcopi. Aderat etiam cum iocunditate quartus Henricus rex indumentis regalibus insignitus. Comitabatur quoque regem nobilis comitatus episcoporum, abbatum cum extensa processione cleri innumeri; Otto quoque dux Saxonie[78] et plurimi regni principes

---

a) *litterae* ringh *in loco raso* 1. b) *litterae* uti *in loco raso* 1. c) halb'r 1. d) *rubr. in* 1: Privilegium Henrici tercii super comiciis duabus. e) ann. quinquaginta *rubro colore scripta sunt* 1. f) *rubr. in* 1: Anni Borchardi secundi, XII. Halberstad. episcopi, qui sedit 28 annis. g) 4 *leg.* 2. 3. h) fc̄s 1, *an* sanctus? S. 2; secundus 3. i) depuravit 1; depavit 2. 3. k) q̄ȝ 1; que 2. 3. l) *rubr. in* 1: Tertia dedicatio Halberstadensis ecclesie. m) post ipsum loco *supple ex Ann. Sax.* n) in — Arg. *des.* 2. 3. o) *correxi;* Bruno 1—3. p) Thietmarus 2. 3. q) Birzensis 2. 3.

72) a. 1052. Ian. 17; v. chartam imperatoris ap. Ludewig, Reliq. Manuscr. VII, 421 cum dato corrupto, quod Schatzius p. 33 not. 1 emendavit. 73) eodem anno et die; v. chartam in Ledebur, Arch. VI, 147. Stumpf 2418 duas chartas perperam miscuit. 74) immo 20. 75) Annal. Saxo Burchardi I. mortem ad a. 1058. Oct. 12. refert, sed v. Lambertum, Ann. Altah. et Magdeburg. ad a. 1059. 76) immo 13, quia Bucco secundum Ann. Altah. maiores ad a. 1060. a. 1059. Dec. 25. a rege investitus est. 77) Cf. Ann. Altah. maior. 1060. 78) Intelligendus est Otto de Northeim, qui hoc tempore regi se subdidit, non vero Ordulfus dux Saxoniae, qui Mart. 28. iam obierat.

cum ingenti multitudine utriusque sexus in laude Domini conclamantes. Affuit quoque dedicande Dei aule serenissima domna Berta regina cum preclara matertera sua Irmengarde ducissa et sorore regis Adelheyde Quidelingeburgensis ecclesie abbatissa. Omnes autem qui aderant dedicationis illius fideles facti sunt cooperatores, et quod visibili officio agebatur ut invisibili conpleretur effectu, suppliciter implorabant[a].

Hic autem rex Henricus pro curte Kissenebrucke[78], quam Halberstadensis ecclesia possidebat, abbaciam in Drubeke[79], in pago Hardengowe sitam[b], pro eadem curte et appendiciis eius tradidit eidem Halberstadensi ecclesie cum omnibus pertinentiis suis, mancipiis, areis, edificiis, villis, ecclesiis, terris cultis et incultis, agris, pratis, pascuis, campis, silvis, venationibus, aquis, aquarum decursibus, molis, molendinis, piscationibus, exitibus, reditibus, viis et inviis, quesitis et inquirendis, et cum omni utilitate que inde provenire potest; eamque donationem suo privilegio stabilivit[80]. Similiter[c] quoque omnia statuta et quascumque concessiones antecessorum suorum imperatorum, decimas, terras cultas et incultas, mercatos, monetas, thelonia, heribannum, duos comitatus quos pater suus Henricus III, ut iam dictum est, Halberstadensi ecclesie dedit, sua auctoritate renovavit et regio privilegio stabilivit[d. 81]. Idem eciam ob devotum famulatum domni Burchardi[e] episcopi, Halberstadensi ecclesie liberaliter erogavit de vinetis, in Brunninheym[82] villa dicta in pago Nitgowe sitis, tantum quantum ad decem karrados vini posset sufficere, una cum vinitoribus qui in illis[f] laborare et colere debeant[g]; bonis etiam que ipsi possidere videntur Halberstadensi ecclesie contulit habenda, possidenda, iugiter perfruenda[83].

Huius etiam temporibus, regnante Henrico rege IV. et presidente Romane ecclesie papa Alexandro, gravissima dissensio inter regnum et sacerdotium est exorta. Quod cum presul iam dictus videret nimium ecclesie importare dispendium et iacturam, ipse pro universali Dei ecclesia animam suam in manibus suis posuit, et tam fidelem quam ydoneum inter papam et regem mediatorem se constituens, totis viribus laborando de voluntate partium non cessavit facere suimet et suorum operam et impensam, donec ipse et regnum et sacerdocium reformavit ad concordiam et pacis honorem. Unde in utraque curia tantam graciam meruit et invenit, quod ipsum et ecclesiam suam merito conabantur preferre speciali[h] gloria et honore. Unde quanta prerogativa domnus papa Alexander ipsum et ecclesiam suam privilegiare curarit dignum duximus annotare:

1063. Ian. 13.

Alexander[i. 84] *episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo in Christo Halberstadensi episcopo in Domino salutem et apostolicam benedictionem. Inter multa que magister et doctor gentium, minister quidem Christi et secundum gratie Dei donum dispensator misteriorum eius, discrete ac spiritualiter instituit, quosdam in ecclesia sancta non ut hospites et advenas, sed ut cives et coheredes et concorporales in habitaculum Dei coedificatos, in area quoque dominica conparticipes et cooperatores, singulari munificencia excellenter donari premonuit:* dum tempus, *inquit,* habemus, bonum operemur ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. *Unde etiam, mi dilectissime fili Burcharde, venerande coepiscope, fidei tue, que per caritatem operatur, et iusticie tue, que videlicet ex fide est, plurimum congratulamur. Temporibus enim istis, in quibus venit ira Dei in filios diffidentie, de quibus vere possumus cum apostolo dicere:* Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem, *opus ministerii tui, edificationem corporis Christi, ad honorem apostolorum Petri et Pauli, ad voluntatem et iussionem dilectissimi nostri filii Henrici IV. regis, scilicet ut ecclesiastice pacis inquietudinem regius advocatus propulsares, cum omni gaudio suscepisti. Itaque post susceptum legationis obsequium semper unanimis uno spiritu et sincera affectione pro nobis ac Romana ecclesia nobiscum sollicitus fuisti, non tamen querens que tua, quam*[k] *que sunt Ihesu Christi. Pro tanto igitur Deo eiusque sanctis apostolis a te collato servitio inprimis ipsi gratias laudesque debitas referimus, qui dilectissimo filio nostro, prenominato regi, tam sanctum opus tibi iniungere tibique*

---

[a] *rubr. in* 1: Privilegium Henrici quarti super Drubicensi cenobio.
[b] Halberstadensi ecclesie *abundant* 1. 2.
[c] *rubr. in* 1: Confirmatio privilegiorum eiusdem.
[d] *rubr. in* 1: Privilegium eiusdem super vineis.
[e] .B. 1.
[f] illa 1. 2; illis *charta et* 3.
[g] et col. deb. *in loco raso* 1.
[h] spāli 1.
[i] *rubr. in* 1: Privilegium Alexandri pape.
[k] quantum 1. 2. 3.

[78] Kissenbrück ditionis Brunswicensis inter Hornburg et Wolfenbüttel.
[79] Drübeck ab Ilsenburg ad orientem.
[80] a. 1058. Febr. 7. iam sub Burchardo I. episcopo, v. Stumpf 2552.
[81] a. 1063. Aug. 7. Stumpf 2627.
[82] Bornheim olim ditionis Francofurtanae.
[83] a. 1063. Aug. 20. Stumpf 2628.
[84] Jaffé, Reg. Pontif. 3383.

suscipere inspiravit. Deinde quoniam sancta Romana ecclesia, que bene fundata est supra firmam petram, hoc semper habuit vere karitatis iuditium, ut aut nuncquam aut raro ab aliquo gratis habere vellet beneficium, conpetit nostro apostolico moderamini aliquod honestum aut singulare donativum pro nostro iure tibi tueque ecclesie privilegiorum auctoritate concedi. Itaque et locum et nomen filii specialis[a] *singulari ac familiari affectu*[b] *tibi concedimus, sancteque Halberstadensi ecclesie tue, ut sit filia Romane*[c] *ecclesie, prerogativam quandam attribuimus. Insuper quoque pio paternoque affectu pallio te adornare decrevimus, salva tamen auctoritate aut magisterio sancte metropolis Maguntine ecclesie*[85]*, salvoque fratrum tuorum coepiscoporum et ordine et loco. Sed tuum est, ut sicut nos forinsecus ita ipse te adornes intrinsecus, ut docendo et faciendo quecunque sunt iusta, quecunque honesta ante et retro esse possis conspicuus. Pallium in determinatis*[d] *diebus ad sacra missarum sollempnia celebranda tibi concedimus: in natali Domini, in festo sancti Stephani prothomartiris et sancti Iohannis ewangeliste, in epyphania Domini, in purificatione et assumptione et natali sancte Marie, in cena Domini, in sancto sabbato, in die resurrectionis, in ascentione Domini, in penthecosten*[e]*, in festo sancti Iohannis baptiste, in festo Iohannis et Pauli, in inventione corporis sancti Stephani, in festo sancti Sixti et sancti Michahelis et omnium sanctorum, in natali apostolorum Petri et Pauli et Andree, in dedicatione ecclesiarum, in faciendis ordinibus. Crucem etiam ante te et ante successores tuos portandi licentiam donamus; in stationibus quoque festivis super naccum*[86] *equitandum permittimus tibi et successoribus tuis. Insuper mitras tibi et successoribus tuis ac canonicis tuis excellentioribus, scilicet presbiteris et dyaconis et inter missarum sollempnia ministraturis subdyaconis, in maiori ecclesia tua in suprascriptis festivitatibus portandas concedimus, et omnia que privilegiorum auctoritate tibi et*[f] *tue ecclesie a predecessoribus nostris videlicet summis pontificibus, insuper etiam sive regum sive imperatorum confirmationibus seu quarumlibet personarum donationibus iuste collata sunt, nostre quoque auctoritatis privilegio confirmamus. Preterea quoque statuimus et coram Deo ac terribili eius examine futuro per huius nostri apostolici privilegii seriem ac constitutionem sancimus, ac beate Dei genetricis semperque virginis Marie, nec non beatorum apostolorum Petri et Pauli, sanctorumque etiam martirum Stephani ac Sixti ceterorumque omnium sanctorum auctoritate, in quorum nomine prenominata tua ecclesia dedicata est, decernimus atque obtestamur tam apostolice sedis futuros pontifices quam qui ecclesiasticas amministraverunt actiones, cunctosque christianitatis titulo insignitos, ut nullus hanc licentiam*[g] *de hiis omnibus, que eidem ecclesie a predecessoribus nostris per privilegia iuste concessa sunt vel a nobis data vel danda sunt, aut ab aliquibus fidelibus viris ac mulieribus prefate ecclesie tradita sunt vel futuris temporibus contradentur, tam in abbaciis quam in monasteriis ac xenodochiis, tam in familiis quam in terris ac comitatibus seu aliquibus possessionibus, convellendi, disvestiendi, molestandi vel alienandi.*

Ekk. 1066. Anno[h] 9. Henrici regis Willehelmus quidam Normannicus Angliam[i] miserabiliter affligens, tandem rex eius
effectus est, qui mox omnes regni eius presules exilio, nobiles vero morti destinavit; mediocres autem suis militibus in
ib. 1068. servitutem, uxores indigenarum advenis in matrimonium subiugavit. Anno autem 11. eiusdem Henrici ipse rex
adolescentie usus libertate, Saxoniam solam ex omni Romano imperio cepit incolere, principes despicere, nobiles opprimere,
inferiores sustollere, venatui, lusibus ceterisque huiusmodi exerciciis plus quam iusticiis faciendis operam dare, filias
illustrium quibuslibet obscure natis coniugare, privata presidia instituere. Hiis discordie seminariis contigit regi quam
ib. 1074. plurimos insidiatores tam vite quam sui regni crescere. Defuncto[k] igitur bone memorie Alexandro papa, Hildebrandus
ei successit, qui et postea Gregorius dictus est. Iste ex humili genere natus, in Francia artes liberales didicit, deinde in Hispania aput Toletum arte nigromantia est imbutus. Post hec Theutonie et multarum terrarum perlustrans spacia, aput Theutonicos ex nominis sui ethimologia Hildebrandus, quasi ticio infernalis[l] est vocatus. Qui tandem Romam veniens, habitum monasticum assumpsit, et librum quendam de virtutibus satis bonum conponens, ipsum iam dicto pape exhibuit Alexandro, qui Petri nomen ei imponens, archidyaconatum Romane ecclesie eidem concessit. Arte itaque sua Romanorum sibi consilians animos, defuncto papa Alexandro morte repentina, et ut dicunt ab eodem Hildebrando[m] veneno sibi dato, ipse Hildebrandus continuo a Romanis in summum pontificem est electus. Qui statim regi

a) ſp̄alis 1; spiritualis 2. 3. b) affcm̄ *prius, rad. corr.* 1. c) rõms *prius, rad. et suppl. corr.* 1. d) det'iatis 1. e) penthecostn̄ 1. f) *deest* 1. g) sibi sumat *coniectura addit* 3. h) *rubr. in* 1: Possidetur a Willehelmo. i) *deest* 1. k) *rubr. in* 1: Vita Hildebrandi pape. l) infernal' 1. m) Alexandro 1. 2.

---

85) Cf. epistolam querulam Sigefridi archiepiscopi Maguntini de hac re ad Alexandrum II. directam in Cod. Udalrici ap. Jaffé, Monumenta Bamberg. Nr. 28. 86) i. e. equum album.

Henrico se opponens per crebros nuntios[*] et episcopos totum imperium contra ipsum commovit. De suo itaque consilio cum[a] Saxones, ut sunt animis acerrimi, precipue coniurationem adversus eum unanimiter conspiratione firmassent, rex territus Saxonia cessit. Saxones vero castella, que rex dudum edificaverat, funditus evertunt, inter que precipuum illud castrum quod Hartesbûrch dicitur diruunt, monasterium et claustrum canonicorum quod ibi erat, multa furentes audacia, solotenus deiciunt, et innocentis cuiusdam filii regis ibidem sepulti ossa in contumeliam patris de sepulcro proiciunt. Eodem anno colloquium maximum apud Oppenheym factum est, ubi pene tocius regni principes, sed maxime Saxonum et Alemannorum, regis subiectioni renuntiabant[a*], hoc pretendentes, quod ipse a duobus apostolicis ad satisfactionem pro obiectis vocatus non venisset, et pro tali contumatia domnus papa excommunicationis sententiam contra eum tulisset. Hac igitur occasione rex coactus est ire Romam, inventoque papa in oppido Canusino ibi per triduum ante portam castri perstitit, deposito omni regio cultu, discalceatus et laneis indutus, nec prius cum multo fletu apostolice miserationis auxilium et consolationem implorare cessavit, quam omnium qui aderant precibus et lacrimis intercedentibus, laxato tandem anathematis vinculo, in conmunionis gratiam et sinum matris ecclesie est receptus. Ipso[b] igitur in Ytalia moram faciente, Saxones, conmunicato quorumdam principum consilio, Rodolfum ducem Swevorum elegerunt in regem, qui et a domno Sifrido Moguntine sedis archiepiscopo unctus est et coronatus.

Ekk. 1072.
ib. 1073.
ib. 1075.
cf. Ekk. 1077.

Henricus igitur rex ab Ytalia rediens, anno Domini 1075, indictione 14.[87], anno Borchardi secundi 16, regni sui 19, etatis vero 25, Idus Iulii[88], congregatis secum Bawaris, Swevis, Francis, Lotharingis[c], Boemis et multis aliis nationibus, crudelissima preliabatur prelia contra Saxones et emulos suos et contra regem ipsorum Rodolfum: primo in campis[d] Heymbürch[e, 89] circumiacentibus iuxta fluvium qui dicitur Unstrod; secundo in campis Mathelrikestat adiacentibus iuxta fluvium qui dicitur Strowe; tertio in Thuringia[90], ubi miro Dei miraculo sunt disiecti, nam vis celestis ymbrium et ventorum tantaque[f] obscuritas[g] nubium aera perturbavit, ut cuius coloris cominus pugnancium essent equi nequaquam posset discerni. Tali igitur discrimine Saxones celitus potiti victoria, perterriti autem hostes et in fugam conversi cruentam perpessi sunt cedem. In hiis autem conflictis non modica interiit multitudo tam principum quam ingenuorum, liberorum et genus omnis plebis; domnus Weselus etiam Magdeburgensis archiepiscopus in eodem prelio est peremptus[91]. Domnus Sifridus Moguntine sedis archiepiscopus, Adelbertus Warmaciensis, Alemannus Pathaviensis, Wernerus Mersburgensis episcopi, Bernardus cardinalis[92] et alii quam plures clerici omnibus que habebant spoliati, pugnis, baculis et fustibus variis armisque multati, satis indigne sunt tractati.

Cum igitur Hildebrando papa auctore Romana res publica, immo et omnis ecclesia huiusmodi pressuris et inauditis scismatum erroribus nimium fatigata fuisset, habitum est concilium apud Warmaciam, ubi presente Henrico rege universi fere Theutonici episcopi preter Saxones Hildebrandum papam abdicarunt, mittentes ad illum epistolam post multas obiectiones ita conclusam: *Quia introitus tuus tantis est iniuriis iniciatus, et ecclesia Dei tam gravi tempestate per abusionem novitatum tuarum periclitatur, et vitam conversationemque tuam tam multiplex infamia dehonestavit, obedientiam quam tibi nullam promisimus nec de cetero ullam servaturos esse denuntiamus*[h]. *Et quia nemo nostrum, ut tu publice declamabas, tibi hactenus fuit episcopus, tu quoque nulli nostrum amodo eris apostolicus.* Postmodum etiam apud Bricsinam Noricam 30 episcoporum conventus nec non et optimatum tam Ytalie quam Germanie iussu regis Henrici est congregatus factusque omnium consensus adversus Hildebrandum papam, cognominatum Gregorium VII, quem pseudomonachum totiusque vesanie pestiferum principem et precipue sancte Romane sedis invasorem affirmantes, ab apostolica sede diiudicabant deiciendum, et Wicbertum Ravennensem archiepiscopum ipsi subrogantes unanimiter elegerunt. De Hildebrando vero taliter conscripserunt: *Quia illum constat non a Deo electum, sed a se ipso in fraude et pecunia impudentissime*[i] *obiectum, qui ecclesiasticum subvertit ordinem, qui christiani imperii perturbavit regnum, qui regi catholico ac pacifico corporis et anime intentat mortem, qui periurum defendit regem, qui inter concordes seminavit discordiam, inter pacificos lites, inter fratres scandala, inter coniuges divortia*[k], *et quidquid quiete inter pie viventes stare videbatur concussit*[l], *nos auctore Deo congregati, legatis ac litteris freti 19 episcoporum die sancto preteriti pentecostes*[m] *Moguncie congregatorum, contra eundem Hildebrandum procacissimum, sacrilegia ac incendia predicantem, periurium*[n] *et homicidia defendentem, catholicam et apostolicam fidem de corpore et sanguine Domini in questione ponentem, Berengarii heretici antiquum discipulum, divinationum ac sompniorum*[o] *cultorem, manifestum nigromanticum phitonico spiritu laborantem et ideo a vera fide exhorbitantem, iudicamus canonice deponendum et expellendum, et nisi ab ipsa sede*[p] *hiis auditis descenderit, in perpetuum condempnandum.* Pro hac igitur contumelia papa per regem sibi exhibita ipse eum synodali iudicio excommunicatum a regno etiam sententiavit deponendum. Hiis ita gestis, inter Henricum regem et Rodolfum rursus geritur bellum in Saxonia iuxta

Ekk. 1076.
ib. 1080.
ib. 1080.

---

[*] nunctios 1 *saepius*. [a] *deest* 1. 2. [a*] renunct. 1. [b] *rubr. in* 1: Karolus dux Svevie in Saxonia eligitur in regem. [c] Lothoringis 1. [d] camp̄ 1. [e] Heimburg 2. 3. [f] tanta 3. [g] obscuritate 1—3. [h] denunct. 1. [i] *sequens* ē *nunc erasum est* 1. [k] divorsia 1. [l] *prius ut videtur* concussits, *rad. corr.* 1. [m] pentecosī 1. [n] periuriam 1. [o] sompniorē *prius, rad. et supplendo corr.* 1. [p] *deest* 1—3.

[87] immo 13. [88] immo 5. Id. Iun. Ceterum hic Nostrum rerum ordinem perturbasse liquet. [89] Homburg. [90] iuxta Flarchheim a. 1080. Ian. 27. [91] scil. in proelio apud Streu fluvium a. 1078. Aug. 7; cf. Ekkehard. [92] Haec nomina, excepto Altmanno Pataviensi, ex Ann. Sax. a. 1078. Noster hausisse videtur.

fluvium Helhestram, in quo idem Rodolfus cecidit, amputata sibi manu dextra; sed a suis in civitatem Mersburch
Ekk. 1082 vivus[a] delatus[b] et in brevi defunctus in medio chori ibidem honorifice est sepultus. Quo defuncto, Heremannus
ib. 1087 quidam, vir prepotens ac nobilis a Germania, rex a Saxonibus est electus. Qui videns Hinrico regi resistere
ib. 1081. se non posse, permissione eiusdem regis tandem in propria est reversus. Henricus itaque rex Ytaliam petiit Romamque perveniens, resistente[c] sibi Hildebrando papa civitatem obsedit, et crebris incursibus per biennium
ib. 1083. Romanos infestans tandem versus castellum sancti Petri cepit Urbem. Romani igitur coacti manus regi dederunt et Hildebrandum papam omnino abdicaverunt. Qui occulte fugiens[d] Salernam secessit, ibique ad diem mortis
ib. 1084. sue permansit. Henricus igitur rex Romanis petentibus, ut Wicbertum Ravennatem episcopum eis papam preficeret, multis stipatus, cum magna gloria Romam intravit, ducens secum predictum episcopum, qui per multos pontifices apostolico nomini dicatus, nomenque Clementis accipiens reverenter est intronizatus. A quo etiam rex cum regina Berta in sancto
ib. 1085. die pasche imperiali benedictione est sublimatus. Imperator itaque ab Ytalia rediens, Moguncie synodum celebrari fecit, et de consilio omnium et consensu pacem ecclesiis reddidit et firmavit. Qui etiam a Saxonibus pacifice est receptus. Hildebrandus igitur qui et Gregorius papa VII, apud Salernam moritur et ibidem in ecclesia sepelitur. Prosecuta autem fuerat illum fugientem potentissima illa per Ytaliam femina domna Machtildis[e], imperatoris Henrici neptis. Que cum copulata fuisset Conrado cuidam, Ytalie principi, sed gibboso, ipsa enixa fuit ab ipso gemellos ymagine patris gibbosos, super quo ipsa nimia tacta verecundia utrumque fecit necari; sed tandem ducta penitentia ad Hildebrandum papam veniens, reatum suum humiliter est confessa. Qui cum nullam vel modicam eidem super hoc iniunxisset penitentiam, ipsa ob hoc obsequiosa ei nimirum ac familiarior esse cepit, ita etiam quod patrimonium suum, quod ipsa latissimum habuit, in preiudicium imperatoris, qui legitimus eius erat heres, ad instantiam Hildebrandi sancto Petro donaret. Ipsa quoque cum[f] in vestibulo quodam, annexo papali palatio, cum eodem papa quodam tempore consedisset[g], et casu ipsum vestibulum corruisset, ipsa cum papa visa est ab aere sustentari, quousque scalis appositis sine omni lesione cum papa simul deposita est ad terram. Preterea, cum in arduis negotiis magni viri cum eodem papa confabularentur, ab eius ore sepe visus est ignis flammivomus evolare. Unde predicta femina tanta se ei affectione astrinxerat, quod etiam ipsa eum fugientem secuta, officiosa sedulitate usque ad finem vite sue ei fideliter ministravit. Ipso igitur ut dictum est defuncto,
ib. 1085. ad consilium eiusdem domne Machtildis et aliorum qui presentes erant substitutus est in papam Desiderius cardinalis et abbas Cassinensis, qui et modico tempore vixit. Post quem per eosdem electores et ordinatores Otto Ostiensis
ib. 1100. episcopus ad eumdem apostolatus apicem est electus, qui et Urbanus est appellatus. Anno autem Domini 1100. Wichbertus Ravennensis archiepiscopus, qui Hildebrando superpositus Clemens papa dictus fuit, cum tres papas alternatim sibi succedentes supervixisset, mortuus est.

Procellosa vero tumultuatione, ut dictum est, imperium undique laniante, Halberstadensis ecclesia huius mali expers non fuit. Nam Saxonibus a fidelitate Henrici regis discedentibus, quia domnus Bůrchardus Halberstadensis episcopus reatum periurii incurrere noluit, sed in regis fidelitate perseveravit, a sede sua eiectus fuit, quodam Hemezone sibi supposito[93]. Unde ecclesia non modicum sustinuit dispendium et iacturam. Sedata tandem hac execrabili tempestate, domnus Borchardus ab exilio rediens, sue est ecclesie restitutus, et ecclesia monente Hemezo descendit de sede quam iniuste ac temere occuparat. Borchardus igitur in quantum potuit diruta resarsit[h] et in statum debitum ecclesiam revocavit. Cum autem in exterioribus temporalia reformando satis se impenderet, interius
cf. A. S. 1071 tamen virtutibus spiritualibus insistendo minime se neglexit. Ipse enim in elemosinis largus, in mansuetudine modestus, in caritate perfectus, corde et opere fervendo in hoc semper studuit, quod ratio et iusticia postulavit. Fundator quoque basilice sancti Liuderi[i], eam tam copiose dotavit, ut inde fieret hospitale, in quo cottidie 12 pauperes infirmi reficerentur, et ceteris necessariis diligenter provisis, in alia basilica sancti Alexii, quam etiam
cf. ibid. 1070. construxerat, divinum eis officium instituit iugiter providendum. Huiesburgense[k] monasterium secundum prophetiam[l] sancti Borchardi antecessoris sui episcopi a fundamento construxit, quod et decenter locupletavit[94]. Ilseneburgense[m] etiam monasterium, quod ipse ut fidelis architectus prudenter exstruxit et devotus incoluit, uberrime in omnibus dotavit et pro posse ditavit[95]. Denique ut mercedem pro talento tandem reciperet geminato,

---

a) nimis 1—3. b) zelatus 2. 3. c) resistere 1. d) s *recenti manu add.* 1. e) Magatillis 2. 3. f) *deest* 1. 2. g) concedisset 3. h) resarcuit 1. 2; resarcivit 3. i) fcī Livd *litterae in loco raso* 1. k) *rubr. in* 1: Huyesborg. l) secundum pp *litterae in loco raso* 1. m) *rubr. in* 1: Ylseneborg.

93) Res aliter se habuisse satis constat; de Hamezone v. Ann. Sax. a. 1085. p. 723 et Cod. dipl. Anhalt. I, 192. 94) Chartam fundationis d. 1084. Nov. 1. v. in Cod. dipl. Anhalt. I, 152. 95) Monasterium hoc iam a. 994. fundatum (Ann. Hildesh. SS. Tom. III, 90), quod Arnulfus episcopus in castrum Ilsenburg transtulerat (v. chartam a. 1018. in Cod. dipl. Anhalt. I, 101), Burchardus reformavit et de novo dedicavit a. 1086. et 1087, v. Cod. dipl. Anhalt. I, 154. 155. Cf. etiam Ann. Sax. p. 726.

in civitate Halberstat[a] in honorem sancti Pauli apostoli satis honestam fundavit ecclesiam, cf. A. S. 1071. canonicorum vitam ordinans in eadem, et si morte non fuisset preventus, eiusdem ecclesie statum promovere proposuerat in immensum. Cumque super dominicum gregem sibi conmissum paterna sollicitudine vigilasset, Romane ecclesie negocium tractaturus Gosolariam venit, ubi inter cives et familiam suam seditione orta, ipse tumultuationis causam volens scire, cum aperta fenestra prospiceret per cancellos, quidam ex civibus casu sagittam dirigens, innocentis episcopi collum transverberavit. Unde et mortuus est anno ordinationis 1088. Apr. 6. sue 28.[1], 3. Idus Aprilis[2]. Corpus autem eius Ilseneburg est deductum et in ecclesia, quam ipse summo studio fabricaverat, honorifice est sepultum.

Anno[b] igitur Domini 1088. tam pio presule tam crudeliter sublato a medio, Halberstadensis ecclesia domnum Thitmarum, cognomine[c] Parvum, ordine dyaconum, virum 1089 Ian. 26. bonum et iustum, canonica electione elegit in episcopum. Qui mundissimis precibus obtinuit apud Deum, ut, si sue non foret ecclesie profuturus, vitam suam intercipi mereretur; unde occulto Dei iuditio fuit exauditus. Nam ab electione sua die 16. ab hoc seculo est ereptus. Dicunt tamen quidam[3], quod veneno sibi dato vitam finivit. Mortuus est autem 4. Idus Februarii. Cuius corpus in ecclesia beate Marie infra urbem honorifice est humatum. Febr. 10.

De morte igitur huius[d] electi tam inopinata tamque repentina Halberstadensis ecclesia non modico merore percussa, dum consolatorem quereret salutarem et ydoneum conaretur eligere provisorem, peccatis exigentibus geminata est meroris vehementia et doloris. Nam inter electores pernitiosa dissensio[e] est exorta, ecclesia in tres partes divisa, quarum quelibet suum elegit episcopum: una parte quendam Thitmarum et alia parte quendam Fredericum eligentibus[4], a saniori parte domnus Herrandus Ilseneburgensis abbas, vir religiosus et pacificus, annuente Domino est electus, cuius etiam religionem pars adversa qualibet iniuria sauciavit. Hunc etiam regnante Henrico IV. domnus papa Urbanus II. rite Halberstadensis ecclesie in episcopum consecravit[5], et quia caritatis affectu ex exemplo sui patroni prothomartiris Stephani pro suis emulis exoravit, domnus papa nomen Stephani ei imponens, data episcopali benedictione, sue ecclesie ipsum misit cum gloria et honore. Superpositi vero supranominati, ne ulterius matrem suam Halberstadensem ecclesiam ceca ambitione vexarent, talem finem disponente Domino sunt sortiti. Domno enim Herrando revertente, ut dictum est, a domno papa, Thitmarus occulto Dei iuditio casu a gradu quodam corruens, confracto corpore expiravit. Fredericus vero a domno papa Paschali depositus, ut peccata sua lueret[6], ad sepulchrum Domini proficiscens transfretavit, indeque tandem reversus, Halberstat[f] vitam finivit. Socia tamen adhuc prevalens emulorum multitudo in domnum Herrandum tantam executionem exercuit, quod, spreta ipsius vita et doctrina, ipsum a se prorsus amovit. Cumque in hac miseria et in tali contemptu igne tribulationis exustus, aliquos annos irreprehensibiliter deguisset, post multas angustias vera Christi hostia factus, 10. Kal. Novembris[7] hanc vitam temporalem pro eterna feliciter 1102. Oct. 23. conmutavit[g]. Corpus autem ipsius in monasterio Reineresburnensi, in quo ipse monasticam duxerat vitam, in Domino requiescit.

Huius temporibus quidam marchio Ecbertus nomine, imperatoris Henrici consanguineus, in Saxonia eidem imperatori rebellis fuit, unde a quibusdam imperatoris fidelibus in quodam Ekk. 1090. molendino gratia pausandi iuxta aquam que dicitur Selicha[8] deprehensus, turpiter est occisus. Anno Domini 1089.[9] sextum bellum conmittitur iuxta Gelichen in Thuringia in die dominica,

---

a) halb̄r 1; *dein rubrica:* Ecclesia sancti Pauli. b) *rubr. in* 1: Thitmarus Halberstadensis XIII. electus, sedit dies 16. c) congnomine 1. d) *rubr. in* 1: Anni Herrandi XIV. episcopi qui sedit annis 13. e) discensio 1. f) halb̄r 1. g) ↄmũuit 1.

[1] immo 29.

[2] De die obitus Burchardi, Apr. 6, non vero ut Noster vult Apr. 11, v. quae disseruit Delius ap. Ledebur, Archiv V, 45—52.

[3] Ann. Saxo a. 1100.

[4] Fredericum post Thietmari II. mortem demum electum esse ex Ann. Sax. l. c. scimus; ceterum Herrandus a. 1090. electus est, v. eundem et Ann. Rosenveld. h. a.

[5] a. 1094. Ian. 29. secundum epistolam Urbani Febr. 6. Saxoniae fidelibus directam ap. Wedekind, Noten III, 293. (Hahn, Coll. Mon. I, 119.) Cf. Ann. Reinhardsbrunn. a. 1093. ed. Wegele p. 18.

[6] A. 1105. Mai. 29. demum Fredericus episcopatum resignavit, v. Ekkehard. p. 227.

[7] 9. Kal. Nov. a. 1102. Ann. Rosenveld. SS. Tom. XVI, p. 102.

[8] Hoc cum Chron. Sampetr. Erfurt. (ed Stübel p. 11.) a. 1090. concordat: *Ekkibertus marchio iuxta aquam que dicitur Selicha* (Selke) *in molendino quodam miserabiliter interfectus occubuit.* Cf. notam sequentem.

[9] Sequentia minus cum Ekkehardo, fere verbotenus vero cum Chron. Sampetr. concordant: 1089 *sextum bellum — Losanne occisus est. Sigewinus Col. archiep. obiit, Otto Ratisp. obiit.*

vigilia nativitatis[a] Domini, inter Henricum imperatorem et Ecbertum marchionem, in quo Bourchardus episcopus Losanne[b], Sigewinus Coloniensis, Otto Ratisponensis episcopi occisi sunt. Anno Domini 1098, presidente hoc domno papa Urbano, ortus est ordo Cisterciensis, cuius primus auctor fuit beatus Robertus Molisinensis abbas[10], propagator vero beatus Bernardus abbas Clarevallensis, ecclesie Dei doctor inconparabilis. Anno Ekk. 1099. Domini 1099. Henricus imperator filium suum iuniorem Henricum V. regem fecit. ib. 1096. Eodem anno ex omnibus terris, sed maxime ab occidentalium partibus, tam regum et nobilium quam etiam vulgi innumerabiles turbe Ierosolimam tendere ceperunt, excitati in zelum super oppressione dominici sepulchri ac desolatione orientalis ecclesie, per aliquot annos cf. ib. 1099. Turcis subiecte et ab eis inauditis calamitatibus tribulate et fere iam delete. Cui domnus Urbanus papa, ut pius pater conpaciens, cum tota Romana ecclesia Hispaniam veniens et exinde Parisius, necessitatem terre sancte lacrimabiliter exponens, ad succursum eius circiter centum milia ib. p. 214. bellatorum cruce signavit. Orientalibus autem Francis, Saxonibus et Thuringis, Bawaris et Alemannis hec bucina salutaris minime insonuit propter scisma quod inter regnum et sacerdocium tunc fuit, quod et ipsos Romanis et Romanos ipsis invisos fecerat et infestos. Profecti sunt autem ad succursum terre sancte domnus ib. 1097. Godefridus dux Lothoringie cum fratribus suis, omnibus suis que habuerant venditis, et in precium ib. p. 213. redactis copiose militibus erogatis, cum multis principibus ceterisque eiusdem industrie, nobilitatis atque fortitudinis bellatoribus. Qui omnes per Hungariam et Romaniam Constantinopolin venientes, Alexii imperatoris Grecorum fulti presidiis, tandem emensa Gretia Anthiochiam obsederunt, eaque tandem capta et presidio in ipsa posito, Ierosolimam processerunt, et divina opitulante gratia ipsam capientes, predictum Godefridum ducem regem constituunt in eadem. ib. 1099. Anno autem 1100. domnus Urbanus papa obiit. Hic super conmotione ecclesie concilia multa congregavit, inter que etiam ad Placentinam civitatem ducentis patribus convocatis, post multa decreta ab ipso promulgata, Henricum imperatorem tam a se quam a predecessoribus suis conmunione privatum declaravit. Ipse autem moriens Reinerum cardinalem de Sancto Clemente designavit in regimen apostolicum eligendum. Quem universa Romana ecclesia licet ib. 1102. invitum consecrat in pastorem, ipsum appellans Paschalem. Cui Henricus imperator alterum supponere papam satis conatus est, sed non profecit. Papa vero magnam synodum celebravit Rome, Hinricum imperatorem cum suis ib. 1105. conplicibus anathemate condempnavit. Anno Domini 1105. Henricus V. rex patri suo rebellavit et ad Saxones conversus, ab eis honorifice est susceptus. Ipse vero heresi patris sui abrenuntiando[b*], et Romane sedi debitam obedientiam profitendo totam Saxoniam Romane ecclesie conmunioni reconciliavit, multaque prelia cum patre suo conmittens, que interserere huic compendio longum esset, tandem ad hoc conib. 1106. pulsus est imperator Henricus, quod ipse regalia insignia, crucem, lanceam, sceptrum, globum atque coronam filii tradidit potestati. Hoc ordine Henricus, illius nominis quintus, primum a patre, deinde ab universis Germanie principibus in regem iam secundo est electus, ab apostolicis quoque legatis per manus impositionem catholice confirmatus ib. p. 234. regnare cepit. Interea Wernerus quidam, qui ex parte Henrici imperatoris Ytaliam procurarat, collectis undique copiis, corruptis quoque multa pecunia nonnullis Romanis, papa Pascali apud Beneventum moram faciente, quendam[c] pseudoabbatem[d] de Pharfara cathedre sancti Petri imposuit, mutato vocabulo ipsum Silvestrum appellans. Qui tamen paululum post turpiter prout meruit a catholicis est eiectus. Post hec imperator Henricus auxilio quorundam principum denuo contra filium se erexit. Unde cum diu inter eos concertatum fuisset, tandem Henricus imperator diem clausit extremum. Quem dum Leodicensis episcopus excommunicatum in sua ecclesia tumulasset, a principibus effodere ipsum ib. 239. est coactus, et iussu regis Henrici in Spiream civitatem delatus, extra ecclesiam per quinquennium ibidem inhumatus ib. 240. permansit. Sic igitur Henrico imperatore 50. regni sui anno defuncto, eiusdem Nabugodonosor 50. exactionis annus ecclesie Dei versus est in iubileum. Post hec habitum est concilium generale in Longobardia super ripam Padi fluminis, loco qui Warstallis nuncupatur, ubi presidente domno Pascali papa, multa de statu ecclesie et de reformatione eiusdem utiliter sunt tractata. Eodem anno Magnus dux Saxonie obiit, pro quo Lotharius cf. ib. 1110. surrexit. Anno Domini 1110. rex Henricus V. Romam proficiscitur benedictionem imperialem a summo pontifice percepturus.

Anno[e] igitur Domini 1107, indictione 15, sedata persecutionis ecclesie exsecrabili tempestate, ecclesiam Halberstadensem Dominus visitavit illustratione iocunda, cum domnus Reinardus, in iusticia stennuus, religionis amore precipuus, Halberstadensis ecclesie ad salutem multorum canonice est electus. Anno autem Henrici V. regis 2. a domno Adelberto[f][11] Moguntine[g] sedis archiepiscopo benedictionem episcopalem honore debito est adeptus, et quia preclara eius opera a multis sunt fidelibus aprobata, iustius sunt vivaci memorie conmendanda. Ipse enim in Saxonia primus auctor fuit conmunis vite, secundum regulam beati Augustini constitute. Quatuor igitur canonicorum regularium instituit congregationes; duas videlicet in Hamersleve[12] et in Kaldeburne[13] a fundamentis instituit et pro posse eas ditavit; in civitate vero in ecclesia beati Iohannis baptiste[14] canonicis non canonice viventibus, et in Sceninghe[15] sanctimonialibus non sancte viventibus, cum discretione remotis, regulares canonicos ordinavit. In quatuor etiam collegiis, Gerberstet[a. 16], Hadmersleve, Drubeke, Stuterlingheburg, sanctimonialium inordinate viventium et ordinem et habitum conmutavit, eisque sub arta custodia reclusis, ut sub regula beati Benedicti viverent sagaciter ordinavit[17].

---

[a] nat *sic et infra semper* 1. nativitatis. [b] *sic* 3; Iosanne 1; Losanie 2. [b*] abrenunct. 1. [c] quidam 1. [d] abbatem 2. 3. [e] *rubr. in* 1: Anni Reynardi XV. episcopi qui annis 15. [f] *in loco raso* 1. [g] secundi 2; secundae 3.

[10] Cf. Chron. Sampetr. p. 9 ad a. 1098. [11] immo Rothardo, a. 1107. Mart. 31. v. Ann. Sax. h. a.

Huius tempore sancte Romane ecclesie presidente domno papa Paschali II, Henricus V. rex, ut dictum est, cum exercitu valido Romam venit, cui occurrerunt apostolici legati nuntiantes[a*], Ekk 1111. promtum esse papam ad eius consecrationem, si tamen sibi ipse annueret libertatem ecclesiarum, laycam ab ipsis prohibens investituram, reciperetque nichilominus ab ecclesiis ducatus, marchias, comitatus, advocatias, monetas, thelonea ceteraque regalia. Prebuit rex assensum, si tamen hec concordia ecclesie et principum fiat consensu. Cum itaque rex, apostolico cum omni clero sibi in occursum veniente, cum multa gloria Romam intrasset, tumultuati sunt principes in inmensum pre ecclesiarum spoliatione. Romanis quoque ipsum hostiliter invadentibus, ipse rex impigre et optimi ducis agens officium, gratia Dei victor existens, hostibus post multam stragem fugam incussit. Post triduum vero Roma secedens, apostolicum secum duxit, sedatisque omnibus inter regnum et sacerdotium dissentionibus, papa ipsum ante confessionem sancti Petri imperiali dyademate coronavit, dato sibi pariter privilegio ecclesiastice investiture. Imperator igitur cum multa gloria rediens ab Ytalia, accepta a domno papa licentia, patrem suum aput Spiream ecclesiastica sepultura in ecclesia magnifice sepelivit. Ipso autem a Roma discedente, apostolicus multas ab ecclesia passus est iniurias, obicientibus ei quod contra instituta tocius ecclesiastice ib. 1112. discipline regem Henricum, tyrannicum rei publice vastatorem et ecclesiarum destructorem, imperiali benedictione sublimasset, insuper privilegio sacrilego condonasset, quia in eo privilegio continetur, quod electus canonice a nemine consecretur, nisi prius a rege investiatur, quod est contra Spiritum sanctum et canonicam institutionem. Unde ipsum non privilegium sed potius pravilegium sit dicendum, quod pro liberatione captivorum ecclesie a domno papa per violenciam regis Henrici sic fuit extortum. Unde et in generali concilio aput Lateranum censura canonica iudicio sancti Spiritus fuit dampnatum et irritum iudicatum. Ex hac occasione quidam imperatoris emuli sicut excommunicatum eum conati sunt infamare; unde et semen dissentionis et invidie circumquaque contra ipsum cepit pullulare. Moritur hiis temporibus quidam de Saxonie principibus nomine Odelricus. Cuius possessiones Sigefridus palatinus comes sibi successione hereditaria[b] vendicabat, sed imperator eas in ius regni attrahere conabatur. Que causa cepit recidive discordie fomitem ministrare. Nam idem comes totam pene Saxoniam tantis implevit querimoniis, ut ducem Lotharium, marchionem Rodolfum, Fredericum palatinum comitem, Wicbertum et Lodewicum multosque alios traheret ab obsequio imperatoris. Sed et domnus Reynardus Halberstadensis episcopus nec non domna Ghertrudis, illa prepotens per Saxoniam vidua, prediorum suorum invasione se ab imperatore pati violentiam proclamabant. Prebuit cf. ib 1116. etiam materiam emulis imperatoris eidem adversandi concilium quod eodem anno apud Lateranum celebratum fuit, in quo Prenestinus episcopus, qui vice legati functus fuerat, proposuit manifeste: quod cum ipse in coronatione imperatoris intellexerit ab eodem imperatore domnum papam captivum detentum, indigne tractatum, cardinales exutos, tractos et male tractatos, nobiles quoque et Romanos occisos et captivos, et populi stragem factam, ipso zelo Dei animatus, auctoritate legationis in eundem regem excommunicationis sententiam promulgavit. Unde domnus papa eius factum[c] visus est in concilio confirmasse. Verumptamen domnus papa propter nuntios[a*] imperatoris, qui presentes erant, predictam excommunicationis sententiam palliare cupiens ita dixit: *Ecclesia primitiva martirum tempore floruit apud Deum et non apud homines. Deinde ad fidem conversi sunt reges, imperatores Romani principes, qui matrem suam ecclesiam sicut boni filii honestaverunt, conferendo ecclesie Dei predia et allodia, seculares honores et dignitates regaliaque iura et insignia, quemadmodum Constantinus ceterique fideles, et cepit ecclesia florere tam apud homines quam apud Deum. Habeat ergo mater et domina nostra ecclesia sibi a regibus sive a principibus collata, dispenset et tribuat suis filiis ea sicut vult et sicut scit.* Cum autem privilegium investiture ecclesiasticarum rerum a layca manu, imperatori ab eo datum, omnes ei obicerent, ita respondit: *Postquam Dominus de servo suo fecit quod voluit, et me populumque Romanum tradidit in manus regis, videbam cottidie passim fieri rapinas et incendia, cedes et adulteria. Hec et huiusmodi mala cupiebam avertere ab ecclesia et populo Dei, et quod feci, pro liberatione populi Dei feci. Feci autem ut homo, quia pulvis sum et cinis; fateor me male egisse, et rogo vos omnes, orate pro me ad Deum, ut indulgeat mihi. Illud autem malum scriptum, quod in tentoriis factum est, quod propter pravitatem pravilegium dicitur, condempno sub perpetuo anathemate dantis et accipientis.* Fama igitur late sententie in imperatorem, sicut dictum est, dum ad principes Saxonie pervenisset, scisso igitur regno nove res oriuntur undique contra ipsum[18]. Adhelbertus Moguntine sedis archiepiscopus, qui per omnia secundus a rege ib. 1112. semper fuerat, dictus est adversus imperatorem pariter conspirasse, unde ab eodem imperatore captivatus est

---

a) Gerberſt̄ 1. a*) nunct. 1. *et infra.* b) hereditario 1. c) eius factum *in loco raso* 1.

[12] Charta d. 1112. Aug. 9. Reinhardus congregationem a. 1108. in Osterwik fundatam ad Hamersleben transtulit, v. Leukfeld, Ant. Halb. 699—702. Cf. Ann. Magdeburg. a. 1109: *Monasterium canonicorum Hamersleve inchoatur.*

[13] Kaltenborn in Thuringia, haud procul ab oppidis Sangerhausen et Eisleben, praediis Wichmanni comitis fundatum est, v. chartas Reinhardi a. 1120. ap. Schöttgen et Kreysig, diplom. et script. II, 690. 691.

[14] Sita erat haec ecclesia extra muros ad occidentem.

[15] V. chartas a. 1120. et 1121. ap. Leukfeld l. c. 710. 712.

[16] Gerbstädt ditionis Mansfeldicae fundatum a. 985, v. Ann. Sax. h. a.

[17] Cf. duas epistolas ap. Jaffé, Mon. Bamberg. p. 512. 516. Nr. 19. 23.

[18] *scisso — contra ipsum* ex Ekkehard. a. 1115.

et custodie traditus. Hec et hiis similia contra regem scandalorum zizania suscitabant. Imperator igitur Herpfort sollempnem
curiam celebrans, cum prescripti principes Saxonie curiam non adissent, indignatione nimia conmotus, bona
eorum diripi et possessiones eorum devastari precepit. Verum domnus Reinardus episcopus Halberstadensis
dicto imperatori tanquam Dei et ecclesie inimico viriliter resistit, et adversus
ipsum omnes terre principes animavit. Quod audiens imperator, cum valido exercitu Saxoniam
Ekk. 1113. intravit, et fines eius depopulando rapinis et incendiis pertransivit. Castrum quoque Hornebůrch
aprime munitum longa obsidione captum destruxit. Et quia precipue Halberstat[a] offensus fuit,
Cf A. S. 1113 ipsam civitatem violenter intravit, et timens ab episcopo ponendum in ipsa presidium,
fractis muris et domibus in eadem, adiacentes quoque villas incendiis et rapinis vastavit.
Hanc igitur hostilem rabiem, hanc intollerabilem orphanorum et viduarum opressionem,
nec non totius terre desolationem memoratus episcopus et sui non pacienter ferentes,
innumerabili equitum et peditum multitudine congregata, eidem imperatori in campo
Welpesholt[b] occurrerunt, et invocato Dei auxilio et sancti prothomartiris Stephani, signiferi
summi regis, viriliter prelium committentes, favente divina gratia, victoriam sunt
adepti, et de exercitu imperatoris multis milibus nobilibus ac ingenuis gladio interfectis,
ipsum imperatorem in fugam etiam converterunt. Occubuit etiam in hoc prelio vir quidam
Ekk. 1115. nobilis Hogerus nomine, comes de Mansvelth, qui dudum inter multa que bellicose egerat supradicti
Sigfridi palatini comitis nece se famosissimum in aula regis effecerat; assumpta secum electa iuventute conpatriotas suos
Saxones audacter invasit, ipseque leonina ferocitate dimicans, cupiditatem glorie qua flagrabat multis secum cadentibus
morte propria conprobavit. Eadem quoque die Sclavi[c] Transalbini hac occupatione Saxonum
intellecta, fines Saxonie manu valida intraverunt. Quibus principes orientis cum exercitu
occurrentes, multiplici strage facta, de ipsis victoriam pariter sunt adepti, et sic divina
ib. l. l. clementia Saxones uno die gemino honestavit triumpho. Domnus Reinardus vero episcopus ex
hoc prelio suis magnam predicavit consolationem iustitie, de parte vero imperatoris cesis sepulture eciam interdixit
conmunionem. Factum est autem hoc prelium anno incarnationis Domini 1115. Imperator vero non
parum amaricatus ad Renum se convertit, ad resistendum sibi magis ac magis consensu Saxonum roborato. Interea
nuntiatur imperatori obitus illius inclite Machtildis ab Ytalia, et ad prediorum eius terras amplissimas hereditario iure
possidendas invitatur. Qua femina sicut nemo nostris temporibus ditior ac famosior, ita nemo virtutibus et religione sub
laica professione insignior est repertus. Post hec imperator curiam Moguntie celebraturus intravit; Moguntini
vero nacta oportunitate armati intrant, imperatori mortem minitantes, nisi pontificem suum Adelbertum
eis reddat, quem tam multo tempore detinuerat captivatum. Imperator vero, ut coactus promiserat,
ipsum pontificem, iam per tres annos carcere afflictum et nimirum ossibus vix herentem, cathedre sue remisit.
ib 1116. Imperator itaque videns a se principum fidem deficere, et ab eius conmunione se plerosque subtrahere,
in Ytaliam se una cum regina totaque domo sua contulit, et circa Padum negotiis regni insistens, legatos ad
ib. 1117. apostolicum pro conponendis causis, que iterum regnum et sacerdotium disturbare ceperunt, suppliciter destinavit. Verum
domnus apostolicus, licet diffiteretur se illum anathematis vinculo alligasse, ab ecclesie potioribus membris excommunicationem
ib. 1118. in illum connexam, nonnisi ipsorum consilio se posse dissolvere confitetur. Eodem autem anno
Paschalis papa presentem vitam finivit, cui successit Iohannes Carthanus[d], imposito sibi nomine Gelasius. Imperator
quoque audito transitu pape Romam properavit, et primo quidem in electione domni Iohannis, qui et Gelasius II.
dictus est, assensum prebens, postea vero, eodem a sua se conmunione subtrahente, favore quorumdam Romanorum alterum
quendam, Burdinum nomine, ex Hispania supervenientem, apostolice[e] sedi imposuit; sicque scisma, quod iam sperabatur
emortuum, crudeliter est resuscitatum. Nam eodem Burdino Romane cathedre libere potito[f], Gelasius cum cardinalibus
ceterisque catholicis, quos congregare poterat, aput Capuam se recipiens, imperatorem una cum suo ydolo
Burdino dampnavit. Hinc[g] per Campaniam cum suis ad Burgundiam transmigravit ac Vienne synodum congregavit,
ib. 1119. eaque transacta post paucos dies vitam presentem finivit, et in Cluniacensi monasterio honorifice est sepultus. Cui
cardinales et clerus Romanus domnum Milonem Viennensem archiepiscopum substituentes, Calixtum mutato
nomine vocaverunt. Idem papa Calixtus concilio congregato, 426 patribus vallatus, synodalia predecessorum suorum
decreta confirmavit. Ad quod etiam imperator, nuntiis suis directis pro investituris ecclesiasticis, quas tantopere cogebatur
amittere, quousque cum principibus generale conmunicaret consilium, inducias impetravit. Ipse autem papa non
ib. 1121. multo post in Ytaliam vadens a Romanis cum multa gloria est receptus. Burdinus vero cum se in castello
Sutrie recepisset, Romani ipsum castrum destruunt, Burdinum capiunt, et post plures a vulgo sibi contumelias et
ib. 1122. illusiones illatas, vix a manibus eorum domno papa illum eripiente, ob agendam penitentiam exilio est relegatus. Post
multifarias tandem tunice Christi scissuras, postque tot christianorum intestina bella, tempus miserendi Syon, licet
sero, divina miserante clementia venit[h], domni pape siquidem legatis ob hoc in Germaniam transmissis,
incredibile memoratu, quam prudenti, quam instanti quamque sollicito cunctorum procerum consilio pro pace
et concordia diu sit certatum, donec ipse, in cuius manu cor regum est, omnem animositatem suam sub apostolice reverencie
obedientiam causa matris ecclesie, etiam ultra spem plurimorum, inflexit. Mox[i] igitur ab apostolice sedis
legatis in communionem receptus — subter annotata scripta melius edocebunt. *Ego*[k] *Henricus — postulaverit fideliter
iuvabo. Ego*[l] *Calixtus — huius discordie. Data anno Domini* 1122. 9. *Kalendas Octobris.* Huiusmodi scripta — sibimet
unitissimo direxit *ex Ekkehardo p.* 259. 260.

Eodem autem anno domnus Reynardus Halberstadensis episcopus, Christi fidelis famulus, postquam debita sollicitudine conmissam sibi rexerat ecclesiam, anno ordinationis

---

a) halƀr 1. b) *rubr. in* 1: Bellum Welpesholth. c) Solani 1. 2. d) Casinensis 3. e) apostolici 1. f) posito 1; imposito 2. 3. g) huic 1. h) tempus *add.* 1. 2. i) *rubr. in* 1: Reconciliatio inter papam et Henricum regem. k) *rubr. in* 1: Scriptum Henrici regis super iure ecclesie. l) *rubr. in* 1: Scriptum Calixti pape super iure regni.

sue 15, 6. Nonas Marcii[19] obiit in Christo, et sepultus est Halberstat[a] in ecclesia sancti 1123. Mart. 2. Stephani ante altare sancte crucis, in sepulchro domni Ludolfi Treverensis[b] archiepiscopi.

[c]Anno igitur Domini 1123, indictione 1, regni autem Henrici V. imperatoris 19, tam provido gubernatore subtracto a medio, Halberstadensis ecclesie curam suscepit domnus Otto, vir pacificus et mansuetus[20]. Tempore huius in pago Wangionum, que nunc Warmacia Ekk. 1123. nuncupatur, apparuit res digna memoratu. Nam per aliquot dies multitudo equitum armatorum non modica euncium et redeuncium, et quasi ad colloquia nunc huc, nunc illuc turmas facere videbatur, circa nonam vero horam cuidam monti, a quo et exisse videbantur[e], se reddentes. Tandem quidam[f] de incolis regionis illius crucis signaculo se muniens, non sine magno tamen timore, tam prodigiose concioni appropinquat, et quendam ex illis occurrentem sibi per nomen Domini omnipotentis coniurat, ut causam sibi populi qui sic apparuit manifestet. Cui ille inter cetera: *Non sumus,* inquit, *ut putas fantasmata, nec militum ut a vobis*[g] *cernitur turba, sed anime militum non longe antehac occisorum. Arma vero et habitus atque equi, qui nobis prius fuerunt instrumenta peccandi, nunc nobis materia sunt tormenti, et vero totum ignitum est quod in nobis cernitis, quamvis id vos corporalibus oculis discernere non possitis.* Quosdam autem quos in eodem comitatu congnovit, ab hac pena orationibus redimi et elemosinis est edoctus. Claruit hoc tempore domnus Theodericus Cicensis episcopus, literis aprime eruditus, semper contra scismata, que suis temporibus pullulabant, propugnator catholicus. Hic in loco civitati sue vicino, Bosawa nominato, cum fecisset collegium monachorum, quidam inter eos ex gente Soraborum cum irregulariter viveret, et conmonitus tum ab abbate tum ab episcopo in malitia sua perseveraret, ipse episcopum in oratione ante altare stantem cultro perfodit, unde post triduum venerandus sacerdos hostia Christi factus migravit ad Christum. Eodem tempore domnus Bolizlaus cf. ib. 1124. dux Polonie gentem Pomeranorum bello sibi subiciens, a domno Calixto papa obtinuit, quod ipse domnum Ottonem Bavenbergensem episcopum fidem Christi predicandam eidem populo destinavit. Qualiter autem venerandus episcopus in eadem terra profecerit ad fidei sue devotionisque testimonium, sicut subscriptum est literis, annotari precepit: *Otto Dei gratia Bavenbergensis* ibid. 1125. *ecclesie episcopus, divino ammonitus instinctu,* domni pape Calixti II. *auctoritate — accipiant. Nomina civitatum quas convertit hec sunt: Porriz, Stetin, Vulin, Camen, Colberch, Belgrado, Lubin, Gresch.*

Domnus papa Calixtus II. diem clausit extremum, cui successit domnus Lambertus Hostiensis episcopus, ibid. 1124. moreque sedis illius, ut tanto dignus honore, est Honorius II. appellatus. Hoc tempore res accidit satis monstruosa: puero cuidam crus dextrum diutino tumefactum livore, tandem loco collecti puris crepuit, et pro sanie[h], ibid. 1125. mirabile dictu, grana non pauca tritici, siliginis, ordei ac avene evidenter effudit. Henricus autem, huius vocabuli quintus imperator, senciens inminere sibi diem mortis sue, advocatis consobrinis, Conrado duce Francorum et Frederico duce Suevie, de statu regni cum eis prout potuit tractavit, conmunicansque viatico defunctus est anno regni 20, imperii vero 14, 10. Kal. Iunii, domni Ottonis Halberstadensis episcopi anno ordinationis 2, et sepultus est Spire.

[i]Cum igitur electores regis in substituendo rege operam darent, dissensione orta inter eos, alii Lotharium ducem Saxonie, alii vero Conradum ducem Francorum orientalium elegerunt. Ipsis igitur aliquamdiu pro regno disceptantibus, Conradus non ferens propter se patrie dispendium et iacturam, zelo Dei et humilitatis spiritu inflammatus, ad domnum 1135. Lotharium veniens, eius pedibus provolutus, regnum resignavit veniam postulando. Quem ille benigne suscipiens gratie sue plenissime reformavit.

[k]Otto autem Halberstadensis episcopus ordinationis sue anno sexto ad domnum papam Honorium accusatus est de symoniaca pravitate[21]. Unde ipse ab episcopali dignitate eum destituens, litteras apostolicas destinavit Halberstadensi ecclesie in hunc modum: *Honorius* 1128. *episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis suis, clero et populo Halberstadensi salutem et apostolicam benedictionem. Otto vester episcopus de symonia in nostra et fratrum nostrorum episcoporum et cardinalium presencia accusatus, et per testes sufficientes de symonia, quam in consecratione Dusnensis ecclesie*[22] *de 30 solidis pro ipsius consecratione per pactionem ab eo requisitis conmiserat, convictus est. Ideoque quoniam in hoc sibi parcere non potuimus nec debuimus, et in hanc pestem exardescere sancta debet ecclesia, conmunicato consilio in eum depositionis sententiam protulimus. Ea propter per presencia scripta vobis mandamus, quatinus invocata Spiritus sancti gratia ydoneam personam canonice vobis in episcopum eligatis.*

---

a) halbr' 1. b) Treverentis 1. c) *rubr. in* 1: Anni Ottonis XVI. episcopi, qui sedit annis decem. e) videbā *prius, rubricator add.* t^{2} 1. f) quidem 1. g) nobis 1. 2. h) sagine 1; saginem 2; sanguine 3. i) *rubr. in* 1: Lotharius regnavit annis 13. k) *rubr. in* 1: Otto Halberstadensis episcopus deponitur.

[19] Sequenti demum anno, 1123, Reinhardus obiit die Febr. 27. secundum Ann. Rosenveld. et Ann. Sax. Dies Mart. 2. quem etiam Necrologia Hildesheim. (Leibniz, Script. Brunsvic. I, 764. Vaterländ. Archiv des histor. Vereins für Niedersachsen 1842 p. 413) adnotant, fortasse dies depositionis putandus est.

[20] De electione Ottonis cf. epistolas apud Jaffe Monum. Bamberg. p. 520. 521. Nr. 26. 27.

[21] V. epistolam Honorii a. 1127. Oct. 18. Ottoni directam ap. Jaffe Mon. Bamberg. p. 405. Nr. 232.

[22] Ecclesia in Dusne a Wichmanno comite monasterio Kaltenborn collata erat, testante charta ap. Schöttgen l. c. 691.

1130. Eodem autem anno mortuus est[a] domnus papa Honorius, cui domnus Innocencius II. est canonice substitutus. Verum Lotharius rex, virtutibus preclarus, longe lateque multa fortia faciens, tam pro amore iusticie quam pro honestate Romane ecclesie, anno sui regni octavo, Ytalia cursu exsuperata, cum exercitu valido Romam venit, et a domno 1133. papa Innocentio cum multa gloria et honore imperiali est dyademate coronatus. Ubi etiam, Iun. 4. eodem imperatore et multis de Teutonia episcopis pro Ottone Halberstadensis ecclesie episcopo intercedentibus, mediante domno Adelberto Moguntine sedis archiepiscopo, idem Otto sue fuit cathedre restitutus[23]. Imperator itaque ab Ytalia rediens, prospero itinere 1134. in Saxoniam est reversus, proximumque pascha[b], anno videlicet 1134, indictione 11.[24], Apr. 15. regni autem 9, imperii vero 1, in civitate Halberstat[c] veneratione regia celebravit. Hiis festis pascalibus intererat imperatrix illustris Rigenza augusta, Otto eiusdem loci episcopus, Albero Bremensis archiepiscopus, Bernardus Hildensis episcopus, Siwardus Mindensis, Udo Cycensis episcopi, Volkmarus Corbeyensis abbas, Gerburgis Quidelingburgensis abbatissa et alii quam plures honorabiles et magne auctoritatis viri et maxima multitudo cleri, religiosi, principes, multique nobiles utriusque sexus, sollempnitatem paschalem fructuoso devotionis affectu debitis laudibus celebrantes. Aderat eciam inclitus rex Danorum[25], imperatoris homo[d] legius[e], ab eodem[f] imperatore corona regia et vestimentis regalibus insignitus, ensem imperialem baiolans coram ipso.

1135. Otto autem Halberstadensis episcopus quarto anno postquam restitutus fuit sedi sue, 10.[26] vero ordinationis sue anno, in Pisano concilio a papa Innocentio, patriarcharum et multorum qui aderant pontificum consilio et iuditio, irrecuperabiliter iam secundo ab episcopali destitutus est dignitate. Hospitale sancti Alexii, quod Burchardus secundus de dote capelle sancti Luderi construxerat, Otto episcopus ecclesie beati Iohannis contulit, hortatu Lotharii imperatoris et rogatu Alberti Moguntini archiepiscopi, pro restauratione beneficii quod prebenda Porte vocatur, quod Bernardus episcopus instituerat et Branthogus episcopus ecclesie sancti Iohannis assignaverat procurandum; sed Reynardus episcopus ipsum abstulerat ab eadem ecclesia, unde ipsa nimirum attenuata fuit. Contulit tamen ea ordinatione, ut ex eodem beneficio infirmi secundum numerum et antiquam institutionem pascantur, reliqua vero ad usus fratrum in claustro beati Iohannis proveniant.

cf. A S. [g]Anno igitur Domini 1136.[h], indictione 14, regni vero Lotharii 11, imperii 3, ecclesia 1136. Halberstadensi non habente pastorem[27], imperator Lotharius, Gherardus cardinalis, apostolice sedis legatus, Albertus Moguntine sedis archiepiscopus, Bernardus Hildensemensis episcopus cum multis religiosis viris conveniunt ad electionem, et invocata Spiritus sancti gratia, domnus Rodolfus vicedominus[i, 28], vir paciens et quietus et vita honestus, pari voto totius cleri et unanimi consensu populi in episcopum est electus, in dominica Letare Iheru- Mart. 1. salem, 6. Nonas Martii. Auctoritate igitur tam celebri personarum venerabilium confir- Apr. 12. matus, post proximum pascha tertia dominica, qua cantatur: *Iubilate*, Idus Aprilis[29], a predicto archiepiscopo Moguntino Herpesforde benedictionem episcopalem rite accepit, non aliunde ingressus, sed per hostium, nec sibi sumens honorem, sed vocatus a Deo tamquam Aaron.

1137. Ab eius itaque ordinatione evolutis fere annis duobus, Lotharius de Apulia victor Dec. 4. secundo reversus, pridie Nonas Decembris universe carnis viam est ingressus, anno regni sui 13, imperii 5, et ab eodem episcopo in Lutrensi monasterio honore quo decuit est sepultus.[k] Post mortem igitur tanti viri elevatur in regnum Conradus supra memoratus dux orientalium Francorum, fortis viribus, moribus et aspectu serenus.

---

a) es 1. b) *rubr. in* 1: Lotharius rex festum pascha Halberstat celebravit. c) halbr 1. d) homo *deest* 2. 3. *lacuna relicta.* e) h. ab eodem i. legius 1. f) homo ab e *litterae in loco raso* 1. g) *rubr. in* 1: Anni Rodolfi XVII. episcopi qui sedit annis sedecim. h) 1137 *leg.* 1—3; *sed indictio, annus regni et imperii* 1136 *postulant.* i) *sic recte correxit Schatz;* incedens 1. 2; *deest* 3. k) *rubr. in* 1: Conradus III. regnavit.

[23] Ottonem iam a. 1131. Leodii ab Innocentio papa restitutum esse, scimus ex Ann. Sax., Ann. Magdeburg, Palid., Erphesfurd. [24] immo 12. [25] Magnus, filius Nicolai regis. [26] Cum Otto a. 1133. Mai. 25. annum 11. ordinationis numeret (Ledebur, Archiv XVIII, 280), conciliumque Pisanum a. 1135. Mai. 30 — Iun. 6. celebratum sit, pro 10. legendum est 13. Ann. Saxo haec ad a. 1136. refert. [27] De iis quae electionem Rudolfi praecedebant cf. epistolas ap. Jaffe Mon. Bamb. 523. 525. Nr. 29. 30. [28] Rodolfus vicedominus, praepositus in Conradesburg et S. Bonifacii occurrit in charta supra p. 105 not. 22. laudata. [29] Dominica Laetare a. 1136. in Kal. Martias, Iubilate vero in 2. Id. Aprilis incidit.

Prefatus autem Rodolfus episcopus gregem sibi conmissum fideliter procurando, confidenter et simpliciter in Domino ambulabat, totusque caritatis ac misericordie operibus redundando, ecclesias sibi in Domino suffragantes paterna visitare munificencia satagebat. [a]Basilicam quoque sancte Marie virginis infra urbem, nam prius parvula ac deformis erat, a fundamento devotissime renovavit, et beata Dei genetrice expensas ei necessarias in hoc opus satis miraculose quam sepius procurante, eandem ecclesiam, ut nunc cernitur, venustissime consummavit, multisque ad usum et decorem eiusdem templi liberaliter erogatis, ipsum honore congruo dedicavit, anno videlicet Domini 1146, anno autem ordinationis sue 11.[b] Cum[c] itaque esset vir sanctus et iustus, multisque insignibus claruisset operibus, inter cetera domno Olrico beate Marie preposito, quem in spiritu pontificali dignitate sibi previderat successurum, solitus erat dicere: *Quod desideras optinebis, sed nuncquam in eo leto die tibi dabitur frui posse.* Hic igitur felix pontifex, cum rexisset ecclesiam suam fideliter ac prudenter, 16.[30] ordinationis sue anno, 2. Nonas Octobris 1149. Oct. 6. mortem subiit temporalem, et quia cum hominibus bone voluntatis pacem semper amplectebatur in terris, pie creditur ipsum esse Dei glorie participem in excelsis. Corpus autem eius in prenominata ecclesia beate Marie, quam ipse ut devotus fabricaverat architectus[d], honore debito est sepultum.

[e]Conradus autem rex cruce signatus cum multis principibus, nobilibus aliisque innumerabilibus viris bellatoribus terram sanctam glorioso visitavit apparatu. Damascum quoque, que caput est Syrie, cum dedisset obsidioni, sed eam capere non valens, terram undique vastans, multaque fortia agens, ex ipsa tandem ad propria est reversus, annoque Domini 1150. debitum carnis persolvit. Qui cum filium suum, puerum adhuc, regem 1152. futurum, et insignia imperialia domni Frederici ducis Suevie, qui proximus eius heres fuit, fidei conmendasset, defuncto ipso puero, idem Fredericus dux in regem est elevatus.

[f]A tempore Karoli usque ad istum Fredericum omnes reges Romani leguntur aut a Frantia, aut a Saxonia surrexisse. Nam[31] Magno Karolo successit Lodowicus, Lodowico filius suus secundus Lodowicus, secundo Lodowico[g] filius suus tertius Lodowicus, tertio Lodowico filius suus Karolus. Karolo a solio regni deposito, frater suus Arnolfus successit, Arnolfo filius suus Lodowicus IV. Huic cum non esset filius, cuncti principes Ottonem ducem Saxonie in regem eligere conati sunt. Quod cum ipse penitus refutasset, sicut paulo ante dictum est, de suo consilio Conradus, qui quarto Lodowico in illa cognatione[h] proximus erat, in regem est electus. Huc usque Karoli progenies regni fastigia tenuerunt. Dehinc imperatores Saxonici surrexerunt. Item Conrado quia[i] non erat heres, Henricum, filium iam dicti Ottonis ducis Saxonie, principes elegerunt in regem. Henrico I. successit filius suus Otto Magnus, Ottoni Magno filius suus Otto Rufus, Ottoni Rufo filius suus Otto III. Ottoni III. cum non esset filius, Henricus dux Bawarorum, qui sibi in linea consanguinitatis proximus erat, successit. Nam primo Henrico, Ottonis ducis filio, tres fuerant filii: primogenitus Otto Magnus, secundus Henricus, tertius Bruno; sed Ottoni Magno, ut diximus, regnum cessit, Brunoni archiepiscopatus Moguntine sedis, Henrico ducatus Bawarorum[k]. Isti Henrico duci successit filius suus Henricus, isti Henrico filius suus Henricus III. in Bawarico principatu, et quotquot fuerant Ottones imperatores, tot fuerunt Henrici Bawarici duces. Defuncto igitur Ottone III. sine filio, ille Henricus III. dux Bawarus[l] ei successit in regnum. Henrico similiter sine filio defuncto, Conradus genere propinquior sibi successit, Conrado filius suus Henricus III, Henrico III. filius suus Henricus IV, Henrico IV. filius suus Henricus V. Cui successit Lotharius dux Saxonie, post quem Conradus antecessor Frederici. Et ita liquido claret, quod prole Karoli et Francis regnare cessantibus in Conrado I, a primo Henrico usque ad ultimum Conradum regum Saxonicorum unius est consanguinitatis linea propagata.

Electo igitur in regem primo Suevorum duce Frederico, ipse cum copioso excercitu Ytaliam est ingressus, et multos Lombardorum inveniens sibi rebelles, Mediolanum, que

[a] *rubr. in* 1: Dedicatio ecclesie beate Marie. [b] *sic correxi ex* 15 *quod* 1—3. *habent.* [c] *rubr. in* 1: Hic mortuo Innocentio papa secundo successit Eugenius Cisterciensis ordinis. [d] artectus 1. [e] *rubr. in* 1: Conradus rex ad terram sanctam proficiscitur. [f] *rubr. in* 1: Anni Frederici imperatoris, qui regnavit annis 40. [g] .L. 1. [h] congnatione 1. [i] *prius* qui, *rad. et suppl. corr.* 1. [k] bawaꝝ 1. [l] bawarꝰ 1.

[30] immo 14. cum a. 1149. mortuus sit, ut testatur eius sepulcrum in choro ecclesiae b. Mariae virginis. SCHATZ. [31] Similis imperatorum series legitur in cod. epist. Wibaldino apud Martene Nr. 419.

precipue sibi adversabatur, obsedit, et multa fortia ibi agens, multaque indigna sustinens, tandem ad deditionem eam conpulit et destruxit. Domnus autem Reinoldus[a] Coloniensis archiepiscopus, cuius virtutes in imperatoris auxilio precipue claruerunt, apud Mediolanum inventis corporibus trium Magorum, ad civitatem suam Coloniam ipsa cum magna industria duci fecit. Rex vero tam ingenio quam industria, quibus ipse super omnes imperii principes visus est pollere, licet cum magno labore, tota tamen tandem Ytalia superata[b], Romam venit, Romanisque pariter sibi resistentibus multisque cum eis conmissis preliis, Urbem tandem victoriosus intravit, et a papa Adriano, qui successit Eugenio, imperatorie consecrationis coronam accepit.

1150. [c]Anno autem Domini 1150.[d], indictione 13.[e], domnus Olricus, Sancte Marie prepositus, moribus strennuus et religione severus, in Halberstadensis ecclesie episcopum est electus, et a domno Conrado[32] Moguntine sedis archiepiscopo benedictionem episcopalem pariter est adeptus. Tempore huius peccatis exigentibus universale scisma in ecclesia est exortum. Nam mortuo domno papa Adriano, in electione partes sunt facte: una parte eligente Octavianum, sanior pars domnum Alexandrum elegit; sed Alexander tres papas scismaticos supervixit, Octavianum, Victorem ac Paschalem. Fredericus vero imperator cum universis fere Teutonie principibus a clero scisma est secutus, et hec tribulatio fere 19 annis duravit. Domnus Conradus Moguntine sedis archiepiscopus[33] et domnus Olricus Halberstadensis ecclesie episcopus[34] scismatico pape non consencientes, a suis cathedris sunt expulsi. Moguntine ecclesie domnus Christianus, et Halberstadensi ecclesie domnus Gero supponebantur. Sed anno Domini 1177. Fredericus imperator post multas miserias et erumpnas, quibus tribulata est ecclesia et afflicta, que omnia huic conpendio interserere longum esset, tandem cum suo imperio consensit in Alexandrum, domno Philippo Coloniense et domno Wichmanno Magdeburgense archiepiscopis officiosa sedulitate laborantibus et feliciter proficientibus in hoc facto. Et sic ad unitatem corpore ecclesie reformato, domnus Olricus restituitur sedi sue, et domnus Gero videns episcopum esse receptum unanimiter, sponte cessit. Et domnus Olricus episcopus omnia facta domni Geronis in irritum revocavit; quibus autem domnus Gero manus imposuerat, dispensante domno papa, in suis ordinibus perstiterunt. Sedata igitur generali tempestate, particularis emersit. Nam dux Henricus contra imperium se erexit, et Halberstadensem ecclesiam pro speciali odio, quod adversus episcopum Olricum diu habuerat, laniare cepit, et maxime ideo quia redditus, quos ille tempore scismatis occuparat, requirere conabatur. In ea igitur crudelitate castrum Horneburg bis destruxit. Civitatem quoque Halberstat[f] miserabili incendio cum
1179. monasteriis omnibus et ecclesiis et multo populo concremavit et episcopum cum multis aliis captivum abduxit. Super hoc ergo excidio versus cuiusdam sapientis subnectere dignum duxi[g].

Quis furor ignis, queve malignis causa furoris?
Carmine pingo, non ego fingo verba doloris.
Urbs sacra, dives, plebs[h] bona, cives[i] est data prede.
Fit pavor urbis, fit fuga turbis, fit fuga fede;
Ignis inhorret, cunctaque torret flamma cremando;
Obvia telis turba fidelis nulla iuvando.
Mors atra, cedes, flamma per edes cuncta perurget.
Dicite, cives, urbs ita dives quando resurget?
Sevit in armis, fulgida parmis, turba cohortis
Voce minaci, dissona paci, nuntia[k] mortis.
Vivere digni sunt cibus igni, sunt cinerati.
Ad loca celi mente fideli iure vocati,
Igne perusti sunt modo iusti suntque beati.
Stirpe sereni, flos quasi feni, morte teruntur;
Scemate pleni sub scrobe ceni proiciuntur.
Tollit amictus miles et ictus ense minatur;
Vox tonat oris, dextra furoris cede fugatur.

---

a) Rinoldus 1. b) superato 1. c) *rubr. in* 1: Anni Olrici, XVIII. episcopi, qui sedit annis 33. d) 1151. *leg.* 1—3. e) 8 *leg.* 1—3. f) halb'r 1. g) duxit 1, *dein rubrica:* Excidium Halberstadensis civitatis. h) ples 1; proles 2. i) *in loco raso* 1. k) nunctia 1.

[32] immo Heinrico a. 1142—1153. [33] a. 1165. [34] a. 1160. v. Ann. Pegav. SS. Tom. XVI, 260.

Nil valet ullum ferre cucullum cum cruce signum
Ordine functum, nil valet unctum vivere dignum.
Que sacra cernit vis[a] mala spernit, cuncta prophanat,
Alta refundit, firma retundit, culmina planat.
Vertice canum menteque sanum, multa scientem
Nullus honorat, gratia rorat nulla fruentem.
Pugnat equestris turba, pedestris tela secuta
Qualibet audet, factaque gaudet vindice tuta.
Estimat aptum ducere raptum virginitatis,
Vimque minacem tollere, pacem ledere gratis.
Vis mala crescit, vis inacescit facta puellis:
Vi capiuntur, vique trahuntur cedere bellis.
Non capit etas, ut caro metas tempus amoris;
Est laceratis vis[a] feritatis plaga doloris.
Pax violatis nulla iugatis lege tenetur;
Ad mala luxus turpia fluxus liber habetur.
Presul honestus sustinet estus vimque caloris,
Sacrata[b] monstrat, firmaque constat gemma decoris.
Vir benedictus non timet ictus vimque minacem,
Non timet hostes[c] rumpere postes, non dare pacem.
Pectora terror sacra nec error ad invia duxit.
Iure tenaci consona paci mens pia luxit.
Iam clipeatis igne fugatis, igne cremante,
Stat pater urbis iam sine turbis, vi dominante.
Ecce tenetur, captus habetur vir preciosus;
Gaudia lictor fert quasi victor, recta[d] perosus[e].
Rex pie cernens, cuncta gubernans parce crematis[34*],
Caumate stratos redde beatos, fons pietatis.

Pro igitur facto duci Henrico coram imperio ducatus Saxonie et omnia que habebat per sententiam sunt abiudicata[f]. Episcopus quoque castrum Alvensleve[35], quod quidam ministerialis inter beneficia sua conputaverat, et castrum Gatersleve[36], quod in allodio episcopali tempore eiectionis sue constructum erat, ad episcopalem recuperavit possessionem; redditus etiam episcopales, quos attenuatos invenit, in quantum potuit ampliavit. Denique anno Domini 1180.[g], ordinationis anno 31.[h], anno regni Frederici 29.[i], 3. Kal. Augusti 1180. Iul. 30. in fide catholica Domino reddidit spiritum. Cuius corpus in Huiesburgensi[k] ecclesia, in qua ipse decubuerat, est sepultum. Defuncto Alexandro papa tertio, Lucius ei successit, post quem Gregorius VIII, post quem Urbanus, post quem Clemens.

[l]Orbata igitur gubernatore Halberstadensi[m] ecclesia, domnus Theodericus Sancte Marie prepositus 3. Nonas Augusti Aug. 3. canonice in episcopum est electus, et infra quatuor dies electionis sue a domno Frederico imperatore, in obsidione castri Lichtenberch[n] existente, regalia accepit. Sed quia superbia Henrici ducis nondum humiliata fuit, contra incursus castrorum suorum, civitatem suam premencium, iussu imperatoris prope civitatem construxit castrum, quod postea Langensten est vocatum[37]. In altera parte, scilicet ab aquilone, de Haldesleve[38] veniebat malum. Ad eversionem igitur huius Theodericus episcopus magno sumptu cooperatus fuit domno Wichmanno Magdeburgensi archiepiscopo. Tandem cum castra omnia que ducis Henrici fuerant subiecissent se imperatorie potestati, adhuc tamen Blankenburg[39] rebellabat; sed cogente necessitate ecclesie, iussu imperatoris

---

a) ius 1—3. b) serata 1. 2; se rata 3. c) hostem *corr.* hostes 1. d) rīa 1. e) perausus 2. f) *rubr. in* 1: Henricus dux deponitur. g) 1181. *leg.* 1—3. h) 33 *leg.* 1. i) 35 *leg.* 1; ordinationis — 29 *des.* 2. 3. k) Hildeburgensi 2. 3. l) *rubr. in* 1: Anni Theoderici, XVIIII. episcopi qui sedit annis 13. m) Halberstadensis 1. n) lichtentenberch 1; Richenberg 2. 3.

[34*] Cf. Necrol. Hildesh. ap. Leibniz I, 764: 9. *Kal. Oct. Ethelger, Poppo, Guntherus Halberstadenses canonici cum aliis multis incendio interierunt.*

[35] Alvensleben a Neuhaldensleben inter meridiem et occidentem.

[36] Gatersleben a Quedlinburg 1½ miliaria distans inter septentrionem et orientem.

[37] Castrum in monte Hopelberg, quod Othelricus iam inceperat, alias dictum Biscovesheim seu Nova urbs.

[38] Neu-Haldensleben ad fluvium Ohre.

[39] in saltu Hartico situm.

episcopus idem castrum subvertit. Consecratus est autem a domno Conrado Moguntino
1184. archiepiscopo anno Domini 1184.[40]

1187. [a] Huius ordinationis anno 3. qui est annus dominice incarnationis 1187, visitavit Dominus in virga ferrea et in verberibus peccata hominum. Salahadinus siquidem soldanus Sarracenorum terram promissionis duxit captivam et Iherusalem civitatem sanctam possedit. Quidam autem christianorum, qui ab interfectis reservati sunt, abierunt in captivitatem ante faciem persequentis, quidam vero non capti exterminati[b] sunt. Anno igitur 1188.[c] Fredericus imperator cum innumera multitudine fidelium ad succurrendum terre sancte crucis signaculo se signavit.[d] Anno autem Domini 1189. milites Christi cruce signati, relictis omnibus, Dominum sunt secuti et ut liberarent locum, ubi pedes Domini steterunt, per Greciam iter arripuerunt; sed per infidelitatem Grecorum multas iniurias sunt perpessi. Multis tandem evasis periculis, dum exercitus fluvium quendam prope Anthiochiam transierunt, imperator volens se refrigerare in eodem, lamentabiliter est submersus, et sic totus eius exercitus est dispersus. Corpus autem eius a filio suo, illustri duce Suevie, ductum est usque Tyrum et in ecclesia beati Iohannis baptiste honore congruo est locatum. [e] Mortuus est autem et filius eius iam dictus et in ecclesia domus Teutonicorum hospitalis in Acon honorifice est sepultus. Eodem autem anno rex Francie et rex Anglie sub signo crucis peregrinari ceperunt. Eodem quoque anno Clemente papa defuncto, Celestinus
1191. Apr. 14. sibi succedens in die pasche consecratus est, et sequenti die consecrando Henricum, qui vivente patre electus fuit, et uxorem eius Constantiam coronavit. Anno autem Domini 1191. Acon civitas a christianis capta est, et Sarraceni omnes in ea capti, videlicet Salahadini[f], interfecti sunt. Capte Acon interfuerant rex Francie et rex Anglie. Rex Francie capta civitate statim repatriavit. Rex Anglie vero cum postmodum redire vellet, inter Aquilegiam et Venetias naufragium passus, a duce Austrie, quem idem rex in partibus transmarinis tractaverat inhoneste, captus est et ab ipso imperatori Henrico, quem et idem rex in multis offenderat, presentatus. Ipse igitur rex ducentis milibus marcarum a captivitate imperatoris se exemit, et pariter legium ipsi faciens hominium, coronam regni sui ab ipso recepit.

Anno autem Domini 1193, anno ordinationis Theoderici[g] episcopi 10, mortuus est Wichmannus Magdeburgensis archiepiscopus[41], cui successit eiusdem ecclesie decanus Ludolfus. Exequiis autem eius interfuit domnus Theodericus[g] episcopus, immo ipsum pariter sepelivit. Ex antiqua enim Magdeburgensis et Halberstadensis ecclesie consuetudine est, quodammodo iusticia exigente, ut superstes episcopus mortuum debeat sepelire, maxime ob hoc, quia due sedes episcopales in una parrochia, scilicet Halberstadensi, site sunt, ideoque fraternitatis debito sunt connexe. Sedit autem domnus Theodericus[g]
1193. Sept. 26. episcopus annis 13, et mortuus est[42] et sepultus est in civitate in ecclesia beati Stephani ante altare sancte crucis.

[h] Quia igitur ecclesia Halberstadensis gubernatore diu carere non potuit, anno Domini 1193.[i][43] domnus Gardolfus, decanus et vicedominus, canonice in episcopum est electus. Hic itaque et sanguinis et mentis adeo fuit utriusque nobilitatis tytulis insignitus, quod si de pari certasset duplex nobilitas, se in mirum vinci altera doluisset. Ipse enim morum elegantia et angelica facie, quam pretendit, omnium in se provocabat affectus. Denique tantarum virtutum odore fuit perfusus, quod et omnibus omnia factus, merita vicissitudinis talione ab omnibus est dilectus. Ipse eciam imperialis aule capellanus existens, in oculis imperatoris Henrici, huius vocabuli sexti, tantam invenit gratiam et favorem, quod cum ipse electus ad imperatorem accederet regalia accepturus, ipsius electionem adeo gratam habuit et acceptam, quod ipse Halberstadensem ecclesiam specialis

---

a) *rubr. in* 1: Amissio terre sancte. b) ext'iati 1. c) 1181. *leg.* 2. 3. d) *rubr. in* 1: Expeditio Friderici imperatoris ad succursum terre sancte. e) *rubr. in* 1: Anni Henrici VI. qui regnavit annis 7. f) viderunt Salah' 1. 2; fuerunt aut 3. g) .T. 1; Theodoric. *semper* 2. 3. h) *rubr. in* 1: Anni Gardolfi XX. episcopi, qui sedit annis octo. i) *correxi;* 1195. 1—3.

40) ante diem 12. Septembris, v. chartam ap. Leuckfeld, Antiquitates nummar. Halberst. p. 96. 41) Wichmannus obiit a. 1192. Aug. 25, anno igitur ordinationis Theoderici nono, ut videtur. 42) Diem obitus dat Necrolog. Hildesheim. 43) Iam a 1193. Gardolphus Halberstadensis electus testis occurrit chartae ap. Leuckfeld, Ant. Ilfeld. 56 et Walkenr. 214; ordinatio eius incidit inter Ian. 2. et Febr. 28. a. 1194, v. Mon. Boica XXIX, 1, 476 et Annal. Stederburg. SS. Tom. XVI, 228.

prerogative brachiis amplectendam et imperiali patrocinio a se pollicitus est eam semper favorabilius exaltandam. Cum[44] multa igitur alacritate idem electus, acceptis ab eo regalibus, quia domnus Conradus Moguntine sedis[a] archiepiscopus cum principibus Saxonie conspiraverat adversus imperatorem, quia ipse petiverat ab eisdem, ut successio imperii ad heredes suos transiret, eiusdem electi ordinatio aliquantulum est protracta. Sed idem electus nuntium, qui conspirationis litteras inter principes tulit, cum eisdem litteris captivavit. Quibus imperatori ostensis, ipse sicut vir sapiens et discretus petitionem porrectam principibus relaxavit. Omni igitur inter eos seditione sedata, domnus Gardolfus a domno Conrado Moguntine sedis archiepiscopo, in presentia domni imperatoris Henrici 1194. et multorum principum et nobilium, omnium gratulabundo applausu tam sacerdotalem quam episcopalem adeptus est benedictionem. Ipse itaque onus sibi impositum plus considerans quam honorem, ut ecclesie sue proficeret totis viribus laboravit. Que quia non modico distracta fuit dispendio et iactura, ad statum meliorem quantum potuit reformavit. Redditus quoque episcopales, quos nimis attenuatos invenit, pulchre satis adauxit. Campanam quoque laudabilem et lapidem baptismalem politum de marmore exquisito[45] sancto Stephano tam devote quam liberaliter erogavit. Cum autem in bonis ecclesie sue obligatis redimendis, in prediis quoque emendis, ecclesiam suam ditando eidemque interius per omnia providendo sollicitam semper daret[b] operam et impensam[c], considerans se etiam positum supra montem ut non abscondatur, nec lucernam eius ponendam sub modio, sed super candelabrum, ut luceret omnibus qui in domo essent, ad exteriora conversus, consuetudinem semper habuit laudabilem ac felicem, ut ubicumque in terra sua[d] controversiam aliquam emergere vidit aut dissensionem, totum ingenium ac sollers studium protinus ad ipsius apposuit conplanationem, omnique opera qua potuit et impensa non quievit, donec ad bonum pacis et concordie discordiantes penitus reformavit. Unde factum est, ut in diebus eius pax utique in virtute sua vigeret, et in finibus eius habundantia redundaret.

Huius ordinationis anno 3.[46] Celestinus papa defunctus est, cui successit domnus 1198. Lotarius, qui et Innocentius III. est vocatus, iuvenis quidem etate, sed sensu et scientia et in apostolici iuris reformatione super omnes antecessores suos strennuus et maturus. Hic itaque anno incarnationis Domini 1195.[e][47] Iohannem tytuli Sancti Stephani de Celio monte 1195. presbiterum cardinalem ad partes Theutonie destinavit, ad succursum terre sancte omnes verbo predicationis crebrius invitantem[f]. [g]Hac autem legatione in sollempni curia Henrici imperatoris[48] functus, plerosque principes imperii crucis signaculo consignavit, inter quos etiam domnus Gardolfus episcopus pari voto ad hoc ministerium se astrinxit. Unde cum ipse glorioso sumptu se apparasset beati Stephani ecclesiam dedicare, que post miserabile excidium civitatis nondum reconciliata fuit, occulto Dei iuditio propter urgens votum suum a tali fuit desiderio prepeditus. Protracta autem peregrinatione signatorum, Henricus quondam dux Saxonie viam universe carnis intravit[49]. Quod Gardolfus episcopus domno imperatori corporaliter intimavit, ipseque nacta oportunitate castrum Horneburch, quod idem dux everterat, reedificare cepit. Et licet ad obsequium sancte crucis iam fuisset accinctus, ipsum eodem anno muro et vallo peroptimo decenter munivit, prudentis principis ac fidelis in hoc patenter iudicium ostendendo, quod licet in articulo peregrinationis sue iam esset, ipse tamen suis non est veritus examinare se, ut in ea parte contra insultus hostium ecclesie sue presidium poneret et munimen. In eodem quoque castro capellam beate Marie Magdalene satis honestam[h] construxit, eamque sollempnitate celebri dedicavit. Et quia beate Marie Magdalene patrocinia speciali semper affectione studuit venerari, ipsius festivitatem in civitate Halberstat ob sui memoriam in perpetuum fecit celebrem et sollempnem. Nam ut conventuales ecclesie in hoc festo ad vesperas et ad missam conveniant in maiori ecclesia, et ad honorem beate Marie Magdalene veneratione debita sollempnizent, et ob hoc ab ipso instituta eis consolatio tribuatur, idem episcopus sagaciter ordinavit.

---

[a] *deest* 1. [b] dare 1. [c] soll. semper et immensam daret operam 3; soll. semper et immensam dare 2. [d] suam 1. [e] 1197. *leg.* 1. [f] invitatem 1. [g] *rubr. in* 1: Expeditio tempore Hinrici regis ad terram sanctam [h] satis hōē *litterae in loco raso* 1.

[44] De toto hoc loco et de confusione a Nostro commissa v. Toeche, Heinrich VI. p. 555.

[45] Quem adhuc superstitem esse testis est Schatz.

[46] Ian. 8. a. 1198. incidit in annum ordinationis Gardolfi 4, seu fortasse 5.

[47] A. 1195. aestate a Celestino missus est.

[48] apud Gelnhausen mense Octobri exeunte a. 1195. celebrata.

[49] Aug. 6.

Rebus igitur ecclesie sue ac negotiis tam in interioribus quam in exterioribus paterna sollicitudine circumspectis, ac omnibus ordinate et bene per omnia dispositis, anno 1197. Domini 1196, ordinationis sue anno 3.[50], ad obsequium sancte crucis iter peregrinationis arripuit, et veniens Barum, Apulie civitatem, consanguineum suum, domnum Conradum Hildensemensem[a] episcopum, imperialis aule cancellarium, qui ex parte imperatoris Henrici regnum Apulie procuravit, ibidem invenit. Qui cum ipsum cum multe affectuositatis honorificentia suscepisset, eique multiplicem exhibuisset gloriam et honorem, sibi inter cetera sui misterium consilii patefecit, quod videlicet monasterium sancti Nycolai, in quo et de membris ipsius oleum salutare desudat, votivum haberet desiderium dedicandi. Anno 1197. Iun. 22. igitur Domini 1196.[51] iam dictus cancellarius basilicam sancti Nycolai tam affectuose quam sollempniter dedicavit, cooperante et conbenedicente domno Gardolfo episcopo in omnibus fideliter ac devote. Aderant quoque archiepiscopi et episcopi numero 30, abbatum aliorumque prelatorum et venerabilium clericorum et plebis utriusque sexus, ex omni natione que sub celo est, numerus copiosus, huius dedicationis sollempnitatem tam affectuosam[b] quam dignam veneratione, ea qua decuit reverentia celebrantes. Sed domnus cancellarius omnibus qui aderant uberrime ministrans expensas, prelatis omnibus specialiter largitatis[c] sue munera liberaliter erogavit. Post hec vero domnus Gardolfus, preparatis sibi necessariis, cum aliis peregrinis qui advenerant transfretavit. Cancellarius autem eodem voto astrictus ad insulam Cyprum divertit, et regem Cypri Henrico imperatori legium hominium facientem ex parte ipsius honorifice coronavit, ut et ipse et successores sui in fidelitate Romanorum imperatorum iugiter perseverent. Sed et domnus Conradus Moguntinus archiepiscopus domnum Leonem regem Armenie ex parte imperatoris Henrici sorte consimili coronavit. Peregrinis autem in partibus transmarinis existentibus, domnus Henricus comes Campanie, qui et regnum Iherosolimorum tenebat, in palatio suo appodians ad cancellos, casu corruit et fractis cervicibus exspiravit. Principes igitur de consilio cancellarii accersito[d] rege Cypri domno Amaulrico, regnum ipsi Iherosolimorum pariter tradiderunt. Peregrini itaque, Henrico duce Lovanie, quem ducem exercitus constituerant, conducente, Beritum civitatem cum castro, possessoribus ipsorum a Deo[e] fugatis[52], castrum quoque munitissimum Thorun[f][53] nomine dederant obsidioni, sed per aliquot dies Sarracenorum exercitu copioso a Babilonia veniente, hanc obsidionem solvere sunt coacti. Ipsis igitur apud Acon existentibus, domnus Henricus, huius vocabuli[g] sextus imperator, 1197. Sept. 28. universe carnis viam est ingressus, anno incarnationis Domini 1196, imperii sui 7. anno. Fama igitur mortis eius intellecta, principes in transmarinis partibus existentes[h] filium eiusdem imperatoris, quem vivente patre elegerant in imperatorem, secundo elegerunt, fidelitatem ei iuratoriam facientes; sed pro morte imperatoris mente non modicum consternati[i] ad repatriandum unanimiter festinabant. Transfretantes igitur et quidam Apulie partibus applicantes, ab incolis regionis eiusdem crudelitatem inmanissimam sunt perpessi. Nam Apuli a Theutonicorum iugo, quo graviter pressi fuerant, oportunitate nunc habita se excucientes, in Theutonicorum gentem quamcumque deprehendissent passas iniurias crudelissime refuderunt. Verum Gardolfus episcopus adhibitis sibi sociis suis navem conscendens, post aliquot dies letos tempestate valida est correptus. Malo igitur navis in partes confracto, navique nutante et titubante, cum tandem post multa horrenda et seva pericula disponente Domino ad partes Grecie fuisset appulsa, plerique qui in ipsa erant ad terram descendentes, ulterius maris et fluctuum periculis se conmittere formidantes, consilium habuerunt, ut per Greciam iter facerent revertendi. Qui a Grecis spoliati multisque nephariis iniuriis tribulati, post inestimabiles miserias et erumpnas, detestanda tamen huius vie dispendia evaserunt. Sed domnus Gardolfus episcopus saniori usus consilio, Grecorum fidei nullatenus se conmittens, cum sociis suis navem que casu advenerat ascendens, meliori auspitio, aura secunda ad partes Histrie est advectus, indeque per

---

a) ħildēseñ 1. b) affectuose 1. 2. c) largiatis 1. d) accercito 1. e) adeo 1. f) thorī 1; Thorat 2. 3. g) vocabulo *prius, rad. corr.* 1. h) existentibus 1. 2. i) conservati 1.

[50] Gardolfum demum post Apr. 26. a. 1197. iter arripuisse, v. Toeche 460 not. 8. [51] Hanc dedicationem a. 1197. Iun. 22. factam esse, v. Toeche 461 not. 1. [52] Cf. Arnold. Lubec. V, 27. [53] Toron; cf. Arnold. Lubec. V, 28 not. 5.

terram nobilis viri Meyneri comitis de Gorze[a], ipso conducente sibique liberaliter mini- 1198. strante, perductus, tandem cum omnibus suis ducente Domino sanus et incolumis suis est finibus restitutus, et ab ecclesia sua cum multa iocunditate et exultatione debita, sollempnitate receptus[54].

Sed tantos hos labores gratulans se vicisse, devitata Cilla incidit in Caribdim. Nam magnis periculis sue peregrinationis evasis, domum rediens maioribus est perplexus. Defuncto siquidem imperatore Henrico, in electione imperatoris pernitiosa dissensio inter principes est exorta. Cum enim electores Saxonie principes, ad eligendum imperatorem universos imperii principes crebrius invitarent, quidam principes avaricie dediti huic sacre electioni exsecrabiles interponere non sunt veriti condiciones. Alii vero, ut tyrannidi sue inpune liberius possent vacare, hanc electionem conati sunt impedire. [b]Verum principes Saxonie non ferentes imperium sine rectore sub tante more periculo vacillare, quibusdam aliarum provinciarum principibus convocatis, in nomine Domini congregati in villa Arnestede Moguntine dyocesis, sancti Spiritus auxilio invocato, domnum Philippum ducem Swevie, filium et fratrem divorum imperatorum Frederici et Henrici, imperatorem unanimiter elegerunt, anno videlicet Domini 1197, indictione . . .[c], anno ordinationis Gardolfi 1198. Mart. 7. episcopi 4. Hac igitur electione celebrata, Moguntiam est adductus populoque ostensus, sicut moris est facere de electis, et pari voto omnium et consensu, acclamatione quoque unanimi et applausu in regem est collaudatus. Sed quia domnus Conradus[d] archiepiscopus Moguntinus nondum redierat de partibus transmarinis, de consilio principum Tarantasiensis[e][55] archiepiscopus ipsum in regem consecravit et insigniis imperialibus, que penes ipsum erant, pariter insignivit. Adolfus vero Coloniensis archiepiscopus et quidam principes Reni, sicut dissensionis et discordie desiderium in corde gestaverant, rem in actu proferre festinantes, Ottonem comitem Pictavie, filium Henrici quondam ducis, accersitum in regem eligunt, estimantes maius flagicium nequivisse se Saxonibus erogare, quam talem eis apponere, qui odium inter ipsos et patrem eius habitum contra eos iugiter debeat irritare. Ipse autem avunculo suo, Anglicorum regi, pro pecunia comicia sua data, electoribus suis quod sitiverant erogavit. Qui, capta Aquisgrani civitate, eundem electum intronizatum in sede regia collocantes, diademate regio coronabant. Huius itaque scismatis procelloso turbine imperium undique perturbante, domnus Gardolfus[f] episcopus ad suam ecclesiam rediens, ipsam invenit precipue hac calamitate[f*] perplexam. Nam in terminis adversarum parcium constituta, pares utriusque ferebat insultus, nec etiam partes altrinsecus se sine dampno sue ecclesie contingere potuerunt. Ipse quoque episcopus ab utraque parte sollicitabatur frequenter, ut ad alterutram declinaret. Sed ab uno latere gravissimum sibi videns periculum inminere, si ipse ad alteram partem declinaret, quia ipse robur virium non habuit eorumdem impetum propulsare, efficiente tamen suo ingenio, quod utique in exiguo corpore suo eximium erat, multo tempore in medio duorum ignium constitutus, non est per Dei gratiam estuatus.

Invalescente tandem parte regis Philippi, anno Domini 1198.[g], indictione . . .[h], regni 1199. sui anno 3.[i], ordinationis domni Gardolfi episcopi anno 6.[56] idem rex in Magdeburch sollempnem curiam celebravit[k]. Cum autem ad hanc curiam multi principes convenissent, et domnus Gardolfus[l] episcopus, ut ad partem suam cederet, ab omnibus crebrius urgeretur, inductu tandem domni Conradi[m] sui consanguinei, imperialis aule cancellarii, ad regem Philippum venit, eique se suis obsequiis mancipavit. Rex autem festum nativi- Dec. 25. tatis Domini Magdeburch[n] cum ingenti magnificentia celebravit, ipseque die sancto regalibus indumentis, imperiali dyademate insignitus, sollempniter incedebat[o]; sed et coniux sua Erina augusta regio cultu excellentissime simul ornata, venerabili domna Agnete Quidelingheburgensi abbatissa et domna Iuditta, Bernardi[p] ducis Saxonie uxore, aliarumque illustrium feminarum stipante caterva, regem fuit tam decentissime quam venustissime

---

a) Gozze 1; Sazze 2. 3. b) *rubr. in* 1: Electi sunt duo reges Philippus et Otto. c) *lacuna pro numero relicta in* 1. 2; indictione *deest* 3. d) .C. 1. e) Karatarieñ 1; Carathariensis 2; Tarantiniensis 3. f) .G. 1. f*) calampnitate 1. g) 1199. *leg.* 3. h) *lacuna in* 1. 2; *deest* 3. i) 4. *leg.* 3. k) *rubr. in* 1: Rex Philippus celebrat curiam in Magd'. l) .G. 1. m) .C. 1. n) Mag̃ 1. o) *in loco raso* 1. p) .B. 1.

[54] Reversus est secundum Chron. Sampetr. Erfurt. p. 46. circa Iul. 25. a. 1198. [55] Aimo. [56] Annus 6. ordinationis Gardolfi nativitatem Domini a. 1199. indicat; Noster igitur a. 1200. et annum regui 2. ponere debuisset.

prosecuta. Episcopi quoque qui aderant, pontificalibus indumentis ornati, regem et reginam ex utroque latere tam reverenter quam honorabiliter conduxerunt. Bernardus[a] autem dux Saxonie, qui et ensem regium preferebat, ceterique principes assistentes, viri quoque nobiles, comites et barones, omnisque generis plebs, collecta in obsequio regis et tante sollempnitatis offitio[b], sedulitate ferventes erant; omnesque qui aderant, quorum inconprehensibilis exstitit numerus, corde gaudentes, animis exultantes, manibus applaudentes, vocibus perstrepentes, opere vigilantes huic sollempnitati uniformiter arriserunt, ipsam per omnia debite devotionis tripudio peragentes. Domnus autem Conradus[c], imperialis aule cancellarius, sagaciter cuncta disposuit et prudenter, et ut ordinate fierent omnia fideliter procuravit.

1200. Anno autem Domini 1199, indictione . .[d], regni vero regis Philippi 4, ordinationis domni Gardolfi[e] episcopi anno 6.[56], idem rex, communicato cum principibus Saxonie consilio, cum multa milicia civitatem Bruneswic dedit obsidioni[f]. In qua dum per aliquantum temporis perstitisset, milites orientis, ollis carnium iam exhaustis, asspirantes ad balnea[57] et medones, domum redire celerius festinabant, unde rex obsidionem civitatis solvere cogebatur. Illos autem taliter discedentes[g] tam horrida involvit tempestas, quod ipsi, omnibus suis in via relictis, vix incommoda tanti discriminis evaserunt, equos autem, arma, vestes quoque, victualia et utensilia queque cum varia supellectile quam reliquerant quilibet adveniens pro voluntate sua accepit. Tam inordinate autem soluta fuit hec expeditio et confuse, quod nec treugis etiam institutis, parti adverse tam exasperate occasionem dederant et nocendi reliquerant facultatem.

Processu vero temporis cum pars domni regis Philippi cresceret et cottidie fortior esset, domnus Innocencius papa regem Ottonem dilexit, Philippum autem odio habere cepit. Ad ipsius itaque reprobationem et alterius institutionem promovendam domnum Guidonem[e] cardinalem, Prenestinum episcopum, ad partes Theutonie destinavit. Cuius legatione intellecta, domnus Gardolfus episcopus non modicum consternatus est mente, et licet principibus qui regi Ottoni specialiter adheserunt acceptissimus fuit et plurimum ab eis dilectus, consolatorias sepius accepit litteras ab eisdem, ipse tamen inconsolabiliter doluit. Presaga enim meditatione ante oculos sibi proposuit, quantum domnus papa ecclesiarum principes ad serviendum regi Ottoni per districtionem ecclesiasticam debeat coartare, et quod sententia eius neglecta, rigor ecclesiasticus, in quo omnis salus ecclesie pendet et honor, penitus debeat enervari, unde ecclesia irrecuperabile incursura sit dispendium et iacturam; et ut ipse mala ista vitare posset, fixum in corde suo habuit ad curiam Romanam personaliter accedere, et apostolico patrocinio, si fieri posset, hanc calamitatem ab ecclesia sua avertere, vel potius sponte ab episcopali cedere dignitate. Hiis itaque meditatis, ad prenominatum apostolice sedis legatum honestos suos nuntios misit, et statum suum et ecclesie sue ei insinuans, suam eciam aperuit voluntatem. Qui prudentia eius intellecta, ab eis etiam qui circa ipsum erant de fama virtutis et probitatis eius plenius expeditus, legationem eius gratulanter accepit, et se specialiter ipsum velle diligere et ad eius et ecclesie sue conmodum et honorem efficaciter intendere, clementer pollicitus est et benigne. Dum igitur super ecclesiarum periculis domnus Gardolfus[e] episcopus cura pervigil ureretur, ad locum qui Kaldenborne dicitur divertit, et ibi febri correptus et paucis diebus egrotans non
1201. solum suis et ecclesie sue, sed et toti patrie merito deflendus ab hoc seculo nequam vocante Domino est ereptus.

[h]O vere felicem presulem, qui sicut inceperat, si[i] in diebus suis inter regnum et sacerdocium concordia perstitisset, Halberstadensem undique ecclesiam ad felicitatis statum opitulante Domino reduxisset. Quantum enim ipse ad reformationem sue ecclesie totis visceribus anhelarit in redimendis sue ecclesie redditibus ab antecessoribus suis obligatis, in comparandis prediis et patrimoniis[k], in decimis et advocaciis et aliis ecclesiarum iurisditionibus a tyrannide laicorum liberandis et eripiendis, quantum brevitas temporis admisit sincerius patefecit. Ipse quoque ingenua liberalitate ac eximia largitate, morum quoque curialitate

---

a) .B^{s}. 1. b) offitia 1. 2. c) .C. 1. d) *lacuna in* 1. 2; *deest* 3. e) .G. 1. f) *rubr. in* 1: Rex Philippus obsidet Bruneswic. g) dissedentes 1. h) *rubr. in* 1: Planctus pro morte Gardolfi episcopi. i) *deest* 1. 2. k) pcimoniis 1.

56) Anno 1200. mense Augusto, anno regni Philippi 3, ordinationis Gardolfi 7. Bruneswich obsidetur.
57) Balneum est genus potus minime delicatum.

et tocius probitatis elegantia redimitus[a], adeo omnium in se provocarat affectus, quod nisi occulto suo Deus iudicio ecclesiam Halberstadensem pocius vellet esse[b] humilem quam sublimem, eam per ipsum de facili ad statum pristinum reformasset. Miserabilis ac metuenda Halberstadensis ecclesie conditio, que[c] cum inter omnes Saxonie civitates rerum opulentia et specialis prerogativa dignitatis prima et precipua primitus habebatur, peccatis exigentibus omnium fere facta humilior, cum tandem miserante Domino in novissimis temporibus ydoneum consecuta fuisset pastorem, qui in eius reformatione sperabatur habere industriam ac virtutem, sicut Domino placuit de medio est sublatus: fortassis in hoc ostendens Dominus, quod Halberstadensis ecclesia non temporalem prosperitatem de cetero, sed eternum sperare debeat incrementum. Mortuus est autem venerabilis antistes anno incarnationis Domini 1201, indictione . .[d], anno ordinationis sue 8, 12. Kal. Septembris. 1201. Aug. 21. Nobile autem cor eius cum intestinis sepultum est in ecclesia beati Iohannis in Caldenborn[e] ante altare beati Stephani, et merito ad fontem vivum, nam toto corde sitivit Gardolfus: gelidus fons eius cor sepelivit. Venerabilis autem domnus Conradus Halberstadensis ecclesie maior prepositus, consanguineus eiusdem antistitis, multa humanitatis obsequia in exequiis eius clementer ei exhibuit ac devote. Qui et cum multa reverentia et honore quo decuit ipsum ad Halberstadensem deduci fecit ecclesiam. Prosecuti sunt ante funus eius tam clerici quam layci, mutuis fletibus tam inopinum tam pii presulis obitum lamentantes. In via quoque qua ducebatur hominum multitudo, senes quoque ac decrepiti, mulieres ac parvuli ad funeris exequias accurrentes, inaudito singultuum eiulatu proclamabant, se non dominum, sed patrie patrem ac pacis principem miserabiliter amisisse. Quantis autem lacrimis, quantoque introrsus dolore a clero et a populo Halberstadensi sit susceptus, explicare non valens, pallio caput cooperio, more pictoris qui patrisfamilias pro morte filii dolentis inexplicabilem tristiciam non valens exprimere, caput eius involutum pallio depinxit[58]. Vasalli autem ecclesie, ingenui quoque milites ac ministeriales, tam pauperes quam divites, altrinsecus eiulantes, quanta affectuositate ipse eos pertractasset, quantaque liberalitatis donativa[f] eis semper largitus fuisset, flebilibus vocibus cumulabant. Denique ut paucis multa concludam, quanto plus sunt inquisita eius merita et investigata, tanto amplius habundasse sunt inventa. Corpus autem eius ante altare sancte crucis in ecclesia beati Stephani honore congruo est sepultum.

Anno[g] igitur Domini 1201, indictione . .[d] tam pio presule a medio sublato, domnus Ludolfus Magdeburgensis archiepiscopus, qui de more[59] exequiis suis interfuerat, ad alterius provisoris substitutionem continuo maturandam propter malum terre statum crebrius fratres hortabatur. Ad electionem igitur consedentes, invocata Spiritus sancti gratia, vota sua in venerabilem domnum Conradum, maiorem prepositum, coniecerunt et consensu unanimi totius cleri et populi acclamatione in patrem eum ac episcopum concorditer elegerunt. Ipse vero licet multum renisus fuerit, victus tamen prece omnium, et ad multam exhortationis instanciam domni Ludolfi Magdeburgensis archiepiscopi reverenter hoc onus accepit. Gratulabatur igitur omnis populus, quod cum Halberstadensis ecclesia post occasum pie memorie Gardolfi[h] episcopi passa esset eclipsim miserandam, iubare novi syderis hanc eandem ecclesiam dignatus est Dominus misericorditer illustrare. Hic itaque ex illustri prosapia oriundus[60], studiis liberalibus a primevis annis pulchre imbutus, sapientie quoque et facundie gratia perfusus, morum etiam aliarumque virtutum adeo honestatus tytulis, quod ipse Philippo regi in mirum dilectus, — in cuius etiam curia celebre fuit nomen eius, — terre quoque magnatibus gratissimus exstitit et acceptus. Ad ipsum igitur regem Hallis[i] existentem accedens continuo, et cum multa benignitate receptus, ab eo regalia accepit. Deinde a domno Ludolfo[k] Magdeburgensi archiepiscopo ad ordinem sacerdocii est promotus. Et quoniam in Moguntina ecclesia, Lupoldo[l] Wormaciensi episcopo et domno Sifrido simul electis, scisma erat, ipse, auctoritate accepta a capitulo Moguntino, a domno Eicstadense[m] episcopo[61], conbenedicentibus Brandeburgensi[62]

---

[a] redimitur 1. 2. [b] ēēt *prius, rad. corr.* 1. [c] qui 1. [d] *lacuna in* 1. 2; *deest* 3. [e] caldeñ 1. [f] donatā 1. [g] *rubr. in* 1: Anni Conradi, XXI. episcopi, qui sedit annis septem. [h] .G. 1. [i] Halis 2. 3. [k] .L. 1. [l] .L. 1; Lucio 2. 3. [m] Eixstadense 1.

[58] De hoc loco notabili cf. praefationem nostram not. 2. [59] Cf. supra pag. 110. [60] filius scilicet nobilis viri Dedonis de Krosigk, cuius frater fuit Theodericus episcopus. [61] Hartwico. [62] Norberto.

1202. Ian. 1. et Havelbergensi[63] episcopis, benedictionem episcopalem suscepit Kal. Ianuar. Pontificalibus igitur infulis decoratus, sicut ipse domno Gardolfo[a] successit in honore ita in onere, variis ac diversis undique, tam in interioribus quam in exterioribus, calumpniis et adversitatibus emergentibus contra ipsum. Nam quidam vasalli ecclesie cum iniquitatis sue conplicibus pro impietatis sue arbitrio terram suam incendiis et rapinis hostiliter invaserunt. Ad quorum temeritatem reprimendam licet ipsum aliquot redditus suos oportuerit obligare, strennue tamen ac viriliter resistendo, castrum in Swanebeke[64] violenter cepit et funditus evertit, eosdemque adversarios suos usque ad congruam conpulit emendationem. Preterea Prenestinus episcopus, apostolice sedis legatus, litteras suas illi[b] direxit, evocans eum Coloniam[c] infra 7 dies, mandatum ibi apostolicum suscepturum. Qui difficultatem vie et periculum propter adversarios regis Philippi et angustiam termini prefiniti iuste pretendens, presenciam apostolicam appellavit. Ipse vero legatus in eum nichilominus et in omnes regis Philippi fautores sententiam protulit excommunicationis. Domnus itaque Conradus[d] episcopus sibi videns honoris sui ac ecclesie sue periculum imminere, sacius[e] iudicavit incidere in manus Dei quam in manus hominum, ac in die
Apr. 7. palmarum debitam in Quidelingheburch sollempnitatem agens, infra sermonem ad populum ad obsequium Ihesu Christi et succursum terre sancte crucis signaculo se signavit, ingens omnium qui aderant gaudium in tristiciam inopinam subito convertendo. Ei vero propter expeditionem quam moverat exinanito nimirum in rebus, ad peregrinationis sue subsidium divina bonitas mirabiliter procuravit expensas. Nam domnus Albertus ecclesie Magdeburgensis decanus quingentas et quinquaginta marcas argenti ei liberaliter erogavit. Ipse igitur episcopus pro temporis qualitate rebus ecclesie sue prudenter dispositis, in eisdem
Mai. 1. Kal. Maii iter peregrinationis arripuit, anno incarnationis Christi 1202.[f], ordinationis sue anno 1. Qui cum per Boemiam iter dirigeret, inclitus domnus Odoacer Boemorum rex et frater eius marchio Moravie[65] honorifice eum recipientes, necessariis ei uberrime ministrantes, per terram suam conduci fecerunt. Terra quoque illustrium principum, ducis Austrie[66], deinde Salzeborgensis episcopi[67], post hec Aquileiensis patriarche[68] pertransiens, aliquanta etiam apud eos mora facta, in omnibus benignissime pertractatus, ab ipsis tandem
Aug. 13. ducente Domino Idus Aug. Venecias pervenit. Tantam autem gratiam et favorem in oculis Venetorum invenit, quod ipsi eum tanquam de suo populo reputantes, sue gentis patrem eum ac suum principem conputabant.

Post discessum autem eiusdem quidam ministeriales ecclesie sue dum inter se dissentirent, pars una, regis Ottonis auxilio invocato, partem alteram de castro Gatersleve eiecit. Sed principes et barones terre idem castrum obsidentes et viriliter inpugnantes, ad deditionem tandem conpulerunt. Quidam etiam milites dum castrum regium Lewenberch[69] lantgravio Thuringhie[70] tradidissent, in manu valida de eius tandem manibus est ereptum. Preterea rex Otto propter favorem apostolicum fortior factus, Boemis et barbaris nationibus sibi in adiutorium advocatis, terram undique est depopulatus. Cui rex Philippus validius tandem restitit, et precipue domni Ludolfi[g] Magdeburgensis archiepiscopi alio-
1203. aestate. rumque sibi faventium principum adiutorio Boemos in fugam convertit, quibus more suo pro preda discurrentibus, infiniti gladio sunt perempti. Halberstadensis quoque ecclesia a Prenestino apostolice sedis legato et a Sifrido Moguntino archiepiscopo non modicam passa est persecutionis instantiam, ut ipsa a suo episcopo recederet aliumque, qui regi Ottoni serviret, eidem supponeret. Quibus ecclesia tam fideliter quam viriliter resistendo, omnes machinationes et conatus eorum adiuvante Domino dissipavit. In hac autem tempestate venerabilis domni Geroldi beate Marie prepositi fides sincerius enituit: qui et hostes crebrius propulsando ac ministeriales ecclesie manu tenendo et propencius exhortando variisque munificenciis consolando, constanter in fidelitate sua perseverare fecit[h]. Eius eciam adiutorio et instinctu cives Halberstadenses civitatem suam decenter et vallo et propugnaculis munierunt. A qua[i] et hostes viriliter infestantes, triumphum de eis quam

---

a) .G. 1. b) ibi 1. 2. c) coloñ 1. d) .C. 1. e) *leg. fortasse* sanius. f) 1201. 1—3. g) .L. 1. h) *in loco raso* 1. i) quibus 2. 3.

63) Helmberto. 64) Schwanebeck oppidum ab Halberstadt ad septentriones. 65) Wladislaus Heinricus. 66) Liutpoldi VII. 67) Eberhardi II. 68) Peregrini II. 69) Lauenburg in saltu Hartico prope Steklenburg olim situm. 70) Hermanno.

sepius habuerunt, ex tunc usque[a] in presens eorum insidias[b] et collectiones[c] malignantium satis caute et discursus eorum tam liberos per provinciam reprimentes.

Verum domnus Conradus[d] episcopus dum, ut dictum est, Venecias pervenisset, peregrinorum 1202. ibidem multitudinem repperit copiosam, sed propter quandam quam cum Venetis fecerant coniurationem ipsorum fuit aliquandiu peregrinatio prorogata[e]. Huius igitur peregrinationis originem et processus ordinem scire cupientibus, quantum brevitas huius conpendii admiserit, succincte pandam. Domnus Fulco siquidem sacerdos venerabilis in partibus Gallie verbum predicationis assumens, cruce signatus ad succursum terre sancte multos pariter consignavit. Signati sunt autem ad hoc iter viri nobiles de Francia: domnus Nivelungus Suessionensis et domnus Henricus Trecensis episcopi, comes quoque Theobaldus de Campania et comes Lodewicus cum fratre suo, Blesenses, comes etiam Baldwinus et Henricus frater eius de Flandria, comes quoque de Sancto Paulo, et comes de Percis[f], ceterique nobiles multi et populus infinitus. Habito itaque consilio nuntios suos cum domno Bonifacio Montisferrati marchione, qui pariter cruce signatus erat, Venecias direxerunt. Qui talem pactionem cum Venetis inierunt, ut ipsi peregrinis omnibus navigium providerent et per anni circulum cum triginta milibus armatorum exercitui subservirent, eisque pro tali obsequio centum milia marcas promittentes, per obsides et per iuratoriam cautionem securitatem fecerunt. Cum igitur Veneti cum magnis sumptibus et expensis ad hoc ministerium se magnifice preparassent, domnus Fulco et comes Campanie comesque de Percis[f], qui huius expeditionis precipui cooperatores fuerant, sunt defuncti. Ad diem itaque diffinitum cum peregrini omnes Venecias convenissent, estimatis omnibus bonis suis in argento facto et infecto, equis cunctaque supellectile sua, de pecunia Venetis danda nec etiam medietatem persolvere potuerunt. Unde in insula beati Nycolai Veneti eos detinent tanquam captivos nec redire sinunt, donec solvant debitum universum. Post multam igitur utriusque partis animadversionem tandem tale consilium habuerunt, quod Veneti sicut pepigerunt cum peregrinis vadant, et peregrini Venetos ad vindicandas[g] suas iniurias adiuvent, et quidquid lucrari possint inter eos eque distributum, de peregrinorum portione residuum pacte pecunie Venetis persolvatur. Verum domnus Conradus[d] episcopus cum fuisset ab hiis conditionibus alienus, domni Petri Capuani, apostolice sedis legati, quid ei foret in tali articulo faciendum, consilium requisivit. Qui respondit, plane domnum papam quodlibet inconveniens eorum dissimulare velle potius, quam peregrinationis huius expeditio solveretur, eique finale dedit consilium, ne ipse aliquo modo ab exercitu recederet, sed super insolenciis eorumdem hoc quod facere posset toleret[h]. Ipse igitur sicut etiam quatuor abbates Cisterciensis ordinis, quos papa specialiter destinavit, ut ipsi cruce signatis verbo et exemplo preessent, exercitui se adiunxit. Anno itaque incarnationis Christi 1202.[i], Kalendis Octobris omnis exercitus conscensis[k] navibus navigandi iter arripientes, Oct. 1. aura secunda in vigilia beati Martini portum civitatis Iadhere[71] contigerunt. Nov. 10. Est autem Iadhera, civitas opulentissima, Dalmacie atque Croacie metropolis, in mari sita, muro peroptimo atque turribus preexcelsis eleganter munita, que quondam a Venetis subiugata, a iugo ipsorum tandem se excuciens, sub regis Hungarie se transtulerat iurisditionem. Quod Veneti egre ferentes, nunc demum nacta oportunitate, peregrinorum adiutorio eam undique et per terram et per mare vallantes, ad deditionem coegerunt; licet quedam littere apostolice ibidem apparuerint, que sub excommunicationis interminatione id fieri vetuissent[l]. In die itaque beati Crisogoni, cuius corpus in eadem civitate requievit, Nov. 24. ab exercitu eadem civitas occupata fuit, et rapina inter se distributa, et per medium civitate divisa in duas partes, peregrini in una, Veneti in altera se hospitio receperunt. Quidam autem abbatum qui aderant recedendum esse a Venetis propter hoc factum publice proclamabant, et quam plures peregrinorum secum trahentes versus Hungariam discesserunt. Qui a rege Hungarie[72] bene recepti et benigne tractati, ipso procurante transfretantes, peregrinationis sue vota feliciter expleverunt. Peregrini vero apud Iadharam existentes nuntios suos Romam miserunt, qui domno pape necessitatem, qua cum Venetis perplexi erant, pretenderent atque eos super facto Iadhare excusarent. Quos papa remisit ad

---

a) iisque 3. b) insidiis 2. c) collectionis 2. d) .C. 1. e) *rubr. in* 1: Peregrinatio in Greciam. f) Parcis 2. 3. g) vindicantes 1. h) doleret 1; tolleret 2. i) 1201. 1—3. k) consensis 1. l) venussent 1.

71) Zara. 72) Emerico.

exercitum, quem et, prestita cautione quod mandatis pareret apostolicis, ab excommunicatione iussit absolvi; si vero Veneti beneficium parvipenderent absolutionis, nichilominus tamen ipsis communicandum foret, quoniam, peregrinis in navibus Venetorum tanquam in eorum domiciliis habitantibus, sententia excommunicationis in Venetos tanquam in patresfamilias lata in peregrinorum tanquam in ipsorum familiam non transiret.

Per hiemem itaque penes Iadharam conmorantibus peregrinis, serenissimus rex Philippus intelligens eorumdem necessitatem, et a rebus exhaustos esse, et pecunie Venetis persolvende maximam adhuc partem restare, et quod iam evolveretur annus quo eis tenebantur Veneti navigio et exercitu suo servire, prudenter animadvertit, quam plurimum terre sancte consultum esse, si socer eius Ysachius[a] rex Grecorum[73] eorum adiutorio regnum suum, a quo ipse violenter eiectus erat, posset recuperare. Mittens igitur nuntios[b] suos ad exercitum, consilii sui eis aperuit voluntatem: quod si ipsi socerum suum regno restituerent, ipse eis ducenta milia marcarum pollicebatur se daturum et navigium et victualia per annum peregrinis provisurum. Qui propter occasiones iam dictas id videntes exercitui non minimum expedire, tum precibus tum precio inclinati hoc negocium uniformiter assumpserunt, pro adolescente, sororio videlicet regis Philippi, nuntios[b] memoratos 1203. Mart. 15. continuo remittentes. Cum autem Idus Martii[c] tempus navigationis advenisset, peregrinis omnibus de civitate egressis, Veneti eam cum muris et turribus, palaciis quoque et edificiis omnibus funditus everterunt. Peregrinis itaque plerisque precedentibus et apud Corphinum Apr. 25. insulam expectantibus, in die beati Marci iam dictus adolescens veniens Iadharam, a Venetis adhuc ibi existentibus inmense sollempnitatis tripudio est receptus; et in septi- Mai. 25—31. mana pentecostes Corphinum ad exercitum[d] veniens, ab eis etiam alacriter est susceptus. Cum autem apud Corphinum exercitus moram faceret, archiepiscopus civitatis eiusdem quosdam ex prelatis eorum ad prandium invitavit. Qui cum inter se conferendo disputarent et de principatu Romane sedis plurima disceptarent, idem archiepiscopus dixit: nullam aliam causam se scire primatus vel prerogativam sedis Romane, nisi quod Romani milites Christum crucifixissent. Cives vero eiusdem civitatis audientes venisse iuvenem memoratum, regni[e] Grecorum heredem, cum machinis et petrariis peregrinos a portu cedere[f] conpulerunt. Exercitus igitur, eius auctoritate insula penitus devastata, recessit. Pretereuntes autem Ragusium[74] civitatem quandam, reclusus quidam ibidem domno Conrado[g] episcopo est ostensus, qui dictus est fuisse comes Borchardus de Halremont, qui et Constantinopolitane civitatis captionem ac eiusdem subiectionem peregrinorum exercitui prophetavit. Exinde vero Malee vicinam, Duracium et Mutinam[75], insulas quoque maris Paros[h], Staream, Delos[i], Cycladas[k], Andros, Sygeum quoque et promontorium, et per Hellespontum[l], partes Troye, Seston et Abidon aliasque innumeras civitates et insulas 350 derelinquentes, tandem ducente Domino Constantinopolin sunt advecti. Quam prodigiose[m] autem per exercitum tam humilem quam despectum Dominus operatus sit miracula, qualiterque civitate obsessa et capta, adolescens prememoratus una cum patre suo Ysachio in sede regia fuerit restitutus, et ipse ingratus beneficiorum acceptorum exercitui 1204. se opponens, a Grecis fuerit interfectus, qualiterque ultimo civitate capta, Alexius[n] [76] Alexio superpositus[o] fugatus fuerit, et ab Alexio Alexii patruo exoculatus[77], et a Latinis captus et in civitate precipitatus et distractus, et qualiter civitate possessa a Latinis, Baldwinus comes Flandrie imperator in ea fuerit constitutus, idemque a Iohannicio Blacorum rege in bello occisus[78], multaque alia ibidem miraculose peracta, quoniam specialem requirunt tractatum, in hoc conpendio visa sunt non esse interserenda.

Anno autem incarnationis Domini 1204. domno Baldwino comite Flandrie in impera- Aug. 17. torem Grecorum elevato 16. Kal. Septembris[p], domnus Conradus Halberstadensis episcopus peregrinationis sue vota persoluturus a Constantinopoli ad terram sanctam iter arripuit[q] navigandi, et ad Grecie fines declinans, duabus ibi navibus cum victualibus oneratis,

---

a) *sic correxi;* Alexius 1—3; *v. tamen infra.* b) nunctios *semper* 1. c) *sic correxi;* Maii 1—3. d) excercitum 1. e) regem 1. 2. f) ecce *addidit man. saec. XV. ex.* 1. g) .C. 1. h) Paphos 1. i) Delphos 1. k) Cydadas 1. l) Ellespantum 1. m) prodigiosam 1. n) *deest* 2. 3. o) *correxi ex* suppositus 1—3. p) Novembris 2. 3. q) aripuit 1.

73) Isaacus II. Angelus socer erat Philippi regis. Eius filius erat Alexius IV, v. infra. 74) Ordinem itineris confusum esse patet. 75) oppidum veteribus Methone, hodie Modoni in Messenia. 76) Alexius V. Ducas, cognomine Murzuflus. 77) Hoc de caecatione Isaaci II. per fratrem Alexium III. a. 1195. facta intelligendum videtur. 78) a. 1206.

insidiis piratarum cum multo periculo declinatis, Non. Octobr. Domino conducente Tyrum 1204. Oct. 7. pervenit, unde ad cardinales apostolice sedis legatos continuo ad civitatem Acon transivit. Sed ipsi cardinales propter excommunicationem, quam Prenestinus episcopus in eum tulerat, cautionem recipientes ab eo, quod ipse ad domnum papam personaliter accederet, ipsum absolverunt, pape super hoc suas litteras destinantes. Ipsi quoque cardinales in procinctu existentes Constantinopolin proficiscendi, vicem suam eidem episcopo committentes, in terra sancta moram facere rogaverunt. Tyrensis quoque archiepiscopus in Greciam proficiscens, suam ei conmisit ecclesiam procurandam, ipso simul in civitate et suo palacio collocato. Ipse quoque episcopus Sydoniensem electum in sacerdotem ac episcopum consecravit. Ei etiam apud Tyrum existenti quidam philosophus[79] omnes vite sue futurorum eventus patenter insinuavit. Cum autem febre quartana graviter laboraret apud Tortuosam, Mesopotamie civitatem, ecclesiam beate Marie visitans, quam apostoli Petrus et Andreas fabricasse dicuntur, divinitus est curatus. Cum igitur ipse in partibus transmarinis tam laudabiliter quam honorabiliter deguisset, in muris Tyri, qui cum universa civitate ex terre motu corruerant, diligentissime reparandis, in pauperum multitudinem cottidie reficiendo, ecclesias undique et personas ecclesiasticas caritative[a] visitando eisque res suas liberaliter erogando, captivis quoque et peregrinis elemosinas suas misericorditer transmittendo, denique omnibus indigentibus munificencie sue gratiam uberius impendendo, iam pene universis rebus suis expensis, tandem 3. Kal. April. ad 1205. Mart. 30. repatriandum navem conscendit. Porro domnus Amalricus Iherosolimorum rex, milites quoque Templi ac Hospitalis, civesque tam Tyrii quam Aconite[b] cum clero ac populo universo ipsum sunt cum gemitu prosecuti, veraciter asserentes: totam terram suam nimirum ex sui solius absencia desolatam, ex cuius presencia indubitanter asseverabant terre sancte fuisse feliciter benedictum. Ipse itaque episcopus, ipsis multis modis gratiarum actionibus inpensis dataque eis benedictione, prospero vento Cretam pervenit, ibique tempestas valida navem suam invadens, tanta vehemencia versus Barbariam ipsam iactavit, quod ad desperationem omnes ducti erant. Cribrati[c] sunt autem hac tempestate a vigilia cene Apr. 6–10. Domini usque in diem sanctum pasche. Exinde divina clementia eos benignius intuente, aura secunda vecti tandem in vigilia pentecostes ad portum Venecie dante Domino sunt Mai. 28. advecti, ibidem domno Burchardo[d] Halberstadensis ecclesie decano cum quibusdam de familia ecclesie et nuntio domni regis Philippi episcopo venientibus in occursum. Ipse autem episcopus genti Venetorum dilectus non modicum et acceptus, ab ipsis tanquam eorum pater et dominus est receptus. In die quoque pentecostes a duce Venetorum[80], a Mai. 29. clero et a populo universo, pontificalibus indumentis decenter ornatus, usque ad monasterium sancti Marci cum sollempni processione perductus missarum sollempnia ea qua decuit reverencia celebravit. Relicta autem ibi suppellectile sua, continuo Romam ivit. Quem cum domnus papa venisse cognovit[e], de sententia quam Prenestinus episcopus in eum tulerat, licet ipse a cardinalibus in transmarinis partibus apostolica vice fungentibus fuerit absolutus, ipsum tamen ad cautelam denuo fecit absolvi. Cum autem multipliciter papa ipsi instaret, ut eum a fidelitate regis Philippi[f] avelleret et ad regis Ottonis obsequium inclinaret, ipse episcopus pocius notam inobedientie quam reatum periurii se velle incurrere constanter respondit. Scripserant autem pro eo universus exercitus apud Constantinopolin constitutus, Iherosolimorumque rex cum universis ecclesiis terre sancte, personam eius favore apostolico dignam esse merito conmendantes. Tenor autem litterarum peregrinorum exercitus talis erat: *Gratum, ni fallimur, Deo et apostolice sanctitati prestiterunt obsequium, quorum ad hoc efficaciter operosa diligentia vigilavit, ut Grecorum scismate potenter evicto, apostolice ut decet unitati et ecclesiastice paci Grecia redderetur. Et ad hoc quidam venerabilis clerus noster, qui nobiscum est, prudenter ac religiose cum omni instantia laboravit, et sicut est dies hec armis Deo potentibus perseveranter obtinuit, unde digne pro meritis apostolice gratie honorisque perpetui debeat cumulum reportare. Inter venerabiles vero pontifices nostros, quorum in hiis fuit et consilium efficax et cura precipua, domnus Halberstadensis merito laudandus apparuit, qui exercitui nostro verbo et exemplo per cuncta proficuus, apostolice sedis reverenciam quam gerebat in pectore patenter opere demonstravit. Verum quasi ad levioris fame garritum, cui fides omnino adhiberi non debuit, a*

---

[a] caritatē 1. [b] Aconice 1; Aconici 2. 3. [c] cribati 1; crebriti 2. [d] .B. 1. [e] congnovit 1. [f] .ph. 1.

[79] i. e. magus. [80] Heinrico Dandolo.

1205. *quibusdam transitorie sumus edocti, quod eidem foret vestra obscurata*[a] *serenitas, et adversus eum aliqua vestre succrevisset indignatio sanctitati, cuius tamen signum credibile nec audivimus nec vidimus uncquam. Paternitatem igitur vestram pro amore sincero, quem ad pontificem memoratum habemus et habere debemus, propensius obsecramus, quatinus etiam si contra eum sinceritas*[b] *vestra iuste permota est, quod omnino non credimus, tam sue devotionis intuitu quam nostre supplicationis obtentu voluntarie, pleniter ac faciliter remittatis, scientes quod non invenietis in eo rebellionis aut inobedientie quidquam, sed ad primam visionis vestre vocem ad omnem voluntatis apostolice nutum promptus obediet. Signis igitur patentibus, quod sompniavit mendax et garrula fama, diluite et apostolicam gratiam, quam digne pontifex memoratus promeruit, dulcibus litteris exarate et gratiam paternitatis vestre plene eum recuperasse ecclesie sue innotescere faciatis.*

Cardinalibus igitur ceterisque omnibus conpacientibus periculis eius ac laboribus que perpessus erat, causa ipsius nimirum penes domnum papam facta est favorabilis ac benigna. Gratie itaque sue plenissime eum restituit omnesque petitiones suas benigne Iun. 29. recepit. In die quoque apostolorum Petri et Pauli domnus papa manto suo proprio ac infula ipsum ornans infra missarum sollempnia inter cardinales sibi fecit assistere[c]; dataque sibi cunctisque sociis suis benedictione ac pacis osculo ad terram suam letanter remisit. Ipse igitur per Bononiam rediens, quoscumque de sua terra Rome invenerat et qui de scolis repatriare volebant in suis expensis secum reduxit. Appropinquanti autem terre sue illustris domnus Bernardus[d] dux Saxonie et multitudo nobilium militum ac ecclesie sue ministerialium[e] ipsi obviam occurrentes, eum[f] ingenti gaudio receperunt. Cum[g] quibus usque ad civitatem progrediens, thesaurum tam preciosum quam salutiferum, reliquias scilicet sanctorum quas adduxit super feretrum inpositas ac decenter ornatas sibi preferri fecit. Venit igitur universa civitas cleri ac populi, prelatique et totius dyocesis clerici[h] et honesti viri necnon et provinciarum adiacencium populus infinitus, et de civitate obviam isti a longius procedentes, cum tante eum sollempnitatis tripudio receperunt qualis vel quanta a nullo umquam visa erat. Et merito venerandum antistitem qui venerat conclamabant in nomine Domini benedictum. Ipse enim secum sanctorum pignora apportavit, cum quibus indubitanter pax et salus patrie sunt illata. Nam in serenissimo eorumdem sanctorum adventu divina miseratio terram tanta gratia illustravit, quod scisma inter regnum et sacerdocium iam pridem habitum, licet ex mirabili regis Philippi occasu, mirabili tamen iuditio Dei ad unitatem ecclesie est reductum[i]; tocius quoque terre perturbatio, que in tantum invaluerat, ut vix umquam existimaretur sopiri posse, subito contra omnem opinionem hominum fuit ad bonum pacis et concordie conplanata. Penuria eciam temporis, que diu terram afflixerat, in pristine ubertatis statum continuo est mutata. Merito igitur in talium patronorum adventu gaudendum erat, per quos utique fames, pestilentia, mortalitas, sediciones et bella undique opitulante Domino quieverunt. Feliciter itaque domnus episcopus hiis onustus cum ingenti gaudio et exultatione usque ad ecclesiam beati Stephani est perductus, ubi in introitu eius clerici[k] eius laboribus feliciter in Domino consummatis allacriter alludentes, responsorium *Iustum deduxit Dominus* iocundis vocibus cantaverunt. Faciens autem sermonem ad populum, quos, quales et quantos meruissent habere patronos patenter eis ostendit. Hec autem sunt reliquie quas adduxit: sanguis domini nostri Ihesu Christi, de ligno Domini, de sepulchro Domini, de spinea corona Domini, de syndone eiusdem et de sudario, de veste purpurea, de spongia et arundine, de socularibus eiusdem, de capillis beate Marie virginis et de vestimentis eius, de craneo sancti Iohannis baptiste et de capillis eiusdem et vestimentis et digitum unum, tybia[l] sancti Petri et de capillis eius et de vestimentis, caro sancti Pauli apostoli, reliquie Andree, brachium Symonis apostoli, caput totale Iacobi fratris Domini, scapula Philippi apostoli, brachium Barnabe apostoli et omnium apostolorum reliquie; de craneo sancti Stephani prothomartiris cum cubito eius, brachium Clementis pape, reliquie[m] sancti Laurencii, Cosme[n] et Damiani, Iohannis et Pauli, Georgii, Procopii, Theodorii, Demetrii, Abel iusti, Processi et Martiniani, Pantaleonis, Hermolai, Hermagore, digitus sancti Nicolai, reliquie Iohannis Crisostomi, Iohannis eleymosinarii[o], Gregorii Nazianzeni[p], Basilii, de craneo Marie Magdalene, manus et brachium Euphemie virginis, Lucie, Margarete, Katherine, Barbare et multe alie reliquie 1205. sanctorum martirum, confessorum atque virginum, quas enumerare longum esset. Hunc autem adventus reliquiarum diem domnus episcopus statuit per dyocesin universam, videlicet 16. Kal. Septembris, annua revolutione esse celebrem ac sollempnem. Et ut conven- Aug 17. tuales ecclesie ad maiorem ecclesiam hac in die faciant stacionem, consolacionem eis honorificam ordinavit. Altare quoque novum in monasterio in honore memoratorum sanctorum erexit, dedicavit et dotavit, ut sanctis fiat eisdem iuge obsequium super illud.

---

[a] v̓a obscura 1; vera et obscura 2. [b] severitas 3. [c] *in marg. add.* 1. [d] .B. 1. 2. [e] m̄istralū 1. [f] cum 1—3. [g] *rubr. in* 1: Adventus reliquiarum de Grecia. [h] cleri 1. 2; *deest* 3. [i] reductus 1. [k] cleri 1. 2. [l] tybiam 1—3. [m] reliquias 1—3. [n] Come 1. [o] eleymō 1. [p] Nazauzeni 1.

Mortuus est autem eadem die domnus Ludolfus Magdeburgensis archiepiscopus. Ad cuius exequias domnus Conradus[a] episcopus est vocatus, qui et ipsum de more sepelivit. Cum itaque ipse capitulum Magdeburgensis ecclesie hortaretur ad alterius substitutionem, nec ipsi aliquatenus in electione potuerint[b] concordare, domno Conrado[a] episcopo tres adhibuerunt personas, auctoritatem eis dantes, ut quem vellent episcopum eis darent. Qui domnum Albertum maiorem prepositum ydoneum iudicantes, in archiepiscopum eligi preceperunt.

Ipse autem Conradus[a] ornatum quem de Grecia attulerat in auro et argento et lapidibus preciosis et purpuris ecclesie beati Stephani contulit, et suppremum altare nobilissima purpura opere consutili auro intexta ac duobus vexillis nobilibus, sanctuarium quoque in circuitu et chorum undique eleganter palliis sericis decoravit. Ipse etiam sicut erat religionis amator et indefessus divini officii exsecutor, hospitale beati Iacobi ab ecclesia beate Marie in civitate congrua liberatione exemit, in quo monasterium sanctimonialium Cisterciensis ordinis ordinavit. Et quia domum, que beati Borchardi dicitur, domui milicie Templi contulerat, aliquando cum eisdem facta conmutatione, collegium iam plantate ecclesie sanctimonialium transtulit ad iam dictam sancti Borchardi ecclesiam, sororibus inibi Domino famulantibus pro posse suo necessaria subministrans[81]. Idem etiam episcopus hoc promovit ac fideliter est cooperatus, quod ecclesia beati Stephani, que deformis, rudis ac despecta erat, et ampliata et testudine decentissima est ornata. Cum autem ipse ecclesie sue tam in interioribus quam exterioribus paterna sollicitudine provideret, castrum etiam in Oschersleve, quod domnus Ludolfus[c] Magdeborgensis[d] archiepiscopus pro insolenciis unius ministerialis Halberstadensis ecclesie occuparat, idem episcopus recuperavit, et ab eodem ministeriale emptum ecclesie sue dedit libere possidendum. Castrum etiam Eylesleve[e. 82], quod in comicia de Somerschenborch sibi vacante[83] in suum preiudicium fuit exstructum[f], valida manu obsedit, captumque destruxit. Cum etiam validas a parte regis Ottonis pateretur persecutiones assidue et pressuras, strenue ei resistit eiusque violenciam viriliter propulsavit. Cum igitur ipse contemplationi vacaret totusque misericordie operibus redundaret, nec volens nec valens tantam[g] tumultuationem ac strepitus seculi sustinere, nuntios suos ad domnum papam misit, apostolicam postulans dispensationem, ut post sudorem vite active sibi foret licitum ad contemplative vite dulcedinem convolare. Votivum namque habuit desiderium ab episcopali dignitate descendere et sub habitu religionis et discipline Cisterciensis ordinis Domino famulari. Verum domnus papa nullatenus eius petitionem admisit, sed tandem domno Hugelino[h] Ostiensi 1207. episcopo et domno Leoni[84], apostolice sedis legatis, conmisit, ut ipsi ad Halberstadensem ecclesiam accederent, et si viderent, eiusdem episcopi cessionem sue ecclesie expedire, super petitione sua quod voluit dispensarent. Qui Halberstat[i] venientes, personam suam ecclesie tam congruam et ydoneam quam providam et honestam diligenter investigantes, licet ipse cum multis lacrimis eorumdem pedibus provolutus a provisione Halberstadensis ecclesie postulaverit se absolvi, ipsi tamen cardinales versa vice se suis pedibus provolventes, ne ipse suam ecclesiam derelinqueret desolatam attencius rogaverunt, votum eciam suum auctoritate apostolica cohibentes omnemque spem impetrande dispensacionis eidem de cetero amputantes.

---

a) .C. 1. b) potuerunt 1. 2; potuerant 3. c) .l. 1. d) Magdebergensis 1. e) Eulesleve 2. 3. f) destructum 1. 2. g) tam 1. 2; tantum 3. h) Hugoni 2. 3. i) halb'r 1.

81) V. chartam Conradi a. 1208. datam ap. Leukfeld, Antiquitates nummariae Halberstad. p. 119.

82) Eilsleben vicus prope Ummendorf in ducatu Magdeburgensi.

83) De hac cometia inde ab anno 1207. vacante v. Schlemm in Ledebur, Archiv VI, 124 sq. praesertim p. 128. — Eam nostro demum aevo Friderici Wilhelmi III. regis serenissimi beneficio immortali patriae libertatis vindici Augusto comiti de Gneisenau dotationis titulo concessam esse recordamur. PERTZ.

84) presbytero cardinali tituli S. Crucis in Ierusalem.

Cum autem iidem cardinales a sede apostolica destinati essent inter duos reges concordiam facere et pacem si possent, nichil proficientes in Ytaliam redierunt. Unde rex Philippus omnem quem potuit collegit exercitum contra regem Ottonem in Saxoniam totis viribus profecturus. [a]Relicto autem exercitu, civitatem Bavenbergensem intrans, a comite palatino de Wetelesbach[b] tam innocenter quam lamentabiliter est occisus anno 1208. Iun. 21. incarnationis Domini 1208[c], anno regni sui 13, et in Bavenbergensi ecclesia est sepultus. Et licet idem comes palatinus adiutorio Bavenbergensis episcopi[85] tunc evaserit, unde idem episcopus magnam infamie mortis regis incurrit notam, postea tamen a domno Henrico imperialis curie marscalco prout meruit turpiter est occisus, capite eius truncato et in Danubium proiecto[86]. Sed rex Otto, collecto quo poterat exercitu, Halberstadensem[d] ecclesiam hostiliter invadere conabatur. Episcopus autem videns se undique consilio et auxilio destitutum, habito tandem cum ecclesia sua consilio, ad eundem regem accedens, confederatus est cum ipso, 800 marcas eo sibi pro suo obsequio pollicente. Verum idem episcopus votum quod diu gesserat in pectore totis viribus anhelabat adhuc effectui[e] mancipare, et licet auctoritate apostolica hoc eidem fuisset inhibitum, maluit tamen divinis quam humanis parere mandatis. Et ut promcius et expedicius abiecta sarcina rerum temporalium contingeret bravium actualis vite, posthabito Marthe labore, ipsa veritate docente, unum esse necessarium, cum Maria contemplative vite optimam partem censuit eligendam. Quibusdam itaque ex confratribus suis suam aperiens voluntatem, ut ipsi in pastore eligendo operam darent eos attencius hortabatur. Ad ecclesiam autem Sychem[87] transmigrans, episcopali deposita dignitate, habitum religionis assumpsit anno ordinationis sue 7, et super hoc Halberstadensi ecclesie litteras suas mittens et tam clerum quam populum ab obediencia et fidelitate quibus tenebantur absolvens, alium eligendi episcopum[f] capitulo liberam tribuit facultatem[88].

[g]Anno igitur incarnationis Christi 1208.[h] ecclesia Halberstadensis pro tam repentino et inopinato sui presulis transitu et mutatione nimirum mente est consternata. Sed ne in eligendo pastore mora periculum generaret, subito consedentes, Spiritus sancti gracia invocata, domnum Fredericum vicedominum, virum utique nobilem ac prudentem, concorditer in episcopum elegerunt. Sollempnitate itaque rite ipsi inpensa, ipse ad regem Ottonem accessit, et pacto quod domnus Conradus[i] episcopus cum eo pepigerat rato 1208. Sept. 22. habito, regalia simul ab eo accepit. [k]Anno autem Domini 1208.[l] plerique principes imperii in civitatem Halberstat convenientes, iam dictum regem Ottonem[m] in imperatorem unanimiter elegerunt, mirabili Dei iudicio, qui ipsum in civitate et ecclesia prothomartiris sui Stephani, quam ipse ac progenitores sui semper humiliaverant, taliter voluit sublimari. Nov. 11. Celebrata autem sollempni curia Frankenevort, a familia imperii insignia imperialia ipsi sunt exhibita; filia qnoque illustris memorie regis Philippi ei est tradita in uxorem cum omni hereditate, que ab antecessoribus suis eam contigerat, et patrimonio universo. Predictus autem Halberstadensis electus cum litteris sui capituli nuntios[n] suos Romam direxit, petens electionem suam auctoritate apostolica confirmari[o]. Sed domnus papa audiens domnum Conradum[i] episcopum de sede sua contra vetitum descendisse, electionem in domnum Fredericum factam cassavit. Et quia domnus Conradus eadem ecclesia iudicaverat se indignum — noluit enim redire ad ipsam, — sed a nuntiis[n] Halberstadensis ecclesie et capituli quatuor sibi denominatis personis, quia de ydoneitate ipsorum ei constare non potuit, nomina eorumdem inclusa in litteris apostolicis domno Ostiensi episcopo et domno Leoni, apostolice sedis legatis in Theutonia existentibus, transmisit, mandans eis, ut ipsi ad Halberstadensem ecclesiam accedentes, quam[p] inter quatuor personas illas magis ydoneam invenirent a nuntiis[n] supradictis, qui literas ratihabicionis a capitulo Halberstadensi acceperant, sicut in presencia domni pape debuerant facere, Halberstadensis 1209. ecclesie episcopum eligerent ac pastorem. Quia vero idem legati iam in reditu existentes[89]

---

[a] *rubr. in* 1: Rex Philippus occisus est regni sui anno 13. [b] Wettelesb. 2; Wittelesb. 3. [c] 1209 *leg.* 1—3. [d] halbr 1. [e] affectui 1. [f] episcotum 1. [g] *rubr. in* 1: Anni Friderici XXII. episcopi. [h] 1209 *leg.* 1—3. [i] .C. 1. [k] *rubr. in* 1: Anni Ottonis IV, qui regnavit annis 23. [l] 1209 *leg.* 1—3. [m] .O. 1. [n] nunct. 1. [o] con‖firmari *incipit alia manus in* 1. [p] ꝑ̄ 1; quem 2. 3.

[85] Egberti.

[86] a. 1209. mense Februario.

[87] Sichem sive Sittichenbach monasterium ordinis Cisterciensis prope Eisleben.

[88] Conradus obiit a. 1225. Iul. 21, v. Chron. Mont. Sereni ed. Eckstein.

[89] Interfuerunt adhuc curiae Wirzburgensi exeunte Maio celebratae, v. Arnold. Lubec. VII, 17.

1209. nequieverunt exsequi mandatum apostolicum, vices suas primum domno Maghedeburgensi archiepiscopo[90], cuius copia dum haberi non potuit, domno Mindensi episcopo[91] delegarunt. Qui ad Halberstadensem ecclesiam accedens, omnibus que in mandatis acceperat fideliter executis, domnum Fredericum eligi iussit in episcopum ab electoribus pretaxatis, eiusque electionem auctoritate apostolica confirmavit. Qui eciam a domno Sifrido[a] Moguntine sedis archiepiscopo et ordinem sacerdocii et episcopalem benedictionem rite accepit.

Domnus Conradus[b] vero quia sine dispensacione a sede episcopali descenderat, domnus papa tam ipsum quam sui monasterii abbatem, qui ipsum receperat, a sacerdotali officio suspensos ad Romanam curiam evocavit, iniunctaque eis condigna penitentia, tandem domno Conrado[b] episcopalis officii execucionem concessit.

GESTA ALBERTI II. EPISCOPI HALBERSTADENSIS.

Gesta Alberti II. e domo ducum Brunswicensium oriundi (a. 1324—1357*) a coaevo quodam auctore anno* 1349 *conscripta primus edidit Meibomius tomo II. Rerum Germanicarum (Helmstad.* 1688*) p.* 381—385, *descripta e codice membranaceo Gesta supra edita episcoporum continente, qui licet mancus in fine, tamen lectionem satis bonam praebuit. Secundus Leibnizius tomo II. Scriptorum Brunswicensium dedit ea integra p.* 148—152 *ex eodem apographo, ut videtur, quod Gesta continebat mendis et omissionibus deformata. Textus compluribus locis a textu Meibomii et codicis abhorret. Nos ea damus iuxta fidem codicis gymnasii Halberstadensis supra descripti, adnotatis notabilioribus Meibomii et Leibnizii lectionibus.*

Auctorem operis fuisse Themonem, Alberti episcopi cancellarium, cum Budaeo[92] *suspicatus est Leibnizius. Quam opinionem nec refutare nec defendere audeo.*

1324. Sept. 14. Anno incarnacionis[c] Christi 1324. domnus Albertus de Anehalt Halberstadensis ecclesie episcopus in die exaltacionis sancte crucis ex hoc seculo, ut pie creditur, ad Christum migravit, qui licet multa pericula in rebus et corpore pro ecclesia sua sustinuit, tamen eam conpetenter ampliavit, civitatem et castrum Ascharie[93] recuperavit, castrum Snetlinge[d. 94] et castrum Koningeshof[e. 95] in Hartone suis denariis acquisivit. Eius quoque corpore quasi[f] in medio ecclesie kathedralis tradito ecclesiastice sepulture, fratres tunc presentes in loco capitulari seorsum se recipientes, et terminum ad tractandum de eleccione futuri pontificis prefigentes, in quo[g] vocatis vocandis, vota fratrum se diviserunt, et maior pars capituli numero[h] elegit domnum Lodewicum de Neyndorp[i] in episcopum et pastorem, qui postea[96] ex provisione pape Iohannis XXII. factus est episcopus Brandeburgensis; alia vero pars capituli, puta quinque numero, elegit domnum Albertum de genere ducum in Brunswik progenitum. Papa vero Iohannes[k] XXII. providit domno Ghisekoni ex genere nobilium de Holzacia[l] procreato[97]. Sed licet predicti duo a partibus capituli electi, provisionem pape ignorantes, super suis electionibus in discordia celebratis coram archiepiscopo Moguntino domno Mathia multum disceptassent, tandem servato iuris ordine sententiatum fuit cum magna sollempnitate pro domno Alberto, et eius eleccio per archiepiscopum predictum est confirmata, et pars adversa sibi in expensis condempnata. Post confirmacionem et investituram celeberrime factam infra annum est in presbiterum ordinatus et in episcopum secundum formam ecclesie consecratus, ita quod tempore litis et post confirmacionem et ante consecracionem nec eciam post consecracionem, sibi nichil certi apparuit de provisione pape, prout idem papa sub bulla sua protestabatur. Sic igitur in vinea Domini fideliter laboravit et pondus diei et estus in humeris portavit, ut pro bravio denarium comprehenderet, cum ad stadium de talentis sibi creditis racionem redditurus perveniret.

---

[a] S. 1. 2; *deest* 3. [b] .C. 1. [c] incarnati *M.* [d] snethnge *cod.;* Snötlinge *M.;* Schneidlinge *L.* [e] Konigshof *M.* [f] *deest L.* [g] tamen *add. M. L.* [h] *deest L.* [i] Neindorff *L.* [k] Iohannis *cod.* [l] Holsatia *L. M.*

[90] Alberto I. [91] Heinrico II, qui obiit a. 1209. Iul. 20. [92] Geschichte des Bischofs Albert II. von Halberstadt p. 135, quem librum inspici non licuit. [93] Aschersleben. [94] Schneitlingen praefecturae Aschersleben. [95] Königshof iuxta confluentem Bodae calidae et frigidae, ubi iacent rudera castri Königsburg. [96] a. 1327. [97] Filius erat Heinrici I. comitis Holsatiae, lineae Rendsburgensis, et praepositus Bremensis.

Et sic in vinea sua[a] dissipavit, edificavit et plantavit. Castrum enim Emersleve[1] a suo predecessore obligatum, tamquam spelunca latronum factum, valida manu circumvallavit et viriliter expugnavit, captos ibidem laqueo suspendit. Castrum eciam Gatersleve circumvallando armatis viribus, ecclesie recuperavit dudum ab ecclesia alienatum. Item
1326. castrum Gunteckenborch[b] ante civitatem Queddelingheburch ab eo circumvallatum fortiter expugnavit et funditus destruxit. Civitatem quoque Quedelingeburg perpetuo servicio cum 50 marcarum redditibus ecclesie subiugavit. Dissensione vero valida inter ipsum et mar-
1347. chionem Misnensem[2] exorta, suis inimicis non parcens, quantum in eo fuit, incendiis et rapinis eosdem, eorum demeritis exigentibus, molestavit. Marchione autem Misnensi predicto eidem domno episcopo se opponente in persecucione suorum inimicorum, in quodam conflictu bellicoso convenientibus, multi interfecti et circa 60 milites et famuli famosi et strennui sunt captivati, inter quos dux Wilhelmus patruus et dux Ernestus frater carnalis de Brunswic ipsius capti sunt et detenti, licet ipse cum difficultate evasit. Unde ipse ob tale infortunium non desperans, sed pocius fortis in adversis, castrum Warmestorp[c, 3] fere cum 300 viris galeatis circumvallavit et partem muri destruxit et grande cenaculum igne combussit, licet in procinctu expugnacionis marchio Misnensis cum duobus milibus armatis galeatis et optime expeditis in adiutorium castro circumvallato venit et ab obsessione liberavit, terramque incendiis et spoliis devastavit. Post recessum vero marchionis idem episcopus castrum Groninghe[4] obsedit multis machinis et aliis instrumentis ad expugnandum abilibus. Et cum spes iam expugnacionis adesset, ex quadam discordia Luneburgensis ducis patrui sui, ibidem cum suis armatis existentis et recedentis, castrum salvabatur. Huiusmodi vero inimicis sedatis, comites de Reghensteyn[5] et fere cum omnibus nobilibus et comitibus ante Hartonem insurrexerunt contra ecclesiam Halberstadensem, et ex tribus ecclesiis tria castra ante civitatem Queddelingheburg erexerunt, et incendiis et rapinis ecclesiam inhumaniter[d] devastantes. Ipse vero non ut mercenarius fugit, sed ut bonus pastor animam pro ovibus suis posuit, et congregata magna multitudine armatorum bene expeditorum, predicta tria castra, fugatis et quibusdam inimicis captis, potenter expugnavit, et civitatem Quedelingheborch sic obsessam pristine libertati restituit. Illa autem sedicione pacifice sedata, non longe post iterum comites de Reghensteyn ad vomitum, sicut canes, redientes, ecclesiam Halberstadensem nimium crudeliter invaserunt, ecclesias confregerunt, clericos captivos in vinculis detinuerunt, et quod miserabilius est dicere, nec religiosis viris nec sanctimonialibus pepercerunt.

1336. Durantibus sic ab extra infestacionibus, bella intestina pullularunt. Surrexit quidam Iacobus dictus Snelhart, quem idem episcopus in sue curie officialem recepit et in canonicum Beate Virginis Halberstadensis[e] promovit, eidem prebendam conferendo, et parrochiam in Osterwich vacantem sibi contulit, et procedente aliquo tempore ipsum ad kathedralem ecclesiam transtulit et in canonicum et decanum prefecit. Quid plura? Res et honores sibi credidit et sic dilatavit, impinguavit, incrassavit; propter quod recalcitravit, dominum suum derelinquens et fautorem[f], immemor omnium beneficiorum istorum[g], et quod horrendum est dicere, iuramenti prestiti[h] oblitus; quo spiritu ductus, nemo sane mentis dubitat; quandam conspiracionem cum quibusdam canonicis contra dominum suum episcopum occulte fabricavit, quam tamen idem dominus cum quibusdam canonicis non consencientibus, ut debuit, inpugnavit. Unde Iacobus Snelhart super deposicione et destitucione sui episcopi fortissime laborabat, ita quod aliam quandam conspiracionem peiore priorem 1336. cum civibus Halberstadensibus iniit contra ecclesiasticam libertatem, et eam sigillo capituli, multis fratribus de capitulo et episcopo contradicentibus, sigillavit. Obligavit enim ecclesiam Halberstadensem perpetue exactioni, dando civibus Halberstadensibus, et sic[a] ecclesiam Halberstadensem, matrem et dominam plenam populo, quod plorando pronunciandum est, fecit sub tributo. Super qua conspiracione ad querimoniam domni Alberti episcopi domnus Hinricus Moguntinus archiepiscopus misit magistrum Albertum[b] de Gotha ad inquirendum de veritate conspiracionis. Qua inventa, auctoritate statutorum provincialium predictum Iacobum beneficio et officio sententialiter cum suis sequacibus privavit. Propter quod idem Iacobus Snelhart suam linguam ut gladium acuit, et non solum in verba prorupit blasphemia et scismatica, sed et insana[c], putans maledicere fore bone conscientie signum; et quod veritate non poterat, saltem conviciis[c*] presumpsit eundem dominum suum episcopum lacerare. Cum eciam ratione huiusmodi conspiracionis quidam canonici vicarii et plebani civitatis Halberstadensis contra mandatum suum divina sollempniter celebrarunt; quod spirituali gladio non poterat, seculari brachio cum consilio et[d] auxilio suorum consulum et civium Halberstadensium attemptavit; kathedralem ecclesiam et beate Virginis in urbe clausit, et assumptis clavibus earundem, ne claves contempnerent et nervos ecclesiastice discipline; ad idem faciendum misit[e] clericos suos sollempniores cum laycis multis ad ecclesiam sancti Pauli, ut prophanum quendam celebrare prohiberent. Quod cum facerent[f] reverentia qua decuit, insurrexerunt filii iniquitatis, immo[g] ut verius dicam, non filii, sed privigni et nepharii presumptores, quos idem episcopus nutrivit, videlicet consules una fere cum omnibus civibus, armata manu, deliberato animo, sicut boves et asini non cognoscentes possessorem suum et presepe, et portis civitatis undique clausis, tamquam furiosi cum gladiis et fustibus tumultu horribili et inhumaniter detestanda sevicia[g*] sicientes mortem[h] clericorum et laycorum ab episcopo missorum, et ut experiencia docuit, per assisinos interfecerunt magistrum Hinricum decretorum doctorem, magistrum Albertum de Gotha[i] in iure canonico peritum, duosque alios scolares. Alios quoque clericos et laycos captivarunt et captivos detinuerunt, nec solum vivos sed iam mortuos spoliarunt et multis vulneribus martirizaverunt, et sic sevierunt factis et verbis, quod idem domnus episcopus per murum civitatis, cum alias fugere mortem non posset, cecidit et sic evasit; et sic peccatum addiderunt super peccatum. Ve igitur genti peccatrici, populo gravi[k], semini nequam, filiis sceleratis! Dereliquerunt dominum suum et honorem; quoniam meretrix facta est civitas fidelis, plena iudicii. Iusticia habitavit in ea, nunc autem homicide. Argentum[l] versum est in scoriam, virtus in vicium, fama in infamiam; bene politum speculum in[m] monstruosum. Ingredere in petram et abscondere in fossa humo a facie nobilium virorum. Sunt ergo rei criminis lese maiestatis, perpetuo infames. Diffidati et banniti[m*] sint, sic confusi, ut sue malicie non inveniant successores. Sic autem rigor ulcionis insurgat, ut contra vite subsidium mortis solacium invocent. Quis enim locus tutus erit et quis rector securitate gaudebit, si matrix ecclesia et in Christo pater tantis et talibus periculis exponuntur. Quos filios, quos filiorum zelatores tanta contumelia non tangeret et confusio tam aspera non moveret? Sic igitur matre licium et materia iurgiorum[n] discordia intus et extra regnante, seminatore ipsius discordie, ut creditur, ad capiendas animas hoc procurante, et ultra biennium Dominus in se sperantes more solito non dereliquid; 1338. sed ecclesiam beati prothomartiris sui Stephani in periculis fluctuantem oculis misericordie sue antique respexit et corda discordancium, prius Pharaonis cordibus duriora, in mollia et flexibilia commutavit, ita quod hos[o], qui prius dispersi fuerant et discordes, in unum per concordiam congregavit. Nam conspiratores conspiracionis litteras sigillis[o*] capitulorum et civitatis Halberstadensis firmatas, a qua conspiracione, ut rerum magistra experiencia docuit, prodiit omne malum, in locum qui dicitur Wardehoch[p] extra civitatem ante valvam sancti Iohannis deportarunt, ipsasque ad rumpendum voluntarie tradiderunt in presencia ipsius pontificis sibique adherencium, aliorum eciam clericorum, militum, famulorum et civium fere milium ad hoc specialiter congregatorum. Qua conspiracione maledicta tradita et corrupta, tantus iubilus et exultacio a clero et populo fuit, quod exprimi vix potest lingua humana. Nam

---

[a] *ante hanc vocem scriptum erat* Domini, *quod deletum est punctis suppositis et linea rubra transducta cod.*; Domini *L. M.*
[b] Günteckerburg *L.*; Guntekenborg *M.*
[c] *sic M.*; Warinestorp *cod.*; Warnestorp *L.*
[d] immaniter *L.*
[e] halbr. *cod.*
[f] ftōrē *cod.*
[g] immemor omnium horum et *L.*
[h] presciti *cod.*

[1] Emersleben ad flumen Holzemme praefecturae Halberstadt. [2] Fridericum. [3] Warmsdorf ditionis Köthenensis. [4] Gröningen. [5] Albertus et Bernhardus, filii Ulrici.

---

a) ipsam *inser. L.* b) Henricum *L.* c) sed et ins *des. L.* c*) cum viciis *cod.* d) suo *L.* e) idem episcopus *add. L.* f) Q. c. f. *des. L.* g) aut *L.* g*) sic *inser. cod.* h) sanguinem *L.* i) Gallia *L.* k) iniquitate *add. L.* l) tuum *add. L.* m) ē *cod.* m*) baniti *cod.* n) iurigiorum *cod.* o) hii *cod. M.*; quod hos *deest L.* o*) suis *cod.* p) Wardehof *L.*

1338. oves perdite sunt invente, et filii prodigi substanciam sue fidei dissipantes ad patrem et pastorem sunt reversi, et ab eo hilariter sunt recepti. Quid plura? non longe post idem pontifex, cum civitatem suam Halberstad, de qua, ut dictum est, per murum cum pudore fugatus est, intrare proponeret, vocatis ad se duobus fratribus suis Magno et Ernesto[a] et duobus patruis Iohanne et Wilhelmo ducibus de Brunswik aliisque prelatis, canonicis, clericis, nobilibus, ministerialibus, militibus, famulis et populo innumerabili ad predictam iter arripuit civitatem. Totus clerus cum fratribus Minoribus, qui contra ipsum conspiraverant, una cum aliis ipsi pontifici adherentibus cum processione sollempni, vexillis preparatis et campanis gloriose pulsatis, civibus eciam universis sibi obviam occurrerunt, et eidem tamquam domino suo honorem et reverenciam debitam cum muneribus exhibuerunt; et consules civitatis una cum civibus in cimiterio sancti Martini congregati, sibi iuramentum fidelitatis de novo prestiterunt sub hac forma: ad orientem se vertentes dextre manus[a*] digitis elevatis: *Dat we useme herren bischoppe Albert van Halberstad, de hir to ieghemwordich is, also truwe unde also holt sin*[b], *also borghere to rechte schullen*[c] *oreme herren, unde schollen*[d] *ome behulpen wesen unde sine*[e] *stad to Halberstad ome holden to allen synen nutten*[f] *unde noden, dat us God also helpe unde sine hilghen.*

Idem eciam pontifex quasi infra duos menses immediate sequentes castrum et opidum Osschersleve pro tribus milibus et sexcentis marcis Stendaliensis argenti obligatum redemit et ecclesie recuperavit.

Istis autem omnibus sic laudabiliter peractis, ecclesia Halberstadensis intus et extra ad tempus aliquot licet modicum requievit. Et quia difficile est consueta relinquere, iuxta illud: *Quod nova testa capit* et cetera, et predicti comites Albertus et Bernhardus fratres[g] de Reyghenstein[h], et Borchardus cum suis filiis de Mansvelt a primevo etatis sue tempore, cuius contrarium in memoria non existit, Halberstadensi ecclesie semper infesti et bonorum, que tenuerunt et tenent ab ecclesia, nimium ingrati, modo consueto in Christo matrem suam sanctam ecclesiam Halberstadensem iterato crudeliter invadere ceperunt, sagittisque ardentibus et ignitis iaculis tamquam nocturni populatores ecclesie civitates municionesque alias, quantum in eis fuit, gravissime devastantes; molestiisque variis et fere innumerabilibus molestando, viduas et advenas quam plurimos occiderunt, pupillos et orphanos non paucos fecerunt, clericos et religiosos captos et duris vinculis detinebant. Sic igitur persecuti sunt inopes et mendicos, ut de habitacionibus suis eiecti filii quam plures prius habundantes una cum patribus cogerentur panem hostiatim mendicare. Tali autem re[i] flebili non cessante, aliudve, priori flebilius, supervenit, domno enim Gysekoni de Holsacia, quondam proviso per domnum Iohannem XXII. papam de ecclesia Halberstadensi, ut dictum est, de medio sublato[6], qui ipsam ecclesiam quasi pro derelicta[k] habebat. Nam domnum Albertum episcopum predictum, ipsam ecclesiam possidentem per 20 annos et amplius post talem provisionem, inquietare penitus non curavit. Licet post vitam ipsius domni Gysekonis ultra biennium, domno papa Clemente VI. non ignorante, ipsam ecclesiam Halberstadensem pacifice tenuit et quiete, tandem seminatores zizanie, dyaboli[l] privigno, Borchardo de Mansvelt comite ab antiquo tempore ecclesie[m] Halberstadensis semper emulatore procurante, domnus Clemens papa VI. Alberto de Mansvelt, eiusdem Borchardi filio, de ecclesia Halberstadensi ad preces domni Karoli regis Boemie in regem Romanorum
1346. electi providit. Quantus autem tunc dolor cordis et mentis anxietas de hac provisione venit clero et populo, vix potest, immo non potest litteris sufficienter explicari, quia non solum rerum, verum eciam animarum periculum merito formidantes, quod verisimile, sicut experiencia postea docuit, exinde potuit evenire. Sed Dominus pius et misericors ecclesiam Halberstadensem sic procellosis fluctibus fluctuantem, gratiose respexit, emulosque suos flagellis iracundie sue monuit et correxit, ut sic matrem suam sanctam ecclesiam Halberstadensem, a qua nequiter apostataverant, cuius eciam tunicam inconsutilem scindere nitebantur, recognoscerent et ad cor humiliter redirent. Comes enim Borchardus de Mansvelt predictus, Dei iudicio cecitate perpetua est percussus; Bosso suus primogenitus tamquam plumbum in aquis vehementibus est submersus, alius cervice fracta exspiravit, alius lepra infectus vitam finivit, alius in quodam conflictu interfectus, alius in remotis partibus, qua

[a] Alberto *L.* [a*] dextrum manum *cod.* [b] willen *add. M.* [c] schullet *cod.;* schollet *L.* [d] scholet *cod.;* schollet *L.* [e] sinen *cod.* [f] nudden *cod.* [g] *deest M. L.* [h] reyghenst' *cod.* [i] ve *cod.* [k] derelicto *cod.* [l] dyabolo *cod.* [m] ecclesia *cod.*

[6] a. 1345.

morte mortuus, ignoratur. Sic igitur idem comes Borchardus de Mansvelt in se et in suis filiis divine ulcionis vindicta[a], virga ferrea, ut spiritus salvus fieret, graviter est afflictus; Bernhardus vero de Reyghenstein[b] cum multis militibus et famulis captus et quasi per quatuor annos vinculis est detentus. Eo autem in vinculis detento[c], Albertus frater suus de Reyghenstein, ecclesie sevus dolis et fraudibus semper inimicus et emulus publice et occulte, in campo Tanstedde[d.7] a personis humilibus et paucis, nutu divino suis famulis territis et in fugam conversis, ipso tamen comite solo relicto, est illic[e] interfectus. Cui successerunt duo eius filii, Olricus subdyaconus et Bernhardus laycus, qui percepta morte patris in ecclesiam Halberstadensem et contra domnum Albertum Halberstadensem episcopum tamquam leena vel ursus raptis catulis sevientes, verbis et factis contumeliosis et obprobriosis, mendaciis et ficticiis multis et variis famam eius, quantum in eis fuit, lacerantes, scribentes et narrantes, eundem domnum Albertum fore reum et conscium mortis patris sui, quanquam idem domnus Albertus coram principibus, comitibus, nobilibus, militibus, famulis et civibus purgare semper canonice se[e*] exhibuit paratum, nec per eum stetit, quominus venit huiusmodi purgacio ad effectum. Quid ultra? Idem comes Borchardus de Mansvelt malum malo cumulavit et in profundum malorum descendit. Nam fidem verbaliter, manualiter, litteraliter[f] domno Alberto episcopo predicto pro pace servanda fidem prestitam[g] temere violavit. Castrum quoque Gerstorp[8] pro eiusdem pacis observacione obligatum per suum iuramentum temerarium[h], immo falsum periurium[i], fallaciter solvit. Finxit enim et peieravit[k], eo[l] quod filius suus eodem nomine[m], quo predictus domnus Albertus pontifex nominatus est, nominatur. Forma vero iuramenti fuit hec: *Tactis corporaliter sacrosanctis sanctorum reliquiis, quod ego omnia et singula fidetenus domno Alberto de Brunswik episcopo, quem capitulum, clerus et populus pro episcopo Halberstadensi teneret et haberet, promissa fideliter et sine fraude integraliter observem. Sic me Deus adiuvet et sui sancti.* Cuius tamen contrarium nobiles et ignobiles clamaverunt. Cum autem idem Borchardus de Mansvelt cum suis sequacibus et fautoribus in flagellis Domini est minus emendatus, nesciens, sed ut verius dicatur, nolens gressus suos dirigere in semitis iustitie, nec ad cor reverti et agere penitentie fructus dignos, et cum aliud non restaret, consequens necessarium[n] fuit, ut idem pontifex suam et ecclesie sue iniuriam ipsiusque comitis et suorum sequacium maliciam ulterius nullatenus sustineret; volens pocius pro populo suo viriliter bella gerere studio pacis, quam mala gentis sue videre, ut pravi coercerentur et boni in pace quiescerent et sederent. Memoratus pontifex fortis in adversis cum suis et ecclesie militibus, famulis et civibus castrum Louwenberg[o] expugnavit, et non longe post in montem Zevekenberch[p] novum castrum[9] erexit. Procedente quoque tempore castrum Crottorp[10], quod fere inexpugnabile videbatur, copiosa multitudine equitum et peditum undique circumvallavit et potenter expugnavit, gratias Deo agendo et meritis beati Stephani 1349.
prothomartiris gloriosi, anno Domini 1349.

Nec est silencio transeundum, quod idem pontifex domnus Albertus 20 vicibus et ultra, ut creditur, sollempnes expediciones tempore sui regiminis innumerabili et copiosa multitudine equitum et peditum in armorum necessariis expeditorum, publice expansis tentoriis, vexillis erectis, variis et diversis instrumentis bellicis preparatis, castra inimicorum suorum circumvallavit, terrasque ipsorum incendiis et raptionibus[p*] potenter devastando: primam ante castrum Gunteckenberg, secundam ante Emersleve, terciam ante Gatersleve[q], quartam ante Wevelingen[r.11], quintam ante Heymborch[12], sextam ante Derneborch[s.13], septimam in Valkensteyn[14], octavam ante Dal[t.15], nonam ante Louwenberch[u.15*], decimam ante Gherstorp, undecimam ante Nunnenberch[v.16] iuxta Quiddelinghe borgh, duodecimam in edificacione novi castri Zevekenborch, tredecimam in edificacione Hesnen[w.17], quartamdecimam in

a) vindcā *cod.* b) reyghenst' *cod.* c) de *in marg. add. cod.* d) Tanstede *M.* e) illico *cod.* e*) *deest cod.* f) liberaliter *L.* g) prescitam *cod.* h) temeravit *L.* i) imo filii periuria *L.* k) et periuravit et deieravit *L.* l) eoque *L.* m) modo *L.* n) nc̃c̃m *cod.* o) Lowenberg *M.*; Lauenbergh *L.* p) Revenkenberch *L.* p*) inc. depactionibus *cod.* q) Gutersleve *M.* r) Wevelinge *M.*; Wefelingen *L.* s) Dernborg *M.* t) Dorse *L.* u) Lowenberg *M.*; Lauenberch *L.* v) Nunnenborg *M.* w) Hesnem *M.*; Hesneam *L.*

7) Dannstedt prope Derenburg. 8) Oviaria dicta Gersdorfer Burg unum miliarium distans a Quedlinburg inter meridiem et orientem in montibus Sevecker Berge. 9) Sevecker Warte ibidem sita. 10) Crottorf ad Bodam praefecturae Oschersleben. 11) Weferlingen ad Aleram. 12) Heimburg inter Wernigerode et Blankenburg. 13) Derenburg ad Holzemmam. 14) Falkenstein ad Selke. 15) Thale. 15*) Ruinae castri Lauenburg prope Suderodam extant. P. 16) Fortasse monasterium sanctimonialium in monte Münzenberg. 17) Hessen ducatus Brunswicensis.

Warmstorp[a], quintamdecimam ante Groninge[b], sedecimam ante Gensevorde[18], decimam septimam ante Querenvorde[19], decimam octavam iterum in terram comitis de Mansvelt, decimam nonam ante Derneborch, vicesimam ante castrum[c] Crottorp[d]. Et hec sunt castra et opida sibi adherencia cum villis[e] sibi adherentibus, quibus sui regiminis tempore[f] ecclesiam Halberstadensem ampliavit: castrum Valkensten, castrum et opidum Engrensleve[20], Queddelingheborch, castrum Dal[g], castrum Louwenberch[h], castrum Zevekenberch, castrum Wevelinge, castrum Gatersleve, castrum Gheistorp[i][21], castrum Volptingerode[k][22], castrum Slanstedde[l][23], castrum Crottorp.

Hec[m] facta et conscripta sunt tempore quo presedit domnus Albertus Halberstadensis episcopus sepedictus ab annis Domini 1324. usque ad annum qradragesimum nonum. Futura vero notabilia contingencia deinceps qui supervixerit conscribat, si cuius placuerit voluntati[m].

Licet autem nichil sit sub sole novum, tamen rariora magis sunt notanda et miranda: propter quod placuit quedam dicti domni Alberti conscribi nota digna. Fuit quidam de ordine Minorum creatus in antipapam de novo[24] contra domnum Iohannem papam XXII.
1324. Item fuit quidam[25] Rome de novo in tribunum assumptus. Item Lodewicus de Bawaria Romanorum imperator domno Lodewico filio suo primogenito marchiam Brandeburgensem sibi vacantem per mortem marchionis Woldemari[26] contulit et de eadem investivit eundem, qui ipsam marchiam multis annis pacifice possedit. Item idem domnus Lodewicus
1346 imperator per papam Clementem VI. dampnatus et depositus ab imperio, et eo vivente Karolus regis Boemie filius in regem Romanorum per principes imperii electores non tamen omnes, ad instinctum pape Clementis est electus. Item ipso domno Lodewico sic deposito et post procedente tempore de medio sublato[27], contra Karolum in regem Romanorum
1349. ut dictum est electo comes Guntherus de Zwartzeburch a ceteris principibus, ad primam electionem vocandis non vocatis, per eleccionem in regem Romanorum assumptus et honorifice a regni civitatibus receptus, qui modico tempore supervixit[28]. Nam veneno est peremptus. Item domnus Hinricus de Verneburch archiepiscopus Moguntinus per eundem papam Clementem VI. archiepiscopatu[n] est per sententias spoliatus[29], domno tamen Hinrico municiones ecclęsie Moguntine possidente. Item pestilencia magna fuit. Item plurimi Iudeorum sunt interfecti. Item quidam nullo autore crucibus secundum placitum signatis, quandam sectam novam non approbatam, sed pocius reprobatam invenerunt, in die tribus vicibus, quando, quociens et quomodo placuit eis, duo et duo processionaliter nudi usque ad femoralia, se flagellis acuatis acubus flagellarunt, cantilenas cantantes uno vel pluribus precinnentibus, ceterisque idem repetentibus, sicut consuetum est in coreis fieri vel theatris, genuum eciam flectiones et pectoris tunsiones, sub quadam religionis simulacione multos garsiones, lenones, leves et simplices personas sibi attraxerunt. Sed non duravit.

Post hec mira talia miracula, ut estimo, multa ammiratione digna, domnus Woldemarus quondam marchio Brandeburgensis in communi opinione hominum, immo secundum rei veritatem mortuus et sepultus, eius eciam uxore legittima post tempus luctus congrue exspectante et ad vota secunda transseunte, in anno 29. post eiusdem marchionis obitum propter quasdam gwerras et[o] discordias inter domnum Lodewicum marchionem Brandeburgensem ex una, et domnum Ottonem de Hassia Magdeburgensem archiepiscopum, Rodolfum ducem Saxonie, Albertum et Woldemarum fratres de Anehalt parte ex altera exortas, idem archiepiscopus et dux et comites astute procedentes[p], ipsius Lodewici marchionis potenciam merito formidantes, nec cum humiliare vel sibi adequare ipsum marchionem quoque[q] potuissent, apud se non recte cogitantes, quod veritate non poterant,

---

a) Warnstorp *L.* b) Groningen M. c) *litteris* a *et* b *rubro colore superscriptis ordo verborum* cast. Crot. *significatur cod.;* Crot. cast. *L.* d) *explicit M.* e) illis *cod.* f) adh. sui regiminis quibus *cod.* g) Dahl *L.* h) cast. Louw. *des. L.* i) Gastorp L. k) Velphingerode *L.* l) Schlanstede *L.* m) Hec — voluntati *hic des. L.* n) ar̃epatū *cod.* o) gw. et *des. L.* p) pretendentes *cod.* q) quoquō *cod.;* non *inser. L.*

18) Gänsefurth, nunc praedium equestre ad Bodam, parochiae Hecklingen. 19) Querfurt. 20) Emersleben, ut videtur, de quo supra. 21) *Gerstorp* legendum videtur, v. supra not. 8. 22) Wülfingerode villa parochialis praefecturae Nordhausen, seu Wülperode haud procul a flumine Ecker, praef. Halberstadt. 23) Schlanstedt praefecturae Halberstadt. 24) Nicolaus V. a. 1328—1330. 25) Cola di Rienzi a. 1347. 26) Obierat a. 1319. 27) a. 1347. Oct. 11. 28) Electus Ian. 30. obiit Iun. 14. 29) a. 1346. Apr. 7.

saltem cum ficta materia presumebant. Finxerunt enim domnum Woldemarum quondam 1348.
marchionem Brandeburgensem, cuius successor erat marchio Lodewicus Brandeburgensis[a], dicentes ipsum Woldemarum vere non esse mortuum sed simulate, et tempore sue simulate mortis ob amorem Dei in longinquum peregrinasse, et alium suo nomine traditum sollempniter ecclesiastice sepulture, et peracta penitentia 29. anno, ad propria rediisse, principatum Marchie ceteraque bona ob iustam causam, puta peregrinacionis, ad tempus relicta, posse recuperare et repetere, occupare, et invasorem quemlibet violentum et detentorem illicitum ammovere. Querebant enim hominem aliqualem similitudinem Woldemari marchionis habentem, actus et facta terre per se scientem, vel ab aliis informatum, et apud ipsos aliquo tempore nutritum, qui se diceret marchionem Woldemarum Brandeburgensem, nec aliquando mortuum se fuisse, nisi a tempore, seculo prout monachus mortuus fingitur iuris finxione. Et sic civitates, castra, milites, famulos et incolas Marchie nunc persuasionibus, nunc minis, nunc terroribus, nunc oppressionibus variis callide seduxerunt, et inducentes mentes simplicium ad consenciendum simulacioni et acceptandum simulatum et falsum Woldemarum[a] marchionem. Qui nimium creduli tamquam bos ad victimam ducti consenserunt, paucis tamen dumtaxat exceptis, qui usi saniori consilio, credere noluerunt. Ceteri vero predictum simulatum et falsum, alio nomine dictum Melsak, cum magno honore, pompa et leticia tamquam verum marchionem receperunt, municiones, civitates et castra eidem presentantes, omagia et fidelitatis iuramenta, non obstantibus prioribus prestitis[b] domno Lodewico marchione Brandeburgensi. Sed sibi in sue proprie salutis dispendium faciebant, advocatis eciam et officiatis Lodewici marchionis nimium crudeliter eiectis penitus et ammotis. Ex quibus omnibus bella gravia, strages[c] hominum, infinitaque rerum et corporum sunt pericula subsecuta[d]. Dic ergo modo, quis audivit tot et talia per solempnes principes forefacta[e]?

Hec facta et conscripta sunt tempore quo presedit domnus Albertus Halberstadensis
episcopus sepe dictus ab annis Domini 1324. usque ad annum 49. Futura vero notabilia, 1349.
contingencia deinceps, qui supervixerit conscribat, si cuius placuerit voluntati.

---

a) *deest L.* b) prescitis *cod.* c) strates *cod.* d) consecuta *L.* e) fore talia facta *cod.*

CHRONICON MONTIS SERENI

EDIDIT ERNESTUS EHRENFEUCHTER PH. D.

Inter Saxoniae superioris coenobia saeculis XII. et XIII. vigentia sancti Petri ecclesia in Sereno Monte[1] *prope Halas a Dedone comite de Wettin inchoata eoque mortuo a Conrado fratre, Misniae marchione, consummata non infimum obtinuit locum, cum et intimam cum aliis huius regionis monasteriis, inprimis Novi Operis Halensi, Nienburgensi*[2]*, Pegaviensi consuetudinem monachi colerent et variis vinculis cum principibus Wettinensibus, quorum senior secundum Conradi Magni institutionem*[3] *huius loci advocatiam tenuit, iungerentur. Non possumus igitur, quin laetemur, huius monasterii Chronicon nobis servatum esse, quo et nonnulla eaque haud levis momenti principes ex stirpe Wettinensi oriundos concernentia memoriae tradantur et domesticae loci illius res coloribus vegetissimis depingantur. Eiusdem coenobii fratrem Chronici auctorem fuisse cum ex eius verbis intelligi potest*[4]*, tum ex diligentia atque cura quibus res internas, maxime contentiones, quae inter Tidericum praepositum eiusque socios atque maiorem monachorum partem exortae monasterium valde perverterunt, quasi pedatim secutus referat. Cum autem de se et rebus suis nihil in Chronico prodiderit, quisquis fuerit, incompertum habemus*[5]*. Inde a fundationis monasterii anno* 1124. *opus suum usque ad annum* 1225.[6] *produxit, sed nescio quo obstaculo impeditus non perfecit, sed media in narratione compositionis inter praepositum et monachos interventu Ekkehardi Merseburgensis episcopi factae desinit*[7]. *Temporis, quo scripserit, arctius definiendi subsidia pene nulla esse dolemus. Considerantibus autem vehemens studium acerbissimamque iram, qua in Tidericum praepositum invehit auctor, post eius obitum demum opus suum confecisse videtur. De tempore obitus illius tamen nihil compertum habemus. Ex tota scribendi ratione Chronicon uno tenore eodemque fere tempore conditum esse apparet*[8].

Consilium, quod auctor in Chronico componendo sibi proposuerat, ipse dilucide in prooemio revelavit: ut annos a fundacione ecclesie nostre et nomina prelatorum et successiones et tempora et gesta ipsorum colligerem et narracionem de his, ut possem, competencius ordinarem. *Sed cum, ut ipse testatur, de his rebus certe quod ad tempora longe retroacta, paucissima investigare posset, etiam ab hoc consilio aliena operi suo inseruit ea ratione, ut filum narrationis per annos Christi deductae nusquam interrumperetur*[9].

---

[1] Lauterberg, hodie Petersberg.

[2] München-Nienburg ad confluentes Salam et Bodam situm.

[3] Cf. Conradi chartam a. 1156, Nov. 30. datam ap. Köhler, Das Kloster des heiligen Petrus auf dem Lauterberge bei Halle, p. 48.

[4] V. prooemium Chronici: *ut annos a fundacione ecclesie nostre et nomine prelatorum — ordinarem.*

[5] In codicibus Chronici quamquam legitur: *Chronica Conradi presbiteri et canonici Montis Sereni,* cum hi omnes sint recentiores atque apud scriptores Chronico Montis Sereni usos huius nominis mentio non fiat, tamen illud nomen utrum merito auctori inditum sit, valde dubitandum est.

[6] Extremum factum ab eo relatum in diem 22. mensis Novembris incidit.

[7] Auctorem consilium operis diutius producendi habuisse verba ostendunt: *Hoc autem consilium quantum eis commodi et utilitatis procurasset, si illud secuti fuissent, postea cognoverunt.* (p. 182 ed. Eckstein.)

[8] Quodsi Opel, Das Chronicon Montis Sereni kritisch erläutert, Halle 1859, p. 17, extremam operis partem serius conscriptam esse censet, non video, qua ex causa in hanc opinionem vergat, cum haec pars nulla in re a priore Chronici parte discrepet.

[Cum in anteriore parte operis saeculum XII. comprehendente multae occurrant breves notitiae gravioris momenti[10]*, quae in Annalibus huius saeculi Magdeburgensibus, Palidensibus, Pegaviensibus non reperiuntur, quaeque Annalium genuinorum indolem prae se ferunt, auctorem Annales quosdam deperditos excussisse recte statuendum erit. Quos Annales cum Palidensibus affinitatem quandam habuisse ex eo concludimus, quod nonnulla, quae tradit Chronicon, cum iis obiter tantum, neque ad verbum neque e sensu concordant*[11]*. Pauca etiam simili modo Annalistam Saxonem tangunt, neque vero eiusmodi sunt, ut auctori isti adsignari possint*[12]*. Anno* 1125. *obitus Rotcheri archiepiscopi Magdeburgensis et Gumberti episcopi Havelbergensis verbis Annalistae referuntur, adiecto tamen die obitus Rotcheri. Anno* 1130. *obitus Bernhardi episcopi Hildesheimensis successioque Brunonis verbis Annalistae commemorantur, et e vestigio sequitur, sicut et apud Annalistam, mors Udonis de Freckleben aliaque complura, quae melius cum Annalibus Magdeburgensibus conveniunt. Censendum igitur videtur, Chronici auctorem neque hanc priorem notitiam ex Annalista, neque posteriorem ex Annalibus Magdeburgensibus sumpsisse, sed totum contextum ex fonte et Annalistae et Magdeburgensibus communi hausisse. Eiusmodi fontem exstitisse nuper Carolus Günther*[13] *probavit, et vir d. Scheffer-Boichorst*[14] *hunc Annales in monasterio Nienburg ad Salam tempore et auspiciis abbatis Arnoldi (a.* 1122 — 1166.*) conscriptos fuisse verisimillimum fecit. Neuter tamen virorum doctorum Chronicon nostrum ad inquisitionem attraxit. Cum vero necessitudinem monasteriorum Lauterbergensis et Nienburgensis intimam fuisse ex Chronico compertum habeamus, non miramur quod auctor Annales istos Nienburgenses in suos usus vertit, et in consequenti omnia, quae ad alium fontem reducere nequimus, iis vindicare nobis licebit. Annales Magdeburgenses ab auctore nostro multoties adhibitos esse, primo aspectu nemo est qui negaverit et iam vir d. Opel statuit. At cum nesciamus, usque ad quem annum post a.* 1139. *Magdeburgenses Nienburgensibus innitantur, in medio relinquamus oportet, an multa, quae in editione Magdeburgensibus vindicavimus, quaeque cum iis plus minusve concordant, e Nienburgensibus fluxerint. Fortasse omnia quae et ante et post annum* 1139. *in Chronico Magdeburgensibus quadrant ad Nienburgenses reducenda sunt, cum hic illic Chronicon propriis additamentis excellat. Magdeburgenses quomodo cum Palidensibus cohaereant, cum nondum satis sit expertum*[15]*, Chroniconque nostrum, ut iam supra diximus, et cum illis necessitudinem quandam praebeat, forte etiam statuendum erit, et Palidenses ea quae cum Magdeburgensibus seu cum Chronico conveniant e Nienburgensibus deprompsisse.*

Iam videndum erit de Annalibus Pegaviensibus, quos iam vir d. Opel aliique fontem Chronici recognoverunt. Res haec potissimum respicit ad annos 1177—1181, *ubi Pegavienses genuinos esse nemo dubitat. Sed res haec non*

---

[9] Cf. prooemium Chronici.

[10] ad a. praesertim 1126. 1154. 1155. 1156. 1158. 1160. 1161. 1162. 1165. 1167. 1179. 1180.

[11] V. ad a. 1152. 1155. 1156. 1157. 1158. 1162. 1164. 1165. 1166.

[12] V. ad a. 1124. 1125. 1130. 1171.

[13] Die Chronik der Magdeburger Erzbischöfe. Inaug. Dissert. Göttingen 1871.

[14] Forschungen zur Deutschen Geschichte XI, 485.

[15] Necessitudo amborum enim a. 1164. excedere videtur, quem terminum statuit vir ill. Pertz SS. Tom. XVI, 105. 106.

adprime simplex acrius consideranti apparet. Iam vir d. Opel[16] *ad a.* 1178. *et* 1179. *auctorem nostrum verba Annalium Pegaviensium et Magdeburgensium miscuisse opinatus est, cum textus Chronici nec cum his nec cum illis plane consentiat. Cum autem in ipsis iis annis nonnulla Chronico nostro propria occurrant, quibus textus Pegaviensium mirum in modum, neque a vero alienum modum, augeatur, ad opinionem premi videmur, ea quae cum Pegaviensibus concordant*[17] *non ex ipsis, sed ex alio fonte, qui eos iam in usus suos verterit, fluxisse. Et porro nemo nobis temeritatis maculam infiget, speramus, si Continuationem Annalium Nienburgensium, ante saeculum XII. medium genuinorum, post a.* 1181, *ubi desinunt Pegavienses, conscriptam hunc fontem fuisse statuimus.*

Alia quaedam, quibus Chronici narratio saeculo XII. excellit, ad fontem ab Annalibus istis alienum et ipsum deperditum reducenda sunt. Gesta archiepiscoporum Magdeburgensium, quae vulgavit Meibomius[19]*, in morte Conradi archiepiscopi (*1142.*) stilum verterunt, vitae archiepiscoporum sequentium Friderici, Wichmanni, Ludolfi, Alberti minime sunt coaetaneae, fortasse saec. XIV. demum compilatae*[20]*. At exstitisse et archiepiscoporum istorum Gesta genuina, quae res maximi momenti tradiderint, e Chronico quod inscribitur Magdeburger Schöppenchronik edocemur. Gesta ista et Nostro innotuere. Et quidem iam Gesta Conradi, adhuc exstantia, eum ad a.* 1134. *adhibuisse vix dubium*[21]*. Deinde cum saepius Chronici relatio cum Chronico Scabinorum concordet*[22]*, ad Gesta illa deperdita concludendum erit. Praeterea et alia quaedam quae illud omisit, non est cur Gestis recusemus, si modo materia ansam praebuerit. Et ut ab ovo incipiamus, Gesta Friderici (*1142—1152.*) utrum exstiterint, valde dubium, cum neque in Chronico Montis Sereni neque in Chronico Scabinorum neque alibi quicquam orrurrat, quod iis quadret. Deinde nonnulla, quae Chronicon nostrum de Wichmanni introitu tradit, quaeque animo ei infesto scripta sunt*[23]*, in Gestis ipsius contenta fuisse, nemo contenderit. Ea potius ad Annales deperditos recedere verisimillimum. Gestis vero Wichmanni vindicaverim ea quae narrata sunt a.* 1160. *de concilio Papiensi; a.* 1164. *de peregrinatione ipsius; a.* 1167. *de acquisitione claustri Nienburg et castri Freckleben*[24]*, de destructione castrorum Haldensleben et Niendorf; a.* 1168. *de Haldensleben; a.* 1175. *de interdictis torneamentis; a.* 1181. *de Haldensleben*[25]*; a.* 1192. *de obitu Wichmanni. Cum Gesta Wichmanni de certaminibus inter principes Saxoniae et Heinricum Leonem annis* 1179—1181. *commissis fusius egisse verisimile sit, fortasse et alia quaedam ex iis deprompta sunt. Quae tamen etiam Annalibus Nienburgensibus vindicari possunt. Gesta Ludolfi et Alberti res maximi momenti, quae ad contentionem Philippi et Ottonis plurimum faciant, tradidisse, nemo negaverit. Chronicon ea adhibuit: a.* 1192. *de electione Ludolfi; a.* 1198. *de*

---

16) l. c. p. 43.

17) Praeter annos supra laudatos 1177—1181. anni modo 1130. 1133. 1142. 1160. considerandi erunt, quo tempore Pegavienses adhuc Magdeburgensibus innituntur, sed textus Chronici melius cum Pegaviensibus convenit.

19) Scriptores II, 269 sq.

20) V. omnino Günther l. c., cum quo iudicium nostrum, iam olim erutum, concordat.

21) Cf. Chron. Magdeburg. l. c. 328.

22) Scabinorum Chronicon e Chronico Montis Sereni hausisse, ut statuit editor, vir d. Ianicke, equidem non iudicaverim. Utrumque suo Marte Gesta archiepiscoporum adhibuit.

23) a. 1152. Wichmanni electio; a. 1154. pallii receptio. Cohn in Götting. Gel. Anzeigen 1860, p. 858 hos locos operi deperdito Arnoldi abbatis S. Iohannis et Nienburgensis vindicavit; sed argumenta, quibus eiusmodi opus exstitisse probare conatur, tam vana, ne dicam, ridiculosa sunt, ut vir d. Günther l. c. p. 55. 56 nimium mihi fecisse videtur ea serio refutando.

24) Cf. Magdeburg. Schöppenchronik ed. Ianicke p. 117. 118.

25) Cf. ibid. p. 120, ubi dies accuratius datus est, ideoque Chronicon nostrum adhibitum esse non potest.

electione Philippi regis (= Scabin. Chron. 123); a. 1200. de excaecatione Heinrici decani (= S. C. 127); a. 1202. de morte cancellarii (= S. C. 128); a. 1203. de colloquio apud Halas (= S. C. 124. 125); a. 1204. de expeditione contra Weissensee (= S. C. 125. 126); a. 1205. de morte Ludolfi et electione Alberti (= S. C. 128—130); a. 1207. de exustione Magdeburgi facta (= S. C. 131) et de ordinatione episcopi Nuemburgensis; a. 1208. de occisione Philippi regis (= S. C. 131. 132); a. 1212. de excommunicatione Ottonis imperatoris (= S. C. 135) et de pugna apud Remkersleben commissa (= S. C. 138); a. 1214. de pugna apud Bovinas commissa (= S. C. 140); a. 1219. de excaecatione abbatis Nienburgensis (= S. C. 148); a. 1220. de cranio sancti Mauritii (= S. C. 143) et de castro Tuch (= S. C. 145); a. 1222. de terrae motu in Italia facto (= S. C. 145); a. 1224. de reaedificatione castri Haldensleben (= S. C. 146). Fortasse quis et alia, ut e. g. quae ad a. 1224. de Sophia abbatissa Quedlinburgensi traduntur, Gestis vindicaverit. At cum Gesta Alberti a. 1232. demum mortui Noster adhibuerit, forte quis erit, qui concludat, Chronicon post hunc demum annum compositum esse. Et certo nil est, quod huic opinioni obstet[26]*, dummodo Gesta illa obitum archiepiscopi tetigerint. Quae res tamen non extra dubium. Vestigia enim eorum annum 1225. transcedentia nulla mihi occurrerunt*[27]*. WEILAND.]*

Praeterea Fundationem monasterii Gratiae Dei (SS. Tom. XX, 683) in suos usus vertit auctor a. 1131. 1157. 1160.

Cum ea quae de concilio Lateranensi Chronicon refert cum Chronica Burchardi Urspergensis, Alberico, Annalibus Stadensibus aliisque fontibus ad verbum concordent, statuendum erit, Nostro et ipsi protocollum eiusdem concilii innotuisse, ad quod vir d. Winkelmann[28] *omnes fontes istos recedere recte iudicavit.*

In narranda expeditione Friderici I. ad terram sanctam facta Noster relationem scriptam secutus esse non videtur, sed cum inter eiusdem expeditionis socios complures nobiles ac clerici illius regionis existerent, facile eorum auctoritate, quae referret, discere potuit. Quae auctor de principibus Wettinensibus uberius, quam apud alios scriptores reperiuntur, memoriae tradidit, pertinent ex maxima parte et ad ea, quae pro monasteriis ab iis constructis gesserint et ad internas ipsarum terrarum res. Quae vero in negotiis imperii fecerint, minime omnia ei innotuere. Qua ex re concludere licet, eum vitae maximam partem coenobii muris inclusum degisse neque unquam familiaritate quadam cum illis principibus, Montis Sereni monasterii advocatis, coniunctum fuisse. Quorum obitus dies satis accurate adnotatos ex Calendario vel Necrologio ipso in loco confecto hausit[29]*.*

Gratissimum vero donum auctoris accipimus diligentissimam et dilucidissimam rerum claustralium relationem. Cuius materiem ei praebuerunt et seniorum monachorum narrationes[30] *et breviaria ab ipso laudata, quae varios monasterii casus, aedificationes, donationes, dedicationes etc. comprehenderunt. Nec vero*

---

26) Haec opinio est viri d. Opel l. c. p. 17.

27) Neque in Chronico Scabinorum neque in Chronico Repgawiensi, quod et ipsum Gesta illa adhibuisse, Deo favente, mox comprobaturi sumus.

28) Friedrich II. I, p. 105.

29) In prooemio ipse dicit breviariis se usum esse, quae in libris veteribus sparsim coagitata invenerit; cf. ad a. 1190: *Continet autem scriptura, quae annicersarium eius* (Dedonis marchionis Orientalis) *representat, quod oblatus sit pro ipso mansus unus beato Petro in Sereno Monte et unus pro uxore Machtilde marchionissa, cuius anniversarius dies est* 13. *Kal. Februarii, quod hac ratione verum est.*

30) *Seniores autem, qui, quod de his verum erat, scire poterant, et quorum dictis grandevitas fidem faciebat, principio huius narracionis auctores habui.* Inter eos ad a. 1128. nominatim duos dicit, Conradum de Cize et Tidericum parrochianum.

putem, Nostrum, ut vir d. Opel censet, libello, quo genealogia Wettinensium principum continetur, fonte usum esse; de qua re fusius infra dicendum erit. Maximae autem utilitati ei erant chartae in tabulario coenobii servatae, quarum plurimae ab eo solo memoriae posteritatis traditae sunt. Sunt hae[31]*:*

Anno 1127. (1128.) Mart. 9. Conradi Magni marchionis epistola ad Honorium II. papam directa, ut ecclesiam Montis Sereni in ius et proprietatem Romanae ecclesiae reciperet.

Anno 1150. Mai. 3. epistola Eugenii III. ad Conradum marchionem de ecclesia Numicensi (Niemeck) in proprietatem et usum fratrum Montis Sereni transferenda.

Anno 1202. Mart. 22. charta Innocentii III, qua licentiam fratribus Montis Sereni carnem diebus statutis edendi dat.

Anno 1215. Innocentii III. papae epistola contentionum componendarum causa directa.

Anno 1220. April. 15. Abbates de Walkenried, Riddagshausen, Michaelstein litem inter Tidericum praepositum Montis Sereni et Tidericum de Krosigk, eiusdem coenobii canonicum, componunt.

Anno 1221. locus ex Eugenii III. papae privilegio capitulo Goslariensi dato citatus.

Anno 1221. charta Popponis, Novi Operis praepositi, qua universis indicit, se excommunicationem in Tidericum Montis Sereni praepositum latam solvisse.

Anno 1223. Febr. 17. Honorius III. chartam Innocentii III. anno 1215. datam iterat.

Anno 1223. epistola Sigfridi abbatis Pegaviensis ad Ekkehardum Merseburgensem episcopum directa.

Anno 1223. Tidericus praepositus Montis Sereni scribit capitulo Pegaviensi de excommunicatione Heinrici de Rekkin sublata.

Anno 1224. Ianuar. 5. Honorius III. ecclesiam Montis Sereni eiusque privilegia ac possessiones contra malefactorum iniurias defendit.

Anno 1223. Ianuar. 20. Honorii III. epistola ad Sigfridum abbatem Pegaviensem et Albertum Brandenburgensem praepositum, ut contentiones in monasterio Ilsenburgensi exortas componerent.

Anno 1223. Nov. 19. Honorii III. epistola ad abbatem Walkenriedensem et praepositum Nordhusensem de eadem re.

Anno 1224. Mai. 8. Honorii III. epistola de eadem re.

Anno 1224. Heinricus abbas Pegaviensis, Heinricus prior Pegaviensis, Albertus Brandenburgensis praepositus Tidericum Montis Sereni praepositum excommunicant.

Anno 1225. Oct. 1. Conradus Portuensis et S. Rufinae cardinalis episcopus, legatus apostolicae sedis, Ekkehardo Merseburgensi, Sigfrido Brandenburgensi episcopis, Winemaro abbati Portensi mandat, ut Serenum Montem accedentes res ibi ordinarent.

Contentionibus, quae inde ab Tiderici praepositi electione anno 1205. facta monasterium ad summam turbationem duxerunt, ipsum Nostrum interfuisse ex narratione uberrima atque iudicio de Tiderico acerbissimo elucet[32]*. Sed*

---

31) Praeterea chartis usus esse videtur ad annos 1125. 1136. 1146. 1156. 1164. 1175. 1187. 1189. 1190. 1201. 1202. 1205. 1206. 1208 1211. 1223.

32) Cf. verba auctoris de Tiderico ad a. 1224, p. 164: *Quod ipse virtutum omnium scrupulum ac fedissime pravitatis dispositor, confusionum omnium*

aliorum quoque huius regionis coenobiorum mentionem haud raro facit, praesertim Novi Operis Halensis, quod praecipuum locum in Magdeburgensi dioecesi obtinebat; coenobii Pegaviensis, cuius abbatem Sigfridum de Rekkin magnis laudibus extollit; abbatiae Nienburgensis, de cuius fundatione a. 1171. brevem narrationem interserit, annalium huius monasterii brevium et chartarum ibi servatarum auctoritate nisus[33].

De fide auctoris si quaerimus, eam non mediocrem esse iudicabimus, cum et fontibus optimis usus sit, et res, quarum ipse testis oculatus fuerat, simpliciter ac plane narret. Ea autem, quae populi rumoribus fabulose divulgabantur, haud saepe in Chronicon excepit[34], nec miraculorum et visionum, quae saepissime in chronicis claustralibus occurrunt, saepius mentionem facit[35]. Sed quamvis gestis in hoc Chronico relatis valde confidere nobis liceat, in chronologia definienda auctor multoties titubavit nec solum in priore Chronici parte, sed etiam temporibus, quibus ipse aequalis erat. Initium anni facit inde a die 25. mensis Martii, i. e. a festo annuntiationis, quod secundum consuetudinem tunc temporis pene obsoletam festum incarnationis Christi appellat[36].

Auctor cum inprimis rebus monasterii sui operam navaret, in contentionibus acerbissimis tunc temporis inter imperium et sacerdotium saevientibus aequum animum eum servasse non est, cur miremur. Sed pro eo, quod eius maxime interfuit, ut disciplinam veterem ecclesiasticam iam iamque conquassatam defenderet, tanto studio fervebat, ut ex eo intelligere possimus, quanta morum monachicorum perversitas ac corruptio illis temporibus irrepserit. Nihilominus novis ordinibus Minorum et Praedicatorum tunc temporis institutis nequaquam amicus exstitit[37].

In usum suum verterunt Chronicon Montis Sereni et auctor anonymus, qui saec. XIV. ineunte libellum de fundatione coenobii Pegaviensis eiusque abbatibus scripsit[38] et scriptor Annalium Vetero-Cellensium recentium[39] saec. XIV. exeunte, ex quibus Iohannes Tylichius Naumburgensis praepositus saec. XV. exeunte Chronicon Misnense composuit[40]; postea saec. XVI. ab omnibus auctoribus res Saxonicas, Thuringicas, Misnicas compilantibus, ut Albino, Fabricio, Monacho Pirnensi et aliis, ad opera componenda Chronicon nostrum adhibitum est.

In omnibus codicibus Chronicon excipit brevis Wettinensis familiae genealogia, incipiens inde ab Dieterico ex gente Busizi oriundo, qui Ottonis I. temporibus vixit, eumque ordinem servans, ut, filiis eiusdem Dedone

---

et discordiarum promptissimus reparator, filius peccati bestia perditionisque praepositus — — o more canem, o tocius in omnia sceleris adamantem! Cui repentina morte non occiditur, qui tante abhominacionis, ut sepius dictum est, princeps exstitit.

[33] Quorum annalium vestigia inveniuntur in Serie abbatum Nienburgensium, saec. XVI. a Martino Weisero composita et a viro d. Winter in Geschichtsblätter für Stadt und Land Magdeburg II, p. 111—121 edita. Chartas Noster in copiario Nienburgensi invenit a viro cl. O. de Heinemann in Neues Lausitzisches Magazin 1863, 40, p. 516—526 edito. Ex testimoniis ibi ab Gernodo abbate collectis de ratione, qua Wichmannus antistes Nienburgensem abbatiam tractaret, iudicium Nostri de Wichmanno non iniquum esse videmus.

[34] Omnibus in locis, quibus res ex fama sola acceptas tradit, id expresse adnotat, verbis *ut fertur* adiectis, neque raro dubium se esse confitetur, utrum factum relatum re vera ita se habuerit.

[35] Cf. quae ad a. 1128. dixit, ubi de miraculis apud capellam veterem factis narrat; et quomodo de rebus talibus cogitaverit, ex iis quoque elucet, quae de sanationibus apud imaginem Christi crucifixi Halis factis refert ad a. 1214.

[36] Cf. computationem post Wichmanni archiepiscopi obitum a. 1192. de eius ac praedecessoris annis factam; et praesertim a. 1217: *huius anni die primo, hoc est 8. Kal. Aprilis.*

[37] de quibus similia dicit ac Lambertus Hersfeldensis de Cluniacensibus illius tempore florentibus.

[38] ap. Mencken, SS. rer. Germanic. II, p. 103—108.

[39] ap. Mencken II, p. 377—416.

[40] ap. Schannat, Vindem. litter. II, p. 74—90.

ac Friderico memoratis, de Dedone, Dieterici filio, eiusque liberis, inprimis Thimone ac eius filiis Dedone et Conrado, monasterii sancti Petri in Monte Sereno fundatoribus, deinde de Conradi progenie accuratissime memoriae quaedam tradat. Extremus eventus hic notatus est Iuttae, Friderici II. comitis de Brene uxoris, obitus a. 1220. *Hunc libellum vir d. Opel in libro citato p.* 19 *sqq. inter Chronici fontes numerandum esse censet, hac ex causa praesertim ad hanc opinionem ductus, quod Chronicon Heinrici II. marchionis de Ilenburch mortem ad a.* 1127. *ponat genealogiae verbis male intellectis*[41]. *Cui argumento id opponam, fundationem monasterii Cellae veteris in Genealogia perperam ad a.* 1189.[42], *quo anno Otto marchio Misnensis, monasterii fundator, obiit, positam esse, qui error eodem iure ex Chronici verbis ad a.* 1189: Otto Misnensis marchio obiit — et in ecclesia Cisterciensis ordinis, cuius ipse fundator fuerat, que Cella dicitur, sepulturam accepit, *declarari poterit, ita ut hoc genus argumentandi eodem modo usurpari liceat ad defendendam opinionem, Genealogiam e Chronico hausisse. Qua ex re ea, quae vir cl. Opel profert, pro argumento certo habenda non sunt. Equidem potius et ipsam Genealogiam a Chronici auctore compositam esse coniecerim, cum et, quae in ea paulo fusius de monasterii sancti Petri fundatione ac Conradi marchionis obitu narrantur, ex Chronici verbis abbreviata sint. Sic in utroque opere eosdem fontes adhibitos esse existimandum erit. Genealogia enim sicut et Chronicon Annalibus Nienburgensibus usa esse videtur. Quae enim auctor de Conradi maioribus refert, iisdem fere verbis partim apud Annalistam Saxonem partim apud Thietmarum reperiuntur. Ex his auctoribus has notitias genealogicas in Annales Nienburgenses deperditos*[43] *transsumptas et ab eorum auctore continuatas in monachi Lauterbergensis manus venisse verisimillimum est. Praeterea auctor sane breviariis in monasterio ipso confectis pro fonte usus est.*

Postea in monasterio Cellae veteris huic Genealogiae adnotationes de Heinrici Illustris progenie circa medium saeculum XIV. additae sunt[44]. *In usum vertit eam praeter auctorem Annalium Veterocellensium recentium Vitae sanctae Hedwigis auctor in genealogia eidem operi adiecta*[45].

Servatum est Chronicon Montis Sereni quatuor codicibus, quos omnes conferre mihi licuit. Hi cum, archetypo iam deperdito, omnes ex exemplari a. 1478. *descripto*[46] *atque iam pluribus maculis corrupto fluentes, paris fere pretii sint, in textu constituendo hanc viam ingressus sum, ut inprimis codicem Halensem (*1*) secutus, tamen saepissime eius lectionem ex aliis emendarem. Sunt codices hi:*

1. ***Codex Halensis**, quondam Freherianus, chartaceus* 4, *saec. XV. exeuntis, complectens folia* 137. *Continet* a) *Chronicon Montis Sereni* (Incipit cronica Montis Sereni 1492.) *cum appendice genealogiam Wettinensium principum complectente in foliis* 84, *una eademque manu plane ac dilucide scriptum. Singulae paginae linearum sunt* 32. *A manu recentiori in margine adnotationes nullius pretii appositae sunt. In extrema appendicis pagina legitur:*

---

[41] p. 185: *Post mortem autem Heinrici captivitate solutus anno* 1127. *liberalitate Luderi imperatoris marchiam Misnensem suscepit.*

[42] Cum haec verba in codice Freheriano desint, in editione Eoksteiniana non inveniuntur.

[43] Qui Annales stemmata genealogica inserere valde adamaverunt, v. Günther l. c. p. 43. W.

[44] Typis evulgavit Ludewig in Rel. Manuscr. VIII, p. 184—186.

[45] ap. Stenzel, SS. rerum Silesicarum II, p. 166 sqq.

[46] In codicis Dresdensis (3) folio 124 in margine inferiore scriptum est: *Explicit chronica Montis Sereni, anno Domini MCCCCLXXVIII in vigilia sanctorum Dionysii et sociorum eius, hora quasi secunda post meridiem.* In codicis Gottingensis (1*) fol. 104 (361) in margine inferiore scripsit Albinus: *Fabricius habuit vetustius exemplum scriptum videlicet, potius finitum scribendo anno* 1478. *in vigilia Dionysii.*

Finit 1492. — b) *Chronicon Thomasium Lipsicum. Incipit his verbis:* Noe habuit tres filios, *explicit:* et omnem populum occidentes senes cum iunioribus, *folia* 14 *complectens.* — c) *Chronicon marchionum Misnensium teutonice scriptum sub hoc titulo:* Hir nach folget die cronicke der margraven von Missen Und wie sye an dye margraffschafft unde fürstenthum komen seynt nach laut der cronicken off sant Petersberge, *quae inscriptio consentit cum libro Norimbergensi, quem Menckenius ab Iacobo Imhoffio accepti*[47]. *Incipit hoc chronicon:* Zu den zeithen des grossen keysers Karoli, der do XXX jar kriegete wider das land; *explicit his verbis:* wan ich habe in der cronicke, darauf ich geschriben habe, nicht mehr funden bis zo ferne anno Domini 1508. in die sancti Laurentii. — d) *Chronicon Thuringicum inde ab a.* 1426. *usque ad* 1488.[48] *Incipit hic liber:* Von dem streite vor Ossigk wie der gescheen ist, *explicit:* disse geschichte hat geschriben Hans Pücherler mitynwoner zw Florentz seynen gutten friunden anno Domini 1488. 28. Aprilis. *Hic codex quondam fuit Marquardi Freheri, cuius nomen in primo folio inscriptum est, de quo Heinricus Meibomius senior acceptum*[49] *manu sua descripsit. Qua descriptione Ioachimus Maderus in prima chronici editione pro fundamento usus est. In primo folio a manu recentiore scriptum est:* Conradi presbyteri Lauterbergensis chronicon Monasterii S. Petri in monte Sereno prope Halim Saxonicon. *Ex eo codice a.* 1506. *descriptum est Chronicon in*

1*. *Codicem Gottingensem, chartaceum, folio, saec. XVI. ineuntis, satis diligenter et distincte scriptum, in foliis* 257—361. *In extremo opere legitur:* Finit 1506. transfigurationis Domini in vigilia[50]. *Scribam huius codicis chronicon Montis Sereni non ex exemplari anni* 1478, *sed ex codice Halensi descripsisse, ostendunt multae mendae in ambobus pariter occurrentes, quae in aliis ex fonte communi fluentibus codicibus non inveniuntur. Hi errores postea ab Albino professore Wittenbergensi, qui codicis anni* 1478. *exemplum fecerat, atramento rubro emendati sunt. Necessarium igitur mihi non fuit, hunc codicem ad textum constituendum adhibere, cum verba, quae ab Halensis codicis lectione differunt, scribae incuriae attribuenda sint. In prima pagina chronici scripsit Albinus:* Conradi presbyteri montis Sereni vel Lauterbergensis chronicon; *in margine inferiore folii* 361 *addidit:* Fabricius habuit vetustius exemplum scriptum videlicet, potius finitum scribendo a. 1478. in vigilia Dionysii *et:* exemplum huius chronici invenit D. D. Reiserus vir amplissimus in bibliotheca D. Wolfgangi Henning, quod descriptum ab eo est a. 1549[51].

2. *Codex Dessaviensis, vol. V. nr. fol.* 224^b, *chartaceus, saec. XVI. Continet solum Chronicon Montis Sereni in* 33 *quaternionibus per litteras A—Z, aa—kk distinctis una eademque manu levi calamo scriptum. In pagina prima vacua a recentiori manu legitur:* Incipiunt Cronica Conradi presbiteri canonici Montis Sereni anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo primo[52]. *In folio membranaceo, quo codex compactus est, inscriptio talis est:* Chronica Conradi Brespiteri canonici Montis Sereni, *et ab alia manu additum:* anno 1221.

3. *Codex Dresdensis, folio, chartaceus, sub titulo:* Albini Chronicon

---

[47] V. Menckenii SS. II. praefationem ad chronicon Montis Sereni.

[48] typis vulgatum ap. Mencken SS. II, 417—434, ex libro Schurzfleischiano, quem eidem I. M. Gesner ex bibliotheca Wimariensi transmiserat.

[49] Meibom, SS. II, 371.

[50] Cf. huius codicis descriptionem accuratam in Archiv VII, p. 450, et supra SS. V, p. 150.

[51] Fortassis codex hic memoratus idem est, qui nunc Dessaviae servatur, v. codicem Dessaviensem 2.

[52] Unde hic numerus sit nescio. Chronicon eodem modo quo in ceteris codicibus incipit et explicit.

Lauterbergense (*R.* 102), *modernis temporibus compactus in bibliotheca Regia Dresdensi servatur. Petrus Albinus, qui Augusto Saxoniae electore iubente res Misnicas sermone vernaculo scribere conatus est, ab eodem codicem chronici Montis Sereni accepit et descripsit. In pagina prima legitur:* Chronicon Lauterbergense ab anno 1124. usque ad annum 1225. *Ab alia manu uncis inclusa verba addita sunt:* Peter Albinus manu sua scripsit. *Continet codex folia* 124. *In opere extremo legitur:* Explicit chronica Montis Sereni anno Domini MCCCCLXXVIII. in vigilia sanctorum Dionysii et sociorum eius, hora quasi secunda post meridiem.

Editiones chronici hae sunt:

Chronicon Montis Sereni sive Lauterbergense etc. edidit Ioachim Iohannes Maderus, Helmstadi a. 1665. *Maderus autem non ipso, ut supra dictum est, codice Freheriano, nunc Halensi, sed exemplari manu Meibomii senioris descripto atque anno* 1625. *Brunswigam misso utebatur. Postea in Iohannis Schwarzkopfii bibliotheca exstans ab eodem Madero datum est*[53]. *In hac Meibomii descriptione nonnullae appendicis genealogicae paginae perierunt*[54]. *Ceterum Maderus suam editionem multis legendi erroribus maculavit.*

Maderianam editionem iteravit sine ulla differentia nisi novis maculis contaminatam Hoffmannus in Scriptorum rerum Lusaticarum tomo IV. p. 1—106.

Tertio edidit hoc chronicon I. B. Mencken in Scriptorum rer. Germanic. tom. II, p. 165—312. *Praeter Chronicon Vetero-Cellense et duas versiones vernaculas eiusdem chronici*[55] *maximo ei fructui erant lectiones codicis Gottingensis a Ludovico de Plotho, cuius erat tum codex, Menckenio transmissae, quibus editionis Maderianae errores emendari possent. Cum autem, ut supra ostendimus, codex Gottingensis sola Halensis codicis copia sit, Menckenii editio unius solius codicis auctoritate nisa censenda est.*

Etiam vir cl. Eckstein, qui primo in Halensis scholae Latinae programmatis tribus a. 1844. 1845. 1846, *deinde a.* 1856. *Halis Saxonum Chronicon Montis Sereni edidit, solum codicem Halensem in textu constituendo secutus est, nonnullos locos corruptos coniectura restituens.*

Ex codice Dresdensi A. Köhler in libro Das Kloster des heiligen Peter auf dem Lauterberge bei Halle *res ad historiam monasterii pertinentes typis evulgavit.*

Berolini die 28. *Septembris* 1871.

ERNESTUS EHRENFEUCHTER.

Consideranti michi[a], rerum preteritarum noticiam utilitati legencium crebro proficere, nata est voluntas, cum[b] adiutorio Iesu Christi Domini hoc opus assumere, ut annos a fundacione ecclesie nostre et nomina prelatorum et successiones et tempora et gesta ipsorum colligerem et narracionem de hiis, ut possem, competencius ordinarem. Seniores autem, qui, quod de hiis verum erat, scire poterant, et quorum dictis grandevitas fidem faciebat,

a) *in cod.* 3 *semper* mihi *legitur.* b) in 2.

---

[53] Cf. Meibom, SS. II, p. 372. Maderi praef. 23. Schrader in praefat. ad Meibomii chronicon Marienthalense dicit, hoc exemplum Wolferbyti superesse; cf. Archiv XI, p. 313.

[54] Cf. Maderum p. 206; cuius verba: *reliqua huius additamenta eaque perpauca periere* inepte ab omnibus editoribus iterata sunt.

[55] Cf. praef. ad Chron. Montis Sereni.

principio huius narracionis auctores habui. Nonnulla eciam talium ex privilegiis fundatoris[a] et aliorum[b] principum et ex breviariis, quos in veteribus libris sparsim inveni, coagitata non sine studio congregavi. Verum quia perpauca hoc vel illo modo de hiis[c] investigare potui meumque erat propositum, ut annorum nullus narracione vacuus remaneret, hoc autem ex paucitate gestorum, que investigaveram, impleri non poterat, non inutile credidi, quia propria deerant, aliena[d] mutuare[e] et ad eum, quem predixi, defectum supplendum aliorum gesta et casus extrinsecos, hoc est ad propositum non pertinentes, dignos tamen memoria, nostris interserere. Quod eciam usque adeo secutus sum, ut pene ubique aliena[f] propriis pro sola dumtaxat delectacione legencium permiscerem. Nemo autem pro eo, quod scriptorem fortassis iuste contempnit, si quid utilitatis ex hoc opere consequi valuerit, contempnendum pariter arbitretur, quia tritico in se contento vilitas cophini nichil[g] derogat, nec aqua centempnitur, quam usibus hominum plumbi fistula subministrat.

Anno itaque ab incarnacione Domini 1124[h], indiccione secunda, presidente summo pontifice Calisto II, pontificatus eius anno 6, imperante Heinrico[i] huius nominis V, imperii eius anno 13, anno ab ordinacione Alberti primi Magdeburgensis archiepiscopi 156[k], sub Rochero 12. Magdeburgense archiepiscopo, pontificatus eius anno 5, anno a fundacione Hallensis ecclesie 9.[56] Dedo comes[57], filius Thiemonis[l] comitis et Ide[58], ecclesiam beati Petri in Sereno Monte inchoavit, deputatisque[m] in usum Deo ibi serviencium ex proprietate sua reditibus, Herminoldo, tunc Gerbestadensi[59] preposito, loci ipsius procuracionem commisit; quique administracione priori relicta Sereni Montis primus est prepositus constitutus. Verum quoniam comes idem locum resurreccionis Christi visitandi votum habebat, recepta de episcoporum[60] consilio uxore sua Berta, quam repudiaverat, que erat filia Wiperti marchionis de Groitz, proficiscens fratremque suum Conradum comitem tocius proprietatis sue nec minus boni incepti heredem ordinans, promocionem eius ipsi fideliter iniunxit. Expletoque voto cum rediret, moriens partem ligni Domini ecclesie iam dicte transmisit, nimirum, ut credo, intelligens, antiquum hostem, quem[n] iam ab illo loco per institucionem divini servicii perturbaverat, per presenciam ligni salutaris, in quo semel triumphatus est, efficacius debellari. Est autem crux permodica, argento inclusa, que ibidem usque hodie conservatur.

Anno[o] 1124. Calistus papa II. obiit, cui successit Honorius II, qui et Lambertus, Hostiensis episcopus[61]. Eclipsis solis facta est 3. Idus Augusti hora diei sexta. Fridericus comes de Arnisbergk obiit. Rudolfus marchio obiit. Ann. Magd.

[p]Anno 1125. Conradus comes de Witin[q], fraterne devocionis fidelis heres, capellam Lubechune, ad quam pertinent 26 mansi, et capellam Oztroe[r][62], ad quam pertinent 4 mansi, preter hec eciam de predio suo 120 mansos ecclesie beati Petri in Sereno Monte contulit, promocionis eius evidenter curam se gerere demonstrans; unde eciam non inmerito fundatoris nomen hereditavit. Uxor quoque illius Lucardis nomine, que fuit filia Alberti cuiusdam nobilissimi de Swevia[63], non minori erga[s] locum ipsum sollicitudine vigilabat, non solum mariti devocionem suis exhortacionibus ad meliora semper incitando, verum eciam predia de suis pecuniis empta ipsi ecclesie conferendo. Ex quibus sunt, que adhuc eadem possidet ecclesia, in villa[t] Hizzekendorp[64] 18 mansi, Salzemunde[65] 13 mansi,

---

a) fundacionis 2. b) aliquorum 3. c) iis 3. d) alie 1. e) mutuari *in cod.* 3 *verbo* nunciare *deleto superscriptum est.* f) alia 1. g) *in cod.* 3 *semper* nihil *legitur.* h) MXXIIII 1. i) Henrico 2. k) *sic correxi ex Annal. Vetero-Cellensibus ap. Mencken, SS. II,* 383, *et Ioh. Tylichii Chronico Missnensi ap. Schannat Vindemiae litterar. II, p.* 76; *in* 1 *numerus deest; manus posterior margini inscripsit:* CLVI; *in* 2 CXVI; *in* 3 CCVI *legitur. Apparet hunc numerum in archetypo paene deletum fuisse.* l) Thimonis 3. m) deputatis 3. n) qui 1. 2. o) *in cod.* 2 *lemma sequitur:* De Honorio, qui exposuit cantica canticorum. p) *in cod.* 2 *sequitur lemma:* De capella Lubechune. q) Wetyn 1; Wittin 2. r) Oztrot 3. s) ergo 1. 2. t) ville 2.

56) A. 1116. Adelgotus archiepiscopus fundamentum monasterii Novi operis iecit. Ann. Pegavienses SS. XVI, p. 253. 57) de Wettin. 58) filiae Ottonis de Nordheim. 59) Gerbstädt in comitatu Mansfeldensi. 60) episcoporum Ruotgeri Magdeburgensis et Arnoldi Merseburgensis; cf. Ann. Vetero-Cellenses ap Mencken II, 382. 61) Cf. Annalistam Saxonem. 62) Löbejün, Ostrau prope Montem Serenum. 63) fortassis Alberti, comitis de Ravenstein, et Bertae, fundatorum monasterii Elchingen, a. 1142. a Conrado et Luitgarda renovati; cf. Schöttgen, de Luitgardis origine Suevica, p. 8. 64) Locus ignotus, cuius nusquam mentio fit, in Annal. Vetero-Cellensibus Slizzekrindorff, in versione Schurzfleischiana Beyzkendorf, in versione Imhofiana Hitzendorf dictus. 65) Salzmünden in comitatu Mansfeldensi.

Udene[66] 6 mansi, Buzedal[67] 5 mansi, Pellize[68] 2. Quedam vero per concambium aliorum bonorum post mortem ipsius alienata sunt[69].

Mai. 23. Heinricus imperator V. obiit 10. Kal. Iunii[a]. Huius duces contra Saxones in loco,
1115. Febr. 10. qui Welpisholt dicitur, pugnantes victi sunt anno 1115, ubi maxima strages hominum facta
Ann. Magd. est. Luderus, Gevehardi comitis filius, dux Saxonum, Moguncie[b] in regem eligitur. Rocherus 12. Magde-
cf. Ann. Sax. Dec. 19. burgensis archiepiscopus obiit 14. Kal. Ianuarii; sedit annis 6. Gumbertus Havelbergensis[c]
episcopus obiit.

1126. Anno 1126. Dissensio inter Conradum comitem de Witin et Heinricum Misnensem marchionem, cognatum ipsius, qui eciam[d] de Ileburgk[70] dicebatur, preter alias, precipue tamen[e] pro huiusmodi causa exorta est. Accidit ut quidam occasione narrandi aliquid coram Conrado comite Heinrici marchionis mencionem faciens, eum cognatum ipsius appellaret. Comes vero cum contemptu respondit, eum, qui filius esset coci, cognatum suum non esse. Huius autem sermonis occasio talis fuit: Heinricus marchio de Ileburgk senior, pater huius, uxorem[71] pregnantem[f] fertur moriens reliquisse[72]. Quod cum illa in sepultura ipsius, utero tumenti demonstrato, presentibus[g] indicasset, quia Conradus[h] comes marchionis mortui heres futurus erat, si filium non reliquisset[73], quidam ministerialium eius huiusmodi rumorem divulgaverunt, quod ipsa plumacio ventri alligato pregnantem[f] se esse hoc artificio mentiretur. Quo illa cognito, die quadam universis mariti sui ministerialibus convocatis, in medio ipsorum in loco eminenti astans, devoluto ex humeris et usque ad nates pallio, nudam se ostendit dicens, ut ipsi, an vere esset gravida, iudicarent. Postquam vero enixa est, rursus illi talem sparserunt rumorem, quod feminam peperisset eamque pro filio cuiusdam paupercule, que maritum habebat cocum et[i] eadem hora pepererat, commutasset. Hac racione comes eum coci filium appellavit. Quidam ministerialium Conradi comitis, Heldolfus nomine, avus Simeonis et Gevehardi de Zcurbeke[k. 74], in quodam colloquio, quod inter prefatum comitem et Heinricum marchionem de Ileburgk in ipso castro agebatur, in ecclesia beati Petri altare complexus, quasi ad probandum, quod Heinricus marchio pro femina commutatus fuisset, ita se obligavit ut, si idem filius esset Heinrici marchionis, ipse sui corporis perderet sanitatem. Quo rumore comperto, marchio admodum motus, ut suam iniuriam vindicarent[l], omnibus suis fidelibus supplicavit. Quorum duo eundem Heldolfum diu insidiis appetentes, tandem oportune in itinere repertum adgrediuntur. Quos ille sibi instantes videns, quamvis suspectos haberet[m], tamen equo, cui sedebat, confisus necdum agnitis eis fugere devitabat. Sed cum iam prope essent, recedere volens equumque calcaribus urgens movere non potuit, sicque illis irruentibus captus et oculis, naso, labiis, lingua, auribus mutilatus, proprie malediccionis effectu visus est probasse, quod Heinricus marchio non fuerit pro femina commutatus. Quod verbum cum[n] multis sibi vicissim referentibus ad marchionis noticiam pervenisset[o], cum et prius amici non fuissent, indignacione gravi permotus bellum comiti intulit, eumque captum et in castro Kircbergk custodie traditum lecto ferreo et multis malis usque ad mortem suam oppressum detinuit. Luderus rex cum exercitu Boemiam ingressus, repentina invasione hostium plurimis suorum perditis nec paucioribus hostium occisis, cum paucis evasit, ubi Arnoldus Mersburgensis episcopus occisus est. In hoc casu episcopus Hildenesheimensis
Febr. 18. 50[p] milites, quos in ea expedicione duxerat, dicitur perdidisse. Hoc accidit 12. Kal. Marcii. Rochero archiepiscopo successit Norbertus.

Anno 1127. Heinricus marchio obiit[75]. Cuius morte[q] in castro Kircberg nunciata, cum

---

a) Ianuarii 2. 3. b) Maguncie 2; Mogontiae 3. c) Havelbergius 3. d) et 2. e) tum 3. f) prengnant. 2. g) parentibus 3. h) Conradi 1. i) *ante verbum* et *in cod.* 1 quae *a manu recentiori lineae superscriptum est.* k) Czurwicke 2. l) *sic correxi ex* vindicaret *codd.* m) habuit 2. n) quia 3. o) provenisset 2. p) et 200 2; *in cod.* 3 *numerus* L *verbo* ita *oblitterato superscriptus est.* q) mortem 2. 3.

[66] desertum prope Schiepzig. [67] Pfützenthal, prope Wettin ad meridiem versus situm. [68] Ober-Plötz. [69] In charta a Conrado marchione anno 1156. die 30. mensis Novembris monasterio S. Petri in Sereno Monte data hae possessiones fusius enumeratae sunt. V. ap. Köhler l. c. p. 48. [70] Eilenburg. [71] Gertrudem, filiam Ecberti I. Misnensis marchionis. [72] Heinricus I. Misnensis marchio obiit a. 1103. [73] Heinrici I. marchionis pater Dedo et Conradi comitis pater Thimo fratres fuisse dicuntur. Sed verisimilius est, Heinricum I. avunculum Conradi fuisse; v. Cohn, Wettinische Studien in Thüring. antiquarische Mittheilungen XI, p. 135. [74] Zörbig. [75] Error manifestus. Heinricus obiit a. 1123; cf. Ann. Saxonem SS. VI, p. 759; Ann. Rosenfeldenses XVI, p. 104 et Pegavienses p. 254. Qua ex re apparet, discordiam inter Heinricum et Conradum non a. 1126, ut supra dictum est, exarsisse.

eam ex luctu familie Conradus comes intellexisset, persuasis custodibus suis, dimissus et ad Luderum regem profectus, interventu Richice regine, cuius erat cognatus[76], marchiam Misnensem obtinuit. Preterea tocius proprietatis Heinrici marchionis heres effectus est. Eo tempore Herminoldo preposito Romam ad Honorium papam directo, ecclesiam Sereni Montis in ius et proprietatem Romane ecclesie sub annua pensione unius aurei vel fertonis argenti recipi et in ea ordinem canonicorum regularium institui postulavit tali[a] modo:

Domino beatissimo meritoque venerabili et in Christo honorando pape Honorio Conradus marchio Misnensis una cum uxore sua Lukarda et filiis debitam in Christo subieccionem. Quia Deus omnipotens, in cuius conspectu ab inicio cuncta post futura sunt presencia, vos tocius ecclesie caput instituit, iustum est vestra auctoritate confirmari quidquid quis de sua possessione in ius ecclesiasticum obtulerit. Nos ergo vestram obsecramus paternitatem, quatenus nostram licet parvam oblacionem stabilire non dedignemini, nec hec aliqua usurpacionis temeritate ad nos delata suspicemini. Obtulimus beato Petro, principi apostolorum, pro remedio anime nostre et parentum nostrorum ex predio nostro hereditario locum quendam, qui dicitur Mons Serenus, cum capella Lobechune, ad quam pertinent 26 mansi, et cum capella in Ostraw, ad quam pertinent 4 mansi, et insuper de predio nostro 120 mansos, hac determinacione, ut canonici sub regula beati Augustini ibidem Deo libere servientes singulis annis unum bisancium auri vel fertonem argenti beato Petro in Roma persolvant; et post presentem prepositum in claustro suo, vel ubicunque pociori parti placuerit, alium eligant; crisma, oleum sanctum, consecraciones altarium vel basilicarum, ordinaciones canonicorum, qui fuerint ad sacros ordines promovendi, ab archiepiscopo Magdeburgensi, in cuius sunt diocesi, recipiant, siquidem graciam atque communionem apostolice sedis habuerit et si ea gratis ac sine pravitate voluerit exhibere. Alioquin liceat eis catholicum, quem maluerint, adire antistitem et ab eo consecracionum sacramenta suscipere, qui apostolice sedis fultus auctoritate, que postulantur, indulgeat. Me vero, dum vixero, et post me seniorem de filiis meis vel quemlibet heredem meum seniorem advocatum habeant, cui nichil nisi ad proprium velle secularis servicii debeant, predictum eciam montem nulli umquam bellicosis propugnaculis munire audeant. Hec omnia sigillo vestro, ut rogavimus, in posterum confirmate et nobis, licet indignis, exoptabilem vestram benediccionem remandate[a].

Cuius peticioni papa annuens privilegium de hiis[b] per prefatum prepositum ipsi transmisit[77]. Caroldus comes Flandrie in ecclesia a suis servientibus occisus est. Meinfridus Sclavus de Brandenburc Ann. Magd. occisus est. Wilhelmus comes Pictavorum[c] obiit. Heinricus dux Bavarorum[d] Gertrudem, filiam Luderi regis, duxit uxorem. Eodem anno Conradus, frater Friderici ducis Suevorum, machinantibus quibusdam principibus regium nomen tirannice sibi imposuit, propter[e] quod a tribus archiepiscopis, Moguntinensi, Saltzburgensi et Magdeburgensi, et eorum suffraganeis[f] excommunicatus et ab omni ecclesia anatematizatus est.

Anno 1128. Herminoldus prepositus privilegium exempcionis ab Honorio papa ecclesie 1128. Mai. 22. Sereni Montis missum attulit 11. Kal. Iunii. Conradus tirannus et Fridericus frater eius ab Honorio ibid papa in die pasche[g] excommunicati sunt. Otto Halverstadensis episcopus Rome ab Honorio papa deponitur. Erkenbertus Corbeiensis[h] abbas obiit[78]. Herminoldus primus Sereni Montis prepositus obiit 2. Idus Decembris, sedit annis tribus et amplius, quod determinatum non est a senioribus. Dec. 12. Post hunc electus est Luderus a fratribus illius temporis contra placitum quidem Conradi marchionis, quoniam prepositus idem familie[79] marchionis Alberti de Brandenburgk consanguinitate[i] iungebatur. Iamque gravis discordia inter prescriptos principes inflammata erat, et suspectus videbatur prepositus, ne forte marchioni Conrado vel suis in aliquo fieret onerosus. Preposituram tamen obtinuit. Hic maioris ecclesie fundamenta iecit eamque partem monasterii que est a turri usque ad arcem crucis construxit. Ante hoc autem fratres illius temporis celebracionem divinorum aput capellam veterem frequentabant, habentes habitacula usibus suis necessaria ad occidentalem partem eiusdem capelle. De

---

a) *verba inde ab:* tali modo: Domino *usque ad:* benediccionem remandate *desunt* 2 *et* 3. b) iis 3. c) Pictaviorum 3. d) Bawariorum 2. e) propterea 3. f) suffrageis 1. g) pasce 2. h) *sic correxi ex* Coberensis *codd.* i) consagwinitate 1.

76) Richeza filia Heinrici comitis de Nordheim consobrina fuit Conradi; cf. supra not. 58. Cf. Ann. Vetero-Cellenses, SS. XVI, p. 42. 77) V. Honorii II. papae chartam anno 1128. die 9. m. Martii datam, ap. Köhler, Das Kloster des heiligen Petrus auf dem Lauterberge bei Halle p. 47; et privilegium Innocentii III. anno 1201. ap. Eckstein, Chron. Montis Sereni p. 66. 78) Oct. 7; cf. Calendarium Pegaviense ap. Mencken SS. II, p. 146. 79) i. e. ministesterialibus. Errat igitur Heinemann, Albrecht der Bär, qui p. 78 et 329 Luderum consanguineum Alberti marchionis fuisse dicit.

hac siquidem capella nullus seniorum nostri temporis, quorum plerosque amplius quam septuagenarios vidi, ab aliquo suorum priorum eque senum compertum habuit, quis eius edificator vel dedicator fuerit, licet hoc, ut asserunt, non sine sollicitudine a pluribus sit Iul. 30. investigatum. Festivitas tamen dedicacionis eius ex antiqua consuetudine 3.[a] Kal. Augusti celebris habetur. Est autem[b] hec ecclesia, sicut et maior[c], principis apostolorum nomine et opere insignis, quod[d] annuo iam dicte[e] festivitatis tempore fidelium illuc concurrencium testatur frequencia, qui variis deprehensi incommodis seu periculis, ubi[e*] cum oblacionibus ad limina apostoli in hoc loco devenerunt, ab omni contrarii casus malicia meritis ipsius se sub celeritate liberari et voce et votorum persolucionibus protestantur. Omnia autem eius beneficia, quibus pro memoria sui nominis, que est in hoc loco, fideliter se invocantibus dignatur succurrere, scripto comprehendere non minus inutile quam impossibile credo, quippe cum in numerositate[f] sui et discoherencia locorum, in quibus exhibentur, noticiam effugiant et fastidiosis lectoribus incredulitatis vel detraccionis peccatum valeant procurare. Pauca tamen veraciter comperta ad incitandam devocionem[g] eorum, qui fideliter legent, licet per anticipacionem hic inserere non obmittam. Edificium capelle crebris scissuris[h] ruinam minari videbatur, placuitque preposito Ekkehardo[80], ut adiecto[i] extrinsecus novo muro fulciretur, intrinsecus vero rime[k] patentes superducto calcis tegmine celarentur[l]. Perfecto opere, superveniente cuiusdam sabbati[m] vespera, structuris illis, in quibus cementarii ad levigandum sanctuarium constiterant, super altare et circumquaque remanentibus, parrochiano, cuius nomen erat Ebbeko[81], necessitas obvenerat, ut sequenti die dominica populo in maiori ecclesia missarum sollempnia celebraret. Hoc itaque preordinato cum circa horam crepusculi, accenso nocturnali lumine, hostio[n] clauso discessisset[o], regressus nocte media ad matutinas dicendas omnem illam structuram ab altari remotam et extra sanctuarium in uno loco compositam celebracioni divinorum locum reperit prebuisse. Miratus admodum cecum quendam, Reinherum nomine, qui in vestibulo ecclesie dormire erat solitus, requisivit, utrum strepitum aliquem in eadem capella noctis tempore sensisset. Illo cum iuracione negante, se vel modicum motum sensisse, divinum illud opus fuisse fideliter credendum est[p]. Conrado de Cize tunc parrochiano teste didici, rusticum quendam, Christianum nomine, de invencione pecunie suffosse aput nobilem quendam Fridericum de Crozuc[82] diffamatum et ab eo captum et cum alio quodam compeditum et in carcere[q] positum, cum nomen apostoli sepius invocaret, vidisse[r] nocte quendam[s] senem venerandi vultus et habitus astantem sibique dicentem: *Sequere me.* Qui cum se non solum vinculorum, sed eciam convincti sui, quominus illum sequi posset, impedimento detineri quereretur, ille, ut excitato socio atque ad egrediendum admonito se sequeretur, iterato precipiens preiensque per angustum aditum sequentes eduxit. Cumque iam municione relicta extra ville ambitum constituti nexu compedis repente se carere mirarentur, ille ductor ei, cui apparuerat, ut se beati Petri patrocinio liberatos intelligerent, insinuans idque in ecclesia nominis eius, que in vicino esset monte, eos insinuare precipiens, disparuit. Hec ita gesta, eodem Christiano referente, predictus parrochianus se cognovisse fatebatur, ego ipsam[t] compedem in eadem[u] ecclesia suspensam vidi. Alium eque rusticum, opilionem officio, dominus suus, qui rebus eius inhiabat, captum custodie tradidit, ut, si quid haberet pecunie, tormentis extorqueret. Illo se habere negante, dorso eius et natibus nudatis lardum, crebris hastulis insertis hiisque[v] accensis, defluentem instillari precepit. Territus miser aditu[w] supplicii cum nomen beati Petri et corde et ore crebro auxilium eius petendo repeteret seque ipsum cum oblacionibus suis annis singulis ad prefatam memoriam fideliter vovisset, cepit igneas stillas lardi, ac si aque[x] tepide, sine sensu doloris cuiuslibet sustinere. Mirantibus qui aderant dominumque eius, ne amplius eum, qui sic aperte divinitus esset adiutus, vexare presumeret admonentibus, cum quidem ille nec motu corporis nec iactacione vocis signum aliquod doloris ostenderet, dimissus est. Idem autem pro persolucione votorum suorum adveniens, hec ita gesta prefato parrochiano, liberatori suo grates referens, enarravit. Mulier quedam paupercula vestem filii sui parvuli cum graciarum accione ad prefatam memoriam afferens prenominato parrochiano retulit quod, cum idem puer egritudine vexatus ita iaceret[a], ut utrum viveret an mortuus esset, omnino dubium remansisset, repente postquam votum offerendi annuas beato Petro pro ipso oblaciones plena fide obtulit, eum vite viderit restitutum. Memini me audisse unum de fratribus nostris, qui eo tempore adiutor erat parrochiani, referentem, quendam, cum naviculam argenteam ad altare obtulisset, dixisse, se post[b] illius muneris votum a maximo[c] tempestatis periculo liberatum. Alius quidam, qui se leprosum fuisse et meritis beati Petri in hoc loco mundatum fuisse asserebat, nolam, cuius signo huiusmodi homines elemosinam solent petere, quam ipse vidi, ad altare obtulit et cum fideli protestacione beneficii et graciarum accione discessit. Hoc tempore Tiderici parrochiani factum ipso referente cognovi. Hec occasione veteris capelle dicta sufficiant.

---

[a] I. 2. [b] et 1. [c] maiorum 2. [d] quia 1. [e] anno iam dicto 3. [e*] se *add. male* 1—3. [f] humerositate 1. 2. [g] devocioni 2. [h] scissuris 1. 2. [i] adiecta 2; a domo 3. [k] ruinae 3. [l] celaretur 3. [m] sabathi 1. [n] ostio 3. [o] discessit 1. [p] creditum est 3. [q] carcerem 3. [r] vidit 1. [s] quadam 3. [t] ipsum 3. [u] eadem *in cod.* 2 *lineae ab eadem manu superscriptum est.* [v] iisque 3. [w] auditu 1; *in cod.* 2 *verbum* aditu *oblitteratum et* auditu *lineae superscriptum est.* [x] aqua 1.

[80] Ekkehardus a. 1151. praepositus constitutus est.

[81] De hoc Ebbekone cf. Vitam beati Lamberti ap. Dreyhaupt, Beschreibung des Saalkreises I, p. 717.

[82] Fridericus de Krosigk filius erat Dedonis II. de Krosigk, cf. Chron. Marienthalense ap. Meibom. II, p. 258.

Anno 1129. Luderus rex penthecosten[c*] Quidelingenburc celebravit, monasteriumque sancti Servacii ipso insti- Ann. Magd.
tuente feria[d] secunda[e] dedicatum est ab episcopis Hildesheimense et Mindense. Albertus marchio Hildegesburch[f] Iun. 3.
quadam nocte cepit et incendit. Spiram rex secundo obsessam recepit. In commemoracione sancti Pauli facta Iun. 30.
est commocio civium Magdeburgensium contra Norbertum archiepiscopum, eo quod maiorem ecclesiam, quam pollutam
audierat, nocturno tempore purificaverit[g]. Crescente itaque tumultu ascendit in superiora antiquioris monasterii cum
Misnense et Havelburgense episcopis et preposito maioris ecclesie, ibique diu obsessus est, sevientibus[h] atque obiurgan-
tibus eum civibus, quod altaria fregerit et reliquias sanctorum furto abstulerit. Sed hunc divina gracia mirabiliter eripuit,
et eos postmodum per censuram ecclesiasticam coactos sibi subiecit.

Anno 1130. Bertoldus Hildinesemensis[i] episcopus obiit, pro quo Bernhardus eiusdem
ecclesie canonicus constituitur[83]. Udo comes de Vrakelive[k] ab hominibus Alberti marchionis occisus Ann. Magd.
est. Conradus de Ekstide apud Hallam a civibus eiusdem opidi cum aliis multis occisus est. Honorius papa cf. Ann. Peg.
obiit, cui successit Gregorius, mutato nomine Innocencius, contra quem alter Petrus Leo
electus est, mutato nomine Anacletus, et ambo uno die consecrati referuntur. Ecclesia Febr. 23.
tamen fere tota in pontificatum Innocencii consensit. Heinricus comes et signifer regis, frater Ann. Magd.
Ludovici comitis de Thuringia, clam occisus est. Burkardus de Luknem, comes Fresonum[l], a militibus domini sui
voluntate ipsius in quodam cimiterio occisus est. Huius perfidie vindex Luderus rex Wincenburch[m] castrum ipsius fregit
et comitatum ipsius dedit Ludovico predicto[n] de Thuringia. Innocencius papa Wirceburg[o] a Ludero rege et omnibus ibi
congregatis eligitur et confirmatur.

Anno 1131. Norbertus Magdeburgensis ecclesie[p] archiepiscopus ecclesiam in Gracia Dei in honore[q] sancte Fund. Gratiae Dei.
Dei[r] genitricis perpetue virginis et sancti Victoris martiris de proprietate nobilis viri Ottonis, comitis de Crudorp[84],
fundavit primosque lapides in fundamento ecclesie cum prefato comite propriis manibus imposuit eundemque virum seculo
renunciantem in ecclesia, cuius fundator extitit, canonicum fecit et in diaconatus ordinem promovit. Primus ecclesie
illius prepositus extitit Emelricus, qui post breve transmarinavit, post quem Evermodus, postmodum Ratesburgensis epi-
scopus, provisor loci ordinatur. Omnes autem ordinis illius clerici Magdeburgensis diocesis obediencie[s] votum episcopo
crebro et non[t] suis prepositis faciebant. Sinodus generalis aput Leodium in quadragesima habita est, presidente papa Ann. Magd.
Innocencio, presente rege Ludero et regina Richza, ibique ab ipso apostolico et omni ecclesia ibi collecta excommunicati
sunt Petrus Leo, Conradus tirannus et Fridericus frater suus cum omnibus illis faventibus. Otho eciam[u] Halver-
stadensis episcopus, ab Honorio papa depositus, ibidem peticione regis et tocius ecclesie restitutus est. Heinricus
Magdeburgensis prefectus, filius Wiperti marchionis de Groitz, marchiam, quam patre suo defuncto comes Adelbertus
a rege acquisierat, iure legali recepit, anno post mortem patris octavo[85]. Rex Saxoniam regressus collecto
exercitu Danos devicit. Innocencius papa secundus sinodum Remis celebrat. Fridericus Coloniensis episcopus obiit.

Anno 1132. Corpus sancti Godehardi 4. Non. Maii levatur anno a deposicione[v] ipsius 96.[86] Ek- ibid.
bertus Monasteriensis episcopus obiit, cui successit Wernherus[w] Halverstadensis canonicus, fratruelis sancti Annonis
Coloniensis archiepiscopi[x]. Bruno successit Friderico Coloniensi archiepiscopo. Cono Ratisponensis episcopus et
Hermannus Augustensis obierunt[y].

Anno 1133. Conradus marchio de Plozke in Italiam[z] cum rege pergens sagitta transfigitur, cuius corpus in ibid
patriam delatum sepultum est Kakelinge[a] cum parentibus suis. Rex mediante Norberto[b] archiepiscopo 2. Non. Iunii cfr. Ann. Pegav.
a papa Innocencio consecratur cum coniuge sua. Eclipsis solis facta est 4. Non. Augusti.

---

a) coniaceret 3. b) postquam 1. c) maxime 1. c*) pentecosten 2. 3. d) fertur 2. e) *in cod.* 2 secunda *verbo oblitterato* hoc *superscriptum est.* f) Hildegeberch 2. g) purificavit 1. h) sevientibus *deest* 3. i) Hildisemensis 2; Hildenesheimensis 3. k) *correxi ex* Vrakelme 1—3. l) Fresenum 3. m) Wincenberch 2. n) dicto 1. 2. o) Wirczburgk 1. p) *in cod.* 2 *verbum* ecclesie *lineae superscriptum est; in cod.* 1 *deest.* q) honorem 3. r) Dei *deest* 3. s) obediens 3. t) *in cod.* 1 *inter verba* episcopo *et* et non *spatium relictum, in cod.* 2 Udalrico *superscriptum est.* u) et 2. v) ad depositionem 3. w) *sic correxi ex Ann. Magdeburg.; codd. omnes habent* Wenberus. x) episcopi 1. y) obiit 2. z) Italia 2. 3. a) Bakelinge 3. b) *in cod.* 2 *inter* Norberto *et* archiepiscopo *male positum est* episcopo.

83) Haec eisdem verbis leguntur apud Annalistam Saxonem et fortasse Annalibus deperditis Nienburgensibus, vindicanda erunt; v. supra p. 131. 84) In Fundat. monast. Gratiae Dei SS. XX, p. 687 Otto comes de Reveninge dicitur. 85) Wipertus de Groitzsch obiit a. 1124. Mai. 22. Cf. Ann. Pegav. ad h. a. SS. XVI, 255. 86) Godehardus anno demum 1038. mortuus est.

Ann. Magd. Anno 1134. Adelbertus comes successit Conrado marchioni. Imperator celebrat pascha Halverstad, ubi quidam
de principibus Danorum, Magnus nomine, hominium imperatori[a] faciens regnum Dacie ab ipso suscepit et post
prestitum[b] iuramentum imperatori ad ecclesiam procedenti, circulo decoratus[c] aureo, gladium preportavit. Qui in patriam
reversus a quodam Heinrico occisus est cum 5 episcopis et 60 clericis. Pater eciam[d] eiusdem Nicolaus in civitate
Iun. 6. Slesvich[e] ante ecclesiam cum suis occisus est. Norbertus Magdeburgensis archiepiscopus obiit 8. Idus
Iunii, sepultus est in ecclesia sancte Marie Magdeburgensi[87], in qua ipse remotis[f] canonicis
secularibus canonicos Premonstratensis ordinis instituerat[88]. Imperator festum apostolorum
Iun. 29. Ann. Magd. Petri et Pauli celebrat Magdeburg, et Conradus eiusdem ecclesie canonicus omnium eleccione, imperatore consenciente[g],
archiepiscopus constituitur. Qui eciam post Rocherum electus episcopatum obtinuisset, nisi quod
abbas Sancti Iohannis de Monte[89] et maior[h] prepositus[90] restiterunt dicentes, non esse subdiaconum
ibid. eligendum[91]. Imperator cum exercitu Sueviam intravit propter Fridericum ducem et fratrem eius Conradum,
qui quoddam opidum, Ulma dictum, contra eum munierant et cives ad resistendum ei incitaverant. Sed Heinricus dux Bavarorum[i]
imperatorem preveniens opidum expugnavit, cepit et incendit, duce et fratre suo inde fugientibus. Postmodum
dux a pluribus sibi faventibus derelictus, necessitate coactus, nudis pedibus imperatorem adiit et per imperatricem
graciam ipsius obtinuit. Qui eciam per legatum apostolicum ibi presentem ab excommunicacione septem annorum
eum absolvi fecit, prestito iuramento, quod graciam imperatoris omni in posterum devocione mereretur.

Anno 1135. Dedicatum est monasterium Hallense a Conrado Magdeburgensi[k] archiepiscopo[92].
ibid. Ludowicus Augiensis abbas occisus est in ecclesia a ministerialibus suis per insidias, sicut fama fuit,
Odalrici, fratris Friderici comitis de Zolre[l], qui ei successit, sed ipse eodem anno veneno vitam finivit. Imperator
celebrat penthecosten Magdeburg, ubi Othilricus dux Boemorum et legati Bolizlai ducis Polonorum et Godefridi ducis
Lovanie, Ungarorum eciam[m] et Danorum nec non et Sclavorum cum principibus illuc venientibus affuerunt. Conradus
Misnensis marchio Ierosolimam profectus est[93]. Congregacio feminarum canonicarum in
Lutere in regularem ordinem sancti Benedicti ab imperatore commutatur, et Everhardus de monasterio sancti Iohannis
Magdeburgense illuc cum monachis primus abbas mittitur, et eodem anno ab imperatore et eius coniuge positis in
fundamento primis lapidibus novum monasterium inchoatur. Imperator assumpcionem sancte Marie in[n] Mersenburg
celebrat, ubi Bolizlaus dux Polonie et Othilricus dux Boemie cum ceteris principibus affuerunt, ubi eciam
Bolizlaus gladium imperatori preportavit. Imperator Mulehusen venit, ubi Conradus, frater Friderici ducis, deposita
tirannide, imperatoris pedibus provolutus auxilio imperatricis graciam ipsius promeruit et per Conradum archiepiscopum
Magdeburgensem absolutus est.

Anno 1136. Conradus Magdeburgensis archiepiscopus peticione Conradi marchionis
Misnensis ecclesiam Numicensem[94], quam pater et mater iam dicti marchionis fundaverant,
in nomen et dignitatem abbacie auctoritatis sue privilegio confirmavit[95]. Primus ecclesie
ibid. illius abbas Reinhardus dicebatur. Heinricus marchio et Magdeburgensis prefectus, filius Wiperti,
Dec. 31. ad curiam pergens Moguncie moritur 2. Kal. Ianuarii[96], cui in comitatu Magdeburgense Burckardus, frater archiepiscopi,
successit. Marchiam vero eius Lusicensem, que nunc Orientalis dicitur, imperator Conrado
marchioni Misnensi concessit, qui eciam[o] tocius proprietatis eius heres effectus est, quia
alium heredem non habuit. Havelberga[p] capta est a filiis Widikindi et ecclesia incensa. Luderus
imperator secundo Romam profectus est.

Apr. 22. Anno 1137. Luderus secundus Sereni Montis prepositus obiit 10. Kal. Maii, sedit
annis 8, mensibus 4, diebus 11. Post hunc ordinacione Conradi marchionis electus est Meinherus[q],
Hallensis ecclesie canonicus. Hic[r] primum ecclesie sancti Gereonis[s] Coloniensis
canonicus[t], mutato habitu in ecclesia Hallensi conversus est; quem eciam frater suus carnalis,
Wicmannus nomine, eiusdem ecclesie, cuius et ipse, canonicus, ad conversionem
occasione tali secutus est. Accidit ut in ludo, qui vocatur puerorum[u], cui ipse intererat,

---

a) imperator 2. b) prestitit 1. c) *in cod.* 1 *inter* decoratus *et* aureo *insertum est* est. d) enim *codd.*; etiam *Annal. Magdeb.* e) Neswich *codd.* f) remonitis 3. g) consciente 1. 2. h) *sic corr. ex Chron. Magdeburgensi*; minor *codd.* i) Bavariorum 2. k) Magdeburgensi *deest* 3. l) Zalre *codd.*; Zolre *Ann. Magd.* m) eciam *deest* 2. n) in *deest* 2. 3. o) et 2. p) Havelburga 3. q) Meinerus 1. 2. r) hy 2. s) Geronis 2. t) canonici 3. u) pueorum 2.

87) Cf. Chron. Magdeburg. ap. Meibom, Scriptores II, p. 327. 328 et Ann. Magdeburg. 88) Cf. Norberti diploma a. 1129. die 29. m. Oct. datum ap. Leuckfeld, Antiquitat. Praemonstrat. de S. Mariae monaster. Magdeburg. p. 10. 11. 89) Arnoldus. 90) Fridericus. 91) Hoc concordat cum Chronico Magdeburgensi ap. Meibom, Scriptores II, 328, ex quo Noster hoc loco hausisse videtur. 92) Verisimile est, hanc dedicationem mense Ianuario factam esse, quo Conradus donationem bonorum huic monasterio confirmavit. Cf. Dreyhaupt I, 722. 93) De hac Conradi marchionis peregrinatione nihil notum est; die 9. m. Aprilis illius anni Conradus inter testes diplomatis Lotharii imperatoris pro coenobio Hildesleben apparet. Cf. Heinemann, Codex dipl. Anhaltinus I, p. 172, n. 223, atque anno sequenti in charta Lotharii Mai. 14. data testis adfuit. Cf. Heinemann l. c. p. 177, n. 232. 94) Niemeck prope Bitterfeld. 95) In Ann. Vetero-Cellens. ap. Mencken II, 380 additur: *quam hodie, quod ad ius patronatus tantum, tenent et possident fratres dicti Montis.* 96) Consentit Calendarium Pegaviense ap. Mencken II, 156.

puer quidam conculcatus[a] moreretur; pro cuius rei penitudine seculum relinquens, fratrem secutus est, et cum cesset subdiaconus, deinceps ad gradum alciorem noluit promoveri. Meinherum autem prepositum secuti sunt plures ex senioribus Hallensis ecclesie fratribus, viri laudabiles et per quos ecclesia Sereni Montis plurimum noscitur profecisse tam in religiose[b] conversacionis exemplo, quam eciam in libris quos ibidem conscripserunt. Ex quibus unus[c], Gerhardus nomine, licet luscus plures[d] libros ipsi ecclesie scripsit, missales sex, plenarium unum, leccionarium unum, gradualia quatuor, antiphonarium unum, omelias duas, passionales duos, libros moralium quatuor, matutinales duos. Librum de cura pastorali scripsit Heidenricus, postmodum Hallensis prepositus. Omnia eciam[e] ecclesie huius officia idem fratres longo tempore strennue[f] administrantes primi ei religionis imaginem impresserunt. Imperator nativitatem Domini celebrat in campestribus Bolonie[g] et pascha Firme, deinde ingressus est Ann. Magd. Apuliam. Ibi aput civitatem, que Trana dicitur, Bruno Coloniensis archiepiscopus minuto sanguine tercia die defunctus Mai. 29. est. Imperator vero transiens per Romaniam et Campaniam Barum civitatem venit ibique penthecosten celebravit et in sancto die papa presente imperatore missam in monasterio sancti Nicolai celebravit. Ibi sepultus est Bruno Coloniensis archiepiscopus, cui Hugo successit, decanus eiusdem ecclesie, qui ibidem consecracionem et pallium a papa suscepit. Eodem tempore obiit Albertus Moguntinus archiepiscopus. Imperator natalem apostolorum Melfie[h] celebrat, Iun. 29. ubi Hugo archiepiscopus predictus flebotomatus[i] quarto die obiit ibique sepultus est. Eodem itinere Adalbero Basi- Iul. 1. liensis episcopus obiit. Imperator aput Breduam villam in faucibus Alpium constitutam 2. Non. Decembris obiit. Corpus Dec. 4. eius in Saxoniam relatum Luttere sepultum[k] est.

Anno 1138. Petrus Leo antipapa obiit. Conradus frater Friderici, ducis Suevorum, a quibusdam principibus Ann. Magd. in regem eligitur, unde dissensio magna in reliquum exorta est. Meingotus Mersenburgensis[l] episcopus obiit, cui successit Ekkilivus eiusdem ecclesie prepositus. Lambertus Ilseneburgensis abbas et Brandenburgensis electus, rediens a Roma, a latronibus occisus est. Cui successit in abbacia Sigeboto eiusdem ecclesie monachus[m], in episcopatu Wicherus Sancte Marie prepositus in Magdeburg. Hugoni Coloniensi archiepiscopo successit Arnoldus prepositus Sancti Andree. Bolizlaus dux Polonorum obiit, cuius filiorum[n] senior Bolizlaus, gener Conradi regis, ducatum patris obtinuit. Volcmarus abbas Corbeiensis obiit, cui successit Albero, frater ducis Heinrici. Castrum quod Berneburg dicitur incensum est propter tirannidem, quam exercebat inde Eylica comitissa cum suis. Haec fuit avia ducis Bernhardi.

Anno 1139. Conradus rex natalem[o] Domini Goslarie celebrat, ubi et publicum conventum habuit, sed nichil ibi ibid. de rei publice utilitate tractatum est. Conradus Magdeburgensis archiepiscopus auxilio principum sibi faveneium castrum Bernhardi comitis Plozke obsedit, cepit et destruxit. Heinricus dux Bavarorum[p] et Saxonum veneno occisus est 13. Kal. Novembris et Luttere iuxta Luderum imperatorem sepultus est. Oct. 20.

Anno 1140. Ludovicus rex Francie obiit. Otto Babenbergensis[q] episcopus obiit, qui Pomeranos convertit; ibid. cui successit Eilbertus eiusdem ecclesie canonicus. Ludewicus comes de Thuringia et Wilhelmus comes palacii obierunt[r]. Siwardus Mindensis episcopus obiit, cui successit Heinricus abbas eiusdem loci. Godeboldus[s] Misnensis episcopus obiit, cui successit Reinwardus[t] eiusdem ecclesie prepositus. Eodem anno destructe sunt municiones iste: Groninge, Anehalt, Gebelenze, Withecke.

Anno 1141. Richza imperatrix obiit. Adelbertus Moguntinus episcopus iunior obiit, cui successit Mar- ibid. kolfus prepositus de Aschafneburg[u].

Anno 1142. Conradus Magdeburgensis ecclesie archiepiscopus 14. obiit 6. Non. Maii; Mai. 2. sedit annis 7, mensibus 9, diebus 25[97]; huic[v] successit Fridericus custos maioris ecclesie. Markolfus Moguncensis[w] archiepiscopus[x] obiit, cui successit Heinricus[y] prepositus maioris ecclesie[z]. Otto Ann. Magd. Halverstadensis ecclesie[a] episcopus obiit. Gerdrudis ducissa obiit, filia Luderi imperatoris. Eylica comitissa obiit.

Anno 1143. Innocencius papa II. obiit, cui successit Wido, qui et Celestinus. Ekkelevus Mersburgensis ibid. episcopus obiit, cui successit Reinhardus. Agnes marchionissa[b], mater Conradi regis, obiit. Conradus rex dedit Conrado Misnensi et Orientali[c] marchioni et uxori eius Lucarde[d] provinciam Rochelez[98].

Anno 1144. Celestinus papa obiit, cui successit Gerhardus cardinalis, mutato nomine Lucius. Lambertus venerande memorie, primus Hallensis ecclesie prepositus obiit 5. Idus Februarii; sedit Febr. 9. annis 26.[99] Primus autem dicitur, quia[e] illi ecclesie in loco, in quo nunc est, primus prefuit. Adelgotus siquidem archiepiscopus cum primum inchoandi hanc ecclesiam propositum[f] 1116.

---

[a] proculcatus 3. [b] religione 1. 3. [c] quartus 1. 3. [d] plures *deest* 3. [e] et 2. [f] strenne 3. [g] Polonie 1. 3. [h] Melsie 1. 3. [i] fleubothomatus 1; phlebotomatus 3. [k] sepultus 1. 2. [l] Mersburgensis 2; Merseburgensis 3. [m] monacho 1. [n] filius 3. [o] natalis 1. 2. [p] Bavariorum 2. [q] Bambergensis 1. [r] obyt 2. [s] Godewoldus 2. [t] Rembardus 1. 2. [u] Aschafneberg 3. [v] cui 1. [w] Magdeburgensis 2. [x] episcopus 3. [y] Ham 1. 2; *Ann. Magd.*: Heinricus. [z] *verba* cui successit — ecclesie *desunt* 3. [a] ecclesie *deest* 2. 3. [b] marchionis 2. [c] orientalis 2. [d] Lucardi 3. [e] *in cod.* 3 quia *in* quod *mutatum est* [f] prepositum 2.

97) In Chronico Magdeburg. p. 328 minus recte legitur: *Conradus sedit annis 7, mensibus 10, diebus* 2. Secundum Necrologium monasterii Novi Operis ap. Hallas (ed. E. Bodemann, in Geschichtsbl. f. Stadt u. Land Magdeburg p. 164) Conradus obiit 2. Kal. Maii. 98) Hoc in Ann. Veterocellensibus SS. XVI, p. 42 ad a. 1147. legitur. 99) Consentit Necrologium monast. Novi Operis l. c. p. 159.

habuit et canonicos secundum regulam[a] beati Augustini in ea instituere disponeret, huiusmodi viros de quadam ecclesia Bavarie que Reidenbuch dicitur, unde et[b] ordo canonicorum regularium per Saxoniam derivatus est, timore Heinrici imperatoris recedentes, inter quem et summum pontificem longa discordia trahebatur, tanquam a Deo sibi transmissos[c] suscepit eosque in castro Givekenstein[d], data eis eiusdem castri capella et uno, Berwigo nomine, qui ceteris preesset ordinato, qui eciam ecclesie illius, de qua recedebant, prepositus fuerat, per biennium detinuit, infra quod temporis spacium Berwigus defunctus est. Inde archiepiscopus ad locum, ubi nunc ecclesia est Novi Operis, eos transtulit et Lambertum, de quo hic agitur, qui unus erat ipsorum, eis prepositum feliciter ordinavit[1]. Qui mox divino timori et ex toto corde se subiciens in regulari conversacione[e] ita se exhibuit, ut in paucis annis plurimi, quorum plerique erant nobiles et ex delicatis moribus, bone opinionis eius odore tracti, ad locum illum tamquam ad portum post naufragium conversionis[f] gracia festinarent. Ex qua re factum est, ut illa ecclesia inter ipsa fere sue inchoacionis primordia in numerositate personarum valde venerabilium multis veteribus ecclesiis prestancior haberetur[g]. Lamberto preposito successit Fridericus. Eodem anno obiit Berta comitissa, Mai. 16. uxor Dedonis comitis, fratris Conradi Misnensis et Orientalis marchionis, 17. Kal. Iunii[2]. Hec proprietatem suam Groiz dedit Dedoni filio predicti marchionis, quem ipsa loco filii enutrierat. Ann. Magd. Rodolfus[h] comes de Staden iunior interfectus est a Transalbanis Saxonibus, qui Diethmerschen dicuntur. Sifridus comes de Hamburc[i] obiit. Quidam libri habent de Boumeneburc[3]. Salome uxor Bolizlai ducis obiit.

ibid. Anno 1145. Conradus rex ad natalem Domini Magdeburg venit, et quia in comitatu[k] suo Hermannum comitem de Stalekke[l] excommunicatum duxit, a clero regali more non est susceptus. Lucius papa obiit, cui successit Bernhardus cardinalis, abbas Sancte Anastasie, mutato nomine Eugenius. Bertrada comitissa et filius eius Conradus comes de Honstein obierunt.

Anno 1146. Lucardis marchionissa Serenum Montem venit et a[m] Meinhero preposito devote recepta, ibidem se flebotomari fecit. Sequenti autem vel tercia die peticionem aliquam preposito porrexit, de qua ille ei nolebat aliquatenus consentire. Pro qua re indignata Gerbestad[4] recessit ibique ex motu animi, ut fertur, languorem incurrit[n], ex quo defuncta Iun. 19. est 13. Kal. Iulii et in monasterio ipsius[o] loci, consilio Hoieri comitis de Manesvelt, qui tunc aderat, est sepulta[5]. Eo tempore Conradus marchio a peregrinacione transmarina[p] rediens cum in partes Bavarie venisset, nuncium de morte uxoris accepit statimque, ubi sepulta esset, sollicite requisivit. Quo cognito simulque de eo, qui consilium dederat, comperto, graviter ferens cum iuracione asseruit, se eum, ut suis eam manibus effoderet, compulsurum; quod ita factum est. Denique cum redisset marchio, Hoierus idem indignacionem eius erga se et causam indignacionis intelligens, nec aliter nisi reddito corpore marchionisse graciam eius se impetraturum, nocte quadam, dimidio iam anno a sepultura eius exacto, Gerbestad cum suis clam venit persuasisque pecunia custodibus, eam effodiens tulit et Witin, ubi ex condicto marchio[q] eius expectabat adventum, adduxit, sicque sub ipsa nocte, prosequente marchione, in Serenum Montem advecta ibique sequenti die honorifice sepulta est. Porro marchio in die sepulture eius 18 mansos ad dotem trium altarium, que cum monasterio dedicanda[r] erant, beato Petro pro requie defuncte obtulit, sex mansis singulis altaribus deputatis. Ann Magd. Conradus rex dum[s] Cuine curiam haberet, Wladizlaus[t] gener eius ipsum adiit et, recepto ab eo Polonie ducatu[u], fratres suos exheredare conatus est. Denique cum reversus civitatem Posnam[v] cum exercitu obsideret, fratres eius collectis paucis ex improviso ei irruentes, multos de exercitu eius prostraverunt;

---

a) regulares 3. b) etiam 3. c) *sic correxi ex* transmissis *codd.* d) Gryekenstein 3. e) conversacione *in cod.* 2 *male bis legitur.* f) conversationis 3. g) habentur 2. h) Rudulfus 2. i) Haraburg 3. k) domitatu 2. l) Scalekke 3. m) a *deest* 2. 3. n) inciderat 3 *ante* languorem *lineae superscriptum est.* o) illius 2. p) marina 3. q) marchionis 3. r) dedicata 3. s) dum *deest* 1. t) Voladislaus 3. u) ducatum 1. v) Poznam 3.

1) Similiter refert Lamberti Vitae auctor ap. Dreyhaupt, l. c. I, 717 sq. Monasterium Novi Operis a. 1116. ab Adelgoto archiepiscopo inchoatum, a. 1121. a Rochero consummatum est. Cf. privilegium Rocheri a. 1121. Iun. 5. huic ecclesiae datum ap. Dreyhaupt I, p. 721.

2) Consentit Calendarium Pegaviense ap. Mencken, SS. II, 131.

3) *comes de Bomeneburg* audit in Ann. Palid., Magdeburg., Pegav.

4) In Ann. Veterocell. ap. Mencken II, 386 additum est: *ad suas filias.*

5) Liutgardis marchionissa obiit anno 1145. (cf. Ann. Magdeb. ad hunc annum); hoc enim anno Conradus marchio cum Udone Naumburgensi episcopo et aliis Ierusalem profectus est; cf. chartas Conradi ap. Mencken I, 795. Anno 1145. extremo Conradus marchio inter testes chartae Udonis episcopi apparet; v. Cod. dipl. Anhalt. p. 243, n. 326.

Ann. Magd.

unde coactus est pacem cum eis firmare iuramento. Sed ut patefieret[a] perfidia ipsius divino iudicio, terra in loco ipso iuramenti, ut fertur, sanguinei fluminis patefecit abissum. Postea post multas clades fratribus illatas a patria expulsus est. Rex vero collecto exercitu Poloniam ad restituendum generum[b] ingressus est; fratres autem ad resistendum preparati[c] semitas observantes regem ingredi prohibebant. Tandem consilio Adelberti et Conradi marchionum, obsidibus vicissim datis, regem adeunt et promissa pecunia patriam ab ipso suscipiunt, iuniore[d] fratre obside dato.

Anno 1147. Eclipsis solis facta est 7. Kal. Novembris media die. Conradus rex cum Welpone et Friderico ducibus aliisque plurimis tam episcopis quam comitibus multisque Christi fidelibus cruce signatis[e], quorum numerus fuit 600 milia, ad partes Ierosolimitanas proficisci disposuit; sed tradicione regis[f] Grecie 18 diebus per loca deserta ducti fame et siti ex parte maxima perierunt, insuper a paganis Turcis in hoc labore circumventi plurimi interfecti sunt. Ludovicus eciam rex Francie, 60 milibus in ea expedicione perditis, cum paucis rediit. Hanc expedicionem promoverat Bernhardus Clarevallensis abbas, qui tunc floruit. Eodem anno magna multitudo signatorum contra paganos aquilonem versus habitantes profecta est, ut eos aut christiane religioni subderent aut omnino delerent. Huius expedicionis principes erant Fridericus Magdeburgensis archiepiscopus, Rodolfus Halverstadensis[g], Wernerus Monasteriensis, Reinhardus Mersenburgensis, Wikerus Brandenburgensis[h], Anshelmus Havelbergensis, Heinricus Moraviensis episcopi, Wibolt Corbeiensis abbas, Conradus marchio, Adelbertus marchio, Fridericus palatinus comes, Hermannus palatinus comes cum aliis multis, quorum numerus erat 60 milia. In alia societate eiusdem expedicionis principes erant Albertus Bremensis archiepiscopus, Dietmarus[i] Fardensis episcopus, Heinricus dux Saxonie, Conradus dux Burgundie, Hartwigus[k] princeps nobilis cum aliis 40 milibus; item rex Dacie cum centum suorum provincialium milibus, frater eciam[l] ducis Polonorum cum 20 milibus. Preterea navales[m] exercitus Anglicorum et Coloniensium et Flandrensium cum episcopis[n] simul[o] terram paganorum ingressi civitatem quandam munitissimam, Ulixibonam nomine, magno licet labore[p] ceperunt, interfectis paganis ducentis milibus et 500.

Anno 1148. Fridericus archiepiscopus et alii quidam principes Saxonum cum Polonie ducibus Bolizlao et Mesicone amicicie fedus in epiphania Domini celebraverunt, ubi Otho marchio, filius Alberti marchionis, sororem Polonorum principum uxorem ducendam suscepit. In media quadragesima Eugenius papa concilium Remis celebravit, ubi seductorem quendam Eus nomine, qui se in Gasconia et finitimis regionibus Deum[q] predicaverat, errorem suum coram omnibus confessum[r] in cavee captivitatem deputatum, perpetui exilii supplicio[s] dampnavit. In eodem concilio magister Giselbertus scripta sua, que a quibusdam calumpniabantur, auctoritate sanctorum patrum magnifice defendit. Rex Romanorum et[t] rex Francie Damascum obsederunt, sed Ierosolimorum rege ope sua eos fraudante, nichil dignum effecerunt.

Anno 1149. Dedicata est capella Hallensis que prepositi vocatur. Conradus rex et ibid. rex Francie a peregrinacione redierunt ad propria[u].

Anno 1150. Conradus marchio de promocione ecclesie Sereni Montis sine oblivione solicitus, ex eo tantum impediri videbatur, quod eum[v] Numicensis ecclesie, quam parentes ipsius fundaverant, pietatis respectus curam postponere non sinebat. Considerans tamen hanc ipsam sibi pro rerum tenuitate non posse sufficere, quodque ex hac causa regularis ordo in ea institutus deficiendi augmentum diebus singulis capiebat, eam cum omnibus ad ipsam pertinentibus in proprietatem et usum alterius transferre, si[w] esset possibile, cogitabat,ea videlicet racione, ut divinum servicium[x], quod in hac annullatum erat, in illa copiosius suppleretur, simul eciam ne parentum suorum oblacio inutiliter deperiret[y]. Huius itaque negocii[z] promovendi[a] causa legatos idoneos, Anshelmum scilicet[b] Havelbergensem episcopum et Gerhardum Magdeburgensis ecclesie maioris prepositum, ad Eugenium papam destinavit, petens ut quod de ecclesiis his facere ordinaverat, auctoritate apostolica perficere permitteretur[c], [6]. Cuius peticioni papa annuens ei de his rescripsit in hunc modum:

Eugenius episcopus, servus servorum Dei dilecto filio, nobili viro Conrado marchioni, salutem et apostolicam benediccionem. Litteras[d] nobilitatis tue benigne recepimus et devocionem tuam, quam erga beatum Petrum et ecclesiam Dei[e] ex eis te habere perpendimus, in Domino collaudamus. Nos autem tuum laudabile votum de ecclesiis, pro quibus rogasti, adimpleri volentes peticioni tue duximus annuendum. Unde venerabili fratri nostro Magdeburgensi archiepiscopo per scripta nostra mandavimus, ut secundum quod a nobis postulasti, studeat hoc effectui[f] mancipare. Preterea dilectum filium nostrum Adelbertum[f] Misnensem prepositum et canonicos suos habeas propensius commendatos, ut eos[g] a pravorum hominum incursibus defendas atque in suis oportunitatibus iuves et manu teneas[h]. Datum Tusculani* 5. *Non. Maii*[7]. 1149. Mai. 3.

---

a) patesceret 3. b) generi 1. c) parati 1. d) invicem 3. e) crucesignatus 1. 2. f) regis *in cod.* 2 *male bis legitur.* g) Halberstadensis 2. h) Wikerus Brand. *desunt* 3. i) Ditmarus 3. k) Hardwigus 2. l) et 2. m) annalis 2. n) ipsis 1. 3. o) scilicet 3. p) *verba* magno licet labore *desunt* 3. q) donum 3. r) *sic correxi ex* confessus *codd.* s) supplicii 2. t) et *deest* 1. u) *verba* ad propria *desunt* 1. 2. v) cum 1. w) sed 1. x) officium 1. y) deperierat 1; deperieret 2. z) nogocii 1. a) praemovendi 3. b) secundum 1. 2. c) promitteretur 1. d) *in cod.* 2 *semper* literas, litere *etc. scripta sunt.* e) *in cod.* 3 *post* Dei *male* et ex *legitur.* f) effectum 2. f*) A. *codd.* g) *verba* ut eos *desunt* 1. h) tenes 1.

6) Cf. Conradi chartam a. 1156. Nov. 30. 7) Hae Eugenii III. papae litterae in annum 1149. ponendae sunt, cf. Jaffé, Regesta pontif. Roman. n. 6483.

Fridericus itaque archiepiscopus, quod in mandatis acceperat, exsequi studens ecclesiam Numicensem in proprietatem et usum fratrum Sereni Montis transtulit factumque hoc summi pontificis nec non sue auctoritatis munimine confirmavit.

Ian. 9. Anno 1151. Meinherus tercius Sereni Montis prepositus obiit 5.[a] Idus Ianuarii, sedit annis 13, mensibus 8, diebus 16. Hic maiorem ecclesiam, quam antecessor eius inchoaverat, consummatam a Friderico Magdeburgensi archiepiscopo dedicari fecit; cuius dedicacionis annum invenire non potui. Post hunc electus est Arnoldus[b] eiusdem ecclesie canonicus, vir idoneus quidem et de quo future utilitatis spes haberi poterat, sed Conrado[c] marchioni non placuit, qui alium, Hekkehardum nomine, Hallensis ecclesie canonicum, fame laudabilis virum, qui forensi ecclesie iam per annos 14 preerat[8], mortuo preposito substituere modis omnibus intendebat. Ardenti enim affectu religionem in ecclesia Sereni Montis propagari desiderans, hoc[d] aliter nisi sumpto de ecclesia Hallensi preposito perfici posse non speravit, in qua[e] precipue regularis observancie studium tunc vigebat. Hac autem eius intencione agnita[f], Arnoldus idem hinc quidem[g] considerans, plus dampni ex offensa marchionis ecclesie sue posse accrescere, quam utilitatis ex eo, si ipse in hoc ad quod fuerat electus persisteret, illinc autem fratrum, qui se elegerant et perseverare[h] hortabantur, instanciam attendens, dubitabat quid mallet; sicque hoc negocium per sex pene menses suspensum est. Solebant autem priores prepositi huius ecclesie curam divinam de manu[i] archiepiscopi Magdeburgensis accipere, sponte an coacti nescio; in quo tamen utrique rectissime reprehenduntur: isti quidem[k], quod privilegio suo uti noluerunt[l], illi autem, quia scientes, ecclesiam ipsam ad summum pontificem immediate pertinere, in alienam segetem falcem mittere presumpserunt. Ex hac igitur consuetudine cum prefatus electus ad Fridericum archiepiscopum pro eodem negocio Gevekenstein[9], ubi eciam marchio et Wicmannus Nuenburgensis episcopus aderant, venisset, Wicmannus episcopus causa cognita ad consulendum ei se ingerens dicebat, utile sibi videri, si[m] coram archiepiscopo et marchione insufficientem se et paratum, si ita eis placeret, ut ab eleccione cederet, fateretur; hac enim eius humilitate marchionem placandum et, ut persisteret, consensurum. Ille autem consilium tamquam utile simpliciter attendens, coram archiepiscopo et marchione insufficienciam de se testatus, eciam in hoc paratum, si eis placeret, ut ab eleccione cederet, fatebatur. De quo illi eum laudantes, placere sibi ut cederet responderunt. Tamen ille laqueatum se videns, quia referre pedem turpe iudicabat, eleccioni renunciavit, sicque Ekkehardus pro arbitrio marchionis electus est et confirmatus. Idem autem Arnoldus Luppoldisberge[10] postea prepositus datus, ecclesiam illam strennue gubernavit, ad cuius religiose conversacionis probacionem factum memorabile, quod a viris fidelibus didici, hic inserere non pigebit. Congregacio est sanctimonialium in eadem ecclesia, quas prepositus idem ad honorem celestis sponsi vigilantissime custodiebat. Ex his una iunior, antiquo hoste incitante, seculum diligens copiam recedendi, quam difficile invenire poterat, requirebat. Que tali proposito estuans cum ex consuetudine ecclesiastica in die resurreccionis Christi ad communicandum accedere cogeretur, male voluntatis conscia, quod accipiebat non ausa sumere, per quinque annos, infra quos discedendi aditum querens invenire non poterat, quinque porciones dominici corporis reservavit easque in vase mundo, prout poterat, diligencius reponens, in loco secreto[n] terre infodit. Tandem misericors redemptor miseratus miseram et, ut credo, sepulture impaciens, quam semel resurgendo evaserat, prepositum per visum de his que agebantur edocuit. Videbat enim[o] se in quodam secreto claustri loco stare, in quo fossa patens et in eius ima parte infans decentissimus nudus videbatur, qui manibus protensis prepositum quasi, ut se educeret, precabatur. Quo viso sompno excussus visionem recogitans, quid vidisset, mirabatur. Die autem facto, claustrum ingressus sorores convocat eisque, quod viderat, enarravit, locum qui ostensus fuerat designans. Deinde quadam quasi miseracione ductus, ex memoria visionis eis, ut fodiendo in eodem loco terram patefacerent, precepit. Quo facto, vas quod infossum erat reperiunt, quod sublatum prepositus aperiens, viso quod continebat, statim quid esset intelligere sibi videbatur. Omnibus autem ingenti admiracione attonitis, vase in ecclesia[a] reverenter collocato, regressus infossionis ream sub interminacione pene requirere cepit. Tunc misera illa deprehensam se videns pedibus eius prostrata in lacrimas amarissimas et gemitum erupit[b] et quid cogitasset quidve[c] egisset exponens, omnes qui aderant ad fletum uberrimum provocavit. Sicque post solutas[d] misericordie redemptoris graciarum acciones penitenciam iniunctam[e] devote peragens et partibus illis quas reposuerat[f] per vices communicata, temptacione qua urgebatur omnino caruit. Sed hec longe postmodum gesta sunt. Arnoldus[g] Coloniensis archiepiscopus obiit, cui successit Arnol- Ann. Magd. dus cancellarius. Rikkardis marchionissa obiit. Lodewicus[h] de Wippera obiit. Wernherus episcopus de Monasterio obiit, cui successit Fridericus.

---

[a] *in cod.* 1 *scriba ipse* VI *in* V *correxit.* [b] Arnordus 2. [c] Conradi 1. [d] hac 1. [e] quam 2. [f] cognita 3. [g] quidem *deest* 3. [h] perseveracione 3. [i] divinam *deest* 2; de manu 1. 3. [k] siquidem 1. [l] voluerunt 2. [m] et 1. 2. [n] sancto 3. [o] enim *deest* 2. 3.

[8] Cf. Vitam sancti Lamberti ap. Dreyhaupt I, 719.

[9] Gibichenstein prope Halle.

[10] Lippoldsberg ad flumen Wiseram, in silva, quae Reinhartswald dicitur, situm. Arnoldus praepositus commemoratur in Ludovici III. Thuringiae lantgravii charta a. 1184, Aug. 15. monasterio Lippoldsbergensi data ap. Wenck, Hessische Landesgesch. II, Urkundenb. p. 117.

Anno 1152. Conradus rex obiit. Fridericus dux Suevie in regem eligitur communi consensu in media qua- Ann. Magd. dragesima. Qui proximum penthecoste[i] Merseburg celebrans, Sueno regi Dacie circulum regium[k] concessit. Lambertus comes obiit. Hermannus comes de Wincenburc cum cf. ibid. Luchara uxore sua pregnante in ipsa urbe a suis occisus est. Fridericus 15. Magdeburgensis archiepiscopus obiit 19. Kal. Februarii[11]; sedit annis novem, mensibus octo, die- Ian. 14. bus 14. Post hunc electi sunt duo, Hazzo decanus et Gerhardus prepositus maioris ecclesie. His autem aliquamdiu pertinaciter singulis pro parte sua[l] nitentibus[m], Wicmannus Nuemburgensis episcopus sequester illis accessit modisque, qui in eiusmodi[n] causis precipue valent, promissis videlicet et muneribus, pluribus utriusque partis electoribus abstractis, ut se eligerent, persuasit. Quo facto, fasallis ecclesie fidelitatem ei iurantibus, episcopatum obtinuit, pallium autem, quoniam de irregulari introitu aput curiam Romanam infamatus erat, biennio per nuncios suos obtinere non potuit.

Anno 1153. Fridericus rex Saxoniam pacifice intravit. Heinricus Moguncìensis archiepiscopus a cardinalibus Ann. Magd. Bernhardo et Gregorio deponitur, cui Arnoldus cancellarius substituitur. Item Heinricus Mindensis episcopus deponitur, cui successit Wernherus. Item Bernhardus Hildensemensis episcopus ab episcopatu absolvitur et moritur, cui successit Bruno. Eugenius papa obiit, cui successit Conradus, qui et Anastasius. Wichboldus[o] cum aliis multis in Fresia[p] periit. Irmingardis marchionissa obiit[q]. Dux Heinricus et marchio Albertus discordantes incendiis Saxoniam turbaverunt[12]. Fridericus rex coram nunciis apostolici[r] ab uxore sua ibid. propter notam adulterii[13] separatus est.

Anno 1154. Heckehardus Sereni Montis prepositus edificium claustri in australi parte maioris ecclesie construere[s] aggressus est in loco precipiti et scopuloso et in quo nonnisi laborem et impensam perdere omnibus inspicientibus videbatur. Quantum autem laboris in hoc edificio non perdiderit, sed impenderit, nunc inspicientibus palam est. Fridericus rex Ann. Magd. Magdeburg pascha celebrat presente Gerhardo cardinali. Anastasius papa obiit, cui successit Adrianus, qui et Nicolaus Albanensis episcopus. Wichmannus Nuemburgensis episcopus et Magdeburgensis electus pallii impetrandi causa Romam profectus est. Papa autem licet de introitu eius agnovisset, tamen quia contradictor nullus apparuit, posito in altari beati Petri pallio, episcopo, si canonice se sciret electum, ut tolleret, precepit. Quo hesitante, quidam canonicorum ipsius Tidericus de Hildislove[14] et unus militum eum de hesitacione arguentes pallium tulerunt et episcopo sumendum obtulerunt[t]. Ambo autem isti Rome defuncti sunt et hoc ordine Wichmannus archiepiscopatum Magdeburgensem assecutus est. Eo anno contigit rumor reliquiarum de Hugisburch[15]. Fridericus secundus Hallensis ecclesie prepositus obiit 17. Kal. Maii; sedit annis decem, mensibus duobus, diebus septem. Hic maioris Apr. 15. ecclesie Magdeburgensis prepositus fuit antea et sub Lamberto preposito mutato habitu in ecclesia Hallensi conversus religionem, cuius studium sub eius magisterio fervere viderat, prelacionis sue tempore tepescere non permisit. Huic successit Conradus.

a) ecclesiam 3. b) eruperit 2. c) et 3. d) solutos 1. e) invictam 3. f) exposuerat 2. g) Arlnoldus 1. h) Ludovicus 2. 3. i) proximam pentecosten 3. k) regi 1. 2; regni 3. l) sua *deest* 1. m) intendentibus 3. n) eiusdem 1. o) Wicholdus 2. p) Frisia 3. q) *verba* Irmingardis marchionissa obiit *desunt* 3. r) apostolicis 3. s) constituere 2. t) *verba* et episcopo sumendum obtulerunt *desunt* 2.

---

[11] Auctori nostro consentiunt Necrologium mon. Novi Operis apud Halle (ed. E. Bodemann in Geschichtsblätter für Stadt u. Land Magdeburg II, p. 158) et Necrolog. eccl. S. Mauritii Hallis (ap. Würdtwein, Subsid. diplom. X, p. 467); 18. Kal. Februarii habet Necrolog. archiepisc. Magdeburgensium (ed. Winter, in N. Mittheil. d. Thür.-Sächs. Vereins X, p. 265).

[12] Cf. Ann. Palidens. ad a. 1152. SS. XVI, p. 86.

[13] Cf. Annal. Palidens. ad a. 1156.

[14] Hillersleben.

[15] Huysburg prope Halberstadt.

Anno 1155. Fridericus rex Romam cum exercitu profectus, ab Adriano papa in ecclesia Iun. 18. beati Petri in imperatorem consecratur et cum Romanis ipso die congressus, mille et quingentos ex eis occidit victoriamque[a] obtinuit. Spoletum ab ipso deletum est. In ea expedicione Bernhardus vicedominus Hildenesemensis obiit. Anshelmus Havelbergensis epi-Ann. Magd. scopus Ravenne archiepiscopus constituitur. Sueno rex Danorum a regni[b] illius maioribus regno[c] pulsus est. Cuius regnum a Canutto et Waldamaro nepotibus ipsius occupatur.

Anno 1156. Conradus Misnensis et Orientalis marchio, gracia divina se preveniente, incertitudinem vite sue considerans timensque ne, si[d] labenti mundo diu inherere voluisset, ipse[e] quoque simul ad lapsum traheretur, ipsum relinquere et monasterium petere stabili secum proposito diffinivit[f]. Volens autem ecclesie ad quam anhelabat, scilicet Sereni Montis, quam iam sufficienter, prout oportunum ei fuit[g], locupletaverat, eciam in futurum[h] prospicere, Wichmanno archiepiscopo et Alberto marchione de Brandenburc, filiis eciam suis omnibus, multisque aliis[i] ecclesiasticis et secularibus viris nobilibus et ministerialibus accersitis, ad locum venit, ut in eorum presencia, quod intenderet[k], consummaret. Primo itaque possessiones, quascunque vel ipse vel uxor eius loco contulerant, per manus filiorum suorum, Othonis videlicet Misnensis marchionis, Tiderici Orientalis marchionis, Heinrici comitis de Witin, Dedonis comitis de Rochelez et Friderici comitis de Brene, offerri fecit, ne aliqua de his[l] post mortem eius questio nasceretur. Est autem quantitas harum[m] possessionum 183[n] mansi et dimidius[o], exceptis his qui[p] ad Numicensem pertinent ecclesiam, quorum numerus est 70 et dimidius[o], et[q] excepta silva quam in diversis locis noscitur contulisse[16]. Deinde filiorum vel heredum quemlibet suorum seniorem post se advocatum loci ordinans, hoc statuit, ne advocacia ipsa ulli umquam iure feudi[r] concedatur et ne advocatus aliquid servicii secularis extra placitum fratrum in rebus ecclesie quasi ex iure sibi audeat usurpare, et ut filii eius, quod eciam ipsi promiserunt, et ministeriales ipsorum in hoc loco sepulturam haberent, nimirum certus, ecclesiam ex hac causa in temporalibus maxime promovendam[17]. His ita dispositis, coram altari beati Petri veteris hominis vestibus exutus et regularis vite habitu per manus archiepiscopi Wichmanni[s] vestitus, voluntariam paupertatem pro[t] amore Christi amplexus est cum magno favore presencium, quibus eciam uberrimas devocio lacrimas extorquebat, quod tantam in viro tali mutacionem videbant, in quo videlicet divina gracia et misericordia sensum omnem supergrediens luce clarius apparebat. Tunc deinde[u] iam tiro Christi filios advocat ecclesiamque suam, cuius scilicet[v] iam membrum effectus fuerat, gracie ipsorum commendat, ut ei, tamquam in qua patrem suum sive viventem sive mortuum[w] haberi[x] scirent et matrem et in qua cum ipsis requieturi Nov. 30. essent, opem suam ubique pretendere non dissimularent. Hec acta sunt die beati Andree apostoli, quo die nemus in orientali parte monti[y] adiacens extremam oblacionem suam beato Petro obtulit. Vixit autem post conversionem mensibus duobus et[z] diebus quinque. Nec[a] hoc semper sine speciali quadam providencia Dei actum fuisse credendum est, quod eum in inicio conversionis sue adhuc in fervore spiritus existentem de temptacionibus huius seculi Dominus liberare dignatus est. Timeri enim poterat secundum humanam fragilitatem ne, cum vidisset filios suos coram se principali gracia pollentes et ministeriales suos diviciis seculi et mundiali pompa fulgentes, si non actum, tamen animum a quiete monasterii, quam elegerat, vel leviter revocasset[b]. Unde convenienter de illo dici poterat, quod Sap. 4, 13. in libro sapiencie de talibus scriptum est: *Consummatus in brevi explevit tempora multa. Raptus est, ne malicia mutaret intellectum eius. Placita erat Deo anima eius, propter hoc* 1157. *properavit educere*[c] *illum de medio iniquitatum*[a]. Mortuusque est Non. Febr. anno vite sue Febr. 5. 59. sepultusque est a Wichmanno archiepiscopo in medio ecclesie, ubi in dextera ipsius uxor eius et post eam in eodem latere soror eius Machtildis, mater archiepiscopi[18], cuius Ian. 21. anniversarius est 12. Kal. Februarii, consepulte sunt. Exequiis eciam eius interfuit Walo

a) victoriaque 2. b) regno 1. c) regni 1. d) si *deest* 3. e) ipso 2. f) definivit 2. 3. g) *in cod.* 2 *verbo* fuerit *superscriptum est* fuit. h) futura 3. i) *verba* omnibus multisque aliis *desunt* 1. k) intenderat 2. 3. l) iis 3. m) horum 1. n) CLXXXII. 1. o) dimidii 3. p) quae 3. q) ex 1. r) feodi 2. s) *verbum* Wichmanni *deest* 3. t) prae 3. u) demum 1. v) scilicet *deest* 1. w) morientem 1. x) haberi *deest* 3. y) montis 1. z) et *deest* 3. a) *sequens locus inde a verbis* nec hoc semper *usque ad verba* de medio iniquitatum *deest in codd.* 2 *et* 3. b) *sic correxi ex* convocasset 1. c) *sic correxi ex* aducere 1.

---

[16] Cf. enumerationem singulorum mansorum in charta a. 1156. data ap. Köhler l. c. p. 48. 49.

[17] Cf. chartam laudatam.

[18] uxor scilicet Gerardi comitis de Seeburg.

Havelbergensis episcopus et Albertus marchio et Herimannus filius eius omnesque filii ipsius preter Othonem marchionem et alii multi. Qui[a] quoniam tulerat crucem suam et Christum secutus fuerat, discipulum Domini fuisse nulli dubium est. Unde merito animam eius in eterna requie collocare dignabitur, sicut ipse talibus promisit dicens: *Amen dico vobis, quod vos, qui reliquistis omnia et secuti estis me, centuplum accipietis et vitam eternam possidebitis*[a]. Matth. 19, 28. 29. Ann. Magd. Fridericus imperator Halverstad conventum habuit Kal. Maii. Arnoldus Coloniensis archiepiscopus obiit, cui successit Fridericus. Heinricus dux Fresiam hostiliter ingreditur, sed inacte revertitur. Imperator Ratispone curiam celebrat, ubi ipso mediante Heinricus dux Saxonum ducatum Bavarie obtinuit. Heinricus Bavaricus marchiam terre illius retinuit. Heinricus dux, habita cum Bremensi episcopo discordia, urbes et beneficia que voluit[c] ab eo extorsit. Imperator in penthecoste reginam[d] de Burgundia in uxorem duxit[e]. Hermannus comes palatinus Reni post longam guerram[f] inter se et episcopum Moguntinum[19] in pace moritur. Relicta eius seculo renuncians monasterium peciit[20]. Heinricus dux Suenonem regem Dacie expulsum restituit.

Anno 1157. Fundat monaster. Gratia Dei c. 9. Evermodus[g] prepositus de Gracia Dei[h], cum esset vir bonus, fratres[i] suos preter usum cogere voluit, ut in quadragesima alternis[k] diebus in pane et aqua communiter ieiunarent[l]. Propter hanc et alias causas, quibus eis gravis erat, amotus est. Lambertus ecclesie illi prepositus eligitur, vir tenuis sciencie, sed qui hanc inopiam virtutum[m] copia[n] redimebat. Precesserant tamen hanc eleccionem Heinricus, qui postea Rhode factus est prepositus, et Siboldus[o] post eum, qui fuit Moguncie maior[p] prepositus, sed quia nichil dignum in illa novitate fecerunt, prior eorum deponitur, alter scilicet Siboldus sponte cessit, Lambertus confirmatur. cf. Ann. Pal. Brandenburc a Wichmanno archiepiscopo et Saxonibus obsidetur et capitur, ubi occisus est Wernherus comes iunior de Veltheim. Imperator cum Saxonibus Poloniam hostiliter ingressus ad dedicionem eos compulit, Burgundiam iam ab imperio alienatam recepit. Ann. Magd. Kanutus rex a Suenone dolo interimitur, Waldomarus vero vulneratus vix evasit. Non multo post factum est bellum inter Suenonem et Waldomarum; Suenonis pars vincitur et ipse occiditur.

Anno 1158. Imperator natalem Domini Magdeburg celebrat. cf. Ann. Pal. Ulricus[q] Halverstadensis episcopus et Albertus marchio cum uxore[21] et aliis multis iter peregrinacionis ad partes transmarinas assumpserunt. Dux Bohemie, concesso sibi ab imperatore circulo, rex nominatus est[r]. Imperator cum expedicione Italiam ingressus Mediolanum obsedit. In hac obsidione Anshelmus Ravennensis episcopus[s] obiit. Ekkebertus[t] comes de Bavaria occiditur[22]. In ipsa expedicione Fridericus Coloniensis archiepiscopus obiit. Ann. Magd. Heinricus dux cum exercitu Sclavaniam[u] ingressus terram ferro et igne devastat.

Anno 1159. Friderico Coloniensi archiepiscopo successit Reinoldus maioris ecclesie Hildensemensis prepositus et cancellarius. Heinricus dux et ceteri principes cum expedicione post imperatorem Italiam ingressi sunt. Heinricus dux propter christianitatis[v] religionem propagandam episcopos instituendi in Sclaviam et investiendi potestatem ab imperatore accepit. Adrianus papa obiit. Post hunc Rolandus cancellarius a quibusdam cardinalibus electus est, mutato nomine Alexander, et a Gallicana ecclesia Sept. 7. susceptus et[w] approbatus est. Cuius eleccioni Fridericus imperator, quia[x] eum prius exosum habuerat, tam[y] crudeliter obstitit, ut cum suis fautoribus Octavianum antipapam e diverso statueret, quem Victorem vocaverunt, in cuius papatum fere tota ecclesia Cisalpina[z], consensit pro favore imperatoris; qui eciam edicto publico precepit, ut quicumque ad Alexandrum papam pergentes inventi fuissent tenerentur, spoliarentur et suppliciis subderentur[23]. Cuius mandati execucione multis maliciose utentibus, plurimi iter agencium tamquam Alexandrini non solum rerum perdicionem, sed eciam mortis periculum pertulerunt. Hinc itaque scisma grave et diuturnum in ecclesia exortum est.

Anno 1160. Ann. Magd. Arnoldus Moguntinus archiepiscopus ab hostibus suis, eiusdem urbis civibus, in ecclesia beati Iacobi occiditur ipsaque ecclesia cum omnibus edificiis monasterii igne consumitur. Heinricus dux cum marchione Thiderico terram Sclavorum devastavit et principem eorum Niuclath[a], qui et Nicolaus, trucidavit et ipsos sibi subiugavit. Ulricus[b] Halverstadensis episcopus in peregrinacione constitutus propter favorem Alexandri

---

a) *verba*: Qui quoniam — possidebitis *desunt* 2 *et* 3. c) noluit 1. d) regiam 3. e) duxituxorem 2. 3. f) werram 2. g) Enermodus 1. 2. 3. h) divina 3. i) fratres *deest* 1. k) alterius 1. l) viverent 3. m) vir tunc 1. n) copiam 1. o) Siwoldus 2. p) *sic correxi ex Fundatione monasterii Gratia Dei; codd. omnes habent* minor. q) Olricus 2. r) nominatur 1. s) archiepiscopus 3. t) Ekkewertus 2. u) Sclaviam 1. 2; Sclavoniam 3; Sclavaniam *in Ann. Magdeb. legitur.* v) christianitatis *deest* 3. w) est 1. x) qui 3. y) tum 3. z) Cisalpina *deest* 1; eisaspina 2. a) Nyveloth *omnes codd.*; Niuclath *Ann. Magdeb.* b) Olricus 2.

19) Arnoldum. 20) Gertrudis filia Conradi marchionis Misnensis, Heinrico mortuo, monasterium in Bambergensi civitate S. Theodoro dedicatum construens ibidem monialis facta obiit. 21) Sophia. 22) Ekbertus comes de Pütten et Formbach. 23) De hoc imperatoris edicto nihil notum est. Omnis quoque haec narratio de ancipite electione erroribus plena est.

pape ab Everhardo cardinale legato Victoris dampnatur et deponitur et excommunicatur. Ann. Magd. In cuius locum Gero prepositus subrogatur. Imperator cum[a] Mediolanensibus[b] congressus ipsos vicit multisque eorum occisis vexillum beati Ambrosii abstulit. Heinricus dux episcopos in Sclavia instituit, Geroldum in Aldenburc, Fund. Grat. Dei. Evermodum in Ratisburch, Bernonem in Magnopoli, qui translatus est in Zwerinensem urbem. Lampertus prepositus de Gracia Dei obiit, cui successit Guntherus. Imperator generale concilium Papie indixit, cui Wichmannus Magdeburgensis archiepiscopus cum magna multitudine cleri sui interfuit. Ian. 27. Wicherus Brandenburgensis episcopus obiit[c.24]. Crema capitur et deletur.

Anno 1161. Imperator iam tercio Teuthonicos invitat contra Mediolanenses, ubi Bertoldus Cziczensis episcopus obiit, cui successit Udo. Duo electi Moguntinenses[25] deponuntur Ann. Magd. et Conradus Saltzburgensis[d] canonicus regularis substituitur. Bruno Hildensemensis episcopus obiit, cui successit[e] Hermannus. Gero Halverstadensis episcopus dignitatem ferendi[f] pallii[g] a Victore antipapa accepit.

Mart. 2–4. Anno 1162. Imperator Mediolanenses longa[h] obsidione ad dedicionem[i] coegit, civitatem cf. Annal. Magd. destruxit, habitatoribus usquequaque dispersis. Eo anno fames magna facta est[26]. Fridericus palatinus comes de Sumerschenburch obiit. Imperator generale concilium Bisunce indixit, ubi nichil dignum memoria actum est.

ibid. Anno 1163. Heinricus dux castrum Sclavorum Werle obsidens ad dedicionem[i] coegit. Divorcium inter ducem et ipsius coniugem[27] propter consanguinitatem factum est, hoc ipsum imperatore[k] Ann. Magd. iuramento firmante. Imperator Moguncie curiam celebravit, muros civitatis cum turribus destruxit, interfectores episcopi quosdam vita, quosdam rebus spoliavit. Heinricus dux Lubeke congregacionem clericorum instituit, ecclesiam ex lignis constructam in honore[l] sancte Marie et sancti Nicolai dedicari fecit, ubi pacis gracia principes Rugiane insule ad dedicacionem venerunt. Polani filium[28] ducis sui expulsi receperunt, curia eis ab imperatore indicta. Fluvii inundantes pericula gravia hominibus et animantibus intulerunt. Imperator Alpes[l*] transivit.

Anno 1164. Wichmannus archiepiscopus peregrinacionem ad partes transmarinas Febr. 26. suscepit. Tonitrua et fulgura intempestiva cum vento vehementi 5. Kal. Marcii[29] extiterunt. Inundacio occidentalium fluminum multa milia hominum et animancium interfecit et edificia destruxit. In Magnopoli civitate capta et[m] occisa est multitudo magna christianorum a Febr. 17. Sclavis 14. Kal. Marcii. Ann. Magd. Discordia magna inter Reinoldum Coloniensem electum et palatinum Reni facta est Oct. 10. propter castrum Rinecke. Ecclesia de Dei Gracia dedicata est 6. Idus Octobris a Wichmanno archiepiscopo, cooperantibus Gerungo Misnense, Iohanne Mersenburgense et Udone Cziczense episcopis, in honore[n] Dei genitricis et sancti Victoris martiris et sociorum eius et sancti Ponciani martiris, quem eodem die prefatus archiepiscopus ipsi ecclesie dedit. Victor antipapa obiit, cui successit Wido Cremonensis, mutato nomine Paschalis. Conradus tercius Hallensis ecclesie prepositus obiit[30]; sedit annis 13, mensibus 8, diebus 2. Huic successit Heidenricus ecclesie eiusdem canonicus.

ibid. Anno 1165. Monasterium sanctimonialium Hirse incensum est. In curia Nurenberch[o] stipendia itineris in Lombardiam adiudicantur[31]. Imperator Lombardiam intravit, sed sine effectu rediit. Verona rebellat. Saxones Pomeranorum provinciam vastant.

cf. Ann. Magd. Anno 1166. Arnoldus abbas Sancti Iohannis baptiste Magdeburg obiit, cui successit Sifridus de eadem congregacione per Wichmannum archiepiscopum intrusus. Arnesberch 1165. Mai. 23. destruitur. Wirczeburg ab imperatore et episcopis et principibus Teutonicis[p] Paschalis antipapa sacramento prestito confirmatur, et ut ab omni clero id fiat, decernitur. Milites Saxonie coniurant, ne iura antecessorum suorum infringi permittant. Factum est incendium monasterii Hallensis. Wichmannus archiepiscopus et ceteri principes Saxonie contra cf. Ann. Pal. ducem Heinricum provinciam turbant.

Anno 1167. Filius Conradi regis[32] filiam Heinrici ducis[33] in matrimonium sortitus est. Cuius[34] invitacione Bohemus in Suevia multa monasteria et ecclesias rapinis et incendio

a) cum *deest* 3. b) Mediolanensem 2; Mediolanenses 3. c) obiit *deest* 2. d) Saltzburgk 1. e) succedit 2. 3. f) gerendi 3. g) pallium 1. h) longe 1. i) dedicacionem 1. k) imperatorem 3. l) honorem 3. l*) Albes 1–3. m) et *deest* 3. n) honorem 1. 2. o) Nurrenberch 2. p) cum Teutonicis 2.

24) Aug. 16. Cf. Necrolog. Hildesheimense ap. Leibniz, SS. I, 766. 25) Rudolfus, frater Bertoldi ducis de Zaringen, et Christianus praepositus Mersebergensis. 26) Cf. Ann. S. Petri Erphesfurdenses SS. XVI, p. 22. 27) Clementiam. 28) Boleslaum. Cf. Annal. Polonorum, SS. XIX, p. 628. 29) 14. Kal. Martii secundum Annales Magdeburg. 30) Dec. 29. secund. Necrolog. monast. Novi Operis l. c. p. 177. 31) Hanc curiam a. 1166. Febr. 14. celebratam esse ex Ann. Reichersberg. (SS. XVII, p. 472) docui in Forschungen z. Deutsch. Gesch. VII, p. 132. WEILAND. 32) Fridericus de Rotenburch. 33) Gertrudem. 34) Friderici.

devastavit. Wichmannus archiepiscopus claustrum Nienburch[35] et castrum Vrakeleve[36] concambio ab imperatore accepit[37]. Idem archiepiscopus castrum quod vocabatur Vetus Haldesleve et castrum Niendorp[38] destruxit. Conradus Moguntinus archiepiscopus cum esset fautor Alexandri pape, propter vitandam communionem scismatici[a] pape et imperatoris malam voluntatem, relicta Moguncia, Sabinam recessit; erat enim Sabinensis episcopus et Romane curie cardinalis. In cuius locum imperator Cristianum Mersenburgensem prepositum subrogavit.

Anno 1168. Reinoldus Coloniensis archiepiscopus obiit[39]. Hic scismatis auctor et roborator precipuus fuit, primusque imperatorem, ut iudicium ecclesie de eleccione Alexandri pape contempneret, incitavit. Quem quidem talem futurum ipso de se, cum puer esset, prophetante[b], ordinator omnium Deus modo mirabili declaravit. Fertur enim quod, cum in scolis Hildenesheim[c] puer nutriretur, quodam tempore scolaribus, ut mos est, in meridie quiescentibus, iste inter ceteros dormiens repente huiusmodi vocem emisit: *Ego sum.* Quod cum sepius repeteret[d], magister, qui presens erat nec dormiebat, eum percunctari studuit dicens: *Quid es tu?* Tunc ille respondit: *Ego sum ruina mundi.* Exinde a coetaneis suis ruina mundi appellatus est. Huic imperator, cum Mediolanum everteret, trium magorum corpora ibi reperta dedit, que ille ad sedem propriam, scilicet Coloniam, munus eximium deportavit[40]. Reinoldo successit Philippus cancellarius. Wicmannus archiepiscopus cum multis auxiliatoribus castrum Holdisleve obsedit, in quo Bernhardus[41] de Lippa cum multis aliis a duce Heinrico locatus, provinciam civitati Magdeburgensi adiacentem rapinis et incendiis devastabat, ita ut nonnumquam eciam[e] ad muros civitatis accedere non timeret.

Anno 1169. In Siria quedam civitas terre hiatu absorbta est. Daniel Pragensis episcopus obiit, cui successit Ann. Magd. Fridericus de choro Magdeburgensi assumptus.

Anno 1170. Gerungus Misnensis episcopus obiit in infirmitorio fratrum in Sereno Monte. Hic Ann Magd. Nov. 20. ecclesiam Sereni Montis magno semper affectu[f] coluit multisque eam largitatis sue beneficiis cumulavit. Sepultus est autem in ecclesia Misnensi. Huic successit Martinus eiusdem ecclesie canonicus. Albertus marchio de Brandenburc obiit.

Anno 1171. Everhardus Nuenburgensis abbas obiit, cui successit Sifridus abbas Sancti Iohannis Magdeburgensis, priori tamen dignitate pariter retenta. Verum quia de Nuemburgensi ecclesia loquendi se prebuit occasio, libet de exordio eius aliqua hic inserere, cum pro[g] honestate ipsius ecclesie, quia videlicet regularis vite vestigia a viris Deum timentibus impressa in ea necdum penitus deleta sunt, tum eciam quia eius et ecclesie Sereni Montis fundatores quedam consanguinitatis videtur racio copulare. Temporibus denique primi cf. Ann Sax. 965. Othonis imperatoris duo fuerunt fratres, Gero dux et marchio et Sifridus comes; horum soror Hidda dicebatur. Gero filium habuit unicum Sifridum, qui in iuventute obiit, de cuius morte pater adeo turbatus est, ut Romam petens coram altari beati Petri arma deponeret, impetratoque a summo pontifice beati Ciriaci brachio, domum rediens, cum omni hereditate sua ad Christum confugit, construens ecclesiam que Gerenrode de eius nomine dicitur, filiique sui viduam Hetwigam, quam ille annis septem habuerat[42], a Bernhardo Halverstadensi episcopo velatam eidem monasterio prefecit consummatisque feliciter omnibus, 14.[43] Kal. Iulii obiit anno Domini 965. Sifridus quoque frater eius in honore[h] beati Iun. 18. Viti construxit ecclesiam que Groninge dicitur, Hidda vero nupsit Cristiano marchioni[44], qui genuit ex ea Geronem Coloniensem archiepiscopum et Diethmarum marchionem. Hi fratres et mater ipsorum, defuncto patre, fundaverunt monasterium in honore[h] Dei genitricis 970. Aug. 29. in loco qui Dancmarisvelt dicitur[45], et est in confinio castri Anehalt, congregatis ibi fratribus Deo iuxta regulam beati Benedicti servientibus et preposito eis abbate, qui Hageno

---

[a] cismatici 2. [b] prophetisante 3. [c] Hisdenesheim 2. [d] repeteretur 3. [e] eciam *deest* 3. [f] effectu 1. [g] per 2. [h] honorem 3.

[35] München-Nienburg apud Bodae et Salae confluentes. [36] Freckleben ad fluvium Wipperam situm prope Sandersleben. [37] Cf. Magdeburger Schöppenchronik ed. Ianicke p. 117. 118. Hoc iam a. 1166. factum esse testatur Friderici imperatoris diploma a. 1166. die 20. mens. Aug. datum in Cod. diplom. Anhalt. p. 360. [38] Neindorf ad fluvium Selke. Cf. Ann. Magdeburg. h a. [39] a. 1167. Aug. 14. [40] Cf. Ann. Pegav. 1167. [41] III. postea episcopus Seloniensis. [42] Cf. Ann. Saxonem ad a. 1014. p. 666. [43] 13. *Kal. Iulii* Ann. Saxo. [44] Lusatiae. [45] Dammersfelde olim inter Gernrode et Mägdesprung situm, nunc desertum; cf. chartam fundationis in Cod. diplom. Anh. n. 47, et Iohannis XIII. papae confirmationem ibid. n. 49.

dicebatur, quem eciam imperatoris[a] consanguinitas illustrabat[46]. Hidda autem servande viduitatis habens propositum et Deo devota existens, dominice passionis locum studio devocionis peciit, ubi constituta, a rege Ierosolimorum, quia formosa erat, adamata in coniugium petebatur[b]. Quod ipsa fortiter contempnens cum regis instancia gravaretur, faciem suam, pro cuius decore molestabatur, dehonestare non timuit nasumque sibimet truncans terreno amatori deformem se studuit exhibere, sciens, interiori suo decori, quo celesti sponso[c] placere satagebat, nichil ex illius deformitatis vicio deperire. Hec Ierosolimis defuncta et sepulta est[47]. Prius vero quam moreretur, filiis mandavit, locum sue novelle plantacionis Dei genitrici non placere, sed eam alium elegisse, videlicet castrum, ubi Sala[d] et Boda fluvii convenirent. Verum quia castrum idem, quod tunc Northringe dicebatur, de hereditate fuit Geronis marchionis, avunculi ipsorum, quam[e] ille totam[f] Deo tradiderat, datis pro eo ecclesie Gerenrode quatuor villis, que omnes uno nomine Polige vocantur, ipsum redemerunt[48]. Contigit autem inter hec, castrum ipsum a Sclavis Transalbinis capi, quod Diethmarus marchio, multis quidem suorum perditis, recuperavit, qui occisi passim ibi sepulti sunt, qui eciam nostris temporibus crebro cum armis suis, ita ut nec calcaribus carerent, reperti sunt. Tempore itaque Ottonis secundi imperatoris anno dominice incarnacionis[g] 975. Diethmarus marchio et Gero Coloniensis archiepiscopus congregacionem suam de Dancmarisvelde transtulerunt in castrum Northringe, quod nunc Nienburg dicitur[49], ipsamque ecclesiam, ut firmiori eam stabilitate promoverent, imperiali maiestati pro tuenda eius libertate tradiderunt[50]. Abbas vero ille Hageno cum aliis transferri non consensit, sed Deo pocius in solitudine servire volens, in loco priori permansit[51]. Erat autem circa locum ipsum venacio publica imperatoris. Cum itaque imperator aliquando ad locum ipsum venaturus venisset, ibi predictum abbatem reperit, cuius audita intencione et laudata, locum quendam eiusdem solitudinis ad incolendum ibi dedit ipsi, quem ille Hagenrode[52] de suo nomine appellavit, et est hodie prepositura attinens ecclesie Nienburgensi. Dedit quoque
979. Mart. 3. imperator idem ecclesie Nienburgensi castellum Grimmisleve dictum cum 400 mansis[53],
1000. Mai. 1. quem secutus Otto tercius, filius ipsius, dedit eidem ecclesie civitatem Niemeze[54] vocatam cum omni provincia ei attinente, que habet septem milia mansorum[55]. Heinricus quoque huius nominis secundus imperator dedit ipsi ecclesie duas civitates, Tribus et Lubicholi[h][56]
1004. Aug. 8. dictas, istasque suas donaciones privilegiis firmaverunt[57]. Conradus quoque secundus et Heinricus tercius imperatores prefate ecclesie libertatem privilegiis, sicut hodie videri potest, roboratam salvam reliquerunt[i][58]. Post mortem vero istorum, incertum utrum ex negligencia prelatorum an ex oppressione imperatorum, proveniens consuetudo privilegiis ante datis contraria inolevit, ut imperatori Saxoniam advenienti 20 talenta de ipsa ecclesia redderentur, insuper eciam regalis expedicio ei administraretur. Tempore vero Friderici imperatoris Wichmannus archiepiscopus avaricia stimulatus, iniquum censum 20 talentorum et servicium et ius patronatus, quod imperator in prefata ecclesia habebat, datis ei de pro-
1166. Mart. 8. prietate sua duabus in Suevia civitatibus[59], ab ipso redemit[60], salvo tamen omni iure, quod ecclesia in suis possessionibus usque ad id temporis habuisset[61]. Hoc itaque concambio
Apr. 17. vel mercatu facto, prefatus archiepiscopus in festo palmarum proximo tamquam probaturus iuga boum, que emerat, Nienburch advenit. Quale vero ibi servicium tunc ei exhibitum

---

a) inprimis 3. b) patebatur 2. c) sponsa 3. d) Versala 2. e) quod 3. f) totum 3. g) anno domini 1. h) Lubichoh *codd.*; Lubicholi *correxi ex charta Heinrici II. regis apud Heinemann, cod. dipl. Anhalt. p.* 74 *edita.* i) reliquerent 1. 2.

46) Cf. Seriem abbat. Nienburg. (ed. F. Winter in Geschichtsblätter f. Stadt und Land Magdeburg II, p. 112: *Anno Domini* 971. *Gero archiepiscopus Coloniensis et Ditmarus marchio Misnensis fratres monasterium in Taegmerfeld ad Herciniam silvam prope Harzkerodam in honorem S. Mariae constituunt, et Hagano cognatus Ottonis imperatoris ibi abbas ponitur.* 47) Cf. Annal. Saxonem SS. VI, p. 619 et Thietmari chronicon II, 16 SS. III, p. 751. 48) Cf. Annal. Gerenrodenses ap. Meibom, SS. rer. Germ. II, 426. 49) Hic manifestum in errorem auctor incidit; Nienburg in pago Northuringa situm erat. Cf. Seriem abb. Nienburg. l. c. 50) Cf. Cod dipl. Anhaltin. n. 58 et n. 61. 51) Cf. Ser. abb. Nienb. l. c. 52) inter Mägdesprung et Alexisbad situm. 53) Grimmschleben prope Bernburg. Cf. ibid. n. 65. 66. 54) Niemitsch in ripa fluminis Nizae situm. 55) Cf. ibid. n. 90. Hic mansorum numerus in charta non legitur. 56) Trebbus et Leibchel. 57) Cf. ibid. n. 93. 58) Cf. ibid. n. 106. 113. 59) castro Schönburg ad Rhenum sito, villa Ober-Wesel, curia Iugenheim prope Ingelheim. 60) Cf. Ser. abb. Nienb. l. c. 61) Cf. Cod. dipl. Anhalt. n. 496. 497.

fuerit, ex[a] eo perpendi potest, quod ipso die ad matutinalem comestionem, que puerorum tantum esse solet, 15 esoces procurator abbatis se asseruit expendisse. Accepto autem hoc gustu mercatus sui, propter expensas copiose sibi factas plurima ecclesie ipsi bona superfluere reputans, civitatem Niemeze et provinciam ei attinentem[b], preterea Tribus et Lubicholi civitates abstulit[62] easque imperatori pro provincia que Dame dicitur dedit, promittens, se ablata bonis aliis restaurare, quod tamen minime cognoscitur implevisse[63]. Vereor autem, ne tanta iniuria, quam intulit matri misericordie[c], nunc sit ei causa miserie, nimirum pro matre filio iudicante. Consanguinitatis vero inter Nienburgensis[d] et Sereni Montis ecclesiarum fundatores racio sic est: Diethmarus marchio duxit filiam Hermanni ducis de Luneburch, Suanehildam nomine, ex qua genuit Geronem marchionem. Gero genuit Diethmarum, Diethmarus genuit Odonem, qui sine liberis obiit, et in eo posteritatis[e] propagacio cessavit. Hi omnes provincie Lusicensis marchiones fuerunt, que nunc Orientalis marchia vocatur. Odonis marchionis meminit scriptura passionis beati Adelberti, ubi dicitur: *Odo pugnax marchio laceris vexillis terga vertit*[64]. Mortuo Diethmaro primo, Suanehildis eius relicta nupsit Ekkehardo marchioni, filio Guntharii marchionis de Turingia, qui Nuenburgensem fundavit episcopatum, qui genuit ex ea plures filios et filias. Unam filiarum eius, que ex matre soror fuit Geronis marchionis, Machtildem nomine, duxit Tidericus comes genuitque ex ea Thiemonem[e*] comitem et fratres eius. Thiemo vero genuit Dedonem comitem et Conradum marchionem, ecclesie Sereni Montis fundatores.

Anno 1172. Eclipsis lune facta est in octava epiphanie[f] in plenilunio et luna per quatuor fere horas non apparuit. In Februario crebra micuerunt fulgura. Ludowicus lantgravius obiit. Ian. 13. Ann. Magd.

Anno 1173. Ludowicus Monasteriensis episcopus obiit; cui successit Hermannus de choro Wirczburgensi. cf. Ann. Peg. Willimarus Brandenburgensis episcopus obiit, cui successit Sifridus, Adelberti marchionis filius, de ecclesia sancte Marie Magdeburgensi[g]. Wulradus de Gniez[65], collecta Transvonensium[h][66] militum, copia Zpurne[i][67] venit[k], villam ipsam despoliaturus, quibus Fridericus comes de Brene et Conradus comes, filius Tiderici marchionis, cum paucis supervenientes, obprobriose eos fugere compulerunt, multis eorum vulneratis, pluribus vero captis. Hoc accidit 15. Kal. Februarii. Ian. 18.

Anno 1174. imperator post assumpcionem sancte Marie Longobardiam cum exercitu intravit. Ann. Magd. Ekkehardus Sereni Montis prepositus, destructo veteri sanctuario, quod pro sui brevitate congregacioni erat inconveniens, — nam ubi modo chorum intrantes ad gradus inclinant, ibi ante maius erat altare, — eam partem monasterii, que est ab arcu crucis[l], sursum edificare aggressus est. Ad huius operis promocionem Otto Misnensis marchio, advocatus ecclesie, duo iuga boum et[m] carratam ferri et centum modios frumenti et decem marcas annis singulis, donec consummaretur, de suis reditibus deputavit. Dedo comes de Groitz monasterium Cillenense[68] in honore[n] Dei genitricis fundavit, cui primus prefuit Tidericus Sereni Montis canonicus, ab Ekkehardo preposito missus, cui prefatus comes ipsam ecclesiam commiserat promovendam.

Anno 1175. Heinricus dux Ascherlove incendit. Lantgravius castrum Helpede insidiis circumventum cepit. ibid. Conradus comes, filius Tiderici marchionis[69], in exercicio militari, quod vulgo tornamentum vocatur, lancee ictu occisus est 15. Kal. Decembris. Nov. 17. Tantum autem idem pestifer ludus in partibus nostris tunc inoleverat, ut infra unum annum 16 in eo referantur milites periisse, pro qua re Wichmannus archiepiscopus omnes eius frequentatores excommunicacionis vinculo innodavit. Conperta autem prefati comitis morte, tunc in Austrie partibus constitutus, missis nunciis eum a sepultura precepit ecclesiastica separari. Tempore vero procedente cum arhiepiscopus idem, convocatis suffraganeis suis, cum magna cleri frequencia conventum

---

a) ex *deest* 2. b) attinente 3. c) Marie 3. d) *sic correxi ex* Nyenburgensem *codd.* e) posteritas 1. e*) Thimeonem 1—3. f) epiphanias 3. g) Magdalenae 3. h) *sic correxi ex* transnovensium *codd.* i) ad Purne 3. k) venit *in cod.* 2 *bis positum est.* l) eius 3. m) in 2. n) honorem 3.

62) Cf. epistolam Alexandri III. papae ad Wichmannum directam in Copiario abbatiae Nienburgensis in Neues Lausitz. Magazin 1863. 40, p. 514. 63) Cf. ibid. p. 519 sq. 64) In Brunonis Vita S. Adalberti c. 10 (SS. IV, p. 598) haec verba non de Odone, filio Thietmari II, dicta sunt, sed de Odone marchione, Thietmari I. genero. 65) Gnetsch inter Köthen et Zörbig situm. 66) i. e. eorum qui trans Vonam (Fuhne) fluvium habitant; cf. infra a. 1216, ubi *principes Transvonenses* commemorantur. 67) Spören inter Zörbig et Landsberg situm. 68) Tzschillen, postea Wechselburg dictum, prope Rochlitz. 69) Lusatiae.

in ecclesia Hallensi haberet, pater occisi comitis et fratres eius, Otto videlicet Misnensis marchio, Dedo comes de Groitz, Heinricus comes de Witin et Fridericus comes de Brene, cum multis nobilibus viris et ministerialibus advenientes, pedibus archiepiscopi ac tocius cleri cum magno eiulatu et lacrimis provolvuntur postulantes, ut occiso communionem concederet fidelium sepulture, asserentes[a] constanter, eum ante finem suum penitentem et absolutum communionem[b] dominici corporis meruisse. Cum enim comes idem vulnere debilitatus iaceret, contigit sacerdotem quendam religiosum transire, qui petentibus amicis eius ad vulneratum accedens, magna ab ipso instancia rogatus est, ut penitenciam eius et confessionem admitteret et a vinculo eum excommunicacionis absolveret, fideliter promittens, si divina ei misericordia vite spacium largiretur, numquam se de cetero tali causa excommunicacionis sentenciam meriturum, quin pocius et de hoc et de aliis suis peccatis Deum sibi modis omnibus placaturum. Super hoc[c] autem ad militandum Deo cruce signari devote peciit, ut eius contricio manifestius appareret. Sacerdos vero ille cordis in eo contriti signa percipiens, confessione eius audita et penitencia iniuncta, ab excommunicacionis nodo eum absolvit, sicque reconciliatum dominici corporis participem faciens, sicut pecierat, cruce signavit. Quibus peractis post modicum defunctus est. Cum itaque hec principes predicti coram archiepiscopo et clero assererent, sacerdos, horum[d] omnium executor, cum hic[e] presens esset, iuramento hec confirmare, ut nulla remaneret dubietas, rogabatur; quod ille alacriter adimplevit. Ipsi preterea principes, exigente hoc ab eis archiepiscopo, in reliquiis iuraverunt a tornamento in perpetuum abstinere nec usquam in omni dicione sua huiusmodi exercicium permittere hominesque suos et ministeriales ab eo modis omnibus cohercere. Sicque demum archiepiscopus[f] mortuo sepulturam concessit, salva tamen sedis apostolice auctoritate. Unde factum est, ut tamdiu sepultura careret, donec unus militum familiaris eius, Wernherus nomine, consensum de hoc summi pontificis reportaret. Qui eciam transmarinam peregrinacionem pro ipso postmodum peragens, fidelem se ei
1176. Ian 18 manifestis indiciis declaravit. Sepultus est autem in Sereno Monte 15. Kal. Februarii ante introitum ecclesie maioris occidentalem, iuxta quem[g] eciam Wernherus idem postmodum tumulatus[h] est. Obtulit autem Tidericus marchio pro anima filii sui beato Petro decem mansos in villa que Marcgrevendorp appellatur.

cf. Annal. Magd. Anno 1176. Imperator cum Longebardis conflictum faciens[i] victoriam perdidit, licet multos eorum interfecisset[k].

ibid. Anno 1177. Alexander papa in vigilia beati Iacobi, presentibus cardinalibus et infinita multitudine episcoporum et abbatum et principum secularium et populorum, Veneciis ante monasterium sancti Marci imperatorem in osculo reconciliacionis suscepit, mortuo iam Paschali antipapa et Iohanne, qui ei successerat, deposito. Et hec dies reconciliacionis ab ipso papa et imperatore et clero et populo sollempnissime peracta est. Huius autem concordie reformande precipuus cooperator fuit Wicmannus archiepiscopus[70], cuius industria imperatoris animositas ad tantam mansuetudinem deducta est, ut in condempnacionem erroris sui coram summi pontificis pedibus prosterneretur. Fertur autem quod, cum sublevandi eum papa moram faceret, Tidericus Orientalis marchio, qui cum imperatore aderat, quasi cum querela et redargucione exclamaverit[l], cur imperialem dignitatem tante iniurie subiecisset? Papa vero ideoma Teutonicum non intelligens, inquisivit quid diceret Alemannus. Quod cum didicisset, festinus
cf. Ann Peg. accedens, imperatorem sublevavit et ad osculum suum erexit. Sequenti die concilio celebrato, scismaticos[m] omnes et a[n] scismaticis ordinatos anathematizavit, depositos quoque[o] sui causa in gradum pristinum restituit, Cristianum intrusum Moguntinum mediante imperatore confirmavit, Conradum vero Saltzburgensi[p] ecclesie prefecit, Ulricum[q] Halverstadensem, Gerone deposito, restituit. Inter Ulricum episcopum et Heinricum ducem gravis discordia exorta est. Castrum Horneburch ab hominibus ducis funditus evertitur.

Ann. Magd. Anno 1178. Alexander papa a Moguntino et Wormaciensi aliisque pluribus episcopis et principibus et viris nobilibus, quos imperator cum ipso direxerat[r], Romam reductus, honorifice susceptus est. Philippus Coloniensis

---

a) asselites 2. b) communione 3. c) hec 1. 2. d) eorum 2. e) hic *deest* 1. 2. f) archiepiscopo 2. g) quam 1. 2. h) tumultuatus 2. i) confliens 2; confligens 3. k) *verba:* anno MCLXXVI imperator *usque* eorum interfecisset *in cod.* 2 *post narrationem anni sequentis leguntur.* l) exclamavit 1. m) cismaticos 1. n) a *deest* 2. o) quaque 3. p) Salzburgensem 3. q) Olricum 2. r) duxerat 1.

70) Cf. Fundationem monasterii Gratia Dei SS. XX, 690.

archiepiscopus cum infinita multitudine ad repetendam hereditatem Ottonis[a] comitis de cf. Ann Peg. Asse, sui nepotis, et Cristiani comitis de Aldenburch contra Heinricum ducem venit, sed Wichmannus archiepiscopus multo labore pacem inter ipsos[b] reformavit. Ulricus Halverstadensis episcopus auxilio Ottonis Misnensis marchionis et Bernhardi comitis urbem novam[71] in quodam monte prope Halverstad construxit. Generale concilium ab Alexandro papa Ann. Magd. indicitur.

Anno 1179. Concilium generale Rome celebratum est ab Alexandro papa, cui interfuerunt cf. Ann. Peg. et Magd. patriarche tres, archiepiscopi et episcopi et abbates diversarum provinciarum millenarium numerum excedentes, aliorum vero clericorum innumerabilis multitudo. Castrum Horne- cf Ann. Peg. burch reedificatum est. Civitas Halverstad ab hominibus Heinrici ducis cum omnibus ecclesiis et monasteriis suis[c] exusta est. In quo incendio tres maioris ecclesie canonici pluresque presbiteri aliorumque clericorum et[d] scolarium magna multitudo, laicorum autem tam virorum quam feminarum exceptis pueris mille et eo amplius, qui dignosci non poterant, perierunt. Sclavi Lithewizen[e] et Pomerani vocacione ducis Heinrici provinciam Iuterbock Nov. 6. invaserunt, ipsaque vastata et multis interfectis, plures captivos viros et feminas abduxerunt[f]. Abbas eciam monasterii quod Cinna dicitur, qui et primus fuit, tunc interfectus est[72]. Heinricus dux Calve et inde provinciam totam usque Vrose incendio vastavit. cf. ibid.

Anno 1180. Ulricus Halverstadensis episcopus a duce Heinrico captivatus, multis pro cf. ibid. absolucione sua et suorum feodis concessis et iuramento firmatis, dimissus et ad sedem propriam reversus est. Verum omnia que iuraverat, apostolica simul et imperiali auctoritate, tamquam violenter extorta, irrita fieri iussa sunt. Imperator in octava epiphanie Ian. 13. Herbipolis[g] curiam celebravit, ad quam Heinricus dux tercio vocatus venire rennuit[h]. Quamobrem ex sentencia omnium principum reus maiestatis dampnatus est omnisque ei hereditaria proprietas et beneficiaria possessio abiudicata est. Horum vero malorum causa fuit duci superbia ipsius. Fertur enim quod, cum imperator Mediolanum obsideret, viribus suis iam valde attritis, principes Saxonie ad locum qui Bartenkirke[72*] dicitur, et est in introitu Alpium, evocavit et, ut negociis suis auxilium ferrent, rogavit. Omnibus autem aliis hoc alacriter spondentibus, dux, licet in prioribus expedicionibus fidelem se ei exhibuisset, hac tamen vice, quia iam cum Longabardis contra imperatorem conspiraverat, suum ei prorsus auxilium denegavit. Imperator vero cum tanta ei humilitate supplicavit, ut eciam pedibus eius prosterneretur, cum quidem ille eum negligens nec iacentem attolleret nec in eo, quod petebatur, aliquatenus consentiret. Quod factum imperatoris ei odium acquisivit, et utrum iuste an iniuste lector iudicet. Preter hec autem inductu eius Sclavi provinciam Tiderici marchionis ingressi usque Lubin[73] omnia vastaverunt. Quidam vero ministerialium eius ad[i] resistendum collecti a Sclavis fugati, nonnulli capti, plures eciam occisi sunt. Inter quos et Tidericus de Beierstorp occisus 13. Kal. Octobris in Sereno Monte 1178. Sept. 19. sepultus est[74]. Huius itaque vulneris dolore marchio stimulatus, ducem, tamquam qui contra imperatorem coniurasset, ad duellum coram imperatore sepius provocabat, sed ille male sibi conscius, imperatoris presenciam declinabat. Sifridus Brandenburgensis epi- cf. ibid. scopus, filius Adelberti marchionis, Gelenhusen coram legatis apostolici[k] ad archiepiscopatum Bremensem translatus est. Frater quoque eius Bernhardus comes ducatum Saxonie ab imperatore obtinuit. Ludewicus quoque, lantgravius Thuringie, comes palatinus effectus est. Heinricus dux congregato exercitu, Saxoniam aggreditur, primumque in[l] iniuriam[m] imperatoris[n] folles Goslariensium incidit, officinas operis eorum destruxit, ipsosque[o] cives fame multisque aliis modis afflixit. Cui Ludewicus lantgravius et Bernhardus dux occurrentes[p] cum militibus, quos colligere in instanti poterant, eique congressi victoriam perdiderunt. Ludewicus lantgravius et frater eius cum quadringentis et eo[q] amplius militibus[r] capti sunt, Bernhardus dux cum ceteris fuga lapsus est. Castrum Northusen et monasterium sanctimonialium in eo situm igne consumptum est. Sifridus abbas Sancti Iohannis baptiste Magdeburgensis et Nienburgensis ad Hersveldensem abbaciam electus est, cui in ecclesia

---

[a] Ottonis *deest* 3. [b] interponens 3. [c] suis *deest* 3. [d] et *deest* 1. [e] *legendum videtur* Liwethizen. [f] adduxerunt 2. [g] Erbipoli 2. [h] temnit 3. [i] a 1. [k] apostolicis 3. [l] in *deest* 1. 2. [m] iniuria 1. [n] imperatoris *deest* 1. [o] in posterumque 3. [p] occurrens 3. [q] eo *deest* 3. [r] militibus *deest* 2.

71) *urbem quae dicitur Nova* Ann. Magdeb. 72) Tidericus vel Riezo. 72*) Partenkirchen. 73) Lübben. 74) Iam a. 1178; cf. Cohn in Forschungen zur Deutschen Geschichte I, p. 381, not. 11.

Magdeburgensi successit Heinricus ipsius ecclesie filius, in Nienburgensi vero Heidenricus. Iul. 25. cf. Ann. Peg. Imperator post festum sancti Iacobi cum orientalibus et Saxonie principibus Heinricum ducem aggreditur, et castrum Lichtenberck obsessum ad dedicionem[a] coegit. Ulricus Halverstadensis episcopus obiit, cui successit Tidericus de Crozuc, ipsius ecclesie canonicus. Plurimi fautorum ducis in castris, que tenebant, timore imperatoris ipsi se tradiderunt. cf. ibid. Imperator duas urbes edificare cepit, unam in monte qui dicitur Bischovisberc, que ab episcopo Ulrico incepta erat et intermissa, alteramque Hartisburch dicitur[b], que olim ab imperatore Heinrico quinto edificata et a Saxonibus destructa est[75]. Eodem tempore tradiderunt ei ministeriales ducis has urbes: Heimenburc[b'], Lewenberc, Reginstein et alias plures. Sept. 8. Imperator vero a Saxonia tunc recedens in nativitate sancte Marie, statuto in Bavaria novo Nov. 10. duce[76], circa festum sancti Martini disposuit redire. Dux autem, absente imperatore collectis viribus suis[c], urbem comitis Adolphi Sigeberch dolo cepit, cum pacem iuramento cf. Ann. Peg. firmasset et velud confederatus in castro receptus fuisset. Dehinc expulsa matre comitis[77] et qui cum ipsa erant, urbem suis fidelibus communivit. Imperatori reverso in Saxoniam Hircesberch, Stouphenburch, viri eciam nobiles de Waltingeroth, de Schartvelt, de Dannesberck, de Ilevelt se cum castris suis ei tradiderunt. Cazamarus Sclavorum princeps repentina morte defunctus est.

Anno 1181. Wichmannus archiepiscopus Haldisleve[78] civitatem secunda obsidione vallavit, priori ex huiusmodi occasione soluta[79]. Civitas eadem in palude edificata erat, triplici vallo et muro forti munita. Palus autem circa civitatem porrecta non patens, sed sub cespite latens erat, et cespes ipse non solidus, sed vestigiis cedens quasi immersionem[d] desuper ambulantibus minabatur. Super hunc machine multe diversi generis multo labore et sumptibus magnis ad capiendam civitatem construebantur. Interim vero hi, qui[e] obsessi fuerant, stultum iudicantes nichil per se agere, quoniam huiusmodi materies flamme admodum capax est, cespitem ex ea parte, qua extremo civitatis vallo iungebatur, obsessoribus ignorantibus incenderunt. Ignis autem subterraneo meatu serpens, cito dilatatus est; qui cum ad locum machinarum venisset, cespes subter igne exesus molem suppositam ferre non valens repente subdidit, totaque illa structura cadendo secuta, copiosum igni pabulum ministravit. Equi eciam plurimi in huiusmodi cavernis ruentes, in igne debilitabantur. Philippus eciam Coloniensis archiepiscopus huic obsidioni fortis auxiliator accesserat, quatuor enim, ut fertur, loricatorum milia habebat. Viribus suis confisus, aliquid dominacionis in hoc negocio pre ceteris principibus, qui simul aderant, sibi adrogabat. Ideoque[f] orientales principes, Otto videlicet Misnensis marchio et fratres eius, fastum eius egre ferentes, cum suis omnibus recesserunt, volentes maxime discessione sua[g] insultum ei hostium provocare, quod tamen non evenit. Quadriduo enim post eos remansit et sic demum, nullo se impetente[h], ad propria remeavit. Wichmannus autem archiepiscopus et machinarum perdicione et auxiliatorum discessione debilitatus, obsidione soluta recessit. Verum hi, qui in civitate erant, adhuc si possent eam amplius munire cogitabant. Cum enim fluvius Ora[i] ex una eam parte preterfluens valde muniret, alium tamen fluviolum, qui Bivera[80] dicitur, ad alteram eius partem derivantes, inaccessibilem penitus reddiderunt; aquis enim circumquaque stagnantibus quasi insula videbatur. Sed hec res civitati perdicionem procuravit. Deprehensum est enim ex hoc, situ terre considerato, quod, si decursus aquarum aggere[k] Febr. iacto prohiberetur, civitas aquis sursum crescentibus mergeretur. Hoc eciam ad obsidionem episcopum mox revocavit. Labore itaque maximo infra tres menses et duas ebdomodas aggere consummato, in tantum aqua excrevit, ut pene super muros civitatis influeret. Tunc demum episcopus naves armatorum plenas civitati iussit applicari. Obsessi autem et iam captivi, rebus suis desperatis, pacem ab ipso pecierunt et salvis rebus suis et corporibus Mai. 3. civitatem ipsius tradiderunt potestati. Quod consecuti, bono omine discesserunt. Episcopus vero civitate potitus, eam funditus evertit, utile nimis opus perficiens et valde suis posteris profuturum. Inde Magdeburg rediens, cum magno gaudio cleri et populi et divinis laudibus

---

a) dedicacionem 1. b) dicitur *deest* 1. b') *correxi ex* Hennenburc 1—3. c) suis *deest* 1. 2. d) iuversionem 3. e) qui *deest* 2. f) que *deest* 1. 2. g) discessionem suam 1. h) impediente 1. i) Odra 3. k) a grege 1. 2.

[75] Cf. Ann. Palidenses SS. XVI, p. 95. [76] Ottone de Wittelsbach in curia Altenburgensi, Octob. 9. [77] Mathilda. [78] Neuhaldensleben. [79] Prior obsidio anno 1179. facta erat. Cf. Ann. Pegav. ad a. 1179. [80] Bever.

est susceptus[81]. Heinricus comes de Witin, filius Conradi marchionis, obiit 3. Kal. Sep- Aug. 30.
tembris sepultusque est in Sereno Monte ad sinistram patris sui. Fridericus comes de
Brene, filius Conradi marchionis, obiit 2. Non. Ianuarii, sepultus et ipse in Sereno Monte 1182. Ian. 4.
post patrem suum ad occidentem.

Anno 1182. Dedicatum est altare in septemtrionali parte maioris ecclesie Sereni Montis
ab Hugberto venerabili Havelbergensi episcopo in honorem sancti Iohannis apostoli et Aug. 1.
euangeliste Kal. Augusti. Heidenricus quartus Hallensis ecclesie prepositus obiit 3. Idus Iul. 13.
Iulii[82], sedit annis quatuordecim, mensibus sex, diebus duobus. Huic successit Arnoldus
eiusdem ecclesie canonicus.

Anno 1183. Dedicatum est oratorium in australi parte[a] chori Kal. Augusti in honorem Aug. 1.
Dei genitricis a Wichmanno Magdeburgensi[b] archiepiscopo. Heinricus rex, filius imperatoris, pro sopienda discordia, que inter Conradum Moguntinensem archiepiscopum et
Ludewicum lantgravium Thuringie trahebatur, Erfordiam venit, ubi cum prefatis principibus
et aliis viris nobilibus ipsum negocium die beati Iacobi tractabat[83]. Domus vero prepositi Iul. 25.
ecclesie Dei genitricis, in qua convenerant, tribus mansionibus super se vicissim edificatis
distincta erat, in cuius superiori parte colloquium agebatur. Plurimis autem ad audiendum
ingressis, domus multitudinis pondere victa, ruptis trabibus, repente subsedit aliamque subterpositam deiciens, plurimos superstancium ad casum traxit. Ex quibus nonnulli quidem[c]
casu vexati, quidam vero mortui sunt, quorum hec sunt nomina: Fridericus comes de Aven- cf. Ann. Peg.
berge, Heinricus comes de Swarczburch — hi duo in cloaca, que erat in extrema parte domus,
mersi sunt — Gozmarus comes de Cigenhagen, Ludewicus comes de Wartberge[84], Gozmarus
comes de Kirchberge, Beringerus de Meldinge[85]; iste fuit ministerialis et quidam civitatis
officialis, qui vribode dicitur. Rex autem et episcopus, qui in fenestra domus consederant,
ruine periculum evaserunt scalisque applicatis depositi sunt. Lantgravius quidem ruine
particeps fuit, sed sine lesione permansit.

Anno 1184. Kal. Augusti secundo dedicatum est monasterium Sereni Montis in honore[d] Aug. 1.
beati Petri apostoli ab Everhardo Mersenburgense episcopo, Hugberto Havelbergense et
Balderamo Brandenburgense episcopis. Ipso die dedicatum est altare in septemtrionali
parte chori a prefato Mersenburgense episcopo in honore[d] sancti Iohannis baptiste[86]. Eo
anno imperator in penthecoste festivitatem magnam Moguncie celebravit, in qua Heinricum
regem, filium suum, militem fecit, multis illuc principibus convocatis. Ibi Tidericus Orientalis marchio, filius Conradi marchionis, egritudinem incurrit, qua longo tempore detentus
est. In vigilia vero beati Thome in Montem Serenum[87] adductus, in infirmitorio claustri Dec. 20.
decumbens, ingravescente eadem molestia, 5. Idus Februarii defunctus est. Hic ab uxore 1185. Febr. 9.
sua, que soror erat Mesoconis ducis Polonie, Dobergana[88] nomine, que et Lucardis vocabatur, de qua filios susceperat Conradum comitem et Gerdrudem Gerbestadensem monacham, longo tempore separatus, aliam Conigundam nomine, comitissam, viduam Bernhardi[89] de Plozke, quasi superduxerat, ex qua genuit Tidericum Mersenburgensem episcopum[90]. Hic eciam parrochiam in Hileburch et capellam eiusdem castri, que in honore[e]
beati Petri consecrata est, ad quam pertinet Culsoe villa et silva, que Luch dicitur, et duo
molendina, Gostemize villa, Welpride villa, Nennewize villa et quinque mansi in Ride[91]
ecclesie Sereni Montis contulit, recipiens in concambio villam Numik cum parrochiis suis,
quas tamen parrochias cum sex mansis in decimacione beato Petro restituit, exceptis curtibus[f] maioris ecclesie, quas et villam Numik Conrado de Mossiz et uxori et filiis eius iure
feodi concessit[92]. Molendinum eciam super fluvium Mildam[93] in villa, que Groiz dicitur,
prefate ecclesie dedit. Civitatem Schildoe[g][94] in fundo ipsius ecclesie edificavit et in adiacen-

a) plaga 3. b) Magdeburgensi *deest* 1. 2. c) quidem *deest* 3. d) honorem 3. e) honorem 3. f) turribus 1. 3. g) Schilde 2.

---

81) Cf. Magdeburger Schöppenchronik, ed. Ianicke p. 120. 82) Necrolog. monast. Novi Operis l. c. p. 169 praebet 2. Idus Iul. 83) Hic conventus a. 1184. factus est. Cf. Cont. Annal. Pegav. 1184. 84) Hic apud alios huius rei scriptores Burchardus nominatur. 85) Mellingen prope Weimar. 86) Cf. Wichmanni chartam huic monasterio a. 1184. Oct. 20. datam ap. Dreyhaupt l. c. II, 871. 87) In Ann. Vetero-cell. ap. Mencken II, 395 additum est: *de castro suo vicino Landisperg vel de Yleborg.* 88) filia Boleslai III. Poloniae regis, sorore Mieczislai III. Stany. 89) III. Bernhardus obierat a. 1147. 90) a. 1201—1215. 91) Kültschau, Göstemitz, Wölpern, Rödigen prope Eilenburg. 92) a. 1161. Apr. 30. Cf. chartam Dieterici marchionis apud Mencken SS. I, p. 767. 93) Mulde. 94) Schilda inter Torgau et Oschatz situm.

tibus villis 60, ut fertur, mansos de proprietate eius abstulit, quos tamen 130 mansis silve ad nigram Alestram[95] restauravit[a]. Affectu autem magno Ekkehardum prepositum[b] et fratres Sereni Montis excoluit, que res eos a provincialium infestacione maxime tuebatur. Unde eciam idem prepositus inter cetera, quibus ei obsequiosus erat, vineam minorem in Podegruz[96], que marchionis vocatur, ad usus ipsius annis singulis excolebat, que tamen eo defuncto ad ecclesiam reversa est. Dedit eciam beato Petro dorsale quoddam magnum et duas marcas et dimidiam auri ad opus calicis unius, qui postmodum a comite Ulrico de Witin[97] aput Iudeos[c] Hallis impignoratus, cum quidam civitatis ipsius eosdem Iudeos latrocinio invasisset, interfecto qui eum habebat, cum rebus aliis ablatus est. Otto eciam[d] Misnensis marchio et Dedo comes[98], fratres marchionis predicti, ad comparandos trium talentorum reditus, pro anima ipsius 60 marcas promiserunt, cuius pecunie partem mediam Otto marchio statim solvit. Postmodum autem cum Ekkehardus prepositus reditus quosdam in villa Kokere[99] a Dedone, tunc Orientali marchione, emeret, quam villam ille ab ecclesia Pigaviensi redemerat, idem marchio de pecunia sibi promissa 30 marcas[e] ecclesie et preposito relaxavit[f]. Sepultus est autem Tidericus marchio post patrem suum in dextera Friderici comitis fratris sui. Hic fundavit ecclesiam Cisterciensis ordinis in loco, qui Doberluge[1] dicitur. Anno 11 . . . castrum eciam, quod Landisberc dicitur, construxit.

Iul. 28. Anno 1185. 5.[g] Kal. Augusti dedicatum est altare sancte crucis in Sereno Monte a Wichmanno archiepiscopo. Arnoldus Hallensis ecclesie prepositus, vir bonus et secundum Deum simplicitati studens, a seculi accionibus, quantum posset, abstinens esse decreverat sapienciamque mundi, que nimirum aput Deum stulticia est, negligens, veram sapienciam Eccli 38,25. sectari studebat, de qua dictum noverat: *Qui minorabitur actu, inveniet eam.* Pro qua re ei tamquam desidi et commisse administracioni minus idoneo quidam de fratribus suis[h] aput archiepiscopum detrahebant. Nec erat inefficax derogacio eorum, quia episcopus alium de fratribus, Hugoldum curie sue capellanum, in locum prepositi substituendi iamdudum habens[i] propositum, ut tedium ipsi faceret, gravem se ei in causis quibuslibet exhibebat. Derogantes autem illi, episcopi proposito concordantes promocionem Hugoldi modis omnibus adiuvabant, ita ut eciam incantaciones et horribilia quedam archana negocii promovendi causa temptare non abhorrerent, duce usi matre ipsius Hugoldi, que usum talium et periciam habere ferebatur, iusto Dei iudicio ad hanc devoluti miseriam, ut, qui talem virum, qualis non nisi a Deo datur pie querentibus, contempsissent, in querendo alio non Dei, sed adversarii se sperarent auxilio gubernari. Prepositus autem satis ostendens dominandi cupidinem[k] nequaquam sibi dominari, cito voluntati episcopi satisfecit, resignatoque administracionis officio, ad private vite quietem pristinam est reversus. Non autem ei successit alius nisi is quem fratres illi talibus, quibus dictum est, studiis meruerunt.

Ann Magd. Anno 1186. Udo Ciczensis episcopus obiit, cui successit Bertoldus Nuenburgensis ecclesie canonicus. Imperator malam voluntatem circa se episcoporum Teutonicorum intelligens, Wormacie eos advocans[l], machinacionem contra imperium eis obiecit. Sed illi negantes, iuramento se preter Moguntinum purgaverunt, Coloniensis autem nec venit nec per alium pro[m] se satisfecit. Imperator offensus curiam ei Straceburc super expurgacione indixit.

ibid. Anno 1187. Pax inter Urbanum papam et imperatorem reformata est. Saladinus rex Damasci, Egypti et Sirie cum multitudine infinita paganorum terram Ierosolimitanam intravit. Cui occurrit Ierosolimitanus[n] patriarcha[o] et rex Ierosolimorum cum Templariis et Hospitalariis militibus et aliis episcopis terre et omni exercitu christianorum, crucem Domini habentes in comitatu. Divino autem iudicio christiani victi sunt. Patriarcha, rex et episcopi multi cum toto fere exercitu occisi sunt et crux Domini capta est. Saladinus victor totam terram obtinuit. Solam civitatem Tirum filius marchionis de Monteferrato de Constantinopoli adveniens salvavit. Urbanus papa obiit, cui successit Gregorius cancellarius. Hic imperatori et principibus pro adiutorio terre sancte nuncios misit. Heinricus iunior comes de Dec. 28. Witin, filius Heinrici, filii Conradi marchionis, obiit 5. Kal. Ianuarii in castro Gevekenstein, sepultus vero est in Sereno Monte ad sinistram patris sui. Pro eo oblata est beato Petro villa Terniz iuxta villam Numik cum octo mansis, quam Otto comes de Brene a Walthero preposito redemit reditibus in villa Chlewiz[2] pro ipsa equivalentibus restitutis.

---

a) restaurant 3. b) preponitur 2. c) Iudeos *deest* 2. d) et 2. e) marcos 1. f) relaxat 2. g) *numerus* V *deest* 3. h) ei *add.* 1. 2. i) *verba* prepositi substituendi iamdudum habens *in cod.* 2 *a manu recentiori margini illata sunt.* k) cupiditatem 3. l) evocans 2. 3. m) per 2. n) Ierosolimitanus *deest* 2. 3. o) patriarcha *deest* 1.

95) Schwarze Elster. 96) Situm erat prope Wettin; nunc est ibi molendinum, Pögerizmühle dictum. 97) filius Heinrici comitis de Wettin, nepos Conradi I. marchionis Misnensis. 98) de Rochlitz. 99) Kökern, inter Zörbig et Brehna situm. 1) Dobrilug in Lusatia inferiore prope Lübben ad fluvium Parvam Alestram situm. 2) Glebitsch inter Zörbig et Brehna situm.

Anno 1188. Imperator pro legacione pape pro adiutorio terre sancte curiam Moguncie celebravit, ubi Ann. Magd. Coloniensis archiepiscopus[a] graciam imperatoris, se et civitate sua omni condicione remota traditis, obtinuit. Imperator in presencia Albanensis episcopi, legati summi pontificis, deinde filius eius dux Suevie, lantgravius et multi episcopi, duces et comites cum quatuor millibus virorum electorum cruce signati sunt, expedicio autem in annum integrum dilata[b] est et in die beati Georgii Ratispone constituta. Civitas Magdeburg in vigilia penthecostes pene tota exusta est. Monasteria eciamsancte Marie et sancti Sebastiani cum parrochiis et capellis 12 exusta sunt. Otto Sereni Montis canonicus ecclesie Gerbestadensis prepositus[c] efficitur. Otto Misnensis marchio a filio suo Alberto captivatus est pro causa huiusmodi. Cum esset duorum pater filiorum, Alberti et Tiderici, Albertum, qui maior natu erat, marchionem post se ordinaverat, iuniori sufficientibus satis reditibus aliis[3] deputatis. Mater vero iuniorem plus diligens marito persuadere conata est, ut feoda, que meliora habebat, ipsi assignaret, ad postremum eciam, ut testamento mutato ordinacionem de seniore factam in iuniorem transferret. Ad quod[d] cum marchio inclinatus hoc[e] facere intenderet, hoc comperto senior filius consilio, ut fertur, Bernhardi ducis avunculi sui et aliorum quorundam parentum et amicorum fideliumque suorum[f] patrem captum in castro Dewin[4] detenuit, testamenti prioris ab eo exigens confirmacionem, deputatis ei custodibus, quorum unus fuit Conradus comes, filius Dedonis marchionis, fratris Ottonis marchionis. Unde eciam presumptum est, ipsum Dedonem captivacionis eius conscium fuisse. Imperator vero rem gestam audiens, graviter accepit certumque erat, quod morte Alberti factum vindicaturus fuisset, nisi eum peregrinacionis sue promovende intencio prohibuisset. Missa tamen legacione ei sub obtentu gracie sue precepit, ut patrem a captivitate relaxaret, monens eciam patrem, ut dissimulato dolore in graciam suam filium revocaret. Filio vero suo Heinrico regi iniunxit sollicite, ne facti detestandi negligeret ulcionem. Sicque marchio solutus est, thesauris suis, quos plurimos habebat, a filio ex parte iam maxima devastatis[5].

Anno 1189. Imperator[g], Heinrico regi filio suo imperii procuracione relicta, peregrinis iuxta condictum die beati Georgii Ratispone collectis, inde cum ipsis per Austriam et Ungariam Apr. 23. profectus, in octava apostolorum Danubium transiit, Iul. 6. ubi Ungarorum et Grecorum regnum dividitur. Ubi in ripa fluminis tentoriis fixis, exercitum diebus aliquot requiescere fecit[h]. Deinde[6] Bulgariam maximis ingressus laboribus, Greciam intravit. Rex autem Grecie, Kirsach nomine[7], Saladino regi paganorum contra christianos confederatus[i], receptis ab eo octingentis[k] sagittariis Turcis in auxilium, imperatorem a transitu regni sui prohibere modis omnibus intendebat, licet pax inter eos iuramento firmata fuisset. Et primo quidem transeuntes silvam Bulgarorum peregrinos latrociniis tam diurnis quam nocturnis impetens, multis eos malis affecit, ad extremum vero fines Grecorum ingressos[l] bello manifesto invasit. Propter quod imperator ei tanquam periuro, cum eciam legatos peregrinorum de pace missos non solum captivasset[m], sed eciam incarcerasset[n], nequaquam ultra parcendum decernens, Greciam totam cladibus implevit, igne eam et ferro devastans innumerabilesque hominum cedes faciens. Cum itaque per sex continuos menses Grecia peregrinorum gladiis tradita[o] vastaretur, tandem rex perfidie sue sero penitens, imperatori nuncios de pace direxit. Cui imperator non aliter consensit, nisi iuramento iterato obsides adderet. Quod ille gratanter accipiens iuravit et obsides dedit, vicissim[p] a nunciis imperatoris solo iuramento recepto. Hoc factum est dominica Invocavit. 1190. Febr. 11. Pace firmata, imperator ad portum maris quod brachium sancti Georgii dicitur cum toto exercitu venit, ubi naves ducentas a rege preparatas[q] invenit. Mart. 22.—27. A die vero cene Domini usque ad terciam feriam pasche omnes prospere transierunt, ita ut nec unus homo de tanta multitudine periret. Erat enim numerus bene armatorum preter vulgus centum milia. Ab eo loco imperator nuncios remisit ad terram Teutonicorum, qui omnia que sibi evenerant Heinrico regi filio suo et ceteris principibus nunciarent[r][8]. Otto Misnensis marchio obiit 12. Kal. Marcii primusque fratrum Febr. 18.

a) episcopus 2. b) dilatata 1. c) episcopus 2. d) hoc 1. e) hoc *deest* 1. f) que suorum *des.* 1. g) imperator *deest* 2. h) fecit *deest* 2. i) confederatos 2. k) DCCCC 3. l) ingressus 2. m) captivavit 1. n) incarceravit 1. o) traditam 2. p) *verba* dedit vicissim *in cod.* 2 *male bis posita sunt.* q) paratas 1. r) nunciaret 3.

---

[3] In Annal. Veterocellensib. ap. Mencken II, 390 additum est: *praesertim castro Wissinfels.*

[4] Döben apud Grimma.

[5] Cf. Ann. Pegav. ad a. 1189. Ann. Reinhardsbrunn. ad a. 1189. ed. Wegele p. 45. Ann. Veterocellens. l. c. p. 391.

[6] Die 15. m. Iulii Fridericus cum exercitu castra movit.

[7] Isaac II. Angelus.

[8] De hac legatione nihil compertum habemus. Auctorem de epistola Friderici ad Heinricum filium a Philippopoli directa cogitasse verisimile est. Cf. Stumpf, Reichskanzler II, p. 409. n. 4528. 4529.

suorum contra fidem patri datam, videlicet ut in ecclesia Sereni Montis omnes ei consepelirentur, in ecclesia Cisterciensis ordinis, cuius ipse fundator fuit, que Cella dicitur, sepulturam accepit. Uxor[9] enim eius cum aliquando in Sereno Monte hospicio fuisset recepta et inter loquendum cum fratribus, qui illi[a] forte aderant, de advocacia ecclesie ipsius audisset, eam ad seniorem de progenie Conradi marchionis de constitucione ipsius marchionis pertinere, rediens ad maritum mirari se dixit, cur ecclesie illi tantopere prodesse conaretur, cum filii eius ius advocacie in ea habituri non essent; rectum sibi pocius videri, ut ecclesiam propriam ipse construeret, in qua tam ipsi quam heredibus suis ius dominacionis imperpetuum servaretur. Hacque occasione ecclesia Cellensis fundata est[10]. Idem vero marchio cum esset advocatus ecclesie Sereni Montis, tanto ei affectu erat obnoxius tantoque eam gravantibus infestus, ut aliquando fratrem suum Heinricum comitem de Witin, qui Ekkehardo preposito gravis erat, locatis in itinere eius insidiis captivare disponeret; sed ille premunitus vix elapsus est. Ekkehardus eciam prepositus cum bona quedam a Friderico comite de Brene emeret pro centum marcis, quas in continenti dare debebat, villam Rochtendorp[11] usque ad certum terminum ipsi impignoravit. Instante autem termino, cum pecuniam ipsam non haberet, ad marchionem recurrit consilium quesiturus. Marchio vero comitem, qui ipsi in centum marcis tenebatur, pro[b] solucione debiti sui sollicitavit, qui ei villam ipsam assignavit pro centum marcis, quam marchio ad dotem altaris beati Petri in consecracione eius obtulit, sicque ad ecclesiam reversa est. Centum eciam marcas ad empcionem bonorum in Lubacisdorp[12] eidem preposito dedit; preterea ad opus monasterii, quod per decem annos tractum est, decem marcas annis singulis dedit et centum modios frumenti[c] et carratam ferri et duo iuga boum; in aliis eciam loco ipsi largitatis et benevolencie sue monimenta plurima derelinquens. Tidericus Cillensis prepositus
Nov. 25. primus obiit 7. Kal. Decembris. Huic successit alter Tidericus, Sereni Montis canonicus.

Apr. 25. Anno 1190. Imperator cum peregrinis Laodiciam veniens[d], que est terminus Grecie,
consilio[e] principum obsides regis[f] honorifice remisit. Inde Turciam ingressos[g] Soldanus[13]
rex Turcorum et Melchyn[14] filius ipsius primo latrociniis valde afflixerunt, cum tamen ex
illis[h] multi diebus singulis interficerentur. Nam Fridericus dux Suevie, filius imperatoris,
Apr. 30. uno die quadringentos ex eis occidit, quadam vero die plus quam centum milia ipsorum
Mai. 7. congregati castra imperatoris irrumpere conati sunt. Milites vero contra eos egressi plus
quam duodecim milia repente prostraverunt, aliis autem, ut evaderent, nox adiutorium
tulit. Ex peregrinis autem tres tantum servi occisi sunt. Melchin autem, congregata omni
multitudine sua, sexcentis videlicet milibus equitum, peregrinos aggressus valde vexabat.
Mai. 13. Illi autem fortiter resistentes, adversariorum ducentos occiderunt, alios autem in fugam verterunt. Imperator vero eos insecutus, Soldanum cum multis nobilibus, qui Meral dicuntur,
Mai. 18. in Iconium compulit. Filius vero imperatoris civitatem repente aggressus cepit, in qua
innumerabilis hominum multitudo occisa est. Imperator extrinsecus hostes invadens, forti
eos pugna vicit, quorum innumerabiles occisi sunt. Soldanus autem cum principibus suis
in castro civitatis, quod erat fortissimum, receptus, nuncios imperatori misit promittens,
pacem se peregrinis per terram suam servaturum, si ipse ab Iconio recederet. Quod impe-
Mai. 23. rator amplexus, receptis ab eo obsidibus pacis, civitatem reliquit transitaque tandem Turcia
Armeniam intravit; occurreruntque ei legati Leonis ducis Armenie, munera ei plurima deferentes. Transeuntes autem Armeniam, venerunt ad quendam fluvium[15], quem propter asperitatem vie terrestris imperator transvadere[i] cupiebat, sed equo non satis confisus contra
voluntatem omnium, qui secum aderant, misit se in fluvium volens natando transire. Ali-
Iun. 10. quamdiu vero natans victus aque impetu in medio flumine mersus est 4. Idus Iunii, luctum
maximum peregrinis omnibus derelinquens. Translatus est autem a militibus in civitatem
Seleph[16], ubi et intestina eius humata sunt, corpus vero Antiochiam delatum ibique elixatum
est et caro quidem in ipsa civitate terre tradita, ossa vero Spiram reportata et tumulata sunt[17].

---

a) illic 3. b) per 2. c) frumentum 1. d) venit 3. e) *ante* consilio *in cod.* 3 et *interpositum est.* f) regis *deest* 1. g) ingressus 1. 2. h) illius 2. i) transvadare 2.

[9] Hedwigis, filia Alberti marchionis de Brandenburg.
[10] Inchoatum est hoc coenobium a. 1162, consummatum a. 1175, ecclesia maior dedicata a. 1197.
[11] desertum prope Zöberitz.
[12] Löbersdorf prope Zörbig.
[13] Kilidsch Arslan II.
[14] Malek Schah.
[15] Saleph.
[16] Tarsus.
[17] Secundum ceteros scriptores Fridericus dux Sueviae ossa patris Accone sepeliri iussit.

Porro filium eius Fridericum ducem Suevie exercitus omnis pro ipso principem sibi constituit, a quibus et milicia, que de Teutonica domo appellatur, eodem tempore instituta Nov. est. Heinricus rex ducende uxoris causa ad partes Apulie profecturus[17], Dedonem Orientalem marchionem secum voluit proficisci. Qui itineris illius asperitatem et aeris qualitatem corpori suo, quia crassus erat, contrariam sciens, pro tollenda intestinorum arvina medico adhibito, ventris incisione mortuus est 17.[a] Kal. Septembris et in ecclesia Cillenensi, Aug. 16. quam ipse fundaverat, est sepultus. Continet autem scriptura, que anniversarium eius representat, quod oblatus sit pro ipso mansus unus beato Petro in Sereno Monte et unus pro uxore eius Machtilde[18] marchionissa, cuius anniversarius dies est 13. Kal. Februarii, Ian. 20. quod hac racione verum est. Tidericus marchio, frater Dedonis, Groiz possessionem quandam sue proprietatis super fluvium Mildam Cunegundi comitisse et Tiderico filio eius Mersenburgensi episcopo dedit, quamdiu viverent, possidendam. Eo vero mortuo, cum inter Ottonem Misnensem et Dedonem Orientalem marchiones[b] proprietatis eius divisio fieret, ius proprietatis prefate possessionis in partem Dedonis cessit et post eum ad filios ipsius[c], Conradum scilicet Orientalem marchionem et Tidericum comitem de Sumerschenburch transivit. Tempore autem procedente, Waltherus prepositus possessionem memoratam a Tiderico episcopo emit, ius autem proprietatis a marchione et comite fratribus pro 60 marcis comparavit, 30 marcis singulis eorum deputatis; quorum tamen uterque 10 marcas sue partis remisit, ut duo mansi possessionis eiusdem pro patre et matre ipsorum asscriberentur, quia singuli mansorum illorum 10 marcis constabant. Conradus II. marchio eciam reliquas 20 marcas sibi promissas preposito relaxavit, cuius tamen factum laudabile frater imitatus non est. Albertus marchio, filius Ottonis, audito quod pater suus partem pecunie in Cella repositam moriens dimisisset, ad locum venit pecuniamque ipsam a monachis exegit. Erant autem marce tria milia de iustis omnino proventibus et que nichil iniqui[d] mammone admixtum habebant[19], quas marchio pro remedio anime sue ecclesiis Dei deputaverat distribuendas. Monachi vero responderunt, se depositum illud, ad quod predictum est conservandum, in fide suscepisse nec posse id tradere ad aliud quodlibet inde faciendum, quin pocius cum ipso ad eius asilum velle confugere, cuius erat custodie deputatum. Hoc dicto, pecunia tota in altari Dei genitricis posita, eventum rei solliciti expectabant. Marchio vero, neglecta tante custodis reverencia, ablatis omnibus discessit. Nec mirum si mortuo patri violentus extitit, quem vivum non timuit captivare. Nec eciam fratri pepercit, set in bonis partis illius violentus existens paulatimque eum a castris que ipsorum erant communia excludens, exhereditare[e] eum modis omnibus conabatur.

Anno 1191. Heinricus rex a Celestino papa in pascha 18. Kal. Maii in imperatorem Apr. 14. consecratur. Tidericus secundus Cillenensis prepositus obiit 4. Non. Aprilis. Apr. 2. Huius successor factus est Henricus ex plebano ecclesie, que Zwencowe[20] dicitur. Albertus Leo- 1192. Nov. 24. diensis episcopus occiditur, iuvenis etate, suis omnibus admodum carus, quia preter alia animi bona, quibus habundabat, singulorum moribus mirabili quodam moderamine se noverat conformare[f]. Hic erat frater ducis Brabancie[21], eratque vehemens opinio, interfecionem eius imperatori, ne durius aliquid dicatur, non displicuisse, qui timebat, ne dux eius confisus auxilio novi aliquid contra imperium moliretur. Tali[g] autem opinioni eciam hoc fidem faciebat, quod imperator mortem eius non solum ultus non est, verum eciam interfectores eius a gracia sua post perpetracionem tanti sceleris non removit.

Anno 1192. Wichmannus 16. Magdeburgensis ecclesie archiepiscopus obiit 8. Kal. Sep- Aug. 25. tembris[22], vir glorie secularis appetitu detentus, quique in hac assequenda plurimum prosperatus est in comprimendis adversariis quibuslibet. Victoriosus quippe, qui et viribus potens et animo liberalis et ad large dandum promptus erat, paci suorum temporum precipue studens. Obiit in possessione sua[h], que Conre[i, 23] dicitur. In eo eciam veritas sentencie

a) XVIII. 3. b) marchionem 3. c) suos 3. d) iniquo 3. e) exheredare 2. f) confirmare 1. g) tale 3. h) sua *deest* 2. 3. i) Couze 1.

---

17) Error. Heinricus rex a. 1191. mense Maio, ut Tancredum regem devinceret, Apuliam ingressus est. 18) filia Gozwini comitis de Heinsberg. 19) Ann. Veterocellens. ap. Mencken II, p. 391 addunt: *estimo, quod de Freiberg allatae fuerant.* 20) Zwenkau inter Zeitz et Leipzig situm. 21) Heinrici I. 22) Consentit Chron. Magdeburg. Lepsius, Kleine Schriften III, 28 dicit in pagina versa chartae Wichmanni coenobio Ichtershausen datae obitus eius diem 9. Kal. Sept. adnotatum esse. Diem 16. Kal. Sept. praebet additamentum cod. 2 Annal. Pegav. SS. XVI, p. 267. 23) Könnern inter Halle et Bernburg situm.

1192. beati Gregorii asserentis, quod vis anime ex subtilitate sue nature nonnumquam futura presenciat, modo aliquo declarata est. Aput ipsum denique populus histrionum magni favoris graciam obtinebat et presencia eorum valde ei erat delectabilis et iocunda. Ante quinque autem fere menses, quam ex hac vita discederet, quadam die Calve positus cum esset in prandio, quendam talium coram se intrantem conspiciens, vehementer exhorruit eique ut exiret clamare cepit. Ille vero ad iocum secundum consuetudinem hoc eum facere credens, ipse quoque arridens se amplius ingerebat. Episcopus vero indignacionis nimietate exagitatus, magno vocis strepitu manuumque agitacione eum expelli precipiens, omnes qui aderant in admiracionem convertit. Mortuo autem eo, cum presentibus, ut exenterari debuisset, visum esset, quia crassus erat, ille histrio in corpore eius carnificis officio functus est ventremque eius cultro aperuit et intestina eiecit, que in predicta[a] possessione humata sunt. Corpus autem sale infusum, ne estu corrumperetur, Magdeburg adductum est. Sepultus est autem in maiori ecclesia ante altare sancte crucis. A morte autem Friderici archiepiscopi, cui successit Wichmannus, usque ad obitum Wichmanni colliguntur anni 43, ita tamen, si duos menses et undecim dies anni primi istius colleccionis, qui restabant a morte Friderici usque ad incarnacionem Domini[24], nomine tocius anni appelles et rursus quinque menses et duos dies ultimi anni, qui fluxerant ab incarnacione Domini usque ad obitum Wichmanni, item tocius anni nomine nuncupare velis. Post Wichmannum archiepiscopum electus est Ludolfus[25] maioris ecclesie decanus. Cum eo autem denominatus fuit Rocherus maior prepositus a nonnullis canonicis, sed Romarus quidam ipsius concanonicus[b] denominacioni eius vehementer obstitit cum irrisione asserens, eum iuste ad episcopatum denominari, qui tercia ante hanc die filiam suam nupciis tradidisset; quod quidem verum erat. Idem tamen prepositus, salva reprehensibilium veritate, honestate precipuus erat, ita ut in hac ei nemo se facile comparaverit. Cui assercioni quoddam eius factum memorabile attestatur. Quadam namque[c] die sedente eo ad ludum scacorum, puer familiaris intravit, ministro, qui promptuario[d] eius preerat eique tunc astabat, in aurem loquens, nuncium cuiusdam mulieris paupercule, que infirmabatur, modicum vini petere. Prepositus autem casu verbum exaudiens, eidem ut petenti vinum daret precepit. Quo respondente, se vinum non habere nisi in uno vase, quod nondum esset iniciatum, ille nichilominus, ut daret, cum instancia precepit. Servus autem reniti pertinaciter non ausus, quasi ut iussioni satisfaceret, egressus, nuncium cum indignacione vacuum reiecit. Vix autem horarum duarum spacio emenso, sonantibus circumquaque ecclesiarum signis intelligens prepositus, hoc de exsequiarum officio esse, misit qui inquireret, quis esset qui obisset. Reversus nuncius indicavit, mulierem illam, que paulo ante vinum rogaverat, mortuam esse. Tunc prepositus, utrum vinum ei datum fuisset sollicite inquirens, non datum esse cognovit[e]. Unde valde turbatus, accersito vini ministro, ei, ut dignus erat, cum vehementi indignacione exprobrans precepit, ut vinum omne, quod haberet, in terram decurrere faceret, dicens, nichil de hoc umquam in suos usus sumendum, cuius pars minima Christo in paupere negata fuisset. Ipsum deinde ministrum a suo servicio removit, cum interminacione pene ei indicens[f], ne umquam de cetero in sua presencia[g] appareret.

1193. Ian. 26. Ekkehardus quartus Sereni Montis prepositus obiit 7. Kal. Februarii, vir longevus et qui octoginta annos excesserat. Verum diuturnitas vivendi corporis in eo robur valde attriverat vigorique sensuum eius non parum detraxerat, ita ut per quinque annos, quos extremos in hac vita habuit, cum frequencie fratrum inbecillitas eum interesse non permitteret, extra claustrum privata mansione cum deputatis sibi necessariis uteretur. Que res observancie regulari, que in annis prioribus cum ipso laudabiliter viguit, defectum irreparabilem[h] procuravit[i] pravisque moribus, tamquam remoto obice, irrependi aditum patefecit. Sedit annis 40 et uno[k], mensibus quinque, diebus 24. Incipit[l] autem hec computacio Iun. 22. anno 1152. die beati Iacobi minoris, quando videlicet idem prepositus primo in Sereno Monte receptus est, a quo die retrorsum usque ab obitum prepositi Meinheri septem menses vacui relinquuntur, qui cum Arnoldo, qui ante ipsum electus fuerat, expensi sunt. Post Ian. 27. mortem Ekkehardi prepositi die sequenti fratres ad eleccionem collecti inter se divisi sunt.

---

a) dicta 3. b) canonicus 3. c) namque *deest* 3. d) promptuorio 2. e) agnovit 2. f) dicens 3. g) provincia 3. h) irrecuperabilem 3. i) percuravit 2. k) uno *deest* 3. l) incepit 3.

24) Mart. 25. 25) de Kroppenstedt.

Nam pars eorum maior Waltherum[a] unum de fratribus, pars minor alterum Gotfridum 1193. nomine elegit. Licet autem uterque ad hoc opus esset idoneus, Waltherus tamen pro quibusdam causis utilior videbatur, quia a puero ab antecessore suo[b] regulariter enutritus bonis pollebat moribus, cum[c] alter iam proveccior[d] de seculo ad monasterium transisset; tum eciam quia in annis prioribus, cum in defectu esset prepositus Ekkehardus, ipse eius vicarius strennue[e] exteriora administrans universis provincialibus precipueque principibus notus et acceptus erat. Unde quia in minori strennuus et fidelis apparuerat, eciam in maiori futurus sibi similis sperabatur. Cito autem et intra unius hore spacium fratres, Dei gracia super preveniente[f], mediante Othone Gerbestadensi preposito, qui tunc aderat, ad concordiam sunt reducti, cum eciam Gotfridus electores suos, ut ad consensum alterius partis utpote sanioris redirent, instanter et fideliter hortaretur[g]; sicque Waltherus communiter electus cum Dei laudibus ecclesie presentatus et confirmatus[h] est. Sepultus est vero die dehinc altera Ekkehardus prepositus[i] in aquilonari parte ecclesie ante altare sancti Iohannis baptiste Ian. 28. a Conrado Mersenburgense[k] abbate, presentibus eciam Ulrico[l] sancte Marie Magdeburgense et Hugoldo Hallense et Othone Gerbestadense prepositis aliisque pluribus ecclesiasticis et secularibus viris, nobilibus et ministerialibus. Translata sunt quoque eodem die ossa Meinheri prepositi ab australi parte chori, ubi dudum requieverant, et in sinistra[m] Ekkehardi prepositi tumulata.

Anno 1193. Hugoldus Hallensis ecclesie prepositus a Ludolfo archiepiscopo deponitur, assignata ei ad usus[n] privatos ecclesia Strouvene[26] cum sibi attinentibus bonis. Huic successit Dudo de ecclesia sancti Mauricii eiusdem civitatis translatus, cuius erat prepositus idem et primus. Libet autem eius occasione de principio ecclesie sancti Mauricii hic inserere. Apparet enim in eo, quod Deus malis hominum voluntatibus ad implecionem sue bone voluntatis utitur ordinate. Temporibus itaque Heidenrici prepositi fuit in ecclesia Hallensi frater quidam Rudolfus nomine, scolastici agens officium. Huic quadam die scolares sui, quos proveccioris[o] etatis plures habebat, manus inicientes usque ad fustigandum ipsum ausu nimis temerario processerunt. Qui licet ulcione emendatoria regulariter coerciti fuissent, quidam tamen divitum civitatis predicte, fratres illius, quod acciderat graviter tulerunt admodum, nec tamen palam contra aliquid agere presumentes, occultum ulciscendi aditum perquirebant. Wichmanno enim archiepiscopo, oportunitate captata, de amplianda civitatis sue, scilicet Hallensis, honestate sermonem intulerunt[p], modum eciam suggerentes[q], videlicet ut novam ecclesiam in ea conventualem institueret, quia hoc et honestati civitatis plurimum proficeret[r] et insuper ipsi eterne retribucionis Deum constitueret debitorem. Ne vero, ut solet, difficultas principii negocio dilacionem pareret, de possessionibus suis ipsam se ordinaturos ecclesiam promiserunt[s]. Valde tamen a simplicitate[t] sermonis eorum dissonabat intencio, quoniam ipsi hoc facto nichil aliud nisi detrimentum ecclesie Novi Operis elicere conabantur, scilicet ut congregacione, sicut volebant, noviter instituta, quidquid huius incrementis accederet, hoc illi ecclesie deperiret[u]. Tali igitur occasione ecclesia[v] sancti Mauricii, que prius parrochialis erat, tum[w] in conventualem translata est a Wichmanno archiepiscopo anno Domini 1184.[x][27] primusque ei prepositus missus est Dudo 1184. de capitulo Novi Operis 14. Kal. Iunii et cum eo alii fratres, quorum Rodolfus, de quo hic Mai. 18. agitur, unus fuit. Transsumpto autem[y] Dudone ad matricem ecclesiam, Rudolfus idem ei successit.

Anno 1194. Tidericus comes de Wyzenvels fratris sui violencia dudum[z] pressus[28] pro auxilio petendo ad Hermannum Turingie lantgravium se contulit. Quem ille aliquamdiu suspendit dicens se, ut marchioni bellum inferret, occasionem idoneam non habere. Habebat autem filiam iam nubilem[29]. Comite vero peticionem iam sepius iterante, lantgravius de

---

a) ualterus 3. b) suo *deest* 1. c) tum 3. d) profectior 2. e) strenne 3. f) se preveniente 1. 2. g) ortaretur 2. h) firmatus 3. i) prepositus *deest* 2. k) Mersburgense 2. 3. l) Olrico 2. m) sinistram 3. n) versus 2. o) perfectioris 2. p) intulerat 3. q) suggerens 3. r) proficeretur 3. s) permiserunt 2. t) ad simplicitatem 3. u) disperiret 2. v) *ante* ecclesia *in cod.* 3 *intersertum est male* etiam. w) tantum 3. x) MCLXXXIII 3. y) eciam *in cod.* 1 *in* autem *correctum est.* z) diu 1.

26) Streuben. 27) Servata est charta Wichmanni archiepiscopi huic coenobio data a. 1184. d. 26. Septembris ap. Dreyhaupt I, 758. 28) Ann. Vetero-cell. p. 391 habent: *triennio quali et amplius pressus.* 29) Cf. Ann. Reinhardsbrunnenses ad a. 1193. ed. Wegele p. 62: *filiam Hermanni se* (Dietericum) *ductu-rum in annis nubilibus fidem promisit.*

consilio suorum respondit, si gener eius fieri vellet, se ei modis omnibus succursurum, quod ille primo quidem, quia[a] puella oculis eius propter sui deformitatem displicebat, rennuit, sed necessitate coactus tandem consensit, coniugioque facto exhinc auxilio lantgravii fratre cepit superior apparere. Denique cum marchio castrum novum in loco[b] qui Sibodenberch[30] dicitur construeret, comes superveniens ipsum fugavit pluresque ex militibus eius captivavit. Cum itaque iam manifestis lantgravius marchionem appeteret inimiciciis, ille in loco qui Reveninge[31] dicitur militibus collectis ipse quoque hostem se Thuringis ostendere modis omnibus intendebat. Cuius conatum[c] lantgravius anticipans, castra eius cum suis improvisus irrupit turbatisque omnibus, qui circa ipsum erant, eos ad fugam coegit, non paucis eorum, licet aliquamdiu viriliter restiterint[d], captivatis. Marchio vero cum tribus vel quatuor sociis fugiens, Serenum Montem venit, quorum[e] equi horrendis vulneribus debilitati signa certaminis ostendebant. Waltherus autem prepositus equos ei alios procurans, ipsum marchionem cappa claustrali pro dissimulanda persona indutum aliquanto vie spacio Lipzke[32] tendentem prosecutus[f] est. Verum marchio licet his adversis nichil a sua magnanimitate alteratus reparandi belli[g] firmum haberet propositum, non parum tamen eum[h] imperatoris, de qua erga se certus erat, dehortabatur indignacio, cuius ministeriales speciali eum bello iam appetere disponebant. Necessarium itaque credens, si id efficere posset, imperatoris primo graciam recuperare, ad partes Transalpinas, ubi tunc imperator constitutus erat, profectus est. Sed cum non solum recuperande gracie omnimoda ei difficultas esset facta, verum eciam vite sibi periculum impendere[i] cognovisset, suis omnibus aput imperatorem relictis, uno tantum comite sumpto, fuga quidem propter insidias imperatoris difficili usus, ad propria reversus est. Recogitans itaque, quoniam nulla est nisi ardua virtus, ipsi eciam imperatori, si sic necesse esset, repugnare disposuit municionesque[k] suas alias preter Lipzke et Chamburch et Misnam destruere, has autem viris et victualibus bello preparare finali consilio ordinavit; certumque erat, eum cladem maximam patrie procuraturum fuisse, si non eum vite terminus prevenisset. Gotfridus[l] Sereni Montis canonicus Rezowiensi[33] ecclesie prepositus datur.

Anno 1195. Albertus marchio, veneno, ut fertur, a quodam familiarium suorum Hugoldo nomine sumpto, egritudinem incurrit. De Vriberge vero, ubi egrotare ceperat, Misnam festinans, cum nec equo nec curru propter morbi vehemenciam[m] vehi posset, a viris in gestatorio ad hoc ipsum composito portabatur. Verum emenso unius miliarii[n] spacio, ingravescente molestia eciam portari non sufferens in villa quadam Heinrichesdorf[34] depositus
Iun. 24. ibique defunctus est 8. Kal. Iulii. Sepultus vero est in Cella iuxta[o] patrem suum. Uxor[35]
Iul. 24. quoque eius paucis evolutis diebus[36] eodem veneno extincta est. Heinricus dux de Brunes-
Aug. 6. wich obiit sepultusque est in monasterio sancti Blasii, quod ipse construxit, iuxta uxorem suam[37]. Hec fuit soror Rikardi regis Anglie, de qua hos habuit filios: Heinricum comitem palatinum Reni, Othonem imperatorem, Willehelmum de Luneburch, Luderum, qui in adolescencia obiit. Sifridus Hersveldensis abbas Nienburgensem abbaciam resignavit, ad cuius administracionem[p] Heidenricus electus est.

Anno 1196. Tidericus comes, in partibus transmarinis morte fratris sui cognita, cum redire disponeret, imperatoris insidiis adeo artatus est, ut publice navem ingredi non auderet, sed a fidelibus suis lagena[q] inclusus et navigio illatus sicque, donec in altum navis procederet, occultatus est[38]. Imperator denique marchiam Misnensem suis reservans usibus, fidelibus suis eam commiserat procurandam, que eciam usque ad mortem imperatoris per eosdem administrata est.

1198. Ian. 8. Anno 1197. Celestinus papa obiit, cui successit Innocencius huius nominis tercius.
Sept. 28. Heinricus imperator huius nominis sextus moritur in Apulia anno[r] imperii sui septimo,

---

a) cui 3. b) *sic correxi ex* hoc *codd.* c) conatur 2. d) restituerit 2. e) quorum *deest* 3. f) persequutus 2. g) bellum 3. h) *sic correxi ex* cūm *codd.* i) impedire 2. k) que *deest* 1. l) Eo Thefridus 2. m) videnciam 2; evidenciam 1. n) *sic correxi ex* miliari *codd.* o) iuxtra 2. p) ministrationem 3. q) lagena *deest* 2. r) anni 2.

30) prope Weissenfels. 31) Röblingen prope Sangerhausen. 32) Leipzig. 33) Riesa ad Iahne fluviolum in Albim confluentem. 34) Krumhennersdorf. 35) Sophia. 36) *infra triginta dies* Ann. Veterocell. ap. Mencken II, 393. 37) Mathildam. 38) Tiedericus a. 1196. non peregrinatus est; a. 1197. Ian. 5. chartae Hedwigis, Ottonis marchionis Misnensis viduae, consensit. Cf. Mencken II, 448. 449 et Abel, König Philipp p. 326, n. 7.

regni vero decimo[39]. Hic Neapolim et Salernium civitates prelio vicit, Apuliam et Siciliam Calabriamque subegit, Panormi[a] palacium obtinuit thesauris infinitis refertum ex colleccione regum priorum Siciliensium in tantum, ut priores divicias paupertatem putaret. Filiam regis Grecorum[40] ibi captam fratri suo Philippo uxorem dedit. Tidericus comes ad patriam reversus, omnem hereditatem paternam obtinuit et marchiam Misnensem.

Anno 1198. Philippus ultimus filiorum Friderici imperatoris in campis Erpisfordie a Mart. 6. Ludolfo venerabili archiepiscopo[b] Magdeburgensi ceterisque Saxonie, Suevie et Bavarie principibus in regem eligitur Romanorum[41]. Eodem tempore Otho Pictaviensis comes, filius Heinrici ducis de Bruneswich, a Coloniensi archiepiscopo[42] et principibus Reni ad imperium evocatus est. Odacarus rex Bohemie Philippo regi confederatus cum exercitu Mogunciam venit, transitoque[c] Mosella fluvio et Othone rege, qui vadum eius occupaverat, violenter pulso, Bunnam civitatem reliquaque oppida ei contermina depopulatus est.

Anno 1199. Factum est incendium ecclesie Sereni Montis, in quo quidem preter utilium amissionem a pluribus superfluis et noxiis edificiis locus ipse purgatus est, atque utinam a causis incendii fuerit emundatus. Ut autem hi, qui hoc flagello castigati sunt, earundem causarum recognicionem dissimulare non possent, iudex equissimus eos, impendente iam huius animadversionis articulo, in excessu valde notabili labi permisit, ut videlicet intelligerent, se iram Dei culpis non levibus provocasse, quos in tanto reatu pena superveniens invenisset. Quidam enim ex fratribus, cum eis potus communis displicuisset, die beati Felicis in Pincis cellarium violenter ingressi, tantum inde vini abstulerunt, ut et sibi et aliis Ian. 14. sumere volentibus ad prandium et in cena ex eadem copia ministrarent. Die vero clauso et nocte ex parte aliqua iam transacta, cum adhuc vinum esset in ore ipsorum, ecce clamor factus est, qui incendium nunciaret. Edificium enim quoddam mansionis prepositi ex lignea materia infirmitorio claustri a parte occidentali herebat, in quo miles quidam eadem nocte receptus hospicio, cum[d] propter frigus vespertinum ignem copiosum construeret, ipsum succendit[e], ita ut priusquam ipse hoc sentire potuisset, domus ignem conceptum, a parte superiori flammis erumpentibus, eructaret. Ventus vero[f] subinde tamquam ad negocium promovendum exsurgens tanta vi torquebat incendium, ut parte claustri proxima necdum bene attacta pars ulterior iam arderet. Sicque totam claustri et ecclesie maioris preter turris superficiem et edificia eis adherencia ignis depopulatus est. Vetus tamen capella[g] in medio pene periculo constituta non sine admiracione multorum servata est. Poterat autem, si non pius Dominus in ira misericordie memor fuisset, grandis ex oppressione omnium sub illa ruina trabium et saxorum pro erepcione rerum quarumlibet diversancium miseria provenisse[h], quorum omnium nemo[i] non dico periit, sed nec leviter quidem lesus fuit, cum eciam luna clare splendens discurrentibus deserviret. Aberat tunc Waltherus prepositus in partibus[k] Polonie ad colloquium quoddam a Conrado marchione evocatus. Rediens vero et personas omnes a periculo per Dei graciam servatas[l] agnoscens, de perdicione edificiorum parum doluit, sed de excessu fratrum admodum turbatus est, quos nimirum bene agentes quam male flagellari pocius voluisset. Nec tamen factum, sicut oportuerat, ultus est, tum[m] propter numerositatem reorum, tum propter parentes unius ex ipsis, qui capitaneus facti erat, de quo ad dicendum in sequentibus locus oportunior reservatur[43]. Ex eo tempore usque ad reedificacionem claustri fere biennio domus hospitum fratribus prebuit mansionem. Nullum autem huius occasione mali necessariorum suorum defectum fratres sustinere coacti sunt, nec quemquam eorum ad locum alium propter intolleranciam expensarum prepositus voluit destinare. Sed non similiter religio claustralis integritate sua gavisa est; immo vero perdicionem edificiorum tanta morum ruina subsecuta est, ut veraciter quis religionem cum claustro dixerit conflagrasse. Quia enim flagellati rennuerunt accipere[n] disciplinam, evenit modo miserabili, ut ex medicamento, quo curari debuerat[o], morbus sumeret incrementum. Horum autem probacio qualesque ex hiis[p] fructus provenerint, diligencie lectoris ex consequentibus apparebit.

---

a) Panorum 3. b) episcopo 2. c) que *deest* 3. d) est 2. e) accendit 1. f) secundo 3. g) capella *deest* 3. h) pervenisse 2. i) ne modo 3. k) partes 2. 3. l) servatos 3. m) tamen 2. n) noluerunt suscipere 1. o) debuerant 3. p) iis 3.

39) Annus regni erat undetricesimus. 40) Irenen, filiam Isaaci II. Angeli. 41) Cf. Magdeburger Schöppenchronik p. 123. 42) Adolfo. 43) Erat Tidericus de Landsberg, postea praepositus Montis Sereni.

Conradus Moguntinus[a] archiepiscopus de peregrinacione transmarina rediens, non biennio
supervixit. Qui dum ante paucos obitus sui dies languens ad mensam commesturus
consedisset, paululum obdormiens et in extasi factus, repente turbatis vocibus exclamavit
indignum esse, ut domnus Sifridus de Eppinstein[b] tales iniurias presumeret irrogare. Cumque
querelas iteraret et circumstantes de qualitate iniuriarum eum interrogarent, manum
ad sinum reducens: *Numquid,* ait, *non videtis, quam dedecorosa profusione*[c] *vestem meam
contaminaverit?* Qui statim ad se rediens, futuri scismatis maculam ecclesie sue per ipsum
Sifridum inferendam significari predixit. Mortuo denique ipso, Luppoldus Wormaciensis
1200. Oct. 27. episcopus pro eo eligitur, sed quia Philippo regi favebat, cui summus pontifex adversabatur,
eleccionem eius papa cassavit et predictum Sifridum a tribus tantum electum, misso
ei per nuncios suos pallio[45], consecrari precepit.

Anno 1200. Albero prepositus de Lusinitz[46] de dilapidacione rerum ecclesie sue et
incestacione[d] feminarum, quibus preerat, multipliciter infamatus, a Bertoldo Nuenburgense
episcopo ab[e] administracione remotus est, et successit ei Marcwardus, Sereni Montis canonicus.
Heinricus[f] tercius Cillenensis ecclesie prepositus obiit, cui successit Willehelmus,
Sereni Montis canonicus[f]. Dudo Hallensis ecclesie prepositus fratrum suorum importunitatem
non ferens, administracionem suam resignavit et deinceps usque ad terminum vite
sue vixit privatus. In locum autem eius electi sunt duo de eadem ecclesia, Appollonius[g]
prepositus de Walbeke et Conradus custos Hallensis, sed partibus concordantibus Appollonius
obtinuit. Conradus Herbipolensis[h] episcopus[47], Heinrici imperatoris et post ipsum
Philippi regis cancellarius, eidem regi in suspicionem venerat, eo quod parti Othonis regis
consentire pro favore summi pontificis ferebatur. Hinc occasione et consequendi sumpta[i]
fiducia, Heinricus[48] maioris ecclesie Magdeburgensis decanus cancellarii officium ambiebat
et pro eo aput regem ceperat negociari, quod cancellarium non latuit. Fertur autem quod,
comperto eius conatu, annulum ei aureum miserit, mandans, gemmam eius contra morbum
perfidie plurimum valere. Ille autem callide respondit, mirari se, cur ea ipse carere voluerit[k],
qui maxime[l] hoc remedio indigeret. Cum itaque decanus predictum agens negocium
die quadam ad regem pergeret, Gerhardus[49] frater cancellarii, cognomento Ubirbein[m], iuxta
1202. Aug. 14. claustrum Holdisleve[50] ex insidiis cum armatis ei occurrens, oculos eius[n] eruit, ut ad scriptoris
officium, ad quod anhelabat, deinceps inutilis haberetur[51]. Idem tamen Gerhardus
preter pecuniariam, quam[o] decano postmodum exhibuit, satisfactionem — nam duas ei marcas
solvisse dicitur —, tanta penitencie humilitate Deum placare studuit tantumque divine gracie
consecutus est, ut eciam diem mortis sue feratur non ignorasse, quod ex facto ipsius colligi
potest. Denique cum in monasterio Hilburgerode[52], quod ex proprietate maiorum eius
1203. Iul. 22. fundatum erat[p], moriturus egrotaret, die beate Marie Magdalene[q] ad misse celebracionem
in ecclesiam se portari rogavit ibique sago superstratus[r], cum in fine euangelii legeretur[53]:
Fides tua te salvam[s] *fecit, vade in pace,* animam reddidit. Everhardus Mersenburgensis[t]
1201. Ian. 2. episcopus obiit, pro quo electus est[u] Tidericus eiusdem ecclesie canonicus, filius Tiderici
marchionis[54].

Anno 1201. Hedwigis[v] comitissa, vidua Friderici comitis de Brene, monasterium feminarum
Aug. 15. in villa Brene cepit 18. Kal. Septembris. Hec in annis prioribus, adhuc viro suo
vivente, Ekkehardi prepositi et fratrum Sereni Montis familiaritatem consecuta, defuncto
marito, postulavit ab eisdem, ut in parte aliqua montis edificium sibi construere permitte-

[a] Mogoncie 2. [b] Oppenstein 3. [c] perfusione 2 [d] cestacione 2. [e] inde ab 2. [f] *verba* Heinricus tercius *usque ad* canonicus *desunt* 2. 3. [g] Appolonitus 2. [h] Erbipolensis 2. [i] sumpta *deest* 3. [k] voluit 2. [l] maximo 1. [m] Ubirbin 3. [n] ei 3. [o] quam *in cod.* 2 *male bis ponitur.* [p] est 3. [q] Magdeburgensis 2. *In cod.* 1 *post* Magdalene *additum est* Magd', *ex praecedenti vocabulo ortum.* [r] substratus 3. [s] salvum 2. [t] Mersburgensis 2; Merseburgensis 3. [u] est *deest* 1. [v] Hedevigis 3.

[45] Sifridus, cum a. 1202. Romae commoraretur, die 21. m. Martii ab Innocentio III. pallium accepit. [46] Klosterlausnitz in ducatu Altenburg, prope Eisenberg ab urbe Ienensi orientem versus situm. [47] et Hildesheimensis. [48] de Glinden. [49] III. de Querfurt. [50] Monasterium monialium Alt-Haldensleben a. 1228. demum ab Alberto Magdeburgensi archiepiscopo fundatum est; *castrum* pro *claustrum* legendum esse puto. [51] Huic narrationi consentiunt, quae in Magdeburger Schöppenchronik, ed. Ianicke p. 127, referuntur. [52] Monasterium ordinis Praemonstratensis, in comitatu Mansfeld, hodie Roda seu Kloster Rode. [53] Marc. 5, 34; Luc. 8, 48. [54] ex altera uxore Cunigunda, vidua Bernhardi de Plotzke; sed spurius putabatur; cf. Böhmer, Reg. imp. 1198—1254. p. 305, nr. 131.

rent, in quo ipsa a tumultu secularium tempore requiesceret oportuno. Sed quia hoc impetrare non potuit, pro eo quod fame sue negligens esset et lasciviam sectaretur, a priore voluntate alterata, cum prius eisdem fratribus favorabilis admodum extitisset, extraneam se eis et malivolam cepit exhibere ac[a] postremo, ut repulse sue permanentem rependeret ulcionem, in detrimentum illius ecclesie novum hoc monasterium inchoavit. Primus autem eidem monasterio prefuit Meingotus de ecclesia Hallensi. Heidenricus Nienburgensis abbas obiit, cui successit Hermannus de eadem congregacione[54*]. Terre motus fuit.

[b]Waltherus Sereni Montis prepositus cum Conrado marchione, qui pro Philippo rege aput Innocencium papam legacione functus est[55], Romam profectus magnamque summi pontificis graciam consecutus, privilegium exempcionis ecclesie sue renovari peciit et obtinuit fratribusque licenciam publici et communis esus[c] carnium impetravit. Est autem hoc eiusdem licencie rescriptum:

1202. Mart. 22.

Innocencius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis, preposito et conventui Sereni Montis salutem et apostolicam benediccionem. Exposuisti nobis, fili preposite, in nostra presencia constitutus, quod, cum ecclesia vestra sit in excelsi montis cacumine constituta[d] *et distet non modicum a locis illis, in quibus piscium consuevit habundancia inveniri, non potest vobis congrue in esu piscium provideri; propter quod humiliter postulabas a nobis, ut vobis infra septa ecclesie vestre vescendi carnibus licenciam preberemus, cum et necessitas postulet et utilitas hoc requirat, quia sufficienciam piscium absque magnis expensis habere nequitis et abstinere tam a piscibus quam a carnibus gravissimum reputatis. Nos igitur devocionem vestram in Domino commendantes, quod sine speciali licencia nostra consuetudinem ecclesie vestre noluistis infringere, presenti vobis pagina respondemus; quod, cum regula beati Augustini, quam estis professi, vobis esum carnium non inhibeat, sed concedat, vos secundum tenorem regule, nisi voto vos astrinxeritis speciali ab esu carnium penitus abstinere, carnes certis et statutis diebus, dummodo sine scandalo fiat, de nostra licencia commedatis. Sic autem id moderate fieri concedimus, quod et regularis ordo servetur illesus et vos hoc videamini non ad saturitatem, sed ad necessitatem pocius postulasse. Datum Laterani*[e] *11. Kal. Aprilis pontificatus nostri anno 5.*

Eiusdem eciam Romane profeccionis socius fuit Tidericus Mersenburgensis electus, qui pro eo quod non erat de legittimo matrimonio natus, non videbatur sine licencia summi pontificis posse promoveri. Sed interventu Conradi marchionis papa eum legitimavit et ut consecracionem ab episcopo Hildenesheimensi acciperet precepit, quia Ludolfus Magdeburgensis archiepiscopus[f] pro favore Philippi regis graciam sedis apostolice non habebat[56]. Appollonius Hallensis ecclesie prepositus administracionem illius ecclesie resignavit, priori scilicet de Walbeke servata; et successit ei Conradus custos Hallensis.

Anno 1202. Waltherus prepositus de partibus rediens Transalpinis, 17. Kal. Iunii Serenum Montem advenit privilegiumque exempcionis, quod obtinuerat, secum exhibens, fratribus tam de sua salute quam de prospero successu magne leticie causa effectus est. Elapsis deinde[g] paucis diebus, eis de licencia commedendi carnes innotuit et[h] ut sub certa forma hoc fieret[i] ordinavit: videlicet ut tribus tantum diebus in ebdomoda, die dominica, feria tercia et quinta, carnibus uterentur, tribus autem ebdomadibus ante festum sancti Iohannis baptiste, si occurrerent infra ipsum et octavam penthecostes, et a festo sancti Martini usque ad natalem Domini a carnibus abstinerent, diebus tamen dominicis exceptis, et per totum adventum ad nonam commedentes lacticiniis uterentur, in dominica vero Circumdederunt[57] carnis privium[k] haberent, reliquis diebus usque Esto michi[58] lacticinia commedentes, et hanc formam, requisito omnium a maximo usque ad minimum beneplacito et consensu, imperpetuum in ipsa servari ecclesia districte precepit.

Mai. 16.

---

a) in 3. b) *in cod.* 2 *hoc lemma sequitur:* De privilegiis pro esu carnium. c) usus 1. 2; usus esus 3. d) constitutus 2. e) Lateris 3. f) episcopus 2. g) inde 1. h) ut et *codd.* i) fieri 1. k) carniprivium 2.

[54*] Cf. Seriem abb. Nienb. l. c. *Hermannus abbas 14. anno* 1199.

[55] Hi legati a. 1202. mense Februario Romam profecti sunt, cf. Böhmer, Reg. imp. p. 14, nr. 42.

[56] Haec confirmatio Innocentii III. non interventu Conradi marchionis, sed Ludolfi archiepiscopi Magdeburgensis a. 1203. Mai. 3. facta est; vide epistolas Innocentii ap. Brequigny I, 297 et II, 532, a. 1204. Iul. 1. datas. Cf. etiam infra ad a. 1204.

[57] Dominica nona ante pascha.

[58] Dominica septima ante pascha.

Dec. 3. Conradus Herbipolensis episcopus et cancellarius occisus est. Hic Ekkehardum quendam nobilem civem Herbipolensem exaltaverat, cuius consiliis in quibusque negociis, quia iusti tenax erat eique fidelissimus, utebatur. Duo quoque fratres, quorum nomina sunt Heinricus et Bodo de Ravensburch[59], quorum erat avunculus Heinricus de Calathin, marschalcus regis Philippi, cives eiusdem erant civitatis; inter quos[a] et predictum Ekkehardum[b] discordia diu tracta hunc finem habuit, ut Ekkehardus idem ab eis interficeretur. In cuius facti ulcionem episcopus, cum quidem illi personaliter evasissent, edificium ipsorum, quod in civitate habebant munitum, funditus evertit, vinum, 60 ut dicitur carratas, effudit omniaque que illorum erant vastavit. Nec vero illi impune se ledi paciebantur, sed econtra episcopo quecumque poterant dampna vel contumelias irrogabant. Sed non erat dubium, episcopum cum omnimodo illorum detrimento[c] se ulturum fuisse, si non eum ipsorum audacia prevenisset. Rebus enim suis desperatis, cum nec regis quidem peticio episcopum ab impetu cohibere[d] potuisset, avunculo, qui vir erat crudelis ingenii, eos ad malum incitante, die quadam hora vespertina cum aliquibus armatis clam civitatem ingressi, episcopum ad ecclesiam euntem aggressi occiderunt, opus nimis temerarium perficientes. Philippo autem regi Erbipolim venienti occurrit clerus omnis cum multitudine populi de interfeccione episcopi conquerentes, et manum eius, quam ille, cum occideretur, capiti opposuerat et[e] que abscisa fuerat, cum vestibus cruentis ostendentes, et cum multis lacrimis cantantes responsorium: *Videns Iacob* etc., regisque super his iudicium implorabant. Et rex quidem compassibiliter lacrimatus est, sed tamen iudicium facere dissimulavit, aliis dicentibus, eum de morte episcopi propter hoc, quod in parte Othonis regis sentire ceperat, non vere doluisse, aliis vero asserentibus, eum timore marschalci a ferenda contra homicidas sentencia impeditum. Non autem idem maligni eciam celestis[f] regis iudicium evaserunt. Tempore enim scismatis, quod inter Innocencium papam et Othonem imperatorem ortum est, cum Otho episcopus Herbipolensis[60] sicut et ceteri episcopi excommunicato imperatori oppositus esset, illi collectis in civitate armatis pluribus episcopum expulerunt, iuvenem[g] quendam, ecclesie ipsius canonicum, alterius ipsorum filium, pro eo auctoritate imperatoris instituentes. Episcopus vero militibus collectis mature quidem civitatem recuperavit, illos autem equis et armis et omnibus, que in civitate habebant, relictis, nudos fuge presidium querere coegit. Deinde castrum eorum[h] Ravensburch obsedit, cepit et destruxit. Omnibus autem, que illorum erant, rapinis et incendio devastatis[i], tam illi duo fratres, malorum capitanei, quam ceteri, qui parricidii participes extiterant, vagi et profugi effecti, diversis cladibus attriti sunt; alii quidem interfecti, alii vero divinitus cecati seu aliis morbis gravibus correpti et ad mendicitatem publicam deducti, miserandum de se spectaculum prebuerunt[61]. Hermannus Thuringie lantgravius Othoni regi fidelitatem iuramento promisit[62], modico autem evoluto tempore, Philippo regi fidelitatem iuravit[63], deinde ortatu Innocencii pape ad Ottonem rediit, secumque regem Bohemie Odakarum a Philippo deficere[k] persuasit.

Anno 1203. Otto rex benediccionem regalem a quodam cardinali episcopo[64], apostolice sedis legato, Colonie accepit. Idem vero legatus Ludolfum Magdeburgensem archiepiscopum multis comminacionum litteris ad partem Ottonis deflectere[l] conatus est, sed quia hoc efficere non potuit, exercitum Boemorum et Thuringorum cum aliis regis auxiliatoribus ad oppressionem episcopi evocavit. Qui venientes in confinio Mersenburgensis et Hallensis oppidi consederunt, et per novem ebdomodas totam adiacentem provinciam depopulati, cimiteria, ecclesias et ecclesiasticas personas multis dampnis et contumeliis[m] affecerunt. Tantus autem eorum timor omnes invaserat, ut nec in civitate Magdeburgensi se tutos credentes, ad partes Transalbinas res suas cum uxoribus et filiis deportarent. Cum vero die quadam pars aliqua ipsorum ad predandum Vonam[65] fluvium transissent, Otto comes de Brene cum paucis sociis armatis revertentibus in confinio castri Landisberc occurrens, quadringentos ex eis prostravit, inter quos et nobilis quidam, quem valde planxerunt, occubuit; ceteri fugere sunt compulsi[66]. Et ex illo die discurrere cessaverunt. Videns autem cardinalis se contra archiepiscopum nichil proficere, cum et personaliter evocatum multis[a] eum verborum contumeliis affecisset, inobedienciam ei exprobrando et delirum senem appellando; illo[b], quia vir erat litteratissimus, omnes asserciones eius efficaciter evacuante, eum excommunicavit[67], ipseque cum rege Coloniam rediens, ceteros ad propria quemque redire permisit. Constantinopolis a peregrinis sancti sepulchri et Venecianis ordinacione Philippi 1204. regis propter socerum[68] ipsius regem a Grecis expulsum obsessa et capta, predaque eius inter victores divisa est. Ibi Conradus Halverstadensis episcopus, qui unus fuit peregrinorum, multiplicem ornatum ecclesiasticum in indumentis pontificalibus et rebus aliis consecutus, multis et maximis sanctorum reliquiis ibidem acquisitis Halverstadensem ecclesiam insignivit, quarum veneracioni[c] dies proxime sequens assumpcionem Dei genitricis Aug. 16. deputata est, multis undique ad ipsam celebritatem concurrentibus, quando et reliquie ipse aspectui omnium vel eciam contactui exponuntur et advenientes indulgenciam[d] peccatorum suorum auctoritate apostolica consequuntur[69]. Ex eo tempore, capcionis videlicet predicte urbis, Greci ad communionem Romane ecclesie redierunt. Otto comes de Brene obiit 10. Kal. Ianuarii, sepultusque est a matre sua in ecclesia Brene. Pro eo oblatus est beato Dec. 23. Petro in Sereno Monte mansus unus in villa Chlewiz.

---

[a] quas 1. [b] Ekkehardum *deest* 3. [c] damno 3. [d] cohiberi 1. [e] et *deest* 3. [f] celi 3. [g] *ante* iuvenem *in cod.* 3 *legitur* et. [h] eorum *deest* 1. [i] devastavit 1; devastatum 2. [k] defendere 1. [l] flectere 3. [m] contumelias 1.

[59] Cf. Magdeb. Schöppenchronik p. 128. [60] a. 1207 – 1223. [61] Ab hac narratione dissentit diploma Heinrici VII. regis a. 1224. Aug. 4. datum. Cf. Lorenz Fries, Würzburg. Chronik p. 308. [62] a. 1203. Aug. 24. in civitate Merseburgensi. [63] a. 1204. Sept. 17. [64] Guidone episcopo Palestrinensi. Haec curia anno 1201. mense Iulio celebrata est. [65] Fuhne, Salam influens.

Anno 1204. Philippus rex collecto forti exercitu Wizense obsedit, omni circumiacente Iul. provincia depopulata. Lantgravius autem regem Bohemie[70] ad auxilium suum multis precibus advocavit[e]. Qui adveniens, consideratis copiis regis, qui ab obsidione recedens ei occurrebat, congrediendi fiduciam non habebat. Erant enim in exercitu regis preter milites, qui ipsius erant speciales, Ludolfi archiepiscopi expeditorum pugnatorum triginta milia, Tiderici vero marchionis Misnensis milites quidem mille et quingenti, peditum autem centum milia. Accensis itaque focis plurimis, quibus suam presenciam mentirentur, relictis omnibus, que oneri esse poterant fugientibus, Bohemi[f] totam fiduciam ad fuge presidium contulerunt. Crepusculo vero castris egressi, infra illius noctis spacium 18 miliaria fugientes emensi sunt. Diluculo autem fuga eorum cognita, rex electos pugnatores post eos occupandos direxit, qui ad undecimum miliarium insequentes reversi sunt. Lantgravius auxilio nudatus, ad graciam regis[g] se contulit, fidemque illi servare datis obsidibus iuramento firmavit[71]. Philippus rex, dimissis auxiliatoribus, Goslariam cum suis regreditur, ubi cum rex Sept. 17. Otho militibus collectis cum ipso congredi temptaret, Heinricus palatinus[h], frater ipsius, ad Philippum transiit, prestitaque ei fidelitate advocaciam Goslariensem ab eo promeruit[72]. Tidericus Mersenburgensis electus Hildenesheim ab Hartberto Hildenesheimensi et Dithmaro Mindensi, Nortberto Brandenburgensi et Hellemberto Havelbergensi[i] episcopis in dominica post ieiunium[k] decimi mensis in episcopum consecratus est. Moram vero con- Sept. 19. secracioni eius fecerat, quod Otho rex transitum ei permittere noluit, nisi episcopatum suum ab ipso reciperet; a qua tamen condicione liber, postea conductum regis per Walterum Sereni Montis prepositum et Rodolfum Stiderburgensem[l] prepositum impetravit.

Anno 1205. Ludolfus Magdeburgensis ecclesie archiepiscopus obiit 17. Kal. Septembris, Aug. 16. pontificatus sui anno 13, vir strennuus et ecclesie sue utilitatibus efficaciter intentus. Graciam vero summi pontificis, priusquam moreretur, consecutus et ex eius mandato communioni ecclesie restitutus est[73]. Post eum ex arbitrio Conradi Halverstadensis episcopi

---

[a] multum 3. [b] *sic correxi ex* ille *codd.* [c] veneracionem 1. [d] indulgenciam *deest* 1. [e] evocavit 2. 3. [f] *in cod.* 1 Bohemia *scriptum erat, cuius* a *deleta est.* [g] regi 1. [h] palentinus 2. [i] *verba:* et Hellemberto Havelbergensi *desunt* 3. [k] ieiunii 1. [l] Niderburgensem 3.

[66] Hoc proelium factum est apud Zörbig secundum Chron. Repgaw. ed. Massmann p. 450, quam Magdeb. Schöppenchronik p. 126 exscripsit. [67] Cf. de his rebus Magdeburg. Schöppenchronik p. 124. 125. [68] Isaak II. [69] Cf. Gesta episc. Halberstadensium supra p. 118 sq. [70] Ottokarum I. [71] Cf. Magdeb Schöppenchronik p. 125. 126. [72] Heinricus, frater Ottonis imperatoris, iam ante Hermanni landgravii subiectionem Philippi partis erat. Aug. 24. enim in charta Philippi apud Weissensee data inter testes est. Cf. Böhmer, Reg. imper. p. 16, nr. 50. [73] Cf. Böhmer, Reg. Innocentii p. 310, nr. 188.

1205. electus est Albertus[74] maioris ecclesie Magdeburgensis prepositus, eo tempore Bolonie[a] in Iun. 6. scolis constitutus[75]. Philippus rex Aquisgrani[b] a Coloniensi archiepiscopo, qui tunc in graciam eius rediit et per quem ipsam civitatem recepit, benediccione regali consecratus est, propter quod eciam idem episcopus a domno papa excommunicatus est aliusque in locum eius electus[76]. Albertus Brandenburgensis marchio filiam Conradi marchionis Orientalis maiorem — duas enim habebat — Machtildem nomine, duxit uxorem, cuius nupcias Tidericus comes de Sumerschenberch[77] in castro Groiz cum magna gloria et expensarum copia celebravit. His nupciis Waltherus Sereni Montis prepositus a Conrado marchione vocatus interfuit indeque rediens, statim egritudinem incurrit, de qua et mortuus est 2. Kal. Aug. 31. Septembris. Sedit annis duodecim, mensibus septem, diebus quinque, sepultusque est in dextera antecessoris sui a Tiderico Mersenburgensi episcopo. Vir iste plurimum a Deo gracie consecutus, et si non usquequaque irreprehensibilis, talibus tamen, quales nunc ecclesia patitur, prelatis dissimilis cognoscitur extitisse. Fuit enim, prout se nostrorum status habet temporum, laudabiliter religiosus et quantum ab exteriorum occupacione negociorum vacare potuit, in congregacione, choro, refectorio et dormitorio assiduus, nec aliud sibi licere iudicavit. De commissorum sibi utilitate indeficienter solicitus, moribus temperatus, quales disciplinatos[c] vocare consuevimus, que duo severitatis aliquid moribus eius admiscuisse videbantur. Disciplina enim et solicitudine gravis, non facilis erat ad risum, nec favores hominum verbis, que non intenderet, aucupabatur[d]. Unde et a quibusdam, qui hanc in eo causam perpendere nesciebant, superbus iudicatus est. Honestate non[e] mediocriter pollebat, sed plus aliis, que acceperat, verecundie in eo donum enituit, que eciam in eo ex vultus gracia, qua non carebat, modo quodam decencior videbatur. Poterat eius industria religionis ruina ex parte maxima restaurata fuisse, si non eum et sua et aliorum negocia et maxime Conradi marchionis Orientalis, cuius rebus promovendis valde erat deditus, retardassent. Emit autem ecclesie sue in villa Othmarisdorp quinque mansos et pratum unum, Kokere tres mansos, Groiz novem, Kobirshagen[f][78] septem; molendinum Turgowe construxit, cuius fundum Ulricus comes de Witin[79] pro calice aureo, qui pro ipso inpignoratus aput Iudeos Hallis perditus fuerat[g], sancto Petro dedit. Allodia eciam Groiz et Lubacisdorp edificavit, in quorum altero multitudinem armentorum, quorum numerus fuit 150, cum aliis pecoribus aggregavit, de quorum usu commodum magnum fratribus prestabatur. Vineam novam in Podegruz, que maior est, plantavit; due enim alie antecessorem ipsius auctorem habuerunt. Omnia claustri edificia post incendium reparavit, edificium curie, que prepositi vocatur, construxit. Ambitum emunitatis claustri muro amplexus est a parte meridiana, ad cuius introitum primus portam fecit, cum prius usque ad domum hospitum et usque ante dormitorium fratrum accessus transeuntibus patuisset. Parietem chori occidentalem cum omni suo opere edificavit; et preter hec multa opera utilia alia per diversas ecclesie possessiones fecit, que superfluum est numerare. Huius viri terminus ecclesie Sereni Montis multorum malorum principium fuit. Denique cum, eo mortuo, fratres omnes, quinque tantum exceptis, fratrem ipsius carnalem, Iohannem nomine, in prepositum elegissent, illi excepti alium, Tidericum nomine, qui tempore incendii in ablacione vini capitaneus fuerat, elegerunt[h]. Erat iste filius Hermanni camerarii de Landisberc habebatque fratres clericos, Bertoldum Mersenburgensem prepositum et Heinricum eiusdem ecclesie camerarium, qui fratri postmodum in prepositura successit, laicos vero Hermannum de Rosinvelt, Ottonem de Zwirze[80] et Fridehelmum[81], universisque ministerialibus qui de Landisberch appellabantur, aliisque[i] pluribus provincialium consanguinitate proxima iungebatur. Propter quod a primevo tempore a prelatis et magistris ceteris delicacius enutritus et in quadam sui estimacione habitus, ipse quoque ex alieno favore, non ex virtute propria se meciens, magnum aliquid de se iam dudum sentire ceperat et dominandi cupidine

---

a) Polonie 1. 3. b) Aquisgranum 2. c) disciplinatus 2. d) occupatur 3. e) non *deest* 2. f) Robirshagen 3. g) erat 3. h) *in cod.* 2 *lemma sequitur:* De preposito Tyderico incipit. i) que *deest* 1.

74) de Käfernburg. 75) Cf. Magdeb. Schöppenchronik p. 129. 130. 76) Bruno. 77) frater Conradi II. marchionis. 78) Kobershayn inter Schilda et Eilenburg situm. 79) filius Heinrici comitis de Wettin. 80) Schwerz prope Landsberg. 81) Hermannus de Rosenvelt et Otto frater eius inter testes sunt chartae, qua Conradus marchio a. 1207. Iun. 3. donationem villae Neindorf monasterio S. Petri in Monte Sereno confirmat, v. Köhler l. c. p. 57; Fridehelmus quidam de Wulfheim testis apparet in Friderici comitis de Brene charta eidem monasterio data, v. Köhler l. c. p. 60.

se teneri signis quibusdam erumpentibus declarabat, videlicet derogando maioribus et de mala eorum administracione raciocinando et meliora de se, si umquam eum preesse contingeret[a], promittendo, si qui eciam[b] pro suis excessibus forte regulariter corriperentur, his[c] quasi compaciendo et nonnumquam pro ipsis eciam litigando et iniquitatem iudicancium accusando, commessaciones et potaciones sui similibus intempestivas procurando et cum eis iocundis quibusque et ludicris insistendo, quibus rebus stultorum animi quam maxime capiuntur. Electus itaque, licet propositum obtinendi propter suorum paucitatem nullam haberet fiduciam, cum eciam[d] Iohannes, votis et solempnitate debita procedentibus, prelacionis honore[e] cum summa omnium gracia potiretur, aliquamdiu restitit, donec amicorum eius quibusdam precipueque Conrado Hallensis ecclesie preposito adnitentibus, hospitalis pauperum procuracione sibi commissa, ad fratrum rediit unitatem, quoniam post eleccionem privatus remanere deforme nimis et contemptibile iudicabat. Ad hec[f] primum tempora[g] fratres Sereni Montis appellacionis et verborum decretalium eis[h] eatenus ignotorum usum habere ceperunt, quarum rerum prefati Tiderici electores, a Bertoldo Mersenburgensi preposito[i] et Heinrico eius fratre informati, auctores fuerunt, ad sepulturam Waltheri prepositi super sigillo ecclesie appellantes, ne quid videlicet vel pro parte adversa vel contra ipsos nomine capituli scriberetur.

Anno 1206. Iohannes Sereni Montis prepositus administracionis sue tedio fatigatus, cum onus eius deponere cogitasset, singulis privatim fratribus suam aperire cepit voluntatem, dicens se utpote procuracionis prorsus inexpertum tantis rebus gubernandis non sufficere nimisque dolere, si pro eo tantum, ut ipse prepositi nomine et honore gauderet, status ecclesie laudabilis deperiret, pro quo divinum posset iudicium formidare. Licet autem hec pro se allegaret, nulla tamen alia racione ad resignandum nisi private vite commodo trahebatur. In omnibus enim, que cure domestice poscit necessitas, in nullo fratre suo preposito[82] minor erat, excepto eo — si tamen eciam hoc in talibus necessarium iudicatur[k] — quod lingue officium expeditum non habebat. Nec[l] tamen balbus erat, sed prepropere et, ut de talibus dici solet, in gutture loquens, in cottidiana locucione minus bene intelligebatur, si autem cum mora aliquanta eum loqui contingebat, non valde in eo defectus huiusmodi apparebat. Rogabat vero singulos, ut in locum suum Rodolfum Stiderburgensem prepositum eligerent, qui pro experiencia rerum — nam illam ecclesiam novem annos rexerat — eos posset se melius gubernare. Verum cum fratrum, qui eum in principio elegerant, nullus ei ad propositum consentiret, adiecit, deponende administracionis intencionem se indeclinabiliter concepisse et si absolute id faceret, gravem eis de eleccione prelati posse discordiam oboriri[m], ideoque esse[n] melius, ut in personam prenominatam, quia esset idonea, consentirent. Omnibus itaque eius instancia, pluribus tamen pro eius reverencia et dileccione, qua eum nec in peticione prorsus irracionabili contristare volebant, deflexis, nono a morte Waltheri prepositi mense et ipsius mensis die 12, sequenti videlicet Mai. 12. ascensionis Domini die, fratribus a voti vinculo absolutis, administracionem resignavit, et Rodolfus, qui tunc presens erat, pro ipso, ut pecierat, est electus. Huic in ecclesia Stiderburgensi[o] successit Otho de Schoninge. Martinus custos campanam de quinquaginta centenariis fudit, quam Hellembertus Havelbergensis episcopus consecravit, Petronellam nominans. Hellembertus Havelbergensis episcopus obiit, cui successit Siboto de Steintale[84] decanus. Ulricus comes de Witin, filius Heinrici, filii marchionis Conradi senioris, dissenteria laborans obiit in castro Witin 4. Kal. Octobris, relinquens filium Heinricum ex filia Sept. 28. Bernhardi ducis, Hetwige nomine, sepultusque est in Sereno Monte in sinistra Friderici comitis, patrui sui, de Brene. Pro eo oblati sunt beato Petro sex mansi in villa Lethtuiz[85].

Anno 1207. Hermannus Nienburgensis abbas administracionem suam resignavit, in cuius locum Fridericus eiusdem ecclesie prepositus est electus. Ecclesia maior Magdeburgensis cum claustro die parasceue, que fuit 12. Kal. Maii, igne deleta est[86]. Sequenti sabatho Engel- Apr. 20. hardus Nuenburgensis electus in presbiterum et die[p] sancto pasche in episcopum ab Alberto Apr. 22.

---

a) contigerat 1; contigeret 2. b) et 2. c) iis 3. d) eis 1. e) honorem 3. f) hoc 1. 2. g) tempore 1. 2. h) ei 1. i) episcopo 2. k) videatur 3. l) nam 1. 2. m) aboriri 1. n) esset 2. 3. o) Striderburgensi 2. 3. p) *in cod.* 3 *ante* die *verbum* in *legitur*.

82) Walthero. 84) Stendal. 85) Lettewitz prope Wettin ad orientem versus situm. 86) Cf. Magdeburger Schöppenchronik, p. 131.

Magdeburgensi archiepiscopo consecratus est. Tidericus comes de Sumerschenburc, filius Dedonis, filii Conradi marchionis senioris, cognito quod Ulricus comes de Witin adhuc vivens pecuniam uxori sue et filio servandam in Monte Sereno deposuisset, eam ablaturus Apr. 23. hac racione, quia tutor pupilli erat, feria secunda pascali ad locum venit, scrutatusque ecclesie secretaria, in quibus ipsam pecuniam se reperturum speraverat, non invenit, quia Rodolphus prepositus, molicione eius precognita, nocturno eamtemp ore inde sublatam fecerat diligencius occultari. Erat autem summa, ut ferebatur, ducente marce. Cum itaque inveniendi desperacione ab inquisicione cessans iam abire disponeret, quidam[a] de fratribus, quorum unus fuit Tidericus supra commemoratus, ad eum accedentes[b], locum ei, ubi quod querebat occultatum erat, monstraverunt[c]. Qui inventum auferens depositum, Herbipolim[87], quo eum Philippus rex cum aliis principibus[d] evocaverat, profectus est. Die dehinc quarta, Iun. 13. septimana penthecostes, que fuit Idus Iunii, mortuus est[e] sepultusque in ecclesia Cillenensi iuxta patrem suum. Oblati sunt pro eo tres mansi beato Petro in villa, que Kukukisdorp appellatur. Tidericus cellerarius novum organi instrumentum fecit, vetus enim incendio[f] ecclesie periit.

Anno 1208. Rodolfus Sereni Montis prepositus Hileburc in domo parrochiani[g] egrotans, Apr. 2. obiit feria quarta palmarum, que fuit 4. Non. Aprilis. Eodemque die domum reductus, Apr. 3. die cene Domini sepultus est in australi parte chori ante lavatorium sacerdotum. Hic a Friderico comite de Brene quatuordecim[h] mansos in villa Niendorp partim pecunia, partim aliorum bonorum commutacione redemit, quod factum etsi aliquid in persolucione pecunie difficultatis, multum tamen utilitatis cognoscitur habuisse[88]. Ex eo enim tempore fratres longe melioribus quam prius pane et cerevisia uti ceperunt beneficio tritici, quod de ipsis mansis solvebatur. Comes eciam ecclesiam ipsius ville cum quatuor mansis ei attinentibus beato Petro dedit, hoc se velle insinuans, ut defuncto Herwico[i] Mersenburgensi canonico, qui eam tunc tenebat, fratrum usibus modo aliquo, qui esset conveniens, aptaretur. Emit item prepositus quatuor mansos in villa Groiz ab Othone de Pouch[k] seniore. Post mortem eius fratres omnes[l], exceptis electoribus Tiderici, iterato Iohannem concorditer elegerunt. Sed nec illi excepti vacabant; suum rursus eligentes prepositum ab unitate recedere non timuerunt. Ipse quoque electus licet paucioribus quam prius electoribus niteretur — hac enim vice tres tantum habebat — non tamen tam facile ut ante quiescere passus est, sed ex officio hospitalis, cui preerat, equos habens, discurrere et pro se agere cepit, adeo ut Albertus archiepiscopus Conrado Orientali marchioni pro ipso scriberet admonens, ut favorem suum ipsi impenderet, asserens quod trium sacerdotum racionabilis esset eleccio. Miror autem, quare non et alterius partis racionabilem asseruerit[m] eleccionem, que cum fratribus iunioribus plus quam quindecim sacerdotes habebat, nisi forte quia illi prepositum plenitudine potestatis utentem iam habentes, eius testimonio non egebant. Marchio itaque die quadam itineris occasione ad locum veniens, habens in comitatu Fridericum comitem de Brene et plures ex Tiderici parentibus, eorum inductus suasione, a preposito et conventu peticionem exegit, ut contra ipsum Tidericum et ei coherentes nichil innovarent, donec per[n] se ad negocium tractandum posset accedere, quia hoc ei ad presens non vacaret, et ut illi medio tempore de his, que ad regularem disciplinam pertinent, non ad prepositum sed ad priorem respectum haberent. Sed cum, pluribus elapsis diebus, causam neglectui daret et illi sua libertate gaudentes pro velle viverent, insuper verbis sepe preposito et fratribus iniuriosi existerent, prepositus Tiderici Misnensis marchionis adiutorium contra eorum insolencias postulavit, qui[o] missis nunciis eos a consorcio fratrum fecit et ab ecclesia removeri. Quod factum Conradus marchio, quia advocatus erat ecclesie, non bene ferens, eos per suos nuncios remisit. Postmodum tamen et ipse personaliter accessit, adhibito secum Tiderico Mersenburgensi episcopo, multis opinantibus, Tidericum propter expulsionis

---

a) quibus 2. b) accedens 3; *in cod.* 2 accedens *in* accedentes *mutatum est.* c) monstravit 3. d) principiis 2. e) obiit 3. f) *verbo* incendio *in cod.* 3 *in praepositum est.* g) parrochiana 3. h) XXIIII 2. i) Herewico 1. k) Puch 3. l) omnes *deest* 2. m) assereret 3. n) pro 2. o) quis 1.

[87] Philippus rex hoc tempore Coloniae demoratus est; in charta ibi ab eodem Mai. 6. Cellae monasterio data inter testes apparet Tidericus comes de Groitz; cf. Böhmer, Reg. imp. p. 23, n. 91. Herbipolim Philippus mense Augusto venit.

[88] Hanc donationem Conradus marchio Orientalis confirmavit a. 1207. Iun. 7; v. Köhler l. c. p. 57. Inter testes apparet etiam Otto de Pouch infra dictus. Anno sequenti Febr. 24. Tidericus quoque Misnensis marchio hanc donationem confirmavit.

iniuriam eo die prepositum futurum. Fratribus autem petentibus, ut privilegium, quod 1208. Waltherus prepositus ipsius adiutorio impetraverat, recitaretur, marchio consensit, auditoque quod ibi continetur, quod is, qui a fratribus omnibus vel a parte maiori et saniori in prepositum electus fuerit, obtineat[89], consilio habito, Tiderico et suis precepit, ut in eleccione ceteris suis fratribus concordarent. Et hunc finem habuit secunda eleccio Tiderici. Verumtamen preposito usque ad vite ipsius terminum adversi tam ipse quam sui sodales minime desierunt. Inter hec mortuo Hertwico Mersenburgensi canonico, Iohannes prepositus ecclesiam Niendorp uni de fratribus commendavit, volens eam iuxta placitum donatoris[a] fratrum usibus applicare. Evoluto tempore aliquanto, archiepiscopus ecclesiam ipsam Walthero cuidam, ecclesie maioris Magdeburgensis decani filio, concessit dicens, donacionem eius ad se devenisse, quia prepositus eam infra legittimum terminum persone tali, quali oportuerat, non locasset, quoniam curam parrochialem habere claustralibus non liceret; eumque per archidiaconum Conradum videlicet Hallensem prepositum in possessionem misit, de quo erat opinio, quod ipse ad hec archiepiscopum incitasset. Iohannes vero prepositus, rumore comperto, motus animo, mature die altero Niendorp venit et Walthero iam abeunti occurrens et cur ecclesiam suam contra ius occupasset inquirens, manu iniecta violenter eum de equo deposuit, et nisi hi, qui circa ipsum erant, eum continuissent, certum erat, quod nequaquam ab eo sine gravi contumelia recessisset. Ei tamen ire permisso interminatus est, ne de cetero occasione simili villam ipsam intrare presumeret, alioquin passurum, quod non speraret[b], veraciter affirmabat. Hoc facto permotus archiepiscopus, contra prepositum, tamquam pro violenta manus inieccione[c] in clericum in canonem incidisset, denunciacionis gladium eduxit, quo eum sine dissimulacione ferire cepit, quaquaversum excommunicatum eum precipiens denunciari. Eo tempore Simeon de Dybene[d. 90] miles capellam, quam in Sereno Monte supra sepulturam uxoris sue in septemtrionali parte maioris ecclesie construxerat, dedicare volens, archiepiscopum ad locum invitavit. Quem cum fratres cum processione sollempni vellent suscipere, non consensit, nisi prius absolverentur, prestito iuramento, quod starent in[e] eius mandato, quoniam excommunicatos eos pro communione prepositi asserebat. Qui mandato gravari timentes, diu rennuerunt, donec consilio eorum qui aderant accedente, precipue tamen Simeone, ne in expensis, quas copiose paraverat, dampnificaretur, suppliciter rogante, consenciente preposito, per Sibodonem Havelbergensem episcopum sine omni gravamine absoluti sunt, qui tamen episcopus constanter dicebat, hoc ab eis exigi non debuisse, quoniam, et si prepositus iuste forsitan excommunicatus fuisset, conventum pro eius communione hoc vinculo non teneri. Sicque acephala[f], id est sine capite, preposito videlicet, facta processione et[g] suscepto archiepiscopo, ab eodem archiepiscopo et Sibodone Havelbergense et Balduino[h] Brandenburgense episcopis capella dedicata est 2. Kal. Octobris. Sept. 30.

Philippus rex a palatino de Witelingesbach Bavenberch occiditur; cuius necis[i] Ekke- Iun. 21. hardus Bavenbergensis episcopus et frater eius marchio de Andasse[k. 91] consocii ferebantur. Sive autem hec opinio vera fuerit sive non, certum est, episcopum periculum a fidelibus regis timentem propter hoc diebus plurimis exulasse, fratrem vero eius suis omnibus expoliatum et marchiam eius a duce Bavarie occupatam[l. 92]. Palatinum vero Heinricus de Calathin, marschalcus regis, postmodum interfecit. Post mortem Philippi Otto rex omnium consensu principum in Romanorum imperatorem electus est[93]. Ab hoc Waltherus protho- Sept. 22. notarii officium consecutus[94], honoris novitate delectatus, ecclesie Niendorp renunciavit et Iohanni preposito reconciliatus est. Archiepiscopus eciam, priori indignacione deposita, denunciacionem eius revocavit et iniuriam eum passum publice protestatus est. Sicque demum prepositus ecclesiam illam uni de fratribus concessit, qui eam sine cuiuslibet questionis scrupulo possedit.

---

[a] donatorum 3. [b] sperabat 1. [c] iniectione manus 3. [d] Dibele 1. [e] in *deest* 1. 2. [f] a Scephala 2. [g] in 1. [h] Valduino 3. [i] necis cuius 1. [k] Audasse 3. [l] occupatum 1.

[89] Cf. Innocentii III. papae bullam ap. Eckstein, Chron. Montis Sereni p. 66. [90] Düben iuxta fluvium Muldam situm. [91] Heinricus. [92] in curia Frankenfurtensi Novembr. 11. eiusdem anni habita. [93] Cf. de his rebus Magdeburger Schöppenchronik p. 131. 132. [94] Apparet primum in Ottonis charta, v. Monum. Boica XXIX, 1, 545.

Anno 1209. Tidericus[a] Misnensis marchio, colloquio in Sereno Monte quibusdam fidelium suorum indicto, ad locum venit. Tidericus vero eiusdem ecclesie canonicus iam commemoratus et quidam de fratribus ei coherentes Arnoldo cuidam clerico marchionis non bono persuaserunt consilio, posse eum ecclesiam Niendorp[b] adipisci, si marchio pro ipso peticionem porrigere voluisset. Ille consilio credulus marchionem ad petendum induxit. Cui cum nec prepositus[c] nec fratrum aliquis acquiesceret, exceptis qui consilium dederant — hi enim statim consenserunt — indignatus vehementer inquisivit, an scirent quis esset qui peteret, et utrum ei aliquid negare ac per hoc malam eius voluntatem mereri sibi crederent expedire. Fratres autem reniti non valentes, quoniam peticiones principum coaccionem habent, prepositum invitum et[d] admodum turbatum Arnoldo ecclesiam[e] concedere permiserunt[f]. Consiliatorum vero fuit intencio, ut consensu speciali devotos se principi mentirentur et, si exauditus non fuisset, ipsius ex parte una, si vero exauditus fuisset, comitis[95] ex parte altera offensam prepositus lucraretur; et in ultimo quidem intencione fraudati non sunt.

Conradus Orientalis marchio Lubus[96] castrum soceri sui, Wlodizlai[g][97] ducis Polonie, propter multas quas ab eo paciebatur iniurias obsedit. Wlodizlaus vero obsidionem vi solvere volens, collecto[h] exercitu copioso, marchioni mandavit, se ei die altero congressurum. Vespere autem diei precedentis Oderam fluvium cum suis omnibus transgressus, improvisus supervenire hostibus moliebatur. Unus vero eorum, qui supani dicuntur, vehementer ei cepit obsistere, monens ne tempus pugne statutum preveniret, quia hoc factum nullius reccius quam infidelitatis posset nomine appellari. Quem cum dux timiditatis argueret et fidelitatis, qua ei teneretur, commoneret, respondit: *Ego quidem ad pugnam pergo, sed scio, me patriam meam de cetero non visurum.* Habebant autem ducem belli phitonissam quandam, que de flumine cribro haustam nec defluentem, ut ferebatur, ducens aquam[i] exercitum precedebat, et hoc signo eis victoriam promittebat. Nec latuit marchionem adventus eorum, sed mature suis armatis et ordinatis, occurrens forti congressu omnes in fugam vertit[k], phitonissa primitus interfecta. Ille eciam supanus viriliter pugnans cum multis aliis interfectus est. Et nisi hora tardior fugientibus presidium attulisset, cruentam nimis victoriam fieri contigisset. Multi tamen ex eis, cum fugerent, mersi in paludibus ferebantur. Marchio vero post victoriam reversus, castrum cepit, tutoribus eius suspendio condempnatis[l]. Otto
Oct. 4. rex ab Innocencio papa III. Rome in imperatorem consecratur. Primi predicatores genti Prutenorum[m] missi sunt. Elizabeth marchionissa, uxor Conradi marchionis, soror Wlo-
April. 2. dizlai ducis, obiit 4. Non. Aprilis sepultaque est Doberluge. Hec beato Petro preter multa alia bone voluntatis indicia 18 marcas obtulit.

Anno 1210. Conradus marchio Orientalis, filius Dedonis, filii Conradi marchionis
Mai. 8. senioris, obiit 2. Non. Maii sepultusque est Cillene[n] aput patrem suum, vir[p] audax et in armis strennuus[q], largus et fidelitate precipue famosus. Ecclesia Sereni Montis turbacione non minima fluctuabat. Tiderico enim eiusque sociis machinacionibus novis assidue prepositum impetentibus, cum fratres alii, precipue iuniores, inconsulta animositate se eis opponerent[r], frequentes et aspere inter eos verborum pugne excitabantur, illis quidem occasionem nullam, si qua eis forte porrecta fuisset, obmittentibus, quin prepositum detraccionibus[s] lacerarent, de mala eum[t] administracione culpantes, istis autem obsequium se Deo prestare arbitrantibus, si eum, quem iniuriari certissime noverant, eciam litibus tuerentur. Sed non eo modo servitur Deo, quia in cissura[u] mencium Deus non est. Inter hec[v] unus de fratribus senioribus, qui[w] quidem alias laudabilem ducebat vitam, sed derogantibus facile credebat, cum peticionem eius aliquam prepositus non admisisset et pro hac re turbaretur, ad animum eius turbatum accessit Tidericus sepe dictus, omnis turpitudinis filius et fermentum congregandi[x], docens nullo erga eum affectu teneri prepositum, sed solummodo voluntati iuvenum[y] inclinatum, qui, ut pro eo litibus deservirent, eos, ut ipse

[a] Tydericus 2. [b] Niendorf 3. [c] propositus 3. [d] et *deest* 1. [e] ecclesia 1. [f] promiserunt 1. 3. [g] Vulodislai 3. [h] collectu 2. [i] quendam 1. [k] convertit 3. [l] damnatis 3. [m] Prucenorum 2. [n] Cellenae 3. [p] unus 2. [q] strenuus 2. 3. [r] opponerent *deest* 1. [s] detrectationibus 3. [t] enim 1. [u] scissura 3. [v] hos 3. [w] qui *deest* 2. [x] *sic transposui verba codd.* congregandi filius et fermentum omnis turpitudinis. [y] ieiunum 1. 2.

[95] de Brene. [96] Lebus. [97] Wladislai III. Lasconogi, qui non socer Conradi erat, sed eius uxoris Elisabethae frater.

posset perpendere, ad placitum vivere non vetaret; persuasit homini et ita eum a priori 1210. intencione subvertit, ut palam adversarium se preposito demonstraret[a]. Non parum autem auctoritatis parti sue apud extraneos, qui causam veraciter nesciebant, tali socio acquisivit, quibus iam prorsus irracionabilis non videbatur eius motus, quem talis[b] viri probaret assensus. Cum vero et alius quidam de iunioribus ad partem eius declinasset, tanta fiducia uti cepit, ut ad Tidericum Misnensem marchionem, ad quem advocacia loci, mortuo Conrado marchione, devenerat, crebro curreret et prepositum accusaret, petens ut ecclesie illi mature consuleret, alioquin in brevi ad extremum defectum per negligenciam prepositi foret ventura. Et ne forte a preposito pro huiusmodi discursu gravaretur, litteram quandam[c] cum sigillo marchionis preposito missam exhibuit, cuius tenor fuit, velle marchionem, ut Tidericus et eius socii, qui ibi nominatim[d] exprimebantur, pro ecclesie sue negociis libere ad ipsum irent et redirent, nec debere eos propter hoc quicquam gravaminis sustinere. Utrum autem hec littera subrepticia fuerit an vera, incertum est. Prepositus tamen propter illam nec plus nec minus paciens fuit, sed eodem modo semper eum[e] equanimiter tolleravit. Tanta autem instancia, cooperantibus amicis suis, accusacionem promovit, ut ad cognoscendam causam personaliter[f] princeps accedere cogeretur. Verumque illo tempore inter ipsum et filios Bernhardi ducis avunculi[1] sui, Heinricum comitem Ascharie[2] et Albertum ducem[3], discordia vertebatur. Cavens, ne eorum pateret insultui, cum centum et triginta militibus die natali[g] apostolorum Serenum Montem venit, ita contra prepositum animo Iun. 29. concitatus, ut nullus dubitaret eum ab administracione removendum. Aderant cum eo[h] episcopi duo, Tidericus Mersenburgensis[i] et Philippus Razispurgensis[k]. Aderat quoque fortis prepositi adversatrix, coniunx marchionis[4], contra ipsum querimoniis feminarum conversarum, que sorores appellantur, vehementer incitata propter quoddam earum edificium superfluum et nocivum et de quo non semel locus fuerat infamatus, quod prepositus destruxerat, in quo grave eum fecisse dampnum ecclesie querebantur. Harum eciam aput principem legacione Tidericus functus est. Quomodo non vir iste flagellum in se Dei cognosceret, contra quem eciam propter feminarum illarum deliramenta principes commovebantur? Propter quod paciencie semper studebat, ne malicie aliene per impacienciam auctor existere videretur. Verum Philippus episcopus cum de toto negocio a fidelibus prepositi plene fuisset instructus, vespere ad marchionem accedens[l], eum diligenter de singulis expedivit, ostendens omnem motum illorum adversus prepositum non ex zelo Dei sed ex radice malicie principium habere, eumque ab indignacione ex parte maxima revocavit. Verumtamen marchio talia se de preposito auditurum arbitrabatur, propter que non posset ab eius gravamine temperari. Die sequenti preposito cum fratribus in domo capituli congregatis, marchio Iun. 30. cum episcopis et tribus nobilibus, Guncelino[m] de Crozuc, Conrado de Szane[5] et Burckhardo[n] de Mansvelde[o] et quibusdam ministerialibus intravit. Consedentibus autem omnibus, accusatores illi in medium procedentes, advocatum a marchione pecierunt Ekkehardum Mersenburgensem[p] canonicum, qui erat consanguineus Tiderici, in quo eciam non parum, quia competenter litteratus erat, confidere videbantur. Marchio respondit, inconveniens sibi videri, ut Ekkehardus, cui ignota esset regularis ordinis disciplina, cause illius advocatus existeret; eligerent pocius[q] unum de fratribus suis, vel ipsi pro se, ut possent, melius loquerentur. Tunc frater ille senior iam dictus inquisivit, an secundum ius ecclesiasticum eis iusticiam de preposito se promitteret exhibere. Marchio audiens ius ecclesiasticum, veloci intellectu coniecit, quod erat verum, eos aliquid cause criminalis obiectare velle, et respondit, se confessionis audiende officium non habere nec de peccatis sibi iudicium usurpare, sed si de dispendio rerum suarum aliquid haberent dicere, ut hoc ad emendacionem veniret, se modis omnibus cooperaturum. Illi vero protulerunt scripturam accusaciones prepositi multiplices continentem, quarum alique parum quidem racionis habebant, sed tamen maliciam accusancium non celabant; quedam vero satis erant graves, sed ad prepositum non pertinentes, licet ad eum violenter decoquerentur[r]. Quis enim rectum sapiens,

---

a) denunciaret 3. b) tali 1. c) quendam 1. 2. d) nominati 3. e) enim 1. f) personarum 3. g) natalis 2. h) ipso 3. i) Mersburgensis 2. 3. k) Razisburgensis 3. l) adiens 3. m) Guntelino 2. n) Burchardo 2. o) Mansvelt 3. p) Mersburgensem 2; Merseburgensem 3. q) post 1. r) retorquerentur 3.

1) Thiderici mater Hedwigis filia fuit Alberti Ursi. 2) Aschersleben et Anhalt. 3) Saxoniae. 4) Iudita, filia Hermanni lantgravii Thuringiae. 5) Zahna, inter Wittenberg et Iüterbock situm.

1210. si verbi gracia prelati cuiusque subditus quilibet, ipso ignorante et quantum potest prohibente, fornicacionem vel aliud peccatum grave commiserit, hoc preposito dixerit imputandum, ita ut pro eo ipse criminalis culpe reus teneatur? Propter quod[a] eciam audientibus cunctis accusatores illi valde displicuerunt, ita ut dicerent eos digne tali loco retrudendos[b], in quo solis aspectus eis[c] per anni spacium negaretur. Omnibus autem obiectis evidenter a preposito dissolutis, cum eciam marchio nonnulla ipsum preveniens improbaret, considerans illos ad hoc[d] niti tantum, ut, si fieri posset, prepositus gravaretur, quia[e] tamen de defectu prebende illi inter cetera non siluerunt, benigne prepositum[f] admonuit, ut de hoc quantum posset fratribus suis satisfaceret, tum quia[g] ipsi hoc cottidiano Dei servicio mererentur, tum eciam[h] ut eis malignandi contra se accusacionem de cetero amputaret. Cum vero eciam prepositus de illis querimoniam deponeret, respondit marchio, reccius eum de subditorum suorum excessibus[i] in capitulo suo tractare secundum sui ordinis disciplinam; sicque discedens illius colloquii finem fecit. Prepositus considerans proterviam sibi adversancium Iul. 1. sua nutriri paciencia, die altera fratres ipsos de his, que contra ipsum et ecclesiam suam commiserant, in capitulo arguere cepit. Illi autem contra stimulum calcitrantes, ad presenciam marchionis appellaverunt et contumaciter de capitulo recesserunt. Prepositus vero missis post eos fratribus benigne eos commonere studuit, ut se Deo pro suis excessibus humiliantes ad penitenciam redirent nec se a fratrum suorum consorcio amputarent. Philippus quoque episcopus, qui post discessum marchionis in loco remanserat, a preposito et fratribus rogatus, ad melius eos exhortando[k] propositum[k*] diucius laboravit[l]. Sed cum admonicione nullatenus flecterentur, prepositus consilio episcopi excommunicacionis contra eos sentenciam promulgavit, precipiens eis eciam victualia denegari; sicque pariter ab ecclesia recesserunt. Frater autem ille senior, aliquantis evolutis diebus, cum humilitate reditum petens, cunctis gratulantibus receptus est, licet rancorem conceptum usque in finem visus fuerit tenuisse, ceteri autem, diversis Tiderici amicis eos colligentibus, hospicia mutantes diucius remanserunt. Inter hec prepositus duos de fratribus ad gradum sacerdocii promovendos Alberto archiepiscopo Magdeburgensi[m] destinavit. Quod Tidericum non latuit, sed eciam ipse et duo eius socii pariter, affuerunt rogantes archiepiscopum et capitulum, ne ordinarentur[n], dicentes eos in suum preiudicium[o] promoveri. Petebat autem pro eis Albertus decanus, qui Waltheri filii[p] sui veterem adhuc videbatur iniuriam in preposito vindicare. Consilium autem capituli fuit, ut archiepiscopus missos ordinaret, quia, si hoc propter istorum vanam suggestionem non faceret, illi iuxta suum privilegium libertatem haberent a quocumque vellent episcopo ordinari, quo facto tantum iuris ei in illa ecclesia deperiret. Sicque remotis contradiccionibus, illi ordinati et ab archiepiscopo cum litteris commendaticiis ad suam ecclesiam remissi sunt. Amici vero Tiderici minis multis prepositum attemptabant, qui eciam ab eius iniuriis, ubicumque ad eorum venisset presenciam[q], videlicet in placitis provincialibus vel aliis locis, ubi eum diversari ecclesie sue cogebat necessitas, minime temperabant. Sed cum ille propter hoc in nullo a sui rigore propositi[r] laxaretur[s], cum nulla eis de marchione fiducia remansisset, tandem ad preces convertuntur, primo quidem hoc obtinere volentes, ut absolute et sine pena qualibet[t] reciperentur et Tiderico hospitalis officium redderetur[u]. Quod cum penitus impetrare non possent, tandem eo contenti fuerunt, ut ceteris cum disciplina debita receptis, Tidericus tantum nudis pedibus et habitu nigro veniam petens, nichil pene alterius sustineret. Postinde[v] autem multis pro eo petentibus et precipue Tiderico Mersenburgensi episcopo, prepositus ei officium hospitalis reddere coactus est. Sed cum necdum ab eius vexacione ille quiesceret, tandem consilio habito, eum in parrochiam[w] Hileburc destinavit, fratre, qui eam prius tenuerat, in hospitalis officio collocato. Tidericus marchio Misnensis marchiam Orientalem pro 15 milibus marcis ab imperatore redemit, ex quibus 10 milia solvit, quinque vero imperator ei remisit. Hethwigis[x] 1211. Febr. 19. comitissa de Brene obiit 11. Kal. Marcii sepultaque est in ecclesia sua Brene. Pro eo oblate sunt beato Petro quindecim marce.

Anno 1211. Conradus Hallensis ecclesie prepositus cruce signatus ad partes transmarinas

---

a) quod *deest* 2. b) detrudendos 1. c) eius 2. d) hec 3. e) quod 3. f) prepositum *deest* 3. g) que 3. h) eis 1. 3. i) excessus 1. k) ehortando 2. k*) *correxi;* prepositum 1—3. l) laborāt 2. m) Magdeburc 2. n) ordinarent 3. o) indicium 1. p) fili 2. q) potentiam 3. r) prepositi 2. s) relaxaretur 3. t) qualicunque 3. u) redderetur 2. v) postmodum 3. w) perrochiam 2; parochiam 3. x) Hedwigis 2. 3.

1211. proficiscens, in itinere obiit in portu, qui Ancun[a] dicitur[6], ubi et Albertus decanus Magdeburgensis et multi alii eiusdem peregrinacionis socii obierunt. Huic successit Poppo eiusdem ecclesie canonicus. Gothefridus[b] quoque prepositus de Rezowe, administracione sua resignata, canonicus Sereni Montis, ad claustrum quoddam Cisterciensis ordinis Lanin[7] nomine, non quidem in habitu sed in loco specialiter sibi deputato manens, se contulit, ubi et mortuus est. Pro quo[c] predictus Poppo electus et in preposituram inductus, audita morte prepositi Conradi, pedem retraxit, a voto sororum et cura suscipienda interim se suspendens et attemptans tam per se quam per alios, si forte in eius locum sibi daretur copia succedendi. Quod consecutus[d], suo promovit consilio, ut ecclesie, ad quam primo electus fuerat, unus de suis concanonicis[e] Ericus nomine, quo libenter carebat, in prepositum eligeretur. Fridericus Nienburgensis abbas obiit[8], cui successit Gernotus. Hic in ecclesia Elwardisdorp[9] nutritus, inde discedens[f] Nienburg hospes collectus est. Ubi cum pueris aliquamdiu prefuisset, a Friderico abbate in capellanum assumptus est[g] et ab eodem preposlture[h] officio prelatus, ei in abbacia advena successor factus est. Otho[i] imperator cum in consecracione sua, ut fieri solet, iurasset, se bona imperii conservare et a quolibet detenta repetere, Viterbium[k] et quasdam alias civitates, quas antecessores sui beato Petro contulerunt, hac racione cepit impetere, quas eciam multis et gravibus dampnis affecit. Preterea Fridericum[l] regem 1210. Nov. Sicilie, Heinrici imperatoris filium, persequi et expugnare aggressus[m] est eumque regnum suum de manu eius accipere compellebat. Pro his causis ab Innocencio papa excommunicatus est[10]. Fertur autem, cum in Sicilia moraretur[n], sompnium vidisse, quod ursus parvulus lectum eius, cum ipse in eo quiesceret, ascendisset, qui paulatim ita crevit, ut ipsum de lecto eiceret et solus lectum occuparet[o]. Quod cum fidelibus suis retulisset, ipsi[p] hoc[q] super eodem rege[r] Sicilie interpretati sunt, quod videlicet pro eo esset imperium habiturus.

Iohannes[s] Sereni Montis prepositus ex multa animi turbacione, cuius ei cottidiani sibi adversancium insultus causa fuerunt, egritudinem incurrens decubuit. Cumque dietim[t], deficientibus in eo viribus, morbus augeretur, sciens pulsanti Domino aperiendum esse, ad mortem equanimiter ex ipsius voluntate perferendam se studuit preparare; cum eciam[u] hoc ei presentis vite tedium generaret, quod per eos, cum quibus et pro quibus salvari sperandum ei fuisset, ad salutis periculum duceretur. Proinde[v] memoria retinens, quoniam iudicabit Dominus extrema terre, hoc est, unumquemque hominem secundum ea, in quibus eum finis invenerit, faciem eius devota et fideli confessione preveniens, evocatis ad se fratribus, omnes[w] generaliter[x], deinde nominatim eos quos adversarios habuerat solicite rogavit[y], ut ea in quibus per ipsum aliquando gravati fuissent[z] pro vera caritate ex corde sibi remittere dignarentur, quod ei[a] se facere fideliter testabantur, ac eum sacri[b] olei[c] unccione et Christi corporis communione ad communem exitum prepararent. His cum devocione debita consummatis, vestiri se peciit et calciari, sicque a circumstantibus de[d] lecto levatus, ipsis iuvantibus, supra cilicium cinere aspersum sternitur, in eo sue vocacionis horam desiderans expectare[e]. Cum vero in hoc stratu[f] pernoctasset et die sequenti per signa sudoris erumpentis[g] evasurus speraretur, fratribus rogantibus imo cogentibus ad lectum reduci se permisit, qui eius salutis[h] desiderio tenebantur. Tempore vero non longe ante hoc exacto, aliud in eo malum quoddam apparuerat, a quo tamen per Dei graciam medici fidelis adiutorio liberatus est. In toto enim corpore, eciam in volis pedum, sanies collecta cutem per loca crebra rumpebat et ipse rupture sanie plene quasi cauteria videbantur. Febre itaque per sudorem terminata, nasus ab anteriori[i] parte paulatim nigrescens, in hoc malo totus occupatus et omnino a capite separatus, magne deformitatis spectaculum intuentibus exhibebat. Nec deerant eciam medicine artis periti, qui veneni hec esse signa manifestissima testarentur. Igitur cum infirmari prepositum Hileburc nunciatum fuisset, Tidericus statum[k]

---

a) Acun 3. b) Gothfridus 2; Godefridus 3. c) quo *deest* 2. d) consequutus 2. e) canonicis 3. f) recedens 1. g) est *deest* 1. 2. h) preposlturae *in cod.* 3 *ab alia manu verbo* officio *superscriptum est.* i) Octo 2. k) Vicurbium 2. l) Heinricum 1. m) adgressus 2. n) moreretur 1. o) *verba:* et solus lectum occuparet *desunt in cod.* 3. p) ipse 1. q) haec 3. r) regem 1. s) Ioannes 3. t) diatim 2. u) et 2. v) Deinde 1. w) omnibus 3. x) generatim 3. y) rogat 3. z) fuisset 2. a) eis 1. 2. b) sacra 2. 3. c) oli 2. d) a 1. e) expectabat 3. f) strato 3. g) erumpetis 1. h) salutis *deest* 3. i) anteriore 3. k) statim 1. 3.

[6] Aug. 9. secundum Necrolog. monast. Novi Operis p. 171.

[7] Lehnin.

[8] Cf. Seriem abb. Nienburg. *Fridericus — obiit anno* 1212. 6. *Kal. Decembris.*

[9] Ecclesia S. Mariae in Elwersdorf prope Querfurt, Marienzell dicta.

[10] a. 1210. Nov. 18. Cf. Magdeb. Schöppenchronik p. 135.

eius cottidianis nunciis studuit explorare. Quem desperari audiens, ipse quoque personaliter advenit, et olim sibi attemptato negocio, nunc totis viribus insistebat, multis et diversis promissionibus paucos suos[a] fautores conciliando, quorum eciam, rebus prospere cedentibus, in tantum auctus est numerus, ut pene, adhuc preposito vivente, se confideret eligendum. Verum cum, sicut dictum est, febre liberatus, naso perdito, victurus putaretur, hoc ei pro crimine ceperunt obicere, dicentes se nolle habere prepositum denasatum. In quo tamen divine voluntati, licet diversa fuerit voluntatum qualitas, concordabant. Nam quod Deus quoque iusta et bona voluntate eum diucius non esse prepositum voluerit, declaravit, quem tercio illius mutilacionis die ab hac luce subtraxit. Obiit autem feria quarta, hora 1212. Mart. 7. vespertina, die martirum[b] Perpetue et Felicitatis[11]; atque utinam ad perpetuam abierit felicitatem. Sedit annis tribus, mensibus undecim, diebus quatuor, sepultus vero est a Poppone Hallensi preposito in dextera Waltheri prepositi, fratris sui. Huius temporibus Fridericus comes de Brene propter rancorem, quem de[c] ecclesia Niendorp habuit, quedam bona in villa Lubacisdorp[d] et locis vicinis, que ecclesia Sereni Montis diu possederat, cepit repetere, dicens ea sue proprietatis esse et sine suo consensu vendita fuisse. Pro his dedit ei prepositus quinquaginta marcas[12]. Ab eodem comite emit tres mansos pro septuaginta marcis[e]. Magnam eciam partem pecunie, quam Rodolfus[f] prepositus pro villa Niendorp reddere tenebatur, solvit; et inter hec domi bonis omnibus habundavit.

Mart. 9. Post humacionem Iohannis prepositi die sequenti, que fuit sexta feria septimane Letare Ierusalem, fratribus in capitulo collectis, prioris hoc fuit consilium et exhortacio, ut eleccio donec post sollempnitatem pascalem differretur, ne forte eius occasione aliqua inter ipsos turbacio in sacro tempore proveniret. Sed illi, qui de Tiderico[g] eligendo iam[h] concordaverant, isti consilio non consenserunt, sed in continenti[i] eligendum censuerunt. Sicque ad eorum instanciam eleccione facta, fratres inter se divisi sunt. Prior enim et alii cum eo, numero[k] duodecim, unum de fratribus Wichnandum[l] nomine elegerunt — erant autem isti qui Iohanni preposito usque in finem familiarius adheserant[m] —, alii omnes vicenarium numerum excedentes — multiplicati enim erant super numerum — Tidericum unanimiter elegerunt. Isti nichil aliud nisi eleccionem suam ipso iure roboratam indissolubilem cogitantes, partem alteram utpote infirmam ad consensum suum deflectere conabantur, et instanter hoc agebant, adeo ut simul omnes coram illo procedentes eos ab eleccione sua, que stare non posset, cedere postularent. Illi vero cum eis similem reverenciam exhibuissent, similia[n] ab eis petentes, verentes tamen, ne numero confisi aliquid violenter agerent, eleccionem suam appellacione interposita munierunt et ita ab invicem[o] recesserunt. Porro isti mutuo se ad constanciam hortabantur, uno ex eis qui Tiderico a primo conatu suo cooperatores extiterant dicente, ut considerarent, quod electus ipsorum, vir talis et a[p] cuius parentibus hac occasione ecclesie sue obligatis bonum maximum in commune eis procuratum esset, iam tercio ab illis maxime, a quibus eciamnunc contemptus, reiceretur[q], ea sola causa, quia scirent se potestate, qua actenus[r] super eos iniuste se extulissent, faciente eius iusticia carituros, et ut pro his eciam indignari addiscerent, quod illi pauci tot inique opprimere molirentur[s]. Alter vero hoc electum suum admonebat, ut memoria retineret, non idcirco eum ab illis electum, ut, cum illi ei honoris causa extiterint[t], postmodum confirmatus nunc[u] sibi adversantes in dignitatibus et commodis agere, se autem privatos et abiectos vivere 1212. paciatur[a]. Erant enim in parte altera prior et ei proximus senior, parrochianus capelle veteris, hospitalarius qui[a*] erat electus, custos, cellerarius, parrochianus de Numic[b], parrochianus de Zurbecke[c][13], ad quorum officia plerique istorum aspirabant. Nonnulli autem ipsorum non propter ista sed pro solo odio quorundam fratrum alterius partis in eleccione Tiderici consenserant, scientes eum prepositum factum occasione inventa ab eorum gravamine nullatenus abstinere. Talibus causis, scilicet spe commodi vel honoris consequendi et pro privatis odiis vindicandis, vir ille electus est; neque enim Dei causa eligi potuit, qui Dei timore semper vacuus et dominandi cupidine[d] plenus fuit. Talem eum[e] fuisse nulli melius quam electores sui noverant, sed eis de[f] causis predictis maxime[g] idoneus videbatur. Miror autem, considerantibus eleccionis[h] racionem[i] si non horrenda videtur eiusmodi[k] eleccio. Eligere namque aliquid est ipsum optimum iudicando e numero aliorum legere, id est tollere. Verbum vero eleccionis simile est verbo iuracionis. Cum enim dicitur: *In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti eligo talem in patrem spiritualem et in prepositum,* tale est ac si diceretur: *Dico per Patrem et Filium et Spiritum sanctum, talem optimum hominum*[l] *michi*[m] *videri ad ecclesiam regendam tam in spiritualibus*[n] *quam in temporalibus,* ut pater spiritualis[o] ad spiritualium, prepositus ad temporalium provisionem[p] pertinere videatur, quamvis in communi sermone nomine prepositi utrumque intelligere soleamus. Propter hoc, ve[q] assumenti nomen Dei sui in vanum et per invocacionem tanti nominis aliud quam gloriam Dei querenti et ob hoc inutilem et nonnumquam noxiam scienter eleccionem facere non timenti! Verum isti licet finem cause magnopere desiderarent, tamen usque ad pascha quieverunt. Interim diversis Tiderici amicis partem alteram attemptantibus, si ad composicionem faciendam eos vellent admittere, non consenserunt; sed unum de numero suorum feria 4. palmarum ad Tidericum marchionem destinantes, rogabant ut eis et ecclesie sue in Mart. 21. hoc negocio provideret, eleccionem alteram impediendo, cum et ipse virum illum ad regimen ecclesie minus idoneum non ignoraret; quod eciam marchio fatebatur. Tidericus vero metuens, ne conatus eius per marchionem impediretur[r], die parasceue ad priorem acce- Mart. 23. dens, dicebat se cum dolore pensare diuturnitatem illius dissensionis valde dampnosam esse, se omnino ad finem rei tendere et Tidericum Mersenburgensem episcopum, ut fini adesset, invitare velle, petebatque, ut litteras invitacionis sigillo ecclesie sigillaret. Prior vero nichil aliud his verbis significari credens, nisi quod ab eleccione cedere vellet et se consilio episcopi submittere, litteris illis sigillum apposuit; quod ille callide consecutus, fratribus alterius partis ignorantibus, ad secundam feriam paschalem episcopum ex parte capituli invitavit. Eo tempore Albertus archiepiscopus contra imperatorem sedis apostolice legatus fuerat constitutus[14], ad quem duo de electoribus Tiderici venientes, petebant ut parti ipsorum adiutor fieri dignaretur. Quo de modo adiutorii ab eis inquirente, talem modum suggesserunt, ut electo ipsorum curam porrigeret eique preposituram[t] confirmaret, quia hoc eum racione legacionis sue posse facere videretur[u]. Archiepiscopus respondit, se non ignorare, quantum iuris in ecclesia ipsorum haberet, etsi hoc ipsi forsitan scire nollent, nec aliqua racione ius sibi summi pontificis usurpare.

---

[a] pauci sue 1. 2. [b] martyrum 3. [c] pro 2. 3. [d] Lubatisdorf 3. [e] marcas 2. [f] Rudolffus 2. [g] Tederico 1. [h] iam iam 2. [i] continendi 2. [k] numero *deest* 1. 2. [l] Wichnander 2. [m] adheserunt 3. [n] fimilia 2. [o] abvicem 2. [p] a *deest* 1—3, *sensu flagitante conieci.* [q] reiteretur 2. [r] hactenus 3. [s] conarentur 3. [t] exstititerint 2. [u] nec 3.

[11] In Necrolog. monast. Novi Operis l. c. p. 161 legitur: 4. *Id. Mart. Ioannes praepositus in Sereno Monte.*

[12] Cf. Friderici de Brene chartam a. 1208. Iul. 19. datam ap. Köhler l. c. p. 59: *noverit igitur presentium universitas et discat futurorum posteritas, quod nos quidquid iuris et potestatis in quinque mansis Othmaristorp habuimus, totum illud in ius et proprietatem ecclesie beati Petri, cui specialiter tenemus, donavimus iure perpetuo possidendum. Preterea omnia, que in villa, que Lubachistorp dicitur, in pratis aut in agris cultis vel incultis actenus possedimus, nichilominus usibus ecclesie predicte concessimus profutura*, et eiusdem donationem a. 1211. apud Köhler l. c. p. 60: *Notum igitur sit presentibus et discant posteri, quod ego Fridericus Dei gratia comes de Brenen duos mansos in villa Wesnewitz et unum Welestorf sex choros tritici solventes pro septuaginta quinque marcis a me comparatos contuli ecclesie beati Petri apostoli in Sereno Monte cum omni usufructuum utilitate iure perpetuo possidendos, eidem ecclesie quindecim marcas de predicta pecunia remittens pro remedio anime matris mee et pro percipienda peccatorum meorum indulgencia.*

Anno 1212. Tidericus Mersenburgensis episcopus, a capitulo[v] Sereni Montis se invitatum credens[w], feria secunda pasche ad locum venit. Eo anno sollempnitas paschalis eve- Mart. 26. nerat in die incarnacionis Christi. Die sequenti, hora diei tercia, omnes Tiderici electores, adiunctis sibi laicis fratribus, qui omnes in parte ipsorum[x] senciebant, ad episcopum convenerunt[y], petentes ut[z], numerositate eorum considerata, eleccioni ipsorum favorem suum impenderet, addentes se, quod iure facere deberent, in facto suo velle procedere, electo suo sollempnitatem debitam impendendo. Episcopo autem hoc non esse sui consilii dicente, nimis stulte eos agere et ut quiescerent pocius exhortante, illi ab eo recesserunt et eodem itinere claustrum ingressi, secundum quod ipse electus eis ordinaverat, assumptis scolaribus, quorum magister partis ipsorum erat, elevatis in cantum vocibus, electum suum ducentes

a) *correxi;* paciantur 1—3. a*) que 1. 2. b) *verba:* parrochianus de Numic *desunt* 2. c) Zcurbecke 1; Zurbece 3. d) cupiditate 3. e) enim 1. f) ob 1. 2. g) maxime *deest* 3. h) electionem 3. i) racionem *deest* 3. k) huiusmodi 3. l) hominem 3. m) michi *deest* 3. n) spiritalibus 2. o) spiritalis 2. 3. p) provisorem 3. q) ne 3. r) impedirent 3. t) confessionem 3. u) videtur 2. v) populo 2. w) in invitatum se credens 2. x) ipso 2. y) venerunt 3. z) ut ut 2.

13) Zörbig inter Dessau et Halle situm. 14) a. 1212. mense Martio, cf. Böhmer, Reg. Innocent. p. 321.

1212. ad ecclesiam festinabant. Quorum unus, qui tamen precipuus negocii executor[a] fuerat, nescio unde corde motus, alteri cuidam loquens, vereri se dixit, ne ille sublimis cantus flendi eis causa fieret in futuro. Tantus autem fuit eorum impetus, ut per duo hostia[b] ecclesie, que ad claustrum ducunt, simul irruerent, processionis ordine non servato. Custodes eciam[c] tam ad[d] hostia quam ad signa ecclesie[e] de suo numero, ne quod a parte altera impedimentum surgeret, et unum fratrem laicum in pulpito, qui populum ad Dei laudes pro electo sibi preposito commoneret[f] et ipse primus canere inciperet, ordinarunt. Sicque clero et populo concinnente[g] et signis consonantibus, Tidericus ad faciem patroni ante altare producebatur. Inter psallendum vero clerici dextrum et laici fratres sinistrum chorum tenebant, quod monstrum numquam prius in ecclesia visum est. Ad quod tamen figurandum istos fortassis antiquum Romanorum induxit exemplum, qui aliquando pro sui paucitate servos ad miliciam[h] assumere sunt coacti, licet isti legittimarum personarum numero habundarent. Fratribus sane laicis in eleccionibus[i] prelatorum nichil umquam iuris fuit nec ad solempnitates huiusmodi admittebantur, tantum[k] electo simpliciter obedienciam promittebant. Verum isti numerum extrinsecus tantopere requirentes, parum se de cause sue iusticia confidere declarabant. Fratres vero alterius partis, etsi possent, nichil tamen inepte contra agere molientes, quidam turbati se subtrahebant, quidam vero illis iocose[l] admixti finem negocii expectabant. Episcopus presenciam suam supervacuam esse considerans et se fraude quasi ad spectandam inepciam invitatum intelligens, graviter tulit et, refeccione festine percepta, discessit. Tidericus itaque, omnibus suis, feminis eciam sororibus, per quas non parum adiutorii parti eius accessit, voto sibi obligatis, de cetero pro preposito se gerebat. Denique cellerario misso nuncio mandavit, ut claves cellarii et coquine, quas ille, remotis eorundem officiorum fratribus, tulerat, sibi presentaret. Quod cum ille rennueret[m], alium pro eo cellerarium ordinavit, sicque per biduum in prepositi dignitate Mart. 29. se exhibens, feria quinta Hileburc profectus est. Nuncius interea huius solempnitatis ad fratrem illum, qui alterius partis legacione aput marchionem fungebatur et necdum ab eo recesserat, directus est. Marchio statim, rumore comperto, fratrem ipsum ad quendam fidelem suum Tidericum de Sladebach[15], qui eo tempore castrum Witin tenebat, destinavit mandans ei, ut personaliter accedens ad locum, omnia que a Tiderico innovata fuerant irritaret ipsumque ab omni prepositi excluderet potestate. Mandaverat eciam omnibus eius fautoribus victualia denegari, a quo eum frater ille legatus, ne hoc maioris discordie causa fieret, revocavit. Ille itaque iuxta mandatum adveniens, novum cellerarium[n] ab officio removit, vetere restituto, cui eciam claves curie prepositi presentari fecit, rebus Tiderici, que illuc[o] iam comportate fuerant, exportatis. Fratribus eciam laicis in officiis constitutis precepit ut, si gravamine carere vellent, ei et non alteri obedirent. Hac itaque[p] mutacione facta, Witin reversus est, unum post se servorum suorum relinquens, per quem, si quid novi surgeret, scire posset. His[q] autem Hileburc nunciatis, Tidericus videns difficultatem sibi factam, ab accessu claustri interim abstinere melius iudicavit. Verumtamen quidlibet aggredi quam ab incepto cedere aput se irrevocabiliter diffinivit[r]. Nec defuerunt inter hec fratribus in claustro constitutis contenciones et pugne verborum, his qui erant partis eius hoc fixe proponentibus, quod, si[s] eorum prepositum aliquid, quod non sperarent, a marchione pati contingeret, nequaquam se ab alterius partis gravamine temperarent. Consilio itaque fratris sui Heinrici Mersenburgensis prepositi et aliorum quorundam amicorum suorum animum marchionis per Ekkehardum Mersenburgensem canonicum, suum[t] consanguineum, attemptare cepit, si eum ad suum consensum posset modo aliquo inclinare. Quid Apr. 15. multa, flexus marchio priori mandavit et capitulo, ut in dominica, qua cantabatur Iubilate Deo, sex de partibus singulis[u] Lipzke ad eius presenciam mitterentur, cum quibus de causa prepositure tractare[v] vellet. Prior, partis sue quinque senioribus fratribus[w] secum assumptis, profectus est, Tidericus vero, duobus tantum iunioribus domi[x] relictis, aliis omnibus suis comitatus venit[y]. Episcopi qui cum marchione aderant, Engilhardus Nuenburgensis et

---

[a] exsequutor 2.
[b] ostia 3.
[c] et 2.
[d] ab 1.
[e] ecclesia 2. *In cod.* 1 *verbum hoc deest.*
[f] *in cod.* 3 *ante* commoneret *legitur* situm.
[g] concinente 3.
[h] maliciam 3.
[i] eleccione 2.
[k] tamen 1.
[l] iocose *deest* 1.
[m] renueret 2. 3.
[n] cellararium 1.
[o] illhuc 3.
[p] Hancque 1; Hacque 3.
[q] Huius 2.
[r] definivit 3.
[s] sie 2.
[t] suum *deest* 3.
[u] suis 3.
[v] tentare 2.
[w] tribus 2.
[x] domo 3.
[y] advenit 3.

[15] Schladebach prope Merseburg.

Tidericus Mersenburgensis, de verbo marchionis a partibus exegerunt, ut causam eorum committerent arbitrio terminandam. Quo compromisso, collocuti marchioni redierunt, Tidericum prepositum esse debere ex arbitrio pronunciantes et ut ab eis, qui essent presentes alterius partis, in continenti eligeretur[a] precipientes; quod sic factum[b] est. Episcoporum sane alter Mersenburgensis, scilicet postmodum huius arbitrii non parum penitens, pro voluntate marchionis sentenciam se tulisse cuidam familiarium suorum confessus est, eumque pro consensu suo accepisse pecuniam testabatur. Ipse eciam marchio eo tempore, quo Ekkehardus aput eum negociabatur, cuidam clericorum suorum 60 marcas sibi pro prepositura[c] Sereni Montis quasi iocando retulit oblatas fuisse. Idem annis singulis vinum, quod fratribus superesse poterat, emere solebat, ex quo mercatu tempore, quo Iohannes prepositus obiit, fere trecentas marcas reddere tenebatur. Cuius debiti cum eum Conradus episcopus de Sichem[16], petente capitulo, postea commoneret, totum sibi dimissum esse respondit. In ipso autem instanti, quo arbitrium promulgandum fuit, cum cunctari aliquantum marchio videretur et familiares eius secrete[d] cum Tiderico crebro colloquerentur, frater ille senior, quem Tidericus a familiaritate Iohannis prepositi avocaverat, cuius erat nomen Hartmodus, suspectum habens negocium, ansa[e] familiaritatis quesivit ab eo, que esset causa horum colloquiorum et pro qua[f] marchio cunctaretur. Ille autem, tum pro reverencia viri tum eciam inquisicionis instancia, verba quibus veritatem convenienter palliaret non inveniens, egre quod verum erat respondit, causam, prout vellet, terminari non posse, nisi in continenti centum marcas marchioni promitteret se daturum. Hec[g] frater ille postmodum, rebus inter ipsum et prepositum aliter quam tunc se habentibus, fatebatur. Uxorem eciam marchionis et quosdam familiares ipsorum expertes[h] donacionis[i] non fuisse compertum est. Sed has omnes difficultates Heinricus Mersenburgensis prepositus, utpote vir litteratus et prudens, breviter absolvit, dicens fratrem suum non preposituram, sed graciam[k] comparasse marchionis pecunia. Viderit tamen ipse, utrum recte appellaverit graciam non gratis datam. Tidericus itaque prepositus confirmatus, habens in comitatu Ekkehardum marchionis nuncium, domum venit, collectisque fratribus eis[l] qui de parte altera restabant, idem nuncius verbis marchionis precepit, ut in eleccione aliis concordarent aut de loco ipso sibi cognoscerent emigrandum. Illi consorcio fratrum suorum carere malum maximum iudicantes, licet contra suam conscienciam eligere[m] quam recedere maluerunt. Poterat ecclesia Sereni Montis alterum eque fortassis utilem et minori constantem precio prepositum habuisse, si non equissimus ille rerum ordinator huius importunitate victus atque utinam non iratus, hoc nomen eum consequi permisisset[n]. 1212.

Albertus Magdeburgensis archiepiscopus, apostolice sedis legatus, imperatorem crebro excommunicatum denunciabat[17] et ne quis eum imperatorem appellaret, sub pena excommunicacionis prohibebat. Nec vero imperator ei parcebat, omnia que illius et suorum erant quantum poterat devastando, quamvis et ipse nonnumquam ex parte episcopi dampni aliquid pateretur. Tanta autem fuit et huius in denunciando et illius in devastando constancia, ut recte quidam[o] dixisse laudetur, quod episcopatus Magdeburgensis ab[p] Othone imperatore et Alberto archiepiscopo constructus et[p] ab Othone imperatore et Alberto archiepiscopo destrueretur — equivoci enim erant constructores et destructores —, licet archiepiscopus non aliunde destructor fuerit[q], nisi quod[r] occasionem prebuit destruendi. Eo maxime tempore ecclesia Magdeburgensis Ludolfi[s] archiepiscopi sensit industriam in edificacione castri Hunoldisburch[t, 18], quo precipue excursus Brunesvicensium[u] frenabantur. Imperatore itaque, ut solebat, devastante Magdeburc adiacentem provinciam, episcopus militibus collectis cum eo congredi temptavit. Imperator talium peritissimus, cum et audacia et corporis viribus parem[v] non haberet, adventu hostium[x] cognito, paulatim cessit eosque insequentes longius a civitate protraxit. Deinde[y] cum impetu ad eos convertens omnes, in fugam

---

a) eligetur 2. b) fcum 2. c) propositura 2. d) secreto 1. e) caussa 3. f) quo 3. g) hoc 3. h) expertos 2. i) donacioni 1. 2. k) gracias 1. l) eisque 1. m) eligere *deest* 3. n) promisisset 2. o) quidem 2. p) *verba inde ab* ab Ottone imperatore *usque ad* constructus et *desunt* 2; et *deest* 3. q) fierit 3. r) quia 3. s) Ludolffi 2. t) Himoldisburg 3. u) Brunsuicensium 3. v) parum 1; eum *add.* 3. x) hospitum 1. y) demum 3.

[16] Sittichenbach in comitatu Mansfeld prope Eisleben; Conradus antea episcopus Halberstadensis a. 1209, hac dignitate resignata, monachus in Sittichenbach effectus est.

[17] Cf. Magdeb. Schöppenchronik p. 135.

[18] Hundisburg prope Neuhaldensleben. Cf. Magdeb. Schöppenchronik p. 128.

vertit[a] trecentis fere militibus[b] captivatis[c]. Que pugna maximum episcopo dampnum procuravit, cum ipse captivos solvere cogeretur et imperator, quidquid solvere poterant, ab eis non negligenter extorqueret[d. 19]. Oratorium sancti Martini in Sereno Monte ab Alberto Iul. 17. archiepiscopo dedicatum est 16. Kal. Augusti.

Anno 1213. Cum ecclesia Hilseneburgensis abbate careret, Albertus archiepiscopus racione legacionis sue, quia Fridericus Halverstadensis episcopus imperatori favens excommunicacionis iugum ferebat, in cuius diocesi est illa ecclesia, Harthwicum[f] Pigaviensem monachum ei abbatem dedit. Quem cum monachi recipere nollent, archiepiscopus eos excommunicacionis vinculo innodavit. Sed cum difficile inveniri[g] potuisset timore imperatoris, qui ipsius sentencie litteram Hilseneburgensibus exhiberet, Hartwicus habens cognatum Heinricum de Rekkin, Sereni Montis canonicum, eum ad se tacito[h] negocio[i] evocavit, quem, permittente preposito, ad se venientem cum eisdem litteris destinavit. Qui, exhibitis litteris, faccione monachorum captus et suis omnibus expoliatus[k] est. Interim monachi, misso cum suis litteris nuncio, Tiderico preposito de Heinrico conquesti sunt, quod ecclesiam suam exhibicione illarum litterarum ad turbacionem[l] maximam perduxisset. Prepositus occasionem non negligens, — nam Heinricus unus fuerat eleccioni sue adversancium —, eum, cum in castro Werningerode captivus teneretur, a communione fratrum suspendit et mandatum[m] ab ingressu claustri, si rediret[n], arceri[o] iussit[p], cum tamen regula nusquam aliquem a societate fratrum proici iubeat, nisi si quis peccans emendatoriam vindictam non curaverit[q] sustinere. Heinrico vero cum[r] pace redeunte, prepositus eum ab ingressu claustri prohibere conatus est. Quod cum implere non posset, eo quod plures de fratribus ei faverent, districte eum precepit ab omnibus evitari. Cuius motum ille mitigare cupiens, nudis pedibus in veste nigra scopam ferens cum priore[s] et quodam alio fratre seniore pedibus eius prostratus, petebat ut, si quid peccasse ostensus fuisset, de hoc eum in claustro penitenciam agere pateretur. Prepositus vero nichil his micior factus, cum ille a claustro exire[t] nullo modo consentiret, egit, ut per Hartmannum quendam villicum marchionis ab ecclesia pelleretur. Qui veniens et cum armatis claustrum ingressus hora refeccionis, Heinricum de refectorio protractum extra claustrum a suis servientibus educi fecit; sicque ille discedens magnam fratribus tristiciam dereliquit, cum eciam eos, qui ei faverant, gravari a preposito contigisset. Erat autem studium ingens his[u], qui preposito adherebant, ut eos, qui in eleccione diverse partis fuerant, a suo consorcio removerent, in qua intencione eciam eis prepositus concordabat. Heinricus itaque a Sifrido Pigaviense abbate patruo suo receptus, archiepiscopo quam passus erat iniuriam intimavit. Archiepiscopus vero legacioni sue contumeliam in hoc irrogatam[v] affirmans, cum occasione facti sui gravari illum contigerit, prepositum de recepcione eius crebro studuit commonere. Sed cum nec monendo nec petendo quicquam proficeret, eiusdem legacionis auctoritate excommunicacionis contra eum et quosdam collaterales ipsius, qui maxime ei in hoc facto cooperatores extiterant, sentenciam promulgavit. Fridericus Sicilie rex, filius Heinrici imperatoris, a multis principibus et maxime episcopis, adnitente[w] Innocencio papa, qui eos a fidelitate imperatori promissa absolvebat[x], in Romanorum imperatorem electus est[y. 20].

Anno 1214. Heinricus de Rekkin Sereni Montis canonicus expulsus, cause sue oportuno Apr. 5. tempore captato, in sabatho paschali, preposito ad benediccionem fontis astante, venit ac, prius appellacione interposita, litteram archiepiscopi excommunicacionis sentenciam continentem ei porrexit, quam cum ille non reciperet, ministris simul astantibus et post eos singulis fratrum exhibere curavit. Nullo autem eam recipiente, ipse in medio ecclesie stans excelsa voce recitare cepit, preposito e diverso benediccionem fontis sublimiter pronunciante; intellectum tamen est, quid illa littera contineret. Post recitacionem Heinricus exiit et, finito baptismi officio, prepositus[z] ad pulpitum ascendens, eum excommunicatus excommunicavit et omnes ei consencientes, credens aliquos fratrum ei favencium[a] huius facti conscios

---

a) convertit 1. b) millibus 3. c) captivitatis 1. d) non negligenter extorquere 1; non extorquere negligeret 2. f) Hartuuicum 3. g) invenire 2. h) tocito 2. i) negacio 1. k) spoliatus 3. l) perturbacionem 1. m) mandavit, ut ab 3. n) redierit 1. o) arceretur 3. p) iussit *deest* 3. q) curavit 3. r) in 3. s) patre 3. t) exire *deest* 1. u) his temporibus 3. v) irrogatum 3. w) admittente 3. x) absolvebant 2. y) *verba inde ab* Fridericus Sicilie *usque ad* electus est *desunt in cod.* 1. z) prepositum 1. a) *verba* ei favencium *desunt* 1.

19) Haec pugna facta a. 1213. Iun. 11. apud Remckersleben prope Magdeburg. Cf. Magdeb. Schöppenchronik p. 138. 20) Septemb. 22. apud Frankfurt.

1214. extitisse. Heinricus autem extra ecclesiam occultatus explorabat, utrum prepositus post sentenciam celebraret. De quo certificatus, itinere suo discessit. Familiaribus vero prepositi consilium dantibus, sequenti secunda[a] feria Magdeburg ad presenciam archiepiscopi[b] veniens Apr. 7. ad cautelam absolvi postulavit. Quem ille iuxta formam ecclesie absolvi fecit, scilicet prestito iuramento absolutoque[c], ut Heinricum reciperet, precepit sub debito iuramenti; quod ipse minime complevit. Heinricus cum litteris archiepiscopi causam suam pape significantibus Romam profectus, iudices contra prepositum impetravit. Eo tempore indicto ab Innocencio papa Rome generali concilio, universi ecclesiarum prelati ad profeccionem se parabant. Prepositus vero, sicut et plerique alii, concilium prevenire cupiens, ut commodior ei copia fieret sua negocia promovendi, cum a iudicibus Heinrici citatus fuisset, appellavit et copiosa sumpta pecunia Romam profectus est. Et de causa quidem appellacionis aput summum pontificem siluit, referebat autem, se subditum quendam habuisse, qui cum officium cellerarii[d] sibi contra eius voluntatem usurpare voluisset et ex hac causa lites concitare cepisset, ipse eum a consorcio fratrum et ab ecclesia reiecisset, petebatque[e] ut, si talis ad eius veniret presenciam, accusacionem eius non reciperet, sed pocius eum ad ecclesiam suam compelleret redire, quia[f] eum penitentem recipere paratus esset, nimirum metuens ne, si Heinrico audiencia data fuisset, eius inepcie publicarentur. Et ut efficaciter quod intenderat[g] consummaret, notarium quendam non parva conduxit pecunia, ut huic negocio preesset et se Heinrico, si veniret, pro se adversarium exhiberet, cui eciam alium marchionis clericum de Niendorp, qui presens erat et post eum in curia remanebat, adversarium ordinavit. Aliorum autem que peciit, nichil potuit impetrare. Erant autem hec, ut in die dedicacionis ecclesie sue populus adveniens indulgenciam haberet et ut papa ei unum episcoporum terre sue, quem eligere maluisset, vice sua iudicem ordinaret et ut ei in causis ecclesie sue excommunicandi concederet potestatem. Prepositus a curia recedens, Heinricum se insequentem Bolonie[h] invenit, missoque ad eum quodam civitatis ipsius magistro, temptabat, si cum eo in concordiam redire posset; in quo ille nulla racione voluit consentire. Cum vero in presenciam apostolici venisset, volens papa, ut ad ecclesiam suam rediret, litteras per quas restitueretur, suggerente prepositi notario, dari ei precepit. Heinrico autem instanter audienciam sibi dari postulante, papa motus eius instancia et causa cognita iussit, ut litteras datas dentibus scinderet, quod litteris cassatis fieri solet. Iam enim, eciam aliis referentibus, de statu ecclesie Sereni Montis papa cognoverat et Heinricum de singulis subtiliter interrogabat, ita ut expresse de nemore monti proximo, quod prepositus nimis dampnose incidi et vendi fecerat, an ita esset, percunctari studeret. De omnibus autem, que ille vera fatebatur, iuramento sibi fidem facere compellebat ac sic demum litteras ei dari mandavit, quibus prepositus redire ad concilium cogebatur. Alias eciam pro abbate Pigaviense contra marchionem litteras impetravit. Arnoldus vero clericus marchionis impedire eum volens et non valens, de eo quod adversatus ei fuisset penitenciam[i] agens, reconciliari eum sibi humiliter postulavit. Heinricus de partibus rediens Transalpinis Herbipolim venit ibique Arnoldum, qui se precesserat, invenit. Cumque inde recederet, priusquam Pigaviam pervenire potuisset, eiusdem Arnoldi tradicione ab hominibus marchionis captus et suis omnibus expoliatus atque in castro Hagenesberc[k. 21] incarceratus, aliquamdiu detentus est. Et hic casus prepositum a necessitate redeundi ad concilium liberavit.

Tempore quo prepositus Romam proficisci parabat et cum eo Willehelmus[l] Cillenensis prepositus, Tidericus marchio Zurbeke[m] constitutus, eis ut in die profeccionis sue ad se venirent mandavit, intendens, ut ablatis omnibus que haberent, eos ab itinere prohiberet, quoniam huiusmodi expensas supervacuas asserebat. Prepositus, conatu eius per quosdam suos amicos cognito diem profeccionis sue[n] preveniens, solus ad eum accessit, diuque ei familiariter collocutus, eum ad suum placitum inclinavit. Exiit autem talis rumor, quod 40 vini carrate, quas marchio de recenti[o] solvere tenebatur, preposito licenciam impetrassent. Denique cum post profeccionem eius prior et capitulum unum de fratribus pro quibusdam ecclesie causis ad principem destinassent, ille rumoris veritatem explorare cupiens, eum[p] tam de veteri quam de novo studuit commonere. Marchio respondit se totum debitum persolvisse. Quod autem nec ante nec post solverit et quod prepositus numquam exegerit, certum est.

---

[a] sexta 2. [b] episcopi 1. [c] absolutosque 2. [d] cellarii 2. [e] petensque 3. [f] qui 3. [g] intenderat 3. [h] Bononie 3. [i] primum 3. [k] Hagenesbert 2. [l] Vuilhelmus 3. [m] Zorbek 3. [n] sue *deest* 1. 2. [o] retenti 3. [p] eam 1.

[21] Hainsburg inter Zeitz et Krossen situm.

Imperator, cum rege Francie pugna commissa, victoriam perdidit[22], multis ex parte eius captis et plurimis ex utraque parte occisis. Ex quo tempore nomen[a] Teutonicorum[b] satis constat apud Gallicos viluisse. Wernherus de ecclesia sancti Mauricii Hallensis prepositus primus Lipzke missus est. In civitate Hallensi factus est concursus ex huiusmodi causa. Presbiter quidam ex vicariis parrochiani ecclesie forensis, Petrus nomine, egit arte, quam ipse noverat, ut ad ymaginem[c] quandam crucifixi, que in ipsa erat ecclesia, sanitates conferri egris advenientibus putarentur. Quo rumore diffamato, provinciarum omnium circumiacencium populis ad civitatem confluentibus, tanta fuit offerencium multitudo, ut infra paucos menses, quibus illa duravit insania, preter oblaciones cere supra centum quinquaginta marcas sit sacrificium computatum. Ex his cesserunt in partem archiepiscopi, ut fertur, septuaginta marce, reliqua in usus ecclesie Novi Operis sunt recepta. In tantum vero eciam prudentes viros eadem illusio[d] dementavit[e], ut non solum Poppo prepositus assidua predicacione virtutes, que ibi fierent, populis[f] intimaret et contradicentes vel irridentes per[g] excommunicacionis quoque sentenciam prohiberet, sed eciam Conradus episcopus de Sichem horum veritati publice in suis sermonibus[h] testimonium perhiberet. Interim servicii sui tempore exacto, presbiter a civitate recessit et omnis[i] ille virtutum effectus cum eo pariter emigravit. Constat enim nichil ibi talium postmodum accidisse.

Iul. 25. Anno 1215. Fridericus rex Aquisgrani die beati Iacobi coronatus est et cruce signatus. Christianus primus post beatum Adelbertum genti Prutenorum[k] episcopus consecratus est. Oct. 12. Tidericus Mersenburgensis episcopus obiit 4. Idus Octobris[m. 23], pro quo ex arbitrio Conradi episcopi de Sichem et duorum canonicorum Mersenburgensium Ekkehardus eiusdem ecclesie canonicus electus est. Oratorium sancti Augustini in Sereno Monte secundo Oct. 11. dedicatum est a Conrado episcopo de Sichem 5. Idus Octobris. Sinodus universalis Rome in ecclesia Salvatoris, que Constanciana vocatur, mense Novembri celebrata est, presidente Innocencio papa III, pontificatus eius anno 18, in qua fuerunt episcopi 412[n], inter quos erant patriarche duo, Constantinopolitanus et Ierosolimitanus. Antiochenus languore detentus, misit pro se vicarium Anteradensem episcopum. Alexandrinus sub Sarracenorum dominio constitutus, fecit quod potuit, mittens[o] pro se diaconum germanum suum. Primates autem et metropolitani fuerunt 71, abbates et priores ultra octingentos. Absencium vero archiepiscoporum et episcoporum et abbatum et priorum non est numerus comprehensus. Legatorum vero, regis videlicet Sicilie in Romanorum imperatorem electi, imperatoris Constantinopolitani, regis Francie, regis Ungarie, regis Ierosolimitani, regis Cipri, regis Arrogonensis nec non et aliorum principum et magnatum et civitatum aliorumque locorum ingens affuit multitudo[24]. Sifridus abbas Pigaviensis Heinrico de Rekkin Sereni Montis canonico expulso in concilio commissionem obtinuit, cuius exemplar hic inserere libuit pro testimonio veritatis[p]:

Innocencius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis preposito Sancti Nicolai, A. cellerario et H. canonico[q] *Magdeburgensibus*[r] *salutem et apostolicam benediccionem. Cum olim ex*[s] *litteris venerabilis fratris nostri Alberti*[t] *Magdeburgensis archiepiscopi, apostolice sedis legati, quam*[u] *ex conquestione dilecti filii Heinrici*[t] *canonici ecclesie Montis Sereni Magdeburgensis diocesis nostro fuisset apostolatui reseratum, quod Tidericus*[t] *ipsius ecclesie prepositus eundem Heinricum*[t] *pro eo, quod nostras et eiusdem legati detulerat litteras, ab eadem ecclesia turpiter expulisset, faciens quosdam laicos et clericos ad hec*[v] *specialiter convocatos in eundem manus inicere violentas, et quosdam de fratribus suis, quia*[w] *eius noluerunt tirannidi consentire, punire graviter presumpsisset ac insuper cum complicibus suis post excommunica-*

---

a) natio 3. b) Theutonicorum 2. c) imaginem 2. 3. d) delusio 1. e) demendavit 2. f) populis *deest* 3. g) per *deest* 3. h) sermoniis 2. i) omnes 3. k) Prucenorum 2. m) Octobris *deest* 2. 3. n) CCCXII 1. o) misit 1. p) *verba* pro testimonio veritatis *desunt* 3. q) canonicis 3. r) Magdeburgensi 1. s) ex *deest* 3. t) *haec nomina in codice* 3 *plene scripta sunt.* u) quas 3. v) hoc 2. 3. w) quod 3.

22) apud pontem Bovinum, Iul. 27.

23) Secundum Calendarium Merseburg. ap. Förstemann, Neue Mittheilungen II, 254 Thidericus 2. Idus Octobris, et secundum bonorum indicem l. c. p. 377 Octob. 16. demum mortuus est.

24) Hoc exordium protocolli concilii Lateranensis fuisse, docuit Winkelmann, Friedrich II, I, p. 105.

cionem a prefato legato pro ipso in eosdem prolatam divina non fuisset veritus[a] *officia celebrare, quodque, postquam a iam dicto legato fuit iuxta formam ecclesie absolutus, memoratum canonicum ad suam ecclesiam revocare nullatenus voluisset, licet hoc ipsi ab eodem iniunctum fuisset sub debito prestiti iuramenti, vobis dedimus in mandatis, ut si res taliter se haberet, iam dictum prepositum, ut canonicum memoratum benigne reciperet et tractaret, monicione premissa*[b], *per censuram ecclesiasticam, appellacione remota, compellere curaretis*[c], *ipsi et complicibus eius pro prefatis excessibus penam canonicam nichilominus inflicturi, ut ea docente cognoscerent, quod temerarium esset contra stimulum calcitrare. Cum autem, sicut ex vestrarum*[d] *intelleximus continencia litterarum, prepositum ipsum auctoritate mandati nostri peremptorie citassetis, ut vestro*[e] *se conspectui presentaret, iam dicto canonico super his que premisimus responsurus, ipse nec venit nec pro*[f] *se misit idoneum responsalem, verumtamen quidam clericus, nullis tamen exhibitis litteris, comparuit coram nobis, qui pro eo a vobis in nullo gravato sedem apostolicam appellavit. Licet autem appellacionem ipsius reputassetis frivolam et inanem, quia tamen intellexistis, eundem ad sedem apostolicam accessisse, ut in presencia parcium plenius veritas*[g] *appareret, iam dictum cum vestris*[h] *canonicum litteris processum vestrum continentibus ad nostram presenciam*[i] *transmisistis. Nos igitur eiusdem canonici compacientes laboribus et expensis, ipsum ad vos*[k] *duximus remittendum, per apostolica vobis scripta precipiendo mandantes quatenus*[l], *si*[m] *res ita se habet, ad locum et beneficium suum restituentes eundem, non permittatis ipsum super his a quoquam indebite molestari, nichilominus a preposito et dictis*[n] *suis complicibus de illatis iniuriis sibi competenter satisfieri facientes, contradictores*[o] *per censuram ecclesiasticam, appellacione postposita, compescendo. Ceterum quoniam prepositus memoratus de simonia, dilapidacione, periurio et aliis multis criminibus dicitur infamatus et quod eciam excommunicatus divina celebrare presumpserit*[p] *ac insuper ante confirmacionem a nobis obtentam administracioni ecclesie Montis Sereni tam in spiritualibus quam in temporalibus se impudenter ingessit, a quibusdam de fratribus eiusdem ecclesie coram seculari iudice obedienciam exigens et extorquens, discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus quatenus, inquisita super his diligencius veritate, quod canonicum fuerit, appellacione postposita, statuatis, facientes quod statueritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Quod si non omnes* etc. Acceptis[q] itaque his litteris, Heinricus, priusquam per eas aliquid agere potuisset, summi pontificis morte preventus est.

Anno 1216. Ekkehardus Mersenburgensis electus[r] in episcopum[s] consecratur die sancti Bonifacii, qui tunc fuit in octava penthecostes, ab Alberto Magdeburgensi archiepiscopo, Iun. 5. Brunone Misnensi et Balderamo Brandenburgensi[t] episcopis et Conrado episcopo et monacho de Sichem. Innocencius papa III. obiit, vir strennuus[u] et litteratus et qui in multis causis Iul. 16. honori et utilitati ecclesie cognoscitur profuisse. Huic successit Honorius tercius. Ecclesie Montis Sereni gravis turbacio nata est ex huiusmodi causa. Tidericus prepositus fratribus illis, quos in eleccione sua adversarios passus fuerat, importunum se consueverat exhibere et causas, pro quibus eos iuste persequi videretur, nonnumquam confingere[v], ita ut aliquando in capitulo dicere non erubuerit, quod a quibusdam amicis suis veraciter audisset, timendum sibi esse, ne ab his vite periculum sustineret. Totus tamen contra ipsos eius motus facile ad minus in superficie mitigari potuisset, si[w] illi suo eum arbitrio in his que agere voluisset relinquentes, mulcere adulacionibus voluissent, quibus tantum delectabatur, ut per eas a sibi faventibus ad permittendum eis quidlibet duceretur. Verum quia hoc ab istis consequi non poterat[x], qui non solum ei non adulabantur sed eciam, ubicumque contra utilitatem et honestatem ecclesie aliquid agere voluisset, fiducialiter resistebant, non solum ipse eos persequi sed et numerum eos impugnancium augere studebat, iuvenes immature etatis propter hoc ipsum emancipando et ad sacros ordines promovendo. Quod tamen non usquequaque pro eius arbitrio procedebat, quia illorum nonnulli, postquam libertatem consecuti fuissent, consideratis causarum circumstanciis ei adversancium numero iungebantur. Tanta autem erat libertas ad libitum vivendi his, qui ei[y] contra non suos militabant, quod duo ipsorum, quorum alter fuit filius fratris ipsius Hermanni de Rosinvelt[z],

---

a) veritas 3. b) permissa 3. c) curetis 1. d) nostrarum 3. e) nostro 3. f) per 2. g) reritas 2. h) nostris 2. 3. i) potentiam 3. k) nos 2. l) quatinus 2. m) si *deest* 3. n) *sic transposui verba codicum:* preposito a dictis et. o) contradicciones 1. p) presumpsit 2. 3. q) *in cod.* 2 *verbo* acceptis *verbum* Cum *praepositum est.* r) episcopus 3. s) *verba* in episcopum *desunt* 3. t) Brandeburgense 3. u) strenuus 2. 3. v) confringere 1. 2. w) sed 3. x) potuit 1. y) ei *deest* 3. z) Rosenfelt 2.

1216. in tantam exarsisse referuntur insaniam, ut in cameram quandam[a], que in extremitate claustri a parte occidentali constructa erat, mulieres introducendi consuetudinem facerent, ut secure possent suis[b] miserias augmentare. Que res maxime Dei consuevit iracundiam provocare; talis enim iniquitas ex adipe prodire dicitur, hoc est ex superhabundancia[c] et securitate. Quod cum non solum familie sed eciam provincialibus notificari cepisset, prepositum latere non potuit, de quo eciam cum priore et aliis quibusdam sepe conquerendo tractabat, ita ut aliquando cum uno ipsorum secreto ad considerandum locum accesserit[d], ubi mulieres fama vulgaverat introduci. Dissimulabat tamen, sicut de omnibus sue eleccionis adiutoribus et quibuslibet sibi adulantibus facere solebat, vel memor beneficii vel adulacionibus delectatus vel eciam, quod minus verum non est, ut si forte aliqui ipsorum contraria ei sentire[e] cepissent, haberet unde ora[f] eorum obtundere potuisset. Cum itaque aliquando a servientibus claustri diffamatum esset, mulieres ad locum illum introductas fuisse, rumore iam in tantum dilatato, ut in villis et castris circumiacentibus de eodem facto eciam cantitaretur, cum et mulier ipsa — ut consuetudo talium est — quasi pro iactancia ad claustrum se fuisse cunctis audire volentibus testaretur, prepositus die quadam fratribus in capitulo congregatis, nullo[g] de hac re verbum movente, dicebat inique agere eos, qui fratres suos de causis turpibus mala voluntate compositis infamarent, quod nuper factum esset, declinans omnino rem verbis manifestioribus aperire. Quidam enim familiarium illorum, quos infamia pulsabat, ei suggesserant rumorem illum a quibusdam sibi adversantibus confictum pro odio eorum, qui libenter ei servirent, — quod verbum nunc loquendi usus obtinuerat — emanasse. Licet autem prepositus hoc non fictum sed pocius verum esse crederet, volebat tamen sibi suaderi, ut crederet fictum esse et ut dissimulacionem suam, que nimirum erat dampnabilis, sibi excusaret, consciencie sue vim faciens, se ipsum quod non credebat credere compellebat. Volebat vero illum suum tractatum hoc efficere, ut his, quorum verebatur insultum de hac re quicquam loquendi audacia tolleretur. Sed aliter quam putabat evenit. Denique quidam ipsorum ex hoc magis moti, quod ipse causam, de cuius correccione pro timore Dei et honestate ecclesie sue tractare deberet, supprimere conaretur, responderunt, frustra sibi super hac re silencium imponi que per ora omnium provincialium volveretur, petebantque ut de camera illa vindictam Deo faceret, quia de ea frequenter infamia nata esset, quod ipsi[h] non aliunde magis, quam ex ipsius narracione didicissent. Preposito autem cum indignacione negante, se de hac re quicquam scire nec aliquid ab eo de hoc auditum fuisse, illi[i] eum prioris, cum quo de hac re tractaverat, testimonio convicerunt. Unde magis motus et pene quid ageret nesciens, dicebat se conscienciam suam puram declarare velle, quia iudicio illorum huius facti conscius videretur, et stola sumpta reos tacitis nominibus excommunicacionis vinculo innodavit, precipiens priori, ne in confessione secreta eos[k] reciperet, nisi peccatum suum publice faterentur. Ad se autem post iram reversus, graviter tulit, se pro illorum instancia tulisse sentenciam, eosque die sequenti incusavit, quod ipsi fratres suos infamassent, et ut de hoc Deo et sibi et capitulo satisfacerent precepit. Illis autem pro eo, quod se non fecisse sciebant, penam sustinere recusantibus, eos excommunicavit, precipiens eos a fratribus evitari. Hinc orta est inter[l] fratres gravis dissensio, plurimis eorum dicentibus iniuste eos gravari, qui Dei causam exequi viderentur, nonnullis eciam[m], ut eos vitarent, nulla racione volentibus consentire. Verum illi, ne turbacionem augerent, a celebracione divinorum se subtrahere decreverunt. Hec in
Nov. 27. adventu Domini gesta sunt. Porro familiares eorum, quos opinio reos iudicabat, infamiam[n] illam falsam esse contendebant eamque excusantes alterius facti, de quo melius tacetur, vestire pallio nitebantur. Neque vero ipsa sibi excusacio, diversis diverso modo excusantibus, concordabat nec videbant excusantes suis se conatibus impediri. Si enim nichil factum erat, quare excusando laborabant? Ubi enim mali consciencia non est, excusacio necessaria non est; ubi vero excusacionem pretenderis, ostendis te habere aliquid, quod excusacione indigeat colorari; igitur aliquid factum erat. Sed cum excusacio ipsa preter hoc, quod in rei veritate scitur falsa fuisse, eciam alio modo, scilicet sui diversitate, se ipsam impugnans destrueret, nonne tibi videtur id quod fama clamabat verum esse?

Fratrum vero illorum qui a preposito gravabantur — erant autem tres — unus ad

---

a) quendam 1. 2. b) suas 1. c) habundancia 2; abundantia 3. d) accessit 1. 3. e) consentire 2. f) oro 2. g) nulla 1. h) ipsi *in cod.* 1 *ex* ipse *correctum est.* i) illi *in cod.* 1 *ex* illu *correctum est.* k) eorum 1. l) inter *deest* 2. m) et 2. n) in familiam 1.

marchionem profectus, de violencia prepositi conquestus est nec tamen causam gravaminis 1216.
ei eciam cum instancia requirenti voluit indicare, ne fratres suos infamasse aput principem
videretur. Petebat autem, ut prepositum per nuncium suum ab eorum vexacione compesceret,
per quem eciam posset ei causa competencius[a] intimari. Marchio eum Witin ad
Tidericum de Sladebach cum suis litteris destinavit, mandans ei ut causam sibi insinuandam[b]
cognosceret et, si posset, amico fine terminaret, alioquin eam sue iuberet audiencie
reservari. Prevenerat autem fratrem illum nuncius prepositi de ipso et suis sociis marchioni
querimoniam faciens et petens, ut eos, quia sibi obedientes esse nollent, ab aliorum preciperet
consorcio removeri. Marchio respondit se neminem eicere nec, ut ipse quemquam
eiceret, pati velle, militem vero de suis fidelibus, Elgerum[c] nomine, qui causam, prout
posset, conveniencius terminaret, misit sed, ne fratres illi in aliquo gravarentur, penitus
interdixit. Elgerus, villico quodam marchionis Ulrico[d] nomine cum aliis armatis propter
discordiam, que inter marchionem et principes Transvonenses[26] vertebatur, assumpto,
dominica qua cantabatur[e] *Gaudete* ad locum venit et ipse quidem[f] inermis, ceteri[g] vero Dec. 11.
armati, quidam eciam[h] in nudis loricis claustrum ingressi, duos de fratribus illis, quia tercius
a marchione necdum redierat, coram preposito et capitulo, pro qua causa preposito inobedientes
essent, minaciter percunctati sunt. Illis autem pro se loqui volentibus, prepositus
audienciam eis non esse dandam dicens, iracundie precipitacione impulsus, causam illam
nudis verbis expressit, addens illos hoc de suis fratribus confinxisse[i], scilicet quod mulier
ad cameram illam introducta fuisset et hac[k] occasione misera illa fabula tota in auribus
illorum laicorum effusa esset[l]. Consilium autem prepositi cum illis tale fuit, ut duos illos
terroribus attemptarent, quod facere non dissimulaverunt, precipientes eis ex parte marchionis,
ut preposito satisfacere maturarent, alioquin scirent se[m] a fratrum suorum consorcio
removendos vel certe incarcerandos et marchionis presencie reservandos. Cumque,
in huiusmodi negocio magna diei parte consumpta, illi nichil a suo proposito remolliti, alter
quidem ad recedendum paratus esset, alter vero vim pocius expectare velle se diceret, Elgerus
fines mandati transire non presumens, prepositum, cum nichil proficeret, ut ad concordiam
cum eis rediret et ab excommunicacione eos absolveret hortabatur. Preposito
hoc[n] se facere promittente, si iurarent stare mandatis eius, illi petebant, ut a priore et
fratribus inquireretur, utrum eos talem absolucionis modum antecessorum suorum auctoritas
docuisset. Priore vero respondente, hoc[o] ipsorum consuetudinem non habere, nuncius[p]
ut eos sine iuramento absolveret postulabat. Quod cum[q] se nulla racione facturum diceret,
ille indignatus cum suis discessit, causa in medio remanente. Porro prepositus conatum
suum inanem esse videns, graviter tulit seque iam de facili contempni posse considerans
pro eo, quod eiciendi a claustro sibi adversantes copia ei videretur ablata, in quo maxime
eius erat fundata fiducia, convocatis fratribus, iracundia stimulatus, [r]recessurum se nec de
cetero, quamdiu inobedientes illos et excommunicatos ibi esse cognosceret, rediturum nec
in aliquo eorum necessitatibus provisurum, animi motum gestu corporis exprimens, minabatur.
Quia vero plerique de fratribus iunioribus[s] a communione illorum abstinere nullatenus
paciebantur, ut de his quoque vindictam caperet, quia erat in ieiunio Decembris, alios Dec. 14.
eis inferiores in sacris ordinibus supponere[t] conabatur, quod tamen per Dei graciam efficere
non potuit, episcopo Mersenburgensi, a quo promovendi erant, causis aliis a faciendis
ordinibus impedito. Duravit autem hec dissensio usque post circumcisionem Domini, post 1217. Ian. 1.
quod tempus preposito iam de Merseburc, ubi natalem Domini celebraverat, reverso, Tidericus
de Sladebach[u] ipsum et tres illos fratres, ut causam illorum[v] secundum marchionis
mandatum cognosceret, Witin evocavit et, adnitente Poppone Hallense preposito, qui ibi
aderat, negocium ad hoc usque tractando perduxit, ut illi eo modo, quo prior ad faciendum
diceret, absolucionem petentes, a preposito absolverentur et hoc fine totam discordiam

a) compencius 2. b) insinuendam 2. c) Elegerum 1. d) Olrico 2. e) cantatur 1. f) quidem *deest* 1. g) cetero 1. h) et 2. i) confixisse 1. k) hac *deest* 2. l) *sic correxi ex* est *codd.* m) se *deest* 1. n) hec 1. o) hec 1. p) nuncios 1. 2. q) cum *deest* 3. r) *sequentia verba in cod.* 3 *sic leguntur:* recessurum se, nec de cetero rediturum, nec in aliquo eorum necessitatibus provisurum, quam diu inobedientes illos et excommunicatos ibi esse cognosceret, cum gestu corporis motum exprimens minabatur. s) *in codice* 2 *post verbum* iunioribus *legitur* et a comm. *etc.* t) superponere 2. u) Slatebach 2. 3. v) *verbo* illorum *in cod.* 2 *superscriptum est* eorum; eorum 3.

[26] Principes Transvonenses Bernhardi ducis filii Albertus dux Saxoniae et Heinricus comes de Anhalt vocantur, quia possessiones eorum trans Fuhne fluvium sitae erant.

1217. Ian. 5. terminarent[a]. Die sequenti, que fuit vigilia epiphanie Domini, prior, assumpto preposito Hallensi, iuxta condictum fratribus illis dixit, ut in habitu cottidiano venientes peterent absolucionem[b]. Deinde de suo tam ipse quam prepositus cum instancia eos rogabant, ut scopam secum pariter exhiberent. Et hoc facto tam ipsi quam hi qui eis communicaverant a preposito absoluti ad concordiam redierunt.

Mart. 25. Anno 1217. Huius anni die primo, hoc est 8. Kal. Aprilis, obiit Heinricus puer, comes de Witin, filius Ulrici[c], filii Heinrici, filii Conradi marchionis senioris, anno etatis sue 12. sepultusque est in Monte Sereno in sinistra patris sui. Pro eo oblati sunt beato Petro duo mansi in villa Richenbach[d][27]. Magna hunc puerum gracia Deus prevenisse cognoscitur, quia usque ad vite sue terminum calculi morbo castigatus est et, priusquam hereditatis paterne, que non usquequaque iusta erat, dominatum acciperet, ex hac vita subtractus est.

Tidericus Sereni Montis prepositus gravi debitorum pondere, quod ipse sibi alligaverat, pressus, stulto nimis et noxio cum quibusdam suis[e] familiaribus consilio inito, 24 mansos, quos Rodolfus prepositus a Friderico comite de Brene etsi difficulter admodum, tamen utiliter emerat in villa Niendorp[f], eidem comiti inconsulto capitulo obtulit redimendos hoc[g] modo, ut ipsorum mansorum precio computato a ducentis marcis, quas Iudeis reddere tenebatur[h] quasque ignorantibus fratribus mutuo acceperat, eum absolveret et reliquam partem reditibus aliis compensaret. Eo tempore castrum Witin ad ius comitis, pacto inter ipsum et Tidericum marchionem facto, contigit devenire. Convencione autem inter comitem et prepositum facta, prepositus die quadam fratribus in capitulo insinuare cepit, quod comes ei de bonis predictis emendis instaret, quia eis ad castri sui servicium carere non posset. Volens autem, ut coaccionem eciam quandam ex parte comitis intelligerent, dicebat comitem hoc asserere, quod tempore prime empcionis illorum bonorum talis inter ipsum et conventum fuisset[i] facta promissio, ut partem residuam conventus tempore emeret consequenti, quod eciam privilegium contineret; unde vellet ut iuxta promissum empcionem diucius non differrent[k]. Hec autem a se ipso ad sternendam[l] negocio viam, ut tamen salva[m] Dei gracia exprimatur veritas, componebat. Quomodo enim est credibile tam contrariis modis principem pro se agere voluisse? Si enim bona ecclesie emere necesse habebat, cur bona sua ecclesiam emere compellebat? Fratribus vero dicentibus illud privilegio non contineri, consulto privilegio, ibi[n] non haberi inventum est. Quasdam preterea difficultates ab amicis suis sibi expressas proferebat, quibus, quod amissio illorum bonorum eis comite mortuo immineret, ostendere conabatur. Insuper advocaciam bonorum eorundem, quam bonis venditis comes se non vendidisse affirmabat, ipsum comitem burggravio de Witin concessisse dicebat, a quo utique gravem essent violenciam toleraturi. Sicut autem qui pugili sepe congreditur, qua parte ferire velit ex eius gestu solet agnoscere, ita fratres ex assiduis tractatibus[o], quasi ex congrediendi consuetudine, omnes prepositi conatus facile intelligentes responderunt, quod, si bona illa vendendi, sicut sibi videretur, haberet propositum, sciret eos sibi in eo nullatenus consentire. Ille vero tale propositum[p] se non habere dicebat, sed tantum ista eis, ut voluntatem comitis et scrupulos in bonis ipsis[q] latentes cognoscerent, intimare[p*]. Nec de hac re de cetero verbum movit[r] sed inde ad comitem abiens, iuxta modum prescriptum negocium terminavit. Reditus autem alii, quos comes recompensavit, habentur in villis Szoberiz[28], Provostishagin[29] et Richenbach[s], in Szoberiz quidem 25 chori[30] — hoc est wichschepele[t][31] — tritici, in[u] reliquis vero duabus 6 chori siliginis et 19 marce fertone minus. Porro mansi de Niendorp in foribus ecclesie positi solvebant 80 choros de quatuor generibus frumenti et quatuor tales et servicium rusticorum.

Anno 1218. Fames magna facta est, que priori anno inchoata[v] tantum invaluit, ut modius siliginis, qui vulgo heimece[w][32] dicitur, tribus lotis[x][33] et nonnumquam carius venderetur. Huius temporis necessitatem ecclesia Sereni Montis pre ceteris experta est. Cum enim multe provinciales ecclesie rebus hac longe inferiores nullum[a] in se famis haberent vestigium, in ista tantum viguit, ut fratres die quadam panem, quo ad prandium uti debebant, mutuare in villis circumiacentibus cogerentur. Quadam vero vespera pane deficiente, incenati manentes omnium vicinorum suorum fabula sunt effecti. Tunc eciam ordeaceo[b] et avenaceo[c] pane uti didicerunt, quibus priorum prelatorum temporibus siligo nonnumquam intollerabilis videbatur. In aliis quoque eorum cibariis tanta erat tenuitas, ut, quod dictu verecundum est, eos non semel in diebus lacticiniorum[d] solo pane[e] cervisia[f] remollito vel fece calida contentos esse oporteret. Quoddam vero verbum ferebatur, quod hi qui ex ore prepositi illud audierant recitare solebant, eo videlicet tempore, quo electores sibi conciliabat, illis eum promisisse, quod, si fieret prepositus, ita eos procurare vellet, quod contra ipsum vociferari compellerentur. In quo promisso hoc tempore verax apparuisse cognoscitur, licet, cum[g] promitteret, aliter hoc intelligi voluisset.

---

[a] terminaret 1. [b] veniam peterent absolucionem 1. [c] Olrici 2. [d] Reichenbach 2. [e] sibi 1. [f] Nyendorp 2. [g] hac 1. [h] debebatur 1. [i] fuisset *male in cod.* 2 *bis legitur.* [k] differret 1. [l] sternandam 1. [m] salvam 2. [n] ubi 2. [o] tractibus 1. [p] prope 1. 2. [p*] intimaret 1—3. [q] ipsius 1. [r] novit 2. [s] Rithenbach 2. [t] wischschepele 1. [u] triticum 1. [v] *ante* tantum *in cod.* 3 *verbum* fuit *interpositum est.* [w] heymece 2. [x] locis 1. 2.

[27] Langenreichenbach prope Schilda.

[28] Zöbritz prope Bitterfeld.

[29] Probsthain prope Schilda.

[30] De choro sive coro cf. Isidor. Orig. XIV, c. 26: *corus* 30 *modii impletur.*

[31] nunc *Wispel* dictum, cf. Grimm, Deutsche Gramm. III, 456. 459. Graff, Ahd. Sprachschatz VI, 449.

[32] nunc *Himten* vocatum.

[33] lotum i. q. semiuncia.

Anno 1219. Nova ecclesiam Sereni Montis quassabat turbacio, cuius principium tale fuit. Prepositus Tiderico[34] parrochiano capelle veteris officium hospitalis, cum ille hoc appeteret, concessit, parrochiam vero ab eo receptam alteri iuniori, Ottoni[h] nomine, commendavit. Otto parrochianus factus Tidericum de quibusdam parrochie rebus ablatis et nonnullis sibi retentis primo per se, deinde per prepositum cepit impetere, pro qua re ab invicem dissiluerunt, cum prius speciali concordia iungerentur. Marcam eciam[i] unam, quam ex veteri consuetudine camerario in dedicacione ecclesie de sacrificio ipsius diei Tidericus dare tenebatur, donec ad tempus quo ipse a parrochia recessit, quod fuit circa festum sancti Michaelis[k], non dedit, ad cuius reddicionem a preposito artabatur. Habebat idem Sept. 29. unum de fratribus familiarem, qui cum timoris Dei et sue fame negligens esset, multipliciter excedebat, ita ut eciam ad villas circumiacentes noctibus eum fama discurrere testaretur; sed patrocinio Tiderici tutus esse videbatur. Erat hic duorum alter, propter quos in causa camere superius posita turbacio facta est. Hunc enormiter vivere prepositus, multis eum accusantibus[l], non ignorabat, sed propter patrui sui[35] graciam accusacionem dissimulacione solita negligebat. Verum rancore[m] inter prepositum et Tidericum causa Ottonis exorto[n], prepositus eciam huius inepcias de cetero non dissimulandas decernens[o], pro his eum disponebat impetere, intendens eciam, ut erat opinio[p], eidem cause, si posset, Tidericum involvere, quia[q] de eo quoque propter omnimodam illius familiaritatem sinistre suspicionis habere aliquid videbatur. Tidericus vero tam pro his, tam pro prioribus nonnichil sollicitus conatum eius, quem iam senserat, prevenire cupiens, fratribus illis, quos prepositus adversarios deputabat quosque pro hac re continuus septem[r] annorum labor attriverat, a quibus se pro nonnullis, que per ipsum et propter ipsum passi fuerant, minus diligi certus erat, satisfaccionis verbis per quosdam alios interpositos reconciliatus est eisque quid haberet propositi indicavit, non aliud tamen ab eis petens nisi tantum, ne se ei adversarios exhiberent. De quo certus factus, die quadam, que fuit vigilia apostolorum, cum Iun. 28. prepositus eum in capitulo de marca camerario reddenda alloqueretur, in medium processit et super dampnis, que prepositus ecclesie sue plurima intulisset, ad presenciam summi pontificis appellavit. Poterat prepositus improviso eius insultu in admiracionem duci vel eciam terreri, sed litigandi consuetudine, qua se ipsum et sibi subditos vexare consueverat, appellacionem quasi familiare aliquod alloquium attendebat. Experimento autem sciens, valde eum ex officio hospitalis ad agendum contra se adiuvari posse, ipsum officium ei interdixit, quod eciam in continenti fratri alteri commendavit. Sed tamen Tiderici diligencia preventus est. Duos enim equos de eadem domo sumptos ante horam capituli ad locum tutum suis servandos usibus destinavit. Paucis evolutis diebus, Tidericus de suo acturus negocio egressus est. Prepositus quoque Merseburch, ut a fratre suo preposito consilium caperet, profectus, inde rediens, iuxta datum consilium fratribus in capitulo collectis, scire se velle dicebat, qui essent ipsorum Tiderico faventes, quoniam ille hunc rumorem,

---

[a] nullum *deest* 3. [b] hordeaceo 3. [c] avenacio 2; avenatico 1. [d] lacticineorum 1. [e] *post verbum* pane *in cod.* 3 *legitur* et. [f] cerevisia 2. [g] eum 2. [h] Ottoni *in cod.* 1 *correctum est ex* Ottone; Othoni 3. [i] et 2. [k] Michahelis 2. [l] *sic correxi ex* accusacionibus 1. 3; accancionibus 2. [m] rancorem 1. [n] exorta 3. [o] discernens 1. [p] oppinio 2. [q] qui 3. [r] sex 3.

[34] de Krosigk, filio Guncelini II. [35] Conradi de Krosigk episcopi Halberstadensis, monachi in Sichem.

1219. quod maiorem capituli partem sibi faventem haberet, in locis pluribus divulgasset, precepitque singulis sub debito obediencie, ut, si appellacioni eius consentirent aut non, inquirenti sibi *ita* vel *non* simpliciter responderent[a]. Cumque plures requisiti, se consentire negarent, quidam contra suam conscienciam absolute negare nolentes, videri sibi illum super causa necessaria appellasse et, si quid communiter utile promovere posset, in hoc se ei et non in alio consentire responderunt. Preposito autem gladio precepti eis iminente[b], ut absolute negarent vel affirmarent, ad aliud responsum induci nullatenus potuerunt. Unde eos tamquam illum, qui appellaverat, pro adversariis habere cepit, quos tamen in hac causa sibi adversantes nullo modo expertus fuisset, nisi districta inquisicione suam eos conscienciam prodere coegisset. Erant isti non[c] solum ex contradictoribus sed eciam ex primis eleccionis eius fautoribus adunati. Pluribus enim suorum iam dudum valde displicere ceperat propter omnimodum[d] tam exteriorum quam interiorum defectum ex eius culpa ecclesie impendentem. Quod tamen[e] plerique eorum callide occultabant, tum ne privatis forte commodis privarentur, tum[f] pro experiencia[g] impetus eius, quo inconsiderate contra suos adversarios ferebatur; nonnulli vero, quod deterius erat[h], post tergum eum lacerantes, si forte, quod in cottidiano usu erat, litem cum aliis eum movere contingeret, contra ipsos ei obliti verecundie assistebant; non quidem gratis sed ad placitum[i] vivendi sibi tali obsequio licenciam procurantes. Interea Tidericus, incertum utrum[k] audacis incepti penitens an amicorum suorum inductus consilio, ad Tidericum marchionem accedens, ei de preposito et dampnis ecclesie sue conquestus est, simul eciam[l], quod ipse super his appellaverat, indicavit. Marchio super appellacione indignatus, ne eam prosequeretur interdixit. Ad eius vero instanciam Conradum episcopum de Sichem, patruum eius, et Ekkehardum episcopum Mersenburgensem suis rogavit litteris, ut ad ecclesiam Sereni Montis personaliter accedentes, de causa illa, prout eis videretur[m] utile, ordinarent, mandans eciam[n] preposito, Iul. 31. ut per eos terminari negocium consentiret. Episcopi diem 2. Kal. Augusti, qua peticioni principis satisfacerent, statuerunt. Tidericus quoque die illa proxime precedente[o] hora iam tardiore venit, ut in crastinum episcoporum se presencie exhiberet. Prepositus vero, adventu eius cognito, equos quos ille de hospitali sumptos in suis habebat usibus aufferre volens, cum fratribus sibi familiaribus non sine impetu excurrit. Videns autem eos per inermes clericos tolli non posse, quoniam fratres Tiderici Conradus et Iohannes et servientes ipsorum, qui cum eo advenerant, evaginatis gladiis hoc prohibere parati erant, ipse per se vocem, qua vulgari verbo ad arma evocari populus solet, cum clamore[p] sepius edere cepit. Ad quam tota familia cum armis concurrit, nec non et institores, qui iuxta consuetudinem ad celebracionem dedicacionis iam plures fuerant congregati. Quidam eciam iuniores de numero fratrum Tiderico favencium tumultu evocati, procurrentes e claustro, defensoribus[q] equorum iuncti sunt. Porro collaterales prepositi, alii lapidibus, alii armis quibusdam raptis, magnis perstrepentes vocibus, ad tollendos equos eos[r] qui erant de familia hortabantur. Tam vero illi quam hospites, qui convenerant, fratres contra se altrinsecus divisos videntes, simul eciam Tiderici fratres attendentes, a quibus occasione huiusmodi fortassis in posterum gravari potuissent, violenter aliquid agere verebantur. Sicque illis quiescentibus et equos abduci sinentibus, omnis ille conatus prepositi ad nichilum deductus est. Fratres vero qui cum Tiderico aderant, multis tam a preposito quam a suis verborum contumeliis affecti[s], cum tumultu finito ad claustrum regredi voluissent, preclusam sibi ianuam invenerunt, ad hoc eorum emulis nitentibus, ut, si noctis tempore foris eos manere contingeret, et ipsi quietem perderent et maior contra eos preposito daretur occasio malignandi. Difficultate itaque facta, unus ipsorum murum brevem iuxta infirmatorium fratrum transgressus per ecclesie ianuam ceteros intromisit.

Eo tempore Albertus archiepiscopus et Ekkehardus Mersenburgensis episcopus ad ecclesiam Novi Operis accesserant[t] pro cuiusdam causa turbacionis, quam hic inserere non pigebit. Femina quedam infamie non obscure[u] ad predictam ecclesiam conversionis, quantum ab habitum, intencione veniens, primo ut ad tempus aliquod[v] more hospitis colligeretur et cum sororibus ecclesie, quarum una mater ipsius erat, mansionem acciperet, dato

---

a) responderunt 1. 2. b) imminente 3. c) nec 2. d) omnimodam 1. 2. e) causam 2. f) cum 2. g) per experienciam 1. h) est 1. i) placidum 1. k) *sic correxi ex* verum *codd.* l) et 2. m) videtur 2. n) et 2. o) procedente 2. 3. p) clamare 2. q) *sic correxi ex* defensionibus *codd.* r) eos *deest* 3. s) affici 2. t) accesserunt 3. u) infamiae nomine...... obscurae 3. v) aliquid 2.

officialibus expensarum precio, impetravit. Erat tunc ibi quedam prepositi neptis Popponis 1219. de ecclesia que Stuterlingeburch[a][36] dicitur, cui illa obsequiosa cepit existere, ut[b] per eam rei quam intendebat aditum prepararet. Evenit itaque[c] aliquando de conversione eius sermonem moveri[d], preposito ad consensum eius et quibusdam fratribus inclinatis; quibus[e] eciam, ut fertur, per quosdam archiepiscopi notarios[f] negocium promoventibus, eius precepto ad magnum ecclesie illius malum a preposito recepta est. Verum cum recepcioni eius nonnulli fratrum vehementer obsisterent[g], illa neptis prepositi graviter ferens, quod post eius consensum aliqui reclamare presumerent, procaciter eis obloqui et verborum cepit iniurias irrogare[h]. Unde illi permoti, legacioni scripte sigillum ecclesie, incertum ut illud habuerint, imprimentes eamque conventui illius femine destinantes, de ea conquesti sunt, et ut ad suam revocaretur ecclesiam postulantes. Quam litteram illa a suo conventu cum sigillo sibi transmissam preposito cum gravi querimonia et indignacionis lacrimis demonstravit. Prepositus magne iracundie stimulis incitatus[i], archiepiscopo de fratribus illis conquestus est. Quos ille, inquisicione facta, confessos de consilio episcopi Mersenburgensis, cuius[k] favorem prepositus sibi conciliaverat, qui eos falsarios asserebat, tanta districcione punivit, ut preter alias quas sustinere compulsi sunt penas toto corpore usque ad femoralia nudi scopas ferentes diebus dominicis cruces precedere cogerentur et per diversas sigillatim ad agendam penitenciam distributi ecclesias numquam de cetero ad suam ecclesiam, nisi revocante preposito, preceptum acciperent redeundi. Nunc ad propria recurrendum est.

Prepositus sequenti die tumultus predicti, qui fuit vigilia dedicacionis ecclesie, mane Iul. 31. Hallis profectus, archiepiscopo et Mersenburgensi episcopo se prosternens, cum gravi querimonia omnem Tiderici causam cepit evolvere eumque multipliciter infamare. Et cum ad locum tumultus hesterni venisset, dicebat fautores Tiderici muros claustri transcendisse[l] et super se armatos cultris et securibus excurrisse, pro qua re, si ipsi hoc dignum iudicarent, celebracionem divinorum in presencia ipsorum se velle suspendere memorabat. Episcopi, si res ita se haberet, digne[m] eum hoc agere responderunt. Inter hec vero Tidericus advenit, episcopum Mersenburgensem, ut ad causam tractandam iuxta condictum accederet, rogaturus[n]. In quem ille propter ea que a preposito audierat vehementer invectus, dicebat se ad causam, ubi cultris et securibus ageretur, nullatenus accessurum. Conradus interim episcopus de Sichem, Tiderico de Hallis reverso, adveniens, cum Mersburgensem venturum non esse didicisset, dolens quod conturbacionem[o] ecclesie post se relinqueret, discessit. Prepositus autem a consultacione episcoporum rediens, cum iam vespertinum celebrandum esset officium, fratres convocat, a celebracione divinorum eos cessare precipiens, nisi se illi, a quibus tantam passus fuisset contumeliam, absentarent; volens intelligi eos in canonem incidisse. Quibus in hoc nulla racione acquiescentibus, tante solempnitatis consideracione et multorum peticione, inter quos Willehelmus[p] Cillenensis prepositus coram ipso prosterni volebat, induci non potuit, ut sentenciam revocaret. Sicque vespertinum et matutinale officium nocte illa obmissum est. Die tamen sequenti misse celebracionem fieri concessit, cui solus ipse absens fuit. Archiepiscopus vero ipso die adveniens, vespertinum officium cum fratribus presente preposito celebravit, quo peracto et[q] convocatis eis, dicebat quod, si voluntas eorum esset, ad reformandam inter ipsos concordiam se vellet interponere; addens quod, licet ecclesia illa iuri suo pertinens non esset, tamen, cum[r] in annis prioribus ex optimo eius statu diocesis sua admodum honestata fuerit, et sui ipsius et multorum iudicio nimis esset vituperabile, si ruine eius iam iamque imminenti non aliquo consilio subveniret. Preposito vero ad consensum veniente, ut per ipsum causa tractaretur, Tidericus et fratres partis eius per hoc solum a consensu se retardari responderunt, quod causa ad marchionis, advocati sui, noticiam ex eorum querimonia venisset et ignorarent, utrum per alium quam per se eam tractari pateretur. Nam si hoc ei contrarium non esset, libenter se acquiescere consilio pontificis affirmabant. Ille responsum

---

b) Scuterlingeberg 1. b) *sic correxi ex* et *codd.* c) itaque *deest* 3. d) movere 3. e) quibusdam 3. f) natarios 1. g) resisterent 3. h) eragare 3. i) mestatus 3. k) cuius *in cod* 2 *male bis scriptum est.* l) conscendisse 3. m) dignum 1. n) rogaturos 2. o) turbacionem 2. 3. p) Vuilhelmus 2. 3. q) et *deest* 1. 3. r) cum *deest* 3.

36) Stötterlingenburg in praefectura Magdeburgensi inter Osterwik et Hornburg situm.

1219. eorum approbans, causam quandam marchionis et Sifridi abbatis Pigaviensis in assumpcione Aug. 15. Dei genitricis Pigavie tractandam memorabat, ubi ipse adesse deberet, iussitque ut, permittente preposito, aliqui ipsorum die predicta de hac re marchionem consulturi ad locum illum accederent. Sicque demum ut medio tempore prepositus in quiete et tranquillitate eos agere sineret ordinans, non parum commodi[a] eis prestitisse visus est. Porro isti contencionis sue causam considerantes, hanc videlicet, quod prepositum dampna ecclesie sue multiplicia non sine fratrum iniuria irrogasse asserebant, ut ea promcius demonstrare possent, singula scripto distinguere[b] curaverunt. Erant autem hec, quod inconsultis fratribus mansos ecclesie vendidisset, nemora succidisset, vinum pro pecunia infeodasset et de hoc[c] privilegia occulte cum sigillo ecclesie prebuisset. Ad hec, diligenti computacione facta, ostendere parati erant, quod in vino, quod annis singulis natum erat, et aliorum vendicione bonorum et pecunia, quam a diversis mutuo acceperat, preter annuos ecclesie redditus tria milia et 650 marcas in octo annorum spacio percepisset, exceptis aliis que eorum noticie non patebant, et tamen fratres in rebus necessariis inopiam sustinerent, adeo ut tam sacerdotes quam alios altaris ministros crebro sine cammisiis[d] et femoralibus[e] contingeret ministrare, defectum similem in aliis indumentis sepissime tollerantes. Die vero predicta quidam ipsorum Pigaviam accedentes, preposito eciam illuc[f] adveniente, in presenciam marchionis venerunt. Qui cum verbo illi de archiepiscopo noluisset consentire, ne forte occasione tali aliquid in ecclesia illa iuris sibi in posterum adrogaret, illi querimonias suas ei ad plenum verbo significandi copiam non habentes, pro eo[g] quod propriis impediretur[h] negociis, scripturam querimonias ipsas continentem ei porrexerunt, petentes ut ociose[i] sibi eam faceret[k] recitari[l]. Marchio diebus aliquot[m] eos detinens, cum cause discuciende se vacare non posse conspiceret, redire eos precepit, promittens quod auditores eis Popponem Hallensem, Marquardum Sancti Mauricii Nuenburgensem, Willehelmum[n] Cillenensem et Wernherum de Lipzke prepositos destinaret et secundum ea, que ab illis audiret, inter eos procul dubio iudicaret. Illi autem, quamvis per predictos se pocius impediendos quam promovendos certissime previderent[o], quod eciam marchioni exprimere non neglexerunt, tamen ordinacioni eius obstinacius resistere non audentes, reversi sunt. Cumque negocium totum ad presenciam illorum, qui mittendi erant, crederent differendum, prepositus repente eos, qui partis Tiderici in vespertino illo tumultu de claustro exierant[p], cepit impetere, eos ad sui lesionem asserens excurrisse, novoque corrigendi modo, priusquam reatum faterentur vel convincerentur[q] vel satisfaccionem promitterent[r], continuato sermone penam, quam eos ferre vellet, exposuit; intendens, sicut quidam iudicabant, ut eos auditu pene territos contra penitenciam[s] induraret et consequenter contra eos tamquam contumaces posset senteciam iaculari[t]. Illis autem de exitu quidem intempestivo satisfaccionem promittentibus, de intencione vero eum ledendi omni modo, quo fratres ipsorum iudicarent, se expurgare volentibus, ipse purgacionem eorum se non admittere cum indignacione respondit et, utrum penam quam innotuisset[u] ferre vellent, minaciter inquisivit. Rennuentibus eis, statim intencionem suam facto declarans, manu ad tergum porrecta, stolam ibi occultatam protulit[v] et, priusquam appellacionis clipeo se munirent, excommunicacionis eos gladio percussit tam in divinorum celebracione quam rebus aliis, a ceteris fratribus districte eos precipiens evitari. Accidit autem fratribus a divinorum celebracione cessantibus, cum videlicet illi se absentare voluissent, comitem quendam de Velsekke, Ernestum nomine, ad locum venire. Hic a quibusdam prepositi familiaribus inductus, ad sopiendam illam discordiam se cepit interponere et tam prepositi quam fratrum illorum animos suasionibus attemptans, tantum profecit, ut prepositus promitteret se eos absolvere, si tantum uno die iniunctam servare penitenciam voluissent. Sicque, illis in hoc acquiescentibus, motus ille sedatus est.

Deinde Tidericum absentem quidem et quasi in profeccionis[w] sue promocione extra[x] occupatum prepositus excommunicavit pro eo, quod equos hospitalis abstulisset et vinum et quasdam res alias ad cibum pertinentes de domo illa vendidisset quodque marcam illam, quam camerario dare tenebatur, fratrum suorum usibus subtraxisset, et ne quis ei redeunti

---

a) commodum 1. b) distiguere 1. c) haec 3. d) camisiis 1. e) femoraliis 2. f) illhuc 3. g) pro eo *deest* 1. h) impedirentur 3. i) occasione 3. k) facerent 2. l) recitare 1. m) aliquod 2. n) Wilhelmum 2. 3. o) providerent 3. p) exigerant 2. q) convincentur 1. r) promitteret 3. s) presenciam 3. t) iaculari *in cod.* 1 *correctum est ex* ioculari. u) innocuisset 2. v) pertulit 2. w) imperfectionis 1. x) extra *deest* 3.

fortassis communicaret, districte omnibus interdixit. Hec circa festum nativitatis Dei genitricis gesta sunt. 1219. Sept. 8. Instante vero appellacionis eius termino, qui fuit in festo sancti Michaelis, Sept. 29. fratres illi, qui causam cum eo sibi communem fecerant, iudicantes eum tedio negocii profeccionem suspendere, hoc secum diffinierunt[a], ut, si infra terminum prescriptum proficisci negligeret, ipsi eum tamquam excommunicatum cum ceteris evitarent. Quod ille intelligens graviter tulit, cito tamen consilium, quo, sicut dici solet, spinam de pede suo evulsam illis infigeret, invenit mandans eis et suo et amicorum suorum[b] iudicio, bonum non esse, ut solus illud iter arriperet[c], velle se ut socium de numero suo ei darent, quia et ex duorum ingenio plus eliceretur consilii et, si ipse egritudine vel alio casu detentus fuisset, ille in promocione cause succederet, preterea testis ei esset, quo studio ipse in illo negocio desudaret. Laudandum consilium, intencio tamen eius secundum illorum opinionem fuit, ut, qui tanto labori se subiceret, inter eos non invento, quod quasi certum habebat, ipse, culpa in eos refusa, se modo aliquo a cause illius vinculo expediret. Verum illi secum collocuti omnem cause circumstanciam considerantes, quantum videlicet dampni ecclesie sue intus et extra ex[d] culpa prepositi provenisset quantisque ipsos ei resistentes laboribus subici contigisset hocque solum perfeccioni sui operis deesse, quod querimoniam suam necdum in noticiam[e] sedis apostolice detulissent, que res per nullum melius, quam per ipsum utpote res habentem impleri posset, labori eius sine magna difficultate socium invenerunt. Zelum enim Dei habebant[f], licet non secundum scienciam. Quid sit enim *non secundum scienciam*, consequentibus apostoli verbis exponitur: *quia* scilicet *ignorantes Dei iusticiam* Rom. 10, 3. *et suam volentes constituere, iusticie Dei non erant subiecti.* Iusticia enim Dei, id[g] est Deus iustus, peccatis exigentibus, talem eis rectorem dederat, secundum quod dicit: *Dabo tibi reges* Hos. 13, 11. *in furore meo*, cuius iusticie isti voluntate subiecti non erant, quia[h] eiusdem rectoris sui deposicioni modis omnibus intendebant, sua iusticia hoc[i] se facere iuste pro eo, quod esset inutilis, iudicantes magisque eligentes Dei ordinacioni resistere quam se ipsos accusare; cum utique reccius eis fuisset de peccatis suis, quibus inutili subici meruerant, penitenciam agere eumque tamquam a Deo datum equanimiter tollerando ab ipso datore remedium expectare. Ut enim dicit beatus Gregorius libro moralium 25[37]: *Dum salva fide res agitur*, id est, quamdiu accio prelati fidei contraria non est, *virtutis*[k] *est meritum, si quicquid prioris est tolleratur.* Et ut subditis fortassis zelum Dei habentibus eiusdem zeli moderamen erga prelatos tenendum ostenderet, continuo subiecit: *Debet tamen humiliter suggeri, si fortasse valeat quod sibi displicet emendari. Sed curandum summopere est, ne in superbiam transeat*[l] *iusticie inordinata defensio, ne, dum rectitudo incaute diligitur, ipsa magistra rectitudinis humilitas amittatur.* Iuxta hanc lineam se dirigant[m], qui prelatis suis inordinate aliquid agentibus resistere consueverunt, ne, si ab eius rectitudine distorti inventi fuerint, inde penam sibi acquirant unde premium expectabant. Igitur Tidericus, dato sibi comite et per eum excusandi occasione sublata, vix tandem egre expeditus die martirum Sergii et Bachi[n] Oct. 7. profectus est. Eo tempore papa, Romanis ab eo discordantibus, Viterbii morabatur. Prepositus vero cum Tidericum prius, ut dictum est, excommunicasset, eciam socium ipsius, cum iam profectus esset, licet ante appellasset, eidem sentencie innodavit. Post horum duorum recessum prelati illi a marchione missi advenientes, cum eis qui residui erant fratribus de causa prepositi et ipsorum tractare ceperunt. Auditis autem eorum querimoniis et responsione prepositi, commune sibi cum preposito huiusmodi negocium reputantes, ut in illo se ipsos tuerentur, querimonias quidem, quibus tota conclamabat provincia, nichil habere ponderis, esse vero difficile et prorsus intollerabile tam preposito quam omnibus prelatis, ut nichil preter subditorum suorum beneplacitum agerent aut de singulis que egissent racionem ipsis redderent, iudices equissimi responderunt. Nec tamen causam in lite relinquere utile videbatur, ne ipse frivole et sine pondere querimonie iterato ad marchionis noticiam deferrentur[o], cuius nimirum de his sue dissimilem fore sentenciam verebantur. Ideoque fratribus illis suadebant ut, litigandi intencione deposita, appellacionis consensioni[p] renunciarent et, ipsis mediantibus, se concordari cum preposito paterentur. His vero ad

---

a) definierunt 3. b) suorum *deest* 2. c) acciperet 2. d) ex *deest* 3. e) innocenciam 1. f) habebat 2. g) *verbum* id *in cod.* 3 *superscriptum est.* h) quod 3. i) hic 2. k) virtus 3. l) transeant 2. m) dirigatur 2. n) Bacchi 3. o) deferrent 1. p) consensui 1.

37) c. 36, p. 808 ed. Parisinae.

1219. composicionem quidem faciendam[a] eorum voluntati acquiescentibus, ut saltem usque ad eorum qui profecti erant reditum a vexacione prepositi respirarent, sed verbo renunciandi omnino contradicentibus, illi ipsum verbum, ne impedimentum eorum intencioni faceret, dissimulantes eisque, ut nudis pedibus scopas ferentes coram preposito veniam peterent, iniungentes et e diverso, ut prepositus hac satisfaccione contentus eis reconciliaretur, decernentes, illam visi sunt discordiam terminasse. Oct. 22. Et hec quidem 11. Kal. Novembris gesta sunt. 1220. Febr. Porro Tidericus et eius socius circa principium Februarii de partibus Transalpinis cum mandato summi pontificis redierunt, quo de Walkinride[b] et de Riddagishusin et de Lapide sancti Michaelis abbatibus iniungebatur, ut de veritate eorum que preposito ab his obicerentur inquirerent et causam ipsam regulariter terminarent, revocantes in irritum quicquid post appellacionem contra predictos vel eorum fautores a[c] preposito invenissent temere attemptatum. Abbates, iuxta quod in mandatis acceperant, missis preposito litteris preceperunt Apr. 23. ut, fratribus suis convocatis, die beati Georgii[d] ipsorum in ecclesia Sereni Montis prestolaretur adventum, ubi de iniuncto sibi essent negocio tractaturi.

1219. Gernotus Nienburgensis abbas cum Heinrico comite Ascharie, filio Bernhardi[e] ducis, pro advocacia ecclesie sue longi temporis habens discordiam, ab hominibus eiusdem comitis oculis erutis cecatus est; cui eciam cum idem linguam[f] conarentur abscidere, recurvato eam sagitte ferro eique infixo trahentes, illo violenter retrahente, cissam[g] per medium reliquerunt[38]. Unde cum postmodum[h] prorsus impeditum haberet loquendi officium, adhibito medico partem lingue cissam truncari[i] eamque ad modum naturalem[k] informari fecit, quod etsi non usquequaque, non parum tamen ei cognoscitur profuisse[l]. Ante hoc[m] autem tempore nuper elapso unus de fratribus ecclesie Nienburgensis[n] obierat, quem abbas pro eo quod inter res ipsius, quas moriens dimisit, 19 nummos invenerat, extra cimiterium sepulture tradi[o] iussit, ipsos denarios super eum iactari a dicentibus[p]: *Pecunia tua tecum sit in perdicione;* mandans insuper ne quis pro eo oracionem privatam vel publicam celebraret. Nocte vero, que diem mutilacionis abbatis antecedebat, frater idem mortuus alteri cuidam fratri in sompnis visus est in claustro deambulare, vas aliquod ferens prunis ardentibus plenum. Cui cum casu abbas, ut videbatur, occurrisset, prunas ipsas in faciem eius iactavit et disparuit. Die altera visione iam per plurimos divulgata, fratres inter se iocose quidem interpretacionem eius hanc asserebant, quod videlicet frater[q] ille exacturus esset de abbate de illata[r] sibi contumelia ulcionem. Cum vero de casu abbatis nuncium accepissent, non sine admiracione visionis illius recordati sunt. Hec idcirco commemorare[s] libuit, ut intelligatur, non semper prelatorum sentenciam Dei iudicio adprobari, sed ipsos sepius pro eo, quod[t] potestate sibi a Deo commissa non ad corrigendos sed ad gravandos, ut non dicam dampnandos subditos abutuntur[u], homines videlicet, non peccata persequentes, ulcionis divine sentenciam promereri. Rusticum eciam quendam ecclesie iussu abbatis captivatum iudex ville Nienburgensis in vinculis diu detinuit, causa tali contra ipsum composita, que mortis esset sentencia punienda, hoc[v] abbate intendente, ut timore sentencie rebus suis se redimere festinaret. Cum vero ille innocencie sue conscius ad dandum pro se aliquid induci non posset et diu maceratus ad magnum corporis venisset defectum, iudex de ipso abbati suggessit petens, ut eum a vinculis relaxaret. Illo nolente[w] sed pocius, ut iuxta causam contra ipsum compositam de eo iudicaret, precipiente, invito et plurimum dolente iudice, rota confractus est. In eodem autem campo, quo ille accepit sentenciam, abbatem postmodum contigit excecari, credo, ut ex hoc intelligeret, se ad tanti reatus penitenciam commoneri.

Bernhardus comes de Lippa, vir seculi actibus deditus, post multa bella, inter que rapinis et incendiis multis iniuriosus extiterat, Deo inspirante, animo habituque mutato, in

---

a) quidam faciendum 2. b) Walkenride 2. c) a *in cod.* 1 *a manu eadem lineae superscriptum est.* d) Gregorii 3. e) Bernardi 3. f) liguam 2. 3. g) scissam 2. h) post 2. i) trunccari 2. k) natalem 2. l) prefuisse 1. m) hac 1; Hoc autem tempore ante nuper elapso 3. n) Nienbergensis 3. o) communi 2. p) adiicientibus 3. q) frater *deest* 2. r) *sic correxi ex* illicita *codd.* s) memorare 3. t) *verba* pro eo, quod *desunt* 3. u) abutantur 3. v) hac 1. w) volente 2.

[38] Cf. Magdeb. Schöppenchronik p. 148 et Seriem abb. Nienb. l. c.: *Gernodus abbas* 16. *Hic ab Henrico comite Ascaniae excaecatur et lingua mutilatur anno* 1220. *Idem postea ivit ad curiam Romanam et ibidem moritur et ad S. Anastasiam honorifice sepelitur.* De re ipsa cf. Honorii III. epistolam a. 1220. Sept. 3, Walkenrieder Urkundenbuch I, p. 91.

quadam ecclesia novella, que primitus Hosewinkele[39] dicebatur, primum Cisterciensis ordinis monachus, deinde[a] eiusdem loci abbas factus ac demum[b] cuidam provincie Livoniensi episcopus electus et a filio suo episcopo de Utrecht[40] consecratus est, cum quo eciam[c] sequenti anno alium filium suum[41] Bremensem archiepiscopum consecravit. Damiata civitas a christianis capitur[d].

Apr. 23. Anno 1220. abbates de Walkinride et de Lapide sancti Michaelis die beati Georgii[e] Serenum Montem venerunt, tercio, videlicet de Riddagishusin, quod interesse non posset, sed quicquid isti racionabiliter agerent, hoc ratum haberet, nuncio et litteris affirmante. Que vero in horum presencia gesta sunt, ex scripto ipsorum, quod subiectum est, melius declaratur[f]: 1220. Apr. 25. *Fridericus[f*] Dei gracia de[g] Walkinride, Conradus[f*] de Riddagishusin[h] et Tidericus[f*] de Lapide sancti Michaelis abbates universis, ad quos presens sriptum pevenerit, notum esse volumus, quod, cum a summo pontifice acceperimus in mandatis, ut ad reformandum statum ecclesie Sereni Montis super quibusdam articulis de preposito eiusdem monasterii[i] a suis subditis ipsius auribus intimatis[k] inquireremus[l] diligencius veritatem, ad locum ipsum accedentes, partes, ut ad bonum pacis redirent, multipliciter hortabamur, que tandem se post alligaciones[m] multimodas[n] Popponis[f*] Novi Operis in Hallis et Wernheri[f*] in Lipzke prepositorum, Heinrici[f*] monachi in Walkinride et Alberti[f*] Montis Sereni canonici[o] regularis[p] arbitrio submiserunt tam in nostras[q] quam ipsorum arbitrorum manus fideliter promittentes, ut[r] quod omnes vel eorum tres partibus preciperent[s] observandum, ipsi modis omnibus adimplerent; nobis nichilominus hac auctoritate concessa, ut per censuram ecclesiasticam compesceremus, si qua parcium eorum[t] statutis presumeret obviare. Nos igitur, ut in negocio liberius possent procedere arbitri memorati, excommunicacionis vinculo innodavimus partem, que eorum arbitrio ausu temerario[u] contrairet[v]. Forma igitur arbitrii hec est[w]: Domnus Tidericus et domnus Conradus[f*], quos domnus Tidericus[x] prepositus Sereni Montis se dicit excommunicasse, ad habundantem cautelam in continenti debent absolvi sine pena. Reliquum arbitrii, domnis delegatis et eorum fratribus et huius ecclesie conventu presentibus, promulgabitur in capitulo. Domnus Tidericus[f*] et domnus Conradus[f*] tam pro se quam pro sibi faventibus coram preposito venient petentes, et domnus prepositus prostratos levabit et in osculo pacis pro omnibus recipiet. Domnus prepositus per[y] se sigillum habebit, conventus per se sigillum habebit[z]; sub sigillo ecclesie prepositus nichil scribet sine consensu conventus et e converso. Domnus prepositus summam pecunie, quam domnus marchio huic ecclesie debet, sub testimonio fratrum debet repetere cum instancia, et bona ecclesie, vinum scilicet et mansos seu curtes, ad consilium conventus bona fide, que recuperare potest, recuperet. In posterum vero possessiones ecclesie aut vinum sine consensu capituli inbeneficiare non presumat. De personis in collegium fraternitatis recipiendis, tam in viris quam in feminis, nullum[a] recipere presumat domnus prepositus sine consensu capituli, maxime sacerdotum. Domnus prepositus de rebus ecclesie violenter ablatis in quoslibet laicos iudiciarie canonicam debet expetere[b] ulcionem. Domnus Tidericus de Crozuk comparavit quasdam imagines ad ornatum altaris, quas si habet, bona fide restituat. Omnis rancor inter fratres cessare debet, et hinc inde obiecta omnino[c] sint sopita, et si quis ea renovare vel tractare presumpserit, pene[d] arbitrii subiacebit, si fuerit convictus. Dictum est, quod domnus prepositus negligens fuerit circa disciplinam claustralem; ad hoc dicit arbitrium, quod nemo claustrum egrediatur sine licencia prepositi vel prioris ad cavendam infamiam. Si quis egrediatur, pro inobediente iudicatur. Clausuris et proprietatibus careant[e]. Ianua claustri cum ianua scolarum firmiter claudatur de nocte; clavis eciam[f] mittatur priori. Actum in Monte Sereno anno dominice incarnacionis* 1220. 7. *Kal. Maii.* Hunc finem habuit contencio, que[g] occasione Tiderici excitata Sereni Montis

[a] demum 1. [b] deinde 1. [c] et 2. [d] *verba inde ab* Damiata *usque ad* capitur *desunt* 1. [e] Gregorii 3. [f] declaretur 1. [f*] *in codd. litterae tantum initiales scriptae sunt.* [g] de *deest* 3. [h] Riddishusin 2. [i] ecclesie 1. [k] intimatum 3. [l] inquiremus 1. [m] allegationes 3. [n] mutimodas 2. [o] canonicum 1. 2. [p] regularem 1. [q] nrans 2. [r] vel 1. [s] perciperent 1. 2. [t] earum 3. [u] temarario 1. [v] *in cod.* 2 contrairet *ex* contraret *emendatum.* [w] est *deest* 1. 2. [x] *verba* et dominus C. quos dominus Tidericus *desunt* 1. [y] pro 1. [z] *verba* conventus per se sigillum habebit *desunt* 2. [a] nullam 3. [b] exercere 3. [c] amnino 2; ammodo 3. [d] pena 2 [e] careant *deest* 2. [f] eciam *deest* 2. 3. [g] que *deest* 1.

[39] Harsewinkel inter Marienfeldense coenobium et Warendorf situm. [40] Ottone II. [41] Gerhardum II, a. 1219. mense Septembri. V. de Bernhardo episcopo Selonensi Winkelmann in Mittheilungen aus der Livländ. Gesch. XI, 2, 3.

ecclesiam decem mensibus inquietavit. Et[a] hoc quidem arbitrium ad reformandum in melius eiusdem ecclesie statum sufficiens fuit, efficiens vero prorsus ad aliud non invenitur, nisi ut eis, pro quibus factum est, salutis ex eo periculum procuretur, quod tamen de eius observacione non provenire certum est.

Aug. 16. Ecclesia maior Halverstadensis consecratur sequenti die assumpcionis Dei genitricis a Friderico Halverstadensi, Sifrido Hildenesheimensi, Conrado Mindensi, Havelbergensi et Christiano Prucie episcopis, anno postquam a duce Heinrico exusta est [41]. Caput sancti Mauricii ab Alberto archiepiscopo adlatum[b] est Magdeburc[42]. Castrum Tuch[43] ab eodem archiepiscopo contra Tidericum[c] marchionem edificatum est. Fridericus rex Nov. 22. ab Honorio papa III. in imperatorem consecratur Rome[d] die beate Cecilie cum summa pace. Tidericus Misnensis et Orientalis marchio, filius Ottonis, filii Conradi marchionis 1221. Febr. 17. senioris, obiit 13. Kal. Marcii sepultusque est in Cella iuxta patrem suum[44]. Albertus archiepiscopus rogatus a Tiderico preposito in quatuor temporibus quadragesime primitus[e] in ecclesia Sereni Montis clericorum ordines celebravit.

Anno 1221. Poppo Hallensis ecclesie prepositus a prelatis capituli Goslariensis in patrem electus, Tidericum[f] Sereni Montis prepositum excommunicavit pro huiusmodi causa. Tidericus marchio Orientalis, filius Conradi marchionis senioris, hortatu Ekkehardi prepositi Sereni Montis ad servicium patrum iam dicti capituli in die exaltacionis[g] sancte crucis reditus duorum talentorum dedit in villa Storcviz[45] sub hac forma, ut per manus prepositi Sereni Montis, qui pro tempore fuisset, idem reditus eis annis singulis ministraretur[h]; et si celebracionem illius capituli quocumque modo deleri contingeret, ecclesia Sereni Montis ipsa bona libere possideret, et hoc factum privilegio confirmavit. Preter hec autem quidam fidelium pro bone voluntatis arbitrio tantum de rebus suis ad idem opus annis singulis, quamdiu vixerunt, dare consueverant, ut summa quinque marcarum colligeretur, de quibus eis, qui ad capitulum die predicta convenissent, prepositus serviebat. Annis vero pluribus evolutis et eisdem datoribus mortuis, soli marchionis reditus remanserunt, de quibus cum Tidericus prepositus aliquod[i] annis iuxta priorum suorum consuetudinem servire negligeret propter bonorum illorum, ut ipse asserebat, a bellantibus devastacionem, prelati illi coram patre capituli preposito Hallensi de eo sepius conquesti sunt, iniuriam tamen ei in parte aliqua irrogantes, quoniam ab eo supra duo talenta eciam hoc, quod ab aliis fidelibus addi consueverat quodque eis defunctis dari cessaverat, exigebant. Poppo vero prepositus, cum eum priori anno ab officio suspendisset, quod tamen numquam ei, sicut oportuit, significavit, sequenti anno, ad conquerencium instanciam hoc adiecto, quod biennio a capitulo se subtraxisset, excommunicacionis contra eum sentenciam promulgavit, cuius rei potestatem cum habere prelati illi asserebant ex quibusdam verbis, que[k] in privilegio Eugenii pape, quod de confirmacione capituli Goslariensis dedit, continentur, hoc[l] probantes. Que ita se habent: *Fratres quoque, qui de vestris*[m] *claustris assumpti in aliis ecclesiis sunt constituti prepositi aut in posterum statuentur, si forte in se ipsis aut in religione sive in ordine canonico deliquerint aut circa suos subditos negligentes extiterint, licitum sit prepositis huius conventus, eos pro excessibus suis corrigendis monere, et si post eorum monicionem reprehensibilia sua mutare nullatenus voluerint*[n], *severius corripere.* Hoc quod hic dicitur *severius corripere* illi ita interpretati sunt, id est *excommunicare*[o]. Que interpretacio etiamsi vera esset, tamen ex diligenti loci illius consideracione longe ad aliud cognoscitur pertinere. Diebus dehinc effluentibus, cum prepositus Hallensis denunciacionem differret, quidam de fratribus Sereni Montis familiaritatem eius habentes de composicione inter ipsum et Tidericum prepositum non iussi quidem tractare ceperunt. Ad quod eis ille consenciens, ad[p] Serenum Montem venit, illisque mediantibus, negocium tractari[q] cepit. Tidericus prepositus de consilio fratrum suorum composicionem libenter se admittere

---

a) ex 1. 2. b) ablatum 1—3. c) Thidericum 2. d) in *add.* 3. e) primus 3. f) Tydericus 2. g) exultacionis 2. h) ministrarentur 2. i) aliquot 3. k) qui 2. l) hec 1. m) nostris 1. n) voluerunt 2. o) excommunicatione 3. p) ad *deest* 3. q) tractare 1. *In cod.* 2 tractare *in* tractari *correctum est.*

42) Septemb. 28. Cf. Magdeburg. Schöppenchronik p. 143. 43) Tuchheim in praefectura Ierichow secunda Cf. Magdeb. Schöppenchr. p. 145. 44) In Necrologio Veterocellensi (ed. Leyser, Berichte der Deutschen Gesellschaft zu Leipzig 1841, p. 2) Tiderici mors in diem 18. mensis Februarii ponitur. 45) Storkewitz prope Delitsch.

respondit, si tamen ille et voce et scripto fateretur suam, quam contra ipsum tulisset, sentenciam nullam esse nec aliquid firmitatis habere potuisse. Prepositus vero Hallensis, qui hoc modo componere volebat, ut ille absolucionem ab eo petens acciperet[a], a se istud exigi audiens, graviter tulit[b] nec aliquatenus in hoc se consensurum[c] respondit et, Tiderico preposito ad sedem apostolicam appellante, eum excommunicatum fratribus denunciavit. Verum Ekkehardus Merseburgensis episcopus, comperto quod acciderat, utrumque ad se vocavit et, verbo illo, cuius occasione Poppo prepositus excommunicandi auctoritatem sibi arrogabat, cum viris litteratis diligenter discusso, ostendit eum inanem sentenciam protulisse, et ad hoc perduxit negocium, ut prepositus Hallensis et pater patrum capituli Goslariensis et viva voce et litteris fateretur; sicque eos ad priorem concordiam revocavit. Porro forma litterarum talis est: *Poppo*[d] *Dei gracia Novi Operis in Halle*[e] *prepositus et pater patrum capituli Goslariensis omnibus presentem paginam inspecturis graciam in presenti et gloriam in futuro. Noverint universi, quod nos sentenciam excommunicacionis, quam de consilio capituli Goslariensis in venerabilem fratrem nostrum Tidericum*[e*], *prepositum Montis Sereni, protulimus*[f], *nulla precedente absolucione, in presencia domini Ekkehardi*[e*] *Mersenburgensis episcopi dicimus non tenere; et ad maiorem rei certitudinem hanc nostram paginam sigillo domni episcopi petimus insigniri.*

Heinricus de Vrideberge, Halverstadensis ecclesie canonicus, clericatu reiecto, miles
factus, castrum quoddam in confinio civitatis Quidelingenburgensis[g] edificare aggressus
est[h], quod Heinricus comes de Reginstein[46] obsedit et cepit et 24 homines in eo deprehensos
decollavit[i]. Damiata civitas a paganis recuperatur. Bresnicz[k] castrum edificatur.
Fridericus comes de Brene, filius Friderici, filii Conradi marchionis senioris, in partibus
transmarinis infirmatus ad vitam Templariorum se transtulit defunctusque est die beati
Galli in civitate, que teutonice[l] Akirs dicitur. Reliquit autem duos filios Ottonem et Tide- Oct. 16.
ricum et duas filias[47]. Wernherus, primus prepositus de Lipzke, obiit 16. Kal. Marcii; 1222.
cui successit Willehelmus[m], qui a capitulo Sereni Montis in numerum fratrum susceptus est. Febr. 14.

Anno 1222. Poppo Novi Operis et Otto Sancti Mauricii Hallenses prepositi 17. Kal. Mai. 16.
Iunii a Sereno Monte[n] Pruziam[o] profecti sunt. Heinricus prepositus de Goslaria[48], cognomine Minnekke[p], a Conrado Hildenesheimensi episcopo de heresi Manicheorum convictus
depositus et in custodia diutina detentus est. De inundacione aquarum ex pluvia in villa
Isleve[q. 49] et in vicinis villis ducenti et quinquaginta et amplius homines perierunt 2. Kal.
Augusti et edificia plurima eversa sunt. Gozwinus[r] Misnensis sancte Afre[s] prepositus Iul. 31.
obiit; cui successit Albertus Sereni Montis canonicus. Civitas Misna incendio deleta est
in vigilia sancti Bartholomei. Oratorium sancte Marie Magdalene in aquilonari parte Aug. 23.
maioris ecclesie Sereni Montis ab Ekkehardo Mersenburgensi episcopo die beati Galli dedi- Oct. 16.
catum est. Colloquium inter Honorium papam et Fridericum imperatorem in epiphania
Domini[50] in[t] Verone indictum est, ad quod multi de universis provinciis tam ecclesiastici
quam seculares viri, inter quos eciam[u] Tidericus Sereni Montis et Willehelmus Cillenensis
prepositi, 14. Kal. Novembris profecti sunt. Sed cum colloquium in aliud tempus dilatum[v] Oct. 19.
fuisset, Tidericus prepositus Romam processit commissionesque plures de ecclesie sue negociis impetravit. Quoddam[w] eciam[x] suis viribus maius temptare ausus est, videlicet ut ei pontificalibus[y] uti papa permitteret, quod nulla racione potuit obtinere, licet magnis peticionem muneribus prevenisset. Obtinuit autem indulgenciam 20 dierum omnibus ad dedicacionem ecclesie sue, que est ad vincula sancti Petri, advenientibus[51]; preterea potestatem excommunicandi omnes qui ecclesie sue violenti existerent[z]. Sed hanc litteram per Heinricum de Rekkin Sereni Montis canonicum, quem prepositus expulerat, contigit

---

a) acceperit 2. b) accepit 1. 2. c) assensurum 1. d) Popo 3. e) Halla 3. e*) T. *et* E. 1—3. f) pertulimus 1. g) Queddellingenburg 2. h) cepit 1. i) decolavit 2. k) Bresniz 2. l) teutunice 2. m) Wilhelmus 2. 3. n) Monte *deest* 2. o) Prussiam 3. p) Minnegke 2. q) Illeve 2. r) Gosuinis 3. s) Affre 2. t) in *deest* 2. 3. u) et 2. v) dilatatum 3. w) quiddam 2. 3. x) et 2. y) pontificialibus 1. z) existeret 3.

46) Heinricus I. comes de Reinstein, filius Sigfridi II. comitis de Blankenburg. 47) In Genealogia Wettinensi appellatur una modo filia, Hedwigis nomine. 48) praepositus coenobii monialium Novi Operis. De eo cf. Sudendorf, Registrum II, 160 sqq. 49) Eisleben. 50) Hoc colloquium in festum S. Martini indictum erat; cf. Böhmer, Reg. Honorii III, p. 329, nr. 51. 51) V. hanc chartam ap. Köhler l. c. p. 61: *Datum Laterani* 16. *Kal. Ianuarii pontificatus nostri anno septimo.*

impediri. Is enim prepositum proficiscentem insecutus[a], sed egritudine in via detentus, cum iam prepositus redire disponeret, Romam venit et per quendam pape camerarium, ut ad respondendum sibi detineretur, obtinuit. Prepositus vero intelligens, quia[b], si litem cum eo ingressus fuisset[c], usque ad finem negocii remanendum sibi esset, insuper expensis carens, quippe qui in predictis negociis promovendis profusus extiterat — 90 enim marcas tunc dicitur expendisse —, preterea consciencia stimulante iudicium reformidans, cum ea que Heinricus ei obicere parabat non ignoraret, per magistrum Iacobum penitencionarium, cuius sibi favorem non paucis marcis redemerat, cum eciam infirmari videretur, ut camerario predicto abeundi licenciam acciperet impetravit, constituto tamen pro se procuratore Iohanne[d] quodam[e] episcopi Herbipolensis[f] clerico. Eo tempore papa usque ad desperacionem infirmabatur, ita ut a multis eciam mortuus diceretur, nec facilis ad[g] eum cuiquam erat accessus, que res maxime preposito recedendi copiam procuravit. Heinricus enim de verbo apostolici eum detinere satagens, in presenciam ipsius venire non potuit, licet tres marcas pro uno introitu cubiculariis obtulisset. Tanta autem ad recedendum preposito fuit festinacio, ut litteras predictas, scilicet de indulgencia et potestate excommunicandi, que ea die ad audienciam deferende erant, non expectaret sed nocte discedens, cuidam magistro Luthero, Nuenburgensis ecclesie canonico, relinqueret promovendas. Quas cum Heinricus in audiencia recitari audiret, litteram quidem indulgencie modis omnibus[h] amplexus transire permisit, excommunicacionis autem littere[i], que in eius iudicium impetrata videbatur, contradixit[k]. Tenor enim eius talis erat, quod papa inter cetera affirmabat, ex insinuacione prepositi se didicisse, quod quidam prelati terre sue excommunicatos ipsius manu tenerent in ipsius preiudicium et gravamen, contra quos preposito potestas ferende sentencie conferebatur. Qui articulus Heinrico suspectus erat propter patruum ipsius Sifridum abbatem Pigaviensem, qui eum expulsum collegerat. Et hoc modo littera illa suspensa et sequenti die a magistro contradictarum cissa[l] est. Prepositus vero paucis post festum 1223. Febr. 2. purificacionis diebus domum reversus est, absolucione profeccionis sue in Pruziam[m] sub testimonio litterarum penitencionarii impetrata, quia[n] ad subsidium terre illius cruce signatus erat. Modus autem absolucionis erat, ut tres marcas annis singulis terre illi solverent[o], donec 20 marcarum numerus expleretur. Terre motus magnus per omnes Transalpinas provincias usque Romam, preterea Veneciis et in pluribus aliis maritimis civitatibus factus est, qui die media natalis Domini incipiens usque in octavam eiusdem duravit[p], de quo multorum edificiorum ruinas et hominum oppressiones contigit provenire. Sanguis[q] eciam cum pluvia postmodum descendere visus est.

Anno 1223. Heinricus de Rekkin[r], Sereni Montis canonicus, de consensu procuratoris Apr. 23. prepositi cause sue iudicibus impetratis, ad pascha rediit de partibus Transalpinis cum mandato summi pontificis, cuius continencia talis erat:

Febr. 17. *Honorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Sancte Marie Magdeburgensis et de Gracia Dei diocesis Magdeburgensis prepositis et magistro Alberto canonico Misnensi salutem et apostolicam benediccionem. Cum olim tam ex litteris venerabilis fratris nostri Magdeburgensis archiepiscopi, apostolice sedis legati, quam ex conquestione dilecti filii Heinrici[s] canonici Montis Sereni Magdeburgensis diocesis felicis recordacionis Innocentii[s] predecessoris nostri pape fuisset apostolatui reseratum, quod Tidericus[s] ecclesie ipsius prepositus eundem Heinricum[s] pro eo, quod ipsius predecessoris nostri et dicti legati detulerat litteras, ab eadem ecclesia turpiter expulisset faciens quosdam laicos et clericos ad hoc specialiter evocatos in eundem manus inicere violentas, et quosdam de fratribus suis, qui eius noluerunt tirannidi consentire, punire graviter presumpsisset, ac insuper cum complicibus suis post excommunicacionem a prefato legato pro ipso in eosdem prolatam divina non fuisset veritus[t] officia celebrare; quodque, postquam a iam dicto legato fuit iuxta formam ecclesie absolutus, memoratum canonicum ad suam ecclesiam revocare nullatenus voluisset, licet hoc ipsi ab eodem iniunctum fuisset sub debito prestiti iuramenti: prefatus predecessor noster dilectis filiis, preposito Sancti Nicolai, A. cellerario et H. canonicis Magdeburgensibus, suis dedit litteris in mandatis, ut, si ita esset, iam[u] dictum prepositum, ut canonicum memoratum benigne reciperet et*

---

a) insequutus 2. b) quod 3. c) esset 3. d) Ioanne 3. e) quoddam 1. f) Erbipolensis 2. g) ad *deest* 1. 2. h) modis omnibus *deest* 3. i) literam 3. k) contraxit 3. l) scissa 3. m) Pruciam 2; Prussiam 3. n) qua 3. o) solverentur 3. p) eius deduravit 1. q) saguis 1. r) Reckin 2. s) *in codd. tantum litterae initiales scriptae sunt.* t) veritas 3. u) iac 2.

1223. *tractaret, monicione premissa per censuram ecclesiasticam remota appellacione compellere procurarent, ipsi et complicibus eius pro prefatis exessibus penam canonicam*[a] *inflicturi, ut ea docente cognoscerent, quam temerarium esset contra stimulum calcitrare. Cum autem, sicut idem predecessor noster ex ipsorum intellexit continencia litterarum, eidem iudices prepositum ipsum auctoritate mandati apostolici peremptorie citavissent*[b]*, ut eorum se conspectui presentaret, iam dicto canonico super his que premisimus responsurus, ipse nec venit nec misit pro se idoneum responsalem. Verumtamen quidam clericus, nullis tamen exhibitis litteris, comparuit coram eis, qui pro eo ab ipsis in nullo gravato sedem apostolicam appellavit. Licet autem appellacionem eius reputassent frivolam et inanem, quia tamen intellexerunt*[c]*, eundem prepositum ad sedem apostolicam accessisse, ut in presencia parcium melius vel plenius veritas appareret, iam dictum canonicum cum suis litteris processum eorum continentibus ad nominati predecessoris nostri presenciam transmiserunt. Sepe fatus predecessor noster eiusdem compaciens laboribus et expensis ipsum duxit ad eosdem iudices remittendum, dando eis per suas litteras in preceptis, ut, si res taliter se haberet, ad locum et beneficium suum canonicum restituentes, eundem non permitterent ipsum super his a quoquam indebite molestari, nichilominus a dictis preposito et suis complicibus de illatis iniuriis sibi competenter satisfieri facientes, contradictores*[d] *per censuram ecclesiasticam appellacione postposita compescendo. Ceterum quoniam prepositus memoratus de simonia, dilapidacione, periurio ac aliis multis dicebatur criminibus infamatus et quod eciam excommunicatus presumpsisset celebrare divina, ac insuper ante confirmacionem obtentam*[e] *administracioni*[f] *ecclesie Montis Sereni tam in spiritualibus quam in temporalibus se impudenter ingesserat, a quibusdam de fratribus eiusdem ecclesie coram seculari iudice obedienciam exigens et extorquens, eisdem dederat in mandatis, ut inquisita super his diligencius veritate, quod canonicum esset, appellacione postposita statuerent et facerent, quod statuerent*[g]*, per censuram ecclesiasticam firmiter observari, ita quod, si non omnes mandatis exequendis possent apostolicis interesse, duo ipsorum ea nichilominus exequi procurarent. Dicti vero iudices licet in prefato negocio usque ad citacionem parcium processissent*[h]*, per eos tamen negocium ipsum terminari non potuit propter ipsius obitum mandatoris. Quare prefatus canonicus fatigatus diucius laboribus et expensis, a nobis humiliter postulabat, ut super his providere sibi*[i] *paterna sollicitudine dignaremur. Ne igitur occasione huiusmodi iusticie derogetur, discrecioni vestre per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatinus*[k] *in eodem negocio iuxta iam dicti predecessoris nostri mandatum, sublato appellacionis obstaculo, racione previa procedatis*[l]*. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur. Datum Ferencie*[m] *13. Kal. Marcii, pontificatus nostri anno 7.*

Iun. 21. Aug. 17. Harum auctoritate litterarum priori die ante octavam apostolorum prepositus a prescriptis iudicibus peremptorie citatus est, terminum habens octavam beati Laurencii et locum monasterium Nienburch prope Salam. Castrum Bresnicz[52] a Ludowico lantgravio destruitur. Waldemarus[53] rex Dacie a comite Heinrico de Zwerin[n] cum uno filiorum[54] suorum captus et primo in castro Lenszin[55], postea Dannenberge detentus est. Sifridus Pigaviensis abbas obiit, vir strennuus et qui in multis ecclesie sue cognoscitur profuisse[o], maxime in conservanda eius libertate tam in spirituali[p] iure quam in seculari, pro qua re multis desudans laboribus eciam vite sue periculum nonnumquam expertus est[q], quorum omnium principium a[r] falsis eius constat fratribus pullulasse[s]. Denique cum factus abbas[56] eos ad regularis observanciam discipline coartaret[t], cogitans Deo se pro eis redditurum esse racionem, illi in eius odium excitati, eum aput Everhardum Merseburgensem episcopum de mala administracione frequencius accusaverunt, ita ut pro eorum instancia, licet ei semper obsequiosus extiterit[u], ad suam eum presenciam venire preciperet, administracionis sue racionem redditurum, monachis nonnullis pariter evocatis. Ecclesia enim Pigaviensis

---

a) cononicam 1. b) citassent 1. c) intellexerant 2. 3. d) contradicciones 1. e) obtenta 2. f) in administracione 1. g) *verba* et facerent, quod statuerent *desunt* 1. h) praecessissent 3. i) sibi *deest* 3. k) quatenus 2. 3. l) precedatis 2. m) Ferentum 2. n) Swerin 2. o) prefuisse 2. p) spiritali 2. q) est *deest codd. Addidi ex libello de abbatibus monasterii Pegaviensis ap. Mencken, SS. II, p.* 105. r) et 2. s) pullu 2. t) coarctaret 3 u) extitit 2.

52) Bresnitz prope Annaberg ad Bohemiae fines situm. 53) II. 54) Waldemaro. 55) Lenzen in provincia Priegnitz iuxta Albim fluvium situm.

56) Post mortem Rudolfi abbatis a. 1185. Iul. 29. V. Ann. Pegav. ad a. 1185. SS. XVI, p. 265.

1223. quamvis a prima sua fundacione exempta fuisset et libera[57], prelatis tamen eius iure suo uti dissimulantibus[a] vel non audentibus vel eciam, quod salva eorum reverencia dictum sit, nescientibus, sine obstaculo ab episcopis Mersenburgensibus ancillabatur, donec veniret cui repositum erat opus istud, homo natus ad laborem Sifridus abbas, ut quamvis per multos labores eius industria in libertatem propriam respiraret. Monachis itaque querimonias suas contra eum exaggerantibus, intelligens ab episcopo se gravandum, priusquam feriretur, pretenso clipeo se muniens, ad sedem apostolicam appellavit seque et ecclesiam suam tuicioni[b] committens summi pontificis, soluto colloquio discessit. Porro episcopus super hoc[c] novo eius ausu in admiracionem ductus unum de monachis, quem familiariter diligebat, quo eciam abbas pro[d] capellano[e] utebatur, qui abbate discedente aput episcopum remanserat, cui erat nomen Thiemo[f] de Colditz, secrete et[g] cum instancia rogabat, ut sibi proderet[h], si[i] sciret, qua fiducia nisus abbas appellare presumpsisset. Illo respondente, quod fiducia exempcionis hoc fecisset[k], cuius videlicet privilegium haberet, episcopus maiori rogabat instancia, ut de hoc eum certificaret, ipsum ei si posset privilegium exhibendo. Quod cum ille clavem ciste, in qua continebatur privilegium, habens promisisset et promissum persolvisset, episcopus lectum privilegium, ut dicitur, in ignem proiecit, de cuius exustione non parvum sibi contencionis incendium suscitavit[58]. Prefatus autem Thiemo cum custodis fungeretur officio, et alii quidam monachi officiales ecclesie Pigaviensis, consilio cum episcopo inito, duos currus ab episcopo missos ornamentis onerantes ecclesie, omnia Merseburc transtulerunt[59], et abbas monachos quidem illius facti auctores suis privatos administracionibus de cetero contra se invalidos reddidit. Ipse vero Romam profectus, cum episcopi nunciis contra se missis, qui eum contra ius a subieccione Mersenburgensis ecclesie resiluisse querebantur, longo tempore coram summo pontifice contendit tandemque de eorum consensu iudicibus impetratis reversus est. Episcopus vero iudicum sentencia, ut omnia que de ecclesia Pigaviensi[l] ablata erant ad locum ipsum reduceret[m] cogebatur. Postmodum cum abbate de iure suo litem habiturus, quod ille usquequaque perficere iniuriosum reputans, sed tamen contra stimulum calcitrare non valens, ea[n] ad Portensem[o] ecclesiam deduci fecit, iudicibusque[60] amplius eum cogere dissimulantibus, a 1193. loco illo ab abbate sublata Pigaviam reducta sunt[61]. Verum quia privilegio non restituto ecclesia Pigaviensis adhuc expoliata ostendebatur, episcopi contra abbatem conatus supervacuus videbatur. Contencione autem inter eos per annos plurimos perdurante, abbati magnum robur accessit divinitus procuratum. Contigit enim translacionem fieri corporis 1189. sancti Ottonis Bavenbergensis episcopi[62], cuius reliquias cum abbas impetrasset et ecclesiam ex lignis[p] in eius honore[q] iuxta civitatem Pigaviensem construxisset, tantus illuc[r] fidelium concursus factus est, ut 800 marce de sacrificio primi anni computarentur. Durat autem usque hodie concursus idem, etsi offerencium videatur numerus decrevisse. Non autem abbas circa tanti boni patronum negligens erat, sed primo ipsum oratorium ligneum a duobus cardinalibus, qui tunc apostolice sedis legacione in Teutonia fungebantur[63], dedicari fecit; deinde paludem[s], in qua constructum erat, sumptibus magnis desiccans, circa ipsam ecclesiam decentem ex coctis[t] lateribus edificavit redditusque, quantos poterat, tempore oportuno loco ipsi acquirens, regulares in eo canonicos instituere intendebat, habens de hoc ex permissione[u] summi pontificis potestatem. Fiducialiter itaque eo contra episcopum agente, ille tantum expensarum pondere lassatus est, ut ad Heinricum imperatorem confugeret et pedibus eius prostratus adiuvari se contra abbatem postularet, de multis eum accusans et eciam contra imperatorem eum agere affirmans[64], tantumque eius animum

---

a) dissimuliantibus 1. b) Tuiconni 3. c) hoc *deest* 1. 2. d) pro *deest* 2. 3. e) capitulo 3. f) Thyemo 2; Thymo 3. g) *in cod.* 3 *ante verba* et cum instancia *legitur* eum. h) proderit 2. i) quid *add.* 3. k) fecisse 1. l) Pigaviense 3. m) reducere 1; reducerentur 3. n) eam 1. o) Poztensem 2. p) lingnis 2. q) honorem 3. r) illhic 3. s) paule 2. t) cottis 1. u) promissioni 1.

57) Cf. privilegium Paschalis II. papae a. 1104. Ian. 30. datum. Jaffé, Reg. pont. p. 486, nr. 4457. 58) Errat hic auctor. Sigefridus a Celestino papa privilegium accepit; cf. Innocentii III. epistolam ad abbatem et conventum Pigaviensem directam ap. Baluze, Ep. Innoc. I, p. 317. 59) Cf. Innocentii epistolam l. c. p. 318. 60) Inter iudices erant Ludolfus Magdeburgensis archiepiscopus et Markwardus de Anweiler, imperialis dapifer. 61) anno 1193. exeunte vel a. 1194. ineunte. 62) a. 1189. Septemb. 29. Cf. Ann. Pegav. ad hunc a. SS. XVI, p. 267. 63) Heinricus episcopus cardinalis Albanensis et diaconus Soffredus cardinalis. 64) Cf. epistolam Innocentii l. c.

concitavit, ut Latinis verbis mortis eum esse filium proclamaret, precipiens quibusdam suis 1223. fidelibus, quorum unus Cuono de Minceberch[a] dicebatur, vir crudelitate famosus, ut, ubicumque inventus fuisset, eum perimere procurarent. Postmodum tamen consilio et auxilio Tiderici de Mulehusim camerarii imperatoris graciam eius recuperavit, qui abbati consanguinitate proxima iungebatur. Perpendens vero iudices suos persone episcopi contra iusticiam reverenciam habere, ab eis appellans, alios de latere pape iudices postulavit, missique sunt ei decanus de Tridento et magister Prepositinus, quibus negocio diligenciam adhibentibus ad hoc perductum est, ut ab utraque parte testes producerentur. Quibus auditis et attestacionibus scriptis et utrique parti assignatis, priusquam in presencia summi pontificis publicarentur, Everhardus episcopus et vivendi et litigandi finem fecit[65]. Et sciendum, 1201. Ian. 2. abbatem inter ista nequaquam malis domesticis caruisse. Nam Thiemo de Colditz[b] monachus sepe dictus custodia se privatum dolens, Heinrico fratri suo secreto persuasit, ut missis armatis abbatem captivaret, scilicet ut eum officio suo restitueret compellendum. Quod illi perficientes et in vicino nemore seminudum et incibatum per triduum eum detinentes, ut monachum restitueret[c] compellebant. Sed cum nec verbis minacibus nec gladiis evaginatis promissionem saltem ab eo extorquere valuissent, quarto die peditem eum redire Pigaviam permiserunt, confessi postmodum factum illud Thiemonis consilio consummatum. Propter quod a fratrum expulsus consorcio dignam sui facti mercedem consecutus est. Alio dehinc tempore quidam monachorum conspirati domum quandam[d] firmam in confinio claustri fratrum usibus edificatam occupaverunt communemque[e] cellarium expoliantes, omnia ad victum pertinencia in eam[f] contulerunt militesque et servos armatos, quos conduxerant, in ea locantes, abbatem expellere nitebantur. Advocacia ecclesie Pigaviensis inmediate ad imperatorem pertinet nec iure feodi cuiquam conferri potest, sed habet potestatem abbas eligendi advocatum, ad quantum temporis spacium voluerit, quemcunque[g] sibi viderit expedire. Quam libertatem Sifridus abbas ecclesie sue multis laboribus et expensis primo a Friderico, postmodum a filio ipsius Heinrico et nostris temporibus a Friderico, Heinrici filio, imperatoribus datis sibi privilegiis acquisivit. Tempore igitur, quo hec gerebantur, Fridericum quendam de Groiz ex imperatoris fidelibus advocatum habens, eius auxilium contra monachos invocavit. Qui collectis auxiliatoribus ad domum[h] accessit, sed priusquam aggressionem faceret, armatis qui intus erant collocutus[i], persuasit ut ablatis rebus suis abscederent, quorum[k] plerique ei hominio tenebantur. Monachi eorum presidio nudati in nullo segniores apparebant, sed per fenestras domus pugnaciter astantes, eos qui voluissent accedere lapidibus perturbabant[l]. Fridericus vero cuppam, altero eius fundo excusso[m], super currum stabilitam lignis siccis repleri fecit, pice et resina et lardo pariter introiectis. Quibus succensis, precepit suis, ut currum ante se inpellentes domui applicarent. Pugnatores vero illi[n] incendio territi et fumo vexati, a parte altera, ubi domus aggerem habebat, terre molliciis desilientes, fuga elapsi sunt et, hoc fine destructa domo, tumultus ille clausus est. Verum monachi cum universaliter abbatis odio tenerentur et viderent, quod manifestis conatibus iugum eius a cervicibus suis non possent excutere, de morte ipsius negociari ceperunt. Nam die quadam abbate cum suis ad prandium consedente, unus ipsorum Tobias[o] nomine cibum aliquem accurate[p] preparatum ei attulit, sed cum aliquantum a conspectu eius recessisset, repente in gemitum cum fletu erupit. Quem cum abbas revocari precipiens, cur fleret, interrogasset, respondit ideo se flere, quia[q] ministerio cibi illius venenati mortem ei certissimam procurasset. Abbas vero cibo ipso, de quo nondum gustaverat, et omnibus que in mensa erant proiectis, territus surrexit, monachum vero consolatus est dicens se ei penitenti hanc culpam remittere, quia ille non se facti huius[r] auctorem sed aliorum fuisse nuncium fatebatur; de quibus tamen abbas inquisicionem facere non curavit. Prepositura est ecclesie[s] Pigaviensis in loco, qui Zcholene[66] dicitur,

---

a) Minceburg 3. b) Colditzs 2. c) constitueret 3. d) quendam 1. 2. e) communeque 3. f) ea 3. g) quecumque 2. h) ad dictum accessit abbatem 1; ad dictum accessit 2. i) colloquutus 2. k) quorumque 2. l) proturbabant 1. m) excussam 1. n) illo 3. o) Thobias 2. p) attecate 1; acterate 2. q) quod 3. r) illius 1. s) ecclesie *deest* 3.

65) a. 1201. Ian. 2. Cf. de hac inter Sifridum abbatem et Everhardum episcopum controversia Cohn in Mittheilungen d. Geschichts- u. Alterthumforsch. Gesellsch. d. Osterlandes IV, 3, p. 509—523. 66) Skölen inter Naumburg et Eisenberg situm. Haec praepositura a Bertha de Morungen, filia Wiperti marchionis, uxore Dedonis comitis, in honorem b. virginis Mariae fundata erat.

1223. cui abbas monachum[a] prefecit, ad quem cum aliquando venisset, ille gratanter, ut videbatur, eum suscipiens et diligenter procurans, inter cetera cibum delicate ipsi dumtaxat soli preparatum ei apposuit, de quo abbas modicum gustans, eum[b] fratri suo Heinrico de Rekkin, qui pater fuit Heinrici de Rekkin[c] Sereni Montis canonici et ibi aderat, misit, et ab illo ad alios pervenit; cuius effectum breviter omnes, qui inde gustaverant, experti sunt. Et[d] abbas quidem usque ad desperacionem infirmatus Dei adiutorio evasit, frater vero eius et duo cementarii et quatuor pueri exinde mortui sunt[d]. Monachum vero tanti, ut putatur, mali auctorem non solum ab illa administracione sed eciam ab ecclesia Pigaviensi abbas removit, ipse vero in cibis sumendis postmodum caucior fuit. Numerati sunt autem ultra 26, quos pro huiusmodi causis diversis fertur temporibus expulisse, quorum paucissimi ante vite[e] eius terminum recipi potuerunt. Odii vero, quo erga ipsum tam pertinaciter movebantur, duplex fuit causa: una quidem, quia illicitorum nulla eis sub ipso erat licencia, altera, quia officia ecclesie eos administrare nullo modo permittebat[f], quia, cum olim ea administrassent, de his contra eum armati multorum ei malorum causas et principia inventi sunt procurasse. Sed nec ex Everhardi[g] episcopi morte nec impugnancium se monachorum expulsione malorum terminum ei habere concessum est. Denique post mortem Heinrici
1197. imperatoris Philippus rex advocaciam Pigaviensem Tiderico comiti de Sumerschenberch, qui eciam de Groitz dictus est, contra privilegia ipsius ecclesie concessit, qui eam procaciter usurpans et cives Pigavienses sibi violenter servire compellens, nec ab ipsius abbatis iniuriis temperavit. Nam et ab hominibus ipsius aliquando captivatus est et ab ipso ab ecclesia Pigaviensi expulsus, per annum integrum in castro Wirbene[67] a Bernhardo duce Saxonie receptus cum suis commoratus est. Accidit autem ut officiales comitis vinum de vinea abbatis, que est in villa Hilperticz[68], aufferrent Groiz ad castrum comitis deducendum. Quo comperto, abbas eos qui circa se erant armatos misit, ut eos, si esset possibile, prohiberent. Habens vero dextrarium electum, qui eciam propter ipsum notissimus erat, unum servorum suorum, qui Bruno dicebatur, habitu suo, hoc est cappa, indutum, in eo misit, precipiens ut ille signum ducens ceteros anteiret. Illis itaque cum vino iam in recedendo existentibus, viri abbatis eos cum festinacione insecuti sunt. Quorum unus post tergum respiciens et signiferum illum cappatum[h] videns equumque agnoscens, abbatem venire vociferatus est. Tantus autem repente metus custodes[i] illos invasit, ut relictis curribus, priusquam in aliquo hostes experirentur, solum fuge presidium quererent, cum tamen eis, quos fugiebant, numero longe prestanciores fuissent. Isti vero, curribus cum vino ablatis, Wirbene reversi, non sine iocunditate ab abbate suscepti sunt. Hoc[k] ideo commemorare libuit, ut intelligatur nomen abbatis nonnichil ponderis habuisse eumque eciam huiusmodi adiutoriis uti solitum fuisse, non tamen ad nocendum, sed ad nocentes cavendum et repellendum. Postmodum discordantibus inter se Tiderico Misnense marchione et Tiderico comite, abbas favore marchionis animatus Pigaviam reversus est, militibusque in civitate locatis, violencie comitis cepit resistere, donec pertinaciter reluctando eum contra se redderet segniorem,
1207. quamvis eo vivente numquam quieta gavisus fuerit libertate. Mortuo comite[69], Conradus marchio frater eius advocaciam Pigaviensem, quam cum ipso a rege Philippo sibi concessam receperat, invasit, sed tamen[l] a personalibus abbatis iniuriis abstinuit, quia filium eius in baptismo susceperat; quod ipsum tamen multis marcis, si esset possibile, se velle redimere, adhuc vivente fratre, dixisse fertur, omnibus hec[m] ita[n] interpretantibus, quod, si talis eum non tenuisset occasio, a corporali eius lesione nullo modo temperasset. Movebatur enim pro fratre carnaliter, quia ille in obtinendo proposito[o] abbate infirmior videretur, maxime autem pro quodam verbo, quod abbas minus caute protulerat, comitem scilicet apostatam appellando[p]. Idem namque[q] comes ecclesie Magdeburgensis canonicus existens eciam ad subdiaconatus gradum promotus erat. Accidit autem, cum in scolis esset Parisius[r], ut, contencione inter burgenses[s] et clericos orta, servientes ipsius ad auxilium clericorum ab eo missi homicidium committerent, pro qua re de sua promocione desperans, clericatum

---

a) *post verbum* monachum *in cod.* 2 *legitur* nomine. b) eum *deest* 3. c) *verba* qui pater fuit Heinrici de Rekkin *desunt* 2. d) *verba inde ab* Et abbas quidem *usque ad* mortui sunt *desunt* 3. e) vie 2. f) promittebat 2. g) Heverhardi 2. h) capatum 1. i) custos 2. k) hac 1. l) tamen *deest* 3. m) hoc 2. n) ita *deest* 2. o) *sic correxi secund. Ann. Veterocell. ap. Mencken II, p.* 401 *ex* preposito *codd.* p) nominando 3. q) *sic correxi ex* Idem demque 1. 2; idem denique 3. r) Parisiis 3. s) burienses 2.

67) Werben prope Pegau. 68) Hilpritz prope Pegau. 69) a. 1207. Iun. 13.

dicitur reiecisse. Post mortem Conradi marchionis[70], qui triennio tantum fratri supervixit, 1223.
Tidericus marchio Misnensis modis[a] omnibus ambiebat, ut ipse ecclesie Pigaviensis advocatus 1210.
eligeretur. Quod cum abbas sibi non convenire sciens[b] facere negligeret, ille ex fautore[c]
et amico in hostem mutatus, valde eum vexare cepit multa ei dampna et iniurias irrogando[d].
Ad extremum vero ante castrum Groiz[e], quod ei hereditario iure obvenerat, villam
muniens forum instituit et teloneum[f] et monetam omnibusque provincialibus ab illa[g]
parte tam emere quam vendere volentibus, ne Pigaviam pergerent, interdixit. Abbas vero,
iudicibus contra eum a sede apostolica impetratis episcopo et[h] decano et scolastico Herbipolensibus,
omnem eius conatum[i] evacuavit. Iudices enim, testibus eius auditis, sentenciam
pro ipso tulerunt eique Brandenburgensem episcopum[71] executorem[k] dederunt. Qui Groiz
adveniens, convocatis castrensibus et villanis, forum, teloneum et monetam in loco illo haberi
auctoritate apostolica interdixit omnesque, qui in ipsa villa ad ius forense residenciam
facerent, eadem auctoritate excommunicacionis vinculo innodavit. Verum cum adhuc abbas
marchionem de dampnis ab eo et ab his quorum hereditatem perceperat sibi illatis impeteret,
que usque ad septem milia et quingentas marcas computaverat, et propter hoc[l] tota
terra marchioni subiecta sub[m] interdicto ponenda esset, Albertus archiepiscopus partes suas
interposuit et, ut ipsius et Niemburgensis et Mersburgensis episcoporum, Engelhardi[n] scilicet
et Ekkehardi[o], arbitrio negocium committeretur, a partibus impetravit. Ipsique[p],
partibus convocatis, arbitrium promulgantes, sentenciam de foro Groiz prolatam confirmaverunt
et marchioni, ut abbati pro dampnis illatis quingentas marcas daret, sub pena
excommunicacionis preceperunt, statuentes insuper ut, si ita necesse esset, successores
ipsorum[q] ab heredibus marchionis sub eadem pena pecuniam ipsam repeterent abbatis
successoribus persolvendam; sicque omnibus qui aderant gaudentibus, marchio et abbas
se vicissim in pacis[r] osculo receperunt[72]. Et abbas quidem a multis laboribus, quibus 1219.
pro ecclesia sua per 30 et amplius annos decertaverat, ab hoc tempore respiravit, magnum
inter mala omnia solacium favorem sedis apostolice semper habens. Nam et Celestino primitus
et post eum Innocencio ac demum Honorio summis pontificibus gratus admodum
extitit et acceptus, quorum privilegiis ecclesie sue libertatem ita munivit, ut omnibus eam
expugnare volentibus redderet inaccessam. Denique Tidericus Mersenburgensis episcopus,
qui Everhardo successit, hoc[s] ita esse sciens, toto tempore episcopatus sui, quem ultra
10 annos tenuit[73], induci non potuit, ut litem contra abbatem, quam[t] antecessor suus pendentem
reliquerat[u], suscitaret. Ekkehardus autem episcopus ei succedens cum esset iuvenis
et iuris peritus, contemptibile nimis iudicans in toto negocium obmittere, virum experiri
voluit sed, accepto magnanimitatis eius gustu, cito a proposito[v] resiluit. Tempore namque,
quo Gernodus Nienburgensis abbas cecatus est, Albertus archiepiscopus cum eodem Mersenburgensi 1219.
et aliis suis suffraganeis episcopis in hoc convenit, ut propter casum memoratum
in toto archiepiscopatu Magdeburgensi divinorum celebracio obmitteretur. Hac racione prefatus
episcopus abbati litteras destinavit, quarum[w] principium tale fuit: *Ekkehardus[x] Dei
gracia Mersenburgensis ecclesie[y] episcopus Sifrido[x] abbati Pigaviensi salutem,* addito deinceps
mandato, ut tam in monasterio suo[z] quam in civitate celebracionem obmitteret divinorum.
Abbas vero ei respondit in hunc modum et rescripsit: *Domno Ekkehardo[x] Mersenburgensi
episcopo Sifridus[x] Dei gracia Pigaviensis abbas salt pur[a] salt et un[b] avant.* Sunt
autem hec verba Gallica et sic sonant in Latino: *Salutem pro salute et una plus.* Post salutacionem
vero adiecit: *Ex sicca et cruda salutacione vestra cognoscimus[c], quid de his que
intrinsecus latent perpendere debeamus. Sciatis autem non pro mandato vestro nos a divinorum
celebracione cessaturos, cum ab omni episcopali iurisdiccione simus exempti, sed magis
pro reverencia et dileccione domni archiepiscopi, cui nos semper fideles exhibere volumus et*

---

a) modis *deest* 2. b) sciens *deest* 3. c) favore 2. d) irrigando 2. 3. e) *inter verba* Groitz *et* quod *in cod.* 3 *intersertum est* et. f) telonium 1. g) ille 1. h) et *deest* 2. 3. i) aditum 3. k) exequutorem 2. l) haec 3. m) sub *deest* 1. n) Engelardi 1. o) *verba* scilicet et Ekkehardi *desunt* 2. p) ipsisque 3. q) eorum ipsorum 2. r) inperatis 2. s) haec 3. t) quem 1. u) dereliquerat 3. v) apposito 2. w) quale 1; quorum 3. x) *codd. litteras initiales tantum habent.* y) ecclesie *deest* 1. z) suo *deest* 1. a) pui 2. b) una 1. c) agnoscimus 3.

70) a. 1210. Mai. 6. 71) Sigefridum II. 72) Cf. diploma apud Naumann, Catalogus libr. mss. in biblioth. sen. civ. Lipsiensis p. 232. Hoc non in a. 1218. ponendum est, ut plerique editores posuerunt, sed numerus indictionis (VII.) et annus pontificatus (III.) a. 1219. hanc compositionem factam esse testantur. 73) a. 1201—1215.

1223. *devotos.* Licet autem episcopus his litteris valde moveretur, tamen nec factum umquam publicavit nec tale aliquid deinceps attemptavit. Abbas[a] sane nulli voluptati seu levitati deditus erat, quippe quem nec istis vacare adversitatum et negociorum stimuli permittebant. Nam rebus utilibus semper intentus, licet interdum ab accione quiescens, dum agenda studiose disponeret, eciam in ocio negocio non carebat. Habitus ei tam in forma quam in genere cum subditis communis erat, qui in nullo ab exemplari[b] veterum discrepabat, ut videlicet seculi conformitatem prorsus abhorrens et religionem exprimeret et necessitati corporis non deesset, ut nec tegumento quidem capitis umquam alterius modi quam ex ovium pellibus usus fuisse inveniatur. Audiant queso hoc exemplum nostri temporis prelati, qui tot novitatibus student[c], ut eas et tediosum et ridiculosum sit enumerare. Primi tamen habitus sui simplicitatem non solum ipsi corrumpere sed eciam subditis similia permittere non verentur. Qui etsi pro Dei timore id non agant, tamen ut saltem prelatorum ad subditos manifesta esset distancia, miror cur eosdem subditos a talibus non compescant. Sed utinam nos solius habitus deformacio accusaret. Decubuit autem abbas ultima sua Iul. 25. egritudine die beati Iacobi patroni sui mortuusque est 4. Non. Augusti, cum sedisset Aug. 5. annis 39[d].

Tidericus Sereni Montis prepositus, ad dedicacionem ecclesie sue concurrentibus 20 dierum indulgencia impetrata[e][74], hoc quaquaversum[f] tam per se quam per alios studuit divulgare; in quo eius intencio, quam de eadem indulgencia obtinenda habuerat, considerare volentibus prodebatur. Rebus namque, quarum administracioni erat prepositus, ad infirmum statum ex eius maxime negligencia deductis, undecumque sibi providendum iudicans, eciam de opere pietatis questum facere aggressus est, ut videlicet occasione predicta, crescente concurrencium multitudine, eciam offerencium numerus augeretur. Et in concurrencium quidem numerositate consilii sui effectu fraudatus non est, utrum autem et offerencium, ipse viderit. Constat enim 200 et 40 talenta cere hoc anno de consueto sacrificii pondere defuisse.

Post mortem Sifridi abbatis Pigaviensis Heinricus de Rekkin Sereni Montis canonicus de consilio amicorum suorum, mediante Ekkehardo Mersenburgensi episcopo, cause sue quam contra Tidericum prepositum habebat, post tres ebdomodas[g] et 10 annos, quam[h] inchoata fuerat, renunciavit et preposito reconciliatus est sub hac forma, ut ipse quidem ad ecclesiam suam rediens et in capitulo veniam petens, sine omni pena a preposito reciperetur; prepositus vero se contra eum iniuriose[i] excommunicacionis tulisse sentenciam, *sed quia precessit appellacio ab ipso ad sedem apostolicam legittime interposita, sentenciam* Aug. 16. *nostram nichil firmitatis dicimus habuisse*[75]. Hec sequenti die assumpcionis sancte Marie gesta sunt. Non parvum autem ex his erga subditos morum prepositi datur iudicium, quia videlicet utrum iuste an iniuste id ageret non curans, cito in eos excommunicacionis sentenciam iaculabatur, tantum ut per hanc in causa qualibet eos sibi substerneret; unde eveniebat, ut sentencia eius eadem facilitate contempneretur qua proferebatur.

Quidam prepositorum capituli Goslariensis supra reditus, qui in privilegio Tiderici marchionis expressi sunt ad servicium diei[k] in quo capitulum celebrabatur, videlicet exal- Sept. 14. tacionis sancte crucis, a Tiderico preposito pecuniam exigebant. Contra quos ille iudicibus a sede apostolica impetratis eos citari fecit sibi super exaccione indebita responsuros. Poppo vero Hallensis ecclesie prepositus ab eo peciit, ut usque ad diem capituli memorati a cause execucione quiesceret, promittens se elaboraturum, ut negocium ibi fine amicabili clauderetur. Partibus itaque ad capitulum Goslariam convenientibus, obtinuit ut arbitrio se submitterent, electique sunt arbitri ex parte quidem prepositi Willehelmus Cillenensis et Willehelmus de Lipzke prepositi et Gerhardus Sereni Montis canonicus: ex parte vero altera Iohannes de Richinberge[l], Rudolfus[m] Sancti Iohannis Halverstadensis et de Brunesteshusin[n][76] prepositi, qui concordantes tale protulerunt arbitrium, ut prepositus, qui eo anno[o] copiosum eis procuraverat servicium, sequenti quoque anno quasi pro pena defectus priorum annorum simile exhiberet, deinceps vero tam ipse quam successores eius duas tantum marcas ad capitulum advenientibus[a] presentantes nullam supra hec exaccionem a quolibet paterentur. In eodem capitulo tunc statutum fuit, ut ieiunium sexte ferie nullius festi occasione solveretur, excepto festo natalis Domini, si in ea feria eveniret. 1223.

---

[a] abba 2. [b] ex exemplari 2. [c] *hoc verbum in cod.* 3 *lineae superscriptum est, deest* 1. 2. [d] XXXVIII. 3. [e] impetrā 1. [f] quaquamversum 3. [g] hebdomadas 3. [h] qua 1. [i] se eum iniuriasse 1. 2. [k] Dei 3. [l] Richenberg 3. [m] Rodolfus 3. [n] Brunesdeshusin 2. [o] animo 3.

74) Cf. supra a. 1222. 75) Hoc loco auctor verba ipsa Tiderici praepositi ex compositionis carta hausta nulla verborum constructionis ratione habita in suam narrationem transtulit, cf. verba epistolae eius ad Heinricum Pigaviensem abbatem infra citata. 76) Brunshausen prope Gandersheim.

Heinricus de Rekkin[b] Sereni Montis canonicus Romam profectus est pro huiusmodi causa. Sifridus abbas Pigaviensis, patruus ipsius, olim eum novelle sancti Ottonis ecclesie prepositum constituere volens, numquam eius consensum ad hoc potuit inclinare. Infirmitate vero sua ultima detentus cum[c] finem suum suspectum habere cepisset[d], eum evocavit et, quibusdam amicis suis presentibus, devocioni eius, qua ei semper studiose et nonnumquam periculose eciam collaborasset, gracias agens, petebat[e] ut bono eam[f] fine terminaret, quippe cum ipse eum relicturus in proximo videretur, nec peticionem eius ultimam pro causa prememorata duceret contempnendam, cum magno eum huius rei teneri desiderio certum haberet. Ille vero, quia amicorum moriencium peticiones ad obtinendum efficaces solent existere, consensurum se promisit[g], tantum ne ei tristiciam generaret. Abbas Deo gracias agens, quod hoc obtinuisset, statim eum ecclesie sancti Ottonis prepositum instituit et in spiritalibus et in temporalibus, monacho cuidam Heinrico nomine, qui procuracionem eiusdem ecclesie dudum commissam habebat, precipiens, ut cum[h] aliis, quos simul mittebat, eum[i] in possessionem prepositure sue duceret omnemque ecclesie familiam ei utpote domino suo obaudire preciperet, cunctis ei tam ecclesie quam aliorum locorum clavibus assignatis. Hec tercio ante mortem abbatis die peracta sunt. Abbate vero mortuo, prefatus Aug. 2. Heinricus monachus in abbatem electus est, vir priori quidem prorsus dissimilis, sed qui monachis absque iugo vivere volentibus idoneus videbatur, unde et in eleccione eius tanta festinacione usi sunt, ut, cum abbas tempore noctis obiisset, ortum diei ad eligendum nullatenus expectarent. Ipse quoque quasi vicissitudinem eis rependens[k], officia ecclesie, ad quorum administracionem[l] abbas eos non admiserat, statim eis distribuit, quod eciam adhuc vivente abbate dicitur promisisse. Is itaque, cum eisdem suis electoribus consilio inito, ne factum abbatis de ecclesia sancti Ottonis durare permitterent, per quod tanta bona eorum usibus deperirent, presertim cum ille hoc[m] in egritudine desperata et iam pene moriens ordinasset ideoque esset revocabile, quibusdam ipsorum destinatis, Heinricum de ecclesia sancti Ottonis violenter eiecit, unum ex eis loci ipsius instituens provisorem. Ad hoc[n] eciam misso nuncio Tidericum prepositum Pigaviam venire rogavit, ut Heinricum excommunicacionis subiacere sentencie, quam olim contra ipsum tulisse dicebatur, ex ipsius confessione cognoscens, institucionem in tali persona factam cassam[o] esse facilius demonstraret. Prepositus venire non differens[p], eum se excommunicasse confessus est, et ille consequenter iuxta eius confessionem excommunicatum publice denunciabat. Sed illa festinacio preposito confusionis aliquid procuravit. Paucis enim evolutis diebus, cum Heinrico reconciliaretur[q], eum fame sue, quam per illam confessionem leserat, restituere compulsus est, missis eidem electo litteris, quarum forma talis est:

Reverendo et in Christo dilecto domno Heinrico[r] electo et capitulo Pigaviensi Tidericus[r] Dei gracia prepositus Montis Sereni cum devotis oracionibus et obsequio sinceram in Domino caritatem. Innotuit nobis, quod, cum aput vos essemus, occasionem sumentes ex verbis nostris, post discessum nostrum domnum Heinricum[r], confratrem[s] nostrum et prepositum sancti Ottonis[t], de excommunicacione graviter infamastis, cum tamen vobis eum non denunciaverimus excommunicatum, hoc tantum vobis suggerentes, quod aliquando sentenciam excommunicacionis contra eum tuleramus. Sed quia constat, appellacionem precessisse legittime ab eo interpositam, idcirco dicimus sentenciam nostram nil[u] firmitatis habere potuisse. Hinc est quod honestatem vestram modis quibus possumus duximus exorandam, quatenus[v] intuitu iuris et pro domni pape reverencia prefatum domnum Heinricum[r] benigne et fraterne tractantes, ipsum tamquam virum honestum et catholicum habeatis, favendo ei, quod semper aput vos oracionibus nostris et obsequio volumus promereri.

Heinricus itaque super violencia sibi illata ad presenciam summi pontificis appellavit,

---

a) venientibus 1. b) Reckin 2. c) est 1. 2. d) cepit 1. e) patebat 1. 2. f) eciam 3. g) permisit 2. h) eum 2. 3. i) eum *deest* 3. k) repentens 2. l) ministrationem 3. m) hoc *deest* 3. n) hec 2. o) *sic correxi ex* causam *codd.* p) differrens 2. q) conciliaretur 2. r) *in codd. litterae initiales tantum leguntur.* s) *in cod.* 1 *ante verbum* confratrem *legitur* et. t) Othonis 3. u) nihil 3. v) quatinus 2.

1223. preposito permittente et cooperante[a], nam quatuor marcas ad supplementum expensarum Sept. 23. ei dedit. Romam tendens sequenti die beati Mauricii a Sereno Monte egressus[b] est.

Rebus inter hec ecclesie Sereni Montis dietim[c] in peius vergentibus, Tidericus prepositus de consilio familiarium suorum aliquos de fratribus locis aliis partiri disposuit pro conservandis videlicet expensis, asserens eciam[d], illorum transmissione idonee se a colligendis hospitibus excusari. Quo tamen facto et sue et subditorum suorum fame non parvam maculam acquisivit. Negocio interim in eo pendente, ut de eorum, qui transmittendi erant, mansionibus ordinaret, fama huiusmodi circumquaque cito provincialibus cunctis innotuit, multis dolentibus eumque destructorem publice clamantibus eique maledicentibus pro eo, quod talem ecclesiam, quam priores ipsius in maxima honestate et rerum copia gubernassent, ipse ad tantam deduxisset inopiam, ut ad Dei servicium in ea congregati sustentacionem de amplis eius[e] reditibus non haberent. Quia vero feminas quoque conversas emigrare proposuerat, plerique hec audiencium consueto laicis more loquentes dicebant, moniales illas a monachis stupratas esse; quibus quia[f] iam[g] pariendi tempus instaret[h], eas pro crimine occultando occasione penurie ad loca alia destinari. Ottonis autem comitis de Brene, qui tunc advocatus loci erat, ministerialium quidam cum ipso comite adhuc puero ad locum accedentes, fratribus convocatis, preposito tunc absente, propositum eius valde esse reprehensibile[i] demonstrabant ipsosque rogabant et hortabantur, ne ei ad recedendum aliquatenus consentirent, quibusdam ipsorum, qui in congregacione feminarum consanguineas habebant, dicentibus se nullo modo, ut ad se pertinentes quoquam[k] transmitteret, permissuros, quin pocius se eas in sua recepturos eisque necessaria de rebus ecclesie provisuros. Prepositus dehinc rediens fratresque ad consilium illorum inclinatos et que ab illis dicta fuissent, intelligens latenter quidem pavidus, sed audaciam verbis pretendens dicebat, numquam se illorum timore a proposito recessurum; nec tamen diu simulate inherens constancie, sed statim sermone in aliud converso, illos quoque sibi consuluisse asserebat, ut expensas minus sumptuosas tam in cibo quam in[l] potu habere assuesceret, quod eciam se facturum pollicitus in promisso verax inventus est. Denique cum iamdudum fratrum servicia, que sic vocare consuevimus, anniversariis fidelium et diebus sanctorum festivioribus deputata libere subtraxisset, nunc eciam cottidiane eorum procuracioni cepit detrahere carnesque, quas in esum diebus alternis solebant percipere, eis diebus tantum dominicis semel et tenuiter ministravit. Potus vero modis variis alterabatur, interdum videlicet decoccione baccarum[m] lauri, qui modus festivior erat, nonnumquam radicum urtice, crebro enule campane, precipue cuiusdam herbe ignote, quam prepositus mirtum appellabat, quam tamen mirtum non esse omnes, qui mirtum noverant, testabantur. Alii herbam mortiferam esse dicebant, alii nec herbam, sed surculos radicum arboris, qui[n] vulgariter *vichtin* dicitur, quia in locis colligebatur[o], ubi huiusmodi arborum silvas fuisse constabat. Quicquid vero illud esset, decoccione eius fratribus uti necesse[p] fuit vel sitis miseriam sustinere. Eius vero sapor ita erat extraneus, ut plures ex fratribus, antequam usum eius[q] habere potuissent, decoccione aque simplicis uterentur. Neque enim ut quondam vini habebant remedium, quod prepositus, eis prorsus irrequisitis, ita pro suo distrahebat arbitrio, ut, si quo anno non ultra 50 vel 60 carratas vinea attulisset, vini eos nec meminisse quidem, ut sic dixerim, oporteret. Hinc itaque crebre inter eos dissensiones oriebantur, quoniam huiusmodi defectuum experiencia non omnibus usquequaque communis erat, sed eis tantum, quos adversarios prepositus deputabat, si qui videlicet super his in querele vocem erumpere presumpsissent, cum hi quoque, qui preposito familiarius adherebant, causas discordie cumularent. Quidam enim ipsorum, quorum erat capitaneus fratris prepositi filius, cuius supra in causa camere mencio facta est, pro suo viventes arbitrio, ceteris fratribus tam iunioribus quam senioribus graves solebant existere, ita ut in eos non solum verbis, sed eciam manibus excederent, quibusdam eciam interfeccionem, quod dictum[r] est horribile, minitantes nec ipsum quidem priorem, si vel[s] occulte quicquam de eorum tractasset excessibus, expertem talium relinquentes. Hec quidam de iunioribus intollerabilia, ut erant, iudicantes, maxime cum prepositus illos a talibus non compesceret, huiusmodi consensum inter se fecerunt, ut contra illorum violenciam ope[t] se vicaria tuerentur. Unde factum est,

---

a) coperante 2. b) regressus 3. c) diatim 2. d) et 2. e) eis 2. f) quia *deest* 1. g) iam *deest* 2. 3. h) instarent 2. i) reprehensale 3. k) quoque 3. l) in *deest* 1. 2. m) bacarum 2. n) quae 3. o) colligebantur 1. p) necessarium 3. q) eius *deest* 1. r) dictu 3. s) cum 3. t) opera 1.

ut, quoniam illi ab istis duplici numero vincebantur, a priori animositate penitus repressi, 1223. nichil de cetero talium attemptarent, sed tamen ipsa sua repressione acrius incitati, contra eos qui se represserant, quia suis non poterant, prepositi viribus utebantur. Quicquid enim a quoquam illorum propter cottidianum defectum murmurancium dictum fuisset, quod derogacionem prepositi vel tenuiter redoleret, statim eius noticie deferebant[a], de quo ille vindictam sumere[b], quantum poterat, non negligebat[c], singulorum eciam excessus, quos ante plures annos cognitos dissimulaverat, ut iustam videretur ulcionis habere materiam, replicando, nonnumquam vero eciam falsis eos criminibus infamando. Maxime vero id agebat, ut unanimitatem eorum, per quam[d] suos despectui haberi videbat, terrore dissolveret eosque cum illis ad concordiam revocaret; sed propositum non obtinuit, quoniam isti quanto magis impetebantur, tanto sibi striccius adherebant, ne divisi malis quibuslibet vel ab eo vel a suis illatis facilius subderentur. Concordare autem causis discordie non cessantibus difficile eis videbatur, cum videlicet necessaria et consueta tam in victu quam vestitu sibi subtrahi hisque alios deliciose uti, illorum quoque mala non modica a preposito non solum dissimulari, sed eciam defendi, sua vero interdum minima exaggerari seque pro his gravari conspicerent[e]. Preterea cum ipsi pro talibus[f] a querelis temperare non possent illique easdem querelas delacionis habentes materiam, incessanter contra ipsos prepositum incitarent, ad hoc[g] eciam impaciencia stimulati, eum quoque[h], quem ut patrem honorare debuerant, contempnebant, graves nonnumquam ipsi verborum contumelias irrogantes eiusque interdum iuste correpcioni[i] contumaciter repugnantes. Licet autem ipse ad gravandum eos occasione qualibet ex se ipso promtus semper existeret, certum tamen est, eum familiarium suorum delacionibus ad malum sepius incitatum. In his precipuus esse credebatur cellerarius, Otto nomine, cui magno favore prepositus erat obnoxius, vir elate mentis et dubie veritatis, sed qui hec[k] ipsa animi vicia verbis mollibus occultare noverat et cui ad hoc[l] agendum[m] vox[n] ipsa naturaliter infirma satis utiliter serviebat. Hic cum primum ad tale promotus esset officium, sicut a nonnullis consideratum est, favorem fratrum studiose sibimet cepit conducere, rerum mutacionem iam tunc cogitans, eorum procuracioni tam cottidiane quam festive diligenter intentus adeo, ut aliquando die festiviori ferculorum, que eis ministrabat, usque ad denarium numerus extenderetur[o], ad quod perficiendum parrochie quoque, cui preerat, officio iuvabatur[p]. Fratrum vero iuniorum[q] animos hiis rebus ita sibi devinxerat, ut, quod ei valde erat delectabile, crebro circa ipsum collecti providenciam ipsius collaudarent eiusque provisioni gracias agerent. Quorum plerique tempus venire quo ipse prepositus fieret, exoptabant. Verum post modicum hac eius ficta benivolencia[r] cum rebus, quibus preerat, deficiente, illorum quoque erga eum devocio lassabatur et dileccio paulatim transibat in odium et contemptum, quoniam et in aliis rebus eum alium, quam se ostenderet, experiebantur. Hiis enim, quos dudum aliis graves extitisse predictum est, patronum se exhibebat[s], preposito pro eis contra alios suggestiones faciendo eosque occulte, ut dicitur, animando et consilia ministrando. In hiis itaque, licet magnopere latere desiderans, experimento cognitus, tempore procedente[t] cum necessaria fratribus prescripto modo subtrahi cepissent, eis in querelam publicam contra prepositum excitatis, ipse quoque paulatim[u] palam adversarium se eis exhibuit, non solum quia insolubili quadam obligacione ipse et[v] prepositus quasi[w] coherebant[x], sed eciam quia ab eis, quorum favorem maxime expecierat[y], se contempni graviter ferebat, eos vero, qui partis erant prepositi, colligens eisque rerum omnium, quas aliis subtrahebat, copiam exhibens, contra alios prepositum variis delacionibus incitabat. Ne[z] autem ipse cum aliis gravamina procuraret, huius studii mercede Deo iudice fraudatus est, ymmo[a] confusionem ex eo viro prudenti et qui honestatem diligeret importabilem reportavit. Nam cum exercicio alee[b] omnisque generis ludorum deditus fuisset, tempore, quo de bona provisione laudabilis videbatur, alios quoque[c] de fratribus in hiis rebus socios sibi studuit adhibere. Ipse vero cum quibuslibet tam domesticis quam extraneis, qui similibus studebant, diebus crebro noctes continuans, dampnose nimis talibus

---

a) deferebantur 3. b) summere 2. c) negligebant 2. d) quam *in cod.* 1 *ex* quos *ab eadem manu correctum est.* e) conspiceret 1. 2. f) temporalibus 3. g) haec 3. h) eumque 1. i) correccioni 1. k) hoc 1. 2. l) haec 3. m) agandum 2. n) nox 3. o) tenderetur 1. 2. p) vivabatur 2. q) vivorum 2. r) benevolencia 2. 3. s) praebebat 3. t) praecedente 3. u) paulatim *deest* 1. 2. v) et *deest codd.* w) *sic correxi ex* quia 1. 2; ei 3. x) cohaerebat 3. y) expetiverat 3. z) Non 2. 3. a) imo 3. b) ale 2. c) quos 3.

1223. insistebat[a]. Denique alii 15, quidam 20, nonnulli 30 marcas ludo eum perdidisse infra unius anni spacium affirmabant. Qui rumor per cunctorum ora provincialium cum[b] volveretur, prepositum quoque non latuit, secularibus quibusdam viris eum redarguentibus, cur talia non compescendo ecclesiam suam dehonestari non minus, quam dampnificari permitteret, cum quidem ipse hec surdis auribus pertransiret. Fratres enim, tam prior[c] quam alii seniores, de his et similibus ad eius familiares pertinentibus cum eo quicquam tractare superfluum iudicabant, scientes[d] eum accusantibus quam accusatis pocius indignari. Cum itaque aliquando unum[e] de fratribus, cuius pre ceteris in prefato negocio familiaritate cellerarius usus fuerat, sed[f] quem tunc intensius persequi videbatur, ipso eum de quadam prepositi derogacione accusante, gravare disponeret et ille, quoniam testibus idoneis convinci non poterat, accusacionem ipsam per obedienciam requisitus negando dissolvisset, de excessu alio, in quo eum olim se deprehendisse asserebat, videlicet de ludo alee, eum cepit impetere, satisfaccionis ab eo debitum repetendo. Mansio sane, que curia prepositi appellabatur, ipso quandoque[g] digrediente, eo tempore quasi gymnasium fuit alea, scazis[h], tesseribus[i] globisque ludencium, Ottone signifero et, quod his studiis competebat, quodam eius serviente vini vel medonis venalitatem ibidem instituente, quasi taberna publica videbatur. Ibi die quadam frater ille, non tamen ludens, deprehensus, suspicionem ipsam a se protinus abstergere curavit, preposito, cuius tunc favore pociebatur, ne sibi indignari debuisset neve sinistram de se suspicionem habere vellet, humiliter supplicando, ipso eum, ut securus esset, hilariter adhortante. Igitur a preposito malum sibi paratum intelligens et eius auctorem non nesciens, culpatus omnem illam insignem narracionem de cellerario[k] cepit evolvere, dicens eum pocius arguendum et puniendum, qui tale dampnum rebus communibus intulisset. Preposito autem, ut taceret, precipiente, cum non acquiesceret, excommunicacionis contra eum statim sentenciam promulgavit. Fratribus autem qui, ut iam dictum est, contra familiarium prepositi violenciam se vicissim tuebantur, quorum hic unus erat, sentencie reclamantibus, tumultu facto, prepositus a consessu se abripiens, relicto capitulo, egressus est. Quem cum Otto sequeretur, illi inordinatis in eum vocibus uti ceperunt, alii furem, alii sacrilegum, alii Iudam traditorem, alii aleatorem publice inclamantes[l]. Sequenti die prepositus auctores tumultus illius mansuete satis redarguit[m], monens ut a talibus temperantes essent, contra opinionem quidem omnium et suam consuetudinem, cum et prolatam excommunicacionis sentenciam pridie facillime[n] relaxasset, non communi paci, sed cellerario tantum hac lenitate consulens, ne forte districta facti illius exsecucione[o], motu aliquo concitato[p], ille infamis amplius redderetur. Et ut abundantem[q] securitatem procuraret eidem, in virtute precepit obediencie, ne quis de cetero criminaciones illas, quas ille iniuste passus fuisset, presumeret iterare. Hoc autem eius studium pro tuendis familiarium suorum excessibus ex alio quoque eius facto cognosci potest. Unus fratrum, quos adversarios deputabat, in congregacione feminarum sororem habens carnalem cuidam familiarium eius indecencius adherentem, naturali zelo ductus preposito de hac re non semel conquestus est[r], petens ut eandem sororem suam a familiaritate illius[s], in qua esset mali suspicio, coherceret. Prepositus vero aliud, quam ille petebat, exequens, ipsum ab instancia conquerendi, cum verbis non posset, verberibus cohercere curavit, dicens ecclesiam ex illis querelis infamiam incurrisse, cum ille, ut pro[t] se aliquid diceret, eloquencie adiutorium non haberet. Nec defuit inter ista fratribus odiorum infelicitas, quibus ita contra se altrinsecus accensi erant, ut quidam partis prepositi in divinorum celebracione proximis sibi in choro alterius partis fratribus pacis osculum publice denegarent. Tales eo tempore fructus, peccatis suis exigentibus, ecclesia Sereni Montis de prelati sui, filii peccati, moribus colligebat[u].

Febr. 20. Heinricus de Rekkin Sereni Montis canonicus 10. Kal. Marcii de itinere Romano reversus, litteras ecclesie sue a sede apostolica impetratas attulit, quarum exemplum subiectum est:

Ian. 5. *Honorius episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Magdeburgensi, Moguntinensi et[v] Coloniensi[w] archiepiscopis et eorum suffraganeis et dilectis filiis abbatibus, prioribus,*

---

d) insistebat *in cod.* 1 *correctum est ex* insistebant. b) cum *deest* 1. 2. c) priorum 2. d) scientibus 3. e) unus 1. f) et 3. g) quoque 1. 2; quoquam 3. h) scacis 3. i) tesseris 1. k) tesserario 3. l) proclamantes 2. 3. m) redarguens 1. n) facilime 3. o) e consecucione 1. p) conscitato 1. q) abuti dantem 1. 2. r) et 3. s) illius *deest* 1. 2. t) per 3. u) colligebant 1. v) et *deest* 3. w) Colloniensi 2.

1223. *decanis, archidiaconis, prepositis et aliis ecclesiarum prelatis per Magdeburgensem, Moguntinensem et Coloniensem provinciam constitutis salutem et apostolicam benediccionem. Non absque dolore cordis et plurima turbacione*[a] *didicimus, quod ita in plerisque partibus ecclesiastica censura dissolvitur et canonice sentencie severitas enervatur*[b], *ut viri religiosi et hii maxime, qui per sedis appostolice privilegia maiori donati sunt libertate, passim a malefactoribus suis iniurias sustineant et rapinas, dum vix invenitur qui congrua illis*[c] *proteccione subveniat et pro fovenda pauperum innocencia se murum defensionis opponat. Specialiter autem, dilecti fili, prepositus et canonici monasterii Montis Sereni ordinis sancti Augustini, quod ad Romanam ecclesiam nullo pertinet mediante, tam de frequentibus iniuriis, quam de ipso cottidiano defectu iusticie conquerentes, universitatem vestram litteris pecierunt appostolicis excitari, ut ita videlicet eis in tribulacionibus suis contra malefactores eorum promta debeatis magnanimitate consurgere, quo*[d] *ab angustiis, quas sustinent, et pressuris vestro possint presidio respirare. Ideoque universitati vestre*[e] *per apostolica scripta mandamus atque precipimus, quatenus*[f] *illos, qui possessiones vel res seu domos predictorum, prepositi et canonicorum vel hominum suorum irreverenter invaserint aut ea iniuste detinuerint, que ipsis ex testamento decedencium relinquuntur, seu in eos contra appostolice sedis indulta sentenciam excommunicacionis aut interdicti presumpserint promulgare vel decimas laborum de terris habitis ante concilium generale, quas propriis manibus aut sumptibus excolunt, seu nutrimentis ipsorum, spretis apostolice sedis privilegiis, extorquere, monicione premissa*[g], *si laici fuerint, publice candelis accensis excommunicacionis sentencia percellatis, si vero clerici vel canonici regulares seu monachi fuerint, eos, appellacione remota, ab officio et beneficio suspendatis, neutram relaxaturi sentenciam, donec iam dictis preposito et canonicis plene satisfaciant et tam laici quam clerici seculares, qui pro violenta manuum inieccione anathematis vinculo fuerint innodati, cum*[h] *diocesani*[i] *episcopi litteris ad sedem apostolicam venientes ab eodem vinculo mereantur absolvi. Villas autem in quibus bona predictorum prepositi et canonicorum vel hominum suorum per violenciam detenta fuerint, quamdiu ibi sunt, interdicti sentencie supponatis. Datum Laterani Nonis Ianuarii pontificatus nostri anno octavo.*

Willehelmus secundus de Lipzke prepositus ad preposituram Drubicensem[77] translatus est, cui in priori ecclesia successit Ekkehardus eiusdem loci canonicus.

Anno 1224. Sophia Quiddelingenburgensis abbatissa, filia Friderici comitis de Brene, filii Conradi marchionis senioris, magnorum et non paucorum excessuum rea deponitur. Viros enim quosdam malignos et latrocinantes in castro Quiddelingeburc pro sua, ut dicebat, tuicione colligens turresque monasterii instar castelli munitas pro domicilio eis permittens, impudenter his res ecclesie impendebat et feoda conferebat, cum illi pacem provincialium cottidianis incursibus perturbarent. Civium preterea Quiddelingenburgensium diciores pro suspicione, quod civitatem Hoiero[k] comiti de Valkinstein, cum quo ipsa de advocacia eiusdem civitatis litigabat, tradere vellent, captivatos et incarceratos[l] tam diu afflixit, donec filios suos conservande ei fidelitatis obsides dare coacti sunt, quorum plures, cum ipsa pro eo quod erat animi inclementis necessaria subtraheret, mortis periculum incurrerunt. Ad hoc[m] eciam de dilapidacione nec minus de lapsu carnis et neglectu religionis multipliciter infamata, omnibus circumquaque de se loquendi materiam ministrabat. Friderico autem imperatore pro expugnandis paganis longo tempore in Sicilie partibus[n] occupato, rex iuvenis filius ipsius cum deputatis sibi principibus Cisalpinum imperium gubernabat. Cui Northusin curiam celebranti[78] Heinricus comes Ascarie, filius Bernhardi ducis, et Hoierus comes de Valkinstein et alii plures nobiles et ministeriales de premissis abbatisse excessibus, illa[o] absente, conquesti sunt, precipue obsidum mortuorum patres, qui cum clamore vulgari, quo ad arma convocacio fit, iustum contra eam iudicium postulabant. Quam rex, ut de obiectis[p] satisfaceret, ad proximam curiam Egere per sentenciam evocavit. Quo[79] cum illa muliebri superbia venire contempsisset, omni eam sue dignitatis iure seculari, sentenciantibus qui aderant principibus, spoliavit. Deinde inquisicione contra eam a sede

---

a) perturbacione 1. b) enarratur 2. c) illius 2. d) quod 2. 3. e) nostre 2. f) quotinus 2. g) premissa *deest* 2. h) *sic correxi ex* cum *codd.* i) diocesanum 2. k) Horero 1. 2. l) *verba* et incarceratos *desunt* 1. m) hec 2. 3 n) in Sicilia 3. o) ilia 2. p) abiectis 1.

77) Drübeck inter Ilsenburg et Werningerode situm. 78) a. 1223. inde ab mense Iulio usque Septembrem. 79) Haec curia a. 1223. Nov. 10. habita est.

1224. apostolica impetrata, inquisitorum sentencia[a] ita deposita est, ut ad eandem dignitatem in aliqua ecclesia de cetero eligi non valeret. In locum vero eius electa est Bertradis de eadem ecclesia[b], soror Conradi[c] quondam Halverstadensis episcopi et Guncelini[d] et Friderici de Crozuc[e].

Accidit in civitate Hallensi ut parrochianus Sancte Gertrudis[f], Wicmannus nomine, Novi Operis canonicus, die quadam ad morientem aliquem vocaretur. Qui veniens invenit hominem ex his quibus est coquendi salis officium, qui se in sartaginem sui operis bulientem iniecerat, semicoctum et toto pene corpore inutilem effectum, nisi quod lingua[g] adhuc vivaciter utebatur. A quo dum casus illius miserandi causam modumque requireret, ille presbiterum auditu recognoscens, quia visu non poterat, oculis scilicet decoccionis vaporibus obscuratis et cute turgescente compressis, rogabat ut, submotis aliis, soli ei loquendi sibi copia prestaretur. Quod consecutus cepit dicere, se magna peccatorum suorum penitudine ad opus illud adductum nec tamen ad hoc sine consilio accessisse. Presbitero autem dicente, non bono eum usum esse consilio, cum illicitum sit, ut pro quacumque causa nobismet ipsis mortis periculum inferamus, et, quis tale ei ministrasset consilium, sciscitante, respondit: *Ante dies aliquot*[h] *cum me peccatorum meorum recordacio tristem admodum reddidisset, repente, ubi eram, intrantes ad me vidi viros albis indutos vestibus, qui me alloquentes et sermonem mecum miscentes inter alia causas a me tristicie requirebant. Quas cum eis simpliciter aperuissem, me videlicet ex scelerum*[i] *meorum memoria tristari, pro quibus semper augmentum capientibus eterno me non ambigerem supplicio deputandum, illi recte et utiliter me tristari asserentes, consilium tale se michi daturos dicebant, quo ad plenam peccatorum indulgenciam pervenirem, scilicet ut me ipsum Deo sacrificarem et salina in sartagine buliente*[k] *corpus meum, cuius ministerio Deum offendissem, illis fervoribus inicerem cruciandum, affirmantes hoc Deo modis omnibus placiturum*[l]. *Ego vero consilium amplectens, cum illi a me recessissent, cepi observare tempus aptum, quo id perficerem, ne me cuiusquam presencia impediret. Hodie vero cum solum me esse contigisset, illi iterato michi apparentes, suadebant ut ad propositum accederem, addentes quod periculosa esset dilacio, cum mors incerta tam utile posset consilium adnullare. Ego nichil moratus, quod monebant*[m] *implevi et nescio, utrum ex hoc michi iuxta illorum promissum indulgencia sit speranda. Immo vero perpetuam per hoc dampnacionem,* ait presbiter, *timere debes, nisi penitencie adiutorio redimaris;* demumque eum instruens, ut consilium illud diaboli et, qui sibi apparuerant, demones fuisse intelligeret, ad peccatorum confessionem eum instancius hortabatur, immensitatem divine misericordie et quam sit paratus Deus suscipere penitentes ei sepius inculcando. Ille deceptum se animadvertens et ad tantam miseriam non solum infructuose sed eciam[n] periculose se venisse considerans, a fundo cordis ingemuit et sceleris in se ipsum commissi se penitere modis omnibus fatebatur. Deinde peccatorum suorum vulnera fideli prorsus et devota confessione aperiens, ea penitencie lacrimis infundebat. Post confessionem iam bone spei factus, presbitero, ut transitum suum, qui iam adesse videretur, eukaristie[o] percepcione muniret, admonente, respondit, hoc quidem valde esse desiderabile, sed fieri non posse, quoniam inflato gutture gluciendi copiam non haberet. Rogabat autem, ut presbiter corpus Domini summis contingens digitis, eorum ablucionis aquam sibi sumendam porrigeret pro testimonio[p] fidei sue, quam de illo sacramento firmiter retineret. In hac accione illis occupatis, subito presbiterum, an aliquid audiret, interrogavit. Quo respondente, nichil se nisi ipsum audire, eumque quid[q] audiret vicissim interrogante, respondit, voces se multorum quasi sub terra audire lugencium et flencium viderique sibi illorum esse, quos ante modicum consiliarios habuisset. Nec multo post Deum, ut sui misereretur[r], crebro invocans animam reddidit ecclesiasticaque est conditus sepultura. De hoc cum fatendum sit, cum peccatis aliis hoc[s] quoque, quod se ipsum illicite punivit, ei per penitenciam vel remissum vel remissibile factum, hoc quoque non temere fortasse[t] credi potest, quod eadem pena per ipsam penitenciam, ut sic[u] dicam, purgata ipsi purgatoria sit effecta; sicut latroni illi beato post confessionem pena scelerum non inepte[v] creditur con-

---

[a] sentencia *deest* 1. 2.
[b] *verba* de eadem ecclesia *desunt* 1.
[c] soror Conradi *manu moderni temporis in cod. 1 addita sunt.*
[d] Guntelini 3.
[e] Crocuk 3.
[f] Gerdrudis 2.
[g] ligua 1.
[h] aliquod 2.
[i] celerum 2.
[k] bulliente 2. 3.
[l] placitutum 2.
[m] monebatur 3.
[n] eciam *deest* 3.
[o] eucharistie 2.
[p] testamento 2.
[q] quod 3.
[r] miseretur 1.
[s] hic 2.
[t] fortassis 3.
[u] sicut 2.
[v] inepta 2.

1224. tulisse martirium. Haldislive civitas ab hominibus Alberti archiepiscopi reedificatur[80], ipso in partibus Lonbardie[a] servicio imperatoris iam per triennium[b] occupato.

Discordia, de qua superiori locucione[c] satis dictum est, inter fratres ecclesie Sereni Montis necdum sopita, Tidericus prepositus die parasceue in communi capitulo in virtute Apr. 12. precepit obediencie ut, si quis rancorem contra alterum retineret, ab altaris abstineret communione. Post capitulum vero a quibusdam fratribus senioribus contra suum propositum[d] inductus, tam eos, qui sui favoris erant, quam illos, quos adversarios deputabat, privatim convocans ad concordiam hortabatur, continuato sermone subiungens, frustra eos carnium et aliarum rerum exaccionem facere, quoniam ipse tantis expensis sufficere non valeret. Illi vero, quos per exaccionis verbum notaverat, responderunt, se discordandi causam non habere nisi necessariorum defectum et, ea sublata, quiete se acturos, manente autem, nullo modo posse querimonias cohibere. Quo responso motus prepositus ab interdicto quidem communicacionis statim suos absolvit, tamquam paci[e] et concordie in nullo reluctantes, illis vero introitum ecclesie districte interdixit, quasi per ipsos pax et concordia turbaretur. Cum autem in hoc animi motu ad divinorum celebracionem accederet, quidam de fratribus eum rogantes, ut pro reverencia festivitatis instantis indignacionem compesceret, vix a sentencia reduxerunt. Et communionem quidem tunc illis indulsit, verum, peracta festivitate, cum quibusdam ipsorum se minatus est aliter tractaturum. Hoc enim artificio in omni pene casu, quo ei gravandi subditos occasio provenisset, uti consueverat, ut in decisione cause partem aliquam non relaxatam reservaret[f], de qua oportune se tractaturum dicere solebat, ut sic eos suspensos teneret et trepidis suspicionibus, quasi impendente adhuc gravamine, fatigaret. Verum paucis post festivitatem elapsis diebus, novam quandam illis turbacionem huiusmodi occasio[g] procuravit.

Quidam fratrum laicorum, quos barbatos vocari usus obtinuit, coquine officium commendatum habens, fratribus tam verbis quam factis iniuriosus esse consueverat, presertim his quos a preposito noverat non amari. Inter cetera siquidem illorum temporum mala consuetudo dolenda irrepserat, ut, quoniam carnes fratribus diebus statutis in communi non[h] ministrabantur, isti nummos invicem conferentes et ad fora vicina transmittentes carnes emerent, irrequisito priore, extra refectorium uterentur, unde fiebat, ut in huiusmodi diebus vix duo vel tres preter priorem fratres hora refeccionis in refectorio invenirentur. In hoc quoque negocio frater ille, coquine prepositus, male voluntatis his aliquid ostendere non negligebat, modo videlicet ad hec necessaria denegando, modo coquos[i] a preparacione rerum ad eos pertinencium prohibendo, eos vero, qui partis erant prepositi, tam in congregacione virorum quam feminarum modis omnibus honorabat eisque supra communem procuracionem de rebus officii sui quicquid desiderassent impendebat. Erat hic de familia ecclesie ex eo genere hominum, qui zmurdones[k] appellantur[l], tante superbie, ut mirum esset, rusticam mentem angustis rebus et paupertati assuetam[m] tantum inflari potuisse, cum fratres quoque ipsius carnales et cognati cottidiano congregacionis servicio in coquenda[n] cervisia[o] dediti[p] et ex eodem servicio sordidi sepe vultus et habitus effecti generis sui abieccionem eius frequenter oculis presentarent. Verum idem cum Ottone cellerario ex magno dileccionis calore undecumque conflato in unam, ut sic dicam, animam confluxerat, prepositum vero obsequio, quod suis et maxime sorori eius, que in congregacione[q] feminarum in seculari habitu vivebat, studiose admodum impendebat, ita sibi devinxerat[r], ut querimonias fratrum, eciam prioris, quas crebro de ipso proferebant, prorsus negligeret, cum tamen ipse quoque elacioni eius nonnumquam testimonium perhiberet. Accidit autem die quadam, ut unus fratrum ex iunioribus lignum unum ex his, que per sexagenas numerari solent, ut operis quippiam ex eo faceret, petiturus, illo absente, coquinam intraret et, servis qui aderant licenciantibus, lignum tolleret et abiret. Cui ille superveniens, quoniam hic ex eorum numero erat, quibus omnis boni participium negabatur, ut lignum redderet, cum fastu verborum edixit[s]. Quo nolente, eum insecutus detinuit et reluctantem[t] eciam per

a) Longobardie 3. b) *verba* iam per triennium *desunt* 3. c) locucioni 2. d) prepositum 1. e) parati 1. f) conservaret 3. g) occasione 3. h) convivio 2 *pro* communi non. i) cocos 2. 3. k) Zmirdones 2. l) appellabantur 2. m) consuetam 3. n) coquendo 2. o) cerevisia 3. p) dedici 1. q) congregationem 3. r) devixerat 1. 2. s) eduxit 1. 2. t) reluctante 3.

[80] Cf. Magdeburger Schöppenchronik p. 146.

1224 capillos, ut ille fatebatur, retinere conatus est, qui tamen violenter se abripiens, retento ligno recessit. Sed cum prepositus eidem de illata[a] contumelia conquerenti nichil satisfaccione[b] dignum factum esse iudicasset, tam ipse quam quidam eius socii impaciencia stimulati et ex presenti facto preteritas recolentes iniurias, opus opinione maius aggredi fratremque illum non verbis sed verberibus corripere statuerunt. Itaque oportunitate captata, die quadam preposito absente, eum aggrediuntur, quos ille cultello fixorio[c], quo dudum suspectos eos habens se munierat, facile a se submovit[d], cum ad eum vacuis manibus accessissent. Erant autem quatuor numero. Unus tamen eorum fustem habens aliquot[e] ei plagas imposuit, cuius animositate et instancia territus et armature sue oblitus, exclamavit et in fugam versus coquina se recepit ac per fenestram secretam aliquem famulorum alloquens festine cellerarium vocari fecit. Cui venienti, quod[f] sibi acciderat, confusus exposuit, addens quod pro illius hortatu, quo eum confidere et nichil tale timere crebro persuaserit, honoris sui et pene vite periculum incurrisset. Nec domo palam prodire ausus se in secreciori parte usque ad vesperam continuit, sicque per cellerarium eductus ad allodium Lubacisdorp[g] discessit, ut illic prepositi reditum expectaret. Prepositus rediens ubi factum comperit, more suo iratus animi motum agitacione corporis et verbis minacibus fatebatur. Deinde cum reos in capitulo plagis virgarum singulos a duobus emendari fecisset, adiecit precipiens, ut fratrum omnium ultimi essent, donec ipse eos ad loca propria revocaret. Mai. 22. Erat eo die vigilia ascensionis Domini, quando videlicet ad processionis sollempnitatem adiacencium villarum numerosior solet populus convenire[h]. Illi reputantes, quod prepositus illa ultimacione eos ostentui habere vellet[i], ut in presencia populi confusionem publicam sustinerent, responderunt se illi precepto obedire non posse. Quos ille statim a communione fratrum suspendit, precipiens eos ab omnibus evitari. Superiores sane prepositos ad interdicendum et[k] excommunicandum non ita faciles fuisse constat sed, si quando, ut assolet, correccioni aliquem reluctari contigisset, dilacione interposita aliis fratribus id operis iniungebant[l], ut admonicione fraterna eum ad obedienciam revocarent, sic demonstrantes se[m] peccancium emendacionem querere, non gravamen. Unde fiebat sepissime, ut tales eorum oppressi mansuetudine erubescerent non obedire his, quos non vindicte sed sue salutis cupidos agnovissent. Hunc autem diverso modo agentem diversus sequebatur effectus, dum exturbatis et precipitatis eius sentenciis subiecti ad maiorem proterviam raperentur, quippe qui eum suo tantum gravamini studere experimentis pluribus didicissent[n], quod sicut in aliis pene omnibus ita in hac quoque causa cognoscitur evenisse. Denique illi, quos vitari preceperat, plures e fratribus sue communionis participes habentes, interdicti sentenciam contempnebant; verum quibusdam amicis suis eos admonentibus, ne et sibi et aliis, qui pro ipsis solliciti essent, maius aliquod gravamen occasione illius cause, que in nulla sui parte esset favorabilis, procurarent, difficulter licet, ut facerent quod sibi iniunctum fuerat consenserunt. Sicque eisdem aput prepositum pro eis intercedentibus, in Iun. 1. vigilia penthecostes cause illius vinculis absoluti sunt. At frater ille coquine magister a loco, ad quem discesserat, pendente negocio redire pertimuit nec eciam postmodum reversus satis securus fuit nimirum experiencia priorum territus, quoniam ei iam possibile videri ceperat quod prius nec quidem cogitabile videbatur, cum eciam illi, quos nuper male expertus fuerat, ei nisi ab officio, in quo eis et aliis multas irrogasset iniurias, abstineret, peiora prioribus minarentur. Unde factum est, ut per plures dies nec iussione prepositi nec hortatu cellerarii ad suum posset officium revocari.

Inter hec silencio premendum non est, quibus modis prepositus defectui[o] rerum, quas administrabat, subsidia parare temptaverit, si quidem, ut predictum est, et indulgenciam hac racione obtinuit et fratres locis aliis partiri disposuit, licet in his ei fortuna noluerit arridere. Est villa episcopi Misnensis supra fluvium Mildam, miliarii spacio distans a villa Numik, que Lubanitz[81] dicitur. Hanc concambio acquirere et in ea claustrum novum construere et illuc[p] congregacionem transferre voluit affirmans, quod in loco priori manentibus pro difficultate vecture et aque penuria extreme inopie periculum[q] immineret, quasi

---

a) illa 3. b) satisfaccioni 1. c) fvtorio 2. d) amovit 3. e) aliquod 2; aliquid 1. f) quid 2. 3. g) Lubatisdorf 3. h) advenire 3. i) haberet velletque 3. k) et *deest* 2. l) iniungebat 3. m) se *deest* 2. n) *sic correxi ex* didicisset *codd.* o) defectum 1. 2. p) illhuc 3. q) pericum 2.

81) Löbnitz.

1224. ei necessaria ad illum locum vectorum[a] essent[b] ministerio deferenda. Nec defuere[c] de fratribus, qui ei ad[d] hoc consentirent[e] et quidem[f] seniores, licet pauci et tales qui pro privatis suis commodis et eius favore ad quidlibet[g] consensissent. Civitatem eciam in campo, qui ab occidente monti adiacet, edificare propositum habuit, affirmans omnes suos consanguineos et plures alios prudentes viros illud consilium approbasse. Ad hoc proventus[h] omnes possessionum ecclesie in tres partes dividere voluit, ut duas ex his fratres ad suos usus reciperent, ipse vero de tercia sibi et hospitibus provideret, alias quoque divisionum species interponens. Erant enim hec signa animi instabilis et perturbati et consilium non habentis, exemplo egroti, qui febribus vexatus nunc de latere in latus convertitur, nunc supinus[i] iacet, nunc[k] vero in ventrem regiratur, mutacione se sperans requiem invenire. Fratribus autem, qui nichil eum simpliciter agere arbitrabantur, cum certum quoque sit, infirmas res[l] divisione non roborari, sed magis infirmari, divisioni contradicentibus eique ad hec ita respondentibus, ut duabus illorum partibus cum tercia sua compositis ipsis necessaria de omnibus ministraret, ait iam se eorum indigencie culpa non teneri, cum constaret eos propriis utilitatibus reluctari. Sed cum die quadam in capitulo defectuum suorum ei commemoracionem facientes eosdem peterent emendari, respondit eos non iuste aliquid a se exigere, quibus facultatem, ut se ipsos copiose procurarent de duabus scilicet possessionum suarum partibus, obtulisset, quod nunc quoque, si vellent, eis permitteret vel, si magis id eligerent, totam eis administracionem ex integro resignaret. Quod quidem non ex intencione adiecit, sed quodam fervore loquendi, verbis, ut plerumque contingit, incaute procurrentibus, putans eos hoc[m] nullo modo recepturos. Illis autem, si id fieret, communis utilitatis spes nata est et, deliberandi de hoc usque post prandium induciis postulatis et acceptis, facto prandio, ipso interim in sua mansione quiescente, convenerunt et, ut totam administracionem susciperent, consenserunt. Quidam tamen familiarium eius, quibus illud factum quedam prepositi deieccio videbatur, qui se quoque privatis per hoc commodis privandos senciebant, licet propter communem consensum palam reclamare erubescerent, mutacionem hanc equanimiter non ferebant, quod eciam non usquequaque poterant occultare. Denique unus ipsorum, filius fratris eius, qui iam sepius commemoratus est, priorem et quosdam seniores, qui ad vocandum prepositum exierant, cursu precedens eumque quiescentem inveniens, ut surgeret, clamare cepit, dicens eum, ut verbo[n] eius utar, prebendarium futurum, qui prepositi nomen actenus[o] habuisset. Ipse vero, etsi grata ei pro se eius erat emulacio, propter presentes eum redarguens indignari eius irreverencie videbatur, ad fratres eius[p] autem perveniens, hoc quod elegerant sibi placitum fatebatur[q]. Deinde cause statum ordinaturus primo[r] 30 marcas ad suos et sibi serviencium privatos usus singulis quatuor annorum, quos illam ordinacionem durare volebat, sibi dari constituit preter administracionem victus, qui ei de communi esset iuxta solitum exhibendus[s]. Tribus quoque, qui administracioni preessent[t], eius permissu a fratribus electis, his insuper debita sua solvenda imposuit et unum ex ipsis, Ottone cessante, cellerarium ordinavit. Hec in vigilia apostolorum gesta sunt. Iun. 28. Pluribus itaque eciam extraneis visum est commune bonum ecclesie Sereni Montis ex hoc principium accepisse, si tamen prepositus fidem negocio conservaret. Verum ipse, quo animo factum illud acceperit[u], non multo post eciam ad oculum demonstravit. Erat quidam de fratribus laicis, quem negociis suis agendis prefecerat, qui duos equos suis habebat usibus deputatos. Hos pro eo, quod negociis iam absolutis[v] negociatore opus non haberet, administratoribus illis ad communes usus petentibus denegavit hac racione, quod eos sua, ut dicebat, pecunia comparasset. Unde factum est, ut unus illorum die proximo causam ecclesie aliquam acturus pedibus suis iter agere cogeretur. Fratrem vero illum laicum contra ordinacionem priori die factam in possessiones ecclesie premittens, hominibus placitum, quod vulgari verbo gedinck[w] dicitur, iussit indicere, quem ipse subsecutus, nullo illorum trium presente, placito presedit causas iudicando, eo modo et aliis, quibus villici negociantur, aliquid pecunie cupiens expiscari. Huius autem intencionis eum fuisse, ex quodam eius dicto poterat[x] apparere. Altera[y] namque[z] ordinacionis illius die eo ad mensam cum familiaribus consedente et de his que acta fuerant sermocinante[a], unus

[a] *sic correxi ex* ventorum *codd.* [b] ēē ꝟ 2. [c] defuerunt 1. [d] de 1. [e] assentirent 1. [f] quidam 3.
[g] aliquid libet 3. [h] preventus 3. [i] sipinus 2. [k] modo 3. [l] res *deest* 2. [m] haec 3. [n] verbis 3.
[o] hactenus 3. [p] eius *deest* 2. 3. [q] videbatur 1. [r] primo *deest* 3. [s] exhibendum 1. [t] preesset 1. 2.
[u] accepit 1. 2. [v] absolutus 1. 2. [w] dinc 2. 3. [x] poterit 3. [y] altaria 2. [z] autem 1. [a] sermocionante 1.

1224. astancium pro favore eius, ut aliquid sollicitudinis pro ipso se habere ostenderet, dixit quod[a] in 30 marcis sibi dandis suis[b] expensis non sufficienter suo iudicio providisset[b*]. Cui subridens respondit, se infra anni spacium, si viveret, super illas 30 alias lucraturum. Unde quis non videat, et in illis 30 marcis exigendis et in istis, ut sperabat, lucrandis eum rebus communibus[c] depredandis et suis privatis, quibus non egebat, augendis ingenio miserabili intendisse[d]. Alium item equum, quo ipse aliquando vehi consueverat quemque, cum ei propter incommoditatem incessus displicuisset, in opus allodii, quod in pede montis positum est, locaverat, ipso die quo mutacio illa facta est abstulit, satis ostendens se communis utilitatis, que per alios promovenda foret, invidia non carere. Fertur eciam, quod familiares suos hortatus fuerit, ut servicia, que diebus festis et[e] in anniversariis fidelium exhiberi consueverant, que tamen ipse ante plures annos eisdem negaverat, exigerent, spondens quod ad hoc eius adiutorio potirentur. Quod quidem de eo verum esse illi probare visi sunt eadem servicia exigendo. Illorum sane trium, qui administracioni erant prepositi, tale fuit propositum, ut primo et precipue congregacioni necessaria providerent[f] ac deinde[g] extraneis et hospitibus iuxta quod eis esset possibile ministrarent. Prepositus vero dicebat hospites eciam invitandos esse, quod se quoque facturum asseruit, quorum procuracioni suo deberent exemplo diligenciam adhibere. Et quidem eum ab hospitibus frequentatum constat, sed maxime a suis consanguineis, quibus omne studium neglectis fratribus impendebat. Verum illi qualitatem animi eius erga se et commissum sibi negocium signis premissis et quibusdam aliis colligentes, non aliud expedire viderunt, nisi ut mature ab administracione recederent, quoniam, eo sibi obnitente, quanto diucius in ea stare contenderent, tanto maiorem confusionem, nichil utilitatis[h] perficientes, exinde reportarent. Itaque quatuordecim ab institucione sua diebus elapsis, male voluntatis eius coram fratribus indicia proponentes, onus impositum simul deposuerunt, cum ille nec propriam conscienciam nec ea, per que detectus erat, veritus ac bona fide ad factum illud se accessisse iuramentis horribilibus affirmaret. Licet autem ipsi administracioni renunciantes nichil extra placitum eius egissent, non tamen statim eos absolvere voluit, contenciose affirmans se velle ut quod ordinatum fuerat permaneret; nimirum hac in eis suspensione punire volens hoc, quod quasi ad ipsum de mala administracione infamandum illud eos suscepisse ministerium iudicabat. Denique postmodum uni eorum sibi familiariter tunc[i] adherenti confessus est, se propter hoc eisdem non mediocriter indignatum. Tandem rebus ad priorem statum revocatis, Otto cellerarius, ne vel ipse vel prepositus trium illorum proposito impares apparerent, simul eciam diuturne pertesus[k] discordie preposito persuasit, ut carnes fratribus, quas pene per annum eis[l] negaverat, ministraret. Prepositus vero indignanter ferens, quod id quasi coactus facere videretur, quippe per exaccionem[m] talium, qui iuniores essent et fratrum infimi[n] — erant autem isti de quibus superius dictum est, quod contra violenciam familiarium prepositi ope se vicaria tuerentur —, ut salsamentum carnibus adderet, arccioris[o] eos discipline cepit vinculis innodare. Sed cum in capitulo de ordinis observancia edicta proponeret, illi, contra quos specialiter his armis utebatur, ad hec servanda se paratos dicebant, dummodo generaliter omnes eisdem legibus subiugaret. Quod ipse virtutum omnium scrupulum ac fedissime pravitatis dispositor, confusionum omnium et discordiarum promptissimus reparator, filius peccati, bestia perdicionisque[p] prepositus propter eos, qui sue partis erant, dictum intelligens, quos nimirum ea nequaquam servaturos noverat, respondit se potestatem habere, quos vellet a coaccione liberos relinquendi; miserandus, quod[a] eum ad tale responsum necessitas compulisset, quo se de potestate iactaret, quo posset suis dilectoribus perdicionis aditum aperire. O more[q] canem, o tocius in omnia sceleris adamantem[82]! Cur repentina morte non occiditur, qui tante abhominacionis, ut sepius dictum est, princeps extitit? Instabat tamen coaccioni pro eo quoque, quod eos videret[r] discordie pertinacius inherentes a se procedere[s] propter fratrem illum coquine magistrum, qui eorum timore officium suum recipere declinabat. Dedicacionis autem ecclesie festivitate transacta[t], Alberto preposito Sancte Affre[u] Misnensis mediante, omnes ad concordiam redierunt. Qua

---

a) quid 1—3. b) sibi 1. b*) providisse 1—3. c) quibus 3. d) incendisse 2. e) et *deest* 3. f) providerentur *add.* 1. g) demum 1. h) eius *deest* 1. 2. i) tunc *deest* 1. k) processus 3. l) eius 2. m) accionem 1. n) infirmi 2. o) acrioris 3. p) perdicionis 2. q) mere 2. r) *sic correxi ex* videlicet *codd.* s) *sic correxi ex* procedente *codd.* t) peracta 3. u) Afrae 3.

[82] Adamantem intelligo magnetem lapidem, qui totum scelus ad omnia trahat. ECKST.

reconciliacione eciam magister coquine participans ad officium suum timore rediit absolutus. 1224. Exinde omnis ille rigor de ordinis observacione inductus cepit lentescere et ad dissolucionem pristinam inclinari[a].

Inter hec nova quedam adversitas preposito nata est huiusmodi occasione. Tempore, quo Albertus archiepiscopus sub Innocencio papa eiusdem pontificis legacione[b] functus est, contra Fridericum Halverstadensem episcopum pro eo, quod a favore imperatoris excommunicati recedere nolebat, excommunicacionis sentenciam promulgavit[82]. Quem dum pene omnium ecclesiarum, que sub ipsius iurisdiccione erant, prelati iuxta mandatum prescripti legati vitandum decrevissent, Sifridus abbas Hilseneburgensis ab eius communione nequaquam credidit abstinendum. Pro quo dum idem legatus eundem non renitentem deposuisset, monachis ipsius monasterii alterum pro eo eligendi legittimas inducias non negavit. Quibus, ut ipse testabatur, exemptis, cum alium non elegissent, Hartwicum Pigaviensem monachum eis abbatem instituit benediccione confirmatum, illis pro eo, quod ipsum recipere nolebant, excommunicacionis sentencia[c] involutis. Verum cause procuratoribus ab utraque parte ad presenciam summi pontificis destinatis, papa ex eorum narracione factum cognoscens[d], respondit, quod[e] nec legati sui factum irrogare vellet nec monachis iusticiam denegare. Unde dato mandato monachos absolvi fecit[f] sub hac forma, ut Hartwicum abbatem reciperent eique obedienciam facerent, habentes postmodum contra ipsum pro iure suo licenciam proponendi, rebus ecclesie intactis interim reservatis[g]. Quod cum illi facere contempsissent, ex ipsius mandato sentencia degradacionis lata est in eosdem, a qua ipso vivente constat eos nullatenus absolutos. Post mortem Innocencii tercii[h] monachi predicti successori 1216. ipsius Honorio aliud pro alio suggerentes, contra Hartwicum abbatem[i] et[k] Rochmannum[l] quendam monachum Hilseneburgensem, qui ei adheserat, iudices[m] impetrarunt, facientes illos per eosdem[n] excommunicacionis sentencia infamari. Sifridus sane abbas Pigaviensis Hartwico abbati, qui eius erat consanguineus, cellam quandam Zcolene dictam assignaverat, de cuius redditibus suis posset necessitatibus providere. Hartwico interim abbate mortuo, Rochmannus, quem abbas Pigaviensis in sua receperat, Romam profectus, executores obtinuit episcopum[83] et prepositum Brandenburgenses[o] et abbatem Pigaviensem, qui monachos Hilseneburgenses prefatum monasterium relinquere et ad presenciam summi pontificis graciam petituros venire compellerent sibique de rebus illius ecclesie convenienter facerent provideri. Illis non ea qua volebat vigilancia in execucione mandati utentibus, secundo Romam profectus, aliud mandatum obtinuit, cuius continencia talis est:

Honorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis abbati et priori Pigaviensi Mersenburgensis[p] *diocesis et preposito Brandenburgensi salutem et apostolicam benediccionem.* 1223. Ian. 20. *Dilectus filius Rochmannus*[q]*, monachus monasterii de Hilseneburg Halverstadensis diocesis, in nostra proposuit*[r] *presencia constitutus, quod venerabilis frater noster Albertus*[q] *Magdeburgensis archiepiscopus, dum in partibus illis legacionis officio fungeretur, Sifridum tunc monasterii predicti abbatem a regimine illius canonice removerit, exigentibus culpis suis, et Hartwicum monachum eidem monasterio prefecerit in abbatem, monachis*[s] *eiusdem loci pro eo, quod dicto Hartwico*[q] *exhibere obedienciam ac reverenciam debitam renuebant, excommunicacionis vinculo innodatis. Eisdem pertinaciter in sua contumacia perdurantibus, de speciali apostolice sedis mandato lata fuit degradacionis sentencia in eosdem, exceptis quibusdam valetudinariis et pueris, circa quos fuit huiusmodi sentencia temperata. Verum idem monachi tam degradacionis quam excommunicacionis sentenciam*[t] *contempnentes, unum ex se in abbatem eligere presumpserunt, cum quo ipsum monasterium obtinentes celebrare divina officia non verentur. Unde nos bone memorie Brandenburgensi episcopo ac vobis, filii abbas et preposite*[u]*, dedimus in mandatis, ut ab ipso monasterio eiceretis huiusmodi presumptores et tam diu degradatos et excommunicatos, pulsatis*[v] *campanis et candelis accensis, nunciaretis eosdem et nunciari faceretis in partibus convicinis, donec dimisso monasterio sepe dicto cum litteris*

---

[a] inclinare 1 [b] legatus 3; *verba* functus est *desunt* 3. [c] sentenciam 1. [d] agnoscens 1. [e] quod *deest* 3. [f] fecit *deest* 2. [g] conservatis 2. 3. [h] *sic correxi ex* II. *codd.* [i] monachum 3. [k] et *deest* 3. [l] Rothmannum 2. 3. [m] indicens 2. [n] pro eadem 3. [o] Brandenbergensem 2. 3. [p] Mersburgensis 2; Merseburgensis 3. [q] *in codd. litterae initiales tantum leguntur.* [r] praeposuit 3. [s] monachis *deest* 3. [t] vinculum 3. [u] preposito 1. 2. [v] pulsis 3.

[81] a. 1213. [82] Sigfridum II. mortuum a 1221.

1223. *vestris rei seriem continentibus ad apostolicam sedem accederent misericordiam petituri, adiecto, ut ad eiciendum eos, si opus esset, assumeretis auxilium brachii secularis et prefatum Rochmannum[a] ab ipsorum molestiis defendentes, faceretis eidem de bonis monasterii ipsius congrue provideri. Ac demum vobis, prefatis monachis et fautoribus eorum plus debito deferentibus et pretextu quarundam[b] excepcionum[c] maliciose obiectarum ab eis differentibus procedere in negocio memorato, vobis in virtute obediencie districte precipiendo mandamus ut, si vera essent que de ipsorum monachorum degradacione ac contumacia sunt expressa, vos, non admissis eorum excepcionibus, non tardaretis procedere in negocio sepe dicto. Nuper autem prefatus Rochmannus[a] proposuit coram nobis quod, ipso episcopo viam[d] universe carnis ingresso et successore eius extra provinciam commorante, vos in ipso negocio procedere non valetis pro eo quod fuit in litteris nostris expressum, quod, si non possetis omnes executioni negocii interesse, dictus episcopus cum altero vestrum procederet in eodem. Quare iam dictus Rochmannus[a] nobis humiliter supplicavit, ut super hoc providere ei misericorditer dignaremur. Nos igitur te, fili prior, prefato episcopo in execucione iam dicti negocii subrogantes, per apostolica vobis scripta in virtute obediencie districte precipiendo mandamus, quatenus, humano amore ac mundano timore postpositis, in negocio ipso iuxta[e] litterarum tenorem prefato episcopo ac vobis, filii abbas et preposite, ultimo directarum, sublato appellacionis obstaculo, procedere non tardetis, pro certo scientes quod, si predictus monachus pro defectu vestro ad nos fuerit amplius laborare compulsus, poteritis merito formidare, ne vos similis laboris angustias oporteat experiri, nullis[f] litteris obstantibus, si que apparuerint a sede apostolica impetrate, que de ipsorum culpa et pena plenam et expressam non faciant mencionem. Quod si non omnes his exequendis poteritis[g] interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur. Datum Laterani 13.[h] Kal. Februarii pontificatus nostri anno 7.*

Sifrido itaque Pigaviense abbate iam defuncto, Heinricus, qui pro ipso electus erat, et sui coniudices Tiderico preposito missis litteris preceperunt, ut iuxta formam in mandato expressam monachos sepe dictos excommunicatos et degradatos nunciaret et in sua iurisdiccione faceret nunciari[i]. Qui licet mandato obediens, quod iussum fuerat implevisset, ipsorum tamen communioni in colloquio et[k] convivio et divinorum celebracione non timuit implicari. Simile quoque mandatum idem dederunt executores Ekkehardo Mersenburgensi episcopo et Popponi Hallensi preposito prefatos monachos denunciandi eosque obedire nolentes excommunicacionis vinculo ligaverunt. At monachi uno suorum misso mandatum pro se apostolicum impetraverunt in hac forma:

1223 Nov. 19. *Honorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis abbati et priori de Walkinride[l] [84] et preposito de Northusin Maguntinensis[m] diocesis salutem et apostolicam benediccionem. Sua nobis abbas et conventus monasterii[n] Ilseneburgensis peticione monstrarunt, quod, cum Rochmannus[a] quondam monachus ipsius monasterii falso nobis suggerens[o], quod ipsi excommunicati[p] et degradati divina temere celebrabant, causam super his et aliis abbati et priori de Pigavia et preposito Brandenburgensi obtinuisset[q] a sede apostolica delegari, quia, dicto abbate interim viam universe carnis ingresso, Heinricus[a] monachus, qui se in locum eius proponit electum, et prefatus prior, contempto tercio coniudice, volebant[r] in eadem causa procedere, ex parte dictorum abbatis et conventus fuit excipiendo prepositum coram eis, quod cum prenominatus Rochmannus[a] esset excommunicatus tempore, quo tales litteras impetravit, prout erant in continenti probare parati, nec exinde in litteris apostolicis mencio haberetur, ipsi earum auctoritate procedere non poterant nec debebant. Sed quia dicti iudices hanc excepcionem eorum denegabant admittere, ipsi ad nostram audienciam appellaverunt[s]. Ideoque discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus, si ita est, revocato in statum debitum quicquid post huiusmodi appellacionem inveneritis temere attemptatum, audiatis causam et appellacione remota fine canonico terminetis, facientes quod decreveritis[t] per censuram ecclesiasticam firmiter observari, alioquin partes ad priorum iudicum[u] remittatis examen, appellantem[v]*

---

[a] *in codd. litterae initiales tantum leguntur.* [b] quorundam 1. 2. [c] exempcionum 1. [d] illam 1. [e] iuxtra 1. [f] ullis 2. [g] potueritis 1. 2. [h] XVIII. 3. [i] facere nunciaret 3. [k] in 3. [l] Walkinrich 1. 2. [m] Moguntinae 3. [n] monasterii *deest* 1. [o] sucgerens 2. [p] communicati 2. [q] obtinuisse 1. [r] volebat 3. [s] appellarunt 2. 3. [t] *verba* facientes, quod decreveritis *desunt* 3. [u] iudicium 3. [v] applicante 3.

[84] Bertholdo.

in expensis legittimis condempnantes. Quod si non omnes etc.[a] *Datum Laterani* 13. *Kal. Decembris pontificatus nostri anno* 8.

Eodem tempore Heinricus Pigaviensis electus Romam profectus[b], benediccione rediit confirmatus. Rochmannus vero, qui cum ipso abierat, quibusdam impedimentis aliquantum[c] remorari[d] coactus, postmodum reversus est, huiusmodi litteris impetratis[e]:

1224. Mai. 6. *Honorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis abbati et priori Pigaviensi[f] Mersburgensis diocesis et preposito[g] de Brandeburg salutem et apostolicam benediccionem. Dilectus filius Rochmannus[h], monachus monasterii de Ilseneburc, sua nobis peticione monstravit, quod, cum post commissiones[i] varias bone memorie predecessori tuo, fili abbas, ac vobis, filii prior et preposite, dederimus in virtute obediencie in preceptis, ut monachos prefati monasterii, qui per venerabilem fratrem nostrum Magdeburgensem archiepiscopum[k], dum in partibus illis legacionis officio fungeretur, propter suos graves excessus excommunicati fuerunt ac deinde[l] crescente ipsorum contumacia degradati, tamdiu, pulsatis campanis et candelis accensis, excommunicatos ac degradatos[m] nunciare publice curaretis et faceretis arcius[n] evitari, donec, dimisso monasterio prefato, cum litteris vestris ad apostolicam sedem accederent misericordiam petituri, ac defendentes prefatum Rochmannum[h] a molestacionibus eorundem faceretis eidem de bonis ipsius monasterii congrue provideri et prefata excommunicacionis sentencia innovata fuerit postmodum et publicata in partibus convicinis, prepositus Novi Operis in Halla[o] Magdeburgensis diocesis, qui a nobis acceperat in mandatis, ut prefatas sentencias faceret in partibus suis firmiter observari, deferens homini contra Deum, non solum noluit easdem sentencias publicare, verum eciam ipsis excommunicatis impudenter communicare presumit, propter quod tulistis excommunicacionis sentenciam in eundem, qua contempta divina officia celebrare non veretur in fame ac salutis sue dispendium et ecclesiastice discipline contemptum. Cum ergo tu, fili abbas, predecessori tuo succedere debeas in huiusmodi onere, cum littere predicte commissionis non expressis personarum sed locorum nominibus[p] fuerint impetrate, discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus firmiter precipiendo, quatenus iuxta predicti mandati tenorem sic diligenter in negocio procedatis eodem, quod vestre rectitudinis zelus inde possit[q] merito commendari, nullis litteris obstantibus harum tenore tacito a sede apostolica impetratis. Quod si non omnes* etc. *Datum Laterani* 2. *Non. Maii pontificatus nostri anno* 8.

Igitur iudices monachorum Ilseneburgensium ex eorum probacionibus sibi constare affirmantes iniuriam eis in sepe dicto negocio irrogatam, absolutos eos pronunciaverunt, contra Rochmannum vero excommunicacionis sentenciam protulerunt, Heinricum abbatem pro eo, quod ipsum foveret, eidem sentencie involventes et Tiderico preposito dantes in mandatis, ut eandem sentenciam cum instancia publicaret. Nec multo post abbatis quoque et suorum coniudicum[r] recepit mandatum, ut monachos Ilseneburgenses excommunicatos et degradatos[s] cum solempnitate in litteris apostolicis expressa publice[t] nunciaret. Ipse vero mandato priori obedienciam servare decernens, studiose illud exsequebatur, abbatem[u] et Rochmannum excommunicatos sepius denunciando. Quod cum aliquando in conventu quodam Nuenburgensis et Mersburgensis episcoporum et aliorum plurium clericorum et laicorum, abbate quoque presente, faceret, erubescendum de se uterque spectaculum presentibus[v] prebuerunt, conviciis se vicissim[w] turpiter infundentes. Non autem abbas et eius coniudices auctoritatis sue contemptum equanimiter acceperunt sed prepositum excommunicacionis sentencia ferientes, hanc primo in capitulo Goslariensi promulgari fecerunt, Nov. 29. ac ea postmodum iterata, missis in vigilia beati Andree litteris fratribus quoque, ut a communione eius se subtraherent, preceperunt. Litterarum vero continencia talis fuit:

Heinricus[h] Dei gracia abbas, Heinricus[h] prior Pigaviensis et Albertus[h] prepositus de Brandenburc domno Tiderico[h] dicto preposito Montis Sereni spiritum consilii sanioris. Si ecclesie membrum utile fuissetis, Ilseneburgensium, quos et ipse precisos ab eius corpore publicastis, morbo communionis infici cavissetis[x]. Verum quia sicut peccator, qui in profundum malorum devenit, adeo Dei reverenciam contempsistis, ut in nos excommunicatus excommunicacionis adieceritis[y] blasphemia[z] protervire[a], pro eo quod domni pape preceptum in virtute

---

a) et cum 2. b) profeccione 1. c) aliquantam 1. 2. d) rememorari 1. 2. e) im 1. f) Pigaviensibus 3. g) prepositum 1. h) *in codd. litterae initiales tantum leguntur.* i) amissiones 2. k) episcopum 2. l) demum 1. 3. m) degravatos 2. n) acrius 3. o) *sic correxi ex* Hallo *codd.* p) a nobis 3. q) plus sit 3. r) iudicum 1. s) degravatos 2. t) publicare 3. u) abbatum 1. v) *verba* spectaculum presentibus *desunt* 2 w) invicem 3. x) inficiavissetis 3. y) adiceretis 1; adiceritis 3. z) blasphemiam 3. a) protervie 3.

1224. *obediencie nobis iniunctum obmittere non audemus et vos eiusdem precepti clausula, que dicit:* nullis litteris obstantibus harum tenore tacito a sede apostolica impetratis, *a nostra non suffecit potencia defensare, nos iterato qua fungimur auctoritate sentencia vos excommunicacionis involvimus, licet inviti, et vobis in Domino consulimus, ne clavium potestatem, quas a domno papa recepimus, vilipendere penitus presumatis et sentencias iniquitatis*[a], *quas*[b] *in nos temere promulgastis, in proximo festo sancti Andree, sicut publice protulistis, sic et publice per vos corrigere maturetis, non solum ponderis nullius, sed et*[c] *plenissimi erroris easdem sentencias ostendentes, alioquin ex tunc, quia crescente contumacia crescere debet et pena, contra vos durius procedemus.*

Dei gracia Heinricus[d] *abbas, Heinricus*[d] *prior Pigavienses et Albertus*[d] *prepositus de Brandenburc, executores sedis apostolice delegati, venerabilibus dominis*[e] *priori totique conventui Montis Sereni eum timere, qui postquam occiderit corpus, potest et animam perdere in gehennam*[f]. *Cum iuxta mandatum apostolicum monachos de Ilseneburg excommunicatos et degradatos*[g] *publicaverimus*[h] *et fecerimus per omnes ipsorum vicinias*[i] *publicari, Montis Sereni prepositus inter ceteros*[k], *qui nostrum recepere preceptum, quia dictos sacrilegos, quos et ipse solempniter nunciarat, recepit ad divina, cum*[l] *et talium dictis iudicibus, imo cercius seductoribus, abbati scilicet et priori de Walkinrith*[m] *eodem excommunicacionis vinculo innodatis, non solum in crimine communicat criminosis, verum eciam pro ipsorum favore in nos pro iusticie castris stantes excommunicacionis blasphemia protervire*[n] *presumpsit*[o]. *Et quia, cum ex nostre commissionis respectu iurisdiccionem talium nullam esse debuerit perpendisse et sicut de mandato sedis apostolice speciali*[p] *degradacio Ilseneburgensium monachorum processit, sic nec absolucionem ipsorum absque eiusdem sedis apostolice expresso mandato et ipsorum culpe et pene mencione potuerit admisisse, quia idem tenebras lucem et lucem tenebras estimare non veretur, auctoritate qua fungimur ipsum eiusdem excommunicacionis vinculis*[q], *quia facinus, quos inquinat, equat, solempniter innodamus, ut vel hac districcione*[r] *Sathanas*[s] *deserat emendatum vel si ipsum vas*[t] *sue possessionis invenit, vos, qui in fructu operum elegistis filii Dei esse, iuxta timorem Domini patrem catholicum eligere mereamini. Ideoque discrecioni*[u] *vestre sub eadem*[v] *excommunicacionis pena districte precipiendo mandamus, ut statim post litteras nostras visas huiusmodi arrepticium arcius evitetis, scituri quod omnes, qui post hoc mandatum receptum dicto presumptori communicare presumpserint*[w], *similem excommunicacionis vindictam nominaliter sorcientur.*

Fratrum tamen nullus pro huiusmodi mandato ab eius se communione subtraxit, quidam pro eius favore, nonnulli vero, quoniam stipendio suo defraudari et a loco emigrare, quod videlicet eis, qui hoc facere voluissent, solum restare videbatur, pondus importabile iudicabant, presertim cum non deessent viri litterati, qui eos non teneri ad obediendum[x] preceptis talibus faterentur, quo eis excusari desiderantibus, ut se excusatos esse etsi non crederent, saltem se credere sibimet fingerent, suadebatur.

[y]Duo nove conversacionis ordines in provincia et precipue in ipsa civitate Magdeburgensi haberi[z] ceperunt[86], unus eorum, qui sanctos[a] Predicatores se nominant, alter eorum qui Minores fratres appellantur, de quibus ferunt, quod ante hoc tempus viginti annis instituti et ab Innocencio papa fuerint confirmati[87]. Et prior quidem clericorum tantum est, sequens vero et clericos et laicos recipit[b], quem dicunt ab institore quodam principium accepisse. Quid autem est huiusmodi novitatum introduccio, nisi quedam exprobracio neglecte et ociose conversacionis eorum, qui in ordinibus constituti sunt, in quibus ecclesia primitus est fundata? Denique beatissimi[c] Augustinus et Benedictus, qui ita docuerunt ut vixerunt, ad quantum sanctitatis culmen ex sua conversacione pervenerint[d], notum est,

---

a) inquitatis 2. b) quos 1. c) in 2. d) *in codd. litterae initiales tantum leguntur.* e) venerabili domino 3. f) gehenna 3. g) degravatos 2. h) publicavimus 2. i) vicinas 1. 3. k) *verba* inter ceteros *desunt* 3. l) quin 2; quando 3. m) Walkinrich 3. n) proterviter 3; pertervire 2. o) presumit 3. p) specialis 3; *deest* 1. q) vinculo 3. r) discretione 3. s) Satanas 2. t) ius 3. u) districcioni 1. v) eodem 1. w) presumpserit 3. x) *sic correxi ex* obiciendum *codd.* y) *in cod.* 3 *legitur hoc lemma:* De Praedicatoribus et Minoribus fratribus. z) habere 2. a) fratres 3. b) et clericorum et laicorum 3. c) beatissimus 1. d) pervenirent 1. 2.

86) Cf. Magdeburger Schöppenchronik p. 146. Chronicon Magdeburg. apud Meibom, SS. II, p. 329.

87) Ordo Minorum anno demum 1207. constitutus a. 1209. ab Innocentio III, a 1223. ab Honorio III. confirmatus est.

quorum preceptis si quis obedienciam servare voluerit, nullis novis institucionibus videbitur 1224. indigere. Nam si eisdem novis institucionibus sanctitas queritur, illa posset sufficere, ad quam predicti patres sanctissimi secundum suas vivendo regulas pervenerunt. Non enim facile credi potest, quod quisquam vel ex ordine sanctorum Predicatorum vel Minorum fratrum[a] Augustino vel Benedicto sanccior sit futurus. Absit autem, ut quorumlibet bonis studiis derogando hec dixerim, sed quia dolendum et valde dolendum est, quod primitivi ordines ex eorum, qui eosdem professi sunt, inordinata conversacione ad tantum deducti[b] sunt contemptum, ut seculo renunciare volentibus ad salutem sufficere non credantur. Si enim posse sufficere putarentur, numquam novi alii quererentur.

Presbiter quidam Widego nomine plebanus ville, que Selewene dicitur, hereditatem quandam a Tiderico preposito repetens, abbatem et priorem Pigaviensem[c] iudices super hoc a sede apostolica impetravit, a quibus prepositus peremptorie citatus est. Cum[d] die constituta[e] non venisset, fratrem autem unum ad appellandum tantum pro se miserat, excommunicatus est, litterasque in vigilia natalis Domini recepit ipsam sentenciam continentes. Dec. 24. Rochmannus monachus tam pro suis negociis quam pro ecclesia Pigaviensi, quam Ekkehardus Mersenburgensis episcopus sue iurisdiccioni subicere conabatur, cum nuncio abbatis Romam profectus est, cum eum episcopus iam diebus 15 vel amplius eodem itinere precessisset.

Anno 1225. Conradus quondam Halverstadensis episcopus, monachus in Sichem[f], obiit 11. Kal Iulii, ante quem[g] frater ipsius Guncilinus de Crozuc eodem anno mortuus est. Cardi- Iun. 20. nalis quidam[h] Cisterciensis ordinis, nacione Teutonicus, cuius pater comes de Urah Egeno[i] dicebatur[88], Portuensis et Sancte Rufine[k] episcopus, ad[l] omnes ecclesias Gallie et Teutonie a sede apostolica destinatus, circa[m] principium Augusti Misnam venit. Cuius adventus pro c. Aug. 1. eo, quod iusticie tenax et munerum contemptor ab omnibus dicebatur, Tiderico preposito male sibi conscio non parve trepidacionis causa[n] fuit, cum fratres quoque suos, si possibile eis fieret, accusacionem contra se instructuros minime dubitaret[o]. Ita[p] misso nuncio Willehelmum Cillenensem et Albertum Misnensem Sancte Afre prepositos rogavit, ut ipsi de ecclesia Sereni Montis legato suggestionem facientes orarent, ut eidem misericorditer provideret, quoniam impune et a quibuslibet[q] vastaretur, hoc procurare intendens ut, si forte de malo statu ecclesie sue legatum audire contingeret, de hoc non ipse, sed magis alii culpabiles tenerentur. Et illi quidem quod rogaverat exsecuti sunt, verum quidam ex his, qui legatum comitabantur, et canonicorum Misnensium nonnulli, qui causam ecclesie bene noverant Sereni Montis, ipsum familiari colloquio plenius instruxerunt commemorantes eidem, qualiter ecclesia iam dicta in annis prioribus[r] omni honestate et rerum copia floruisset, nunc vero per negligenciam et improvidenciam prelati sui extrema et rerum et honoris inopia laboraret, hortabanturque eum[s] ut, quoniam ecclesia ipsa immediate ad sedem apostolicam pertineret, eam personaliter non negligeret visitare. Igitur a Misna digressus, sequenti die assumpcionis sancte Marie Hallam[t] venit, ubi cum per biduum Aug. 16. moraretur, innovatis de Tiderico preposito accusacionibus simulque accusatoribus multiplicatis, extraneis tamen, contra ipsum incitatus est. Certumque erat, eum ab ecclesia Hallensi recedentem ad Serenum Montem iturum, si non a capitulo Halverstadensi invitatus propositum[u] mutavisset. Interea fratres Sereni Montis diversis[v] pro expectacione adventus eius animorum motibus agitabantur. Et prepositus quidem et qui partis eius erant verum timorem ficte leticie securitate palliabant. Alii vero, qui multorum malorum finem per eum se inventuros sperabant, pro diversitate referencium, quibusdam videlicet eum[w] venturum affirmantibus, quibusdam negantibus, nunc spe alacres nunc tristicia deiecti et trepidi videbantur. Sed cum verus rumor exisset, quod Rodolfum[x] prepositum Sancti Iohannis Halverstadensem pro querimonia fratrum suorum deposuisset, et horum aucta fiducia et illorum simulata leticia repressa est. Et iam de contempnendo eius mandato, si aliquid

---

a) fratrum *deest* 2. b) seducti 2. c) Pigavienses 3. d) Cum *deest* 2. e) constituto 3; statuta 1. f) Sychem 2. g) quam 3. h) quidem 2. i) Vradegeno 1–3 *male*. k) Ruffine 2. 3. l) et 1. 2. m) circum 3. n) iam 3. o) dubitabat 1. p) itaque 3. q) quilibet 1. r) *in cod.* 1 *post verbum* prioribus *legitur* in. s) eum *deest* 1. 2. t) Hall 1. 2. u) prepositum 1. 2. v) dimersis 2. w) cum 1. 2. x) Rudolffum 2.

[88] Conradus cardinalis episcopus filius fuit Eginonis comitis de Urach, cf. Stälin, Wirtembergische Geschichte II, p 460.

1225. simile contra prepositum attemptare voluisset, mutuo conferebant. Non autem accusantes prepositum Halverstad defuerunt, sed aucti numero legatum in admiracionem non modicam adduxerunt, ita ut easdem querelas deposicione prepositi indubitanter promitteret terminandas. Eodem tempore Ekkehardus Mersenburgensis[a] episcopus de partibus rediit Trans- Sept. 1. alpinis[89]. De Halverstad vero progressus legatus die beati Egidii Magdeburg venit, ubi tribus[b] ebdomadibus remoratus est. Ecclesia quedam canonicorum secularium Byvera[90] dicitur, cuius erat prepositus Wildebrandus, frater archiepiscopi Magdeburgensis. In hac prebendam vacantem legatus cuidam dedit, preposito inconsulto. Cui cum prepositus in faciem contradiceret eique exacciones, quibus[d] ecclesias ad serviendum[e] sibi compelleret, contumaciter exprobraret, eum excommunicavit et ita verbis in audiencia tocius cleri[f] et populi in eundem invectus est, ut[g] garcionem[h] et, sicut plerique se audisse fatebantur, leccatorem publice appellaret. Sequenti die beneficiis ecclesiasticis, que plura habebat, eum spoliare cepit, et primo prepositura de Bivera, dicens quod singulis diebus uno eum beneficio usque ad ultimum nudare vellet, ita ut nec nomen eius in Magdeburgensi ecclesia remaneret. Sed vix ei ab archiepiscopo et ceteris qui aderant episcopis venia impetrata est, cum prius ipse discalciatus et scopam ferens legati se pedibus prostravisset. Sabbatho Sept. 20. quatuor temporum, quod in hoc anno in vigilia beati Mathei[i] evenerat[k], Hermannum[l] Herbipolensem electum presbiterum et sequenti die episcopum consecravit. Nocte beati Sept. 22. Mauricii ad matutinas octo[m] episcopi, hoc est Estoniensis[92], Caminensis[n][93], Havelbergensis[94], Brandenburgensis[95], Mersburgensis, Hildenesheimensis[96], Herbipolensis, Magdeburgensis, octo lecciones legerunt, legatus nonam lecturus prius tamen[o] benediccionem dedit[p]: *Deus*[q] *misereatur nostri et benedicat nobis,* et dicto a circumsedentibus *Amen*, sic demum legit.

Eo tempore de prepositura Rezoviensi[r] questio vertebatur. Tempore namque, quo Albertus archiepiscopus in partibus Transalpinis servicio imperatoris occupatus morabatur, defuncto Iohanne preposito de Rezowe, qui Erico[s] successerat, Albertus Misnensis ecclesie canonicus in locum eius electus est ecclesiamque illam plus quam per annum in seculari manens habitu gubernavit. Archiepiscopus reversus Alexandro canonico Novi Operis preposituram dedit, dicens donacionem eius ad se devolutam, quoniam[t] infra terminum eleccioni prescriptum legittimam personam, hoc est regularis ordinis, conventus eligere neglexisset. Hec ante adventum cardinalis gesta sunt. Verum postmodum advenientem Albertus prepositus adiens supplicavit, ut cause sue favorem suum impendere dignaretur, quod in se factum fuerat confirmando. Quod cum legatus facere paratus esset, consilio suorum revocatus est dicencium audienciam archiepiscopo concedendam. Ekkehardus quoque Mersenburgensis episcopus ab Alberto preposito pro eodem rogatus negocio devotum mox spopondit adiutorium, cum magna Alexandri derogacione adiciens, quod nullius ei loci prepositura conveniens esset, nisi forte alicuius ameni nemoris speciosas meretrices habentis et cui taberna de proximo sit adiuncta. Legatus archiepiscopum de causa conveniens, cum tenacem sui iuris invenisset, dixit non oportere eum de prepositura Rezoviensi prenominato canonico obtinenda[u] tantopere sollicitum esse, cum ipse aliam, videlicet Sereni Montis, in promptu haberet, qua[v] posset ipsum honestius investire. Verum episcopus Mersburgensis, hoc rumore comperto, timens ne cognatus suus Tidericus prepositus inhoneste deponeretur, Alexandri colloquium petit hortaturque, ne donacionem archiepiscopi legittimam negligendam duceret, immo[w] constanter ad obtinendum instaret[x], promittens se ei modis omnibus succursurum. Archiepiscopo deinde ad voluntatem suam inclinato, uterque legatum adeunt eumque a proposito agendi contra prepositum reducunt. Alexander vero paucis evolutis diebus Rezoviensem obtinuit preposituram.

Spt. 21. 22. Igitur legatus missis litteris duobus diebus, hoc est Mathei et Mauricii, procuracionem

---

a) Mersburgensis 3. b) fratribus 2. c) Bivera 3. d) civibus 1. e) conservandam 2. f) clerici 3. g) ut *deest* 2. h) Barcionem 2; Garzonem 3. i) Mathie 2. k) venerat 2. l) Hermannum *deest* 2. m) Otto 2. n) Cameracensis 3. o) tamen *deest* 2. 3. p) dedit *deest* 1. q) Dominus 3. r) Rezovense 3. s) Ericio 1. t) quam 3. u) obtinanda 1. v) *sic correxi ex* que *codd.* w) imo 3. x) *verba* ad obtinendum instaret *desunt* 3.

[89] In Friderici II. charta a. 1225. Iul. 28. data Ekkehardus inter testes apparet; v. Böhmer, Reg. imp. p. 129, nr. 555.

[90] Bebra.

[92] Hermannus.

[93] Conradus II.

[94] Wilhelmus.

[95] Gernandus.

[96] Conradus II.

1225. sibi de ecclesia Sereni Montis precepit exhiberi, in qua sex marce expense sunt, tribus thuribulis argenteis pro eisdem impignoratis. Intellexit tunc prepositus malum quod evaserat, ipso sibi legato dicente, quod dure contra eum acturus fuisset, si non intercessores ipsius, quos[a] plures et fortes haberet, eum a sentencia revocassent; sciret tamen se nequaquam sine examine relinquendum. Prepositus vero malum sibi a fratribus suis procuratum coniciens, quod eciam non usquequaque falsum erat, omnem in eos causam cepit refundere multis eos aput legatum accusacionibus infamando. At[b] ipse, preposito a se recedente, visitatores Sereno Monti ordinavit Conradum Hildenesheimensem episcopum et Gothfridum[c] quendam monachum Cisterciensis ordinis ex his qui eum comitabantur. Quam tamen ordinacionem Otto[d] maioris ecclesie Magdeburgensis prepositus impedivit. Is enim Sophie Quidelingenburgensis abbatisse dudum deposite iudices, a quibus restitueretur, archiepiscopum Magdeburgensem et Hildenesheimensem et Mersenburgensem episcopos a sede apostolica impetraverat, timensque[e], ne restitucio ipsa occasione visitacionis predicte per absenciam Hildenesheimensis dilacionem acciperet, factum illud peciit immutari. Restituta vero abbatissa[97], ipse eam usque Quidelingeburc prosecutus est atque inde rediens[f] egritudine occupatus novem diebus decubuit, sicque demum immatura[g] morte vite terminum consequutus est. Cui in prepositura succedens Wildebrandus frater archiepiscopi inopinata mutacione veritatem illius sentencie satis probasse visus est, qua dicitur, quod humiliacionem elacio[h] et gloriam humilitas andecedat.

Igitur cum circa finem Septembris legatus de civitate Magdeburg itinere, quod iuxta Sept. Serenum Montem ducit, Nuenburg profecturus[i] esset, magna rursus fratres pro[k] expectacione eius sollicitudine tenebantur, crebroque ad loca, unde procul videri poterat, procurrentes[l] speculabantur, si forte ad eos occasione itineris declinaret. Ipse quoque prepositus suspicionibus trepidus, quippe quem consciencia securum esse non paciebatur, cum nullo adhuc nuncio venturum didicisset, equitando tamen eidem tamquam iam[m] venienti occurrens, ecclesiam ornari, vexilla crucibus appendi aliaque[n] recepcioni eius conveniencia parari precepit, atque sub hac expectacione biduum exactum est, illo minime veniente. Accidit vero inter hec, patrem eius advenire filio collocuturum, quem in Sereno Monte se reperturum audierat. Quem casum multis visum est a casu prepositum liberasse. Siquidem procuracioni comitis omnem impendens diligenciam, hoc[o] meruit, ut idem ad filium postmodum veniens, eum pro se preposito graciarum accionem rependere postularet. Nec inefficax fuit eius postulacio. Denique legatus Serenum Montem preteriens cum[p] Nuenburc venisset, admonitus, ut sepius, ne ecclesiam sepe dictam absque provisione relinqueret, Ekkehardum Mersburgensem episcopum, sciens et certus ipsum esse cognatum prepositi, visitatorem dedit, ad hoc tantum, ut prepositum a gravamine custodiret, adiunctis ei episcopo Brandenburgense et abbate Portense[98], ut eciam pro ecclesia fecisse aliquid videretur. Verum Brandenburgensis vicem suam Hernesto[q] scolastico Mersburgensi agente preposito commisit, abbas vero pro se iam dictum Gothfridum monachum destinavit. Hi itaque cum episcopo Mersenburgense ad locum venientes die undecim milium[r] virginum, fratribus coram altari Oct. 16. beati Petri convocatis, primum eis litteras legati recitari[s] fecerunt, quarum[t] continencia talis est:

Conradus[u] *divina miseracione Portuensis et Sancte Rufine*[v] *episcopus, apostolice sedis* Oct. 1. *legatus, venerabilibus in Christo Mersburgensi et Brandenburgensi episcopis et abbati de Porta Cisterciensis ordinis Nuenburgensis diocesis salutem in Domino Iesu. Ad aures nostras noveritis pervenisse, quod Mons Serenus negligatur in multis et in magno defectu sit rerum atque discipline. Quia ipse locus ad sedem apostolicam respectum habet nullo mediante nobisque specialiter incumbit providere, ne pereat, auctoritate legacionis, qua fungimur, vobis mandamus, quatenus accedentes ad locum ipsum visitacionis officium prosequamini, diligenter et studiose reparacioni eius intendentes, plenam habentes potestatem statuendi et*[w] *ordinandi*[x]

---

[a] quod 1. 2. [b] ac 1. 2. [c] Godfridum 3. [d] Otho 3. [e] quia 1. 2. [f] in dies 3. [g] in matura 2. [h] alacio 2. [i] profectus 3. [k] pro *deest* 3. [l] procurrantes 2. [m] iam *deest* 3. [n] alique 2. [o] hac 1. [p] *in cod.* 3 *ante verbum* Nuenburc *legitur* in. [q] Ernesto 3. [r] miliam 1. [s] recitari *in cod.* 1 *ex* recitare *correctum est.* [t] quorum 3. [u] C. 1. 2; Cardinalis 3. [v] Rosinae 3. [w] et *deest* 2. [x] ornandi 3.

[97] Septembr. 26. Vide compositionis chartam ap. Erath, Cod. diplom. Quedlinburg. p. 144, nr. 39.

[98] Winemaro.

1225. *quecumque videritis expedire atque contradictores per censuram ecclesiasticam cohercendi. Datum Nuenburg Kal. Octobris.*

Lectis litteris, cum episcopus modum visitacionis se ignorare diceret, quamvis modum, secundum quem ipse procedere disposuerat, non ignoraret, Gothfridus[a] monachus, quoniam in ordine Cisterciensi[b] usitata res est visitacio, modum eius talem esse asseruit, ut singuli fratrum iurati dicerent veritatem de omnibus que vel a preposito vel ab aliis in ecclesia sua fieri certum esset. Episcopus licet hunc modum commodum preposito non esse sentiret, callide tamen laudavit eum et tenendum esse dixit. Unus vero de fratribus, Heinricus de Rekkin, cuius iam sepius mencio facta est, his auditis credens inquisicionem contra prepositum faciendam, cartam[c], in qua plura et maiora, in quibus ecclesiam dampnificaverat, continebantur, episcopo porrexit. At episcopus ad id quod ipse faciendum proposuerat tendens, ad priorem et fratres conversus, si aliquid contra prepositum vellent proponere, a singulis requirebat, qui modus ab illo, quem[d] prius laudaverat et quem tenendum esse[e] dixerat, modis omnibus discrepabat[f]. Quomodo iudicia equitatis inveniunt[g], qui pro iudice lupum voracem sub agnina pelle suscipiunt? Verebatur enim ne, si visitacio vel inquisicio suo modo procederet, hoc est sub iuramento et in secreto, prepositus numerositate contra se testancium gravaretur. Neque enim prepositus ipse de omnibus, qui sue partis esse videbantur, satis securus erat, quos tamen, si publice et sine iuramento requirerentur, nichil contra se dicturos minime dubitabat, cum adversarios quoque suos a libertate dicendi publica posset inquisicio refrenare. Verum isti ut modum visitandi sibi prescriptum teneret cum instancia petentes, impetrare nullo modo potuerunt. O tantum prelatum, iusticie naufragum, nefande violencie principem, simulate sanctitatis et simoniace dignitatis infula sublimatum! Quomodo ille[h] proderit, qui divini spiritus sancteque consciencie inanis extitit? Priore itaque aliisque pluribus dicentibus, quod nichil vellent proponere, alii, qui sive palam seu occulte requisiti, quod verum erat non tacere decreverant quique continenciam littere, quam Heinricus exhibuerat, non ignorabant, dolum tamen, qui in verbo proponendi latebat, non intelligentes, sed hoc quoque ad inquisicionem pertinere simpliciter credentes, presertim quia in capite illius littere ita scriptum erat: *Hec sunt, de quibus inquiratis,* quidam quidem pro tedio, nonnulli vero eciam pro inopia verborum, ut brevi responso se absolverent, hoc se proponere responderunt, quod littera contineret[i]. Recitata igitur ab episcopo littera, prepositus ad respondendum interloquendi copiam peciit et accepit. Sicque visitacio in accionem litis mutata est. Interlocutus autem cum suis respondit, plura contra se proposita, que tempore arbitrii in questione fuissent et que arbitrium perpetuo silencio tradidisset. Ex qua re probare nitebatur, eos, qui proposuerant, in crimen periurii cecidisse et consequenter pene arbitrii, hoc est excommunicacioni, subiacere; addens eos contra se, quod ex uniformi[k] responso eorum posset colligi, conspirasse. Episcopo preterea eiusque sociis dicentibus, quod iis[l] que olim proposita arbitrium intacta reliquisset ipsi ad discuciendum manum non apponerent, ea que de novo adiecta fuerant facile diluit, cum non[m] solum episcopus et Hernestus scolasticus, sed eciam Heinricus Mersburgensis prepositus, frater eius, et quidam iuris peritus, Iohannes nomine, quos episcopus ad illum tractatum admiserat, patronos se ei exhiberent, non tantum responsiones eius qualescumque sufficere iudicantes, sed eciam ipsi pro eo respondentes, eumque, ne forte incaucius aliquid diceret[n], allocucione[o] ipsius[p] sepius compescentes. Fratres ubi ad resistendum artari[q] se viderunt, Gothfridum monachum, in quo non parum fiducie habebant, ad privatum petentes colloquium consilium flagitabant. Ille male cum ipsis actum esse protestatus, in tale cum eis consensit consilium, ut Heinricus[r] de Rekkin, qui tempore arbitrii a claustro exulabat, et alii qui nondum emancipati arbitrio stare non promiserant[s] dicerent[t], se vinculis arbitrii suo iudicio non teneri, magis autem sub pena arbitrii prepositum[u], quamquam[v] ipsorum non eadem, quia prior prepositus illud non servasset, qui et possessiones ecclesie sine consensu fratrum postea alienaverat, personas eciam pro rebus receperat, debita ecclesie cum instancia et sub testimonio fratrum a marchione non exegerat, violenter ablata non requisierat, privilegium de quodam contractu ante arbitrium sine consensu capituli facto cum sigillo capituli, ignorante capitulo, 1225. post arbitrium dederat; suspicionem vero conspiracionis, si necesse foret, secure se posse detergere[a] iuramento. Itaque regressi, quod in consilio placuerat, responderunt. Ad horum principium ita respondit episcopus, quod non solum illi qui presentes arbitrium servare promiserant, sed eciam omnes, qui in ipsa ecclesia usque in finem futuri essent, eodem astricti vinculo tenerentur. Contra ea vero que de transgressione arbitrii posita sunt, quia veritate roborata excusari nisi[b] impudenter non poterant, vicissim ab illis inquirere studuit, utrum et ipsi arbitrium bene servassent quia prius audierat, eos clausuris et proprietatibus non carere. Quibus dicentibus, quod arbitri discrecioni[c] prepositi et prioris hec dispensanda reliquerint, ut eorum licencia pro necessitate talibus uterentur, respondit, eos non hoc[d] excusare quod scriptura arbitrii non haberet. Illud tamen, quod de personis pro rebus receptis dictum erat, ita excusavit, ut diceret, quodsi aliqui sine condicione verbis expressa dantes aliquid reciperentur, tales pro rebus non recipi, sed cum rebus. Quidam sane iuris peritorum huiusmodi negocium velatam simoniam vocant, credo propterea quod homines lateat, quasi bona providenda non sit pocius coram Deo, quam coram hominibus, coram quo indubitanter simonia committitur, cum quis in claustrum[e] suscipitur, qui[f], si non daret aliquid, non susciperetur. Iterata post hec interrogacione episcopus de observancia religionis et qualitate obediendi preposito et de procuracione fratrum a priore et ceteris in virtute obediencie requirens, singula horum emendacione satis comperit indigere, pluribus causam in prepositum refundentibus in tantum, ut prior publice fateretur, esse quosdam fratrum, quos speciales prepositi appellabat, quos nec prepositus per se corrigere nec ab eo corrigi vellet, qui pro arbitrio suo viverent et quorum exemplo aliis male vivendi occasio prestaretur. Prepositus vero narracionem, quam ipse texuerat, scriptam proferens recitari fecit, in qua fratres non sue partis, quosdam ipsorum nominatim exprimens, nimis indecenter laceravit[g], ita ut aliquos ipsorum non minus falsis quam detestandis conaretur criminibus infamare. Multa quoque de eorum inobediencia et contumacia conquestus, plures excessus, quos ipse correxerat, replicabat, plurima[h], que scripture deerant, verbis supplens, quorum[i] non pauca veritatis esse vacua notum erat. Aliam preterea conscripcionem recitari fecit, expensas quas per annos quatuordecim se fecisse dicebat, dampna que ab aliis ecclesia suis pertulisset temporibus continentem, per quam scilicet causas inopie, qua in presenti premebatur ecclesia, a se voluit submovere. Episcopus his pacienter auditis nullam fratrum, qui accusati fuerant, excusacionem volens admittere, conscripciones illas recipiens aput se retinuit ac deinde[k] cum sociis visitacionis interloquitur et dicebat, quod statum illius ecclesie talem invenissent, ut de eius reformacione non possent sine prudentum[l] virorum consilio pertractare, ideoque se ad presens recessuros, sed in octava beati Nov. 18. Martini cum pleno consilio redituros, monebatque ut ipsi causam suam cum preposito[m] medio tempore ita componerent, ut eorum deinceps presencia non egerent; obedienciam quoque preposito debitam exhiberent, religionem, quam ipsis testantibus valde infirmari constaret, ipsi per se ad emendacionem reducerent neque hoc[n] opus aliis reservarent, scientes indubitanter, quemlibet ipsorum religioni non studentem aut inobedientem repertum ita ab illa ecclesia removendum, ut ad eam regressum de cetero non haberet. Sicque conventus ille solutus est.

---

[a] Godefridus 2.
[b] Cicterciensi 2.
[c] carta 1.
[d] quam 1.
[e] esse *deest* 1. 2.
[f] discerpabat 2.
[g] invenerint 2.
[h] illis 2. 3.
[i] continent 2.
[k] uniformo 1.
[l] his 3.
[m] nōs 2.
[n] dicere 1. 2.
[o] a locutione 3.
[p] ipsum 3.
[q] arctari 3.
[r] *sic correxi ex* Heinricum *codd.*
[s] permiserant 2.
[t] dicentes 1.
[u] *sic correxi ex* propterea *codd.*
[v] quemquam 3.

Maiori vero, quam nostris temporibus visa fuerit, diligencia[o] in ecclesia Sereni Montis religio servari cepit et nova quedam rerum facies repente apparuit, dum fratres omnes, exceptis quos officia excusabant, cottidie simul horis canonicis ad ecclesiam procederent, simul in refectorio reficerentur, infra parietes claustri se cohiberent, mox ut signum ad vesperas datum fuisset, omni opere postposito, ad conventum concurrerent, ad collacionem sederent et tempestive ad dormitorium convenirent. Instabat quoque prepositus coaccioni, non tamen cum dileccione sed, ut de suis accusatoribus se vindicaret, religione pro gladio utebatur. Cuius rei probamentum fuit, quod unum ex ipsis sacerdotem pro eo, quod una vice hora tercia primo signo sonante ad conventum non occurrerat[p], virgarum verberibus emendavit. Neque enim uniformiter circa omnes eandem districcionem servabat, sed eciam, quod sibi faventibus vellet parcere, non celabat; que res aliis malum intollerabile videbatur.

---

a) detegere 3. b) nisi *deest* 1. c) in discretione 3. d) haec 3. e) claustro 2. 3. f) quia 1. g) lacerat 2. h) plurimaque 2. i) quarum 2. k) demum 3. l) prudentium 3. m) proposito 3. n) hac 1. o) diligenciam 2. p) occurreret 1.

1225. Intencionem quoque eius incitabat familiarium suorum instancia, qui penam ei divinitus irrogari precabantur, si in cogendo illos, qui in derogacionem ipsius defectum religionis accusassent[a], tepidus[b] extitisset. Denique episcopus, incertum utrum ex industria an tedio interrogandi, de hoc articulo a paucissimis eorum, qui erant ex parte prepositi, requisivit. Cum itaque illorum, qui coaccione artabantur[c], vita in amaritudine esset constituta et[d] de hoc crebro inter se[e] conferentes ingemiscerent, quibusdam ipsorum utile visum est, ut prepositum satisfaccione placantes cum ipso et aliis ei faventibus concordarent; ita enim posse[f] fieri, ut rigorem suum circa eos eque ut circa alios temperaret. Conatum enim suum contra eum, quod multis iam experimentis didicissent, inanem esse dicebant seque nullatenus equanimiter ferre posse, ut ipsi capciose ad religionis observanciam cogerentur, alios vero[g] cottidie sub oculis viderent sibi iuxta suum viventes placitum insultare. Hoc autem consilium quantum eis commodi et utilitatis procurasset, si illud secuti fuissent, postea cognoverunt. Verum quia plerisque[h] eorum ignaviam et timiditatem redolere videbatur, reiciendum iudicabant, cum tamen ipsi nullum, in quo fidendum eis esset, possent solacium demonstrare, unde factum est ut, quamvis egre, usque ad visitacionem seu[i] visitatorum[i*] reditum instantem sibi cum suis prepositum tollerarent. Qui die constituta Nov. 22. aliis eos causis detinentibus venire prohibiti, venturos se die beate Cecilie mandaverunt. Quo die cum episcopo[k] et scolastico abbas quoque Portensis affuit, quia Gothfridus, ut ipse postmodum testatus est[l], propter iniquitatem prioris tractatus sequenti noluit[m] interesse. Igitur in hoc loco, quo supra, fratribus convocatis, episcopus ab illis qui in litteram[n] Heinrici consenserant[o], qui erant undecim numero, requisivit, utrum cum preposito ad pacem et concordiam redire vellent, an cum eo de iure contendere[p]. De qua re illi cum abbate solo collocuti eius consilio, episcopum et scolasticum rogaverunt consilio interesse. Quod consecuti, dicebant, quod se et causam suam illorum consilio et mandato vellent submittere, dummodo, querimoniis ipsorum prius ad audienciam venire[q] permissis, necessitatibus[r] ecclesie providerent. Episcopus vero eos eciam hortabatur, ne aliquid eorum, que dicenda essent, supprimerent, dicens hoc et sibi et illis expedire, quia nequaquam bene[s] possent de rebus incognitis ordinare, adiecitque, quod consanguinitatis, qua teneretur preposito, vellet illa die penitus oblivisci. His animati, cuncta que vel a preposito vel a suis passi fuissent fiducialiter exponebant precipueque suspicionem conspiracionis[t], a qua se immunes noverant, volentes abstergere, unanimitatis sue causam non celabant, hanc scilicet, quod prepositi[u] familiares sepius in eos non solum verbis, sed eciam manibus excessissent, quosdam ipsorum eciam interficere minitantes; talisque eos ad concordiam, qua se vicissim tuerentur et de qua prepositus eos infamaret, necessitas adduxisset.

GENEALOGIA WETTINENSIS.

cf. Ann Sax. In diebus primi Ottonis[v] imperatoris fuit quidam Tidericus[w], egregie libertatis vir[1]. Hic genuit duos filios, Dedonem et Fridericum comites. In diebus autem tercii Othonis imperatoris, mortuo Bione[x] quodam Merseburgensi[y] comite, Gislerus archiepiscopus comitatum eius, qui inter Wipperam et Salam et Saltam et Willebeke[2] fluvios situs est, Dedoni

---

a) accusasset 2. b) trepidus 3. c) arcebantur 1; arctabantur 3. d) et *deest* 1. 2. e) se *deest* 1. f) posset 3.
g) quoque 1. h) plerumque 2. i) *verba* visitacionem seu *desunt* 1. 2. i*) visitandorum 1—3. k) episcopus 1. 2.
l) *verba* ut ipse postmodum testatus est *desunt* 3. m) voluit 2. n) litteras 2. o) conserant 2. p) concedere 2.
q) venirent 1. r) necessitatibus *bis legitur* 2. s) bene *deest* 3. t) coniurationis 3. u) prepositus et 1.
v) Othonis 3. w) Tydericus 2. x) Byone 1. y) Mersburgensi 3.

[1] ex gente Buzici, Pausitz prope Leipzig, cf. Thietmar. VI, 34, ad quem etiam sequentia recedunt. W.

[2] De istis fluviis v. supra p. 85, not. 82.

acquisivit. Duxit preterea uxorem Thiebergam, filiam Tiderici marchionis[2], genuitque ex ea filium nomine Tidericum. Interfecit autem eundem Dedonem Werinzo marchio[3]; filius autem Tidericus comitatum patris et omne beneficium dono regis obtinuit. Marchia[a] vero Werinzonis et quicquid a rege tenebat Bernhardo[b] comiti[4], avunculo Tiderici marchionis, concessum est. Accepit itaque Tidericus comes uxorem filiam Ekkehardi marchionis[5], qui in regia curte[c] que Polite dicitur interfectus est[6], Machtildem[d] nomine[7], sororem Hermanni et Ekkehardi marchionis[e] et Guntheri et ex matre[8] Geronis marchionis[9]. Gero autem fuit filius Diethmari[f] marchionis[g], qui cum fratre suo Gerone Coloniensi archiepiscopo Nienburgensem[h] abbaciam iuxta Bodam[i] et Salam fluvios construxit[10]. Fridericus vero comes, Tiderici comitis patruus, frater Dedonis, cum non haberet mares filios, sed[k] cf. Thietm. VII, 38. tres filias, Hileburc[l] civitatem suam eidem Tiderico moriturus dedit, ut de consensu suo, quia heres eius fuit, predium omne quod remanserat filiabus suis traderet. Obiit autem in eadem civitate in sacra nocte epiphanie Domini. 1017. Ian. 5. Huius comitatum et super pagum Suselitz[m] potestatem predictus comes Tidericus imperatoris munere post suscepit. Genuit itaque Tidericus comes hos filios: Fridericum, Dedonem, Thiemonem[n], Geronem, Conradum, Riddagum et filiam Hiddam. Primus filius Fridericus fuit prepositus maioris Magdeburgensis ecclesie, postea Monasteriensis episcopus[11]. Secundus filius Dedo obtinuit marchiam Hodonis marchionis, qui heredem non habuit[12], et duxit uxorem Odam, matrem Othonis marchionis de Orlamunde[13], genuitque ex ea Dedonem iuniorem, qui in puericia per posteriora confossus interiit, et duas filias, quarum una Adelhidis[14] nupsit Hernesto[o] marchioni de Bavaria genuitque ei Luppoldum[p] marchionem[15]; altera Agnes[16] nupsit Friderico comiti peperitque ei tres filios, Adelbertum archiepiscopum, Dedonem et Fridericum cf. Ann Sax. palatinos comites, et filiam nomine[q] Odam, quam Adelbertus quidam nobilis, cognominatus Seveke de Sumerschenburc[r] accepit uxorem. Genuit ex ea Fridericum comitem palatinum seniorem[17]. Defuncto vero Othone marchione[18] et matre ipsius Oda, predictus Dedo marchio viduam eius, Adelam nomine, duxit uxorem[19]. Hec fuit nata de Brabancia ex castello, quod dicitur Levene[20], erantque fratres eius Heinricus[s] comes et Reiherus. Genuit autem ex ea Dedonem, Heinricum marchionem de Hileburc et Conradum comitem, qui a paganis occisus est. Idem marchio Heinricus genuit ex Gerdrude, que erat de Bruneswich[t][21], marchionem Heinricum iuniorem.

Thiemo[u] comes[22] duxit uxorem Idam, filiam Othonis ducis de Northeim, genuit ex ea Dedonem comitem et Conradum et filiam nomine Machthildem[v], quam Gero comes de Bavaria[23] accepit uxorem[w]. Genuit ex ea Wichmannum archiepiscopum et Conradum[24]. Illoque defuncto accepit eam Ludowicus[x] comes de Bavaria[y][25], pater Ludowici abbatis Mersburgensis[z] et Ludowici comitis, patris Conradi prepositi[26].

---

a) marcha 2. b) Bernardo 2. c) *in cod.* 3 *verbo* Turcae *lito superscriptum est ab eadem manu* curte; *a manu posteriore post* regia *positum est* arce. d) Marchtildem 2; Machtildam 3. e) marchionum 3. f) Dithmari 3. g) *verba inde ab* Gero *usque ad* marchionis *in cod.* 3 *margini inscripta sunt.* h) Nyenburgensem 2. i) Bedam 3. k) et 2. l) Hileburg 3. m) sui Selicz 1. 2. n) Thimonem 3. o) Ernesto 3. p) Lupoldum 2. q) nomina 1. r) Sumerchenburg 3. s) Henricus 2. t) Brunsvich 3. u) Tyemo 2; Thimo 3. v) Machthildam 2; Mechtildem 3. w) genuit ex ea Dedonem — uxorem *in* 3 *ab alia manu margini inscripta.* x) Lodewicus 1. y) Wippera *legendum censuit Cohn.* z) Merseburgensis 2.

2) marchiae Septentrionalis. 3) Wernherus marchio Septentrionalis Dedonem a. 1009. interfecit. 4) de Haldensleben. 5) I. Misniae. 6) a. 1002. April. 30. 7) Haec ap. Annal. Sax. p. 678 non occurrit. 8) Suanhildis filia Hermanni ducis Saxoniae. 9) Lusatiae. 10) a. 975. 11) 1063—1084. 12) Hodo marchio Lusatiae obiit a. 1034. sine liberis. 13) viduam Wilhelmi comitis de Weimar anno 1039. mortui. 14) In tabulis Claustroneoburgensibus ap. Pez, SS. rer. Austriac. I, 1009 Ernesti uxor Mechtild vocatur; cf. Auctarium Mellicense SS. IX, p. 535, n. 45. 15) Ernestus 1056—1075; Liutpoldus III. 1075—1096. 16) Agnetem uxorem Friderici comitis de Putelendorf non filiam Dedonis marchionis, sed e domo comitum de Weimar oriundam fuisse, v. Cohn, Wettinische Studien in Neue Mittheilungen des Thüring.-Sächs. Vereins XI, 133. Eundem errorem commisit Annalista Saxo 1043. 17) Hic Fridericus palatinus comes senior fuit avus Mathildae, filiae Goswini comitis de Heinsberg, uxoris Dedonis comitis de Rochlitz, matris Tiderici comitis de Groitsch et Somerschenburg. 18) a. 1067. 19) a. 1070. 20) Filia erat Lamberti comitis de Löwen. 21) Filia Ekberti I. Misnensis marchionis. 22) de Brene et Wettin. Hunc Thiemonem filium Tiderici non fuisse, ostendit Cohn, Wettinische Studien, l. c. p. 135. 23) comes de Seeburg et Gleuss in Austria. Conf. Annal. Saxon. ad a. 1056. SS. VI, p. 680. 24) comitem de Seeburg 1147—1168. 25) Cohn l. c. p. 143 sqq. hunc Ludovicum comitem de Wippera esse, filium eius Ludovicum abbatem Mersburgensem, postea episcopum Monasteriensem electum esse censet. 26) sc. Novi Operis apud Halle.

Quartus filius Gero comes[27] duxit Bertam viduam cuiusdam Popponis[28] genuitque ex ea tres filios, Tidericum comitem et Willehelmum[a] comitem de Canburch et Guntherum Cicensem[b] episcopum[29], et filias Willam abbatissam de Gerbestide et Thieburgam prepositam de Gerrode. Huius Popponis frater fuit Cuno senior de Wippera[c].

Quintus filius Conradus comes duxit sororem Tiderici senioris de Kathelenburc, que Othilhildis dicebatur, peperitque ei filiam nomine Bertradam, quam Beringerus comes[31], frater Ludowici comitis senioris de Thuringia, accepit uxorem, genuitque ei filium Conradum[32] et filias quatuor, quarum unam Cunegundam accepit Cuno[d] de Wippera[e], que genuit ei Lothowicum[f. 33]. Riddagus sextus filius[g] mortuus est sine liberis; Hidda nupsit duci Boemico[h. 34] et genuit Guntherum patriarcham[35] et matrem Wichmanni de Cella.

Obmissis[i] aliis, Thiemonis[k] generacionem prosequamur. Dedo, filius Thiemonis, duxit uxorem Bertham[l], filiam Wiperti de Groitz, genuitque ex ea filiam, nomine Machthildem[m], cf Chron. Mont. Ser. que nupsit comiti Rabodoni Babenbergensi[n] advocato[36]. Idem Dedo ecclesiam in honore beati[o] Petri apostolorum principis iniciavit, quam preventus morte fratri[p] suo Conrado consumandam reliquit. Habens enim votum visitandi sepulchrum Domini, uxorem suam Bertam, quam repudiaverat, episcoporum consilio et iudicio recepit sicque profectus in terram peregrinacionis sue, obiit et lignum Domini ecclesie, quam in Monte Sereno fundare primus ceperat, transmisit, quod usque ad presens ibi[q] habetur et fidelium frequentacione honoratur. Heinricus autem iunior marchio de Ileburch Conradum, fratrem predicti Dedonis, orto inter eos bello, captivavit et lecto ferreo in Kirchberch multisque malis oppressit. Post mortem autem Heinrici captivitate solutus anno 1127.[r] liberalitate Luderi imperatoris marchiam Misnensem suscepit, cui eciam Lusicensem, que Orientalis nunc dicitur, idem imperator postmodum concessit. Conradus itaque Misnensis et Orientalis marchio accepit uxorem Lucardem, filiam cuiusdam nobilissimi de Suevia nomine Alberti, que peperit ei hos filios, Heinricum, qui in puericia obiit, Othonem Misnensem marchionem, Tidericum Orientalem marchionem, Dedonem comitem de Rochelitz[s], Heinricum comitem de Witin, Fridericum comitem de Brene. Filias quoque genuit sex, quarum tres Gerberstat monachas fecit, Odam et Bertam abbatissam Gerbestadensem, Agnetam Quidelingenburgensem abbatissam[37]; quarta[t] nupsit palatino Reni[38] Gerdrudis, que viro defuncto Christum heredem faciens, ecclesiam in honore beati[u] Theodori Bavenberg[v] construxit ibique monialibus Deo famulantibus se socians, in sancta conversacione vitam finivit[39]; quinta Adela copulatur regi Danorum Suenoni[40], qui genuit ex ea Lucardem, quam duxit Bertoldus marchio de Bavaria[41]; qui cum genuissent Popponem Bavenbergensem[w] prepositum et Bertam Gerbestadensem abbatissam, consensu episcoporum propter notam adulterii separantur. Occiso a Danis Suenone[42], viduam eius Albertus comes[43], Alberti marchionis filius, duxit uxorem genuitque ex ea Gerdrudem[x], Waltheri de Arnestein[44] coniugem. Sexta Sophia nupsit Chr. M. Ser. Gebehardo comiti de Bavaria, filio sororis Luderi imperatoris. Conradus igitur marchio 1124. ecclesiam a fratre suo inchoatam in honore beati Petri in Sereno Monte a fundamentis erexit largisque sue proprietatis prediis ditatam in ius et proprietatem Romane ecclesie tradidit et clerum canonicorum regularium ibi[y] Deo famulaturum instituit. Quibus et ipse omnibus mundi pompis ex integro renuncians, pauper pauperibus pro veris diviciis asso- 1156. ciatur 2. Kal. Decembris conversus et in ipso anno Non. Februarii defunctus. Moritur autem[z] Nov. 30. 1157. anno 1156, a Wichmanno Magdeburgense archiepiscopo et Walone[a] Havelbergense epi- Febr. 5. scopo, presentibus filiis suis et Alberto marchione pluribusque liberis viris et ministerialibus, condigne in ecclesia beati Petri sepelitur.

---

a) Wilhelmum 3. b) Zcicensem 1. c) Wippa 2. d) Thimo 1. e) Wipera 2. f) Lodowicum 2; Ludovicum 3. g) *verba* sextus filius *desunt* 1. 3. h) Bohemico 1. i) omissis 3. k) Thimonis 3. l) Bertam 2. 3. m) Machtildem 2. 3. n) Bambergensi 1. 2. o) beati *deest* 2. p) frater 2. q) ibidem 3. r) MC 3. s) Rochlitz 2. t) quartam 1. u) beati *deest* 1. v) Bamberg 1; Bavenburc 2. w) Bambergensem 1. x) Gerorudem 2. y) de 1. z) autem *deest* 3. a) Balone 1.

[27] de Brene. [28] de Wippera. [29] 1079—1089. [31] de Sangerhausen. [32] comitem de Hohnstein, cf. Ann. Magdeb. SS. XVI, 187. [33] Idem fortassis est, qui supra Ludewicus de Bawaria dictus est. [34] Spitihnjew II. 1055—1061. [35] Swatobor (Fridericus) patriarcha Aquilegiensis 1084—1086. [36] comiti de Abenberg, qui in diplomate Friderici I. a. 1160 dato (ap. Mencken SS. I, 1122) etiam *comes in Rangowe* dicitur. [37] a. 1184—1203. [38] Hermanno de Stahleck. [39] a. 1191. [40] IV. Petro. [41] Bertholdus III. comes de Andechs, marchio Istriae. [42] Suen IV. in pugna contra Waldemarum I. obiit a. 1157. Oct. 23. [43] de Ballenstedt. [44] II.

Anno 1109. 16.[a] Kal. Ianuarii obiit Iudita[b], uxor Wiperti marchionis. Wipertus marchio, 1156. Dec. 17.
Pigaviensis ecclesie fundator, cuius filiam Dedo comes duxerat, anno 1124. 11. Kal. Mai. 21.
Iunii moritur, relinquens heredem Heinricum marchionem[45]. Quo sine herede mortuo, anno Chr. M. Ser.
1135.[c] 2. Kal. Ianuarii Luderus imperator marchiam eius, que Orientalis dicitur, Conrado Dec. 31.
marchioni concessit, cui eciam Misnensem prius concesserat. Berta[d] comitissa, filia Wiperti,
uxor Dedonis comitis, proprietatem suam Groitz dedit Dedoni, filio Conradi marchionis,
quem loco filii nutrierat. Ipsa autem obiit anno Domini[e] 1144.[46] 17. Kal. Iunii[f]. Mai. 16.

Otho Misnensis marchio duxit uxorem Hetwigem[g], filiam Alberti marchionis de Saxonia,
ex qua genuit filios Albertum et Tidericum et filias Adelam et Sophiam. Sophia nupsit
Olrico[h] duci Bohemie[47], qui genuit ex ea Agnetem[i] Gerbestadensem monacham. Mortuo
autem Olrico, Sophia nupsit burcgravio[k] de Regensburc[48]. Adelam duxit Odacarus[l][49], qui
postea fuit dux Bohemie, quique[m] genuit ex ea filium Vredislaum[n] et filias tres, quarum
una[50] nupsit regi Dacie[51], alia Heinrico[52] comiti de Orthenberc[o], tercia canonizata[p] est in
Gerinrode. Postmodum autem Odakarus et Adela propter notam consanguinitatis separati[53]
sunt[q]. Anno 1182. Ludewicus[r] comes Thuringie[s] Othonem marchionem captivavit,
sed precepto Friderici imperatoris relaxatus est[54]. Anno 1188. Albertus, filius Othonis, Chr. M. Ser.
ipsum captivavit, imperator vero missis nunciis eum absolvit et filio reconciliavit. Anno
1189. Otho marchio fundavit ecclesiam Cisterciensis ordinis, que Cella dicitur[t][55]. Anno
1189. Otho marchio moritur et in Cella sepelitur. Albertus marchio, filius eius, duxit uxorem 1190. Febr. 12.
filiam Friderici[56] ducis Bohemie, fratris Odacari, ex qua genuit filiam[57], quam Hermanno
de Lovedeburc[58] uxorem dedit. Anno 1195. Albertus marchio moritur, post cuius Chr. M. Ser. Iun. 25.
mortem Heinricus imperator Misnensem marchiam inconcessam tenuit aliquanto tempore.
Mortuo vero imperatore, anno 1197. Tidericus comes, filius Othonis marchionis, in transmarinis
partibus[u] tunc constitutus, mortem eius intelligens, festinato reversus[v], favore eorum,
qui castris preerant, marchiam occupavit eamque postmodum donacione Philippi regis, in
cuius eleccionem consenserat, obtinuit. Hic duxit filiam Hermanni comitis provincialis de 1194.
Thuringia[w], Iuditam nomine, genuitque ex ea filiam Hethwigem et filium Othonem, qui puer
obiit; item Sophiam[59] et Conradum filium, qui eciam puer obiit, et tercium Tidericum[60].
Tidericus Orientalis marchio duxit uxorem[x] sororem Meseconis[y] ducis Polonie, Dobernegam[61]
nomine[z], que eciam[a] Lukardis dicta est, genuitque ex ea Conradum comitem, qui
in torneamento lancea perfossus moritur anno 1175.[b], et filiam Gerdrudem, Gerbestadensem
monacham. Anno 1184. Tidericus marchio obiit. 1185. Febr. 5.

Dedo comes de Rochelitz duxit Machtildem, filiam Gozwini comitis de Himisberc[c][62],
sororem Philippi Coloniensis archiepiscopi, ʼex qua genuit Tidericum, maioris ecclesie
Magdeburgensis canonicum, qui postea comes de Sumirschenburc[d] et de Groitz dictus est,
Philippum Scantensem prepositum, Gozwinum et Heinricum, qui in iuventute mortui sunt,
et Conradum marchionem et filiam Agnetem, que nupsit duci de Meran[63], qui genuit ex ea
filios ducem de Meran[e][64] et marchionem de Histerriche[f][65], qui eciam de Andasse dicitur,

---

a) *sic correxi secundum Annal. Pegavienses SS. XVI, p.* 248 *ex* MCXVI. *codd.* b) Iuditha 3. c) M^o^C^o^XXV 2. d) Breta 2. e) Domini *deest* 1. f) Ianuarii 1. g) Hetwigem 3; Hethwigem 2. h) Ulrico 3. i) Agnetem 1. k) burgravio 1; burggravio 3. l) Adacarus 2; Odocarus 3. m) qui 1. n) Vredizlaum 2. o) Ortenberc 2. p) cononizata 1. q) sunt *deest* 3. r) Ludovicus 3. s) Turingie 1. t) *verba inde ab* Otto marchio *usque ad* Cella dicitur *desunt* 1. u) partibus *deest* 3. v) reversus est et 3. w) Turingia 2. x) uxorem *deest* 3. y) Mesetonis 2. z) nomine *deest* 1. a) et 3. b) perforatus lancea obiit a. 1176. 1. c) Hymisberc 2. d) Sommerschenburc 2; Sumerschenburg 3. e) *verba inde a* qui genuit *usque ad* Meran *in cod.* 3 *ab alia manu margini inscripta sunt.* f) Osterrich 2.

45) de Groitsch et praefectum Magdeburgensem.
46) Calendarium Pegaviense ap. Mencken SS. II, p. 131 habet MCXLIII.
47) filio ducis Sobieslai I. et Adelheidis sororis Belae II. Ungariae regis.
48) Heinrico IV. 1180—1185.
49) Przemysl Ottokar I. Ex litteris Innocentii III. a. 1199. ad Ludolfum archiepiscopum Magdeburgensem directis apparet, hoc coniugium circa 1179. initum esse. Cf. Böhmer, Reg. Innocent. nr. 30.
50) Margaretha sive Daghmar.
51) Waldemaro II. 1202—1241.
52) I. 1190—1241.
53) anno 1199; cf. Innocentii III. epistolam l. c.
54) Cf. Annales Reinhardsbrunn. ed. Wegele p. 40 sq.
55) Error auctoris. Fridericus I. iam anno 1162. fundationem monasterii Cellensis confirmavit; cf. Stumpf, Reichskanzler II, 3, p. 347, nr. 3929.
56) Sophiam a. 1186. Cf. Annal. Veterocellenses SS. XVI, p. 43.
57) Christinam.
58) Arnshaug-Lobdaburg.
59) uxorem Heinrici III. comitis de Henneberg.
60) episcopum Naumburgensem 1242—1272.
61) filiam Boleslai III. Poloniae regis, sororem Mieczglai III. Stary.
62) Heinsberg.
63) Bertholdo IV. 1180—1204.
64) Ottonem 1180—1234.
65) Heinricum 1205—1209.

et Ekkebertum Babenbergensem episcopum[66] et tres filias, quarum una[67] nupsit regi Francie Chr. M. Ser. Philippo[68], alia[69] regi Ungarie[70], tercia[71] Heinrico duci Slesie in Polonia[a]. Anno 1174. Dedo comes fundavit ecclesiam Cillenensem. Post mortem Tiderici marchionis Dedo redemit marchiam Orientalem a Friderico imperatore pro quatuor milibus marcis. Anno 1190. Aug. 16. Dedo Orientalis marchio obiit.

Tidericus comes[b], filius eius, duxit Machtildem[72], filiam Ludowici comitis de Thuringia Iun. 13. genuitque ex ea filiam Agnetem. Anno 1207. Tidericus comes obiit.

Conradus marchio, filius Dedonis, duxit Elizabeth, filiam Meseconis ducis Polonie[73], viduam Zibizlai[74] ducis Bohemie, genuitque ex ea filium, qui in puericia obiit, et filias duas Machtildem, quam Albertus[75] duxit marchio de Brandenburc, et Agnetem, quam duxit Heinricus palatinus Reni, frater Othonis imperatoris. Anno 1209.[c] Elizabeth marchionissa Apr. 2. Mai. 6. obiit. Anno 1210. Conradus marchio obiit, cuius marchiam Tidericus Misnensis marchio, Chr. M. Ser. filius Othonis marchionis, redemit ab Othone imperatore pro quindecim milibus marcis.

Heinricus comes de Witin duxit Sophiam, filiam cuiusdam nobilis de Austria[76], genuitque Dec. 28. ex ea Heinricum comitem, qui in iuventute obiit anno 1187, et Conradum, qui in puericia obiit[77], et Ulricum[d] comitem et Sophiam, que nupsit Burchardo Magdeburgensi burggravio[78]. Aug. 30. Chr. M. Ser. Anno 1181. Heinricus comes senior de Witin obiit, cuius viduam duxit Hermannus, tunc comes palatinus Saxonie, postmodum eciam comes provincialis Thuringie, genuitque ex ea Iuditam, uxorem Tiderici marchionis Misnensis et Orientalis, filii Othonis marchionis. cf. ibid. Olricus comes, filius Heinrici marchionis, duxit filiam[79] Bernhardi ducis Saxonie, ex qua Sept. 28. genuit filium Heinricum. Anno 1206. Olricus comes obiit.

Fridericus comes de Brene duxit Hetwigem, filiam Dipoldi[e] cuiusdam nobilis de Boemia[80], qui fuit patruus Odacari ducis Bohemie, genuitque ex ea Othonem, qui in iuventute Dec. 13. obiit anno 1203, et Fridericum comitem et filiam Sophiam Quidelingenburgensem abbatissam[81]. 1211. Febr. 19. Anno 1210. Hetwigis comitissa obiit. Anno 1181. Fridericus comes senior de 1182. Ian. 4. Brene obiit. Otho comes sepultus est Brene, ubi mater eius claustrum monialium instituit. Anno 1181.[f] Fridericus comes iunior duxit Iuditam, filiam Friderici comitis de Cigenhagin, fratris Hermanni comitis Thuringie, ex qua genuit filiam Hetwigem[g] et filios Othonem et Tidericum. Anno 1220. Iudita comitissa[h] anno ab incarnacione Domini 1220. pridie Non. Octobris[i].

---

a) et Polonie 3. b) comes *deest* 3. c) MCCVIII 1. d) Olricum 2. e) Diopoldi 3. f) Eodem anno 3 g) Hedewigem 1. h) *verba* Anno — comitissa *in cod.* 3 *ab alia manu addita sunt. Sequitur in hoc codice subscriptio haec:* Explicit chronica Montis Sereni anno Domini 1478 in vigilia sanctorum Dionysii et sociorum eius, hora quasi secunda post meridiem. i) *verba* anno ab — Octobris *desunt* 1. 3; *supplendum videtur* obiit.

66) 1180—1202. 67) Agnes. 68) II. Augusto. 69) Gertrudis. 70) Andreae II. 71) Hedwigis. 72) In charta a. 1191. apud Ludewig, Reliq. IX, p. 666 edita Tidericus uxorem suam Iuttam vocat. 73) Miecislaw III. 74) Sobieslai II. 75) II. 76) Error. Sophia fuit filia Friderici comitis palatini de Sommerschenburg. 77) a. 1187. 78) Burchardo III comiti de Querfurt. 79) Hedwigem. 80) dux de Iamnitz 1142—1167, filius Wladislai I. ducis 1109—1125, frater Wladislai II, patris Odacari I. 81) 1203—1227.

HEINRICI CHRONICON LYVONIAE.

EDIDIT WILHELMUS ARNDT.

Cum anno 1740. *vir doctissimus Iohannes Daniel Gruber protulisset in medium Origines suas Livoniae*[1], *ibique ex codice Hannoverano instituisset chronici nostri editionem principem, non defuerunt in provinciis Baltico mari adiacentibus viri docti, qui donum hoc receperint grato animo in eoque interpretando continuum posuerint studium. Nam Iohannes Godofredus Arndt*[2], *verbi divini minister, qui primus textum chronici Latinum in vernaculam convertit linguam, defectum quem ex codicis Hannoverani natura passa erat editio Gruberiana supplevit ope codicum suorum, simulque adiecit vel coniecturas Gruberi vel quos ille ex diligentiori exemplaris sui Hannoverani perscrutatione perfectiores ipsi communicaverat fructus. Rara admodum editio Gruberiana in primo volumine Scriptorum Rerum Livonicarum repetita*[3] *ansam praebuit hodiernis origines Balticarum provinciarum diligentius tractandi, immo vero effecit, ut tandem aliquando Lyvones, rerum suarum studiosiores effecti, curarent ut, relicta priorum onerosa scientia, via et ratione progrederentur in explicando patriae historiae patre. Quis vero inter omnes magis meritus de Nostro extitit Hermanno Hildebrand? Ipse iuvenis, relicto patriae solo, dum inter cives Georgiae Augustae almae matris academicos Georgii Waitzii praeceptoris carissimi perfrueretur magisterio, in seminario historico proposuit dissertationem de Heinrici chronico Lyvoniae tractantem, eamque ampliatam auctamque in lucem emisit Berolini anno* 1865[4]. *Meminisse autem iuvat, me, cum pertransirem anni* 1864.

---

1) *Origines Livoniae sacrae et civilis, seu chronicon Livonicum vetus continens res gestas trium primorum episcoporum, quibus devictae a Saxonibus, et ad sacra christianorum traductae Livoniae absolvitur historia, a pio quodam sacerdote, qui ipse tantis rebus interfuit, conscripta, et ad annum Christi nati CIↃCCXXVI deducta. E codice ms. recensuit, scriptorum cum aetate, tum locis vicinorum testimoniis illustravit, silvamque documentorum et triplicem indicem adiecit Ioan. Daniel Gruber. A. B. Francofurti et Lipsiae, anno* 1740. in fol.

2) *Der Liefländischen Chronik erster Theil von Liefland unter seinen Bischöfen* etc. *Halle* 1747. in folio.

3) *Scriptores rerum Livonicarum. Sammlung der wichtigsten Chroniken und Geschichtsdenkmale von Liv-, Ehst- und Kurland; in genauem Wiederabdrucke der besten, bereits gedruckten, aber selten gewordenen Ausgaben. I. Riga und Leipzig* 1853. Vir d. A. Hansen novam hanc chronici nostri editionem (l. c. p. 50—311) ita paravit, ut editionem Gruberi repeteret, quae apud eum exciderant ex Arndtio repleret, simulque adiiceret novam versionem Germanicam. Notae Gruberi omnes reproductae sunt. Attamen Hansen bene de chronographo nostro meritus est, quippe qui primus in prolegomenis suis, praemissis de auctoris persona verbis, enucleavit chronologiam a Grubero valde deturbatam. Semper tamen mirandum est, cur nemo Lyvonum, historiae suae vere curiosorum, viderit verum de codicibus Rigensi et Revaliensi infra laudandis. Hansen quidem perpaucis in locis Revaliensem allegat.

4) *Die Chronik Heinrichs von Lettland. Ein Beitrag zu Livlands Historiographie und Geschichte von Dr. Hermann Hildebrand. Berlin* 1865. *E. S. Mittler.* in 8°. — Velim laudare versionem novissimam: *Heinrichs von Lettland Livländische Chronik, ein getreuer Bericht, wie das Christenthum und die Deutsche Herrschaft sich im Lande der Liven, Letten und Ehsten Bahn gebrochen. Nach Handschriften mit vielfacher Berichtigung des üblichen Textes aus dem Lateinischen*

aestate Gottingam, locutusque fuissem cum Georgio Waitzio magistro de itinere Polono-Russico mox suscipiendo, ab eo fuisse impulsum, ut indagarem codicis Polonici cuiusdam, de quo nil nisi vagi ad nos venerant rumores, sortem; Heinrici enim textum valde interpolatum, immo maculis foedissimis scatentem vir doctissimus dicebat. Petropoli autem me degentem certiorem fecit v. cl. Kunik, academiae Russicae imperiali adscriptus, iam anno 1862. *Augustum Bielowski Leopoliensem*[5] *codicem Warsaviae in palatio Zamosciano exstare pronuntiasse. Sic via indicata, anno* 1865. *mense Februario me Warsaviam contuli, aditumque ad Zamoscianum palatium interventu Alexandri ex comitibus Przezdziecki, Maecenatis illius litterarum, quem paucis ante diebus in Italia heu! fata tulerunt, mox obtinui. Motus autem quibus tunc Polonia quatiebatur, nec pepercerant illi bibliothecae; mortuus erat bibliothecarius, comes de Zamoyski aberat longe a patria, libri perturbati quam maxime. Iam desperatus abstinendi conceperam propositum, cum fortuito detegerem inter duos permagnos libros codicem quendam absconditum, eumque luci redditum agnoscerem diu quaesitum thesaurum. Statim accinctus me praeparavi ad conferendum cum impressis codicem, cognitoque nec spem me fefellisse, nec editionem novam instituendam esse, nisi Zamosciano exemplari qua fieri potuerit diligentia excusso, librum hunc manuscriptum liberaliter concessum redux Berolinum in aedibus bibliothecae regiae in usum nostrum ipse verti. Fundamento sic posito, de aliis chronici codicibus sollicitus, paravi editionis futurae subsidia necessaria, de quibus omnibus nunc agam.*

1. *Codex Zamoscianus Warsaviensis, in forma quadrata minori, membranaceus, saeculo XIV. ineunte conscriptus. In dorso teguminis legitur numerus* 30; *in scedula adiecta numerus* 455. *Interiori tegumini scedula adglutinata arma monstrat Zamosciana et haec verba:* Stanislaus C. O. Zamoyski || Anno 1804. || Ex bibliotheca C. O. Zamoyski. *In inferiori margine folii codicis primi haec vix legibilia adsunt verba:* ..... Illrim̄ī I. a. ....anis..i Palatini || Sandomir̄ g..t. ...bet Heres || Za.osceus, *quae fortasse sic supplenda:* Ex libris illustrissimi Ioannis, Ioannis filii palatini Sandomiriensis gratia, habet heres Zamosceus. *Videtur esse Zamosceus ille fundator academiae Zamoscianae, gener Iohannis comitis de Tarnowski, filii illius Iohannis Stanislai de Tarnowski, palatini Sandomiriensis, qui anno* 1568. *decessit*[6]. *Offenduntur autem in variis codicis foliis notae vel verba quae partim otioso attribuenda sunt cuidam lectori, partim alicui qui his adnotandis memoriae suae voluit succurrere. Sic iudicio viri clarissimi Schirren evincitur, codicem nostrum olim in Lyvonia ipsa fuisse, immo post reformationem ecclesiae saeculo XVI. peractam ad oras Dunae fluvii quidem, si non in ipso Dunamundensi oppido,*

übersetzt und erläutert von Eduard Pabst. Reval 1867. in 8°. Certe interpres per longam vitam sudavit et alsit de Henrici chronico, in libello praesenti ad topographiam ex sua terrae cognitione multum attulit novi, linguam scriptoris bene explicavit ex scriptura sacra, sed versionem ipsam crudam effecit atque immobilem, servatis structura verborum Latinorum et vocum Germanicarum formis iamiam inveteratis. Creat taedium legentibus.

[5] V. quoque Hildebrand l. c. p. 5.

[6] Cf. Schirren in libello: *Der Codex Zamoscianus enthaltend Capitel I - XXIII,* 8 *der Origines Livoniae. Beschrieben und in seinen Varianten dargestellt von C. Schirren. Mit zwei lithographirten Schrifttafeln. Dorpat, E. S. Karow, Universitätsbuchhändler.* 1865. in 4°. p. 1. Errat autem vir cl. liber baro de Toll in epistola sua, ibidem p. III. allegata, de promisso Pertzii agens. Nihil erat promissum, nihil mihi communicatum; nec codicis copiam parassem, cum ex instituti nostri norma ipse prohiberer. Lyvones autem hodierni persaepe tentabant codice potiri, qui ex bibliothecae Zamoscianae inordinato statu non potuit reperiri. Eo autem a me detecto, litteras hac de re dedi ad v. cl. Kunik, a quo Lyvones certiores effecti, mox impetrabant codicem, nec moram fecerunt eum publico usui restituendi.

conservatum, tum demum versus finem saeculi XVI. adquisitum fuisse a Polono quodam, ut mihi saltem videtur, ab illo Iohanne Stanislao de Tarnowski. Originem Lyvonicam codicis evictam habeo. Cum plagulae codicis numerentur numeris Romanis rubro colore exaratis in inferiore primi cuiusque folii margine, et in primo codicis folio nunc exstet numerus II, *edocemur deperditum esse primum quaternionem*[7]. *Leguntur autem in folio primo recto hi versus:*

Dum pia gratia vult pia premia reddere ter
Vult nova gaudia, que sua gloria reddere ter
Vult nova lumina, vult sua munera pandere ter
Omnia lucida cunctaque splendida pandere ter
Omnia pymetha cunctaque crimina pellere ter
Omnia sordida cunctaque morbida pellere ter
Ydola perfida vanaque delubra pellere ter
Munera Livonicis lavacri sacra vult dare ter
Irrigui sacra donaque celica vult dare ter
Optima munera, premia celica vult dare ter
ris[a].

O pia gratia tam pia premia da pia no
Hec nova lumina tantaque gaudia da pia no
Omnia candida cunctaque splendida da pia no
Omnia que bona que pia que nova da pia no
Pessima vincere, crimina linquere da pia no
Sordida tergere, morbida pellere da pia no
Que mala spernere, que bona discere da pia no
Optima munera, celica premia da pia no
Gentibus hec tua pandere munera da pia no
Gentibus hiis lavacri dare munera da pia no
Laudis et hec tua, dicere munia da pia no
Hostica prelia vincere carnea da pia no
Terrea spernere sydera scandere da pia no
Leta trophea futuraque gaudia da pia no
bis.

Folio 1' *incipit Chronicon. Sic autem compactus est codex: II, III, IV, V quaterniones sunt, VI item quaternio, sed cuius folium* 34. *excisum est*[8], *VII est quinio, VIII item quinio erat, cuius nunc folia* 59. *et* 60. *desunt*[9], *IX est quinio cum folio undecimo,* 64, *adglutinato, X est quaternio, XI quinio, quaternionis XII nil nisi folium primum exstat. Supersunt hodie folia* 87, *saeculo XVI. autem* 90 *ad minimum supererant, cum folium ultimum hunc in fronte praeferat numerum. Folii* 49. *versus quinque priores abscisi sunt*[10]. *Qui codicem compegit corio rubro, minus caute egit, margines simulque cum eis adnotationes colore rubro exaratas et paginarum numeros cultro nonnumquam mutilavit. Lineae atramento ductae. Scriba admodum negligens permultum peccavit, leviores tantum*

---

a) *ris iam abscisum in* 1.

7) Schirren v. cl. l. c. p. 5 in hoc primo quaternione olim exstitisse Calendarium et poema, cuius versus ultimi pagina prima secundi quaternionis sunt conservati, suspicatus est. Ego malim ibi fuisse praefationem et poema. 8) id est XII, 6. *[Hoc audito Hermannus] Lyconum advocatus* — XIII, 2 *fratrem suum [resipiscere sperantes]*. 9) id est XVI, 4: *[felle repleti] estis et pro* — XVII, 2: *ad eos ti[muit Rameko patris sui interfectionem]*. 10) id est XV, 3: *[de pyraticis] suis exeuntes effugerunt — et pyraticas paganorum secum [ducentes fere trecentas]* et, XV, 4: *[in sporta multis diebus por]taretur — et in [primo adventu eius]*.

mendas ipse correxit. Tum relegit corrector quidam codicem, quem et ipsum munere rubricatoris functum esse, statuere velim; cum in signis, quae suppletis apposuit, haud raro sit usus colore rubro. Quae ita correcta, utpote hominis curiosi et prorsus coaetanei, semper in textum recepi. Suppleverat idem totum folium 64. *Scriba pallido admodum atramento usus est, corrector multo obscuriori. Librorum distinctionibus et capitum rubricis plumbo delineatis scriba vel alius quidam praeibat rubricatorem; eas in archetypo iam exstitisse patet, quis enim sciret ponere tam recte, tam distincte in fine XII,* 5*:* Explicit liber tercius de Lyvonia. Incipit liber quartus de Estonia*? quis nisi rubricator locutus esset ita: XIX,* 5*:* Qualiter ab ignibus liberati sumus*? XIX,* 5*:* Qualiter conclusionem portus evasimus*? quem denique rubricatorem, ad VII,* 9 *(rectius ad* 8*) haec:* De captivitate sacerdotum et pecorum ablatione a rege Wiscewaldo cum Letonibus *ponentem, tam bene instructum de regis de Gercike nomine, cuius prima mentio fit XIII,* 4, *fuisse statuamus, ut iam in loco praenotato verum protulisset? Inveniuntur autem haec lemmata, quae in editione nostra in notas relegavimus criticas, partim in marginibus, partim in principio vel fine capitum, spatio vacuo eisdem relicto. Multoties in falso ponuntur loco. Textus, quem praebet codex, omnium interpolationum, quibus horret editio, liber est, semel de suo adiecisse videtur scriba iudicium, cum de terrarum partitione (XI,* 3*) protulerit verba:* Non bene. *De modo scribendi pauca dicenda, abbreviationes nonnisi quae saeculo XIII. et XIV. ineunte erant in usu, quandoque litterae duplicatae, ut* clippeos, clippeis, vipperarum, transsire, t *et* c *ante* i *promiscue ponuntur, occurrunt* excercitus, canpum, inperium, inpetus. — *Quae cum omnia ita sint, valde dolendum, quod codex hic Zamoscianus in fine mancus exstat. Coactus ergo fugi ad alios, de quibus nunc agendum.*

2. *Codex bibliothecae Rigensis* 2394, *olim parochi Skodaiski*[11], *chartaceus in folio, initio saeculi XVII. exaratus,* 262 *paginarum. Incipit* Liber primus de Livonia, de primo episcopo Meinardo. Divina providentia *etc. In hoc integrum legitur chronicon, ex exemplari optimae notae descriptum. Quod saeculi XIII. vel XIV. ineuntis fuisse verisimile est, nam cum cap. XIX,* 8 *initio legamus* Otalienses *pro* Rotalienses, *in exemplari originali hoc loco rubricatori spatium vacuum esse relictum elucet; XIX,* 5 *versus finem, ubi leguntur verba:* Qui vero in cymbis anchoras deduxerunt milites et servi, *vocem* servi *sic scripsit* ſūi; *aliquoties* t *pro* c *ponit ut* Ploteke *pro* Ploceke; *XIV,* 9 *versus finem pro:* immolaticiis suis *habet:* in molaticis suis, *cum prius locum lectu difficilem deprehendisset ibique spatium vacuum reliquisset, quod postea ductibus perquam gracilibus laudatas exarans voces supplevit. Quandoque in margine notae eadem manu exaratae inveniuntur, sine dubio a scriba additae, quarum nonnullas tantum hic proferre libet. Ad I,* 2*:* A. C. 1153 Imper: Rom: Frid:, *ad I,* 6*:* A. C. Ikescolum castrum inchoatur, *et paulo post:* Semigallorum stultum consilium de castro Ikescolensi funibus destruendo. *Reieci igitur, iure quidem ut puto, istam farraginem, quae ad editionem parandam nullius momenti est. Librorum, si excipis codicis initium, et capitum distinctio nulla, attamen verbis et factis rationem reddens scriba novum ingreditur versum, quandocunque peractam fuisse rem putaverit. Modus scribendi non semper constans, plerumque sapit scribam saeculi XVII. Codicem, postquam de eo v. cl.*

---

[11] qui a. 1769. mortuus est.

G. Berkholz, bibliothecae Rigensi praefectus, me certiorem fecit, benivolentia senatus Rigensis Berolinum anno 1866. *missum, ipse contuli.*

2ª. *Codex qui in bibliotheca societatis historicae et antiquariae Rigensis asservatur, manu Gustavi Bergmanni (nat.* 1749, *mort.* 1814.*) exarati, nil est nisi exemplum praecedentis. Ei lectiones discrepantes ex editione Gruberi, ex manuscripto Iohannis Witte mox sub Nr.* 5 *laudando, et ex manuscripto Tideböhliano Revaliensi*[12], *nunc ut videtur deperdito vel latente, adscriptae sunt. De hoc codice mihi scripsit v. d. Berkholz.*

3. *Codex gymnasii Revaliensis, formae quadratae, chartaceus saeculi XVII. ut videtur medii, foliorum* 232, *duabus exaratus manibus, folio* 166 *enim codicis secunda incipit manus et pergit usque ad folium* 197, *quo filum iterum primarius excipit scriba. Mendae in parte a secunda manu exarata correctorem invenerunt scribam aeque primarium. Certe usque ad fol.* 197 *fere (id est XXIV,* 5*) est repetitum aut idem exemplar, quo usus est codex* 2, *aut aliud consimile, nam in* 3 *etiam occurrunt iisdem in locis formae:* Otalienses, Ploteke, in molaticis, *et pro* servi *cap. XIX,* 5 *legitur* sui[13]. *Sed inde a XXIV,* 5 *prorsus alia ratio intercedit, nam textus eisdem atque editio scatet interpolationibus. Quaenam autem exstiterit causa huius mirandae admodum rei, valde dubium; fortasse exemplar authenticum mancum erat in fine, fortasse scriba alium nactus erat codicem quem praeferebat ad suum apographum finiendum. Primo in folio haec leguntur:* Bibliothecae Gymn. Reval. iure emptionis annumeror. Ao. 1734, *et:* Chronicon primorum episcoporum Livoniae. *Codicem mihi flagitanti praefectus gymnasio Revaliensi benevolenter misit anno* 1865, *ut eum conferrem cum editis. — Ex hoc fluxit*

3ª. *codex, qui nunc Revaliae in bibliotheca societatis Esthnicae asservatur. Idem esse videtur ac Wetterstrandianus, laudatus a cl. v. A. Hansen, Script. Rerum Livon. I, XII.*

Iam progrediamur ad classem codicum interpolatorum. Omnium huius classis codicum manuscriptorum, eorum saltem, qui ad nostram pervenerunt notitiam, communis fons exstitisse videtur exemplar olim in bibliotheca praeclarissimi viri Iohannis Oxenstiernae asservatum. Ex hoc enim fluxisse codicem Rigensem 2484 *infra videbimus. Omnium autem trium sequentium codicum* 4. 5. 6 *inscriptio est:* Chronicon Livonicum vetus trium primorum episcoporum res gestas continens *(*5.*) vel paulo mutatis verbis* Chronicon Livonicum vetus continens res gestas trium *(haec vox deest* 6.*)* primorum episcoporum. *Codice Rigensi* 2484 *simul edocemur exemplar Oxenstierniense saeculo demum XVI. esse conscriptum, legebatur enim in eius initio:* 3. Martii incepi 15.. *Valde dolendum quod ultimi duo anni numeri iam abscisi sunt. Sed convictus sum argumentis viri cl. C. Schirren*[14], *archetypon classis interpolatae nequaquam aetate excessisse saeculum decimum sextum. Cum enim IX,* 13 *de Lyvonibus conversis proferat auctor haec:* Sic ergo Christo vocante gens indomita et paganorum ritibus nimis dedita pedetentim ad iugum Domini ducitur et, relictis gentilitatis sue tenebris, veram lucem, qui Christus est, per fidem intuetur, *interpolator memor Reformatorum principis nostri dicti, effecit:* per solam fidem intuetur. *Unde autem interpolator hauserit ea, quae ad II,* 6 *de morte Bertoldi episcopi una cum die emortuali et versu, quae ad XXIX,* 9 *de mercatoribus Bremensibus,*

---

[12] De hoc codice quantum coniicere licuit, vide infra sub Nr. 6.

[13] Caetera quae aut habent communia aut omittunt concordantes 2 et 3, religiose semper in notis adnotavi criticis.

[14] l. c. p. 63. 64.

ante 67 *annos praeteritos portus Lyvonici inventoribus, affert, nescio; omnes reliquae interpolationes nihil dicunt, verba auctoris mutant ampliantque, si non corrigendi vel explicandi conatu ea prorsus corripiant aliquando. Opus igitur non erat has nugas repetere in editione hac, ne lectoribus iterum ex notarum, quas dicimus criticas, ubertate generaretur fastidium. — Sed videamus de codicibus.*

4. *Codex bibliothecae Hannoveranae, in folio minori, signatus XXXIII* 1746, *olim* 191 *foliorum, quorum nunc folia* 149—156 *deperdita sunt. Scriptus est non ante finem saeculi XVI. Ex hoc Gruberi fluxit editio, quam ob rem in ea desiderantur XXIV,* 5 [Post modicum vero temporis rediit iterum] idem Theodericus sacerdos in Gerwam et Wironiam *usque ad XXV,* 5: et cisternas infra fodientes armis [et balistis repleverunt *etc.*]. *Explicit:* Finis Chronici Livonici veteris. *Codicem anno* 1866. *Berolinum missum in aedibus bibliothecae regiae evolvi ipse.*

5. *Codex bibliothecae Rigensis Nr.* 2482, *a Iohanne Witte olim tabulario Rigensi exaratus, deinde collectionis Schievelbein-Andreae, tum G. de Vegesack, qui eum anno* 1818. *dono offerebat bibliothecae Rigensi. Est autem folii maioris, chartaceus. Chronicon nostrum inde a pagina* 225 *usque ad paginam* 368 *invenitur. In fine leguntur haec:* Ex exemplari, quod illustrissimus dominus Iohannes Axelii Oxenstierna, comes etc. suae bibliothecae *(sic!)* servat, et per nobilem dominum Iohannem de Weydenhayn mihi communicatum est, descripsi bona fide mense Decembri 1653. In initio libri inscriptum quoque erat eadem scriptoris manu: 3. Martii incepi 15.. *Iohannes Witte ipse paginavit copiam suam numeris* 1—142, *postea cum multis aliis documentis comprehensa est uno tegumento, qua in re bibliopegae negligentia effectum est ut paginarum quarundam hic sit ordo hodiernus* 106, 119—130, 107—118, 131. *Explicit ut* 4: Finis Chronici Livonici veteris. *Hunc aeque ac* 2. *huc missum ipse inspexi aliquasque ex eo excerpsi lectiones varias.*

5ª. *Ex* 5 *fluxit codex Knüpferi, anno* 1660. *exaratus, de quo vide Hansen l. c. p. V. Vir cl. G. Berkholz hunc iam in bibliotheca Dorpatensi esse asservatum putat, ut ipse de natura atque indole eiusdem simul disputans ad me scripsit.*

6. *Codex Tideböhlianus*[15] *Revaliensis, nunc deperditus. Quod de eodem scimus Bergmanni apparatu supra laudato ad nos venit; eum classis interpolatae fuisse conieci ex lemmate iam citato.*

His de codicum natura atque praestantia praemissis, elucet novam editionem sic fuisse instituendam, ut amotis interpolationibus, textus purus auctorisque peculiaris, quoad fieri id poterat, restitueretur. Secutus igitur sum codicem Zamoscianum, eoque desinente codicem 2, *Rigensem, quem in verbis scribendis correxi exemplaris Zamosciani praeceptis ductus. In notis admodum parcus capitum divisionem a cl. v. A. Hansen institutam retinui, praesertim cum secundum eam in recentiorum operibus laudentur verba auctoris, tempus in margine adnotavi.*

Habemus tandem textum authenticum! Ex eo de auctore ipso disquirendum. Clericum fuisse auctorem, quis est quin videat? Nec licet dubitari de persona ipsius; Heinricum sacerdotem eum fuisse, iam suspicatus est Gruber[16]*, argumentis firmissimis monstraverunt Hansen*[17] *et Hildebrand*[18]. *De origine eius multum*

---

15) Tideböhl gymnasium Revaliense olim regebat et anno 1807. mortuus est. 16) in praef. p. II et III. 17) l. c. p. 15 sqq. 18) l. c. p. 6 et p. 162 sqq.

disputatum est. Cum prius omnes crederent, eum Lettum origine fuisse, nunc eum Germanum sibi vindicant Lyvones hodierni[19]. *Falso! Auctor enim, de Lyvonibus Philippum Raceburgensem episcopum rapere volentibus, haec protulit verba, XVI, 3:* Et volebant episcopum rapere, sed prohibebat eos et comminabatur eis sacerdos ipsius et interpres, Henricus de Lettis. *Quae verba vulgo explicantur Heinricus sacerdos Lettorum*[20]. *Sed primo animadvertendum, Heinricum hoc loco non ut sacerdotem ad Lettos missum, immo vero ut socium Philippi episcopi, qui se ad Lyvones contulerat, apparere. Iam de natura praepositionis* de *apud Nostrum usitatae indagandum erit. Iuvat has proferre sententias: X, 7 de Iohanne sacerdote ab Holmensibus martirizato haec dicuntur:* Ipse enim natus de Wironia, et a paganis in puericia captus *etc. Tum IV,* 1: Conrado de Tremonia, *XV,* 2 Helmoldus de Plesse, Bernardus de Lippia, *XXIX,* 3: venerunt quoque ad eum ibidem nuncii Danorum de Revelis; *et ita sexcenties usitato medii aevi more patria vel dominium vel locus natalis indicatur praepositione* de. *Tum XV,* 9: Erat autem Philippus idem de gente Lettonum et in curia episcopi enutritus, et adeo fidelis effectus, ut interpres ad ceteras gentes docendas mitteretur. *Demum XIX,* 4 *versus finem:* Et missi sunt Petrus Kakuwalde de Vinlandia et Otto fratrum milicie sacerdos. *Populi nomen usurpatum etiam esse pro terra, docemur hoc loco: XXIX,* 7, *Wilhelmus episcopus Mutinensis sedis apostolicae legatus* pertransiens Lyvoniam venit in Letthorum provinciam, et de Letthis in Sackalam *Sed opponant adversarii, Auctorem favere parti Theutonicorum, dominorum episcoporum et fratrum militiae virtutes ad coelum usque efferre. Recte quidem et vere, sed argumentum nullius fere momenti. Auctor erat sacerdos, conversionem autem paganorum ad fidem christianam molitus est episcopus Albertus, moliti sunt ceteri episcopi et fratrum militiae ordo. Hi omnes autem Theutonici fuere. Hi erant electus Dei populus, qui, ut Israelitae quondam, gladio et igne portabant verbum Domini ad gentes diversas. Hi denique erant domini terrae acquisitae. Praeter Theutonicos autem Heinricus Lettorum partes tuetur, diserte pronuntiat XXIX,* 3, *quomodo Wilhelmus legatus eos laudibus prosecutus sit,* eo quod sponte et absque ulla bellorum perturbatione fidem christianam primo susceperunt et postmodum nunquam, more Lyvonum et Estonum, baptismi sacramenta violaverunt, humilitatem et patientiam eorum collaudavit, qui nomen domini nostri Iesu Christi ad Estones et ad alias gentes lete portantes, multos de gente sua propter eandem fidem christianam occisos, in martyrum, ut credimus, consortium transmiserunt. *Attamen Lettos una cum Lyvonibus anno* 1212. *rebelles exstitisse contra terrae dominos, ipse narraverat XVI,* 3. 4. 5. *Ne quis obiiciat, Heinricum ita scripsisse, quod olim apud Lettos ipsos ipse sacerdotio functus sit! Est modus in rebus ab eo narratis, modus non solum immo vero ratio*[21].

---

19) Cf. Iordan, Ueber den sogenannten Heinrich den Letten, in: Inland, Wochenschrift für Liv-, Esth- und Curlands Geschichte. 1858. Nr. 14. Hildebrand l. c. p. 7. Pabst l. c. p. IX.

20) Ubi Heinricus de se ipso apud Lettos ut sacerdote fungente locutus est, hoc tali modo fecit, XII, 6 ter: *sacerdos ipsorum* scilicet Lettorum; XXIV, 1: *Henricus Letthorum minister de Ymera;* XXIV, 5: *Letthorum de Ymera sacerdos.*

21) Longum est omnia hic repetere, quae v. d. Hildebrand perbene et copiose disputavit l. c. 166 sqq. Ipse enim prius sententiam de origine Germanica auctoris simpliciter suscipiens approbansque, postea disquisitionem criticam hac de re novam instituit (l. c. p. 162—170), sicque tamen finivit: *So bieten sich keine weitern Momente, die der Lettischen Abkunft Heinrichs geradezu widersprächen, vielmehr einzelne, die dafür ausgebeutet werden könnten. Wollte man aber zu jener früheren Annahme zurückkehren, so müsste zunächst die Möglichkeit erwiesen werden, dass das Beiwort „de Lettis“ auch diese, und nur diese bezeichne, nicht blosse Variation des Namens „der Lettenprie-*

Heinricus num puer inter obsides a Lettis episcopo datis fuerit, quis dicat, cum ipse de suis primitiis silentium servet. Semel se, XI, 7 *scolarem episcopi profitetur, itaque in curia episcopi enutritus, doctus, ad gradus ecclesiasticos praeparatus esse videtur*[22]. *Latina lingua bene instructus sine dubio scripturam sacram tractavit continuo studio, Vergilium*[23] *Horatiumque*[24] *poetas noverat simul ac Sulpicii Severi librum de vita sancti Martini*[25], *in versibus rythmice componendis sine dubio exercitatus erat in schola*[26]. *Iam anno* 1208. *eum sacerdotem Lettorum ad Ymeram reperimus (XI,* 7*). Quo munere per complures annos functus, non defuit in bellicis periculis. Cum enim castrum Beverin ab Estonibus oppugnaretur, ipse murum ascendit et pro Lettis defensoribus* musico instrumento canebat Deum exorando, *XII,* 6. *Anno* 1212. *(cf. XVI,* 4*) Philippum Raceburgensem episcopum ad Lyvones comitatus est, cum Wladimiro tractavit (XVI,* 6*) et a.* 1214. *filios Thalibaldi de Tolowa (XVIII,* 3*) baptizavit. Aestate anni* 1215. *Philippo episcopo ad Lateranense concilium indictum properanti socius adstitit, nec non post pericula omnia itineris ab Osilianis hostibus praeparata simul cum eo passa morientem reliquit, (XIX,* 5. 6*). Redux occurrit aestate a.* 1216. *in expeditione contra Harrionenses (XX,* 2. 6*), per hiemem eiusdem anni in provincia Gerwen baptizat, a.* 1219. *mense Februario Volquinum magistrum militiae in expeditione contra Revalenses sequitur, XXII,* 9*; anno eodem iam ad finem vergente invenitur in oppugnatione castri Mesothen, tum in Estonia, XXIII,* 7. 8*; anno* 1220. *pugnam vidit, qua Osiliani afflicti sunt apud villam Carethen, XXIII,* 9. *Sic demum Estonibus subactis, iam restabat ut provincia illa, quae gladio erat acquisita, christianam quoque acciperet fidem; securi iam ibi ambulabant missi sacerdotes. Alius autem Theutonicis ibi surrexit inimicus, Dani aemuli. Una cum Petro Kaikewalde sacerdote in regionibus Tarbatensibus et Wironia Noster euangelium praedicat, ubi a Danis repulsi, recedunt in Gerwanense territorium, et ibi non minus hostiliter a Danis recepti, Heinricus conatus est apud Andream archiepiscopum Lundensem, tunc Revaliae morantem, ius praedicationis sibi vindicare, sed frustra, XXIV,* 1. 2. *His bene perspectis cum alio sacerdote, Theoderico tunc noviter ordinato, Estoniam intrat, peragrant simul Sakalam et in Normegunde, provincia vicina, baptizant. Tum abierunt in provinciam Loppegunde, et inde in confinium Wironiae. Ibi Heinricus, Bonifacium aemulatus,* imagines et similitudines Deorum *succidit, mirantibus indigenis et stupentibus; processit usque ad lacum, qui nunc Wirzjerw dicitur, et usque ad Odempä, XXIV,* 5. *Paulo post expugnationem castri Tarbatensis vidisse, nec non Wilhelmum Mutinensem episcopum, sedis apostolicae legatum, terras illas visitantem comitatus esse videtur. Anno demum* 1226. *ad provincias maritimas missus, ibi euangelii semina sparsit, XXIX,* 7.

Sacerdotem talem praedicantem cognovimus Heinricum ex chronico, quod nobis reliquit. Eum autem fortem et tenacem hominem fuisse, fide repletum, infatigabilem in sancto labore, elucet.

Scripsit autem chronicon uno quasi tenore, certe usque ad finem capitis XXIX. Iam in prioribus operis partibus respexit ea, quae postea sunt acta;

---

ster" sei. Dass ein solcher Beweis zu führen sei, muss geleugnet werden, aber in Umständen, die ausserhalb des Ausdrucks selbst liegen, können wir kein ausreichendes Hinderniss dafür entdecken

[22] Cf. XV, 9, ubi similia de Philippo sacerdote narrantur. X, 7, ubi de Iohanne Wironensi in coenobio Segebergensi educato agitur.

[23] Cf. X, 3; XXIX, 8.

[24] Cf. X, 3.

[25] Cf. I, 11.

[26] Si vero versus in capite codicis Zamosciani Heinrico attribuendi non sunt, restant tamen alii in chronico, de quibus infra.

X, 17 exempli gratia de Philippo agens imperatore, eum piae memoriae nominat; XV, 1 de prima obsidione castri Fellin locutus, praesignificat iam secundam anno 1223. mense Augusto (XXVII, 2) factam. Certe capite XXIX finito, Heinricus stilum deposuit. Wilhelmus Mutinensis episcopus terga iam dederat Lyvoniae, sed eum a. 1226. mense Aprili adhuc Dunamunde commoratum esse postea in cap. XXX una cum iis, quae initio anni 1227. acta erant memorabilia, narrat. Claudit enim in capite XXIX, 9 longam suam narrationem, Iesum Christum dominum eiusque genetricem, virginem Mariam, invocat, ut sint sibi propitii, quia omnia quae scripserat, ad eorum tantum laudem redegisset. Cum autem anni 1223. et 1224. variis motibus periculisve repleti fuissent, pax et otium tantum data essent anno 1225, evincitur inde ab hoc termino usque ad mensem Aprilem anni subsequentis chronicon esse compositum. Monente autem Wilhelmo episcopo Heinricum scripsisse, quidam putarunt[27]*; certo ipse de tali provocatione silentium servat. Ultimum vero caput, quo inprimis bellum contra Osilianos persequitur, Rigensiumque civium in eo magnalia facta, statim redux composuisse videtur, laetus de victoria reportata, de terra iam christianae fidei vindicata, oratione elatiori celebrat Rigam, urbem Virginis, quae talia tantaque peregisset.*

Ipse profitetur se scripsisse, XXIX, 9: rogatu dominorum et sociorum, *nempe provocatus per fratres militiae, episcopum Albertum, nec non per alios suorum itinerum laborumque socios sacerdotes. Pergit autem:* Nihil autem hic aliud superadditum est, nisi ea, que vidimus oculis nostris fere cuncta, et que non vidimus propriis oculis, ab illis intelleximus, qui viderunt et interfuerunt. *Ex natura autem ipsa tam longi operis coniiciendum est, Heinricum habuisse adnotata inter res gestas redacta. Fortasse ipse et alii sacerdotes, euangelii nuncii, miserant episcopo epistolas, quibus referebant de laborum successu, et quae postea, in archivis episcopii asservatae, scribenti ad manus fuerunt. Certe diplomata quaedam ibidem asservata cognovit, saepius laudat bullas papales, quae ad nos temporum ingratia non pervenerunt; XV, 5 chartam qua Lyvones ad annualem tritici mensuram reddendam erant obstricti commemorat; vel etiam XIII, 4, ubi de subiectione principis de Gercike disputat, quandam affinitatem inter Nostri et diplomatis (Livländisches Urkundenbuch ed. Bunge I, 15) verba offendimus. Quoad concilium Lateranense anno 1215. celebratum, ex Eduardi Winkelmann disquisitione critica, quam hac de re instituit in libro, cuius est titulus „Kaiser Friedrich II.“, tom. I, 105 et 106, scimus, ordinem rerum ibi gestarum in scriptis esse consignatum, haecque sapiunt verba Nostri*[28] *in cap. XIX, 7. Quis etiam nunc dubitet, quin ad archivum episcopale aditus Heinrico patuerit? — Porro testes, qui factis interfuerunt, a Nostro hi laudantur: IX, 5.* Referebat sacerdos quidam, qui tunc in Lethonia captivus tenebatur, Iohannes nomine, quod mulieres quinquaginta se ob mortem virorum suspendio interfecerunt; *XI, 4 de morte Godefridi advocati turpissima:* sicut a quibusdam relatum est; *XV, 4 de mirifica sanatione Bernardi de Lippia:* ut ipse saepius retulit; *XVIII, 8 de martyrio Friderici de Cella, sacerdotis ordinis Cisterciensis, per Lyvones ei inflicto:* Lyvones quoque quosdam secum captivos deduxerunt in Osiliam, qui post reditum suum nobis omnia predicta retulerunt.

Minime igitur dubitandum, Heinricum nostrum ad historiam scribendam bene fuisse praeparatum. Si autem investigamus, quomodo hunc finem attigerit, non est negandum, vires ei defuisse. Res viderat, non perspexerat. Quae facta sunt,

---

27) Cf. Hansen l. c. p. 22, Hildebrand p. 19.

28) Cf. Hildebrand p. 24, 25, et 25 n. 1.

narrat, relatorum rationes et causas non cognovit. Nec tamen ultra est vituperandus, aliud enim nobis est historiam scribere, aliud hominibus saeculorum iam peractorum. Accedit quod Heinricus sacerdotio functus est, nec ad altiores gradus promotus, quoad scimus, maioribus fortasse in rebus episcoporum et dominorum secretis non est admissus. Ipse dicit XXIX, 9*:* haec paucula conscripta sunt ad laudem eiusdem domini nostri Iesu Christi, qui fidem et nomen suum portari vult ad omnes gentes, ipso cooperante et confirmante, per quem talia sunt operata. *Et porro diserte profitetur laudem Christi, de factis tam gloriosis debitam, se scribere voluisse, ne ea per negligentiam pigrorum oblivioni in posterum traderentur; haec se non fecisse adulationis aut lucri temporalis gratia, sed potius in delictorum suorum remissionem. Quae cum ita sint, Heinricum historicum fuisse non est cur censeamus, ei autem inter eos, qui medio aevo composuerunt chronica, praecipuum deberi locum, iure statuimus. Ieiunus in rebus narrandis, a miraculis proferendis se semper fere abstinet, cognitionem gentium paganarum illarum septentrionalium, quoad vitae cultum, mores, artes et religionem, valde sua narratione ditat. Lingua Latina admodum edoctus erat, conscius inconscius verba scripturae sacrae retinuit, ita tamen, ut quandoque ipsi pagani loquantur sermone biblico; humili, ut ipse dicit (XXIX,* 9*), scriptura opus suum composuit. Nec tamen evitat lusus verborum*[29]*, nec se abstinet a versibus faciendis*[30]*, quandoque oratio sapit pompam poeticam, raro inveniuntur facetiae vel salse dicta*[32]*. In grammaticae regulis non peccat, habet autem quaedam inusitata, praesertim amat uti participiis pro praesenti vel perfecto. Quasdam voces Germanicas adaptavit sermoni Latino, ut XXIII,* 8 erkerius, plancae, *Livonicis et Letticis utitur his:* maia, malewa, watmal, waypa, *quae suo explicabo loco.*

De chronologia[33] *Nostri pauca restant dicenda. Heinricus secundum morem saeculo XIII. in Lyvonia usitatum annum incipit ab annuntiatione beatae Mariae Virginis, i. e. a* 25. *die mensis Martii. Cum autem, enarratis primorum episcoporum Meinardi et Bertoldi fatis, ad Alberti episcopi historiam enucleandam pertransiisset auctor, capita fecit ex singulis, quibus gerebat ille episcopatum, annis. Albertum autem episcopum electum esse anno* 1199. *vel Februario exeunte vel Martio ineunte constat. Ita fit ut anni ab annuntiatione beatae Mariae computati et anni episcopi fere coincidant.*

Finem praefationi imponens, non possum quin gratias agam permaximas viris, qui mihi hac in re succurrerunt ea benivolentia, qua prosecuti sunt omne artium liberalium, historiae praesertim studium, viro doctissimo Kunik, academiae imperialis Petropolitanae socio, viro clarissimo G. Berkholz, bibliothecae Rigensi praefecto. Accipiant hi viri novam hanc Heinrici editionem documentum venerationis, qua me adversus eos semper obstrictum esse libenter profiteor.

Scribebam Berolini Kalendis Februarii 1872.

WILHELMUS ARNDT.

---

[29] IV, 5; XVI, 3; XXIX, 3; XXX, 6.

[30] Vide praesertim disticha quaedam in annorum capitibus; cap. XXX, 4. 5. 6.

[31] Cf. XXV, 2; XXX, 6.

[32] X, 3: *diaconum quendam Stephanum, alium tamen quam prothomartyrem.* X, 17: *si promissis quispiam dives esse poterit;* XXIII, 8: *stulti quidam ex nobis, quorum infinitus est numerus,* cf. XXIV, 1 et praesertim XXVI, 7, ubi de sacerdote Hartwico a paganis super pinguem bovem positum dicit, *eo quod ipse eque pinguis fuerit.*

[33] Qui verum vidit primus, nominandus est Hansen, l. c. p. 23 sqq.: Die Chronologie Heinrich des Letten. Laudandus etiam Ernesti Bonnell: Russisch-Liwländische Chronographie etc. St. Petersburg 1862. 4°.

LIBER PRIMUS[a].

Divina providencia, memor Raab et Babilonis[34], videlicet confuse gentilitatis, nostris[b] (1.)
et modernis temporibus Lyvones ydolatras ab ydolatrie et peccati sompno taliter igne sui
amoris excitavit.

Fuit vir vite venerabilis et venerande caniciei Meynardus[c], sacerdos ex ordine beati (2.)
Augustini, in cenobio Sigebergensi[35]. Hic simpliciter pro Christo et predicandi tantum causa
cum comitatu mercatorum Lyvoniam venit[36]. Theutonici enim mercatores, Lyvonibus familiaritate
coniuncti, Lyvoniam frequenter navigio per Dune flumen adire solebant. Accepta (3.)
itaque licencia prefatus sacerdos a rege Woldemaro de Ploceke[d. 37], cui Lyvones adhuc pagani
tributa solvebant, simul et ab eo muneribus receptis, audacter divinum opus aggreditur,
Lyvonibus predicando et ecclesiam in villa Ykescola[31] construendo. Ex eadem villa primus (4.)
Ylo pater Kulewene et Viezo pater Alonis primi baptizantur, aliis vicissim sequentibus.

Proxima hyeme[e] Lettones, vastata Lyvonia, plurimos in captivitatem abducunt. Quorum (5.)
rabiem declinans idem predicator cum Ykescolensibus, silvis committitur. Recedentibus
Letthonibus causatur iam dictus Meynardus Lyvonum stulticiam, eo quod municiones
nullas habeant; quibus castra fieri pollicetur, si filii Dei censeri et esse decreverint. Placet et
promittitur, et ut baptismum recipiant iuramento firmatur. Igitur estate proxima a Gothlandia (6.)
lapicide adducuntur. Interim suscipiende fidei sinceritas a Lyvonibus confirmatur secundo.
Ante castri Ykescolensis inchoacionem pars populi baptizatur et, facto castro, universitas
se baptizandam, licet mendaciter, pollicetur. Ergo muri a fundamentis exsurgunt[f]. Quinta
pars castri sicut a predicatoris surgit expensis, sic eius cedit proprietati, ecclesie fundo ab
eo primitus comparato. Perfecto demum castro, baptizati recidivant, nondum renati fidem
suscipere detrectant; idem tamen Meynardus ab incepto non desistit. Eo tempore Semigalli,
pagani vicini, audita lapidum constructione, ignorantes eos cemento mediante firmari, cum
magnis funibus navium venientes, putabant se stulta sua opinione castrum in Dunam trahere,
sed a balistariis vulnerati, dampna reportantes abierunt. Vicini Holmenses[39] simili (7.)
promissione prefatum Meynardum circumvenientes, facto sibi castro de dolis[g] lucra reportant.
Sed primitus qualicumque intencione baptizati sunt, quorum nomina sunt Viliendi, Uldenago,
Wade, Waldeko, Gerweder[h], Vietzo. Inter duorum predictorum castrorum constructionem a (8.) 1186.
Bremensi metropolitano[40] Meynardus in episcopum ordinatur[41]. Consummato autem[i] castro (9.)
secundo, oblita iuramenti mentita est iniquitas sibi, nec est usque ad unum, qui fidem suscipiat.
Turbatur nimirum predicantis animus, presertim cum pedetentim, rebus suis expilatis, colaphizata
familia, ipsum suis de finibus exterminare decernant, baptismum, quem in aqua
susceperant, in Duna se lavando removere putant, remittendo in Theuthoniam. Habebat (10.)
idem episcopus cooperatorem in ewangelio fratrem Theodoricum Cisterciensis ordinis,
postmodum in Estonia episcopum, quem Lyvones de Thoreyda diis suis immolare proponunt,
eo quod fertilior seges ipsius sit in agris eorumque segetes inundacione pluvie perirent.
Colligitur populus, voluntas deorum de immolatione sorte inquiritur. Ponitur lancea,
calcat equus, pedem vite deputatum nutu Dei preponit[42]. Orat frater ore, manu benedicit[k].
Ariolus Deum christianorum equi dorso insidere et pedem equi ad preponendum movere
asserit, et ob hoc equi dorsum tergendum, quo Deus elabatur. Quo facto, dum equus vite
pedem preponit ut[l] prius, frater Theodoricus vite reservatur. Idem frater missus in Estoniam,
propter eclipsim[m] solis, que in die Iohannis baptiste fuit, a paganis plura passus
est vite pericula dicentibus, ipsum solem commedere[43]. Eodem tempore Lyvo quidam de

---

[a] *in* 1. 2. 3 *hoc lemma:* Liber primus de Lyvonia. De primo episcopo Meynardo. [b] nostri *prius, alia manus correxit* nostre 1. [c] Meynardus *add.* 2. 3. [d] Ploteke 2. 3. 5; Plosceke 4. [e] hyema 1. [f] exsurgent 1; exurgunt 2. 3. [g] doli 1. [h] Gerwedes 2. [i] ante 2. 3. [k] benedicat 1. [l] ob 2. 3. [m] *prius* eclipsū *rad. correxit* 1.

[34] Cf. Psal. 86, 4. [35] Segeberg in Holsatia. Apud Arnold. Lubec. V, 30 (M. G. SS. XXI, 211): *Meinardus Sygebergensis canonicus.* [36] Cf. ibid.: *Cumque vir bonus per aliquot annos cum negotiatoribus illuc iret et suis negotiis devotus insisteret.* [37] Polozk ad Dunam. [38] Uexküll ad Dunam fl. [39] Kirchholm ad Dunam fl. [40] Hartwico II, 1184—1207. [41] Cf. Arnoldum Lubec. l. c. p. 211. [42] De huiusmodi oraculis cf. I. Grimm, Deutsche Mythologie, ed. sec. p. 627 sq. [43] Cf. Grimm, Mythol. p. 669.

Thoreida vulneratus petivit a fratre Theodorico curari, promittens se si curatus fuerit baptizari. Frater autem herbas contundens, nec tamen herbarum effectum sciens, sed[a] invocato nomine Domini, ipsum et in corpore et in anima baptizando sanavit. Et hic primus in Thoreida fidem Christi suscepit. Infirmus eciam quidam fratrem Theodoricum vocat, baptismum petit; quem mulierum proterva prohibet pertinacia a sancto proposito; sed invalescente egritudine vincitur muliebris incredulitas, baptizatur, orationibus Deo committitur. Cuius morientis animam neophitus quidam ad septem distans miliaria, ab angelis in celum deferri vidit et agnovit.

(11.) Visa autem Lyvonum pertinacia et labore cassato, episcopus predictus, collectis clericis cum fratribus, mercatorum naves iam in pascha Gothlandiam ituras recedendi proposito aggreditur. Unde Lyvonum astucia christianorum timet et suspicatur super se venturum exercitum, unde dolis et lacrimis et aliis multis modis[b] prefatum ficte revocare student episcopum, dicentes — ut illi quondam beato Martino, licet[c] intentione non simili —: *Cur nos, pater, deseris? Aut cui nos desolatos relinquis? Num*[d] *recedendo pastor oves suas periculose faucibus luporum*[e] *exponit?*[44] Et ipsi Lyvones plene se fidem suscepturos repromittunt. Credit innocens omni verbo et, mercatorum consilio simulque futuri exercitus fiducia accepta, cum Lyvonibus revertitur. Promiserant enim aliqui de Theuthonicis et quidam de Danis et de Normannis et de singulis populis exercitum se, si opus foret, adducturos. Post discessum mercatorum redeuntem episcopum Holmenses salutatione et animo Iude salutant, dicentes: *Ave, rabbi,* et quo precio sal aut watmal[45] in Gothlandia comparetur inquirunt. Non differt lacrimas amaritudo cordis, transit[f] Ykescolam et in domum suam recipitur. Statuit diem, ut colligat populum promissi monendum. Diem non servant, promissum non implent. Unde cum suis captato consilio in Estoniam ire proponit, quatinus cum illis qui ibi hyemaverant mercatoribus pergat Gothlandiam. Interim Lyvones in via eius procurant[g] interitum, sed ab Annone Thoredensi[h] premunitur et redire monetur. Itaque multipliciter
(12.) perplexus Ykescolam revertitur, terram declinare non valens. Unde pro captando consilio domno pape[46] clam nuncium suum, fratrem Theodoricum de Thoreyda, direxit. Qui videns se de terra exire non posse, pio dolo vicit Lyvonum insidias, vectus equo, habens stolam, librum et[i] aquam benedictam quasi infirmum visitaturus. Et hanc vie sue causam viatoribus interrogantibus pretendens, terram exeundo evasit et ad summum usque pontificem pervenit. Summus itaque pontifex, audito numero baptizatorum, non eos deserendos censuit, sed ad observationem fidei, quam sponte promiserant, cogendos decrevit. Remissionem quippe omnium peccatorum indulsit[k] omnibus qui ad resuscitandam illam primitivam ecclesiam
(13.) accepta cruce transeant[l][47]. Iam tunc idem episcopus cum duce Suecie[48], Theuthonicis et Gothis[49] Curones[m] bello adierant[n], sed tempestate depulsi Vironiam, Estonie provinciam[o], applicant et triduo terram vastant. Sed dum Virones de fide recipienda tractarent, dux, accepto potius tributo ab eis, vela sustollens, divertit in molestiam Theutonicorum.

(14.) Interea pie memorie Meynardus episcopus post multos labores et dolores[p] decidit in lectum, et videns se moriturum, Lyvonie et Thoreide convocat quosque seniores, inquirens si post mortem suam deinceps carere velint episcopo. Illi autem magis se episcopo et
1196 patre gaudere velle communiter affirmant. Et post paululum episcopus diem clausit extremum[50].

a) scilicet 2. 3. b) *sic* 1; modis multis *alii codices.* c) licet — simili *desunt* 2. 3. d) nam 2. 3. e) lup. fauc. 2. 3. f) transsit 1. g) procreant 2. 3. h) *sic radendo ex* Thorodensi 1; Thoreideno 3. i) *deest* 1. k) remisit 3. l) transseant 1. m) *primum* thurones, *al. manu corr.* 1. n) adierat 2. 3. o) provinciae 2. p) dolores et labores 2. 3.

---

[44] Cf. Sulpicii Severi ep. III. ad Bassulam socrum suam (ed. Halm p. 148), ubi leguntur haec: *Cur nos, pater, deseris? aut cui nos desolatos relinquis? Invadent gregem tuum lupi rapaces, et quis eos a morsibus nostris percusso pastore perhibebit?* [45] pannus laneus admodum crudus; livonice *vadmal,* lettice *wadmals.* [46] Coelestino III. [47] De privilegio tunc episcopo dato cf. Nostrum paulo infra II, 3 (p. 243). [48] Birger Iarl? [49] Gothlandiae insulae incolis? [50] Tumuli inscriptio (cf. Bonnell, Russisch-Livländische Chronographie. St. Petersburg. 1862. Commentar. p. 43): *[actis] millenis centenis nonaquegenis [Annis cum] senis, hic ab hiis it ad ethera [poenis] IV. Idus mensis Octobris*, id est Octob. 12. — Necrologium Luneburg. apud Wedekind, Noten etc. III, 76: *V. Idus Octobr. Obiit Meinwert episcopus,* i. e. Oct. 11. — Econtra Gelenius in Sacris et piis fastis Agripp. quos ipse congessit in libro De admiranda sacra et civili magnitudine Coloniae. Col. Agripp. 1645, p. 713: Aug. 14.

LIBER SEBUODUS[a].

Celebratis secundum morem exequiis et episcopo qualicumque Lyvonum planctu et (II.)
lacrimis sepulto, de successore tractatur et ad Bremensem metropolim pro persona ydonea
mittitur. Demonstratur de Cysterciensi ordine Lucensis[51] abbatis Bertoldi reverenda persona.
Difficilis quidem primitus ad eundum exhibetur, sed metropolitani victus precibus,
predicationis onus aggreditur. Factus episcopus, primo sine exercitu Domino se committens, (2.)
fortunam exploraturus Lyvoniam pergit, Ykescolam venit et ecclesie dotem ingrediens, 1197.
quosque meliores tam paganos quam christianos coram se colligit. Quos potibus et[b] escis
et muneribus datis placare laborat, dicens se eorum[c] vocatione venisse et predecessori
suo in solidum[d] successisse. Quem quidem primo blande suscipiunt, sed ipsum in Holmensis
cymiterii[e] consecratione alii in ecclesia concremare, alii occidere, alii submergere
concertabant, egestatem adventus sui causam esse improperabant. Talibus iniciis consideratis, (3.)
clam naves adiit et Gothlandiam revertitur et in[f] Saxoniam procedens, Lyvoniensis
ecclesie ruinam tam domno pape quam metropolitano et Christi fidelibus conqueritur universis.
Igitur domnus papa cunctis signum crucis accipientibus et contra perfidos Lyvones
se armantibus remissionem indulget peccatorum, litteras super hiis eidem episcopo Bertoldo[g]
sicut et suo dirigens predecessori.

Episcopus ergo collectis viris Lyvoniam venit cum exercitu, ad[h] castrum Holme procedens, (4.) 1198.
quod quidem in medio fluminis situm est. Hic misso trans aquam nuncio querit,
si fidem suscipere et susceptam servare decernant. Qui se fidem recognoscere nolle nec
servare velle proclamant. Episcopus vero, neglectis retro navibus, ipsis nocere non potuit.
Ergo cum exercitu ad locum Rige revertitur et cum suis quid agat consiliatur. Interea (5.)
contra ipsum Lyvonum universitas colligitur et trans montem Rige[52] stationem faciunt
pugnare parati. Dirigunt tamen episcopo nuncium causam exercitus superducti requirentes.
Respondet episcopus causam, quod tamquam canes ad vomitum, sic a fide sepius ad paganismum
redierint. Item Lyvones: *Causam hanc,* inquiunt, *a nobis removebimus. Tu tantum
remisso exercitu cum tuis ad episcopium*[i] *tuum cum pace revertaris, eos qui fidem susceperunt
ad eam servandam compellas, alios ad suscipiendam eam verbis non verberibus allicias.*
Episcopus ab eis huius securitatis obsides filios ipsorum requirit, et illi penitus se daturos
contradicunt. Interea colligende partis eorum causa breves dant et recipiunt inducias,
missis invicem lanceis secundum morem ad confirmationem pacis. In qua pace plures
Theutonicos equis pabula querentes occiderunt. Quo viso domnus episcopus ipsorum lancea
remissa paci contradixit. Vociferantur[k] et constrepunt paganico more Lyvones. Armantur (6.)
ex adverso Saxonum acies ad pugnandum, in paganos precipitantes insultum. Fugiunt Iul. 24.
Lyvones, episcopus equi ab eo male detenti velocitate inmiscetur fugientibus. Quem,
duobus complectentibus, tercius, Ymaut[l] nomine, a tergo lancea perfodit[53], quem et alii
membratim dilacerant[m]. Lyvones se subsequi verentes exercitum precipites fugiunt, quia (7.)
videntes unam occisi Theuthonici galeam militarem, quam capiti suo Lyvo percussor imposuerat.
Amisso etenim capite suo nimirum turbatur exercitus, et tam equis quam navibus,
tam igne quam gladio Lyvonum perdunt segetes. Quo[n] viso Lyvones, ut maioribus dampnis
occurrant, pacem innovant et, vocatis ad se clericis, primo die in Holme circiter 50 bapti-

---

a) 1 *habet hoc lemma:* Liber secundus. De consecratione episcopi Bertoldi, *et in margine:* Liber II9 de episcopo Bertoldo. b) *deest* 3. c) ipsorum 2. 3. d) solidum 1. 2. 3; *corr. delevit litteram* d *puncto supposito* 1. e) caemiterii 2. 3. f) *deest* 2. 3. g) Bartholdo 3. h) et ad 2. 3. i) episcopatum 2. 3. k) *in margine rubrum:* De bello domini Bertoldi et occisione ipsius; *vocum* domini *et* occisione, *margine absciso, fragmenta tantum supersunt* 1. l) Iimandt 2. 3. m) nono Calendas Augusti MCXCVIII. Versus: Hasta necans anno Bertholdum Lyvo secundo *addunt* 2. 3. 4. 5. n) *in margine* 1: De baptismo Holmensium et Ykescolensium.

51) Loccum in provincia Hannover. De tempore, quo abbas ibi fuerit Bertholdus, cf. Scriptores rerum Prussicarum II, 23, n. 1. 52) Cf. Hermannum de Wartberge (Script. Rerum Prussic. II, 23): *in Monte Zabuli;* quem montem ante Rigam situm fuisse demonstrant eiusdem verba ad annum 1373, l c. p. 104. — Livländische Reimchronik (Script. Rer. Livon. I, 532, vers. 557): *Sie zogeten kegen in uf den sant.* 53) Secundum traditionem Livonicam (cf. notam criticam *m*) Iul. 24. Consentit quodammodo Arnoldus Lubecensis, l. c. p. 212, ex quo aestate proelium actum fuisse coniiciendum est. Fasti Agrippinenses vero p. 733: Oct. 20.

zati sunt, sequenti die in Ykescola circiter 100 convertuntur. Sacerdotes per castra
suscipiunt annone mensuram de quolibet aratro[54] ad expensas[a] cuiusque sacerdotis statu-
(8.) endo[b]. Hiis visis mitigatur exercitus[c] et ad reditum preparatur. Lyvones igitur, amisso
pastore suo, consilio clericorum et fratrum nuncios pro successore novo in Theutoniam
mittunt. Et sic credula pacis incerte Saxonum turba revertitur. Manent clerici, manet navis
una mercatorum. Iam vela ventus depulit, et ecce! perfidi Lyvones, de balneis consuetis[d]
egressi, Dune fluminis aqua se perfundunt, dicentes: *Hic iam baptismatis aquam cum ipsa
christianitate removemus aqua fluminis et fidem susceptam exfestucantes*[e], *post Saxones rece-
dentes transmittimus.* Illi autem qui recesserant in cuiusdam arboris ramo quasi caput
hominis inciderant, quod Lyvones Saxonum deum putantes et ex hoc inundanciam[f] et pesti-
lenciam sibi immittere credentes, cocto iuxta ritum medone, combibentes captato consilio
caput ab arbore ponentes, ligna connectunt, quibus caput superpositum, quasi deum Saxo-
(9.) num, cum fide christianorum post recedentes Gothlandiam per mare transmittunt. Mense
peracto, rupta[g] pace, fratres capiendo et male tractando in bona ipsorum grassantur, ea
furtim et violenter auferendo. Equis eciam ablatis, agri inculti remanent. Unde usque[h]
fere ad ducentas marcas[i] ecclesia est dampnificata. Fugit ergo clerus ab Ykescola in
(10.) Holme, nescius cui se fortune aut loco committant. Proxima quadragesima collecta
1199. Apr. 18. Lyvonum universitas decernit, ut quicumque clericus in terra permaneat post pascha,
capite puniatur. Unde tam timore mortis quam querendi pastoris causa clerici Saxoniam[k]
pergunt. Decreverunt eciam Lyvones mercatores, qui remanserant, occidere. Sed merca-
tores dantes munera senioribus vite sue[l] consuluerunt.

LIBER TERCIUS[m].

(III.) Anno Domini 1198. venerabilis Albertus, Bremensis canonicus, in episcopum con-
secratur[n].

(2.) Post consecrationem estate proxima Gothlandiam vadit et ibidem circa quingentos
(3.) viros signo crucis ad eundum in Lyvoniam signat. Inde per Daciam transiens[o] munera
(4.) regis Canuti et ducis[55] Woldemari et Absolonis archiepiscopi[56] recepit[p]. Reversus in Theu-
1199. Dec. 25. thoniam in natali Domini Magdeburch[q] plures signat. Ubi rex Philippus cum uxore[57]
(5.) coronatur[58]. Et coram eodem rege in sentencia[r] queritur, si bona[s] in Lyvoniam peregri-
nancium[t] sub tuicione[u] pape ponantur, sicut eorum qui Ierosolimam vadunt. Responsum
vero est, ea[v] sub protectione apostolici comprehendi, qui peregrinacionem Lyvonie in
plenariam peccaminum[w] remissionem iniungens[x], vie coequavit[y] Ierosolimitane[59].

(IV.) Anno[z] secundo sui episcopatus cum comite Conrado de Tremonia[a][60] et Harberto de
1200. Yborch[b][61] cum multis peregrinis in Lyvoniam vadit, habens secum in comitatu 23 naves.
(2.) Post ingressum Dune se cum omnibus suis Deo commendans ad castrum Holme proficisci-
tur et inde procedens, Ykescolam ire proponit, sed Lyvones insultum facientes in ascensu,
quibusdam[c] vulneratis, Nicolaum sacerdotem cum aliis occidunt. Episcopus tamen et sui,
licet cum dificultate, Ykescolam perveniunt. Quos fratres ibidem morantes a tempore primi
episcopi et alii cum gaudio suscipiunt. Collecti Lyvones ibidem pacem cum Theutonicis
(3.) ad tres dies faciunt, sed dolose, ut suum videlicet interim exercitum colligant. Pace

---

[a] exspensas 1. [b] statuentes 2. 3. [c] excercitus 1. [d] *deest* 2. 3. [e] exvestucantes 3. [f] inundationem 2; inundatiam 3. [g] et rupta 2. 3. [h] *a correctore supra lineam et ante* fere *add.* 1. [i] martyres 2. 3. [k] in Sax. 2. 3. [l] *deest* 2. 3. [m] Liber tercius. De episcopo Alberto 1. [n] consecratus 2. 3. [o] transsiens 1. [p] recipit 2. 3. [q] Magdeburgi 2; Magdeburchi 3. [r] *male coniecit Pabstius:* instantia. [s] si hinc 2. 3. [t] peregrinantes 2; peregrinantiam 3. [u] tuitionem 2. 3. [v] eos 2. [w] peccatorum 2. 3. [x] suscipientes 2; *lacuna pro hac voce in codice relicta est* 3. [y] coequant 2. 3. [z] *in* 1 *praecedit hoc lemma:* de secundo anno consecrationis episcopi Alberti. [a] Kemonia 2. 3. [b] Ysborch 1. [c] quibus dire 2; quibus dira 3.

[53] i. e. de terra, quanta uno aratro arari potest. Cf. Helmoldum I, 12 (SS. XXI, 20): *tributum — de quolibet aratro mensura grani* etc. *Sclavicum vero aratrum par boum aut unus conficit equus.* Cf. eundem I, 14. 87. [55] Sleswicensis, postea Waldemarus ipse rex Danorum est effectus. [56] Lundensis. [57] Irene. [58] Cf. Winkelmann, Livländische Forschungen, in Mittheilungen aus dem Gebiete der Geschichte Liv-, Ehst- u. Kurlands XI, p. 308. [59] Cf. bullam Innocentii III, 1199. Oct. 5. apud Bunge, Liv-, Ehst- und Curländisches Urkundenbuch I, 14. 15. [60] Dortmund. [61] Iburg.

facta, episcopus Holmam descendit et paci confidens pro sede sua et pontificalibus[a] et aliis necessariis nuncios ad naves in[b] Dunemunde dirigit, qui secum assumptis que volebant, quasi sub magna securitate pacis, per viam qua descenderant revertuntur. In qua[c] post ascensum Rumbule[d][62], Lyvones pacem infringentes, eos graviter impugnant, et una navi retrocedente et evadente, aliam[e] capiunt et pene omnes in ea existentes occidunt et ita Holmam[f] procedentes, episcopum cum suis obsident. Ubi cum[g] obsessi nec sibi nec equis pastum haberent, satis angustiati tandem terram fodientes in diversis foveis annonam plurimam et cibaria invenerunt. Interim Frisones cum una tantum navi venientes, et[h] segetes Lyvonum incendunt et in hiis et in aliis quantum valent eos dampnificant. Lyvones hoc videntes et maius periculum metuentes pacem renovant et firmant et cum episcopo et ceteris Theutonicis ad locum Rige vadunt, ubi Asso et plures alii gratiam baptismi percipiunt[i].

(4.) Episcopus[k] tamen ob perfidiam Lyvonum paci eorum non confidens, quam iam multociens[l] ruperant, obsides ab Annone[m] et Caupone et senioribus terre exigit, qui vocati a Theutonicis ad potacionem, omnes simul[n] conveniunt et in una includuntur domo. At illi timentes ne trans mare in Theutoniam deducantur, pueros suos, qui de Duna et in Thoreyda fuerunt meliores, domno episcopo circiter triginta representant; quos ille letus[o] accipit et terram[p] Domino[q] committens, in Theuthoniam vadit.

(5.) Ante exitum suum Lyvones episcopo locum civitatis demonstrant, quam et Rigam appellant, vel a Riga lacu, vel quasi irriguam, cum habeat inferius irriguum ac irriguum superius. Irriguum inferius, eo quod sit aquis et pascuis irrigua[r], vel eo quod ministratur in ea peccatoribus plenaria peccaminum remissio, et per eam irriguum superius, quod est regnum celorum, per consequens ministratur, vel Riga nova fide rigata et quia per eam gentes in circuitu sacro baptismatis fonte rigantur. (6.) Episcopus autem sciens Lyvonum maliciam et videns, se sine auxilio peregrinorum[s] in gente illa non posse proficere, fratrem Theodericum de Thoreida pro litteris expedicionis Romam mittit. Qui negocium sibi commissum sanctissimo pape Innocencio[t] revelans, litteras ab eo prenominatas et benigne porrectas optinuit. Ipsius eciam rogatu et instancia idem venerandus Romane sedis antistes omnibus Semigalliam mercationis causa frequentantibus districte portum ipsorum sub anathemate prohibet[u]. (7.) Quod factum postea mercatores ipsi collaudantes[v], eundem portum communi decreto sub interdicto ponunt, ut[w] si quis illum deinceps mercationis causa ingredi presumat, rebus simul et vita privetur. Unde postea, duobus annis transactis post constructionem civitatis, quidam promissum eorum infringere volentes, primo a mercatoribus omnibus, ne Semigalliam vadant, affectuose rogantur. Sed illi apostolici[x] mandatum non attendentes et commune mercatorum decretum parvipendentes, in navi sua Dunam descendunt. Quorum animositatem ceteri videntes, admotis aliis navibus eos impugnant. Tandem duobus viris, gubernatore videlicet et ductore navis, exceptis et crudeli morte peremptis, alii autem redire coguntur.

(V.) 1201. Anno[y] tercio sue consecracionis episcopus cum peregrinis, quos habere potuit, dimissis in Theuthonia obsidibus, in Lyvoniam revertitur, et eadem estate in campo spatioso, iuxta quem portus navium esse poterat, Riga civitas edificatur. (2.) Eo tempore episcopus Danielem[z] virum nobilem et Conradum a Meyiendorpe[a][63] ad se colligens, duobus castris Lenewarden[64] et Ykescola inbeneficiavit.

(3.) Interim Curones, audito adventu episcopi et civitatis inchoatione[b], non timore belli sed vocatione Christi pro pace facienda nuncios ad civitatem dirigunt; quam pacem consencientibus christianis, sicut mos est paganorum, sanguinis effusione stabiliunt. (4.) Leththones etiam, Deo sic disponente, pacem querentes eodem anno Rigam veniunt, ubi statim

---

a) pontificialibus 3. b) *deest* 3. c) quae 3. d) Rubule 2. 3. e) alias 3. f) in Holmam 2. 3. g) tum 3. h) *deest* 2. 3. i) accipiunt 2. 3. k) *praecedit in* 1 *hoc lemma:* De primis obsidibus a Lyvonibus acceptis. l) multoties 2. 3. m) *sic codices.* n) simul omnes 3. o) *a correctore supra lin. add.* 1. p) terra 1; terrae 3. q) domini 3. r) irriguum 2. 3. s) per. aux. 2. 3. t) Innotescentio III. 3. u) *sequitur in* 1 *hoc lemma:* De portu Semigallie prohibito. v) laudantes 3. w) vel 3. x) apostolicum 2. y) *praecedit in* 1 *hoc lemma:* De anno tercio. z) *deest* 2. 3. a) de Meyndorp 2; Meyendorpe 3. b) inchoationem 1.

62) hodie Rummel. 63) Meiendorf, a Magdeburg ad occidentem. 64) ad Dunam ab Uexküll ad orientem, ubi hodie praedium Lennewaden, quod lingua Lettica sonat Lehlwarde.

pace[a] facta, cum christianis amicicie fedus ineunt, qui postea hyeme subsequente cum exercitu magno Dunam descendentes Semigalliam tendunt. Sed ante ingressum terre audientes, regem de Plosceke[b] cum exercitu Leththoniam intrare, Semigallis relictis, cum festinatione redeunt et in ascensu iuxta Rumbulam duos piscatores episcopi invenientes, quasi lupi rapaces in ipsos seviunt et vestes quibus tegebantur auferunt. Quo facto piscatores denudati Rigam fugiunt[c] et iniuriam illatam exponunt. Peregrini autem[d] rei veritatem intelligentes, quosdam Leththones adhuc in Riga existentes capiunt et eo[e] usque in vinculis detinent, donec piscatoribus ablata restituuntur.

(VI.) 1202 Anno[f] quarto sue ordinacionis paucis peregrinis murum se pro domo Domini ponentibus civitas committitur, et episcopus cum ceteris peregrinis in Theuthoniam proficiscitur.

(2.) Post cuius discessum frater eius Engelbertus, homo religiosus, de Novo Monasterio[65]
vocatus, Rigam cum primis venit civibus et, eo cooperante qui dat verbum ewangelizantibus,
Christi nomen dilatare cepit in[g] gentibus cum fratre Theoderico de Thoreida et Alabrando
(3.) et ceteris fratribus in Lyvonia sub religione viventibus[h]. Cuius vitam et ordinem approbantes
non longo transacto tempore fratres de conventu beate virginis Marie in Riga, ipsum
in prepositum eligunt, quia[i] ex eodem ordine de cenobio Sigebergensi[k] bone memorie
Meynardus, primus Lyvonum episcopus, est electus, qui eos sibi conformare volens, conventum
(4.) ipsorum in parochia Ykescola primus instituerat. Quem tamen conventum regularium
et episcopalem sedem postea Albertus episcopus de Ykescola in Rigam tercio sue
consecrationis anno transtulit et cathedram episcopalem cum tota Lyvonia beatissime Dei
(5.) genitricis Marie honori deputavit. Claustrum quoque Cysterciensium[l] monachorum in ore
Dune construxit, quod claustrum Dunemunde vel Montem sancti Nicolai appellavit. Cui
cenobio cooperatorem suum in ewangelio, fratrem Theodericum[m] de Thoreyda, abbatem
(6.) consecravit[n]. Eodem tempore previdens idem frater Theodericus perfidiam Lyvonum
et multitudini paganorum non posse resistere metuens, et ideo ad multiplicandum numerum
fidelium et ad conservandam in gentibus ecclesiam, fratres quosdam milicie Christi
instituit, quibus domnus papa Innocencius regulam Templariorum commisit et signum in
veste ferendum[o] dedit, scilicet gladium et crucem, et sub obedientia sui episcopi esse
mandavit.

(7.) Deinde Semigalli, pacem cum Lyvonibus non habentes, ecclesiam Holme cum tota villa simul exurunt[p] et castrum diu inpugnantes et capere non valentes, recedunt. Deus autem volens novellam plantacionem fidei christiane propagare et ei pacem ubique firmare[q], post eandem expedicionem Semigallos ipsos pro pace facienda Rigam mittit et ita, pace more gentilium solidata, eos qui antea fuerant hostes Theuthonicorum et Lyvonum reddit amicos.

(VII.) 1203. Anno[r] quinto sui pontificatus a Theuthonia rediens episcopus viros nobiles, Arnoldum de Meyiendorpe[s], Bernardum de Sehusen[t][56], Theodericum fratrem suum, cum pluribus honestis viris et militibus secum adducit. Cum quibus prospera et adversa pro Deo pati non formidans, fluctuanti pelago se committit et provinciam Listrie[u] regni Dacie[v] aggrediens, paganos Estones de Osilia insula cum 16 navibus invenit, qui recenter ecclesia combusta, hominibus occisis et quibusdam captivatis, terram vastaverant, campanas et res ecclesie asportaverant, sicut tam Estones quam Curones pagani in regno Dacie et Suecie hactenus facere consueverant. Armantur peregrini dampna christianorum volentes ulcisci; sed pagani cognoscentes, quod Lyvoniam pergerent, timentes valde, pacem se cum Rigensibus[w] fecisse mentiti sunt, quibus dum crederent christiani, tunc quidem[x] manus eorum

---

a) papace 1. b) Ploseke 2. 3. c) veniunt 3. d) *a corr. supra lin. add.* 1. e) eos 2. 3. f) *praecedit in* 1 *hoc lemma:* De anno quarto. g) *sic a corr. ex* et 1. h) *in* 1 *ad marg. adscripta haec sunt:* De primo conventu et preposito eorum. i) quod 2. 3. k) Sygebergensi 2; Sygenbergensi 3. l) Cisternensium 2. m) Theodorum 2. 3. n) *sequitur in* 1 *hoc lemma:* De institutione fratrum milicie. o) gerendum 3. p) exierunt 2. 3. q) *sequitur hoc lemma in* 1*:* De pace facta cum Semigallis primo. r) *praecedit hoc rubrum in* 1*:* De anno quinto. s) Meindorpe 2; Meyendorpe 3. t) Sehausen 2. u) Lystriae 2. 3. v) Daniae 3. w) *sic a correctore corr. ex* Rigencibus 1. x) quidam 3.

64) Neumünster in Holsatia. 65) Seehausen haud procul a Meiendorf.

evaserunt, sed dolis suis nulla eis lucra reportantibus, in eundem laqueum, qui paratus[a] erat eis, postea[b] incidunt[66]. Nam[c] peregrini, Deo eos ducente, sani et incolumes Wysbu[d][67] pervenientes, a civibus et hospitibus ibidem existentibus lete suscipiuntur. Post dies aliquot Estones cum universa rapina sua adveniunt, quos peregrini velificare videntes, cives et mercatores incusant, eo quod christiani nominis inimicos cum pace portum suum transire[e] permittant. Quibus dissimulantibus et magis pacis securitate cum eis gaudere volentibus, (2.) peregrini episcopum suum adeunt et cum eis pugnandi licenciam postulant. Episcopus itaque voluntatem illorum intelligens, eos a proposito nititur revocare, tum quia possibile erat, eos ab hostibus in pugna[f] periclitari, tum quia ecclesia in gentibus posita, que adventum ipsorum prestolabatur, defectum illorum non poterat recuperare. Ipsi autem oportune inportune instantes et de Dei misericordia non diffidentes, animum suum a proposito nolunt reflectere, nullam inter Estones paganos et Lyvones differenciam affirmantes, rogant ut peticiones[g] eorum admittens hoc pro peccatis eorum ipsis dignetur iniungere. Videns episcopus ipsorum constanciam, arbitratur magis expedire cum obedientia[h] pugnam inire, cum melior sit obedientia quam victima, voluntati eorum satisfaciens, ut cum paganis viriliter in prelio congrediantur, in remissionem eis peccatorum[i], sicut pecierant, iniungit. Unde peregrini audacter dimicare pro Christi nomine contendunt et armis suis potenter accincti, naves cum quibus erant ituri[k] cum festinacione preparant. Quod Estones ex adversa parte intelligentes, octo pyraticis ab aliis aliquantulum remotis, putant se in medio peregrinos venientes posse concludere et ita naves contra se preparatas capere. Theuthonici itaque cum impetu irruentes in eos, pyraticas duas ad Estones ingrediuntur, in quibus sexaginta viris occisis, naves campanis, indumentis sacerdotalibus et captivis christianis onerate[l] ad civitatem Wysbu[m] deducuntur[n], tertiam pyraticam quidam[o] ex Theuthonicis, fortis viribus, insiliens, utraque manu gladium tenet evaginatum et hinc inde percuciens duos ac viginti ex hostibus solus[p] prosternit. In qua cede ultra vires eo laborante, velum ab octo viris, qui adhuc erant superstites, in altum ducitur et, sic vento velum extollente, idem homo captivus deducitur et, postea navibus in unum collectis, occiditur et illa navis propter paucitatem hominum igne comburitur[q]. Hiis itaque[r] gloriose peractis, peregrini[s] (3.) omnes pro collata sibi victoria omnipotenti Deo gracias referunt; et episcopus homines cum rebus, quas pagani Danis abstulerant, venerabili domno Andree[68] Lundensi remisit archiepiscopo.

Tunc peregrini Wysbu diucius morari nolentes, iter inceptum peragunt et Rigam usque (4.) perveniunt. De quorum adventu cives et alii in Riga morantes valde gavisi obviam eis exeunt et cum reliquiis tam episcopum quam omnem ipsius comitatum[t] honorifice suscipiunt. Post hec[u] frater Theodericus cum peregrinis, qui per annum illum in (5.) Lyvonia sub cruce sua Deo[v] militaverant, in Theuthoniam abiens, quendam Lyvonem, Cauponem nomine, qui quasi rex et senior Lyvonum, de Thoreyda secum assumit et, magna parte Theuthonie perlustrata, tandem eum Romam duxit[w] et apostolico exhibet. Quem (6.) apostolicus benignissime recipiens[x] deosculatur et de statu gentium circa Lyvoniam existencium multa perquirens, pro conversione gentis Lyvonice Deo plurimum congratulatur. Transactis diebus aliquantis, idem venerabilis papa Innocencius predicto Cauponi dona sua, videlicet centum aureos, porrigit et in Theuthoniam redire volenti magno caritatis affectu valedicens benedicit et bibliotecam[69] beati Gregorii pape manu scriptam episcopo Lyvoniensi per fratrem Theodericum mittit.

Eadem[y] estate rex de Ploceke[z] cum exercitu Lyvoniam ex improviso intrans, castrum (7.) Ykescole[a] impugnat. Cui Lyvones, tamquam homines inermes, repugnare non audentes

[a] paratus 1. [b] *deest* 3. [c] *praecedit hoc lemma in* 1: De conflictu peregrinorum cum Estonibus in mari. [d] Wisbu 2. 3. [e] transsire 1. [f] in pugna *desunt* 2. 3. [g] *sic a correctore ex* peticionis 1. [h] cum obed. *desunt* 3. [i] peccatorum eis 2. [k] i. e. 2. 3. [l] oneratas 2. 3. [m] Wisbu 3. [n] deducunt 2. 3. [o] *sic a correctore ex* quib9 1. [p] *deest* 2. 3. [q] *sequitur in* 1 *hoc lemma:* De itinere Cauponis cum fratre Theoderico ad summum pontificem. [r] ita 2. 3. [s] peregrini — omnipotenti *in margine inferiori a correctore addita sunt* 1. [t] o. com. eius 2. 3. [u] post hac 2. [v] sua Deo *desunt* 3. [w] ducit 2. 3. [x] accipiens 3. [y] *praecedit in* 1 *hoc lemma:* De expeditione regis de Plosceke in Ykescola. [z] Plosceke 2. 3. [a] Ikescola 2. 3.

66) Cf. Ps. 56, 7. 67) Wisby in Gothlandia. 68) A. 1201. archiepiscopus Lundensis effectus est. 69) i. e. scripturam sacram.

promittunt, se ei pecuniam daturos, quam rex acceptans cessat ab obsidione. Porro Theu-
thonici quidam, interim[a] missi ab episcopo cum balistis et armis, castrum Holme preoccupant
et, rege veniente et ipsum castrum expugnare volente[b], equos quam plures vulnerant et
(8.) Ruthenos, propter sagittas Dunam transire[c] non audentes, fugant. Rex autem de Gercike[70]
cum Lethonibus Rigam procedens, in pascuis pecora civium rapit, duos sacerdotes, Iohan-
nem de Vechte[71] et Volchardum de Harpenstede[72], iuxta Montem Antiquum silvam cum
peregrinis succidentem, capit et Theodericum Brudegame cum civibus eum insequentem
occidit.

(9.) Eodem[d] tempore quidam monachus nomine Sifridus[e] in officio sacerdotali curam animarum sibi commissam in parrochia Holme devotissime peragit et in Dei servicio die ac nocte persistens sue bone conversationis exemplo Lyvones imbuit. Tandem post diuturnum laborem, Deo felicem terminum vite sue imponente, moritur. Cuius corpusculum more fidelium ad ecclesiam deferens cum lacrimis neophytorum turba prosequitur, cui tanquam filii dilecto patri sarcofagum de bonis lignis facientes, asserem unum ad operculum incisum[f] de toto pede nimis brevem inveniunt. Unde commoti, lignum quo prolongari possit, diu quesitum et tandem inventum, asseri predicto conformantes, clavis affigere temptant[g], sed eum prius sarcofago superponentes et diligencius intuentes, vident illum non arte humana sed divina prolongatum et optime sarcofago secundum desiderium ipsorum adaptatum. De quo facto parrochiani exhylarati, lignum inutiliter a se incisum abiciunt et, pastore suo fidelium more sepulto, Deum benedicunt, qui in sanctis suis talia facit miracula.

(VIII.) 1204. Anno[h] sexto episcopus timens civitatem, que adhuc modica et infirma erat, propter paucitatem fidelium a paganorum insidiis posse periclitari, rursus pro colligendis peregrinis in Theuthoniam vadit et iniunctum sibi pro gentium conversione negocium studiose amministrans, tam in Theuthoniam eundo quam inde redeundo singulis annis frequentem et intollerabilem fere laborem sustinet. Post discessum eius Lethones, christianorum nomen abhorrentes, cum Lyvonibus de Asscrade[i, 73] et de Lenewarde, adhuc paganis, fere trescenti Rigam descendunt et pecora eius in pascuis comprehensa[k] iam secundo deducere temptant[l]. Paucis itaque viris adhuc in Riga existentibus et ubique propter vicinas silvas insidias metuentibus, de civitate simul omnes exire non audent, sed viri virtutis circa viginti de civitate hostes insecuti pecora requirunt et, invocato super se Dei omnipotentis auxilio, militibus advenientibus de civitate, iuxta Montem Antiquum cum paganis pugnam ineunt et bello invalescente eo usque preliantur[m], donec fessi ab invicem separantur. Lyvones eciam quidam navigio Dunam descendunt, ut in absencia populi civitatem ex altera parte ingrediantur, sed Domino suos[n] protegente, quidam de civitate obviam eis cum sagittis[o] egrediuntur, et ita in fugam vertuntur. Hiis ita gestis Lethones cum Lyvonibus, tribus tantum equis civium optentis, discedunt, et Theuthonici unanimes pro conservatione hominum et recuperacione pecorum Deum collaudantes, ad civitatem leti revertuntur.

(2.) Post[p] hec[q] hyeme instante milites quidam, Arnoldus videlicet de Meyiendorpe[r] et
Bernardus de Sehusen et ceteri quidam, qui cruce resumpta iam secundo[s] ibi remanserant,
in Theuthoniam redire volentes, preparatis ad iter necessariis, navim suam ante nativitatem
Sept. 8. beate virginis Marie exponunt, et ipsis Dunam exeuntibus, Deo sic agente, cum tribus
(3.) navibus peregrinos alios ante portum habent obvios. In hiis navibus frater Theodericus et
Caupo, a Roma redeuntes, Rigenses in tristicia positos adventu suo letificant. Sed quo
magis augetur leticia christianorum, eo amplius dolet et confunditur multitudo paganorum.

---

a) i. q. 2. 3. b) volenti 1. c) transsire 1. d) *praecedit in* 1 *hoc lemma:* De captivitate sacerdotum et pecorum ablatione a rege Wiscewalde cum Letonibus. e) Siffridus 2. 3. f) *sequitur in eadem linea hoc lemma* 1*:* De sacrofago *(sic)* sacerdotis divinitus prolongato. g) tentatur 2. 3. h) *lemma in* 1*:* De sexto anno sui pontificatus. i) Aserade 2. k) deprehensa 3. l) *sequitur in* 1 *lemma hoc:* De bello contra Letones et de pecoribus requisitis. m) periclitantur 2. 3. n) suo 2. 3. o) sagistis 1. p) *lemma in* 1*:* De reditu peregrinorum quorundam in Theuthoniam et variis tribulationibus. q) hac 2. 3. r) Meyendorpe 2. 3. s) salo 2; *in* 3 *lacuna pro hac voce relicta est.*

[70] Wiscewalde, quod russice sonare debet Wsewolod. Erat Gercike castrum Russorum ad Dunam fluvium, a Kokenhusen ad orientem. [71] Vechta in Oldenburgensi ducatu. [72] Harpstedt inter Vechta et Bremen. [73] ad Dunam fluvium; hodie ibi invenitur secundum v. d. Pabst ecclesia Ascheraden

(4.) Milites siquidem predicti inter fluctus maris cum sociis suis diu laborantes, tandem ad partes Estlandie perveniunt. Quorum res et vitam Estones auferre volentes, cum decem pyraticis et duodecim aliis navibus in eos invehuntur[a]. Deo autem suos conservante, nichil adversitatis vel[b] doloris ab hostibus paciuntur, immo una pyratica a christianis confracta, quidam[c] paganorum occiduntur, quidam miserabiliter in mari merguntur. Alteram pyraticam unco ferreo[d] rapientes ad se trahere conantur, sed pagani magis in mari periclitari quam a christianis occidi volentes, de navi singillatim exiliunt, et illis in periculo mortis occumbentibus, alie naves recedentes evadunt. Licet enim omnipotens Deus electos suos in variis tribulationibus positos, quasi aurum in igne, probare non desinat, nunquam tamen omnino deserit, immo ex omnibus malis eos eripiens, maiorem hostibus eorum timorem ingerit. Inde procedentes in laboribus plurimis, precipue in fame et siti et frigore multos dies deducentes, cum paucissima cibaria haberent, quinquaginta naufragos christianos in littore stantes ad se colligunt, cum quibus misericorditer agentes, cibaria sua consumunt[e]. Et cum hoc solum superesset, ut iam[f] fame deficerent, ecce qualiter visitavit eos oriens ex alto; navis enim magna mercatorum adveniens, que cibaria[g] tam dando eis quam vendendo refecit famelicos, et saturati sunt. Procedentes autem gravissimum adhuc periculum incidunt, nam tempestas eos in periculosissimos scopulos impulit, intra[h] quos et de quibus magno timore et difficultate venientes, in vigilia Andree portum Wysbu attingunt et inde, Nov. 29. comparatis victualibus, Dacie finibus velificantes appropinquant. Non valentes autem propter gelu, quod immensum erat, navim littori applicare, eam in glacie relinquunt, et per Daciam in Theuthoniam vadunt rebus suis secum assumptis.

(IX.) 1205. Anno[i] septimo circa quadragesimam, quando[k] magis ille gentes suas exercere solent expeditiones, Lethones pene duo milia virorum[l] contra Estones moventur[m] in expeditionem, et ipsis secus Dunam descendentibus et civitatem transeuntibus[n], quidam ex ipsis, homo dives et prepotens Suelgate[o] nomine, cum suis sodalibus ad civitatem divertit. Cui inter alios viros de civitate cum pace obviam exeuntes unus ex civibus nomine Martinus ad bibendum potum mellitum[p] prebet, quo exhausto exercitum preeuntem insequitur et socios suos sic alloquitur: *Nonne Theuthonicorum, nobis medonem prebencium, trepidancium manus vidistis? Adventum quidem nostrum fama volante cognoverant et ideo timore concussi, adhuc trepidare non cessant. Ad presens[q] ergo excidium civitatis ipsius differemus, sed si partes ad quas tendimus vicerimus, hominibus captis et occisis villam ipsorum evertemus. Vix enim pulvis civitatis illius pugillo populi nostri sufficiet*[r]. (2.) Igitur post dies non multos, audiens quidam Viesthardus nomine maior natu de Semigallia, Lethonum expeditionem, cum festinatione Rigam veniens, Theuthonicos premonendo alloquitur, eo quod hostes fines ipsorum pacifice transeant[s], ne forte postquam situm loci didicerint, in futuro civitatem cum habitatoribus suis destruant. Ipsis[t] autem ante reditum episcopi propter suorum paucitatem preliari nolentibus, idem Vesthardus, tamquam vir bellicosus, ad pugnam animos eorum incitat, et promittens se illis in auxilium Semigallos quam plures[u] adducturum, rogat sibi saltem aliquos[v] dari viros doctos in bello, qui exercitum sciant regere et ad pugnam informare. Theuthonici audientes constanciam animi ipsius, dicunt se peticioni sue velle acquiescere, ita dumtaxat, si de quolibet castro Semigallie obsidem unum, quem elegerint, eis exhibere voluerit. Qui de tali responso plurimum exhylaratus, ad suos cum gaudio revertitur, et assumptis secum obsidibus denominatis exercitum colligit sufficientem. Quo adducto[w] obsides traduntur in manus Theuthonicorum, et ita satis se exhibentes fideles, illorum auxilium simul et amiciciam consequuntur[x], nam familia episcopi cum fratribus milicie Christi et Conradus miles de Ykescola cum paucis aliis, qui abesse poterant, ad exercitum foras exeunt[y], et in loco eminenti cum Semigallis reditum Lethonum expectant. (3.) Mittuntur interim nuncii in[z] Thoreydam ydonei, qui diligenter hostium viam explorare valeant et renunciare. Predictus etiam dux Semigallorum de singulis domibus in Riga victualia colligens, exercitui, qui de longinquo venerat, transportat. Redeuntes autem Lethones cum infinitis captivis et inenarabili[a] preda pecorum et equorum, post introitum Lyvonie paulatim de villa ad villam gradientes, tandem ad castrum Cauponis declinant, et paci Lyvonum confidentes apud eos nocte quiescunt. Legati autem Theutonicorum et Semigallorum discrete reditum eorum percunctati, exercitui[b] suo denunciant, et altera die nuncii alii priores insequuntur, qui Lethones per compendia Rodenpoys[c][74] versus Ykescola testantur velle redire. Hiis rumoribus auditis, universa malewa[75] letificatur et certatim quivis ad pugnam preparatur. Venientes ergo Lethones cum tota preda et captivis, qui millenarium superabant numerum, exercitum[c'] suum dividunt in duas partes, et in medio captivos constituentes propter nimiam profunditatem nivis per unam tantum viam singuli gradiuntur. Sed mox ut primi eorum vestigia precedencium reperiunt[d], insidias suspicantes subsistunt, et ita postremi cum captivis primos[e] insequuti[f] in unum colliguntur cuneum. Quorum multitudinem Semigalli videntes, plures ex ipsis tremefacti et[g] pugnare non audentes ad tutiora loca divertere querunt. Considerantes hoc[h] quidam ex Theuthonicis Conradum aggrediuntur militem instanter deprecantes, ut ipsi primum cum hostibus Christi prelium ineant, asserentes magis expedire gloriose mortem pro Christo subire quam ad confusionem gentis sue inhoneste fugam capessere[i]. Qui more militari tam in equo quam in se ipso bene loricatus, cum paucis qui aderant Theutonicis Lethones aggreditur. Sed ipsi nitorem armorum istorum[k] abhorrentes, Deo eciam timorem immittente[l], ab eis ex omni parte declinant. Cernens itaque Semigallorum dux Lethones de Dei misericordia ita conterritos[m], hortatur suos viriliter cum illis prelium committere, et ita, exercitu[n] in unum collecto, Lethones undique per viam tamquam oves disperguntur, et ex eis circiter mille ducenti in ore gladii prosternuntur.[o]

---

[a] inveheuntur 1. [b] et 2. 3. [c] quidem 2. [d] ferro 2. 3. [e] consumuntur 2. 3. [f] ut tantum 3. [g] *post hanc vocem* eis *scriptum erat, sed postea radendo deletum* 1. [h] inter 2. [i] *lemma in* 1*:* De bello cum Letonibus in Rodopoyse. [k] qua 2. 3. [l] equitum *add.* 2. 3. [m] moverunt 2. 3. [n] transseuntibus 1. [o] Schwelgate 2. 3. [p] mellicum 2. 3. [q] *de hac voce* p *tantum littera exstat in* 3. [r] sufficit 3. [s] transseant 1. [t] illis 2. 3. [u] S. quam plurimos 2; S. complures 3. [v] aliquot 3. [w] abducto 2. 3. [x] consequntur 1; consequitur 2. 3. [y] abeunt 3. [z] ad 2.

(4.) Inveniens autem quidam de familia episcopi Theodericus Scilling Suellegaten[p], qui se civitatem Dei subversurum dixerat, quem in vehiculo sedentem videns, lancea latera sua perforat. Hunc Semigallorum quidam palpitare videntes, caput eius abscidunt[q], et vehiculis suis imponentes, que solis capitibus Lethonum oneraverant, in Semigalliam ducunt. Plures eciam de Estonibus captivis, cum et ipsi essent inimicicias[r] exercentes omni tempore contra christiani nominis cultores, in gladio occiderunt, et ita christiani, Semigallis paganis adiunctis, de utroque populo, Lethonum videlicet et Estonum, plenam optinent victoriam. Igitur post cedem Lethonum et Estonum Theuthonici cum Semigallis ad spolia gentis utriusque revertuntur, et infinitam predam, tam in equis et pecoribus, tam in vestibus quam in armis accipientes, per Dei gratiam conservati, omnes ad propria redeunt sani et incolumes et Deum benedicentes. (5.) Referebat sacerdos quidam, qui tunc in Lethonia captivus tenebatur, Iohannes nomine, quod mulieres quinquaginta se ob mortem virorum suspendio interfecerunt. Nimirum cum credant, se cum illis mox in alia vita victuros[r'].

(6.) Signatis itaque per Theuthoniam multis hominibus signo crucis, tandem domnus episcopus ad naves revertitur, assumpto secum fratre suo Rothmaro de claustro Sygeberge, eo quod auctoritate piissimi apostolici Innocentii ei donatum est, de quolibet cenobio unum de fratribus, quem vellet, socium laboris assumere. Igitur eo ducente, qui imperat ventis et mari, Rigam perventum est, ubi domnus episcopus, a suis diu desideratus, cum omni milicia peregrinorum honorifice[s] susceptus est. Erat in eadem acie dux belli comes Henricus de Stumpenhusen[t][76], Cono de Ysenborch[u][77], nobilis homo, et alii tam de Westfalia quam de Saxonia milites quam plures[v] cum ceteris peregrinis. (7.) Volens ergo episcopus tantorum virorum consilio et auxilio vinee Domini palmites extendere in gentibus, post introitum Dune claustrum Cysterciensium[w] monachorum locaverunt in Dunemunde, quibus episcopus abbatem prefecit antedictum fratrem Theodericum, mittitque ad castrum[x] Ykescola[y]

---

a) innumerabili 2. 3. b) exc̃citu 1. c) Rodenpois 2. c') excercitum 1. d) repererunt 2. 3. e) primis 3. f) insequti 1. g) ⁊ 1; *deest* 2. 3; *Schirren proponit legendum:* ergo. h) haec 2. 3. i) inire 2. 3. k) ipsorum armorum 3. l) dimittente 2. 3. m) exterritos 2. 3. n) excercitu 1. o) *sequitur in* 1 *hoc lemma:* De fuga Letonum et morte Suelgaten. p) Schilling Schwellegaten 2; Schilling Schwelgaten 3. q) abscindunt 2. 3. r) in inimicicias 1. r') *sic omnes codices.* s) mirifice 3. t) Stupenhusen 2. 3. u) Isenborch 2. v) plurimi 2. 3. w) Cystercinencium 1. x) claustrum 3. y) Ikescole 2.

74) vicus olim ad lacum Iägelsee situm; praedium quod nunc Rodenpois nominatur eadem in regione situm est inter Treiden et Uexküll. 75) i. e. exercitus. 76) olim castrum terrae Hoyensis. 77) Erat Isenburg castrum ad fl. Ruram.

Conradum de Meyendorpe[a], cui iam dudum castrum idem in beneficio contulerat, ut eo
nunciante Lyvones episcopum cum peregrinis quibusdam venturum presciant et ipsum,
tanquam filii patrem, benigne recipiant, cum quo disponant de pace in se habenda et fide
ulterius propaganda. Lyvones ergo, qui post acceptam baptismi gratiam a[b] primo Lyvonum (8.)
antistite Meynardo fidem Christi irridebant et hanc in Duna se lavantes delere sepe
dicebant, audito episcopi[c] ascensu, cum ceteris adhuc paganis ad fugam se preparant, et
mane[d] facto Conradum[e] prenominatum ad se vocantes, occulte[f] moliuntur occidere[g]. Sed
quia sagitta previsa minus ferit, ipse dolum sciens eorum, armis suis indutus cum comitibus
suis ad eos foras egreditur, et illis[h] cum eo[i] multa confabulantibus ad singula queque
competenter respondet. Interim[k] quidam episcopum precedentes superveniunt. Unde magis
obstupefacti[l] Lyvones et in fugam versi beneficio navicularum[m] se committunt et versus
castrum Leneworde[n] cum uxoribus suis et parvulis ascendunt, satis hoc evidenter demonstrantes,
quod baptismum iam pridem susceptum minus curaverunt. Peregrini itaque dum
vident neophitos Lyvones in tantum[o] exhorbitare[p] et tamquam canes ad vomitum redire,
eo quod fidei[q] olim suscepte obliviscantur, zelo Dei accensi insequuntur fugientes. Sed[r]
mox ut conspiciunt[s] eos[t] se aliis[u] paganis de Leneworde[v] coniunxisse relictisque villis
silvarum latebras cum ipsis adiisse, urbem ipsorum adhibito igne succendunt. Deinde (9.)
peregrinis ascendentibus secus Dunam, ecce Lyvones de castro Ascrath rem gestam[w]
audientes, divertunt ad tutiora loca nemoris. Unde factum est, ut eorum castro per Dei
gratiam exusto pacem cum Theuthonicis datis obsidibus ineunt[x], et brevi[y] se Rigam venire
et ibi baptizari promittunt. Quod et postea ita factum est. Audiens[z] autem rex Vetseke (10.)
de Kukonoyse[a][78] peregrinos Latinos in tam valida manu venisse et sibi vicinos esse, ad
tria videlicet miliaria, per internuncium petit ab episcopo ducatum, et ita navigio descendens
ad ipsum, cum datis hinc inde dextris salutassent se, pacem ibidem firmam cum Theuthonicis
fecit; que tamen postea parvo tempore stetit[b]. Pace facta valedicens omnibus,
letus ad sua reversus est.

Hiis itaque[c] peractis, redeuntes peregrini per viam suam, in nemore densissimo iuxta (11.)
viam Memeculle a duarum urbium Lyvonibus, Lenowarde[d] et Ykescole, gravissime infestantur.
Quorum insultum sine magno periculo evadentes Ykescolam perveniunt, quam
urbem firmissimam cernentes et vacuam, quondam ab episcopo Meynardo edificatam, visum
est eis indignos esse tanta munitione Lyvones, qui licet baptizati, tamen ad hoc[e] rebelles
erant et increduli. Et ob hanc causam mittentes Conradum in beneficii eiusdem possessionem,
ei ex peregrinis relinquunt quosdam viros fortes et ad bella paratos. In frumento
etiam ei providere volentes, in preparationem[f] pugne, segetes Lyvonum iam maturas quidam
falcibus quidam gladiis succidunt. Non valentes autem frequentes[g] paganorum insidias
sustinere, armati omnes metunt segetes, et impleta urbe usque ad summum, domnus episcopus
de tali facto exhylaratus ibi remanentes Deo commendat et cum reliqua peregrinorum
milicia Rigam descendit[h].

Post hec[i] brevi transacto tempore, peregrini de castro Ykescola exeuntes[k] pro colligenda (12.)
annona, a Lyvonibus insidiantibus in silvis occisi sunt decem et septem ex eis, quorum
quosdam diis suis immolantes crudeli martirio interfecerunt. Nec tamen hec et hiis
similia facientes inimici a predicatione verbi Dei christianorum obstruunt voces, verum
eciam per incrementa fidei conspiciunt, eos cottidie tam preliando quam predicando magis
ac magis invalescere. Hinc est quod animo consternati Lyvones omnes circa Dunam habitantes, (13.)
in[l] mente confusi datis obsidibus domno episcopo et ceteris Theuthonicis reconciliantur[m],
et qui adhuc ex ipsis[n] pagani fuerunt baptizari[o] se pollicentur. Sic ergo Christo

---

a) Meiendorff 2; Meyendorff 3. b) acceptum beneficium baptismi a 2. 3. c) a. e. 2. d) mone 3. e) Conrandum 1. f) *deest* 2. 3. g) occ. mol. 2. h) eis 3. i) illo 3. k) interea 2. 3. l) stupefacti 2. 3. m) navicolarum 3. n) Lenewarde 2. o) in tantum *desunt* 2. 3; *in* 2 *lacuna relicta.* p) exorb. 2. q) fide 1. r) *praecedit in* 1 *hoc lemma:* De expeditione apud Dunam. s) vident 2. 3. t) *deest* 3. u) aliis se 2. v) Lenewarde 2. w) Aserat r. g. 2; Ascratem gestam 3. x) ineant 2. y) et in brevi 2. z) *praecedit in* 1 *hoc lemma:* De pace facta cum rege Wetseke. a) Kukonoise 2. b) st. t. 2. c) ita 2. 3. d) Lenewarde 2. e) adhuc 2. 3. f) praeparatione 2. 3. g) frequenter 3. h) *sequitur in* 1 *lemma:* De martyrio XVII in Ykescolam. i) hoc 2. 3. k) *sic corr. ex* existentes 1. l) et 2. 3. m) reconsiliantur 1. n) ex ipsis adhuc 2. o) baptisari 2. 3 *constanter.*

78) hodie Kokenhusen ad Dunam fl.

vocante gens indomita et paganorum ritibus nimis dedita pedetentim ad iugum Domini ducitur, et relictis gentilitatis sue tenebris veram lucem, qui Christus est, per fidem intuetur[a]. Unde non immerito villas et agros et que iuste amisisse videbantur rehabere permittuntur, et exstructa iuxta villam Ykescolam[b] munitione penitus excluduntur, et tam illi de Lenowarde[c] quam de Ykescola ad propria revertuntur.

(14.) Eadem[d] hyeme factus est ludus prophetarum ordinatissimus in media Riga, ut fidei christiane rudimenta gentilitas fide disceret oculata. Cuius ludi materia tam neophitis quam paganis qui aderant per interpretem diligentissime exponebatur. Ubi autem armati Gedeonis cum Phylisteis pugnabant, pagani timentes occidi fugere ceperunt, sed caute sunt revocati. Sic ergo ad modicum tempus siluit ecclesia in pace quiescendo. Iste autem ludus quasi preludium et presagium erat futurorum; nam in eodem ludo erant bella, utpote David[e], Gedeonis, Herodis; erat et doctrina Veteris et Novi Testamenti, quia nimirum per bella plurima que sequuntur convertenda erat gentilitas, et per doctrinam Veteris ac[f] Novi Testamenti erat instruenda qualiter ad verum pacificum et ad vitam perveniat eternam.

(X.) 1206. Anno[g] octavo inchoante, volens domnus episcopus adipisci amiciciam et familiaritatem Woldemari regis de Ploceke[h], quam antecessori suo Meynardo exhibuerat episcopo[i], dextrarium cum armatura per abbatem Theodericum ei transmisit, qui a latrunculis Lethonum in via spoliatur[k]. Ipse cum suis omnia[l] que secum tulerant amittunt, corpore tamen sani et incolumes ad regem usque perveniunt. Ingressi autem civitatem deprehendunt ibi quosdam Lyvones clam a senioribus Lyvonum missos, qui ut animum regis inclinarent ad expellendos Theuthonicos de Lyvonia, quecunque dolose fingere aut dictare poterant contra episcopum et suos, blanda ac fraudulenta locutione[m] proponebant, nam episcopum cum sequacibus[n] suis nimis eis importunum et intollerabile iugum fidei asserebant. Quorum verbis rex admodum credulus mandat omnibus in regno suo constitutis ad expeditionem quantocius preparari, ut cum impetu fluminis Dune navigio vel[o] multiplici lignorum strue connexa, suppositis ad viam necessariis, Rigam cicius et commodius descendant. Hinc est quod Theuthonicorum legati, Lyvonum suggestionem et regis intentionem ignorantes, conspectui regis presentari iubentur, ubi coram Lyvonibus, que adventus eorum causa sit, interrogantur[p]. Qui dum se pacis et amicicie causa venisse profitentur, Lyvones e contrario[q] nec eos pacem velle nec servare proclamant. Quorum os[r] maledictione et amaritudine plenum est[s], magis ad bella struenda quam ad pacem faciendam cor et animum regis incitant[t]. (2.) Rex autem timens occulta consilia sua in lucem prodire, Theuthonicos a se removens in hospicio manere precipit[u], sed abbate causam perpendente, quidam de consiliariis regis muneribus et pecunia corrumpitur et absque mora consilium diu celatum proditur. Quo comperto mira Dei providencia abbati obviat res tendens ad meliora. Nam pauperem quendam de castro Holme, Deo donante, ibidem esse comperit, quem dimidia marca argenti conducens[v] et scripto suo promovens, domno Rigensi episcopo et toti fidelium ecclesie, que audierat et viderat, per eundem intimavit. Unde factum est, ut plures ex peregrinis, qui se ad transfretandum mare preparaverant, resumpta cruce redirent. Ipse eciam episcopus, qui cum aliis abire paratus erat, velificantibus valedicens Rigam ad suos reversus est.

(3.) Rex itaque factum abbatis intelligens, accersito eo[w], requirit, si nuncium Rigam miserit; sed ille faciem regis non formidans, litteras se per quendam misisse confessus est. Porro legati secum missi a Riga, metuentes severitatem regis, supplicabant et persuadebant abbati negare[x], quod dixerat. Sed ipse sciens, quod semel emissum volat irrevocabile verbum[79], quod regi confessus erat nulla ratione negabat. Intelligens igitur rex se[y] nichil hoc modo proficere, eo quod proditum esset consilium, ubi belli violencia deficit dolum machinatur, quia in columbe specie blanda loquens verba sic ledit ut anguis in

---

a) intuentur 2. 3. b) Ikescola 2, *et sic semper haec vox scripta est in cod.* 3. c) Lenewarde 2 *semper.* d) *lemma in* 1*:* De ludo magno qui fuit in Riga. e) Davidis 2. 3. f) et 2. 3. g) *praecedit hoc lemma in* 1*:* De anno octavo. h) Plosceke 2. i) episcopus 2. k) spoliatus 1. l) *deest* 3. m) oratione 3. n) sequentibus 2. 3. o) et 2. 3. p) interrogatur 2. 3. q) L. contra 2. 3. r) et 2. 3. s) *deest* 2. 3. t) *sic a correctore ex* excitant 1. u) praecepit 3. v) conducentes 3. w) *deest* 2. x) negaret 2. 3. y) se rex 1. 3.

79) Cf. Horatii Epist. I, 18, 71.

herba[80]. Remittitur abbas et cum eo Ruthenorum legati cum verbis pacificis diriguntur in dolo, ut auditis hinc inde partibus inter Lyvones et episcopum quod iustum esset decernerent et hoc ratum haberent[a]. Dimissi a rege, Kukenoys castro Ruthenico, quod celerrime attingunt, dyaconum quendam Stephanum, alium tamen quam[b] prothomartyrem, Rigam cum abbate mittunt, episcopum in occursum vocant nunciorum[c], diem colloquii tercio Kalendas Iulii[81], locum iuxta fluvium Wogene[82] prefigunt. Reliqui[d] per terram usquequaque Mai. 30. diffusi Lyvones et[e] Lethos, qui proprie[f] dicuntur Lethigalli[g], cum armis suis vocant. Veniunt Lyvones, non tantum voluntati regis obedire quantum perdicioni fidelium Christi deservire parati. Lethi vel Letthigalli adhuc pagani[h], vitam christianorum approbantes et eorum salutem affectantes, ad colloquium perfidie non veniunt, muneribus eciam sibi a Ruthenis oblatis[i] flecti nequeunt ad malum Theuthonicis inferendum. Vocatus ad idem (4.) colloquium domnus episcopus a legato regis, Stephano predicto tale de consilio suorum dedit responsum: *Communem*, inquid, *omnium terrarum consuetudinem esse constat, nuncios a dominis suis destinatos eum adire vel requirere, ad quem mittuntur, et numquam principem, quantumcunque humilem vel*[k] *affabilem, in occursum nunciorum de suis munitionibus egredi. Decet namque*[l] *tales et talium nuncios nos in civitate nostra invenire, ubi a nobis et a nostris recipi possint honestius et tractari. Veniant ergo nichil metuentes sed honeste tractandi.* Appropinquante die statuto, Lyvones armati ad colloquium iuxta fluvium Wogene colliguntur. Seniores etiam de castro Holme, tocius mali exquisitores, ad eos navigio ascendunt et applicantes ad castrum Ykescolae ipsos secum vocant.

Considerata[m] igitur astucia Lyvonum Theuthonici ascendere recusant, sed illi ceptam (5.) viam peragunt et cum suis compatriotis de christianorum eiectione tractant. Interim Ykescolenses duo ex neophitis, videlicet Kyrianus[n] et Layanus, Conradum, qui castro prefuit, rogant quam intime, quatinus eos congregacioni Lyvonum interesse permittat, ut visa eorum pertinacia renunciare possint, quas contra fideles Christi machinationes pretendant, presumentes autem de cognatorum et amicorum numerositate, terribilem inimicorum aciem adire non formidant. Quod stultum valde Conradus animadvertens propter multimodam Lyvonum maliciam[o] fieri dissuasit; sed eorum instanti prece victus eos abire permisit. Ingressi placitum statim capiuntur a senioribus, fidem Christi postponere et Theuthonicis renunciare coguntur. Qui constantes in dilectione Dei fidem susceptam se omni caritatis affectu amplectere[p] profitentur, ab amore et societate christianorum testantur nulla eos posse genera tormentorum separare[q]. Unde[r] nimirum eciam cognatorum tantum[s] in eos excrevit odium, ut exinde maius esset odium amore, quo ante dilexerant. Hinc est quod[t] communi Lyvonum conspiratione, ligatis circa pedes funibus per medium sunt dilacerati. Quos acerrimis penis afficientes, viscera extrahentes, crura et brachia dilaceraverunt[u], de quibus non est dubium, quin cum sanctis martyribus pro tanto martyrio vitam receperint[v] eternam. Horum corpora in Ykescolensi[w] quiescunt ecclesia atque apposita sunt tumbe (6.) episcoporum Meynardi et Bertoldi, quorum primus confessor, secundus martyr, ut supra dictum est, ab eisdem Lyvonibus occisus occubuit. Hoc facto Lyvones in eo convenerunt, ut de omnibus partibus terre sue in unum collecti castrum Holme, quod civitati propius erat, preoccupent et ex eo Rigenses, qui tunc paucissimi erant, expugnent et Rigam destruant. Conpleta ergo conspiratione et confederatione, immemores sacramentorum susceptorum, obliti baptismi, fide abiecta, pacem non curantes, bellum innovantes, omnis multitudo eorum Holme descendit[x], et convocantes ad se[y] quosdam de Letthonibus, tam Thoredenses[z] quam Veinalenses[a][83], omnes in unum conveniunt. Porro[b] Holmenses, quorum pedes veloces (7.)

---

a) hrēt 1. b) *sic superscribendo ex* quem *effectum in* 1. c) nunc. voc. 2. 3. d) *praecedit in* 1 *hoc lemma:* De conspiratione Ruthenorum cum Lyvonibus et Letonibus contra Rigenses. e) ac 2. 3. f) prope 2. 3. g) Lettogalli 2. h) *deest* 3. i) oblati 2. k) et 2. 3. l) inquam 1. m) *praecedit in* 1 *hoc lemma:* De martyrio duorum neophitorum Kyriani et Layani. n) Hyrianus 2. o) militiam 3. p) amplecti 2. 3. q) superare 1. r) *praecedit in* 1 *hoc lemma:* De nimia crudelitate amicorum ipsorum quam exercuerunt in eos. s) tam 2; tum 3. t) qui 3. u) dilataverunt 2. 3. v) receperunt 2. 3. w) Ikescolensium 3. x) descendunt 2. 3. y) ad se *desunt* 2. 3. z) Thoreidensibus 2. 3. a) Veinalensibus 2. 3. b) *praecedit in* 1 *hoc lemma:* De martyrio sacerdotis et sociorum eius.

80) Cf. Vergilii Eclog. III, 93. 81) *Iunii* esse legendum recte probat Pabst v. d. 82) postea Woga, hodie Oger nominatum, Dunam influit. 83) i. e Dunenses. Nam vox Livonica *veina* et vox *Duna* eaedem sunt et fluminis ostium significant.

ad effundendum sanguinem, capto Iohanne sacerdote suo, caput eius[a] abscidunt, corpus reliquum membratim dividunt. Ipse enim natus de Vironia et a paganis in puericia captus, per venerabilem Meynardum episcopum a captivitate absolutus, et ut sacris litteris imbueretur, ab eodem est in claustro Segeberge[b] locatus, ubi cum plurimum profecisset, cum episcopo Alberto in Lyvoniam profectus est, et sacros adeptus ordines in Holmensi parrochia multos convertit ab ydolorum[c] cultura. Qui tandem post laboris sui cursum cum duobus aliis, Gerhardo et Hermanno, pro fidei confessione, sicut prediximus, per martyrii palmam ad vitam pervenit eternam. Cuius corpus et ossa, postea ab aliis sacerdotibus collecta, in Riga in ecclesia beate Marie domnus episcopus cum suo capitulo devote sepelivit.

(8.) Hiis[d] ita peractis, confluente ad castrum Holme Lyvonum caterva, neophiti quidam Lembewalde cum quibusdam aliis, fideles se exhibentes, dimissis uxoribus et familia in Holme, Rigam descendunt suggerentes domno episcopo, qualiter se defendat ab inimicis, optantes magis christianorum quam suorum perfidorum Lyvonum profectum. Erant autem Lyvones simul omnes in castro diebus aliquot, et quidam ex eis exeuntes versus Rigam, tam equos in pascuis spoliantes[e] tam homines quos invenerunt occidentes, fecerunt omnia mala que potuerunt. Tandem tedio affecti[f], quidam ad propria redierunt quidam adhuc remanserunt. Audiens autem episcopus quorundam recessum, convocatis fratribus milicie et civibus et peregrinis, requirit quo facto opus sit contra Lyvonum machinationem. Visum est omnibus expedire, ut[g] invocato super se Dei omnipotentis auxilio novellam ecclesiam ipsi committentes[h] cum illis in Holme bellum ineant, et melius esse pro fide Christi omnes mori quam singulos cottidie cruciari[i]. Commissa igitur civitate domno episcopo, qui validiores erant Theuthonici cum suis Lyvonibus Rigensibus armati, balistariis[k] et aliis sagittariis assumptis, navigio ascendentes ad castrum Holme applicant, quinta decima die post Iun. 4. pentecosten[l][84]. Quibus previsis, hostes litus et accessum defendere volentes audacter occurrunt. Stupent primo nimis christiani propter eorum paucitatem, nam centum tantum erant et quinquaginta hostiumque erat numerosa multitudo, sed cantu suo Dei[m] inplorantes auxilium et[n] clemenciam et vires animorum resumentes tandem exiliunt. Quorum primus Arnoldus frater milicie, deinde servi[o] episcopi ex alia nave cum ceteris, omnes simul hostibus appropinquant. Et primo in aqua pugnantes littorea[p] saxa lanceasque hostium super se crudeliter volantes excipiunt, tandem litus apprehendunt fortissime pugnantes[p]. Vulneratur passim hostium nuditas a sagitta volante, confligunt acies, vincuntur hostes, et terga dantes alii occiduntur, alii transnatare volentes submerguntur, alii castro recipiuntur, alii transnatando evadentes aculeos vermium non efugerunt. Erat[q] autem inter eos[r] Ako princeps ac senior eorum[s], qui tocius tradicionis et omnium malorum exstiterat auctor, qui regem de Ploceke concitaverat ad bellandum contra Rigenses, qui Letthones collegerat, qui Thoredenses et totam Lyvoniam convocaverat contra nomen christianum. Inter alios iste quoque occiditur, occisi caput cum fama victorie episcopo mittitur. Erat autem episcopus cum clericis suis, celebrata missa, in Dei timore et orationibus exspectans si forte quispiam appareret referens ei quid ageretur. Erat[t] autem[u] cor eius fiduciam habens in Domino[t]. Et subito apparuit navicula de longe, in qua quidam de fratribus milicie rediens cum vulneratis quibusdam, caput Akonis pro signo victorie episcopo presentat. At ille gaudens cum universis, qui domi remanserant, gratias agit Deo, qui per paucos operatus est salutem ecclesie sue. (9). Applicant[v] interim christiani menia suburbana, muro castri ignem imponunt, patherellis ignem et lapides in castrum proiciunt. Balistarii quam plures in munitione vulnerant, unde post occisionem tantorum iam se defendere non sufficiunt. Igitur Thoredenses pacem petunt, que datur eis, et permittuntur exire de castro pene omnes vulnerati. Holmenses autem, auctores malorum, se tradere compelluntur, quorum seniores Rigam deducuntur et in vincula, prout meruerunt, proiciuntur. Ceteris autem, qui in castro erant,

---

a) eis 1. b) Segebergensi 2; Sygenbergensi 3. c) illorum 3. d) *praecedit in* 1 *hoc lemma:* De collectione Lyvonum et Lettonum in Holme contra Rigenses. e) spoliantur 2. f) effecti 1. g) et 3. h) commendantes 2. 3. i) trucidari 2. 3. k) balistariisque 2. 3. l) pontecosten 1. m) omnipotentis *addunt* 2. 3. n) auxilium et *desunt* 1; et *deest* 3. o) sui 2. 3. p) littorea — pugnantes *desunt* 2. 3. q) *praecedit in* 1 *hoc lemma:* De fuga Lyvonum Holmensium et interfectione eorum. r) ipsos 3. s) ipsorum 2. 3. t) erat — Domino *in margine inferiori a corr. add.* 1. u) enim 2. 3. v) *praecedit in* 1 *hoc lemma:* De expugnatione castri.

84) quod festum tunc in diem 21. m. Maii incidebat.

propter sacramentum baptismi, quod iam dudum receperunt[a], parcitur et nichil mali deinceps infertur. Omnia autem, que hactenus in Lyvonia gloriose contigerunt, non in fortitudine multorum sed per paucos Deus semper operatus est, unde pro multiplici victoria benedictus sit Deus in secula. Erat eodem tempore fames et penuria cibariorum in civitate magna, et misit Deus sacerdotem quendam episcopi[b], Danielem, de Gothlandia cum duobus coggonibus[85] impletis usque ad summum annona[c] et similibus, que necessaria erant. Eundem Danielem misit episcopus cum dapifero suo Gevehardo[d] et balistariis et aliis quibusdam preoccupare castrum predictum Holme, ne deinceps Lyvones Ruthenos et paganos convocantes opponere se valeant christianis. Seniores autem Holmensium[e] episcopus postea secum ducit[f] in Theuthoniam, ut videntes et[g] audientes ibidem christianorum consuetudines discant fieri fideles, qui semper fuerunt infideles.

Post[h] hec Rigenses, memores omnium iniuriarum a Thoredensibus adhuc paganis sibi illatarum et pacis sepius interrupte, convocant Semigallos sibi in adiutorium in ultionem inimicorum. Erant autem Semigalli inimicicias semper habentes contra Thoredenses, et gavisi sunt et[i] venerunt cum Vestardo principe suo circiter tria milia virorum in obviam Rigensibus. Et procedentes ad Coiwam[86] dividunt exercitum[k] suum et tradunt Cauponi, qui dux erat exercitus[l], medietatem; nam[m] ipse, postquam a Roma rediit, fidelissimus factus est, et propter persecutionem Lyvonum in civitatem fugerat, et mansit cum christianis fere per[n] totum annum illum. Aliam medietatem exercitus[l] dirigunt in partem Dobrelis[o]. Et ibat Caupo cum exercitu suo versus castrum suum, in quo erant cognati et amici sui adhuc pagani, et videntes exercitum subito et ex[p] improviso venientem, timore percussi[q], pauci ex eis munitionem ad defendendum castrum ascendunt. Plures ex eis in posteriori parte castri transsilientes fugam in silvas et montana querunt. Christiani autem viriliter impugnantes castrum, tandem[r] desuper fortiter ascendunt, et victis hostibus et a munitione repulsis castro recipiuntur, et persequentes paganos undique per castrum ex eis fere quinquaginta occidunt, ceteri per fugam evaserunt. Tollentes itaque res omnes et spolia multa, castrum incendunt. Videntes autem Lyvones, qui erant ex alia parte Coiwe in castro Dabrelis, fumum et ignem ascendentem et castrum ardere Cauponis, timentes ne sibi et castro suo similia contingant, colligunt omnes in castrum, et ascendentes in munitionem inimicos suos exspectant et venientibus fortissime resistunt. Confortabat enim eos Dabrelus[s] senior ipsorum et animabat, quemadmodum Philistei quondam dicentes[86*]: *Confortamini, Philistini*[t], *et pugnate, ne serviatis Hebreis.* Peregrini vero cum Semigallis impugnantes castrum per totam diem, capere non valuerunt, et quidam ex eis ex alia parte cum paucis ascendere temptantes, quinque ex suis a Lyvonibus occisos ibidem reliquerunt[u]. Videntes autem castrum forte et inexpugnabile diverterunt ab eo, et spoliantes terram reversi sunt ad suos, et aput Rigam residentes in reditu cum totali exercitu, diviserunt spolia universa, que attulerant. Episcopus autem gratias agens Deo, remisit Semigallos cum gaudio in terram suam. (10.)

Post hec[v] episcopus, renovata pace cum Lyvonibus, transire[w] proponit in Theuthoniam, et veniens in mare, per totam noctem gravissimam passus tempestatem sequenti die repulsus est in Dunam. Ipse autem aliquot quiescens diebus, inter exitus matutini et vespere delectatus[87], quem nec sol adurit[x] prosperitatis per diem neque luna contristat adversitatis per noctem[87*], ut a Dei negocio non desistat terra marique, Deo gratias agens iterum se eisdem committit periculis, que evaserat, et Deo tranquillitatem donante, pro colligendis peregrinis, qui ecclesiam defendant, in Alimaniam[y] vadit. (11.)

Post hec ex Lyvonibus quidam in perfidia sua durantes, regi de Ploceke per nuncios suos vulnera et dampna suorum significantes, in auxilium sibi contra Theuthonicos venire eum rogant, presertim cum pauci in Riga remanserint et alii cum episcopo recesserint. Qui acquiescens consiliis et vocationi eorum, convocato exercitu[z] de omnibus locis regni sui nec non et aliorum regum vicinorum et amicorum suorum, Duna[a] navigio descendit in (12.)

---

a) receperant 2. b) *corr. fecit* episcopo 1. c) summam annonam 3. d) Genehardo 2. e) Holmenses 2. 3. f) *sic corr. ex* duxit 1. g) *deest* 2. 3. h) *praecedit in* 1 *hoc lemma:* De expeditione in Thoreydam cum Semigallis. i) cum 1. k) excercitum 1. l) excercitus 1, *et ita infra.* m) *in margine* 1 *lemma:* De incensione castri thoredensis. n) christ. super 3. o) Dolnelis 2; Dolnetis 3. p) *deest* 2. 3. q) concussi 2. 3. r) tamen 3. s) Dabrielus 2. 3. t) Philistiim 1; Philystim 3. u) relinquunt 2. 3. v) hoc 3. w) transsire 1. x) *prius* aduxit, *rad. corr.* 1. y) Allemanniam 2. z) suo *add.* 2. a) Dunam 2. 3.

[85] i. e. navibus onerariis. [86] die Livländische Aa. [86*] Cf. 1. Reg. 4, 9. [87] Cf. Ps. 64, 9. [87*] Cf. Ps. 120, 6.

fortitudine magna. Et applicantes Ykescolam, quidam ex eis graviter vulnerati sunt a balistariis Conradi militis. Unde sencientes Theuthonicos in castro descenderunt, et castrum Holme subito adeuntes undique in circuitu obsederunt. Lyvones vero, nescientes exercitum, quidam in silvis effugientes evaserunt, quidam ad castrum cum Theuthonicis in unum se collegerunt, et clauso castro balistarii munitionem ascendentes plurimos vulneraverunt. Rutheni[a] quoque, qui artem balistariam ignorant arcuum consuetudinem habentes, plures in[b] munitione ledentes per dies multos pugnaverunt, et maximam struem lignorum comportantes, munitionem incendere laborabant, sed frustrato labore, multi eorum a balistariis in lignorum collectione vulnerati ceciderunt. Misit itaque rex nuncios Thoredensibus[c] et Leththis et paganis in circuitu, ut omnes contra Rigenses venirent in expeditionem. Unde gavisi Thoredenses statim conveniunt[d] ad regem, et venientibus hoc solum opus iniungitur, ut ligna comportantes castrum incendant; in qua lignorum comportacione plurima eorum multitudo, utpote inermium, a sagitta subito volante interfecta est. Leththi vero nec[e] venerunt nec nuncios miserunt. Fecerunt eciam Rutheni machinam parvam more Theuthonicorum, sed nescientes artem lapides iactandi, plures ex suis post tergum iactantes leserunt. Theuthonici vero cum pauci essent, utpote viginti tantum, timentes tradi a Lyvonibus, qui multi erant cum eis in castro, nocte ac die armati in munitione desuper sederunt, custodientes arcem tam de amicis infra quam extra de inimicis. Lyvones autem omne consilium querebant cottidie cum rege, qualiter eos dolo tenerent et traderent[f] in manus Ruthenorum; et nisi breviati fuissent[g] dies belli, tam Rigenses quam Holmenses propter suorum paucitatem vix se defendere potuissent. Nam in Riga erant timores intus propter civitatem nondum firmiter edificatam, et timores extra propter suorum in Holme obsessionem. Redierunt eciam quidam Lyvones exploratores ad regem dicentes, omnem canpum et omnes vias circa Rigam repletas esse ferreis claviculis tridentibus[h], ostendentes quosdam ex eis regi, dicentes quia tam[i] pedes equorum suorum quam latera propria et posteriora sua graviter undique talibus hamis essent[k] perforata. Quo timore rex perterritus, Rigam cum exercitu suo non descendit, et liberavit Dominus sperantes in se. Nam Thoredenses, visis navibus in mari[l], nunciaverunt regi At ille, cum post undecim dierum castri impugnationem nichil proficeret, sed magis per suorum interfectionem deficeret simul et adventum Theuthonicorum timeret, surrexit cum omni exercitu suo et vulneratis et interfectis suis, et[m] reversus est[n] navigio in terram suam; Gevehardus[o] autem, dapifer episcopi, de parvo vulnere postea mortuus est, ceteri autem sani et incolumes Deum benedicebant, qui ecclesiam suam in manu paucorum eciam hac vice defendit ab inimicis.

(13.) Eodem[p] tempore rex Danorum cum exercitu[q] magno, quem iam tribus annis collegerat, resedit[r] in Osilia, simul et archiepiscopus Lundensis Andreas, qui in remissionem[s] peccatorum infinitam multitudinem signo crucis signaverat ad faciendam vindictam in nationibus et ad subiugandas[t] gentes[u] fidei christiane. Edificato autem castro, cum non invenirentur[v], qui contra insultus paganorum ibidem manere auderent[w], incenso castro, rex cum omni exercitu[x] rediit in terram suam. Archiepiscopus vero Lundensis predictus et episcopus Nicolaus[88] cum duabus navibus cibariis onustis et omnis familia ipsorum Rigam divertunt, et in[y] Dunam venientes a preposito beate Marie Eggelberto[z] et omni conventu suo devotissime suscipiuntur. Et audita tanta ecclesie tribulatione et eiusdem iterum a Deo liberatione, congratulantur et congaudent, benedicentes Deum, eo quod in medio gencium in tanta paucitate virorum suam semper conservat ecclesiam. Post hec archiepiscopus, convocando omnem clerum doctrinam proponit theologicam, et legendo in psalterio totam hyemen in divina contemplatione deducunt. Et merito post bella doctrina sequitur theologica, cum eodem tempore post bella omnia predicta conversa et baptizata sit tota Lyvonia. Nam post discessum regis Ruthenorum cum exercitu suo invasit timor[a]

---

a) *praecedit in* 1 *hoc lemma:* De obsidione castri Holmensis a rege Woldemaro de Plosceke. b) de 2. 3. c) Thoreidenses 3, *et* 2 *prius, ubi postea corr.* d) convenerunt 2. 3. e) non 2. 3. f) traderentur 2; traderetur 3. g) essent 2. 3. h) trudentibus 2. 3. i) dicentesque tam 2. 3. k) *deest* 1—3. l) maribus in navi 3. m) *deest* 2. 3. n) e 2. 3. o) Genehardus 2. p) *praecedit in* 1 *hoc lemma:* De expeditione prima regis Danorum in Osiliam. q) suo *addit* 3. r) residet 2. 3. s) remissione 3. t) subigendas 3. u) nationes 3. v) cum nemo inveneritur 2; cum nemo inveniretur 3. w) deberent 3. x) r. c. e. o. 2; c. e. suo rex 3. y) *deest* 2. 3. z) Engelberto 2. 3. a) timore 3.

[88] Slesvicensis; erat cancellarius regis Waldemari II.

Dei Lyvones per universam Lyvoniam, et mittentes nuncios Rigam tam Thoredenses quam Dunenses, rogant ea que pacis sunt. Proponuntur itaque Thoredensibus omnia mala, que infra[a] pacem sepe fecerant, pace interrupta. Nam multis occisis, Cauponi, qui, relictis eis, cum christianis semper pugnabat, multa mala intulerant, bona eiusdem omnia incendio vastaverant, agros abstulerant, arbores[b] apum confregerant, insuper plurima bella contra Rigenses moverant. Unde pax eis denegatur; et merito, qui filii pacis esse nescientes pacem omni tempore disturbabant. At[c] illi magis instantes rogant baptizari, sacerdotes recipere et eis per omnia obedire promittunt. Lenewardenses etiam pro reconciliacione domno Danieli, qui idem castrum iam dudum in beneficio acceperat, quolibet anno de aratro dimidium talentum siliginis promittunt, quod hactenus usque in hodiernum diem persolverunt.

(14.) Prepositus[d] itaque Rigensis, iuxta verbum archiepiscopi, acceptis obsidibus meliorum pueris de tota Lyvonia, sacerdotes mittit ad predicationem. Quorum primus Alebrandus[e] in Thoreidam proficiscens, verbum predicationis et baptismi sacramentum ministrat, et parrochias distinguens, in Cubbesele[f. 89] ecclesiam edificat. Alexander sacerdos in Metsepole dirigitur, qui, baptizata provincia illa tota, cum eis ibidem habitare et semen ewangelii seminare et ecclesiam incipit edificare. Daniel sacerdos, qui in castri Holmensis obsidione quodammodo examinatus fuerat, Lenewardensibus mittitur. Quem illi benigne suscipientes, baptizantur ab eo. Cumque in villam, que dicitur Sydegunde[g. 90], procederet, statim populum ad audiendum verbum Dei convocat. Veniens autem Lyvo quidam de latibulis silvarum nocte visionemque suam referens, dicit ei: *Vidi,* inquit, *deum Lyvonum, qui nobis futura predixit. Erat enim ymago excrescens ex arbore a pectore et sursum, et dixit michi Leththonum exercitum cras venturum, et timore illius exercitus convenire non audemus.* Sacerdos autem intelligens demonis hanc esse illusionem, eo quod via illo autumpnali tempore non esset per quam Leththones venire possent, in orationibus suis existens Deo se commendabat. Mane facto cum huiusmodi nichil audirent vel[h] perciperent quod fantasma Lyvoni predixerat, colliguntur omnes in unum, quibus sacerdos ydolatriam detestans, huiusmodi fantasmata demonum illusionem affirmans, tandem unum Deum, creatorem omnium, unam fidem, unum baptisma esse predicat, et hiis et aliis similibus ad culturam unius Dei eos invitat. Hiis auditis, diabolo et operibus eius abrenunciant[i. 91] et in Deum credere se promittunt, et baptizantur quotquot predestinati erant a Deo. Baptizatis eciam Reminensibus, procedit ad Ascradenses. Quibus recipientibus verbum Dei cum gaudio et celebratis ibidem sacramentis baptismi, reversus est Thoreidam, et veniens ad castrum[k] Dabrelis benigne receptus est ab eis. Et seminato ibidem verbi Dei semine, convertit et baptizavit eos, et relicta provincia illa, processit ad Wendos. Wendi[l] autem humiles erant eo tempore et pauperes, utpote[m] a Winda[n. 92] repulsi, qui est fluvius Curonie, et habitantes in Monte Antiquo, iuxta quem Riga civitas nunc est edificata, et inde iterum a Curonibus effugati pluresque occisi, reliqui fugerunt ad Leththos, et ibi habitantes cum eis, gavisi sunt de adventu sacerdotis. Quibus conversis et baptizatis, vineam iam plantatam et agrum seminatum Domino committens sacerdos, Rigam rediit.

(15.) Postea[o] autem[p] ad Ydumeos missus, quam plures ibi[q] et Leththos et Ydumeos baptizans, ecclesiam super Ropam[93] edificavit, et manendo cum eis vitam eternam eis demonstravit. Thoredenses vero, receptis sacri baptismatis misteriis cum omni iure spirituali, rogant sacerdotem suum Alabrandum, ut sicut in iure spirituali sic et eos expediat in civilibus causis, quod nos dicimus in iure seculari, secundum iura christianorum. Gens enim Lyvonum quondam erat perfidissima, et unusquisque proximo suo quod habebat auferebat, et ideo in baptismo huiusmodi prohibita sunt, violencia, rapina, furta et hiis similia. Qui[r] autem ante baptismum spoliati fuerunt, dolentes de rerum suarum amissione, eo quod sua recipere per violenciam post baptismum non auderent, iudicem secularem pro causis huiusmodi[a] terminandis petebant. Unde[b] Alebrando sacerdoti tam de spiritualibus causis, quam de civilibus audiendis, primitus iniunctum est. At ille iniunctum sibi officium tam propter Deum quam pro peccatis suis fideliter amministrans, furta et rapinas cohercendo, iniuste ablata restituendo, Lyvonibus viam iuste vivendi demonstravit. Placuit autem Lyvonibus ista christianorum consuetudo primo anno, eo quod per fideles huiusmodi advocacie amministraretur officium, quod postea per manus diversorum iudicum secularium laycorum per universam Lyvoniam, Letthigalliam[c] et Estoniam nimis est depravatum, qui magis[c*] pro burse[d] sue impletione quam iusticie Dei intuitu huiusmodi advocacie officium exercuerunt[e].

---

[a] intra 2; inter 3.
[b] alveos 2; agros 3.
[c] et 2. 3; *in* 1 *hoc lemma:* De baptismo Lyvonum.
[d] *in* 1 *lemma:* De obsidibus datis et de missione predicatorum per universam Lyvoniam.
[e] Alabranda 2. 3.
[f] Kubsele 2. 3.
[g] Sydegrade 2. 3.
[h] et 2. 3.
[i] obren. 2.
[k] claustrum 2. 3.
[l] *lemma in* 1: De baptismo Wendorum.
[m] utpote — Curonie *desunt* 3.
[n] Wynda 2.
[o] *in* 1 *lemma:* De baptismo Ydumeorum.
[p] *deest* 3.
[q] plures ibidem 2; plurimos ibidem 3.
[r] Cum 2. 3.

89) hodie ecclesia Kremon haud procul a praedio Kipsal.
90) fortasse Siggund vicus.
91) Haec sunt verba formulae ante baptismum usitatae.
92) Windau fl.
93) hodie Brasle, quae Aa influit.

(16. 17.) Eadem[f] hyeme facta est ecliptio[g] solis per magnam horam diei. Episcopus autem
1207. Febr. 28. Albertus circuivit in Theuthonia per vicos et plateas et ecclesias querendo peregrinos. Et
perlustrata Saxonia et Westfalia, tandem ad curiam regis Philippi pervenit, et cum ad nullum regem auxilii haberet respectum, ad imperium se convertit, et Lyvoniam ab imperio recepit[94], unde rex pie memorie Philippus quolibet anno sibi in auxilium dari centum marcas promisit; si promissis quispiam dives esse poterit.

(XI.) 1207. Anno[h] nono[i], baptizata universa Lyvonia, siluit ecclesia, pacis gaudet[k] quiete sui expectans adventum antistitis. Archiepiscopus vero Lundensis et cancellarius cum omnibus
Apr. 15. suis ad reditum se preparantes, Gothlandiam in dominica palmarum attingunt et in terra
Apr. 22. sua sacrosanctam[l] pasche celebrant solempnitatem. Rigensis vero antistes in pentecoste
Iun. 10. Rigam veniens, cum gaudio ab omnibus suscipitur, cum quo venit comes de Peremunt[m][95]
Godescalcus[n], et comes alius, et alii quam plures[o] peregrini[p], nobiles et honesti viri, qui pace ecclesie gaudentes murum civitatis in tantum exaltaverunt, ut deinceps paganorum non timeretur insultus.

(2.) Audiens[q] autem rex Vesceka de Kukenois episcopi et peregrinorum adventum, surrexit cum viris suis et abiit in occursum eorum, et veniens Rigam ab omnibus est honorifice susceptus. Peractis itaque in domo episcopi diebus pluribus cum magno caritatis affectu, tandem auxilium episcopi contra insultus petit Lethonum, offerens sibi terre et castri sui[r] medietatem. Quo accepto[s], episcopus multis muneribus regem honorans et in viris et in armis opem promittens, cum gaudio remisit ad propria. Post hec episcopus, de conversatione[t] et baptismo Lyvonum gavisus, sacerdotes mittit ad omnes et in Thoreidam et in Methsepole et in Ydumeam et iuxta Dunam, et constructis ecclesiis locantur sacerdotes in parrochiis suis.

(3.) Factum[u] est autem eodem tempore, ut augeret Dominus de die in diem numerum et familiam[v] fratrum milicie; quibus visum est, ut, sicut accresceret eis in personis et labore, sic accrescere deberet et in rebus et in bonis, ut, qui in bellis et in aliis laboribus continuis portabant pondus diei et estus, simul et reciperent consolationem laboris[w] sui, denarium diurnum[x]. Petebant ergo a domno episcopo instancia cottidiana terciam partem tocius Lyvonie nec non et aliarum terrarum vel gencium in circuitu, nondum conversarum, quas per eos Dominus simul cum aliis Rigensibus[y] in posterum fidei subiceret christiane, ut sicut[z] maioribus sollicitarentur expensis sic pluribus gauderent redditibus. Episcopus[a] autem tales viros, qui se murum pro domo Domini die ac nocte ponerent, more[b] patris fovere et eorum numerum multiplicare desiderans, laboribus et expensis eorum respondere volens, terciam partem Lyvonie tocius[c] eis concessit. Et quia ipse Lyvoniam cum omni dominio et iure ab imperatore receperat[d], eis suam terciam partem cum omni iure et dominio reliquit. De terris vero nondum acquisitis vel[e] conversis, sicut nec dare potuit quod non habuit, sic

---

a) eiusmodi 3. b) inde 2. 3; *lemma in* 1: De iudicio seculari Alebrando conmisso. c) et L. 2. c*) *sic restituendum*; tam 1—3. d) burrae 3. e) coercuerunt 3. f) *in* 1 *lemma:* De donatione Lyvonie in imperium. g) ecliptō 1; eclipsis 2. 3. h) *in* 1 *lemma:* De baptismo Lettorum. Annus octavus. i) octavo 1. k) gaudent 1. l) sacrosanctum 1. 3. m) Peremut 3. n) Godeschalcus 2; Godeschallius 3. o) plurimi 3. p) *deest* 2. 3. q) *lemma in* 1: De rege de Kukenoys. r) *deest* 3. s) acceptato 2. 3. t) conversione 2. u) *lemma in* 1: De locatione sacerdotum in parrochiis. v) *alia manu add.* 2; *deest* 3. w) doloris 3. x) diuturnum 3. y) Rigencibus 1. z) sic 2. 3. a) *lemma in* 1: De donatione tercie partis Lyvonie fratribus milicie. b) in ore 2. 3. c) sotius 1. d) receperant 1. e) et 2. 3.

94) Hoc in curia apud Sinzig 1207. Apr. 1. celebrata factum esse coniecerunt recentiores, nullius fontis expresso fulti argumento. 95) Pyrmont.

rationabiliter contradixit. Illis autem instantibus precibus oportunis et inoportunis[a], tandem perlatum est postea ad aures summi pontificis[96]. Qui terras nondum acquisitas Deo committens de acquisitis terciam eis partem asscripsit, relicta episcopo quarta parte decimarum in partibus ipsorum ad obedientie recognitionem. Rogatu[b] itaque episcopi fratres milicie dividentes Lyvoniam in tres partes, ipsi tamquam patri primam concedunt electionem. Unde cum ipse partem Cauponis, Thoreidam[c] videlicet[d], primo assumeret, ipsi ex altera parte Coiwe secundariam[e] partem sibi eligentes, terciam partem in Methsepole episcopo reliquerunt[f]. De provinciis autem sive prediis aliis iam dudum in beneficio prestitis ipsi per omnia recompensationem in aliis postea receperunt.

Divisa[g] taliter Lyvonia, episcopus sacerdotes in partes suas mittens, fratribus milicie
partes suas procurandas reliquit. Missus est eciam eo[h] anno Godfridus[i] quidam peregrinus (4.)
miles in Thoreidam ad procurandum[k] officium advocacie[l] in iure seculari. Qui circueundo[m]
parrochias, causas et lites hominum determinans pecuniam et munera collegit plurima, et
modicum afferens episcopo sibi plura retinuit. Unde dolentes quidam alii peregrini con-
fracta[n] cistaque eius[o], decem et novem marcas argenti de bonis furtive[p] collectis[q] inve-
nerunt, exceptis aliis plurimis iam ab eo dispersis. Et quia inique egerat pervertendo iudi-
cium et pauperes opprimendo et iniquos iustificando et neophitos corrodendo, iusto iudicio
Dei factum est, ut ad terrorem[r] aliorum talem incurreret verecundiam, et sicut a quibus-
dam relatum est postea morte turpissima[s] defunctus est.

Post[t] hec[u] recordati Leththones omnium occisorum suorum a Rigensibus et Semigallis (5.)
ante duos annos, miserunt per totam Lethoniam[v], colligentes exercitum magnum; et
transeuntes[w] Dunam per totam noctem in vigilia nativitatis Domini veniunt in Thoreidam, Dec. 24.
et summo mane transita Coiwa, disperguntur per omnes villas, et invenientes[x] terram nullis Dec. 25.
rumoribus premunitam, multos occidunt, plures captivando deducunt. Erant[y] autem in ipso die nativitatis Domini[z] duo sacerdotes in ecclesia Cubbesele[a] divinum Lyvonibus celebrantes officium, Iohannes videlicet[b] Stric[c] et alter Theodericus cum servo suo. Cumque, finita missa prima, Iohannes aliam iam celebraret, parrochiani[d] venientem audientes exercitum fugerunt de ecclesia[e], et quidam silvarum latibulis se committentes evaserunt, quidam ad propria festinantes in via captivati, et quam plures sunt occisi. Dumque, iam finita sequencia, legitur ewangelium, Lethones velocitate equorum deferuntur hac et illac circa ecclesiam, et Deo suos conservante ecclesiam non intrant, sed ad domum sacerdotis festinantes equos et pecora rapiunt, vestes et cibaria et omnia, que inveniunt, vehiculis imponunt. Et cum spoliantes in curia tantam facerent moram, sacerdos interim in ecclesia dominici corporis et sanguinis sacrosancta conficiens mysteria et se ipsum sacrificium Deo offerre iam[f] non dubitans, Domino se commendabat. Cui Theodericus[g] sacerdos ministrando, servus hostium[h] servando, fideliter astabant[i], confortantes eum ne propter paganorum timorem divinum negligeret officium. Finita[k] autem per Dei gratiam missa, tollentes vestimenta altaris et indumenta omnia componentes in angulum sanctuarii deponunt, et consedentes[l] simul in ipso angulo se abscondunt. Hiis autem vix completis, ecce inimicorum quidam veniens in ecclesiam[m], discurrit circumquaque et pene usque ad sanctuarium, et nudum videns altare nichilque quod suum esset ibi videns, inquit: *Ba!* et exivit ad suos. Raptis itaque omnibus, que invenerunt, recedunt[n] Leththones per viam suam, et vix illi curiam exierant et ecce alia turba ipsorum, plures prioribus venientes et domum despoliatam invenientes post alios festinant, quorum unus ecclesiam intrans et ab equo suo non descendens, nichilque ad rapiendum inveniens illosque in angulo latitantes ignorans[o], iterum festine recessit. Veniente adhuc tercia

---

a) importunis 2. 3. b) *lemma in* 1: De divisione Lyvonie. c) Thoreida 2. d) *alia manu add.* 2; *deest, lacuna relicta,* 3. e) seculariam 1. 2; secularium 3. f) *addit* 1: non bene (ñ bñ.). g) *lemma in* 1: De primo advocato Godfrido. h) eodem 2. i) Godofridus 2; Godefridus 3. k) procreandum 3. l) advocationis 2. 3. m) circumeundo 2; circumendo 3. n) quia *add.* 2. 3. o) cista ipsius 2. 3. p) furtivis 2. 3. q) collectas 2. 3. r) errorem 2. 3, *sed in* 2 *al. m. corr.* s) pessima 2. 3. t) *lemma in* 1: De bello cum Letonibus. u) hoc 3. v) Livoniam 2. 3. w) transseuntes 1. x) venientes 2. 3. y) *lemma in* 1: De Letonum in Thoreydam expeditione. z) *deest* 1. a) Culbese 2. 3. b) *deest* 3, *lacuna relicta.* c) stric^{v} 1; Strick 2; Stryk 3. d) parrochiam 2. 3. e) fugerant ab eccl. 3. f) *deest* 3. g) Theodericum 1. h) hostiam 2. 3. i) astabat 3. k) *in margine* 1: De mirabili per Dei misericordiam sacerdotum in ecclesia conservatione. l) considentes 2. m) ecclesia 2. 3. n) recedent 2. o) *deest* 2. 3.

94) Cf. bullas Innocentii III, 1210. Oct. 20. ap. Bunge l. c. nr. 16 et 17. De hac re agebatur etiam annis sequentibus, ut apparet ex chartis apud Bunge l. c. datis nr. 18. 19. 23. 25.

Lethonum acie, unus ex eis[a] in vehiculo suo sedens, ecclesiam transeundo sacerdotes non vidit. Illi autem gratias Deo referentes, eo quod ipsos sanos et incolumes ante faciem paganorum conservaverat, post discessum ipsorum circa vesperam ab ecclesia egressi ad silvas fugiunt, et triduo panem non[b] comedentes, quarto die Rigam veniunt. Lethones vero, spoliata tota provincia in circuitu, nocte colliguntur in unum in villa Annonis, et[c] summo mane exeuntes de terra, mulieres et parvulos et predam magnam secum deducunt. In ipsa autem nocte nativitatis Domini mittentes Lyvones nuntios, significant episcopo exercitum Lethonum Lyvoniam intrare, et post alii nuncii alios subsequuntur referentes, homines occisos et captivatos, ecclesias vastatas et omnia mala, que pagani novelle intulerunt[d] ecclesie. Hiis[e] auditis episcopus, convocatis peregrinis et fratribus milicie et mercatoribus et omnibus suis, ammonet omnes[f] in remissionem peccatorum, quatinus se murum pro domo Domini ponentes ecclesiam liberent ab inimicis. At illi omnes obtemperantes et ad pugnam se preparantes, mittunt ad omnes Lyvones et Leththos comminantes et dicentes: *Quicunque non exierit, sequutusque[g] exercitum christianorum non fuerit, trium marcarum pena multabitur.* Invasit itaque timor omnes, et sequuti[h] venerunt in obviam Rigensibus aput Dunam, et ascendentes in Leneworde[i] convenerunt[k] exspectantes Lethonum reditum cum silencio infra urbem[l]. Mittuntur eciam exploratores perscrutari viam eorum[m]. Quibus occurrentes cum omnibus captivis et rapina aput Lenewarde[i], nocte Dunam in glacie transeunt. Ascendens autem dux exercitus cum comitibus suis vicinius[n] ad castrum et seniore castri vocato, requirit ubi collectio christianorum, et ait: *Vade[o], nuncia christianis, qui ante duos annos exercitum meum ab Estonia redeuntem quasi dormientem interfecerunt, nunc me et omnes meos vigilantes invenient.* Hiis[p] auditis, christiani ad prelia Domini festinantes in primo mane hostes insequuntur, et circa horam terciam transeuntes Dunam aput Ascrade[q] eos ibidem inveniunt. Quos ut viderunt pagani sese persequentes[r], rebus certis territi, simul omnes exclamaverunt clamore magno, et convocantes suos in occursum revertuntur christianorum. Quorum clamorem et multitudinem non verentes christiani et in Deo[s] confidentes, elevatis vexillis subito irruunt in ipsos, et interficientes hac et illac invalescere bellum ex utraque parte faciunt, et Lethones, quasi velociores et crudeliores aliis gentibus, qui se vigilare ad preliandum predixerant, diu et fortiter repugnantes tandem dorsa ostendunt, et sicut agiles ad bellum, sic veloces efficiuntur[t] ad fugam, unde alii ad silvas, alii per viam fugientes, captivos et spolia derelinquunt. Quos persequentes christiani per totum diem multos occidunt ex eis, et ceteri per fugam evaserunt. Post hec[u] reversi ad spolia, mulieres et parvulos neophitorum cum omnibus captivis a vinculis absolvunt, et convenientes omnes neophiti tam Lyvones quam Letthi cum Theuthonicis, de ove perdita et inventa sive de ovibus luporum faucibus ereptis Deo gratias referunt, et dividentes spolia captivos omnes amicis suis liberos remittunt.

(6.) Postquam[v] Dominus ecclesiam suam a paganorum impugnatione liberavit, timens episcopus, ne post exitum suum similia facientes Lyvoniam ubique devastent, castrum Selonum[97], quod erat eis egredientibus et ingredientibus in refugium omni tempore, destruere cogitabat, et missis nunciis[w] per universam Lyvoniam et Letthigalliam[x], qui se fidei iam coniunxerant christiane, convocat omnes in expeditionem. Et collecto exercitu magno, mittit episcopus abbatem Theodericum et Eggelbertum[y] prepositum cum omni familia sua et peregrinis, adiunctis simul fratribus[z] milicie Christi, ad expugnandum Selones. Et ibant versus Ascrad[a], et transeuntes Dunam corpora Lethonum antea occisorum inhumata reperiunt, que conculcantes per viam et ordinate incedentes ad castrum Selonum perveniunt. Et obsidentes castrum undique in circuitu multos in munitione vulnerant sagittis, multos per villas captivantes, plures occidunt, ignem copiosum per lignorum comportationem incendunt. Nocte ac die requiem non dantes, Selonibus timorem incuciunt. Unde clam

---

a) ipsis 2. 3. b) *deest* 2. 3. c) *deest* 3. d) novelli intulerant 3. e) *lemma in* 1: De collectione Rigensium contra Letones. f) commonet omnes 2; commonet eos 3. g) sequtusque 1. h) sequti 1. i) Lennewarde 2. k) conveniunt 2. l) orbem 3. m) illorum 2. n) vicinis 2. 3. o) unde 3. p) *lemma in* 1: De bello Rigensium contra Letones. q) Aschrade 2. r) insequentes 3. s) et Deo 2. 3. t) sic magis veloces effunduntur 2. 3. u) hoc 2; hac 3. v) *lemma in* 1: De obsidione castri Selonum. w) suis *add.* 2. x) Lettogalliam 2. y) Engelbertum 2. 3. z) simul et fr. 3. a) versus Aschrade 2; adversus Aschrade 3.

96) Selburg ad Dunam fl., a Kokenhusen ad orientem.

vocatis senioribus de exercitu, petunt pacem. At illi: *Si veram,* inquiunt, *pacem desideratis, abrenunciate*[a] *ydolatrie, et verum pacificum, qui est Christus, in vestrum*[b] *castrum recipite, baptizamini, et Lethones inimicos nominis Christi deinceps a castro vestro*[c] *removete.* Placet[d] hec forma pacis, et datis obsidibus baptismi sacramenta[e] se recipere promittunt, et Lethonibus remotis christianis se per omnia spondent obedire. Acceptis itaque pueris ipsorum mitigatur exercitus. Unde abbas et prepositus cum aliis sacerdotibus ascendentes ad ipsos in castrum, ad fidem iniciando eos instruunt, et aspergentes castrum aqua benedicta, et vexillum beate Marie in arce figunt; de conversatione[f] gencium gaudentes et Deum collaudantes de ecclesie profectu, leti cum Letigallis et Lyvonibus in terram suam revertuntur.

(7.) Eodem[g] tempore missus est Alebrandus[h] sacerdos cum quibusdam aliis[i] in Ugauniam, requirere bona mercatorum quondam ante Rige edificationem ablata euntibus a Duna versus Plicecowe[k] in vehiculis suis, que Ugaunenses consilio Lyvonum in via rapuerant, que multa erant, nongentis videlicet[l] marcis et amplius comparata. Ugaunenses vero nec bona restituerunt, nec de reddendis[m] in posterum certum responsum reddiderunt. Unde Alebrandus huiusmodi modicum curans, revertitur, et in via Letigallis circa Ymeram[97] habitantibus verbum Dei de suscipiendo baptismo alloquitur, presertim cum iam tota Lyvonia et plures ex[n] Letigallis verbum Dei receperint. At illi[o] gaudentes de adventu sacerdotis, utpote a Lethonibus sepius vastati et a Lyvonibus semper oppressi, et per Theuthonicos sperantes relevari ac defendi, cum gaudio verbum Dei recipiunt, missis tamen prius sortibus et requisito consensu deorum suorum, an Ruthenorum de Plicecowe[p] cum aliis Letigallis[q] de Tholowa, an Latinorum debeant subire baptismum? Nam Rutheni eorum tempore venerant baptizantes Lethigallos suos de Tholowa sibi semper tributarios. Et cecidit sors ad Latinos, et annumerati sunt cum Lyvonensi[r] ecclesia Rigensibus. Et baptizavit Alebrandus quasdam villas et rediit Rigam et nunciavit episcopo. At ille congaudens et semper ecclesie providere desiderans, Heinricum scolarem suum, ad sacros ordines promotum, cum eodem Alebrando[s] ibidem remisit, et consummato[t] baptismo in finibus illis reversus est Alebrandus. Alter vero, constructa ecclesia et in beneficio recepta, ibidem cum eis habitare et plurimis periculis expositus, future eis beatitudinem vite non desiit demonstrare.

(8.) Orta[u] est in hoc tempore discordia inter regem de Kukenoys et Danielem militem de Lenewarde[v]. Nam rex idem, cum plura inferret hominibus istius incommoda et sepius ammonitus a tali inquietatione non cessaret, servi ipsius Danielis surgentes nocte, cum eo propere[w] festinant ad castrum regis, et venientes diluculo eos, qui infra castrum erant, inveniunt dormientes et vigilem desuper minus provide vigilantem, et repente ascendentes, ipsam arcem munitionis attingunt, et in castro se recipientes Ruthenos propter nomen christianitatis non audent interficere, sed gladiis suis eis comminantes quosdam in fugam convertunt, alios captivando vinculis deputant. Inter quos ipsum regem rapientes, et eum in vincula proiciunt[x], et omnem substantiam, que erat in castro, in unum locum comportantes diligenter conservant, et dominum suum Danielem, qui prope erat, ad se vocant. Ipse autem consilium episcopi super hoc facto audire desiderans omnia Rigensibus significat. Unde episcopus nimium contristatus cum omnibus suis, que facta sunt non approbans, regem in castrum suum restitui et omnem substantiam reddi precipit[y], et rege ad se vocato, multis eum honorat muneribus equorum, et vestium preciosarum[z] plura exhibet paria, et in solempnitate paschali benignissimo eum cum omnibus suis procurans affectu, et omni[a] discordia sopita inter ipsum et Danielem, cum gaudio remittit ad castrum suum. Memor eciam episcopus promissi, quod ei promisit, quando castri sui ab eo medietatem suscepit, et mittit cum eo viros strenuos viginti cum armis et equitaturis[b] suis milites, balistarios, nec non sementarios[c] ad castrum firmandum et contra Leththones tenendum, providens eis 1208. Apr. 6.

---

a) obren. 2.
b) nostrum 2. 3.
c) nostro 2. 3.
d) *in margine* 1: De obsidibus datis et fide recepta.
e) baptismum et sacramenta 2. 3.
f) conversione 2. 3.
g) *lemma in* 1: De bonis mercatorum ab Ugaunensibus quondam direptis.
h) Alabrandus 2.
i) *deest* 2. 3.
k) Plicekowe 2. 3.
l) *deest* 3, *lacuna relicta.*
m) restituendis 3.
n) et complures ex 2; et complures de 3.
o) *in margine* 1: De baptismo Lethonum circa Ymeram habitantium.
p) Plescekone 2, *sed alia manu corr.* Plescekove; Pliscekone 3.
q) Litegallis 1.
r) Livoniensium 2. 3.
s) Alabrando 2.
t) confirmato 2. 3.
u) *lemma in* 1: Qualiter castrum Kukenoyse captum est.
v) Lennewarde 2.
w) prope 2. 3.
x) coniiciunt 2. 3.
y) praecepit 2.
z) *deest* 3.
a) omnia 1.
b) equis 2. 3.
c) cementarios 2. 3.

97) hodie Sedde fl.

in expensis et indigenciis suis per omnia. Cum quibus idem rex leta quidem[a] facie, licet dolos meditaretur in corde, revertitur in Kukenoys, relicto episcopo in Dunemunde, qui solito more iturus erat in Theuthoniam pro colligendis peregrinis in sequentem annum. Nam et illi, qui iam annum peregrinationis sue expleverant, ad redeundum in Theuthoniam parati erant, quos in Dunemunde iam dudum residentes, per contrarium ventum Deus repellendo[b] abire non permisit. (9.) Regulus autem predictus reversus in Kukennoys[c] et peregrinos cum episcopo iam abiisse non dubitans, qui et in Riga paucissimos remansisse peroptime novit[d], perfidie sue dolos iam diucius in corde suo abscondere non potuit, sed inito consilio cum omnibus viris suis, et exspectato tempore et die oportuno, cum Theuthonici fere omnes ad opus suum exirent, et ad edificationem castri lapides in fossato[e] exciderent, depositis interim gladiis et armis suis desuper fossatum, preterea regem[f], quasi dominum vel[g] patrem suum[h], non timentes, ecce[i] subito accurrentes servi regis et omnes viri sui gladios et arma Theuthonicorum diripiunt, et plures inermes ex ipsis et nudos, stantes in operibus suis, interficiunt. Et quidam ex ipsis fugientes nocte ac die Rigam, ut nuntiarent ibi[k], quod[l] actum erat, perveniunt. Interfectis autem decem et septem viris, tres per fugam evaserunt, quorum corpora in Dunam proiecerunt et Rigensibus remiserunt. At illi colligentes de aqua corpora in Dei servicio interfectorum, devote et cum lacrimis sepelierunt. Post hec rex idem equos meliores Theuthonicorum et balistas et loricas et similia mittens regi magno Woldemaro[98] rogat et suadet, ut convocato exercitu quantocius veniat et Rigam capiat, in qua paucos viros remansisse et meliores a se occisos et alios cum episcopo recessisse significat. Quibus auditis, ille nimium credulus ad expeditionem omnes suos amicos et viros regni sui convocat. Episcopus interim in Dunemunde a vento contrario detentus, cognita suorum interfectione et ecclesie sue intellecta traditione, peregrinos omnes in unum convocat, ecclesie dampna lacrimando indicat, et ut fiant ecclesie defensores et fortes auxiliarii ipsos invitat, et crucis signum resumere et plenariam ante neglectorum delictorum remissionem ammonendo[n] confortat, et ob maioris laboris sui longam[o] peregrinationem maiorem indulgenciam et vitam promittit eternam. Hiis auditis, accedentes fere trecenti de melioribus, resumpta cruce Rigam redire et murum se pro domo Domini ponere non formidant. Insuper et multos mercede conducens episcopus Rigam remittit. Preterea omnes Theuthonici undique per Lyvoniam dispersi cum aliis Lyvonum senioribus[p] ad ecclesie defensionem Rigam conveniunt[q]. Audientes itaque Rutheni Theuthonicorum et Lyvonum in Riga[r] collectionem, timentes sibi et castro suo, eo[s] quod male egerint[t], et non audentes in castro suo Rigensium exspectare adventum, collectis rebus suis et equis et armis Theuthonicorum inter se divisis, incendunt castrum Kukenoys[u], et fugiunt unusquisque per viam suam. Lethigalli et Selones, qui ibi habitabant, silvarum tenebrosa querunt latibula. Rex autem sepedictus sicut male egerat, sic versus Ruciam[v] nunquam[w] deinceps in regnum suum rediturus abscessit.

(XII.) 1208. Hiis[x] itaque[y] peractis, episcopus anno consecrationis sue iam decimo, ecclesiam suam in Lyvonia Domino committens et peregrinis et omnibus christiani nominis in Lyvonia habitantibus, in Theuthoniam pro diversis ecclesie negociis vadit, tum pro peregrinis, tum pro rebus, quibus ecclesia nova adhuc et multis indigens adiuvetur, colligendis. Et circueundo[z] et predicando per loca plurima multos suffert labores. Qui autem in Riga remanserant, confortantes se in[a] invicem et viriliter agentes, civitatem undique firmabant. Et audientes exustionem castri Kukenoys et fugam Ruthenorum, mittunt quosdam ad persequendum[b] illos. Inter quos Meynardus et quidam alii ex servis episcopi, insequentes fugitivos et plures ex ipsis per silvas et paludes invenientes, Letigallos videlicet[c] et Selones, qui regis erant tributarii, qui conscii erant regis et cooperatores in traditione et mortificatione Theuthonicorum, nonnullos eciam Rutenorum rapientes, tulerunt spolia eorum et substantiam, et arma quedam Theuthonicorum receperunt. Et quos invenerunt reos, eo

a) quibus 1; *deest* 2. 3. b) *deest* 3. c) Kokenois 2. d) noverat 2. 3. e) fossa 2. 3. f) suum *add.* 2. 3. g) et 2. 3. h) *deest* 2. 3. i) et ecce 2. 3. k) *deest* 2. 3. l) quid 2. m) omnium 2. 3. n) amovendo 2. 3. o) *deest* 3. p) superioribus 3. q) perveniunt 3. r) Rigam 3. s) *deest* 3. t) egerant 2; egerunt 3. u) Kokenois 2. 3. v) Russiam 2; Rusciam 3. w) nunque 3. x) *lemma in* 1: De anno decimo. y) ita 2. 3. z) circumeundo 2. a) *deest* 2. 3. b) persequendos 3. c) *deest* 3, *lacuna relicta.*

98) Pleskoviensi

quod conscii traditionis fuerant[a], omnes crudeli morte sicut meruerunt[b] interfecerunt, et exstirpaverunt traditores de finibus illis.

Hoc[c] tempore Rigenses et christiani, qui erant in Lyvonia, pacem erant desiderantes, (2.) et non venit; bona erant querentes, et ecce turbatio[1]! Nam post fugam Ruthenorum sperantes, se evasisse Charibdim; sed erat adhuc inminens Scille periculum, nam Vesthardus, Semigallorum dux[d], memor adhuc bellorum et malorum multorum, quibus a Lethonibus debellatus et depredatus sepe fuerat in omnibus confinibus Semigallie, ad expeditionem se preparat adversus[e] Lethones, et in Riga christianorum suppliciter deprecatur auxilium allegans, quod iam in[f] alia vice Rigensibus ad expugnandos alios paganos venit in adiutorium, insuper et deorum suorum sortes in meliorem partem cecidisse insinuat. Ad hec Rigensium seniores deorum suorum sortes non curantes, imo propter suorum paucitatem auxilium sibi denegantes, bellum hoc tempore contra Lethones omnimodis[g] contradicunt. Sed precum suarum tandem instancia, et stultorum virorum, qui cum eo ituri erant, pertinaci audacia victi, bellum eis non prohibere, imo obedienter eos ad pugnam mittere, ne in anima et corpore periclitentur, decernunt. Mittuntur itaque cum Vesthardo quinquaginta vel paulo plures viri, milites ac balistarii, nec non et[h] ex fratribus milicie Christi plures. Assumentes secum Danielem, Ydumeorum sacerdotem, profecti sunt in terram Semigallorum. Qui in equis suis insidentes et in armorum suorum nitore venientes, benignissime a Semigallis sunt recepti. Qui mittentes per omnes fines suos congregaverunt exercitum magnum, et procedentes prope Lethoniam nocte quiescunt, et quiescentes a[i] diis suis futura requirunt, mittentes sortes et postulantes favorem deorum suorum et inquirentes[k], si videlicet fama adventus ipsorum pervolaverit, et si Lethones venturi sint ad pugnandum contra eos. Et cecidit sors, et famam pervenisse[l] et Lethones ad bellum paratos esse. Unde stupefacti Semigalli nimis, ad redeundum Theuthonicos invitant, eo quod Lethonum valde timeant insultum[m]. Sed Theuthonici respondentes dixerunt: *Absit,* inquiunt, *rem hanc facere, ut fugiamus ab eis et inferamus crimen genti nostre, sed eamus ad adversarios nostros si poterimus pugnare cum eis.* Et non poterant avertere eos Semigalli. Erat enim Semigallorum infinita multitudo, de quibus confidebant Theuthonici, licet pluviarum et ymbrium nimia esset inundantia. Procedunt tamen[n] audacter in Lethoniam, et dividentes acies suas per villas, inveniunt eas vacuas et viros omnes cum mulieribus et[o] parvulis per fugam evasisse. Unde timentes sibi bellum imminere quantocius congregantur in unum, et nullam moram facientes eodem die ad reditum se preparant. Quod[p] intelligentes Lethones, velocitate equorum suorum eos undique circumvolant, et, prout consuetudo eorum habet[q], circumferuntur hac et illac[r], modo fugiendo, modo persequendo, et lancearum suorum[s] et[t] pedorum missione quam plures vulnerant. Porro Theuthonici in unum se conglobantes cuneum et exercitum post tergum custodientes, Semigallos preire permittunt. Qui repente in fugam conversi, alius post alium[u] semet ipsos conculcando opprimunt, alii silvas et paludes querunt, et totum pondus prelii versum est in Theuthonicos. Unde quidam ex ipsis fortissime se defendentes diu pugnaverunt, et cum pauci essent, tante multitudini resistere non valebant. Aderant eciam strenuissimi viri, Gerwinus et Rabodo[v] cum pluribus aliis, qui post diuturnam pugnam quidam[w] vulnerati ceciderunt, quidam captivati in Lethoniam ab inimicis deducti sunt, alii per fugam evaserunt, et, ut nunciarent que gesta sunt, in Rigam redierunt.

Audita itaque fuga suorum et Lethonum audacia, condoluit civitas, et subito versa (3.) est in luctum cythara Rigensium et cantus eorum in vocem flencium[2]. Et orantes in celum omnes seniores et discreti viri iudicabant deinceps in multitudine paganorum non esse confidendum, nec cum paganis contra alios paganos esse pugnandum, sed in Domino sperandum, et cum Lyvonibus et Leththis iam baptizatis audacter ad omnes gentes procedendum. Quod et factum est. Nam eodem anno vexillum beate Virginis deportatum est a Lyvonibus et Leththis et Theuthonicis in Ungauniam, et sic deinceps ad omnes Estones et gentes in circuitu, Deo cooperante, qui solus omnia regna superavit[3].

---

[a] fuerint 2. 3. [b] meruerant 3. [c] *lemma in* 1: De expeditione in Letoniam cum Semigallis. [d] *deest* 2. 3. [e] adversum 2. 3. [f] en 1. [g] omnino 2. 3. [h] *deest* 2. 3. [i] in 3. [k] quaerentes 2. 3. [l] praevenisse 2. 3. [m] insultus 3. [n] tam 2. [o] ac 2. [p] quae 2. 3. [q] hinc 2. 3. [r] illuc 2. 3. [s] lanceorum suorum 2. 3, *in* 2 *alia m. mutata in:* lancearum suarum. [t] ac 2. [u] alii post alios 2. 3. [v] Rabode 2. 3. [w] quidem 2.

[1] Cf. Ierem. 14, 19: *Expectavimus pacem et non est bonum, et tempus curationis, et ecce turbatio.*
[2] Cf. Iob 30, 31.

(4.) Post[a] hec autem Lethones cum magno exercitu intrantes Semigalliam, ceperunt occidere et vastare omnia que invenerunt. Semigalli vero insidiantes eis in via et silvas succidentes[b], in reditu fere omnes occiderunt. Et de eorum spoliis Rigensibus munera honorifice miserunt.

(5.) Eodem tempore misit Deus[c] ad consolationem ecclesie sue viros religiosos quam plures in Dunam, Florencium abbatem Cysterciensis[d] ordinis, Robertum Coloniensis[e] ecclesie canonicum, Conradum Bremensem, cum aliis quibusdam; quorum quidam in Dunemunde, quidam cum fratribus milicie sancte conversationis[f] habitum elegerunt; quidam ad predicationis opus transierunt. De quorum adventu ecclesia adhuc parva quam plurimum letificata[g] et confortata post tristia bella, gratias agebat Deo, qui semper suos in omni tribulatione non desinit consolari, cui[h] est honor et gloria in secula. Amen[h].

EXPLICIT LIBER TERCIUS DE LYVONIA. INCIPIT LIBER QUARTUS DE ESTONIA[i].

(6.) Et factum est, postquam iam tota Lyvonia baptizata est et Leththigallia, miserunt seniores Leththorum, Russinus[k] de castro Sotecle[l], Waridote de Autine[m], Talibaldus[n] de Beverin, nec non et Bertoldus frater milicie de Wenden, nuncios suos ad Estones in Unganiam, requirere que iusta sunt de omnibus iniuriis sibi illatis ab eis. Erant enim Letti ante fidem susceptam humiles et despecti, et multas iniurias sustinentes a Lyvonibus et Estonibus, unde ipsi magis gaudebant de adventu sacerdotum, eo quod post[o] baptismum eodem iure et eadem pace omnes simul gauderent. Estones autem verba nunciorum parvipendentes, nichil iuris impenderunt, sed cum eis nuncios suos in Leththigalliam direxerunt. Et cum iam fratres milicie essent habitantes in Wenden, miserunt Bertoldum, quasi primum de suis, ad placitum Leththorum cum Estonibus. Venit eciam ex parte episcopi Henricus sacerdos, et Lethti quam plures. Et incipiebant retractare[p], que pacis et iusticie erant. Sed Estonum legati contempnentes et pacem Lethorum et iniuste[q] sibi ablata restituere dedignantes, Lettis per omnia contradicunt, et lanceis acutissimis in invicem[r] comminantes, sine aliqua forma pacis recedunt. Supervenientibus interim mercatoribus et Theuthonicis aliquantis[s] de Gothlandia, surrexit Waridote cum aliis Lethtorum senioribus, et[t] Rigam venientes suppliciter auxilium contra Estonum iniuriam postulant. Rigenses igitur ad memoriam revocantes eciam suas iniurias et bona innumerabilia quondam suis mercatoribus ab Ungaunensibus ablata, postulancium votis annuunt, exercitum promittunt; presertim cum et[u] ipsorum nuncii pro eisdem bonis mercatorum, sepius ab Ugaunensibus contempti et irrisi redierunt[v], nolentibus iniuste ablata restituere. Invocato[w] itaque super se Dei omnipotentis et beate Dei genitricis Marie auxilio, perrexerunt Rigenses cum fratribus milicie et Theoderico, fratre episcopi[x], et mercatoribus et aliis Theuthonicis in Thoreidam[y], et de tota Lyvonia et Leththigallia convocantes exercitum fortem et magnum et euntes die ac nocte, veniunt in Ugauniam, et despoliantes villas et homines[z] paganos occidentes, igne et gladio suas iniurias vindicantes[a], tandem apud castrum Odenpe, id est Caput ursi[4], conveniunt et castrum incendunt. Et post hec[b] triduo quiescentes, et die quarto cum pecoribus et captivis et omni rapina[c] in terram suam revertuntur. Letthi eciam[d] in terram suam reversi firmantes castra sua, ad pugnam fortissime se preparant, omnia sua in castris collocantes[e] et exercitum Estonum exspectantes, ipsis occurrere parati. Ugaunenses itaque, convocatis sibi in auxilium Saccalenensibus, repente terram Letthorum intrantes in finibus Tricatue[f, 5] et Letthum quendam, Wardeke nomine, vivum in[g] igne cremantes et alios captivantes, multa Letthis mala intulerunt, et obsidentes castrum

---

a) *lemma in* 1: De Letonibus occisis a Semigallis. b) succedentes 2. 3. c) Dominus 2. d) Cisterciensium 3. e) Coloniensem 3. f) conversionis 3. g) testificata 3. h) cui — Amen *desunt* 2. 3. i) explicit — Estonia *desunt* 2. 3. k) Ruscinus 2. 3. l) Sotecke 2; Soteske 3. m) Antine 2. 3. n) Takaldus 2. 3. o) *deest* 3. p) tractare 2. q) *deest* 2. r) acut. inimice 2. 3. s) aliquot 2. 3. t) in 2. 3. u) et cum 1. v) redierint 2. 3. w) *lemma in* 1: De prima expeditione in Estoniam. x) episcopo 2. y) Thoreida 2. 3. z) omnes 2. 3. a) vendicantes 3. b) hoc 2. 3. c) *add.* 2: sua. d) autem 2. 3. e) locantes 2. 3. f) Tricatne 2. 3. g) *deest* 2. 3.

[3] Cf. Ies. 37, 16. [4] hodie Odenpä, ehstnice Ottepä; *otta* enim ursum et *pä* caput in hac significat lingua. [5] terrae ab Aa fl ad meridiem.

Beverin, per totam diem Letthos in castro existentes impugnabant. Letthi[a] vero exeuntes de castro et viriliter eis occurrentes ad pugnam, quinque ex eis occiderunt et equos eorum rapuerunt, et recurrentes in castrum ad suum sacerdotem[6], qui tunc presens[b] aderat, simul cum ipso Dominum[c], quem pro se pugnare senciebant, omnes[d] benedicebant. Inter quos erat Roboam ex forcioribus unus, qui descendens inter medios hostes, duos ex ipsis occidit et[e] ex collaterali parte castri sanus et incolumis ad suos reversus est, Deum collaudans pro speciali laude tali, quam sibi Dominus de paganis contulit. Sacerdos eciam ipsorum, impugnationem Estonum modicum attendens, munitionem castri ascendit, et aliis pugnantibus, ipse musico instrumento canebat Deum exorando. Sed barbari, audientes carmen et sonitum instrumenti acutum, substiterunt, quia in terra sua non audierant, et pausantes a bello causam tante leticie perquirebant. Leththi autem eo quod recepto nuper baptismo Deum se defendere viderent, ideo se gaudere ac Dominum se laudare responderunt. Tunc Estones de renovanda pace proposuerunt. Sed Letthi: *Nondum*, inquiunt, *mercationes*[f] *Theuthonicis ablatas, neque etiam*[g] *bona nobis sepius ablata restituistis. Sed neque inter christianos et paganos unum cor et una anima neque forma pacis firma esse poterit, nisi recepto nobiscum eodem iugo christianitatis et pacis perpetue, unum Deum colatis*[h]. Quo audito, Estones nimium indignati a castro diverterunt, sequutique[i] Letthi post tergum plurimos vulneraverunt. Et mittentes per noctem ad magistrum[k] milicie Christi in Wenden[l], Wennonem[m], qui tunc aderat, rogabant eum[n] venire cum suis ad persequendum Estones. At ille[o], convocatis[p] Leththis omnibus in circuitu, mane facto venit in Beverin, et invenit exercitum paganorum iam dudum divertisse, persequutusque[q] est[r] eos per totum diem illum. Nocte vero sequenti factum est gelu maximum, et claudicantibus equis fere omnibus, hostes attingere non valuerunt, eo quod pecoribus occisis, captivis dimissis, per viam fugiendo, bellum non exspectantes, reversi sunt unusquisque in terram suam. Tunc[s] Leththi de Beverin tristes de morte suorum, quos Estones trucidaverant et igne cremaverant, miserunt ad omnes Leththos in circuitu, ut essent ad iter parati, ut si quando[t] donante Deo se de suis possent vindicare[u] inimicis. Unde factum est, ut Russinus, qui erat Leththorum fortissimus, et Waridote[v] cum omnibus Letthis, qui erant in finibus suis, convenirent in magna multitudine apud castrum Beverin predictum. Et[w] conspirantes adversus Estones, ad despoliandam terram ipsorum se preparaverunt, et indutis armis suis, que habebant, processerunt[x] iter diei unius, residentesque ordinaverunt exercitum suum et ibant nocte ac die, et intrantes provinciam Saccalanensem invenerunt viros ac mulieres et parvulos in domibus suis in omnibus villis ac locis, et occiderunt quos invenerunt a mane usque ad vesperam, tam mulieres quam parvulos eorum, et trescentos ex melioribus viris ac senioribus Saccalanensis provincie, absque aliis innumerabilibus, donec fesse manus et brachia occidencium pre nimia interemptione plebis iam deficerent. Villisque omnibus sanguine multo paganorum coloratis[y], sequenti die redierunt, et per omnes villas spolia multa colligentes, iumenta et pecora multa et[z] puellas quam plurimas, quibus solis parcere solent exercitus in terris istis, secum abduxerunt, et revertentes paulatim multis diebus per viam moram faciebant, existentes parati si forte Estones residui bellum eis post tergum intulissent. Sed Estones propter tantam suorum interfectionem ad persequendum Lethtos venire non presumebant, sed tristia funera, a Letthis sibi iniecta, multis diebus colligentes et igne cremantes, exequias cum lamentationibus et potationibus multis more suo celebrabant[a]. Lethti vero apud stagnum Astigerwe[b][7] se deposuerunt, et divisis inter se spoliis universis leti[c] in Beverin redierunt, et invento ibidem Bertoldo fratre milicie, nec non et sacerdote suo proprio cum militibus et balistariis quibusdam episcopi, munera eis ex omnibus contulerunt. Et cum esset in dominica Gaudete, omnes unanimiter cum gaudio Deum Dec. 18. benedicebant, eo quod per[d] noviter conversos Dominus[e] tantam fecerit vindictam eciam

---

a) *lemma in* 1: De obsidione castri Beverin. b) primis 3. c) Deum 2. 3. d) simul omnes 2. 3. e) *deest* 2. 3. f) merces 2. 3. g) *sic* 2; neque enim 1; neque et 3. h) colentes 2; colentis 3. i) sequtique 1. k) magistratum 3. l) Venden 2. m) Venonem 2. 3. n) *deest* 2. 3. o) illi 2. 3. p) convocati 3. q) persequtusque 1. r) *deest* 3. s) *lemma in* 1: De persecutione hostium. t) quum 3. u) vendicare 3. v) Wardote 2. 3. w) *in marg.* 1: De expeditione Lettorum prima in Sakkalam. x) proceserunt 1. y) coleratis 2. z) *deest* 2. 3. a) celebrant 3. b) Astigewe 3. c) Letti 2; Letthi 3. d) *deest* 1—3. e) Deo 2. 3.

6) Heinricum. 7) nunc *der Burtneek'sche See*. In lingua Ehstnica *jerw* lacum significat.

ceteris in nationibus. Russinus eciam[a], rediens in castrum Beverin, aperuit os suum dicens: *Filii*, inquit, *filiorum meorum nunciabunt ea filiis suis in terciam et quartam generationem, que operatus est Russinus in Saccalanensium funeribus.* Hoc[b] audito, Hermannus Lyvonum[c] advocatus, nimium adversus Lettos indignatus, eo quod bellum ad Estones magis ac magis renovarent, misit et convocavit omnes seniores Lyvonum atque Lettorum[d], et habito consilio cum eis nec non et cum Theuthonicis, cum adhuc rari essent et pauci Theuthonici habitantes in terra, placuit omnibus ut ea, que pacis[e] essent, tractarentur cum Estonibus usque ad adventum domni episcopi, qui erat in Theuthonia pro colligendis peregrinis in sequentem annum. Quod consilium placuit eciam Estonibus, et receperunt pacem, quia, post meliorum[f] suorum occisionem, Letthorum iam magnum ceperant habere timorem, et, lite nondum finita, treugarum quandam formam ad unius anni terminum composuerunt.

(XIII.) 1209. Anno consecrationis sue 11. presul Albertus rediit a Theuthonia, habens secum in comitatu peregrinorum copiosam multitudinem. Inter quos erat Rudolphus de Iericho[8] et Wolterus de Hamersleve[g, 9] et alii nobiles quam plures, milites et clerici cum omni populo, qui se omnes periculo maris committentes in Lyvoniam devenerunt. Quorum consilio presul idem usus, convocavit omnes Lyvones ac Letthos iamdudum conversos, et recordatus mortificationis illius, quam sibi ac[h] suis rex Vesceka[i] preterito anno intulerat, cum milites ac familiam suam, quam rogatione sua sibi cum multis expensis contra Letthones in auxilium miserat, dolo ac fraude nimia mortificavit, cum omnibus peregrinis et exercitu suo divertit in Kukenois, et inveniens montem ipsum[k] desertum et pre immundicia quondam inhabitantium vermibus ac serpentibus repletum[l], iussitque et rogavit eundem montem mundari ac renovari et firmis fecit munitionibus muniri, et castrum firmissimum edificavit, et milites ac balistarios cum familia sua ibidem ad[m] castrum conservandum reliquit, et multis expensis adhibitis diligentissime custodiri fecit, ne qua Letthonum subtilitas vel Ruthenorum ficta dolositas eos sicut antea defraudaret. Rudolpho[n] eciam supradicto de Iericho medietatem castri concessit, et fratribus milicie suam partem terciam asscripsit[o]. Quibus ibidem relictis et omnibus bene dispositis, Rigam rediit. Letthi vero cum duobus exercitibus medio tempore Letthoniam intraverant, et quibusdam occisis, quibusdam captivatis, ad nostros in Kukenois[p] redierunt, et cum episcopo et omnibus suis ad propria redierunt.

(2.) Erat in[q] eodem tempore Wickbertus[r, 10] quidam inter fratres milicie, qui forte cor suum ad amorem seculi magis quam ad religionis disciplinam inclinaverat, et inter fratres multas ipse[s] discordias seminavit. Qui sancte conversationis abhorrens consortium et Christi miliciam dedignans, venit ad sacerdotem in Idumea, ibidem episcopi dicens se velle exspectare adventum et episcopo per omnia velle obedire. Fratres autem milicie, Bertholdus de Wenden cum quibusdam aliis fratribus ac servis, fratrem tanquam fugitivum persequentes, in Idumea comprehendunt, et in Wenden reducentes in vincula proiecerunt. Qui audito adventu episcopi rogavit, ut absolveretur et Rigam redire permitteretur, promittens se episcopo et fratribus obedire. Fratres autem gaudentes, et post adversitatum incommoda, tanquam[t] filium prodigum, fratrem suum resipiscere[u] sperantes, honorifice Rigam remittunt et societati restituunt. Ille vero tamquam Iudas inter fratres ad modicum tempus conversatus, sive tamquam lupus inter agnos, fraudis sue fictam conscientiam dissimulare nesciens, diem oportunum exspectabat, quando cordis sui maliciam adimpleret. Et factum est in die solempni, euntibus ceteris fratribus[v] cum aliis hominibus ad monasterium, ipse interim, convocato ad se magistro milicie et Iohanne sacerdote ipsorum, secreta sua eis aperire proponens, in superiori domo sua subito bipenni, quam semper secum portare

---

a) *deest* 2. 3. b) *lemma in* 1: De pace facta cum Estonibus in annum. c) *in* 1 *folium sequens (id est* 34um*) deperiit, ita ut textus a vocibus* Lyvonum advocatus *usque ad verba* tanquam filium prodigum fratrem suum *(infra l.* 41*) auxilio codicum* 2 *et* 3 *restituendus sit.* d) Letthonum 3. e) paucis 3. f) meliorem 3. g) Hamarsleve 3. h) et 3. i) Wesceka 3. k) istum 3. l) impletum 3. m) *deest* 2. 3. n) Rodolpho 3. o) ascripsit 3. p) Kukenoiss 2. 3. q) *deest* 3. r) Wikbertus 3. s) ille 3. t) tamque 3. u) *ab hac voce iterum incipit* 1. v) fidelibus 2. 3.

8) Ierichow haud procul a Tangermünde. 9) Hamersleben, ab Halberstadt ad septemtrionem. 10) de Susato. Eum a magistro Wennone officio suo destitutum fuisse elucet ex Chronico rythmico Livoniensi v. 697.

solebat, caput magistri tetigit, et sacerdotem simul cum magistro in eodem loco trucidavit et interfecit. Et notum factum est aliis fratribus et fugientem eum a domo in capellam persequuntur, et comprehensum[a] per civile iudicium, sicut meruerat, crudeli morte interemerunt. Et sepulto cum magno planctu fideli ac pio magistro suo Wennone[b] cum sacerdote, non minus pium ac[c] benignum et omnibus virtutibus repletum Volquinum in locum suum restituerunt. Hic[d] postea, sive presente[e] sive absente episcopo, in omni expeditione exercitum Domini ducendo atque[f] regendo, preliabatur prelia Domini cum leticia et egrediebatur et regrediebatur ad gentes in circuitu. Et adiuvabant eum omnes fratres eius, et auxilium et victoria Domini semper erat cum eis.

Mortuo[g] eciam in eodem anno Eggelberto[h], ecclesie beate Marie preposito, assumpsit (3.) episcopus de conventu Schetensi[i. 11] virum mansuetum, discretum et prudentem in omnibus viis suis, Iohannem, et in locum fratris sui, eiusdem venerabilis prepositi, substituit et ei ecclesiam beate Marie regendam commisit. Et cum esset de regula et ordine beati Augustini idem Iohannes et de albo habitu, qui vere mundiciam significat, episcopus, ad confirmationem[k] eiusdem[l] habitus, vestes et cappas nigras canonicorum eiusdem ecclesie in albas commutavit. Et cum adhuc essent timores paganorum intus et foris, idem conventus infra ambitum prime civitatis in ecclesia primo edificata habitavit; et post incendium eiusdem ecclesie et civitatis[12], extra muros aput Dunam ecclesiam beate Marie edificare et ibidem habitare ceperunt. Peregrini vero eiusdem anni in muri exaltatione et in aliis, quibus Deo servire poterant, obedire parati erant. Et cum iam[m] dies autumpnales appropinquarent, (4.) episcopus, semper ecclesiam Lyvonensem[n] promovere ac defendere sollicitus[o], habito consilio cum discretioribus suis, qualiter ecclesiam novellam a Lethonum et Ruthenorum insidiis liberaret diligenter pertractavit. Et recordatus omnium malorum, que rex de Gercike cum Letonibus, Rigensi[p] civitati et Lyvonibus et Leththis intulerat[q], contra inimicos christiani nominis ire ad bellum deliberant. Erat namque rex Vissewalde de Gercike christiani nominis et maxime Latinorum semper inimicus. Qui filiam potentioris de Lethonia duxerat uxorem[r], et quasi unus ex eis, utpote gener[s] ipsorum, et eis omni familiaritate coniunctus, dux exercitus eorum frequenter existebat, et transitum Dune eis et victualia ministrabat, tam euntibus in Ruciam quam Lyvoniam et Estoniam. Erant eciam tunc Lethones in tantum[t] omnibus gentibus in terris istis existentibus dominantes, tam christianis quam paganis, ut vix aliqui in villulis habitare auderent, et maxime Lethti. Qui relinquentes domos suas desertas tenebrosa silvarum semper querebant latibula, nec sic quidem eos evadere potuerunt; nam insidiando eis omni tempore per silvas eos comprehenderunt, et aliis occisis alios captivos in terram suam deduxerunt et omnia sua eis abstulerunt. Et fugerunt Rutheni per silvas et villas a facie Letonum licet paucorum, sicut fugiunt lepores ante faciem venatorum, et erant Lyvones et Lethti cibus et esca Lethonum, et quasi oves in fauce[u] luporum, cum sint[v] sine pastore. Misso[w] igitur pastore, liberavit Deus oves suas Lyvones et Leththos iam baptizatos a faucibus luporum, episcopo videlicet Alberto, qui convocato exercitu de omnibus finibus Lyvonie et Leththie et cum Rigensibus et peregrinis et omni populo suo ascendit Dunam versus Kukennoys. Et cum esset Gercike semper in laqueum et quasi in dyabolum magnum omnibus in ipsa parte Dune habitantibus, baptizatis et non baptizatis, et esset rex de Gercike semper inimicicias et bella contra Rigenses exercens, et pacis federa cum eis inire contempnens, episcopus exercitum suum convertit ad civitatem. Rutheni vero videntes exercitum a longe venientem, ad portam civitatis occurrunt, et cum Theuthonici eos armatis manibus impeterent et quosdam ex eis occiderent, ipsi se defendere non valentes[x], fugierunt[y]. Et Theuthonici eos insequentes portam cum ipsis intraverunt, et pre reverencia christiani nominis paucos occidentes, plures captivantes et per fugam evadere magis eos permittentes, mulieribus et parvulis postquam civitatem ceperunt par-

---

a) eum *addunt* 2. 3. b) Vennone 2. 3. c) et 2. d) *hic falso in* 1 *lemma:* De interfectione magistri et de substitutione magistri Wolquini. e) postea sine potestate 3. f) et 3. g) *lemma in* 1*:* De morte prepositi primi Engelberti et substitutione Iohannis prepositi. h) Engelberto 2. 3. i) *sic* 1; Sthetensi 2. 3. k) conformationem 2. 3. l) *deest* 2. 3. m) in 3. n) Livoniensium 3. o) solitus 3. p) Rigense 1. q) *deest* 1. 3. r) d. in u. 3. s) genere 2. t) in tantum *des.* 2. 3, *in* 3 *lacuna relicta.* u) facie 2. 3; *sed in* 2 *alia manu corr.* v) sunt 2. 3. w) *lemma in* 1*:* De expeditione contra regem de Gerceke. x) volentes 3. y) fugerunt 2. 3.

11) Scheda vel Scheida, in comitatu Mark, haud procul ab Unna. 12) V. infra XVIII, 6. Incendium erat a. 1215, circa mensem Martium.

centes, multos ex eis captivaverunt, et rege trans Dunam navigio fugiente cum pluribus aliis, regina capta est et episcopo presentata cum puellis et mulieribus et omni substancia sua. Sedit itaque die illo omnis exercitus in civitate, et collectis spoliis multis de omnibus[a] angulis civitatis tulerunt vestes et argentum et purpura[b] et pecora multa, et de ecclesiis campanas et yconias[c] et cetera ornamenta et pecuniam et bona multa tollentes, secum asportaverunt, Deum benedicentes eo, quod tam repente eis contulit victoriam de inimicis et aperuit civitatem absque lesione suorum. Sequenti[d] die, distractis[e] omnibus, ad reditum se preparaverunt et civitatem incenderunt, et viso incendio rex ex altera parte Dune, suspiria magna trahendo et gemitibus magnis ululando exclamavit dicens: *O Gercike civitas dilecta! o hereditas patrum meorum! o inopinatum excidium gentis mee! ve michi! ut quid natus sum videre incendium civitatis mee, videre contritionem populi mei!*[13]

Post hec[f] episcopus et omnis exercitus, divisis inter se spoliis universis, cum regina et captivis omnibus reversi sunt in terram suam, et remandatum est regi, ut Rigam veniat si saltem adhuc pacem habere et captivos recipere cupiat[g]. At ille veniam veniens pro excessibus postulat, episcopum patrem appellat, omnes Latinos, quasi fratres conchristianos, suppliciter exorat, ut preteritorum malorum obliviscantur, ut pacem sibi tribuant et uxorem et captivos[h] restituant, virgas acutissimas allegans ignem et gladium, quibus a Latinis castigatus fuerat. Tunc episcopus cum omnibus suis regis supplicantis misertus pacis formam ei proposuit dicens: *Si paganorum consorcia deinceps vitare volueris, ita ut per eos ecclesiam nostram non destruas, simul et terram Ruthenorum tuorum christianorum per Letones non vastaveris, si regnum tuum ecclesie beate Marie perpetua donatione conferre volueris, ut a nostra tamen manu iterum[i] recipias, et nobiscum iugi pacis conformitate congaudeas; tunc tandem tibi reginam[k] cum omnibus captivis restituemus et fidele auxilium tibi semper prestabimus.* Hanc formam pacis rex accipiens promittit se deinceps ecclesie beate Marie semper esse fidelem, et paganorum consilia vitare et christianis adherere confirmat, et regnum suum eidem ecclesie conferens, a manu episcopi trium vexillorum sollempni porrectione recipit[l][14], et eum in patrem eligens omnia Ruthenorum ac Lethonum consilia mala ei deinceps revelare se velle[m] affirmat. Redditaque est ei regina cum captivis aliis, et reversus est letus in terram suam, et convocatis hominibus suis qui evaserant, castrum suum reedificare cepit, et non minus postmodum Lethonum se consiliis intermiscens, promisse fidelitatis oblitus, paganos adversus Theuthonicos, qui erant in Kukenoys[n], sepius concitavit.

(5.) Post[o] hec finita pace, que facta erat cum Ungaunensibus, Bertoldus magister milicie in Wenden, vocato ad se Russino cum Lethtis suis, nec non et aliis Lethtis de Autine[p] et cum Wendis suis, ivit in Ungauniam[q], et invenerunt homines in villis suis, qui nondum ad castrum[r] confugerant, et quamplures occiderunt in omnibus villis ad quas venire potuerunt, et multis interfectis alios captivos duxerunt et spolia multa acceperunt, et mulieres et puellas secum ducentes, villas tanquam desertas reliquerunt, et facta cede magna et incendio ad propria redierunt. Audientes hoc[s] Lyvones Thoredenses, qui infidelitatis sue consilia cum Estonibus adhuc semper habuerant occulta, indignati sunt, eo quod Bertoldus de Wenden cum Lettis bellum adversus Estones renovaret, et suggerebant episcopo, ut nuncios in Ungauniam pro pace destinaret. Et[t] misit episcopus Alebrandum sacerdotem in Odempe[u], tam pro pace renovanda quam pro mercatorum bonis requirendis. Et[v] audientes Estones de tota Ugaunia nuncios episcopi advenisse, convenerunt ad placitum, et aperiens

---

a) multis 3. b) purpuram 2. 3. c) icones 2; ycones 3. d) *lemma in* 1: De incensione Gerceke. e) districtis 2. 3; destructis *proponit Pabst.* f) hoc 2. 3. g) velit 3. h) ux. captivosque 2. 3. i) *deest* 2. k) regina 1. l) recepit 2. 3. m) se velle *desunt* 1. n) Kokenoiss 3. o) *lemma in* 1: De expeditione secunda in Ungauniam. p) Antne 2; Antve 3. q) Unganniam 1. r) castra 2. 3. s) haec 2. 3. t) *in margine* 1: De pace facta. u) Odenpe 2. 3. v) *habet* 1 *pro lemmate hos (falso quidem loco positos) versus:* Annus pontificis decimus fuit atque secundus ‖ Et siluit paucis Lyvonum terra diebus.

13) Cf. I. Machab. 2, 7.

14) V. chartam Alberti apud Bunge l. c. Nr. 15, p. 20. 21, ubi leguntur haec: — *deinde praestito nobis hominio et fidei sacramento, praedictam urbem* (i. e. Gerzika) *cum terra et bonis attinentibus a manu nostra solempniter cum tribus vexillis in beneficio recepit. — Acta sunt haec anno dominicae incarnationis* 1209. *in caemeterio beati Petri in Riga, praesidente apostolicae sedi papa Innocentio tertio, regnante gloriosissimo imperatore Ottone, pontificatus nostri anno undecimo.* — Haec igitur facta esse post Oct. 4, die quo Otto IV. imperator coronatus est, elucet.

Alebrandus os suum docebat eos de fide Christi. Quo audito, Estones cum lanceis et gladiis ad eum interficiendum concurrunt. Sed quidam ex senioribus eum defendentes: *Si*, inquiunt, *hunc nuncium episcopi interfecerimus*[a], *quis nobis deinceps credet, aut*[a*] *nuncium mittet?* Et nolentes audire verba salutis remiserunt Alebrandum episcopo, et miserunt viros cum eis pro pace facienda. Et facta est pax cum Lyvonibus et Lethtis episcopi ex una parte Coiwe. Bertoldus vero de Wenden et Russinus cum suis Lethtis, pacem non recipientes, ad pugnam se preparaverunt.

(XIV.) 1210. Annus[b] erat pontificis duodecimus et siluit ecclesia diebus paucis. Nam ex[c] remeatione eiusdem pontificis cum peregrinis suis in Theuthoniam, relictis in Lyvonia viris suis cum quibusdam peregrinis, subito Curones, nominis Christi inimici, aput Sunde[15] in littore maris cum octo pyraticis apparuerunt. Quod videntes peregrini de coggonibus[d] exeunt, minores naves intrant, ad paganos accelerant, et minus provide festinantes unaqueque navis aliam antecedit ut hostes prima attingat. Curones vero exoneratis primis partibus pyraticarum suarum eas in occursum venientibus extollunt, duabusque simul ordinatis spacium inter singulas duas alias derelinquunt. Unde venientes peregrini cum duabus primis cymbis vel[e] navibus minoribus, infra spacium idem pyraticarum involvuntur, et cum essent in minoribus navibus, hostes super se stantes ex alto attingere non valebant. Unde quibusdam ex eis lanceis inimicorum interfectis, quibusdam vero submersis et[f] quibusdam vulneratis, alii ad coggones[g] redeuntes evaserunt. Tunc Curones colligentes corpora interfectorum, nudaverunt et vestimenta ac cetera spolia inter se diviserunt, quos[h] tamen[i] cives de Gothlandia postea devote colligentes sepelierunt. Erant autem fere triginta milites et alii qui ibidem interfecti sunt. Pontifex itaque luctum habebat super suos diebus aliquot, sciens quia[k] sit utilis persecutio pacienti, cum beati sint qui persecutionem paciuntur propter iusticiam[16], eo quod vasa figuli probat fornax et viros iustos temptatio tribulationis[17].

(2.) Eodem[l] tempore rex magnus[18] Nogardie[19], simul et rex de Plicecowe[m, 20] cum omnibus Ruthenis suis venerunt cum exercitu magno in Ugauniam, et obsidentes castrum Odempe[n] pugnaverunt cum eis diebus octo, et cum esset in castro defectus aquarum et penuria ciborum, pecierunt pacem a Ruthenis; et dederunt pacem eis, et baptismate suo quosdam ex eis baptizaverunt, et acceperunt ab eis quadringentas[o] marcas nogatarum[p, 21], et recesserunt ab eis, et reversi sunt in terram suam, dicentes se sacerdotes suos eis missuros ad sacre regenerationis lavacrum consummandum; quod tamen postmodum neglexerunt, nam Ugaunenses postea sacerdotes Rigensium susceperunt et baptizati sunt ab eis et connumerati sunt cum Rigensibus.

(3.) Post[q] annos aliquot venerunt[r] Frisones cum peregrinis in supra dictam Gothlandie[s] insulam et invenerunt Curones ibidem cum magna rapina, et circumvenientes eos subito pugnaverunt cum eis et occiderunt fere omnes, tollentes quatuor pyraticas cum omni preda, et ducentes secum Rigam, et oves infinitas, quas de terris christianis[t] spoliaverant, abstulerunt eis et Rigam adduxerunt. Et facta est leticia magna de vindicta facta in Curonibus.

(4.) Pontifex autem de laboribus continuis et de morte suorum licet plurimum esset contristatus, tamen iterum ad Dominum confugiens, iter et negocium suum ipsi committens, in Theuthoniam revertitur, bonis ac Deum timentibus dampna suorum conqueritur, per vicos et plateas, per civitates et castra querens, quis se murum pro domo Domini opponat, quis crucis signum sibi affigat, ut mare transeat, ut in Lyvoniam vadat ad consolationem paucorum, qui ibi remanserant. Et inventus est Yso[u] Verdensis episcopus cum Philippo

---

a) interficerimus 1. a*) et 2. 3. b) *lemma in* 1: De anno duodecimo. c) in 2. 3. d) cogenibus 2; *in* 3 *spatium huius vocis vacuum.* e) et 2. 3. f) *deest* 2. g) conggones 1; congones 2. 3. h) *lemma in* 1: De quibusdam a Curonibus in Sunde interfectis. i) cum 1. k) quod 2. 3. l) *lemma in* 1: De expeditione prima Ruthenorum in Odenpe. m) Pliscekowe 2. 3. n) Odenpe 2. 3. o) quadragintas 1, *ubi corr.* quadraginta. p) Nagat. 2. 3. q) *lemma in* 1: De conspiratione Lyvonum perfidorum atque Curonum contra civitatem Rigam. r) venientes 2. 3. s) in supradictae Gotlandiae 2; in praedictae Gottlandiae 3. t) christianorum 2. 3. u) Iso 2. 3.

15) fretum inter Curoniam et Osiliam insulam. 16) Cf. Ev. Matth. 5, 10. 17) Cf. Ies. Sirach 27, 6. 18) Mstislaw. 19) Nowgorod. 20) Wladimir; erat frater regis Nogardiensis. 21) In lingua Ehstnica pelles nominantur *nahhad*, in lingua Lyvonica *nagöd* vel *nogöd*; a merce igitur nummorum nomen.

Raceburgensi episcopo, nec non et Padelbornensis[a] episcopus[22], qui se ad iter idem[b] in sequentem annum cum militibus suis et cum multis aliis preparaverunt.

(5) Post[c] recessum pontificis et post conflictum Curonum cum peregrinis, audientes gentes omnes in circuitu aliquantos[d] de peregrinis a Curonibus interfectos[e], miserunt in[f] invicem nuncios, Lyvones primo ad Curones, Curones ad Estones nec non ad Lethones, Semigallos et Ruthenos, querentes omne consilium, qualiter Rigam delerent et Theuthonicos omnes dolo tenerent et occiderent. Existimantes autem Letones paucos in Kukenoyse[g] remansisse, venerunt ad castrum cum exercitu magno, et invenientes Rodolfum de Iericho cum ceteris viris episcopi in castro fortissime eos propugnaverunt[h]. Contra quos exeuntes servi episcopi et Lethti de castro, plures ex eis lanceis suis, et balistarii de munitione[i] nonnullos vulnerantes, interfecerunt; quorum infestationem ferre non valentes Letones ab eis diverterunt. Tunc Lyvones quidam de Adia[23], iamdudum baptizati, perfidie sue felle repleti, abierunt in Curoniam, et commoventes universam terram contra Rigensem ecclesiam collegerunt exercitum fortem et magnum, allegantes in civitate, prout rei veritas dictabat, paucissimos remansisse. Quod audientes cives, exploratores in mare miserunt. Curones vero congregati cum omni exercitu suo, residentes in vicino quatuordecim diebus, auxilium deorum suorum et tempus oportunum sortibus suis requirebant. Exploratores interim nichil videntes reversi sunt. Tunc comes de Sladem[k, 24] Marquardus miles cum aliis peregrinis, qui in pascha[25] remanserant, in Theuthoniam redire desiderantes, cum duobus coggonibus suis Iul. 13. in Dunemunde descendunt, et paucis in navibus relictis in claustro nocte dormiunt; et apparente sequentis diei diluculo apparet totum mare quasi nube tenebrosa perfusum. Unde illi, qui in navibus erant, videntes multitudinem paganorum et exercitum magnum super se venientem, quidam ad defendendum se preparant, quidam ad claustrum confugiunt. Pagani vero, sperantes civitatem absque ullius fame precursione repente[l] capere, naves ipsas peregrinorum non impugnantes[m] ad civitatem velocissime remigant. Sed piscatores ex omni parte Dune eos videntes Rigam fugiunt, exercitum sequentem indicant. Cives autem et fratres milicie et balistarii, essent licet pauci, cum clericis et mulieribus omnes ad arma confugiunt, sonitu campane, que tantummodo tempore belli pulsabatur, populum convocant, et exeuntes obviam inimicis in littore Dune plures ex eis balistis vulnerant. Et Curones relinquentes naves suas in Duna ordinaverunt exercitum suum in campo, et portabat unusquisque tabulam ligneam ante se ex duobus asseribus compositam, et clavam ad modum baculi pastoralis ad sustentaculum ipsius tabule. Et ut refulsit sol in tabulas albas resplenduerunt aque et campi ab eis. Erat enim exercitus magnus et fortis et appropinquabat ad civitatem. Et Lyvones ac balistarii occurrentes eis ad primam munitionem, que erat in campo ante portam civitatis, cum eis pugnaverunt usque ad horam diei terciam. Cives autem villam, que erat extra muros, incenderunt[n]. Quidam eciam ex nostris[o] habentes aput se claviculos ferreos tridentes[p], proiecerunt eos in via qua exercitus veniebat. Et cum de civibus quidam ad pugnam viriliter accederent et plures ex hostibus sub tabulis suis stantes occiderent, in reditu super claviculos ipsos ceciderunt, et quidam ex ipsis[q] occisi sunt et alii ad nos evaserunt. Post hec ibat exercitus ad naves suas et facto prandio iterum ad bellum se preparabat[r], et cum audirent sonitum campane magne dicebant, se ab illo Deo christianorum commedi atque[s] consumi, et accedentes iterum ad civitatem per totam diem pugnabant. Et cum exirent de tabulis suis ad comportationem lignorum ad incendium, plurimi ex eis a sagittariis ledebantur, et quicumque eorum a lapidibus machinarum aut a balistariis vulneratus cecidit, statim frater suus aut alius consocius suus absciso capite eum totaliter interfecit. Et cum undique circumdedissent civitatem et ignem copiosum incendissent, venientes Holmenses in equis suis ad Montem Antiquum et gladiis suis hostibus comminantes, ad civitatem ex alia parte declinant. Quos videntes Curones a civitate recedunt, et collectis interfectis suis ad naves revertuntur, et transita[t] Duna triduo

---

[a] Padelborensis 1; Paderbornensis 2. 3. [b] inde 2. 3. [c] *lemma in* 1: De obsidione civitatis a Curonibus. [d] aliquoties 2. 3. [e] interfectis 2. 3. [f] in *deest* 2. 3. [g] Kukenoiss 2; Kukenouss 3. [h] impugnaverunt 2. 3. [i] munitionibus 2. 3. [k] Bladen 2. 3. [l] repraesente 2. 3. [m] oppugnantes 2. 3. [n] accenderunt 3. [o] etiam apud nostros 2. 3. [p] 1 *add.* et. [q] eis 2. 3. [r] praeparabant 2. 3. [s] *sic a correctore superscr. pro* et 1. [t] transsita 1.

[22] Bernhardus. [23] Adia fl. [24] Schladen inter Goslar et Wolfenbüttel. [25] Apr. 18.

quiescentes et mortuos suos cremantes fecerunt planctum super eos. Lyvones Thoredenses audientes Rigam obsessam a Curonibus et civitatis eversionem desiderantes, collegerunt exercitum copiosum, ut veniret[a] Curonibus in auxilium. Erant enim Lyvones quidam perfidi et Semigalli et alie gentes exspectantes eventum Curonum, ut omnes simul ad destructionem civitatis convenirent. Sed Holmenses eadem die, occisis Curonibus quibusdam in insulis et navibus ablatis, venerunt ad civitatem. Marquardus miles rediens a Dunemunde inter medios hostes civitatem intravit, et postea societati fratrum milicie se coniunxit. Caupo cum omnibus cognatis et amicis suis et Lyvonibus fidelibus sequenti nocte in civitatem venit. Conradus de Ykescola cum Lyvonibus superioribus mane facto venit in canpum iuxta civitatem, et facto ludo magno in equis et armis suis, convenerunt ad eum omnes de civitate, et gaudium magnum factum est inter eos. Et processerunt ad Curones et vocaverunt eos ad pugnam, parati aut mori fortiter aut vincere[b]. At illi de funeribus suorum magis solliciti, pacifice loquentes, post triduum recesserunt. Lyvones autem, qui huius traditionis rei extiterant[c], sine aliqua lesione suorum sponte Deo et familie episcopi satisfecerunt et postmodum fideles esse promiserunt. Civitas vero misericorditer hac vice per Dei gratiam a paganis liberata Deo gratias referebat, et diem beate Margarethe[26], in qua ab obsessione liberata est, deinceps celebrandam instituit infra civitatem. Bertoldus quoque de Wenden eodem tempore cum Lettis venerat de Ugaunia, pluribus villis incensis et multis paganis occisis incommoda plurima eis intulerat, et ipse quoque cum magna turba venit in auxilium Rigensibus, sed recedentibus Curonibus, unusquisque reversus est in terram suam.

(6.) Post[d] hec idem Bertoldus collegit exercitum[e], et ibant servi episcopi cum eo, Siffridus et Alexander et alii plures et Lyvones et Letti, et venientes in Ugauniam ad castrum Odempe, paucos in castro reperiunt. Unde castrenses, propter paucitatem suorum exterriti, Bertoldum verbis pacificis in castrum recipiunt. Servi episcopi cum Lyvonibus quibusdam, Bertoldum in castro receptum ignorantes, ex altera parte castrum ascendunt. Sequitur[f] eos totus exercitus, montis summitatem capiunt, arcem munitionis comprehendunt, fiunt potentes in castro, viros occidunt, mulieres capiunt, spolia multa rapiunt, et quidam per fugam evaserunt. Tunc diebus aliquot quiescentes ibidem, et divisa inter se rapina et castro incenso in Lyvoniam revertuntur.

(7.) Lyvonensis[g] itaque ecclesia tunc in multis tribulationibus constituta, utpote in medio plurimarum nationum ac Ruthenorum adiacentium, qui omnes consilium fecerunt in unum ut eam destruerent. Unde Rigenses decreverunt ad regem de Plosceke nuntios destinare, si forte cum eo aliquam formam pacis possent invenire. Et missus est[h] Rodolfus de Iericho cum quibusdam aliis, ut irent in Ruciam. Et cum appropinquarent Wenden, ecce Estones (8.) cum exercitu magno venientes Wenden obsederunt. Et Rodolfus cum suis ad castrum illud evaserunt. Et pugnaverunt Estones cum Bertoldo et fratribus suis et Wendis diebus tribus ad antiquum castrum, in quo adhuc habitabant fratres cum Wendis. Et ceciderunt multi[i] de Estonibus a balistariis vulnerati, similiter et ex Wendis[k] lanceis inimicorum quidam sunt interfecti. Fecerunt namque Estones comportationes magnas lignorum, apponentes ignem ad incendendum castrum, et arbores magnas cum radicibus trahentes de silvis ad modum propugnaculi composuerunt aliis lignis firmantes et munientes, et desubtus preliantes, et desuper per ignem et fumum eos, qui in castro erant, multum[l] infestabant. Et nisi breviati fuissent dies belli, maiora utique mala intulissent, quia per negligenciam quorundam nec primo nec secundo die, sed tercio die[l] obsidionis venerunt rumores Rigensibus, unde et ipsi surgentes quarto die venerunt in Sygewalde[27]. Eodem[m] die Estones audientes cum Caupone et amicis suis Lyvonum et Lettorum magnam congregationem convenisse, recesserunt a castro Wenden, et transeuntes Coiwam, aput stagnum, quod est in via Beverin, nocte dormientes quieverunt. Fratres autem[n] de Wenden et Caupo cum[n]

---

a) venirent 2. 3. b) vivere 1. c) extiterunt 2. 3. d) *lemma in* 1: De expeditione tercia in Ugauniam. e) *deest* 2. 3. f) *in margine* 1: De Odempe capto et (in)censo. g) *lemma in* 1: De expeditione Estonum contra Wendos et obsidione Wendorum. h) *deest* 1. i) *deest* 2. 3. k) Wenden 2. 3. l) *deest* 2. 3. m) *lemma in* 1: De malwea Lyvonum. n) autem — cum *verba nunc erasa sed admodum legibilia exstant in* 1.

[26] Diem S. Margarethae in partibus Prussiae Lyvoniaeque celebratam esse die 13. mensis Iulii ostendit Bonnell, Russisch-Livländische Chronographie p. 74.

[27] hodie Segewold.

Lyvonibus et Lettis mane sequentes, aput idem stagnum ad prandium se deposuerunt et exploratores et custodes exercitus premiserunt, quorum quidam reversi nunciaverunt Estones trans Ymeram fortissime fugientes. Et statim Lyvones et Letti verbis illorum nimium creduli ad persequendum illos festinanter acceleraverunt, dicentes se Rigensium nequaquam posse moram exspectare. Sed Caupo cum Theutonicis: *Exspectemus,* inquit, *fratres nostros, et tunc poterimus pugnare et assumptis alis nostris in altum volare.* At[a] illi, spernentes et Theutonicorum magis interitum cupientes, persequuti sunt Estones, ordinantes tamen in prima acie Theuthonicos, ut ipsi post tergum sequentes et belli exitum considerantes, sive ad persequendum sive ad fugiendum sint paratiores. Et processerunt ad Ymeram, nescientes exercitum Estonum in silvis aput Ymeram latitantem, et subito viderunt omnem exercitum obvium sibi venientem. Tunc Arnoldus frater milicie sumpto vexillo: *Conveniamus*, inquit, *fratres Theuthonici, et videamus, si pugnare queamus, et non fugiamus ab eis, et non inferamus crimen genti nostre.* Et accesserunt ad eos et occiderunt ex eis et pugnaverunt cum eis, et cecidit Bertoldus filius Cauponis, nec non et gener ipsius Wane, vir fortis et virtuosus, et quidam ex fratribus milicie, et servi episcopi Wichmannus et Alderus graviter vulnerati sunt. Lyvones[b] autem post tergum sequentes, ut viderunt multitudinem exercitus undique de silvis venientem, statim se ad fugam converterunt, et Theuthonici soli remanserunt. Quod videntes Theuthonici et paucitatem suorum considerantes, cum non essent tantummodo, nisi circiter viginti, ipsi se in unum conglobantes, directa via pugnando cum inimicis ad Coiwam redierunt. Rodolfus de Iericho lancea vulneratus in terram cecidit, quem Wigboldus[c] Friso equo restituit, qui et ipse Friso velocitate equi confisus, modo fugiendo modo ad inimicos redeundo et in strictis locis eos detinendo multos liberavit. Estones[d] vero tam Theuthonicos quam Lyvones et Lettorum pedites a dextris et a sinistris fugientes persequebantur, et comprehensis ex eis fere centum, alios occiderunt, alios aput Ymeram reducentes crudeli martirio cruciaverunt. Erant enim ex eis quatuordecim, quorum alios vivos assaverunt[e], alios nudantes vestimentis suis, et gladiis suis in dorsis[f] eorum crucibus factis, iugulaverunt, et in martirum consorcium ut speramus in celum transmiserunt. Tunc[g] Estones reversi in terram suam et improperantes christianis, miserunt per omnes provincias Estonie coniurantes et confederantes, ut essent cor unum et anima una contra nomen christianorum. Caupo itaque et Lyvones et Letti reversi de prelio, planxerunt interfectos suos, tristes eo quod nuper baptizati a paganis sint trucidati, et condolebat eis tota ecclesia, que tunc erat tamquam Arcturus, qui semper tunditur et nunquam frangitur, tamquam archa Noe, que magnis quidem fluctibus elevatur, sed non alliditur, navicula Petri, que undis quatitur sed non submergitur, mulier, quam draco persequitur sed non opprimit. Post hanc enim tribulationem secuta est consolatio, post tristiciam dedit
(9.) Deus leticiam. Nam missus est Arnoldus frater milicie cum sociis suis ad regem de Ploceke, si forte pacem recipiat et mercatoribus Rigensibus viam in terram suam aperiat. Qui benigno recipiens eos affectu et pacis tranquillitate congaudens, licet in dolo, misit cum eis Ludolfum, virum prudentem ac divitem de Smalenceke[h] [28], ut Rigam veniens, que iusta sunt et pacifica retractet. Qui postquam in Rigam venerunt et regis voluntatem aperuerunt[i], placuit Rigensibus, et facta est pax perpetua tunc primo[k] inter regem et Rigenses, ita tamen, ut Lyvones debitum tributum regi persolvant annuatim vel[l] episcopus pro eis. Et gavisi sunt omnes, ut eo securius cum Estonibus et aliis gentibus bellare valeant. Quod et factum est.

(10.) Adveniente[m] namque nativitatis dominice solempnitate et hyemis asperitate invalescente, mittunt seniores Rigensium per totam Lyvoniam et Lettiam et per totam provinciam et per[n] omnia castra Dune et Coiwe, ut veniant omnes et sint parati ad faciendam vindictam in Estonum nationibus; et pervenit verbum in Plescekowe, qui tunc erant nobiscum pacem habentes, et venit maxima turba Ruthenorum nostris in auxilium. Et venerunt seniores terre Russinus et

---

a) *lemma in* 1: De bello primo ad Ymeram. b) *lemma in* 1: De fuga Lyvonum. c) Wickboldus 2. 3. d) *lemma in* 1: De martyrio Lettorum ad Ymeram. e) assarunt 2. 3. f) dorsum 2. 3. g) *lemma manu recentiori et nigro atramento exaratum in* 1: De pace facta inter regem de Plosceke et Rigenses perpetuo. h) Smalenseke 2. i) aperierunt 2; asseruerunt 3. k) primum 2. 3. l) *sic* 1—3, *corrector effecit in* 1: et. m) *lemma in* 1: De prima expeditione in Sontagana. n) Lyv. ac Lettiam et per totam provinciam et per 2. 3; et p. t. p. *des.* 1.

28) Smolensk.

Caupo, Ninnus[a] simul[b] et Dabrelus cum ceteris, et precedebant Rigenses et peregrinos, et sequebatur omnis exercitus in Metsepole. Et acceptis obsidibus a Lyvonibus, qui perfidi putabantur, processerunt ad mare; et directa via secus mare die ac nocte euntes, venerunt ad primam provinciam, que Sontagana[29] vocatur; custodes quoque[d] viarum videntes exercitum fugierunt, ut nunciarent suis. Sed qui erant velociores in exercitu simul cum exploratoribus villas intrantes, invenerunt fere omnes in villis et in domibus suis. Et divisit se exercitus per omnes vias ac villas, et interfecerunt populum multum in omnibus locis, et persequebantur eos in provinciis adiacentibus, et ceperunt ex eis mulieres et pueros, et convenerunt ad castrum. Sequenti die ac tertio circueuntes omnia vastaverunt et incenderunt que invenerunt, et equos et pecora innumerabilia acceperunt. Erant enim boum et vaccarum quatuor milia, exceptis equis et aliis pecoribus et captivis, quorum non erat numerus. Multi eciam paganorum, qui in silvis et in glacie[e] maris per fugam evaserunt, frigore congelati perierunt. Quarto die, captis castris tribus et incensis, exire ceperunt de terra cum universa rapina, et morose redeuntes equaliter inter se diviserunt et cum gaudio in Lyvoniam redierunt, et benedixerunt omnes Dominum, qui dedit eis vindictam de inimicis; et de improperio conticuerunt Estones, quod Lyvonibus et Lettis prius[f] de martyrio suorum improperaverunt. Sequenti[g] lunatione convenerunt iterum Lyvones ac Letti cum Ian. ex. Rigensibus aput Astigerwe stagnum, et habentes obvium sibi exercitum Saccalanensium et Ugaunensium, processerunt[h] ad eos, ut pugnarent cum eis. Sed illi dorsa vertentes fugerunt, et remansit unus ex eis, qui accedens ad nostros nunciavit exercitum alium magnum de maritimis provinciis eadem nocte via alia, que est iuxta mare, Lyvoniam intraturum. Quo audito, seniores Lyvonum festinantes ad[i] uxores et pueros suos, ut eos salvarent ab inimicis, reversi sunt unusquisque ad munitiones suas. Et confestim die crastino venerunt Estones, qui prius evaserant, de Sontagana et aliis provinciis circumiacentibus cum exercitu magno in Metsepole, et omni populo in castris exsistente ipsi villas vacuas et ecclesias incenderunt et nequitias multas circa ecclesias et sepulchra mortuorum christianorum immolaticiis[k] suis exercuerunt. Et convenerunt Rigenses in Thoreida ad persequendum eos, Bertoldus quoque de Wenden et Russinus cum omnibus Lettis ad Raupam[l]. Quo audito, cicius exierunt de terra et conflictum christianorum non exspectaverunt. Tercia[m] lunatione Febr. ex. preparaverunt se Rigenses ad obsidionem castri Viliende[30] in Saccale, et convocaverunt Lyvones et Lethtos de omnibus finibus et castris, et penam non venientibus comminantes et terrorem incutientes, collegerunt exercitum fortem. Et ibat cum eis Eggelbertus[n] gener episcopi, qui eodem anno procurabat advocaciam in Thoreida cum fratribus milicie et peregrinis, et ibant in Sackala ducentes secum machinam minorem sive paterellum[o], et balistas et cetera instrumenta necessaria ad castri impugnationem.

Anno[p] incarnationis dominice 1210, presulis Alberti 13.[q], facta est obsidio prima (XV.) 1211. castri Viliende in Sackala a[r] Theuthonicis et Lyvonibus et Lettis; et miserunt Theuthonici Lyvones et Lettos ad omnem provinciam circumiacentem despoliandam et pro victualibus et annona. Qui euntes per omnes villas, multos paganorum[s] occiderunt et alios captivos ad castrum adduxerunt. Tunc Bertoldus de Wenden et Russinus cum aliis Lettis et senioribus cum[t] aliis, acceptis captivis omnibus, accedentes vicinius ad castrum: *Si,* inquit, *renunciaveritis culture deorum vestrorum falsorum et nobiscum in Deum verum credere volueritis, vobis captivos istos vivos restituemus, et vos*[u] *in fraternitatis caritate nobiscum*[v] *vinculo pacis colligabimus.* At illi Deum ac nomen christianorum omnino audire dedignantes, bellum magis comminantur, armis Theuthonicorum, que in primo conflictu in porta castri rapuerant, induuntur et in summitate castri gloriantur, ad pugnam se preparant, et[w] clamore suo exercitum[w] subsannando[x] irrident. Russinus autem[y] et Letti

---

a) Ninus 2. c) *deest* 2. 3. c) at 2. 3. d) custodesque 2. 3. e) et per glaciem 2; et pro glacie 3. f) Liv. prius ac Letthis 2. 3. g) *lemma in* 1: Item de expeditione alia. h) et proc. 1. i) ob 2. 3. l) in molaticis 2. 3. l) Ropam 2; Ropum 3. m) *lemma in* 1: Item de expeditione in Sackalam. n) Engel. 2. 3. o) patherellam 1; patherellum 3. p) *lemma in* 1: De prima obsidione castri Viliende. q) XIV. 3. r) *deest* 2. 3. s) paganos 2. 3. t) *sic corr. ex* et 1. u) nos 2. 3. v) vobiscum 2. 3. w) et ex. cl. s. 2. 3. x) subsannado 1. y) *deest* 2. 3.

29) vox ex verbis Ehstnicis *so* (palus) et *tagane* (quod retro est) formata. 30) Fellin.

comprehensis captivis omnibus et[a] trucidatis, in fossatum proiciunt, et eis, qui in castro erant, id ipsum comminantur. Interim sagittarii multos interficiunt et omnes ad defensionem[b] repellunt, alii propugnaculum edificant. Lyvones et Letti lignorum comportatione fossatum ab imo usque ad summum implent et propugnaculum superimpellunt. Letti cum balistariis desuper ascendunt, sagittis ac lanceis in munitione multos interficiunt, multos vulnerant, fit pugna maxima diebus quinque. Estones primam struem lignorum incendere nituntur, igne copioso de castro in vehiculis misso. Lyvones et Letti missa glacie et nive extingunt. Arnoldus, frater milicie, ibidem nocte et die laborans, tandem lapide proiectus in martirum consorcium transmigravit. Qui erat vir valde religiosus et semper orans, et quod oravit, hoc, sicut speramus, invenit. Theuthonici machinam instruentes nocte ac die lapidum iactatione loca munita confringunt, homines et iumenta infinita in castro interficiunt, quia[c] Estones talia nunquam viderant, domos[d] suas contra tales inpetus non firmaverant[e]. Lyvones cum Lettis struem lignorum siccis lignis superadaugent usque ad plancas. Eylardus de Dolen desuper ascendit. Sequuntur Theuthonici in armis, plancas solvunt, aliam munitionem de intus inveniunt, quam solvere non possunt. Castrenses desuper congregantur, lapidum atque lignorum iactibus Theuthonicos repellunt, qui descendentes ignem apponunt, castrum incendunt. Estones plancas ardentes et ligna munitionis incensa solvunt, distrahunt. Finito incendio in crastino omnia reponunt, et ad defensionem[b] residui se iterum confortant[f]. Erant autem in castro multa cadavera interfectorum[g] et defectus aquarum et fere omnes vulnerati, ut iam deficerent. Die sexto Theuthonici: *Numquit*, inquiunt, *resistitis adhuc et creatorem nostrum non agnoscitis?* Ad hec illi: *Cognoscimus*[h] *Deum vestrum maiorem diis nostris, qui nos superando animum nostrum ad ipsius culturam inclinavit. Unde rogamus, ut parcendo nobis, iugum christianitatis, sicut et Lyvonibus et Lettis, ita et nobis misericorditer imponatis.* Unde Theuthonici, evocatis senioribus de castro, omnia iura christianitatis eis proponunt et pacem et[i] fraternam caritatem promittunt. Qui de pace nimium gaudentes eodem tempore cum Lyvonibus et Lettis, eodemque iure sacramenta baptismi recipere pollicentur. Unde, positis obsidibus et pace firmata, sacerdotes in castrum recipiunt, qui omnes domos et castrum et viros et mulieres cum omni populo aspergentes aqua benedicta et quodammodo iniciantes, ante baptismum cathezizantur[k], pre nimia sanguinis effusione adhuc baptismi sacramentum differentes. Hiis itaque[l] peractis, reversus est exercitus in Lyvoniam, et de conversione gencium omnes glorificabant Dominum.

Apr. 3. Post[m] hec in paschali solempnitate mercatores, audientes omnia consilia Estonum et aliorum paganorum in circuitu, qualiter ante adventum episcopi et peregrinorum Lyvoniam et civitatem Rigensem destruere cogitabant, iter suum in Gothlandiam differebant, mercationes[n] suas et negocia negligentes[o], et usque ad adventum peregrinorum cum omnibus navibus suis remanserunt. Interim[p] missi sunt nuncii in Estoniam videre quid a paganis agatur. Qui reversi bella nunciant, pacem secum referunt, consilia infidelium aperiunt. Et confestim surrexit Caupo et Bertoldus de Wenden[q] cum suis, ac servi episcopi, et ibant in Sackalanensem[r] provinciam viciniorem et incenderunt villas omnes ad quas pertingere potuerunt, et occiderunt omnes viros, et mulieres captivas reduxerunt, et reversi sunt in Lyvoniam. Et[s] secuti sunt eos Saccalanenses[t] et incenderunt omnes villas circa Astigerwe eciam et ipsi, et pervenerunt usque ad Ymeram, et occisis quibusdam Lettis mulieres et parvulos captivos duxerunt, et spolia secum detulerunt. Post[u] quos Lambito et Meme[v], seniores de Sackale, surgentes, cum alio exercitu transierunt Ymeram, et pervenerunt ad ecclesiam, et incenderunt eam, et omnia, que erant sacerdotis, devastantes, et per totam parrochiam pecora et spolia multa colligentes, et homines, quos rapuerunt, occidentes, mulieres et parvulos[w] et puellas captivas deduxerunt, et facta est tribulatio magna in omni confinio Lyvonie. Nam Saccalanenses et Ugaunenses Lettos impugnabant, Rotalienses[x] et

---

a) *deest* 1. b) defentionem 1. c) quod 2. 3. d) et dom. 2. 3. e) formaverant 2. f) comportant 3. g) infectorum 2. h) quidem *addunt* 2. 3. i) in 2. 3. k) cathechizantur 2. 3. l) ita 2. 3. m) *lemma in* 1: De fide Christi et pace recepta a Sackalanensibus. n) mercaturas 2. o) neglientes 1. p) *in margine* 1: De mercatoribus in Riga tempore belli remanentibus. q) Weden 1. r) Saccalensem 2; Saccalenensem 3. s) *in margine* 1: De expeditione in Saccalam. t) Saccalenenses 3. u) *lemma in* 1: De diversis expeditionibus Saccalanensium ad Lettos. v) Meine 2. 3. w) pueros 2. 3. x) *lemma in* 1: De bellis Rotaliensium; Otalienses 2. 3.

maritime provincie Lyvones episcopi in Metsepole et in Lethegore[a, 31] tribus exercitibus impetebant, ita ut unus exercitus alium sequeretur, et alii redeuntes et[b] alii venientes requiem non darent Lyvonibus die ac nocte, sed persequentes eos tam in latibulis silvarum quam in stangnis et in agris[c] occiderent eos, et mulieres captivarent, et equos et pecora minantes spolia multa asportarent, et pauci[d] ex eis superstites remanerent, et humiliavit Deus perfidiam ipsorum in magna parte eodem tempore, ut deinceps fideliores efficerentur. Osilienses pyraticis suis Coiwam intrantes et in Thoreydam ascendentes, parrochiam in Cubbesele[e] totaliter devastaverunt, et omnem provinciam in circuitu despoliantes alios occiderunt et[f] alios captivos deduxerunt, et alii ex eis fugientes Rigam evaserunt et contra impetum paganorum auxilium postulabant. Rigenses autem civitatem diligenti custodia servantes et traditionem quorundam perfidorum timentes, adventum episcopi et peregrinorum exspectabant.

Episcopus autem eodem anno cum Wolquino magistro fratrum milicie Romam veniens, (2.) a summo pontifice benignissime receptus est, et super divisione Lyvonie ac Lettie privilegia recipiens[32], et super predicatione in remissionem peccatorum auctoritatem renovatam accipiens, cum gaudio reversus est. Et missis rescriptis privilegiorum per[g] Prusciam[h], in Lyvonia omnem populum non modicum letificavit, ut cum[i] lacrimis nunciantibus occurrerent, eo quod post bellorum multa incommoda consolationem etiam summi pontificis acciperent.

Annus[k] erat presulis tercius decimus et non quievit ecclesia a bellis. Redeunte itaque episcopo de Theuthonia, venerunt cum eo tres episcopi Philippus Raceburgensis, Yso Verdensis et Pathelborniensis[l, 33] episcopus, Helmoldus de Plesse[34], Bernardus de Lippia et alii nobiles et peregrini quam plures, quorum adventus omnibus erat desiderabilis, ut liberaret sedentes in periculis. Letti[m] ergo gavisi de adventu peregrinorum conveniunt ad Ymeram, et procedentes cum paucis obvium habent exercitum magnum paganorum, et videntes multitudinem eorum conversi sunt in fugam. Quos persequentes Estones et aliquos ex eis occidentes, sequuntur ad Ymeram, et tota nocte euntes, mane veniunt ad Raupam, et ecclesiam incendentes et ecclesie dotem, et omnem provinciam circueuntes villas et domos flammis tradunt, viros occidunt, mulieres et parvulos de latibulis silvarum extrahentes, captivos ducunt. Audientes[n] hec[o] Rigenses cum peregrinis exeunt, in Thoreydam veniunt. Sed pagani adventum eorum verentes post triduum cum omni rapina sua velociter in terram suam revertuntur, et Caupo cum quibusdam Theuthonicis et aliis sequens in Saccalam, villas multas et castra Owele et Purke incendit, et tollens spolia multa viros multos occidit, et mulieres cum parvulis captivos abducit[p].

Interim[q] Osilienses et Revelenses[r] et Rotalienses[s] convocant[t] exercitum magnum et (3.) fortem de omnibus provinciis maritimis adiacentibus, et erant cum eis omnes seniores de Osilia et Rotalia[u] et de universa Estonia habentes multa milia equitum et plura milia navigio veniencium, in Lyvoniamque[v] procedunt. Et equites cum peditibus suis in Metsepole venientes, Thoreidam festinant, alii trans mare venientes pyraticis suis Coiwam ascendunt, et uno die simul cum equitibus suis iuxta castrum magnum Cauponis, quod Lyvones tunc propter metum paganorum inhabitabant, omnes conveniunt et[w] obsidentes eos undique in circuitu, equites in anteriori parte castri, alii in posteriori iuxta pyraticas suas ad flumen resident. Et occurrunt eis balistarii in campum, qui a Riga missi castrum cum Lyvonibus custodiebant, et multos ex eis vulnerant, multos interficiunt, utpote inermes, qui non habent consuetudinem armorum in tantum quantum alie gentes. Post hec Estones per provinciam mittunt ex suis forcioribus ad despoliandam terram, qui incendentes villas et ecclesias et[w] ex Lyvonibus comprehensos occidunt, alios captivos ducunt, et spolia multa tollentes, et boves et alia[w] pecora in conventum suorum compellunt, et mactantes boves et

---

a) Letthigore 2. b) *deest* 2. 3. c) aquis 2. d) asportantes ita ut pauci 3. e) Lubbese 2; Cubbese 3. f) *deest* 2. 3. g) per *deest codd.* h) Prussiam 2. 3. i) *deest* 2. 3. k) *lemma in* 1: De anno XIII°. De concordia facta cum fratribus milicie. l) Padelbornensis 2; Paderbornensis 3. m) *lemma in* 1: De expeditione Estonum ad Ydumee (*corrigendum est* Ymeram). n) *lemma in* 1: De expeditione Cauponis in Sackalam. o) *deest* 1. p) adducit 1. q) *lemma in* 1: De expeditione magna Rotaliensium et Revelensium et Osiliensium in Thoreydam. r) Revalenses 2. 3. s) Notal. 2. 3. t) *add.* 3: in. u) Cotalia 2; Revalia 3. v) Livoniam 2. 3. w) *deest* 2. 3.

[31] hodie *Loddiger*, lettice Lehdurge. [32] Privilegia Innocentii III. 1210. Oct. 20, habentur apud Bunge l. c. p. 22 sqq. Nr. 16 et 17. [33] Bernhardus III. [34] castrum Plesse prope Göttingen.

pecora diisque suis immolantes, favorem ipsorum requirunt[a]. Sed caro percussa cadens in partem[b] sinistram, deorum offensam et omen indicat[c] sinistrum. Ipsi tamen ab incepto non desistentes, castrenses impugnant, lignorum strues faciunt, montem castri fodiunt, ibidem se magetac[d], id est manere in perpetuum, promittunt, donec aut castrum destruant aut Lyvones ad suum consensum emolliant, ut eodem itinere secum ad destruendam Rigam vadant. Et ait Lyvo de castro: *Maga magamas,* id est: *Iacebis hic in eternum.* Fratres ergo milicie in Sygewalde videntes omnia, que pagani faciebant, Rigensibus significant auxiliumque peregrinorum postulant. Supervenientes nuncii Lyvonum in castro obsessorum omnes miserias, quas a paganis passi sunt Lyvones et Letti, lacrimabiliter insinuant, episcopis supplicant, ut missis viris suis ecclesiam suam liberent. Confestim episcopi milites suos hortantes, peregrinis et omni populo in remissionem peccatorum iniungunt, ut fratribus suis Lyvonibus subveniant et vindictam faciant, Deo donante, in Estonum nationibus. Et surrexerunt fratres milicie cum peregrinis, et[e] Helmoldus de Plesse et milites, induentes[f] arma sua et equos suos phalerantes cum peditibus suis et Lyvonibus et omni comitatu suo proficiscuntur ad Coiwam, et transeuntes Coiwam et procedentes tota nocte paganis iam appropinquant, et ordinantes exercitum eumque ad bella docentes, pedites via magna, que est ad Wendecull[g], premittunt; equites vero via, que est ad dexteram[h], subsequuntur. Et ibant pedites caute et ordinate, et mane facto descendentes de monte vident castrum et exercitum paganorum, et vallis erat inter eos. Et statim percusso tympano leticie cum instrumentis musicis et cantu suo virorum animos exhilarantes Deique clemenciam super se invocantes, festinanter ad paganos accelerant, et transito rivulo ad colligendum se in unum, modicum subsistunt. Quo viso pagani, rebus certis territi, currunt, clippeos apprehendunt, alii ad equos properant, alii sepem transsiliunt, simul in unum conveniunt, clamoribus suis aerem turbant, in multitudine magna christianis occurrunt, lanceas super eos, tamquam ymbres, mittunt. Christiani lanceas clippeis suis[i] excipiunt, quibus exhaustis gladios arripiunt, propius accedunt, bellum committunt, cadunt vulnerati, pugnant viriliter pagani. Quorum fortitudinem videntes milites per medios hostes confestim irruunt, equis suis phaleratis timorem eis incuciunt, ad terram multos prosternunt, alios in fugam convertunt, fugientes persequuntur, per viam et per agros comprehensos interficiunt. Lyvones de castro cum balistariis fugientibus paganis occurrunt, ventilantes eos per viam et includentes in medio, et occidentes usque ad Theuthonicos in tantum persequuti sunt, ut pauci ex eis evaderent, et ut Theuthonici eciam quosdam ex Lyvonibus[k] similes Estonibus[l] interficerent, quidam vero ex eis alia via, que est circa castrum versus Coiwam, fugientes, ad aliam partem exercitus sui venientes evadunt. Sed plures ex eis in montis descensione[m] a militibus persequentibus occiduntur. Ubi Everhardus frater milicie interficitur, et quidam ex militibus nostris vulnerantur. Interim alia pars exercitus videns interitum suorum, in monte, qui est inter castrum et Coiwam, congregatur, et ad defensionem[n] se preparant[o]. Lyvones vero et pedites christianorum ad spolia currunt, equos diripiunt, quorum erant ibi multa milia, bellum ad paganos residuos negligunt. Sed milites et balistarii inpugnantes eos in monte sedentes, multos ex eis interficiunt. Unde ipsi petentes pacem, baptismi sacramenta se recepturos promittunt. Quorum verbis milites credentes verbum episcopis significant, ut ad ipsos recipiendos veniant. Ipsi vero nocte in pyraticas suas confugiunt[p] et ad mare descendere cupiunt, sed balistarii ex omni parte Coiwe descensum eorum impediunt. Alii peregrini, cum Bernardo de Lippia de Riga venientes ad Coiwam, pontem in flumine faciunt, structuras lignorum desuper edificant, venientes pyraticas sagittis et lanceis excipiunt, via fugiendi paganis undique precluditur. Unde tacito noctis sequentis silencio, relictis omnibus suis, clam de pyraticis suis[q] exeuntes effugerunt, et quidam in silvis, quidam secus viam fame perierunt, et pauci ex eis in terram suam, ut verbum domi nunciarent, evaserunt. Erant autem equorum ibidem acquisitorum fere duo milia, simul[r] et virorum interfectorum alia duo milia[r]. Peregrini et omnes, qui bello interfuerunt, Rigam redeuntes et pyraticas paganorum secum[q] ducentes fere trecentas[s] preter minores naves, equos et spolia omnia equaliter inter se diviserunt, ecclesiis partes donantes, et cum episcopis et omni populo Deum collaudantes, qui in adventu primo plurimorum episcoporum tam gloriosum de paganis triumphum concessit. Tunc enim ecclesia Lyvonensis Deum vere pugnare pro se intellexit[a], eo quod in eodem bello caput Estonie cecidit, id est seniores Osilie et seniores Rotalie et aliarum provinciarum, qui ibidem omnes interfecti sunt. Et ita quiescere[b] fecit Dominus superbiam eorum, et arroganciam forcium humiliavit.

---

[a] exquirunt 3.
[b] *deest* 2. 3.
[c] *sic* 2. 3; omen sensum indicat 1; *sine dubio* sensum *ex glossa quadam irrepsit.*
[d] magetas 2. 3.
[e] et surrexerunt peregrini cum fratribus militiae et 2. 3.
[f] se *supra linea a corr. add.* 1.
[g] Wendecula 2. 3.
[h] dextram 2. 3.
[i] *deest* 2. 3.
[k] Lyvouibus 1.
[l] simul Estones 2. 3.
[m] descentione 1.
[n] defentionem 1.
[o] praeparat 2. 3.
[p] fugiunt 3.
[q] suis — paganorum secum *desunt* 1, *prioribus quinque folii* 49. *lineis abscisis.*
[r] simul — milia *desunt* 2.
[s] tresentas 1.

(4.) Episcopus[c] igitur Lyvonensis accepta a summo pontifice auctoritate in transmarinis terris, quas Deus per Lyvonensem ecclesiam fidei subiceret christiane, vice archiepiscopi episcopos creandi et consecrandi, Theodericum abbatem Cysterciensis ordinis in Dunemunde sibi cooperatorem continui sui laboris assumpsit, et in Estonia promittens episcopatum eum in episcopum consecravit; Bernardum vero[d] de Lippia in abbatem consecravit. Idem Bernardus comes dum quondam in terra sua prelia multa et incendia et rapinas committeret, a Deo castigatus plagam debilitatis in pedibus incurrit, ut claudus utroque pede in sporta multis diebus portaretur[e]. Unde compunctus, religionem Cysterciensis ordinis assumpsit, et aliquot annis religionem discens et literas, auctoritatem a domno papa verbum Dei predicandi et in Lyvoniam proficiscendi accepit, et, ut ipse sepius retulit, accepta cruce ad terram beate Virginis statim consolidate sunt plante eius et recepit sanitatem pedum, et in[e] primo adventu eius in Lyvoniam in Dunemunde consecratus est in abbatem, et postmodum Semigallorum episcopus effectus est[34*].

(5.) Lyvones[f] quoque post bellorum multa incommoda tam de adventu episcoporum quam de victoria inimicorum suorum letificati, conveniunt de Duna et de[g] Thoreyda et omnibus finibus Lyvonie supplicantes episcopis et petentes iura[h] christianorum et maxime decimam[i] sibi[k] alleviari, promittentes tam in bellis contra paganos quam in omnibus causis christianitatis perpetuam fidelitatem. Quorum verbis annuentes episcopi suggerunt episcopo Rigensi, quatinus voluntati eorum satisfaciat, ut eos sibi fideles semper acquirat. At ille paterna pietate suos fovere desiderans et etiam forcia bella gencium in circuitu imminencia considerans, pro decima mensuram quandam modii, qui esset decem et octo digitorum, de quolibet equo annuatim solvendam ad petitionem ipsorum instituit, et quatuor episcoporum privilegiis sigillando confirmavit, ita tamen ut, si quando fidelitatis sue obliti, infidelium se consiliis inmisceant et ritibus paganorum baptismi sui sacramentum inficiant, ad decimas solvendas et cetera iura[h] christianitatis deinceps integraliter teneantur.

(6.) Hiis itaque[l] dispositis presul Albertus, relictis tribus episcopis in Lyvonia et quarto tunc consecrato vice sua commissa, rediit in Theuthoniam pro peregrinis et que necessaria erant in futurum annum colligendis, ne quando cessantibus peregrinis magis[m] periclitetur ecclesia Lyvonensis.

(7.) Saccalanenses[n] interim et Ugaunenses adhuc sani et incolumes, exercitum magnum convocant, et Lettorum provincias intrantes et per silvarum latibula ipsos exagitantes, plures ex cognatis et amicis Russini comprehendentes interficiunt, et in Tricatua[o] Thalibaldum et provincias circumiacentes despoliantes iuxta castrum Beverin congregantur. Et obsidentes castrum et pugnantes per totam diem cum Lettis et ignem copiosum conportantes, tandem: *Numquid*, inquiunt, *obliti estis interfectorum vestrorum*[p] *ad Ymeram, ut adhuc pro pace facienda nobis non supplicetis?* At illi: *Numquid non estis et vos*[q] *iam*[r] *memores seniorum vestrorum*[s] *et innumerabilium aput Thoreydam interfectorum, ut nobiscum unum Deum credatis, et baptismum cum pace perpetua recipiatis?* Quo audito indignati sunt, et divertentes de[t] castro cum rapina celeriter in terram suam redierunt[u]. Lettorum[v] vero de Beverin seniores, Dote et Paike[w], euntes Rigam contra Saccalanenses suppliciter auxilium postulabant. Et surgentes peregrini cum fratribus milicie, et Theodericus frater

---

a) intellexerit 2. 3. b) quiscere 1. c) *lemma in* 1: De consecratione Thiderici abbatis in episcopum. d) *lemma in* 1: De ordinatione comitis Bernardi in abbatem. e) *inde ab litteris* taretur *usque* pedum et in *abscisa in* 1, *v. p.* 276 *not.* q. f) *lemma in* 1: De mensura statuta pro decima. g) *deest* 2. 3. h) ira 2. 3. i) decima 2. 3. k) *deest* 2. 3. l) ita 2. 3. m) *deest* 2. n) *lemma in* 1: De secunda obsidione castri Beverin. o) Tricatna 2. 3. p) nostrorum 2. 3. q) et vos non estis 2. 3. r) 3 *add.* estis. s) nostrorum 2. 3. t) a 2. 3. u) redeunt 2. 3. v) *lemma in* 1: De expeditione iuxta mare quod dicitur profundum in Sackalam. w) Payke 2. 3.

34*) a. 1218.

episcopi, et Caupo cum Lyvonibus[a] universis, et Bertoldus de Wenden cum Lettis, et congregantes exercitum magnum in Metsepole processerunt ad mare, et ibant itinere trium dierum iuxta mare, et post hec[b] convertentes[c] se versus provinciam Saccalanensium[d], profecti sunt tribus diebus per silvas et paludes via pessima, et defecerunt equi eorum in via, et ceciderunt[e] fere centum ex eis et mortui sunt, et tandem septimo die pervenerunt ad villas et diviserunt se per omnem terram, et viros, quos invenerunt, interfecerunt, et universos parvulos et iuvenculas capientes, et equos et pecora ad villam Lambiti[f], ubi fuerat maia[35], id est collectio eorum, compulerunt, et sequenti die miserunt Lyvones et Lettos per tenebrosa nemorum latibula, ubi se abscondentes latebant Estones, et invenerunt quam plures viros et mulieres, et extrahentes eos de silvis cum omni substantia, et viros interficientes cetera ad maias assportaverunt. Et ibant duo Letti, Dote et Paike, in villam, et repente irruerunt super eos novem Estones et pugnabant cum eis per totam diem, et Letti plures ex eis vulnerantes et interficientes tandem et ipsi ceciderunt. Die tercio forciores de exercitu transeuntes Palam flumen despoliaverunt totam provinciam illam, que dicitur Nurmegunde[g], et incendentes[h] villas omnes et viros occidentes, mulieres et equos et pecora tulerunt, et usque in Gerwiam[i, 36] pervenerunt. Nocte revertentes et ludum cum clamore magno et clypeorum percussione facientes, sequenti die castrum incenderunt, et alia via redeuntes et omnem rapinam equaliter inter se dividentes, cum gaudio reversi sunt in Lyvoniam. Et[k] facta est pestilencia magna per universam[l] Lyvoniam, et ceperunt homines egrotare et mori, et mortua est maxima pars populi[m], incipiens[n] a Thoreyda, ubi cadavera paganorum iacebant inhumata, usque in Methsepole, et sic in Ydumeam usque ad Lettos et Wenden, et mortui sunt seniores, qui[o] dicebantur Dabrelus et Ninnus, et alii multi. Similiter in Saccala et Ugaunia facta est plaga mortis magne et in aliis terminis Estonie, et multi, qui gladiorum percussionem fugientes evaserunt, amare[p] mortis pestem[q] evadere non potuerunt. Letti[r] autem Bevernenses iterum euntes in Ugauniam cum paucis, Estones pro victualibus[s] ad villas redeuntes comprehenderunt, quicquid masculini sexus erat occiderunt, mulieribus pepercerunt et secum deduxerunt, spolia multa tulerunt. Et domi[t] redeuntibus per viam alii Letti occurrerunt iterum in Ugauniam euntes; quod illi reliquerunt isti tollunt; quod illi neglexerunt isti restaurant, qui ab illis evaserunt ab istis occiduntur, ad provincias et villas, ad quas illi non pervenerunt, isti subsequuntur, et rapientes spolia multa et captivos revertuntur. Et revertentibus illis per viam iterum alii Letti occurrunt, et euntes in Ugauniam, quidquid a prioribus minus pleno actum est, ab hiis integraliter suppletur. Nam viros omnes, quos comprehendunt, interficiunt, divitibus et senioribus non parcunt, sed omnes in ore gladii condempnant. Russinus autem[u] sicut et alii in ultionem amicorum suorum, omnes, quos comprehendit, alios vivos assavit, alios alia crudeli morte interfecit[v]. Redeuntibus quoque illis in castra sua, iterum alii Letti de Beverin, surgentes cum paucis et transeuntes per nemora in Saccalanensem provinciam, que Aliste[37] vocatur, et invenientes omnes in domibus suis, percusserunt eos a magno usque ad minorem, et[w] interficientes multos ex eis, mulieres et equos et pecora tulerunt et inter se cum omni rapina diviserunt. Unde[x] territi Alistegunde simul et alii Saccalanenses miserunt nuncios suos in Rigam, et positis pueris suis obsidibus pacem receperunt, simul et baptismi sacramentum accepturos se promittunt. Theodericus[y] quoque frater episcopi cum servis suis et Bertoldus de Wenden colligentes exercitum, hyeme iam redeunte vadunt in Ugauniam, et invenientes totam terram a Lettis vastatam et castrum Tharbatense[z, 38] desertum, a Lettis eciam quondam incensum, transeunt flumen, quod dicitur Mater aquarum[39], et intrantes villas et paucos invenientes procedunt ad silvas, ubi in nemore densissimo pagani indaginem quandam fecerant et arbores magnas circumquaque succiderant, ut veniente exercitu se et bona sua ibi salvarent. Appropinquante[a] igitur exercitu christiano-

---

a) Leyvonibus 1. b) et postea 2. 3. c) convertens 1. d) Saccalanensem 2. 3. e) ccd'unt 1. f) Lembite 2. 3. g) Murmugunde 2. 3. h) cendentes 1. i) ad Gerwam 2. 3. k) *lemma in* 1: De pestilencia. l) totam 3. m) hominum 3. n) incipientes 1. o) et *addit* 1. p) a mala 2. 3. q) peste 2. r) *lemma in* 1: De diversis expeditionibus Lettorum in Ungauniam. s) promptualibus 2. 3. t) domum 2. 3. u) enim 2. 3. v) interficit 2; affecit 3. w) *in margine* 1: De expeditione in Aliste. x) inde 2. y) *lemma in* 1: De expeditione trans flumen. z) Tharbatum 2. 3. a) *lemma in* 1: De indagine paganorum capta.

35) Ehstnice *maja*, lettice *mahja*, est *domus*, *hospitium*. 36) Hodie Ierwen, est pars provinciae Esthoniae. 37) hodie Hallist. 38) Dorpat. 39) Est Embach fl.

rum, audacter occurrunt, et diutissime se defendentes propter difficultatem vie, tandem multitudini resistere non valentes dorsa vertunt et silvas petunt. Sed alii fugientes persequuntur, et comprehensos interficiunt, mulieres et parvulos captivos duxerunt[a], equos et pecora multa depellunt, bona multa diripiunt. Nam de tota illa[b] provincia ibi[c] confugerant et bona sua omnia secum habebant. Et divisis spoliis omnibus inter se, cum[d] captivis in Lyvoniam redierunt. Celebrata[e] vero dominice nativitatis solempnitate, Dec. 25. cum frigoris instat asperitas et viarum congelantur profunditates, mittentes episcopi per omnia castra Lyvonie et per omnes provincias Lettorum, ut veniant cum Theuthonicis in expeditionem, et mittentes milites suos cum peregrinis et fratribus milicie, collectionem exercitus aput castrum Beverin statuerunt. Et ibat episcopus Theodericus Estiensis cum eis, et celebrata epyphania Domini[f] 1212. Ian. 6. processerunt in Ugauniam, et erant circiter quatuor milia Theuthonicorum, peditum simul et equitum, et Lyvonum et Lettorum alia totidem. Et ibant in provinciam Tharbiten[g], et transeuntes Matrem aquarum venerunt ad indaginem, quam ante christiani destruxerant, et quiescentibus ibi peregrinis, Lyvones et Letti et qui erant velociores de exercitu, processerunt in Waigam[h], et despoliantes totam provinciam aput castellum Somelinde[i] se congregaverunt. Sequenti die venerunt ad suos in Waiga[k], et quiescentes tribus diebus, totam terram in circuitu despoliaverunt, et domos et villas[l] flammis tradiderunt, et multos capientes, multos interficientes, spolia multa tulerunt. Et quarto die procedentes in Gerwam[m] diviserunt exercitum per omnes provincias ac villas et domos[n], et multos de paganis comprehendentes occiderunt, et mulieres et parvulos captivos duxerunt, et pecora multa et equos et spolia rapientes, et in villa, que Carethen[40] vocatur, congregationem suam habentes, omnia, que in circuitu erant, incendio vastaverunt. Erat autem tunc villa Carethen pulcherrima[o] et magna et populosa, sicut omnes ville in Gerwen[p] et in tota Estonia fuerunt, que postmodum omnes sepius a nostris vastate et incense sunt. Post triduum revertentes cum omni rapina, villas ac provincias adiacentes incenderunt, Mocham videlicet ac Normegundam[q], et sic tandem ad stagnum, quod Worcegerrewe[r][41] vocatur, devenerunt, et in[s] glacie[t] euntes, in Lyvoniam cum gaudio redierunt[u].

Audiens[v] itaque rex magnus Nogardie Mysteslawe exercitum Theuthonicorum in Estonia[w], (8.) surrexit[42] et ipse cum quindecim milibus virorum et abiit in Waygam[x], et de Wayga[y] processit in Gerwam, et non inventis Theuthonicis, progressus est in Harien[z][43], et obsedit castrum Warbole[a][44], et pugnavit cum eis per dies aliquot, et promiserunt ei castrenses ut recederet[b] septingentas marcas nagatarum, et reversus est in terram suam.

Post[c] reditum vero Theuthonicorum ab expeditione in Rigam, misit episcopus Estiensis (9.) sacerdotem suum Salomonem in Saccalam, ut eis predicationis verbum ministraret et baptismi sacramentum, quod iam dudum se voverant[d] recepturos, celebraret. Et venit in castrum Viliende, et receptus est a quibusdam, salutatusque est salutatione oris et non cordis[e], qualiter Iudas Dominum salutavit. Et predicans eis verbum salutis quosdam ex eis baptizavit. Sed Saccalanenses et Ugaunenses, audientes exercitum Ruthenorum in Estonia, congregaverunt exercitum de omnibus provinciis suis. Salomon ergo sacerdos, ut audivit congregationem ipsorum, divertit a castro cum suis et cogitavit redire in Lyvoniam. Lembito[f] vero de Saccala, assumpta turba Estonum persequutus est sacerdotem, et inventum nocte interfecit, et Theodericum et Philippum interpretes suos cum quibusdam aliis, qui omnes pro fide Christi occubuerunt et in martyrum, ut speramus, consorcium transmigraverunt. Erat autem Philippus idem de gente Lettonum, et in curia episcopi enutritus et adeo fidelis effectus, ut interpres ad ceteras gentes docendas mitteretur, et sicut martyrii

---

a) trahunt 2. 3. b) *deest* 2. 3. c) illuc 2. 3. d) *deest* 3. e) *lemma in* 1: De expeditione magna prima in Gerwam. f) Deo 2. 3. g) Tharbitensem 2. 3. h) Wagiam 2. 3. i) Semebinde 3. k) Wagia 2; Wagya 3. l) domos villasque 2. 3. m) Germiam 2. 3. n) et d. *in* 1 *a corr. linea transducta deleta, des.* 2. 3. o) pulchra 3. p) Gerwe 3. q) Normegundiam 2. 3. r) Worceg'rewe 1; Worcegerewen 2; Worcegenewer 3. s) ita 3. t) glacio 1. u) revertuntur 2. 3. v) *lemma in* 1: De expeditione Ruthenorum. w) Estoniam 1; Estia 2. x) Wagyam 3. y) Wagya 3. z) Harrien 2. 3. a) Werbole 3. b) rediret 2. 3. c) *lemma in* 1: De missione sacerdotis Salomonis in Sackalam. d) noverant 2. 3. e) corde 2. 3. f) *lemma in* 1: De sacerdotis interfectione sociorumque eius.

40) hodie ut videtur vicus Gross-Karreda.

41) hodie *Wirzjerw*, ehstnice *Würtsjerw* et *Wortsjerw*.

42) De tempore cf. Bonnell l. c. Commentar p. 56.

43) Harrien.

44) apud villam quae hodie dicitur Warbjala.

(10.) particeps factus est, sic et beatitudinis eterne compos fieri meruit. Lembito vero post
interfectionem istorum reversus est ad exercitum suum, et Ruthenis existentibus in Esto-
Febr. 22. nia, ipsi interim in Rusciam abierunt, et intrantes civitatem Plicekowe[a][45] ceperunt occi-
dere de populo, et facto strepitu quodam, cum clamore[b] a Ruthenis ipsi repente cum spoliis
et cum captivis[b] quibusdam fugientes redierunt in Ungauniam, et Rutheni reversi invene-
runt civitatem suam despoliatam.

(11.) Tunc[c] Lyvones et Letti et Estones propter pestilenciam et famem, que indurabant super eos, bellorum incommoda fastidientes, miserunt nuncios in[d] invicem, et exclusis Rigensibus fecerunt pacem, et cessantibus bellis confestim fames hominumque cessavit mortalitas.

(12.) Post[e] hec, resoluta glacie maris et Dune, reversi sunt in Theuthoniam episcopus Ver-
densis[f] et episcopus Pathelbornensis[g] cum peregrinis suis, et remansit in Riga Philippus
Raceburgensis episcopus, qui inter summos fuerat in curia imperatoris Ottonis, et cum
sententia excommunicationis contra eum lata fuisset[46], ipse ob vitandam presenciam[h] ipsius
(13.) usque in quartum annum in Lyvonia peregrinatus est. Post quorum discessum Rutheni
Febr. de Plocekowe indignati sunt[i] contra Woldemarum regulum suum, eo quod filiam suam
fratri[47] episcopi de[k] Riga tradiderit uxorem[l], expulerunt[48] eum de civitate cum familia
sua. Qui confugiens ad regem de Plosceke[m] parvam ab eo consolationem accepit, unde
Rigam descendens cum viris suis a genero suo et familia episcopi honorifice susceptus est.

(XVI.) 1212. Annus[n] erat dominice incarnationis millesimus ducentesimus duodecimus et[o] antistitis quartus decimus, de cuius adventu cum peregrinis gaudebat ecclesia Lyvonensis. Et occurrerunt ei omnes una[p] cum rege Woldemaro excipientes eum cum Dei[q] laudibus, et dedit episcopus regi benedictionem et munera in caritate de omnibus, que adduxerat de Theuthonia, et pietatis studio sufficienter in omnibus ipsi[r] fecit ministrari. Estones[s] vero de omnibus maritimis provinciis convenerant cum exercitu magno, et residebant in Coiwemunde habentes secum Isfridum[t], nuncium Rigensium[u], quem, audito episcopi et peregrinorum adventu, diversis penis cruciatum in Rigam remiserunt. Et ipsi fugientes in terram suam redierunt. Unde Lyvones et Letti, missis nunciis in Estoniam, de pace, quam inter se fecerant, renovanda suaserunt. Et gavisi sunt Estones et remiserunt cum eis viros suos in Thoreydam, et vocatus est episcopus cum fratribus milicie et senioribus de Riga, et convenerunt cum nunciis Estonum requirentes, que iusta sunt et que tantorum sit causa bellorum. Et post multas verborum contentiones tandem facta est pax ad tres annos per omnia, relictis tamen Saccalanensibus usque ad fluvium Palam in episcopi et Theuthonicorum potestate, ut, qui datis obsidibus fidem se christianam accipere promiserunt, integraliter iure baptismatis suscepto gaudeant et[v] christianitatis. Unde facta pace cum Estonibus cessavit tam in Riga quam in Lyvonia et Estonia hominum mortalitas, non tamen quievit a bellis. Nam Lyvones quidam perfidi, qui erant adhuc filii sanguinarii, lacerantes ubera matris ecclesie querebant omne consilium, qualiter fratres milicie, qui erant in Sygewalde[w], dolo tenerent et defraudarent, ut ipsis eiectis de terra facilius familiam episcopi cum aliis Theuthonicis expellerent.

(2.) Rex[x] interim de Plosceke[49] mittens vocavit episcopum, diem prefigens et locum, ut ad presenciam[y] ipsius aput Gercike de Lyvonibus quondam sibi tributariis responsurus[z] veniat[a], ut et sibi colloquentes viam mercatoribus in Duna[b] prepararent[c] securam et pacem renovantes facilius Letonibus resistere queant. Episcopus vero, assumptis secum viris suis et rege Woldemaro cum fratribus milicie et senioribus Lyvonum et Lettorum, ascendit in

---

a) Ploscekowe 2; Plescekowe 3. b) clamore— captivis *desunt* 2. 3. c) *lemma in* 1: De pace iterum facta cum Estonibus. d) *deest* 2. 3. e) *lemma in* 1: De reversione episcoporum in Theuthoniam. f) *sic corr. ex* pˢdensis 1. g) *prius* Palborensis, *tum a corr.* Palbornensis 1; Padelbornensis 2; Paderbornensis 3. h) potentiam 2. 3. i) *deest* 2. 3. k) in 2. 3. l) in ux. 2. m) Ploscekowe 2. 3. n) *lemma in* 1: De anno XIIII°. o) sed 2. 3. p) *deest* 2. 3. q) regis 3. r) ei 3. s) *lemma in* 1: De expeditione Estonum in Coywemunde et de pace renovata usque in tercium annum. t) Suffridum 2; Siffridum 3. u) Rigencium 1. v) *deest* 2. 3. w) Segewalde 2; Seggewalde 3. x) *lemma in* 1: De conventione regis de Plosceke cum episcopo Rigensi et pacis renovatione. y) presensiam 1; potentiam 2. 3. z) respondeat 2. 3. a) *deest* 2. 3. b) Dunam 3. c) facerent 2. 3.

45) De die cf. Bonnell l. c. p 28. 46) 1210. Nov. 18. 47) Theoderico. 48) Cf. Bonnell l. c. p. 28 et Comm. p. 56. 57. 49) Wladimirus.

obviam regi, et ibant cum eo mercatores in navibus suis, et induerunt se[a] omnes armis suis precaventes insidias Letonum ex omni parte Dune. Et venientes ad regem ceperunt ea, que iusticia dictabat, cum eo retractare. Rex vero modo blandiciis, modo minarum asperitatibus episcopum conveniens, ut a Lyvonum baptismate cessaret rogavit, affirmans in sua esse[b] potestate servos suos Lyvones vel baptizare vel non baptizatos relinquere. Est enim consuetudo regum Ruthenorum, ut quamcunque gentem expugnaverint, non fidei[c] christiane subicere sed ad solvendum sibi tributum et pecuniam subiugare. Sed episcopus magis Deo obediendum iudicavit quam hominibus, magis regi[d] celesti quam terreno[e], secundum quod ipse[f] in ewangelio suo precipit[g], dicens: *Ite! docete omnes gentes, baptizantes* Matth.28,19. *eas*[h] *in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Et ideo se neque ab incepto desistere, neque predicationis officium a summo pontifice sibi iniunctum negligere constanter affirmavit. Sed neque regi tributa sua dari prohibebat, secundum quod Dominus in ewangelio suo Matth.22,21. iterum ait: *Reddite que sunt cesaris cesari, et que sunt Dei Deo,* quia et ipse episcopus versa vice quandoque[i] eundem censum eciam regi pro Lyvonibus persolverat. Lyvones autem, nolentes duobus dominis servire, tam Ruthenis videlicet quam Theuthonicis, suggerebant episcopo in omni tempore, quatinus eos a iugo Ruthenorum omnino liberaret. Sed rex verborum iustis rationibus non acquiescens[k] tandem indignatus est, et omnia[l] castra Lyvonie simul et ipsam Rigam se flammis tradere comminatus, exercitum suum de castro iussit exire, et cum Theuthonicis bellum inire simulans ordinavit omnem populum suum in canpo cum sagittariis suis, et appropinquare cepit ad eos. Unde viri omnes episcopi cum rege Woldemaro et fratribus milicie, et[m] mercatores indutis armis suis, audacter regi in obviam processerunt. Et cum congrederentur, Iohannes ecclesie beate Marie prepositus, et rex Woldemarus, cum aliis quibusdam, inter media agmina transeuntes, regem commonitum habebant[n], ne bellis suis novellam turbaret ecclesiam, ne et ipse cum populo suo turbaretur a Theuthonicis, qui erant omnes fortes in armis suis et habebant desiderium magnum cum Ruthenis pugnandi. Quorum audaciam veritus rex[o] exercitum suum redire iussit, et transiens ad episcopum, et tamquam patrem spiritualem salutans veneratus est. Similiter et ipse tamquam filius ab eo receptus est. Et commanentes ad tempus verborum interloquutionibus omnia, que pacis erant, diligenter inquirebant. Unde tandem rex, Dei fortassis edoctus instinctu, Lyvoniam totam domno episcopo liberam reliquit, ut pax inter eos perpetua firmaretur tam contra Letones, quam contra alios paganos, et via mercatoribus in Duna semper libera prestaretur. Et his[p] peractis rex cum mercatoribus et cum omni populo suo Dunam ascendens et[q] reversus est in Ploceke[r] civitatem suam cum gaudio. Sed et episcopus cum omnibus suis maiori gaudio descendens, rediit in Lyvoniam.

Post[s] horum reversionem orta est contentio magna inter fratres milicie de Wenden et (3.) Lettos de Autine[t], qui[u] tunc erant in sorte episcopi, de agris et arboribus apum. Et lesis quibusdam Lettis a fratribus, pervenit ad episcopum querimonia, et surrexit domnus[v] episcopus cum venerabili domno[w] Philippo Raceburgensi episcopo[w], et convocavit fratres milicie cum Lyvonibus et Lettis ad placitum, ut sedando litem ad pristinam eos concordiam revocaret. Et litigantes verborum altercationibus duobus diebus nullam inter eos pacis reconciliationem adinvenire potuerunt. Unde[x] Lyvones et Letti recedentes a Theuthonicis inter se coniuraverunt, et gladiorum calcatione coniurationem suam pagano more confirmaverunt. Quorum primus erat Caupo, cuius verba erant in hunc modum, ut numquam a fide Christi recederet, sed ut pro Lyvonibus et Lettis ad episcopum intercederet, ut eis iura christianitatis[y] alleviarentur[z]. Sed ceteri omnes intentionem suam non curantes, contra fratres milicie coniurantes, Theuthonicos omnes et nomen christianum de terra Lyvonum[a] expellere cogitabant. Quo viso, reversi sunt episcopi et fratres milicie cum omnibus amicis suis, qui venerant cum eis, unusquisque in munitionem suam. Tunc[b] congregati sunt Lyvones de Sattesele[c] in castrum suum, et mittentes ad Lenewordenses[d] et Holmenses et Thoredenses et ad[e] omnes Lyvones et Lettos ut haberent consilium; et consenserunt eis

[a] sese 2. 3. [b] *deest* 2. 3. [c] fide 1. [d] rei 2. 3. [e] terrenae 2. 3. [f] *deest* 2. 3. [g] precepit 2. 3. [h] eos 2. 3. [i] quoque 2. 3. [k] quiescens 2. [l] viam 3. [m] et *deest* 2. 3. [n] habent 2. [o] audatia rex 2. 3. [p] *littera* h *a correctore superscripta est* 1. [q] *deest* 2. 3. [r] Plosceke 2. [s] *lemma in* 1: De pace facta cum rege et Lyvonia libera relicta. [t] Antme 2. 3. [u] q̄ 1. [v] *deest* 1. [w] *deest* 3. [x] *lemma in* 1: De contencione Lettorum cum fratribus milicie et de coniuratione Lyvonum cum Lettis. [y] christianorum 2. 3. [z] allevarentur 2. 3. [a] Livoniensi 2; Livoniensium 3. [b] *lemma in* 1: De conspiratione et confederatione Lyvonum Thoredensium contra nomen christianum et contra Rigenses. [c] Satsele 2. 3. [d] Lenewardenses 2. 3. [e] *deest* 2.

omnes, et ceperunt firmare omnia castra sua, ut collectis frugibus subito in castra recipiantur. Et innotuit sermo Danieli de Leneworde[a], qui procurator erat ibidem advocacie, et misit et cepit omnes seniores Lyvones illius provincie, qui conscii erant consiliorum malorum, et proiecit eos in vincula, et castrum eorum incendit. Similiter[b] Rigenses intelligentes cogitationes pessimas Holmensium miserunt et destruxerunt summitatem castri ipsorum lapidei, quod primus eorum episcopus Meynardus edificaverat. Et mittentes in Thoreydam castrum Thoredensium fecerunt noctis silencio incendi, ne post collectionem ipsorum[c] in castro[d] bella contra Rigenses forciora pararent. Unde post incensionem[e] castrorum, dissipatum est consilium perfidorum. Lyvones vero Satteselenses[f], iam dudum in castrum suum recepti, bellum contra fratres milicie in Sygewalde inchoantes, ceperunt familiam ipsorum persequi et occidere quosdam ex eis. At illi exeuntes de castello[g] Sygewaldensi, quod noviter edificaverant, et effugabant[h] eos occurrentes eis, et persequentes eos occidentes ex eis. Lyvones quoque, plures et forciores prioribus iterum obviantes illis, et persequentes eos, et interficientes ex eis, repulerunt eos in castellum[i] suum. Et in hunc modum diebus aliquot contendebant. Et audivit episcopus litem ipsorum, et missis nunciis causam belli ipsorum requirebat. Et venerunt nuncii Lyvonum Rigam, et querimonias multas de Rodolfo magistro fratrum milicie proponentes, agros et prata et pecunias sibi ablatas referebant. Et misit episcopus Alebrandum sacerdotem, qui eos baptizaverat, cum aliis quibusdam, et euntes frustra laborabant nec litem ipsam determinare valebant. Ipse eciam episcopus cum Philippo Raceburgensi episcopo[k] Thoreidam veniebat. Et vocatis Lyvonibus cum fratribus milicie, causas ipsorum audiebat. Et Lyvones cum armis suis trans flumen sedebant, et Theuthonicis loquebantur, et in multis fratres milicie accusabant. Et promisit episcopus restitutionem omnium iniuste ablatorum. De hiis vero, que pro excessibus eorum acceperant, sicut ea iuste demeruerunt, ita nec restitui promittebantur. Et prudentum[l] virorum consilio pueros ipsorum episcopus obsides[m] requirebat, ne a fide christiana recederent; sed ipsi nec obsides dare, nec episcopo nec fratribus milicie obedire, sed fidem christianam cum Theuthonicis omnibus extirpare de terra cogitabant. Quod intelligentes episcopi Rigam redierunt. Sed sequens cum lacrimis supplicabat, ut iterum mitteretur episcopus Raceburgensis cum preposito, si forte quiescerent et salutaris adhuc doctrine monita reciperent. Et missus est Philippus Raceburgensis cum preposito Iohanne et Theoderico, fratre episcopi, et Caupone et aliis quam pluribus ad ipsos Lyvones. Et consederunt omnes cum Lyvonibus ante castrum ipsorum, retractantes que pacis erant et iusticie. Sed quidam ex ipsis venientes post tergum, et mendaciter nunciabant fratres milicie cum exercitu provinciam spoliare. Unde cum clamore magno ac strepitu rapientes prepositum et Theodericum fratrem episcopi et Gerhardum advocatum et milites et clericos cum servis omnibus, traxerunt in castrum, et verberantes eos, in custodiam posuerunt. Et volebant episcopum rapere; sed prohibebat eos et comminabatur eis sacerdos ipsius et interpres, Henricus de Lettis. Cessante vero clamore et insania eorum, rogavit episcopus, prepositum suum cum omnibus aliis sibi restitui, et minas pro huiusmodi illusione superaddidit. Et reducti sunt omnes, et monebat eos episcopus iterum atque iterum, ne baptismatis sacramenta contempnerent, ne christianitatis sue Deique culturam violarent, ne ad paganismum redirent, puerosque ipsorum duos vel tres obsides exigebat. At illi blande quidem respondentes, obsides[n] dare non curaverunt. Et ait episcopus: *O increduli corde, et dura facie, et lingua blandiloqua, cognoscite creatorem vestrum*[o]. Et ait, quid si forte[p] quiescant et Deum verum cognoscant et ritus paganorum derelinquant. Nichil vero proficientes sed quasi aerem frustra verberantes, reversi sunt in Rigam. Et Lyvones non minus contra fratres milicie bellare ceperunt.

(4.) Episcopus[q] igitur Albertus zizaniam a tritico separare[50] et mala in terra orta volens extirpare antequam multiplicentur, convocat peregrinos cum magistro milicie et fratribus suis, et Rigenses et Lyvones, qui adhuc in sua steterunt fidelitate. Et conveniunt omnes,

---

a) Lenneworde 2; Lennewarde 3.
b) *lemma in* 1: De incendio castrorum perfidorum.
c) eorum 2.
d) castra 1—3.
e) incentionem 1.
f) Saccelenenses 1; Sattaselenses 2; Saccalanenses 3.
g) castro 2.
h) fugabant 2. 3.
i) castelum 1.
k) *deest* 2.
l) prudentium 2; prudentiam 3.
m) *deest* 2.
n) tamen *add.* 2. 3.
o) unum 2. 3.
p) quid si forte *bis reperiuntur in* 1.
q) *lemma in* 1: De obsidione castri Sattesele et expugnatione eiusdem.

50) Cf. Matth. 13, 25.

et collecto exercitu magno et assumptis secum omnibus, que necessaria erant, procedunt in Thoreidam, obsidentes castrum idem Dabrelis, in quo fuerunt Lyvones apostatantes, et non solum Lyvones fratrum milicie, sed et Lyvones episcopi de alia parte Coiwe, quorum princeps ac Vsenior fuit esike. Et exeuntes Lyvones a castro a posteriori parte, et quibusdam de exercitu lesis, tollebant equos et spolia eorum, et reversi sunt in castrum, dicentes: *Confortamini, Lyvones*[a], *et pugnate, ne serviatis Theuthonicis.* Et pugnaverunt, defendentes se diebus multis. Theuthonici vero patherellis munitionem castri destruunt[b], lapides multos et magnos in castrum proiciunt, homines et iumenta multa interficiunt. Alii sagittis Lyvones a defensione[c] repellunt, ledentes ex eis quam plures, alii propugnaculum erigunt, quod nocte sequenti ventus in terram proicit, et clamor magnus fit et exultatio in castro, diisque suis secundum antiquas consuetudines honorem impendentes animalia mactant[d], canes et hircos immolantes ad illusionem christianorum in faciem episcopi et tocius exercitus de castro proiciunt. Sed frustratur omnis labor eorum. Nam propugnaculum forcius erigitur, turris lignea repente firmatur, ad fossatum desuper impellitur, castrum desubtus[e] foditur. Russinus interea de castri summitate Bertoldum magistrum de Wenden, draugum[51] suum, id est consocium, alloquitur, tollens galeam de capite et inclinans de munitione, pacis ac familiaritatis pristine verba proponens. Et subito a balistario[f] sagittam in caput suum recipiens cecidit, et postea mortuus est. Fodientes itaque in vallo Theuthonici die ac nocte, non requiescunt donec ad summitatem castri appropinquant, donec vallum scinditur, donec munitio tota iam venire ad terram expectatur. Et videntes Lyvones altitudinem castri sui firmissimi iam ad yma declinare, consternati animo et[g] mente confusi, seniores suos, Assen cum ceteris, ad episcopum mittunt, veniam petunt, ut non occidantur supplicant. Episcopus vero, ut ad fidei sacramenta revertantur persuadet, vexillum suum in castrum mittit, quod ab aliis elevatur, ab aliis proicitur. Unde Asse ad tormenta ligatur, bellum innovatur, fit novissima pugna peior priore. Unde tandem tradentes se, vexillum beate Marie sursum erigunt, episcopo colla sua subiciunt; ut parcatur eis suppliciter exorant, ut fidem Christi neglectam cicius[h] recipiant, ut sacramentalia cuncta deinceps[h] firmiter observent, ut ritus paganorum numquam amplius ad memoriam revocent. Misertus autem eorum episcopus exercitum prohibet ne castrum subintrent, ne supplicantes interficiant, ne multorum animas gehenne tradant. Et obediens fideliter exercitus et reverenciam exhibens episcopo cessavit a bellis et pepercit infidelibus, ut fideles efficerentur. Et reversus est episcopus cum suis[i] in civitatem suam, ducens secum Lyvonum eorundem seniores, ceteris iniungens, ut subsequantur ad baptismi sacramenta renovanda pacisque pristine tranquillitatem reformandam. Et[k] venerunt nuncii Lyvonum sequentes episcopum in Rigam, veniam petentes coram omni multitudine. Et ait episcopus: *Si renunciaveritis,* inquit[l], *falsorum deorum cultibus, et ex toto corde vestro ad unius Dei culturam reversi fueritis, et satisfactionem*[m] *dignam pro delictis vestris tam enormibus Deo et nobis impenderitis; tunc tandem pacem a vobis interruptam restaurabimus et vos in fraterne caritatis dilectionem recipiemus.* At illi: *Quid,* inquiunt, *a nobis pater satisfactionis requiris?* Episcopus vero, requisito consilio alterius episcopi, Raceburgensis, et decani Halverstadensis[n][52], qui tunc aderat, et abbatis et prepositi sui, nec non et magistri fratrum milicie et aliorum prudentum suorum, respondit eis[o], dicens: *Pro eo, quod fidei sacramenta reiecistis, et fratres milicie, dominos vestros, bello inquietastis, et totam Lyvoniam ad ydolatriam retrahere voluistis, et maxime in contemptu*[p] *Dei altissimi et ad nostram et omnium christianorum illusionem, hircos et cetera animalia diis paganorum immolantes, in faciem nostram et tocius exercitus proiecistis, ideo modicam summam argenti*[q], *centum videlicet oseringos vel quinquaginta marcas argenti ab omni provincia vestra*[r] *requirimus, insuper fratribus milicie equos et armaturas suas et cetera eis ablata restituere tenemini.* Quod audientes perfidi, et adhuc satisfactionem nullam dare[s] volentes, reversi sunt ad suos, differentes et deliberantes aput se et dolos querentes, qualiter in bello rapta obtineant, qualiter episcopo nichil predicti iuris

---

a) *deest* 2. 3. b) deserunt 2. 3. c) defentione 1. d) manctant 1. e) subtus 2. f) balistariis 3. g) ac 2. h) cicius — deinceps *desunt* 3. i) cum suis *des.* 2. k) *lemma in* 1: De pacis reformatione cum Lyvonibus. l) *deest* 2. m) satisfacionem 1. n) Halverstadiensis 2. 3. o) ei 2. 3. p) contemptum 2. 3. q) ab omni provincia *addunt* 2. 3. r) *deest* 2. 3. s) *deest* 1.

51) *draugs* in lingua Lettica est *amicus.* 52) Burchardi.

inpendant. Et mittunt alios meliores prioribus, et episcopo verba quidem plana referunt, sed fraudes in corde meditantur. Quorum perfidiam considerans Alabrandus, primus eorum sacerdos, assumit[a] eos seorsum[b], docens eos et dicens: *Genimina vipperarum, qualiter effugere poteritis iram Dei, qui semper perfidie felle repleti estis*[c], *et pro malefactis vestris nichil satisfacere vultis? Facite ergo fructus aliquos penitentie, et si vere ad Deum converti volueritis, Deus erit utique vobiscum, ut qui hactenus duplici corde et inconstantes fuistis, nunc sitis constantes in viis vestris, ut videatis auxilium Domini super vos. Nondum enim fidei plenam habuistis constantiam, nondum decimarum vestrarum oblatione Deum honorare voluistis. Nunc vero supplicate domno episcopo, ut omnium vestrorum excessuum obliviscatur, et in plenariam vobis remissionem peccatorum iniungat, quatinus sincere credentes in Deum, omnia christianitatis iura recipiatis integraliter, et decimas frugum vestrarum Deo et Dei servitoribus tribuatis, sicut et alie gentes omnes, que sancti baptismatis fonte sunt renate. Et augebit vobis Dominus novem partes reliquas, ut magis abundetis in rebus quam ante et in pecuniis. Et liberabit vos Deus ab aliarum gentium impugnatione, nec non ab omnibus angustiis vestris.* Talibus monitis salutaribus auditis gavisi sunt Lyvones, et reversi in Thoreidam nunciaverunt omnibus verbum Alebrandi[d] sacerdotis. Et placuit omnibus, eo quod nullam pecunie multam ad presens solvere cogerentur, sperantes in futuro anno cum Estonibus Theuthonicos iterum debellare. Et venerunt omnes seniores, qui remanserant, sani de castro Dabrelis, nec non et Lyvones episcopi de alia parte Coiwe, Vesike cum suis, et alii de Metsepole, in Rigam, rogantes episcopum ut, sicut Alebrandus edocuit, in fide Christi plenariter eos confirmet et pro malefactorum suorum satisfactione decimas annuatim eis iniungat persolvendas. Et displicuit sermo iste tam in oculis episcoporum quam aliorum discretorum virorum, timentium ipsorum promissionem plenam esse omni fallacia et dolorum machinatione. Sed tamen supplicatione eorum importuna victus episcopus, et maxime peregrinorum et totius populi precibus assensum prebens, annuit petitioni eorum, recepitque eos in filios, et pace data promissionem eorum confirmavit, ut deinceps fiant fideles et decimas annuatim solvant.

(5.) Unde Lyvones de castro Dabrelis, sicut promiserunt, decimas solvunt annuatim, et custodivit eos Dominus hactenus ab omni impetu paganorum vel Ruthenorum. Lyvones vero episcopi ex misericordia ipsius et magna pietate mensuram hactenus pro decima solverunt. Idumei quoque et Letti, qui ad bellum non venerunt[e], nec fidei sacramenta violaverunt, mensuram primam a quatuor episcopis constitutam pro decima persolvunt annuatim usque in hodiernum diem; sed qui ex eis ad idem bellum venerunt, vel nuncios miserunt, vel euntes in via redierunt, vel saltem equos suos ad eundem sellaverunt, pecunia data suis advocatis satisfecerunt.

(6.) Venerunt eciam Letti de Autine[f] Rigam, deponentes querimoniam apud[g] episcopos contra fratres milicie de Wenden de lesione sua, insuper de arboribus[53] suis ablatis. Et elegerunt arbitros, et data[h] est sententia, ut Letti suas arbores apum, iuramento dato, reciperent in suam possessionem, fratres vero milicie agros iuramento obtinerent, et pro lesione, data pecunia sufficienti, Lettis satisfacerent. (7.) Et transivit rex Woldemarus cum eisdem Lettis in Autine[f], et fuit cum eis procurans[i] advocatiam eorum, donec commutatione facta fratres milicie castrum Kukenoiss relinquerent integraliter episcopo, et ipsi rursus Autine[f] pro tercia parte Kukenoiss reciperent in suam possessionem. Et designata est regi Woldemaro advocatia Theodorici generi sui in Idumea, Theodorico eunte in Theuthoniam.

(8.) Hoc tempore venerunt Letthones in Kukenoiss, petentes pacem et viam ad Estones. Et data est pax et via concessa ad Estones nondum conversos. Et statim venientes cum exercitu transierunt per terram Letthorum pacifice, et intrantes Saccalam comprehenderunt viros multos, et occidentes eos tulerunt omnem substantiam eorum, et mulieres et parvulos et pecora eorum rapientes secum abduxerunt. Et spolia multa asportantes reversi sunt via alia in terram suam. Et indignati sunt eis Theuthonici, eo quod Saccalam episcopo iam subditam spoliaverunt[k]. Et respondentes, quod verum erat, dixerunt, Estones adhuc collo incedere erecto et nec Theuthonicis nec aliis gentibus obedire.

---

a) assumsit 2. b) seorsim 2. c) estis — appropinquaret ad eos tim *(p. 285, l. 18) desunt* 1, *foliis* 59 *et* 60 *excisis.* d) Alabrandi 3. e) convenerunt 3. f) Antme 2. 3. g) ad 2. h) lata 3. i) procreans 2. 3. k) spoliaverant 2.

53) sc. apum.

Anno consecrationis sue decimo quinto reversus est antistes ecclesie Lyvonensis[a] in Theuthoniam, commissa vice sua venerabili prememorato Raceburgensis ecclesie episcopo Philippo, qui devotissimus erat in religione et omni conversatione sua, et oculis ac manibus in celum semper intentus, invictum[b] ab oratione spiritum vix unquam relaxabat. Milites amando, clericos docendo, Lyvones et Theuthonicos magne pietatis caritate fovendo, novam in gentibus ecclesiam summopere verbis et exemplis illuminavit. Et respiravit ecclesia diebus istis aliquantum a bellorum incommodis, licet essent timores intus et foris cottidie de Lyvonum et Estonum dolosis malarum cogitationum machinationibus, qui[c] semper querebant mala contra Theuthonicos et Rigensem civitatem. (XVII. 1213.) (2.) Letthones autem pacem factam cum Theuthonicis non curantes, venerunt ad Dunam, et vocatis quibusdam de castro Kukenoiss, lanceam in Dunam miserunt paci ac familiaritati Theuthonicorum contradicentes. Et congregaverunt exercitum magnum, et transeuntes Dunam venerunt in terram Letthorum, et despoliantes villulas occiderunt multos, et pervenientes usque in Tricatuam, Thalibaldum[d] seniorem illius provincie ceperunt, et Waribule filium ipsius, et transeuntes Coiwam aput Imeram homines in villis suis invenerunt, et capientes et interficientes ex eis, subito reversi sunt cum omni preda sua. Et videns Rameko quod captivus duceretur pater ipsius et frater, surrexit cum Letthis omnibus simulque cum eis Bertoldus de Wenden cum fratribus milicie, et sequebantur post eos. Et cum appropinquaret ad eos, timuit[e] Rameko patris sui interfectionem, si post tergum bellum eis inferret, circumduxit eos via alia. Sed intelligentes hoc Lettones, festinanter fugerunt et evaserunt ab eis. Postquam autem transita Duna terre sue confinia adirent, effugit ab eis Thalibaldus[f], et decem diebus panem non comedens letus reversus est in patriam suam.

(3.) Eo[g] tempore Daugeruthe[h], pater uxoris regis Vissewalde[54], cum muneribus multis ibat ad regem magnum Nogardie, pacis cum eo federa componens. Qui in reversione sua captus est a fratribus milicie, et ductus est in Wenden et proiectus[i] in vincula. Et tenebatur ibidem diebus multis, donec venirent quidam de Letonia de amicis eius ad eum. Post hec gladio se ipsum perforavit.

(4.) Interim[k] Woldemarus, advocatus Ydumeorum et Lettorum, multa metebat que non seminaverat[55], iudicans iudicia et causas eorum, et cum non placerent episcopo Raceburgensi et eciam omnibus aliis sua[l] iudicia, ipse tandem desiderium implendo multorum abiit in Rusciam.

(5.) Milites[m] etiam de Kukenoys et Letti sepius eodem tempore Selones et Lettones despoliantes, villas et confinia eorum vastaverunt, et alios interficientes, alios captivos ducentes, et in via frequenter insidiantes, multa eis mala intulerunt. Unde Lettones colligentes exercitum, venerunt trans Dunam in provinciam Lenewordensem[n], et comprehenderunt Lyvones in villis et occiderunt ex eis, et mulieres et parvulos et pecora secum minantes et[o] spolia multa tulerunt, et seniorem ipsius[p] provincie Uldewene captivum deduxerunt. Supervenit autem Volquinus milicie Christi magister, cuius fratres cum mercatoribus Dunam ascenderant[q]. Persequebatur[r] itaque magister Letones cum paucis, et invasit eos post tergum, et pugnavit cum eis, et cecidit princeps ac senior Lettonum et occisus est, et multi cum eo, et ceteri fugerunt et evaserunt, qui in prima fuerunt[s] acie, et Uldewene secum deduxerunt. Pro cuius redemptione postea[t] datum est capud eiusdem Lettonis occisi, ut saltem capite recepto debitas post eum celebrarent cum potationibus more paganorum exequias.

(6.) Hyeme[u] sequenti[v] Woldemarus cum uxore et filiis et omni[w] familia sua reversus est in Lyvoniam, et receperunt eum Letti cum Ydumeis, licet non multum gaudentes, et miserunt ei sacerdotes Alabrandus et Henricus annonam et munera, et sedit[x] Metimne[y], iudicans[z] et colligens de provincia, que sibi fuerunt necessaria. Et[a] venerunt iterum Letones trans Dunam cum comitatu suo, et erat cum eis dux et princeps eorum Stecse[b], de cuius

---

a) Livoinensis 2. b) iniunctum 2. 3. c) quae 3. d) Thilibaldum 2. 3. e) *hic iterum incipit* 1. f) Thilibaldus 2. 3. g) *hoc loco rubricator officium suum neglexit* 1. h) Dangeruthe 2. 3. i) coniectus 3. k) interea 2. 3. l) sui 2; s 3. m) *rubrum non exaratum* 1. n) Lenewardensem 2. o) *deest* 2. 3. p) istius 2. 3. q) ascenderunt 2. r) *lemma in* 1: De fuga Letonum. s) fuerant 3. t) *deest* 2. u) *rubrum non exstat in* 1. v) sequente 2. 3. w) et cum omni 2. 3. x) sedit in castro 2. 3. y) Medimne 2. 3. z) iudicans iudicia 2. 3. a) *rubrum in* 1: De interfectione Stecse reguli Letonum sociorumque eius. b) Steke 3.

54) de Gercike. 55) Cf. Ev. Lucae 19, 21.

adventu gaudebant Theuthonici. Et convenerunt omnes simul Bertoldus de Wenden cum fratribus suis, vocantes secum Woldemarum regem cum aliis Theuthonicis et Lettis. Et occurrerunt eis, ponentes insidias in via, et irruerunt super eos, occidentes ducem eorum Stecse[a] predictum et alios quam plures, et ceteri fugerunt, ut verba domi nunciarent, et siluit ecclesia diebus paucis.

(XVIII.) Annus[b] erat pontificis sextus decimus, et rediit in Lyvoniam cum peregrinis multis
1214. inveniens ecclesiam pacis quodammodo quiete gaudentem, et episcopum venerabilem, pre-
dictum Raceburgensem, eandem vice sua regentem. Et dispositis omnibus, quae dispo-
nenda erant, iterum festinavit in Theuthoniam, ut facilius ad concilium[c] Romanum venire
posset in sequenti anno, quod erat iam duobus annis indictum, relinquens prefatum epi-
scopum in domo et in expensa[d] sua in Riga. Et uxor Woldemari erat et omnis familia eius
(2.) ibidem, cui ministrabant omnes in caritate. Ipse autem Woldemarus in Ydumea et in Let-
thia collegit[e] res et pecunias, iudicia iudicans civilia. Et occurrens ei Alebrandus sacerdos
Ydumeorum dixit ei: *Oportebat te*, inquit, *rex, qui iudex hominum esse meruisti*[f], *iudicia
iusta iudicare et vera, non opprimendo pauperes, nec res eorum auferendo, nec*[g] *neophitos
nostros conturbando magis a fide Christi faceres deviare*[h]. Et indignatus est rex, et commi-
natus Alabrando ait: *Oportebit me, Alebrande, divicias et habundancias domus tue minuere*[i].
Nam et exercitum magnum regum Ruthenorum[k] postea duxit in domum suam[l], et omnia
vastavit, sicut infra dicetur. Et post modicum tempus cum omni familia recessit in
Rusciam.

(3.) Post[m] hoc[n] episcopus[o] Philippus Raceburgensis cum peregrinis et Gerhardo advocato transivit in Thoreidam, et edificavit castellum[p] episcopo, quod et[q] Vredelande[r] appellavit, quasi terram pacificans, sperans per idem castrum terram pacificari[s] et sacerdotum et omnium virorum suorum ibi esse refugium. Et venerunt ibidem ad eum filii Thalibaldi[t] de Tolowa, Rameke[u] cum fratribus suis, tradentes se in potestatem episcopi, promittentes se fidem christianam a Ruthenis susceptam, in Latinorum consuetudinem commutare, et de duobus equis mensuram annone per singulos annos persolvere, eo quod tam pacis quam belli tempore semper tuerentur[v] ab episcopo, et essent cum Theuthonicis cor unum et anima una[56], et contra Estones et Letones eorum semper gauderent defensione. Et recepit eos episcopus cum gaudio, remittens cum eis sacerdotem suum, qui erat prope Ymeram, qui eis fidei sacramenta ministrando discipline christiane daret inicia.

(4.) Milites[w] interea de Kukenoys, Meynardus, Iohannes, Iordanus cum aliis, incusantes[x] Wyssewaldum regem de Gercike eo quod non veniret ad episcopi patris sui presenciam[y] iam pluribus annis postquam regnum suum ab eo recepit, sed Letonibus consilium et auxilium omni tempore preberet. Et citantes eum ad satisfactionem sepius invitabant. Quod contempnens ille non venit, neque responsalem misit. At illi, requisito prius episcopi consensu[z], simul cum servis suis et Lettis convenerunt et ascenderunt prope Dunam cum servis omnibus. Et appropinquantes castro Gercike, quendam ex Ruthenis comprehenderunt, quem ligantes traxerunt secum nocte ad castrum. Qui conscendens primus fossatum, sicut iussus fuerat, cum vigile loquebatur, sequentibus aliis singillatim[a]. Et putabat vigil suos cives, qui absentes fuerant, advenire. Et ascenderunt singuli, donec tandem omnes arcem munitionis tenerent. Et congregantes se simul omnes, castrum in circuitu munitionis custodiebant, et neminem Ruthenorum de castro exire permittebant, donec lucem diei viderent. Et facta luce descenderunt in castrum, et rapuerunt omnia, que erant ibidem, et ceperunt multos, et alios per fugam evadere permiserunt. Et tollentes spolia multa, castroque derelicto reversi sunt ad propria, dividentes inter se omnia, que attulerunt.

(5.) Tercius[b] annus erat et pax cum Estonibus facta finem accepit. Et convocatis episcopus sacerdotibus omnibus, et habito capitulo et consilio cum eis, simul et militibus et senioribus Lyvonum convocatis, deliberavit de expeditione facienda in Estoniam, eo quod non venirent nec pacis innovationem curarent[a], quin pocius semper destructionem Lyvonensis ecclesie desiderarent. Et misit episcopus per omnia castra Lettorum atque Lyvonum, et de omni confinio Dune et Coiwe, et congregavit exercitum magnum et fortem. Et erant in Riga peregrini et mercatores multi, qui omnes exiverunt cum leticia cum magistro milicie et fratribus suis, ponentes collectionem exercitus in Coiwemunde. Et venit episcopus cum eis ibidem, et volebant quidam de Lyvonibus exercitum in Curoniam convertere. Sed adhuc non venit tempus, quo Deus illius gentis vellet[b] misereri. Et facta benedictione episcopus reversus est in Rigam. Exercitus vero processit ad Saletsam[c][57], et venerunt in provinciam, que Sotagana vocatur, et memores facti sunt Theuthonici verborum suorum et pacis, quam antea dederant provincialibus eisdem, et pacifice transeuntes eandem provinciam, nichil mali eis intulerunt, nec homines de domibus suis fugantes, nec[d] fugientes persequentes, sed cum omni mansuetudine euntes, donec ad alias provincias pervenirent, qui numquam[e] pacem cum Rigensibus facere curaverunt[f] putantes, Rigenses ad suas partes tam remotas cum exercitu non posse pervenire. Et erant[g] ex nostris circiter tria milia Theuthonicorum, et Lyvonum et Lettorum alia totidem. Et ibant in glacie maris, pretereuntes Saletsam, donec venirent, quo desiderabant, scilicet[h] in Rotaliam. Ubi[i] cum venirent, diviserunt exercitum suum per omnes vias et villas, et invenerunt omnes viros et mulieres et parvulos et omnes homines a magnis ad minores in villis suis, nullis rumoribus de adventu exercitus premunitos, et percusserunt eos in ira sua, et occiderunt viros omnes. Sed et Lyvones et Letti, qui sunt crudeliores aliis gentibus, nescientes, tamquam servus ewangelicus[58], conservi sui misereri, populum innumerabilem interfecerunt, et nonnullos ex mulieribus et parvulis trucidantes, per campos et villas nemini parcere voluerunt. Et omnes vias et omnia loca sanguine paganorum colorantes, persequuti sunt eos ad omnes provincias, circa latus[k] maris sitas, que Rotelewic[l] et Rotalia vocantur. Letti quoque cum aliis, persequentes quosdam ex eis in glacie maris fugientes, et comprehensos statim interfecerunt, et res omnes et substantiam tulerunt[m]. Et rapuerunt filii Thalibaldi tria Lyvonica talenta argenti, exceptis vestibus et equis et spoliis multis, que omnia retulerunt in Beverin. Similiter et omnis exercitus primo die et secundo et tercio fugientes Estones in omnibus locis insequuti sunt, et interfecerunt hac et illac, donec fessi deficerent tam ipsi quam equi eorum. Tunc tandem quarto die convenerunt simul omnes in unum locum cum omni rapina sua, et compellentes equos et pecora multa, et mulieres et parvulos et puellas ducentes secum et spolia multa[n], cum gaudio magno reversi sunt in Lyvoniam, benedicentes Dominum pro vindicta facta in nationibus. Et confuse sunt gentes[o], et fecerunt ploratum et ululatum magnum. Estonia quoque[p] plorans filios suos, consolari non potuit, quia et hic[q] perditi sunt et[r] in futura vita[59], et maxime pre multitudine interfectorum, quorum non erat numerus.

---

[a] Stecke 2; Steke 3. [b] *lemma in* 1: De anno XVIº. [c] consilium 1—3. [d] exspensa 1. [e] colligebat 2. 3. [f] esse in terris 2. 3. [g] ne 2. 3. [h] derivare 2. 3. [i] imminuere 2. 3. [k] Ruthenicorum 2. 3. [l] ipsius 2. 3. [m] *lemma in* 1: De edificatione castri Vredelant. [n] haec 2. 3. [o] *deest* 3. [p] castellum quoddam 2. 3. [q] *deest* 2. 3. [r] Vrelande 2. 3. [s] specificari 3. [t] Thilibaldi 3. [u] Ramke 3. [v] tueretur 1. [w] *lemma in* 1: De secunda expeditione in Gerceke. [x] incusandum 2. 3. [y] p *tantum littera de hac voce in* 2 *exstat, reliquis spatio vacuo relicto.* [z] responso 3. [a] sigillatim 2. 3. [b] *lemma in* 1: De pace finita.

[56] Cf. Act. Apost. 4, 32.

(6.) Post[s] hec in quadragesima factum est incendium magnum in civitate Riga intempeste noctis silencio[60], et ardebat prima pars civitatis, primo videlicet edificata et primo muro cincta, ab ecclesia beate Marie, que conbusta est cum campanis[t] maioribus, usque ad domum episcopi cum domibus adiacentibus usque ad ecclesiam fratrum milicie. Et contristatus est populus maxime de campana belli dulcisona et de dampno facto in civitate. Et fusa est alia campana maior priore.

(7.) Postquam[u] igitur fessi de expeditione quieverunt, et vires pristinas tam ipsi quam equi eorum receperunt, aliam indicunt[v] in quadragesima expeditionem. Et euntes Rigenses cum fratribus milicie, convocant secum Lyvones et Letthos, et procedunt in Sackalam, relinquentes post tergum castrum Viliende, et despoliantes totam terram in circuitu, tandem

[a] crearent 2. 3.
[b] velit 3.
[c] Salesa 1.
[d] f. sed nec 1.
[e] tanquam 2. 3.
[f] creaverunt 2. 3.
[g] *deest* 1–3.
[h] videlicet 2. 3.
[i] *in margine* 1: De expeditione in Rotaliam.
[k] lacū 1.
[l] Rotalewie 2. 3.
[m] intulerunt 2. 3.
[n] tollentes *add.* 2. 3.
[o] et c. s. g. *des.* 3.
[p] namque 2. 3.
[q] qui et hic 2; qui etsi 3.
[r] *deest* 3.
[s] *lemma in* 1: De incendio civitate Rigensi *(sic!)*.
[t] campanibus *primo, alia manu corr.* 2.
[u] *lemma in* 1: De expugnatione castri Saccalanesis *(sic!)*.
[v] inducunt 2; *deest* 3.

[57] Salis fl., ehstnice *Sallatse*.
[58] Cf. Ev. Matth. 18, 23 sqq.
[59] Cf. Ev. Matth. 2, 18.
[60] 3. Reg. 3, 20.

apud castrum Lembitu, quod Leole[a] vocatur, ex inproviso congregantur. Estones vero, qui in castro erant, primis venientibus audacter occurrunt, timorem incuciunt, sed illi colligentes se in unum, suorum adventum exspectant, et sequenti die ac tertio castrum inpugnantes lignorum struem super vallum comportant et ignem inponunt, et vallum, quod erat ex lignis et terra conpositum, incendunt, et ignis gradatim ascendendo munitioni desuper appropinquat. Videntes itaque, qui erant in castro, vallum igne consumi, et timentes castrum per hoc capi, pecuniam promittunt ut a castro recedant[b]. Theuthonici vero, nichil aliud ab eis se requirere, nisi ut baptizentur, affirmant, et vero[c] pacifico reconciliati, fiant eorum fratres tam in hoc seculo, quam in futuro. Quod abhorrentes illi tradere se in manus ipsorum formidant. Sed Lyvones et Letti cum omni exercitu ignem adaugentes et conbustionem et occisionem comminantur. Illi vero, vallo iam consumpto, timentes occidi, veniam suppliciter postulant, de castro exeunt, baptizari se promittunt. Adsunt[d] sacerdotes Iohannes Stric[e], Otto fratrum milicie sacerdos. Baptizatur[f] Lembitu[g] perfidissimus cum aliis omnibus[h], tam mulieribus quam parvulis et viris, qui in castro erant, promittentes[i], se christianitatis iura[k] perpetua fidelitate custodire[l]. Quam promissionem tamen postea perfidie sue dolis violaverunt. Exercitus vero interim[m] castrum subintrans et bona cuncta diripiens, equos et boves cum omnibus pecoribus educens, et spolia multa tollens et inter se dividens, cum gaudio reversus est in Lyvoniam, adducens[n] secum seniores eiusdem castri, Lembitu[o] cum aliis. Qui positis pueris suis[p] obsidibus remissi sunt in terram propriam, et benedixerunt omnes Dominum, qui mirabiliter tradidit castrum in manus eorum absque balistarum sive machinarum impugnationibus, et pervenit nomen Christi eciam usque[q] ad alias provincias.

(8.) Erat[r] in castello[s] Vredeland[t] sacerdos quidam Cysterciensis ordinis, Fredericus de
Cella[u], quem episcopus auctoritate domni pape ad opus assumpserat ewangelii, qui in domi-
Apr. 12. nica Palmarum dominice passionis mysteria multis lacrimis celebrans, et exhortationis ver-
Apr. 19. bum de cruce Domini dulcibus monitis astantibus ministrans. Et celebrata dominice resur-
rectionis solempnitate cum scolare suo et quibusdam aliis navigio Rigam descendere
volebat. Et occurrentes ei in ore fluminis Osilienses irruerunt super eum, et captum cum
puero suo et Lyvonibus quibusdam eum deduxerunt in pyraticis suis, et in Adya[v] flumine
littus ascendentes, diversis eum ibi tormentis cruciaverunt[w]. Cum enim in[x] celum intentus
orationum suarum ad Dominum cum scolare suo funderet laudes, et gratiarum ageret
actiones, ipsi caput et dorsum utriusque clavis suis percucientes, irridebant dicentes: *Laula!*
Ps. 128, 3. 4. *Laula! Pappi*[y], secundum quod scriptum est: *Supra dorsum meum fabricaverunt pecca-
tores. Sed Dominus iustus concidet cervices eorum,* sicut infra dicetur. Post hec acuentes
ligna dura et sicca, et incutientes[z] inter ungues digitorum ipsorum[a] et carnem, et mem-
bratim et punctatim laniantes, ignem apposuerunt, et crudeliter cruciaverunt. Et tandem
securibus suis inter medium scapularum eos secantes interfecerunt, et in martyrum con-
sorcium animas eorum absque omni dubio in celum transmiserunt, proicientes corpora
Ps. 78, 2. 3. eorum, sicut scriptum est: *Carnes sanctorum tuorum bestiis terre, effuderunt sanguinem
eorum tamquam aquam in circuitu Ierusalem, et non erat qui sepeliret.* Lyvones quoque
quosdam secum captivos deduxerunt in Osiliam, qui post reditum suum[b] nobis omnia pre-
dicta retulerunt.

(9). Meynardus[c] quoque[d] de Kukenoys cum commilitonibus suis collegit iterum exercitum contra regem Wissewaldum de Gercike. Et audivit Wissewaldus et misit nuncios Letonibus, qui venerunt et exspectaverunt eos trans Dunam, et nescientes eos illi, qui erant cum Meynardo, venerunt et ceperunt Gercike, et tulerunt predam magnam et[e] equos et pecora. Et apparuerunt Letones ex altero littore Dune rogantes, ut naves eis adducant, ut veniant ad eos pro pace renovanda. Quorum verbis fraudulentis nimium creduli simplices naves eis transmittunt, et statim transeuntes Letones, et alii alios transducentes plures et plures subsequuntur. Tandem omnis exercitus in Dunam se proiciens transnatare cepit ad eos.

---

[a] Leale 2; Lecte 3. [b] discedant 3. [c] vere 3. [d] assunt 1; affuit 2. 3. [e] Strick 2. 3. [f] *in margine* 1: De pace data et baptismo eorum. [g] Lembita 3. [h] *bis scriptum in* 1. [i] promittes 1. [k] iam 2. 3. [l] custodiri 3. [m] subinterim 3. [n] adducentes 2. 3. [o] *sic* 2. 3; Lembitū 1. [p] sive 2. 3. [q] *deest* 3. [r] *lemma in* 1: De martyrio sacerdotis sociorumque eius. [s] castro 2. 3. [t] Vredelande 2. [u] Zella 3. [v] Adia 2. 3. [w] ibi cruciamentis torserunt 2. 3. [x] Qui cum in 2. 3. [y] *in margine 3 alia manu scriptum est:* id est, canta, canta presbyter. [z] incuentes 1. [a] suorum 2. 3. [b] *deest* 3. [c] *lemma in* 1: De interfectione Meynardi sociorumque eius. [d] vero 2. 3. [e] *deest* 2. 3.

Quorum multitudinem videntes milites et eorum conflictum expectare verentes, navigio quidam ex eis Dunam descendunt et sani in Kukenoys revertuntur, alii cum Lettis per viam[a] redeuntes a Letonibus post tergum impugnantur, et videntes Letti suorum paucitatem, in fugam convertuntur[b]. Et pugnantes milites, Meynardus, Iohannes[c] et Iordanus, et non valentes tanto exercitui[d] resistere, ceciderunt tandem interfecti ab eis. Et audivit episcopus et Rigenses, et lugebant eos dicentes: *Quomodo ceciderunt fortes in bello et interierunt arma bellica!* II Reg. 1, 25. 27.

(XIX.) 1215. Annus[e] erat presulis Alberti decimus septimus, et innovatum est bellum in omnibus Lyvoniae confiniis. Nam post Rotaliensem expeditionem et Lembiti de Sackale[f] subiugationem, tota Estonia[g] sevire cepit contra Lyvoniam, et consiliati sunt, ut[h] una cum tribus exercitibus venientes destruant Lyvoniam, ut Osilienses Rigam obsideant et portum in Duna obstruant, et Rotalienses Thoredenses Lyvones impugnent, et Sackalanenses[i] et Ugaunenses interim Lettorum terram devastent, ut Lyvones et Letti, propriis bellis impediti, Rigensibus in auxilium venire non queant[k].

(2.) Et venerunt Osilienses cum exercitu magno navali in Dunemunde ducentes secum pyraticas et liburnas, et impleverunt eas lapidibus, et dimiserunt in profundum maris in[l] introitu fluminis, et edificantes structuras lignorum et similiter implentes lapidibus, in ore Dune proiecerunt, ut viam et portum advenientibus clauderent. Et quidam ex eis in liburnis suis ascenderunt ad civitatem, et remigantes hac et illac, tandem litus et campum apprehendunt. Et fratres milicie cum aliis de civitate stabant ad portam. Et quidam ex servis cum Lyvonibus hostes in campo videntes, irruerunt subito super eos, et occidentes ex eis persequuti sunt eos usque ad naves; et fugientibus eis, una pyraticarum suarum concussa et submersa est cum omnibus qui erant in ea, et ceteri evaserunt et redierunt ad suos in Dunemunde. Et surrexerunt Rigenses cum omnibus suis, quos habere potuerunt, et descenderunt post[m] eos, alii navigio et[n] alii per terram. Quos ut viderunt Osilienses, declinaverunt ab eis ad aliam partem Dune non exspectantes bellum cum eis. Et subito Rigenses, aspicientes a longe, viderunt in[o] mari duos coggones venientes, in quibus erant Borchardus[p] comes de Aldenborch[q], et fratres episcopi Rothmarus et Theodericus. Qui et appropinquaverunt ad Dunam, et viderunt hostes coram se in littore maris et in alio littore Rigenses, et non cognoverunt, qui[r] christiani erant; sed signum dabant eis Rigenses vexillorum demonstratione. Et ut cognoverunt eos, simul et hostium intellexerunt multitudinem, converterunt naves suas ad hostes, et acceleraverunt ad eos, et erant quidam de Rigensibus in navibus suis, qui et sequebantur eos post tergum in Duna, et alii in littore rerum eventum exspectabant. Videntes itaque hostes, ab exercitibus christianorum undique se circumdari, fugerunt festinanter ad naves suas, et dispersi sunt in mari per medium eorum, et evanuerunt ab oculis eorum, et sequuti sunt Rigenses, et aliquas[s] naves abstulerunt ab eis, et ceteri evaserunt. Et susceperunt Rigenses peregrinos cum leticia, et benedixerunt Dominum, qui et in hac presenti[t] tribulatione consolatus est populum suum. Aqua vero fluminis meatum suum fortem liberum habere volens, simul et mare procellarum collisionibus opera eorum in profundum missa postmodum comminuit, nec non et Theuthonici quicquid remansit extrahentes destruxerunt, et viam liberam omnibus Dunam intrare volentibus reddiderunt.

(3.) Osiliensibus[u] autem in Duna existentibus, Rotalienses congregantes exercitum de suis maritimis provinciis intraverunt Lyvoniam, in Methsepole[v] despoliantes villas et incendentes, et neminem invenire potuerunt ex Lyvonibus, qui omnes cum mulieribus et parvulis suis ad castra confugerant. Et congregaverunt Lyvones congregationem suorum, ut inimicis occurrerent. Et audierunt Rotalienses eorum voluntatem simul et fugam Osiliensium suorum de Duna, fugerunt et ipsi et reversi sunt in terram suam. Venerunt[w] quoque interim Saccalanenses et Ugaunenses in terram Lettorum cum exercitu magno, et obsederunt

---

a) *alia manu in marg. add.* 2. b) revertuntur 2. c) et Ioh. 2. 3. d) *prius* exercitu, *alia manus rubro colore superscripsit* tui 1. e) *lemma in* 1: De anno XVII°. De expeditione Osiliensium ad Dunam. f) Sachele 2; Sackele 3. g) Livonia 2. h) *deest* 1. i) Sackanenses 1. k) venire nequeant 2. 3. l) *deest* 2. m) per 1. n) *deest* 2. 3. o) a 2. p) Rochardus 3. q) Aldenburg 2. 3. r) quia 1; quinam 2. 3. *ed.* s) alias 3. t) potenti 3. u) *lemma in* 1: De expeditione Rotaliensium in Lyvoniam. v) Metsepole 2. w) *lemma in* 1: De expeditione Estonum ad Lettos.

castrum Autine[a], et exiverunt fratres milicie de Wenden volentes bellare[b] cum eis[c], et intellexerunt ipsi verbum hoc et fugerunt eciam et ipsi[d]. Et circa vesperam venientes in Tricatuam[e], invenerunt Thalibaldum de silvarum latibulis ad balnea rediisse, et comprehenderunt eum, et vivum crudeliter ad ignem cremaverunt comminantes ei interitum[f], nisi pecuniam suam eis totam ostendat. Et ostendit eis oseringos[g] quinquaginta. Sed illi non minus eum cremaverunt. At ille: *Si demonstravero vobis,* inquit, *omnem pecuniam meam et filiorum meorum, non minus me cremabitis,* et noluit eis amplius indicare. Unde iterum ponentes eum ad ignem, tamquam piscem assaverunt, donec animam reddidit et mortuus est. Et quia christianus fuit, et de fidelium Lettorum numero, speramus animam ipsius lete[h] pro tanto martyrio in eterna leticia in sanctorum martyrum societate gaudere. Et reversi sunt Estones in terram suam, et ad nichilum redegit[i] Dominus consilium eorum. Tunc[k] filii Thalibaldi, Rameko et Drivinalde[l], videntes, quia mortuus est pater eorum, irati sunt contra Estones valde, et colligentes exercitum Lettorum cum amicis et cognatis suis, et ibant cum eis fratres milicie de Wenden cum aliis Theuthonicis, et intraverunt Ugauniam, despoliantes villas omnes et flammis tradentes, et viros omnes, quos comprehendere potuerunt, vivos in ultionem Thalibaldi cremaverunt. Et castra omnia eorum[m] incenderunt, ut nullum in eis refugium haberent. Et querebant eos in tenebrosis nemorum latibulis, et nusquam ab eis abscondere se[n] potuerunt, et extractos de silvis interfecerunt, et mulieres et parvulos eorum captivos secum deduxerunt, et equos et pecora minantes spolia multa tulerunt, et reversi sunt in terram suam. Et redeuntibus in via Letti iterum alii occurrerunt, et processerunt in Ugauniam, et quod alii neglexerant[o], isti suppleverunt. Nam ad villas et provincias, ad quas alii non venerant, isti pervenerunt, et quicunque prius ab aliis effugerant, ab istis evadere non potuerunt. Et[p] comprehenderunt multos, et interfecerunt viros omnes, et mulieres et parvulos captivos[q] traxerunt, et pecora et spolia multa secum[r] deduxerunt. Et revertentes, in via Lettos iterum alios obviam habent, paratos ad expeditionem in Ugauniam, qui et ipsi predam rapere cupiunt; in ultionem parentum et cognatorum suorum ab Estonibus quondam occisorum viros interficere querunt. Et procedunt in Ugauniam, non minus spoliantes quam prius, non minus[s] captivantes quam priores. Nam venientes de silvis[t], ad agros aut ad[u] villas pro cibariis comprehendunt, et alios igne cremantes, alios gladiis iugulantes, diversis tormentis afficiunt, donec omnes pecunias suas eis aperiunt, donec ad omnia nemorum suorum latibula eos deducunt et mulieres et parvulos in manus eorum tradunt. Sed nec[v] sic quidem mitigatur animus Lettorum, sed ablata pecunia et omni substantia, mulieribus et parvulis, ad ultimum caput, quod solum remansit, auferunt, et pertranseuntes omnes provincias usque ad Matrem aquarum in Darbeten[w] nemini parcunt, sed[x] quidquid masculini sexus est interficiunt, mulieres et parvulos captivos trahunt[y], et facta vindicta de inimicis suis, leti cum omni preda sua domi[z] revertuntur. Itemque[a] Bertoldus de Wenden[b] cum suis et Theodericus frater episcopi cum militibus ac servis suis et filii Thalibaldi cum Lettis suis convenerunt in unum, et euntes cum exercitu in Ugauniam comprehenderunt multos de[c] Estonibus, qui prius evaserant a Lettis, et interfecerunt eos, et villas, que remanserant, incenderunt, et quicquid[d] a primis minus actum est, ab istis diligenter adimpletum est, et circuiverunt omnes provincias, et transeuntes Matrem aquarum et usque ad Waigam pervenerunt, et non minus terram[e] illam[f], que erat trans flumen, depredantes et villas incendentes, et viros interficientes, mulieres et parvulos ceperunt, et peractis omnibus malis, que potuerunt, reversi sunt in Lyvoniam Et ordinaverunt iterum alios, qui redirent statim in Ugauniam et similia mala inferrent eis, et redeuntibus illis iterum alii missi sunt, et non cessaverunt Letti neque requiem dabant Estonibus in Ugaunia. Sed nec ipsi requiem habebant, donec eadem estate novem exercitibus terram ipsam devastantes desolatam ac desertam ponerent, ut iam nec homines nec cibaria invenirentur. Cogitabant enim eos tam diu debellare, donec aut pro

---

a) Antme 2. 3. b) bellum 2. 3. c) ipsis 2. 3. d) et ipsi *des.* 2. 3. e) in Tricatnam venientes 2; Tricatnam 3. f) interim 2. g) *sic a correctore ex* osiringos 1. h) laeta 2. i) redigit 2. 3. k) *lemma in* 1*:* De expeditione Lettorum ad Estones. l) Drunalde 2. 3. m) *deest* 2. 3. n) *a correctore additum* 1. o) neglexerunt 2. 3. p) *in margine* 1*:* De diversis expeditionibus Lettorum in Ugauniam. q) mulieres captivas 2. r) *deest* 2. s) prius non minus spoliantes non minus 1. t) villis 3. u) *deest* 2. 3. v) ne 2. w) Darbetin 3. x) et 3. y) ducunt 3. z) domum 2. 3. a) *lemma in* 1*:* Item in Ugauniam ad idem. — *Prius* Int'm, n *erasum est et a correctore additum* qȝ. 1. b) Weden 1. c) unt multos de *litterae erasae sunt* 1. d) quitquit 1. e) terrae 3. f) *deest* 2. 3.

pace et baptismo venirent qui residui erant, aut omnino eos exstirpare de terra. Et factum est, ut iam filii Thalibaldi numerum centenarium excederent, quos in ultionem patris sui aut vivos cremaverant aut aliis tormentis diversis interfecerant, exceptis aliis innumerabilibus, quos unusquisque Lettorum simul cum Theuthonicis et Lyvonibus interfecerant.

(4.) Videntes[a] itaque, qui superstites adhuc remanserant in Ugaunia, quod a furore Theuthonicorum et Lettorum nusquam evadere possent, miserunt nuncios in Rigam, rogantes ea que pacis sunt. Et dictum est eis, ut bona quondam mercatoribus[b] ablata restituerent[61]. At illi raptores ipsorum bonorum a Lettis interfectos dicentes et nequaquam se restituere posse affirmantes, causis omnibus sopitis, baptizare[c] se petunt, ut veram pacem et perpetuam Theuthonicorum atque Lettorum fraternam dilectionem consequantur. Et gavisi sunt Theuthonici, et confirmantes cum eis pacem, sacerdotes ad baptizandam Ugauniam mittere pollicentur. Et audientes Saccalanenses omnia mala Ugaunensibus illata, timentes, ne sibi similia contingerent, miserunt et ipsi postulantes, ut sacerdotes ad eos mitterentur, ut, consummato in provincia ipsorum baptismate, christianorum etiam efficerentur amici. Et missi sunt sacerdotes Petrus Kakuwalde[d][62] de Vinlandia et Otto fratrum milicie sacerdos, et perrexerunt in Saccale, et consummaverunt baptismum usque ad Palam, et in Ugaunia usque ad Matrem aquarum. Quo facto reversi sunt in Lyvoniam, nondum valentes cohabitare cum eis propter aliorum Estonum ferocitatem[e].

(5.) Episcopus[f] autem Raceburgensis cum episcopo Estiensi[g] Theoderico festinans ad concilium[h] Romanum, cum peregrinis euntibus in Theuthoniam mari se committens, Gothlandiam properat cum novem coggonibus. Et nocte sequenti factus est ventus contrarius eis cum tonitru, et per totam diem passi tempestatem magnam, depulsi sunt tandem in portum novum in Osilia[i]. Quos ut cognoverunt Osiliani de Riga venisse, comminabantur eis bellum. Et mittentes per totam Osiliam congregaverunt exercitum magnum navalem Et alii in equis venientes, in littore maris structuras lignorum edificabant, implentes eas lapidibus, portum, cuius aditus strictus erat, obstruere nitentes, ut concluso portu caperent omnes et interficerent. Teuthonici vero[k] in cymbis suis, id est minoribus[l] navibus, exeuntes ad litus, segetes per agros gladiis suis metebant, nescientes exercitum in vicino littore, et in alio littore[m] per singulos dies idem faciebant. Tandem Osilienses positis insidiis octo ex eis comprehenderunt, et aliis occisis, alios captivos deduxerunt, et cimbam[n] unam abstulerunt. Unde nimium confortati, miserunt ad omnes provincias Estonie, dicentes se episcopum Rigensem cum omni exercitu suo comprehendisse. Et venerunt omnes cum exercitu magno. Et facto diluculo in primo mane totum mare contra nos tenebrosum apparuit pyraticis ipsorum repletum, et pugnaverunt contra nos per totam diem. Et quidam ex eis structuras lignorum et liburnas veteres adducentes, miserunt in profundum, et lapidibus impleverunt, et aditum portus nobis obstruxerunt. Unde timore magno perterriti, putabamus manus eorum non evadere. Alii[o] quoque ex eis ducebant ignes maximos tres ex siccis lignis et pinguedine animalium incensos, et super structuras arborum magnarum compositos. Et primus ignis, qui erat super alios magis ardens, pellebatur supra mare et adpropinquabat ad nos, et ventus australis fortis vehementi impulsione[p] pellebat eum super nos. Et Estones in pyraticis suis circueuntes ignem custodiebant eum, et in directo ducebant eum super medios coggones. Erantque coggones omnes in unum colligati, ut facilius nos ab inimicis defenderemus, tantoque magis ignem evadere non posse timebamus. Et cum iam ignis idem, alcior coggonibus omnibus, flammas suas ad nos extenderet, evocavimus episcopum de camerula sua, in qua erat orans[q] die ac nocte. Et venit et vidit, quod non erat consilium et auxilium nobis, nisi divinum. Et elevans oculos suos et manus utrasque ad celum, orabat ab igne presenti liberari. Et vidimus omnes, et ecce subito[r] ventus

---

a) *lemma in* 1: De pace data Ugaunensibus et fide recepta. b) q. a m. 3. c) baptisari 2. d) Kakewalde 2. 3. e) ferociam 2. 3. f) *lemma in* 1: De reditu episcoporum in Theutoniam et de multis tribulationibus eorum in mari. g) Estensi 2. h) consilium 1. i) Osiliam 2. 3. k) *deest* 2. 3. l) suis in m. 3. m) et in al. l. *des.* 1. n) cūbā *prius, rad. corr.* 1. o) *lemma in* 1: Qualiter ab ignibus liberati sumus per Dei misericordiam. p) inpultione 1. q) *deest* 2. r) *deest* 3.

61) Cf. XI, 7, supra p. 261. 62) In lingua Finnica *kaikkiwalta* omnipotentiam, *kaikkiwaltias* omnipotentem significat. Petrum sacerdotem Finnum igitur origine fuisse bene coniecit Pabstius, l. c. p. 205, et ipse dicitur *de Vinlandia*, id est Finnland.

australis conversus est in orientalem, et ventus ab oriente convertit ventilogium, quod erat in velo[a], in contrarium, et removit ignem a nobis, et cum omni mansuetudine depellebat eum circum coggones retro nos in mare. Et benediximus omnes Dominum, eo quod visibiliter liberavit nos ab incendio presenti. Et pellebant secundum ignem et tercium, contra quos diu pugnantes et aquam fundentes multum laboravimus, quos etiam tandem ventus removit a nobis. Interim alii Estones erant remigantes circa nos, et lanceis et sagittis suis vulnerantes plures ex nostris, et alii redeuntes iterum eadem via circum nos lapidibus et pedis suis iactantes super nos. Et erant timores nobis tam de portu clauso quam de bellorum incommodis. Et[b] ait Albertus Sluc nauta[c] noster: *Si*, inquit, *pacienter obtemperare volueritis, liberabit nos Dominus a periculis presentibus. Cum*, inquit, *naves nostre non sint onuste sed vacue, et modica sufficit*[d] *eis profunditas, alia via poterimus exire, si cymbas intraveritis fortes viri et armati, et anchoras deducentes proieceritis in profundum, per medium hostium*[e] *revertentes iterum ad nos, ceterique, funibus anchoris alligatis, coggones trahendo subsequantur, donec in profunditatem maris perveniamus.* Et obedivimus omnes et traximus, donec transitis difficultatibus in mare magnum et spatiosum pervenimus. Qui vero in cymbis anchoras deduxerunt milites et servi[f], sevissimam impugnationem passi, lanceis et sagittis ipsorum nec non et lapidum iactibus graviter sunt vulnerati. Qui tandem tollentes secum ferrum recurvum vel uncum ferreum, quod in aliquam pyraticarum proicerent et taliter apprehenderent. Et iactantes in unam, iam eam attrahere putabant. Sed Estones vehementi remigatione fugientes ab eis, alias pyraticas obvias habuerunt. Et cum esset eadem hora hec oratio episcopi ad beatam Virginem[g]: *Monstra te esse matrem, monstra te esse matrem;* revera monstravit se esse matrem. Nam illa pyratica fugiens, que magna erat et multis viris repleta[h], forti pulsu vecta super aliam, scissa est cum sonitu magno per medium et repleta est aquis, et viri ceciderunt in mare et submersi sunt, et confusi sunt[i] alii omnes. Et videntes nos profunditatem maris iam comprehendisse, congregaverunt se in littore maris. Et erant ex eis multa milia, qui tam equites[k] quam pedites[l] convenerant de tota Estonia, et in pyraticis fere ducentis. Et irati sunt valde in[m] invicem clamore magno, simul et verberibus, eo quod duarum ebdomadarum laboribus nichil profecerunt[n], et multos ex suis in mari submersos et plures a balistariis nostris interfectos perdiderunt. Et sustollentes vela sua dispersi sunt in mari, et abierunt unusquisque in viam suam. Et sequuti sunt nostri post eos in cymbis suis, et abstulerunt eis pyraticam unam maiorem, quam in Godlandiam secum deduxerunt. Et liberavit nos in illa die beata Virgo, sicut et omnes Lyvonenses hactenus liberavit ab omnibus angustiis suis usque in hodiernum diem.

(6.) Postquam[o] liberavit nos Dominus ab Osiliensibus[p], sedimus in eodem portu, donec trium ebdomadarum tempus complevimus, tempestates maris cottidianas et procellarum turbines et ventos contrarios habentes. Et erat fames magna et penuria ciborum. Et distribuit episcopus omnia, que habuit, in caritate, et eramus cottidie vota voventes et orantes, Iul. 21. ut nos ab illo loco liberaret Dominus. Et factum est in vigilia Marie Magdalene, cantantibus iam nobis quasi semivivis responsorium, flavit auster, cessaverunt omnes venti contrarii, et dedit nobis Dominus ventum prosperum. Et levantes vela nostra sequenti Iul. 22. mane pervenimus in Gothlandiam. Et stans in lapide altaris gratias agebat Domino, dicens: *Transivimus, Domine, per ignem et aquam et eduxisti nos in refrigerium*[63]. *Quoniam probasti nos Deus, igne nos*[q] *examinasti, sicut examinatur argentum. Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso*[r] *nostro, imposuisti homines super capita nostra*[64]. *Liberasti nos Domine de omnibus periculis nostris et reduxisti nos super hanc firmam petram.* Habebat enim magnum desiderium ad petram, qui Christus est[65], veniendi, et multis gemitibus a missarum solempnitatibus[s] in mari abstinebat, licet tamen alternis diebus infra dominicum officium communicaret[t]. Et implevit tandem Dominus desiderium ipsius, et misit eum

---

a) pilo 2. 3. b) *lemma in* 1: Qualiter conclusionem portus evasimus. c) Slutůanta 2; Slucuanta 3. d) sufficiat 2. 3. e) hostem 2. f) sūi 2; sui 3. g) Mariam *add.* 2; Mariae *add.* 3. h) completa 3. i) *deest* 2. 3. k) equos *prius, rad. effectum est* equis 1. l) pedes 1. m) *deest* 2. 3. n) proficerent 2. 3. o) *lemma in* 1: De morte episcopi Philippi. p) Oesiliensibus 3. q) Deus igne nos *bis reperiuntur in* 1. r) domu 3. s) solemniis 2. 3. t) *quae hoc loco in margine* 1 *scripta erant rubro colore magnam ad partem abscisa sunt, ita ut legatur tantum:* rte ‖ tã ‖ rgẽ ‖ tvy ‖ ˜ ‖

63) Psal. 65, 12. 64) ibid. 10—12. 65) 1. Corinth. 10, 4.

Nov. 14. vel 15. eodem itinere in Veroniam[a], ubi modica infirmitate correptus[b], Domino spiritum suum commendabat[66]. Et sepultum est corpus eius in marmoreo sepulchro cuiusdam quondam cardinalis, in cenobio, quod est supra flumen, ordinis Augustiniensis[c]. Et vidit Veronensis quidam in visione columpnam tamquam fulgur splendentem de trans Alpibus venientem et ibidem se ad quiescendum[d] deponentem[e]. Et alii visiones similes angelicas ad sepulchrum eius se videre testati sunt. Nec mirum! qui erat vir stabilis et constans, ut nec in prosperis, nec in adversis[f] a Christi desiderio moveri posset; ut nec etiam ordinem silencii sui ante matutinalem cursum et ante horam diei primam finitam unquam interrumpere vellet, sive in[g] incendio Rigensi, quando incensis omnibus fugatus est a domo sua, sive inter ipsos hostes in mari, sive tercia vice quando a vigile graviter vulneratus est, cum esset in muro nocte in orationibus suis. Dedit[h] ergo Deus ei locum, quem optavit, firmum et stabilem in petra. Cuius anima cum Christo, et memoria ipsius maneat in benedictione!

(7.) Nov. 11—30. Anno[i] dominice incarnationis 1215. celebratum est concilium[k] in ecclesia Romana, presidente papa Innocencio, presentibus patriarchis et cardinalibus et episcopis quadringentis, abbatibus octingentis[67]. Inter quos erat episcopus Lyvonensis Albertus cum Estiensi episcopo. Qui referebat tribulationes et bella et negocia Lyvonensis ecclesie summo pontifici, simul et omnibus episcopis. Et congaudebant omnes de conversione gencium, simul et de bellis et triumphis multiplicibus christianorum. Et ait episcopus: *Sicut*, inquit, *pater sancte, terram sanctam Ierosolimitanam, que est terra filii, sanctitatis tue studio*[l] *fovere non desinis, sic Lyvoniam, que est terra matris, consolationum tuarum sollicitudinibus hactenus in gentibus dilatatam, eciam hac vice desolatam, derelinquere non debes. Diligit enim filius matrem suam, qui, sicut non vult terram suam perdi, sic nec vult*[m] *terram matris utique periclitari.* Cui respondit summus pontifex et ait: *Sicut terram filii, sic et terram matris paterne sollicitudinis nostre studiis semper promovere curabimus*[n]. Et finito concilio[o] remisit eos cum gaudio, renovata auctoritate predicandi et peregrinos in remissionem peccatorum signandi, qui Lyvoniam[p] secum proficiscentes novellam ecclesiam a paganorum tuerentur[q] insultibus. Roma[r] dictat iura, Riga vero rigat gentes. Nam Petrus Kakuwalde[s] et Otto sacerdos, a Riga missi, Saccalam et Ugauniam interim sacro fonte rigantes ad vitam invitant eternam. (8.) Rotalienses[t] vero adhuc rebelles, christianorum leges adhuc recipere contradicunt. Contra quos expeditio destinatur. Festo itaque nativitatis dominice peracto, Lyvonibus et Lettis indicitur, ut sint parati, ut congregentur ituri[u] contra christiani nominis inimicos. Quibus et occurrunt Theuthonici cum fratribus milicie. Adest etiam Borgardus[v] comes cum peregrinis, qui simul omnes in glacie maris euntes Estonie provinciam 1216. primam attingunt. Et dividentes exercitum, per omnes vias et[w] villas Estones fugientes persequuntur, comprehensos interficiunt, mulieres et parvulos et pecora rapiunt[x], ad castrum Sontagana congregantur, obsidentes Estones in eo et pugnantes cum eis diebus novem. Erigebant[y] itaque propugnaculum ligneum, et ad castrum vicinius appellitur. Super quod ascenderunt[z] Lyvones et Letti simul cum balistariis, et in arce munitionis multos ex Estonibus lanceis[a] et sagittis interficiunt, multos vulnerantes a defensione[b] repellunt. Estones namque nimium audacter ad dimicandum prosilientes, et quasi magis locum dantes balistariis, plures vulneratos et plures interfectos recipiunt. Unde tandem post multorum interfectionem et propter aque[c] cibariorumque[d] defectum tradentes se pacem petunt. Theuthonici vero: *Si perfidie vestre*, inquiunt, *volueritis arma deponere, et veram pacem, que Christus est, in vestrum castrum recipere, libenter vobis parcendo vos in fraternitatis nostre recipiemus amorem.* Quod ut audiunt, statim baptismi sacramentum cum

---

a) *ed. et codex manuscriptus quidem Suecicus apud Arndt Lifl. Chron. memoratus hic et infra legunt:* Neroniam, Neroniensis. b) arreptus 3. c) Augustinionensis 3. d) se adquiescentem 3. e) *deest* 3. f) diversis 3. g) *deest* 2. 3. h) concedit 2. 3. i) *lemma in* 1: De concilio Romano. k) consilium 1. l) *deest* 2. 3. m) ultra 2. 3. n) certabimus 3. o) consilio 1. p) qui in L. 2 3. q) tueretur 3. r) *lemma in* 1: De baptismo Ugaunensium et Sackalanensium. s) Kukewalde 1; Krukewalde 2. 3. t) *lemma in* 1: De expeditione in Sontaganam. — Otalienses 2. 3. u) iterum 2. 3. v) Burchardus 2. w) vias et *des.* 2. 3. x) *deest* 2. 3. y) *lemma in* 1: De expeditione castri Sontagana et fide recepta. z) *vox dubia* 1; adscendunt 2; ascendunt 3. a) lameis *in* 1 *legerat Schirren.* b) defentione 1. c) aquas 1. d) ciborumque 3.

[66] Cf. Hildebrand l. c. p. 10. 11. Mallem cum codicibus optimae notae retinere Veroniam. Alpes, quas in visione Veronensis cuiusdam paulo post invenimus, mihi magis ad Veronam quam ad prata Neronensia iuxta Romam spectare videntur.

[67] V. Hildebrand l. c. p. 24.

omni iure christianitatis se recipere cum gaudio pollicentur. Unde die iam undecimo[a] missus est ad eos Godfridus sacerdos in castrum. Qui benedicens eis: *Si,* inquit, *abrenunciare*[b] *volueritis ydolatrie*[c], *et in unum Deum christianorum credere?* Et respondentibus cunctis: *Volumus,* ipse aquam fundens ait: *Baptizamini ergo omnes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Quibus completis data est pax, et acceptis[d] obsidibus seniorum filiis, reversus est exercitus cum omni preda et spoliis et captivis in Lyvoniam, Deum pro gencium conversione benedicens, qui est benedictus in secula.

(9.) Post[e] dierum paucorum pausationem, recuperatis viribus congregantur iterum Rigenses cum Lyvonibus et Lettis, et euntes in glacie maris, quod erat continua frigoris asperitate congelatum firmissime, versus Osiliam exercitum suum converterunt. Et invenientes viam maris optimam exercitum suum dividunt, et per omnes vias ac villas circueuntes, multos comprehendunt, et viros omnes interficiunt, mulieres et parvulos et pecora secum abducunt[f]. Aput unum castrorum[g] conveniunt et cum eis, qui in castro erant, dimicantes, nonnullos ex eis vulnerantes interficiunt[h], et pre nimia frigoris intensione castrum ipsum expugnare non attemptantes, cum omni rapina et captivis reversi sunt per viam suam in glacie. Et clamantibus quibusdam quod malewa sequeretur, et aliis festinanter euntibus ad ignem, quidam ex eis deficientes et frigore congelati ceciderunt et mortui sunt, et alii sani redierunt.

(10.) Apr. 10. Transacta[i] vero dominice resurrectionis solempnitate, miserunt Estones ad regem Woldemarum de Ploceke[k], ut cum exercitu numeroso[l] veniens Rigam obsideret[m]. Ipsi quoque Lyvones et Lettos interim bellis deprimere, simul et portum in Dunemunde se claudere, pollicentur. Et placuit regi consilium perfidorum, qui semper Lyvonensem ecclesiam querebat[n] disturbare, mittensque in Rusciam et Letoniam, convocavit exercitum magnum Ruthenorum atque Letonum. Et postquam convenerunt omnes et parati erant, et rex intraturus erat navem iturus cum eis, subito cecidit et exspiravit, et mortuus est morte subitanea et improvisa, et omnis exercitus ipsius dispersus est et reversus in terram suam.

(11.) Et audientes, qui erant in Riga de familia episcopi et fratres milicie, consilia Estonum, emerunt coggonem, munientes eum in circuitu tamquam castrum, et locantes in eo viros quinquaginta cum balistis et armis, statuentes eum in ore fluminis Dune ad custodiendum portus introitum, ne venientes Osilienses obstruerent sicut ante. Mortuo itaque rege pervenit verbum in Osiliam, simul et audientes, balistarios et viros armatos Dune portum custodire, Saletsam intraverunt, et ascendentes circa stagnum Astegerwe, villas Lettorum despoliaverunt, et mulieres capientes, viros interfecerunt. Et congregati sunt quidam ex Lettis, insequentes eos, et comprehensos quosdam interfecerunt, et alios ad naves fugaverunt. Et siluit ecclesia diebus paucis, que erat exspectans adventum sui pontificis.

(XX.) 1216. Annus[o] erat antistitis octavus decimus. Qui rediit a curia Romana, et in Hagenowe[68] consolatus a rege Frederico, reversus est in Lyvoniam cum episcopo Theoderico Estiensi, et cum aliis fidelibus, militibus et peregrinis, et invenit in Dunemunde viros suos portum custodientes, et retulerunt ei de expeditionibus suis in Estonia[p], nec non et de morte regis, et qualiter consolati sunt in omnibus tribulationibus suis. Et factum est gaudium in ecclesia, tam de adventu pontificis, quam de liberatione sua a Ruthenis ac aliis gentibus.

(2.) Et[q] post hec convenerunt episcopi cum fratribus milicie, facientes[r] divisionem quandam super Estonia, que sicut postea fuit instabilis, sic eam describere inutile reputavi[s]. Quin pocius dicam, quod convenerunt iterum Rigenses cum Lyvonibus et Lettis, et magister Volquinus cum fratribus suis et peregrinis, simul et Theodericus cum viris episcopi, et iverunt cum exercitu, pacifice tantum[t], in Saccalam iam baptizatam, convocantes ad se seniores eiusdem provincie, quorum consilio procedebant ad alios Estones, et ipsi erant eis duces. Aug. 15. In die vero assumptionis beate Virginis intraverunt provinciam Harionensem, que

a) vigesimo 2. 3. b) renunciare 2. 3. c) idololatriae 3. d) receptis 2. 3. e) *lemma in* 1: De expeditione in Osiliam. f) adducunt 1. g) castrum 2. 3. h) occidunt 2. 3. i) *lemma in* 1: De morte regis subetanea Woldemari. k) Ploske 2. 3. l) *deest* 2. 3. m) Rigam veniens Rigam obsideret 2. 3. n) quaerebant 3. o) *lemma in* 1: De anno octavodecimo. p) Estoniam 2. 3. q) *lemma in* 1: De expeditione prima in Harien, (hariven *cod.* 1). r) fatiente 1. s) putavi 3. t) tamen 2. 3.

68) Ibi Fridericus II. degit mense Ianuario et m. Martio d. 20; cf. Regesta Böhmeri p. 86.

est in media Estonia, ubi et omnes gentes circumiacentes quolibet anno ad placitandum in Raigele[a, 69] convenire solebant. Quo cum pervenimus, exercitum nostrum per omnes vias ac villas nec non et provincias illius terre divisimus, incendentes omnia et vastantes, quidquid masculini sexus interficientes, mulieres et parvulos capientes, pecora multa, nec non et equos eorum minantes. Tandem ad villam magnam Lone[b, 70], que est super rivum in media terra[c], convenimus, et ibidem[d] triduo quiescentes, totam terram in circuitu devastavimus, et usque ad Revelenses villas pervenimus. Quarto[e] die ponentes insidias prope villam, capti sunt novem ex eis, et quidam interfecti. Et reversus est exercitus cum preda magna, bovesque[f] et oves innumerabiles reduxerunt. Et sequuti sunt Estones in malewa magna[f], volentes post[g] tergum eos impugnare. Sed cecidit sors deorum ipsorum in partem contrariam. Et reversi sunt Rigenses cum gaudio[h] in Lyvoniam, dividentes omnia, que retulerunt, in caritate[i].

(3.) Post[k] hec indignati Rutheni de Plecekowe[l] contra Ugaunenses, eo quod baptismum Latinorum acceperunt et suum contempserunt, bellumque eis comminantes, censum ac tributum ab eis exegerunt. Ugaunenses vero Lyvonensem episcopum simul et fratres milicie super hoc[m] consulentes, auxilium super hoc[n] postulabant. Quod ipsi non negantes, simulque cum eis vivere ac mori promittentes, liberos eos a Ruthenis esse, sicut semper ante baptismum fuerunt, sic et nunc esse, confirmabant. Mortuo itaque rege magno Woldemaro de Plecekowe[o], resuscitatus[p] est novus adversarius Lyvonensis ecclesie Woldemarus[p], qui[q] surrexit cum exercitu magno Ruthenorum[q] de Plescekowe, et venit in Ugauniam, et sedit in monte Odempe, et misit exercitum suum per omnes villas ac provincias in circuitu, qui incendentes et depredantes totam terram, multosque[r] viros interfecerunt, mulieresque et parvulos captivos deduxerunt[s]. Et erat ibidem Theuthonicorum quidam Isfridus[t] mercator, qui perditis omnibus suis Rigam fugit et nunciavit ibi. (4.) Tunc convenerunt seniores Rigensium cum episcopis ac fratribus milicie, considerantesque bellum Ruthenorum sibi forte imminere, divisionem quandam faciebant super omnibus provinciis Estonie per Lyvonensem ecclesiam subiugatis ac baptizatis, describentes ecclesie Lyvonensi[u] et episcopo Rigensi terciam partem proventuum omnium ac tributorum, de Estonia proveniencium, ut, sicut laborum ac[v] bellorum, sic etiam consolationum particeps existeret, secundariam partem Estiensi episcopo, terciam vero fratribus milicie pro laboribus et expensis suis adiudicabant.

(5.) Veneruntque iterum Ugaunenses ad episcopos, auxilium contra Ruthenos postulantes. Et miserunt episcopi viros suos cum fratribus milicie in Ugauniam. Qui congregaverunt Estones omnes de provinciis illis, et edificaverunt montem Odempe simul cum eis, et habitaverunt ibi[w] munientes castrum firmissime, tam[x] contra Ruthenos, quam contra gentes alias adhuc nondum baptizatas. Venerunt eciam Rutheni solito more in terram Lettorum de Tholowa pro censu suo colligendo; quo collecto, castrum Beverin[y] incenderunt. Et vidit Bertoldus magister milicie de Wenden quod ad bellum se prepararent, eo quod castra Lettorum incenderent[z], misit et comprehendit eos, et proiecit[a] eos in carcerem; quos tamen, venientibus nunciis regis Nogardie, solvit et honorifice remisit in Rusciam. Ugaunenses vero volentes se de Ruthenis vindicare, surrexerunt cum viris episcopi simul et cum fratribus milicie, et abierunt in Rusciam versus Nogardiam, et invenientes terram nullis rumoribus premunitam[b], in festo epyphanie (1217. Ian. 6.) cum conviviis et potationibus suis magis solent occupari, diviserunt exercitum suum per omnes villas et vias[c], et interfecerunt populum multum, et mulieres quam plurimas captivas deduxerunt[d], et equos et pecora multa depellentes, spolia multa tulerunt, et igne et gladio[e] suas iniurias vindicantes cum omni preda reversi sunt in Odempe gaudentes.

(6.) Post[f] festum epyphanie miserunt Rigenses ad omnes Lyvones et Lettos, et[g] congrega-

---

a) Rangole 2. 3. b) Love 2; Lowe 3. c) medio terrae 2. 3. d) ibi 2. 3. e) *rubrum omissum in* 1. f) bovesque — magna *desunt* 3. g) per 3. h) *add.* 2. 3*:* magno. i) magna *add.* 2. k) *lemma in* 1*:* De expeditione Ruthenorum in Odenpe. l) Plocekowe 1; Plescekowe 2. 3. m) haec 2. 3. n) super hoc *desunt* 2. 3. o) Ploͤcekowe 1 *(eadem manu corr.)*; Plosceke 2. 3. p) resuscitatus — Woldemarus *desunt* 1. q) qui — Ruthenorum *desunt* 2. 3. r) multos 3. s) duxerunt 2. 3. t) Siffridus 2. 3. u) ecclesiam Livoniensem 2. v) et 2. w) *pro* ibi 3 *praebet:* cum eis. x) tum 1. y) Peverin 2. z) incenderunt 2. 3. a) coniecit 2. 3. b) promonitam 2; praemonitam 3. c) et vias *desunt* 2. 3. d) duxerunt 2. 3. e) igne gladioque 2. 3. f) *lemma in* 1*:* De expeditione iam secunda in Gerwam. g) *deest* 2. 3.

69) hodie Raela. 70) hodie Loal.

verunt exercitum magnum, et iverunt in Sackalam, et acceperunt seniores eiusdem provincie sibi duces, veneruntque[a] ad eos Ugaunenses cum Theuthonicis suis, et processerunt in Gerwen, dividentes exercitum suum per omnes villas ac[b] provincias regionis illius[b], et percusserunt terram ipsam[c] plaga magna, sedentes in villa Carethen sex diebus, incendentes et vastantes omnia circumquaque. Et processerunt in Vironiam[d], qui erant in equis fortiores, et similiter terram illam depredantes, et viros interficientes, et mulieres et parvulos captivantes, cum spoliis multis reversi sunt in Carethen. Et venerunt ad eos ibidem[e] seniores illius provincie Gerwanenses, pacem petentes et ut de finibus suis exirent. Quibus dixerunt ipsi: *Si volueritis,* inquiunt[f], *veram pacem, oportebit vos veri pacifici, qui est Christus, filios fieri, ut ipsius baptismate suscepto nostram possitis fraternitatem perpetuam adipisci.* Quo audito[g] gavisi sunt Gerwanenses, et ut pacem Rigensium consequi valerent, tam baptismum eorum promiserunt se servaturos, quam censum eis perpetuum daturos. Unde et quosdam baptizavimus ibidem, et, acceptis obsidibus pueris eorum, reversi sumus in Lyvoniam cum omni preda nostra, Deum pro gentis eciam illius conversione collaudantes.

(7.) Febr. Postquam[h] reversus est exercitus Lyvonensis a Gerwen, statim Nogardenses in quadragesima[i] congregaverunt exercitum magnum Ruthenorum, ibatque cum eis rex Woldemarus de Plescekowe[k] cum civibus suis, et miserunt nuncios per universam Estoniam, ut venirent ad obsidionem Theuthonicorum et Ugaunensium in Odempe. Et venerunt non tam Osilienses et[l] Hariones quam eciam Saccalanenses iam dudum baptizati, sperantes iugum Theuthonicorum simul et baptismum eorum taliter a se removere. Et occurrerunt Ruthenis, et obsederunt simul cum eis castrum Odempe, et pugnaverunt cum Theuthonicis, et qui cum eis erant, decem et septem diebus, et non poterant eis nocere, cum castrum fuerit firmissimum. Sed viri sagittarii episcopi, qui erant in castro, et fratres milicie, multos vulnerabant ex Ruthenis et interficiebant balistis suis. Similiter Rutheni sagittis arcuum suorum quosdam de castro vulnerabant. Et circuiverunt Rutheni per provincias, et comprehenderunt multos, et interficientes[m] eos, proiecerunt corpora eorum in aquam, que erat in pede montis, ut non haurirent ex ea qui erant in castro. Et fecerunt omnia mala, que potuerunt, vastantes et incendentes omnem terram in circuitu. Et quandoque more suo montis munitionem cum omni multitudine sua conscendere[n] conantes, a Theuthonicis et Estonibus fortiter repulsi sunt. Unde[o] multorum virorum suorum interfectionem ibidem experti sunt[o]. Et audientes episcopi cum fratribus milicie suorum obsidionem, miserunt in auxilium eis circiter tria milia virorum. Et ibat Volquinus magister milicie cum eis, et Bertoldus de Wenden et Theodericus, frater episcopi, cum eis, cum Lyvonibus et Lettis ac peregrinis quibusdam. Et pervenerunt ad stagnum Rastegerwe[p][71], et obvium habuerunt puerum venientem de castro. Quem acceperunt vie ducem et pervenerunt ad castrum mane facto, et relinquentes Osilienses ad dextram, perrexerunt ad Ruthenos et pugnaverunt cum eis. Et videntes exercitum magnum et fortem diverterunt ad castrum. Erant enim Ruthenorum et Osiliensium fere viginti milia; quorum verentes multitudinem, ascenderunt in castrum, et ceciderunt quidam ex fratribus milicie, viri fortes, Constantinus, Bertoldus et Helyas; et ex familia episcopi quidam. Et alii omnes sani pervenerunt in[q] castrum, et pre multitudine virorum et equorum facta est fames et penuria ciborum et feni in castro. Et comedebant equi caudas suas in[r] invicem. Similiter et in exercitu Ruthenorum, cum esset defectus omnium, tandem tercia[s] die post conflictum colloquuti sunt cum Theuthonicis.

(8.) c. Mart. 1. Fecerunt[t] quoque pacem cum eis, ita tamen, ut Theuthonici omnes relicto castro in Lyvoniam redirent. Et vocavit rex Woldemarus generum suum Theodericum, ut pro pace confirmanda secum abiret in Plecekowe[u]. Et credidit ei descenditque[v] ad eum. Quem statim Nogardenses rapuerunt de manibus suis[w], et captivum secum deduxerunt. Theuthonici vero facta pace cum Lyvonibus et Lettis per medium Ruthenorum et Osiliensium

---

a) venerunt 2. b) ac — illius *des.* 3. c) illam 3. d) Wironiam 2. e) itidem 3. f) *deest* 2. 3.
g) auditi sunt 3. h) *lemma in* 1: De obsidione castri Odenpe a Ruthenis. i) quadrages 1. k) Ploscekowe 2.
l) quam etiam 2. 3. m) interfecerunt 3. n) ascendere 3. o) Unde — sunt *desunt* 3. p) Rastegarwe 3.
q) ad 2. 3. r) *deest* 2. 3. s) tertio 2. t) *lemma in* 1: De pace facta cum Ruthenis. u) Plescekowe 2.
v) ei et descenditque 1. w) ipsius 2. 3.

71) lacus Restjerw, inter Walk et Karolen.

descenderunt de castro, et redierunt in Lyvoniam. Sackalanenses eciam interim terram Lettorum intrantes, et villas eorum devastantes, et homines captivos ducentes ab Ymera[a], reversi sunt in Saccalam, immemores sacramentorum omnium ante susceptorum, pacemque cum Theuthonicis quondam factam non curantes, interruperunt.

Presulis[b] Alberti nonusdecimus fuit annus, (XXI.)
Et non a bellis siluit gens Lyvoniensis. 1217.

Misit enim venerabilis prefatus antistes nuncios suos tam in Nogardiam quam in Saccalam pro pace in Odempe facta confirmanda, supplicans eciam eis pro fratre suo Theoderico. Qui cum sint homines elationis[c] tumore repleti, simul et in superbia sua nimium arrogantes, nec preces episcopi nec pacem Theuthonicorum curantes. Sed[d] conspirabant cum Estonibus et cogitabant consilia, qualiter Theuthonicos opprimerent et Lyvonensem ecclesiam destruerent. Quo cognito, predictus antistes cum peregrinis redeuntibus abiit in Theuthoniam, domino Iesu Christo matrique sue Lyvoniam committens eciam hac vice custodiendam, et incommoda bellorum dampnumque suorum cunctis significans, ut se murum pro domo Domini ponerent viri fortes et nobiles, et sumpta cruce peregrinarentur in Lyvoniam in[e] remissionem peccatorum[f] ammonuit[g]. Et audivit comes Albertus de Lowenborch[h][72] omnia mala, que Rutheni simul et Estones inferebant ecclesie Lyvonensi, sumpta cruce in remissionem peccatorum cum militibus suis ac viris strennuis ac nobilibus profectus est in Lyvoniam, venitque cum eo abbas Bernardus de Dunemunde et peregrini, licet pauci. Et susceptus est cum leticia magna. Quem Dominus hactenus posuerat in pharetra sua, tamquam sagittam electam[73], ut tempore oportuno mitteret eum in Lyvoniam ad liberandam[i] ecclesiam suam ab inimicis. Qui postquam venit in Rigam, miserunt Estones (2.) ad Ruthenos munera plurima, rogantes ut cum exercitu venirent ecclesiam Lyvonensem destructuri[k]. Sed rex magnus Nogardie, Mislawe[l], eodem tempore abierat contra[m] regem Ungarie pugnaturus pro regno Galacie[74], relicto rege novo[75] in sede sua in Nogardia. Qui missis nunciis suis in Estoniam promisit se cum exercitu magno venturum, simul cum rege Woldemaro et regibus aliis quam plurimis. Et gavisi sunt Estones, et miserunt per universam Estoniam, et congregaverunt exercitum magnum nimis et fortem. Et resederunt aput Palam in Saccala. Quorum princeps ac senior Lembitus convocavit omnes de omnibus provinciis, veneruntque ad eos tam Rotalienses quam Harionenses, tam[n] Wironenses quam Revelenses, Gerwanenses[o] et Sackalanenses. Et erant ex eis milia sex, qui omnes exspectabant adventum regum Ruthenorum diebus quindecim[p] in Sackala. Quorum collectionem audientes Rigenses, surrexerunt et propere[q] festinaverunt ad eos, Ruthenos prevenire cupientes. Et ibat comes Albertus cum eis, cum militibus ac servis suis, Volquinus Sept. magister milicie cum fratribus suis, Bernardus abbas de Dunemunde, prepositus Iohannes, Lyvones et Letti, Caupo etiam fidelissimus, qui prelia Domini simul et expeditiones numquam neglexit. Hii[r] omnes venerunt prope Sackalam, ubi locus est orationis et colloquiorum exercitus. Et erant ex eis fere tria milia virorum electorum. Et ordinaverunt Theuthonicos via media, Lyvones vero posuerunt ad dextram, Lettis vero viam ad sinistram dederunt. Et miserunt alios ad villas, qui comprehensis hominibus quibusdam intellexerunt ab eis multitudinem exercitus, simul et ipsum iam obviam venientem et paratum ad preliandum[s]. Quo audito, processerunt caute et ordinate, et vespere facto pervenerunt apud[t] castrum Viliende, ubi quiescentes nocte, missarumque solempniis ibidem celebratis, in die Mathei apostoli processerunt obviam inimicis. Et invenerunt omnes ad locum alium diver- Sept. 21. tisse, quos statim insequentes, eosque ad preliandum paratos subito de[u] silvis ex adverso procedere videntes, accesserunt ad eos, et pugnaverunt Theuthonici via media, ubi maior ac forcior eorum turba fuit. Quorum alii in equis et[v] alii pedes[w] in ordine suo paulatim procedentes per medium eorum ibant, et infringentes aciem ipsorum in fugam eos converterunt.

---

[a] Ymeram 1. [b] *lemma in* 1: De bello in Sackalam. [c] elatiori 3. [d] et 3. [e] et 1. [f] cum militibus suis *addunt* 2. 3. [g] commonuit 2. 3. [h] Lewenborch 2; Löwenborch 3. [i] lyberandam 1. [k] destructum 2. 3. [l] Misceslawe 2. 3. [m] cum 3. [n] *deest* 2. 3. [o] Gerwalenses 1—3. [p] quinque 2. 3. [q] prope 2. 3. [r] *in margine* 1: Ubi locus est orationis et colloquiorum exercitus. [s] pugnam 3. [t] ad 2. [u] e 3. [v] *deest* 2. [w] pedites 2. 3.

[72] Lauenburg. [73] Cf. Isaias 49, 2. [74] Galizien. [75] Swiatoslaw.

(3.) Letti[a] quoque, in sinistro cornu dimicantes[b], audacter una cum Theuthonicis suos adversarios invadebant, contra quos ordinati erant Sackalanenses simul cum Lembito et ceteris senioribus suis. Qui multos de Lettis vulnerantes et quosdam[c] interficientes, fortiterque[d] pugnantes diuque[e] restiterunt[f]. Sed videntes turbam mediam a Theuthonicis in fugam conversam, terga verterunt et ipsi. Et persequuti sunt eos Letti, et multos occiderunt ex eis, et ceteri fugerunt. Et cognovit Veko, frater Roboam, Lembitum, et persequutus est eum, et occidit eum[g] tollens vestimenta eius, et ceteri caput eius amputantes[h] detulerunt secum in Lyvoniam. Et ceciderunt ibidem etiam alii seniores de Sackala, Wottele, Maniwalde[i], cum aliis quam plurimis. Lyvones vero, qui ad dexteram[k] erant ordinati, videntes lanceas Estonum crudeliter super se volantes, declinaverunt ad Theuthonicos, et cum eis persequebantur fugientes. Sed Estones qui venerant contra eos, irruerunt super quosdam ex nostris post tergum sequentibus, sed illi viriliter repellentes eos, converterunt eciam eos in fugam. Et postquam omnes Estones conversi sunt in fugam, Lyvones et[l] Letti et Saxones persequebantur eos, et occiderunt ex eis per silvas, ut fere implerent numerum millenarium, immo innumerabiles, qui per silvas ac paludes computari non poterant, et equorum fere duo milia eis[m] abstulerunt, et arma et spolia omnia eorum tulerunt, (4.) et sequenti die rapta omnia inter se equaliter diviserunt. Caupo[n] vero, lancea perforatus per latus utrumque, fideliter passionem Domini commemorans, sumptisque dominici corporis sacramentis, in sincera confessione christiane religionis emisit spiritum, divisis primo bonis suis omnibus ecclesiis per Lyvoniam constitutis. Et luctum habuerunt super eum tam comes Albertus, quam abbas, et omnes, qui erant cum eis. Et combustum est corpus eius[o], et ossa delata in Lyvoniam et sepulta in Cubbesele[p].

(5.) Post[q] bellum autem processit exercitus ad Palam, in villam Lembiti, sedensque tribus diebus ibidem, miserunt Lyvones et Lettos ad depredandas omnes provincias in circuitu et incendendas. Et venit ad eos frater Lembiti Unnepewe[r] cum aliis, qui remanserant, supplicantes pro pace pristina renovanda. Et dixerunt eis Theuthonici: *Quia sacri baptismi[s] sacramenta suscepta contempsistis, et paganorum ac Ruthenorum consiliis fidem Christi contaminastis, ideo percussit vos Dominus. Nunc ergo revertimini[t] fideliter ad Christum, et adhuc recipiemus[u] vos in fraterne dilectionis nostre consorcium.* Et placuit eis. Et acceptis obsidibus iam secundo data est eis pax, ut omnia christianitatis iura fideliter observent. Quo facto reversus est exercitus cum omnibus spoliis suis in Lyvoniam, et pro tam gloriosa victoria sibi a Deo collata benedixerunt Dominum, qui est benedictus in secula. Postquam[v] rediit comes Albertus a cede Sackalanensium, desiderabat ipse in Osiliam[w] aliam promovere expeditionem, machinamque maiorem fieri iussit et omnes ad iter ipsum confortavit. Sed indicta sepius eadem hyeme collectione exercitus, pluviarum fluebant ymbres, et resoluta glacie maris in Osiliam, cum sit insula maris, pervenire non poterant. Unde tandem 1218. Mart. 3. in quadragesima Rigenses exeuntes cum Lyvonibus et Lettis, ad Estones alios ire disposuerant, et venientes ad Saletsam[x] suosque exploratores premittentes, Osilienses obvios habuerunt. Et statim postquam Osilienses cognoverunt exercitum Rigensium, conversi sunt in fugam. Et sequebantur eos Rigenses cum omni exercitu suo per totum[y] diem illum, et sequenti die provincias intrantes maritimas circa Osiliam sitas, et diviso exercitu suo per[y] omnes vias, terramque despoliantes, viros omnes comprehensos interfecerunt, mulieres et parvulos captivos duxerunt, iumenta multa secum comminantes[z], spolia multa tulerunt, flammis villas ac[a] domos tradiderunt. Et convenientes cum exercitu suo sederunt quiescentes diebus aliquot in media terra. Et venerunt ad eos seniores de Haniale[b] [76] et Cozzo et[c] omnibus provinciis, a Rotalia usque Revele et Hariam constitutis, rogantes ea, que pacis sunt et ut de finibus suis recederent. Et[d] dixerunt Rigenses: *Si volueritis,*

---

a) *lemma in* 1: De bello Sackalanensium quod commiserunt cum eis. b) praeliantes 3. c) *deest* 3. d) fortiter 2. 3. e) diu 2. 3. f) restituerunt 1. g) *deest* 2. 3. h) aputantes 1. i) Wanewalde 2. 3. k) dextram 2. l) *deest* 3. m) eisdem 3. n) *lemma in* 1: De morte Cauponis. o) cini 2. p) Cubsele 2. 3. q) *lemma in* 1: De reversione Sackalanensium ad fidem et pacem. r) Unepewe 2; Unepeve 3. s) baptismatis 2. 3. t) revertiminin 1. u) recipientes 3. v) *lemma in* 1: De expeditione in Haniale. w) Osilia 3. x) Saletiam 2; Saccalam 3. y) totum — per *desunt* 3. z) *verba* multa secum comminantes *in nova pagina fol.* 80' *iterum scripta sunt* 1. a) ac *deest* 3. b) Hamale 2. 3. c) ex 3. d) *in margine* 1: De pace facta cum Rotaliensibus et fide recepta ab eis.

76) nunc Hannehl.

inquiunt[a], *sacro fonte rigari, et nobiscum veri pacifici, qui est Christus, filii fieri, tunc veram pacem vobiscum firmabimus et vos in nostram fraternitatem accipiemus.* Quod audientes Estones gavisi sunt, et positis obsidibus ecclesie Lyvonensi se subdiderunt, et ut[b] baptismi sacramenta reciperent et censum annuatim persolverent. Et data est pax, et reversi sunt Rigenses cum preda multa, pro gentis[c] illius etiam subiugatione Deum collaudantes.

(6.) Post[d] secundam reversionem Sackalanensium[e] ad fidem christianam, venerunt quoque[f] Gerwanenses, eciam iam secundo, et tradiderunt se Rigensi ecclesie coram comite Alberto et universis senioribus Rigensium, ponentes obsides pueros suos, ut et ipsi baptismi mysterium acciperent et ecclesie Lyvonensi censum ministrarent perpetuum vel annone mensuram pro decima institutam[g]. Et reversi sunt ipsi in terram suam, de pacis tranquilitate gaudentes.

(7.) Hoc[h] ipso tempore surrexerunt Osilienses et venerunt in Metsepole cum exercitu, et erant ex eis fere mille de melioribus suis, et despoliaverunt totam provinciam illam in Metsepole. Et post hec intraverunt parrochiam aliam in Ledegore, et spoliantes terram in circuitu, viros quosdam interfecerunt, mulieres et parvulos secum deduxerunt. Et ut appropinquaverunt ad domum sacerdotis, vidit eos Godfridus[i] sacerdos venientes. Et subito conscendens equum suum[k] fugit ab eis, et circuivit parrochiam suam, convocans viros omnes ad pugnandum cum paganis, et misit ad vicinas parrochias per totam noctem, ut sequenti die venirent ad bellum. Et venit Vesike cum suis Lyvonibus, nec non et quidam ex servis episcopi de castro Vredelant[l], et convenerunt in unum et persequuti sunt Osilienses. Et erant septem tantum ex servis episcopi Theuthonici, et octavus erat sacerdos Godefridus[m], qui succinxit se armis bellicis suis et induit se lorica sua, tamquam gygas[77], oves suas luporum faucibus eripere cupiens[n]. Et irruerunt post tergum super eos, occidentes ex eis fortissime. Sed et illi conversi ad istos diutissimeque resistentes, quam plures ex istis vulneraverunt. Tandem post pugnam longam conversi sunt Osilienses in fugam, et ceciderunt ex eis fere centum, et ceteri fugerunt. Et persequuti sunt servi episcopi cum Lyvonibus eos trans Saletsam via plana iuxta mare, abstuleruntque eis equos fere quadringentos ex melioribus, quos inter se postea cum rapina diviserunt, benedicentes Dominum, qui per paucos operatus est victoriam de inimicis.

Annus[o] bisdenus[p] antistitis adveniebat, (XXII.) 1218.
Et non a bellis Lyvonum terra silebat.

Eodem anno prefatus episcopus Rigensis, simul et Estiensis, et Bernardus[q] abbas, qui eodem anno consecratus est in episcopum in Semigallia[r], cum comite Alberto redeunte de Lyvonia, venerunt ad regem Dacie, suppliciter rogantes, quatinus exercitum suum navalem anno sequenti converteret in Estoniam, ut magis humiliati Estones Lyvonensem ecclesiam cum Ruthenis impugnare cessarent. Et ut intellexit rex grandem guerram Ruthenorum atque[s] Estonum contra Lyvonenses, promisit se anno sequenti cum exercitu suo in Estoniam venturum, tam ad beate Virginis honorem quam in peccatorum suorum remissionem. Et gavisi sunt episcopi. Et abiit iterum venerabilis Lyvonensis ecclesie Albertus, colligens peregrinos et predicans eis remissionem peccatorum, et mittens eos in Lyvoniam, ut starent pro domo Domini in die prelii, et defenderent ecclesiam novellam[t] ab impetu paganorum. Ipse vero distulit iter suum in Lyvoniam hoc anno, ut in futurum annum forcior et cum pluribus veniret. Et statuit in vice sua decanum Halverstadensem[u], qui cum Henrico Borewino, nobili viro de Wentlande[v], et quibusdam aliis peregrinis abiit in Lyvoniam, annum peregrinationis sue completurus ibidem.

(2.) p. Aug. 15. Post[w] festum autem assumptionis beate Virginis, calore iam estivo pretereunte, indicta est expeditio contra Revelenses et Harionenses, qui semper adhuc fuerant rebelles et aliis crudeliores. Et convenerunt Rigenses cum Lyvonibus et Lettis, et ibat cum eis Heinricus

---

[a] *deest* 2. 3. [b] ut et 2. [c] gente 1, *ubi correctum recentissima quadam manu.* [d] *lemma in* 1: De pace facta secundo cum Rotaliensibus. [e] Sackalanesium 1. [f] etiam 2. [g] constitutam 2. [h] *lemma in* 1: De bello cum Osiliensibus ad Saletsam. [i] Godefridus 2; Godofredus 3. [k] *deest* 3. [l] Vredelandt 2. [m] Godofridus sacerdos 2. [n] cogitans 3. [o] *lemma in* 1: Annus vicesimus. [p] bissenus 3. [q] Bernhardus 2. [r] Semigalliam 1—3. [s] et 2. 3. [t] nostram 3. [u] Halverstadiensem 2. [v] Wentlantde 1. [w] *lemma in* 1: De bello cum Ruthenis in Puidyse.

[77] Cf. 1. Machab. 3. 3.

Borewinus et magister Volquinus cum fratribus suis, et venerunt prope Sackalam, ubi locus orationis et colloquiorum exercitus esse solet, ubi eciam comes Albertus pontem fieri iussit, et Revelensem provinciam se despoliaturos ibidem decreverunt. Et sequenti die pertranseuntes Sackalam, venerunt prope castrum Viliende, et redierunt ad eos ibidem exploratores sui, quos ad convocandum seniores eiusdem provincie miserant, ut essent eis more solito vie duces. Et reduxerunt secum Ruthenorum nuncios et Osiliensium, quos in villis comprehenderant, qui venerant missi a Ruthenis, ut colligerent exercitum per universam Estoniam et collectum eum ducerent ad exercitum Ruthenorum, ut simul venirent in Lyvoniam. Et statuerunt eos in medio populi, perquirentes ab eis verba legationis sue. At illi exercitum magnum regum Ruthenorum in crastino de Ugaunia venientem et in Lyvoniam euntem[a] retulerunt, et se ad hoc missos, ut exercitum Estonum simul ad Ruthenos adducerent. Quo audito statim reversus est exercitus Lyvonensis[b] eadem via qua venerat, et sequenti die via in Puidise[c] versus Ugauniam in occursum Ruthenis abierunt. Et transeuntes Rutheni per totum[d] diem flumen, quod dicitur Mater aquarum, venerunt et ipsi in obviam Lyvonensibus[e], et subito redierunt ad nos exploratores nostri dicentes, exercitum Ruthenorum iam appropinquare. Et surreximus festinanter et ordinavimus exercitum nostrum, ita ut Lyvones et Letti pedes, Theuthonici vero in equis suis pugnarent. Et ordinato exercitu, perreximus[f] ad eos. Et cum pervenissemus ad eos, confestim qui primi erant ex nostris[g] acceleraverunt ad eos, et pugnantes cum[h] eis, verterunt eos in fugam, et persequentes eos fortissime ceperunt vexillum regis magni Nogardie, nec non et alia duo vexilla regum aliorum, et viros portantes interficiebant. Et cadebant ex eis per viam hac et illac, et sequebatur post eos totus exercitus noster, donec tandem Lyvones et[i] Letti, qui[k] pedes currebant, deficerent. Et ascendit unusquisque equum suum, et insequuti sunt (3.) Ruthenos. Rutheni vero fugientes, fere duo miliaria, pervenerunt ad fluvium parvulum[l], quem transeuntes steterunt. Et congregaverunt in unum universum exercitum suum, et percusserunt tympanum et[m] fistulas suas, et rex Woldemarus de Plescekowe[n] cum rege Nogardie circueuntes exercitum confortabant eos ad pugnam. Theuthonici vero, postquam percusserunt eos usque ad flumen, steterunt eciam[o] et ipsi, non valentes eciam et[o] ipsi pre multitudine Ruthenorum fluvium ad eos[p] transire. Et congregaverunt se in colliculo fluvii eciam[q] et ipsi suorum, qui sequebantur, exspectantes adventum. Et ordinaverunt exercitum secundo, ut alii pedes et alii in equis ex adverso Ruthenorum starent, et quicunque Lyvonum ac Lettorum in colliculum fluvii, ubi acies erant ordinate, pervenit, visa multitudine exercitus Ruthenorum, statim, quasi clava percussus in facie, retrorsum abiit, et dorsa vertens reversus est in fugam. Et fugit unusquisque eorum post alium, videntes sagittas Ruthenorum super se venientes; tandem fugam simul[r] omnes inierunt. Et steterunt Theuthonici soli, quorum erant tantum ducenti. Sed et ipsi quidam subtraxerunt se, ut vix centum remanerent, et totum pondus prelii versum est in eos. Rutheni vero rivum transire ceperunt, et permiserunt eos Theuthonici, donec aliquanti transirent, et statim percusserunt eos iterum usque ad fluvium, et aliquot ex eis interfecerunt. Et iterum alii rivum transeuntes ad Theuthonicos, iterum repulsi sunt ab eis. Quidam autem prepotens de Nogardia, transito rivo ad explorandum, Lyvones de longinquo circuibat, et occurrens ei Theodericus de Kukenoys, dexteram, qua gladium tenebat, amputavit, et fugientem insequutus percussit. Ceteri ceteros interfecerunt; quicunque fluvium ad eos transiverunt, ita percusserunt. Et taliter ab hora diei nona usque fere ad occasum solis cum eis circa fluvium pugnaverunt. Et videns Nogardie rex suorum circiter quinquaginta interfectionem, prohibuit exercitum suum, ne deinceps ad eos transirent. Et abscessit exercitus[s] Ruthenorum ad ignes suos. Theuthonici vero omnes sani et incolumes per viam cantantes redierunt, preter unum militem Heinrici Borewin[t], qui sagitta vulneratus cecidit, et alter Lettus quidam Veko, qui cum novem Ruthenis solus, ad arborem versus[u] diutissime pugnavit, et tandem post tergum vulneratus, cecidit ipse et mortuus est. Alii[v] vero omnes Lyvones et Letti sine lesione aliqua redierunt, quorum multi de silvis, ad quas fugerant, iterum ad Theuthonicos per viam redeuntes venerunt, congaudentes eis, eo quod tam pauci de tanta

---

a) venientem 2. 3. b) Livonicus 3. c) via praevidisse 2. 3. d) totam 2. e) Ignoniensibus 3. f) pervenimus 2. g) ex nostris *des.* 3, *spatio vacuo relicto.* h) ex 2. i) ac 2. k) quo 3. l) parandum 3. m) ac 2. n) Plescohwe 3. o) *deest* 2. 3. p) ad eos *des.* 2. 3. q) *rubro colore supra lin. add.* 1, *deest* 2. 3. r) et *add.* 2. 3. s) rex 2. 3. t) Borevini 2. 3. u) verens 3. a) *in margine* 1: De reditu Theuthonicorum a bello.

multitudine Ruthenorum evaserunt. Et laudaverunt omnes Salvatoris clemenciam, qui
reduxit eos, et liberavit de manibus inimicorum, immo qui in tanta paucitate suorum fere
quinquaginta de Ruthenis interfecerunt et arma et spolia et equos eorum tulerunt. Erant
autem Ruthenorum sedecim milia armatorum, quos rex magnus Nogardie convocaverat
per universam Rusciam iam per biennium, cum armis melioribus, que fuerant in Ruscia.
Qui post triduum sequebantur in Lyvoniam, et primo quidem Lettorum villas aput Ymeram (4.)
despoliantes et incendentes et ecclesiam eorum. Et posthec aput castrum Urele[a][78] se congregantes,
et ibi diebus residentes duobus, tercio die venerunt in curiam Alebrandi sacerdotis
super Raupam, sicut Woldemarus aliquando ei predixerat. Ibique diebus tribus quiescentes,
ecclesias omnes in circuitu tam Lyvonum quam Ydumeorum incenderunt, et
provincias et villas omnes depredantes[b], mulieres et parvulos captivos duxerunt, et viros
omnes[c] comprehensos interfecerunt, et frumenta per agros undique congregata cremaverunt.
Et[d] venit Gerceslawe[e], filius Woldemari, cum alio exercitu, et obsedit fratres milicie
in Wenden, et pugnavit cum eis per diem illum. Et sequenti die transita[f] Coiwa processit
ad regem Nogardie, nec non et ad patrem suum in Ydumea, et terram Lettorum et Ydumeorum
et Lyvonum simul cum aliis depredando vastavit, inferendo mala, que potuit. Et
audientes Rigenses omnia mala, que Rutheni faciebant in Ydumea, surrexerunt cum Volquino
magistro milicie iterum et Heinrico Borewino et cum peregrinis et cum Lyvonibus
suis, et venerunt in Thoreydam, et convocaverunt ad se viros de circumiacentibus provinciis
volentes iterum pugnare cum Ruthenis. Et miserunt exploratores ad eos, qui statim
turbam invenerunt[g] Ruthenorum in Ymmeculle[h][79], et persequuntur[i] eos usque ad Raupam[k].
Illi vero ad suos reversi Theuthonicorum exercitum venientem indicabant. Quo audito, (5.)
statim Rutheni recedentes[l] de loco illo, et transeuntes Coywam, Wendorum castrum obsederunt,
et per totum diem cum Wendis pugnabant. Descendebant[m] quoque sagittarii fratrum
milicie de castro suo, intrabant ad Wendos et balistis suis multos Ruthenorum interficiebant
et quam plurimos vulnerabant. Unde multi nobiles graviter vulnerati inter duos
equos in lectulis suis semivivi deferebantur. Magister autem milicie de Wenden cum fratribus
suis pridie ad congregationem Theuthonicorum abierat. Interim Ruthenorum totus
exercitus castrum ipsorum obsedit. Unde ipsi nocte per medios hostes[n] caute transeuntes,
in castrum suum redierunt. Mane quoque facto, rex Nogardie videns multorum nobilium
suorum lesionem et aliorum interfectionem, castrumque ipsum[o] Wendorum[p] se capere non
posse considerans, cum sit tamen minus castellum quod habet Lyvonia, pacifice loquutus
est[q] fratribus milicie, qui pacem talem non curantes balistis eos a se repulerunt. Unde[r]
Rutheni sequencium Theuthonicorum impetum verentes, diverterunt a castro, et per totum
diem euntes usque in Tricatuam[s] pervenerunt, festinanter de terra exeundo. Et venientes (6.)
in Ugauniam, exercitum Letonum in Ruscia audierunt, et redeuntes in Plescekowe[t], partem
aliquam civitatis ipsius a Letonibus despoliatam invenerunt. Tunc Lettorum quidam surgentes, (7.)
cum paucis intraverunt Rusciam, et despoliantes villas, et homines interficientes,
et alios capientes, et spolia tollentes, in vindictam suorum fecerunt omnia mala[u], que
potuerunt. Et illis redeuntibus iterum alii abierunt, nichil omnium malorum, que facere
potuerunt, omittentes.

Fuerat[v] etiam consilium Osiliensium, ut simul cum Ruthenis in Lyvoniam venissent (8.)
cum aliis Estonibus ad destruendam ecclesiam. Sed propter conflictum Theuthonicorum
cum Ruthenis dissipatum est consilium eorum, ut non venirent Sackalanenses, sed nec
Osilienses, sed tantum Harionenses, qui[w] cum quibusdam aliis sequebantur Ruthenos. Et
pervenerunt ad eos aput Wenden, et simul iterum cum eis abierunt. Osilienses vero navigio
Dunam intraverunt, et in insulis, captis quibusdam, pecora multa rapuerunt, et heremitam
quendam interfecerunt, qui de Dunemunde fuerat egressus et in insula vicina vitam heremiticam
elegerat et ibidem martyrii sui agonem exspectabat. Quo consummato feliciter et

---

a) castrum apud Orele 2. b) despoliantes 2. 3. c) *deest* 2. 3. d) *lemma in* 1: De alio exercitu Ruthenorum. e) Gercceslave 3. f) tanssita 1. g) inveīrerunt 1. h) Immeculle 2. i) persequebantur 2. 3. k) Claupam 2. l) redeuntes 2. m) *lemma in* 1: De obsidione castri Wendorum. n) sortes 3. o) ipsorum 2. 3. p) Vendorum 2. q) cum 2. 3. r) *lemma in* 1: De recessu Ruthenorum. s) Tricatiam 2. 3. t) Ploscekowe 2. u) malia 1. v) *lemma in* 1: De expeditione Osiliensium in Dunam et martyrio heremite. w) *deest* 2. 3.

78) hodie Orellen praedium. 79) Inzeem praedium.

indubitanter in sanctorum communionem transmigravit. Et[a] miserunt Rutheni de Plescekowe nuncios in Lyvoniam, dicentes se pacem cum Theuthonicis facturos. Sed erant con-
(9.) silia eorum semper mala cum Estonibus et omni dolo plena. Quod intelligentes Rigenses, miserunt ad Lyvones et Lettos, et congregaverunt exercitum, ut irent contra Estones. Et
1219. Febr. circa quadragesime inicium[b] convenerunt ad Saletsam, et erat ibi Volquinus magister milicie cum Heinrico Borewino et peregrinis, et Lyvones et Letti, et ibant in glacie maris, donec Sontaganam pervenirent. Et accipientes ibidem de castro vie duces, processerunt per totam noctem ad Revelensem provinciam. Et occurrit eis ventus ab aquilone frigidissimus[c]. Erat enim frigoris tanta asperitas, ut extremitates membrorum ipsorum in frigiditate multis perirent, et aliis nasus, aliis manus aliisque pedes congelarentur et omnibus nobis domi postea redeuntibus nova cutis in facie supercresceret vetere proiecta. Quidam eciam postea mortui sunt. Diviserunt autem exercitum suum in tres acies, et accepit Vesike[d] cum Lyvonibus suis unam aciem et viam ad sinistram, Letti[e] vero ad dexteram, Theuthonicis[f] vero viam mediam more solito dimiserunt. Et relinquens Vesike viam suam, Theuthonicos via media precessit cum Lyvonibus suis, qui primo mane ante lucem villam, quam invenerunt primam, incendentes, ut se calefacerent. Et videntes ignem illum[g] Estones de tota provincia, statim exercitum Lyvonensem intellexerunt, et fugerunt unusquisque ad latibula sua. Theuthonici vero sequentes et villam ante lucem incensam invenientes et vie ducem aberrasse putantes, interfecerunt eum ibidem. Mane autem facto[h] circuiverunt[i] per omnes villas, incendentes eas, et homines interficientes, et alios capientes, et pecora multa et spolia rapientes, ad vesperam pervenerunt ad villam, que Ladise[k] [80] vocatur, et ibi nocte quiescentes, ad aliam villam vicinam[l], que Culdale vocatur, sequenti die perrexerunt, et rapinam multam acceperunt. Post triduum super glaciem maris, quod vicinum erat, abierunt, pellentes secum predam universam et captivos, ubi nunc Dani claustrum[m] suum[81] in vicino edificaverunt. Et revertentes paulatim in glacie, decem diebus propter captivos et predam moram fecimus exspectantes eciam Osilienses aut alios Estones, si forte ad bellandum contra nos sequerentur. Cumque ad Saletsam veniremus, divisis spoliis cunctis inter nos, cum gaudio reversi sumus in Lyvoniam, sicut exultant victores quando dividunt spolia.

(XXIII.) 1219. Bisdenus[n] primus antistitis institit annus,
Et non a bellis Lyvonum terra quievit.

Nam eodem anno facte sunt expeditiones multe, bellumque innovatum est. Redeunte itaque presule prefato de Theuthonia, venerunt cum eo peregrini multi et nobiles. Quorum primus erat dux Saxonie de Anehalt Albertus, Rodolfus de Stotle[o], burcgravius[p], iuvenis comes quidam, et alii quam plures, qui parati erant ecclesiam defendere et stare pro domo Domini in die prelii.

(2.) Surrexit[q] etiam rex Dacie cum exercitu magno eodem tempore, et venit cum eo Lundensis ecclesie venerabilis archiepiscopus Andreas, et Nicolaus episcopus[82], et tercius episcopus cancellarius regis[83], eratque cum eis Estiensis[r] episcopus Theodericus, in Riga quondam consecratus, qui relicta Lyvonensi ecclesia regi adhesit, et Wizzlaus Sclavorum[s] princeps[84] cum suis. Qui omnes applicuerunt exercitum suum ad Revelensem provinciam, et resederunt in Lyndanise[t], quod fuerat castrum quondam Revelensium. Et destruentes castrum antiquum, aliud novum edificare ceperunt. Et congregaverunt Revelenses et Harionenses[u] exercitum magnum contra eos, et miserunt seniores suos ad regem verbis pacificis in dolo, et credidit eis rex ignorans dolum ipsorum. Et dedit eis munera, et baptizaverunt eos episcopi, remittentes eos cum gaudio. Qui reversi ad suos, cum omni exercitu suo post triduum venerunt ad vesperam facta cena, et irruerunt super Danos in quinque locis, et pugnaverunt ex improviso cum eis, et quidam ex eis putantes regem esse in tentorio, quod

a) *lemma in* 1: De expeditione in Revele que frigida vocatur a Lyvonibus. b) invicem 2. 3. c) frigidissimo 3. d) Vescke 2. e) Lettis 2. f) Theuthonici 1. g) *deest* 3. h) *deest* 2. i) circumierunt 2. k) Ladysse 2. 3. l) Vienam 2. 3. m) castrum 2. 3. n) *lemma in* 1: De anno vicesimo primo. o) Rudolphus de Scotle 2; Scolte 3. p) burggravius 2. q) *lemma in* 1: De expeditione regis Dacie in Revele. r) *deest* 2. s) Wenceslaus Slavorum 2. 3. t) Lindanisse 2. u) Revelen et Harionem 3.

80) Laitz praedium. 81) Revalense. 82) Slesvicensis. 83) Petrus, episcopus Roeskildensis. 84) Rugensis.

erat venerabilis Estiensis[a] episcopi Theoderici, intraverunt ad eum, et[b] occiderunt eum, et alii alios insequentes interfecerunt plures ex eis. Dominus vero Wenezlaus[c] stabat in valle, que est in descensu montis ad mare, cum Slavis suis. Et videns[d] eos appropinquare, confestim occurrit eis. Et[e] pugnans cum eis, convertit eos in fugam, et persequebatur eos, percuciens et interficiens eos per viam. Videntes autem Estones alii, qui Danos insequebantur, fugam illorum, qui cum Slavis pugnaverunt, steterunt eciam et ipsi, cessantes a persecutione Danorum. Et convenerunt omnes Dani simul cum rege, et Theuthonici quidam, qui erant cum eis, et[f] occurrerunt Estonibus, dimicantes fortiter cum eis. Et fugerunt Estones coram eis, et postquam omnis multitudo eorum conversa est in fugam, sequebantur post eos Dani cum Theuthonicis et Slavis, et interfecerunt ex eis per paucos plus quam[g] mille viros, et ceteri fugerunt. Et referebat rex et episcopi gratias Deo pro victoria sibi de paganis a Deo collata. Et in locum episcopi predicti Theoderici capellanum suum Wescelinum substituerunt, perfectoque castro locatisque in eo[g*], rediit rex in Daciam[85]. Et remanserunt ibidem episcopi cum viris regis, qui per totum annum illum pugnaverunt cum Revelensibus, donec tandem baptismi sacramentum acceperunt.

Post[h] reditum antistitis in Lyvoniam[i] cum peregrinis suis, venerunt ad eum Semigalli (3.) de Mesyote[k. 86], petentes auxilium contra Letones. Et ait episcopus: *Si baptizari volueritis et leges accipere christianas, tunc vobis auxilium prebebimus et in*[l] *fraternitatis nostre consorcium recipiemus.* Et dixerunt illi: *Baptizari quidem propter aliorum Semigallorum et Letonum*[m] *ferocitatem non audemus, nisi missis viris tuis ad nos in castrum nostrum ab illorum impugnatione nos tuearis, qui nobiscum commanentes et baptismi poterunt nobis ministrare sacramentum, et leges docere christianorum.* Et placuit episcopo simulque Rigensibus consilium eorum, et remisit cum eis nuncios[n] suos, requirere consensum eciam eorum, qui domi fuerunt. Et venerunt iterum atque sepius postulantes id ipsum. Tunc[o] tandem surrexit episcopus cum duce Saxonie et cum quibusdam aliis peregrinis et cum preposito beate Marie et cum viris suis, et abiit in Semigalliam, et residens pacifice iuxta castrum Mesiothe[p], convocavit ad se Semigallos eiusdem provincie. Qui, sicut promiserant, fideliter obedientes, convenerunt omnes, et recipientes doctrinam ewangelicam, baptizati sunt virorum fere trescenti, exceptis mulieribus et parvulis eorum, et factum est gaudium de conversione eorum. Post hec ad petitionem ipsorum[q] locavit episcopus viros suos cum ipsis in castro Mesiothe[p] cum peregrinis quibusdam, et alios de Riga misit adducere, que necessaria erant, navigio. Ipse vero cum duce et aliis reversus est in[r] Rigam. Porro Vest- (4.) hardus senior aliorum Semigallorum de vicina provincia, que Thervetene[s] vocatur, audiens conversionem illorum de Mesiothe[p], collegit exercitum de omnibus finibus suis pace interrupta, et venit ad castrum et pugnavit cum Theuthonicis per totum diem, et lignorum struem[t] comportantes et ignem apponentes, nec tamen castrum comprehendere valentes, dimicabant fortissime. Et interfectus est sagitta filius sororis Vesthardi. Quo viso contristatus est ipse, divertitque statim de castro cum exercitu suo. Et audivit alios de Theuthonicis navigio venientes in flumine Missa[u. 87], quibus festinanter occurrit, et in loco stricto[v] conveniens eos, ubi modica fuit in flumine profunditas, comprehendit ex eis triginta viros vel paulo plures, et interfecit eos, et alii fugientes in Rigam redierunt. Inter quos erat Segehardus, sacerdos Cysterciensis ordinis, missus ad castrum ipsum a Dunemunde in obsequium episcopi Bernardi, ad cuius episcopatum preoccupatus erat locus idem. Qui sedens in littore, videns[w] paganos venientes, ponebat manicam cuculle super caput suum, feritatem paganorum exspectans. Et in manus Domini spiritum[x] commendans, percussus est ipse cum aliis, quorum anime in martyrum societate sine dubio cum Christo gaudebunt[y], quorum negocium sanctum erat, eo quod vocati venerunt ad baptizandum paganos vineamque Domini plantandam, quam sanguine suo plantaverunt. Ideoque sunt eorum anime sanctorum in celis coequales[a]. Audientes itaque Theuthonici, qui in castro fuerunt, suorum interfectionem, et non habentes, que necessaria fuerunt in annum, simulque considerantes Semigallorum et Lettonum nec non et Curonum ferocitatem contra nomen christianum, surrexerunt cum omnibus suis et relicto castro abierunt in Rigam. Semigalli vero iam baptizati recidivantes, sacramentorum susceptorum immemores aliis Semigallis se coniunxerunt, et cum eis et[b] Letonibus conspirantes et se confederantes contra Rigenses et Lyvones et omnes christianos. Et congrevaverunt se simul omnes, tam adhuc pagani, quam baptizati, in ipsum castrum, fodientes[c] illud et edificantes munitionem ipsius firmissime, et euntes in expeditionem contra Lyvones Holmenses, ceperunt occidere et spoliare eos. Lyvones quoque intrantes terminos eorum, similia mala eis inferebant. Et audivit episcopus et dux Saxonie Albertus suorum interfectionem et omnia mala, que faciebant Semigalli, misit ad omnes Lyvones et Lettos, mandans eis, ut essent parati, si quando Dominus prosperum concederet iter, ad faciendam vindictam in nationibus.

---

[a] Esthoniensis 3.
[b] *in margine* 1 *atramento nigro est exaratum:* De morte venerabilis Theoderici episcopi Estiensis.
[c] Wenceslaus 2. 3.
[d] vident 2.
[e] *lemma in* 1*:* De pugnatorum *(sic)* cum Estonibus.
[f] *deest* 2. 3.
[g] plusque 2.
[g*] presidiis *add. ed.*
[h] *lemma in* 1*:* De Semigallorum conversione.
[i] Livonia 3.
[k] Mesoyten 2. 3.
[l] *deest* 2. 3.
[m] Letthorum 3.
[n] *deest* 2. 3.
[o] *lemma in* 1*:* De baptismo eorum.
[p] Mesothen 2. 3.
[q] eorum 2. 3.
[r] *deest* 1.
[s] Thernetene 2. 3.
[t] *deest* 3, *spatio vacuo relicto.*
[u] Mussa 2. 3.
[v] stricto *deest* 1.
[w] vidensque 2. 3.
[x] sp. suum 2. 3.
[y] gaudebant 1.

[85] Die 25. mensis Septembr. iam in Alborg invenitur, cf. Hausmann, Das Ringen der Deutschen und Dänen um den Besitz Estlands, Leipzig 1870, p. 20.
[86] nunc Mesoten.
[87] Misse fl.

(5.) Interea[d] Letti de Kukenoys[e] et alii quidam Letti fratrum milicie, Meluke et Warigribbe[f], non immemores omnium malorum, que Rutheni de Plescekowe[g] et Nogardenses anno preterito in Lyvonia perpetraverant, abierunt in Rusciam[h], et depredantes villas, et viros interficientes, et mulieres captivantes, omnem terram circa Plescekowe desertam posuerunt, et redeuntibus illis alii abierunt et similia mala[i] fecerunt et predam multam omni tempore retulerunt. Et relinquentes aratra sua terram Ruthenorum incolebant, insidiantes eis in campis et in silvis et in villis, ceperunt et interfecerunt eos[k], et nullam requiem dantes eis, equos et pecora et mulieres eorum tulerunt. Rutheni[l] vero de Plescekowe circa autumpnum collegerunt exercitum, et venerunt in terram Lettorum, et despoliaverunt villas eorum, et sederunt in finibus Meluke[m] et Warigribbe[n], devastantes omnia, que habebant, et frumenta cremantes, nichil eorum malorum, que facere poterant, obmiserunt[o]. Et misit magister milicie in Wenden ad Lettos omnes, ut venirent ad expellendum Ruthenos de terra. Sed abeuntibus Ruthenis, visum est Lettis, de persecutione Ruthenorum
(6.) modicum se lucrum reportare, et converterunt exercitum suum in Sackalam, et accipientes secum Sackalanenses transiverunt Palam, et intrantes Gerwam[p] percusserunt terram illam plaga magna, viros interficientes, mulieres capientes, equos et pecora et spolia multa tollentes, dicentes eos contra Danos in auxilium venisse Revelensibus. Et venerunt ibidem ad Rodolfum magistrum milicie seniores eiusdem provincie Gerwanensis[q] dicentes, se pacem Rigensium iam dudum recepisse coram comite Alberto, simulque baptismum eorum suscepturos, rogantes eum, ut cum exercitu suo de finibus ipsorum[r] exiret. Et accepit Rodolfus pueros eorum obsides, renovando cum eis pacem. Unde iura[s] cuncta quondam ab eis accepta, et fidem et leges promiserunt se deinceps servare christianas. Et suggerebant fratribus milicie, ut cicius redirent ad eundum cum eis in Vironiam cum exercitu, ut[t] iugum illud christianitatis etiam ad illas deferrent provincias; et promiserunt eis, et reversi sunt cum omni preda sua in Lyvoniam.

(7.) Post[u] expeditionem Gerwanensem fratres milicie de Wenden ad se convocaverunt[v] viros episcopi, Gerhardum advocatum, cum omnibus Lyvonibus ac[w] Lettis, et comitem iuvenem de familia episcopi, cum ceteris Rigensibus, et profecti sunt in Sackalam, accipientes secum Sackalanenses et eciam Ugaunenses, et progressi sunt in Gerwam[x], et eligentes sibi de Gerwanensibus[y] vie duces, per totam noctem intraverunt Vironiam, que est terra fertilis et pulcherrima et camporum planicie speciosa[z]. Et[a] sequebantur eos Gerwanenses tam equites, quam pedites[b], et non audierant Vironenses exercitum Lyvonensem venientem, et erant omnes in villis et domibus suis, et mane facto diviserunt exercitus ad omnes provincias[c], et dederunt[d] alias Gerwanensibus, alias Ugaunensibus, et[e] alias dederunt[d] Lyvonibus et Lettis despoliandas. Et invenerunt omnem populum per universam Vironiam in villis, et percusserunt eos[f] a magno usque ad minorem, et non pepercerunt eis, quotquot[g] masculini sexus invenerunt, et mulieres et parvulos capientes, et equos et

---

a) sunt coequales 1. b) ex 2. 3. c) si dicentes 2. 3. d) *lemma in* 1: De expeditione Lettorum. e) Kokenaus 2; Kobenans 3. f) Wargribbe 2. 3. g) Ploscekove 2. h) Russia 3. i) *deest* 2. 3. k) *bis scriptum in* 1. l) *lemma in* 1: De expeditione Ruthenorum ad Lettos. m) Melike 2. 3. n) Wangribbe 3. o) omis. 2. 3. p) Gernam 3. q) Gerwanenses 1. r) eorum 2. s) iam 2. 3. t) et 3. u) *lemma in* 1: De expeditione in Gerwam. v) convocarunt 2. w) et 2. x) Iervam 3. y) Iervanensibus 3. z) spaciosa 2. 3. a) *in margine* 1: De expeditione in Vyroniam. b) *primo* pedes, *eadem manu superscribendo correctum* 1. c) exercitus 3. d) dedederunt 1. e) *deest* 2. 3. f) eis 3. g) quicquid 2. 3.

pecora multa compellentes, spolia multa tulerunt. Et posuerunt Theuthonici suam congregationem in villa magna, que Turme[a. 88] vocatur. Lyvones et Letti suam mayam[b] elegerunt in Avispe[c. 89]. Sackalanenses in Revelensi provincia resederunt, Gerwanenses in suis provinciis quieverunt. Ugaunenses provinciam sibi conterminam, que Pudiviru[d] vocatur, depredantes, ibidem consederunt. Et postquam graviter nimis diebus quinque totam terram illam percusserunt, et milia multa populorum interfecerunt, venerunt tandem ad nos seniores provinciarum, qui per fugam evaserant, suppliciter pro pace petentes. Et ait Rodolfus fratrum milicie magister: *Numquit nam pacem adhuc desideratis, qui pacem nostram bellis vestris sepe turbastis? Sed pax non dabitur vobis, nisi pax illius veri pacifici, qui fecit utraque unum*[90], *coniungens et pacificans terrena celestibus. Qui de celo desideratus gentibus*[91] *rex descendit, exspectatio et salvator eorum. Qui precepit discipulis suis, dicens:* „Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos.“ *Si ergo*[e] *volueritis baptizari, et eundem Deum* Matth. 28, 9. *unum*[f] *christianorum nobiscum colere, pacem illam, quam nobis dedit, quam abscedens cultoribus suis reliquit, vobis dabimus; et in perpetue fraternitatis nostre consorcium recipiemus.* Et placuit eis verbum, et statim promiserunt omnia christianitatis iura[g] cum baptismo Rigensium se fideliter accepturos. Erat autem inter eos Thabelinus, quondam a nostris in Gothlandia baptizatus, et Kyriawanus alter, qui petebat a nobis bonum deum sibi dari, dicens, se malum deum hactenus habuisse. Fuerat enim homo idem infelicissimus usque ad illud tempus in omni negocio suo. Sed postquam baptizatus est a nobis, factus est homo felicissimus, prout postmodum confessus est nobis, et omnia prospera venerunt ei pariter cum baptismo. Ad petitionem itaque ipsius importunam, ibidem Deum promisimus sibi propicium, et temporalia sibi sufficienter eum in hac vita daturum et in futuro vitam eternam. Et credidit nobis, et statim cathezizavimus[h] eum, et astabat ei Rodolfus magister milicie patrinus[i]. Dumque[k] iam eum in[l] sacro linire deberemus oleo, factus est clamor magnus et concursus exercitus nostri per omnes plateas, et currebant omnes ad arma clamantes magnam paganorum malewam[m] contra nos venientem. Unde nos confestim proiecto sacrosancto crismate, ceterisque sacramentis, ad clypeorum gladiorumque ministeria cucurrimus, et festinavimus in campum ordinantes acies nostras contra adversarios nostros, et stabant nobiscum seniores Vironensium. Et appropinquaverunt[n] ad nos in magna multitudine, quos putabamus hostes. Et erant Sackalanenses, confratres nostri, qui redierunt ad nos cum omni preda sua. Unde[o] redeuntes consummavimus baptismum, differentes ceteros tempore suo baptizandos. Et data est pax, et acceptis obsidibus de quinque provinciis Vyronie, reversi sumus in Lyvoniam cum captivis et spoliis universis, de gencium conversione laudes Deo deferentes. Et sequuti sunt quinque seniores de quinque provinciis Vyronie in Rigam cum muneribus[p] suis, et accipientes sacri baptismatis mysterium tradiderunt se totamque Vyroniam beate Marie et Lyvonensi ecclesie, pacemque firmantes redierunt gaudentes in Vyroniam.

Post[q] festum nativitatis dominice conveniunt[r] seniores Lyvonensis ecclesie, expeditionem indicentes contra gentem apostatricem, in Mesiote[s] congregatam. (8.) 1220. Sed a ventis australibus et pluviosis impediuntur. Unde, celebrata purificationis beate Virginis solempnitate, Febr. 2. secundo congregantur, convocantes exercitum magnum de Lyvonia et Lettia, cum quibus adest primus venerabilis antistes Lyvonensis cum duce Saxonie et peregrinis omnibus, magister milicie cum fratribus suis. Et habentes quatuor milia Theuthonicorum et alia[t] quatuor Lyvonum et Letthorum, procedunt in Holme, ducentes secum machinam magnam et alias minores ceteraque instrumenta ad castri impugnationem. Et per[u] totam noctem euntes et aput Missam[v] exercitum ordinantes, progrediuntur ad castrum, villamque, que erat in circuitu, capientes spoliaque[w] tollentes castrumque obsidentes bellum inferunt eis multis diebus. Quorum alii propugnaculum edificant, alii patherellos erigunt, alii balistas exercent, alii edificant ericeos[x], de[y] subtus fodere vallum[z]

---

a) Tinume 2; Tinvme 3. b) maiam 2; maram 3. c) Amspe 2. 3; Anispe *ed.* d) Padćiwrn 2; puduurn 3; Pudurn *ed.* e) vero 3. f) *deest* 3. g) *deest* 3. h) catechizavimus 2. 3. i) paternus 2. 3. k) Cumque 2. 3. l) in *deest* 2. 3. m) malevam 2. n) appropinquabant 2. 3. o) Inde 2. 3; *lemma in* 1: De pace facta cum Vyronensibus et obsidibus datis et fide recepta. p) *sic ex* universis *a correctore effectum* 1. q) *lemma in* 1: De expugnatione magna contra Semigallos in Mesiote. r) convenerunt 2. s) Mesote 2; Mesoten 3. t) *cum hac voce desinit* 1, *celeris foliis avulsis.* u) et iverunt per 3. v) Mussam 2. 3. w) spolia 3. x) ericios 3. y) deque 3. z) v. f. 3.

88) Torma, a Wesenberg ad meridiem. 89) Awispä villa. 90) Ephes. 2, 14. 91) Aggaeus 2, 8.

incipiunt, alii lignorum comportationibus fossatum implent, et propugnaculum desuper impellitur, sub quo ab aliis foditur. Multi Semigallorum in castro lapidum iactibus leduntur, multi sagittis vulnerantur, et multi lanceis Lyvonum ac Letthorum de propugnaculo[a] interficiuntur. Ad hec rebellis turba repugnare non cessat. Erigitur tandem machina maior, iactantur in castrum lapides magni, quorum magnitudinem intuentes in castro, terrorem magnum concipiunt. Fit ipse dux rector machine, proiecit lapidem primum, et erkerum[b] ipsorum et viros in eo comminuit. Proiecit secundum, et plancas cum lignis munitionis in terram deiecit. Proiecit tertium, et arbores tres magnas munitionis perforando constringit hominesque ledendo concutit. Quo viso, castrenses de munitione fugiunt, loca tutiora adire querunt, sed refugium non habentes veniam petunt, ut ad episcopum descendant supplicant. Datur pax, conceditur via, descendunt Made et Gayle[c] cum ceteris. Quibus ut castrum tradant dicitur, et omnia, que in eo sunt, ut ipsi vitam habeant. Displicet hec forma, revertuntur in castrum, fit pugna maior priore. Cuncta bellorum innovantur machinamenta, milites armis se tegunt, una cum duce vallum conscendunt, castri summitatem capere cupiunt, sed repelluntur adhuc a semivivis illis, qui in castro fuerunt. Post hec lignorum multorum strues fiunt, ignes apponuntur, et affliguntur perfidi modis omnibus, donec tandem deficientes sequenti mane se tradunt, et a munitione sigillatim exercitui nostro descendentes se tradunt, et colla subiciunt. Circa meridiem, postquam iam numerum implent fere ducentorum descendendo, ecce subito Vesthardus cum suis Semigallis et Letthonibus, turba magna, prospiciens de silvis venit, bellum nobis inferre cupientes. Et statim ordinavimus acies nostras contra ipsos, et pedites circa castrum locavimus. Et veniunt stulti quidam ex nobis, quorum infinitus est numerus, et rapientes seniores eosdem, qui de castro descenderant, occidunt ex eis centum et plures, ignorantibus dominis, qui ad pugnandum contra paganos in campum abierant[d]. Viewaldus[e] autem senior de Ascrate[f] vicinius[g] ad hostes accedit, ut cum Theuthonicis pugnaturi veniant in campum eos vocat. At illi inquiunt: *Mercedem a Semigallis accepimus, ut ad videndum exercitum vestrum*[h] *veniremus. Nunc ergo viso exercitu vestro*[i], *redimus in terram nostram, pacem vobiscum*[k] *factam infringere nolentes.* Et abeuntibus Letthonibus Theuthonici redeunt ad castrum, seniores occisos invenerunt[l]. Qui in castro remanserant[m], videntes suos occisos, deinceps exire non audent. Fit nova pugna, sagitte volant, lancee Lyvonum ac Letthorum de propugnaculo multos illorum interficiunt, ignes accenduntur, vallum suffossum[n] cum munitione iam ad terram dilabitur[o]. Quod videntes illi nulliusque defensionis amplius solatium habentes, per totam noctem suppliciter exorant, quatenus eis pacis securitas firmetur, ut de castro descendentes vitam obtineant. Quorum misertus episcopus cum duce et omni multitudine, misit eis signum crucis sancte in castrum, et crediderunt eis, et promiserunt, deinceps se sacri baptismi sacramentum numquam violare. Et descenderunt de castro cum mulieribus et parvulis suis, et abierunt in villas suas. Exercitus quoque castrum ascendens diripuit pecunias et substantiam omnem et equos et pecora. Et Lyvones et Letthi nichil ibi relinquentes, omnia tulerunt, et incenso castro cum omni rapina reversi sunt in Lyvoniam, Deo gratias referentes de vindicta facta in gente illa prevaricatrice, que verborum suorum oblita, fidem Christi respuit, baptismi gratiam irrisit, paganorum ritibus iterum contaminari non timuit. (9.) Reversi Rigenses de Semigallia, reduxerunt ad memoriam omnia mala, que Harionenses et Osilienses Lyvonensi sepius intulerant ecclesie, et quiescentes duabus ebdomadis, tam ipsi quam equi eorum, iterum congregaverunt exercitum magnum Lyvonum ac Letthorum et Theuthonicorum, et erat cum eis dux Saxonie Albertus, senior eorum, et magister Volquinus cum fratribus suis, et Theodericus[p] frater episcopi cum ceteris viris ecclesie. Et convenerunt circa[q] Sackalam ubi locus colloquiorum exercitus et orationum fuerat, celebratisque ibi missarum solempniis, processerunt ad Palam, convocantes ibidem ad se Sackalanenses et Ugaunenses nec non et Gerwanenses, et elegerunt sibi vie duces ex eis, et diviserunt omnem exercitum suum in tres turmas, et missis sortibus obtinuerunt Lyvones viam ad sinistram, Estones vero viam ad dextram sorte perceperunt. Theuthonici vero cum Letthis solito more sibi viam mediam usurparunt[r]. Surgentes itaque mane ante lucem processimus in Nurmegunde[s] via media, et orto iam sole oriuntur ante faciem

---

a) propugnando 3. b) erkerium 3. c) Gayde 3. d) abierunt 3. e) Wiwaldus 3. f) Astrato 2; Aschiato 3. g) vicinus 2. 3. h) nostrum 2. 3. i) nostro 2. 3. k) nobiscum 2. 3. l) inveniunt 3. m) remanserunt 3. n) subfossum 3. o) delabitur 3. p) Theodohius 3. q) prope 3. r) usurparent 2. 3. s) Nurmegrunde 2. 3.

nostram ignes et fumi multiplices in terra Gerwanensi[a]. Fuerunt autem Gerwanenses ab ecclesia Lyvonensi iam sepius expugnati, et erant filii eorum obsides in Lyvonia, et tam censum suum annuatim solvere, quam baptismum[b] accipere[c] fuerant parati. Unde Osilienses congregato exercitu magno, sorte deorum suorum requirebant voluntatem, an cum Danis in Revele pugnaturi, an Gerwanensem essent provinciam intraturi? Et cecidit sors super Gerwanenses. Et misit eos Deus eodem die, quo nos venimus. Qui diviserunt exercitum suum eodem mane per omnes villas, despoliantes et incendentes eas, quorum ignes et fumos videntes quidam ex nostris, dux videlicet Albertus cum[d] militibus suis et magister Volquinus cum fratribus suis, et induebant arma sua, et processerunt in Gerwam obviam inimicis. Et invenientes omnes villas incensas ac despoliatas, magis festinaverunt post eos, et habuerunt quosdam obvios de Gerwanensibus, qui per fugam ab hostibus evaserant. Et retulit eis unusquisque eorum verbum, dicens: *Percusserunt Osilienses terram nostram plaga magna nimis, et effugi ego solus, ut nunciarem vobis.* Auditis itaque nominis Christi inimicis[e], acceleravimus ad eos, et post horam nonam quattuor ex eis villam incendentes comprehendimus, quibus occisis equisque ablatis post alios properavimus, et cum Letthis, qui leviores erant ad persequendum eos, processimus ad villam, que Carethen vocatur, ubi maia[f] eorum et congregatio fuit. Ad quam cum veniremus, vidimus omnem eorum multitudinem adversum nos repente venientem ad preliandum in campum. Et clamantes voce magna clypeosque tangentes accesserunt ad nos, et qui remanserant in villa, subsequebantur ad suos. Videntesque paucitatem nostrorum currebant, mittentes lanceas suas super nos. Exclamaverunt eciam et Letthi et hi, qui nobiscum erant, qui primo venerant, et adhuc erant paucissimi, et similiter currebant ad eos mittentes lanceas suas. Erat autem arta via nostra pre congelatione nivis, et unusquisque post alium sequebatur. Et ideo Theuthonici de longe post tergum sequentes adhuc nondum venerant, et erat nobis primis eorum mora gravis. Confidentes itaque in Domino Letthos ad sinistram ordinavimus. Theuthonici vero singuli per viam venientes, ad[g] dextram se statuerunt. Et ut vidimus fratrum militie vexillum appropinquare, simul et ducem[h] cum magno suo subsequi vexillo, quam plurimum letificati sumus. Et videns dux nostrorum paucitatem eorumque multitudinem ait: *Numquid nam ipsi sunt hostes Christi?* Et ait quispiam: *Ipsi sunt.* Et ait: *Nunc ergo accedamus ad eos.* Et statim cum fratribus militie simulque cum aliis Theuthonicis et Letthis properaverunt[i] ad eos, et irruentes per medium eorum, interfecerunt a dextris et sinistris, et cadebant ex eis ex omni parte tamquam fenum, quod coram metente se cadit in terram[92]. Et percusserunt[k] eos usque ad villam, et fugientes eos persequuti sunt per plateas et domos, et extrahentes eos interfecerunt, et supra domos ascendentes et super congeries lignorum se defendentes, rapuerunt eos, et in ore gladii cunctos perimentes, nemini eorum parcere voluerunt. Et exilientes mulieres Gerwanensium, que captive ducte fuerant ab Osiliensibus, percusserunt etiam ipse cum fustibus Osilienses, iam ante percussos, dicentes: *Te percutiat Deus christianorum!* Et persequuti sunt eos Theuthonici de villa in campum, occidentes eos per campos usque ad lucum[m] ipsorum, et ipsam sanctam silvam ipsorum multorum interfectorum suorum sanguine maculaverunt. Letthi vero circa villam sequentes, quibusdam fugientibus obviaverunt, et ventilantes eos hac et illac, interfecerunt eos, et auferentes equos, tulerunt spolia eorum. Reversique sunt ad locum certaminis, et acceperunt equos et vestes et predam multam, captivos autem cum mulieribus et parvulis Gerwanensibus restituerunt. Sed equos et aliam rapinam cunctam Theuthonici cum Letthis equaliter inter se diviserunt, benedicentes Dominum, qui tam gloriosam victoriam de paganis in manu paucorum operatus est. Erant autem interfectorum in loco certaminis circiter quingentos, et alii plures per campos et per vias et alibi ceciderunt. Ex nostris vero ceciderunt duo, et ex Letthis duo, frater Russini et frater Drivinalde[n] de Astigerwe, comes iuvenis de familia episcopi milesque ducis unus; quorum memoria sit in benedictione et anime eorum requiescant in Christo. Lyvones vero, qui ad sinistram via alia abierant, et Estones, qui ad dextram declinaverant, sicut nec ad bellum

---

a) Gerwanensium 3. b) baptissimi 3. c) recipere 2. d) A. et cum 2. 3. e) in. Ch. 2. 3. f) *deest* 3, *spatio vacuo relicto.* g) et ad 3. h) ducem Albertum 3. i) praeparav 3. k) percusserant 3. l) *deest* 3. m) lacum 2. n) *sic scribendum, cf. p.* 290; Drunwalde 2; Drunvaldi 3.

[92] Cf. Ierem. 9, 22.

venerunt, sic nec partes in divisione spoliorum acceperunt, sed via sua directa per noctem in Hariam irruerunt, et mane facto dividentes exercitum suum per omnes villas percusserunt viros, et mulieres captivas duxerunt, et predam multam collegerunt. Quos insequentes Theuthonici cum Letthis, sequenti die similia mala faciebant, et posuerunt congregationem suam in villa Lone, que est in media terra. Lyvones vero alibi suam maiam statuerunt, et Sackalanenses prope Revele resederunt. Qui mandatum seniorum transgredientes, eciam Revelensem provinciam spoliaverunt, que Danorum verbum iam receperat. Miserunt autem ad nos Warbolenses[a], rogantes ea, que pacis essent[b], et ut de finibus eorum exiremus. Et ait magister Volquinus: *Si volueritis*, inquit, *nobiscum unum Deum colere fonteque sacri baptismatis irrigari et filios vestros obsides dare, pacem vobiscum perpetuam faciemus.* Et (10.) placuit verbum hoc Warbolensibus, et dederunt obsides. Miserunt quoque nostri milites nuncios suos ad archiepiscopum, venerabilem domnum Andream, et ad alios episcopos Danorum et viros regis, qui erant in castro Revelensi. Qui statim miserunt viros regis ad nos, referentes gratias Deo et nobis de paganorum impugnatione, tam Osiliensium quam Harionensium, addentes insuper totam Estoniam regis esse Dacie[c], traditam sibi ab episcopis Lyvonensibus. Et rogabant obsides Warbolensium sibi presentari. Magister vero Volquinus donationem Estonie regis Dacie se firmiter allegans ignorare, coram duce Saxonie et coram cunctis, qui ibidem cum eis convenerant, Estoniam totam vexillo beate Virginis a Rigensibus ad fidem christianam subiugatam referebat, preter solam Revelensem provinciam et insulam Osiliensium[d]. Et ait[e]: *Obsides quidem presentis provincie Harionensis patribus eorum restituimus, volentes in hoc regem Dacie libenter honorare, sub hac tamen conditione, quatenus Rigensium viris*[f] *nichil per hoc diminuatur*[g]. Unde relictis ibidem obsidibus eiusdem provincie, cum preda nostra reversi sumus in Lyvoniam. Erat autem preda Lyvonum magna nimis, qui speluncas Harionensium subterraneas, ad quas semper confugere solebant, obsidentes, et fumos et ignes in ore speluncarum incendentes, nocte ac die[h] suffumigantes, eos suffocabant omnes, tam viros quam mulieres. Et alios iam expirantes, alios semivivos, alios mortuos extrahentes de speluncis, interfecerunt eos, et captivos alios duxerunt, et omnem substantiam eorum et pecuniam et vestes et spolia multa tulerunt. Erant autem suffocatorum promiscui sexus ex omnibus speluncis anime hominum fere[i] mille. Et post hoc reversi sunt Lyvones sum Theuthonicis, Deum benedicentes, eo quod eciam superba Harionensium corda ad fidem christianam humiliavit.

(11.) Eodem anno mortuo Theoderico[k], venerabili Estiensi[l] episcopo, qui gladiis impiorum in Revele iugulatus in martyrum, ut speramus, consortium transivit, antistes Lyvonensis Albertus in locum ipsius fratrem suum Hermannum[m], non minus venerabilem apud Bremam Sancti Pauli abbatem, substituit, et mittens nuncios per Curoniam et Samlandiam[n] in Theuthoniam, factum hoc ei significavit. Unde ipse ad archiepiscopum Magdeburgensem[o][93] accedens, ab eo consecratus est episcopus in Estoniam. Quo audito rex Dacie[p] iter ipsius in Lyvoniam ad aliquot annos impedivit. Qua de causa idem episcopus ad regem veniens, episcopatum ab eo promisit recipiendum et ei[q] fideliter adherendum.

(XXIV.) Annus bisdecimus antistitis atque secundus
1220. Iam fuit, et modicum[r] Lyvonum terra quievit.

Idem antistes predicatores in Estoniam mittere sollicitus, cuius instantia sollicitudo semper omnium ecclesiarum[94], misit Alabrandum sacerdotem et Ludovicum in Sackalam. Qui quam plures de Gerwa et aliis provinciis baptizantes, iterum reversi sunt in Lyvoniam. Et missis nunciis in Rusciam, episcopus verbis pacificis cum Nogardensibus locutus est, interimque sacerdotes alios in Estoniam mittere non distulit. Quorum erat primus Petrus Kaikewalde[s] de Vinlandia[t], et Henricus, Letthorum minister de Ymera. Qui simul abeuntes in Estoniam, pertransiverunt Ugauniam iam ante baptizatam, donec ad flumen, quod Mater aquarum dicitur, apud Dorbete[u] pervenirent. Et incipientes a flumine doctrine

---

a) Warbelenses 2; Warhelenses 3. b) *omnia sequentia a prima manu in folio adiecto suppleta sunt usque ad verba:* ad quas semper confugere 3. c) Danorum 3. d) Osiliensem 3. e) ait porro 3. f) iuris *coniecit Pabstius.* g) immin. 3. h) dies 3. i) f. h. 3. k) Theodonio 3. l) Esthoniensi 3. m) Harm. 3. n) et in S. 2. 3. o) Magdiburg. 3. p) Daniae 3. q) *deest* 3. r) modia 3. s) Karkewalde 3. t) Finl. 3. u) Darbete 3.

93) Albertum I. 94) Cf. 2. Corinth. 11 28.

christiane semina spargere, villas circumiacentes sacro regenerationis fonte rigabant. Et in Lovecotte[a][95] simul et in aliis villis sacri baptismatis mysteriis celebratis, processerunt in Sadegerwe[96], convocatisque populis ibidem circiter trecentos baptizaverunt. Et post hec ad alias villas circumeuntes similiter faciebant. Et venerunt in Waigam, et homines[b] illius terre sacris mysteriis imbuentes, baptizaverunt omnes, et tandem in Riole[c], quod erat extremum castellum eorum, convocatis hominibus, doctrinam eis ewangelicam tradiderunt. Et baptizatis ibidem promiscui sexus quingentis, in Wironiam processerunt. Et receperunt eos Wirones de prima provincia, que Pudyviru[d] vocatur, et baptizati sunt omnes ab eis de quattuordecim villis una cum Tabelino seniore ipsorum, qui postmodum a Danis suspensus est, eo quod baptismum Rigensium acceperat et filium suum fratribus militie obsidem posuerat. Ceteri vero Wironenses de provinciis aliis propter comminationem Danorum Rigensium sacerdotes recipere non audentes, Danos utpote sibi vicinos ad se vocaverunt, et baptisati sunt ab eis. Credebant itaque Wirones unum Deum esse christianorum, tam Danorum quam Theuthonicorum, et unam fidem unumque baptisma, et nullam inde provenire discordiam putantes, Danorum sibi vicinorum baptismum indifferenter accipiebant. Rigenses autem[e] Wironiam suam esse, tamquam a suis ad fidem christianam subiugatam, allegantes, sacerdotes predictos ad ipsam baptizandam transmiserunt. Sed Dani ipsam (2.) terram sibi vicinam preoccupare cupientes, sacerdotes suos, quasi in alienam messem, miserunt. Qui baptizantes villas quasdam, et ad alias suos mittentes, ad quas ipsi venire tam subito non potuerunt, et cruces magnas ligneas in omnibus villis fieri precipientes, et aquam benedictam per manus rusticorum mittentes, et mulieres ac[f] parvulos aspergere iubentes, sacerdotes Rigenses taliter prevenire conabantur, et hoc modo totam terram ad manus regis Danorum preoccupare studebant. Quod intelligentes Petrus et Henricus, in Gerwam[g] abierunt, et baptizatis ibidem in primis villis quam plurimis hominibus, audierunt Woltherum sacerdotem Danorum illuc venisse. Occurrerunt ei dicentes, terram ipsam in Rigensium esse potestate, et vineam ipsam per vexillum beate Virginis studio peregrinorum et Rigensium labore plantatam[h] affirmarunt. Et post hoc abeuntes in castrum Danorum cum ipso sacerdote, coram venerabili archiepiscopo Andrea Lundensi idem referebant. Sed archiepiscopus idem totam Estoniam, sive a Rigensibus expugnatam, sive nondum adhuc subiugatam, regis Dacie[i] esse dicebat, a Rigensibus episcopis sibi collatam, missisque nunciis Rigam, ne racemos dependentes colligerent mandavit, nec sacerdotes suos in angulis Estonie ad predicandum mitterent. Cui rescripsit Rigensis episcopus, venerabilis Albertus, vineam ipsam Estiensis[k] ecclesie pluribus annis ante tempora Danorum a suis iam dudum plantatam, sanguine multorum et bellorum incommodis multis excultam, sacerdotesque suos non in angulis Estonie, sed in media Gerwa, verum eciam in Wironia et usque in faciem ipsius archiepiscopi comparuisse. Quo cognito rex Dacie[i] contra episcopum Rigensem quodammodo commotus, ad presentiam tamen suam ipsum cum fratribus militie vocavit. Quo non veniente, sed ad summum pontificem pro eadem causa properante, fratres militie, Rudolphus de Venden[l] cum ceteris, venerunt ad regem. Et dedit eis rex Sackalam et Ugauniam, iam dudum a Rigensibus subiugatam et baptizatam, cum adiacentibus provinciis, pro sua tertia parte Estonie, excluso Lyvonensi episcopo cum fratre suo Hermanno[m], noviter consecrato. Et pervenit in Rigam verbum hoc, et dure accepit Bernhardus episcopus cum ceteris Rigensibus, et convenerunt cum fratribus militie, statuentes amice trifariam Estonie divisionem, et episcopis, sicut hactenus sic et deinceps, suas partes attribuentes, fratribus suam tertiam reliquerunt. Dani[n] quoque, postquam Revalensem provinciam totam baptizaverunt, miserunt sacerdotes suos ad Harionenses, et baptizatis illis incitaverunt eos, ut irent ad Gerwanenses cum exercitu, quatenus timore illo correpti[o] a dominio[p] Rigensium recederent et ipsorum dominium[q] et baptismum reciperent. Et ibant Harionenses in ipsam terram Gerwanensium estate eadem novem vicibus cum exercitibus suis, despoliantes eos et occidentes complures ex eis et captivantes, ut eciam ipsum sacer-

---

a) Lonecotte 2. 3. b) W. et hiems 3; Waygame Hyembe 4; Waygam cum Hyembre 5. c) Ziole 2; Viole 3; Riole 4. 5. d) Pudymra 2; Pudymrum 3; Pudymen *ed.* e) ante 3. f) et 3. g) Gerwan 2. h) plantata 3. i) Daniae 3. k) Estoniensis 3. l) Wenden 3. m) Harmanno 3. n) Iam 2. 3. *ed.* o) corrupti 3. p) domino 2. 3. q) dominum 2. 3.

[95] Lofkatten villa, a Dorpat ad orientem. [96] Sadjerw praedium, a Dorpat ad septemtrionem.

dotem Danorum inter alios vulnerando ferirent, donec tandem plurimi eorum dominium ac baptismum Danorum elegerunt. Similiter et Wironenses[a] a Rigensibus primitus expugnati, comminatione Danorum exterriti, verbum eorum atque dominium acceperunt. Unde archiepiscopus episcopum novum[1] in Wironiam et Gerwam consecravit, Revelensi episcopo provincias Harionenses attribuens.

(3.) Interim rex Suecie Iohannes cum duce suo[2] et episcopis suis, collecto exercitu magno, venit in Rotaliam, cupiens aliquas partes in Estonia ac dominatum adipisci. Et resedit in castro Lealensi, ad quod erat episcopus Hermannus[b], frater Lyvonensis, a domno papa confirmatus, eo quod eadem provincia fuerit quondam a Rigensibus expugnata et fidei rudimentis initiata. Et circumiverunt Sueci per provinciam docentes et baptizantes ex eis et ecclesias edificantes. Et pervenerunt ad Danos in Revele colloquentes cum eis. Miserunt quoque Rigenses nuncios ad ipsos, dicentes ipsas provincias a suis ad fidem christianam subiugatas, monentes eciam ipsos, ne dolosis verbis Estonum perfidorum nimium confidentes, minorem circa se curam adhiberent. Rex autem idem, locatis in castro viris suis, videlicet[c] Lealensi, cum duce Carolo et episcopo[3] reversus est in Sueciam. Et cum esset eis ex[d] altera parte Lyvonia et ex altera parte Dani, ipsi quoque in medio constituti minorem de paganis timorem habere ceperunt. Et factum est in uno dierum, apparente primo diei diluculo, venerunt Osilienses de mari cum exercitu magno, et obsidentes eosdem Suetones[e] pugnaverunt cum eis, et ignem apposuerunt ad castrum eorum. Et exiverunt Sueci ad eos 1220. Aug. 8. dimicantes cum eis, et non valuerunt tante resistere multitudini. Et ceciderunt Sueci[f] interfecti ab eis, et captum est castrum, et dux cecidit, et episcopus per ignem et gladium occisus est et in martyrum, ut credimus, consorcium commigravit. Et venerunt postmodum Dani colligentes corpora eorum, et cum luctu sepulture tradiderunt. Similiter et Rigenses, audientes interfectionem eorum, luctum super eos cum gemitu diebus multis habuerunt. Erant autem interfectorum fere quingenti, quorum pauci per fugam evaserunt et in Danorum castrum pervenerunt. Ceteri omnes in ore gladii corruerunt, quorum memoria in benedictione et anime eorum requiescant cum Christo.

(4.) Episcopus vero Lyvonensis mare transiens, venit in Lubek[g] et cognitis insidiis regis Dacie[h], fidelium suorum amicorum auxilio clam exivit de civitate, et cum festinatione pervenit in curiam Romanam ad summum pontificem[4], qui misericorditer et paterne suas exaudivit petitiones. Misitque rex Dacie[h] nuncios suos contra eum, qui non modicum negotium ecclesie Lyvonensis[i] in curia Romana disturbabant, et sibi minus modico proficiebant. Et abiit episcopus Lyvonensis ad imperatorem Fridericum, tunc noviter ad imperium sublimatum[5], querens ab eo consilium et auxilium, tam contra regis Dacie quam Ruthenorum sive paganorum aliorum importunam infestationem, eo quod Lyvonia cum provinciis omnibus subiugatis ad imperium semper haberet respectum. Imperator vero diversis et altis imperii negotiis occupatus, modicam episcopo[k] consolationem impendit, qui se terram sanctam Ierosolimitanam[l] visitare promisit, et inde sollicitus auxilium episcopo subtraxit, monens eum tamen et docens, verbum pacis et amicitie tam cum Danis quam cum Ruthenis habere, donec novelle plantationi firmum postmodum superedificaretur edificium. Cumque nullum episcopus perciperet solatium tam a summo pontifice quam ab imperatore, rediit in Theuthoniam. Et visum est ei bonorum[m] virorum consilio, regem Dacie potius adire quam Lyvonensem ecclesiam periclitari. Prohibebat enim rex Dacie Lubecensibus naves peregrinis[n] in Lyvoniam prestare, donec episcopum ad suum emolliret consensum. Unde tandem idem venerabilis antistes cum fratre suo Hermanno[o] episcopo regem Dacie prefatum adivit, et tam Lyvoniam quam Estoniam in potestatem ipsius commisit, ita tamen, si prelati conventuum suorum, nec non et viri sui, et Rigenses omnes cum Lyvonibus et Letthis in hanc formam consensum suum preberent. Et mortua est eodem tempore 1221. Mart. 27. regina[6], uxor videlicet regis Dacie, in partu. Et ait quispiam, novellam ecclesiam, tunc

---

a) Wirones 2. *ed.* b) Harmannus 3. c) scilicet 3. d) ea 3. e) Suethones 3. f) Svethi 2; *deest* 3. g) Lubeck 3. h) Daniae 3 *constanter.* i) Livoniensi 2. k) episcopi 3. l) Ieheremitanam 2. 3. m) honorum 3. n) peregrinas 2. 3. o) Harmanne 3.

[1] Ostradum, cf. Albericum (ed. Leibnit.) p. 486.

[2] Karolo, duce Gothlandiae orientalis.

[3] Episcopus is Lincopensis fuit, Karolus, Karoli ducis ex fratre Magno nepos. GRUB.

[4] Honorium III.

[5] 1220. Nov. 22.

[6] Berengaria.

in potestatem regis ipsius traditam, que paritura erat cottidie prolem spiritualem, temporibus sui principatus indubitanter periclitandam[a]. Et vera retulit ille, sicut infra patebit.

Medio tempore litigantibus aliis pro terrarum dominatibus, abiit iterum Letthorum de (5.) Ymera sacerdos in Estoniam, assumpto secum alio sacerdote Theoderico, tunc noviter ordinato, et pertranseuntes Sackalam venerunt ad Palam, et incipientes ab eodem flumine, provinciam vicinam, que Normegunde[b] vocatur, sacri baptismatis fonte rigabant, per singulas villas maiores moram facientes, populum convocantes, doctrinam ewangelicam eis tradiderunt. Et per septem dies circumeuntes, singulis diebus trecentos aut quadringentos promiscui sexus baptizaverunt. Post hoc in Gerwam[c] abierunt, et provinciam extremam versus Wironiam[d], que Loppegunde[e] vocatur, nondum baptizatam adeuntes, in singulis villis maioribus sacri baptismatis mysterium celebrabant, donec ad villam, que Kettis vocatur, venirent, et idem faciebant ibidem. Ubi postea Dani ecclesiam edificaverunt[f], sicut et in aliis pluribus villis a nobis baptizatis fecerunt. Tandem villam, que Reineveri[g][7] vocatur, attingentes, ad convocandum populum de villis aliis miserunt. Et ait rusticus, qui fuit senior eorum: *Iam omnes*, inquit[h], *baptizati sumus.* Et requirentibus illis, cuius baptismate baptizati essent, respondit ille: *Cum essemus in villa Iolgesim*[8], *quando sacerdos Danorum ibi*[i] *baptismi sui tractavit sacramenta, baptizavit viros quosdam ex nostris, et dedit nobis aquam sanctam, et reversi sumus ad proprias villas, et cum eadem aqua aspersimus*[k] *unusquisque nostram familiam, uxores et parvulos, et nobis ultra quem*[l] *faciemus? Cum enim semel baptizati sumus, nos ultra non recipiemus.* Quo audito, sacerdotes modicum subridentes, et excusso pulvere pedum in eos, ad alias villas festinantes, in confinio Wironie tres villas baptizaverunt, ubi erat mons et sylva pulcerrima, in qua[m] dicebant indigene magnum deum Osiliensium[n] natum, qui Tharapita vocatur, et de loco illo in Osiliam[n] volasse. Et ibat alter sacerdos succidens imagines et similitudines deorum suorum ibi factas, et mirabantur illi[o], quod sanguis non efflueret, et magis sacerdotum sermonibus credebant[p]. Consummato ergo per septem dies baptismate in illa provincia, reversi sunt sacerdotes ad aliam provinciam, que Mocha vocatur, et similiter ebdomadam ibidem implentes, circumiverunt ad villas, et quolibet die circiter trecentos aut quingentos[q] promiscui sexus baptizaverunt, donec eciam in illis finibus[r] consummato baptismate, paganorum ritus abolerent. Et de provincia illa procedentes in Waigam[s], invenerunt in via villas plures, que nondum fuerunt ab aliquibus sacerdotibus visitate, baptisatisque viris omnibus ibidem et mulieribus et parvulis, circa stagnum Wordegerwe[t][9] euntes venerunt in Waigam[u], et cum Waiga iam ante fuerit[v] baptizata, redierunt ad provinciam, que Iogentagania[w] vocatur, et singulas villas visitantes, que remanserunt[x] ante nondum baptizate, videlicet Igeteveri[y][10], Wetpole[z][11] et Wasala[12] cum pluribus aliis, baptizaverunt omnes viros ac[a] mulieres et parvulos eorum. Et expleta ibidem ebdomada consummatisque in finibus illis sacri baptismatis mysteriis, gaudentes reversi sunt ad Matrem aquarum, et in utraque parte fluvii similiter opus pietatis et doctrine studium circa non baptizatos adimplentes, tandem redierunt in Odenpe vineamque plantatam et sacro fonte rigatam Deo, qui incrementum daturus erat, committentes reversi sunt in Lyvoniam.

Post modicum vero temporis[b] rediit iterum idem Theodericus sacerdos in Gerwam et (6.) Wironiam ad baptizatos suos, et habitavit ibidem cum eis. Et audientes Dani, comprehenderunt eum cum servo suo, et auferentes eis equos et omnia, que habebant, despoliatos remiserunt[c] in Lyvoniam. Miserunt eciam fratres[d] episcopi Rigensis Salomonem sacerdotem in Rotaliam post interitum Suecorum[e]; qui benigne receptus est ab eis, promittentibus se Rigensi semper ecclesie libenter deservire, Danorum vero dominium sive baptismum se nunquam[a] accepturos. Et colligebant censum de cunctis finibus suis, sicut antea semper solebant, mittentes per manus[b] ipsius sacerdotis Rigensibus, et venientes Dani abstulerunt omnia et remiserunt eum despoliatum in Lyvoniam. Abiit eciam Hartvicus, fratrum milicie iuvenis sacerdos, in Ugauniam[c], et habitavit ibi cum fratribus suis et baptizavit quoscunque non baptizatos invenit. Similiter et Letthorum adhuc sacerdos abiit in Ugauniam et venit in Walgatabalwe[d] versus Plescekowe, et in extremis villulis illis omnibus celebrando baptismi sacramentum, fidem eis aperuit christianam, et consummato baptismate reversus est in Lyvoniam. Eodem tempore consummatus est baptismus[e] per universam Estoniam, et baptizati sunt in omnibus finibus et provinciis Estonie populi multi, et ita ut alii sacerdotum mille[f], et plures alii quinque milia, quidam[g] ex eis decem milia baptizaverunt in milibus suis et plures. Et gaudebat ecclesia pacis tranquillitate, et collaudabat omnis populus Dominum, qui post bella plurima tandem convertit ab idolatria[h] corda paganorum ad sui Dei culturam[i], qui est benedictus in secula.

---

[a] periclitandum 3.
[b] Wormegunde 2. 3, *sed in* 3 *prima manu correctum.*
[c] Ierviam 3.
[d] Wiriam 3.
[e] Soppegunde 2; Loppeguada 3; Lappegunda *ed*
[f] aedificarunt 3.
[g] Reineven 2; Reynenen 3. *ed.*
[h] *deest* 3.
[i] ipsi 3.
[k] adsp. 3.
[l] *sic codd.*
[m] quo 3.
[n] Oesil. 3.
[o] pagani 3. *ed.*
[p] m. exinde sacerdotibus cr. 3. *ed.*
[q] quadring. 3. *ed.*
[r] eciam omnibus fin. 3. *ed.*
[s] Waygam 3. *ed.*
[t] Wordegerve 3; Worzegerwe *ed.*
[u] Weygam 3.
[v] fuerat 3.
[w] Iogentaganin 2; logenlagana 3; Sogentagana *ed.*
[x] remanserant 3. *ed.*
[y] Igeteneri 2; Ygetenere 3. *ed.*
[z] Welpole 3. *ed.*
[a] et 3.
[b] spacium *add.* 3. *ed.*
[c] remiserant 3.
[d] fratrem 3.
[e] Svetorum 2.

[7] Reinewer villa.
[8] Ialgsama villa, ut videtur.
[9] Würzjerw lacus.
[10] Iggafer villa.
[11] An Fehtenhof praedium, ab Iggafer ad meridiem?
[12] Wassula praedium, a Fehtenhof inter meridiem et occidentem.

(7.) Eodem eciam tempore christiani de terra Ierosolimitana ceperant Damiatam[k], civitatem Egypti, et habitabant in ea, et habebat ecclesia Dei victoriam et triumphos de paganis per orbem ubique terrarum, licet nobis non longo tempore. Nam statim sequenti anno 1221. post pascha[13] venerunt Osilienses cum exercitu magno, et obsederunt Danos in Revele[l], pugnantes cum eis diebus quattuordecim, et ignes multos accendentes eos in hunc modum capere sperabant. Et exiverunt Dani de castro quandoque preliantes cum eis, iterumque repulsi sunt ab eis post tergum in castrum. Et videntes Osilienses coggones quattuor venientes in mari, timebant regem Dacie cum exercitu venire. Et relinquentes castrum Danorum abierunt ad naves suas, et reversi sunt in Osiliam. Et miserunt Dani statim, et ceperunt seniores Revelensis provincie et Harionensis nec non et Wironensis, et suspenderunt omnes[m], quotquot fuerant cum Osiliensibus in obsidione castri sui, sive in consiliis eorum[o] malignis. Et duplicem censum vel triplicem, quem ante dare solebant, imposuerunt reliquis, satisfactionesque multas et graves acceperunt ab eis. Unde maius odium Estones contra Danos habere ceperunt et dolosas malorum[p] consiliorum machinationes semper querebant contra eos, si qualiter eos de finibus suis expellere valerent.

(XXV.) Annus erat consecrationis antistitis Alberti 23.
1221. Et siluit paucis Lyvonum terra diebus.

Abeunte itaque comite Adolpho de Dasle[q][14] in Teutoniam[r], rediit iterum prefatus venerabilis antistes Rigensis cum aliis peregrinis, licet paucis, inter quos erat Bodo[s] de Homborch[t][15], homo nobilis, cum aliis militibus et clericis; et in reversione eiusdem episcopi cognoverunt Rigenses, quod tradita esset non tantum Esthonia, verum eciam Lyvonia in potestatem regis Dacie. Et conturbati sunt omnes valde, simulque omnes uno ore contradixerunt, tam prelati conventuum quam viri ecclesie et cives et mercatores et Lyvones et Letti, dicentes se ad honorem domini nostri Iesu Christi sueque dilecte genetricis hactenus[u] prelia Domini preliari contra paganos, et non in honorem regis Dacie, magisque terram ipsam se velle derelinquere[v], quam regi predicto deservire. Et pervenit verbum hoc ad aures archiepiscopi venerabilis Lundensis ecclesie, qui fuerat in obsidione castri[w] Revelensis paganorum persecutionibus non modicum examinatus[x], et cognovit se Rigensium adiutorio plurimum indigere, misitque nuncios episcopo Rigensi, promittens se Lyvoniam in pristinam reducere[y] libertatem. Et abiit episcopus idem cum magistro milicie et cum viris suis ad archiepiscopum[z] eundem in Revele[a], et acceperunt consolationem et munera, promisitque eis omni studio Lyvoniam iterum in suam se velle revocare libertatem, tantum ut una pace belloque unico contra paganos ac[b] Ruthenos Theuthonici cum Danis gauderent[c]. In Sackala

---

a) unquam 2. b) manus per 2. c) Uganniam 2. 3. d) Walgatabalve 3. e) *sic* 2. 3. 5. f) *deest codd.* g) quidam eciam 3. h) idololatria 3. i) cultum 3. k) damnatam 2. l) Revalia 2. 3. 5. m) in arbores *add.* 3. 5. o) suis 3. 5. p) multorum 3. q) Dalle *codd.* r) i. T. *des.* 3. 5. s) Rodo 3. t) Hohenborch 3; Hoeberg 5. u) h. se 3. 5. v) relinquere 3. w) arcis 3. x) *tum uncis inclusum* (:exanimatus:) 3; exanimatus 2 *et* 5, *sed in* 5 *superscriptum est* examinatus. y) reducturum 3. 5. z) eundem arch. 3. a) Revelam 3. 5. b) et 3. c) gauderet 3.

[13] quod tunc in 11. diem Aprilis incidebat. [14] Dassel inter Eimbeck et Höxter. [15] Homburg prope Eimbeck.

vero et Ugaunia regalia cuncta simul et secularia iura[a] fratribus milicie dederunt, et episcopo spiritualia commiserunt, et reversi sunt gaudentes in Lyvoniam.

(2.) Post quorum reversionem venit miles quidam Godescalcus[b], regis Dacie nuncius, missus a rege preoccupare[c] civitatis ipsius[d][16] advocatiam ad manum regis. Et contradixerunt omnes ei, qui erant per universam Lyvoniam, tam Lyvones et[e] Letti, quam Theuthonici[f] in tantum, ut eciam mercatores sibi gubernatorem navis sue tam de Gotlandia in Lyvoniam veniendo, quam de Lyvonia in Gotlandiam redeundo denegarent. Et recessit ipse confusus a Lyvonia, venitque in mare magnum et spatiosum, et ibat sine rectore navis et proiectus est a vento contrario. Et quia fortassis contra voluntatem ipsius, qui[g] ventis imperat[h], venerat in Lyvoniam, ideo non immerito venti contra eum[i] insurrexerunt, et sol iustitie non illuxit ei, eo quod Mariam matrem eius offenderat, que maris dicitur stella[17], quapropter et ipsa[k] certam ipsi viam non ostendit. Taliter idem miles expulsus a Lyvonia rediit in Daciam[l], abrenuncians deinceps in terra beate virginis Marie regalem advocatiam. Sic, sic maris stella suam semper custodit Lyvoniam, sic, sic mundi domina terrarumque omnium imperatrix specialem[m] suam terram semper defendit, sic, sic regina celi terrenis regibus imperat. Nonne imperat, quando reges multos contra Lyvoniam pugnantes exacerbavit? Nonne exacerbavit, quando regem magnum Woldemarum de Plosceke[n] venientem in Lyvoniam cum[o] exercitu subitanea morte percussit? Numquid[p] non regem magnum Nogardie, qui Lyvoniam[o] prima vice despoliavit[q], regno suo statim privavit, ut a civibus suis turpiter expelleretur, et alium regem Nogardie, qui secunda vice Lyvoniam depredavit per Tartaros[r] occidit? Numquid[p] non regem Wissewaldum de Gercike, qui Rigenses spoliavit igne et gladio satis humiliavit? Numquid non rex Viesceka[s], qui viros episcopi in Kukenois[t] quondam mortificaverat, crudeli morte postmodum, sicut[u] infra dicetur, in Tharbete[v] interiit? Suecos[w] eciam, numquid audebo dicere, qui Rotalienses provincias beate Virginis vexillo subiugatas intraverunt, numquid non ipsi ab Osiliensibus interfecti sunt? Numquid[p] eciam non regem Danorum, si dicere fas est, qui Lyvoniam dominio suo turbare voluit, longa et mirabili per manum paucorum captivitate turbavit? Numquid[x] non Suellegaten[y], nec non et alios quam plures[z] Lettorum principes ac seniores per servos suos Lyvonenses interfecit? Nonne Ako, Lyvonum in Holme quondam perfidorum princeps, cum aliis quam plurimis a Rigensibus interfectus cecidit? Nonne Russinus, Lettorum senior, in castro Dabrelis occubuit? Nonne omnes seniores Thoreidenses[a], qui perfidi dicebantur, tempore pestilentie ceciderunt et mortui sunt? Numquid[x] non omnes seniores Osilie, nec non et Rotaliensium provinciarum[b] apud Thoreidam a Rigensibus interfecti ceciderunt? Numquid[x] non Lembitus, Vytamas[c] cum aliis senioribus suis perfidis in Sackala a Rigensibus interfecti ceciderunt, et quicunque tunc superfuerunt et postmodum in perfidia sua duraverunt, numquid non omnes interierunt? Ecce Dei mater quam mitis circa suos, qui fideliter ei deserviunt in Lyvonia, qualiter ipsa semper defendit eos a cunctis inimicis suis, quamque crudelis circa illos qui terram ipsius invadere, sive qui fidem et honorem filii sui in terra ipsa conantur impedire! Ecce quot et quantos reges ipsa exacerbavit, ecce quot perfidorum et paganorum principes ac seniores de terra delevit, quoties victoriam suis de inimicis concessit! Semper enim hactenus vexillum suum in Lyvonia et preeundo et subsequendo defendit ac de inimicis triumphare fecit. Et quis unquam[d] regum aut paganorum, sive[e] Danorum sive quarumcunque gentium[e], contra Lyvoniam pugnavit et non interiit? Animadvertite et videte principes Ruthenorum sive paganorum sive Danorum sive quarumcunque gentium seniores, ipsam tam[f] mitem matrem misericordie timete, ipsam Dei matrem adorate, ipsam tam crudelem vindicatricem de inimicis suis placatam vobis reddite, terram ipsius deinceps impugnare nolite, ut ipsa sit vobis[g] mater, que fuit hactenus semper inimica suis inimicis, et affligentes suos in Lyvonia magis ipsa semper afflixit.

a) nostra 2. b) Bodescalcus 2; Godeschalcus 3. 5. c) *sic* 2. 5; nuncius in Rigam missus pr. 3. d) istius 5. e) quam 3. 5. f) L. et precipue T. 3. 5. g) Dei 5. *sed* qui *superscriptum est.* h) *des* v. i. *in* 2. 3. 5. i) venti contrarii in eum 3. 5. k) ipsam 3. l) Daniam 3. m) spiritalem 2; spiritualem 3. 5. n) Ploskeke 3. o) cum — Lyv. *des.* 5. p) Nonquid 3. q) spoliavit 3. 5. r) Tataros 2. s) Wiesceka 5. t) Kokonois 2. u) ut 5. v) Torbeto 3; Tarbete 5. w) Svethos 2. x) Nunquid 3. y) Snellegaten 2; Svellegathen 3. 5. z) plures 3. a) Thoreiden 2; Thoreide 3; in Thoreyda 5. b) provincias 5. c) Wytamas 3. d) hoc temp. *add.* 3. 5. e) sive — gentium *desunt* 3. 5. f) iam 3. g) nobis 2.

[16] Rigensis. [17] Hymnum innuit antiquum. Cf. Fortunati carmina VIII, 5.

Attendite eciam et videte, qui tenetis dominium et advocatias[a] in terra ipsius, ne pauperes nimium opprimatis, pauperes dico Lyvones[b] et Lettos, sive quoscunque neophytos, beate Virginis servos[c], qui nomen Christi filii sui deportaverunt hactenus ad alias gentes, et adhuc portabunt[d] nobiscum. Crudelem quorundam mortem, qui subditis suis graves fuerunt, ante mentis oculos revocate, alta consideratione pertimescite. Non enim beata Virgo censu magno, quem[e] dare solent neophyti, delectatur, non pecunia diversis exactionibus[f] ipsis ablata placatur, neque iugum grave, sed quod sit portabile magis atque suave vult eis imponi, cuius filius dicit: *Iugum meum suave est et onus meum leve*, (Matth. 11,30.) qui simpliciter hoc[g] exigit ab eis, ut credant in nomine eius, et cognoscant eum cum Patre Deum verum esse et unum, et credentes vitam habeant in nomine eius, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

(3.) Convenerunt eciam eodem tempore cives Rigenses cum mercatoribus et cum Lyvonibus et Lettis apud Thoreidam, coniurantes et conspirantes tam contra regem Dacie, quam contra cunctos sibi adversantes. Et miserunt fratres militie servos suos, et ceperunt quosdam ex senioribus Lyvonum, et in Sigewalde[h] proiecerunt eos in vincula, unde dissipatum est consilium aliorum. Et remiserunt Rutheni rescriptum pacis de Plescekowe, que facta fuit aput Odempe, et sequebantur statim cum exercitu magno, et preerat exercitui rex Nogardie, qui statim anno sequenti a Tartaris[i] occisus est. Et erant in exercitu illo duodecim milia Ruthenorum, qui venerant tam de Nogardia quam de aliis civitatibus Ruscie contra christianos, qui erant[k] in Lyvonia. Et venerunt in terram Lettorum, et sederunt expectantes Lettones ebdomadis[l] duabus, vastantes ea, que in vicino erant. Post hoc appropinquaverunt[m] ad Wendam. Quibus occurrerunt fratres militie cum Wendis suis ad portam, et non volentes resistere multitudini, domos et villam incenderunt et declinaverunt ad castrum suum[n]. Rutheni vero relinquentes castrum[n] transiverunt Coiwam[o], et venerunt in Thoreidam, et depredaverunt totam terram, incendentes villas omnes et ecclesias et annonam, que[p] iam collecta erat in campis, et homines capientes et interficientes fecerunt mala multa in terra. Lettones vero venientes eadem via prope Wendam sequebantur Ruthenos, et transeuntes Coiwam venerunt ad eos, et que minus mala fecerunt Rutheni, Litowini[q] suppleverunt. Et exivit de Riga magister fratrum militie cum suis et Bodo[r] miles cum quibusdam peregrinis, et alii pauci sequebantur propter discordiam, que fuerat in terra. Et abiit magister cum suis et cum aliis se sequentibus ad Coiwam, et prohibebant litus Ruthenis, ne transirent in[s] partes suas. Et transeuntes flumen quidam ex[t] Lyvonibus, turbam unam Lettonum cum captivis et spoliis de Coiwemunde[u] venientem persequebantur, et occiderunt ex eis fere viginti, et alii evaserunt per fugam ad Ruthenos. Et aliam turbam Ruthenorum invenerunt in villa Cogelse[v][18], similiter ex eis septem interfecerunt, et alii fugientes ad suos redierunt, et alii in silvis latitantes evaserunt. Et dixerunt Rutheni: *Non est bonum nos hic esse*[w], *quia Lyvones et Theuthonici circa nos undique congregantur*. Et surgentes media nocte, ceperunt exire de terra, et sequenti nocte in Ykewalda manentes, provinciam in circuitu despoliantes[x] incenderunt. Tercia quoque nocte apud Ymeram similia mala faciebant, et festinantes in Ugauniam quattuor diebus terram illam similiter vastaverunt et redierunt in Rusciam. Lettones vero non audentes separari a Ruthenis propter timorem Theuthonicorum, abierunt cum eis in Plescekowe, et manserunt cum eis per totum mensem, ut postea securi redirent in terram suam.

(4.) Fratres vero militie cum aliis, qui secuti[y] fuerant ad Ymeram, cogitantes occurrere Lettonibus apud[z] Dunam, redierunt, et ponentes eis insidias cum familia episcopi de Kukenois[a], expectaverunt eos tribus ebdomadis[b], sed fratres militie tedio affecti redierunt in Rigam. Theodericus vero, miles de Kukenois[a], cum aliis militibus et servis episcopi, cum paucis Lettis abierunt versus Plescekowe[c] itinere, diebus septem querentes eosdem. Et invenerunt tandem vestigia eorum, et statim festinant ad eos, et cum essent quindecim

a) adv. et dom. 5. b) Livonos 2. c) suos *codd.* d) portabant 3. e) quod 3. 5. f) div. act. 3. g) hic 3. 5. h) Sygewalde 3. 5. i) Tataris 2. k) *add.* 5: iam. l) ebdomadibus 3. 5. m) appropinquarunt 3. 5. n) suum — castr. *des.* 5. o) Goiwam 2. p) et que 3. q) Lettowini 3. 5. r) Rodo 3. 5. s) *deest* 2. t) de 3. 5. u) Goymunde 3. v) Cagethse 2; Cagetse 5. w) adesse 3. x) spoliantes 3. y) secum 3. 5. z) ad 3. 5. a) Kokenoiss 2. b) ebdomadibus 3. 5. c) Pleskekowe 3.

[18] Koltzen praedium, ut videtur, a Treiden inter septemtrionem et occidentem.

tantum ex Theuthonicis, Lettorum vero plures, ut essent[a] per omnia uno minus quam nonaginta, paganorum vero[b] sexcenti, multitudinem eorum formidantes quidem, sed spem totam ponebant in Domino et audacter ad eos accedunt[c]. Lettones quoque videntes eos ad se venientes, ordinant exercitum suum ex adverso, et ducentos ex melioribus equitibus[d] suis seorsim statuentes, ut ipsi persequantur Theuthonicos fugientes. Ceteri[e] omnes in magna turba veniunt obviam Theuthonicis, et non poterant Theuthonici propter paucitatem suorum pugnare cum eis, sed pugnavit ille, qui quondam fecit, ut unus persequeretur mille et duo fugarent decem milia[19]. In quo confidentes, elevato vexillo appropinquant ad eos, et committentes prelium ceciderunt[f] primo[g] tam ex illis quam ex istis, et cum esset via stricta propter sylvam[h] adiacentem, Theuthonici primo venerunt[i] ad prelium, et Letti omnes subsequebantur[k] clamantes, sicut edocti fuerant[l], lingua Theuthonicorum, ut caperent, raperent, interficerent[m]. Quo clamore[n] nimis[o] territi[p] Lettones, et[q] putantes multos sequi[r] Theuthonicos, conversi sunt[s] in fugam, et cecidit fortissimus eorum[t] et ex aliis fere[u] centum, et ceteri proiectis[v] armis[w] fugerunt per silvas. Et collegerunt[x] Theuthonici omnia spolia eorum, et que secum ferre non poterant, igne combusserunt, et ex equis illorum[y] comprehendentes circiter quadringentos, secum deduxerunt, illum collaudantes, qui pro eis pugnavit. Ex Theuthonicis autem tres ibidem sunt interfecti, quorum anime cum[z] Christo requiescant in pace. Amen[a]. Lettones qui evaserant per silvas, cum esset iam tempore hyemali, pre difficultate transitus Dune aut submersi sunt in Duna, aut se ipsos in silvis suspenderunt, ne redirent in terram suam, eo quod terram beate Virginis despoliaverant, cuius filius vindictam retribuit; cui sit laus per secula.

(5.) Mercatores quoque Rigenses ibant cum mercationibus[b] suis in Rotaliam, et venerunt Dani et ceperunt eos, dicentes terram regis esse[c], et ligaverunt eos et deduxerunt eos secum in Revelis. Et misit episcopus Rigensis et magister militie rogantes[d] ut remitterent eos; et noluerunt. Post hoc nunciatum est Danis, quod Rigenses venirent[e] cum exercitu, et statim remiserunt eos. Et non iverunt Rigenses in Estoniam, sed cum Lyvonibus et Lettis iverunt in Ugauniam, et convocantes ad se Sackalanenses et Ugaunenses abierunt in Rusciam ad inimicos[f] suos, qui Lyvoniam spoliaverant, et relinquentes post tergum Plescekowe, regnum Nogardense[g] intraverunt, et[h] totam terram in circuitu despoliaverunt[h], incendentes domos et villas et populum multum captivum duxerunt[i] et alios interfecerunt. Et pervenerunt Letti ad ecclesiam, que fuerat non longe a civitate Nogardia[k], tollentes icones[l], campanas[m], thuribula et similia, et cum spoliis multis redierunt ad exercitum. Et facta vindicta de inimicis reversus est universus exercitus gaudens sine lesione alicuius, unusquisque in domum suam, et cessavit opprobrium Ruthenorum adversus Lyvonensem ecclesiam. Letti quoque et Sackalanenses et Ugaunenses continue[n] Rusciam intrantes multos ibidem interfecerunt, et multos promiscui sexus captivos duxerunt, et spolia multa tulerunt. Similiter et Letti de Kukenois[o] ac Theuthonici Rusciam intrantes, omni tempore predam multam et captivos multos reduxerunt[p].

Erant eodem tempore fratres militie[q] cum servis suis in omnibus castris tam Ugaunie quam Sackale, procurantes advocatias et congregantes tributa et episcopo suam partem conservantes, et edificaverunt castra omnia et firmissime muniverunt, et cisternas infra[r] fodientes armis et balistis repleverunt, et propter timorem Ruthenorum Estones in castra compellentes, simul cum eis commanserunt. Ugaunenses autem[s] circa mediam hyemem cum exercitu (6.) ibant in profunditate magna nivis[t], et pretereuntes Wironiam et transeuntes Narwam[20], terram vicinam spoliaverunt, et captivos et spolia retulerunt. Quibus revertentibus, Sackalanenses abierunt eadem via, et transeuntes Narwam, processerunt via remotissima in ter-

---

a) *deest* 3. 5. b) Lettonum *add.* 3. 5. c) *deest* 3; et ibant audacter ad eos 5. d) duc. meliores ex eq. 3. e) vero *add.* 3. 5. f) occiderunt 2. g) *deest* 5. h) viam 5. i) venerant 3. k) sequebantur 3. l) fuerunt 3. 5. m) et interfic. 5. n) multiplici *add.* 3. 5. o) nimium 3. 5. p) exterriti 3. 5. q) *deest* 5. r) sequi sibi 3. s) celeriter *add.* 3. 5. t) dux *add.* 3. 5. u) supra 3. 5. v) abiectis 3. 5. w) arm. suis 3. x) colligerant 3. y) eorum 3. z) in 3. 5. a) *deest* 5. b) mercatoribus 3; mercibus 5, *sed superscriptum est* mercatoribus. c) Danorum *add.* 3. 5. d) et postulantes *add.* 3. 5. e) ven. Rig. 3. f) inimos 3. g) Nogardiensium 3. 5. h) et — desp. *des.* 5. i) deduxerunt 3. 5. k) Nogardie 3. 5. l) iconias 3. 5. m) campanam 2. n) continuo 3. o) Kokenois 2. p) deduxerunt. 3. 5. q) de Wenden *add.* 3. 5. r) intra 5. s) ante 2. t) nivis maxima 3.

[19] Cf. Deuteron. 32, 30. [20] Narowa fl.

ram, que Ingaria[21] vocatur, que est de regno Nogardie. Et invenerunt terram illam repletam hominibus et nullis rumoribus premunitam, et percusserunt Ingaros illos[a] plaga magna nimis, interficientes viros et populum multum, et plures promiscui sexus capientes, et oves et boves et pecora multa mactaverunt, que secum abducere[b] non potuerunt. Et reversi sunt cum preda magna, et repleta est Estonia et Lyvonia de captivis Ruthenorum, et pro malis omnibus, que Rutheni Lyvonibus intulerunt, iam duplicia vel triplicia eodem anno receperunt.

(XXVI.) 1222.

Bisdecimus quartus iam presulis affuit[c] annus,
Et nondum terra tranquilla pace quievit.

Eodem anno[22] fuerunt Tartari in terra Valvorum[d] paganorum, qui Parthi a quibusdam dicuntur, qui panem non comedunt, sed carnibus crudis pecorum suorum vescuntur. Et pugnaverunt Tartari cum eis, et debellaverunt eos et percusserunt omnes in ore gladii, et alii fugerunt ad Ruthenos, petentes auxilium ab eis. Et pervenit verbum per universam Rusciam, ut pugnarent cum Tartaris, et exiverunt reges de tota Ruscia contra Tartaros[e], et non valuerunt pugnare cum eis, et fugerunt coram eis. Et cecidit rex magnus Mistoslawe[f] de Kywa[g] cum quadraginta milibus virorum, qui adstabant[h] ei. Sed et alter rex Galatie[i] Mysteslawe[k] per fugam evasit. Et de regibus aliis ceciderunt in eodem bello circiter quinquaginta. Et persecuti sunt eos sex diebus, et interfecerunt ex eis plures quam centum milia virorum, quorum numerum Deus solus novit, et ceteri fugerunt. Et misit rex de Smalenceka[l, 23] et rex de Plosceke[m], et quidam alii reges de Ruscia nuncios suos in Rigam, petentes ea que pacis sunt. Et renovata est pax per omnia, que iam dudum ante[n] facta fuerat[o].

(2.) Rex quoque Dacie, collecto exercitu magno, cum comite Alberto venit in Osiliam, et cepit edificare castrum lapideum. Et exiverunt Dani ad pugnandum contra[p] Osilianos, et non valuerunt soli, sed venit eis in auxilium comes Albertus cum suis, et convertit Osilianos in fugam et interfecerunt plures ex eis, et ceteri fugerunt. Venit quoque venerabilis Rigensis episcopus cum magistro militie et fratribus suis, et cum Lyvonibus quibusdam, et cum aliis, qui missi fuerant[q] a Lyvonia ad regem Dacie in Osiliam. Et gavisus est rex de adventu eorum. Et locutus est eis super donatione illa, qua donata fuit[r] ei Lyvonia. Et non consenserunt ei, sed contradixerunt omnes unanimiter, prout edocti fuerant[s] a cunctis habitantibus in Lyvonia, et supplicabant ei, ut a tali inquietatione Lyvonie cessaret, et terram beate Virginis liberam[t] relinqueret. Unde, habito consilio prudentum suorum, tandem[t] episcopo Lyvoniam et omnia Lyvonie attinentia cum omni libertate restituit. In Sackala vero et Ugaunia regalia iura fratribus militie, sed episcopo Rigensi spiritualia cuncta dimisit, adiciens, ut sibi perpetuam fidelitatem prestarent, et suis tam contra Ruthenos quam contra paganos auxilium suum non denegarent. Et promiserunt tam sibi quam suis fidele semper auxilium, unde et Theodericum, fratrem episcopi, cum quibusdam fratribus militie ad regis petitionem ibidem in castro novo reliquerunt[u]. Et reversi sunt in Lyvoniam. Rex vero consummato cum festinatione muro castri, et locatis viris in eo, reversus est in Daciam.

(3.) Osiliani vero de omnibus villis ac provinciis convenientes, castrum ipsum obsederunt, et miserunt ad Estones maritimos, ut venirent eis in auxilium. Et quidam ex eis abierunt in Warbolam, considerantes artem patherelli sive machine, quam Dani Warbolensibus, tamquam subditis suis, donaverant. Et reversi in Osiliam ceperunt edificare patherellos et machinas, et docebant alios. Et fecerunt unusquisque ex eis suas machinas. Et venerunt simul omnes cum decem et septem patherellis, iactantes lapides multos et magnos diebus quinque continue, et non dabant requiem illis, qui erant in castro, quia domos et edificia non habebant, et non erat eis locus neque refugium in castro nondum edificato, et multi lesi sunt ex eis. Sed ex Osilianis multi a balistariis vulnerati ceciderunt. Ipsi tamen ideo[v]

---

a) illa 3. b) adducere 2. c) adfuit 3. d) vicinorum 2. e) Thyatiros 2. f) Misceslawe 2; Myscoslawus 3. g) Kiowa 3. h) astabant 2. i) Gallaciae 3. k) Misceslawe 2; Mysceslaus 3. l) Smolenske 3. m) Plescekow 3. n) anno 2. o) sunt 3. p) adversus 3. q) fuerunt 3. r) est 3. s) fuerunt 3. t) *deest* 3. u) relinquerent 2. 3. v) nichilominus 3.

[21] Ingermanland. [22] a. 1221. [23] Smolensk.

ab impugnatione castri non cessaverunt. Post multorum itaque dierum pugnam dixerunt Osiliani ad eos, qui erant in castro: *Cum sciatis vos in castro isto contra impugnationem nostram continuam omnino salvari non posse, suademus vobis et rogamus, quatinus, facta pace nobiscum, sani et incolumes omnes exeatis et nobis castrum et terram nostram relinquatis.* Illi autem sub divo[a] pugnantes, domibusque et omnibus indigentiis carentes, formam istam pacis receperunt, et exeuntes de castro resque suas secum ad naves deducentes, castrum et terram Osilianis reliquerunt. Osiliani quoque septem ex Danis, et Theodericum, fratrem episcopi Rigensis, obsides ibidem pro pacis confirmatione retinuerunt, reliqui omnes ad Danos in Reveles[b] redierunt.

(4.) Tunc Osiliani destruxerunt castrum in circuitu, non relinquentes lapidem super lapidem, et miserunt verbum istud per universam Estoniam, quod castrum regis Danorum expugnaverunt[c] et christianos de finibus suis eiecerunt[d]. Et confortaverunt Estones in omnibus provinciis, ut iugum Danorum a se reicerent[e], et nomen christianum de terra delerent, dicentes facile castrum Danorum expugnari. Et docebant eos machinas et patherellos erigere, et cetera instrumenta bellica. Et orta sunt mala in terra.

Postquam igitur Osilienses cum Harionensibus conspirationum suarum machinationes pessimas contra Danos et contra nomen christianum compleverunt[f], congregaverunt se simul omnes cum maritimis eciam Estonibus in castro Warbolensi, et interfecerunt quosdam ex Danis et sacerdotibus suis, qui habitaverunt[g] cum eis. Et miserunt nuncios in Wironiam ut ipsi similia facerent. Wironenses vero cum Gerwanensibus, cum ipsi sint homines simplices et humiliores aliis Estonibus, non presumentes talia committere, conduxerunt sacerdotes suos, et remiserunt eos sanos in castrum Danorum.

(5.) Sackalanenses[h] vero, qui simul habitabant cum fratribus militie in castro Viliende, dolosas cordium suorum cogitationes contra eosdem fratres iam amplius dissimulare non valentes, currebant omnes cum gladiis et lanceis et clypeis suis, et comprehendentes quosdam ex fratribus et servos eorum et mercatores Theuthonicos, et[i] interfecerunt eos. Et cum esset dominica[k], in qua legitur euangelium: *Ascendente Ihesu in naviculam, ecce motus magnus factus est in mari*[24], Theoderico sacerdote missarum solempnia celebrante ceterisque fratribus in ecclesia coram astantibus, revera motus magnus factus est atque turbatio. (1223. Ian. 29.) Nam occisis fratribus et servis et Theuthonicis omnibus, qui foris erant, in castro congregantur ad ecclesiam, non orationem sed sanguinem fundere querentes, non missarum sacramenta desiderantes, sed requiem Iesu Christi disturbare cupientes, scilicet Cain[l] iniquitatem secum deferentes. Ostium itaque ecclesie preoccupant et circumdant, fratres inermes armis suis circumveniunt. Et ut facilius eos evocent, datis in dolo manibus pacem eis promittunt. Exiit ad eos primus Mauritius, qui fuerat advocatus eorum, nimium credulus infidelibus, in quem statim irruentes, interficiunt eum[m]. Unde ceteri rebus certis territi, ad defendendum se preparant, sed facta mora diutina tandemque pace iurata, sigillatim ad eos exeunt. Quos perfidi comprehendentes, statim in compedes et vincula deponunt, et omnem substantiam eorum et pecunias et equos diripientes, inter se dividunt. Et corpora interfectorum canibus corrodenda per campos proiciunt[n], *ponentes,* sicut scriptum est, *morticinia servorum tuorum escas volatilibus celi*[o], *carnes sanctorum tuorum bestiis terre, fundentes sanguinem ipsorum tamquam aquam, et non erat, qui sepeliret.* (Ps. 78, 2. 3.) Quidam etiam ex eis abierunt ad aliud castrum, quod erat ad Palam, et ibi similia facere precipiebant, et in via sacerdotem suum cum aliis interficiebant.

(6.) Post hoc idem Sackalanenses abierunt in Gerwam, et comprehendentes ibi Hebbum, qui erat advocatus eorum, et[p] cum ceteris Danis reduxerunt eum in castrum suum, et crudeli martyrio cruciaverunt eum et alios[q], dilacerantes viscera eorum, et extrahentes cor Hebbi adhuc vivum de ventre suo, et assantes ad ignem et dividentes inter se comederunt illud, ut fortes contra[r] christianos efficerentur, et corpora eorum canibus et volatilibus celi rodenda dederunt.

---

a) sub nudo celo 3. b) Revaliam 3. c) expugnaverint 3. d) eiecerint 3. e) reiiceretur 2. f) complevissent 3. g) habitaverant 3. h) Saccalenses 2. i) *deest* 3. k) quarta post epiphanias *add.* 3. 4. 5. l) Caininam 3. m) *deest* 3. n) spargunt 3. o) *deest* 3. p) et *deest* 3. q) eos 2. r) adversus 3.

[24] Matth. 8, 23. 24.

(7.) Completo opere tam nefando, seniores de Viliende[a] miserunt eodem die in Odempe, suadentes eis, ut et ipsi similia facerent. Et Tharbatensibus gladios sanguinolentos, quibus Theuthonicos interfecerant, et equos et vestes eorum, pro signo miserunt. At illi gaudentes, omnes verbum istud acceperunt, et irruentes in fratres militie vinculaverunt eos, et Iohannem, qui fuerat advocatus eorum, interfecerunt, et servos eorum omnes. Et ex mercatoribus quam plures percusserunt gladio, et ceteri latitantes evaserunt, quos postmodum in vincula proiecerunt[b], et omnia bona fratrum militie et aliorum Theuthonicorum et mercatorum rapientes, inter se diviserunt et corpora occisorum per campos inhumata reliquerunt, quorum anime cum[c] Christo requiescant in pace. Erat eodem tempore in Tharbata[d] cum fratribus militie confrater eorum, sacerdos Hartwicus, quem locaverunt super bovem pinguissimum, eo quod ipse eque pinguis fuerit. Et educentes de castro, deorum suorum voluntatem sorte requirebant, quem[e] eorum, videlicet sacerdotem an bovem, ad victimam eligerent. Et cecidit sors super bovem, et immolatus est in momento. Sacerdotem vero secundum deorum voluntatem vite reservaverunt, recepto tamen vulnere magno, quod postea sanatum est.

Tunc exivit verbum per totam Estoniam et Osiliam, ut pugnarent contra Danos et Theu-
(8.) thonicos. Et eiecerunt nomen christianum de omnibus finibus suis. Ruthenos vero tam de Nogardia quam de Plescekowe[f] sibi vocaverunt in auxilium, firmantes pacem cum eis, et locantes quosdam ex eis in Tharbata, quosdam in Viliende[g], et alios in aliis castris, contra Theuthonicos et Latinos et omnes christianos pugnaturos, dividentes cum eis equos et pecunias et omnem substantiam fratrum militie, nec non et mercatorum, et omnia que rapuerunt, et muniverunt castra sua firmissime. Et edificaverunt patherellos in omnibus castris, docentes ad invicem artem balistariam, dividentes balistas fratrum militie quam plurimas inter se, quas rapuerant. Et receperunt uxores suas, tempore christianitatis[h] dimissas, et corpora mortuorum suorum in cemeteriis sepulta, de sepulcris effoderunt, et more paganorum pristino cremaverunt, et se et domos suas et castra lavantes aquis et scopis purgantes, taliter baptismi sacramenta de finibus suis omnino delere conabantur.

(9.) Et miserunt Sackalanenses nuncios in Rigam, dicentes pacis quidem se reformationem diligere, sed numquam se[i] deinceps fidem christianam, donec puer unius anni vel cubiti remaneret in terra, recepturos[k]. Et requirebant pueros suos obsides, promittentes se fratres militie, quos habebant in vinculis adhuc vivos, pro singulis obsidibus singulos fratres et mercatores restituere, quod et factum est.

(10.) Fuerat eodem tempore mercator christianus in domo Estonis in Sackala, et cum omnes Theuthonici interficerentur, qui erant in terra, irruit eciam idem Esto super eundem hospitem suum, et interfecit eum. Quo facto, peperit uxor occisoris filium, et habebat idem puer in corpore suo vulnera recentia in omnibus locis, in quibus pater vulneraverat et necaverat innocentem, et similia per omnia vulneribus interfecti, que tamen postea sanata fuerunt, et apparent cicatrices ad hunc diem[l]. Et multi videntes admirabantur, testimonium perhibentes et vindictam Dei probantes, nam et idem occisor ab exercitu christianorum statim interfectus est.

(11.) Tunc innovata sunt bella in omnibus finibus Estonie. Nam Osiliani et maritimi et Warbolenses simul cum Gerwanensibus et Wironensibus obsidione longa Danos in Revele obsederunt, donec Dominus eos liberavit. Nam fatigati nimis in castro diuque Theuthonici cum Danis exiverunt ad eos, inferentes eis bellum, et convertit Deus Estones in fugam, et ceciderunt ex eis multi interfecti a christianis, et ceteri fugerunt. Et tulerunt christiani boves et equos eorum, et spolia multa, laudantes Dominum, qui de tantis malis et[m] hac
(12.) vice eos liberavit. Videntes eciam Letthi omnia mala, que cogitabant Estones adversus Lyvoniam, ceperunt ipsi statim movere bella cum Estonibus, et ibat Rameko cum suis et Warigerbe cum aliis Letthis in Ugauniam, et despoliantes villas et captivantes homines et interficientes, spolia multa tulerunt. Et illis redeuntibus, alii iterum abierunt et similia mala fecerunt. Similiter Estones Letthos persequentes in Letthiam venerunt, et similia mala commiserunt.

(13.) Post hoc eciam fratres militie abierunt in Ugauniam, et villas quasdam depredantes et incendentes, Estonibus similia mala intulerunt, et redeuntes in Rigam revocaverunt[n] viros

---

a) Weliende 3. b) coniecerunt 3. c) in 3. d) Tarbata 3. e) quod 3. f) Plescekow 3. g) Wil. 3. h) sue *add.* 3. i) se *deest* 3. k) se rec. 2. 3. l) ad hanc usque horam 3. m) eciam 3. n) rogaverunt 3.

episcopi simul et omnes Theuthonicos, ut eis auxilium contra ferocitatem Estonum preberent. At illi omnes uno ore simul: *Si volueritis,* inquiunt, *ecclesie beate Marie et episcopo Rigensi suam tertiam partem in Estonia relinquere, et episcopo Hermanno suam tertiam partem liberam restituere, et vos tertia parte vestra contenti esse, libenter vobis auxilium prestabimus.* Et promiserunt deinceps episcopis suas integras partes dimittere. Unde statim surrexerunt omnes viri ecclesie, et convocaverunt de Lyvonibus suis et Letthis exercitum cum Rigensibus et fratribus militie, et perrexerunt in Sackalam, et mane facto apparuerunt iuxta castrum Viliende, et exiverunt Estones, et pugnaverunt cum eis usque ad horam tertiam, et diverterunt ab eis dividentes exercitum ad omnes villas, et spoliaverunt terram, captivantes et interficientes quos[a] invenerunt, et convenerunt cum omni exercitu, reversique sunt in[b] Lyvoniam ad castrum, quod est ad Palam, et triduo bellabant cum eis, et alii transierunt Palam[c], spoliantes et incendentes totam Nurmegunde, et interfecerunt ibi quam plures, et venientes ad suos, cum omni exercitu reversi sunt in Lyvoniam, et viros omnes, quos captivos duxerant, capite truncaverunt; ut fieret vindicta de prevaricatoribus et in infidelibus illis nationibus. Et spolia dividentes collaudabant eum, qui semper est benedictus.

(XXVII.) 1223. Annus erat pontificis vicesimus quintus, et nondum requievit ecclesia a bellis. Nam redeunte episcopo Bernhardo, qui primus erat Semigallorum episcopus, cum peregrinis multis de Theuthonia, collegerunt Sackalanenses et Ugaunienses[d] cum adiacentibus provinciis exercitum magnum, et venientes ad Ymeram, terram Letthorum despoliaverunt, et multos ex Letthis interfecerunt, et mulieres captivas duxerunt, et dividentes exercitum suum per omnem provinciam, terram plaga magna percusserunt. Nam alii in Tricatuam[e], et alii in Rosulam[f], alii in Metsepole[g], alii in Thoreidam abierunt, et invenerunt viros et mulieres quam plures in omnibus villis, et interfecerunt multos ex eis, et alios captivos duxerunt, et spolia multa tollentes, villas omnes et ecclesias ignibus tradiderunt. Et post hoc[h] in Lettegore[i] collectionem exercitus sui cum omni rapina sua deposuerunt. Sequebatur autem Rameko post tergum Estonum cum aliis Letthis paucis apud Urele[k. 25], et casu quodam venit ad Waremarum, qui fuerat princeps Ruthenorum in Viliende, et occidit eum cum multis aliis Ruthenis et Estonibus. Et tollentes arma et spolia multa reversi sunt in Wenden.

Et innotuit sermo in Riga de omnibus malis Lyvonibus et Letthis illatis, et fleverunt et doluerunt omnes de confratribus suis occisis, et nullam moram facientes, sed statim panes et sacculos et pannas suas[l] proicientes, tam equites quam pedites, fratres militie cum peregrinis et cum mercatoribus et Lyvonibus abierunt in Thoreidam. Et mittentes exploratores, invenerunt hostes a Ledegore iam divertisse, et secuti sunt eos nocte ac die. Unde labore nimio fessi, pedites omnes et alii quam plures reversi sunt in Rigam. Sed qui erant constantes corde ad faciendam vindictam contra nationes et ad ponendum se murum pro domo Domini, non abierunt retrorsum. Inter quos erat Iohannes, ecclesie beate Marie prepositus, Daniel sacerdos, Volquinus fratrum militie magister, qui et ceteros confortabant, animando et monendo eos, ut se fideles et fortes ad preliandum prelia Domini contra apostatas illos et audaces exhiberent. Et venerunt ad eos fratres militie de[m] Sygewalde et de Wenden, et Lyvonum et Letthorum magna multitudo, et sequebantur post hostes via[n], que est ad Coywam, hostes vero[n] via alia, que ducit ad ecclesiam vicinam de Ymera, abierant[o]. Et in ecclesia nocte locantes equos suos, et alias nequitias suas ibidem exercentes, fruges et domos et omnia, que erant sacerdotis, vastantes et incendentes, mane facto processerunt ad Ymeram. Et factum est, cum iam aliqua pars exercitus pontem Ymere transisset, repente christiani via alia a collaterali parte venerunt, et irruerunt per medium exercitum hostium, inferentes eis bellum, et occurrerunt eis Estones fortissime. Sed exterrebat eos, qui quondam exterruit Philisteos, ut fugerent coram David, et commiserunt Theuthonici bellum cum eis, et terga verterunt Estones fugientes coram christianis.

---

a) quoscunque 3. b) versus 3. c) tr. ad P. 3. d) Ugannenses 2. e) Tricatiam 3. f) Rositam 3. g) Metsepolam 3. h) postea 3. i) Lettegoren 3. k) Ureke 2. l) statim sacculos suos et panes et pannos suos 3. m) et 2. n) via — vero *des.* 2. o) *deest* 2.

25) Orellen.

Et persequebantur eos, ventilantes et convertentes eos per viam qua veniebant, et interfecerunt quam plures ex eis. Alii alios ad pontem insequebantur, et per viam illam alios interficientes, pugnaverunt cum eis ad pontem, ubi Theodericus frater militie, vir fortis et devotus, lancea vulneratus cecidit, et ceteri pontem transeuntes accesserunt ad eos. Sed ipsi, dimissis spoliis omnibus et equis suis, et captivis quibusdam interfectis, pedes[a] fugerunt ad silvas: et interfecti sunt ex eis sexcenti et plures, et alii in silvis interierunt[b], et alii in Coywa[c] submersi sunt, et alii cum pudore reversi sunt in terram suam, ut verbum domi nunciarent. Christiani vero, tam Theuthonici quam Lyvones et Letthi, tollentes spolia eorum et equos et boves equaliter inter se diviserunt, et captivos confratres suos, tam viros quam mulieres, libertati pristine restituerunt, benedicentes et collaudantes eum, qui non solum hac vice, verum omni tempore pro eis pugnavit in Lyvonia, et gloriosam victoriam de gentibus apostatantibus semper concessit.

(2.) Posteaquam iam Estones, a fide Iesu Christi recidivantes, ad Ymeram sunt percussi, misit episcopus Bernhardus per universam Lyvoniam et Letthiam, convocans omnes, tam viros ecclesie quam fratres militie, cum Lyvonibus et Letthis, ut veniant omnes pugnaturi cum Estonibus At illi fideliter omnes obediunt. Simul in unum conveniunt. Adsunt peregrini cum mercatoribus. Alii navigio in Coywa, alii pedites, alii cum equis suis procedunt, ad locum orationis et colloquiorum cum[d] octo milibus perveniunt. Celebratis orationum et[d] colloquiorum solempniis, in Estoniam festinant, castrum Viliende, quod ante decem annos a Aug. 1. Theuthonicis fuerat expugnatum et fidei christiane subiugatum, iterum secundo iam impugnant, machinas minores et patherellos edificant, turrim ligneam fortissimam et altam erigunt, quam ad fossatum usque propellunt, ut castrum desubtus fodere valeant, sed impediuntur quam plurimum a balistariis eorum, qui erant in castro, nam balistas fratrum militie quam plures habebant in castro contra balistas christianorum, et patherellos et machinas edificaverunt contra machinas christianorum, pugnantes ad invicem diebus multis. Nam in Augusto ad vincula Aug. 15. Petri facta est obsidio castri, et in assumptione beate Virginis deficientes se tradiderunt. Cum enim esset calor nimius, et multitudo hominum et pecorum fuisset in castro, et iam fame et siti deficerent, facta est pestilentia magna pre fetore nimio interfectorum in castro, et ceperunt homines egrotare et mori, et non valentes se defendere, ceteri qui adhuc remanserant, vivi tradiderunt se et omnia sua in manus christianorum, presertim cum viderent castrum a christianis iam alia vice incensum, et summo labore se et castrum defendisse. Et ideo facta pace cum christianis, exiverunt de castro, recipientes iterum iugum discipline christiane, et promiserunt se nunquam deinceps fidei sacramenta apostatando[e] violare, et de commissis satisfactionem rependere, et pepercerunt eis fratres militie et Theuthonici omnes, licet tam vitam quam bona cuncta perdiderunt[f]. Ruthenos vero, qui fuerant in castro, qui venerunt in auxilium apostatis, post expugnationem castri suspendit exercitus omnes ante castrum, ad terrorem aliorum Ruthenorum. Et reformata pace per omnia, christiani ad castrum se receperunt, et omnia, que in castro fuerant[g], tollentes, et equos et pecora expellentes, equaliter inter se diviserunt, et homines in villas suas abire permiserunt, divisisque[h] spoliis ad aliud castrum, quod est ad Palam, processerunt, bellum similiter eis inferentes. At illi timentes expugnationem castri sui, et pestilentias et mortes, quales in priori castro fuerant, et similia mala, tradiderunt se quantocius in manus christianorum, de vita sola et libertate supplicantes, et bona sua cuncta in manus exercitus dimittentes. Et concesserunt eis christiani vitam et libertatem, et miserunt eos in villas suas, tollentes spolia multa et cuncta, et equos et oves et boves, et omnia, que in castro fuerunt, et de duorum castrorum requisitione et de perverse gentis illius iterum subiugatione Deum collaudantes, cum gaudio magno reversi sunt in Lyvoniam.

(3.) Missi quoque fuerant seniores Sackalanenses in Rusciam cum pecunia et muneribus multis, si forte reges Ruthenorum sibi in auxilium contra Theuthonicos et Latinos omnes possent evocare. Et misit rex de Susdalia[26] fratrem suum et exercitum multum cum eo in

a) pedibus 3. b) perierunt 3. c) Coywam 2. d) cum — et *des*. 3. e) apostando 3. f) diminuerint 2. g) fuerunt 3. h) divisis 3.

---

[26] Susdalia Russiae provincia est, Wlodomiriam habens ad orientem, et Rostoviam ad occidentem. Urbi primariae et provinciae nomen idem. GRUB. Magnus dux Susdaliae erat Georgius, frater eius Iaroslavus. Cf. Bonnell l. c. p. 41.

auxilium Nogardensium, et sequebantur eum Nogardenses et rex de Plescekowe cum civibus suis, et erat exercitus circiter viginti milia. Et venerunt in Ugauniam prope Tarbatam, et miserunt eis Tarbatenses munera magna, et fratres militie et Theuthonicos, quos habebant apud se captivos, tradiderunt in manus regis, et equos et balistas et alia multa, petentes auxilium[a] contra Latinos. Et locavit rex viros suos in castro, ut haberet dominium in Ugaunia et per totam Estoniam. Et abiit rex in Odempe, et similiter ibi faciebat. Et post hoc convertit exercitum suum versus Lyvoniam in Puydise[b], et sequebantur eum Ugaunenses, et maior erat exercitus. Et occurrerunt ei ibidem Osiliani, rogantes, quatinus exercitum suum convertat contra Danos in Reveles, ut victis Danis, facilius Lyvonenses invadant[c], dicentes, in Riga multos esse peregrinos qui sibi sint occurrere parati. Et audivit eos rex, et reversus est alia via cum exercitu in Sackalam, et inveniens totam Sackalam iam a Theuthonicis subiugatam, et duo castra expugnata, et Ruthenos suos apud Viliende suspensos, iratus est valde, et iram suam vindicans in Sackalanenses, terram ipsam percussit plaga magna, et omnes, qui evaserant coram[d] Theuthonicis, et a pestilentia magna, que fuit in[e] terra, ipse interfici decrevit[e], et alii per fugam in sylvas[f] evaserunt. Et procedens in Gerwam cum exercitu suo magno, convocavit ad se Gerwanenses et Wironenses et Warbolenses cum Osilianis. Et cum omnibus illis obsedit castrum Danorum Lyndanise[g], et pugnavit cum Danis ebdomadis quattuor, et non potuit capere eos, neque castrum eorum, eo quod balistarii multi fuerint in castro et multos Ruthenorum et Estonum interficerent. Unde tandem confusus rex Susdalie cum omni exercitu suo reversus est in Rusciam. Fuerat autem[h] exercitus ille[i] magnus valde et fortis, et temptabat secundum artem Theuthonicorum castrum capere Danorum, et non valebant[k]. Sed destructa et despoliata provincia in circuitu, tandem redierunt in terram suam.

(4.) Interim fratres militie et alii Theuthonici cum paucis[l] obsederant castrum Tarbatense[m], et pugnabant cum eis diebus quinque. Et non valentes castrum tam forte cum paucis expugnare, terram in circuitu despoliabant, et cum omni rapina sua reversi sunt in Lyvoniam. Iterumque[n] fratres militie colligentes exercitum intraverunt Estoniam, percusserunt Gerwanenses plaga magna, eo quod cum Danis semper bella moverent, et interfecerunt et ceperunt multos ex eis, et spolia multa tollebant, et venerunt ad eos Gerwanenses in Keytis[o. 27], promittentes Theuthonicis fidelitatem perpetuam et omnibus christianis. Unde statim exiverunt de finibus eorum, et cum omni preda redierunt in terram suam.

(5.) Post hoc Nogardenses miserunt regem Wiesceka, qui quondam viros episcopi Rigensis mortificaverat in Kukenois[p], et dederunt ei pecuniam, et viros ducentos secum, committentes ei dominium in Darbeta[q] et in aliis provinciis, quas sibi posset subiugare. Et venit idem rex cum viris suis in Darbetam[r], et receperunt eum[s] castrenses cum gaudio, ut fortiores contra Theuthonicos efficerentur, et dederunt ei tributa de circumiacentibus provinciis, et quicunque tributa non prebebant[t], exercitum contra eos direxit, et devastavit omnes terras sibi rebelles a Wayga usque ad Wironiam, a Wironia usque in Gerwam et in Sackalam, et fecit contra christianos mala omnia, que potuit.

(6.) Celebrata dominice nativitatis solempnitate cogitaverunt Rigenses obsidere castrum Tharbatense[u]. Et convenerunt cum fratribus militie et peregrinis et cum Lyvonibus et Letthis aput Astigerwe, et habebant exercitum magnum. Et recordati sunt Danorum in longa tribulatione existentium, contra quos pugnabant iam dudum omnes terre et gentes circumiacentes, et, dimisso itinere in Darbeten[v], profecti sunt cum omni exercitu in Hariam, et obsederunt castrum Lone[w], pugnantes cum eis ebdomadis duabus, edificantes machinas et patherellos et turrim ligneam fortissimam, quam ad castrum vicinius appellebant[x], ut desubtus castrum fodere et de summitate eos magis impugnare valerent. Et audientes Dani gavisi sunt, et veniebant ad eos gratias referentes, eo quod miserti eorum venerint[y] eis in auxilium. Post hoc autem multi a balistariis sunt interfecti, et a machinariis[z]

---

a) auxilia 3. b) Prydise 2; Pnydisse 3. c) invadat 3. d) eorum 2. e) *sic* 2; in castro, iam ceciderunt, et 3. *ed.* f) silvis 3. g) Lyndamse 2; Lyndaniense 3. h) enim 3. i) *deest* 3. k) valebat 3. l) T. non pauci 2. m) Dorpatense 2. n) Brevi post 3. o) Keylis 3. p) Kokenois 2. q) Darbata 3. r) Darbatam 3. s) *deest* 2. t) dependebant 3. u) Darb. 3. v) Tarbatam 3. w) longe 2, *an* Lonye *scribendum?* x) admovebant 3. y) venirent 3. z) s. i. et a. m. *des*. 3.

27) ut videtur idem locus qui supra XXIV, 5, p. 311, Kettis vocatur.

proiecti, et ceteri ceperunt graviter egrotare et mori. Insuper et fossores iam ad summitatem munitionis appropinquabant, ut putarent castrenses se iam ad ima una cum fossato descendere. Unde tandem supplicabant exercitui, quatinus eis vitam et libertatem donarent. Et concesserunt eis vitam, et castrum incenderunt. Omnes vero equos et boves et pecora et substantiam et pecuniam et vestes et omnia, que fuerunt in castro, tollebant sibi Theuthonici, dividentes cum Lyvonibus et Letthis equaliter. Danis vero homines restituerunt et in villas suas liberos miserunt. Interim Theuthonici miserunt aliquos de exercitu suo ad alia tria castra minora circumadiacentia, comminantes eis bellum, nisi tradant se in manus eorum[a]. Et tradiderunt se tria illa castra adiacentia in manus[a] Rigensium, mittentes eis tributa et waypas[b. 28] quam plures in eadem[c] expeditione. Et reversus est exercitus Rigensium in Gerwam, et abierunt quidam ad spoliandum provinciam. Et occurrerunt Gerwanenses et Wironenses, supplicantes de pace, promittentes deinceps se sacramenta fidei christiane non violare. Et reformaverunt cum eis pacem, et receperunt eos ad gratiam, sumentes obsides ab eis, quos tamen Dani disturbabant postea, plurimum inferentes eis bellum, eo quod pacem a Rigensibus et christianitatis iugum receperant[d]. Et reversus est exercitus Rigensis cum gaudio in Lyvoniam, collaudans Iesum Christum, qui semper eos sanos et incolumes deducit et reducit in omnibus expeditionibus suis. Nuncii interim regum Ruthenorum erant in Riga, rerum eventum expectantes et ammirantes quam plurimum[e], eo quod Rigenses sine victoria nunquam reversi sunt inanes, eo quod sagitta Ionathe nunquam abiit retrorsum[f], nec declinavit clypeus eius in bello, et gladius Saul non est reversus inanis[29], cum exercitus magni et fortes regum Ruthenorum nunquam unum castrum valeant expugnationibus suis fidei christiane subiugare.

(XXVIII.) 1224. Annus erat consecrationis antistitis Alberti vigesimus sextus, et nondum ecclesia siluit a bellis. Nam rex Viesceke[g] disturbabat cum Tarbatensibus[h] omnem terram in circuitu, et ibant Letthi et Lyvones sepius ad eos cum paucis, et non valebant eis nocere. Sed et Apr. 14. fratres militie post pascha colligentes iterum exercitum, obsederunt Darbetam[i], et pugnaverunt diebus[k] quinque cum eis, et non potuerunt pre paucitate suorum castrum comprehendere, et spoliantes terram in circuitu, cum spoliis suis reversi sunt in Lyvoniam.

Interim episcopus venerabilis Albertus rediit de Theuthonia cum peregrinis multis et universo comitatu suo. Et venit cum eo frater ipsius, non minus venerabilis Hermannus episcopus, iam dudum electus et consecratus episcopus in Estoniam, qui fuerat a rege Dacie ab episcopatu suo iam pluribus annis impeditus. Sed postquam rex Dacie in captivitatem[30] deductus est in Saxoniam[31] a Theuthonicis, abiit episcopus predictus Rigensis cum eodem fratre suo ad regem, requirere voluntatem et consensum ipsius. Et placuit regi ut iret in Lyvoniam, et de Lyvonia ad[l] Estoniam in episcopatum ipsius. Qui cum venissent[m] in Rigam, cum gaudio magno recepti sunt a Rigensibus et ab universis, qui fuerunt in Lyvonia, et congaudebant omnes, et collaudabant Deum, eo quod post mala plurima et bella tristia iterum expugnata est et requisita fere tota Estonia, preter unum castrum Darbatense[n], de quo remanebat ultio divina.

(2.) Et convenerunt fratres militie cum episcopis eisdem et viris ecclesie, et cum Rigensibus cunctis super divisione provinciarum Estonie ad Rigam pertinentium. Et dederunt episcopo Hermanno Ugauniam cum provinciis suis, fratres vero militie Sackalam in sorte pro parte sua receperunt. Et ecclesie beate Marie in Riga et episcopo Rigensi Maritimam cum septem kilegundis[o. 32] attribuerunt. Et audientes Maritimi quod ad ecclesiam Rigensem pertinerent, gavisi sunt valde, et tributa duorum annorum, que propter Danorum impugnationem neglexerant, integraliter solvebant. Ugaunenses quoque similiter de dominio episcopi Hermanni gaudebant[p], qui erat in Odempe, sed impediebat eos rex Viesceka cum Tarbatensibus suis, qui[q] erat in laqueum et in diabolum magnum Sackalanensibus et aliis Estonibus adiacentibus.

---

a) eorum — manus *des.* 2. b) weipas 3. c) illa 3. d) christianis i. recepissent 3. e) admirati sunt pl. 3. f) ab. in r. 3. g) Viesceka 3. h) Tarpat. 2. i) Tarbatam 3. k) dies 3. l) in 3. m) venisset 2. n) Tarb. 3. o) sileg. 2; kyl. 3. p) congaud. 3. q) quod 3.

28) In lingua Ehstnica *waip* pannum crudum significat. 29) Cf. 2. Reg. 1, 22. 30) 1223. Mai. 7. 31) In castrum Dannenberg. Cf. Usinger, Deutsch-dänische Geschichte, p. 297. 32) i. e. provinciis; hodie vox Ehstnica *kihhelkund* parrochiam significat.

(3.) Et miserant[a] episcopi nuncios ad regem in Darbetam[b], rogantes[c], ut recederet a rebellibus illis, qui erant in castro, qui baptismi sui sacramenta violaverant, qui fidem Iesu Christi reiciendo ad paganismum redierant, qui fratres militie, confratres ac dominos suos, alios interficiendo, alios captivando, de terminis suis expulerant, qui vicinas omnes provincias ad fidem Iesu Christi venientes despoliando cottidie vastaverant. Et nolebat rex ab eis recedere[d], eo quod Nogardenses et reges Ruthenorum sibi castrum ipsum cum adiacentibus terris perpetua donatione donaverint[e], et liberationem a Theuthonicorum impugnatione promiserint[f]. Et collecti fuerant[g] in eodem castro cum rege eodem omnes malefici de provinciis vicinis et[h] de Sackala, qui fuerant traditores et interfectores fratrum suorum, fratrum militie et mercatorum, et malorum consiliorum inventores contra Lyvonensem ecclesiam. Quorum princeps ac dominus idem rex erat, quia et ipse radix antiqua malorum omnium in Lyvonia fuerat, qui pacem veri pacifici infringendo, ac[i] omnium christianorum fideles sibi viros, contra Letthonum impugnationem a Rigensibus in auxilium missos, interfecit in dolo, diripiens omnia bona eorum. Hii ergo omnes, fiduciam habentes in castro suo[k] supradicto firmissimo, contempnebant pacem christianorum, et querebant mala cottidie christianis. Nam revera castrum ipsum firmius erat omnibus castris Estonie, quod fratres militie multis laboribus et expensis antea firmaverant, et armis suis et balistis repleverant, que omnia[l] perfidi rapuerant. Insuper et rex ibidem sagittarios suos Ruthenos secum habebat quam plures. Insuper et patherellos, secundum artem Osilianorum, et cetera instrumenta bellica preparabant[m].

(4.) Erat itaque[n] tunc Estiensis ecclesia multis bellorum incommodis exposita, que fuit tamquam mulier pariens, que tristitiam et dolorem magnum habet[33], donec pariat[o]. Cuius eciam partum draco persequitur[34], Behemoth videlicet ille, qui fluvium absorbens fiduciam adhuc habet, quod Iordanis influat in os eius[35]. De tantis igitur bellorum angustiis nullo modo poterat ecclesia predicta liberari, que parvula fuit adhuc et infirma, nisi per Lyvonensem ecclesiam, que vera et prima semper mater ipsius fuerat per labores expugnationis, et que genuerat eam per lavacrum regenerationis in fide[p] Iesu Christi, licet plures sibi matres falso filiam hanc usurpantes, mentientes semper attraxerint, quarum[q] una mater Ruthenica sterilis semper[r] et infecunda, que non spe regenerationis in fide Iesu Christi, sed spe tributorum[s] et spoliorum terras sibi subiugare conatur.

(5.) Ut ergo Lyvonensis ecclesia filiam suam Estiensem ecclesiam, quam genuerat Iesu Christo, liberaret de presentibus malis, misit episcopus venerabilis Rigensis et convocavit fratres militie, nec non et viros ecclesie cum peregrinis et mercatoribus et civibus Rigensibus et universis Lyvonibus et Letthis, indicens expeditionem cunctis ad Lyvonensem ecclesiam pertinentibus. Et fideliter obedientes omnes convenerunt cum exercitu suo aput[t] stagnum Rastigerwe[u], convocantes secum episcopum venerabilem predictum Rigensem, cum fratre suo non minus venerabili, Hermanno episcopo, et cum universis viris sacerdotibus ac[v] militibus suis. Peractisque colloquiorum et orationum ibidem mysteriis, premittunt[w] meliores et fortiores de exercitu, ut, transeuntes Ugauniam nocte et die, sequenti mane valeant castrum Darbatense[x] preoccupare. Qui dividentes iterum acies suas, alios ad impugnandum castrum preordinant, et alios in Wironiam ad despoliandum adhuc rebelles dirigunt, qui post triduum oves et boves et cetera, que fuerunt exercitui necessaria, reducunt abundanter. Episcopi vero cum peregrinis et omni multitudine sequentes, in die assumptionis beate Virginis ad castrum perveniunt. Eodem Aug. 15. quippe die anno preterito castrum Viliende captum est. Campos igitur tentoriis operiunt, castrensibus bellum inferunt, machinas minores et patherellos construunt, instrumenta bellica quam plurima preparant, propugnaculum sive turrim ligneam fortissimam erigunt, quam de magnis et altissimis arboribus octo diebus artificiose eque altam castro preparaverant, viciniusque super fossatum appellunt, et statim desubtus terram fodere incipiunt. Ordinatur[y] ad fodiendum noctem et diem medietas exercitus, ut alii fodiant, alii terram

a) miserunt 3. b) Tarbatam 3. c) rogantibus 3. d) dec. 3. e) donaverant 3. f) promiserant 3.
g) fuerunt 3. h) *deest* 2. 3. i) *deest* 3. k) *deest* 3. l) quae non iam 3. m) parabant 3. n) *deest* 3.
o) peperit 3. p) in fide *des.* 3. q) quorum 2. r) *deest* 3. s) retrib. 3. t) ad 3. u) Astigerve 3.
v) et 3. w) praemittuntur 3. x) Tarb. 3. y) ordinantur 2. 3.

[33] Cf. Ev. Ioh. 16, 21. [34] Cf. Apoc. 12, 13: *Et postquam vidit draco quod proiectus esset in terram, persecutus est mulierem, quae peperit masculum.* [35] Iob 40, 10. 18.

dilapsam exportent[a]. Unde mane facto fossati magna pars de vallo dilabitur, et mox propugnaculum vicinius ad castrum apponunt. Mittuntur interim internuncii ad regem, sacerdotes et milites, viri honesti, promittitur ei via libera, ut exeat[b] cum viris et equis et omnibus rebus suis, si tantum recedat de castro et gentem illam apostatricem derelinquat. Sed rex a Nogardensibus liberationem expectans, nullatenus se castrum derelinquere pertinaciter affirmat. Veniunt interim Rutheni spoliantes in provincia, deferuntur rumores in tentoria, statimque Theuthonici parati venientes, eis[c] occurrere volentes, campos petunt aliosque in obsidione castri derelinquunt. Non venientibus Ruthenis iterum ad castri revertuntur impugnationem, balistarum sagittis multos in summitate munitionis vulnerant, et[d] alios iactibus machinarum interficiunt, patherellis ferrum ignitum vel ollas igneas in castrum proiciunt. Terrores multos castrensibus incutiunt, eo quod alii instrumenta, que ericios et porcos vocant, preparant, alii lignorum strues comportant, alii ignes apponunt, pugnantes in hunc modum diebus plurimis[e]. Similiter et qui in castro erant, machinas et patherellos contra machinas christianorum construunt, sagittarios arcuum suorum et balistarios contra sagittas istorum dirigunt. Et fodientes per diem et noctem non quiescunt, unde turris magis appropinquat ad castrum. Nulla requies conceditur fessis, diebus pugnant, noctibus ludos et clamores exercent. Lyvones cum Letthis concussione[f] gladiorum cum clypeis conclamantes; Theuthonici in tympanis et fistulis et ceteris instrumentis musicis, Rutheni cum suis instrumentis et clamoribus[g] noctes omnes insomnes ducunt. Conveniunt itaque omnes christiani, consilia querentes a Deo. Et inter eos erat Fridericus dux, et Fredehelmus dux, et advocatus peregrinorum nobilis ac[h] dives, qui dicebat: *Oportet,* inquit, *castrum istud violenter ascendendo comprehendi, et vindictam de malefactoribus ad terrorem aliorum vindicari*[i]. *In omnibus enim castris, a Lyvonensibus hactenus expugnatis, vitam semper et libertatem semper obtinuerunt, et ideo ceteri nullos timores inde conceperunt. Nunc*[k] *ergo, quicunque de nostris castrum scandendo primus intraverit, magnis eum honoribus exaltabimus, et equos et captivum meliorem*[l]*, qui fuerit in castro, illi*[m] *dabimus, preter regem, quem in supremo ramo suspensum super omnes elevabimus.* Placet omnibus consilium, vota vovent Domino et beate Virgini, statimque mane, celebratis missarum solempniis, pugna inchoatur. Fiunt comportationes lignorum, sed omnis labor frustratur, eo quod adhuc tempus vindicte Dei non venit[n]. Ad horam itaque nonam Estones in castro magnos incendunt ignes, foramen in munitione magnum aperiunt, de quo rotas ignibus impletas demittentes super turrim dirigunt, magnasque[o] lignorum strues superadiciunt. Sed fortes armati christianorum ignes diripiunt[p], rotas destruunt, omnem flammarum impetum comminuunt[q], turrimque suam defendunt. Interim[r] alii de exercitu ligna comportantes, (6.) pontem incendunt, contra quos Rutheni cuncti ad portam concurrunt. Iohannes vero de Appelderin[s][36], frater episcopi, miles preclarus, ignem tollens in manum suam, vallum primus scandere cepit. Cui servus ipsius[t], Petrus[u], statim secundus adfuit, et nulla mora interveniente, ad munitionem usque repente deveniunt. Quod videntes alii de exercitu[v], currunt omnes insequentes eos. Quid plura? Festinat unusquisque, ut primus adscendat, ut Iesu Christi sueque matris Marie gloriam et laudem exaltet, ut ipse laudem et mercedem pro labore suo recipiat. Et adscendit — qui primus obvenerat, nescio, Deus scit — et sequebatur eum universa multitudo. Elevabat enim unusquisque consocium suum desuper in castrum, et alii ad[w] foramen, per quod castrenses rotas cum ignibus emiserant, intraverunt, et primi sequentibus loca preparabant, et gladiis et lanceis Estones de munitione effugabant. Postquam igitur iam Theuthonici multi venerunt in castrum, sequuti sunt eos Letthi eciam et ex Lyvonibus quidam. Et statim ceperunt interficere populum, tam viros quam mulieres quasdam, et non pepercerunt eis[x], ut iam millenarium numerum adimplerent. Rutheni vero, diutissime se defendentes, tandem victi sunt, et desuper intra[y] munitionem fugerunt, et inde extracti occisi sunt omnes, una cum rege circiter ducentos. Alii quoque de exercitu circumdederunt undique castrum in circuitu, non sinentes effugere quemquam. Quicunque

---

a) dep. 3. b) exeant 3 c) ei 3. d) s. castri laedunt et 3. e) pluribus 3. f) concursione 3. g) et tarantis cl. 3. h) et 3. i) vindicare 3. k) faciamus 3. l) superiorem 3. m) ei 3. n) venerat 3. o) magnosque 3. p) dissipant 3. q) arcent 3. r) interea 3. s) Appelderm 3; Appeldern *edd.* t) minister eius 3. u) P. Ogus 3. *ed.* v) alii milites 3. *ed.* w) per 3. *ed.* x) ulli 3. y) infra 3. *ed.*

36) Apeler a Bremerhaven ad meridiem.

enim de castro descendens de intus[a] evadere poterant[b], in manus illorum, qui foris erant, incidebant[c]. Ex omnibus itaque viris, qui in castro erant, remansit unus vivus tantum, qui fuerat magni regis de Susdalia vasallus, missus a domino suo cum aliis Ruthenis ad idem castrum. Hunc vestientes postea fratres militie, remiserunt in Nogardiam et[d] in Susdaliam in equo bono, ut verbum, quod factum fuerat, dominis suis nunciaret. Interfectis autem viris omnibus, facta est exultatio magna et ludus christianorum in tympanis et fistulis et instrumentis musicis, eo quod vindictam vindicaverant de malefactoribus, et omnes perfidos de Lyvonia et Estonia ibidem collectos interfecerant. Post hoc tulerunt arma Ruthenorum, et vestes et equos et spolia cuncta, que fuerant in castro, et mulieres adhuc superfluas et parvulos, et, incenso castro, statim sequenti die cum gaudio magno reversi sunt in Lyvoniam, pro victoria sibi a Deo collata laudantes eum in celum, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius[37]. Nogardenses vero venerant cum exercitu magno in Plescekowe, volentes castrum[e] ab obsidione Theuthonicorum liberare. Sed audientes, idem castrum iam captum virosque suos interfectos, cum dolore vehementi et indignatione reversi sunt in civitatem suam.

(7.) Osiliani quoque Theodericum fratrem episcopi, liberatum a captivitate, remiserunt in Lyvoniam. Maritimi vero Rigam venientes, ad obedientiam episcopi redierunt, et censum duplicem, quem propter Danos duobus annis neglexerant, integraliter persolverunt, et fidelitatem perpetuam ecclesie Rigensi promittentes ad fidem christianam redierunt. Similiter Warbolenses tributum et munera deferentes, per omnia se Rigensibus exhibebant. Sed Rigenses nichil certi de eis definientes, septem tantum provincias in Maritima, quas omni iure semper possederant, indubitanter recipiebant. Nihil enim iuris[f] Rigensibus in Maritimis unquam defuerat, que[g] expugnatione ad fidem christianam et baptismo et censu et obsidibus semper possederant, et regi Dacie nunquam obsides eiusdem Maritime reddiderant. Wyronenses quoque et Gerwanenses, audita castri Darbatensis expugnatione, Rigam venerunt, et equos et munera dominis attulerunt.

(8.) Episcopus vero Hermannus abiit cum suis in Ugauniam, et cepit castrum Odempe edificare, et locavit in eo viros nobiles et milites honestos, Engelbertum videlicet, generum suum de Thysenhusen[h], et Theodericum fratrem suum, et Helmoldum[i] de Luneburg[k], virum prudentem et nobilem, et Iohannem de Dolen; donans unicuique eorum provinciam, id est kylegundam unam, in feudo[l], et alios Theuthonicos quam plures ad cohabitandum in eodem castro recepit, ut et terram et castrum defendant de inimicis, et Estones subditos suos fidem docerent christianam. Estones vero, tamquam perfidos adhuc, secum in castro cohabitare non permiserunt. Sacerdotes quoque idem episcopus secum vocavit in Ugauniam, et eis ecclesias in beneficio donavit, et eos annona et agris sufficienter dotavit. Estonibus quoque de decima, semper a Deo statuta, competenter docendo proposuit, et receperunt eam, et solvere ceperunt eam deinceps annuatim. Inde et sacerdotibus et vasallis suis necessaria dare et promissa solvere disposuit fideliter. Rotmarum eciam, fratrem suum, prepositum instituit, locum sibi conventus in Darbete[m] preordinans et villas viginti quattuor et reditus et agros sufficienter adscribens, canonicos regulares ibidem fieri disposuit, et cathedralem ecclesiam suam illam esse decrevit.

(9.) Fratres autem militie abierunt in Sackalam, et castrum Viliende possidentes, firmissime illud edificare ceperunt. Et sacerdotes in ecclesiis locantes, reditus eis tam in annona quam in agris sufficientes adsignabant, et decimam ab Estonibus recipiebant. Insuper et satisfactiones plenas pro cunctis sibi ablatis et pro dampno sibi illato tam in Ugaunia quam in Sackala perceperunt totaliter. Sed et Waygam[n] dividentes, medietatem ad Ugauniam attribuerunt, et aliam sibi medietatem cum Sackala et Normegunda et Mocha obtinuerunt. Miserunt et Rutheni de Nogardia et Plescekowe[o] nuncios in Rigam, petentes ea, que pacis sunt. Et receperunt eos Rigenses, facientes pacem cum eis, et tributum, quod semper habebant in Tolowa, eis restituentes. Letthos vero de Tolowa Rigensis episcopus cum

---

a) desc. intus 3. b) poterat 3. c) incidebat 3. d) *deest* 2. e) c. Tarbatam 3. f) viris 2. 3. g) quam 2. h) Tiesenhusen 3. i) Helmodam 2. k) Lunenborch 3. *ed.* l) feudum 3. m) Darbeta 3. n) Weygam 3. o) Pleskowe 3.

[37] Cf. Psalm. 105, 1.

fratribus suis militie dividebat, et duas partes accipiens episcopus, tertiam fratribus militie relinquebat.

(XXIX.) 1225. Annus bisdecimus septimus antistitis extitit, et iam Lyvonum terra tranquilla pace silebat[37]. Postquam enim captum est castrum Tarbatense fortissimum, et Estones omnes et Rutheni simul cum rege sunt interfecti, cecidit timor Rigensium et Theuthonicorum super omnes terras vicinas et super omnes gentes, que erant in circuitu. Et miserunt omnes nuncios suos cum muneribus suis in Rigam, tam Rutheni quam Estones maritimi et Osiliani, Semigalli et Curones, nec non et Letthones, querentes pacem et societatem eorum, timentes ne sibi similia facerent, sicut Tarbatensibus intulerant. Et receperunt eos Rigenses dantes pacem omnibus, quicunque petebant ab eis, et siluit terra in conspectu eorum. Et exiverunt Estones de castris suis, reedificantes villas suas exustas et ecclesias suas, similiter et Lyvones nec non et Letthi de latibulis silvarum egredientes, in quibus annis iam plurimis tempore bellorum latitarunt[a], et rediit unusquisque in villam suam et ad agros suos, et arabant et seminabant in securitate magna, quam[b] ad quadraginta annos ante non habuerant[c], eo quod Letthones et alie gentes tam ante predicationem verbi Dei in Lyvonia quam post baptismum eorum nunquam dederunt eis requiem et securitatem. Nunc ergo quiescebant, gaudentes in agris et laboribus suis, et non erat, qui exterreret eos, et sapientes plenius de fide christiana confessi sunt Iesum Christum Dei filium, qui post tristia bella et post multorum interfectiones, et post pestilentias et mala multa tandem misertus est residuo populo suo, tribuens eis pacem et securitatem. Et requievit omnis populus post Dominum[d. 38], benedicens ei, qui est benedictus in secula.

(2.) Eodem anno miserat venerabilis Rigensis episcopus Mauritium, sacerdotem suum, in curiam Romanam, petere sedis apostolice legatum in Lyvoniam. Et annuit summus pontifex, et misit venerabilem Mutinensem episcopum[39], palatii sui cancellarium, cum eodem sacerdote in Lyvoniam, et venit cum familia sua et peregrinis et cum universo comitatu suo in Dunam. Et occurrerunt ei Rigenses, excipientes eum et cum gaudio magno deducentes eum in civitatem. Congaudebat simul et ipse, et collaudabat Iesum Christum, eo quod vineam Dei tam gloriose plantatam et ecclesiam fidelium sanguine multorum irrigatam et tantam et in tantum dilatatam invenit, ut ramos suos ad decem dietas usque in Revalis extenderet[40], vel alia via in Plescekowe, vel iuxta Dunam usque Gerceke totidem alias dietas se dilataret, que et episcopatus quinque iam distinctos cum episcopis suis haberet. Et statim remisit nuncios suos in curiam Romanam, rerum[e] veritatem summo pontifici rescribendo.

(3.) Ipse vero circa noviter conversos sollicitus, Lyvones et alios, qui erant in civitate, viros et mulieres sepe convocando, verbum Dei sedulo ministravit, et indulgentias multas cum gaudio donavit. Post hoc Lyvones et alios, et Letthones et Estones, videre desiderans, abiit in Thoreidam, et fuit cum eo venerabilis Rigensis episcopus et Iohannes ecclesie beate Marie prepositus, et alii quam plures sapientes et discreti viri. Et primo venit in Kubbesele[f], Lyvonibus ibidem missarum celebrans solempnia, verbumque salutis predicando, ut eos in fide catholica fortificaret[g]. Ac deinde in Vitisele[h][41] et in Letthegore idem faciebat. Et postea in Metsepole et in Ydumea et in Letthia similiter faciendo, semen euangelicum cunctis seminavit, fructumque bonum referre docebat, fidemque christianam eis diligenter enodavit. Et tunc processit in Ugauniam, ibique ecclesiam fidelium tam Theuthonicorum quam et Estonum, et castrum Odempe novis habitatoribus[i] inhabitatum invenit et firmiter edificatum, et benedixit Dominum[k], eo quod et in Estonia conventum invenit fidelium. Et Estones instruendo in fide Iesu Christi, Theuthonicosque fideliter exhortando, commonitos habebat, quatinus benigne commorantes, mala non suscitarent ad invicem, nec Theuthonici gravaminis alicuius[l] iugum importabile neophytorum humeris imponerent, sed iugum Domini leve ac suave, fideique semper docerent sacramenta. Et benedicens eis, profectus

---

a) latitaverant 3. b) que 3. c) a. aperte n. habebant 3. d) Dominam 2. e) veram 3. f) Cubesek 2. g) confortaret 3. h) Vitisek 2. i) inhab. 3. k) Domino 3. l) aliquod 3.

37) Lyvonum — silebant *versus hexameter est.*

38) Cf. 1. Reg. 7, 2.

39) Wilhelmum, qui a. 1224. Dec. 31. ab Honorio III. legatus apostolicus est nominatus. Cf. Strehlke, Regesten Wilhelms von Modena in Scriptor. Rerum Prussicarum II, p. 119.

40) Cf. Ezech. 17, 7.

41) Idsel praedium?

est in Sackalam, ubi in prima parochia, quam invenit apud stagnum Worcegerwe[a], noviter conversos Estones devotissime docendo commonebat, ne unquam a fide domini nostri Iesu Christi discederent. Et inde procedebat in castrum Viliende, quod est fratrum militie, quod et ipsi iam tunc firmissime edificaverant. Et exiverunt eciam ipsi, cum gaudio occurrentes apostolice sedis legato, et suscipientes eum in castrum et nunciantes ei omnia mala, que propter fidem christianam ibidem ab Estonibus perpessi sunt. Et convocavit Estones, viros et mulieres, ad ecclesias eorum, et abiit ad eos, et[b] verbum exhortationis fideliter ministrando commonuit eos, ne deinceps tanta mala committentes, fidei sacramenta violare presumerent. Similiter et fratribus militie doctrine sancte monita devotus ibidem impendens, docebat eos ne subditis suis, stultis Estonibus illis, aut in decimis accipiendis aut in aliis quibuscunque causis nimium graves existerent, ne per talem occasionem iterum ad paganismum redire cogantur. Venerunt quoque ad eum ibidem nuncii Danorum de Revelis, excipientes eum cum gaudio, suas ei[c] tribulationes et bella nunciantes. Similiter et Estonum nuncii de Maritima[d], qui cum Danis semper pugnabant, venerunt ad eum, offerentes ei terras[e] ac[f] provincias suas, sicut et Rigensibus semper offerebant, tantum si defenderet[g] eos a Danis et Osilianis. Et recepit eos. Post hoc reversus est in terram Letthorum, et in Tricatua[h] convenerunt Letthi de tota provincia, que Tolowa vocatur, ad eum, quibus ipse verbum Dei predixit cum letitia, et omnia fidei sacramenta diligenter exposuit. Et inde procedens in Wenden[i], a fratribus militie et ab aliis Theuthonicis, ibidem habitantibus, devotissime receptus est, et invenit ibi Wendorum et Letthorum maximam multitudinem. Unde mane facto, congregatis Letthis universis cum letitia letam eis domini Iesu Christi doctrinam predicavit, et sepius passionem eiusdem domini Iesu commemorans, letos eosdem quam plurimum letificavit, fidemque eorum et constantiam commendans, eo quod sponte et absque ulla bellorum perturbatione fidem christianam primo susceperunt, et postmodum nunquam more Lyvonum et Estonum baptismi sacramenta violaverunt, humilitatem et patientiam eorum collaudavit, qui nomen domini nostri Iesu Christi ad Estones et ad alias gentes lete portantes, multos de gente sua propter eandem fidem christianam occisos, in martyrum, ut credimus, consortium transmiserunt. Wendis eciam doctrine sue fidelia monita non subtraxit, nec non et dominis ipsorum fratribus militie, quantumvis[k] subditis suis leve semper iugum imponentes fideliter cohabitarent, attentius iniunxit. Et post hoc in Sygewalde similia pietatis documenta ministrans, omni studio Lyvones, ne deinceps neglectis baptismi sui sacramentis ad paganismum redirent, admonuit. Et semper fratres militie, nec non et alios Theuthonicos, in aliis provinciis commonitos habebat attentius, ut Lyvones et Letthos et alios neophytos, docentes fidem christianam onusque suave Iesu Christi humeris eorum imponentes, tam in decimis quam in aliis causis parcerent eis, ne gravati[l] nimium ad infidelitatem redirent. Et consummatis hisce[m] omnibus, reversus est in Rigam. Aug. (4.) Et ibidem venerunt ad eum Theuthonici, Lyvones et Letthi, querentes iudicia super causis diversis. Et respondit unicuique secundum causam et querimoniam ipsius, et causas multorum et lites determinavit[42].

Audientes quoque Rutheni Nogardenses et alii de civitatibus aliis apostolice sedis in Riga legatum, miserunt ad eum nuncios suos, petentes ab eo pacis iam dudum a Theuthonicis facte confirmationem. Et exaudivit eos in huiusmodi petitionibus, fidem eorum eciam multis exhortationibus roborando, remisitque omnes in terram suam cum gaudio. Venit etiam Viesthardus[n] Semigallorum princeps, vocatus ad eum, quem multis disceptationibus et sermonibus longis ad fidem invitavit Iesu Christi. Sed ille infidelitatis sue duritia verba salutis non intelligens, et nondum baptismum recipiens, sed iterum de futuro promittens, predicatorem domni legati secum in Semigalliam admisit. Venerunt itaque de omnibus terris in circuitu videre legatum curie Romane, inter quos erat eciam Wissewaldus rex de Gerceke[o], comes Burchardus, episcopi Danorum de Revalis, Osiliani quoque et Estones Maritimi, qui se in defensionem[p] ipsius offerebant, promittentes se sacerdotes cum omni iure christianorum recepturos, tantum ut ipsos ab impugnatione Danorum liberaret.

---

a) Worcegerve 3. b) ut 3. c) eis 3. d) Maritimis 3. e) literas 3. f) et 3. g) defenderent 3. h) Tricatia 2. 3. i) Wenten 3. k) quatinus 3. l) gravatim 3. m) his 3. n) Westhardus 3. o) Gerseke 3. p) defensione 3.

[42] Cf. Strehlke l. c.

Promisitque eis omnem[a] libertatem, et misit nuncios suos[a] ad Danos et ad Osilianos, quatinus bella removentes pacem ipsius acciperent et preceptis suis obedientes existerent.

(5.) Ipse vero neophytos adhuc alios videre desiderans, Lyvones in Holme visitavit, ibique celebratis missarum solempniis seminatoque doctrine sancte semine, in Ykeskolam processit, ubi primorum sanctorum episcoporum memoriam commemorans, eciam illos[b] Lyvones in Dei servitio confortavit. Deinde in Lennewarde et Aschrate non minus ab idolatria Lyvones revocans, cultum[c] unius Dei diligenter edocuit. Tandem in Kokenoyse[d] similiter documentorum sanctorum monita tam Theuthonicis quam Ruthenis et Letthis et Selonibus cohabitantibus fideliter impendit, commonendo semper Theuthonicos, ne subditos suos gravaminibus aut exactionibus indebitis nimium lederent, sed fidem Christi sedulo docendo, consuetudines christianas inducerent et ritus paganorum abolerent, et tam exemplis eorum bonis quam verbis eos instruere docerent.

(6.) Reverso vero legato sedis apostolice rursus in Rigam, surgentes Theuthonici, qui erant in Odempe, tempore autumpnali cum omni comitatu suo ad vocationem[e] seniorum Wironensium venerunt in Wironiam, et preoccupantes castra Wironie Danos expellebant, dicentes terram ipsam primitus a Lyvonensibus vexillo beate Virginis ad fidem christianam subiugatam. Et ceperunt dominari in omnibus provinciis et castris Wironie. Quo cognito, domnus legatus idem convocavit ad se Theuthonicos eosdem, et censura ecclesiastica compellebat eos terram ipsam in protectionem summi pontificis resignare, mittensque statim nuncios ad Danos in Revalis, similiter compellebat et eos in manus suas resignare terram ipsam nec non et alias terras, de quibus contendebant Theuthonici cum Danis. Dani vero non audentes contra stimulum calcitrare, promiserunt se curie Romane fideliter obedire, et resignaverunt in manus nunciorum domni legati Wironiam, Gerwam, Hariam atque Maritimam, et litteras suas sigillatas in Rigam mittentes donationem ipsam confirmaverunt. Quo facto legatus idem viros suos, peregrinos et sacerdotes, mittens in Wironiam, Theuthonicos et Danos cunctos removit, habens terras ipsas in sua potestate.

(7.) 1226. p. Ian. 6. Post autem festum epiphanie, cum propter nives et gelu via sit in frigidis terris illis melior ad eundum, abiit domnus legatus cum clericis et servis, assumens secum Semigallorum episcopum Lambertum, Iohannem Rigensis ecclesie prepositum, cives quoque Rigenses et fratres quosdam militie cum pluribus aliis, et pertransiens Lyvoniam venit in Letthorum provinciam, et de Letthis in Sackalam, licet in magna corporis sui debilitate. Et requiescens in Viliende duobus diebus, postea abiit in Gerwam, et occurrerunt ei omnes Gerwanenses in villa Carethen, quibus ipse verbum Dei cum gaudio predixit, fidem instruendo catholicam in manusque summi pontificis eos colligendo, processit ad primum castrum Wironie, quod Agelinde[f] vocatur, et ibi letissime etglorianter exceptus omnem eorum multitudinem convocavit, et monita salutaria vite eterne prebens, nomen aperuit eis Iesu Christi. Et inde Tarwanpe[g] procedens similia faciebat. Et venerunt ibi Dani, sicut vocati fuerant. Et facta est pax inter Theuthonicos primo et Danos, deinde cum Estonibus de cunctis provinciis. Et post hoc profectus est legatus idem in provinciam Tabellini, ubi seniores omnes Wironie convenerunt ad eum, audientes ab eo doctrinam et fidem christianam, et recepit eos omnes ad manum summi pontificis, et statuit ex eis seniores et iudices in omnibus provinciis suis, et tunc rediit in Tharwanpe[h]. Et inde abiit ad castrum Danorum in Revelis[i], et eciam ibi receptus est a Danis et Suecis[k] et a cunctis ibi habitantibus in letitia. Et post hoc pueros obsides Wironie cepit ab eis requirere, et nolebant eos reddere in manus ipsius, sed censura ecclesiastica perculsi tandem eos restituere cogebantur, et remisit eosdem obsides parentibus suis in Wironiam. Receperunt etiam Warbolenses pacem domni legati Romani, et venerunt ad eum in Revelim. Sed ad instantem Danorum petitionem reddidit eos Danis eisdem cum ceteris Harionensibus. Illam vero kiligundam, que Maritima vocatur, cum alia tota Maritima et Wironia et Gerwa in summi pontificis Romani accepit[l] potestatem. Congregati sunt eciam Estones Revelenses coram eo, simul cum Danis, quibus ipse devote verba salutis eterne ministravit, et fideliter admonuit, ut benigne cohabitantes infidelitatis deinceps consilia devitarent. Perfectis vero his omnibus, sacerdotes suos in Maritimam misit, et ipse per Sackalam reversus est in Rigam. Sacerdotes

a) *deest* 3. b) alios 3. c) culturam 3. d) Kokenoyse 2; Kukenoise 3. e) advocatione 2. f) Agelunde 2. g) Tarwariepe 3; Tarwaupe *ed.* h) Tarwaripe 3; Tarwaupe *ed.* i) Revalim 3. k) Suetis 2. l) acceperit 2; recepit 3.

autem ipsi, Petrus videlicet Kakinwalde[a], cum confratre suo, alio sacerdote, abierunt in Sontagana, et receperunt eos Maritimi cum gaudio, et audiverunt ab eis verbum Dei, et baptizati sunt ab eis viri et mulieres et parvuli, qui remanserant ante non baptizati, tam in Sontagana quam in Maianpathe et Paehalle[b]. Et post hoc reversi sunt eciam ipsi gaudentes in Lyvoniam[c], de fidei propagatione Deum collaudantes.

Reverso sedis apostolice legato rursus in Rigam[43], convenerunt ad eum episcopi, sacerdotes, clerici, fratres militie cum vasallis ecclesie civesque Rigenses. Et presentibus his omnibus in ecclesia beate Marie celebravit solempne concilium[44] in quadragesima Domini, propter Innocentii instituta, ad memoriam revocando et nova quedam adiciendo, que novelle plantationis ecclesie necessaria videbantur. Post hoc vero peractis cunctis et terminatis, que ab ipso terminari poterant, et indulgentiis datis, valedicens cunctis et benedicens, reversus est ad naves, commendans Lyvoniam beate Dei genitrici Marie, cum filio suo dilecto domino nostro Iesu Christo, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen. (8.)

Et memini et meminisse iuvat[45]. Scis cetera mater
Virgo Maria Dei. Tu miserere mei!

Multa quidem et gloriosa contigerunt in Lyvonia tempore conversionis gentium ad fidem Iesu Christi[d], que cuncta conscribi vel ad memoriam reduci non possunt, ne legentibus existeret eciam tediosum. Sed hec paucula conscripta sunt ad laudem eiusdem domini nostri Iesu Christi[46], qui fidem et nomen suum portari vult ad omnes gentes, ipso cooperante et confirmante, per quem talia sunt[e] operata. Qui tot victorias magnas et gloriosas de paganis semper concessit[f] suis in Lyvonia, et magis semper[f] in paucitate virorum quam in multitudine, et sue dilecte genitricis, cuius honori, una cum filio suo, eodem domino nostro Iesu Christo, omnes terre iste noviter converse sunt adscripte[47]. Et ne laus eadem, sibi de factis[g] tam gloriosis debita, per negligentiam pigrorum oblivioni in posterum traderetur, placuit eam rogatu dominorum et sociorum humili scriptura conscribere et posteris relinquere, ut et ipsi laudem Deo tribuant et ponant in eo spem suam[48], et non obliviscantur operum Dei, et mandata eius exquirant[49]. Nichil autem hic aliud[h] superadditum est, nisi ea, que vidimus oculis nostris fere cuncta, et que non vidimus propriis oculis, ab illis intelleximus, qui viderunt et interfuerunt. Et non hec adulationis aut lucri temporalis gratia conscripsimus, sed potius in delictorum nostrorum remissionem ad laudem ipsius domini nostri Iesu Christi et beate virginis Marie, genitricis eiusdem Domini, qui cum Patre et Spiritu sancto fuit semper, et est, et erit benedictus per omnia secula seculorum. Amen. (9.)

Bisdenus octavus sequitur huius presulis annus, (XXX.)
Hic erat ecclesia pace silente pia[i]. 1227.

Sedis apostolice legatus Lyvoniam derelinquens, ad naves circa mare diu resedit[50], ventorum gratiam expectans. Et vidit subito[k] redeuntes Osilianos a Suecia cum spoliis et captivis quam plurimis. Qui multas miserias et nequitias cum captivis et mulierculis et virginibus exercere solebant omni tempore, illudentes eas, et copulantes alias sibi in uxores, tres unusquisque vel duas vel plures, licitantes sibi illicita, cum non sit coniunctio conveniens Christi cum Belial[51], nec pagani copula congrua cum christiana; quas et Curonibus et paganis aliis eciam vendere solebant. Intelligens ergo domnus legatus omnia mala, que fecerant in Suecia, ecclesiis videlicet incensis et sacerdotibus interfectis et sacramentis delatis et violatis, et similibus miseriis, condoluit captivis, orans ad Dominum, ut fiat vindicta de malefactoribus. Veniensque in Gothlandiam, verbum Dei seminavit,

---

a) Kakewaldus 3. b) Puenkalle 3; Puekalle *ed.* c) Lyvonia 2. d) per annos 67 preteritos, ex quibus primo inventus est a mercatoribus Bremensibus portus Lyvonicus 3 *et ed. add.* e) fiunt 3. f) conc. — semper *des.* 3. g) sibi defectis 2; degestis 3. h) *deest* 3. i) *sic restituere conatus sum verba cod.* 2: Bisdenus octavus sequitur annus unius praesulis, hic ornat ecclesia pace silendo pia; *cod.* 3 *habet haec:* Bisdenus octavus, postquam haec conscripsimus sequitur annus unius praesulis Alberti, habente ecclesia Livoniensi mediocri undequaque pace, qua sedis *etc.* k) subdito 2.

43) Ibi eum iam die 15. m. Martii a. 1226. offendimus. 44) Cf. Strehlke l. c. p. 121. 122. 45) Cf. Verg. Aeneid. I, 203. 46) Cf. Ev. Ioh. 20, 30. 31. 47) Cf. Arnold. Lubic. V, 30 (M. G. SS. XXI, 211). 48) Cf. Psalm. 72, 28. 49) Cf. Psalm. 118, 45. 50) Eum a die 28. m. Aprilis usque ad diem 23. m. Maii in Dünamünde, et 6. die Iulii Wisby fuisse scimus. 51) Cf. 2. Corinth. 6, 15.

Iul. cunctis christiani nominis signum sancte crucis exhibens in remissionem peccatorum, ad faciendam vindictam de perversis Osilianis. Obediunt Theuthonici, crucem recipiunt; Gothi rennuunt[a]; Dani verbum Dei non audiunt. Soli mercatores Theuthonici celestia sibi desiderant mercari, equos comparant, arma preparant, Rigam veniunt. Gaudent Rigenses, venientibus occurrunt. Gaudent et Lyvones Lettique et Estones baptizati, ut ad Osilianos non baptizatos deferant eciam nomen christianum.

(2.) Hoc anno magister Iohannes[52], consocius domni legati, habuit in commissione terras, de quibus discordia fuerat inter Theuthonicos et Danos, Wironiam videlicet, Gerwam et Rotaliam. Interrupta itaque pace, idem magister Iohannes cum Danis bellare cepit. Dani quoque, spoliantes Rotaliam et incendentes, multa spolia tulerunt, quos eciam servi magistri persequentes, quinquaginta ex eis occiderunt, et quinquaginta ex eis in castro Maianpata obsederunt. Sed post triduum miserti eorum, eo quod christiani essent, dimiserunt eos. Misit eciam legatus Theuthonicos quam plurimos in Wironiam in auxilium eidem Iohanni, tam contra Danorum quam contra sevitiam Osilianorum. Sed audientes Rigenses bella eorum, nuncios mittunt, pacem cum Danis faciunt, ut Osilianos magis impugnare valeant et fidem in gentibus dilatare.

(3.) Consummatis itaque festis natalis et epiphanie Domini, nix tegit terras, et glacies
1227.
p. Ian. 6. undas[b], eo quod superficies abyssi constringitur, et aque durantur ut lapides[53], et fit glacies, et est via melior super terras et super aquas. Facta itaque via super mare, statim Rigenses, sacri baptismi sui irrigatione gentes illas Osilianas, que habitant in insula maris, irrigare cupientes, indicunt expeditionem, convocantes omnes ad fluvium, qui Mater aqua-
Ian. 20. rum dicitur. Fabiani autem et Sebastiani festo peracto, conveniunt omnes Theuthonici, Rigenses, Lyvones cum Letthis, et Estones, de cunctis provinciis suis, sequentes dominum venerabilem Lyvonensem episcopum, cum quo simul adest Semigallorum episcopus, et magister Volquinus cum fratribus suis et peregrinis, deferentes secum cibos et arma sua. Et celebratris missarum solempniis procedunt in glacie versus Osiliam. Erat enim exercitus magnus et fortis, habens viginti pene milia virorum, qui suas ordinantes acies, distincte[c] cum vexillis propriis ambulantes, et in equis et vehiculis suis glaciem maris calcantes[d], sonitum tamquam tonitrui[e] magni faciebant, ex collisione armorum et vehiculorum concussione et motu strepituque virorum et equorum cadentium et iterum surgentium hac et illac super glaciem, que plana[f] erat tamquam vitrum, ex australibus et pluviosis aquis, que tunc inundaverant, et de gelu, quod subsequebatur. Et magno labore mare transiverunt, donec tandem gaudentes ad litus Osilie devenerunt.

(4.) Die itaque iam nono venientes ad castrum Mone[g] [54], nocte sola ibidem quiescere proponunt, habentes conflictum cum castrensibus, qui timentes bella imminentia et balistarum iacula, recipiuntur in castri sui domicilia, mittentes nocte verba fraudibus plena pontifici ceterisque senioribus exercitus, dicentes, se fidem Christi et pacem recipere christianorum, ut, procedente exercitu, ipsi dampnum et belli detrimentum inferant subsequentibus. Et volebat[h] antistes cum ceteris senioribus conditiones recipere pacemque dare, sed impediebant eos fraudes et scelera eorum, eo quod non sit sapientia, neque consilium contra Dominum[55], qui consuetudines suas pravas derelinquere nolentes, et sanguinem christianorum adhuc bibere sitientes, et ceteras nequitias exercere cupientes, donum sacri baptismi suis pessimis mentibus non meruerunt, ponentes spem in castri sui firmitate, et nolentes pacem et turpia queque loquentes, magis occidi quam baptizari meruerunt. Et quia pacem forte noluerunt, pax ab eis fugit et ultio sola venit. Primo itaque Theuthonici vallum petunt, castrum scandere sperant, sed repelluntur ab illis, lapidum et lancearum leduntur ictibus, unde tam arte quam marte pugnare coguntur. Machinas edificant, patherellis contra patherellos eorum lapides in castrum proiciunt, porcum fingunt, sub quo castrum fodiunt, donec ad medium vallum perveniunt. Tunc, amoto porco, turrim ligneam fortem ponunt in loco, super quam adscendunt armati fortes et balistarii, mittentes tela sua et spicula et lanceas super Osilia-
Febr. 3. nos et munitionem. Extra illi lapides et iacula iactant super istos. Postquam sexta dies illuxit, prima videlicet post festum purificationis, ne ipsa dies purificationis fieret non pura sanguine

---

a) renuunt 2; reuiuunt 3. b) nudas 2. c) districte 3. d) culc. 2. e) tonitru 2. f) glabra 3. *ed.* g) mane 2. h) videbat 3.

[52] Erat capellanus Wilhelmi episcopi Mutinensis. [53] Cf. Iob 38, 30. [54] Mona hodie insula est, Osiliam attingens ad austrum, angusto freto interiecto. GRUB. [55] Prov. 21, 30.

interfectorum, primo mane magis invaluit pugna, ut eciam ferro recurvo vel unco ferreo iam infigerent, munitione detrahentes sinigillatim ligna queque maxima, per que munitio tenebatur, ut aliqua pars munitionis iam ad terram usque veniret. Gaudet exercitus christianorum, exclamant, Deum exorant. Clamant et illi, gaudentes in Tarapitha[a] suo. Illi nemus, hii Iesum invocant, in cuius nomine ac laude fortiter adscendunt, ad summitatem valli perveniunt, fortissime et ab illis repelluntur. Qui primus adscendit, multarum lancearum ictibus ac lapidum tunsionibus[b] premitur; quoniam utique solus Deus inter tot hostes furentes illesum conservavit. Nam scandens sursum, statim ab hostili turba retruditur, et iterum et sepius scandens, totiens ab inimicis repellitur quoties ad alta conscendere nititur, donec tandem idem Theuthonus, ense suo longo repellens hastas hostiles[56], angeli Dei utique sublevatione supremam devenit in munitionem, que super hostium capita fuerat, et, ne lanceis hostium lederetur, desubtus clypeum locavit sub pedibus, stansque super clypeum solus pugnavit ad hostes[57], donec Deus secundum misit et tertium. Tertius, heu, detrusus ab alto relabitur. Duo nichilominus contra multitudinem hostium se defendunt, contra quos post tergum ex Osilianis quinque super eandem conscendunt supremam munitionem, mittentes lanceas suas super eos, quorum primum, lancea repercussum, Theuthonus[c] ense ferit, ille cadendo perit[58]; et alii in fugam se convertunt. Alii Theuthonici subsequentes, fortiter adscendunt, ut primis in auxilium veniant. Licet ab hostium ferocitate fortissime repellantur; et plures ex eis feriantur, vulneribus receptis, et alii interficiantur; tamen in Domino confidentes, et magno labore multitudinem hostium removentes, tandem summitatem munitionis obtinuerunt. Erat itaque adscensus valde difficilis, eo quod mons altus erat et congelatus, et[d] murus supra montem ex lapidibus tamquam glacies congelata[d], ut pedem nusquam figere possent. Sed quidam per scalam, quidam per funem se detinentes, immo per angelum Domini sublevati sursum perveniunt, hostiumque undique fugientium terga premunt. Vox exultationis et salutis[59] christianorum! Vox in Rama! ploratus et ulutatus[60] confusionis et perditionis paganorum. Intrant in castrum et interficiunt populum.

Parcere paganis non possunt Osilianis,
Nam trucidant alios et capiunt alios.

Lyvones cum Lettis circumeuntes castrum, nullum ex eis effugere permittunt. Devictis hostibus, gaudent victores, Deo laudem canentes. Qui David a Philisteis semper defendit, liberat et ipse suos[e], victoriam dans de inimicis. Urbem capiunt, predam rapiunt, substantias, res eximias diripiunt, equos et pecora depellunt, quod residuum est, igne comburunt. Castrum Osilianorum vorat ignis; sed christiani spolia gaudentes diripiunt.

(5.) Castro Monense in cinerem redacto, festinat exercitus ad aliud castrum, quod est in media Osilia, quod vocatur Waldia. Et est Waldia fortior urbs inter alias urbes Osilianorum, ad quam resedit exercitus, preparans instrumenta bellica, patherellos videlicet et machinam magnam, et maximas arbores abiegnas et therebinthinas[f] ad faciendam turrim contra munitionem castri. Lyvones vero, Letthi et Estones, cum quibusdam eciam Theuthonicis, circumeuntes ad omnes provincias, tulerunt equos et boves eximios et spolia multa, frumentum multum et similia, et villas igne combusserunt. Waldienses vero lapidum iacturas sustinere non valentes, pre multitudine populi, qui erant in castro, simul et balistarum non ferentes tela, nec non et instrumenta considerantes, que preparabantur, quibus facile erat capere castrum; timore Dei concepto, pacem petunt, terroremque forte habentes de Monensibus occisis, humiles se reddunt, pacifica verba loquuntur, sacri baptismatis sacramentum sibi dari suppliciter exposcunt. Gaudium hoc est christianorum. Laus canitur Domino, et pax datur populo. Obsides requiruntur filii meliorum. Fiunt[g] Osiliani Waldienses filii obedientie, qui quondam filii superbie. Qui quondam lupus, modo fit agnus. Qui quondam persecutor christianorum, modo fit confrater, pacem recipiens, obsides dare non contradicens, baptismi gratiam fideliter petens, tributum perpetuum solvere non pertimescens.

---

a) Tharapitha 3; Tharapilla *ed.* b) tusionibus 2. *ed.* c) Teutonicus 2. d) et — congelata *des.* 2. e) suis 2. f) therebindinos 3. g) *deest* 2.

56) ense — hostiles *versum sapit hexametrum.* 57) stansque — hostest *est versus hexameter.* 58) Theuthonus — perit *versus.* 59) Cf. Psalm. 117, 15. 60) Cf. Ev. Matth. 2, 18.

Dantur pueri nobilium, quorum primum venerabilis Rigensis episcopus cum gaudio et devotione magna catechizatum, sacro baptismatis fonte rigavit, alii presbiteri alios rigaverunt, qui et in urbem cum gaudio ducuntur, ut Christum predicent, ut Tharaphitam[a], qui deus fuit Osilianorum, eiciant. Qui per medium castrum fontem consecrantes et dolium replentes, primo seniores et meliores catechizatos, deinde viros alios et mulieres baptizant et pueros. Et fit pressura maxima virorum et mulierum ac parvulorum clamantium: *Festina me baptizare*, a mane usque ad vesperam; ut eciam ipsi presbiteri, qui modo quinque, modo sex extiterant[b], pre labore baptizandi deficerent. Baptizantes itaque presbiteri cum summa devotione multa milia populorum, quos cum summo gaudio videbant ad baptismi sacramentum properare, gavisi sunt et ipsi, sperantes eundem laborem in suorum remissionem peccatorum. Et quod eodem die non potuerunt, sequenti et tertio consummaverunt. His mysteriis in urbe Waldia celebratis, venerunt nuncii, missi de cunctis urbibus et kiligundis Osilie, querentes pacem et baptismi petentes sacramentum. Gaudet exercitus, obsidibusque receptis pax datur et fraternus amor. Dicitur ut Suecos[c] captivos restituant liberos. Obediunt, restituere promittunt, presbiteros secum ad castra sua ducunt, qui Christum predicent, qui Tharapitha cum ceteris paganorum diis eiciant, qui populum sacro baptismate tingant[d]. Baptizant itaque sacerdotes in omnibus castris Osilie populum universum utriusque sexus cum letitia magna, et pre gaudio lacrymantes, eo quod Domino tot milia genuerunt per lavacrum regenerationis, prolem spiritualem, Deo dilectam sponsam novam ex gentibus. Gentes fonte rigant, fletibus ora rigant[61].

(6.) Sic, sic Riga semper rigat gentes. Sic[62] maris in medio nunc rigat Osiliam. Per lavacrum purgans vitium, dans regna polorum. Altius irriguum donat et inferius. Hec dona Dei sunt gaudia nostra. Gloria Dei et domini nostri Iesu Christi et beate Marie virginis servis suis Rigensibus in Osilia talia dedit gaudia! Vincere rebelles, baptizare sponte et venientes humiliter, obsides et tributa recipere, captivos omnes christiani nominis restituere, cum victoria redire. Quod reges hactenus non potuerunt, hec beata Virgo per servos suos Rigenses breviter et leniter ad honorem sui nominis adimplevit. Quo completo, quo facto, populo videlicet cuncto baptizato, Tharaphita eiecto, Pharaone submerso, captivis liberatis, redite cum gaudio Rigenses[e].

Vos semper sequitur victoria clara triumphi,
Gloria sit Domino, laus super astra Deo.

FINIS.

---

[a] Tarapita 3. [b] extiterint 2. [c] Svethos 2. [d] rigant 3. [e] redite c. g. R. *in 2 litteris maiusculis scripta sunt.*

[61] Gentes — rigant *versus.* [62] Sic maris — et inferius *sunt tres versus.*

BURCHARDI ET CUONRADI

URSPERGENSIUM CHRONICON.

EDIDERUNT OTTO ABEL B. M. ET LUDEWICUS WEILAND.

Quod[1] *usque ad finem quintidecimi saeculi unicum extabat idemque autographum chronici Urspergensis exemplar periit incendio, quo monasterium medio fere itinere inter Ulmam situm et Augustam Vindelicorum anno* 1525. *deletum est. Conrado Peutingero Augustano de litteris meritissimo non solum editio princeps, sed chronicon ipsum debetur; qui, cum altera pars iam antea typis tradita esset, opus integrum anno* 1496. *in coenobio exaratum describi et imprimi curavit.*

1. *Codex chartac. saec. XV. vel XVI. in., iam Monacensis cod. Lat.* 4351, *quem descripsit P. Placidius Braun in* Notitia historico-litteraria de codicibus manuscriptis in bibliotheca monasterii ad SS. Udalricum et Afram Augustae extantibus Aug. 1792. *Vol. II*, 91, *fol.* 206—257 *et* 1—201 *apographum continet a Peutingero curatum.*

2. *Liber circa annum* 1470. *in incunabulis artis typographicae impressus, cui titulus superscriptus est* Hystoria Friderici imperatoris magni *etc. fol.* 10′—40 *Chronici Urspergensis continet partem et maximam et gravissimam inde ab anno* 1152. *Quae in primo folio de primis Stauficae gentis viris et de monasterio Loricensi leguntur ex alio fonte hausta, cetera fol.* 2—10′ *ex priori Chronici Urspergensis parte excerpta et nullius sunt pretii. Textus etsi multis deformatus mendis tamen non paucas praebet lectiones meliores. — Librum hunc antiquum iterum praelo dedit Georgius Antonius Christmann. Ulmae* 1790. (Historia Friderici conscripta a Burchardo.)

2^{a}. *Codex chart. saec. XV. in* 4, *bibliothecae Monacensis, cod. Lat.* 516, *qui praeter Historiam Friderici Opusculum Isidori de temporibus, Chronographiam Auguste, De edificatione Venetiarum continet; pag.* 190 *notatur:* Scripsi Hartmannus Schedel de Nurenberga Anno 1474 die 10. mensis Novembr. in Nordlingen.

2^{b}. *Cod. Guelferbytanus fol. chart. saec. XV. Helmst.* 205, *olim Frisingensis.*

2^{c}. *Cod. chart. fol. saec. XVI. Monacensis, cod. Lat.* 5895. *Ebersberg.* 95, *quondam societatis Iesuitarum Ebersbergensis, ut ceteri Monacensis bibliothecae libri a V. Cl. Föhringer liberaliter nobis transmissus.*

Tres hi codices ex Hystoria Friderici incunabulari descripti ad textum castigandum nihil conferunt.

---

[1] Lector ut adeat ea quae prolixius egit b. m. editor optimus de Chronico Urspergensi eiusque auctoribus Archiv XI, 76—115 volumus. WEILAND.

3. *Editio princeps auxilio Ioannis Foenisecae* inter imprimendum chalcographorum lateri assistentis *ab Ioanne Miller instituta, quae* 10. *Kal. Novemb. anni* 1515. *Augustae ad lucem prodiit, textum praebet in multis locis emendatum, saepius tamen nonnisi mutatum, interdum etiam vitiatum. Secundum hanc primam impressionem chronicon postea semper in peius redactum denuo editum est Argentorati* 1537. 1540, *Basileae* 1569, *Argentorati* 1609.

Quae in catalogo Musei Britannici a Pertzio excerpto[2] *nominantur Chronicon Urspergense* — 1197. *et Vita Conradi abbatis Urspergensis, Historiam Welforum exhibent Wingartensem*[3] *et Vitam sancti Conradi episcopi Constantiensis, ut satis probatur notis, quas V. Cl. Pauli diligens codicis scrutator in nostrum usum fecit.*

Cum prius inde a Bruschio[4] *Cuonradus de Lichtenau, qui a.* 1226—1240. *praepositi Urspergensis vicem explevit, auctor diceretur chronici, Michael Khuen Ulmensis primus Burchardum scriptorem esse demonstravit in libello nunquam typis impresso, cuius exemplar Historiae Friderici* (2) *annexa extat in bibliotheca Monacensi sub titulo:* Dissertatio historica de Burchardo abbate Urspergensi et historiae de Friderico I. imp. eiusque parentelae authore hactenus anonymo, nunc ex indubitatis documentis detecto a Michaele praeposito Wengensi. Ulmae anno 1764. *Quod hic iecit fundamento nisus et studiis adiutus Schumacheri*[5], *Christmann in praefatione, quam ad Historiam Friderici a.* 1790. *editam scripsit, rem denuo accuratiusque tractavit et vix non absolvit. Quae brevis narratio ineunte seculo XIII. in monasterio Sorethano*[6] *sripta*[7] *et P. Iohannes Weissung*[8] *tradunt, penitus consentiunt cum iis quae scriptor chronici de sua ipse refert vita, ut vix ulla restet rei dubitatio.*

Burchardus patria Biberacensis Welfonem ducem a. 1191. *vita defunctum vidit, circa a.* 1198. in minori aetate et seculari vita constitutus adhuc Romae *moratus est, a.* 1202. *presbyteratum accepit a Diethalmo episcopo Constantiensi, a.* 1205. *monasterium Sorethanum ingressus, a.* 1207. *vota religionis persolvit. Iam a.* 1209.[9] *Burchardus in locum Liutheri praepositi electus administrationem monasterii suscepit. Anno sequenti iterum Romam profectus, privilegium impetravit monasterio ab Innocentio III. a.* 1211. *Febr.* 13. *concessum*[10]. *Anno* 1215. *ab Urspergensibus electus, cum undecim annos praepositurae alterius regimen gessisset, sub fine anni* 1226. *diem obiit supremum.*

Cuonradum de Lichtenau, quem successorem habuit Burchardus, continuatorem quoque chronici fuisse, probabilis est opinio a Christmanno prolata, quae tamen uno tantum eodemque minus diserto Weissungii nititur testimonio: (Burchardus) quem admodum fragmenta ab vi ignis relicta composuit, sic Conradus natus ex nobili genere de Lichtenau praepositus electus, cuius stemma ante duos annos finivit Diemar ultimus, multifaria sua eruditione ac mira sanctimonia sapientiam cum eloquentia coniunxit, et puerilibus, etiam adultis doctissimisque ingeniis tantam chronicam composuit[11].

At iam quae Burchardi, quae Cuonradi sint quaeris. Levissimis usus argumentis Christmannum historiam Damiatinam primo adhuc auctori tribuendam esse,

---

[2] Harleian manuscr. 3668. chart. saec. XVI, vide Archiv VII, 80.

[3] Supra SS. T. XXI, 456 signatus est codex 1^{d}.

[4] Monasteriorum Germaniae centuria prima. 1551. p. 168^{a}.

[5] Beyträge zur Deutsch. Reichshistorie. Eisenach 1770.

[6] Schussenried in praefectura Wirtenbergica Waldsee.

[7] Hugo, Annales Praemonstrat. II, 820. Christmann p. XIV. XIX.

[8] Epitome omnium rerum gestarum singulorum praepositorum abbatumque Urspergensis coenobii. Anno 1524. Christmann p. XV.

[9] Teste perantiqua ibidem asservata tabula chronographica praepositorum et abbatum imperialis canoniae Sorethanae, dicente: *Regimen coepit anno* 1209. Christmann p. XIX.

[10] Annales Praemonstr. II. Probat. DXXV.

[11] V. Christmann p. XXXIII.

verbis Faciant super hoc rumore *continuatorem excepisse calamum censuit. Sed mihi, si certum statuere licet terminum, vix dubium est quin iam belli Aegyptiaci historia a Cuonrado scripta sit: Sifridus enim episcopus Augustensis, ut alia minus gravia omittam, iam mortuus memoratur, qui tamen anno demum* 1227. *obiit. Ad novissimam aetatem descendit Burchardus, ubi Engilbertum archiepiscopum Coloniensem interfectum (*1225. *Nov.* 7.*) esse scribit. Secundas Friderici imperatoris nuptias eodem tempore celebratas utrum Burchardus an Cuonradus sub anno* 1204. *notaverit, incertum mihi videtur. Alium vero locum a multo recentioris aetatis scriptore interpolatum esse, nemini non patet: quod enim de Philippo rege per iustam Dei vindictam interfecto legitur, penitus abhorret a Burchardo summo favore Philippum amplectente atque monachum sapit XIV. aut XV. saeculi. Neque dissimulavit sese scriptor:* abbatiam *enim nominat ecclesiam Urspergensem, cum tamen Heinricus VI. demum, qui annis* 1349—1374. *monasterio praefuit, in abbatis dignitatem erigeretur.*

Iam in monasterio Sorethano Burchardus opus suum exorsus est et primo quidem Ekkehardi Uraugiensis chronicon, cuius a Zwifaltensibus finitimis mutuatus erat exemplar[12], *exscripsit usque ad finem, pauca addens aut mutans, quae a Waitzio in editione Ekkehardi accuratissime sunt adnotata. Quae iam sequitur historia a Burchardo ipso conscripta in duas partes dividitur, quarum altera usque ad Heinricum VI. tota paene ex alienis fontibus hausta est, altera res ipsa scriptoris aetate gestas complectitur.*

Historiam Welforum Weingartensem fere totam suo chronico inseruit noster. Codice usus est aut autographo, ut iam supra SS. Tom. XXI, p. 457 *opinati sumus, aut saltem cuidam simillimo fragmentis Ranshofensibus, quae ad autographum propius accedunt, ut vir cl. de Giesebrecht, qui fragmenta illa nuper detexit, monuit*[13]. *Sententias Historiae noster contraxit et immutavit saepius, rarius pauca addidit, semel etiam textum, quem Weingartensis consilio depravavit, Ottonis Frisingensis textu genuino adhibito, restituit*[14]. *Ex Annalibus Weingartensibus quae ad annos* 1135. 1140. 1153. 1154. 1157. 1158. 1162. *adnotantur exscripsit.*

Ottonis Frisingensis Chronicon bene novit, sed pauca tantum deprompsit ex I, 8 *(Ekkeh. SS. VI,* 36*); VI,* 28. 35*; VII,* 23. 30*; III,* 4. *Gestorum Friderici nulla deprehenduntur vestigia.*

Quod infra, textu secundum codices castigato, subnectimus Excerptum ex Gallica historia, quod et ipsum in codice Ekkehardi Zwifaltensi continebatur, totum descripsit, ita tamen ut scholia immisceret narrationi, versus ad monumentorum referret inscriptiones, et verba atque enuntiata multoties immutaret.

Vitam quoque adiit S. Bernhardi, ut ipse dicit.

Brevem historiam occupationis et amissionis Terrae sanctae[15] *ab auctore Italico scriptam in itinere sine dubio nactus, integram in suum chronicom transtulit.*

Praestantissimo autem duce usus esse videtur Iohanne Cremonensi, cuius

---

[12] adhuc superstes, cod. Stuttgart. 411. fol. saec. XII. a Waitzio in praefatione Ekkehardi SS. VI, 15 signatus B. 10 et descriptus Archiv VII, 500. Ex eodem codice deprompsit Burchardus etiam Excerptum ex Gallica historia et fortasse dies obituales imperatorum in Spirensi ecclesia sepultorum.

[13] Cf. Beiträge zur Genealogie des Bairischen Adels in Sitzungsberichte der Kgl. Bair. Akad. histor. Classe 1870. I. p. 549 sq.

[14] V. infra adnotationem ad a. 1139. Locus de curte Elisina, cuius mentionem fecimus SS. Tom. XXI, 460, not. 54, in autographo Historiae aut in exemplari quo usus est Urspergensis rectum praebuisse videtur.

[15] Eccard, Corpus histor. II, 1349.

scripta Leo Allatius[16] *adhuc et Panvinius*[17] *legerunt, Franciscus Arisius*[18] *nondum vidit, nos perdita dolemus. Cum tota fere historia Friderici imperatoris ab Urspergensi tradita res spectet Italicas et praesertim Lombardorum, de Teutonicis vero perpauca referat, vix dubitare licet, quin omnia quae de bellis Friderici legimus usque ad pacem Venetam ex Cremonensis fluxerint operibus, de cuius editione, haec quae narret, se* excerpsisse *Burchardus ipse dicit. An* ille scriptor quidam, *quem laudat in historia Lotharii Iohannes, et ea, quae de civitate Reatina tradit, eiusdem sint auctoris, alius iudicet; ex Italicis fontibus ista derivata esse mihi certum.*

Quae laudatur ad a. 1191. *Chronicam Romanorum*[19] *eandem esse, quam dicunt Chronicam Repgawiensem, suspicatus est vir cl. Ficker*[20]. *Sed cum quae ex illa petuntur in hac chronica minime occurrant, totusque loci illius contextus et sensus alio tendere videatur, equidem Burchardum hoc enuntiato non certum quoddam opus, sed Romanorum potius historiographiam in universum indicare voluisse, vocemque illam idem significare ac Catalogum imperatorum censuerim.*

Inde ab Heinrici VI. aetate Burchardus quae aut ipse vidit aut ex aliorum audivit ore refert. Fuitque ei facultas, multa et occultiora quoque comperire: bis enim, nisi saepius in Italia moratus est, Spiram adiit monasteriumque Parisius in Vosago saltu situm, cuius abbas Martinus anno 1204. *expugnationi Constantinopolis interfuerat. Virorum quoque in publicis negotiis versatorum usus est familiaritate, Conradi abbatis Praemonstrati, abbatis Morimundensis aliorumque, qui de morte Heinrici imperatoris, de rebus inter Innocentium papam et Philippum regem atque postea inter illum et Ottonem IV. tractatis, et de pugna ad Bovinas commissa ei retulerunt. Paucis qui in priori chronici parte occurrunt erroribus exceptis, Urspergensis fide dignissimum se exhibet. Temporum vero series saepissime confusa. Stauficae gentis principes ut* nativos dominos *veneratur et maximo cum studio eorum partes sequitur contra Ottonem IV. et curiam Romanam. Innocentium III. papam vix minus acri stilo impetit quam Waltherus de Vogelweide poeta aequalis. At licet non sine studio et ira scripserit, fidem et veritatem in rebus tradendis nunquam videtur laesisse.*

Quae aliam nostri chronici praebet formam Historia Friderici imperatoris saeculo demum quintodecimo conscriptam esse Stälin V. Cl. suspicatur. Auctor non quidem Loricensis monasterii, attamen dioecesis Augustensis mihi videtur fuisse. Quae de origine gentis Stauficae refert ascendunt ad fontem saeculi XIII. Praeterea Narrationem de restauratione monasterii sanctae Fidis in Schlettstadt[21] *excerpsit, versus sepulchrales in ecclesia Loricensi*[22] *ipse legit et cum catalogo reliquiarum eiusdem monasterii suo libro inseruit. Cetera, rerum gestarum ordine satis neglecto, ex chronici Urspergensis et Ekkehardiana et Burchardiana parte conscripta nec vero ullius sunt momenti ad historiam illustrandam.*

---

[16] Confutatio fabulae de Iohanna papissa cap. 37.

[17] Platina, Vitae pontificum cum adnotationibus Panvinii. 1572. p. 157.

[18] Cremona litterata I, p. 77.

[19] *Henricus huius nominis VI. vel secundum Chronicam Romanorum V. Ipsi namque Henricum I. patrem Ottonis I. non connumerant in Catalogo imperatorum.*

[20] De Heinrici VI. conatu p. 28. Contradixerunt iam Cohn, De rebus inter Heinricum VI. p. 26 et Waitz, Ueber eine Sächsische Kaiserchronik p. 22.

[21] Ex codice saec. XIII. ineuntis edidit Dorlan, Notices historiques sur l'Alsace. Colmar 1843. I, 48–53.

[22] Hos versus omnes dedit etiam Crusius, Annales Suevorum III, p. 12. 15, et iterum tres eorum II, 12. 14, quorum variam lectionem adnotavimus.

De regnis et regibus et gestis temporum multi scripserunt, varia hec descriptione prosequentes. Nam Moyses ab Adam usque ad Noe et a Noe usque ad Abraham duarum etatum tempora secundum successiones generationum in populo Dei describit, nullam[a] usquam de regnis aut regibus faciens mentionem[b], tum quia reges forte non erant, tum quia non de regibus scribere intendebat, sed mirabilia et leges Dei, quae gessit in populo suo enarrare studebat. Huius itaque et aliorum sacrae historiae scriptorum tractatus merito preferunt, qui a Deo inspirati[c] magnalia Dei mirifice inter homines eloquuntur.

Ceterum licet haec quae in lege et prophetis et psalmis scripta sunt ad corroborandam fidem sufficere possint, multi tamen adiecerunt haec, quae a sanctis dicta sunt, principaliter prosequendo, ex libris eciam gentilium[d], de regnorum et regum successionibus aliqua satis eleganter interserendo. Ex his Orosius et Eusebius et alii quam plures libros annales ediderunt. Ex quibus prefatus Eusebius collationes temporum facere conatus est, singulos annos in numeris disponens, in singulis lineis et columnis. A principio disponens quatuor principatus, scilicet Hebreorum, in quibus non reges, sed patriarchae extiterunt. In secunda columna regnum et reges Assiriorum per singulos annos disponit. In tercia columna regnum et reges Sicioniorum per singulos annos ordinat. In quarta columna, quoniam Aegiptii reges non habuerunt, sed quasi in regno potestates illorum, quas illi dinastias apellabant, disponit singulos annos in singulis lineis usque ad 190 annos, per quos a Thebeis per sedecim[e] dinastias regebantur. His regnis postmodum accessit in Europa primum regnum Argivorum, secundum Aegiptiorum, tercium Atheniensium. Haec ideo dictus Eusebius sic disponit, ut ostendat, quotus annus cuiuslibet regni sive regis, quotus sit ad quemlibet annum alterius regni sive alterius regis.

Verum quia prefata scriptura vicio scriptorum omnino est corrupta et multa difficultas et modica videtur inesse utilitas, nos eam omittimus, prosequentes et ponentes tantummodo reges secundum successiones suas; a principio tantummodo in duobus regnis, scilicet Assiriorum et Sicioniorum, quorum utrosque in singulis columnis post alios ponemus, secundum quod simul extitisse videntur, altrinsecus eos ponendo; contemporaneos quoque patriarchas et prefata Aegipti sive alia regna in circulis aliis ponemus, in eisdem spatiis, secundum quod contemporanei fuerunt, singulis annos suos breviter ascribendo. Ex quibus prudens lector dinumeret progressum regnorum et regum et annorum eorundem. De regibus ad reges lineas protrahimus in singulis regnis, quousque ad regnum Romanum in Europa perveniamus. A latere autem sine protractione linearum ponimus patriarchas sive reges vel sacerdotes Iudeorum, aut etiam alia quaedam, quae in libris divinis evidenter descripta sunt et explanata a multis expositoribus.

Narrat Philo in libro quaestionum super Genesim, quod ex tribus filiis Noe, adhuc ipso vivente, nati sunt 124 virorum extra mulieres et parvulos, habentes super se tres duces; filii Cham Nemrot, filii Sem Ietram, filii Iapheth Soffone, a quibus prefata tria regna processisse creduntur.

Primum igitur fuit in Oriente regnum Assiriorum. In Assiria enim prevaluerat dominatus impiae civitatis. Huius caput erat illa Babilon — mors minitaretur pallida, vixque vivi sufficerent ad curanda defungentium cadavera. Ekkeh.

Multis dum sua facta vel dicta placent, aliena displicent: rectius autem erat, ut nobismet ipsis displicentes aliis[f] placere velimus ipsique nobis placeant. Quia vero omnis aetas in malum prona est facilisque descensus Averni[22], rectum contempnitur et quod vitiosum est frequentatur. Ideoque tam scriptores singularum rerum, quam etiam interpretes linguarum sive expositores librorum contra aemulos et detractores et invidos, in principiis operum suorum volentes aliqua describere, plurima commentati sunt. Ceterum ut rudes et imperiti nostrae loquelae simplicitatem de medio usu loquendi procedentem et nullius dulcedinis sive eloquentiae stilum redolentem credimus ab aemulis potius irridendum, quam

---

a) *deest* 1. b) *deest* 1. c) conspirati 1. d) *deest* 1. e) XVIII 1; XVI 3. f) dum aliis 3.

22) Verg. Aen. VI, 126.

livido dente huic detrahendum. Sane super his fiat voluntas Dei expleta. Nos vero, sicut fuerit voluntas in coelo, de nostro proposito explebimus gesta regum maximeque Romani imperii, sicut coepimus et de diversis regnis prioribus ad id perduximus.

In superioribus[a] vero gesta quatuor imperatorum, videlicet Cuonradi, Heinrici III. et Heinrici IIII. et Heinrici V. sub stilo historiographo non sunt conglutinata, sed potius gesta temporum sub singulis annis sunt descripta ideoque series historiae de ipsis imperatoribus difficilius contexitur[b]. Recapitulando igitur de eisdem imperatoribus quaedam retexemus, ut series et narratio nostra melius stilo simplici procedat[c]. Quia vero prefati quatuor imperatores in ecclesia Spirensi usque in presens evidentem habent sepulturam et tumulos de marmore fabricatos et politos, sicut eosdem oculis nostris perspeximus, primum superscriptiones eorundem mausoleorum, sicut meminimus nos ab eisdem descripsisse, annotabimus: videbitur enim paulisper forte discrepare ab his quae prenotata sunt. In quatuor igitur sepulchris prenominatorum imperatorum[d] continetur sermo metrice factus ad mensuram unius versus hexametri, hoc modo incipiens a septentrionali plaga. Super primum sepulchrum continentur duo verba exarata in marmore, haec scilicet: *Filius hic.* In marmore secundi sepulchri exarata sunt haec verba: *Pater hic.* Super marmore quoque tercii sepulchri scriptum est: *Avus hic.* Et in quarto exsculptum est: *Proavus iacet istic.* Sicque perficitur unus versus hexameter. Adiunguntur autem his duo mausolea eiusdem operis marmorei et eiusdem structurae et elevationis, in quibus descriptus est unus versus hexameter a septentrione in austrum, qui in priori tumulo continet haec verba exsculpta: *Hic proavi coniux.* In secundo: *Hic Heinrici senioris.* Dies quoque et annos, quibus prefati imperatores obierunt, annotavimus, sicut ibi annotati continentur, in hunc modum: In primo itaque versus austrum, quod est novissimum in descriptione versus prenotati, sic scriptum reperitur: *Cuonradus II. imperator Romanorum. Anno dominicae incarnationis MXXXIX. Nonas*[23] *Iunii obiit.* In secundo, versus septentrionem[e] sic descriptum erat: *Huius filius Heinricus III, qui dictus est Niger, Romanorum imperator. Anno dominicae incarnationis MLVI. Nonas*[24] *Octobris obiit.* In tercio versus septentrionem rursum scriptum est: *Huius filius Heinricus IV. dictus senior, Romanorum imperator. Anno dominicae incarnationis MCVI. septimo Idus Iunii*[25] *obiit.* In quarto sic scriptum est: *Filius eiusdem Heinricus V. dictus iunior, Romanorum imperator. Anno dominicae incarnationis MCXXV. X. Kalendas Augusti*[26] *obiit.*

Chron. 6, 28. De istorum generatione Otto Frisingensis episcopus, qui de eadem generatione descendit, dicit, quod Cuonradus proavus ex parte patris a Cuonrado Wormaciensium duce, qui in prelio cum Ungaris sub Ottone habito occubuit, prosapiam ducens, ex parte matris a probatissimorum Gallorum principum genere, qui ex antiqua Troianorum stirpe descenderant, et a beato Remigio baptizati fuerant, qui Clodii sive Clodovei multotiens nominabantur, originem duxit: de quibus supra in gestis Francorum satis est dictum. Quod ex eo quoque probatur, quod iidem principes de Wabilingin oriundi dicebantur. Apparet autem usque in presens titulus monumenti iuxta prefatam villam in modum turris, miro opere de quadris et sculptis lapidibus constructus, quod vulgus Baienstein[27] denominat, in quo sculptum litteris reperitur, quod Clodius hoc fecerit uxori suae. Otto Fris. Chr. 6, 28. Prefatus Cuonradus uxorem Giselam nomine de antiquo et glorioso Karulorum sanguine oriundam habuit, sicut quidam his versibus attestantur[f]:

Quando post decimam numeratur linea quarta,
De Karulo magno processit Gisela prudens.

Haec primum Ernusto duci Suevorum, fratri Alberti marchionis Pannoniae nupta fuit, ex eoque filios Ernustum et Hermannum suscepit. Quo mortuo prefatus rex Cuonradus eam accepit uxorem, genuitque ex ea Heinricum eius nominis tercium, qui dictus fuit Niger, ut predictum est. In quo propter maternum genus post multa curricula annorum rediit imperium ad illustrem et gloriosam propaginem Karoli Magni.

Dictus vero Heinricus ex Agnete imperatrice, ut supra descriptum est, genuit rursus

---

[a] itaque 2. [b] Heinrici quinti pro parte sunt descripta 2. [c] de ipsis adhuc aliqua retexenda restant 2. [d] prenom. virorum imp. 2. [e] septentrionalem 1. 2. [f] attestatur 3.

[23] potius 2. Non. [24] potius 3. Non. [25] potius Augusti. [26] potius Iunii. Similia leguntur in codice Ekkehardi Zwifaltensi, quem noster totum descripsit, v. Archiv VII, 503. Sepulcrorum inscriptiones a Mathia episcopo relatas legis ap. Mone Quellensammlung der Badischen Landesgeschichte I, p. 189. [27] Beinstein in praef. Wirtemberg. Waiblingen.

Heinricum, eius nominis quartum, qui dictus fuit senior et a plerisque nuncupabatur Malus, eo quod multa mala terris et principibus propter suam excommunicationem et vitam sceleratam intulerit, de cuius tamen excommunicatione prefatus Otto Frisingensis sic scribit: Chron. 6, 35. Lego et relego Romanorum regum sive imperatorum gesta et nusquam invenio quemquam eorum ante hunc a Romano pontifice excommunicatum vel regno privatum, nisi forte quis pro anathemate habendum ducat, quod Philippus ad breve tempus a Romano episcopo inter poenitentes collocatus et Theodosius a beato Ambrosio propter cruentam caedem a liminibus ecclesiae sequestratus est. Licet prefatus Otto haec scribat, constat tamen ex his, quae superius longe descripta sunt in pluribus locis, quod imperatoribus sive regibus quarundam nationum, vergentibus in multam perversitatem vel nequitiam sive in desidiam, ut inutiles censerentur, multotiens divino iudicio reprobati sunt aliique in locum eorum substituti sunt, quod plerumque nulla accedente auctoritate Romanae ecclesiae factum est, sicut frequenter de imperatoribus aput Constantinopolim positis legitur, ut supra descriptum est. Quandoque etiam accessit autoritas Romani pontificis, sicut in gestis Romanorum pontificum legitur, quod Gregorius III. fecit recedere totam Italiam de potestate Leonis augusti et ipsum excommunicavit et regno privavit, talia quoque alibi plerumque leguntur et nostris temporibus facta fuisse cernuntur. Licet autem Romani pontifices haec sibi asscribant et se fecisse glorientur, nos tamen animadvertimus, haec potius facta fuisse divino iudicio culpis imperatorum exigentibus animisque principum sive gentium ad resistendum se coadunantibus. Quis autem flectit mentes hominum, nisi ille de quo scriptum est: Proverb. 21, 1. *Sicut divisiones aquarum, ita cor regis et corda hominum in manu Dei sunt.* In libro quoque Regum non dicitur, quod Samuel Saulem reprobaverit, sed quod a Deo fuerit reprobatus, et iubente Deo per ministerium Samuelis David fuit inunctus. Exemplis quoque id ipsum adprobatum cernitur. Sub temporibus namque nostris Fridericus primus eius nominis imperator Romanorum ab Hadriano papa et Alexandro aliisque successoribus excommunicatus, ut ipsi asserunt, numquam perdidit imperium. Philippus quoque, filius eiusdem Friderici, post mortem fratris sui Heinrici VI. acquirens sibi imperium sive regnum Romanorum propter excommunicationem Celestini papae III, sicut meminimus factum fuisse sub temporibus nostris, nunquam perdidit illud. Haec omnia in subsequentibus descriptionibus et annotationibus temporum plenius explicabuntur.

Prefatus itaque Heinricus IIII. de uxore sua Bertha nomine duos filios progenuit et unam filiam. Cuonradus quoque filius eiusdem in Italia mortuus est, sicut superiora scripta demonstrant. Heinricus vero eiusdem nominis quintus postmodum factus imperator Romanorum, patri in imperio successit, et sicut a patribus et avis sive proavis quaedam discordia ad eum deducta fuit super institutionibus episcoporum, hanc viriliter tenuit et propter hoc papam Paschalem captivavit. Tandem, sicut in superioribus annotatum est, haec discordia anno dominicae incarnationis 1122. determinata est, sicut superius descriptum est. Prefatus vero Heinricus V. anno dominicae incarnationis 1125. obiit.

Gesta Lotharii.

Anno dominicae incarnationis 1126, ab Urbe condita 1877. Lotharius dux Saxonum, cuius mentio superius facta est, 89. loco ab Augusto regnum accepit regnavitque annos 13. Fridericus dux Suevorum et Cuonradus frater eius, qui ducatum acceperat pertinentem ad Herbipolensem ecclesiam a Heinrico iuniore, sicut supra descriptum est, nepotes fuerunt prefati Heinrici, filii videlicet sororis eius, filia namque Heinrici senioris cuidam Friderico nobili de Stophen matrimonio iuncta fuit, mortuoque Rudolfo duce Suevorum in bello, qui sibi regnum vendicaverat, dictus Heinricus senior ducatum Sueviae prefato Friderico genero suo contulit. Ipseque[b] Fridericus de prefata filia, dicta Agnete, duos filios progenuit, Fridericum videlicet et Chuonradum, quorum Fridericus ducatum Sueviae tenuit, quem a quibusdam audivimus denominari Monoculum; Cuonradus vero ducatum Franconiae, ut predictum est, accepit. Penes hos mortuo avunculo suo, Heinrico iuniore, insignia imperialia remanserunt, ideoque cum quibusdam principibus peregerunt, ut saepe dictus Chuonradus in regnum eligeretur in discordia contra Lotarium, pluribus tamen faventibus Lotario. Isti tamen bellum habuerunt contra Lotarium. Lotarius vero filiam Gerdrudim[b], unicam quam habebat dederat uxorem Heinrico duci Bauwariorum, fratri Welfonis novissimi,

---

a) Ipse quoque 3. b) Gerdrurdim 3.

quem nos vidimus; cuius generationis, quia inclita fuit et nobilissima et Deo semper devota Romanaeque ecclesiae semper assistens et imperatoribus saepe resistens, quia mentio Welfonum superius frequenter facta est, in hoc loco generationem illam latius describamus.

De generatione Welfonum.

Hist. Welf.

In hoc itaque genere, sex Welfones leguntur fuisse, non simul, sed sibi in generatione illa succedentes. Creduntur autem viri illi incliti fuisse de gentibus illis, quae sub Valentiniano imperatore de Scythia erumpentes diversas[a] partes Germaniae occupaverunt et dominatum obtinuerunt. Licet autem eiusdem generis tyranni et nobiles in genealogia precesserint, utpote Warinus et Ruothardus, qui beatum Othmarum in insulam Reni relegarunt, in qua hodie consistit monasterium monachorum, quod vocatur Staine, primus tamen, de quo legitur, eius generis fuit quidam inclitus dictus Ethicho, qui genuit filium nomine Heinricum et filiam nomine Hiltegardam[28], quam Ludewicus imperator duxit in uxorem. Factum est autem, dum prefatus Heinricus moraretur[b] in curia iam dicti imperatoris Ludewici, persuasu ipsius imperatoris et quorundam aliorum ipsi imperatori fecit hominium et subiectionem, et ab eo accepit 4 milia mansuum pro beneficio in superiori Bauwaria. Quod cum pater eius percepisset, existimans, nobilitatem et libertatem suam nimis esse declinatam, valde consternatus est animo et dolorem suum exponens amicis suis faciem filii amplius videre noluit. Ipse vero Heinricus patri suo, prout decuit, reverentiam in omnibus exhibuit et necessaria abundanter largiri fecit ei residenti in villa, quae dicitur Amergou, ubi etiam cellam monachorum construxit, quam post mortem patris saepe dictus Heinricus transtulit in locum, qui dicitur Altenmunster a nomine sancti Altonis ibi quiescentis. Idem vero Heinricus uxorem duxit de Bavaria, Beatam nomine, ex qua tres filios progenuit, videlicet sanctum Kuonradum, qui postmodum Constantiensis ecclesiae episcopus fuit et eam multis prediis suae proprietatis ampliavit, et Ethichonem, qui legitimo matrimonio carens ex quadam de ministerialibus suis unam filiam progenuit. Tercium quoque filium, videlicet Ruodolfum, habuit saepe dictus Heinricus, qui Ruodolfus accepit uxorem de Ouningin, Itam[c] nomine. cuius pater Cuono nobilissimus comes fuit, mater eius extitit filia Ottonis magni imperatoris, Richilint nomine. Dictus itaque Ruodolfus de prefata Ita uxore sua duos filios progenuit, videlicet Welfonem, qui primus hoc nomen accepit, et Heinricum, qui aput villam Luonun in venatione saxo percussus[d] interiit. Genuit et filiam Richardam nomine, quae postmodum moriens in monasterio Ebersberc sepulta est. Maritus namque eius, ditissimus comes Bauwariorum, cum non haberet heredem, tres abbatias construxit, videlicet Ebersberc, Gisenvelt et Chuobach. Welf vero, filius prefati Rudolfi, duxit uxorem de gente Salica, de castro Glizberc, Imizam nomine. Hic est ille Welfo comes, qui aliquando imperatori Chuonrado secundo, auxiliante sibi duce Ernusto, rebellavit. Augustensem quoque episcopatum et Frisingensem in prelio, quod habebat cum Brunone Augustensi episcopo, attrivit et plurimum comminuit, pro qua re tamen in fine satisfecit et villas plurimas eisdem episcopatibus tribuit in tantum, quod iudicio frigidae aquae innocentiam suam probavit. Hic de prefata uxore sua Imiza genuit filium, cui nomen suum imposuit Welf, genuit et filiam Chunzam nomine, quam Azzoni ditissimo marchioni Italiae dedit in uxorem, in dote quoque dedit eidem curiam nobilissimam, quam habebat in Italia, Elsinam nomine, quam et ipse ab uxore sua in dotem acceperat. Cuius curiae mille et centum mansus sunt, uno vallo comprehensi. Huius filius Welfonis secundi Welfo tercius, vir per omnia probatus, ducatum Carinthiorum et marchiam Veronensem acquisivit et strennue rexit. Dicitur de eo quod contemptum exhibuerit Heinrico imperatori III, eo quod, cum idem imperator convocasset exercitum suum in Lombardiam aput locum qui vocatur Runggalle, iste tercius Welfo cum armatis militibus suis, quos adduxerat, contra voluntatem imperatoris recessit ab eo et neque minis neque promissionibus potuit detineri ab eo, quod ideo factum est, quia prefatum imperatorem expectaverat in eodem loco per triduum ultra statutum tempus et neque nuncium neque litteras suas acceperat, quibus absentiam suam excusaret. Alio quoque tempore prefatum imperatorem verbis suis coegit, ut Veronensibus remitteret mille marcas, quas ab eis contra iustitiam extorquere voluit. Iste Welfo III. immatura morte preventus sine herede decessit et omnes possessiones suas ecclesiis distribui mandavit. Sane mater eiusdem hanc distributionem fieri non permisit, sed potius de Italia revocavit filium prefati Azzonis, nepotem suum Welfonem quartum, eumque haeredem omnium possessionum eiusdem generis instituit.

Hic est ille Welf quartus, qui primum ducatum Bauwariorum adeptus est et multa magnifica peregit. Temporibus quippe Heinrici imperatoris IIII. hic extitit et bona fide ei adhaesit, donec idem imperator multis facinoribus reus habitus sedi apostolicae se opposuit et in mortem prefati Welfonis, ut dicitur, quaedam machinatus fuit; extunc recessit ab eo et cum aliis principibus Saxoniae et Sueviae eum inpugnavit. Hic etiam propter scisma, quod eisdem temporibus extitit, Sifridum Augustensem episcopum scismaticum captivavit et comprehensum in vincula iecit et in castro suo Ravensburc multo tempore cathenatum[e] conservavit. Civitates quoque Augustensem et Frisingensem destruxit. Accepit autem reginam Angliae tunc viduam, filiam scilicet Balduwini nobilissimi comitis Flandriae, Iuditham in uxorem. Ex qua duos filios, Welfonem scilicet et Heinricum, quorum uterque ducatum Bawariae, alter post alterum, possederat, progenuit. Hic est ille, qui primus eo, quod fautoribus suis in tot commotionibus bellorum predia sua distribuendo paternos redditus comminuit, manus suas episcopis et abbatibus prebuit et beneficia non modica ab eis recepit. Omnes possessiones Luitoldi comitis, quas in partibus istis habuit, preter illas, quas in Zwiviltun sanctae Mariae contradidit, cum duobus castris Achalmen et Vulvelingen ipso donante possedit, patrimonium quoque comitis Ottonis de Buochorn eo vivente et bona voluntate tradente recepit et obtinuit. Denique cum ad senilem aetatem pervenisset et Raitinbuochensem ecclesiam construere coepisset et satis copiose ditasset, Altorfense quoque monasterium prediis, decimis et mancipiis nec non et ecclesiasticis ornamentis abundantissime ditasset, alias etiam ecclesias ad se pertinentes aliquo modo meliorasset, volens Deo de excessibus suis difficiliorem satisfactionem exhibere Hierosolymitanum iter arripuit. Quod in maximis

---

a) per div. 1. b) moreretur 1. 3. c) Itham 3. d) perc. *deest* 1. e) cathenarum *codd.*

[28] potius Iuditham, quae fuit Welfonis filia, Ethichonis soror.

persecutionibus et periculis Ungariam et Graeciam transiens persolvit. Sepulchrum enim Domini et alia sancta loca omnibus suis pene amissis visitavit, deinde ad reversionem se parans Cyprum adiit, ubi de hac vita decedens sepultus est. Ossa tamen eius postea inde sublata ad Altorfense monasterium translata et reposita sunt. Socii autem peregrinationis et laborum eius vel interfecti, vel vivi Sarracenis, machinante perfidissimo Alexio imperatore, traditi sunt. Inter quos Thiemo Iuvaviensis archiepiscopus comprehensus et regi Mempheorum presentatus ad idololatriam angariatur. Ille fanum ingressus, animi et corporis viribus robustissimus, idola, quae adorare debuit, non deos, sed opera manuum ostendens, in frusta comminuit. Ob hoc productus exquisitisque suppliciis affectus martirio coronatus est. Itham marchionissam, matrem Liupoldi[a] marchionis Orientalis, quae similiter in eodem comitatu fuit, unus de principibus Sarracenorum rapuit et impurissimo matrimonio sibi copulavit ex eaque Sanguinum illum sceleratissimum progenuit.

Igitur Welfo V. eius nominis, senior inter filios prefati Welfonis, mortuo patre accepit ducatum Bawariorum, et tam curiae suae largitate et honestate, quam finitimarum gentium maximeque Italiae bellis et honestatibus multa magnifice peregit. Accepit autem Mathildam nobilissimi ac ditissimi Italici marchionis Bonifacii filiam in uxorem, foeminam virilis animi, quae ad instar fortissimi principis totam terram illam dominio suo subiugavit. Quam tamen postea, nescio quo interveniente divortio, repudiavit. Denique omnibus bene compositis morbo correptus in villa Chufringin diem clausit extremum et in Altorf deportatus, iuxta patrem et matrem sepultus est.

Heinricus frater eius ducatum et omnia quae illius erant obtinuit et potenter ditioni suae subiugavit. Accepit autem uxorem de Saxonia, filiam Maginonis ducis et Sophiae, sororis regis Ungariae Colomanni, Vulfhildem nomine. Ex qua preter illos quos infra annos sinus coelestis patriae suscepit, tres filios, Cuonradum, Heinricum, Welfonem, et quatuor filias, Iuditham, Sophiam, Mathildam, Vulfhildam progenuit. Iuditha nupsit Friderico Suevorum duci, quae Fridericum, imperatorem nostrum, et uxorem Mathaei ducis Lotharingiae progenuit. Sophiam Bertholdus dux de Zaringin et eo mortuo Liupoldus marchio de Stira in uxorem accepit. Mathildis primo Diepoldo filio Tiepoldi marchionis de Voheburch, postea eo mortuo Gebehardo de Sulzebach copulata est. Vulfhildim Ruodolfus Bregantinus comes duxit. Cuonradus in clericum ordinatus, cum sub puerilibus annis domi litterarum studiis informaretur, tempore maturo Coloniensi archiepiscopo altiori studio et disciplina claustrali educandus committitur, ubi in utroque tantum profecit, sed et aliis virtutibus vitia declinans tantum exornavit, ut ab omni et clero et populo amaretur, ab omnibus summo honore dignus iudicaretur. Ipse vero honores, divitias, laudem humanam fugiens quibusdam se monachis sociavit, cum quibus, omnibus suis ignorantibus Clarevallense monasterium adiit ibique se monachum fecit. Deinde procedente tempore Ierosolimam petiit, ubi cuidam servo Dei in heremo manente adhaesit eique cum omni humilitate necessaria administravit. Tandem sentiens, se quadam infirmitate tactum, de reversione cogitavit et ingressus navem Baram civitatem sancti Nicolai pervenit, ubi beato fine diem ultimum clausit honorificeque sepultus ibidem requiescit. Circa idem tempus pater quoque eius et mater, pater in castro Ravensburch, mater in Altorf 16. die post mortem mariti, obierunt et in monasterio sancti Martini sepulti sunt.

Heinricus vero defuncto patre ducatum eius adeptus est. Hic est Heinricus ille, de quo supra dictum est, frater Welfonis novissimi, qui filiam Lotharii accepit uxorem et nuptias cum ea apud Augustam civitatem convocatis fere omnibus principibus magnifice celebravit in loco, qui dicitur Conciolegum. Quo facto venit ad imperatorem Lotharium socerum suum apud civitatem Nurenberc et ibi ducatum Saxoniae et omnia beneficia, quae imperator ab episcopis et abbatibus habuit, in beneficio suscepit et ibidem pollicetur eidem imperatori auxilium contra prefatum Fridericum et Cuonradum fratrem eius. Licet autem in Bauwaria haberet bellum contra quendam nobilem Fridericum, Ratisponensis ecclesiae advocatum, cuius etiam castrum fortissimum Falchenstein obsidione cinxit, relictis tamen in obsidione militibus festinavit socero suo venire in auxilium. Imperator quippe Lotharius eo tempore obsederat Spiram civitatem, eo quod civitas illa faveret Friderico et Cuonrado ducibus; ad cuius auxilium adduxit milites 600 aut amplius, quos tamen ultra Renum apud se prope collocavit, ut impetus et irruptiones Fridericus ducis precaveret. Fridericus tamen dux utpote vir armis strennuus quadam nocte in castra ipsius irruit. Sane Heinricus premonitus fuerat, armis et equitaturis instructus, ad fugam illum compulit et ita fugientem illum usque Gruoningin insequitur. Deinde mediante Mogontino archiepiscopo Spirenses in gratiam imperatoris redeunt. Castrum quoque supradictum Falchenstein a duce Heinrico in Bauwariam regresso capitur. Non multo post Fridericus dux, memor pristinae iniuriae, Altorf et Ravenspurg armata manu invasit, ubi quosdam captivavit et villas circunquaque et Memingin incendio vastavit. Sequenti vero aestate Heinricus dux cum exercitu copioso fines Friderici ducis ingressus, a villa Tuogendorf, quae est in ripa Danubii[b], incipiens et ultra Stouphen perveniens, omnia circunquaque in transitu et in reditu incendio et preda devastat.

Post haec rediens in Bauwariam bella plurima peregit, videlicet contra episcopum Ratisponensem, Heinricum nomine, unum de nobilissimis Bawariae, patruum Ottonis comitis de Wolfratehusen, et contra supradictum Fridericum advocatum Ratisponensem et dictum Ottonem de Wolfratehusen. Hi quoque in auxilium suum habuerunt Liupoldum marchionem Orientalem, qui omnes congregato copioso exercitu castra iuxta Isaram fluvium posuerunt, ut attentarent ducem de finibus illis expellere. Caeterum dux acies suas ordinavit econtra, cumque pugnam inire debuissent, Otto palatinus de Witilinsbac, considerans periculum utriusque partis, mediatorem se interposuit et sive minis sive promissionibus saepe dictum Fridericum advocatum, consobrinum suum, et Ottonem comitem, generum suum, ad hoc induxit, ut in potestatem ducis se traderent et castrum Wolfratehusen, quod milites ducis dudum obsederant. Dux itaque ipsum Ottonem comitem custodiae militum deputatum abduxit et castrum cum aedificiis incendit. Postmodum quoque episcopus Ratisponensis in gratiam ducis rediit et comitatum, quem habet episcopatus Ratisponensis circa Enum fluvium, ei in beneficio concessit. Sicque factum est, ut bella quiescerent in Bauwaria. Lotharius quoque imperator eo modo confortatus est in imperio, nam et supradictus Cuonradus qui ei adversabatur in imperio, a facie eius ierat in Italiam, ut adversitates sibi suscitaret ibidem. Sane interventu beati Bernhardi abbatis Clarevallensis dicti duces Cuonradus et Fridericus in gratiam imperatoris recepti sunt in generali curia Babenberc habita, sicque pax firmata est.

Eo quoque tempore sedes apostolica malis non caruit: nam Petrus Leonis contra Innocentium papam secundum se erexerat, ideoque Innocentius de civitate egressus in Francia et partibus Galliae plerunque demorabatur, habens in comitatu suo prefatum Bernhardum, sicut legitur in Vita eiusdem abbatis. Eo quoque tempore ipse papa adiit Vita Bernh.
imperatorem Lotharium apud Leodium, petens ab ipso favorem et auxilium contra predictum Petrum et suos fautores.

---

a) *correxi ex* Luipold. *semper*. b) Tonubii 1.

Sane imperator usus consilio super huiusmodi responso coepit a papa repetere investituras episcoporum, quas multo tempore imperatores ante se habuerunt. Ideoque apostolicus non modicum est turbatus et de adventu suo est contristatus, de reditu quoque anxius effectus, nam petitionem principis exaudire non poterat super tali articulo, pro quo ecclesia tot mala sustinuerat. Interveniente tamen consilio et orationibus beati Bernhardi securus recessit ab imperatore.

Hist. Welf. Post haec imperator movit expeditionem in Italiam iam secunda vice, in qua expeditione prefatus Heinricus dux mille quingentos milites duxit in Italiam et cum imperatore in citeriore Italia Gardam et Garistallum castra cepit, quae etiam in beneficio suscepit. Eo tempore Mediolanenses et Cremonenses diuturnum bellum inter se habentes causam werrae coram imperatore exponunt. Cremonenses vero a principibus Italiae tamquam habentes iniustam causam hostes iudicantur proscriptique discedunt, quos ipse imperator subsecutus territoria eorum ac villas seu castella destruxit indeque Papiam veniens cives illos pactione pecuniae in gratiam suscepit, ubi et Otto comes de Wolfratehusen vita privatus occubuit. Bononienses quoque et Aemilienses supplices duce interveniente recepit. Post usque ad Taurinum progrediens totam citeriorem Italiam sine ferro subegit. Inde Apenninum transiens imperator Anconam Spoletum cum aliis urbibus seu castellis ulterioris Italiae in deditionem accepit. Deinde contra Rogerium aciem dirigens Campaniam et Apuliam peragravit. Porro Heinricus per Tusciam exercitum duxit, quam et ab imperatore in beneficio obtinuit, Romamque veniens summo pontifici Innocentio usque ad imperatorem conductum prebuit. Suburbia Albae civitatis sibi resistere nitentis expugnavit ac destruxit. Beneventum cepit ac papae restituit. Imperatori non longe a Barra cum summo pontifice obviam venit ibique castrum quoddam, ubi presidia Rogerii fuerant, artificiose valde expugnavit militesque in eo repertos et precipue Sarracenos patibulo suspendit. Post eiecto de Campania et Apulia Rogerio, Reginaldo vero viro forti ac nobili ducatu Apuliae commisso, de reditu disponunt. Igitur de Italia per Tridentinam vallem redeuntes, imperator morbo correptus in silva, quae est inter Enum et Licum sub vilissima casa 13. regni sui anno obiit ac inde per Augustam et orientalem Franciam in Saxoniam deportatus in monasterio suo Luther honorifice sepelitur.

Huius Lotharii quidam scriptor mores his verbis describit: Erat, inquit, vir ille strennuus belli ductor, precipuus in armis, providus in consilio, terribilis inimicis Dei et sanctae ecclesiae, veritatis amicus, iustitiae socius, iniustitiae inimicus, cuius probitas patuit in Sicilia, viguit et in Saxonia, qui quamdiu vixit, totum Romanum imperium, quod eius custodiae deputatum fuerat, titubare non potuit. Hic expulso Petro Leonis Innocentium papam manu forti invitis hostibus et adversariis in sede sancta restituit, ab eo quoque restituto consecrationem imperialem accepit.

Huius temporibus magister Gratianus canones et decreta, quae variis libris erant dispersa, in unum opus compilavit adiungensque eis interdum auctoritates sanctorum patrum secundum convenientes sententias opus suum satis rationabiliter distinxit. Eisdem quoque temporibus dominus Wernerius libros legum, qui dudum neglecti fuerant nec quisquam in eis studuerat, ad petitionem Mathildae comitissae renovavit et secundum quod olim a divae recordationis imperatore Iustiniano compilati fuerant, paucis forte verbis alicubi interpositis, eos distinxit. In quibus continentur instituta prefati imperatoris, quasi principium et introductio iuris civilis; edicta quoque pretorum et aedilium curulium, quae rationem et firmitatem prestant iuri civili, haec in libro Pandectarum, videlicet in Digestis continentur; additur quoque his liber Codicis, in quo imperatorum statuta describuntur; quartus quoque liber est Autenticorum, quem prefatus Iustinianus ad suppletionem et correctionem legum imperialium superaddidit.

Claruerunt etiam illis temporibus viri venerabiles sanctus Bernhardus Clarevallensis abbas, qui in multa facundia postmodum librum ad Eugenium papam conscripsit et contra Petrum Baiolardum haereticum firma disputatione contendit. Beatus quoque Norbertus, institutor Premonstratensis ordinis, in ecclesia Magdeburgensi, quam Parthenopolim vocant, archiepiscopus extitit. Ipse cum imperatore in expeditione Romam ivit indeque reversus infirmitate correptus brevi tempore post cursum presentis vitae complevit.

Anni Lotharii.

1125. Anno Domini 1126. Lotharius electus rex est. Maxima quoque inundatio aquarum facta est circa Romam in festivitate sancti Eleutherii.

Anno Domini 1127. Cuonradus insurgit contra Lotharium.

Anno Domini 1128. Cuonradus in Italiam fugit.

Anno Domini 1129.

Anno Domini 1130. Honorius papa secundus obiit, cui Innocentius II. per electionem canonicam successit, sed propter intrusionem Petri Leonis, cui favebat multitudo Romanorum, sedem suam obtinere non potuit ideoque in Franciam se contulit, ubi concilio Remis habito cum multis episcopis prefatum Leonem et suos fautores excommunicavit, sicque in partibus Germaniae usque ad septimum annum permansit. Sedit autem annos 13, menses 7. Sub isto papa vigere et crescere coeperunt ordines Cisterciensis et Premonstratensis.

Anno Domini 1131.

Anno Domini 1132. Augusta combusta est.

Anno Domini 1133. eclipsis solis facta est.

Anno Domini 1134. Norbertus archiepiscopus obiit.

Anno Domini 1135. Huch abbas Premonstratensis primus post Norbertum hoc anno accepit privilegium ab Innocentio II. papa. Hoc etiam anno Urspergensis ecclesia, quae iam decem annis fundata constiterat, accepit privilegium ab eodem papa.

Anno Domini 1136. Lotharius ivit in Apuliam, in qua expeditione Heinricus dux frater Welfonis duxit mille quingentos milites. Ann. Weing. 1135.

Eodem anno Heinricus, filius eiusdem ducis, pater Ottonis, postmodum per breve tempus regnantis, in pentecoste baptizatus est.

Anno Domini 1137. Innocentius papa restitutus est in sede sua.

Anno Domini 1138. Lotharius rex obiit in autumno sine filiis. Dux vero Heinricus, in cuius finibus obierat, regalia reservavit, ut in generali conventu principum, qui in proxima pentecoste Mogonciae condictus fuerat, presentaret. Quidam autem ex principibus timentes, ne forte in generali curia Heinricus dux, qui tunc precipui et nominis et dignitatis in regno fuit, per potentiam prevaleret, circa mediam quadragesimam consilio habito in opido Reni Confluentia conventum celebrant ibique Cuonradum, fratrem Friderici de quo supra diximus, presente Theodewino episcopo cardinali regem creant. 1137. Hist. Welf.

Historia Cuonradi regis.

Anno Domini 1139, ab Urbe condita 1891. Cuonradus prefatus 90. loco ab Augusto regnum accepit regnavitque annis 14. Huic primum Saxones et dux Heinricus aliique, qui eius electioni non interfuerunt, resistunt calumniantes, eum non legitime, sed per surreptionem electum fuisse. Quibus omnibus in proxima pentecoste generalis curia Babenberc indicitur. Quo Saxones omnes simul cum viduata imperatrice Richinza venientes ultro se Cuonrado regi subdidere. Heinricus dux regalia servans aberat, ad quae reddenda in festum apostolorum Petri et Pauli dies ei Ratisponae prefigitur. Quo veniens regalia quidem multis illectus promissis reddidit, sed ad ea, quae ulterius inter eos tractanda erant, dies ei in brevi post Augustae prescribitur. Quo ex condicto assumptis fidelibus suis et milite non modico venit ac super Licum ex opposito civitatis, rege civitatem tenente, castra posuit. Internuncii autem ac mediatores ad hanc causam prenominati per triduum huc ac illuc saepius transmeantes nichil profecerunt: rex enim non aliter compositionem fieri voluit, nisi dux quaedam de his, quae a Lothario imperatore susceperat ac possederat, resignaret. Quod cum dux renuisset ac se potius dubiae sorti supponi elegisset, colloquium infecto pacis negocio dissolutum est. Rex ergo metuens aliquid in se machinari, dum peracta coena cubitum se ire simularet, adductis clam equitaturis cum paucis civitatem, nulli de principibus valedicens, exivit ac militem suum reliquum in magno discrimine relinquens Herbipolim pervenit, ubi iudicio quorundam principum dux proscribitur, ac in proxima nativitate Domini in palatio Goslariensi[29] ducatus ei abiudicatur. Dux quoque in subsequenti die post egressum regis de Augusta, suis prout poterat prope dispositis, non multis comitatus in Saxoniam properat. At rex ducatum Saxoniae Alberto marchioni consobrino eiusdem ducis, Noricum vero post in Bavariam veniens Liupoldo, filio Liupoldi marchionis, fratri suo ex parte matris, tradidit. ibid.

Heinricus ergo dux Saxoniam ingressus, cum casum et miserias suas fidelibus et amicis suis exponeret, ad rebellandum eos imperatori et Alberto excitavit. Unde in brevi eundem Albertum auxilio eorum necnon et suorum, qui de Bavaria et Suevia occulte eum insecuti sub specie peregrinationis terram intraverant, adeo humiliavit, ut castris eius dirutis, terris circunquaque vastatis, ad regem auxilii gratia ire compelleret. Interea Liupoldus marchio, suscepto a rege ducatu Norico, omnibus pene baronibus ad ducatum pertinentibus amore seu terrore ad se confluentibus, primo Ratisponam ditioni suae subdit, post collecto milite superiores partes Bawariae usque ad Licum pertransiens amissis aliquot de suis festinanter revertitur. Non multo post Heinricus dux, dum in Saxonia omnibus suis rite dispositis in Bavariam redire disposuisset, morbo correptus diem clausit extremum ac in monasterio Luther iuxta socerum humatur. Quo mortuo Saxones amore filii sui parvuli, quem eis adhuc vivens commendaverat, regi denuo rebellant. Liupoldus vero ducatum Noricum ex hinc se potenter habere confidens, dum in obsidione castri Valeia duorum fratrum, qui in parte ducis Heinrici steterant, incaute moraretur, Welfo, ducis eiusdem frater, collecto milite superveniens fortissime pugnando, caesis ex utraque parte pluribus, multis captis, Liupoldum ignominiose fugere coegit. Ipse enim Welfo, prefatum ducatum iure haereditatis ad se spectare proclamans, dum iustitiam apud regem impetrare non posset, ad rebellionem se parat. Ob hoc rex circa idem tempus castrum eius Winesberc obsedit. Quem Welfo collecto milite in proxima hebdomata nativitatis Domini, dum incaute pugna aggredi attentat, amissis aliquot, multis captis, cum paucis fugit e prelio.

Non multo post Liupoldus moritur eique in marchiam frater suus Heinricus successit. Cui rex Saxoniam ingressus pacemque cum Saxonibus faciens, viduam Heinrici ducis in uxorem dedit eique ducatum Noricum concessit. Quae res maximae discordiae seminarium fuit. Welfo enim, ut dictum est, eundem ducatum impetens, extemplo armata manu sub oculis eiusdem Heinrici partes illas ingreditur cunctisque circunquaque vastatis regreditur. Ob hoc Heinricus ille inflammatus, coadunato milite fines illorum, qui Welfonis fautores erant, ingressus, munitiones illorum et villas destruxit. Cui dum Welfo restaurato milite occurrere parat, audito quod rex superventurus esset, cessit. Porro Heinricus ille simul cum rege castrum Tachowe, scilicet comitis Cuonradi, qui ex parte Welfonis erat, obsidione claudit vastatisque in circuitu universis adiutorio regis ad deditionem coegit ac igne succendit. Sic tota illa provincia in maximo bellorum discrimine laborabat.

Interea Rogerius rex Siciliae audiens huiusmodi conflictationes inter Welfonem et regem, timens ne forte cessante verra Cuonradus rex quandoque Italiam intraret ac eadem, quae a Lothario, ab eo quoque perpessurus esset, Welfonem adversus eundem muneribus illectum incitat singulisque annis mille marcas se ob hoc daturum iuramento confirmat.

---

29) *ac — Goslariensi* verba Ottonis Frising., quae Weingartensis industria omisit, Urspergensis rursus recepit.

Item quoque rex Ungariae eundem Cuonradum metuens, Welfonem ad se accersivit dataque pecunia non modica ac deinceps omni anno dandam pollicens ad rebellandum nichilominus instigat. Welfo itaque strennui militis exercens officium, modo in Bawaria, modo in Transalpinis partibus Sueviae, modo circa Renum tot tempestates bellorum movit, ut regem potius ad defensionem sui, quam ad exterarum nationum invasiones excitaret.

Circa has tempestates gens Francorum cum rege suo Ludevico, gens quoque Teutonicorum cum rege suo Cuonrado ac aliis principibus, Friderico duce Sueviae postea imperatore, episcopis, comitibus seu aliis cuiuscunque conditionis hominibus pro[a] querimonia transmarinae ecclesiae Ierosolimitanum iter aggrediuntur. Quod et Welfo ducem, licet nondum sedata verra, ire compulit. Bernhardus namque supra nominatus Clarevallensis abbas et alii viri religiosi ad predicationem eiusdem itineris firmiter insistebant. Egressi itaque anno dominicae incarnationis 1147. per Ungariam et Graeciam innumerabilem exercitum ducunt. Qui totus pene, exceptis principibus seu aliis plus cautis, vel inedia vel aeris intemperantia vel ciborum insolentia vel Sarracenorum invasione infecto negocio interierunt. In hoc ergo laborioso itinere Cuonradus rex commilitoni suo Welfoni, sic enim eum nominare solebat, saepissime in necessitate subveniebat ac de omnibus, quae a regio fisco Constantinopolitani imperatoris sibi afferebantur, partem illi tradebat. Denique Ierosolimam venientes, cum alii procinctum sub rege Cuonrado contra Damascum moverent, Welfo infirmitate captus ac in desperatione positus ad reversionem se parat. Transito igitur mari convalescens Siciliam attingit, ubi Rogerius eum cum magno domus suae tripudio suscipiens ac honorifice dimittens iterum ad rebellandum regi maximis muneribus illectum incitat. Igitur reversus in proxima hieme circa purificationem sanctae Mariae collecto milite fines regis invadit ac castrum eius Flochberc forti impugnatione sollicitans, dum in reversione militem nimis diffuse et incaute duceret, a militibus regis circumventus ac congressione inita cum paucis, aliis circunquaque diffusis, plus ex infortunio quam ex instantia belli milites Welfonis fugam arripiunt, plurimisque captis, nullo occiso, ignominiose revertuntur. Ac sic werra diu anxie inter ipsum et regem agitata finita est. Nam Fridericus, qui postmodum fuit imperator, fratruelis regis et filius sororis predicti Welfi, medium se ad compositionem faciendam interposuit captivosque duci reddi ac regem de caetero securum penes illum esse, provida deliberatione confirmavit. Rex ergo accepto consilio Welfoni aliquos redditus de fisco regni cum villa Merdingen concessit, ac sic firmata pace ipse rex, relicto filio parvulo Friderico, in brevi post vita decessit ac in monasterio Loracensi[30] est sepultus et Friderico fratueli suo sedem regni reliquit, statuens cum eodem, ut filio suo, cum ad annos perveniret, ducatum Sueviae concederet.

Anni Cuonradi.

Anno Domini 1139, qui est primus Cuonradi regis, Innocentius papa facta plenarie Otto Fris. Chron. 7,23. synodo, ut quidam dicunt fere mille episcoporum, mediante quadragesima totam partem Leonis condemnavit cum ordinatione illius. — Eodem anno idem papa perrexit contra Rogerium Siculum, ducem Apuliae, cum exercitu Romanorum, sed cum suis, preter quos fuga cepit, captus est ab Hist. Welf. eo mense Iulio, die 24. Eodem anno Heinricus dux in Saxonia moritur et in Luther sepelitur.

Ann. Weing. Anno Domini 1140. Dedo Reatinus episcopus effectus est. Eodem anno Welfo dux Liupoldum ducem Bawariae in Idibus Augusti pugna iuxta castrum Valeium aggressus vicit. Ipse vero in eodem anno in festo sancti Thomae a rege Cuonrado apud Winsberc devictus est.

Anno Domini 1141.

Anno Domini 1142. Reate maxima mortalitas fuit.

Eodem[b] anno fundata est ecclesia Novae cellae Frisingae a domno Ottone eiusdem urbis episcopo, quondam canonico Brandenburgensi Premonstratensis ordinis[b].

Anno Domini 1143. Innocentius papa obiit, cui Celestinus II. successit, genere Tuscus, sedit menses 5, dies 13.

Anno Domini 1144. Celestinus papa obiit, cui Lucius II. successit; sedit menses 5, dies 12.

Otto Fris. Chron 7,30. Anno Domini 1145. incipiente, in ipsa sacrosanctae nativitatis Christi solennitate lugubre et miserabile ex peccato christiani populi accidit in Oriente piaculum. Sanguinus enim, Halapensis Syriae ac Mesopotamiae, excepta Antiochia et Damasco, princeps, Persarum vero et Medorum regis seu soltani subditus, Edissam, quae nunc Rohas dicitur, unicum Ierosolimitanae ecclesiae pro magnitudine ac abundantia sui refugium cum infinita Sarracenorum multitudine circundedit ac in ipsa, ut dixi, nativitate Domini irrupit, cunctis ibidem cum urbe christianis in ore gladii occisis vel miserabili captivitate in servitutem redactis, ecclesias Christi et precipue beatae Mariae semper virginis basilicam et eam, in qua Thomae apostoli corpus reconditum est, ad Salvatoris nostri ignominiam intro ferens ea, quae non licebat, foede polluit nostrisque penitus exterminatis, Sarracenos ibi ad habitandum collocavit. Eodem anno Lucius papa obiit, cui Eugenius III. natione Pisanus successit, sedit annos 8, menses 4, dies 21.

Anno Domini 1146.

Anno Domini 1147. expeditio magna facta est Ierosolimam, in qua, ut predictum est, Cuonradus rex et rex Francorum Ludewicus et Welfo et Fridericus tunc dux Suevorum, qui postmodum factus est imperator, cum multis aliis iverunt.

Anno Domini 1148.

Anno Domini 1149.

---

[a] *ita Weingart.*, que 3. [b] Eodem — ordinis *supplevi ex* 1.

30) Errat noster; Conradus in ecclesia Babenbergensi sepultus est. Cf. Ottonem Frising. de gestis Frider. I, 63.

Anno Domini 1150. 4. Nonas Septembris Reatina civitas post longam obsidionem a Rogerio rege Siciliae est destructa.

Anno Domini 1151.

Anno Domini 1152. Cuonradus rex obiit.

Historia Friderici imperatoris.

Anno Domini 1152, ab Urbe condita 1905. Fridericus, huius nominis primus, 91. loco ab Augusto regnum accepit, magis ex delegatione patrui sui, quam ex electione principum. Erat enim[a] vir armis strennuus, acer animo, exercitatus in bellis, corpore robustus, in consiliis providus, in negociis peragendis virilis, affabilis mansuetis, superbis resistens, ingenio subtilis, memoria excellentissimus, quorumcunque enim hominum vultus vel personas semel agnoscebat, etiam post multa interstitia temporum, si ad eum rursus veniebant, citissime eos nominatim salutavit, ac si cottidie cum eo morati fuissent. Erat quoque statura mediocris, magis tamen longa quam brevi, pectore plenus et, ut dictum est, corpore robustus, facie satis eleganti, barba et capillo rufo. Huic imperium cessit, eo quod prefatus Welf, avunculus eius, et alii principes Alamannie proxima linea consanguinitatis eum attingerent. Et ideo, quod cum ex[b] nominis sui interpretatione pacis dives vocitaretur, inter principes Alamannie studuit pacem potissimum reformare, ut ad expugnandas maxime Italicarum gentium virtutes bellicas[c] posset efficacius insistere. Regnavit autem annis quadraginta parum minus.

Hic in tribus annis primis pacem reformavit inter principes Alamannie, quae valde turbata fuerat propter ducatum Bawarie et Saxonie, sicut supra descriptum est[d]. Fuit autem Heinricus iunior de Saxonia, fratruelis Welfonis, filius avunculi sui, Heinricus vero de Astria, frater Liupoldi, de quibus supra dictum est[e], filius patrui sui. Avia quippe ipsius, cuius mentionem supra fecimus[f], cum in Suevia genuisset duos filios, Cuonradum videlicet regem et Fridericum ducem, mortuo marito nupsit Liupoldo marchioni Astrie et Stire, ex quo tres filios sive quatuor, ut quidam dicunt, suscepit, videlicet Liupoldum, qui primus iniit certamen pro ducatu Norico, sed hic inmatura morte preventus est et fratri suo Heinrico idem certamen reliquit. Genuit quoque Cuonradum, qui postmodum fuit archiepiscopus Iuvavie, quam vocant Salzburch, et Ottonem, qui fuit episcopus Frisingensis, qui et chronicam conscripsit et usque ad tempora huius Friderici perfecit.

1156. Sept. Mediante igitur imperatore compositio super ducatu Norico facta est hoc modo, ut Heinricus de Saxonia ducatum Bawariae reciperet, quem et pater et avus suus habuerant, Heinricus vero de Astria, cum ante susceptum ducatum esset tantum marchio, modo dux efficeretur: quae beneficia saepe dictus imperator concessit utrisque, sicque terminata est haec discordia, quae precipua erat in Alamannia.

Hist. Welf. Welfoni quoque avunculo suo, ut eius favorem plene obtineret, contulit beneficium marchiam Tusciae, ducatum Spoleti, principatum Sardiniae et totam terram Mahthildis comitissae.

Habebat autem dictus imperator fratrem Cuonradum nomine ex parte patris. Nam pater ipsius, mortua Iuditta matre ipsius imperatoris, duxit aliam uxorem de genere comitum illorum, qui dicebantur de Zwainbrug et de Sarbrug, ex qua genuit prefatum Cuonradum et filiam quandam, quam duxit in uxorem lantgravius de Thuringia, et ex ea genuit illum lantgravium, qui postmodum proximae consanguinitatis immemor Philippo regi rebellavit. Imperator itaque predictum Cuonradum fratrem suum palatinum Reni effecit.

Haec ideo aliquantulum diffusius scripsimus, ut pateat, quomodo nobilissimi principes Alamanniae proxima linea consanguinitatis imperatori adhaerebant[g]. At ipse potius gloriabatur, se de regia stirpe Waiblingensium progenitum fuisse, quos constat de duplici regia prosapia processisse, videlicet Clodoveorum, de quibus legitur supra in gestis Francorum, et Carolorum, de quibus nichilominus eorundem supra narrant historiae.

De itinere Romano et reditu[h].

1154. Sedatis igitur discordiis in Alamannia dispositisque negotiis imperii et rebus pacatis aggressus est iter arripere in Italiam, quatenus et discordias ibidem sedaret et more avito diadema imperatorium in Romana ecclesia reciperet.

---

a) autem 3. b) Et ideo eciam quia ex 2. c) bellificas 1. d) sicut — est *desunt* 2. e) de quibus — est *desunt* 2. f) cuius — fecimus *desunt* 2. g) attinebant 2. h) redditu 1.

1155. Eo itinere invenit Terdonenses sibi rebelles. Est autem Terdona villa permaxima in Lombardia, per quam Mediolanenses iter habent usque ad Genuam, et ideo hanc quasi portum maris magni sibi esse volunt. Hanc in ipso itinere aggressus imperator expugnavit et solo adaequavit, nichil eis valente auxilio Mediolanensium, in quo plurimum confidebant.

Iun. 18. Indeque progressus Romam pervenit et ab Hadriano papa consensu totius cleri cum diademate regio imperialem benedictionem accepit in ecclesia beati Petri, ubi a civibus Urbis seditio contra imperatorem commota est, ubi multi Romanorum interfecti occubuerunt.

Imperator vero rediens inde in itinere Spoletanorum diras et inopinatas pertulit incursiones. Quarum impulsu Spoletum applicuit, quam dimicando succendit et funditus evertit, parvulis tamen ac mulieribus iussu imperatoris sine laesione liberatis.

De hinc per totam Italiam et Lombardiam multis edomitis rebellionibus, cum pervenisset comitante exercitu suo apud Veronam, ad quaedam itinera angusta, quae Lombardi vocitare solent clausuras Volerni, ubi ex utraque parte itineris mons preruptus, quasi paries saxeus eminet in immensum. Ibi Veronenses collocaverunt superius in planitie eiusdem montis quosdam malignos homines, quatenus in transitu imperatorem cum exercitu suo demissis lapidibus interficerent. Imperator vero sollertissimus quosdam advocavit terrae illius prudentissimos, qui illecti promissionibus et muneribus per loca vix alicui hominum pervia milites imperatoris deduxerunt ad prefati montis collem quendam supereminentem. Qui inde consurgentes in prefatos malefactores irruerunt et eos in fugam verterunt. Ex eis quoque pene sexcenti capti sunt, qui omnes tristia poenarum tulere discrimina.

Deinde imperator rediit in Alamanniam, ubi tunc duxit uxorem. Nam antea iudicio ecclesiae in sinodo Constantiensi inter ipsum et Adilam, filiam marchionis Diepoldi de Vohburc, quam habuerat uxorem, divortium celebratum est obiectu consanguinitatis; quam postea Dietho de Ravensburc ministerialis ipsius habuit uxorem. Imperator vero dominam 1156. Beatricem de genere Burgundionum, nobilissimam filiam comitis Bisuntini, quae illi unica erat heres omnium bonorum ipsius, duxit uxorem, cuius opulentissima dote, ut fertur, etiam quinque milia militum eius subduntur imperio.

Eodem etiam[a] tempore ducem Boemorum[31] regio decoravit nomine et dignitate, regium sibi conferens diadema.

Item discordias[b] sedavit, si quae erant in Alamannia inter principes vel barones, et redire parat in Lombardiam, quae maximis discordiis[c] efferbuerat. Nam Mediolanenses imperatori resistere se parant et in auxilium suum multas civitates Lombardiae asciscunt, Brixiam videlicet et Placentiam et alias quam plures. Cremonenses vero et Papienses imperatori fideliter adhaerebant, et Laudenses et Cumani suo subdebantur imperio. Ideoque bella frequentia totam commovebant Lombardiam. Mediolanenses enim superbi rebelles consueverunt esse imperatoribus exortis de Suevia; illis vero, qui de Saxonia erant, devotius assistebant, eo quod, ut supra dictum est, Lotharius imperator pro ipsis[d] tulit sententiam contra Cremonenses. Cum sint etenim superbissimi, solent occupare terminos vicinarum civitatum et ipsas, quas possunt, suo subdere imperio. Quocirca contra imperatoris edictum Terdonam ab ipso erutam eximiis reaedificaverunt muris, quodque hoc deterius fuit, illarum urbium reliquias, quas ante deiecerant, Cumarum scilicet atque Laudae, ad imperii contemptum funditus exterminavere. Papiam quoque atque Novariam, urbes egregias, ad eiusdem imperii despectum pariter apposuerunt depopulare. Ac sic hanc regni portionem, scilicet Lombardiam, suo imperio paulatim subicere satagebant, ad quod patrandum omnes pene Lombardiae urbes consentientes habuerunt. Placentia nempe Cremonenses a predictarum urbium solitis amminiculis indigne prohibuit atque iter ad eas eis omnimodo denegavit. Brixia quoque se itidem eisdem cum exercitu adiecit Mediolanensibus. Quarum opitulationibus inmania ausi sunt scelera partimque potiti sunt ausis. Nam Vegevalum et alia Papiensium opida munitissima predictarum urbium presidiis funditus destruxerunt. Cremona vero, civitas egregia, pro summi imperatoris maiestate contra Mediolanenses, summi imperii contemptores, sese audacter ingessit, quae et eorum munitissima opida magnis evertit viribus, et eorundem plerosque coartavit compedibus.

---

a) *deest* 3. b) discordiam 1. 2. c) tunc *addit* 3. d) ipso 1. 2.

31) Wladislaum.

Eo tempore imperator his discordiis opitulari censuit; ad quod discretissime patrandum viros premisit industrios, cancellarium scilicet nomine Reinaldum et cum eo Ottonem comitem palatinum de Bawaria. Qui a Cremonensibus et ab Oberto episcopo eorundem et a quodam Arderico sacerdote, qui tunc magni nominis floruit, cum tota plebe eiusdem civitatis magnifice suscepti sunt. Interea, cum imperator suum protelaret adventum, Cremonenses pro tam benignissimis subiectionibus ab aliis Lombardis indignissima tulere convitia et, quod deterius est, in ipsum imperatorem indigna relatu proferebant verba.

Primum bellum imperatoris contra Mediolanenses.

Quamobrem imperator cum ingenti exercitu Italicas appetiit oras; cui previus fuit 1158. Boemorum rex acerrimus, ab imperatore eodem in regiam dignitatem primo sublimatus; et iste Brixienses oppressit et damnificavit; quem subsecutus est Fridericus dux, supradicti Cuonradi regis filius. Post hos[a] imperator adventavit. Territi igitur tanto exercitu Brixienses imperatoris iussa iurati[b] se facturos promiserunt, advalens tamen sexaginta milia[c] marcharum ante tulerunt incommodum[d]. Postmodum imperator iuxta flumen Aduam[e] tentoria fixit, ubi quidam Mediolanensium ex altera parte fluminis existentes in ipsum imperatorem convicia indigna relatu vociferati sunt. Propter quas iniurias imperator suos milites arma capere iussit. Ipse quoque, sicut erat acer animo, ad subvehendum se non navem adquisivit, neque vadum fluminis exquisivit, sed quadam trabe lignea, hastis hinc inde sustentatis[f], fluvium transivit, et paucis se comitantibus in hostes prosiliit, qui territi a conspectu ipsius fugam arripuerunt et usque ad Trecium[g] quoddam castrum Mediolanensium fugierunt[h]. Ubi imperator Mavortius vix decem se comitantibus fixit vexillum suum ante portas castri, ubi exercitus suus continuo adventavit, trepidantibusque civibus, eos in deditionem accepit, sicut uti vellet. At ipse, sicut erat assuetus, de regia benignitate mulieres et parvulos conservari censuit, predam vero castri militibus suis distribuit et in presidiis milites suos collocavit. Cetero[i] ex hinc transiens civibus Laudensibus ad construendam novam civitatem locum designavit super Aduam[k] fluvium in quodam colle, ubi ex utroque latere collis sunt loca paludinosa. Collis quoque idem ex antiqua consuetudine Lombardorum Mons Guezionum appellatus est, in quo eis vexillo regio urbem designavit decoram. Post haec cum exercitu Melegnatium[l] se contulit, ubi Mediolanensium diu expectavit satisfactionem, et ipsi satisfacere contempserunt.

Advocat igitur imperator exercitus de civitatibus Lombardiae, cui adveniunt Cremonenses cum triginta milibus armatorum et episcopo suo Oberto; Papienses quoque et Novarienses cum copioso et splendido exercitu iunguntur. His imperator circumdatus ad moenia urbis Mediolani iter arripuit. Sane Mediolanenses cum multo exercitu egrediuntur contra ipsum in pugnam. Committitur[m] pugna, ubi Mediolanenses fugam arripiunt, tendentes ad urbis suae moenia, Cremonenses vero et alii Lombardi eos viriliter insequuntur. Appropinquantes vero urbi suae equos reflectunt et rursus pugnam ineunt. Ubi regius exercitus aliquantisper retro versus est. Imperator vero confidentissimus, cum tanti belli vicissitudines ita alternari conspiceret, continuo se in hostes invexit et eosdem moribundos urbis suae moenia subire coegit. Post talem belli gloriam suburbia fecit incendi relicta sola turri, quam coram porta Romana Romani construxisse feruntur, quae erat sublimis, quatuor subnixa columnis, a vallo distans parum[n] plus quam sit iactus lapidis, quae usque ad ostium erat solida et saxis compaginata quadris. Haec ad urbis tuitionem fortibus erat repleta viris. Postea imperator urbem cingit obsidione et coram porta Romana sua fecit fingi[o] tentoria, aliis quoque singulis in obsidione sollertissime loca previdit oportuna. Paucis diebus efluxis, iam hostibus intra moenia clausis, ad predictam turrim expugnandam bella fecit inire. Cumque viri, qui in turri erant, cernerent columnas eius infringi martellis[p] et aliis instrumentis ferreis, territi formidare coeperunt et se in deditionem imperatori obtulerunt. Quibus imperator interventu quorundam vitam concessit, et per funem ab alto demissos urbis moenia incolumes intrare permisit. Moxque ex imperatoris edicto Teutonici cum tubicine[q] Cremonensium turrim conscendunt exoriturque undique in castris

---

a) hoc 2. b) iurari 1. 2. c) milium 1. 2. d) incommoda 1. 2. e) Padum 3; adira 1. 2. f) sustentatus 3.
g) Trocium 1. h) fugerunt 3. i) caeterum 3. k) Padum 3. l) Melegnanum 3. m) committiturque 3.
n) *sic* 1. 2; partim 3. o) figi 3. p) marcellis 2. q) tubicina 1. 2.

clamor virorum et clangor tubarum. Ex quo eventu inopinato cives conclusi valde sunt territi, et quid consilii caperent aut quo se verterent, titubare coeperunt; sese tandem tubarum clangore et signorum ad ineundum convocant consilium. Petitaque pace ad consilium principes imperatoris assumunt, regem videlicet Boemorum et ducem Liupoldum[a] de Astria, Coloniensem quoque archiepiscopum Fridericum et Babenbergensem episcopum Eminhardum. Aderat quoque cancellarius Reinaldus et Otto comes palatinus. Isti mediatores, utriusque partis communicatis consiliis, et imperatori Mediolanensium iustas subiectiones et Mediolanensibus dignas imperatoris preceptiones vicissim referebant. Postremo cives ad id devenire[b] consilii, ut se et sua imperatoris traderent voluntati. Gladios itaque denudatos super colla ponentes, cruces quoque et alia insignia preferentes, nudis plantis ad pedes imperatoris miserabiliter se prostraverunt. Quibus imperator, precibus principum vix flexus, vitam donavit; et qui prius erant maligni, facti sunt subiecti; ideoque more regio subditis factus est mitis.

Sept. 8. Post tantos triumphos in die nativitatis beatae Mariae virginis diademate imperiali processit insignitus et cum eo rex Boemorum corona regia decoratus. Alii quoque principes cum ipso processerunt et facta est laus in coelum et exultatio non modica, resonante simul tinnitu signorum. Exinde urbi proxima peragravit loca, ubi, quae a Mediolanensibus perperam fuerant constituta, iustitiae redegit ad normam. Acceptis igitur obsidibus spes resistendi ablata est omnibus Lombardis. Ideoque cunctas civitates et castella et opida Lombardiae peragravit et vades ab eis accepit, quod iustitiam suam reciperent et conservarent.

De curia apud Rongaliam.

Pro reparando itaque iustitiae vigore omnibus Lombardis et Italicis Rongaliam, ubi mos Lombardorum est, iustitiam suam requirere et ab imperatoribus recipere, diem certam et curiam publicam ad presentiam principum, qui tunc aderant, eis designavit. Edictumque est ab imperatore, ut de singulis Italiae urbibus viri idonei Rongaliam convenirent, et barones et alii, qui causas haberent. Cumque ibidem convenissent, assumptis nobilibus et prudentibus viris causas singulorum determinare studuit, primo pauperum, deinde baronum et postremo civitatum. Ex hinc pactum pacis instituit, secundum quod principes Alamanniae facere consuerunt, et ne quis contra illud attentaret venire, bannum, id est poenam pecuniariam constituit, ita ut, si qua urbs pacis violaret iura, centum marchas auri persolveret, marchio vero quinquaginta, comes quadraginta, capitaneus vero seu alius invasor maior viginti, alii vero decem et usque ad tres marchas, prout eis facultas suppetit, imperatori persolvere deberent. Quod si quis nullum poterit exolvere premissorum, verberibus diris in patria diu afflictus per quinquennium deberet fieri exul, quinquaginta miliariis a patria seiunctus. Alias quoque leges prudentissimorum virorum secundum[c] consilia ibidem instituit, in quibus inter cetera et hoc cautum est, ne feudorum iniuste fieri possent distractiones. Iudices quoque prefecit singulis civitatibus Lombardiae, qui ex parte imperatoris banna supradicta reciperent et laesis iustitiam facerent. Super quo contra novas institutiones imperatoris murmurare coeperunt Lombardi: non est enim eorum consuetudo banna solvere, sed ut secundum leges Romanas iniuriam passis satisfaciant[d], secundum quod iuraverint laesi, se talem velle pati iniuriam; de quibus acquisitis iudex tantum vicesimam vel minorem, secundum quod ab eis decretum est, recipit portionem; de damnis quoque sive spoliationibus, sicut lege statutum est, satisfaciunt.

Tunc Fridericus Coloniensis archiepiscopus obiit, cui Reinaldus cancellarius successit in episcopatu.

Dissolutaque itaque curia imperator paterna visione Lombardiae loca visitare coepit. Multis vero peragratis locis Astensium urbem tandem adventavit. Astenses vero confisi de munimine arcis novae opponere se studuerunt. At ipse eorum urbe cito potitus est et his, quae infra muri ambitum continebantur; tandem ad inexpugnabilem arcem novam iter arripuit, quae licet esset sita in scopulo eminentissimo habens aditum tantum per iter angustissimum, imperator sollertissimus ipsam tamen fortiter expugnavit gentemque

---

a) Leupoldum 2. b) devenere 3. c) sec. prud. vir. 3. d) satisfacient 1. 2.

frenavit superbam. Demum Astensibus captivis, tam viris quam mulieribus, ultro misertus est.

Deinde Scurii et Martesiae appetit provincias Mediolanensibus contiguas, ubi plurima restauravit opida et nova castra construxit, in quibus Mediolanensium possint[a] incursus propellere. Cumas quoque adiit et cives illos a propriis expulsos sedibus[b] per Mediolanenses sententia imperiali ad suam revocavit civitatem, nec inde prius recessit, quam Cumanorum et Insulanorum sedaret discordiam. Erat autem Insula castrum quoddam in quadam insula laci Cumani, quod nunc penitus exterminatum est. Supra civitatem quoque Cumanam castrum construxit muris et turribus munitum, quod Patarellum Teutonici vocant, ubi Mediolanensium declinare possint[a] incursus, et in presidiis milites Teutonicos collocavit.

Deinde, cum vellet adire Cremonam et usque ad quoddam castrum, Luciariam videlicet, perveniret, nunciatum est ei, quod Mediolanenses periuri et imperialium decretorum rebelles et obstinati cum magno apparatu magnisque tam militum quam peditum turmis ad expugnandam urbem Laudam essent progressuri, ut noviter surgentia moenia diruerent et homines ibidem habitantes aut interficerent, aut in captivitatem deducerent. Quod postquam imperatoris insonuit auribus, agiliter properat ad auxilium novae urbis, quam tunc fossatis et muris munire coepit, in quo opere Cremonenses et Papienses et Novarienses sibi auxilium prebuerunt. Urbem quoque conditam privilegiis libertatis decoravit. Post tantos itaque triumphos et iudicia in Lombardia disposita, licet ad plenitudinem pacis non proficerent, decrevit imperator suae coniugis et suae patriae revisere terram[32].

De secunda rebellione Mediolanensium.

Mediolanenses postquam perceperunt, a suis partibus imperatorem longe esse remotum, ad resistendum se erigunt et supra nominatum castrum Trecium[c] invaserunt, ubi mangos et alia instrumenta construxerunt, quibus lapides in castrum iactarent, ad portas quoque arietantes ipsas tandem confregerunt castrumque improvisum ceperunt. Milites quoque imperatoris, qui erant in presidiis, ergastulis manciparunt. Quo audito tota pene Lombardia rebellare coepit et decretis imperatoris contradicere. Quocirca magnanimus imperator, audita Mediolanensium perfidia, cum Teutonicorum et Lombardorum gente ad eorum redivit loca urbi proxima eorumque segetes in mense Iunio, cum iam maturae sunt, partim succidit partimque pedibus equorum contrivit, arbores quoque penitus decorticavit et vites succidit, sicque maximum damnum Mediolanensibus intulit. Post haec ad urbem Laudam rediit, quoniam brachii unius et cruris infirmitate debilitabatur, ut ibidem membra laesa refocillaret.

Tunc ad eum Cremonenses convenerunt eique iniurias exposerunt, quas ipsis cives Cremae villae contra instituta imperatoris facere presumpserunt. Nam cum apud Rongaliam decrevisset imperator exquisita iustitia, quatenus Cremenses cuiusdam castri muros, quos in preiudicium Cremonensium erexerant, deicerent et decursus aquarum, quos eodem modo constrinxerant[d], ad proprios rivos redire permitterent, Cremenses id facere recusarunt, Mediolanensium et Brixiensium usi consilio perfidissimo et confisi auxilio imbecillo. Erat enim Crema opidum firmissimum, continens unius miliaris Lombardici spacium, fossatis et aquarum decursionibus et locis paludinosis et muris fortissimis undique munitum. Sperabant itaque Mediolanenses, tam firmissimum castrum imperatoriis posse resistere decretis et preliis. Ast imperator audita querimonia Cremonensium permisit eis et consuluit, bellifica virtute Cremenses rebelles superare.

De obsidione et expugnatione Cremae.

Igitur imperator Cremonensibus remisit quadringentos milites, quos hi Cremonenses spoponderant ad secundam obsidionem et vastationem Mediolanensium. Insuper concessit eis tres nobiles principes de parte sua, qui exercitum eorum conducerent et regerent,

a) possit 3. b) edibus 1. 2. c) tercium 1. 2. d) construxerant 1. 2.

32) Anno demum 1162. post destructum Mediolanum Fridericus per Burgundiam in Germaniam rediit.

videlicet Cuonradum fratrem suum, palatinum[a] Rheni, et Bertholdum ducem de Zaringia, Rubertum quoque comitem Basiliae[33], quem Wilelmus consanguineus eiusdem de patria sua procul expulerat. Itaque pariter iuncti properant ad obsidionem Cremae, quibus Cremenses ad pugnam occurrunt confisi de auxilio Mediolanensium et Brixiensium, quorum milites quam plurimos apud se habebant. Committitur pugna; sternuntur hinc inde viri et captivantur, tandem Cremenses compulsi sunt ad urbis suae moenia confugere et ibi se portis concludere, coeperuntque obsideri, Cremonensibus cohartantibus[b] eos ad unam portam et prefatis principibus ad alteram.

Interea adventavit imperatori magnus exercitus de Alamannia, uxor videlicet ipsius, domina Beatrix, multa militum corona stipata, consanguineus quoque eius Heinricus dux Saxonum et Bawariorum, qui simul procedentes adduxerunt plus quam duo milia armatorum. Qui dum castra ponerent in planitie apud Gardam arcem munitissimam, castrenses opidi Pesenae utrique exercitui dampna intulerunt, quocirca efferati opidum illud expugnarunt et spolia eius diripuerunt et ipsum incendio conflagrarunt. Postmodum imperatoris exercitus reliquias eiusdem opidi funditus destruxit, his exceptis, quae amicos contingebant imperatoris.

Innotuit interim, quod Papienses vellent cum exercitu ire super Mediolanenses, eo quod terras eorum plurimas depopulaverant. Imperator igitur consilio ducis Bertholdi de nocte consurgens nemore medio inter Papiam et Mediolanum latenter se cum multis militibus ad insidias collocavit denunciavitque Papiensibus, ut Mediolanensium urbi audacter appropinquarent et spolia diriperent. Quod cum fecissent, Mediolanenses e portis erumpentes insecuti sunt eos: commissumque est praelium pugnatumque est varia sorte belli hinc inde a mane usque ad meridiem. Papienses quoque et Laudenses, debiliores bello effecti, fugam inire decreverunt. Tunc talis eventus nunciatus est imperatori, ubi manebat in latibulo, qui consurgens cum exercitu Teutonicorum, vexillo suo commisso duci Zaringae, ex improviso super hostes irruit et eos in fugam vertit. In quo conflictu captivati sunt Mediolanensium plus quam trecenti et occisi fere sexcenti, quorum corpora miserabiliter per dies aliquos[c] iacuerunt in campo bestiis et avibus dilaceranda et comedenda. Postmodum secedente aliquantulum imperatore, multa de ipsis corporibus delata sunt ad urbem, et cum maximo planctu et lamentatione totius urbis sepelierunt.

Interim imperator ad obsidionem Cremae iter reflexit et captivos Mediolanenses secum adduxit, quibus ostensis suis fautoribus magnam laetitiam contulit et inimicos contristavit. Indeque progressus coniugem suam et ducem Heinricum cum exercitu ipsorum honorifice suscepit. Tunc, relictis Lombardis in obsidione Cremae, cum exercitu Teutonicorum iam secunda vice processit ad vastandam omnem segetem Mediolanensium et arbores extirpandas et opida, quae remanserant, funditus destruenda. In obsidione autem Cremae plures de principibus Alamanniae remanere permisit, prefatum videlicet Cuonradum, fratrem suum, et Welfum, avunculum suum, qui preter alias divitiarum et militum opulentias ex possessione comitissae Mathildae habebat militum duo milia, Boemorum quoque regem, nepotem suum, et ducem de Astria. At ipse secum in expeditione adduxit Heinricum ducem cum Bawariis et militibus uxoris suae, cum quibus hanc devastationem perfecit.

Interpositio.

Eo tempore conspiratio facta est contra imperatorem, ut asserit quidam scriptor Cremonensis, de cuius editione haec, quae narramus, excerpsimus. Idem quoque scriptor testatur[d], haec se audisse a viris probatissimis et veracissimis et valde religiosis Mediolanensibus et Brixiensibus, qui se huic conspirationi interfuisse dixerunt. In qua conspiratione se astrinxerunt maxima pars cardinalium sedis apostolicae, Wilelmus quoque rex Siciliae et pene universae civitates Italiae cum multis baronibus et viris potentibus: dataque est immensa pecunia domino Adriano papae, ut ipse imperatorem excommunicaret.

---

a) pallatinum 1. 2. b) *sic* 2; coartantibus 1; cohortantibus 3. c) aliquod 1; aliquot 3. d) *deest* 1. 2.

[33] Cf. Rob. de Monte SS. VI, 505 sub a. 1156: *Guillermus rex Siciliae .... exhereditavit comitem Robertum de Basenvilla cognatum suum, quia ab ipso desciverat.*

Reditus ad propositum.

Post haec imperator cum exercitu suo versus Cremam iter arripuit, et primum, legalibus innitens statutis, pactionem supradictam a Cremensibus fecit exposci. At illi, confidentes in sui castri firmitate, eo quod olim Lotharius imperator, viribus suis diffidens, non ausus fuerat idem castrum obsidere, de auxilio quoque Mediolanensium et Brixiensium presumentes, preceptis imperatoris superbe contradixerunt. Mulieres quoque castri choros ducentes per plateas cantionem decantarunt, in qua continebatur, quod sicut olim Lotharius, sic et[a] imperator recedere cogeretur inglorius. Ideoque provocatus imperator ferocius accinxit se ad expugnationem castri, et ex omni parte murorum in circuitu machinas construi iussit diversi generis, quae lapides iactarent in castrum et ipsum incessanter impugnarent. In ea quoque parte, quae sibi aptior videbatur, a magistris operum fecit turrim ligneam erigi et alia instrumenta, quae gattos sive aliis nominibus nuncupant, preparari, quae repletis fossatis de terra vel lignis seu stipula sive rebus quibuslibet ad muros possent propelli. Quibus preparatis primum vades illorum castrensium, videlicet filios et nepotes nobilissimorum de castro, ad crates ligneas, quae in turri erant appensae, fecit alligari et sic turrem ad castrum propelli. Tunc illi, immites et omnis iustitiae et foederis naturalis obliti, de castro lapides iacientes mangonibus seu aliis instrumentis illos crudeliter peremerunt. Cumque nec adhuc expavescerent, quosdam captivos eorum in loco eminenti quodam in visione ipsorum fecit in patibulis suspendi. At ipsi econtra, iam in miseria palpitantes et tamen more canino furentes[b], quosdam captivos in iniuriam imperatoris supra muros suos erectis patibulis suspenderunt. Interea dux Heinricus progrediens decem de militibus Mediolanensium captivavit et eos imperatori tradidit. Imperator vero predictis et aliis quam plurimis provocatus iniuriis eosdem in conspectu concivium suorum patibulis appendit. Tunc appulsis machinis et diris habitis conflictibus miseri cives desperare coeperunt et ad deditionem se offerre, ut tantum personas salvarent. Quibus imperator mitis 1160. effectus, utpote vir timens Deum, misericorditer permisit, ut de castro et de terra cum mulieribus et parvulis exirent, nec de rebus vel facultatibus suis quicquam asportarent, nisi quantum quivis eorum una vice in humeris suis aut scapulis deportare potuisset. Mediolanenses quoque et Brixienses abire permisit, ut equos et arma ibi relinquerent. Nec dubium est, imperatorem christianissimum ob hoc talia permisisse, ne maximam stragiam[c] in caede hominum iudicaretur fecisse. Perpendat iam quilibet prudens lector, quanta miseria ibi fuerit, ubi mulier parvulos suos gressu uti non valentes potius quam res exportavit, vir quoque mulierem febricitantem, aut mulier virum pro fide coniugii exportarunt, pregnans quoque iam parturiens semivivum puerum eduxit. O quanta miseria! Castrum et preda hostibus relinquitur, quia perfidissimi cives hoc meruerunt. Preda itaque militibus distribuitur et castrum funditus diruitur. Anno Domini 1160. acta sunt haec.

Tunc Welfus, totam militiam suam in Tusciam movens, maximum conventum apud Sanctum Genesium habuit, ubi Hist. Welf. baronibus terrae septem comitatus cum tot vexillis concessit, ceteris quoque de civitatibus seu castellis ad se confluentibus, unicuique quod suum erat, tribuit. Sed et ipse sua, quae singulae civitates ad se iniuste contraxerant, recepit. Denique conventu soluto a Pisanis et Lucensibus et aliis civitatibus, ad quascumque declinaverat, honestissime suscipitur. Sicque terra illa et Spoletana plena potestate potitus et suos ibidem collocans, filio suo Welfoni iuniori commisit eandem, strennuissimos de suis militibus et optimos apud ipsum relinquens. Ipse per vallem Tridentinam rediit ad propria; Welfus vero iunior excellentissime terras possedit, rexit atque defendit, ita ut etiam multotiens militibus imperatoris, volentibus terram laedere, violenter resisteret, propter quod maximum favorem populi acquisivit et imperatoris offensam nonnunquam incurrit.

De scismate suborto.

Refert supradictus scriptor Cremonensis, videlicet Iohannes sacerdos, quod supradictis testimoniis bonorum virorum didicerit, qui interfuerunt, quod illa conspiratio cum apostolico Adriano iuramentis adeo firmata sit, ut nullus ab altero recedere posset vel imperatoris gratiam sine omnium consensu requirere, quod, si mortuus esset papa ille, de numero conspiratorum alium eligerent cardinales. Sane Deus, qui per os psalmistae declamavit contra excommunicationem papae per pecuniam corrupti, declaravit, illud propheticum esse verum: *Maledicent illi et tu benedices; qui insurgunt in me confundantur, servus autem* Ps. 109, 28.

---

a) et iste imp. 3. b) furgentes 1; surgentes 2. c) stragem 3.

tuus laetabitur. Cuius versus tres articuli in hoc negocio evidentissime sunt adimpleti: Primum namque articulum de maledictione seu benedictione Dei ipsi Deo relinquamus, ceterum ex duobus consequentibus constabit, primum non ex Deo, sed ex diabolo processisse. Ut enim adimpleretur illud propheticum: *Qui insurgunt in me, confundantur,* factum est, ut cum prefatus Adrianus apud Anagniam denunciaret excommunicationem contra imperatorem, paucis diebus evolutis coepit procedere refrigerandi gratia cum suis, cumque venisset ad quendam fondem, hausit de potu illius et continuo, ut dicitur, musca os eius intravit et gutturi eius adhaesit nulloque artificio medicorum avelli potuit, quoadusque
1159. spiritum exalaret.

Tunc cardinales in electione summi pontificis dissentire coeperunt: novem siquidem de numero ipsorum elegerunt Octavianum, virum per omnia religiosum et probatum, inter quos fuit Tusculanensis episcopus et Wido Cremensis et alii. Pars vero adversa elegit Rolandum cancellarium. Factaque est pactio inter electores, ut neutra pars suum publice denominaret aut intronizaret, donec discordia inter partes sopiretur. Interim pars Rolandi, utpote maior, suam electionem promulgavit et ipsum attrahens quoddam insigne, quod mantum vocant, ei exhibuit. At ipse manu hoc accipiens longius a se abiecit et papam fieri se denegavit. Pars vero adversa cernens talia suum Octavianum intronizavit et mantum ei adposuit. Cumque turbatio facta esset, Octavianus in promotione appellatus est Victor et obedientias recepit eorum, qui ad se venire volebant, eiusque electioni populus Romanus assensit plerumque; erat enim vir bonus, humilis et mansuetus. Rolandus quoque, cum sui fautores ei facere vellent obedientiam, repulit eos a se dicens: *Eatis ad illum, quem videtis immantatum et plurimum favorem populi obtinere.* Sicque Rolandus secessit ab Urbe et in vico, quem Castrum sancti Petri nuncupant[a], permansit. Sicque factum est, ut Octavianus, qui et Victor, undecim diebus resideret in Urbe. Interim multi coeperunt, qui prius faverant, ab eo dissentire instinctu cardinalium, qui in parte sua erant, maximeque Wilelmi, regis Siciliae, et plurimarum civitatum Italiae. Tunc prefatus Rolandus duodecima tandem die mantum accepit et intronizatus est secundum morem sedis apostolicae et Alexander nominatus est. Constat igitur, quoniam grave in ecclesia Dei oportuit fieri scisma.

Tunc imperator Fridericus tali turbatione comperta Romanae civitati condoluit et, qualiter subvenire posset, cogitavit. Tandem de consilio bonorum virorum utrosque electos ad se venire statuit apud Papiam, non ut eos iudicaret aut causam sedis apostolicae, sed ut a prudentibus viris addisceret, cui electo potius obedire deberet. Quo Octavianus, qui et Victor, cum suis fautoribus adventavit, Rolandus vero, qui et Alexander, frequenter ammonitus accedere contempsit. Tunc coram imperatore et patriarcha Aquilegensi et episcopo Cremonensi et aliis quam pluribus episcopis et ecclesiarum prelatis causa Octaviani discussa est, et adhibitis testibus, qui presentes fuerunt, probatum est, quod, sicut supra descriptum est, facta est utraque electio. De iure quoque satis adiectum est, ut reprobata electione Rolandi Octavianus verus presul Romanae ecclesiae iudicaretur. Tunc patriarcha Aquilegensis, alii quoque episcopi et ecclesiarum prelati ad pedes eius se prostraverunt, imperator quoque id ipsum fecit, ut ab eo indulgentiam acciperent et sibi obedientiam facerent. Quem exinde imperator destinavit in Alamanniam, ut cuncti ei obedientiam facerent, quod et factum est. Nam Reinaldus Coloniensis archiepiscopus eum devote recepit, Moguntiensis quoque et Maidburgensis ipsi Victori papae se subdidere cum suis suffraganeis. Mansitque Roma cum suis conspiratoribus in confusione, ut adimpleretur quod dictum est per prophetam: *Qui insurgunt in me, confundantur,* et tercium dictum adimpleretur: *Servus tuus laetabitur.*

Sequenti aestate imperator cum magno exercitu segetes Mediolanensium iam tercio vastavit, et Brixienses arcem Inervium obsidentes fortiter fugavit. Cumque rediret, Mediolanenses et Brixienses, prout ante se iactaverant, cum eo bellum inire simulabant, quos ubi conspexit propius accedere, ilico de equo prosiliit ibique securus cibum sumpsit. Illisque territis pontem destruxit, per quem Mediolanensibus Brixiam et e converso iter esse consuerat; et dum post haec Placentinorum perfringere vellet pontem, illi propius civitati advexere ripam, ubi propter insultum civium pons infringi non posset.

---

a) mancipant 1. 2.

De infortunio imperatoris.

Quoniam, ut ait scriptura, *ante ruinam exaltabitur cor*, Mediolanenses post haec ad expugnandum Carcanum quoddam castrum cum ingenti multitudine tam Brixiensium quam Placentinorum militum processerunt. Quod postquam imperatori innotuit, collecto itidem[a] exercitu de Papiensibus et Novariensibus et Laudensibus et Teutonicis, intrepidus inter Mediolanum et Carcanum expedite ivit ibique tentoria fixit. Ubi Mediolanenses doctissimos viros et facundos ad eum miserunt, supplicantes, quatenus sine bello ad urbem suam eos redire permitteret, quod ipse facere denegavit. Illi igitur tamquam in periculo mortis positi viaticum acceperunt. Econtra imperator acies suas disposuit et, inito conflictu, primo certamine de peditibus Mediolanensium multos prostravit et fugavit et carociam, quod suum vexillum vocant, eis abstulit. Post haec, lassato exercitu imperatoris iam usque ad meridiem aut amplius, irruerunt super eos de novo subintroducti milites Placentinorum et Brixiensium et aliorum, qui multos de exercitu imperatoris et captivaverunt et peremerunt; ipse quoque imperator cum paucis ad se collectis in giro se congesserunt, ut spicula adversantium possent effugere. Tandem Deus ex alto prospectans, ut servum suum liberaret, eo tempore pluviam densissimam et tempestuosam de nubibus emisit, ut nullus alium discernere posset aut cognoscere. Sicque factum est, ut imperator supplicatione suorum deflexus a campo certaminis cederet, et Mediolanenses cum captivis et spoliis tabernaculorum tamquam victores ad sua menia laeti redirent.

Proverb. 16, 18.

De eversione Mediolani.

1161. Post haec, ut superbos Deus everteret, innotescente tali infortunio parentibus et amicis imperatoris et suis fidelibus, ad auxilium ipsius properarunt, videlicet Fridericus, Cuonradi regis filius, et dux Boemorum, supradicti regis filius, Pragensis quoque episcopus, nomine Daniel, et Reinaldus Coloniensis archiepiscopus et imperialis aulae cancellarius. Hi cum magna multitudine nobilium et procerum ad auxilium imperatoris adventarunt. Cumque imperator Mediolanenses assiduis infestaret bellis, contigit circa vesperas unius diei inter eos commisceri praelium, in quo Fridericus, Cuonradi regis filius, regis vexillifer iuxta Mediolanensium portas turmas induxit imperiales, et tunc imperator super ponte munitissimae urbis pedes remansit equo multis vulneribus interempto. Tandem supra Mediolanenses plena potitus est victoria, multisque fugatis et interemptis, circiter mille captivos ad Laudam remisit, ubi in hiemali tempore in compedibus nudi et erumnose conservati sunt.

1162. His attriti Mediolanenses terroribus, fame quoque et inediis perculsi, sine omni conditione se et sua et ipsam urbem in manus imperatoris tradiderunt. Egressi igitur seorsum nobiles et seorsum populares, processerunt usque ad Laudam, plebei vero vexillum sancti Ambrosii super carociam suam advexerunt, ut sic facilius ad misericordiam animum imperatoris inflectere potuissent. Cumque in tempore adventus eorum imperator resedisset in prandio et imber gravissimus irrueret supra[b] Mediolanenses ante portam adventantes, distulit aliquantulum eos intromittere, ut fatigati discerent, se deliquisse. Denique intromissis eis, cum carocia per portas introire non posset, fecit imperator transtrum[c] carociae auferri et ipsam in quatuor partes secari et ita cum vexillo inferri et homines ad se intromitti. Cumque sine omni conditione iurata et tradita esset ei potestas super urbem Mediolanensium, noluit tamen facere stragiam[d] super homines perfidos et periuros, sed permisit eis potius tempus penitentiae, ita ut muros suae civitatis ab antiqua gente barbarorum constructos penitus diruerent, turres quoque et aedificia civitatis funditus subverterent et de civitate exirent nec ulterius eam sine licentia inhabitarent. Cumque ad subversionem urbis ipsi cives non sufficerent aut forte dissimularent, adiunxit eis imperator in huius rei[e] auxilium Cremonenses et Papienses et aliarum civitatum cives qui in auxilio suo fuerant, ut eam viriliter diruerent[f]. Sicque factum est, ut in urbe bestiae et ferae et, sicut in prophetis scriptum est, diversa daemonum genera inhabitarent et ferarum. Cives vero extra urbem in quatuor vicis aliquantulum longe ab urbe remotis collocati sunt, ubi in tuguriis et mapaliis et vilibus aedificiis multo tempore permanserunt.

Baruch 4,35.

---

a) iter 1. 2. b) super 2. c) transitum 1. 2. d) stragem 3. e) regi 1. 2. f) dirimerent 1. 2.

1162. Apr. 1. Imperator vero nobili potitus triumpho in olivarum festo in beati Ambrosii basilica una cum oliva triumphalem[a] gestavit victoriae palmam. Proinde imperator tanto ditatus Apr. 8. trophaeo Ticinensium urbem gratanter revisit, ubi in paschae festo cum coniuge sua Beatrice, multis stipatus principibus, coronatus processit secundum decus imperiale et ad convivium suum omnes, tam cives quam adventantes, convocari precepit. Tunc amputato capite perfidissimorum Lombardorum Placentini et Brixienses et aliae civitates resistentes imperatori omnino se subdiderunt. At ipse Placentinis et Brixiensibus secundum iuramenta ipsorum precepit muros et fossata deicere et turres civitatis evertere et quatenus in una curte[b] non consistat plus aedificiorum quam una domus; sicque disposuit omnes civitates, quae sibi rebelles extiterant, et secundum haec decreta iustitiarios suos in eisdem instituit.

Ipseque partem Octaviani, qui et Victor, ubique firmaturus in quantum poterat processit. Multi igitur de archiepiscopis et episcopis et aliis ecclesiarum prelatis propter favorem imperatoris eidem Octaviano adhaeserunt, et forte propter hoc, quia apparebat valde religiosus homo.

Audivimus, eo tempore apud Mediolanum in quadam basilica annotatos inveniri duos versus, exscriptos in quodam lapide ex antiquissimo tempore, qui hanc destructionem credebantur prenunciasse his verbis:

Rex est venturus Mediolanum tibi durus,
Rex tibi crudelis; per quadrum diminueris.

Transitus.

Haec de bellis imperatoris plenius descripsisse sufficiat exempli gratia, ut pateat, quam virilem et animosum se exhibuerit in aliis bellis, quae in annotationibus annorum sive ex descriptionibus sive relationibus, prout potuimus invenire, breviter explicabimus. Cuncta siquidem plene describere opus faceret immensum. Annos igitur denotemus.

Anni Friderici imperatoris.

Anno Domini 1152. Fridericus rex efficitur, ut supra dictum est.

Anno Domini 1153. Eugenius papa moritur, cui succedit Anastasius natione Romanus; sedit annum unum, menses quatuor. Eo anno capta est a christianis civitas Scalona[c]. Ann.Weing. Divortium quoque factum est Constantiae inter regem[d] et Adlam, filiam Diepoldi marchionis.

Anno Domini 1154. Anastasius papa obiit[e], cui Adrianus IV. genere Anglicus successit; sedit annos quinque, menses tres. Eo anno Reatum civitas cepta[f] est reaedificari. Et in Kalendis Octobris sol obscuratus est per totam diem, ita quod sicut[g] luna videbatur. Tunc Fridericus rex expeditionem Romanam aggressus est.

Anno Domini 1155. Fridericus imperiali benedictione ab Adriano papa sublimatur, in festo sancti Michaelis recedens, et post annum eodem tempore revertens.

Anno Domini 1156. Imperator veniens in Lombardiam contra Mediolanenses cepit pugnare.

Anno Domini 1157. Nix magna et frigus insolitum circa passionem Domini inhorruit; quod mortalitas hominum ad tempus et exustio magna et[h] maxima per totam aestatem est subsecuta, et in Kalendis Iulii maxima severitas grandinis et tanta combussio[i] ventorum invaluit, ut non solum segetes consumeret et arbores evelleret, sed etiam aedificia, castrorum munitiones humo prosterneret et in aliquibus ecclesiis campanaria cum campanis deiecta confringeret.

Anno Domini 1158. Imperator secundam expeditionem movit in Italiam propter secundam rebellionem Mediolanensium. Tunc Laudam muris firmavit et Mediolanenses obsidere cepit et vastare.

Anno Domini 1159. Principes, qui relicti fuerant, imperatorem subsequuntur, Heinricus videlicet dux Saxonum circa pentecosten cum imperatore in mille ducentis loricis, Welfo vero circa festum sancti Michaelis cum trecentis loricatis. Eo anno Adrianus papa obiit[k], cui Alexander III. natione Tuscus successit. Et scisma oritur, quod fere per viginti annos duravit. Omnes autem anni Alexandri sunt circiter 24.

Anno Domini 1160. Imperator iam tercio rura Mediolanensium vastavit et Cremam expugnavit, ubi quidam principes ab imperatore ad sua negocia recesserunt.

Anno Domini 1161. Imperator a Mediolanensibus fugatus est.

Anno Domini 1162. Imperator Mediolanum destruxit. Eodem anno apud Constantiam in festo sancti Clementis factum est dissidium inter Heinricum ducem et uxorem suam Clementiam, filiam Cuonradi ducis Zaringiae, quod de consilio imperatoris dicunt factum fuisse. Duxit quoque prefatus dux uxorem filiam

---

a) triumphales 1. 2. b) corte 3. c) Ascalona 3. d) F. regem 3. e) moritur 2; *deest* 1. f) capta 1. 2.
g) *deest* 1. h) magna et *desunt* 3. i) concussio 3. k) *deest* 1. 2.

regis Angliae Heinrici, qui Thomam Cantuariensem episcopum occidit et dignum martyrem Deo effecit; de qua genuit tres filios: Heinricum, qui postea fuit palatinus Reni, et Ottonem, qui modico tunc[a] tempore fuit imperator, et quendam Wilelmum.

Anno Domini 1163. Imperator rediit in Alamanniam. 1162.

1163. Hist. Welf. Eo anno Hugo comes palatinus de Touingen[b] in comitatu, quem a duce Welfone habuit, quosdam milites Welfonis pro suis excessibus captivatos suspendit et castrum eorum Moringen destruxit. Pro quo dux Welfo querimonia eum impetens, pro satisfactione debile responsum accepit. Cumque patienter sustinuisset nec a querimonia cessaret, procedente tempore pater dux filium de Italia revocavit; ipse illo iturus et negocia terrae per se tractaturus filio omne patrimonium et possessiones, quas ex parte matris habiturus erat, ex integro tradidit.

Anno Domini 1164. Factum est, ut Welfo iunior propter prefatam discordiam cum multis principibus et baronibus terrae exercitum deduceret ad castrum Touingen, in quo exercitu fertur habuisse militum sive armatorum duo milia ducentos vel amplius. Hi omnes 8. Idus Septembris circa vesperam sabbati non longe a Touingen castra posuerunt et diem dominicum in quiete et ocio deducere statuerunt. Cumque die dominico multi de nobilibus et principibus de facienda concordia et pace plus laborarent et orarent, quidam protervi et minus cauti de castris Welfi eruperunt et castro Touingen appropinquare ceperunt, quibus alii de castro obviam processerunt. Sicque inito conflictu ortus est tumultus in castris utrinque et veloces advolarunt, quod factum est circa horam nonam diei. Comes quoque Heinricus de Veringen vexillifer fuit Welfonis et in comitatu suo fuerunt cum prefata turma militum tres episcopi, Augustensis, Spirensis, Wormaciensis, Bertoldus dux de Zaringen et alii marchiones et comites quam plurimi. In auxilio vero palatini erat Fridericus, Cuonradi regis filius, et Zolrensis[c] et alii quam plurimi, multum tamen impares tantae adversariorum multitudini. Inito itaque conflictu de castro super adversarios acclamatum est et ex firmioribus locis contra eos pugnatum est, ita ut in fugam tanta multitudo verteretur; sed neque fugere potuerunt, nam dispersi sunt et confusi, ita ut ex eis nongenti fere in captivitatem traherentur et alii nemoribus vel speluncis afugerent[d]. Ipse quoque Welfo ad castrum Achalm duobus vel tribus comitatus aufugit.

Anno Domini 1165. Welfo senior audito tali infortunio filii sui de Italia rediit et cum imperatore hoc egit, ut captivi remitterentur. Facta est pax, quae tamen uno tantum anno duravit.

Anno Domini 1166. Welfo, memor iniuriae pristinae, terram palatini rursum depopulatur et duo castra ipsius, Kelmunz scilicet et Wilar, destruit, in quibus sexaginta de suis captivavit. Tunc palatinus fractus animo Fridericum ducem, qui Welfoni plerumque adversabatur, interpellavit. Qui eius consilio ducem Boemorum cum gente sua saevissima eduxit, qui totam Germaniam a nemore Boemiae per Bawariam et Sueviam usque ad lacum Lemannum immaniter vastaverunt et suis spurcitiis fedaverunt[e]. Tandem tamen de providentia imperatoris factum est, ut dictus palatinus in manus Welfonis et potestatem ipsius omnino se traderet apud Ulmam coram imperatore et principibus. Imperator namque exercitum contra Romanos movere decreverat et ideo in Alamannia pacem reformavit. Eo namque tempore imperator premiserat ad pugnandum contra Romanos Reinaldum cancellarium, archiepiscopum Coloniensem, et Christianum archiepiscopum Maguntinum, quos et ipse cum exercitu consecutus est.

Anno Domini 1167. Welfo senior circa epiphaniam iam secundo iter Ierosolimitanum aggreditur et in Italia imperatorem reperiens ac filium suum cum omnibus ad se spectantibus gratiae eius commendans, pascha sanctum apud sepulchrum Domini peregit. Interea imperator Welfum iuniorem multis illectum promissionibus ad se in Italiam revocat cum aliis principibus, qui post eum remanserant, qui stipendiis acceptis ad ipsum pervenerunt non longe a Roma.

Eo anno expugnati sunt Romani apud montem Porcum ab exercitu Reinaldi Coloniensis et Christiani Maguntini archiepiscoporum, ubi alii mortui sunt et multi captivati, et extunc cepit imperator Romam obsidere et terras inimicorum suorum vastare. Multi siquidem Romanorum propter exortum scisma in parte ipsius fuerunt. Cumque mense Iulio circa Romam magnam vastationem et stragiam populorum faceret et Welfo senior reversus esset ad ipsum, haec tamquam detestabilia aspicere non potuit, sed ad propria rediit, filium suum relinquens ibidem. Mox ultio divina subsecuta est, maxima enim pars exercitus imperatoris mortalitate interiit. Episcopus Coloniensis ille, qui totius mali huius nec non et scismatis diutini incentor fuit, Spirensis, Ratisponensis, Bragensis, Verdonensis, Leodiensis ac ceteri principes, Fridericus scilicet dux, filius Cuonradi regis, Welfo dux, filius Welfonis ducis, Berengarius comes de Sulzbach[f], Heinricus comes de Touingen cum pluribus regni huius maioribus occubuerunt. Quorum omnia pene ossa, carnibus per excoctionem consumptis, ad propria reducta sunt. Translata sunt autem et ossa Welfonis et in monasterio Steingademo[g], a patre suo fundato, reposita sunt.

Anno Domini 1168. et sequentibus annis, prout oportunitas temporum concessit, cepit imperator in partibus Tusciae et terrae Romanae castra ad se spectantia suae potestati vendicare et quaedam nova construere, in quorum presidiis Teutonicos precipue collocavit; in monte siquidem Radicophino eminentissimum castrum ipse primus construxit; ex quibus Romanos adeo perdomuit, ut Alexander papa coactus secederet ab Urbe et in partes Franciae seu Angliae vel Aquitaniae sive Hispaniarum se conferret. Nam exortum scisma durabat in tantum, ut mortuo Octaviano Wido[34] in papam eligeretur; quo defuncto tercius

---

a) tunc *deest* 3. b) Tǒnigen 1; Tonigen 2; Toingen 3. c) Zolrenses 3. d) affugerent 2; aufugerent 3. e) sedaverunt 1. 2. f) Salzbach 1. 2. 3. g) Steingedemo 3.

[34] Paschalis III.

successit Iohannes[35] Strumensis[a], quos imperator fovit et manu tenuit in apostolica dignitate. Milites quippe Teutonicos in dignitatibus Italiae constituit, nam quendam liberum Bideluphum ducem Spoleti effecit; marchiam quoque Anconae et principatum Ravennae Cuonrado de Luzelinhart contulit, quem Italici Muscam-in-cerebro nominabant, eo quod plerumque quasi demens videretur.

Per singulas quoque civitates iudicibus constitutis, recessit ab Italia cepitque in partibus Alamanniae multa predia nunc emptione, nunc procerum donatione seu quacumque successione fiscali vel hereditaria conquirere. Ruodolfus quippe comes de Phullendorf omnia sua predia contulit imperatori. Iisdem quoque temporibus, mortuo Adelgozo de Suabegge sine herede, qui fuit advocatus Augustae, ipse imperator tam advocatiam quam alia predia ipsius sibi vendicavit sive ex concessione episcopi, qui tunc erat, sive successione fiscali aut hereditaria. Sane, quia civitatis Augustae mentionem fecimus, quod supra omisimus in hoc loco de ea latius describamus.

Interpositio de civitate Augusta.

Gall. hist. Sicut ex scriptis veterum colligitur, haec civitas tria nomina accepit. Germanorum quippe gentes primum considentes in partibus Rhetiae, quae nunc est pars Sueviae, non longe ab Alpibus in planitie, loco tamen munito propter concursum duorum rapidorum fluminum, hanc urbem construxerunt, et non muris, sed fossatis eam firmaverunt, et ex nomine deae Zizae[b], quam religiosissime colebant, Zizerim[c] eam nominabant. Huius quoque deae templum, ex lignis barbarico ritu constructum, etiam postquam Romani eam incolere ceperunt, inviolatum permansit; ac[d] vetustate collapsum nomen colli servavit, in quo postmodum in lapide exsculpti hi versus sunt reperti:

Quem male polluerat cultura nefaria dudum,
Gallus monticulum hunc tibi Ziza tulit.

Unde usque in presens ab incolis idem monticulus Zizenberg nominatur. Apud hanc urbem Romani deleti sunt magna caede. Nam Titus Annius pretor ad arcendas barbarorum excursiones cum exercitu in Kal. Augusti eam circumdedit, ipseque ad meridianam opidi partem, quae sola patebat, castra sua cum legione Martia operosissime communivit. Ad occidentem vero ultra fluvium, ubi Suevis aut barbaris aditus patebat, Avar, Bogudis regis filius, cum omni equitatu et auxilio Macedonico consedit. Igitur quinquagesimo nono die, quam eo ventum est, cum is dies deae Zizae apud barbaros celeberrimus esset, ludum et lasciviam magis quam formidinem cives ostentarunt. Tunc etiam immanis barbarorum multitudo, quae de partibus Sueviae illuc convenerat, de proximis silvis repente erumpens ex improviso castra irrupit et Avaris exercitum delevit. Ipsum quoque Avar, regio habitu indutum, vivum comprehendentes crudeliter in modum pecoris mactaverunt. A quo in loco, ubi mactatus est, vicus usque hodie appellatus est Criechesaveron, in quo hi versus reperti sunt:

His nomen terris Bogudis dat regia proles,
Grecus Avar, pecudis de Suevis more litatus.

Opidani vero non minori fortuna, sed maiori virtute pretorem in auxilium sociis properantem invadunt, quibus Romani haud segniter resistunt. In quo conflictu duo principes opidanorum, Habino et Caccus, in primis pugnantes cadunt, et inclinata iam res esset opidanorum, ni maturassent auxilium ferre Suevi in altera ripa victoria iam potiti. De nominibus autem illorum principum interfectorum extant adhuc loca denominata: nam rustici de Habinone vocant monticulum Habinberg[e], in quo hi versus reperti sunt:

Prefectus Habino, se victum atque sepultum,
Perpetuo montis nomine notificat.

A Cacco vero dicunt Geggingen[f] denominari. Denique, coadunatis Suevis et opidanis, castra irrumpunt[g] et pretorem, qui paulo altiorem tumulum frustra ceperat, Romana vi resistentem obtruncant, legionemque divinam, ut nec nuncius cladis superesset, funditus delent. De hac perdita legione adhuc Perlaich, quasi perdita legio, nominatur; ubi postmodum hi versus sunt reperti:

Indicat hic collis Romanam nomine cladem,
Martia quo legio tota simul periit.

Solus Verres tribunus militum amne transmisso in proximis paludibus se occultans honestam mortem subterfugit, lacui Vernse hucusque nomen dedit, unde versus:

Das nomen lacui Verres, quo tu latuisti.

Hic tamen non multo post Siciliae proconsul effectus, turpem mortem promeruit, nam cum se magistratui abdicaret, iudicio civium dampnatus est.

---

a) Frumensis 1. 2. 3. b) Zise 2. c) Ziserim 2. d) at 3. e) Habinoberg 3. f) Gegginen 1. 3. g) trium 2.

35) Calixtus III.

Propter hunc Verrem tradunt Augustenses, hanc caedem fuisse eandem, quam sub Augusto factam quidam describunt. Otto Fris. Chron. 3, 3. Sed Varum illum nominant his verbis: Ea tempestate cum tribus legionibus Varus, Romano more superbe et avare erga subditos se gerens, a Germanis deletus est. Quam militis Romani cladem in tantum aegre tulisse fertur Augustus, ut saepissime caput parieti collideret ac per vim doloris diceret: *Quintili Vare, redde legiones.* Gravissimum et atrocissimum hoc Romanorum et Germanorum bellum et post Africanum maximum tribus annis cum quindecim legionibus gestum scribit Suetonius. Unde notari potest, quanti roboris praedicta gens Germanorum fuerit, quae in summa auctoritate Romani imperii tantam stragem Romani militis dederit. Urbs eadem postmodum Vindelica a fluvio est nominata. Tandem ex nomine Augusti per Claudium Drusum, qui eam reparavit seu munivit, Augusta est dicta. Idem enim Drusus apud Renum, ut supra dictum est[36], quartus augustus[a] imperator Mogonciam construxit, ubi adhuc monumentum eius monstratur in modum pirae. Sed iam redeamus ad propositum, ut ulterius annos describamus.

Anno Domini 1169.

Anno Domini 1170. Terrae motus maximi facti sunt et ingens inundatio aquarum mense Septembri.

Anno Domini 1171.

Anno Domini 1172.

Anno Domini 1173.

Anno Domini 1174. Civitas Interamne[37] destructa est mense Martio.

De tercia rebellione Mediolanensium.

Anno Domini 1175. Alexandria obsessa est ab imperatore Friderico. Mediolanenses quippe, pristinam renovantes perfidiam, conspirationem inierunt cum aliis civitatibus Lombardiae, quae omnes, uno die statuto iudices imperatoris cum suis fautoribus a se expulerunt, quosdam suspendentes, quosdam nudos relinquentes. Quod factum est propter multiplices insolentias, quas Teutonici in partibus illis exercebant; accepta quoque occasione a scismate Romanae ecclesiae et ab excommunicatione imperatoris et, ut creditur, de auctoritate Alexandri papae, spretis iuramentis ceperunt rebellare et ideo Mediolanenses reaedificantes quandam civitatem ab imperatore prius destructam ob honorem Alexandri papae vocaverunt eam Alexandriam. Cremonenses vero et Papienses et alii fautores imperatoris in derisionem Mediolanensium et ob vilitatem aedificiorum nominaverunt eam Paleam, quasi de stramine factam. Erat tamen circumdata fossatis et muris firmissimis, in quam plurimi Mediolanensium se contulerant[b], alii vero, prout poterant, suam civitatem reaedificabant.

In hac obsidione imperator non profecit, nam dux Heinricus de Saxonia, nepos[38] suus, perfide ab eo recessit, sumpta occasione de excommunicatione et forte accepta pecunia. Quem, ut referunt homines, secutus est imperator et ad ipsum veniens super lacum Cumanum cum magna humilitate postulavit, ut se non desereret, ita ut videretur pro tali petitione ad pedes eius se velle demittere, quod dux discrete recusavit. Quidam autem ipsius ducis officialis, Iordanus nomine, narratur superbe dixisse: *Sinite, domine, ut corona imperialis veniat vobis ad pedes, quia veniet et ad caput.*

Tunc imperator, compulsus exercitum suum dimittere, cum maximo labore, auxilio precipue Taurinensium et Novariensium, egressus est de Italia per montem Iovis, tendens in Burgundiam, terram uxoris suae, in quibusdam etiam locis adeo angustiatus, ut accepta tunica servientis servum se esse simularet et equos tamquam servus procuraret[39].

Tandem veniens in Alamanniam prefatum ducem de traditione et crimine laesae maiestatis 1178. impetivit. Dux siquidem ipsum preveniens in Suevia fecerat conspirationem contra imperatorem et precipue cum Zolrensibus et Veringensibus et quibusdam aliis[c] comitibus. Ast imperator ipsum ducem frequenter evocat ad curiam ad obiecta responsurum. Ubi quidam principes et barones, fautores ducis, more Teutonicorum, qui sine lege et ratione voluntatem suam pro iure statuentes, contra imperatorem hoc ius tenere volebant, ut imperator ducem condempnare non posset vel terras suas abiudicare, nisi infra terras ducis placitum statueret.

---

a) ab Augusto 3. b) contulerunt 3. c) *deest* 2.

36) Ekkeh. Chr. sub a. 43, SS. VI, 98. 37) Terani prope Spoletum. 38) potius consobrinus. 39) Haec ad a. 1168. sunt referenda.

Porro quidam nobilis exurgens in medium proposuit, quod lege duellionum, quod et lege et ratione firmatur, hoc vellet obtinere contra quemlibet secum pugnare volentem, quod imperator quemlibet principem posset evocare pro iustitia ad locum quemcunque vellet infra terminos sui imperii existentem. Cumque nullus isti se offerret ad pugnam, edicto imperatoris prefata sententia pro iure perpetuo statuta est, quam non dubium est auctori-
1180. tate et ratione firmari. Cumque imperator prefato duci abiudicasset ducatus suos et alia bona, singula concessit his quibus apta erant ad retinendum. Sicque factum est, ut ducatum Noricum concederet Ottoni palatino de Witelinspach, cuius et supra mentionem fecimus. Qui fretus auxilio fratrum suorum, Cuonradi videlicet Salzburgensis archiepiscopi, qui postmodum fuit etiam Mogonciensis archiepiscopus, Ottonis quoque fratris sui, quem effecit palatinum, cuius filius postea Philippum regem interfecit, nec non et Friderici, qui dicebatur barbatus, horum inquam auxilio ducatum viriliter obtinuit et ducem de partibus illis expulit. Ducatum vero Saxoniae contulit cuidam nobili Bernhardo de Anhalde, filio sepe dicti[a] Alberti, qui etiam usque ad tempora nostra supervixit. Huic auxilium prebebat Coloniensis archiepiscopus Philippus et Mogonciensis et lantgravius de Thuringia, qui impugnantes ipsum ducem in Saxonia, infra unum mensem de castris ipsius firmissimis, sicut relatu didici, sedecim expugnaverunt et ipsum de terra usque Bruonsvig expulerunt, de qua civitate nec ipse nec eius progenies adhuc potuit expelli. Imperator vero bona ipsius multis distribuit preter ea, quae Welfoni, patruo eiusdem et suo avunculo, dereliquit, quae tamen omnia postmodum cesserunt imperatori sive hereditaria successione sive fiscali.

Anno Domini 1176. Imperator rursus impugnare cepit Lombardos commissumque
Mai. 31. est prelium inter eos pridie Kal. Iunii[b], de quo tamen sine victoria recessum est.
1177. Eodem anno 9. Kal. Augusti reformata est pax inter Alexandrum papam et imperatorem
Iul. 24. apud Venetias. Nam pars Alexandri prevalere cepit tam in civitate Romana quam in tota
Iul. 28. Italia propter favorem Wilhelmi Siculi. Unde postmodum 5. Kal. Augusti Iohannes Strumensis[c], qui dicebatur papa Calistus, renunciavit scismati et ivit ad pedes Alexandri. Sicque diutinum scisma quievit et bella durissima ceperunt tepescere.

Imperator quippe iam vergens[d] in senium quieti cepit operam dare et utilitatibus filiorum suorum intendere. Quinque enim iam genuerat filios, Heinricum videlicet, quem designavit fieri imperatorem; Fridericum quoque, quem effecit ducem Suevorum; et Ottonem, qui postmodum habuit terram matris suae; necnon Cuonradum, qui mortuo predicto Friderico fuit dux Suevorum, sed et minimum Philippum, qui mortuo Heinrico successit in regnum.

Eo tempore iam bellis nimis fatigatus imperator Lombardis omnibus condixit curiam
1183. apud Constantiam, ubi principes et potestates eorum se representaverunt et pacta quaedam de faciendo servitio imperatori de singulis civitatibus Lombardiae ibidem statuta sunt, quae adhuc dicunt se tenere in scriptis nec ad serviendum ultra haec compelli volunt. Sicque pax reformata est.

Anno Domini 1177.

Anno Domini 1178.

Anno Domini 1179.

Sept. 5. Anno Domini 1180. Idus Septembris hora nona sol eclipsim passus est.

Anno Domini 1181. Imperator apud Mogunciam maximum festum et convivium cele-
1184. bravit, convocatis ibidem principibus et baronibus totius regni sed et de aliis regnis quam plurimis. In quo conventu duo de filiis ipsius, videlicet Heinricus rex et Fridericus dux, gladios accinxerunt.

Desponsavit quoque postmodum[40] predicto Heinrico filio suo domnam Constantiam, filiam Rogerii quondam regis Siciliae, quam tunc in potestate habebat Wilhelmus patruus[41] eius, qui eam enutrivit et ipsius nomine regnum gubernavit.

Alteri quoque filio suo Friderico duci desponsavit[42] filiam regis Ungariae, qui tamen morte preventus ipsam non transduxit.

---

[a] supradicti 3. [b] Iulii 1. 2. 3. [c] Frumensis 1. 2. 3. [d] veriens 1. 2.

[40] anno 1186. [41] potius fratris filius. [42] anno 1189.

Anno Domini 1182. Alexander papa celebravit concilium generale in basilica Lateranensi 14. Kal. Aprilis, licet alibi reperiatur, quod ipsum celebraverit anno Domini 1179. Sed potest esse, quod tunc cum aliquibus episcopis Italiae sinodum habuerit. 1179. Mart. 19.

Anno Domini 1183. Alexander obiit, cui successit Lucius III. natione Tuscus. Sedit annos quatuor[a], mensem et diem. Hic rursus contra imperatorem quasdam controversias excitavit, pro quibus sedandis condicitur placitum apud Veronam[43], ubi cum essent ambo, Lucius mortuus est et ibidem sepultus. Super cuius tumulum hi versus annotati referuntur: 1181.

Luci, Luca tibi dedit ortum, pontificatum
Hostia, papatum Roma, Verona mori.

Fuerat enim episcopus Hostiensis, antequam esset papa.

Anno Domini 1184.

Anno Domini 1185. Lucius papa obiit, ut dictum est, Veronae. Tunc cardinales, qui cum ipso erant, de reditu suo plurimum sunt angustiati; timebant enim, ab imperatore aliquam inviolentiam[b] sibi inferri super electione summi pontificis. Sane Mediolanensis archiepiscopus ipsos secure deduxit usque Ravennam, quem et ipsi in papam elegerunt, dictusque est Urbanus III, quem multi Turbanum[44] vocaverunt, eo quod, cum esset Mediolanensis natione, in odium imperatoris volebat turbare ecclesiam, quae iam paulisper quietem acceperat, sed nutu Dei percussus interiit. Sedit enim annum unum, menses et dies.

Anno Domini 1186.

Anno Domini 1187. Eclipsis solis facta est in festo sancti Iohannis baptistae, in hora sexta diei. Eodem anno Urbanus papa obiit. Saladinus quoque, rex Persarum, civitatem Ierusalem cepit et crucem Domini asportavit; factaque est caedes magna ex merito populi christiani, et pene tota terra Ierosolimitana exstirpatis christianis in potestatem Sarracenorum devenit, quam tunc incolebant Latini. Quomodo autem terra eadem in potestatem Latinorum devenerit aut tunc perdita fuerit, breviter describemus, sicut in scriptis cuiusdam invenimus, et qualiter mundus totus ad eius ultionem se armaverit dicamus. Ian. 24. Hist. brevis

Cum olim terram Ierosolimitanam Graeci, sub quorum ditione fuerat, perdidissent, et longo tempore in potestate Sarracenorum extitisset, Latini de perditione terrae commoti, collecto exercitu venerunt et partes Anthiochenas intrantes auxiliante Domino terram recuperaverunt. Horum principes erant hi: Gottifridus de Bulion, qui postmodum dominus fuit terrae Iherosolimitanae, et Baymont, qui princeps extitit Anthiochiae, et quidam alii. Cumque postmodum semen Gotfridi in tercia generatione defecisset, personae terrae Israhel et barones ad principes ultramarinos miserunt rogantes, ut principem destinarent, qui eos regeret et furentibus resisteret Sarracenis. Qui habita deliberatione elegerunt quendam Fulconem Andegavensem, virum strennuum, regis Angliae proxima linea consanguineum, et miserunt eum ad terram Iherosolimitanam. Hic rex coronatus strennue rexit terram duosque filios reliquit, Balduwinum et Almericum, quorum primogenitus Balduwinus patri successit in regnum, vir strennuus et sapiens. Quo sine liberis decedente, ad fratrem suum Almericum regni potestas devoluta est, qui ex uxore sua sibi plurimum consanguinea duos habuit liberos scilicet Balduwinum et Sibiliam. A qua uxore cum fuisset iudicio ecclesiae separatus, accepit neptem Emanuelis imperatoris Constantinopolis, Pollinam, ex qua habuit filiam nomine Ysabel. Mortuo vero Almerico, Baldowinus filius eius regnavit pro eo, vir strennuus et sapiens et iustus, sed occulto Dei iudicio leprosus fuit. Hic sororem suam Sibiliam Wilhelmo, de Longaspe cognomine, marchioni de Monte Ferrato tradidit in uxorem, et ipsum comitem Ioppensem constituit, qui videlicet Wilhelmus ex ea filium genuit etiam nomine Wilhelmum. Postea mortuus est pater eius, de Longaspe cognomine, vir probus in armis et placidissimus. Rex vero Baldowinus, cum esset leprosus et nollet uxorem accipere, nepotem suum Wilhelmum, filium Sibiliae et marchionis, coronavit regem, relinquens eum in tutela Raymundi comitis Tripolitani. Mortuus est autem rex Baldowinus et sepultus est ad patres suos. Sibilia vero, soror eius, comitissa Ioppae, iam nupserat se cuidam militi Widoni de Lisignano, viro satis armis strennuo, sed fortuna et scientia inferiori. Sibilia vero, mater pueri, comitissa Ioppae, cum patriarcha Eraclio et aliis terrae personis procuravit, quod sibi et viro suo Widoni regnum daretur, qui coronati sunt ignorante et irrequisito comite Tripolitano, qui fuerat a rege Baldowino regni procurator et baiulus constitutus. Ob quam causam cepit ea machinari, quae possent in regis redundare dedecus, et tam ipso, ut dicitur, procurante, quam etiam nostris peccatis exigentibus, culpa quoque Reinaldi principis de Moreal, qui treugas, quas regnum Iherosolimitanum cum Sarracenis habebat in perpetuum, maxima preda capta confregit, irruerunt Sarraceni in regnum Iherosolimitanum et, capto rege et baronibus et populo universo[c], ligno quoque dominicae crucis et Iherusalem, hereditate Dei, et civitatibus et castellis universis, anno dominicae incarnationis 1187. totum regnum usque ad internicionem contriverunt. In quo regno sola Tyrus, urbs in medio cordis maris sita et fere a mari circumdata, excidio perpetrato remansit, quam postmodum Cuonradus, marchio de Monte Ferrato, frater Wilhelmi, quem supra memoravimus, laudabili strennuitate defendit, et Sarracenis tam in mari quam in terris restitit gloriose. Predicti namque excidii dato passim rumore per orbem, fremuerunt gentes et commota sunt regna; venerunt a finibus terrae tribus domini, liberare sanctificium[d] eius de manibus impiorum[e], portantes iniquitatem in cubilibus suis et de sua virtute deceptorie presumentes[e].

---

a) *sic emendavi*; II. 1; XI. 2; VI. 3. b) violent 3. c) intruso 3. d) sacrificium 3. e) *sic* 1. 2; manibus ipsorum, qui portant — praesumunt 3.

43) anno 1184. 44) In hoc iam Urbani II. mutaverant nomen.

Hist. brev. De Italicis ergo primi iniuriae Christi occurrerunt homines bellicosi, discreti et regula sobrietatis modesti, prodigalitatis expertes, parcentes expensis, cum necessitas non incubuerit, et qui inter omnes gentes soli scripta legum sanctione reguntur. Hi ducem proprium non habentes cum suis quos elegerant tribunis ad obsidionem urbis Acon cum ipso rege Widone, qui fuerat a captivitate liberatus, perrexerunt.

Civitas Acon, quae antiquitus Ptholomaida vocabatur, in litore maris est posita et est[a] ipso mari a meridie et occidente perclusa, ab oriente vero et septentrione tota patet. Ex qua parte, rebellantibus terris, refertam Italici urbem obsederunt. Quos postmodum veniens Saladinus cum multitudine infinita obsedit, credens illos propter paucitatem plenius posse delere, sed misericordia favente divina ei in contrarium cessit. Nam diebus paucis evolutis venerunt Daci, Normanni, Goti[b], Franci et ceterae gentes insularum, quae inter occidentem et septentrionem sitae sunt, gentes bellicosae, procerae corpore, mortis intrepidae, navibus rotundis, quae hisnachiae[c. 45] dicuntur, advectae. Hi si non supervenissent, christiani funditus essent demoliti. Isti cum ipsis Italicis civitatem obsederunt.

Dum haec apud Acon geruntur, Fridericus imperator Romanorum cum exercitu perspicuo de Teutonica egrediens, per Ungariam et Bulgariam transiens, in manu forti et brachio extento in Licaoniam transvectus est, ibique de Philomena et Iconio et aliis civitatibus gloriose triumphans, soldano et Turcis rebellantibus domitis, devenit in Armeniam, ubi peccatis nostris promerentibus, dum in aestu maximo in flumen, quod Ferram[d. 46] incolae appellant, lavandi gratia descendisset, mortuus est, et accessit dampnum inextimabile christianis.

Fuit autem Fridericus imperator vir christianissimus, bellorum omnium triumphator, animosus, mansuetus, familiaris quibuslibet, victis clementissimus, obliviosus iniuriae, statura mediocris, corpore rufus, aetate longaevus, et qui corporis strennuitate non erat inferior quolibet ducatu regiminis. Huic in regendo exercitum successit filius eius, nomine patris sui Fridericus, dux Sueviae, armis strennuissimus. Quo per Armeniam ducente exercitum, in confinio ipsius Armeniae et Syriae, non longe a nobilitate Anthiochiae, ingens plaga desaevit in Alamannorum exercitum, ut vel propter intemperiem aeris vel ciborum abundantiam, a quibus se temperare nescierunt, fere omnes mortui sunt, ac si nollet Deus membra suo capiti supervivere. Ipse autem dux Sueviae cum paucis ad obsidionem Acon devenit ibique paucis diebus evolutis mortuus est.

Fuerunt autem in exercitu imperatoris isti principes et barones: dux Sueviae, dux Bertholdus Meraniae, episcopus Herbipolensis, archiepiscopus Tharantasianus, episcopus Monasteriensis, episcopus Pataviensis, episcopus Ossiburgensis, episcopus Misniensis, Hermannus marchio Badensis, Fridericus de Bergilen, Cuonradus de Dornbach[e] et Fridericus frater eius, Gobertus et Poppo et multi alii, quos labor esset nominare.

Interea venerat ad obsidionem Acon Philippus comes Flandriae, Theodebaldus et Stephanus comes Campaniae, Henricus eorum nepos, qui postea dominus Ierosolimitanae urbis remansit, et dux Burgundiae et Lodoicus lantgravius Turingiae et plures alii principes et barones.

Ceperunt potius omnes in exercitu lecacitatibus operam dare, quam expugnare civitatem. In diebus illis fames valida facta est in exercitu, ita quod vestes et arma cogerentur milites ob victum distrahere et mactare equos: una enim gallina marsupium magnum evacuabat, immo, quod deterius est, auro cibaria non poterant invenire. Eodem tempore Cuonradus marchio, quem supra memoravimus, homo sagacissimus, habens civitatis Tyri dominium, cepit ad regni Iherosolimitani gubernaculum aspirare, et in tantum sua astutia processit, quod Ysabel, filiam regis Almerici a viro suo Offeredo[f], qui regionis ultra fluvium dominus fuerat, fecit ecclesiastico iudicio separari, ipsamque in uxorem accepit.

Eisdem temporibus Philippus Francorum rex pervenit ad obsidionem Acon. Post cuius adventum, aliquantis diebus transactis, Richardus rex Angliae, devicta insula Cipri et bonis omnibus expoliata, ad eandem obsidionem pervenit.

Venit autem cum eisdem regibus omnium incentiva malorum, filia diaboli, potentissima regina inferni Discordia, et sedit in medio eorum cum sorore sua primogenita macilenta et livida, Invidia scilicet, et tam ipsos reges quam etiam totum christianorum exercitum in diversas voluntates et actiones distraxit. Cum enim Francorum regi pugna contra civitatem placeret, Anglico displicebat; et quod placebat Anglico, displicebat Franco; et in tantum huiusmodi aucta est discordia, quod fere inter se intestinum bellum moverent et inter omnes alios principes et barones duorum regum effusa est discordia. Cum rege Franciae isti fautores erant: dux Burgundiae, comes Clarimontis, marchio Cuonradus, cuius potentia magna erat in exercitu, Templarii, Ianuenses, lantgravius de Turingia, comes Rupertus et Belvacensis episcopus. In parte regis Angliae fuerunt isti: comes Flandrensis, comes Campaniae, rex Wido, Hospitalarii, Pisani et plures alii.

His diebus Sibilia, uxor regis Widonis, cum duobus suis filiis mortua est; et marchio magis et magis ad regnum aspiravit. His etiam diebus mortui sunt comites Stephanus et Tibaldus, frater eius, milites strennui et sapientes. Mortuus est comes Flandriae et lantgravius de Thuringia, vir per omnia strennuissimus et celebri fama in perpetuum nominandus.

Erectis igitur machinis et castellis contra menia civitatis Acon, urbem fortiter expugnare ceperunt et Sarraceni non minus fortiter resistere, comburentes aedificia, quae christiani erexerant. Tandem volente Domino muri civitatis cepere frangi propter utriusque regis aedificia[g], et turris, quae dicitur maledicta, iactis lapidibus conquassari. Unde christianorum animi eriguntur, Sarracenorum deprimuntur. Iam enim poterant christiani fractis muris ingredi civitatem. Tunc Sarraceni pacta quaerunt, reddere civitatem promittunt et crucem dominicam et captivos christianos, si ipsis tantummodo vita salvaretur. Pacta placent, per manus marchionis in potestatem[h] regum reddunt civitatem, et inter ipsos reges dividuntur Sarraceni, qui fuerunt intra inventi. Postea vero, cum pacta servare nequissent, quoniam crux dominica nullo modo potuit inveniri, omnes decollati sunt. Rex Franciae nacta occasione recessit, loco sui milites duci Burgundiae commisit. Anglorum vero rex in terra Iherosolimitana remansit et reaedificavit Ioppen et Ascalonam, Saladinum et exer-

---

a) et et 1; *deest* 2. b) Soti 1. 2; Gothi 3. c) *sic* 1; hysnachie 2; hilnachiae 3. d) Serram 1—3. e) Corndoch 1. 2. f) *sic* 1; offerendo 2; auferendo 3. g) *deest* 2. h) potestate 1. 3.

45) *Snaga*, navis rostrata; *snag* Danis est celer, pernix. Graff, Sprachschatz VI, 839. Cf. Anon. de profect. Danor. in terr. sanct. ap. Langebek SS. Dan. V, 248: *sneckae — piraticae naves, quae ferendis alimentis magnitudine ac firmitate sunt idoneae.* Gaufr. Vinisauf, Itin. Rich. ap. Gale SS. II, p. 322: *cum cimbis esneckarum.* 46) *Quem Ferreum appellant incolae.* Iacobi de Vitr. hist. orient. cap. 101. *Quod incolae Ferrum appellant.* Descr. Terrae sanctae. Idem est, quem Sigeb. cont. Aquicinct. (SS. VI, 426) Farfar nominat.

citum eius bello confregit, mercatores Saladini ad Damascum euntes spoliavit et cepit, Ioppen postea a Sarracenorum insultibus liberavit strennuissime.

His diebus Cuonradus marchio dominus est terrae Iherosolimitanae factus, et post paucos dies ab Assessino[a] interfectus fuit in Tyro. Quae fuerit causa interfectionis eius, plus in opinione quam in veritate repertum habeo. Quidam dicunt, quod rex Angliae mortem eius procuravit propter hoc, quod sororem suam noluit in uxorem accipere. Alii dicunt, quod Honfridus dominus de Moreal fecit eum occidi propter hoc, quod sibi uxorem suam Ysabel abstulerat. Alii dicunt, quod propria voluntate motus est Assessinus ad ipsum interficiendum propter hoc, quod quosdam mercatores terrae suae apud Tyrum clam interfici fecit. Fuit autem Cuonradus vir armis strennuus, ingenio et scientia sagacissimus, animo et facto amabilis, cunctis mundanis virtutibus preditus, in omni consilio supremus, spes blanda suorum et hostium fulmen ignitum, simulator et dissimulator in omni re, omnibus linguis instructus, respectu cuius facundissimus reputabatur elinguis; quem in hoc solo plurimum fuisse culpabilem reputo, quod alterius uxorem marito vivente seduxit et fecit a viro suo separari ipsamque in uxorem accepit; sed invidiae spiritus plurima contra eum confinxit. Isdem Wido rex Iherusalem, sub cuius infortunio sanctum regnum decessit, factus fuit rex Cipri a rege Angliae. Mortuo vero Cuonrado marchione, Heinricus comes Campaniae accepit Ysabellam, filiam regis Almerici, in uxorem, quae fuerat uxor marchionis, et dominium terrae Iherosolimitanae suscepit.

Rex vero Anglicus, inter Sarracenos et christianos quinquennalibus treugis compositis, recessit. Qui captus in Teutonia Astriae est, traditus imperatori Heinrico, 200 milia marcharum argenti in sua redemptione persolvit. Liberatus vero in patriam propriam devenit ibique postmodum fuit a quodam milite occisus. Fuit autem Richardus rex Angliae homo ferocissimus, favorabilis, gloriae cupidus, pecuniae liberalis, quocumque ipsum trahebat sequens impetus, et quem ipsi Sarraceni et populus christianus et alii timuerunt. Treugis ergo sic dispositis et ab utraque parte conservatis, pax habita est in Terra sancta. De dispositione vero Terrae sanctae et situ civitatis Iherosolimitanae omittimus interponere, ne seriem rerum gestarum videamur interrumpere[b]. Hec require supra in primo quaterno libri[c].

In anno prenotato, videlicet 1187, successit Urbano in sede apostolica Gregorius VIII. natione Beneventanus, sedit menses duos. Hic primum litteras transmisit in orbem pro liberatione Terrae sanctae, multa statuens de correctione morum, tam in clero quam in populo, utpote de superfluitate vestium et coreis et aliis vanitatibus vitandis. Cui successit Clemens III. natione Romanus, sedit annos duos, menses . . .

Eo anno Fridericus imperator iam cruce signatus conventum principum apud Nurinberc coadunavit, ubi de pace terrae disposuit et in litteras redigi iussit, quas litteras Alamanni usque in presens *fridebrief*, id est litteras pacis, vocant nec aliis legibus utuntur; sed nec eisdem recte utuntur, tanquam gens agrestis et indomita. Quarum tenorem huic operi duximus inserendum, quatenus saltem lex tam decurtata non pereat de hominum memoria.

Lex Friderici imperatoris.

1186. Dec. 30. *Fridericus Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus. Decet fidelitati nostrae, tempora generali populorum provinciarum tranquillitati circumspectionis nostrae studio provideri, ut, dum in subiectis dominationis virtute pollemus, reprobos quoslibet ac scelerosos a subditorum iniuriis arceamus aequitatis nostrae correctione. Considerantes quippe, quae damna quantaeque desolationes hominum et provinciarum per seditiones et incendia provenerint et quantos preterea futurorum timores reportent, ea quae de conscientia et consilio principum et aliorum fidelium nostrorum, tam liberorum quam ministerialium, ad reprimendas incendiariorum insolentias imperialis nostra sanxit auctoritas, universalis imperii fidelibus nota fieri volumus, et sicut in castro nostro Nurinberc haec ordinata et confirmata sunt, firmiter indicimus observanda.*

Primum igitur de incendiariis dicimus[d] *generaliter, ut si liber homo, ingenuus, ministerialis vel cuiuscunque conditionis fuerit, incendium commiserit pro werra propria, pro amico, pro parente vel causae cuiusquam alterius occasione, de sententia et iudicio imperiali proscriptioni statim subiectus habeatur. Hic excipiuntur, si qui forte manifesta werra castra manifeste capiunt, et si qua ibi suburbia aut stabula aliave tuguria preiacent, igne succendunt. Excipiuntur et iudices, quos in malefactores penam iustitia exigente exercere contingit. Quod si aliquis in ducatu alicuius incendium fecerit, ipse proscriptum pronunciet ac deinde iustitiae suae auctoritate eum proscribat. Id ipsum faciant marchiones, palatini comites, lantgravii et comites alii, nec alicui eorum liceat talem absolvere, nisi domno imperatori. Quicunque etiam incendiarium in domo sua scienter receperit et consilium auxiliumve ei impenderit, damnum et iniuriam passo pro facultate sua restituat. Iudici vero decem libras*

---

[a] assessione 1. 2. [b] De dispositione — interrumpere *desunt* 2. [c] *sic* 1; Hec — libri *desunt* 2. 3. *Hic locus ad codicem spectat autographum.* [d] demandamus 3.

monetae de illa diocesi, in qua commissum est, persolvat, ac domno imperatori pro voluntate et gratia sua disponat. Si quis autem super hac culpa innocentiam suam probare vel[a] *ostendere voluerit, cum duobus viris veracibus in presentia iudicis se expurget. Si quis autem cuiquam imposuerit, quod incendiarium receperit et de hoc ipsum iure voluerit convenire, hoc nequaquam ei fieri liceat, nisi prestito primo calumniae sacramento. Domnus etiam imperator proscriptorum neminem a sententia proscriptionis absolvat, nisi de illicitis primo damnis cum iniuriato componat, et nisi consciente iudice hoc faciat. Proscriptum vero, quem pro incendio sententiam proscriptionis incurrisse omnibus notum fuerit, diocesianus episcopus, si ad satisfactionem inobediens extiterit, a communione ecclesiae Dei et fidelium Christi abiciat et extraneum eum reddat nec eum absolvat, quoadusque laeso damnum restituat; et e converso, quem episcopus legitimis induciis citatum iustitia dictante excommunicaverit, et hoc iudici insinuaverit, iudex eum banno proscriptionis condemnet et nec prius eum absolvat, quam coram episcopo de his, pro quibus condemnatus est, satisfaciat. Quod si a proscriptione illa predicto modo fuerit absolutus et episcopo suo voluerit obedire, incendium primo abiuret, deinde sit in arbitrio episcopi, qualem ei penam iniungat, ad visitandum sepulchrum Domini aut limina Iacobi apostoli. Si autem proscriptus eo, ut dictum est, modo absolvi desideraverit, domno imperatori fines imperii per annum et diem abiuret. Si quis autem a proscriptione et*[b] *excommunicatione similiter non fuerit absolutus infra annum et diem, universo iure, honore et legalitate privatus habeatur, ita ut in ferendo testimonio vel ad iudicandum de cetero nequaquam sit admittendus; omni quoque feudali iure carebit perpetuo. Item si in reisa alicuius domini cum ipso domino, cuius est reisa, aliquis fuerit, qui incendium, ut saepius contingit, faciat, dominus ipse, cuius est ipsa reisa, iurabit super reliquias, quod non fecerit conscientia vel mandato vel voluntate sua. Reum autem abiciet a se et nunquam recipiet. Quod si illum post satisfactionem receperit, tenetur universum damnum, quod ille commisit, restituere. Item si contingat, dominum aliquem in villa aliqua hospitari violenter, et fortuitu evenerit, domum aliquam incendi, et ille, cui fit damnum, dominum impetierit, quod mandato suo vel voluntate vel conscientia sua factum sit, damnum damnificato restituat. Item si incendiarius captus fuerit et coram iudice negare voluerit, incendium se commisisse, si forte notorium non fuerit per provinciam, iudex si possit eum cum septem idoneis testibus convincere, capite plectatur. Sed si notorium fuerit, nullius requirendum est testimonium, sed statim decollandus. Item si castellani cuiusquam domini descendentes a castro domini sui incendium fecerint, domino absente a provincia, castrum domini propter hoc non erit comburendum, sed bona incendiariorum, quaecunque extra castrum fuerint reperta, comburantur. Post reversionem vero domini, si dominus incendiarium retinere voluerit et a se non reppulerit, castrum eius similiter erit comburendum. Item si proscriptus propter incendium in aliquam domum confugerit, de qua non possit haberi nisi domus incendatur, propter hoc incendium non erit quis incendiarius, sed damnum pro incendio restituere debet. Item si incendiarius super castrum aliquod agitatus confugerit, et dominus, cuius est castrum, fortassis dominus vel vasallus vel consanguineus fuerit, dominus ille non debet eum persequentibus representare, sed iuvabit eum a castro in silvam vel alias, ubi securus sibi videatur. Quod si nec dominus vel vasallus nec cognatus fuerit, persequentibus eum statim representet vel cum eo in eadem culpa sit.*

Statuimus etiam et eodem firmiter edicto sancimus, ut quicunque alii damnum facere aut laedere ipsum intendat, tribus ad minus ante diebus per certum nuncium suum diffiduciet eum. Quod si laesus diffiduciatum se fuisse negare voluerit, nuncius idem, si vivus est, iuret, quod contradixerit ei ex parte domini sui, loco et tempore designato. Si mortuus est nuncius, iuret dominus iunctis sibi duobus viris veracibus, quod contradixerit ei, ne dolo mediante de fide violata quis valeat inculpari. His sancientes adicimus, ut quicunque treugas alicui dederit, nisi ibi determinatum et exceptum fuerit, quo tenore servet vel non servet eas, contradicere eis ante terminum statutum nequaquam possit; quod si fecerit, ut violator fidei iudicetur. Item qui nuncium aliquem, pro eo quod contradicturus mittitur, laeserit, fidem suam violavit et de cetero omni honore suo carebit, et in posterum nullus ei contradicet.

De filiis quoque sacerdotum, diaconorum, rusticorum statuimus, ne cingulum militare aliquatenus assumant, et qui iam assumpserunt, per iudicem provinciae a militia pellantur.

---

a) probare vel *desunt* 2. b) ab 2.

Quod si dominus alicuius eorum eum in militia contra iudicis interdictum retinere contenderit, dominus ipse iudici in decem libras condemnetur, servus autem omni iure militiae privetur. Statuimus etiam, ut si quis vineas aut pomeria exciderit, proscriptioni et excommunicationi incendiariorum subiciatur. Ut autem hec tam utilis ordinatio omni tempore rata permaneat et eo, quo dicta est, tenore inconvulsa consistat, eam legibus predecessorum nostrorum imperatorum atque regum iussimus interseri et perpetuo iure servari. Cui si quis ausu temeritatis contraire presumpserit, Dei omnipotentis et nostrae perpetuo indignationis sit reus. Fiat, fiat. Actum Nurenberc in presentia principum, consilio et consensu eorum. Anno incarnationis 1187. 3. *Kal. Ian.*

Anno Domini 1188. Multi cruce signantur.

Anno Domini 1189. Imperator iter Iherosolimitanum arripuit et multi cum eo tendentes per Ungariam, ut supra descriptum est. Hunc annum quidam versificator denotavit tali versu:

Annis undenis demptis de mille ducentis,
It pater et natus, dux et rector Fridericus.

Annum vero, quo olim Cuonradus rex ivit, denotavit his versibus:

Anno milleno centeno tesseradeno
Septeno pariter coeperat istud iter.

Annus vero quondam, quo dux Gotefridus obtinuit terram, his versibus denotatur[a]:

Anno milleno centeno, quo minus uno,
Ierusalem Franci capiunt virtute potenti.

Anno Domini 1190. Fridericus imperator obiit, ut superius descriptum est. Cui successit Heinricus filius eius.

Anni Heinrici sexti.

Anno Domini 1191. ab Urbe condita 1944. Heinricus, huius nominis sextus vel secundum 1190.
cronicam Romanorum quintus — ipsi namque Heinricum primum, patrem Ottonis
primi, non connumerant in katalogo imperatorum, sed ducem Saxonum scribunt, — hic
itaque Heinricus, 92. loco ab Augusto, regnum accepit. Prius tamen a patre rex designatus
fuerat et de consensu principum coronam Aquisgrani acceperat; regnavit autem post
patrem annis septem. Contra hunc a principio rebellare parant Colonienses et quidam alii 1191.
principes et quidam comites Burgundiae. Cumque propter talem causam interfectus fuisset
episcopus Leodiensis, quievit rebellio et Colonienses cum satisfactione ad gratiam redeunt,
similiter et alii.

Eo anno Clemens III. obiit, cui successit Celestinus III, qui prius Iacinctus fuerat 1191.
dictus. Sedit annos 7, m . . . . d . . .

Anno Domini 1192. Heinricus Romae a Celestino papa coronatur. Sed Romanis 1191. Apr. 15.
rebellantibus non potuit adipisci coronam, quin prius traderet eis Tusculanum. Erat autem Tusculanum firma civitas ultra Romam in montibus sita. Haec Romanis rebellaverat et dampna gravia intulerat. Huius itaque cives, audito adventu imperatoris, ipsius auxilium contra Romanos postularunt et civitatem suam in potestatem ipsius tradiderunt, ubi imperator milites suos collocaverat in presidio. Hi accepta legatione imperatoris incautam civitatem Romanis tradiderunt, qui multos peremerunt de civibus et fere omnes sive pedibus sive manibus seu aliis membris mutilaverunt. Pro qua re imperatori improperatum est a multis.

Accepto itaque diademate imperiali progreditur imperator in fines Apuliae. Nam regnum Siciliae et Apuliae, iam mortuo Wilhelmo, iure hereditario ad domnam Constantiam uxorem ipsius devolvebatur, quamvis illud quidam Dancredus, nepos reginae, occupaverit, quo mortuo, quidam alii diversa loca et castella occupaverant. Progrediens igitur imperator cum exercitu Neapolim civitatem munitissimam obsedit, ubi in aestivo tempore multi Teutonicorum perierunt, et ab obsidione recessit imperator inglorius. Missis autem nunciis de Alamannia fecit adduci uxorem suam, cuius, ut dictum est, erat terra. Haec in ipso itinere apud Cumas a quibusdam latronibus inhoneste tractata est et a Salernitanis

---

a) annotatur 3.

capta. Imperator vero reversus est in Alamanniam, relinquens in Apulia Diepoldum quendam fidelem suum, ut medio tempore contra hostes ipsius pugnaret.

Anno Domini 1193. Richardus rex Angliae in Astria captus a duce Lupoldo[a] traditur imperatori. Imperator vero 100 milia marcarum sibi ab eodem data fecit militibus dari in soldum et magnum adunavit exercitum in Apuliam et Salernum manu armata expugnavit, de cuius preda ditatus est exercitus.

Anno Domini 1194. Tota Apulia et Sicilia et Calabria eius subduntur imperio, et de subiectione et fidelitate vades accepit quosdam nobiles et potentes terrae, inter quos erant archiepiscopus Salernitanus et duo comites, germani fratres eiusdem, et quidam Margaritus, qui potens fuerat in mari pirata.

1196. Anno Domini 1195. Rursus quidam comites et barones in Apulia rebellant imperatori, quocirca imperator missa legatione vades, quos acceperat, in Alamannia iussit oculis excaecari, quod et factum est preter episcopum. Rebelles quoque captivatos diversis suppliciis et horrendis fecit interimi.

Eo tempore imperator Marquardum de Anninwilir[b], dapiferum et ministerialem suum, libertate donavit et ducatum Ravennae cum Romania, marchiam quoque Anconae sibi concessit; prefato etiam Diepoldo quasdam provincias Apuliae commisit, ponens eum in quodam castro quod vocabatur Rocca de Arce. Hi duo bella imperatoris strennue peregerunt. Philippo quoque fratri suo dedit uxorem domnam Erinam, filiam regis Graecorum, quam reperit in palatio Panormitano — desponsata siquidem fuerat filio prefati Dancredi —, tradens ei dominium totius Tusciae et terram domnae Mahtildis.

1194. Anno Domini 1196. Natus est imperatori filius Fridericus, qui postea tenuit imperium.

Hist brevis. Anno dominicae incarnationis 1197. Heinrico imperatore procurante Alamanni in terram promissionis venerunt, bellicosi, crudeles, expensarum prodigi, rationis expertes, voluntatem pro iure habentes, hensibus[c] invicti, in nullis nisi hominibus suae gentis confidentes, ducibus suis fidelissimi, et quibus vitam potius quam fidem possis auferre. Hi cum venissent in terram promissionis, treugas fregerunt, quas rex Angliae, ut dictum est, in recessu suo statuerat, urbem Berentim[d] recuperaverunt, Ioppen perdiderunt.

His diebus comes Heinricus, qui dominus terrae Iherosolimitanae extiterat, de quadam fenestra sui palatii cecidit et mortuus est. Huius uxorem nomine Ysabellam, quae regnum hereditabat, accepit Americus rex Cipri, et coronatus est in regnum Iherosolimitanum. Alamanni vero ad obsidionem Teroni[e] castelli accesserunt ibique mensibus aliquot commorati, audita morte imperatoris Heinrici recesserunt. Quorum principes fuerunt isti: Cuonradus Maguntinus archiepiscopus, Cuonradus cancellarius imperatoris, Heinricus dux Saxoniae, Liupoldus[f] dux Astriae, dux Brabantiae[47], Hermannus lantgravius de Turingia, frater Lodovici, quem supra memoravimus, Pataviensis episcopus[48], Ratisponensis episcopus[49], Cicensis episcopus[50], Halberstatensis episcopus[51], marchio Cuonradus[52], Albertus comes, Heinricus Caladinus[g] marscalcus et plures alii, quos memorare non curo. Nulla est enim ambitio memorandi, quos constat plurimos fuisse et nullos: nil valet, nisi subsequatur effectus.

1196. In tempore illo in Alamannia Cuonradus, frater imperatoris, dux Suevorum, movit exercitum contra Bertoldum ducem Zaringiae de voluntate imperatoris. Cumque maneret in quodam opido Durlaich[53] nomine, obiit et sepultus est in monasterio Loricensi. Multi asserebant, eum fuisse interfectum a quodam, cuius uxorem adulteravit violenter, sive ab ipsa uxore. Erat enim vir totus inserviens adulteriis et fornicationibus et stupris, quibuslibet luxuriis et immundiciis, strennuus tamen erat in bellis et ferox et largus amicis, et tam sui quam extranei tremebant sub eo. Tunc imperator ducatum Sueviae contulit prefato Philippo, fratri suo, qui relictis partibus Italiae transivit in Alamanniam cum uxore sua, ponens eam in castro Suainhusen[54]. Tunc etiam de mandato imperatoris regium diadema imposuit regi Boemorum Otakero.

1197. Sequenti quoque anno in tempore pascali maximum festum nuptiarum celebravit cum multis principibus et baronibus apud Augustam in campo magno, qui[h] dicitur Consciolegis[i].

His etiam temporibus procurante imperatore factum est, ut principes Alamanniae pene omnes filium parvulum ipsius adhuc in cunis vagientem assumerent in regem et ei fidelitatem iurarent et litteras de hoc facto cum sigillis suis transmitterent imperatori.

---

[a] Leupoldo 2. [b] añenweyler 2. [c] ensibus 3. [d] Bentim 2. [e] *sic* 1; Tetuni 2; Tetoni 3. [f] Leupoldus 2. [g] Calandinus 2. [h] quod 1. [i] Contiolegis 3.

[47] Heinricus. [48] Wolfgerus. [49] Cunradus. [50] Bertholdus. [51] Gardulfus. [52] Marchiae orientalis. [53] Durlach prope Karlsruhe. [54] Schweinhausen in praef. Wirtembergica Waldsee.

Anno Domini 1198. Heinricus imperator obiit in Sicilia et in ecclesia Panormitana 1197. magnifice est sepultus. Erat autem imperator Heinricus prudens ingenio, facundus eloquio, facie satis decora, plus tamen macilenta, statura mediocris, corpore tenuis et debilis, acer animo ideoque inimicis suis erat pavendus et terribilis; vanitatibus deditus maxime venationum et aucupiorum. Multi asserebant, eum interisse[a] veneno, procurante uxore sua, pro eo quod nepotes ipsius suppliciis interfecerat, quod tamen non est verisimile, et qui cum ipso eo tempore erant familiarissimi hoc inficiabantur. Audivi ego id ipsum a domno Cuonrado[55], qui postmodum fuit abbas Premonstratensis et tunc, in seculari habitu constitutus, in camera imperatoris exstitit familiarissimus.

Gesta Philippi.

Philippus, frater imperatoris, eo tempore exierat de Alamannia, ut veniret ad ipsum in Sicilia, processeratque usque ad Montem Falconis, castrum quoddam apud Viterbium, ubi de morte imperatoris nunciatum est ei. Ortaque est seditio in partibus illis, maxime contra Teutonicos, qui tunc in partibus Italiae demorabantur, unde in castro eodem quidam de familia ducis occidebantur, inter quos erat Fridericus nobilis ministerialis eius de Tanne, frater dapiferi, qui nunc est[56]. Et ipse dux in magno discrimine ab Italia recessit et laboriose pervenit in Alamanniam, ubi iam principes iuramenta sua postponentes, de electione novi imperatoris tractare ceperunt, cupientes diripere hereditates, que ad prefatam generationem pertinebant. Sed Deus conterens omnem impietatem et perfidiam ipsorum, haec[b] fieri non permisit, inspirans cordibus hominum, ut suos nativos dominos non derelinquant et alienis adhaereant. Ideoque prefatus Philippus ad partes Reni se contulit in continenti et natalem[c] Domini in castro Haginou celebravit, ubi venerunt ad eum et officiales et mini- Dec. 25. steriales et quidam de principibus et baronibus terrae, cum quibus habuit misterium consilii sui; ubi etiam aderat Cuonradus Argentinensis episcopus, qui etiam promisit favorem et auxilium suum duci de obtinendo imperio. Volebat enim tenere imperium, cum in potestate sua haberet insignia imperialia, utpote coronam et crucem et alia quae attinebant, non enim cautum esset sibi, ut ad alium transiret imperium et sic tam ipse quam fratruelis suus, licet tunc parvulus, omni hereditate sua privarentur, quod etiam non placuit Altissimo, sicut adhuc eventus rerum manifeste demonstrat, quamvis multa ceperint intervenire impedimenta.

Innocentius siquidem papa III, tunc de novo in sede apostolica sublimatus, omni stu- 1198. dio coepit adversari eidem, hoc agens, ut ipsum impediret, ne ad sublimitatem culminis imperialis posset ascendere, improperans ei, quae frater suus et parentes crudeliter peregerant, quae tamen multa nequitia hominum impulsi creduntur peregisse. In quo, salva reverentia sedis apostolicae, non videtur secundum aequitatem iudicasse, cum Dominus testetur per prophetam, quod nec peccata parentum filiis imputentur, quanto minus pec- Ezech. 18, 20. cata fratrum aut aliorum propinquorum[57]. Ezechias quoque et Iosias, reges religiosissimi iniquissimos habuere parentes, quin immo in generatione salvatoris nostri Iesu Christi connumerantur multi iniqui. Extat adhuc epistola prefati Innocentii directa ad Bertholdum ducem Zaringiae, in qua contra Philippum multa absurda et quaedam falsa[d] describuntur, quam fecit interseri in compilatione decretalium suarum, quas magister Petrus Beneventanus, subdiaconus ipsius, postmodum[58] in uno volumine compegit, distinguens eas sub certis titulis et librorum differentiis secundum convenientes sententias. Tunc coepit papa frivolis insistere obiectionibus et exceptionibus, quatenus ipsum impediret, sententiam obiciens ei excommunicationis. Nam cum in Tuscia gereret adhuc

---

a) interfecisse 2. b) hoc 3. c) nativitatem 2. d) *post* falsa *repetunt* contra Philippum 1. 2

[55] Cuonradus 1203—1217. praepositus fuit Augiae minoris, 1220—1232. abbas Praemonstrati, defunctus est octogenarius a. 1241. Staelin, Wirt. Gesch. II, p. 730.

[56] Eberhardi; cf. infra s. a. 1221. et Staelin II, 611.

[57] Spectat scriptor ad epistolas Innocentii, dat. Kal. Mart. 1201, Reg. Imp. ep. 33. 43: *propter ... vulgatam persecutionem, quam progenitores eius ..... Quod autem de genere persecutorum existat. .... Quamvis non ignoremus dictum a Domino: Ego sum Deus zelotes, vindicans peccata patrum in filios* etc. Exod. 20, 5.

[58] anno 1210.

1198. principatum, dicebatur quod Celestinus predecessor suus ipsum excommunicaverit. Sane, ut plus indevotum posset eum comprobare, si non eius monitis acquiesceret, misit episcopum Sutrinum ad repetendum ab eo vades de Apulia, quos olim frater ipsius Heinricus imperator iusserat exoculari. At ipse Philippus, ut erat mansuetus et benignus, cum audisset de sententia excommunicationis, petivit humiliter ab eodem legato absolvi; insuper vades prefatos domno papae remisit. Quocirca papa, ut odiosum plus redderet Philippum, comites illos caecos et viros nobiles et personatos fecit demonstrari multis in curia Romana existentibus. Ego quoque, in minori aetate et seculari vita constitutus adhuc, eo tempore constitutus Romae, vidi eosdem. Episcopum quoque predictum Sutrinum, pro eo quod illicite absolverit Philippum excedens fines mandati, sicut in pretaxata epistola sua expressit, privatum episcopatu relegavit in quandam insulam maris quodam monasterio districto, ubi ille feliciter vitam finivit.

Audivi etiam eo tempore, quod tamen difficile est relatu et vix credendum, quia dixerit idem papa, quoniam ablaturus esset Philippo diadema regium, aut ipse sibi papae insigne apostolicum. Ceterum quamvis non sit credendum, quod voluntatem suam divinae voluntati pretulerit, constat tamen, quia omni tempore adversabatur eidem. Deus autem ex alto prospiciens non permisit, ut per totam Alamanniam deperiret cultus divini officii et ecclesiasticae dignitatis, quae duo honestius ibi consistunt, quam in aliis gentibus, licet ubique per incentiva vitiorum maximeque luxuriae depravata sint.

His interpositis de oppositione sedis apostolicae, ut regium genus deperiret, redeamus ad describendum labores, quos iniquissimorum principum machinatione sustinuit in Alamannia. Primum quidem de prudenti consilio, cum videret imminere sibi adversitates et bella, acquisivit sibi favorem principum et magnatum: de Saxonia quidem habuit ducem Bernhardum, marchionem Misniae[a] et alios principes seculares potentissimos, insuper archiepiscopos Magdeburgensem et Bremensem et suffraganeos eorumdem.

Sed genitrix et nutrix omnium malorum discordia noluit quiescere, quin potius Alamannos, qui omnem iustitiam detestantur et odio habent et tantum bonis et honoribus suis insidiantur ad invicem et, quod deterius est, his deficientibus, execrabilibus se occidunt vulneribus, ad hoc commovit, ut in preiudicium dominationis antiquae et generationis in regno diuturnae condicerent curiam apud Andirnach, opidum[b] Reni, quatenus ibidem eligerent imperatorem. Quo audito Philippus transmissis illuc legatis effecit, ut nulla ibidem celebraretur electio, tum propter sui et quorundam principum absentiam, tum propter regiae generationis non destituendam prosapiam, tum propter iuramenta principum eidem generationi exhibita. Ideoque plus confidentes in divitiis et potentia Coloniensium, illuc conventiculum suum condicunt. Ubi rursum domnus Philippus nuncios suos transmisit impediens, ne[c] in preiudicium suum quaelibet fieret electio. Asserunt etiam quidam, quod propter hoc promissa[d] fuerint archiepiscopo Treverensi duo milia marcharum. Attamen Bertholdus dux Zaringiae tunc denominatus fuit in regem non propter hoc, quod Prov 28,2. iustus posset esse[e] videri aut diligere veritatem, cum scriptum sit: *Honor regis iudicium diligit,* sed propter hoc, quia pecuniosus videbatur, cum esset avarissimus et omni iniquitate plenus.

Videns autem Philippus, quod a tali insolentia nollent cessare Alamanni, ipse cum principibus sibi faventibus conventum adunavit in opido Mulhusen[f], ubi a Suevis et Saxonibus Mart. 26. et Bawaris et Boemis et principibus quam pluribus Reni eligitur in regem. Tunc ceperunt multiplicari mala in terris.

Ortae siquidem sunt in hominibus simultates, doli, perfidiae, traditiones, ut se invicem tradant in mortem et interitum; rapinae, depredationes, depopulationes, terrarum vastationes, incendia, seditiones et bella et rapinae[g] sive in stratis sive in latrociniis iustificatae sunt, ut omnis homo iam sit periurus et predictis facinoribus implicatus, ut vix excusari possit, quin sit in his sicut populus sic et sacerdos. Tribulatio magna prohibuit et hoc, ut nec quis de villa sua posset procedere secure saltem in proximam villam. Exaltatum est cornu iniquitatis, de quo multi delibuti sunt, quocontra[h] Dominus loquitur per prophe- Ps. 74, 5. tam: *Dixi iniquis, nolite inique agere, et delinquentibus, nolite exaltare cornu.* Hoc cornu

---

a) Mesie 1. 2; Moesie 3. b) opido 1. 2. c) ut 1. d) missa 1. e) *deest* 2. f) Milhausen 3. g) fuit 1; fiunt 2. h) quos contra 3.

impletum est iam adulterino ungento, non eo, de quo scriptum est in lege: *Non facies tibi ungentum alterius compositionis;* Exod. 30. oleum quoque peccatoris, de quo iustus precatur, ut non impinguet caput suum. Iam procul est cornu, de cuius oleo unctus est David in regem. Quid igitur fiet in membris, nisi quod et in capitibus? Quid recipiat barba, nisi quod habet caput? Sic derivantur tam mala quam bona. O Deus, aspice, quia sicut ungentum est in capite, tale descendit in barbam, et utinam in barbam tantum ad reprobos, descendit etiam in barbam Aaron. Nam qui in monte fortitudinis fundamentum posuerant, utpote claustrales, et vitas quascumque religiosas agere se ficte demonstrantes, alienati sunt a vulva sanctae matris ecclesiae, qua concepti sanctum baptisma perceperunt. Erraverunt ab utero, quo monitis salutaribus calefieri debuerunt et nutriri, nunc tantum locuti sunt falsa.

Principes quippe, qui Philippo assistere debuerant, ei presenti bona verba dederunt. Attamen cum prefatus dux Zaringiae diffidere cepisset de expensis ad obtinendum imperium necessariis, rediit ad gratiam regis Philippi accepitque ab eo beneficia, quae sibi conferre curavit, et hominium[a] sibi fecit et fidelitatem; et vades, scilicet nepotes suos, quos apud Coloniam pro expensis obligaverat, non absolvit; qui oppido compulsi se ipsos quam plurimi absolverunt, utpote domnus Cuonradus et Bertoldus, filii Eginonis comitis de Urach[b], quorum Cuonradus postmodum conferens se ad ordinem Cisterciensium fuit abbas Cisterciensis[c], indeque per sedem apostolicam translatus[59] fuit Romae episcopus cardinalis, Portuensis videlicet et sanctae Rufinae; alter vero, Bertoldus videlicet, fuit abbas in Luzirach[60]. Nam in periculo captivitatis constituti ambo Deo repromiserunt, quod, si essent liberati, ad monachicam vitam se conferrent.

Iam tunc Colonienses et Argentinenses cum episcopis suis et alii quidam iniqui cogitaverunt et machinati sunt nequitiam, miseruntque nuncios suos, Albertum videlicet de Tagisburg et de Liningen comites, in Angliam, ut inde advocarent et adducerent Ottonem, pro eo quod superbus et stultus, sed fortis videbatur viribus et statura procerus, presumentes nichilominus auxilio prefati Richardi regis Angliae, quia fuit avunculus eiusdem. Hunc igitur apud Coloniam elegerunt in regem. 1198. Apr.

Facta est haec abusio, ut fieret quasi portentum multarum abusionum, quae subsecutae sunt in terris. Vix enim remansit aliquis episcopatus sive dignitas ecclesiastica vel etiam parochialis ecclesia, quae non fieret litigiosa et Romam deduceretur ipsa causa, sed non manu vacua. Gaude, mater nostra Roma, quoniam aperiuntur kataractae thesaurorum in terra, ut ad te confluant rivi et aggeres nummorum in magna copia. Laetare super iniquitate filiorum hominum, quoniam in recompensationem tantorum malorum datur tibi precium. Iocundare super adiutrice tua discordia, quia erupit de puteo infernalis abyssi, ut accumulentur tibi multa pecuniarum premia. Habes quod semper sitisti, decanta canticum, quia per malitiam hominum, non per tuam religionem orbem vicisti. Ad te trahit homines non ipsorum devotio aut pura conscientia, sed scelerum multiplicium perpetratio et litium decisio precio comparata. Haec hactenus de exortu scismatis in regno dicta sufficiant. Nunc de bellis propter haec[d] gestis dicamus.

De bellis Philippi.

Properant electi reges uterque, ut occupet sedem regni Aquisgrani. Sane Philippus prior oppidum illud obtinuit et ibidem viros strennuos et nobiles in presidio constituit, inter quos fuerunt Walranus, filius ducis de Limpburc, et Heinricus[e] dapifer de Walpurc et alii quam plures. Supervenit autem Otto cum Coloniensibus et aliis fautoribus suis et obsederunt civitatem. Cumque interiores conclusi resistere non potuissent, accepta pace et securitate personarum dederunt civitatem. Tunc domnus Adulfus, qui tunc erat Coloniensis episcopus, in sede regni coronavit Ottonem in regem. Iul. 12. Huius quoque facti mentionem habet prefatus papa Innocentius in epistola sua. Tota vero curia imperialis et officiales imperii adhaeserunt Philippo cum principibus quam pluribus. Interim quippe redierat de ultramarinis partibus Cuonradus Herbipolensis episcopus, qui fuit cancellarius; hic declinavit in

a) homagium 2. b) Aurach 2. c) fuit abb. Cist. *desunt* 1. d) hoc 3. e) H. 3.

59) anno 1219. 60) Lützel in Alsatia superiori, in episcopatu Basileensi.

partem Philippi; prefatus quoque Hermannus lantgravius de Thuringia; hic cepit adversari Philippo, dirum facinus, cum esset filius amitae suae, sperans, ad se posse devolvi ius imperii.

Philippus itaque prudenti usus consilio censuit primum eos, qui viciniores erant, bellis atterere et suo dominio subiugare. Quocirca adunato exercitu Alsatiam petiit, in qua provincia terras inimicorum vastavit. Primum vero divertit ad quoddam castrum Haldinburc prope Argentinam in planitie terrae situm, sed fossatis et aedificiis valde munitum. Quod cum cinxisset obsidione, paucis diebus evolutis expugnavit illud manu bellica et funditus evertit, deducens eos captivos, qui in illo erant. Postea castra in Ruvach[61] et in Aphich[62] expugnavit et confregit.

1199. Anno sequenti ad obsidionem Argentinensis civitatis properavit, ubi suburbia prius incendit et terras civium vastare cepit. Tunc videntes cives, se non posse resistere, Philippum tanquam dominum proprium in civitate receperunt et ei fidelitatem iuraverunt; episcopus quoque in gratiam ipsius rediit.

1201. Inter haec in partibus Reni bella ubique peraguntur. Otto quoque una vice cum exercitu ascendit usque ad Spiram, sed compulsus rediit ad inferiores partes. Frequenter commissae sunt pugnae inter eos, maxime circa Mosellam fluvium, et Otto semper fugatur. Inter haec desponsavit Otto filiam ducis Brabantiae, sed eam postea repudiavit.

Quocirca principes terrarum et barones arte diabolica edocti nec curabant iuramenta infringere, nec fidem violare et ius omne confundere, nunc recedentes quam plurimi a Philippo Ottoni adhaerentes, et e converso. Prefatus quippe lantgravius multotiens decepit Philippum, dolose ipsum circumveniens et rursum rebellans. Denique[a] compulsus 1204. necessitate Philippus assumpsit bellum contra prefatum lantgravium in Turingiam, ubi obsidere cepit castrum in Wizinse[63]. Lantgravius in auxilium suum advocavit regem Boemorum Odoacar, qui cum multis venit in Turingiam. Ast Philippus cum exercitu obviam pergit eidem, pugnaturus cum ipso; cumque prope iuncti fuissent exercitus utrique, Boemi de viribus adversariorum territi, relinquentes castra sua nocte fugerunt, quos isti subsecuti dampna caedium[b] et alia ipsis intulerunt. Tunc cernens lantgravius se viribus destitutum, venit ad pedes Philippi et se in potestatem ipsius tradidit, ut gratiam inveniret; quem Philippus puro corde, sicut erat benignissimus, recepit; et ille post hoc non impugnavit eum manifeste.

His igitur bellis feliciter peractis et transacto spatio duorum annorum, ut vires populus recuperaret, decrevit agere bellum contra Colonienses. Cum magno igitur exercitu venit in fines illorum, fiuntque incendia et vastationes terrarum; capiuntur opida quaedam in partibus illorum, multi, sive compulsi, sive muneribus aut promissionibus illecti, 1205. recedunt ab Ottone et adhaerent Philippo. Inter quos prefatus Adulfus Coloniensis archiepiscopus, cum rege reconciliatus, secum venit Aquisgrani[c] et ipsum coronavit in regem.

1199. Interim quoque redierat de ultramarinis partibus Cuonradus archiepiscopus Maguntinus, qui callide propter timorem domni papae se gessit in hoc facto, latenter tamen adversatus Philippo potius quam favens; timebat enim eum. Sed hic in brevi vitam finivit. 1200. Rex itaque Philippus ad civitatem Maguntinensem accessit, cupiens efficere, ut idoneus illi ecclesiae preficeretur episcopus. Factumque est in ipsa electione, ut omnium vota convenirent in Liupoldum Wormaciensem tunc episcopum, tribus tantum exceptis, qui accepta occasione de presentia regis allegabant, non posse[d] liberam fieri electionem. Potius, quia sciebant papam contrarium esse regi, appellantes exierunt de civitate, electoque ab universis prefato Liupoldo, hi tres apud Bingin opidum[e] constituti unum ex se elegerunt, Sifridum videlicet, qui usque hodie manet episcopus: nam domnus papa, multis volens uti rationibus, cassata electione omnium de Liupoldo, factam electionem, quae nullo iure subsistere poterat, confirmavit, sicut exprimit in sua decretali[64], quae sic incipit: *Bonae memoriae*, ubi quoque exprimitur, qualiter pro isto negotio et aliis Prenestinus episcopus venit Coloniam. Super hac electione fecit non iudicium, sed iniuriam.

---

a) Deinde 2. b) cedunt 1. 2. c) Aquasgrani 3. d) post se 1. 2. e) opido 1. 2.

[61] Ruffach supra Colmariam. [62] Epfich infra Schlettstadt. [63] Weissensee inter Weimar et Sondershausen. [64] dat. 12. Kal. Apr. 1202.

Insuper quia cives Colonienses adhuc cum quibusdam aliis adhaerebant Ottoni, ut ex 1205.
hoc posset predictus legatus iniurias multiplicare, in iniuriam quoque Philippi deposuit Adulfum episcopum, pro eo quod Philippum coronaverat, et in locum eius fecit institui Brunonem, qui fuerat prepositus Bunnae, et ipsum in episcopum ordinavit. Sed tamen propter Philippum regem et fautores alios iustitiae nec iste, nec prefatus Sifridus Maguntinus potuerunt acquirere temporalium administrationem usque ad mortem Philippi. Ipse quippe rex medio tempore de prefata uxore sua genuerat quatuor filias, quarum unam desponsavit filio regis[a] Boemorum, alteram filio ducis Brabanziae; propter quod confortatus est in regno, paucis in Saxonia et inferioribus partibus cum civibus tantum Coloniensibus faventibus adhuc Ottoni.

Ea tempestate surrexit in Francia quidam predicator Fulco nomine, ad cuius predicationem multi sunt cruce signati non solum in Francia, sed etiam audita fama in aliis gentibus.

Inter quos duo comites de Brana[65], nobiles quidem, sed pauperes, venerunt in Italiam
ad domnum papam, quorum unus Walterus, alter Iohannes vocabatur. Misit igitur papa 1201.
dictum Walterum bellare contra Diepoldum de Rocca de Arce in Campania. Ast Diepoldus
de nocte quadam irruens in castra illius, ipsum interfecit et terram viriliter obtinuit; sed 1205.
papa quaecunque poterat contra ipsum machinabatur.

Alter vero, Iohannes videlicet, cum exercitu christianorum, in quo multi erant pro- 1202.
ceres, tam de Francia, quam de Alamannia, necnon ex Italia et civitatibus precipue Venetis, iter tamquam Iherosolimitanum aggrediuntur. Attamen navigio tendunt[b] in Graeciam, quod multi asserebant de consilio et auctoritate domni papae factum fuisse. In quo itinere Veneti expugnaverunt quandam civitatem, Satiram[66] nomine, in insula maris sitam, in confinio Dalmatiae et Macedoniae, quae tamen christiana fuit, in qua spolia multa diripiunt. Totus vero ille exercitus navibus transvectus applicuit ad civitatem Constantinopolim, ubi iam rex non erat, pro eo quod principes illius terrae patrem[67] prefatae domnae Erinae, uxoris Philippi, oculis erutis regno depulerunt, pro qua re filius eiusdem[68], frater videlicet reginae, venit ad Philippum in Alamanniam. Venerat autem ante eum quidam nobilis princeps Graecorum, volens percipere regnum nomine reginae, quem cum deprehendissent fraudulenter laborare, primum iussit eum rex captivum teneri, sed interventu reginae cito absolvit eundem. Qui veniens in Graeciam coepit regnum sibi vendicare, quem post haec
in brevi Graeci strangulatum suffocaverunt. Legatione itaque accepta a sorore et rege Phi- 1203.
lippo prefatus rediit in Graeciam et regnum accepit; quem nichilominus postmodum interfecerunt in brevi.

Inter haec adventavit prefatus exercitus et cepit expugnare civitatem Constantinopo- 1204.
lim in ea parte, qua curia regis est sita et templum Sophiae; feceruntque super naves turres ligneas et machinas contra turrem, quae mari adiacebat. Tandem appulsis machinis de superiori parte in turrem illam viriliter et non sine periculo quorundam se iactaverunt; expugnataque ea parte civitatis, magnam predam tulerunt multasque reliquias sanctorum auro et gemmis decoratas inde tulerunt, quarum postmodum vidimus quasdam. Quidam etiam abbas[69] Cisterciensis ordinis de loco, qui vocatur Parisius, in nemore Vosego constitutus[c], plurimas reliquias ad monasterium suum detulit, quae adhuc retinentur ibidem; an furtivae sint, iudicet qui legit. An videlicet domnus papa talem rapinam in populo christiano factam potuerit iustificare, sicut furtum Israhelitici populi in Aegypto iustificatur auctoritate divina?

Tunc comes Flandriae[69*] constituitur rex Graeciae. Multi de exercitu illo remanserunt in Graecia, multi redierunt ad propria. Quidam etiam ad ultramarinas partes pervenerunt, inter quos supradictus Iohannes comes Branae illuc advenit. Huic iungitur in matrimonio regina terrae illius Ysabella, mortuo prefato Heinrico. Hic filiam unam genuit ex ea, quam postmodum Fridericus imperator accepit in[d] uxorem. Sed nunc redeamus ad propositum.

---

a) regi 1. 2. b) contendunt 2. c) *legendum videtur* constituto. d) in *deest* 3.

65) Brienne. 66) Zara. 67) Isaacum II. 68) Alexius IV. 69) Martinus, cuius iter legitur in Guntheri historia Constantinopolitana. 69*) Baldewinus.

Determinatio causae.

1206. Iam principes diuturnis bellis fatigati decreverunt ad concordiam rebelles inter se reges revocare. Sane quia iam maximum impedimentum huius rei fuit domnus papa, cum iam pars Ottonis valde fuerit infirmata; decretum est igitur, quatenus nuncii mitterentur Romam, qui Philippum in gratiam summi pontificis reducerent. Missi sunt igitur viri nobiles et auctorabiles, Wolfgerus patriarcha Aquilegensis et Geboardus burgravius Magdiburgensis cum quibusdam ministerialibus Philippi regis. Qui assumptis de Cremona quibusdam viris peritis veniunt ad curiam Romanam; a quibus inducitur papa, ut velit permittere, quatinus regnet Philippus. Ast propter hoc, ut retulerunt nobis viri veridici, promittitur papae, quod filia regis daretur in uxorem filio fratris sui Richardi, qui iam comes fuerat effectus papae suffragio; nec statuit papa repetere terras, quas multotiens ab imperatoribus repetere consueverunt antecessores sui in Tuscia et Spoleto et marchia Anconae, sperans, quod in potestatem nepotis sui propter predictas nuptias possent devenire.

1207. Mittuntur igitur legati sedis apostolicae in Alamanniam ad reformandam pacem, videlicet domnus Hugolinus, Hostiensis et Velletrensis episcopus, et domnus Leo, tituli Sanctae Crucis in Hierusalem diaconus cardinalis. Ante hos supradictos patriarcha venit ad Philippum regem nuncians adventum istorum, quibus rex obviam mittit, prestans eis conductum usque ad se. Iunguntur itaque regi apud Spiram, ubi habito consilio[a], condicit curiam principum apud Northusin in confinio Turingiae et Saxoniae, ubi Philippus deduci fecit legatos. Ipse quoque cum principibus pervenit illuc; Otto quoque prope erat ibidem in quodam castro. Vadunt et redeunt legati et patriarcha cum quibusdam aliis principibus, inter utrosque reges pacem compondituri. Sed ibidem compositio fieri non poterat. Unde procedunt in Saxoniam: rex in Kutinlinburc[b, 70] recipitur, Otto prope manet in castro. Ibi tandem taxata est forma compositionis, in qua statutum fuit inter cetera, quod etiam postea completum fuit, videlicet ut Otto filiam Philippi accipiat uxorem, quae tamen in quarto gradu consanguinitatis sibi attinebat, fieretque dispensatio per sedem apostolicam pro bono pacis. Tunc legati redeunt Romam.

1208. Anno itaque sequenti statuit Philippus cum exercitu venire in Saxoniam contra quosdam, qui adhuc ibidem sibi rebelles extiterunt. Venit itaque in Babinberc; advenerat quoque illuc nefarius Otto ille palatinus de Witilsbach. Rex vero minutionem sanguinis fecit ibidem de venis utriusque brachii, plurimi quoque de suis minuebant sanguinem. Tunc sceleratus Otto, assumptis militibus episcopi Eggiberti et marchionis de Andehse Heinrici, fratris prefati episcopi, venit in palatium. Ille vero impius accessit ad ostium camerae, in qua rex quiescebat, pulsabat ut intromitteretur. Quem rex iussit intromitti, nichil mali suspicatus. Cumque cerneret, neminem esse in camera preter regem et cancellarium et Heinricum dapiferum de Walpurc, qui erant in consilio, rediens aperuit ianuam camerae accipiens gladium a serviente, quem vibrare cepit in collum regis. Sed dapifero exclamante territus vix plagam perfecit et parvulum vulnus in collo regis dedit, sed venam unam organicam amputavit. Cumque prefatus dapifer exitum ianuae sibi intercludere voluisset, maxillam ipsius eodem gladio vulneravit, quam laudabilem cicatricem usque ad mortem habuit. Oritur undique tumultus, rex quoque paululum procedens exspiravit. Ille vero malignus ad prefatos, episcopum et marchionem, confugit, unde et illi rei habiti sunt de
Iun. 22. tali mordo. Fuit autem occisus 10. Kal. Iulii, hac sola causa, quia, cum desponsasset unam de filiabus suis prefato sceleroso, idem quendam liberum familiarem ducis Bawariae perfide interfecit, de qua perfidia coram principibus notatus fuit, et ideo rex filiam suam sibi tradere denegavit.

Postmodum brevi spatio temporis interiecto, cum regnaret Otto, facinorosus ille a Heinrico de Kallidin, prefato marscalco, ob vindictam domini sui gloriose fuit interfectus in quadam grangia non longe a Ratispona. Corpus vero regis primum humatum fuit apud Babinberc. Sane postmodum, cum Fridericus II.[c] imperator regnum accepisset, patrui sui
1213. corpus noluit in Babinberc esse sepultum, sed fecit illud extumulatum in Spiram deferri et de consilio Heinrici[70*] de Scarphinberc[d], episcopi Spirensis et cancellarii imperialis aulae,

---

a) concilio 3. b) Kutilinberc 3. c) tercius 2. d) *correxi secundum p. 372, l. 35;* Sarphinberc 1—3.

70) Quedlinburg. 70*) potius Cunradi.

ibidem sepeliri cum progenitoribus suis. Et ob commemorationem tanti regis canonicis ecclesiae Spirensis in augmentum prebendarum suarum contulit ecclesiam in Ezilingin cum pertinentiis suis.

Hunc Philippum nolunt Romani, maximeque qui de curia sunt, scribere in katalogo imperatorum, sed ducem Sueviae eum describunt, licet constet ex predictis, quod potenter regnaturus fuisset, sicut et alii de parentela eiusdem, si non impedisset mors. Erat autem Philippus animo lenis, mente mitis, eloquio affabilis, erga homines benignus, largus satis et discretus, debilis quidem corpore, sed satis virilis in quantum confidere poterat de viribus suorum, facie venusta et decora, capillo flavo, statura mediocri, magis tenui quam grossa. Hic cum non haberet pecunias quibus salaria sive solda preberet militibus, primus cepit distrahere predia, quae pater suus Fridericus imperator late acquisierat in Alamannia, ita ut cuilibet[a] baroni sive ministeriali villas seu predia rusticana vel ecclesias sibi contiguas obligaret. Sicque factum est, ut nichil sibi remaneret preter inane nomen dominii terrae et civitates seu villas, in quibus fora habentur, et pauca castella terrae.

Ea tempestate idem Philippus ecclesiam Urspergensem obligavit titulo pignoris nobili viro Bertholdo de Nifen[71] et filio eius Heinrico, quam postea prepositus, qui tunc fuit, et fratres de potestate eorundem tyrannorum liberaverunt, cum tantam cepissent ibidem exercere tyrannidem, ut nequaquam possit[b] ecclesia conventualis existere. Pro liberatione vero solverunt 200 marcas argenti. Hic modus obligationis et solutionis ecclesiarum, maxime Cisterciensis et Premonstratiensis ordinis, hactenus inusitatus fuit et libertatibus privilegiorum ipsorum valde contrarius, cum constet, quod priores imperatores nullum tale ius sibi vendicabant in ecclesiis predictorum ordinum. Occasio autem huius rei dicitur fuisse et narratur, quod olim presidente Grimone[72] preposito in ecclesia Urspergensi, regnante Cuonrado rege et sibi succedente nepote suo imperatore Friderico, propter reverentiam et auctoritatem prefati Grimonis ipsi imperatores nichil huiusmodi iuris presumpserunt sibi vendicare, preterquam illud, quod pertinet ad dominium totius terrae, ut sub protectione sua eas susciperent et privilegiis suis munirent et fideliter defenderent. Contigit autem, quod mortuo predicto Grimone, canonici Urspergenses elegerunt sibi in rectorem quendam de fratribus suis[73], hominem nullius intelligentiae aut valentiae et adeo hebetis eloquentiae, ut nec verbum de ore ipsius nisi cum difficultate posset intelligi. Cumque talis prelatus coram inclitae recordationis imperatore Friderico comparuisset, ipse cum tota curia sprevit eundem odioque sui nobili viro Degenhardo de Hellinstein[74], procuratori suo per omnia regalia predia Sueviae, iniunxit, quatenus personaliter accederet ad ecclesiam Urspergensem et de voluntate fratrum in prediis ipsorum statueret [extra abbatiam][75], et grangias[d] statutis apponeret, annuum, quod sibi pro advocatia et defensione solveretur[76], ut videlicet quilibet mansus rusticanorum prediorum solveret maltare unum avenae, ut officiales sui equis ipsorum ex hoc haberent annonam et ipsa ecclesia sine preiudicio omnis gravaminis imperialem haberet defensionem. Hinc nacta occasione, cum prefati tyranni de Nifen tantillam pensionem ab imperatoribus petere viderentur, ipsam ecclesiam omnino subegerunt et destruere studuerunt. [Ceterum Deus[c] ultionum dominus in primum huius sceleris auctorem, prefatum videlicet Philippum, vindictam exercuit, ut sub gladio tyranni caderet, qui primus ecclesias in potestatem tyrannorum contradidit.][75]

Anni Philippi.

Anno Domini 1199.[e] ab Urbe condita 1953. Philippus 93. loco ab Augusto regnum accepit. Regnavit autem annis decem multa sustinens bella et perfidias multorum.

Eodem anno super Mosellam Ottonem fugavit et suos, ceterum sedem regni non obtinuit.

---

a) ciuilibus 1. 2. b) posset 3. c) Deo 1. 2. d) *correxi ex* gragias 1—3. e) octavo 2; IX. 3.

[71] Neiffen arx diruta in alpibus Suevicis sita, praef. Wirt. Nürtingen.

[72] *II. B. Grimo quadraginta duos annos sapienter gubernavit, obiit ergo* 1173. Weissung epit. ap. Christmann p. XV.

[73] *III. Walterus quinque annis sine maculis praefuit coenobio, mortuus anno* 1178. Weissung.

[74] Arx oppido Wirtemb. Heidenheim imminens.

[75] Locus spurius, de qua v. supra p. 335.

[76] Iniunxit, quatenus .... in prediis (omnibus) extra abbatiam (ipsam) statueret annuum, quod .... solveretur, et grangias statutis (prediis) apponeret.

Eodem anno Celestinus papa mense Februario[77] obiit, et Innocentius III, qui prius vocabatur Lotarius, papatum accepit. Sedit annos 18, menses 4, dies . . .

1198. Anno Domini 1200. Philippus Alsatiam vastavit et quasdam munitiones expugnavit.

1199. Anno Domini 1201. Philippus Argentinam obsedit et eam in potestatem accepit.

Anno Domini 1202. Ego presbyteratum accepi a venerabili episcopo Constantiae Diethalmo.

1204. Anno Domini 1203. Philippus Thuringiam vastavit et langravium in deditionem accepit.

Anno Domini 1204.

Anno Domini 1205. Philippus cum exercitu in partes Coloniae advenit, ubi quam plures fautores acquisivit et ab episcopo Adulfo coronam Aquisgrani[a] accepit.

His temporibus Cuonradus Herbipolensis episcopus, imperialis aulae cancellarius, qui de Hildenshein illuc translatus fuerat, impiorum gladiis occisus occubuit, videlicet quorundam ministerialium de castro apud Herbipolim, quod vocabatur Ravensburc, quod tamen postmodum a civibus Herbipolensibus est destructum[b]; illi quoque homines nefarii de terra sunt expulsi. Huic in officio cancellarii successit episcopus Aihstetensis[78], frater comitis de Tollenstein, qui[c] tamen in brevi ab eo officio pulsus[c], episcopo Ratisponensi[79] illud est collatum.

Eodem anno ego ad religionem veni.

Anno Domini 1206. Legati in Alamanniam adveniunt.

His etiam temporibus Constantinopolim expugnatur.

Anno Domini 1207. Ego ad ordinem Premonstratensem veni.

Anno Domini 1208. Eclipsis solis facta est mense Februario, hora diei nona.

Eodem anno Philippus in Babinberc occiditur mense Iunio.

Anni Ottonis.

1208. Anno Domini 1209. ab Urbe condita 1963. Otto huius nominis IIII. ex parte patris de Suevia et Saxonia, ex parte vero matris de Anglia, ubique nobilissima stirpe progenitus, 94. loco ab Augusto regnum accepit et regnavit annis quatuor et a regno pellitur, quod propter ipsius superbiam precipue contigisse creditur.

Primum siquidem in Francquenfurt adveniens consensum principum accepit; veniuntque ad eum prefati legati Hugelinus et Leo.

Eo tempore Sifridus Augustensis episcopus muros castri in Swabecke deiecit et ipsum castrum destruxit propter insolentias, quas urbani in prediis[d] ecclesiae suae in Menchingin et alibi consueverant exercere. Unde ipse postmodum semper timuit imperatorem, et quia suos veros dominos plus dilexit, erat enim ministerialis Philippi, de Rechberc[80] oriundus.

Heinricus vero de Scarphinberc, Spirensis episcopus, qui erat[e] prothonotarius in curia Philippi, in potestate habebat in castro Trivels coronam et crucem et insignia regalia, quae nec etiam restituere voluit, nisi fieret cancellarius imperialis aulae, quod et factum est; perduravitque in eo officio usque ad finem vitae suae[81], cum tamen postmodum habuisset duos episcopatus, Metensem et Spirensem.

Timens autem Otto, quod ministeriales spectantes ad Philippum non facile suo subderentur imperio, sed ad suos nativos dominos redirent, filiam Philippi tamquam dominam omnium rerum, quae ad generationem illam spectabant, accepit uxorem. Tunc itaque peragratis partibus Reni, advenit in Sueviam. Cepit autem predonibus et facinorosis terrorem incutere et iudicia super eos exercere, potius indignans super eos per superbiam, quam amans iustitiam, unde etiam contra morem gentis comites seu barones vel principes ad se venientes rebus et verbis inhonestavit. Feuda quoque, quae Philippus habuerat ab ecclesiasticis principibus, etiam contra voluntatem illorum obtinere voluit et tam ipsos quam ecclesias obprimere cepit, simulans[f] zelum iustitiae, cum potius ageret superbe; unde a pauperibus et monachis et clericis tamquam defensor collaudabatur iustitiae, sed Deus aliud respexit in corde. Habebat autem famulos suos de Saxonia et Anglia, seu clericos, seu laicos, quibus omnia beneficia, quae contigit vacare, studuit conferre. Fuerat autem consuetudo principum, ut hilariter et prompte beneficia seu ecclesias conferrent primis petentibus, quod ipse[a] nequaquam facere voluit.

---

[a] Aquisgranum 1. 2. [b] destructus 1. 2. [c] quo — pulso 3. [d] presidiis 1. 2. [e] fuerat 3. [f] se *addunt* 1. 2.

[77] potius Ian. 8. [78] Hartwicus. [79] Conrado. [80] arx monti Staufen vicina. [81] Obiit 24. Mart. 1224.

Cumque venisset Augustam eodem anno in nativitate Domini multique principes et 1208. Dec. 25.
milites convenissent ad curiam, precepit imperator marscalco de Callindin et militibus suis, quatinus malefactores investigarent et sibi eos exhiberent in iudicio, unde quam plurimi milites in nocte fugierunt. Comes quoque de Grafisbach violenter ante imperatorem attractus est et cappa, qua indutus erat, turpiter laniata, unde timor ipsius cecidit super barones et milites. Hi namque in Alamannia plerunque solent esse predones. Favorem vero maximum a popularibus et claustralibus acquisivit.

Inde itaque progrediens terras peragravit, accipiens eas in potestatem et exercitum 1209.
congregavit, quatenus veniret Romam coronandus. Eo anno, tempore vernali et aestivo, expediens se imperator et proficiscens, circa festum sancti Michahelis Romae coronatur ab Oct. 4.
Innocentio papa III. Cumque exercitus imperatoris maneret extra civitatem, quidam milites et alii lascivientes gratia spectandi decreverunt venire in civitatem, cum quibus erat etiam domnus Sifridus Augustensis episcopus. Ast occasione nescio qua nacta cives insurrexerunt contra illos, interfectique sunt quidam ministeriales nobiles de Augustensi diocesi et plurimi vulnerati. Heinricus quoque de Bobingen ministerialis vulneratus domum quidem rediit, sed post in brevi vitam finivit, et curias quasdam in loco, qui dicitur Super Egge[83], ecclesiae nostrae contradidit.

Imperator itaque coronatus dimisit exercitus[b] et ipse cum paucis in Italia permansit, 1210.
accipiens terram in potestatem. Insignia quoque imperialia apud Mediolanum commisit, unde magnum favorem a Mediolanensibus acquisivit. Inde peragratis partibus Tusciae et marchiae contra iuramentum, quod fecerat domno papae, manu hostili cepit invadere terras sancti Petri ad ecclesiam Romanam pertinentes. Preterea iuramenta, quae fecerat de reformanda pace cum Philippo rege Franciae et Friderico rege Siciliae, ut super his staret mandatis domni papae, quatinus ecclesia tota non perturbaretur, omnino respuit observare, quin immo manu hostili Apuliam intravit et multas civitates ad regem Siciliae pertinentes in suam potestatem redegit et principatum Capuae cum palatio eiusdem civitatis accepit et in eodem permanere cepit. Cumque super his ad resipiscendum frequenter admonitus a papa fuisset, tandem contumax et rebellis existens ab eo fuit excommunicatus et ubique denunciatus.

Anno Domini 1210. Otto excommunicatus denunciatur.

Tunc principes Alamanniae, rex videlicet Boemiae, dux Astriae, dux Bawariae et lan- 1211.
gravius Turingiae et alii quam plures convenientes, Fridericum regem Siciliae elegerunt in imperatorem coronandum, cui etiam olim, cum adhuc in cunis esset, iuraverant fidelitatem. Nuncios itaque acquirunt, qui hanc suam electionem tam in civitate Romana, quam apud prefatum Fridericum regem Siciliae promoveant et ipsum in Alamanniam perducant. Mittitur in hac legatione nobilis vir Heinricus de Nifen et Anshalmus de Iustingen[83], vir ingenuus; promittunturque eis pro expensis et itinere quindecies centenae marcae, de reditibus imperii solvendae. Cumque hi simul usque Veronam pervenissent, prefatus Heinricus remansit ibidem, quatinus favorem Lombardorum acquireret prefato regi et precipue Veronensium. Dictus vero Anshalmus magno labore et periculis plurimis Romam usque pervenit, ibique consilio et interventu domni Innocentii papae obtinuit, ut a civibus et populo Romano Fridericus imperator collaudaretur; et de ipso factam electionem papa confirmavit. Tunc itaque prefatus Anshalmus progressus venit ad saepe dictum Fridericum regem Siciliae, vixque obtinuit apud illum, ut iret in Alamanniam. Uxor namque ipsius, filia regis Aragonensis, quam prius uxorem habuerat rex Ungariae, plurimum studuit eum revocare, ne iret, similiter et multi potentes Siciliae timentes, evenire sibi periculum propter fraudem Alamannorum. Ast ipse, cum parvulum iam ex coniuge haberet filium,
Heinricum videlicet postmodum regem factum, relictis uxore et filio et terra viriliter iter 1212.

---

a) iste 3. b) exercitum 3.

82) Aut Egge inter Ursperg et Roggenburg, aut Ober-Egge inter Mindelheim et Kaufbeuern situm. Cf. litteras Wilhelmi abbatis Urspergensis dat. 1789. ap. Christmann p. 136.

83) arx nuper diruta in alpibus Suevicis sita, praefecturae Wirtenbergicae Münsingen.

arripuit ad accipiendum imperium et primo Romam aplicuit; ubi accepto favore et consilio domni papae Ianuam pervenit. Huius itaque civitatis cives iter sibi parant securum, timebant enim incursus Mediolanensium, et ipsum Papiam usque perducunt. Tunc Papienses et Cremonenses coadunati usque in vallem Tridentinam ipsum conducunt.

Anno Domini 1211. Otto in Apulia quasdam civitates accepit et Capuam pervenit, ubi et hiemavit.

Eo tempore, cum venissemus ad curiam Romanam, vidimus ibidem virum religiosum, abbatem de Morimunt[84], qui a festo sancti Michahelis, sicut ipse asserebat, usque ad quadragesimam quinque vicibus transierat a Roma usque Capuam iussu domni papae, quatinus pacem reformaret inter papam et imperatorem. Ceterum imperator Otto nulla ratione flecti potuit, quin vellet expellere de terra prefatum Fridericum regem Siciliae et de Philippo rege Franciae ultionem quaerere, eo quod terras avunculi sui regis Angliae, videlicet Normanniam et alias quasdam, subegisset, et contra ipsum quaedam verba temere protulisset. Sane ne tanta turbatio fieret in ecclesiis et populo christiano, voluit domnus papa sustinere omne dampnum, quod sibi imperator in terris ecclesiae Romanae intulisset aut inferret. Hanc formam compositionis cum recusasset imperator admittere, domnus papa, tamquam vir animosus et confidens in Domino, tria ardua negotia simul explere disposuit, quae describemus in sequentibus.

Anno Domini 1212. Laboravit papa super depositione Ottonis imperatoris, quod fuit arduum negotium. Secundo transmisit litteras per omnem christianitatem pro successu[a] terrae Iherosolimitanae, quarum exemplar hic subiciemus. Tercio pro coadunando generali concilio litteras per orbem transmisit. Sed istarum exemplar ponemus. Delatae fuerunt istae litterae anno Domini 1213. tempore paschali, quarum exemplaria sunt haec:

1213. *Innocentius papa tercius omni populo christiano.*

Quoniam[84*] *maior nunc instat necessitas, quam unquam institerit, ut terrae sanctae necessitatibus succurratur, et de successu*[a] *speratur maior quam unquam provenerit utilitas proventura. Ecce resumpto clamore clamamus ad vos et pro illo clamamus, qui voce clamavit in cruce spiritum emittendo, factus obediens Deo patri usque ad mortem crucis, ut nos ab* Matth 16,24. *aeternae mortis eriperet cruciatu, qui clamat etiam per se ipsum dicens:* Si quis vult post me venire, abneget semet ipsum *etc. ac si diceret manifestius:* Qui vult me subsequi ad coronam, me quoque subsequatur ad pugnam, quae ad probationem proponitur universis. *Poterat enim Deus terram illam omnino defendere, ne in manus traderetur hostiles; posset et illam si vellet de manu hostium facile liberare, cum nichil possit eius resistere voluntati. Sed cum iam superabundasset iniquitas refrigescente charitate multorum, ut fideles suos a somno mortis excitaret, et ad vitae studium agonem illis proposuit, in quo fidem illorum velut aurum in fornace probaret, occasionem salutis, immo causam salvationis prestando, ut qui fideliter pro ipso certaverint, ab ipso feliciter coronentur, et qui noluerint in tantae necessitatis articulo debitae servitutis impendere famulatum, in novissimo districti examinis die iustae mereantur damnationis sententiam sustinere. O quanta iam provenit utilitas ex hac causa? quam multi conversi ad penitentiam pro liberatione terrae sanctae mancipaverunt se obsequio crucifixi, et quasi per agonem coronam gloriae sunt adepti, qui forte in suis iniquitatibus periissent, carnalibus voluptatibus et mundanis illecebris irretiti? Vetus est hoc artificium Iesu Christi, quod ad suorum salutem fidelium diebus istis dignatus est innovare. Si enim aliquis rex temporalis a suis hostibus eiceretur de regno, nisi vasalli eius pro eo non solum res exponerent, sed personas, nonne, cum regnum recuperaret amissum, eos velut infideles damnaret et excogitaret in eos inexcogitata tormenta, quibus perderet male malos? Sic et rex regum dominus Iesus Christus, qui corpus nobis et animam contulit, de ingratitudinis vitio et infidelitatis crimine vos damnabit, si ei quasi eiecto de regno, quod precio sui sanguinis comparavit, neglexeritis subvenire. Sciat ergo se culpabiliter durum et dure culpabilem, quicunque in hoc necessitatis articulo suum negaverit obsequium redemptori. Nam si quis sibi vel modicum quid hereditatis paternae sentiret dure ablatum, mox secundum morem mundanum totis viribus laboraret, ut suam vindicaret iniuriam et violentiam propulsaret, nec rebus parceret, nec personis, donec ex toto recuperaret amissum. Quomodo ergo poterit excusari, qui nec mediocriter laborare studuerit pro punienda sui redemptoris offensa et eius iniuria ulciscenda, dum parcendo rebus et personis impedit, ne locus recuperetur passionis et resurrectionis dominicae, in quo Deus rex noster ante saecula salutem in medio terrae dignatus est operari? Quomodo etiam secundum preceptum divinum diligit proximum suum sicut se ipsum? sicut scriptum est, qui sciens fratres suos fide ac nomine christianos apud perfidos Sarracenos ergastulo carceris detineri ac iugo deprimi servitutis et ad liberationem eorum efficaciter operam non impendit, illius naturalis legis mandatum transgrediens, quod Dominus* Matth. 7, 22. *in euangelio declaravit:* Quaecunque vultis ut faciant vobis homines et vos eadem faciatis illis. *An forte nescitis, quod apud illos multa milia christianorum in servitute ac carcere detinentur, qui tormentis innumeris cruciantur? Equidem omnes fere Sarracenorum provincias usque post tempora beati Gregorii christiani populi possederunt, sed ex tunc quidam filius perditionis pseudopropheta surrexit, qui per saeculares illecebras et voluptates carnales multos a veritate seduxit, cuius perfidia etsi usque ad haec tempora convaluerit, confidimus tamen in Domino, qui fecit iam nobiscum signum, quod numerus huius bestiae, quae secundum apocalypsim Iohannis infra* 666 *clauditur, in proximo finietur per operationem spiritus septiformis, qui charitatis igne corda fidelium hactenus frigescentia reaccendet. Certe propter priores iniurias grandes et graves, redemptori nostro pro nostris offensis a perfidis Sarracenis illatas, nuper in monte Thabor, ubi discipulis futurae glorificationis speciem demonstravit, iidem perfidi Sarraceni quandam munitionis arcem in confusionem christiani nominis erexerunt, per quam civitatem Acon sibi valde vicinam de facili cogitant occupare ac deinde sine omni contradictionis obstaculo residuum*

---

a) *legendum videtur* succursu.

[84] Petrus hoc tempore abbas fuit Morimundi Lingonensis. Alterum huius nominis monasterium in dioecesi Mediolanensi.

[84*] Baluze, Ep. Innocentii II, 752: *Quia maior.*

huius terrae invadere, cum sit viribus et opibus destituta. Eapropter, dulcissimi filii, dissensiones et aemulationes fraternas in pacem, dilectionis federa commutantes, accingimini ad obsequium crucifixi, non dubitantes pro illo et personas et res exponere, qui pro nobis animam suam posuit et sanguinem suum fudit; certi pariter et securi, quod, si vere penitentes fueritis, per hunc temporalem laborem, quasi quodam compendio ad requiem pervenietis aeternam. Nos enim, de Dei omnipotentis misericordia et auctoritate beatorum apostolorum Petri et Pauli confisi, ex illa quam nobis Deus, licet indignis, ligandi atque solvendi potestatem tradidit, omnibus, qui laborem istum in propriis personis subierint et expensis, plenam suorum peccatorum, si cordis et oris egerint penitentiam, veniam indulgemus et in retributione iustorum salutis aeternae pollicemur augmentum. Eis autem, qui non in propriis personis illud accesserint, sed in suis tantum expensis iuxta facultatem et qualitatem suam viros idoneos destinarint, et illis similiter, qui, licet in alienis expensis, in propriis tamen personis, assumptae peregrinationis laborem impenderint, plenam concedimus suorum veniam peccatorum. Huius quoque remissionis volumus esse participes iuxta qualitatem subsidii et devotionis affectum omnes, qui ad subventionem ipsius terrae de bonis suis congrue ministrabunt. Personas quoque ipsorum et bona, ex quo crucem susceperint, sub beati Petri et nostra suscipimus protectione, nec non et archiepiscoporum et omnium prelatorum ecclesiae Dei defensione consistant, statuentes ut, donec de ipsorum obitu vel reditu certissime cognoscatur, integra permaneant et quieta consistant. Quod si quisquam contra presumpserit, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescatur. Si qui vero proficiscentium illuc ad prestandas usuras iuramento tenentur astricti, creditores eorum per ecclesiarum prelatos, ut remittant eis praestitum iuramentum et ab usurarum exactione desistant, eadem precipimus districtione compelli. Quod si quisquam creditorum eos ad solutionem coegerit usurarum, eum ad restitutionem earum simili cogi animadversione mandamus.

Iudaeos quoque ad remittendum eis usuras per saecularem compelli precipimus potestatem, et donec illas remiserint, ab universis Christi fidelibus, tam in mercimoniis quam in aliis, per excommunicationis sententiam eis omnimodo communio denegetur.

Ut autem terrae sanctae subsidium divisum in plurimos facilius impendatur, obsecramus omnes et singulos per Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unum solum verum, unum aeternum Deum, postulantes vice Christi pro Christo ab archiepiscopis, episcopis, abbatibus et prioribus et tam cathedralium quam ecclesiarum conventualium capitulis et clericis universis, nec non civitatibus, villis et oppidis competentem numerum bellatorum cum expensis ad triennium necessariis, secundum proprias facultates; et si ad hoc unum quodlibet non suffecerit, plura coniungantur in unum, quia personae non deerunt, si expensae non desint. Similiter a regibus et principibus et comitibus et baronibus aliisque magnatibus, qui forsitan per se ipsos personaliter non accesserint ad obsequium crucifixi. Ne autem aliis onera gravia et importabilia imponere videamur, quae digito nostro movere nolimus, protestamur coram Deo, quia, quod ab aliis exigimus faciendum, hoc ipsi prompto animo faciemus.

Clericis autem ad hoc negocium necessariis et idoneis indulgemus, ut omni contradictione cessante, beneficiorum suorum proventus propter hoc valeant usque ad triennium obligare. Quia vero subsidium terrae sanctae multum impediri vel retardari contingeret, si ante susceptum crucis examinari quemlibet oporteret, an esset idoneus et sufficiens ad hoc votum personaliter prosequendum, quicunque voluerint, indifferenter accipiant signum crucis, ita quod, cum urgens necessitas aut evidens utilitas postulaverit, votum ipsum de apostolico possit mandato commutari aut redimi vel differri.

Verum cum longe plus de divina clementia, quam de humana potentia confidere debeamus, oportet in tali conflictu non tam corporalibus armis, quam spiritualibus dimicare. Ideoque statuimus et mandamus, ut singulis mensibus fiat generalis processio, seorsum virorum ac mulierum in humilitate mentis et corporis cum devota orationum instantia postulantium, ut misericors Deus hoc a nobis auferat opprobrium confusionis, liberando terram illam, in qua universa nostrae redemptionis sacramenta peregit, de manibus paganorum, et restituendo eam ad laudem et gloriam nominis sui populo christiano; ubi semper cum diligenti exhortatione verbum crucis populo proponatur, orationi vero ieiunium et elemosyna coniungatur, ut his quasi alis facilius et celerius ipsa volet oratio ad piissimas aures Dei, qui nos clementer exaudiat in tempore oportuno; in singulis quoque diebus intra missarum solennia, post pacis osculum, cum iam pro peccatis mundi offerenda sit hostia salutaris, omnes, tam viri, quam mulieres, humiliter prosternantur in terram, et a clericis psalmus iste: Deus, venerunt gentes, *cantetur alta voce; quo cum hoc versu finito:* Exurgat Deus, *et sacerdos, qui celebrat, orationem istam alta voce super altare decantet:* Deus qui admirabili; *in illis autem ecclesiis, in quibus convenit processio generalis, truncus statuatur concavus tribus clavibus consignatus, una penes honestum presbyterum, alia apud laicum*[a] *devotum, tertia penes aliquem regularem fideliter conservandis, in quo viri et mulieres elemosynas ponant in terrae sanctae subsidium convertendas, secundum dispositionem eorum, quibus fuerit haec sollicitudo commissa. Porro super processu et transitu modesto et ordinato, congruo loco et tempore faciendo, nondum oportet aliquid diffinire, donec exercitus Domini cruce signetur; sed tunc pensatis undique circumstantiis, quaecunque viderimus oportuna de prudentium virorum consilio statuemus.*

Ad hec ergo exequenda dilectum filium nostrum destinamus, qui, ascitis sibi ad consilium et auxilium viris providis et honestis, auctoritate nostra statuat et disponat quaecunque ad hoc negocium promovendum viderit expedire, faciens quae statuerit singulis diocesibus per viros idoneos, ad hoc specialiter deputatos, fideliter ac sollicite procurari. Quocirca universitatem vestram rogamus, monemus et obsecramus in Domino, per apostolica scripta mandantes et in virtute Spiritus sancti iniungentes, qua ei pro Christo legatione fungenti tales vos exhibere curetis, quod per vos et in vobis fructum faciat exoptatum.

Idem archiepiscopis, episcopis et dilectis filiis abbatibus et prioribus, decanis et archidiaconis per Teutonicas provincias constitutis.

1213. Apr. 19. *Vineam*[85] *Domini Sabaoth multiformes satagunt bestiae demoliri; quarum incursus adeo invaluit contra ipsam, ut ex parte non modica pro vitibus spinae succreverint et, quod gementes referimus, ipsae iam vites proferant pro uva labruscam, infectae multipliciter et corruptae. Illius ergo testimonium invocamus, qui testis est in coelo fidelis, quod inter omnia desiderabilia cordis nostri duo in hoc saeculo principaliter affectamus, ut ad recuperationem videlicet terrae sanctae ac reformationem universalis ecclesiae valeamus intendere cum effectu. Quorum utrumque tantam requirit provisionis instantiam, ut absque gravi et grandi periculo ultra dissimulari nequeat vel differri. Unde supplicationes et lacrimas effundimus, coram Deo humiliter obsecrantes, quatenus super his suum nobis beneplacitum revelaret, inspiraret affectum, accenderet desiderium et propositum confirmaret, facultatem et oportunitatem prestando ad ea salubriter exequenda. Quapropter habito super his cum fratribus nostris et aliis viris prudentibus frequenti et diligenti tractatu, prout tanta sollicitudo exigebat, hoc tandem ad exequenda predicta de ipsorum consilio providimus faciendum, ut, quia haec universorum fidelium communem statum respiciunt, generale concilium iuxta priscam consuetudinem sanctorum patrum convocemus, propter lucra solum*

---

[a] locum 2. 3.

[85] Baluze, Ep. Innocentii II, 756.

animarum oportuno tempore celebrandum. In quo ad extirpandum vitia et plantandas virtutes, corrigendos excessus et reformandos mores, eliminandas haereses et roborandam fidem, sopiendas discordias et stabiliendam pacem, comprimendas oppressiones, libertatem fovendam, inducendos principes et populos christianos ad succursum et subsidium sanctae terrae, tam a clericis quam a laicis impendendum, cum ceteris, quae perlongum esset per singula enumerare, provide statuantur inviolabiliter observanda circa prelatos et subditos regulares, quaecunque de ipsius approbatione concilii visa fuerint expedire, ad laudem et gloriam nominis eius, ad remedium et salutem animarum vestrarum ac profectum et utilitatem populi christiani. Quia vero ante biennium universale non posset concilium commode celebrari, disposuimus interim per viros prudentes in singulis provinciis plenius explorare, quae apostolicae provisionis limam exposcant, et premittere viros idoneos ad terrae sanctae negocium procurandum, ut, si exigente necessitate sacrum concilium approbaverit, nos ipsum negotium personaliter assumamus efficacius promovendum. Credentes igitur, hoc salutare propositum ab illo descendere, a quo est omne datum optimum et omne donum perfectum, universitati vestrae per apostolica scripta precipimus, quo vos taliter preparetis, quod a presenti dominicae incarnationis 1213. *anno usque ad duos annos et dimidium, prefixis vobis pro termino Kal. Novembris, ad sedem apostolicam accedatis cum modestia et cautela, ita quod in vestra provincia, si necessitas postulaverit, duo vel tres de suffraganeis episcopis valeant remanere pro christianitatis ministeriis exequendis, et tam illi quam alii, qui canonica prepeditione detenti venire nequeunt, idoneos pro se dirigant responsales, personarum et evectionum mediocritate servata, quam Lateranense concilium definivit, ut nullus omnino plures aut pauciores secum adducere possit, nec quisquam faciat superfluas et pomposas, sed necessarias tantum et moderatas expensas, ostendendo se actu et habitu verum Christi cultorem, cum non saecularis applausus, sed spiritualis profectus in hoc negocio sit requirendus. Interim autem per vos ipsos et per alios viros prudentes universa subtiliter inquiratis, quae studio correctionis aut reformationis indigere videntur, et ea fideliter conscribentes ad sacri concilii prefati examen, erga subventionem terrae sanctae necessaria, ubi Deus, noster rex, ante saecula salutem in medio terrae operari dignatus est, opem et operam efficaciter impensuri, assistendo fideliter et prudenter his, quos ad hoc negocium duxerimus specialiter procurandum destinare. Nullus itaque fallaciter se excusando ab executione tam sancti operis subtrahat, si canonicam vult effugere ultionem. Nemo dissensionum obstacula vel itinerum impedimenta causetur, quae Domino faciente signum in bonum ex magna iam parte cessare ceperunt. Nam et quanto maiora imminent pericula, tanto potiora remedia convenit adhiberi. Nunquam enim navigabit per aequora, qui semper expectat, ut mare non excitet in se fluctus. Propter haec autem ad vos dilectum filium N. cum iussione apostolica destinamus, quem habeatis pro nostra reverentia commendatum.*

Eodem modo fere scribetur regibus et principibus usque *fluctus*, postea ponitur haec clausula: *Cum ergo deceat et expediat, ut tua regalis sublimitas ad synodum tam solennem nuncios dirigat speciales, serenitatem tuam monemus et exhortamur in Domino, quatenus viros idoneos vita comite prescripto termino dirigere non postponas, per quos tuae nobis aperias beneplacitum voluntatis, quia, quantum poterimus cum honestate, ad tuum libenter et efficaciter intendemus commodum et honorem.* Haec ultima clausula: *Quia quantum* etc. apponitur domino meo regi Arragoniae et regi Francorum.

Eo tempore mundo iam senescente exortae sunt duae religiones in ecclesia, cuius ut aquilae renovatur iuventus, quae etiam a sede apostolica sunt confirmatae[85], videlicet Minorum fratrum et Predicatorum. Quae forte hac occasione sunt approbatae, quia olim duae sectae in Italia exortae, adhuc perdurant, quorum alii Humiliatos, aliis Pauperes de Luduno[a] se nominabant, quos Lucius papa quondam inter haereticos scribebat, eo quod supersticiosa[b] dogmata et observationes in eis reperirentur; in occultis quoque predicationibus, quas faciebant plerumque in latibulis, ecclesiae Dei et sacerdotio derogabatur. Vidimus tunc temporis aliquos de numero eorum, qui dicebantur Pauperes de Luduno, apud sedem apostolicam cum magistro suo quodam, ut puto Bernhardo, et hi petebant, sectam suam a sede apostolica confirmari et privilegiari. Sane ipsi dicentes, se gerere vitam apostolorum nichil volentes possidere aut locum certum habere, circuibant per vicos et castella. Ast domnus papa quaedam supersticiosa in conversatione ipsorum eisdem obiecit, videlicet quod calceos desuper pedem precidebant et quasi nudis pedibus ambulabant; preterea cum portarent quasdam cappas quasi religionis, capillos capitis non attondebant nisi sicut laici; hoc quoque probrosum videbatur in eis, quod viri et mulieres simul ambulabant in via et plerumque simul manebant in domo una, et de eis diceretur, quod quandoque simul in lectulis accubabant, quae tamen omnia ipsi asserebant ab apostolis descendisse. Ceterum domnus papa in loco illorum exurgentes quosdam alios, qui se appellabant Pauperes minores, confirmavit, qui predicta supersticiosa et reprobrosa[c] respuebant, sed precise nudis pedibus tam aestate quam hieme ambulabant et neque pecuniam nec quicquam aliud preter victum accipiebant et si quando vestem necessariam quisquam ipsis sponte conferebat; non enim quicquam petebant ab aliquo. Hi tamen postea attendentes, quod nonnunquam nimiae humilitatis nomen gloriationem importet et de nomine paupertatis, cum multi eam frustra sustineant, apud Deum vanius inde gloriantur, maluerunt appellari Minores fratres quam minores Pauperes, apostolicae sedi in omnibus obedientes.

---

a) Ludino 1; Lugduno 3. b) supersticia 1. 2. c) probrosa 3.

[85] Ordo Praedicatorum anno 1216, ordo Minorum a. 1223. ab Honorio III. confirmatus est.

Alii, videlicet Predicatores, in locum Humiliatorum successisse creduntur. Humiliati quippe, nulla habita auctoritate aut licentia prelatorum, mittentes falcem in messem alienam, populis predicabant et vitam eorum plerunque regere satagebant et confessiones audire et ministeriis sacerdotum derogare. Quae volens corrigere domnus papa ordinem Predicatorum instituit et confirmavit. Illi quippe rudes et illiterati cum essent, operibus manuum instabant et predicabant, accipientes necessaria a suis credentibus. Isti vero studio et lectioni sacrae scripturae iugiter insistentes, tantum in scribendo libros opus faciebant et eos diligentissime a magistris suis audiebant, ut cum sagittis et arcu et omni armatura fortium possent ingredi et stare pro defensione sanctae matris ecclesiae et ex adverso ascendere et ponere se murum pro domo Israhel, dum fidem roborant, virtutes et bonos mores instruunt et corroborant, statuta ecclesiae docent et collaudant, vitia hominum et pravitates redarguunt et castigant. Hi nichilominus[a] sedi apostolicae in omnibus obediunt, a qua auctoritatem precipuam trahunt.

Prescripto anno, videlicet 1212, Otto imperator veniens in Alamanniam congregavit exercitum et contra lantgravium de Turingia et alios rebelles iam effectos toto tempore vernali et aestivo bellum movit. Interim Fridericus imperator electus, cum non posset directo itinere venire in Alamanniam, de valle Tridentina per asperrima loca Alpium et invia et iuga montium eminentissima obliquando[b] iter suum, venit in Retiam Curiensem, ibique receptus ab episcopo Curiense[86] et abbate Sancti Galli[87] et nobili viro Heinrico de Sacco perductus est usque civitatem Constantiam. Audito vero adventu ipsius, Otto imperator interim venerat de Turingia volens comprehendere aut interficere adversarium suum; ipseque manebat in opido Uberlingen, sed a multis derelictus non poterat occurrere saepe dicto Friderico ad pugnam. Unde factum est, ut auxilio comitis de Quiburc[87*] et aliorum, quibus ipse predia imperii et paterna large distribuit et obligavit, usque Basileam perveniret, ubi tunc Heinricus de Veringen, Argentinensis episcopus, cum quingentis militibus sibi occurrit. Quorum et aliorum fretus auxilio per partes Reni descendit et civitates et terras, exceptis quibusdam castris paucis, in potestatem accepit. Otto vero nichilominus attemptans, si posset resistere, ex altera parte Reni descendit venitque ad quoddam castrum nomine Brisacum, quod in potestate sua habebat; ubi cum maneret, cives eiusdem castri nescio qua occasione commoti et ex fama rerum audaciores effecti, contra eum et suos insurrexerunt, ubi quidam vulnerati et interfecti sunt ipseque profugus effectus vix recessit ab eis. Qua fama divulgata, laboriose satis in Saxoniam rediit et sic de regno pellitur. Et Fridericus Aquisgrani coronatur[88].

Anno Domini 1213. Prescriptae epistolae a domno papa per orbem mittuntur.

Anno Domini 1214. Otto imperator adiuncto sibi rege Angliae et comite Flandrense et comite Boloniae et aliis quam plurimis coadunavit exercitum, ut pugnaret contra Philippum regem Franciae, quem plurimum habebat culpabilem de omni suo labore. Quocirca rex Franciae omnem populum terrae suae obviam sibi pergere precepit ad pugnam; habebatque in exercitu suo quosdam milites strennuissimos et ad pugnam exercitatissimos, quorum consilio regebatur. Exercitus autem uterque quodam flumine interfluente dividebantur, sicut quorundam religiosorum virorum relatione didicimus. Tunc prefati milites accedentes ad regem Franciae, alloquebantur eum in hunc modum: *Domine, nosti quam fortis sit in pugna Otto imperator; habet quoque in auxilio suo viros in pugna probatissimos, videlicet comitem Flandriae et comitem Boloniae et alios quam plures, quos cognovimus, et tantam ipsorum esse ferocitatem, ut malint in bello cadere in mortem, quam de pugna turpiter fugere. Acquiesce igitur consilio nostro, ut non videas populum tuum immani*[c] *strage et caede corruere.* Quibus rex potestatem dedit, ut omnia secundum voluntatem suam disponerent et acies ordinarent et pugnam inirent. Tunc illi accelerantes, ut prevenirent trans flumen exercitum Ottonis, omnem populum et collegium regis Franciae per quendam pontem fluminis transvexerunt, et post transvectos pontem diruerunt. Factaque ammonitione per exercitum, ut fortiter starent pro animabus suis, cum non pateret eis locus fugae propter hostes ex adverso et fluminis exuberantiam a tergo, disposuerunt acies ad pugnam, pedites et populares sic disponendo, ut ab ipso loco pontis duas lineas stantes extenderent longe in

---

a) Hii *deest* 3. b) obligando 1. 2. c) in manu 1. 2. 3.

86) Arnoldo II. 87) Udalrico. 87*) Kyburg. 88) die 25. Iulii a. 1215.

campum, quolibet stante in latere alterius, et hastas suas et arma fortiter tenentes nec de loco cedentes. Disposueruntque ut, dum pugna intra ipsos dispositos quasi in formam triangulae figurae ex una parte aperturam habentis[a] ageretur, ipsi a posteriori parte hostium convenirent et eos viriliter caederent. Quo facto, inita est pugna a militibus et equitibus utrimque. Tunc Franci quasi simulantes cessionem, hostes protrahunt usque ad locum destinatum. Cumque viderent, se undique turmis concludi, fugam inierunt, ubi multis interfectis et captivatis et vulneratis Franci victoriam obtinuerunt. Captique sunt comes Flandriae et comes Boloniae, qui postmodum detenti in captivitate diuturna perierunt. Otto quoque imperator et rex Angliae et alii quidam vix aufugerunt.

Anno ab incarnatione verbi 1215. Celebrata[89] est sancta universalis synodus Romae in ecclesia Salvatoris, quae Constantiniana vocatur, mense Novembri, presidente domno Innocentio papa tercio, pontificatus eius 18. anno. In qua fuerunt episcopi 412. Inter quos extiterunt de precipuis patriarchis duo, videlicet Constantinopolitanus et Hierosolimitanus; Antiochenus autem, gravi languore detentus, venire non potuit, sed misit pro se vicarium, Antheradensem episcopum; Alexandrinus vero, sub Sarracenorum dominio constitutus, fecit quod potuit, mittens pro se diaconum, suum germanum. Primates autem et metropolitani 71. Ceterum abbates et priores ultra octingentos, archiepiscoporum vero et episcoporum, abbatum et priorum et capitulorum absentium non fuit certus numerus comprehensus[b]. Legatorum vero regis Siciliae in Romanorum imperatorem electi, imperatoris Constantinopolitani, regis Franciae, regis Angliae, regis Ungariae, regis Hierosolimitani, regis Cipri, regis Arragoniae necnon et aliorum principum et magnatum, civitatum aliorumque locorum ingens fuit multitudo.

Eodem anno electus fui et translatus in Ursperc[c].

Iul. 17. Anno Domini 1216. Innocentius papa obiit apud Berusium[d], 16. Kal. Augusti, pontificatus sui anno 19. Cui successit Honorius III, qui prius fuerat Cencius nominatus fueratque camerarius cardinalium et pecunias ipsis collatas inter eos fideliter et provide distribuebat. Sedit annos 10, menses 8, dies . . .

Anno Domini 1217. Iam tepescere ceperunt predicatores itineris Hierosolimitani propter mortem Innocentii papae. Sane episcopus Halberstatensis et magister Cuonradus de Marburc in inferioribus partibus et magister Salomon Herbipolensis in superioribus adhuc insistebant huic negotio. Honorius quoque papa in civitate Romana predicabat et testificabatur in ipsa sua predicatione, quod tempore sui sacerdotii recuperanda esset a christianis civitas Hierosolima, quod ex tali prodigio dicebat sibi constare: Quia, cum olim fuisset procurator cuiusdam cardinalis, Iacincti videlicet, qui postmodum fuit Celestinus papa, contigit, ut idem Iacinctus a Clemente papa mitteretur in legatione ad partes Hispaniarum; cumque se prepararet ad iter et non haberet pecunias, misit Honorium procuratorem suum, qui tunc Cencius dicebatur, per civitatem Romanam, quatenus mutuo acciperet sibi pecunias pro expensis et ad expediendum iter necessarias. Cumque apud plures requireret pecunias, contigit, ut in quodam loco sibi soli eunti et sollicitanti occurreret quidam vir grandaevus, reverendus et honorabilis in persona. Qui dum quaereret ab eo, quare tam sollicitus et anxius ambularet per viam, causam itineris sui significavit eidem. Tunc ille respondit sibi dicens: *Revertere, quia dominus tuus tempore isto non ibit in Hispaniam.* Cui Cencius ammirans respondit: *Quomodo hoc, pater bone, poteris scire?* Cui ille respondit: *Ita scias hoc esse verum, sicut verum est, quod papa morietur et dominus tuus ei substituetur.* Cumque de hoc nulla spes haberetur ab ipso aut ab aliis, respondit, se hoc vix posse credere. Tunc vir ille rursus adiecit: *Scias hoc ita esse verum, sicut verum est, quod hodie civitas Hierosolimitana a Sarracenis est capta*[89*]*, nec ab ipsis poterit liberari usque ad tempora tui pontificatus Romani, et tunc liberabitur*[e]. His dictis disparuit vir ille. Cumque reversus fuisset domum, invenit, quod domnus papa revocaverat legationem et ipse papa nunciabatur infirmus. Aestimabatur a multis, quod vir ille fuisset beatus Petrus, tali argumento, quia constabat, quod ex predictis duo evenerant. Nam Clemens in brevi mortuus est et Celestinus ei successit, Honorius quoque iam papa fuerat effectus. Cum esset corpore[f]

---

a) habente 1. 2. b) comprehensus *deest* 1. c) Aursperg 2. d) Perusium 3. e) et tunc lib. *desunt* 1. f) a corpore 1.

89) Haec ex protocollo synodi hausta sunt. 89*) At civitas sancta iam Urbani III. tempore capta est.

infirmus ex senio et ultra modum debilis[a], affirmabat, firmiter se credere, civitatem sanctam in brevi esse recuperandam. Quo rumore plurimi Romanorum excitati cruce sunt signati. Fama quoque huius rumoris per Alamanniam divulgata multos ad sumendam crucem animavit.

Eodem anno tempore autumpnali, hora vespertina post occasum solis in quadam stella in occidente visum est signum mirabile. Nam cum stella illa, posita versus austrum, aliquantulum declinans in occidentem, in directo sideris illius, quod vocant astrologi coronam Ariadnae[b], sicut nos ipsi annotavimus, antea erat parva et post ad parvitatem rediit, sed tunc maiori lumine refulsit, visusque[c] est ab ea ascendere versus altitudinem firmamenti quidam radius valde clarus, quasi trabes magna et alta. Et hoc per multos dies, ut predictum est, tempore autumpnali sero visum est; post paulatim defecit et ad suam parvitatem stella rediit. Predicatores quoque his temporibus multa alia asserebant contigisse signa in celo et in terra, quae longum esset enumerare et huic brevitati annectere.

Anno Domini 1218. Otto imperator obiit. Et quia dispositum fuerat in concilio generali, ut eo anno in Kal. Iulii cruce signati iter arriperent, multi de partibus Alamanniae proficiscuntur. Ast ne pergant, in civitatibus Apuliae impediuntur; sed auctoritate sedis apostolicae votum eorum differtur et in utilibus remittitur per compensationem.

Anno Domini 1219. Fridericus in imperatorem electus negocia imperii in Alamannia disponit et se preparat, ut sequenti anno veniat Romam coronandus.

Nov. 22. Anno Domini 1220. Fridericus Romae coronatur in imperatorem in basilica sancti Petri de mandato Honorii papae, per ministerium domni Hugulini, tunc Hostiensis episcopi, postmodum apostolici[90]. Ubi imperator de bonis et prediis imperii in Italia sitis multa contulit ecclesiae beati Petri, et vota votis accumulans, de manu eiusdem episcopi rursus crucem accepit ad perficiendum iter Hierosolimitanum.

Eo anno mittuntur legati in Franciam pro statutis concilii conservandis.

Anno Domini 1221. Res imperii in Lombardia et in Tuscia cupiens disponere, a Bononiensibus et quibusdam aliis civitatibus inhoneste tractatur. Et insignia imperii, videlicet coronam et alia, remittit in Alamanniam, faciens ea custodiri sub potestate Eberhardi[d] de Tanne, ministerialis et dapiferi sui, in castro Walpurc[91]. Filium quoque suum Heinricum, iam circiter octo annos habentem, nutriendum et gubernandum commisit Cuonrado de Tanne, pincernae[e] et ministeriali suo in castro Wintersteten[92]. Qui eorundem ministerialium et aliorum principum interventu postmodum a patre suo et principibus rex constituitur et Aquisgrani coronatur cum patre suo imperium adepturus. 1222. Mai. 8.

1223. Imperator quoque contra duos comites Tusciae, videlicet Mathaeum et Thomam, qui occupaverant quaedam castra et terras suae ditionis, in Apulia pugnare cepit et expugnatos omnibus bonis privavit. Qui postmodum confugientes Romam, presidium sedis apostolicae implorant, quocirca imperator multotiens conquerebatur, quod inimicos suos et hostes publicos sedes apostolica foveret.

1224. Eo tempore domnus Cuonradus Portuensis episcopus cardinalis in legatione sedis apostolicae dirigitur in Alamanniam pro negocio Terrae sanctae, ut videlicet cruce signatos faciat crucem resumere et predicatores instituat, qui alios ad crucem sumendam exhortentur. Tunc quidam Iohannes nomine de ordine Predicatorum veniens de Argentinensi civitate, instabat predicationi oportune et importune, ita ut hominum vitia et peccata quasi[f] importune exprobraret et[g] ad capiendas animas quaedam dogmata hactenus inaudita ingereret, quae, licet aliqua ratione possent defendi ut veritatem contineant, multa tamen exinde mala provenisse dinoscuntur, cum audientes alio modo ea intellexerunt et ad perpetrandum immanissima facinora et flagitia proniores effecti sunt. 1225. Inter quae domnus Engilbertus Coloniensis archiepiscopus a consanguineis suis interfectus est et multi sacerdotes trucidati. Dicebant enim quidam pessimi: *Faciam scelera, quia per susceptionem crucis innoxius ero, quin etiam animas multorum flagitiorum liberabo.* Unde factum est, ut multi pessimi sine penitentia et satisfactione mortui, qui fuerant sepultura asinina in campis sepulti, ecclesiasticam acciperent sepulturam.

---

a) fidelis 1. b) Adriagne 1. 2. c) visus 1. d) Heberh. 1. e) bincernae 1. f) quam 1. g) ut 1.

90) Gregorii IX. 91) in praefectura Wirtembergica Ravensburg. 92) in praefectura Wirtembergica Waldsee.

Anno Domini 1222. et annis sequentibus Fridericus imperator in Sicilia et Calabria et Apulia pugnavit contra Sarracenos et alios sibi rebelles et ipsos suae ditioni viriliter subiugavit.

CONTINUATIO CUONRADI PRAEPOSITI URSPERGENSIS.

1218. Interim Templarii et Hospitalarii Hierosolimitani, adiunctis sibi quibusdam principibus Alamanniae et populo christiano, pergunt navigio ad capiendam quandam civitatem Sarracenorum, nomine Damiatam, ut eam possiderent in recompensationem civitatis Hierosolimitanae et Terrae sanctae.

Fuit autem civitas illa sita super unum brachium Nili fluminis versus septentrionem, distans ab Alexandria versus septentrionem per sex dietas. Et erat muris et situ loci munitissima, ubi portum habent Sarraceni in mari magno. Merces quippe de mari Rubro venientes ab India, ex Perside et Arabia illuc deportantur, et nichilominus ex Aegipto. Nilus quippe fluvius in superiori Aegipto in duo brachia dividitur, ita ut terram inferioris Aegipti disterminet in figuram quasi triangulam, in qua Delta[a], dicit Orosius, contineri civitates famosas centum quinquaginta. Utrumque vero istorum brachiorum cadit in mare magnum, unum apud Alexandriam versus Libiam, alterum apud Damiatam versus Arabiam et Idumaeam et Palestinam.

Cumque advectis navibus populus christianus convenisset illuc, non poterant intrare portum, nec applicare ad terram, quia in ipso flumine construxerant Sarraceni turrem firmissimam, per quam extendebant ultra[b] flumen cathenam mirae magnitudinis, ut naves non possent attingere portum, nisi relaxata cathena. Primum itaque christiani cathenam illam invadunt et consilio artificum et auxilio viriliter pugnantium eam confringunt. Postmodum navigio advecti super naves quandam turrem ligneam construunt magnae altitudinis, ut ex ea turrem Sarracenorum expugnent. His preparatis, viri fortissimi et ad bella strennuissimi tradentes animas suas in mortem pro amore crucifixi, facientes confessionem de peccatis suis et communicato sacramento corporis et sanguinis Domini ascendunt in turrem illam ligneam, turrisque advehitur ad turrem Sarracenorum. Cumque hinc inde pugnatur, cedunt naves et turris corruit et qui in ea erant submersi sunt in flumine, inter quos erant nobilis vir Heinricus de Busmannehusen et N. de Hosteten et alii quam plures aeterna et beata memoria digni. Hoc eventu contristati sunt christiani. Attamen cum cottidie ex adventantibus cresceret exercitus et robur eorum, non desperaverunt de misericordia Dei, quin immo turrem aliam construxerunt et naves fortius compaginaverunt et omni cautela et studio firmaverunt, quam appellentes eodem modo, sicut et prius, turrem Sarracenorum viriliter expugnaverunt et portu optato sunt potiti et ad terras applicuerunt. Ubi primo cum Sarracenis duros conflictus habuerunt; pugnatumque est in terra et in mari et in flumine.

Referam unum, quod legi in scriptis cuiusdam eas pugnas prolixius describentis. Erat navis una in ripa fluminis, in qua erant christiani; haec, nescio qua occasione, impetu et violentia fluminis appulsa est iuxta muros civitatis. Tunc Sarraceni erumpentes et de muris se demittentes cum christianis in navi pugnare ceperunt. Videns autem quidam de christianis, quod non possent resistere, ad fundum navis se demisit et eundem fundum perforavit et perfregit, ut aqua undique ingrederetur, repletaque navi aquis cum Sarracenis et christianis mersa est ad fundum fluminis, ubi quam plures tam Sarraceni quam christiani submersi sunt.

1219. Post multas denique pugnas obsessa est civitas tam in terra quam in flumine quam in mari, ut nullus possit ingredi vel exire. Illi quoque, qui in terra erant, vallo firmissimo et meniis sicut poterant se cinxerunt, ne Soldanus aut Sarraceni, qui exterius erant, possent facere impetum in eos, quod etiam saepius Sarraceni attemptarunt. In his conflictibus et operibus Colonienses et Fresones et alii de inferioribus partibus se strennuissimos et laudabiles exhibuerunt. Fama itaque divulgata, quod obsessa esset civitas, cottidie crevit exercitus christianus, nam multi adventabant, inter quos bonae memoriae Sifridus Augustensis episcopus[93]

a) dieta 1. b) iuxta 2.

93) Obiit a. 1227. Aug. 23.

et comes de Voheburc et alii quam plures advenerunt. Videns autem Soldanus, quod ab obsidione non posset eos vi repellere vel suis auxilium conferre, cepit de pace tractare. Volebat autem reddere christianis civitatem Hierosolimam et eam reparare in muris et aedificiis, sicut erat quondam, quando pater suus Saladinus cepit eandem. Insuper omnem terram, quam olim possidebant christiani exceptis duobus castris volebat restituere, quatenus recederent ab obsidione. Quam compositionem legatus sedis apostolicae qui aderat et Templarii et alii rectores exercitus pro sua superbia admittere recusabant. Ideo contigit, ut ad modicum laetificati gaudium, quod stulte de prospero successu acceperunt, infeliciter perderent. Cumque civitas diu obsideretur et obsessi nunc fame, nunc peste perirent, et portas civitatis undique muris obstruxissent, pre anxietate magno silentio tota civitas conticuit. Sane quidam in exercitu christiano cum quibusdam occulte[a] consilium iniit, ut in quadam parte civitatis clanculo de nocte scalas adveherent, per quas primo diluculo muros civitatis ascenderent, nam vigiles iam conticuerant. Sicque factum est. Cumque ascendissent muros civitatis, exclamaverunt captam esse civitatem. Sicque timor et fuga facta sunt intra muros, extra vero tumultus undique irruentium in ipsam civitatem sive per muros ascendentium sive portas et muros infringentium. Factaque est intra civitatem caedes maxima Sarracenorum, tam virorum quam mulierum quam parvulorum, ita ut esset miserabile spectaculum etiam ipsis christianis rectis corde et flexis humana compassione. Iam expelluntur Sarraceni, et christiani possident civitatem et firmant eam undique. Multi quoque principes et alii christiani cottidie adveniebant in ipsam civitatem pro defensione ipsius contra Sarracenos. Inter quos advenit etiam Ludewicus dux Bawariorum, qui iam dudum fuerat cruce signatus.

Cumque possessa esset civitas a christianis iam usque ad secundum annum vel amplius 1221 et prefatus dux advenisset et populus excrevisset in civitate, factum est de consilio prefati ducis, ut aiunt, et legati sedis apostolicae et aliorum rectorum populi, ut multi cum eisdem egrederentur de civitate ad occupandum quendam locum pro construenda ibidem nova civitate contra Sarracenos. Erat autem locus ille inter duos fluvios in angulo situs, ubi quidam torrens de montibus Arabiae cadebat in Nilum fluvium. Cumque audiret Soldanus, ibidem demorari principes et exercitum christianorum, fecit aquas ipsius torrentis in quadam concavitate et valle montium retineri, ut ibidem excrescerent in maxima quantitate. Cumque christiani fixissent tentoria sua et menia posuissent in prefato loco, Soldanus rex cum exercitu suo cepit adventare et de nocte iussit demitti aquas torrentis super castra christianorum. Surgentes itaque de mane, tam homines quam equi steterunt in aquis profundis; tunc coangustatos ipsos cum exercitu circumdedit Soldanus. Fugam vero non invenientes neque copiam resistendi habentes, tanquam in morte positi pro vita retinenda humiliter supplicabant. Quibus Soldanus tamquam pius et bonus vitam concessit et reditum ad sua, tali conditione, quatenus Damiatam sibi restituerent. Et ne viderentur christiani in possessionem eiusdem civitatis intrasse, sive iure belli, sive alio quocumque iure, statuit ut singuli homines christiani, qui essent in ea, pro exitu et liberatione sua solverent starlingum unum. Sicque factum est, ut exercitus christianus, qui prius in superbia et in abusione elatus, absque Deo in suis viribus confidens, fiduciam habebat inanem, confunderetur, et tam Damiata quam Terra sancta adhuc perdita inveniretur. Faciant super hoc rumore planctum et lamentationem et deplorationem[b] hi, qui sciunt verba multiplicare et conquestiones de rebus miserabilibus facere et animos hominum ad deplorandum et compatiendum suis elegis versibus inclinare. Nos vero[c] ad texendum et retexendum rerum gestarum historiam properabimus.

Anno Domini 1223. Heinricus VII. rex Romanorum effectus, Agnetem[94] filiam Liupaldi 1225. ducis Astriae accepit in uxorem de consilio patris sui Friderici imperatoris.

Anno Domini 1224. Damiata perdita fuit. 1221.

Anno Domini 1225. Ludoicus dux Bawariorum curator regis Heinrici in rebus tam propriis quam imperialibus in Alamannia efficitur.

a) *deest* 1. b) *deest* 3. c) itaque 1.

---

[94] Confundit scriptor nuptias Heinrici regis et Heinrici ducis Austriae. Eodem enim tempore ille Margaretham duxit Liupoldi filiam, hic vero Agnetem filiam Hermanni I. landgrafii Thuringiae.

Iun. 7. Anno Domini 1226. Ab imperatore curia Cremonae condicitur post pentecosten, quae ne fieret, ut multi credunt, a cardinalibus et curia Romana impeditur.

Eodem anno ecclesia Urspergensis pro ducentis marcis, quas B. prepositus pro liberatione ecclesiae persolvit, ab Alberto de Niunburc redimitur et fidem Heinrici regis, datam in manu bonae memoriae Heinrici de Zuplingen, tunc episcopi Ahistetensis, accepit; insuper privilegia regis eiusdem, quod nunquam pro qualibet necessitate eadem ecclesia a defensione imperii alienaretur[95].

1227. Eodem anno Agnes[95*] regina Aquis coronatur.

Anno Domini 1227. Honorius papa obiit mense Martii. Cui successit Gregorius IX, qui prius Hugulinus Hostiensis episcopus dicebatur, natione de Anagnia[a]. Hic tanquam superbus primo anno pontificatus sui cepit excommunicare Fridericum imperatorem pro causis frivolis et falsis et postposito omni ordine iudiciario, sicut idem imperator in epistolis suis rescripsit principibus Alamanniae, retexens omnem progressum vitae suae et conversationem et actionem et innocentiam pro succursu Terrae sanctae. Cuius epistolae series haec est:

Dec. 6. *Fridericus Dei gratia Romanorum imperator principibus Alamanniae* etc. *In ammirationem vertitur vehementem* etc.

Huius epistolae seriem longum esset ponere, ideo quaedam, quae in ea explicantur, breviter describemus, videlicet qualiter imperatrix Constantia in extrema voluntate ipsum imperatorem adhuc in cunabulis positum commisit in sinu et tutela Romanae ecclesiae, quoniam per spiritualem et temporalem eius potentiam melius poterat indemnitatibus pupilli provideri. Sed tamen tam de persona periculum, quam de regno suo non defuit magnum detrimentum, et pupillaris hereditas in multas partes est discissa. Deinde in preiudicium eiusdem Friderici, cum iam esset adultus, Ottonem de Saxonia ad imperiale fastigium sublimavit. Item qualiter mirabiliter preter humanam conscientiam ipsum in multis periculis conservavit et demum ad imperium sibi debitum preter humanum sensum reduxit, deiciendo Ottonem superbum et exaltando humilem. Item qualiter Aquis[b] crucem accepit et, rebus imperii in Alamannia dispositis, Romam coronandus advenit, sicut haec omnia superius plene descripta sunt. Item excusat se de perditione Damiatae. Item commemorat, quanta stipendia premiserit ad subsidium Terrae sanctae, videlicet ut iugiter in suo soldo haberet ibi milites ultramontanos septingentos et de suis fere trecentos, quibus et passagium et necessaria ministravit. Per evidentem quoque infirmitatem excusat se, quod eo anno non isset ultra mare, cum etiam iter arripuisset et, mortuo lantgravio, in itinere gravis infirmitas eum redire compulisset. Narrat etiam, quomodo pro faciliori liberatione[c] Terrae sanctae reginam Hierosolimorum ad suggestionem Honorii papae accepit in uxorem. Ex his omnibus conquestiones facit principibus, quod pro tot beneficiis ab ecclesia non potius remuneratur, quam excommunicatur; ideo et de papa conqueritur, quod nuncios suos honestos, videlicet archiepiscopum Brundiensem et alios, in concilio suo non solum audire contempsit, sed nec ad presentiam suam vel concilii admittere voluit. Multa quoque alia in eisdem litteris sunt descripta.

Eodem anno multi Hierosolimitanum iter arripiunt et plurimi in Apulia moriuntur, inter quos Sifridus Augustensis episcopus et lantgravius de Turingia et alii multi, tam divites quam pauperes, de medio sunt sublati.

1228. Cumque papa nollet desistere ab excommunicatione imperatoris, ipse imperator convocavit ad se de civibus Romanis potentissimos et nobilissimos de familia eorum, qui dicuntur Frangentes-panem, et de aliis, ad quos precipue respectum habebat populus Romanus, habuitque cum illis tractatum, qualiter eos faceret fasallos imperii et, ut sibi faciant hominium[d] et fideliter assistant in omnibus causis. Iussit itaque eosdem sub certa aestimatione precii et census computare, quantum valeant omnes res ipsorum immobiles, quas habebant in civitate, tam in aedificiis quam in agris et vinetis et mancipiis et aliis rebus. Quo facto omnes res illas dato precio, comparavit ab eis et easdem res ipsis in feudum concessit ratione fidelitatis, quam deberent sibi et imperio. Quocirca iidem reversi, cum papa rursus excommunicaret imperatorem, fecerunt, ut a populo pelleretur turpiter extra

---

a) Arania 1. 2. 3. b) Aquisgrani 2. c) *deest* 1. d) homagium 2.

95) Diploma datum Augustae Nov. 13. Monum. Boica 30ª, 139. 95*) potius Margaretha.

civitatem, unde apud Perusium eo anno et sequenti ibi permansit. Romani quoque ceperunt pugnare contra Viterbienses, quorum vineas et alias terras vastaverunt usque ad muros civitatis. In aliis quoque terris papae civitati adiacentibus idem faciebant. Papa quoque contra ipsos et imperatorem excitavit prefatum Iohannem Hierosolimitanum regem et Mathaeum et Thomam comites et alios quos poterat de Tuscia et Lombardia, multamque pecuniam erogavit militibus in soldum.

Anno Domini 1228. Imperator volens explere votum suum et pacatum sibi efficere papam, transfretavit ad terram Hierosolimitanam. Prius tamen eodem anno condixerat curiam principum Alamanniae in quadragesima apud Ravennam, a qua similiter impeditus Febr. 9.–Mart. 18. fuit nunciis et legationibus domni papae. Nam Veronenses et Mediolanenses non permiserunt aliquos transire per fines suos, spoliantes rebus suis etiam ipsos cruce signatos, ut asserebant, auctoritate domni papae, quod, proh dolor! nefas est dicere. Nichilominus tamen imperator venit ad Terram sanctam mense Augusto et applicuit apud Acon et ibi Aug. permansit, ubi, ut aiunt, multa sustinuit ex perfida proditione Templariorum. Soli vero hospitalarii de domo sanctae Mariae Teutonicorum fideliter sibi astiterunt, similiter Ianuenses et Pisani et alii milites, qui cum ipso et pro ipso advenerant. Veneti vero facillabant.

Eo anno et sequenti tractabatur de pace inter imperatorem et Soldanum et gentes ipsorum. Papa vero captata occasione de absentia imperatoris copiosum exercitum destinavit in Apuliam et terras imperatoris in servitio Christi demorantis, quod nefandissimum est dicere, abstulit et sibi subegit et cruce signatos ne transfretarent omni studio prohibuit tam in Apulia quam in Lombardia[a]. Quis talia facta recte considerans non deploret et detestetur, quae indicium videntur et quoddam portentum, et prodigium ruentis ecclesiae.

Anno Domini 1229. Fit compositio in quadragesima inter imperatorem et Soldanum. Febr. 28.–Apr. 7. Ihcrusalem quoque et Nazareth et Iopen cum terris adiacentibus et aliis quibusdam locis imperatori restituuntur, et treuga inter christianos et Sarracenos usque ad decennium statuitur. Cumque imperator super hoc laudabili et glorioso facto rescriberet domno papae et gaudium annunciaret christianitati, papa litteras illas abiecit et respuit.

Eo anno imperator pascha Domini cum multis expensis, more regio coronatus pro- Apr. 15. cedens, Hierosolimis celebravit. Aedificia quoque civitatis restituit, et Iopen, quae erat destructa, reaedificavit et alia quam plurima loca, ubi christianos collocavit.

Dum haec agerentur in ultramarinis partibus, papa cum suis complicibus, ut asserebant homines, famam fecit in Apulia divulgari, imperatorem esse mortuum. Quocirca civitates, quae adhuc adhaerebant imperatori, disponebant se tradere sub dominio papae et omnes Alamannos de Terra sancta redeuntes et ibidem in Apulia demorantes durissimo et nequissimo facinore interficere. Sed Deus misericors aliter providit et homines suo servitio deditos ad laudem et gloriam nominis sui clementissime conservavit. Tempore siquidem aestivo eiusdem anni imperator reversus venit in Apuliam ante alios, qui revertebantur. Cuius reversione certissime comperta, crudelitas saevientium et furor invadentium conquievit. Multi namque tam de ultramontanis quam de partibus illis christiani et Sarraceni coadunati sunt ad imperatorem, ut haberet maximum exercitum et fortissimum; cepitque terras sibi ablatas recuperare et hostes de finibus suis expellere. Nichilominus quoque omni tempore, quamdiu denunciabat eum papa excommunicatum, beneficium absolutionis humiliter cum omni obedientia et devotione et iustitiae exhibitione postulavit. Super causis vero, quae inter ipsum et papam vertebantur, diffiniendis, advocavit principes Alamanniae, ut venirent in Italiam, videlicet patriarcha[96] Aquilegensis, archiepiscopus[97] Salzburgensis, episcopus[98] Ratisponensis, Liupaldus dux Astriae et dux Dalmatiae et Histriae[99]. Quibus advenientibus, imperatore manente apud Capuam, tractatum est de pace et concordia inter imperium et sacerdotium et regnum Siciliae et absolutione imperatoris, multis aliis quoque mediantibus, tam de curia Romana quam etiam Italia et Alamannia. Sane haec compositio, cum non posset perfici eo anno, dilata est usque in annum sequentem.

---

a) Bombardia 1.

96) Bertoldus. 97) Eberhardus II. 98) Sifridus. 99) Otto I. de Meran.

HYSTORIA FRIDERICI IMPERATORIS MAGNI, HUIUS NOMINIS PRIMI, DUCIS SUEVORUM ET PARENTELE SUE.

Fuit in partibus Suevie parentela nobilium, primo quidem militarium simplicium, qui dicebantur de Stauffen, qui tamen suis probis ac virtuosis actibus ad hoc devenerunt, ut inter barones sive liberos deputarentur. Et ut legitur in libro de miraculis sancte Fidis virginis et martiris, fuerunt de eadem parentela tres fratres, quorum unus dicebatur Fridericus, alter Conradus, tercius Otto. Qui Otto fuit episcopus Argentinensis. Mortuo autem inprimis inter eos Conrado, apparuit idem Conradus post mortem suam fratri suo Ottoni episcopo[1], denunctians sibi, quod in brevi postea esset moriturus, adiciens, fratrem ipsorum Fridericum supervicturum et ad ampliorem honorem ac potenciam perventurum, quam aliquis antecessorum ipsorum prius pervenisset. Et quod relacio sua vera esset, tunc retulit sibi pro indicio quedam verba secreta, que ipsi tres fratres simul locuti fuerunt quodam tempore, quando simul coram reliquiis Karoli Magni fuerunt, que nemo alius quam ipsi tres mutuo audierunt. Itaque in brevi post defunctus fuit etiam Otto episcopus Argentinensis prefatus.

Chron. Ursp. Huic Friderico de Stauffen iuncta fuit matrimonio filia Heinrici imperatoris huius nominis quarti, mortuoque Rudolfo duce Suevorum in bello, qui sibi regnum vendicaverat, dictus Heinricus imperator quartus ducatum Suevie prefato Friderico genero suo contulit. Iste Fridericus dux Suevorum fundator fuit monasterii Loricensis[2] ordinis sancti Benedicti, ubi ipse postea sepultus fuit cum pluribus regibus et principibus ac coniugibus ipsorum de parentela ipsius. Unde pro epitafio eorundem principum circa sepulchrum in medio ecclesie eiusdem monasterii inveniuntur scripti versus infra signati:

Si fundatorum tu querens[a] *nomina, quorum*
Communis fossa iuxta nos continet ossa,
Scire velis, horum lege sensum[b] *versiculorum.*
Principibus nati requiescunt hic tumulati:
Fundator hic primus humatur dux Fridericus
Cum consorte thori, cuius non[c] *defuit ori*
Christus[d] *quo melius*[e] *confertur gracia celo.*
Binos matre satos[f] *fratres habet hic tumulatos.*
Gertrud[g] *regina, Conradi regis amica,*
Illic cum nato Heinrico iacet cinerato.
Hinc dux Suevorum Fridericus ad alta[h] *polorum*
Transit, germano sibi Conrado associato[i].
Tres fratres horum scribuntur nomina, quorum
Renbolt[k], *Wilhelmus et tercius est*[l] *Fridericus,*
Et soror his quinis[m] *est combinata Beatrix.*
Nobilis atque pia[n] *cineratur Greca Maria,*
Philippi regis coniunx; hanc atria regis
Fac intrare pia summi tu[o], *virgo Maria.*
Ipsius nata sita[p] *cum matre hic tumulata.*
Qui legis hec metra, dic, quos obtegit horrida petra,
Eterna vere mereantur luce vigere[q].

Et quia prefatis principibus ad hoc agentibus preciosissime reliquie in dicto monasterio Loricensi adhuc hodie continentur, quas oculis nostris perspeximus, ideo in quantum inquirere potuimus, easdem reliquias infra annotandas duximus:

---

a) *sic Crusius;* que 2; *Christmann emendavit* quae sint. b) *deest* 2; *supplevi ex Crusio.* c) *sic Crusius;* nunquam 2. d) *sic Crusius;* Xp̄o 2. e) melos 2. f) latos 2. g) Gergrud 2. h) alta regis pol. 2. i) sociato 2. k) Rembold *Crusius.* l) est *deest* 2. m) qoīs 2; communis *coniecit Christmann.* n) pia hic *Crusius II,* 12, 14. o) semita *Crusius II,* 12, 14. p) iacet 2. q) gaudere 2.

[1] Secundum Narrationem de restauratione S. Fidis Conradus comes non Ottoni fratri, sed cuidam militi apparuit.

[2] Lorch situm in monte supra vallem fluvii Rems, inter Schwäbisch-Gmünd et Schorndorf.

Item de sancta cruce magna pars; de sanguine Christi; de sudario Christi; de spinea corona; de preciosis panniculis Christi; de sindone Christi; de purpura Christi; de camisia Christi; de vestimentis Christi; de epistola missa a Ihesu Christo Abagaro; de loco, ubi Christus natus fuit; de satua, ubi Christus flagellatus fuit; de lapide, ubi Christus rogavit patrem in agonia; de lapide, ubi Christus ascendit in celum; de loco, ubi Christus cenavit cum discipulis; de lapide, ubi Christus coronatus fuit; de monte Calvarie; de monte Oliveti; de sepulchro Christi; de loco, in quo Christus ieiunavit quadraginta diebus; de porta Pilati, per quam Christus ivit ad crucem; de aurea porta; de loco, ubi Christus flevit super Iherusalem. Item de lacte beate Marie virginis; de cingulo beate Marie virginis; de crinibus beate Marie virginis; de rigillo beate virginis; de oratorio beate Marie virginis; de sepulchro beate Marie virginis; de loco, ubi beata virgo Maria obiit. Item de sanctis Petro et Paulo magna pars; de sanctis apostolis Symone et Iuda magna pars; de sanctis Philippo et Iacobo magne partes; brachium sancti Bartholomei magna pars; de costa sancti Andree apostoli et de cruce eius et de pectine eius; de dorso sancti Thome apostoli; de digito sancti Iohannis baptiste; brachium sancti Laurentii et de costa eius; de costa sancti Marci evangeliste; de police sancti Nycolai; de sancto Georio; de sanctis Iohanne et Paulo martiribus; de sancto Thoma martire; de scapula sancti Valentini; de sancto Anthonio; brachium sancti Osvaldi; de sancto Alexio; de digito sancti Dyonisii; cerebellum sancti Mauricii; de costa Christoferi; de sancto Ieronimo; de sancto Stephano prothomartire; de sancto Blasio; de costa sancti Ypoliti; de sancto Silvestro; de sancto Udalrico; de sanctis martiribus Afra, Hilaria, Eunomia, Eutropia et Digna; de sancta Barbara; de oleo sancte Katherine; de sepulchro sancte Katherine; de sancta Dorothea; de sancta Agatha; de sancta Otilia; de cruce, que crevit in utero sancte Margarethe; de cruce, quam misit Dominus per angelum sancte Elisabeth; duo capita de societate sancte Ursule; de sancto Sebastiano martire; de sancto Wilibaldo confessore; de prepucio domini nostri Ihesu Christi; de cathena sancti Petri; de stola sancti Blasii episcopi; de sancto Bonifacio; de sancto Eleuterio; de sancto Thimotheo; et reliquie multorum aliorum sanctorum, quorum nomina ignorantur. Predicta inveniuntur in scriptis eiusdem monasterii circa reliquias ipsius contentis.

EXCERPTUM EX GALLICA HISTORIA.

Insigne illud fragmentum ex Gallica historia excerptum, de quo tam diu viri docti inter se disceptabant, quodque adhuc b. m. sodalis noster Abel ad aetatem Romanam ascendere putabat, iam cum glossis ipsius prae oculis fuit **Aventino**, *qui tamen loca et nomina in eo contenta non ad civitatem Augustam Sueviae sed ad aliam quandam Augustam Vindelicorum, in Bawaria iuxta Wolfratshausen ad confluentes fluminum Loisach et Isar olim situatam, retulit*[1]. *Quem secutus Wolfgangus* **Lazius**: *qui primus a.* 1551. *editionem instituit*[2] *et* historiam in pervetusto codice membrana literis antiquissimis scriptam dictione plane Caesariana sub titulo: Velleji excerpta ex Gallica historia *a se repertam esse dicit, Caesarem seu Velleium Paterculum auctorem esse autumavit, ideoque glossas, quas codex eius continuisse certo censendus est, tamquam additamenta inepta recentioris originis, prorsus omisit. Primus rem altius indagabat Marcus Welser, duumvir Augustanus (a.* 1614. *mortuus), rerum Augustanarum diligentissimus subtilisque perscrutator, iam a.* 1591. *Iusto Lipsio scribens:* Ego multis argumentis conicio narrationem totam lusum esse hominis male feriati, qui Caroli Magni aut Othonum tempore scripserit[3]. *Nec multo post in libro suo: Rerum August. Vindel. Commentarii a.* 1594. *edito*[4], *libro III, p.* 32 *sq. fusius de fragmento nostro egit, quaeque in eo a veritate abhorrerent acri ingenio detexit, fragmentum ipsum, omissis tamen glossis, p.* 147[5] *iterum praelo dedit, et in margine editionis complures Flori, Sallustii, Livii locos, ut dicunt, parallelos adnotavit, e quibus falsarius fortasse dictionem operis sui deprompsit. Textum Lazii secutus esse Welser, pauca tamen suo Marte mutasse mihi videtur. Uncis enim inclusit quaedam, quae ad codicem quendam manu scriptum sane redeunt.*

---

[1] Aventini Annal. Boi. lib. II, cap. 5, n. 25 (ed. Lips. 1710): *Augusta Vindelicorum proxime Wolfratshusium. Condita fuit Augusta ad pontes Scaphonios (Scheftlarn), ubi duo rapidissimi amnes, Lusa et Isara ex Alpibus confluunt. Proximus est Verres lacus Vindelicorum maximus (Würmsee) et campus Perlacha, in quo Theodo Magnus legiones Romanas secundo prelio fudit.* Cf. III, 12, n. 10 ubi Theodonem II. a. 520. Romanos in Perlacherhaid, ad unum lapidem a Monacho, vicisse narrat.

[2] Commentariorum reipub. Romanae libri duodecim. Basileae, folio (1551.) lib. I. cap. 8, p. 85. Editio altera quae sub titulo: Reipublicae Romanae comment. libri duod. a. 1598. Francofurti apparuit, fragmentum p. 52 continet.

Goldastius deinde, Welseri amicus, a. 1605. *in libro: Rerum Suevicarum scriptores aliquot veteres*[6], *p.* 20 *Welseri editionem plane repetiit, polito tamen sermone aliquoties suo arbitrio, sub titulo sane ab ipso invento:* Velleii Galli fragmentum de victoria Suevorum contra Romanos. *Subsidia nova manu scripta Goldastium adhibuisse prorsus nego, opponens me viro reverendissimo b. m. Iacobo Grimm, qui eum alio et vetustiore codice, quam Lazius, usum esse opinatus est*[7].

Vossius denique a. 1627. *Lazii editionem tantum repetiit in libro: De historicis latinis I, cap.* 24, *p.* 110[8]. *Ceterum Welsero in diiudicando tempore originis consentit.*

Primam, quae glossas etiam praebuit, editionem instruxit ad fidem codicum 4 *et* 1 *vir ill. Iacobus Grimm in Mythologia sua Germanica p.* 269, *nugas et dissonantias narrationis denuo ursit, sed deam Cisam abiicere non ausus est. Ultimus Massmann in volumine III. libri Kaiserchronik prolixius de Gallica historia disputavit, codices*[9] *complures Excerpti enumeravit, ipsumque vulgavit*[10], *nescio quo usus codice, fortasse editionem Grimmii secutus, quibusdam locis suo arbitrio mutatis.*

Nos quidem sat esse ducentes, si certum fundamentum manu scriptum adhibeamus, non omnes, qui nobis innotuerunt, codices curamus. In nostros usus venerunt:

1. *Codex Vindobon. hist. prof.* 652 *nunc* 203 *membr. saec. XI. ineuntis. Fragmentum, quod fol.* 79' *post Iordanis historiam Gotorum legitur, exscripsit vir ill. Pertz. Glossae et notae interlineares alia sed eiusdem aevi manu, certo post annum* 1064. *insertae sunt.*

2. *Codex Sancti Petri Salisburg. S.* 196. *membr.* 4°. *saec. XI. vel XII. ineuntis. Vir ill. Bluhme Bonnensis eum in usum nostrum vertit. Inscriptio:* Excerptum ex Gallica historia *et scholia eadem, qua textus, aut paulo posteriori manu scripta sunt; decisione marginis quaedam exciderunt.*

3. *Codex Schletstadiensis membr. saec. XII. ineuntis, glossis vetustissimi sermonis Alamannici celebratissimus, continet inter alia multa Chroni-*

---

[3] Velseri opera hist. et phil. Norimbergae 1682, p. 816. 817.

[4] Eodem a. 1594. liber iste bis Venetiis et Francofurti typis datus est. Nos editione Francofurtana usi sumus. Exstat etiam in Velseri operibus, ubi locus iste legitur p. 219 sq.

[5] Opera p. 350.

[6] Francofurt. s. a. in 4°; editio altera Ulmae 1727. in folio, ubi fragmentum require p. 3.

[7] Deutsche Mythologie I, 270. 271.

[8] Lugdun. Batav. 1627. 4°.

[9] p. 309 sq.

[10] p. 321.

con de sex aetatibus mundi, cuius margini, ubi de Hannibalico bello agitur, alia manus saec. XII. ineuntis Excerptum de Gallica historia *inseruit. Sic b. m. Bethmann noster.*

4. *Cod. Monac. Lat.* 2. *anno* 1135. *exaratus, olim Augustanus, inter alia Augustana, Annales supra SS. T. III,* 123 *editos continens. Excerptum nostrum a b. m. viro cl. Schmeller ex hoc codice exscriptum edidit Iacobus Grimm, Deutsche Mythologie I,* 269 *et* 270, *paucasque varias lectiones e codice Vindobonensi supra notato* 1. *addidit.*

Excerptum praeter hos codices etiam continent: Cod. Stuttgart. hist. fol. 411 *membr. saec. XII. olim Zwifaltensis, Ekkehardum continens (a Waitzio signatus B.* 10), *e quo Burchardus Urspergensis et Ekkehardum et Excerptum descripsit*[11].

Cod. Monac. S. Emmeram. F IX. fol. 4. *saec. XII. consentit secundum Schmellerum cum priori.*

Cod. Vindobon. Univers. 237 *nunc* 226 *saec. XII. Iordanis historiae Gothorum fragmentum adscriptum est sub titulo:* De historia Teutonicorum. *Cum e codice* 3 *fluxisse videatur, eum non curandum duximus sicut et quatuor, qui sequuntur, codices, qui omnes etiam Iordanis librum de rebus Geticis continent.*

Cod. Vindobon. Rec. 2129 *nunc* 3221. *chart. anno* 1447. *exaratus.*

Cod. Vindobon. Salisb. 33 *B. nunc* 3129 *chart. saec. XV. exeuntis.*

Cod. Vindobon. hist. profan. 452 *nunc* 3416 *chart. folio, saec. XVI.*

Cod. Vindobon. hist. eccl. 75 *nunc* 3177 *chart. saec. XVI. Fragmentum inscriptum est ut in codice Vindobon.* 226.

Tum etiam editionum variam lectionem adnotandam duximus, cum dubitari liceat, textusne glossis carens sit antiquissimus. Et quidem signavimus:

5. *Lazii textum, in quo, sicut et in duobus sequentibus, praeter glossas, aliqua alia desiderantur.*

6. *Welseri textus non solum variam lectionem, sed etiam ea quae uncis inclusa e codice quodam addidisse videtur, adnotavimus.*

7. *Goldastii textum quoque adhibuimus comparationis causa, licet eum non genuini codicis cuiusdam formam praebere arbitremur.*

De tempore, quo natum sit fragmentum nostrum, post prolixas expositiones, quas multi iam instituerunt, pauca modo afferre nobis libet. In universum iamiam Welserum rectam artis criticae viam indicasse, recteque tempus originis sub Karolos seu Ottones posuisse, nobis constat. In cuius partes cessit praeter contemporaneos eius, Iustum Lipsium[12] *et Gerardum Ioannem Vossium*[13], *etiam G. E. Mezger in dissertatione, quam scripsit:* Ueber die Sage von einer Schlacht zwischen den Römern und Sueven bei Augsburg. *(Augsburg* 1838.) *Nostro demum aevo exorti sunt, qui contenderent Romani scriptoris fragmentum nobis esse asservatum. Vide inprimis I. Becker, Drusus und die Vindelicier*[14], *qui Titum Annium Drusi praetorem fuisse et quae de Cizara civitate referantur ad Damasiam oppugnatam*[15] *spectare censet, quae nomen postea in Augustam Vindelicorum mutaverit*[16]. *Cuius opinioni accessit quoque b. m. Abel. Ast nobis dea quoque Zisa, quam vir ill. Grimm retinere nisus est, iis quae a.* 1851. *disseruit vir d. Bachlechner*[17] *ut fumus evanuit. Is enim Augustam*

---

[11] Descriptionem codicis v. Archiv VII, p. 500.

[12] Velseri opera p. 350.

[13] De historicis Latinis I, cap. 24, p. 110.

[14] Philologus V. 1850. 1, p. 128.

[15] Strabo VII, 206.

[16] Cf. Mannert et Kaiser, Alterthümer von Augsburg p. 7.

[17] Haupt, Zeitschrift VIII, p. 587.

apud Germanos prius Ziesburc *seu potius* Ziwesburc *i. e. castrum dei bellici Ziu audivisse evicit; et elucet ex hoc nomine, quod posteriores homines christiani interpretari non valebant, totam deam Cizam cum Cizara civitate originem duxisse*[18]. *Ut omnino dicamus, Excerptum nostrum a viro medii aevi, eoque tamen omnibus veterum litteris instructissimum, ad glorificandam urbem Augustanam et declaranda locorum eius nomina dolose confectum esse, pro certo habemus. Cum se res ita habeat, glossas etiam genuinas esse iudicemus oportet, quas falsarius operi suo ipse addiderit, ne lectores in interpretandis narrationis nominibus laberentur. Non miramur, quod Lazius eas reiecit, quippe qui non solum fragmentum Romani auctoris esse sibi persuaserit, sed etiam Cizaram civitatem non Augustam Sueviae sed alium Bawariae locum fuisse probare nisus fuerit. Inter glossas illas unam ad tempus anno* 1064. *posterius tendere, vir ill. Grimm primus monuit*[19], *quia ecclesia et conventus sancti Petri eo anno demum in colle Perlach constructa sunt. Desideratur autem haec glossa in codice* 2 *et apud Urspergensem, ideoque nobis a posteriore quodam scriptore, non vero a falsario ipso, qui certo ante a.* 1064. *scripsit, addita videtur.*

Massmann primus docuit[20], *ad* Gallicam historiam *provocare etiam Gestorum Trevirorum codices classis* B[21], *ubi Nini et Trebetae narrant fabulam. Alia nonnulla dein affert fragmenta fabulosa vir doctus, et omnia cum Excerpto ad Gallicam quandam historiam, fabulis historicis largissime praeditam recedere vult. Suavis sane haec coniectura; at fragmenta illa omnia adeo ad certa loca (ad Treviros, ad Augustam, ad Ebersheim etc.) respiciunt, ut vix mihi persuadeam, Historiam quandam exstitisse, quae locorum istorum omnium tanta accuratione et tanto amore mentionem fecerit.*

Non praetereundum, iam Ottonem Frisingensem narrare[22], *Augustenses cladem Varianam ibi factam tradere, collemque Perleich, eo quod legio ibi perierit, nominare, vicum ex nomine Vari appellatum monstrare.*

Fragmento nostro usus est, praeter praepositum Urspergensem, qui illud aliquantum suo arbitrio immutavit, auctor Chronicae Augustanae vernaculo sermone circa a. 1469. *scriptae*[23].

Berolini die 27. *mensis Iunii a.* 1871.

LUDEWICUS WEILAND.

EXCERPTUM[a] EX[b] GALLICA HISTORIA.

Dum[c] haec circa Renum geruntur, in Noricorum[1*] finibus grave vulnus Romanus populus[d] accepit. Quippe[e] Germanorum[2*] gentes, qui[f] Retias occupaverant, non longe ab Alpibus tractu pari patentibus campis, ubi duo rapidissimi amnes[3*] inter se confluunt, in

1*) Pauvaria *superscripsit* 1; Bawariorum 4.

2*) Suevi *superscr.* 1. 3. 4.

3*) Licus et Wertaha[g] *superscr.* 1—4.

a) *sic* 1. 2. 3; excerpta 4. 5. b) de 1. 3. c) cum 2. 3. d) *superscriptum* R. p. 1. e) (accipit. Nam) 6; Nam 7. f) quod 5; quod (quae, qui) 6; quae 7. g) Werdaha 2; Werthaha 4.

---

18) Cf. etiam quae vir d. Hertz in Haupt, Zeitschrift X, 291 sq. affert ad detegendos et declarandos eos, quibus falsarius pro fundamento usus erat, locos veterum.

19) Deutsche Mythologie I, p. 274. *Subdidit hunc Romae prepes victoria Petri, Hoc sibimet templum qui modo constituit.*

20) Kaiserchronik III, 309.

21) SS. Tom. VIII, 144 ad cap. 14: *Sicut Gallica narrat historia sub temporibus Habrahae* etc.

22) Chronicon III, 3.

23) V. Chroniken der Deutschen Städte IV, 281 sq.

ipsis Noricis[a] finibus[4*] civitatem non quidem muro, set[b] vallo fossaque cinxerant[c], quam appellabant Cizarim[d] ex nomine deae Cizae[e], quam religiosissime colebant[5*]. Cuius templum quoque ex lignis barbarico ritu constructum, postquam eo colonia Romana[f] deducta est[6*], inviolatum permansit ac vetustate collapsum nomen colli servavit[7*]. Hanc urbem Titus Annius[g] praetor ad arcendas barbarorum excursiones Kalendis Sextilibus[8*] exercitu circumvenit. Ad meridianam oppidi partem, quae sola a continenti[9*] erat, praetor ipse cum legione Martia castra[h] operosissime communivit. Ad occidentem vero, qua barbarorum adventus erat, Avar, Bogudis regis filius, cum equitatu omni et auxiliaribus Macedonum copiis inter flumen et vallum, loco castris parum amplo[i], infelici temeritate extra flumen[10*] consedit; pulchra indoles non minus Romanis quam Graecis disciplinis[k] instructa. Igitur quinquagesimo nono die[l] quam eo ventum est, cum is dies deae Cizae[m] apud barbaros[11*. n] celeberrimus ludum et lasciviam magis quam[o] formidinem ostentaret, immanis barbarorum[12*] multitudo e[p] proximis silvis repente erumpens ex improviso castra irrupit, equitatum omnem et quod miserius erat auxilia sociorum delevit. Avar[13*] cum in hostium potestatem regio habitu vivus venisset, [set quae apud barbaros reverentia?][q] more pecudis[r] [ibidem][q] mactatur[14*]. Oppidani[s] vero non minori fortuna set maiori virtute praetorem in auxilium sociis[t] properantem adoriuntur, Romani haud[u] segniter resistunt. Duo principes oppidanorum Habino[15*. v] et Caccus[16*. w] in primis pugnantes cadunt. Et inclinata iam[x] res oppidanorum esset[y], ni maturassent auxilium ferre socii[z], in altera ripa iam victoria potiti. Denique coadunatis viribus castra irrumpunt, praetorem, qui paulo altiorem tumulum[17*] frustra ceperat, Romana vi resistentem obtruncant,

---

4*) in terminis Pavuariorum[a] et Suevorum *superscr.* 1—4.

5*) *in margine codd.:* Quem male polluerat cultura nefaria dudum
Gallus monticulum hunc[b] tibi Ziza[c] tulit.

6*) *in margine codd.:* Post conditam urbem Augustam[d] a Romanis.

7*) *in margine codd.:* Ut usque hodie ab incolis Cizunberc[24] nominetur[e].

8*) exacta iam estate *superscr.* 1. 3. 4; *textui inseruit* 2.

9*) littoribus *superscr.* 1—4

10*) Werdaha *superscr.* 1; Wertaha 3; Werthaha 4.

11*) Suevos *superscripsit* 3.

12*) Suevorum *superscr.* 1. 3. 4.

13*) *in margine codd.:* Ex cuius vocabulo, quia ibi mactatus et tumulatus[f] est, Chrechesaver[g. 25] nomen accepit; Grecus[h] enim erat.

14*) *in margine codd.:* His[i] nomen terris Bogudis dat regia proles,
Grecus Avar[k], pecudis de Suevis more litatus.

15*) *in margine:* Praefectus Habeno se victum hicque sepultum
Perpetuo montis nomine notificat. — Qui iuxta montem occisus et sepultus nomen monti Habesberch[l] dedit, quem rustici Havenonperch[m. 26] dicunt 1. 3. 4.

16*) *in margine:* A[n] cuius nomine putamus Iekingen[o. 27] nominari 1. 3. 4.

17*) Perlaich[28] *superscripsit* 1; Perleih 4. *In margine codd.:*
Indicat hic collis Romanam nomine cladem,
Martia quo legio tota simul periit.
Subdidit hunc Romae prepes[p] victoria Petri[q. 29],
Hoc sibimet templum qui modo constituit[r].

a) (Norici) 6; Norici 7. b) sed 4. 6. 7. c) cinxerunt 5—7. d) Zizarim 3. 4; Cisara 5. 6; Cisaram 7. e) Cice 3; Cisae (Cizae) 6; Cisae 7. f) Romanorum 5; Romanorum (Romana) 6. g) u. T. A. (urbem Annius) 6. h) *deest* 5; Martia operiosissime (castra operiosissime) 6. i) apto 7. k) litteris 6. 7. l) *deest* 3. m) Zizę 2; Zice 3; Cisae (Cizae) 6; Cisae 7. n) ap. barb. *deest* 5; *uncis includuntur* 6. o) qua 4. p) ex 5. 6. q) *uncis inclusa des.* 5—7. r) pec. more 5—7. s) opidani 1. t) sotiis 1. u) haut 2. 7. v) Habbino 5; Habino (Habbyno) 6. w) Cacus 7. x) Et iam incl. (incl. iam) 6. y) erat 5—7. z) sotii 1. a) Bavariorum 3; Bawariorum 4. b) nunc 1. c) Ciza 2. 4. d) *deest* 3. e) hod. Zizunb. nom. ab inc. 3. f) sepultus 2; mact. est et tumul. 3. g) (Chr)echisauaron 2; vicus Crehisaveron 3; Chrikesaveron 4. h) genus 2. i) hoc 4. k) Grecavar 4. l) Habeneberc 3; Habenonberch 4. m) Haveneberc 3; Havenenberch 4. n) Ex 3. o) Gekkingen 3. p) *sic* 4; perpes *cett.* q) Petro 3. 4. r) subdidit — constituit *des.* 2. *Ursperg.*

24) Iam Eisenberg prope curiam Augustanam. MEZG. 25) Kriegshaber prope Augustam. MEZG. 26) Hafnerberg, via Augustana. MEZG. 27) Göggingen prope Augustam. MEZG. 28) Perlach, collis in media urbe Augustana. Cf. Iahrbücher des Vereins der Alterthumsfreunde des Rheinlandes. Heft XLII, p. 60 sq., ubi Perlaich declaratur: *habitaculum ursorum.* 29) Ecclesiam sancti Petri in colle Perlach a. 1064. conditam esse, monuit Grimm p. 274.

legionem[18*] divinam, ut ne nuntius cladis[a] superesset, funditus delent[b]. Verres[19*] solus, tribunus militum, amne[20*] transmisso in proximis paludibus se occultans, honestam mortem subterfugit. Nec multo post Siciliae proconsul inmani avaritia[c] turpem mortem promeruit[d]. [Nam cum se magistratu abdicaret, iudicio[e] civium damnatus est. Set ad rem r.][f]

18*) Martiam *superscr.* 1. 3. 4. *In margine:* De hac ibi perdita legione adhuc Perleich[g] nominatur.

19*) *in margine codd.:* Hic quia in paludibus adiacentibus latuit, lacui Verrisse[h. 30] hucusque nomen dedit. Das[i] nomen lacui, Verres, quo tu latuisti[k].

20*) Wertaha *superscripsit* 1.

a) *deest* 5; nuncius (nuncius cladis) 6. b) delerunt 5. 7; delerunt (delent) 6. c) avaricia 2—5. d) *expliciunt* 5—7. e) iuditio 1. f) *uncis inclusa des.* 5—7. g) Perlaich 3. h) Verris 2; Verrinse 3. i) Dans 2. 3. k) Das — latuisti *des.* 4.

30) Pfersee prope Augustam. MEZGER.

CHRONICON SANCTI MICHAELIS LUNEBURGENSIS.

EDIDIT LUDEWICUS WEILAND.

Chronicon hoc breve, quod primus vulgavit vir cl. Wedekind a. 1823[1], *continetur in codice tabularii regii Hannoverani, qui olim fuit monasterii sancti Michaelis Luneburgensis, signato A. II*^{b}. 1 *et interius:* Copialbuch N. 1. *Complectitur hic codex in* 4° *membranaceus foliorum* 103, *pro parte maxima scriptus una eademque saeculi XIII. ineuntis manu, quem fusius descripsit Wedekind*[2]*:* a) *f.* 1—35′ *Martyrologium Huswardi cum epistola Karolo Magno directa, quae cum involucro compacta est. Folium quoddam dies* 10 *ultimos mensis Aprilis continens inter f.* 7 *et* 8 *excisum est.* — b) *f.* 36—69 *Regulam sancti Benedicti, cuius exordium f.* 36 *alia, ut crederes antiquiori manu exaratum est.* — c) *f.* 69′—98 *Necrologium sancti Michaelis, quod accurate descripsit Wedekind, Noten I,* 330 *sq. et edidit tomo III,* 1—98. — d) *f.* 98′—99′ *Titulos quinque Luneburgenses, quos sub nomine:* Narratio de consecratione S. Michaelis *Wedekind I,* 418 *edidit, nosque editioni Chronici subiungimus.* — e) *f.* 99′. 100 *Epitaphia rythmica Bernhardi I. ducis, Luderi comitis, Hermanni ducis, quae videas apud Wedekind III,* 109—111. — f) *f.* 99′. 100 *Notas quasdam de reliquiis versibus modo memoratis in margine manu saeculi XIV. adiectas.* — g) *f.* 100 *Nomina episcoporum Verdensium tribus manibus saec. XIII. et XIV. exarata, quae videas apud Wedekind I,* 95. — h) *f.* 100′—103′ *Chronicon nostrum. Paginae* 102 *ultimas tres lineas et paginae* 102′ *decem priores librarius, ut videtur, vacuas reliquit, fortasse quia in exemplari ab eo descripto lacunam repperit seu quia nonnulla legere non potuit. In media enim sententia* (Hic Albertus ...) *textus Chronici interrumpitur. In spatio primo trium linearum fol.* 102 *alia manus, ut videtur coaeva et priori simillima, scripsit postea locum quendam sancti Augustini* (Augustinus qua vociens — fracti cordis)*; in secundo autem decem linearum f.* 102′ *spatio scriptum est postea manu saec. XIII. exeuntis Mortuarium quorundam principum, quod edidit Wedekind I,* 334[3]. — i) *f.* 103′ *Diptychon Billingorum et abbatum novem priorum monasterii sancti Michaelis, quod videas ap. Wedekind I,* 336. — k) *in pagina involucro compacta Versus memoriales* 41 *linearum, a Crachtone petente Iohanne abbate (a.* 1219—1239.*) confectos, quos dedit Wedekind III,* 112, *quosque sequitur in eadem pagina* — l) *Relatio de traditione praedii Mulbizi per*

---

[1] Noten zu einigen Geschichtschreibern des Deutschen Mittelalters tom. I, p. 405—418.

[2] ibid. 327 sq. Antea iam Gebhardi, Histor. genealog. Abhandlungen III, 1 sq. qui etiam tertiam partem Necrologii, Mortuarium et Diptychon e codice vulgavit.

[3] Has tredecim lineas in rasura scriptas seu textum priorem deletum esse vult Wedekind I, 329. Sed nulla prorsus rasurae seu liturae vestigia apparent.

Bernhardum I. ducem facta, quam vulgavit Wedekind III, 121, alia manu saeculi XIII. exarata.

Chronicon nostrum post a. 1229, quo anno, ut legitur in ipso, Fridericus II. imperator Hierosolymam christianis recuperavit, sed ante a. 1233[4]*, quo anno Helena ducissa obiit, cuius mortis mentio non fit, scriptum esse iam animadvertit Wedekind I, 404. At indicia non deesse, quibus ad sententiam cogamur, Chronicon, ut nunc superest, ex antiquiore quodam eoque uberiore descriptum seu potius abbreviatum esse, primus docuit vir ill. Waitz*[5]*. Additamenta enim complura, quibus codices nonnulli Chronici Repgawiensis, praesertim Gothanus, Guelferbytanus (Aug. 44, 19), excellunt, fere ad verbum cum Chronico congruunt, et pauca praeterea praebent, quae in hoc non leguntur*[6]*. Iamiam Wedekindus I, 331 de Necrologio in eodem nostro codice contento animadvertit, descriptum hoc esse circa saec. XII. exeunte seu saec. XIII. ineunte ex antiquiore exemplari. Eodem modo in codicem istum venit etiam Chronicon, quod, ut lucide apparet ex supramemorato Augustini loco textui inserto*[7]*, apographi indicium prae se fert. Chronicon vero genuinum non ante saeculi XII. decennia duo ultima conflatum esse, ex eo intelligitur quod iam Helmoldi Chronico Sclavorum auctor eius usus est, cuius vestigia etiam in codicis Gothani additamentis apparent. Praeterea series imperatorum Ekkehardi Chronico universali innititur, cum quo praesertim sub Heinrico II. et Heinrico III. imperatoribus ad verbum convenit. Cum codex Gothanus nullum connexum cum Chronici posteriore parte, progeniem Heinrici Leonis continenti, praebeat, statuendum erit, Chronicon antiquius ultra Friderici I. imperatoris tempora non processisse et saeculo XII. exeunte compilatum esse.*

Qua re intellecta, non miramur quod ea quae in anteriore parte Chronici traduntur aliquotiens dubiae sunt fidei, ut e. g. quae leguntur de ducatuum duorum Saxoniae creatione, de Ottone III. Hermanno duci iam a. 973. defuncto commendato. Attamen vereamur oportet, ut suspicionem infligamus etiam eis, quae de rebus monasterii sancti Michaelis traduntur, ut nuper voluit b. m. sodalis noster vir cl. Rudolfus Köpke[8]*, qui totam traditionem monasterii ab Hermanno duce primitus fundati in dubium vocavit. Nos econtra sincerae fidei esse ea, quae in Chronico de monasterio leguntur, contendimus, utpote quae sine dubio ad antiquiora monasterii scripta recedunt. Et imprimis Hermannum ducem conditorem monasterii non fuisse, nequaquam vir doctus nobis persuasit. Nititur Köpke inprimis loco Annalium Hildesheimensium*[9]*, qui Bernhardum I. ducem sepultum esse tradunt in monasterio,* quod ipse a fundamento construxerat et in quo monachorum congregationem adunaverat. *At haec non discrepare mihi videntur a narratione Chronici, quae continet, Bernhardum* monasterium, quod pater eius magna devocione inchoaverat, simili studio promovere *cupientem, Liudericum abbatem monachis ibidem collectis praefecisse. Hermannus igitur monasterii fundandi propositum primus concepit, monachos quosdam congregavit, praedia iis assignavit; filius ecclesiam seu alia aedificia idonea a fundamento construxit, abbatemque primum e monasterio sancti Pantaleonis Coloniensis evocavit. Insuper ipse secum pugnat vir doctus, cum Narratione de fundatione et restauratione monasterii*[10] *nisus, monasterium demum a. 1055, quadraginta post*

---

[4] Neque ducatus Brunswico-Luneburgensis a. 1235. erecti occurrit in Chronico notitia. [5] Ueber eine Sächsische Kaiserchronik p. 18 sq. [6] ut suo loco adnotabimus. [7] Notandum certe, codicem Gothanum hoc loco nullum lacunae vestigium praebere, verba tamen *Hic Albertus* omittere, ita ut iam in Chronico genuino lacunam seu locum, qui legi non potuerit, exstitisse statuendum sit. [8] Widukind von Korvei p. 122. [9] a. 1011. supra SS. III, 93. [10] Wedekind, Noten III, 209. Leibniz, SS. II, 380.

mortem Bernhardi I. annos, primo dedicatum esse contendat. Narratio ista autem demum saec. XV. ineunte conflata, hoc loco hausit e Titulo I. quem infra edituri sumus, dedicationemque hanc, certo inepte et sine causa, primam esse opinata est, quia Titulus prioris dedicationis ei non innotuit. Superstites sunt nobis tres chartae Ottonis I. imperatoris ecclesiae seu monasterio sancti Michaelis per interventum comitis seu marchionis Hermanni datae[11], *quas Köpke spurias esse contendit, levibus sane argumentis. Nam si e solis corruptis diplomatum medii aevi datis ad opus falsatoris concludi liceret, certo magnum numerum chartarum spurium esse non possemus quin fateremur. Equidem non video, cur falsator temporis posterioris Hermanno nomen ducis non indiderit, et ex eo solummodo, quod Hermannus in chartis istis comes seu marchio audit, eas genuinas esse pro certo habuerim. Sed Köpke adiicit, charta prima Ottonem I. monasterio teloneum salinae donare, licet certis testimoniis sciamus, Ottonem II. demum hoc fecisse. In Necrologio enim legitur ad* 7. *Id. Decembris, diem scilicet obitualem Ottonis II:* Otto imperator qui dedit teloneum de salina[12]. *Hoc autem testimonium fidei diplomatis Ottonis I. minime derogare mihi videtur. Filius enim donationem patris, quae monasterio nondum recte constituto facta erat, congregationi monachorum tandem sub abbate coactae confirmare seu teloneum, ut saepius fieri solebat, denuo tradere potuit, priore patris donatione silentio suppressa*[13]. *Certo quamdiu non alia argumenta in medium proferantur, nos chartas illas tres Ottonis I. genuinas esse pro certo habebimus. Quibus quarta adiungitur a.* 959, *qua imperator* sancto Michaeli et ecclesiae quae constructa est in urbe Lhiuniburg omnem hereditatem Vulfhardi filii Vulfhardi *in proprium donat*[14]. *Praeter haec de monasterio iam Ottonis I. et Hermanni ducis temporibus existente prolata testimonia, Hermannum fundatorem etiam commemorat cum fratre Amelungo episcopo Verdensi non solum Necrologium Verdense*[15], *sed etiam Annalista Saxo, qui Ottonem I. hereditatem Wichmanni iunioris, fratruelis Hermanni ducis, inter monasterium,* quod Hermannus dux in Liuneburh construxerat, *et monasterium Kemnaten divisisse tradit*[16].

Titulorum septem, quos Chronici editioni subiungimus, quinque priores sumpsimus e codice eodem, in quo continentur f. 98'—99'. *Sextum et septimum damus ad fidem Wedekindi, Noten I,* 421. 422, *qui eos in folio quadrato, quod L. A. Gebhardi bibliopego olim eripuerat, scriptos fuisse dicit ibidem* 404. *Textum Chronici et Titulorum e codice nobis a.* 1871. *mense Novembri liberalissime Hannovera transmisso descripsit Ernestus Ehrenfeuchter et ego contuli.*

Berolini die 29. *mensis Novembris a.* 1871.

LUDEWICUS WEILAND.

---

[11] a. 956. Aug. 13: *monasterio per interventum Herimanni marchionis* Wedekind III, 114. Stumpf 245. — Duae a. 965. Oct. 1: *ob interventum comitis Hermanni fratribus in Liuniburg* St. 386. 387 (Böhmer, Acta imp. selecta n. 11).

[12] E Necrologio Chronicon nostrum, quod et ipsum hanc donationem Ottoni II. attribuit, certo hausit, sicut et in aliis quibusdam locis.

[13] Non contenderim scriptorem Necrologii duos Ottones confudisse, cum Wedekind I, 407 not. veri simile fecerit, chartam Ottonis II. revera exstitisse.

[14] Wedekind, Noten III, 99. Stumpf 261. Cf. coniecturam Wedekindi II, 62, qui pro *Vulfhardo* legendum censuit *Vuichmannus;* cf. Zeitschr. des hist. Vereins für Niedersachs. 1867. p. 411 sq.

[15] apud Pratje, Altes und neues Bremen IX, 280: *obiit Amelungus ep.* 15, *frater Hermanni ducis Saxoniae, qui instituerunt monasterium s. Michaelis in Luneburg.*

[16] Ad a. 967. SS. VI, 621; cf. ad a. 970. ibid. 624; cf. notam 14. Commemorare hoc loco liceat traditionem codicis Gothani, secundum quam iam ante Hermanni fundationem in monte Luneburgensi coenobium clericorum alborum, nimirum Wilhelmitarum, exstiterit. Congruit cum hoc narratio Fundationis quarundam ecclesiarum in Saxonia ap. Leibniz I, 261: *Anno Domini* 906. *monasterium in monte Luneborch fundatum est ab Ottone duce Saxonum, hortante eum ad hoc Wicberto episcopo Verdensi.* Quibus tamen testimoniis fidem tribuere vix audeam. Cf. Wedekind, Noten I, 103. II, 290. Herzog Hermann 31.

Ekk. 937. Anno ab incarnatione Domini 937. Otto Magnus Henrici regis filius factus est Romanorum inperator, ab Augusto 81. Hic construxit civitatem Magetheburg et archiepiscopatum eiusdem urbis[17]. Hic primus fecit ducatum Saxonie, quod est circa Albiam, alio ducato manente circa Werram fluvium, quod Widikindus dux Saxonum, qui diu contra Carolum imperatorem multa prelia gessit, successoribus suis reliquid, de cuius genere idem imperator Otto natus fuit. Idem etiam imperator cum[a] de Ungaris, qui Teutoniam multis annis expugnaverant, esset triumphator gloriosus, terram circa partes Albie inferiores, quarum metropolis est Hamburg, multis preliis a paganis adquisitam, Hermanno viro egregio, filio comitis Billingi, liberaliter commisit et eum consilio principum in ducatus principatum primus promovit. Iste Hermannus primus castrum Luneburg[b] construxit et cenobium in honore sancti Michahelis, quod ipse multis prediis et ornamentis ditavit, in quo etiam cum uxore sua Hildegarda honorifice sepultus est[18]. Eique successit filius eius Bernardus in ducatum et frater eius Luderus comes.

Ekk. 975. Anno ab incarnatione Domini 975. Otto secundus, Magni Ottonis filius, 82. loco ab Augusto regnare cepit et decem[19] annis inperavit. Iste Hermannum ducem, sicut pater eius, multis honoribus exaltavit eique filium suum Ottonem tercium, Romam proficiscens, commendavit[20]. Hic etiam, sicut pater eius, Longobardiam, Boemiam, Poloniam[c] aliasque multas gentes Romano subiecit inperio, Lotaringiam, Franciam suo subdidit dominio. Post hec Calabriam et Ampulliam bello agrediens, inmatura morte preventus est et Rome sepultus. Iste gloriosus inperator telonium quod est in salina Luneburg cenobio sancti Michahelis contulit et suo 973. Mart. 27. privilegio confirmavit[21]. Eisdem etiam temporibus inclitus vir, dux Hermannus obiit et in medio monasterio, quod ipse construxit, sepultus est, heredesque reliquid Bennonem, qui et Bernhardus, et Luderum comitem, viros egregios et bellicosos, qui praefato Ottoni[d] inperatori, cognomento Rufo[e], qui adhuc vivente patre, Magno scilicet Ottone[f], Rome coronatus fuerat, fideliter astiterunt et ei resistentes fortibus bellis obpresserunt. Hic Bernardus dux gloriosus[g] monasterium, quod pater eius magna devocione inchoaverat, simili studio promovere cupiens, quendam virum reliosum nomine Ludericum[22] de monasterio sancti Pantaleonis, quod est[h] Colonie, vocatum eidem monasterio prefecit abbatem, quem sub regula sancti Benedicti vivere constituit cum monachis ibidem collectis.

Ekk. 984. Anno ab incarnatione Domini 984. Otto tercius, 83.[i] loco ab Augusto suscepit inperium adhuc puer, et annis 17 regnavit. Hic cum in electione sua multos haberet principes contradictores, nobilis dux Benno, qui et Bernardus, et frater eius Luderus comes fideliter illi astiterunt, et eorum auxilio Romam perductus, augustalem suscepit coronam. Huius temporibus in Slavorum gente Helm. I, 16. christianitas vigebat[23], agente prefato duce Bennone, qui et Bernhardus[k], viro omni probitate Ekk. 1000. conspicuo et ecclesiarum defensore. Post hec mortuus est Otto inperator tercius et Aquisgrane sepultus.

Ekk. 1001. Anno ab incarnatione Domini 1001. Henricus secundus, primum dux Bauwarie, Ottone tercio absque filiis defuncto, in regni provectus culmine, 84. loco ab Augusto regnavit et annis 23 ac menses 5. Hic pius inperator episcopatum Babenbergensem de prediis inperii suisque construxit, quod quanto honore fecerit, ipsa civitas Babenberg et monasteria[l] ibidem constructa sunt indicio et large possessiones in castellis et villis per diversas regiones. Ipse etiam cum coniuge sua sanctissima Kone- Helm. I, 16. gunda, sicut legitur[24], usque in finem vite sue celibem vitam duxit. Huius anno decimo mortuus 1011. Febr. 9. est inclitus dux Saxonie Benno, qui et Bernhardus, et sepultus est Luneburg in cripta iuxta fratrem suum Luderum comitem ante altare sancte Marie semper virginis. Huius principatus

a) *post* cum *lacuna parva cod.* b) luneb°g̃ *cod. legendum fortasse* lunebourg. c) romano *inser. cod.* d) *correctum ex* Ottone *cod.* e) *correctum ex* Rufu *cod.* f) qui *inser. cod.* g) *verba* dux gloriosus *lineae superscripta sunt cod.* h) *verba* quod est *lineae superscripta sunt cod.* i) *correxi ex* .lxxxiiii. *cod.* k) bernhardo *cod.* l) monesteria *cod.*

---

17) Ex Helmoldo I, 11. 18) *in quo — est* desunt in codice Gothano Chron. Repgawiensis, sed legitur: *Dar hadde oc dar bevoren en kloster uppe gewesen van witten papen.* 19) *novem* Ekkehardus; *decem* habet Helmoldus I, 13. 20) Error manifestus. Otto III. enim a. 980. demum natus est, et Hermannus dux a. 973. Mart. 27. obiit. Fortasse hic error originem duxit e verbis Helmoldi I, 10 (Adam. Brem. II, 8) dicentis, Hermannum nutricium fuisse filiorum Ottonis I. 21) *Teloneus qui ex salinis emitur* primo ab Ottone I. a. 956. Aug. 13. monasterio donatus est, v. chartam ap. Wedekind, Noten III, 114. Stumpf 245. Verum etiam Ottonem II. chartam confirmationis monasterio dedisse, apparet e diplomate quodam abbatis Iohannis a. 1255. dato, v. Wedekind, Noten I, 407 not. Necrologium quoque ad Dec. 7, diem obitus Ottonis II, adnotat: *Otto imperator qui dedit teloneum de salina.* 22) Liuzo seu Livezo abbas Lunaburgensis a. 992. Oct. 16. dedicationi ecclesiae Halberstadensis adfuit, v. Ann. Quedlinburg. SS. III, et Gest. ep. Halberstad. supra p 87. 23) secundum Helm. I, 14 fin. . 24) Apud Ekkehardum, e quo omnia haec de Heinrico II. desumpta sunt.

heres factus est Bernhardus, filius eius, a paterna felicitate alienus. Huius temporibus magna perturbatio facta est Helm. I, 16 per totam Saxoniam, eodem duce Henrico inperatori rebellante, unde Slavi, occasione accepta, a christianitate defecerunt. Idem denique dux principi Slavorum neptem suam in coniugem se daturum promiserat, unde contra inperatorem non modicum habuit adiutorium[25]. Post hec recepta gratia inperatoris, quod promiserat Slavorum principi Mistwin nomine negavit, multis dicentibus, tam nobilem feminam Slavico cani non esse tradendam. Hoc audiens Mistwin: *Si canis sum*, inquid, *ut canis mordere debeo*, et agressus Hamburg cum Slavis[a] omnes clericos et quos invenerunt christianos occiderunt et captivos abduxerunt[b]. Aldenburg etiam civitatem populosam omnino destruxit et clericos et reliquos christianos, quos invenit, per diversas regiones Slavorum transmisit et in obprobrium christianorum diversis penis interfecit[26]. Eodem tempore erat quidam princeps Slavorum, nomine Godescalcus, materno genere Danus[27]. Helmold I, 19. 20 Hic apud Luneburg litteralibus studiis inbutus erat, sed postea, abiecta fide christiana, multa mala christianis intulit et quas potuit ecclesias destruxit. Post hec penitentia ductus, omni diligentia christianam fidem in Slavia promovit et propugnator fortissimus extitit. Post hec dux Bernhardus videns, Slavos defecisse a fide christiana propter nimias exactiones vectigalium ibid. 18. et maxime de querimonia episcoporum, qui de sedibus suis eiecti fuerant, et maxime Bennonis episcopi Aldenburgensis, qui etiam inperatori miserias suas conquestus est, omni diligentia cepit agere, ut status ecclesie in Slavia reformarentur. Predictus etiam Godescalcus ad conquerendam sibi apud Deum et homines gloriam ad[c] recipiendam ibid. 20. fidei gratiam omnimodis animo intendebat. Ipso denique agente, rex Danorum et prefatus dux Bernardus cum ibid. 21. multo christianorum exercitu multa milia[d] Slavorum occiderunt et eos ad tributa[e] persolvenda compulerunt. Post hec ibid. 22. dux Bernhardus, qui res Saxonum et Slavorum quadraginta annis strennue amministravit, defunctus est et ducatum Ordolfo 1059. Iun. 29. filio suo reliquid. Habuit etiam fratrem nomine Hermannum. Iste dux Bernhardus inter cetera bona, que sancto Michaheli contulit, casulam valde preciosam optulit, et Luneburg apud Sanctam Crucem[28] sepultus est. Heinricus etiam inperator defunctus est et Bavenberg sepultus. Ekk. 1001.

Anno ab incarnatione Domini 1025. Conradus huius nominis primus factus est inperator, ab Augusto 85. et annis 15 ibid. 1025. regnavit. Ordolfus dux, accepto principatu, fortitudine et milicie usu paterne felicitatis inpar extitit. Denique post Helm. I, 22. mortem patris statim Slavi rebellare parantes, Godescalcum interfecerunt propter fidem christianam in urbe Leontio, que Lentsin dicitur. Interfectus est cum eo Eppo presbiter super sanctum altare cum multis clericis et laicis. Apud Racesburg lapidatus est Answerus monachus cum aliis multis. Iohannes episcopus senex cum ceteris christianis martirizatus ibid. 23. est et capud eius per civitates Slavorum ludibrio Slavis deportatum est. Ordolfus dux in vanum sepe contra Slavos ibid. 24. dimicans per duodecim annos, quibus patri[f] supervixit, nullam unquam[g] poterat obtinere victoriam. Hic Ordolfus dux habuit filiam[29] cuiusdam Magni[30], filii sancti Olavi regis et martiris, et genuit ex ea Magnum, magnum ducem. Post hec mortuus est dux Ordolfus et Luneburg sepultus. 1071. Mart. 28. Mortuo inperatore Conrado successit ei filius eius Henricus.

Anno ab incarnatione Domini 1040. Henricus tercius, Conradi inperatoris filius, iam dudum patre vivente rex Ekk. 1040. constitutus, 86. loco ab Augusto patri successit in regnum. Magnus dux, defuncto patre Ordolfo, in ipso principatus Helm. I, 25. sui exordio ad subnervandos Slavorum rebelles animum intendit, instigantibus eum ad hoc Batue et Henrico, filiis ibid. 26. Godescalci. Verum Batue occisus est cum multis christianis et successit ei frater eius Henricus. 1071. Aug. 8. Eodem tempore mortuus est inperator Henricus, cui successit alter Henricus.

Anno ab incarnatione Domini 1057. Henricus quartus, Henrici inperatoris filius, regnare cepit ab Augusto 87. Ekk. 1057. Huius temporibus Slavorum gentes[h], contradicentes christiane fidei Henrico regi suo christianissimo consueta tributa Helm. I, 34. negaverant, eo quod frater eius Batue occisus esset. Henricus autem conquestus est duci Magno suos labores et iniurias. Dux vero amico fideli condolens, cum multo exercitu Saxonum venit ei in adiutorium et congressus cum Slavis, quorum erat maxima multitudo, Deo largiente[i] victor factus est. Hac[k] victoria celebri[l] et recordatione digna Slavorum populus[m] 1093. ad christianam[n] fidem, agente Henrico viro illustri revocata est. Eisdem[31] temporibus factum est illud magnum scisma inter sedem Romanam et inperium, cuius seminarium usque ad tempora nostra remansit. Gregorius quippe papa septimus, qui et Hildebrandus monachus, non consentiente inperatore, quod ante fieri non solebat, a cardinalibus[32] electus est. Hic papa Hildebrandus, qui et Gregorius, pro libera electione ecclesiarum multum laborans, Henricum inperatorem multociens citatum excommunicavit. Post hec inperator veniens Romam, Gregorium papam fugavit eique, consentientibus Romanis, Wicbertum archiepiscopum Ravennensem papam constituit, qui Clemens vocatus est. Quanta autem concilia[o] utrinque celebrata sint, quomodo Rodolfus rex factus sit contra inperatorem Henricum et occisus, quomodo Hermannus Allium[33] contra eum electus occisus est, quomodo tandem filius eius

---

a) cum slai *super linea add. cod.* b) abduxerut *cod.* c) a *cod.* d) mitia *cod.* e) eos atributa *cod.* f) pat' *cod.*; bi sines vader tiden *etiam cod. Gothan.* g) *correctum ex* unguam *cod.* h) gēs *cod.* i) largente *cod.* k) h' *cod.* l) celebris *cod.* m) populos *cod.* n) a christiana *cod.* o) conscilia *cod.*

25) Hoc e perperam intellectis Helmoldi verbis ortum videtur, dicentis, Mistiwoi cum duce in Italiam perrexisse cum equitibus mille. 26) Cod. Gothanus addit: *Mekelenborch dat silve; nunnen, de dar waren, de let he Godde to lastere uneren.* Haec apud Helmoldum hoc loco non inveniuntur et fortasse per confusionem ex Helm. I, 24 posita sunt. 27) Hoc neque Adamo neque Helmoldo innotuit. Ille vero I, 19 fin. narrat, Godescalcum filiam regis Danorum (Suenonis scilicet filii Kanuti Magni) in uxorem duxisse. 28) i. e. ante altare Sanctae Crucis, sicut legitur in Chronici Repgaw. cod. Gothano. 29) immo sororem nomine Wulfhildem. 30) regis Daniae et Norveiae. Cf. de istis nuptiis Adam. II, 75. Helmoldus I, 25 Magnum ducem de filia regis Danorum natum fuisse dicit. 31) Sequentia de rebus imperii et sacerdotii ex Ekkehardo compilata sunt. 32) *solis tantum Romanis faventibus* Ekkeh. 1074. 33) Hoc cognomen apud Ekkehardum non reperitur, Helmoldus vero I, 30 Hermannum Clufloch vocat.

Henricus patri superpositus sit, si quis scire velit, legat libros cronicorum[34]. Eodem 1106. Aug. 23. tempore mortuus est Magnus dux sine filiis, habuitque duas filias, unam Eilicam nomine et alteram Wlfnildem[a], quas genuit ei domna Sophia, filia regis Ungarorum Wadreslai[35], femina valde religiosa. Iste Magnus dux inter cetera bona, que contulit sancto Michaheli, ecclesiam sancti Cyriaci donavit et sepultus est iuxta patrem et matrem in medio monasterio 1127. Mart. 22. cum uxore sua predicta Sophia. Occisus[36] est etiam Henricus rex Slavorum, cuius corpus delatum Luneburg sepultumque in ecclesia sancti Michahelis[b]. Henricus inperator Helm I, 35. ducatum Saxonie Ludero comiti dedit[c], eo quod non haberet Magnus filios, sed filias, quarum una Hellica nomine nupsit Ottoni comiti genuitque ei Albertum marchionem, cognomento Ursum Hic Albertus[d] . . . .

Alteram[37] filiam ducis Magni, predictam Wlfhildem duxit Henricus dux Bauwarie, frater ducis Welfis, genuitque ex ea Henricum ducem et Welfum iuniorem. Henricus dux duxit filiam Lottarii inperatoris nomine Gertrudem, ex qua genuit Henricum ducem tercium, cognomento Leonem. Iste est Henricus dux potentissimus Bauwarie et Saxonie. Predictus dux Henricus, exceptis filiis suis Henrico et Welpho, habuit quatuor filias de supradicta Wlfhilde, filia ducis Magni, quarum unam, Iutam nomine, duxit Fridericus dux Swevorum, filius filie[37*] inperatoris Henrici, qui pugnavit contra Saxones in Welpesholte, frater Conradi regis, successoris Lottarii inperatoris; et genuit ex predicta Iutta Fridericum inperatorem.

Iste est Fridericus inperator, cuius temporibus factum est scisma in electione Alexandri papae et Octaviani[e], qui et Victor dictus est, succedentibus ei defuncto Gelasio et Calixto, adhuc vivente Alexandro, quorum partem fovit inperator contra Alexandrum. Post hec Alexander papa et Fridericus inperator, agentibus principibus, in Veneciis convenerunt et concordes facti sunt. Ibi statutum est auctoritate papali et inperiali, ut si quis manum miserit in reliosam personam et incendiarii[f] et vineta et arbores destruentes ab excommunicatione absolvi non possunt nisi auctoritate pape[38]. Statutum est etiam ibi, ut[g] si quis integro anno in excommunicatione et 6 ebdomadis temere permanserit, proscriptus[h] inperatoris iudicetur, et e converso, si quis proscriptus fuerit integro anno, excommunicatus a domno papa reputabitur. Iste inperator Mediolanum destruxit et Henricum ducem Bauwarie et Saxonie avunculi sui filium exheredavit, qui eum ad inperialem promoverat celsitudinem, reddens malum pro bono. Post hec Iherosolimam cum magno exercitu profectus et transiens per Greciam et Persiam in quodam flumine submersus est. Cui successit Henricus inperator, filius eius, qui multas pugnas agens in Calabria, Sicilia et Ampulia inmatura morte ibi defunctus est, relinquens filium in cunis, nomine Fridericum, qui post 1229. inperatorem Ottonem inperator factus, Iherosolimitanum regnum tenuit et Iherosolimam a paganis liberavit.

Henricus dux Bauwarie et Saxonie, frater Welfi, filius Wlfhildis, genuit Henricum 1139. Oct. 20. ducem cognomento Leonem et immatura morte preventus, Luttere sepultus est iuxta inperatorem Lottarium, de cuius filia Gertrude genuerat supradictum Henricum. Henricus dux duxit filiam ducis Zaringie[39], Clementiam nomine, de qua genuit puerum eiusdem vocabuli, qui Luneburg improvise cadens de mensa, mortuus est et ante altare sancte crucis sepultus[40]; pro cuius anima pater obtulit sancto Michaheli molendinum in Luneburg, quod est situm super fluvium Elmenowe[41]. Post hec relicta Clementia, Henricus dux duxit Megthildem filiam Henrici regis Anglorum genuitque ex ea primogenitum ducem Henricum 1194. et palatinum Reni, qui duxit filiam Conradi palatini, fratris Friderici inperatoris ex alia

---

a) Wlfhildem *cod.* b) michalis *cod.* c) *verbum* dedit *lineae superscriptum est cod.* d) *sequentes tres lineae, ultimae in hac pagina codicis, alia manu coaeva praebent haec:* Augustinus. Qua vociens me plus delectat cantus, quam res que cantatur, tociens me graviter peccasse confiteor. Reprehensibilis autem videtur cantus, qui fit per fractionem vocis; fractio enim vocis est signum fracti cordis. *Decem autem lineae primae sequentis paginae alia manu saec. XIII. exeuntis continent Mortuarium quod dedit Wedekind, Noten I,* 334. *Codex Gothanus vero Chronici Repgawiensis hoc loco nullum lacunae indicium praebet, neque in eo verba* Hic Albertus *leguntur.* e) optauiani *cod.* f) incendiali *cod.* g) ů *cod. saepius.* h) proscripto *cod.*

34) Ekkehardi scilicet. 35) Sophia erat filia Belae I. regis Ungarorum et soror Geisae II. et Ladislai I. 36) Similia narrat cod. Gothanus fol. 109'. De violenta morte Heinrici Helmoldo I, 46 fin. nil innotuit. In Necrologio quoque solummodo legitur: *Heinricus rex Sclavorum.* 37) Haec ex Helmoldo I, 35 nequaquam desumpta sunt. 37*) potius sororis. 38) Non eadem sed similia leguntur in Constitutione Friderici imperatoris a. 1186. Dec. 30. data, supra p. 361. Legg. II, 183. Stumpf 4473. 39) Conradi. 40) De Heinrico puero cf. quae disseruit Wedekind, Noten I, 174. In Necrologio ad Kal. Nov. leguntur: *Heinricus infans filius H. ducis, pro quo idem Heinricus pater eius dedit molandinum sancto Michaheli in Luneburg.* 41) Ilmenau.

matre, Agnetam nomine. [Hec[a] sepulta est in ecclesia beate Virginis apud Stadium[42].]
De qua genuit filium Henricum nomine, qui dum militari vellet, ut quidam dicunt, veneno
mortuus est. Habuit etiam duas filias, quarum unam[43] duxit dux Bauwarie[44], alteram[45] 1214.
marchio de Bathen[46]. Hic[47] defunctus Bruneswic sepultus in ecclesia beati Blasii. Habuit[48]
et alium filium, nomine Luderum, qui obses inperatori Henrico datus, Auguste mortuus 1190. Oct. 15.
est[49] et sepultus.

Tercius filius eius fuit Otto inperator, qui quondam comes Pictavie, qui multo tempore
contra Philippum ducem Swevie, Friderici inperatoris filium, pro inperio viriliter dimicans,
tandem eodem Philippo occiso, gloriose coronatus est ab Innocentio papa, annitentibus 1209.
omnibus inperii principibus. Hic duxit filiam regis Philippi[50], dispensante Innocentio papa.
Qua sine herede defuncta[51], duxit filiam Brabantie ducis[52]. Post hec ab Innocentio papa
excommunicatus et a principibus desertus, ut speratur, bono fine defunctus est. Huius 1218. Mai. 19.
inperatoris virtutes et prelia et labores adhuc in memoria viventium habentur et in scriptis
inveniuntur.

Quartus filius eius erat Willehelmus natus in Anglia[53], cui in sortem cesserat castrum in Luneburg. Hic Willehelmus duxit filiam regis Danorum Helenam nomine[54], que, descendens de genere sancti Olavi regis et martiris, filia fuit Woldemari regis[55], filii sancti Canuti regis et martiris, de qua idem Willehelmus genuit filium Ottonem nomine.
Hic predictus Willehelmus inmatura morte preventus, sepultus est in medio monasterio, 1213. Dec. 12.
pro cuius anima contulit eadem Helena sancto Michaheli allodium in Repenstede[56] cum
preparamentis, casulis et albis et uno deaurato calice.

Iste predictus Otto filius Willehelmi, solus superstes illius nobilissime generationis,
que de Althorp et Ravenesburg nominatur, duxit Megthildem, filiam Ottonis marchionis[57],
que de supradicti Magni ducis genere descendit. Cuius fratres sunt Iohannes[58] et Otto[59]
marchiones, qui predicto Ottoni duci in suis laboribus viriliter astiterunt. Idem denique 1227.
dux, defuncto patruo suo, adiutorio eorundem marchionum patrimonium Bruneswic multo
labore et multis expensis obtinuit et postea captus in pugna avunculi sui, quod fuit Bornehovede, Iul. 22.
multi patrimonii sui dispendio tandem liberatus. 1228.

Henricus dux predictus avus eius post multas pugnas, quas cum Friderico inperatore
gessit in Longobardia et post multa mala, que passus est ab inperio, defunctus est et in 1195. Aug. 6.
ecclesia beati Blasii, quam ipse construxit, gloriose sepultus est cum uxore sua, religiosa
femina Meghthilda, filia regis Anglorum.

TITULI LUNEBURGENSES.

1. Anno dominice incarnationis 1055, indictione 8.[b], die Kal. Octobris, Henrico tercio 1055. Oct. 1.
annis 16 regnante, Albuino vero Liuniburgensis ecclesie tunc provisore, dedicatum est monasterium in Luneburch a venerabili Vardensi episcopo Sigiberto in honorem et nomen sancte et individue Trinitatis et sancte crucis sancteque virginis Dei genitricis Marie et sancti Michahelis, principis milicie celestis omniumque beatorum spirituum, patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martirum, confessorum, virginum et omnium sanctorum. Specialiter autem hec domus consecrata est in honorem sancte Trinitatis et sancte crucis

---

a) *uncis inclusa alia manus posterior supra lineam et in margine addidit.* b) *legendum* IX.

42) Obiit Agnes a. 1204. Mai. 7; v. Ann. Stad. hoc anno. 43) Agnetem. 44) Otto II. 45) Irmingardam. 46) Hermannus V. 47) Heinricus scilicet palatinus comes a. 1227. Apr. 28. 48) Heinricus Leo. 49) Oct. 15. secundum Necrolog. Augustanum in Monum. Boic. XXXV, 1. p. 98. In Necrologio vero Sancti Michaelis ad Oct. 16. legitur: *Liuderius adolescens.* 50) Beatricem. 51) a. 1212. Apr. 28. 52) Mariam filiam Heinrici I. a. 1214. 53) Wintoniae 1184. c. Iun. 11. 54) a. 1202. ineunte. 55) I. 56) Reppenstedt prope Lüneburg. Necrologium ad Dec. 12: *Wilhelmus dux, qui contulit allodium in Remmestede.* 57) Mechtildis pater fuit Albertus II. marchio, filius Ottonis I, non vero Otto II. frater eius senior. Fortasse igitur legendum erit: *filiam Alberti filii Ottonis marchionis.* 58) Iohannes I. obiit a. 1266. 59) Otto III. obiit a. 1267.

et sancti Michahelis et sancti Petri apostoli et sancti Stephani protomartiris. Summum altare consecratum est in honorem sancte Trinitatis et sancti Michahelis archangeli et omnium beatorum spirituum. Continentur autem hee reliquie: videlicet sanctorum apostolorum Bartholomei, Philippi, Barnabe, martirum quoque Stephani pape et martiris, Clementis pape et martiris, Blasii, Fabiani, confessorum vero Martini, Brictii, Eusebii, Wicberti, Meinulfi, virginum quoque Cecilie, Brigide Ruphini vidue. Altare sancte crucis consecratum in honorem sancte crucis et sancti Iohannis ewangeliste, Mathei ewangeliste, Dionisii episcopi, Bonifacii episcopi, Adalberti episcopi, Abdon et Sennis, Adriani martiris. Dextrum altare dedicatum est in honorem sanctorum apostolorum Petri et Pauli, Andree et omnium simul apostolorum, sed et confessorum Remigii, Germani, Vedasti, Benedicti, Nicolai, Donati, Fortunati, Epiphanii. Altare ad aquilonem dedicatum est in honorem sancti Stephani protomartiris, Laurentii, Pancratii, Mauricii, Cosme et Damiani, Sebastiani et omnium sanctorum martirum, virginum autem Felicitatis, Agnetis, Margarete, Affre et omnium sanctarum virginum et viduarum.

1048. Mart. 12. 2. Anno dominice[a] incarnationis 1048, indictione 1, 4. Idus Marcii dedicata est cripta in Luneburch a Godescalco venerando episcopo[60] vice Brunonis Vardensis episcopi, rogatu Albuini abbatis Luneburgensis cenobii pii provisoris, in honorem sancte et individue Trinitatis et victoriosissime crucis et sancte Marie semper virginis nec non et sanctorum, quorum reliquie ibidem continentur. Summum altare consecratum est in honorem sancte Marie semper virginis et omnium sanctorum apostolorum ac martirum Christi. Continentur autem ibidem hee reliquie: de ligno Domini, de sepulchro Domini, de spongia Domini, de lapide Domini, de vestimento sancte Marie matris Domini, ac sanctorum apostolorum Petri, Pauli, Andree, Philippi, Bartholomei, martirum quoque Dionisii et sociorum eius, Blasii, Cipriani, Kiliani, Bonifacii, Lamberti, Adelberti, Aurei et Iustini, Laurentii, Valentini, Felicissimi[b], Longini, Sebastiani, Christofori, Cosme et Damiani, Adriani, Viti, Pancracii, Victoris. Altare vero in australi parte consecratum est in honorem sanctorum confessorum, quorum reliquie ibidem continentur: Gregorii, Ambrosii, Martini, Nicolai, Iohannis, Antimi, Ioviniani, Benedicti, Wicberti, Meinulfi aliorumque omnium confessorum Christi. In aquilonari autem parte dedicatum est altare in honorem sanctarum virginum, quarum reliquie ibidem continentur: Cecilie, Agathe, Petronille, Scolastice, Potentiane, Walburgis, Grate, Felicie, undecim milium virginum.

1157. Dec. 13. 3. Anno incarnationis dominice 1157, indictione 6, Idus Decembris consecrata est capella iuxta capitolium[61] in Luneburch a venerabili Hermanno Verdensis ecclesie episcopo in honorem sancte et individue Trinitatis et sancte Marie Dei genitricis et sancti Petri apostoli et sancti Blasii episcopi et martiris et sancti Nicolai episcopi et confessoris. Continentur autem ibi hee reliquie: de capillis sancte Marie matris Domini, Iohannis Baptiste, apostolorum Petri, Pauli, Andree, martirum quoque Marcelli pape et martiris, Laurencii, Blasii, Sebastiani; confessorum vero Martini, Nicolai, Valerii, Odelrici, Wicberti, Godehardi[c], Suicberti, Willerici[d], virginum etiam Cecilie, Margarete, Felicitatis martirum. Hec capella, que vocatur sancti Iacobi[e], dedicata est in honore sancte et individue Trinitatis et victoriosissime crucis et in honore sancte Marie semper virginis sanctique Michahelis archangeli. Speciali autem devotione in honore sancti Benedicti abbatis nec non sanctorum Iacobi apostoli atque Christofori martiris, Materniani quoque confessoris. Continentur autem hee reliquie: de corpore Domini, de ligno Domini, de sepulchro Domini, de vestimento sancte Marie et apostolorum Petri et Pauli, Bartholomei, et de cruce sancti Andree, martirum quoque Stephani protomartiris, Laurencii, Ypoliti, Christofori, Bonifacii[f], Georgii, Pancracii, Cosme, Fabiani, Tiburtii, Magni, Victoris, Sixti, Vitalis, Viti, Alexandri pape, Stephani pape, et confessorum[g] Silvestri pape, Gregorii pape, Nicolai episcopi, Benedicti abbatis, Hibaldi abbatis, atque virginum Cecilie, Walburgis, Margarete, Gertrudis, Marie Magdalene.

1230. 4. Anno ab incarnatione Domini 1230. consecratum est altare sancte crucis a venerabile

---

a) dn̄i *cod.* b) feliscissimi *cod.* c) godegardi *cod.* d) willeuci *cod.* e) iocobi *cod.* f) banifacii *cod.* g) hec et conf^s *cod.*

[60] de Skara Sueciae, seu Gothorum, qui secundum Adamum II, 64 circa haec tempora eiusdem coenobii curam agebat.

[61] i. e. castellum.

episcopo Ysone, episcopo Verdensi, imperante Fritherico imperatore II, existente[a] principe Luneburhc Ottone, filio Willihelmi ducis, consobrino regum Richardi regis Anglorum[62] et Waldemari[63] Danorum, eiusdem cenobii abbate Iohanne. Continentur autem ibi he reliquie: de ligno sancte crucis, Petri apostoli, de capillis sancti Iohannis ewangeliste, Bartholomei, Iacobi, Andree apostolorum, martirum vero Clementis pape, Urbani pape, Dionisii episcopi, Policarpi episcopi, Bonifacii episcopi, confessorum autem Gregorii pape, Augustini[b] episcopi, Nicolai episcopi, Benedicti abbatis, Egidii abbatis; sanctarum virginum: Agathe, Agnetis, Domitille, Margarete, Katerine martirum, et Scolastice virginis et sancti Blasii episcopi et martiris.

5. Sub onichino lapide, qui portatur in collo, iste continentur reliquie: de sancta cruce, sancti Philippi apostoli, sancti Bartholomei apostoli, sancti Iacobi apostoli, Luce ewangeliste, sancti Blasii martiris, sancti Herculiani martiris, sancti Martiani episcopi, Nicolai episcopi et confessoris, sancti Egidii confessoris, Agathe virginis, Agnetis virginis.

6. Hec capella que vocatur sancti Iacobi etc. Anno Domini 1179, indictione 11, 1179.
12. Kal. Iunii dedicatum est altare quod dicitur apostolorum ante chorum a venerabili viro Mai. 21.
Hugone Verdensis ecclesie episcopo, peticione Henrici Bawarie et Saxonie ducis, annuente
Hartmanno eiusdem ecclesie abbate, in honorem sancte et individue Trinitatis et beate
Marie perpetue virginis etc. Sequenti die, id est 11. Kal. Iunii, peticione memorati prin- Mai. 22.
cipis, annuente prefato abbate, ab eodem presule dedicata est capella in Monte[64] in honorem
sancte Dei genitricis Marie et sancti Iohannis baptiste etc.

7. Anno Domini 1230. consecratum est altare sancte crucis etc. 1230.

---

a) exitente *cod.* b) agustini *cod.*

62) Richardus frater Mechtildis aviae Ottonis ducis iam a. 1199. obierat; tunc regnabat in Anglia Heinricus III. a. 1216—1272. filius Iohannis regis, fratris iunioris Mechtildis. 63) II. frater Helenae matris Ottonis. 64) Kalkberg dicto.

GESTA
EPISCOPORUM TRAIECTENSIUM

EDIDIT LUDEWICUS WEILAND.

Anno 1232.[1] *circa festum omnium sanctorum Wilbrandus episcopus Traiectensis, qui, ut antecessorem suum Ottonem II. a.* 1227. *ab incolis oppidi Kovoerde et pagi Drenthe turpiter victum et occisum ulcisceretur, iam per quinque annos frustra laborabat, Groningae constitutus a viris prudentibus et longaevis causam et originem illius miserae rebellionis inquisivit. Qui, collatione inter se instituta, ad memoriam revocabant facta episcoporum inde ab Harberto (a.* 1139—1150.*) non solum de Drenthe, de Kovoerde, de Groninge, sed etiam alia gesta eorum succincta narratione percurrerunt. Quae omnia clericus quidam, ut coniici fas videtur, sincere scripto mandavit, narrationemque hanc quam edituri sumus confecit. Interfuerat ipse auctor, ut patet e capite* 39, *infaustae expeditioni contra Kovordenses aestate anni* 1232. *instructae, et quidem exercitui illi, cuius dux ipse episcopus exstitit. Ergo clericum eum fuisse ad curiam episcopalem pertinentem, fortasse capellanum seu notarium episcopi, autumaverim. Non me dubium reddunt, quae auctor tradit cap.* 11, *ubi terram Traiectensem seu episcopatum inferiorem (Niederstift) distinguit ab episcopatu* citra Nodam *constituto seu superiori (Oberstift), qui terras Veluwe, Drenthe, Salland etc. complectebatur. Quibus verbis eum ipsum cis Nodam domicilium habuisse, opinaremur, nisi voce* citra *mediam Latinitatem saepius immo plerumque pro voce* ultra *usam esse non ignoraremus. Praeter haec prorsus nihil de auctoris vita et conditione nobis innotuit, quem tamen virum litteratum fuisse e versibus quibusdam Ovidii, Lucani et Aviani*[2], *quos narrationi suae inseruit, apparet. Quae autem memoriae tradidit, ea summae fidei esse non negaverimus, utpote quibus et ipse interfuerit aut quae a viris fide dignis audiverit. Accedit quod adnotationes curiae episcopalis ei patebant; ad* privilegia nova et antiqua *de infeodatione castri Kovoerde et comitatus Drenthe data ipse c.* 2 *provocat. Rerum ordinem eum perturbasse, semel modo c.* 16 *deprehendi nisus Annalibus Egmundanis*[3]. *Nam qui occurrunt saepius in Chronico numeri annorum falsi, eos librariis potius vindicamus parvoque labore correximus.*

---

1) V. cap. 1, ubi certo perperam legitur annus 1231. Colloquium istud vero habitum esse a. 1232. ex eo colligitur, quod Chronicon nostrum ipsum usque ad mensem Septembrem a. 1232. narrationem protelavit, Wilbrandus autem episcopus, qui in eo adhuc inter vivos habetur, iam a. 1233. Iul. 27. mortuus est, non vero a. 1234, ut plerique crediderunt. Diem obitus praebet Necrologium Sancti Salvatoris apud Matthaeus, Fundationes et fata ecclesiarum Ultraiecti. Lugd. 1704. 4°. p. 94, Otto III. autem successor eius electus, iam a. 1234. Febr. 6. testis occurrit chartae Heinrici regis, v. Böhmer, Reg. Imp. n. 315. Gesta ipsa igitur inter a. 1232. Nov. 1. et 1233 Iul. 27. scripta sint oportet.

2) V. c. 24: *Quis furor, o cives, que tanta licencia ferri est?* (ex Lucani Pharsal. I, 8); c. 27: *Turbabat pavidos per sua rura boves* (ex Aviani fabula 5); c. 34: *Ludit in humanis divina potentia rebus* (ex Ovidii ep. ex Ponto IV, 3, 49).

3) SS. XVI, 475.

Subsidia editionis adhibuimus haec:

1. *Codicem Lugduno-Batavum* 67. *A. membr. fol. saec. XIV. foliorum* 88.[4] *In quo leguntur:* a) Commemoratio rerum quae a regibus ecclesiae S. Martini Traiectensis traditae sunt, *diplomata regum et alia.* — b) Bella campestria inter episcopos Traiectenses et comites Hollandiae *a.* 863—1301, *quae edidit Matthaeus in libro infra commemorando p.* 179 *sq.* — c) *Gesta nostra cum inscriptione:* Quaedam narracio de Groninghe, de Thrente, de Covordia et de diversis aliis sub diversibus *(sic)* episcopis Traiectensibus. *Cum ultima codicis folia perierint, Gestorum tertia fere pars (inde a cap.* 31 *verba:* fratribus seducti ‖ castrum sic omnibus*) desideratur. Codex, quem olim exscripsit b. m. vir cl. Bethmann, lectionem dat satis bonam sed non prorsus vitiis carentem.*

2. *Editionem usque nunc unicam, quam instituit a.* 1690. *Antonius Matthaeus in libro quem inscripsit:* De rebus Ultraiectinis et inprimis de bello cum Covordensibus, Tarantiis seu Drentinis olim gesto auctoris incerti — narratio historica. Lugdun. Bat. 1690. 4°. *Codicem, quem excussit, Matthaeus accurate non descripsit, sed eum alium ac Lugdunensem fuisse praecipue lectio varia, aliquoties melior arguit. Continebat autem et ipse non solum narrationem de bellis episcoporum et comitum Hollandiae, ut ipse dicit editor*[5]*, sed etiam alia quaedam*[6]*, quae et ipse Matthaeus typis dedit p.* 200—203, *quaeque in Lugdunensi non adnotavit Bethmannus. Sunt autem:* 1. Coronatio Romanorum regis Aquisgrani, *quae iam versus Martini Oppaviensis de Electoribus continet.* — 2. Nota de Sibyllis. — 3. Hic determinatur terminus inceptionis temporis diversorum ordinum religiosorum, *usque ad a.* 1259. — *Inscriptionem codici* 1 *similem Matthaeus p.* 41 *adnotavit:* Quaedam narratio de Groninge, de Thrente, de Covordia et de diversis aliis sub diversis episcopis Traiectensibus. — *Codicem Matthaeanum ex eodem fonte, quo et codex* 1, *fluxisse mihi pro certo est, neutrum tamen ex autographo, utrumque potius ex uno eodemque exemplari apographo descriptum esse, mendae similes et numeri annorum falsi, qui in utroque occurrunt, convincunt. Postremam tertiam partem Chronici inde a cap.* 31 *ad solam fidem Matthaei ediderimus necesse fuit.*

Editionem Matthaeanam iterum recudi fecit Fahne in libro intitulato: Die Dynasten, Freiherrn und Grafen von Bocholtz tom II, p. 10—32.

Capitum distinctio cum aliquantum discrepet inter Matthaeum et ea quae adnotavit olim vir cl. Bethmann, cumque sit valde dubium, an Matthaeus suam in codice reppererit, Bethmannum secuti, discordantes Matthaei numeros notis criticis adnotandos curavimus.

E Gestis nostris hauserunt Iohannes de Beka, qui Chronico suo Ultraiectino maximam eorum partem inseruit, quemque in textu constituendo aliquotiens, sine magno tamen fructu, consuluimus, et Wilhelmus de Berchen in Chronico Gelriae.

Commemoremus certe oportet, nos in interpretandis locorum, fluminum, regionum nominibus, quae in hoc opere occurrunt, sicuti et infra in Emonis et Menkonis chronico, praeter mappas modernas, cum saepius hodierno tempore nomina vel ipsa loca in partibus inferioribus prorsus disparuerint, secutos esse inprimis libros duos adprime utiles, ad quos lectores nostros reiicimus, qui sunt: Alting, Descriptio Frisiae secundum medii aevi scriptores. Amstelaedami. 1701. *fol. et Oudheden en Gestichten van Groningen. Utrecht.* 1744. 8°. *Praeterea*

---

[4] V. Archiv VIII, 570. [5] p. 179. [6] Ut dicit editor p. 199.

vicorum parrochialium situm saepius praeposituris Monasteriensis dioecesis, quibus olim addicti erant, definivimus. Quarum registrum a. 1836. *edidit et dissertatione doctissima illustravit vir ill. de Ledebur in libro inscripto: Die fünf Münsterschen Gaue und die sieben Seelande Frieslands.*

Dabam Berolini die 23. *mensis Decembris a.* 1871.

LUDEWICUS WEILAND.

1232. Oct. 31. 1.[a] Anno Domini 1231. 3. Kal. Novembris, in vigilia omnium sanctorum[7], consederunt in Groninge[b] viri prudentes, fide digni, multa vigentes memoria, in curiis episcoporum Traiectensium nutriti, clerici et layci pulchre etatis, qui facta eorumdem episcoporum, quos ipsi plene noverant, et eorum, de quibus ipsi a suis maioribus vere audierant, in quadam seriosa collacione, prout res postulabat, ad memoriam revocabant, maxime de Groninghe et de Trenta et de Covordia[8]; et ea taliter narrare inceperunt domino suo Wilbrando, Traiectensis ecclesie tricesimo septimo[c] episcopo, qui ista diligenter inquirebat, ex eo maxime quoniam[d] ipse tunc temporis contra Covordenses et Trentones super morte domini et antecessoris sui Ottonis episcopi huius nominis secundi, quem ipsi, sicut infra patebit, crudeliter et nequiter cum multis nobilibus et honestis militibus in quadam palude interfecerant[9] et ecclesiam suis bonis et iuribus privaverant, per aliquot annos cum ipsa civitate Groninghe et cum tota sue dyocesis Frisia, que sibi fidelissime astiterunt, gravi bello laborabat. Que in subsequentibus plenius vobis describentur. Igitur ab istis taliter in dicta collacione vel narracione inchoatum est.

1139—1150. 2.[e] *De episcopo Herberto*[f]. Domnus Harbertus pie memorie Traiectensis ecclesie vicesimus quintus episcopus, Covordiam et Trentam et Groninghe in multa pace possedit, et in ipso castro Covordie residenciam fecit. Qui de Frisia oriundus, id est de Berum[10], duos fratres carnales habuit, videlicet Ludolfum et Leffardum; quorum exaltacioni intendens, maiori prefecturam in Groninghe et minori[g] castrum Covordie et iurisdictionem Trente et eis attinencia feodaliter donavit, in illo iure sibi et suis successoribus episcopis servanda, sicut plene dicunt et continent privilegia nova et antiqua. Et nota quod usque ad hec tempora episcopi pro[h] sua voluntate omnia predicta suis nunciis et villicis sine omni contradictione committebant. Suis eciam temporibus ministeriales ecclesie super Tuentam prope Homersem[11], in loco qui Walstad dicitur, gravissimum conflictum fecerunt 1146. cum Ottone[12] comite palatino Reni[i], qui Benthem[13] possidebat, et eum tandem vicerunt et ceperunt. Qui taliter cum ecclesia composuit, quod ipsum castrum et suam proprietatem beato Martino contradidit et in feodo recepit, eo excepto quod episcopus sibi partem castri, in qua resideret, infeodatam[k. 14] retinuit. Et sicut plures sciunt, episcopus Harbertus[l] et palacium et capellam in eo sibi construxit et quiete ista possedit. Sed episcopus Balduinus, 1178—1196. frater comitis Ottonis de Benthem, ob amorem fratris et residenciam et aliud quodcumque ius ecclesie in hac parte non bene neglexit. Quod tamen a suis successoribus sepius est requisitum et tactum, sed nondum bene consummatum.

3.[m] *De eodem.* Harbertus vero episcopus ex quadam necessitate Romam proficiscens et inde feliciter rediens, Groninghe propter quosdam sediciosos in malo statu invenit. Ad quorum correpcionem ipsum oppidum potenter intravit et illos, qui armata manu se de ecclesia beate Walburgis defendebant, per machinas, sicut hodie in muris apparet, inpugnavit et eos, qui de ecclesia domum belli fecerant, captivans, omnes cives iurare compulit, ne vel similia deinceps contra episcopos attemptarent, vel eciam ipsum oppidum

[a] *nullus capitis numerus* 2. [b] Groninghe 2. [c] *deest* 2. [d] inquirebat maxime quum 2. [e] I. 2. [f] Harberto 2. [g] iuniori 2. [h] *deest* 2. [i] Rhen. 2 *semper*. [k] infeodatum 2. [l] Harbartus 1. [m] II. 2.

[7] Vigilia omnium sanctorum in diem Oct. 31. non vero Oct. 30. incidit. Annum vero in 1232. mutandum esse, e fine Chronici et e die obitus Wilbrandi episcopi, a. 1233. Iul. 27. apparet. [8] Koeverden haud procul a finibus comitatus Bentheim. [9] a. 1227. Iul. 28. [10] Bierum in pago Fivelgo et praepositura Loppersum situm. [11] Infra c. 10 Omershem, hodie Ootmarsum in Dwenthe in confiniis comitatus Bentheim situm. [12] iuniore de Rineck; cf. Ann. Egmund. a. 1143. Ann. Palid. a. 1149. Pugna haec commissa est a. 1146, v. Ann. Colon. max. SS. XVII, 760. [13] in provincia Hannoverana. [14] i. e. non feodatam.

muro cingerent. Quod tamen processu temporis minime servaverunt. Quia[a] ipso mortuo et in Traiecto sepulto, domnus Hermannus in episcopum electus tribus annis et dimidio[15] ecclesiam sine magnis laboribus vel expensis rexit; quem etiam episcopum Horningum vocabant, quia de castro Horne[16] fuit oriundus. Isti successit episcopus Godefridus, vir 1156—1178. nobilis[17] et magnanimus, qui ecclesiam suam, sicut hodie apparet, castris bonis et firmis decoravit, videlicet Horst[18] et Vollenho[b][19] et Muntfoerd[c][20] et Woerden[21]; et ipsam in magnis laboribus et expensis propter gravissimas guerras sibi preter suam culpam illatas viginti duobus annis strennue[d] gubernavit. Cuius facta aliorum episcoporum longe superexcedencia propter nimietatem ad presens scribere non presumo, sed ea que ad presens negocium expediunt taliter consideranda occurrunt.

4.[e] *De episcopo Godefrido.* Suis temporibus fuerunt in hiis partibus duo fratres carnales, viri strennui, fortes et divites, quorum alter Lambertus nomine Pedge[22] mansit et ex sua uxore duos filios habuit, Rodolfum et Mensonem, qui tempore huius narracionis adhuc vivunt. Alter vero, qui Leffardus vocabatur, in Groninghe[f] prefectus extitit. Sed cum non haberet nisi unicam filiam, illam copulavit cuidam Godescalco de Sepperothe, nobili Westphalo[g], quem secum commanere fecit in Groninghe. Qui ex ea tres filios genuit, videlicet Rodolphum, Mensonem et Hecbertum[h]. Et sic ipse et uxor sua mortui sunt, domno Leffardo et uxore sua supervivente. Quibus non multo post ad suos patres depositis, gravis contencio orta est inter Lambertum de Pedge, qui voluit succedere suo fratri Leffardo in prefectura, et inter filios Godescalci, qui hereditatem avi sui dicti Leffardi dimittere noluerunt, maxime cum eciam in Groninghe et in prefectura commanerent. Sed litem istam episcopus Godefridus cito suffocavit, quia prefecturam, que de iure sibi vacavit, tribus filiis Godescalci pro trecentis marcis, quas sibi dederunt, infeodavit[23]. Unde hodie ipsa prefectura in tres partes apud heredes eorum divisa est, quod minime tamen ecclesie vel civitati noscitur expedire. Hiis omnibus ita dispositis, domini de Covordia, quia erant duo fratres Rodolphus[24] et Volkerus[25], et duo fratres prenominati de Pedge, videlicet Menzo[i] et Rodolphus, et tres predicti fratres de Groninghe, Rodolfus, Menzo[k] et Hecbertus[l], qui nunc superest[m], in una amicicia, sicut consanguinei et affines, in gracia domini sui episcopi multis annis convixerunt, ipsa Trenta in multa pace existente. Et ille gloriosus episcopus Godefridus in Domino obdormivit, qui apud Sanctum Martinum in 1178. Mai. 27. Traiecto sepultus est anno Domini 1178.

Et nota de tribus iam dictis episcopis, quod domnus Harbertus[n], vir bonus et iustus, episcopatum rexit novem[26] annis; et domnus Hermannus, vir nobilis nacione, tribus et dimidio; episcopus vero Godefridus, cuius memoria semper apud nos in bono habeatur, viginti duobus annis Deo et ecclesie sue strennue militavit. Et sicut non multo post patebit, domnus Balduinus episcopus prefuit ecclesie decem et octo annis. Post quem duo in discordia electi vixerunt tantum duobus annis. Et post illos, qui apud Romam mortui nunquam episcopatum possidebant, Theodericus[o] episcopus ecclesiam rexit quatuordecim annis; et post ipsum Otto primus Gelrensis nacione duobus annis et dimidio; et post eum Otto secundus de Lippia in Westvalia natus, nepos episcopi Theoderici, undecim[27] annis; cui episcopus Wilbrandus, sub quo ista conscripta sunt, successit.

5.[p] *De episcopo Baldewino.* Post hunc scilicet Godefridum electus est in episcopum

---

[a] *fortasse hic aliquid deest; sed neque in* 1, *neque in* 2 *ne levissimum lacunae vestigium.* [b] Vullenho 2. [c] Montford 2. [d] strenu. 2 *semper.* [e] III. 2. [f] Groninge 2. [g] Westfalo 2. [h] *non bene discerni potest in* 1, *utrum* Hecb. *an* Herb. *scripserit. Infra satis distincte* Herb.; Herbertus 2. [i] Menso 2. [k] Menzo, Rodolphus 2. [l] Herbertus 1 *hoc uno loco; sic etiam* 2. [m] supersunt 2. [n] Herbertus 2. [o] Theodoricus 2. [p] IV. 2.

[15] Biennium, quo Hermannus cum Friderico de episcopatu contendebat, non numeratum esse videtur. V. Otto Fris. Gesta Frid. I, 62. II, 4. Ann. Egmund. a. 1150. 1152. Hartbertus episcopus obiit a. 1150. Nov. 12. et Hermannus a. 1156. Ian. 31.

[16] Hoorn ad Zuiderzee.

[17] De Rhenen.

[18] haud procul ab oppido Rhenen; cf. chartam Godefridi a. 1188. ap. Matthaeus, De rebus Ultraiectinis 112.

[19] Vollenhoven ad Zuiderzee trans Yssel.

[20] Montfoort ad fluvium Yssel.

[21] Woerden ad Ryn.

[22] Peize ad meridiem Groningen.

[23] Hoc inter a. 1176. et 1178. factum sit oportet, quia Godefridus episcopus a. 1178. obiit, Leffardus autem adhuc a. 1176. testis apparet ap. Driessen, Monumenta Groningana I, n. 3.

[24] Rudolfus de Covorde testis occurrit a. 1217. 1218. ap. Driessen I, n. 10. 11, et cum fratre Friderico a. 1223. ibid. n. 12.

[25] Volkerus occurrit a. 1208. ap. De Geer p. 362; a. 1206. 1211. 1212. ap. Driessen I, n. 6. 8. 9.

[26] immo undecim.

[27] immo tredecim, sicut infra c. 26; a. enim 1215—1227.

1178. domnus Balduinus ad Sanctam in Traiecto Mariam et in Aldensele[28] prepositus, vir mitis et tractabilis et tante castitatis, ut eciam virgo mortuus esse credatur. Qui preter alios magnos et nobiles consanguineos, quos in imperio habuit, istos specialiter in latere suo terre defensores amplectebatur et propugnatores, scilicet comitem Hollandie Florencium[29], qui frater suus carnalis extitit, et comitem Theodericum Clivensem, cui sororem suam copulavit, et Ottonem comitem de Benthem eciam fratrem suum. Istorum consilio et auxilio ecclesiam suam in multa pace dives et potens ad aliquot annos feliciter gubernavit. Tandem ille hostis antiquus, omnium bonorum invasor[a], turbator pacis, ad hoc consiliarios episcopi induxit, quod ad ipsorum instanciam episcopus armata manu Veluam[30] occupavit, quam et contra ducem Brabancie[31] et contra comitem Gelrie Gerardum[32] rapinis et incendiis et multa exactione devastavit. Dicebat enim eam sibi vacare a duce predicto, qui feoda sua debito tempore non receperat de manu sua more vasallorum. Sed istum tumultum belli domnus imperator magnus Fredericus, huius nominis primus, composuit et sedavit, et Velua duci et comiti, qui eam de manu sua tenet, remansit. Latens vero odium inter episcopum et comitem non quievit nisi ad tempus, sicut infra plene patebit. Idem vero episcopus Covordiam et Trentam et Groninghe pro sua voluntate sepius intravit, eo modo et permissione[b] sicut episcopus Harbertus sibi et suis successoribus ordinaverat; et omnia iura episcopalia in eis honorifice, nemine contradicente, exercuit sepe et aliquot annis cum plurima sua utilitate.

6.[c] *De Trentia et aliis.* Cum episcopus diversas partes episcopatus in temporalibus negociis et iurisdictionibus visitaret, et sibi ad Trentones descendere placeret, suus adventus domino, hoc est castellano vel sculteto de Covordia intimabatur. Qui dominum suum reverenter excipiens, in ipso castro una tantum nocte hospitari tenebatur[d]. Et episcopus claves castri de manu illius accipiens, eas et custodiam castri aliquibus suis fidelibus usque ad suum reditum vel exitum committebat, talibus tamen ut de illis dominus castri iustum timorem sue eiectionis non haberet. Et sic castellanus cum omni sua familia dominum suum episcopum obsequendo sequebatur. Et sex septimanis continuis Trentones ad mandatum episcopi[e] et ordinacionem suam episcopum et suam familiam in diversis locis et in suis domibus large procurabant, ad diversa officia curie et procuratorum currus et equos, prout ipsorum iura habent, curiose ministrantes. Et episcopus illis diebus vel septimanis suam iurisdictionem in ipsos exercuit, sepe multam pecuniam ab illis qui hoc meruerant extrahendo. Et sic iudicando ad aliam portam[32], id est ad Groninghe, se convertebat, ubi prefectus illius civitatis eum honeste cum omnibus illius[f] civibus excipiebat, qui eum multis largis exeniis sicut decuit honorabant. Et prefectus cum villicis et litonibus episcopi currus, vecturas et omnes expensas sollicite ordinabat, quia episcopus et sui cotidie[g] clericis et laycis de Fresia[h] advenientibus et civibus ipsis et quibuscumque aliis iusticias faciebant. Ubi Trentones cum Groningensibus villicis et aliis mancipiis in illa prefectura constitutis commune aliquod servicium in trecentis vel quadringentis libris domino suo faciebant. Huius[i] pecunie duas partes Trentones donabant et terciam reliqui. Sic in reditu episcopi Covordia domino suo reddebatur.

7.[k] *De eodem episcopo.* Sed frater episcopi Balduini, Otto comes de Benthem, sepe conquestus est, quod illi de Covordia bona sua prope ipsos sita cotidianis hospiciis et exactionibus infestarent indesinenter[l]; et per continuas querelas et suggestiones domnum episcopum in tantum odium istorum induxit, quod sentencialiter contra ipsos de tempore in tempus procedens, castrum ipsum et alia feoda[m] eorum eis abiudicavit[n], et non multo post ipsum castrum obsedit et duabus machinis inpugnavit. Et tam Groninghe quam Pedge et tota Trente illi exercitui[o] et obsidioni interfuerunt. Domnus vero Florencius de Vorenborch, qui tunc duxerat in uxorem matrem illorum de Covordia viduam, que fuit soror Rodolphi antiqui advocati de Gore[33], et iunior frater scilicet Volkerus ipsum castrum viriliter defendebant. Domnus autem Rodolphus senior frater de diversis locis et maxime de

---

a) et *add.* 2. b) promissione 2. c) V. 2. d) hospitium tenebat 2. e) *sic* 2; epi Trentones ad mandatum 1. f) illis 1. g) *deest* 1. h) Frisia 2. i) Huius — reliqui *des.* 2. k) VI. 2. l) *deest* 2. m) feuda 2. n) adiudicavit 1. o) excercit. 1 *saepius.*

28) Oldenzaal in Dwenthe. 29) III. 30) Veluwe pagus provinciae Gelderland. 31) Godefridum. 32) Qui obiit a. 1181, v. Ann. Egmund. Ergo haec inter a. 1178—1181. gesta sint oportet. 32) i. q. urbem, vernacula lingua *poort.* 33) Goor in pago Twenthe, in Overyssel.

Steenvoerde[34] episcopum et exercitum in detencione victualium et in quibuscumque alias poterat indesinenter molestabat. Et cum sic minime proficeret Florencius, et castrum et privignum suum Folkerum in potestatem episcopi tradidit; et ipse commisit castrum et iurisdictionem Trente cuidam militi de Hollandia, Ghiselberto Postekin dicto, qui prudenter et optime terram gubernavit. Et post aliquot annos hec omnia commissa sunt comiti de Benthem, qui semper ad istud dominium aspiravit. Et domnus episcopus et castrum et terram novem annis possedit. Medio autem tempore Volkerus, qui tenebatur in vinculis in castro Horst, corrupit filiam cuiusdam divitis militis, qui Albertus Leo dicebatur, et eam illic duxit in uxorem. Per cuius amicos optinuit ut a domno episcopo absolutus, in hereditate sua apud Anze[35] manere permitteretur. Frater vero suus Rodolphus mansit in hereditate sua prope Vechtam[36] et Recclam[37] fluvios, et sepissime per dominos et amicos et per[a] consanguineos graciam domini sui episcopi pro castro suo reddendo inploravit, sed minime profecit. Unde occulte consanguineos suos de Pedge et tres fratres de Groninghe et ipsum Groninghe oppidum quocumque modo in odium episcopi et maxime comitis de Benthem inducebat. Ex eo accidit quod cives de Groninghe aliquantulum contra episcopum super suis iuribus tumultuantes, ecclesiam sancte Walburgis ipsi episcopo, qui eam sicut omnes antecessores pro capella habere consueverat[b], negabant dicentes, eam suam parrochiam et ad defensionem sui opidi quandoque[c] contra Normannos temporibus beati Walfridi[38] edificatam. Et non multo post ob timorem episcopi superiorem testudinem, sicut hodie apparet, destruxerunt. Super quo sepius redarguti et de iuramento ammoniti quod iuraverant episcopo Harberto, ne murum erigerent, magis inflammabantur[d]. Et cum hec agerentur, Rodolphus maior natu et prefectus in Groninghe, in transmarinis partibus mortuus est. Qui unicum heredem filium nomine Alberonem infantem post se reliquit superstitem. Cuius tutor volebat esse frater suus domnus Hecbertus[e]; sed episcopus hoc in tantum defendebat, quod eciam ipsam prefecturam cuidam militi Bertoldo de Groninghe commisit, asserens[f] ipsam tutelam pueri et illius feodi ad se de iure[g] pertinere. Sed hunc iudicem Hecbertus[e] interfecit; et magna dissencio orta est et tanta, ut et illi de Groninghe et de Pedge et domni de Covordia expulsi, bona domni episcopi per totam Trentam[h] raperent, ipsum comitem apud Roclo[i][39] fugarent et suburbium et villam Covordie potenter concremarent.

8.[k] *Item de eodem episcopo.* Igitur domnus episcopus ex tali presumpcione nimium, sicut iustum erat, indignatus, duos exercitus potentes contra istos eduxit[l], quorum alter per Covordiam ad intrandum ordinabatur per comitem, alter vero per ipsum episcopum per Steenwijc[m][40] inducebatur[41]. Tunc Otto comes Gelrie, frater comitis Gherardi, — qui tunc iam obierat, nullum nisi fratrem post se relinquens heredem, — qui nescio quibus mediantibus in auxilium episcopi advenerat, per plures intercursus hoc effecit, quod predicti inimici domni episcopi, qui quasi consilio suo occulte regebantur, se potestati[n] episcopi super suis excessibus sine omni occasione[42] tradiderunt. Et dati sunt obsides de Groninghe quatuor, de Trenta vero duodecim, de Covordia Rodolphus de Pedge, alius Rodolphus, Hecbertus[o] prefectus. Isti omnes cum exercitu, qui tunc solvebatur, Daventriam intraverunt. Ubi comes Gelrensis factum illorum, licet multum intenderet, non poterat terminare, sed cum indignatione ab illo loco recessit, asserens, istos sub certa condicione fore datos, ita ut[p] de omnibus hinc inde suo staretur consilio. Quod pars episcopi penitus negavit. Episcopus vero obsides suos in vincula et in diversa loca deposuit. Statim Volkerus minor[q] natu cum omnibus quos subito contrahere poterat castrum Covordie non premunitum occupat, inpugnat, instat et capit, in quo cum tota familia comitis ipsa domna comitissa[43],

---

a) *deest* 2. b) consueverāt 1. c) quoque 2. d) instaurabant 2. e) Harbertus 2. f) affirmans 2. g) de iure *des.* 2. h) Tuentam *Beka male.* i) Rocclo 2. k) VII. 2. l) induxit 2. m) Steenwyc 2. n) potestate 1. o) Herbertus 2. p) ut *deest* 1. q) iunior 2.

34) Steinfurt in Westfalia. 35) infra c. 29 vocatum Enze, hodie Enschede in Dwenthe. 36) ea quidem quae oritur in partibus Westfaliae. 37) Rege quae influit Vechtam a laeva parte. 38) Sanctus Walfridus cum uxore Therasia et filio Radfrido a. 910. Dec. 3. in vico Bedum prope Groningen a Normannis martyrizatus esse dicitur; v. Oudheiden en Gestichten van Groningen. Utrecht 1744. 8°. p. 1. 343. 39) Videtur esse Rolde in Drenthe, media via inter Groningen et Kovoerde. 40) Steenwyk provinciae Oberyssel, districtus Vollenhove. 41) in pagum Drenthe scilicet. 42) i. e. conditione. 43) Richardam de Nassau eam vocat Wilhelmus van Berchen in Chronico Gelriae ed. Sloet van de Beele p. 38.

proch pudor! detinebatur. Ex quo patebat quod ultimi successus domni episcopi prime felicitati non respondebant. Sed ipse, sicut vir inperterritus, comitissam et omnes alios captivos per suos obsides absolvit et se iterum ad bellum et recuperacionem castri preparat.

9.[a] *Item de episcopo eodem.* Tunc accesserunt Daventriam Conradus Maguntinus[44] et Philippus Coloniensis archiepiscopi[b], ut hunc tumultum sedarent — timebant enim de futuris, maxime cum comes Gelrensis de hiis omnibus suspectus haberetur; — et ad bonum pacis ordinaverunt, quatinus omnia allodia, que in Trenta fuerant spoliata, in frumento et pecudibus et edificiis et omnibus ablatis redintegrarentur, et domno episcopo darentur mille marce, fratri suo[c] comiti et consiliariis centum, et domnus Rodolphus Covordiam teneret et Trentam et servicium episcopi, prout dicunt antiqua et nova ecclesie privilegia[45]. Sed hanc ordinacionem pacis comes de Benthem penitus[d] non admisit. Unde post recessum tantorum principum domnus episcopus cum exercitu validissimo prope campos Covordie se potenter deposuit, sperans se in summo mane Trentones victurum et castrum obsessurum. Quod sine dubio evenisset, si hora vespertina, cum iam tentoria figerentur, quedam leves persone, qui stulte cum Trentonibus consagittare ceperunt, in fugam converse totum exercitum non commovissent; qui sic inter se propter diversos clamores tumultuare inceperunt, ut omnes pariter tam magni quam parvi fugam dedecorose, nemine primo instante, arriperent, arma sicut femine[e] proicerent[f], equos, currus, victualia infinita et tentoria turpiter relinquerent, domno episcopo plurimum reclamante et eos miseros increpante. Sed ipse, sicut et alii, multo periculo ab illis locis paludosis plorans et quasi semivivus vix recessit. Illo die ceciderunt de nostris viri boni et fortes circa triginta, capti fuerunt milites large centum et infiniti de populo. In hiis omnibus fratres de Groninghe et fratres de Pedge et Trentones illis de Covordia contra dominum suum astiterunt.

10.[g] *Item de eodem episcopo et eius morte.* Igitur domnus episcopus, qui pertinacis erat voluntatis, expensas expensis accumulat et comitem Gelrensem, quem omnium istorum malorum conscium et fautorem esse dicebat, potenter et cum multa milicia aggreditur, Veluam et alias suas terras depopulando[46]. Sed comes idem viriliter se opposuit et Trentones cum illis de Covordia cum pluribus militibus[h], quibus se tunc patenter[i] adiunxerant, evocavit. Et comburentes Omershem[47] et alia bona episcopatus, per Venebrugghe[k, 48] usque in obsidionem Daventriensem[l] pervenerunt; ubi dictus comes[m] cum multo exercitu Daventriam obsedit et multos nobiles, undecim diebus continuis. Sed dux Brabancie treugas ad tempus elaboravit. Trentones vero ad sua remeantes, omnes redditus episcopi et suorum comiti per totam Trentam assignaverunt. Et nota quod Baldewinus[n] episcopus ter[o] habuit guerram cum illis de Gelre. Prima vice quando[p] Veluam pro sibi vacante occupavit[49]. Tunc vivebat comes Gerardus, qui pro hac iniuria Daventriam
1187 ad quatuor dies obsedit. Sed domnus imperator Fredericus ista sedavit. Secunda vice[50], Gerardo comite mortuo, frater suus Otto comes episcopum in tantum in suis bonis infestavit, quod tanta orta[q] fuit discordia, ut Florencius comes Hollandie omnia pecora tocius Velue in Daventriam[r] communicaret[s] et gravia dampna comiti inferret, et ab alia parte Thidericus Clevensis comes, vir fortis, strennuus et largissimus, omnem terram Gelrie potenter incenderet et devastaret. Sed dux Brabancie et archiepiscopus Coloniensis et domnus Hermannus Monasteriensis episcopus et Adolfus comes de Monte partem comitis sic coadiuvabant, ut collectis duobus milibus militum et quingentis in Daventria tribus
1188. Mart. 27. septimanis octingentos milites episcopi obsiderent. Ista vero guerra composita fuit[51], quando dictus comes Gelrensis cum imperatore Frederico mare transivit. Post reditum

---

a) VIII. 2. b) *deest* 2. c) marcae Frisicae 2. d) *deest* 2. e) foenum 2. f) abjicerent 2. g) IX. 2. h) millibus 2; milibus 1. i) potenter 2. k) Venebrugge 2. l) Daventrensem 1. m) comes dictus 2. n) Balduinus 2. o) *deest* 2. p) quum 2. q) *deest* 2. r) Dæventriam 2. s) commīaret 1; comminaret 2 *et glossa saec. XV. Ann. Egmund. p.* 469 *not.* c; *voce* congregare *usus est Beka;* communicare *hic pro* adunare, conglobare.

44) a. 1183—1200. 45) Cf. supra c. 2. 46) Haec acta sunt post reditum comitis Gelrensis de tertia peregrinatione ut videtur a. 1195, v. infra. 47) Ootmarsum. 48) Pons seu agger super palude, qui tendit ab Ootmarsum versus Hardenberg, a quo oppido duo tantum miliaria abest. 49) V. supra c. 5. 50) a. 1187, v. Ann. Col. max. SS. XVII, 792. 51) a. 1188. Mart. 27. in curia apud Maguntiam celebrata, v. ibid. 794.

vero suum taliter, ut iam dixi, pro facto Covordensium[a] discordabant. Ad cuius rei vindictam cum se domnus episcopus viriliter in maximis expensis apparasset et eciam pro auxilio domni imperatoris Henrici, qui patre suo mortuo iam tunc regnabat, Magunciam[52] pervenisset, illic[b], proch dolor, quinto die mortuus est et ad suos antecessores apud Sanctum 1196. Apr. 29. Martinum honorifice deponebatur anno Domini 1196.[53]

11.[c] *De discordia electorum et aliis.* Domno Baldewino episcopo venerabili sic mortuo et sepulto, Tydericus[54] comes Hollandie, filius comitis Florencii, et Otto comes Gelrie armata manu in Traiecto convenientes, tantam discordiam in ecclesia seminaverunt, quod quidam de fratribus elegerunt in episcopum fratrem episcopi Baldewini Theodericum, eiusdem ecclesie maiorem prepositum. Huius partem fovebat comes Hollandie et tota terra Traiectensis. Reliqui vero de capitulo elegerunt Arnoldum de Ysenborch, virum nobilem et prepositum Daventriensem. Huius partem assumpsit sibi comes Gelrie et omnis episcopatus citra Nodam[55] constitutus. Tandem de voluntate parcium ambo electi pro suis iuribus ad curiam Romanam perrexerunt. Ubi, deductis gravibus expensis, Arnoldus electus obtinuit et statim illic mortuus est[56]. Tunc papa[57] domnum Theodericum in episcopum consecravit, qui in suo reditu apud Papiam occubuit[58]; et sic de novo Traiectensis ecclesia ad aliam electionem celebrandam invitabatur. Scisma illud duraverat duobus annis. Et medio tempore comes Hollandie apud Heymenberch[59] vicit comitem Gelrie, ubi de suis multos milites captivavit.

12.[d] *De electione episcopi Theoderici de Are.* Cum ecclesia Traiectensis, interveniente suo patrono beato Martino, liberata fuisset a predicto scismate, de cuius duracione plurimus timor extitit, iam sepe dicti comites in sua odiosa pertinacia perdurantes, ecclesiam in quantum poterant pro suis amicis sollicitabant. Sed per graciam Dei, licet illic personaliter adessent, minime sunt admissi vel exauditi, sed tota ecclesia divinitus inspirata quendam Theodericum de Are, virum nobilem et personatum, multa sapiencia preditum, in consiliis[e], sicut infra patebit, discretum et expeditum, nutritum in curiis imperatorum, et omnium discretorum discretissimum, qui tunc prepositus fuit in Maestrecht, ex improviso, nemine petente vel promovente, ad consilium quorundam qui hoc ex abrupto et a latere leviter tangebant, uno animo et quodam mirabili ardore in episcopum eligunt, anno Domini 1201.[60] Qui tempore electionis sue cum imperatore Henrico in Cicilia[f] fuit; 1197. Sept. 28. cuius morti et exequiis cum eciam statim tunc interfuisset, novus electus ad suam ecclesiam cito pervenit vocatus. Quam in maximis debitis tum propter discordem electionem iam dictam, tum propter gravissimas guerras comitum predictorum, quas ipsi in episcopatu tempore scismatis sicut lupi rapaces exercuerant, tum eciam quia episcopus Baldewinus in diversis guerris, de quibus supra diximus, infinita expenderat et totam terram, quamvis invitus, eviscceraverat, hinc inde irretitam invenit. Sed pre omnibus istis istud maxime ipsum turbavit et paupertate nimia eum involvit, quod creditores Romani et Senenses ab ipso instanter per litteras papales exegerunt large tria milia marcarum sterlingorum et tres marcas, quas contraxerant et mutuaverant illi novi electi sui antecessores. A quibus omnibus ipse tamquam vir prudentissimus ante mortem suam, sicut plene intelligetur[g], totam ecclesiam et se honestissime liberavit, quamvis in diversis guerris innumerabiles pecunias postea in magno honore et ad plurimam exaltacionem sue ecclesie expendisset.

13.[h] *De discordia fratrum Hollandensium et aliis*[i]. Suis eciam temporibus[61] quedam gravis discordia orta fuit inter Theodericum comitem Hollandie et fratrem suum

---

a) Covordensi 1. b) *correxi;* illuc 1. 2. c) X. 2. d) XI. 2. e) conciliis 1. f) Sicilia 2. g) *correxi;* intelligens 1. 2. h) XII. 2. i) De disc. inter fratres Hollandiae 2.

52) ubi imperator hoc anno Apr. 26. morabatur, Stumpf 4990. 53) Apr. 29. secundum Necrologium Egmund. ap. van den Bergh, Oorkondenboek van Holland en Zeeland I, 333. 54) VII. 55) Locus hodie dictus *de Grebbe* ad Rhenum situs inter Rhenen et Wageningen. 56) a. 1197. mense Iunio secundum Ann. Egmund.; Apr. 6. autem Necrol. Egmund. et Beka. 57) Coelestinus III. 58) anno certo 1197, vide Ann. et Necrol. Egmund. et Ann. Colon. max. p. 805; cf. etiam infra c. 11. Diem obitus Nov. 5. praebet Necrol. S. Salvatoris l. c. 59) Collis ab oriente Rhenen, v. Ann. Egmund. a. 1196. 60) Error manifestus librarii. Theodericum a. 1197. electum esse, ipse Noster mox indicat. Annuunt Ann. Colon. max. p. 805; Ann. Egmund. eum a. 1198. *successisse* dicunt. Primo occurrit inter testes chartae Adolfi Coloniensis a. 1198. Iul. 4. ap. Erhard, Reg. hist. Westfal. II, n. 570. 61) a. 1197. v. Ann. Egmund.

Wilhelmum, cui Otto comes Gelrensis dederat in uxorem filiam suam[62], ita quod[a] ipse Theodericus ceperat Wilhelmum et deposuit eum in castro Horst. A quo ille effugit et statim a Frisonibus pro comite receptus, prope Oesterze[63] castrum edificavit et cum illis de Cuynre[64] sepius et multum conflixit. Sed labores illius guerre et eventus diversos et plurimorum mortes, hinc inde large usque ad sexcentos occisorum, tamquam nota pretermitto. Idem vero Wilhelmus episcopum Theodericum, qui in Frisiam intraverat et in illa forte sex septimanis iurisdictiones, et[b] spiritualem et temporalem, tamquam episcopus et comes exercuerat et[c] ex suis iuribus aliquantulam pecuniam in sua paupertate collegerat, in ipso monasterio Staurie[65] post missam potenter et armata manu captivavit. Sed in continenti cives Staurie et alii Frisones, qui illic tunc affuerunt, episcopum de manibus comitis in momento potenter eripientes, comitem abire permiserunt; et episcopus cum multo honore sine dampno Traiectum revertebatur. Et postea dictus[d] comes compulsus pro tali excessu se laneus et nudipes cum quingentis militibus ad pedes domni episcopi ad Sanctum Martinum humiliavit et graciam suam obtinuit, a domno papa absolutus.

14.[e] *De eodem episcopo et morte comitum.* Cum per hec et hiis similia et per ea, quae ante enumeravimus, episcopus ad nimiam devenisset paupertatem, ita eciam ut a suis non curaretur, Theodericus comes Hollandie propter[f] multas iniurias et contemptus, quos sibi cotidie intulit, tandem valido exercitu se apud Gheynum[g][66] deposuit; 1202. et plurimi ministeriales ecclesie secum contra episcopum coniuraverunt. Sed civitas domini sui miserta, eum quasi profugere volentem recepit et comiti sic viriliter restitit, ut ad sua totaliter redire cogeretur[67]. Ipsi malo aliud malum maius accrevit, videlicet quod Daventria dominum suum penitus sprevit et Ottonem comitem Gelrie in se pro domino et defensore suo recepit. Sed beatus Martinus suo episcopo in brevi tempore sic providit, quod predicti comites, sue ecclesie intestini persecutores, ambo divino iudicio a duce Brabancie[68] capiebantur et in vincula deponebantur[69]. Tunc episcopus, sicut vir discretus, tempus sibi a Deo datum non obdormiens, subito miliciam blandiciis, donis et promissis, iniuriis sibi et obprobriis illatis indifferenter remissis, cum multo concursu colligit, Hollandiam uno die invadit, rapit, devastat et incendit. Et sequenti crastino Veluam ascendit et depopulatur, pecuniam accipiendo et extorquendo, Sutphaniam[h][70] obsedit, Daventriam intrat, nemine se defendente, singulos diciores capit et innumerabilem pecuniam merito ab illis recepit. Et in isto cursu inicium bonorum suorum feliciter accepit. Ex hoc tempore et bona bonis cotidie se coagulare inceperunt, quia dicti comites tandem a captivitate absoluti, non multo post debitum humanitatis impleverunt[71]. Et episcopus Gerardum puerum, heredem comitis et comitem Gelrie, in sua gracia et favore tamquam filium conservans, ad negocium comitatus Hollandie, qui ibi tunc vacavit, quia comes filium non habuit, sicut vir prudentissimus convertit et se ad nova lucra taliter accinxit.

1203. 15.[i] *De eodem episcopo et diversis aliis.* Mortuo Theoderico comite Hollandie, filia sua, quam unicam habuit, nupsit Lodowico comiti de Loen[72], viro nobili et valde strennuo, largo, miti et bono. A quo noster providus episcopus recepit duo milia marcarum, quod eum comicia Hollandie de iure imperio vacante infeodari procuraret; et ei insuper potens et manuale auxilium fideliter promisit contra Wilhelmum comitem, qui nichil iuris habens, comitatum sibi iam usurpare incepit, quia frater comitis Theoderici[k] 1204. Iun. 23. extitit. Quod domnus episcopus adeo honeste implevit et persolvit, quod ipso anno[73] in vigilia Iohannis baptiste terminos comitatus prope Midrecht[74] personaliter inpugnavit, ubi in continenti vicit et fugavit comitem de Benthem, qui illic terram cum multo populo armato, excepto Wilhelmo, defendit; et plurimos Deo gracias! captivavit. Et statim ipse solus in levi equo, frater vero Gerardus comes de Are, vir strennuus et sapiens, cum tota

---

a) Idem quippe 2. b) *deest* 2. c) *deest* 1. d) dominus 2. e) XIII. 2. f) *legendum videtur* praeter. g) Geynum 2. h) Zutphaniam 2. i) XIV. 2. k) Theodorici 2.

62) Adelheidam. 63) Osterzee in Lemsterland provinciae Vriesland. 64) Kuinder ad Zuiderzee. 65) Staveren. 66) het Gein a Traiecto meridiem versus. 67) Haec a. 1202. acta esse, v. Ann. Egmund. 68) Heinrico II. 69) a. 1202, v. Ann. Egmund. Ann. Col. max. p. 811. 70) Zütphen. 71) Theodericus comes obiit a. 1203, Otto comes autem inter a. 1206. Mart. 8. et a. 1207. Sept. 24, fortasse a. 1207. Mart. 18. secundum Cohn, Stammtafeln I. 72) Ludewico II. comiti de Los. 73) Non a. 1203, sed 1204. secundum Ann. Egmund. p. 476. 74) Mijdrecht provinciae Utrecht in confiniis Zuid-Holland.

milicia pedes per paludes versus Suadenburch[a] 75 contra alium magnum exercitum pugnaturi festinabant. 1204. Et in media via invenerunt maximam multitudinem quorundam Hollandensium ad pugnam contra se congregatam. Quam propter iam habitam victoriam tanto timore invenerunt perterritam, quod domno episcopo in instanti super suo mandato faciendo bonos obsides tradiderunt. Quibus omnibus domnus episcopus sicut[b] non contentus, viriliter cum suis bone fortune et cepto cursui[b*] rote insistens, in ipso crepusculo maxima pluvia ex improviso de[c] celo aereo[d] defluente, totum robur Hollandie vicit et Florencium prepositum in Traiecto, qui stulte se istis armatus contra episcopum immiscuit cum multis militibus captivavit, a quibus postea magnam pecuniam extorsit.

16.[e] *De eodem episcopo et eius morte.* Sequenti die versus Leyden procedens, Iun. 24. potenter in Harlem hospitando, terram illam incendit, pro sua voluntate vastat et pecuniam accipit, quousque Lodowicus comes, qui cum maximo exercitu alia parte comitatum intraverat, ipsum ab infestacione comitatus tamquam sui recedere petebat. Quem episcopus, quamvis stulta petentem, fideliter exaudivit et recessit. Sed statim post suum recessum dictus comes totam terram illam, Wilhelmo superveniente, perdidit. Qui per quosdam Selandenses ipsum nimis securum de comitatu fugavit et neptem suam iam uxorem comitis cepit et Texele misit ad Frisones, in custodia decenter servandam[76]. Et Lodowicus quamvis infinitos postea attemptaverit cum maximis expensis insultus et labores, comitatum Hollandie, ad quem plenum ius habuit, nunquam potuit recuperare. Episcopus vero cum multa gloria et utilitate Traiectum reversus, fratrem suum Gerardum comitem cum multis aliis navali bello contra Hollandiam remisit et totum Thordrecht depredatum penitus igne cremavit[77]. Ex hiis omnibus adeo convaluit et crevit, ut totus suus episcopatus, qui antea eum pauperem et inutilem despexit, in tantum honoraret et timeret, ut quidlibet a quolibet pro suo libitu et voluntate extorqueret, et Wilhelmus comes Hollandie, possessor comitatus Hollandie existens, mille marcas pro sua gracia sibi habenda donaret. Ex quibus omnibus domnus episcopus, quandoque[f] in episcopatu pauperrimus nunc vero ditissimus, tantam pecuniam collegit, quod omnia predia ecclesie a suis antecessoribus inpignorata redemit; debita sua liberaliter solvit curie Romane, que multis excommunicationibus eum involverat, tribus milibus marcarum sterlingorum et trecentis, seu turribus[g], quos ipse apud Vollenho fabricari fecerat, pro debito vel indebito suorum duorum antecessorum in scismate electorum simul et semel expedivit. Castra sua omnia et civitates et quaslibet suas diversas mansiones infinitis victualibus ditavit; pecuniam vacantem in Horst reposuit; domno pape et regi, qui fratri imperatori Henrico in regno iam successerat, Philippo carus princeps extitit. Totum episcopatum in multa pace tunc rexit, a suis et ab alienis, qui vicini commanebant, venerabatur et timebatur. Et sic anno ab introitu suo quartodecimo apud Daventriam in vigilia beati Nicholay[h] obdormivit in Domino et in Traiecto 1212. Dec. 5. apud Sanctum Martinum honorifice sepultus est anno Domini 1212. Et nota quod episcopus Theodericus[i] nullam habuit discordiam cum Covordensibus vel cum Trentonibus vel cum illis in Groninghe; sed libere pro sua voluntate ingrediebatur et egrediebatur Covordiam et Trentam, suis iuribus contentus in Groninghe, quia pro omni dampno episcopo Baldewino illato in sua prima paupertate nongentas libras, que tunc trecentas libras valuerunt, acceperat et composuerat; et illam composicionem omnibus diebus sui episcopatus fideliter observavit.

17.[k] *De episcopo Ottone primo.* Episcopo Theoderico[i] sic apud Traiectum feliciter sepulto, de successore tota ecclesia Traiectensis sollicitudinem electionis competenter inducunt. Ad quam in maximo apparatu conveniunt comes Gelrie Gerardus, Ottonis 1213. filius, et comes Hollandie[l] Wilhelmus, frater comitis Theoderici. Isti adduxerunt secum Adolfum Coloniensem archiepiscopum et Ottonem Monasteriensem et Gerardum Osnaburgensem episcopos et fratres carnales[78] et alios nobiles infinitos. Quorum precibus obtinuerunt, quod Otto huius nominis primus, Xantensis[m] prepositus, frater ipsius comitis

---

a) *sic* 2 *p.* 132; Suadenburg *p.* 11, *quod etiam Ann. Egmund. p.* 475; Snadeburch 1. b) sicuit 1. b*) cursu 1. 2. c) improviso de *des.* 2. d) aereo *deest* 2. e) XV. 2. f) quanquam 2. g) seu turribus *des.* 2. h) Nicolai 2. i) Theodoric. 2. k) XVI. 2. l) comes Hollandie *des.* 2. m) Xanctensis 2.

75) Swadenburgerdam seu Swamerdam ad Rhenum supra Leyden situm. 76) Hoc iam a. 1203. contigit, v. Ann. Egmund. p. 475. 77) Cf. Ann. Egmund. 1204. p. 477. 78) comites scilicet de Oldenburg.

Gelrie, cuius eciam sororem habuit dictus comes Hollandie in uxorem, in episcopum ab omnibus eligitur; iuvenis bone spei, decem et octo tantum habens annos, corpore longus et pulcher, conversacione et moribus compositus, qui in secularibus et maxime in iudiciis sic cepit esse discretissimus, ut ab omnibus non inmerito amaretur. Et propter vires comitum predictorum adeo timebatur, quod statim in primo suo introitu ministeriales ecclesie cum multa satisfactione et sua confusione et pecuniam et victualia, que[a] in morte sui antecessoris turpiter rapuerant, sine mora restituerunt. Duobus annis et dimidio prefuit ecclesie in multa pace et omnium suorum subditorum quiete. Et cum Romam super minoris etatis dispensacionem[b] ire disponeret, gravis eum febris apud Vorthusen[c][79] prope Altinis arripuit, in qua, rebus suis et testamento suo ordinate dispositis, debitum universe carnis 1215. Mart. 27. proch dolor! adimplevit. De quo loco a fratre suo comite et a matre sua nobili comitissa Traiectum reportatus[d], apud Sanctum Martinum cum multo planctu tocius populi omni quo decuit honore sepelitur anno Domini 1215. Tempora istius electi, quia dyaconus mortuus est, fuere pacifica et iocundissima. Totum enim episcopatum in nullis obligatum, omnibus bonis terre invenit superhabundantem, sicut suus antecessor providus eum post se reliquerat. Et castrum Covordie cum suis dominis Rodolpho et Frederico et omnes Trentones et totam civitatem Groninghe, que tunc fuit opulentissima, potenter et patenter ad suum nutum regebat, illis iuribus contentus quibus episcopus Theodericus[e] omnia predicta in suum obsequium sollerter post episcopi Baldewini mortem conquisierat.

18.[f] *De episcopo Ottone secundo.* Igitur predicti comites de morte sui domini et affinis non modicum turbati, Traiectum conveniunt, animos et consilia ad promocionem domni Ottonis ipsius ecclesie maioris prepositi componunt, inductu fratris sui domni Hermanni de Lippia, qui sicut vir sapiens et astutus illud eis per consiliarios ipsorum callide persuadebat, asserens eos tali episcopo, qui alienigena esset, et posse et debere dominari. Sed exitus rei et virtus illius episcopi aliud postmodum demonstravit. Unde ad instanciam eorum Otto secundus, maior Traiectensis prepositus, frater Hermanni de Lippia, filius sororis episcopi Theoderici[80], eligitur in episcopum anno Domini 1215. Qui statim sicut novus dominus et electus ab imperatore Frederico huius nominis secundo regalia et episcopalem de licencia Coloniensis archiepiscopi apud Vrankenvorde[81] accepit benedictionem. Ecclesiam omni debito exutam, episcopatum divitem et habundantem et redditus episcopales invenit plenos et ab omni iugo expeditissimos. Unde primum in multis copiis, ut vir potens, discretus et plurimum paciens et modestus, regnare incepit; sed non sic ultima primis respondebant, quia pluribus postea guerris et maxime civilibus et intestinis sua et non sua expendebat.

19.[g] *De eodem episcopo et diversis aliis.* Gravissima enim discordia orta est inter ministeriales ecclesie in terra Volhenho[h]; quam ipse in multis laboribus et expensis tandem sedavit. Terram enim illam cum multa manu intravit, fere omnium militum bona incendit et taliter illos perdomuit, quod reliquis debitus timor et reverencia domini sui non inmerito incuteretur. Non multo post cruce signatus in terram sanctam profiscitur; totus episcopatus committitur fratri suo Hermanno de Lippia, qui eum sollicite regens et in pace conservans, domino suo et fratri post annum et dimidium a peregrinacione redeunti satis bene habentem resignavit. Sed modica pace gavisus est, cum nova discordia pullularet inter episcopum et comitem Gelrie, suum promotorem, pro diversis causis et maxime pro theloneo, quo comes homines episcopatus iniuste et crudeliter apud Lobede[82] depauperabat. Ista causa dum pro composicione[i] ageretur, graves et intollerabiles in diversis conventibus principum requirebat expensas. Que tandem per Engelbertum tunc Coloniensem archiepiscopum videbatur esse composita[82*]. Sed secus erat, quia comes amiciciam simulans, ministeriales ecclesie in Sallant[83] et prope Vechtam occultis suggestionibus sic inflammavit, ut ipsi cum omni populo in Sallant conspirarent et contra suum dominum adeo crudeliter

[a] quam 2. [b] dispensatione 2. [c] Nordhusen *Beka.* [d] reportatur 1. [e] Theodoric. 2. [f] XVII. 2. [g] XVIII. 2. [h] Vollenho 2. [i] per compositionem 2.

---

79) Voerthusen inter Heerenberge et Elten in confiniis nostris situm.

80) II. de Are; sorori Heilwigi nomen erat.

81) Fridericus Mai. 19. apud Frankfurt commorabatur, v. Böhmer, Reg. imp. n. 129.

82) Lobet seu Lobith paullo infra Rheni primum divortium in dextra ripa situm, ubi aedes publicanorum *t'Tolhuis* dictum.

82*) Secundum mandatum imperatoris datum a. 1220. Apr. 30. apud Frankfurt, supra Legg. II, 237. 238. Böhmer n. 345. 346.

83) Provinciae Overyssel ad Zuiderzee et fluvium Yssel.

coniurarent, ut eum et suos villicos a se reicerent, nimium gravamen pro se allegantes, scilicet quod equi episcopi in bonis ipsorum indebite in anno bis hospitarentur, quod tamen ex antiquissimo iure et consuetudine nulli episcoporum umquam negabatur. Ex hac coniuracione indebita episcopus plurimum commotus, cum eos a suo malo proposito revocare per multas Traiectensium militum commoniciones non valeret, exercitum colligit. Cui frater suus Hermannus et Theodericus Monasteriensis episcopus cum pulchra milicia se in Daventria coniunxerunt. Ubi episcopus nil cunctatus Sallandiam imperterritus invadit, cuius populum in municione et in aggere apud Herkelo congregatum et oppugnantem invenit, pugnat et vicit, paucos occidit, sed plures capit. Et quamvis tota terra tunc aquis inundantibus subiaceret[a], tamen milicia in aquis periculose gradiens, tria castra illius terre strennue impugnat: duo castra, que ambo Voerst[84] dicebantur, capit et funditus destruit, tercium scilicet Buchorst usque ad turrim incendit. Et merito, quia domini istorum castrorum, videlicet de Buchorst[85] Theodericus et duo Hermanni de Voerst, tocius mali huius inventores et conspiratores extiterunt. Et sic omnes milites illius provincie a suis sedibus et domibus fugavit et potenter in bonis illorum suos equos hospitari mandavit, populum in pecunia pro sua voluntate punivit[b]; et sic victoriosus Daventriam rediit[c], adiutoribus suis valedicit. Ex hac victoria et prosperitate confortatus et animatus, deinceps rebus suis et paci ecclesie sue provide et strennue disposuisset, si comes dictus illos maledictos et expulsos ministeriales in Sutphania contra dominum suum non manutenuisset. In tantam[d] enim comes exarsit insaniam, ut in multis copiis se ad vindictam huius facti tota estate sequenti prepararet. Econtra domnus episcopus omnibus modis intendens defensioni suorum, obtinet quod comitissa Flandrie Iohanna, que illum totum comitatum propter captivitatem Ferrandi[86] viri sui tunc regebat, in auxilium suum et ecclesie una cum duce Brabancie coniurat. Qui tamen suum iuramentum minime servaverunt, nusquam in auxilium episcopi venientes.

20.[e] *Item de eodem episcopo et diversis aliis.* Estate ergo superveniente, bellum hinc inde instauratur, amici, affines et auxiliatores hinc inde evocantur, concitantur milites ad solidos[87], curruum et navium ad victualia deferenda validus fit apparatus, et cum quadam festinacione duo gloriosi excercitus sibi ad invicem inimicantes, castra sua super Hunepam[88] ex utraque parte aque metati sunt. Et nota quia Gerardus[89] Bremensis archiepiscopus fratri suo carnali, domno Traiectensi, cum plurimis armatis venerat in auxilium. Affuit eciam illic Theodericus Monasteriensis episcopus et domnus Hermannus de Lippia et alii nobiles quam plurimi, quorum milicia in unum computata numerum mille militum superexcedebat. Armigeros eciam plurimos fortes et invictos habuerunt. Et sic isti tres principes in predicto loco coadunati, exitum belli et insultum comitis expectabant. Sed pars adversa longe maioribus viribus superhabundabat. Nam large preter infinitos armigeros duo milia militum electissimorum illuc cum comite extiterunt. Plurimos enim nobiles et strennuos capitaneos secum comites habebat, inter quos maiores erant dux Walravenus[90] et comes Seynensis Henricus; quos fere tota milicia Reni sequebatur, maxime de mandato et voluntate, ut fertur, domni Engelberti Coloniensium[f] archiepiscopi. Qui licet personaliter non adesset ad inpugnandum suum suffraganeum et eum cui iuramento se astrinxerat, tamen partem comitis, qui filius avunculi sui erat, de die in diem sic per eos quos occulte mittebat adauxit et confortabat[g], ut episcopus et sui Daventriam confugere cogerentur. Et comes in obsidionem illorum procedebat.

21.[h] *Item de eodem episcopo.* Cum hec sic agerentur, gravis pugna facta est inter homines episcopi, videlicet Traiectenses milites, et illos de Velua; qui in fugam conversi, terram comitis sibi commissam in custodiam turpiter reliquerunt. Et ne aliquis angulus episcopatus remaneret inconcussus et non destructus, Florencius iuvenis comes Hollandie[91], filius sororis Gerardi comitis Gelrie, ab avunculo, quia pater suus Wilhelmus iam obierat, iam[i] inducitur, ut cum navibus infinitis Leccam[92] ascendens, ab occidente episcopatum

---

a) subiacebat 2. b) populum — punivit *des.* 2. c) et *add.* 2. d) tantum 2. e) XIX. 2. f) Coloniensis 2. g) confortavit 2. h) XX. 2. i) *deest* 2.

84) inter fluvium Yssel et urbem Zwolle sita. 85) Bockhorst inter Kampen et Hattem haud procul a fluvio Yssel. Domini de Buckhorst advocatiam terrae Salland ab episcopo tenebant. 86) Ferrandus captus a rege Franciae a. 1214. in pugna Bovinensi, a. 1226. demum dimissus est, v. Ann. Col. max. a. 1227. 87) i. e. soldarii. 88) amniculus, qui sub moenibus Daventriae Isalae miscetur, hodie dictus *Schipbeek*. Nominis vestigium superest in veteri virginum coenobio *ter Honnepe* vocato. 89) II. 90) de Limburg. 91) IV. filius Wilhelmi, qui obierat a. 1223. Ergo haec controversia acta est inter a. 1223 et 1225. 92) Lek.

invadit[a] et domum episcopi cum tota villa Geini[93] incendit[b]. Sic isti comites prepotentes et illa infidelis pars ministerialium de Transysla[c] dominum suum ex omni parte rapinis et incendiis infestabant. Sed subito et ex insperato tumultus tanti belli in longas treugas deponitur; et processu temporis cum Engelbertus bone memorie Coloniensis archiepiscopus 1225. Nov. 7. nequiter occisus et martyrio foret coronatus, Conradus Portuensis episcopus, apostolice sedis tunc legatus, se de controversia intromittit et eam Deo gratias! totaliter componit[94].

22.[d] *De composicione facta inter episcopum et comites.* Inter hec omnia notandum occurrit, quod in Sallandia[e] comes Gelrie magnum habuit comitatum et divitem advocaciam super bona et litones[f] ecclesie Esnensis[95]. Et quamvis ista suis vasallis infeodasset, tamen doluit, quod ista per villicos domni episcopi et per suas duras et intollerabiles iurisdictiones omnino depauperabantur. Et ut verum dicatur, hec fuit causa, quare ministerialibus illius terre querulantibus comes se adiunxerit. Sed ipsi ministeriales comitem prius dereliquerunt, graciam domini sui cum multo suo dedecore difficulter obtinentes. Unde comes delusum se considerans a ministerialibus et eciam minus fore potentem ex morte domini et consanguinei sui, domni Engelberti Coloniensis archiepiscopi, de consilio Conradi Portuensis episcopi, sui cognati et tunc summi pontificis legati, taliter cum episcopo et ecclesia componit[96], quod omnia que in Sallant habebat[g], sancto Martino contradidit, pro quibus ipse recepit in commutacione allodium in Elst[97] et omnes litones illi attinentes, et allodium in Odelenberge[98], et de denariis usque N. Prepossituras autem et vasallos et ministeriales in illis locis episcopus sibi et sue ecclesie retinuit. Similiter comes Hollandie pro hominibus[h] illis, qui dicuntur ministeriales[i] Hollandie, octingentas libras recepit. Et sic domnus episcopus et sibi et suis successoribus perpetuam pacem feliciter comparavit, dignissimam ex hoc facto post se relinquens memoriam, sicut patet ex diversis privilegiis dictorum comitum hinc inde curiose[k] confectis, in quibus se non solum ad[l] inconvulsam pacem, verum eciam ad perpetuum ecclesie auxilium et contra quemlibet obligaverunt.

23.[m] *Origo disturbii sive parcialitatis.* Istis feliciter per omnia compositis, pax terre, que iam omnes letificare inceperat, mirabiliter et ex insperato turbatur per quandam sedicionem civilem et intestinam, que non solum miseras episcopatus reliquias deglutivit, sed quod miserabile dictu est, et episcopum et nonnullos nobiles cum pluribus militibus et armigeris inhumane devoravit. Cuius mali seriem non sine dolore vobis taliter declaro. Rodolphus de Covordia et frater suus Fredericus cum Menzone de Gravestorp et filio eius Henrico in omnibus factis et guerris predictis se quandoque bene, quandoque male cum domino suo episcopo continuerant, sed semper in fine dentem caninum sibi ostendebant, immo quandoque bona sua incendiis et rapinis patenter devastabant. Quibus accidit, ut se cuidam civili guerre in Groninge inmiscerent. Prefectus enim illius civitatis Egbertus cum suis cognatis graviter a Gelekingis, qui potentes erant et divites, discordabat. Tandem in medio civitatis confligens cum illis et vincens, ad maiora se cum suis preparabat. Econtra Gelekingi se cum illis de Covordia confortantes, domum ipsius prefecti inpugnabant, eiectionem illius et mortem omnino preter suam culpam intendentes. Cum hec et hiis maiora domnus episcopus intellexisset, statim sine mora Groninge descendit, partes convocat, instat, monet, rogat et precipit, ut super hac discordia suo pleno stent consilio et mandato. Quod maiores et capitanei hinc inde coram omni populo iuraverunt. Sed pars Gelekingorum iuramentum proch pudor! non observavit, de consilio Rodolfi de Covordia, qui arbitrio et ordinacioni domni episcopi, quod ipse statim illic de multorum prudentum assensu honeste et competenter promulgaverat, sine causa in quadam superbia coram omnibus contradixit.

24.[n] *Item adhuc de parcialitate eadem.* Episcopus ergo negocio illo non composito recessit, mandavit tamen quasdam treugas inter partes usque ad suum reditum observari. Medio tempore Egbertus cum suis consanguineis apud Glumme[99] incepit castrum edificare,

---

a) invadat 2. b) incendat 2. c) Transisalania 2. d) XXI. 2. e) Hollandia 2. f) lictones 1. g) habuit 2. h) ministerialibus 2. i) homines 2. k) *deest* 1. l) *deest* 1. m) XXII. 2. n) XXIII. 2.

93) het Gein. 94) Cf. chartas Heinrici regis a. 1226. Febr. 20. datas, Böhmer n. 100. 101. et epistolam Conradi Portuensis Apr. 22. Ottoni episcopo directam ap. Matthaeum, De reb. Ultrai. 144. 95) Essen. 96) De compositione comitis et episcopi cf. chartas ap. Matthaeum, l. c. 148—151. 97) in pago Betuwe media via inter Noviomagum et Arnheim situm. 98) Elburg ad Zuiderzee inter Kampen et Harderwik situm. 99) hodie *Glimmen* ad fluvium Aha supra Groningen situm.

asserens ex eo non violari treugas mandatas, quia castrum et fundus in sua iurisdictione consistebant. Sed Rodolphus cum Trentonibus advolans, illud funditus destruit, in quo eciam omnem parentelam[a] Egberti simul deprehendit et capit et ipsum prefectum de civitate fugientem persequi non cessavit. Egbertus vero domo, rebus, consanguineis spoliatus et amicis, in Frisiam cedit, amicos illic sollicitat, et filii sui soceros et plerosque alios fortes prece conquirit et precio, civitatem aggreditur, graves et periculosos insultus facit, instat, perseverat et vincit, civitatem capit, plurimos de suis inimicis in vincula retrudit; et Frisones totam civitatem depopulantes, eam usque ad paucas domos igne concremaverunt. Et illi de Covordia maximo periculo evaserunt. Qui statim Egberto suos consanguineos reddiderunt pro illis captivis, quos ipse sic victor comprehenderat. Quibus receptis, sicut vir multa virtute insignitus, ecclesiam beate Walburgis in modum castri munit, reliquam partem civitatis exuste et suis inhabitatoribus penitus vacuate defendere cum paucis proponit et de die in diem cives sibi faventes, reliquis expulsis, recolligit. Adversarii sui econtra cum Trentonibus et Covordensibus se ad recuperandum festinanter preparant, expensis et rebus, quibus adhuc superhabundabant, in nullo parcentes. Et sic dubius eventus belli de novo expectatur.

Quis furor, o cives, que tanta licentia ferri est? Luc. Phars. I, 8.

25.[b] *De preparacione belli et martyrio episcopi eiusdem.* Hiis auditis, domnus episcopus de victoria Egberti plurimum gavisus est, quia eum sibi in omnibus invenerat paratum et obedientem. Unde illi guerre patenter se inmiscet, partem Egberti contra Gelekingos et Covordenses sibi assumit. Trentones vero quia destructioni castri iam interfuerant, nimis presumptuose et stulte Covordensibus se bellando adiungunt, et sic inicia malorum subsequencium esse ceperunt. Igitur episcopus milites et armigeros in auxilium Groninge sue civitatis defendende festinanter mittebat et omnes milites de Sallandia in Umme[c.1] posuit, ne Covordenses illos terminos episcopatus invadere possent et eciam propter hunc exercitum in obsidionem Groninge se mittere non auderent. Sed istos de Sallandia Rodolphus viriliter quamvis cum paucis aggressus, ut feminas vincit et fugat, et totum Umme[c] depredatur. De hac victoria Trentones tantam sumpserunt audaciam, quod uno animo cum omni suo populo ardenter subsequuntur Rodolphum de Covordia, qui cum multo exercitu, quem de foris, videlicet de Steenvordia et de Dalen[2] et de Loen[3] et de Gore collegerat, ipsos precedebat. Quibus omnibus occurrunt Gelekingi cum multis Frisonibus, quos precio et precibus evocaverant. Et sic in unum coadunati, civitatem Groninge, que a paucis defenditur, multo insultu inpugnant. Et de victoria nullum eis dubium esse videbatur, quia ex omni parte castris suis eam exustam, desolatam, amplam, civibus evacuatam, paucos habentem defensores, circumvallaverant. Sed Egbertus cum suis militibus, quos episcopus illuc transmiserat, inpugnantibus strennuissime resistebat[d]. Tam dura et superba obsidio civitatis et suorum militum domnum episcopum in tantum commovebat, quod ex omni parte episcopatus sui milites et armigeros evocat, totum populum cum suis armis exire compellit, cognatos, vicinos et quosque suos amicos precibus et promissis et donis sollicitat, Gerardum comitem Gelrie, de novo suum factum amicum, auxilio personalem accepit. Comes Hollandie et comes Clivensis[4] honestam miliciam sibi transmittunt; de Coloniensi et Monasteriensi episcopatu multi honesti et divites milites adveniunt, inter quos Bernardus de Horstmaria et Bodekinus[5] comes de Benthem et Reynoldus[e] de Rese precipui extiterunt. Aliorum nobilium non erat numerus; et sine dubio et nobiles et ministeriales et alii quicumque milites, qui iam arma dissueverant, et ex omni parte populus sic preter morem ad istum confluebat exercitum, ut ex quadam divina preordinacione in unam mortem et dampnacionem non inmerito coadunati timeantur. Quos omnes domnus episcopus letissimo vultu et animo iocundo apud Umme[c] recepit et secum, ubi nunc castrum Hardenberge[6] situm est, Nyenstede[7] deducit, deinde Bergene[8]; et tandem apud Anen[9] in funesto et maledicto loco[f] sua ultima figunt tentoria. Quem infinite naves subsequuntur, victualia et machinas cum balistis et aliis armis bellicis in

---

a) par. om. 2. b) XXIV. 2. c) Vunne 1. d) resistebant 1. e) Reynaldus 2. f) *addidi; deest* 1. 2.

1) hodie Ommen ad Vechtam. 2) unum miliarium a Kovoerde ad septentriones. 3) in pago Veluwe, comitum sedes. 4) Theodericus V. 5) Balduinus filius Ottonis comitis. 6) ad Vechtam. 7) villa parrochialis nunc vasta, olim inter Hardenberg et Gramsbergen sita. 8) Gramsbergen ad Vechtam. 9) vicus in laeva parte Vechtae e regione Gramsbergen.

multa copia per Vechtam deportantes. Iste apparatus omnium bellorum suorum expensas longe superexcellebat.

Quibus auditis, Rodolphus obsidionem solvit et cum omnibus suis se prope Covordiam contra dominum suum deponit, ita quod tantum una palus, bene ad dimidium miliare lata, aquosa et plena, arbores et arbusta non habens, exercitus hinc inde dividebat. Attemptatur de pace, sed non proficitur. Rodolphus et fratres sui Fredericus et Godefridus, Menzo et Henricus de Gravesdorp et alii omnes Covordenses milites proscribuntur et bonis suis per debitas sentencias privantur. Sed nec sic territi, dominum suum ad conflictum provocaverunt. 1227. Iul. 28. Qui tandem in die Pantaleonis[a] de consilio prudentum, sed non prudenter, se ipsum armat, totum exercitum convocat, qui tunc tantus erat, ut debitam omnibus incuteret ammiracionem. Hortatur eos per indulgenciam[b], predicat, ius suum et ecclesie allegat et, data benedictione, ipse cum omnibus illis ad paludem progreditur. Domnus Rodolphus de Gore, sicut sui iuris erat, vexillum beati Martini baiulat, episcopus et comites et omnes alii sui, leti et quasi de victoria certi, diffuse et minus ordinate insequuntur. Venitur ad locum mortis, ymmo martirii. Bellum hinc inde incipitur[c]. Nostri qui primi erant in acie contra hostes procedentes, statim paludi fetide et mortue paulatim inmerguntur et tandem propter armorum gravedinem penitus absorbentur. Quos Trentones sagittis et lanceis eminus et gladiis[d] cominus inhumane ut pecora trucidabant. Ex quo malo principio tantus timor nostros invasit, ut totus ille miser exercitus, longe lateque per paludem diffusus, in nimis vesanam[e] et verecundam, ymmo in fugam mortiferam converteretur, adeo ut plurimi pre nimio cursu et estu, qui solito magis illo die invaluerat, suffocarentur et infiniti in aquis paludosis et inmundis, quod miserabile dictu est, turpiter submergerentur. Quos inimici non ut homines sed ut bestie mordaces insequuntur, iacentes et semivivos inveniunt, rapiunt, denudant et occidunt. Et ne aliquid desit eorum crudelitati, ipsum episcopum, quem ceperunt, expoliantes, coronam suam gladio cum tota carne abradunt, guttur suum cultellis incidunt[f], et diversis plagis mactant et conficiunt. Tandem carnem et corpus exanime paludi inculcant et inmergunt, sed animam tanto martirio coronatam Deo et beato Martino transmittunt. Sic carnifices occidendo defatigati, comitem Gelrie et Ghiselbertum[g] de Amestelle[10] et plures alios in infinitum vulneratos, captos et quasi morientes, vix vivos in castrum deducunt. Inter quos domnus Theodericus[h] Daventriensis[i] et Oldenselensis[k] prepositus, frater domni episcopi, vir prudens et parcus, utilitati suarum ecclesiarum satis intendens, graviter in capite vulneratus, primus moritur et postea in Daventria sepelitur. Rodolphus vero et sui ista mortificacione non contenti, equos ascendunt, naves et homines fugientes tota die usque ad noctem iuxta ripam Vechte insequuntur, plures apprehendunt, capiunt et occidunt. Et sic cruore multorum nobilium et innocentum perfusi et vix saciati, ad suos captivos ipsa nocte revertuntur. Et nota quod ipse mulieres de terra, si poterant, plus quam viri in nostros miseros occidendo deseviebant. O dies omnium nostrorum dierum funestissimus, in quo tot nobiles et electissimi milites et optime nacionis armigeri usque ad quadringentos cum domino suo episcopo perierunt tot mortibus, in palude mergebantur, a rusticis et mulieribus mactabantur. Inter quos periit Bernardus de Horstmaria, vir a sua iuventute propter plurimas[l] suas virtutes famosissimus, aliquibus papis et quatuor imperatoribus, quibus servierat, super omnes acceptus, in consiliis expeditus, largus, pulcher et longus, fortis et tamen compositus, cuius miliciam et audaciam commendabant Richardus rex Anglie, cui multum servierat in guerris, et eciam quandoque ceperat istum regem in Austria, et Philippus rex Francie, qui quandoque eum in bello Ottonis imperatoris ceperat, et maxime Sarraceni et Saladinus ipsorum soldanus, quibus ipse in obsidione Akaron[m] multa dampna et vulnera assidue[n] et pre omnibus aliis infligebat. O ceca fortuna, que tantum virum a tot periculis mortis et in terra et in mari eripuisti, ut eum in tam immundo loco et a tam immundis sine omni defensa occidi permitteres. Quia, ut verum dicamus, iste in tota Alamannia et Theutonia parem non habuit; unde de sua[o] tam miserabili morte totus noster orbis non inmerito dolet et querulatur. Nomina aliorum magnorum militum vobis per singula distinguerem, si de istis mihi

---

a) Panthaleonis 2. b) indulgencias 2. c) incipit 2. d) gladius 1. e) vesaniam 1. f) inscidunt 1. g) Giselbertum 2. h) Thidericus 2. i) Daventrensis 2. k) Oldensalensis 2. l) *deest* 1. m) Accaron 2. n) assidua 2. o) *deest* 2.

[10] castrum olim, ubi nunc Amsterdam.

cogitanti magis non liberet flere quam describere. Sed hoc de vero sciatis, quod milicia 1227. Traiectensis et in personis honestis et in curialitate et in virtute et in omnibus bonis, quibus illa terra habundare consuevit, in hac maledicta palude diem proch dolor! clausit extremum. Et domnus Otto Traiectensis ecclesie vicesimus octavus episcopus sic occisus suis redditur et apud Sanctum Martinum in Traiecto iuxta tumbam avunculi sui episcopi Theoderici cum multo planctu sepelitur anno Domini 1227.[a]

26.[b] *Recapittulacio priorum.* Ex predictis recollige, quia episcopus domnus Otto huius nominis secundus in primo suo introitu omnes angulos sui episcopatus omnibus bonis terre refertos invenit et superhabundantes. Clerici et milites et claustrales in omnibus sibi necessariis affluebant[c]; civitates, oppida et ville de pacis et rerum habundancia exultabant; litones et coloni de suis laboribus fructum centesimum recipiebant. Quibus omnibus ipse potenter et patenter ad breve tempus imperabat. Quia vero iudicia Dei occulta sunt, omnia predicta suis temporibus in contrarium statum penitus et in nimiam paupertatem detrudebant[d], primo per guerram apud Vollenho inchoatam, que multas expensas et tocius illius bone terre exegit devastaciones. Secundo propter discordiam in Sallandia exortam, que omnia bona omnium terrarum citra Yslam consistencium indifferenter absorbebat. Tercio vero propter gravem illam dissensionem, quam secum habuerunt comites Gelrie et Hollandie, que omnibus predictis maiores et incomparabiles requirebat expensas. Quartum vero bellum, in quo ipse occubuit et homines et quascumque tocius episcopatus reliquias et mores et honores et omnia iura episcopalia eviscerata ab oriente et occidente, a meridie et septentrione secum in mortem traxit et ruinam. Et inter hec omnia, quod precipua dignum est memoria, donavit Gerardo comiti Gelrie pro eis, que in Sallandia habuit, duo milia librarum[11]; et nepoti suo, comiti Hollandie Florencio, pro quibusdam ministerialibus dictis Hollandensibus[e] dedit octingentas libras. Ex quo perpendi potest, quid potuerit terra nostra ante hec tempora. Unde nulli dubium existit, quin successori suo episcopatum reliquerit pauperrimum et ecclesiam nimis obligatam debitis, terram omnibus bonis exutam, milites pauperes, captos et semivivos, populum miserum et depopulatum, civitates, oppida et villas tam de rebus quam de suis civibus occisis querulantes, ita quod in omnibus finibus illis non est auditum nisi ploratus et ululatus. Que tamen omnia nobis preter suam culpam evenerunt. Et nota quia 13 annis ecclesie prefuit[f] Traiectensi.

27.[g] *De episcopo Wilbrando.* Igitur anno Domini 1227.[h] tota ecclesia suo orbata pastore ad eligendum novum dominum convocatur, dies electionis[i] prefigitur, ad quem, ut moris est, ab omnibus convenitur. Sed primis duobus diebus plus placuit omnibus qui aderant[k] plangere et ululare et flere, quam eligere, quia a seculo non est audita[l] quoad nos adeo inhumana cedes, qualem Covordenses et Trentones in episcopo et in tot nobilibus antedictis militibus et ecclesie ministerialibus exercuerunt. Hiis omnibus comes Gelrie et Ghisilbertus de Amestelle novum dolorem addiderunt, qui semivivi, crudeli vulnere afflicti, in medium cetum in ipso capitolio in spondis more defunctorum deponebantur. Breves enim tunc obtinuerant inducias a suis captivatoribus. Levatis ergo manibus plangunt, eiulant, plorant, vulnera monstrant, supplicant, consilium dant et obtinent, quod ab omnibus convenitur in domnum Wilbrandum Paderburnensis ecclesie tunc episcopum, pro cuius postulacione honesti nuncii ad curiam et ad domnum papam transmittuntur. Ipso die et comites, qui aderant, et priores et ministeriales, tam pauperes quam divites in vindictam sanguinis effusi uno animo coniuraverunt, quod quidam postea, ut verum dicamus, male servaverunt. Et nota quia predictus episcopus consanguineus fuit proximus comitis Gelrie et comitis Hollandie[12], qui eciam isti interfuit electioni. Notus eciam fuit Traiectensi ecclesie, quia maior pars capituli eum quandoque, ymmo non multo ante, in maiorem elegerunt prepositum. Erat etiam[m] tunc prepositus Sutphanie, et sex annis[13] in Hildensemensi[n] ecclesia maiori prefuerat prepositure, de qua in Paderburnensem vocabatur episcopatum[14]; et sic de virtute in virtutem proficisci videbatur. De quo nostra sperabat ecclesia, ut ad vindictam tantorum malorum competencior esset, tum propter dictorum comitum et aliorum cognatorum potenciam, quia nobilis fuit, frater comitum de Oldenburch, tum propter plurimam guerram et temporalium rerum exercicium et experienciam. Aliquot enim annis laboraverat in Longobardia, in Apulia, Calabria et Sicilia circa negocia imperialia domni Frederici imperatoris huius nominis secundi. Bis transierat mare, ubi in diversis laboribus et guerris Deo servierat. Domno pape Gregorio nono notus fuit et acceptus. Ad quem dum propter moram nunciorum Traiectensium personaliter accessisset, videtur, auditur, cognoscitur, et de omnium cardinalium consilio Traiectensis ecclesie postulacio admittitur, de Paderborne Traiectum traicitur et transfertur, et accepta benediccione apostolica in patriam tendit. In via autem apud Werdene[14] a filio imperatoris tunc in regem electo et consecrato[15] regalia recepit. Exhinc de Colonia, ubi se illi ecclesie et suo archiepiscopo[16] representans, debitam faciens[a] obedienciam, Traiectum ire disponit. 1228. [b]Sed sciendum, quod iam annus elapsus erat, antequam novus iste episcopus ad suam perveniret ecclesiam.

---

[a] 1225 *leg.* 1; 1226 *leg.* 2. *male.*
[b] XXV. 2.
[c] lacuuebant 1.
[d] detrudebantur 2.
[e] Hollendensibus 1.
[f] pref. eccl. 2.
[g] XXVI. 2.
[h] m.cc. vicesimo sexto 1; MCCXXVI. 2.
[i] electioni 2.
[k] qui aderant *des.* 2.
[l] auditum 1.
[m] enim 1.
[n] Hildensemmensi 2.

[11] Cf. chartam comitis ap. Matthaeum, De reb. Ultrai. 151.
[12] Wilbrandus e comitibus de Oldenburg oriundus.
[13] a. 1219—1225.
[14] a. 1225.

Unde me transfero ad ea que medio tempore fiebant a Covordensibus et Trentonibus, quorum memoria nunquam in bono habeatur. Isti dum a sepenominata palude domum et ad suos multo sanguine perfusi et inebriati redirent, novo habito consilio, se in obsidionem[c] domni Egberti et Groningensium multa festinancia accingunt, quia Groningenses plurimum videbantur attoniti et desperati, tum quia domnus episcopus cum toto fere suo episcopatu interierat, tum quia sui et eciam milites comitis per conductum acceptum a Trentonibus ab eis omnino recesserant, tum quia inimici eorum, qui[d] arma militaria usque nunc non habuerant, in armis militum occisorum in maxima turba et multitudine ad muros male defensos appropinquare videbantur. Quem non movissent ad lacrimas scuta ducenta tam egregiorum militum sibi notissima, que adhuc illorum cruore madida rubebant? Sed unum erat, quod animos nostrorum comfortabat, quia istos sub clipeis sicut asinum sub pelle leonina cognoscebant[e], qui quandoque, ut dicit fabula

Turbabat pavidos per sua rura boves[17].

Ex quo eis inpugnantibus adeo strennue restiterunt, ut ab obsidione cum multo dampno et dedecore domum redirent et aliam novam maliciam attemptarent contra Twentones, 1228. Ian. 5. quorum fines ipsi cum multis in vigilia epyphanie pro excercendis rapinis et incendiis apud Hudam prope Ulsen[18] invaserunt. In quo loco eos vicerunt ministeriales ecclesie de Tuentia et populus illius terre, ita tamen[f] quod[g] victoria pocius Deo quam nostris paucis est asscribenda. Multi de adversariis sunt capti, qui statim, licet magnam offerrent pecuniam, in rotis singulis, ut tales latrones decuit, exaltabantur. Inter quos precipui erant milites Suetherus, frater Mentsonis[h] de Gravesdorp, et Bertrammus[i] de Hoven, multarum discordiarum incentor et executor. Ex hoc facto nostri ad cor reversi, pristinam sumentes audaciam, omnes terminos episcopatus ab illorum incursu defendebant. Et Traiectenses milites de expensis sue terre quadraginta armatos fortes et audaces cum armis et victualibus in auxilio domni Egberti Groninge transmittebant, ubi ipsi multa forcia et laudabilia sunt operati. Inter que potissimum extitit, quod filios Bertoldi sculteti et multos divites Gelekingos in sua speciali defensione, quam munierant apud Pedge, ceperunt et quosdam occiderunt, captivos vero in durissimis[k] vinculis usque ad adventum sui novi episcopi in ecclesia beate Walburgis servaverunt. Et ipsa civitas deinde in multa permansit pace et securitate, bello hinc inde tepescente.

28. *Qualiter episcopus sit receptus.* Igitur novus episcopus, sicut supra tactum erat, ab imperatore quem in Apulia adierat, a papa qui eum transtulerat, a rege qui ei regalia donaverat, a Coloniensi archiepiscopo cui debitam fecerat obedienciam, in omni plenitudine sue potestatis civitatem suam Traiectum primum[l] ingreditur, ubi ipse non solum a clericis et processionibus, verum a[m] predictis comitibus et multis aliis nobilibus, necnon a ministerialibus ecclesie, qui cum alio multo populo ex omni parte confluxerant ad illum

---

a) *legendum* fecit. b) *incipit c.* XXVII. *in* 2. c) obsidione 1. d) quia 1. e) agnoscebant 2. f) tum 2. g) quoque 2. h) Mensonis 2. i) Bertramnus 2. k) clarissimis 2. l) primam 1. m) processionibus verum a *des.* 2.

14) Videtur esse Donauwörth; cf. itinerarium regis ap. Böhmer, Reg. imp. 231. 232. 15) Heinricus iam a. 1222. Mai. 8. rex consecratus erat. 16) Heinrico I. de Molenarken. 17) Ex Aviani fabula 5. 18) Uelsen in comitatu Bentheimensi.

iam diu expectatum adventum et introitum, cum ingenti ut decuit honore recipiebatur, anno Domini 1228, quinto die post beate virginis Marie assumpcionem. 1228. Aug. 20.

29. *Item de eodem episcopo et Trentonibus.* Igitur celebratis missarum solempniis et prandio in palacio cum expensis debitis splendide consummato, ministeriales surgunt, gladios nudant, cum quibus miserabiliter contra Covordenses et Trentones proclamant, vindictam a novo suo domino cum multis lacrimis deposcunt. Et ut multa paucis concludam, gravis et solempnis expedicio toti episcopatui indicitur; comes Gelrie et omnes captivi per sentencias principum coram rege suis proscriptis[a] et exlegibus captivatoribus abiudicantur[19] et sic Covordie non revertuntur; et in sexta ebdomada terra Trentonum in die beati Gereonis copioso exercitu in[b] pluribus locis inpugnatur. Oct. 10. Domnus enim episcopus a suis prudenter instructus, premiserat in Groninge[c] cum multis balistariis et armatis Bodekinum[d] de Benthem, qui plurimos de suis militibus in dicta palude perdiderat, et Ottonem de Horstmaria, qui avunculum suum Bernardum de Horstmaria vindicare ardenter sitiebat. Et isti cum Egberto prefecto, eciam cum omnibus de Groninge et cum multis Frisonibus apud Mitzpete[e][20] eos inpugnabant. Sed ipsi minus profecerunt, cum eciam quosdam strennuos viros illic occisos minus caute perdidissent. Secundo loco et in alia parte terre accesserunt quidam Frisones de Westergo, per indulgenciam domni pape et exhortacionem domni episcopi evocati. Qui potenter terram intraverunt apud Backenvene[21] et, combustis aliquot domibus, cum multa rapina domum revertebantur, bello nondum consummato. Tercio vero loco, qui est supra[f] Cunram fluvium apud Brokope[22], Frisones de Stauria et de Lenna[23] sic viriliter eos inpugnabant, ut Trentones eis obsides super satisfactione domno episcopo et ecclesie facienda iam tradere incepissent. Unde in quarto contra meridiem milites de Tuentia prope Covordiam terram Trente audacter intraverunt, in qua totum Emne[24] depredatum combusserunt; sed illic non perstiterunt. Quinto eciam loco apud Umme milites de Daventria et de Sallandia et de Vechta per paludem prope Restam[g][25] intrantes, quandam partem terre contra Runen[h][26] incendere ceperunt. Quo viso domnus episcopus, qui se deposuerat cum exercitu infinito ultra Steenwic prope Huffulte[27], non moratus[i] sicut vir in bellicis negociis plurimum exercitatus, arma rapit[k], suos invocat, clamat, mandat, precipit, hortatur, et sic instat, quod sui ipsam terram strennue inimicis fugientibus intraverunt[l], et totum Enze combusserunt[m]. Et in continenti illi duo exercitus de Umme et de Steenwijc[n] feliciter convenissent, si nox superveniens illos non impedisset. [o]Et nota quod omnibus istis sex predictis exercitibus Covordenses et[p] Trentones sex alios exercitus econtra cum suis capitaneis opponentes, viriliter satis restiterunt; sed non poterant se a nostra defendere nimietate. Unde in die beati Victoris Oct. 17. summo mane se in graciam et in potestatem domni episcopi tradiderunt sub hac forma: Primo iuraverunt et super eo tradiderunt quadraginta obsides in Vollenho custoditos et compeditos, quatenus in certis terminis satis brevibus domno episcopo pro dampnis et expensis tria milia marcarum Coloniensium refunderent, et consiliariis in quadringentis marcis placerent; et post annum mitterent in Levoniam pro animabus illorum quos in palude occiderant centum bellatores, qui in suis expensis per integrum annum deservirent. Quibus omnibus istud pro potissimo domnus episcopus adiecit, ut ipsi de suis agris, quos multos possident, tot et tantos in unum componerent, ut ex illis cenobium de viginti quinque prebendis edificaretur in eo loco, ubi suus antecessor cum tot suis egregiis viris occubuerat, quatenus illic eorum perpetua apud Deum ageretur memoria. Ex qua ordinacione tota ecclesia suum novum dominum plurimum collaudabant. Ista promiserunt pro se tantum ipsi Trentones. Rodolphus vero et sui fratres resignaverunt ecclesie et episcopo perpetuo sine omni questione possidenda duo castra, scilicet Lare[28], quod statim

---

a) praescriptis 2. b) *deest* 2. c) Groninghe 2. d) Boidekinum 1. e) Nutzpete 1. f) super 2. g) *correxi;* Rescam 1. 2. h) *correxi;* Rimen 1. 2. i) moratur 2. k) rapiunt 1. l) intraverint 2. m) combusserint 2. n) Steenwyc 2. o) *incipit c.* XXX. *in* 2. p) *deest* 1.

19) V. chartam Heinrici regis data a. 1227. Oct. 1, Böhmer, Reg. imp. n. 163. 20) Trium vicorum Lare dictorum ad lacum dictum *Laerder Meer*, supra Groningen in confiniis Drenthe sitorum medius vocabatur Midlare seu Mitspete, Mitsplete. 21) Backefene in Upsterland et confiniis pagi Drenthe. 22) hodie *Olde* et *Nije-Berkoop* ad fluvium Kuinder. 23) Lemmeria, Lemsterland ad Zuiderzee. 24) Emmen vicus a Kovoerde versus septentriones. 25) hodie *de Reest*, flumen a laeva parte Vechtam influens prope Zuiderzee. 26) Ruinen, olim abbatia ordinis Cisterciensis a fluvio Resta ad septentriones. 27) Uffelte a Steenwijk ad orientem situm. 28) Laar ad Vechtam ad meridiem Kovoerde, in comitatu Bentheim.

1228. destruebatur, et Covordiam cum omnibus suis attinenciis et iurisdictionem Trente. Quibus omnibus episcopus quendam militem strennuum et discretum sed nimis crudelem, ut postea patebit, Eylardum nomine, potenter[a] prefecit, Rodolpho et fratribus suis cum aliis incolis terre sub quadam speciali securitate et ex pacto commorantibus.

30.[b] *Item de eodem episcopo.* Predictis omnibus et iuramentis et obsidibus bene formatis, episcopus dictos sex gloriosos exercitus in multa gratulacione dissolvit, per quos fama sua bona propter habitam victoriam ubique[c] dilatabatur. Et nota quod comes Gelrie et Hollandie in hiis omnibus se ecclesie et episcopo suo consanguineo subtraxerunt, nullum omnino prestantes auxilium vel consilium. Sed episcopus ne aliquid obmittat[d] de contingentibus, in continenti Frisiam intrat, Stauriam, Herlinge[29], Lijwart[e. 30] et Dockinge[31] Oct. 28. perlustrat et in die Symonis et Iude a Groningensibus in tanto desiderio recipiebatur, ut ei intranti *Advenisti desiderabilis* decantarent[f]. Ubi rebus suis et civitatis illius de consilio Egberti prefecti, quem multis donariis[g] honoravit, per dies octo dispositis, Gelekingos et scultetos in duris vinculis, sicut eos invenerat, dimisit. Et tunc primo Trentones, qui cum omni suo populo se ad suos pedes cum multis lacrimis prostraverant, absolvit, gracie sue ipsos restituit. Et ipsi eum Covordiam concomitantur, quod ipse tunc in possessionem suam et ecclesie corporaliter recepit. Quibus omnibus Rodolphus et sui fratres interfuerunt, ipsum factum episcopi verbis, assensu, sentenciis exinde datis et suis privilegiis super hoc confectis publice corroborantes. Et Eylardum pro domino terre et custodem castri humiliter receperunt. Hec omnia maxima fiebant solempnitate et expensis. A quo Nov. 11. loco Traiectum ad festum sancti Martini ab omnibus festinabatur. Ubi domnus episcopus Deo et beato Martino ad graciarum actiones assurgens, missam celebrat et coram tota ecclesia formam pacis facte enucleat et constanter affirmat, se terram et castrum nunquam deinceps ab ecclesia alienaturum. Sed necessitas rerum subsequencium aliud postea requirebat. Quantum tunc ex merore oriatur gaudium, quantum post nimium luctum solacium, quanta spes pacis et quietis in cordibus tocius populi iam pluribus annis tribulati nasceretur, non est facile ad rescribendum. Sed hic[h] nota quod, hiis omnibus feliciter actis et compositis, episcopus se ad diversas suas, ut moris est, transfert villicaciones, in quibus cum villicis sui antecessoris, qui neminem ex hiis mutaverat, debitas sub testimonio ministerialium ponit raciones. Quos omnes non solum ad manus nichil habentes, sed infinitis invenit debitis obligatos, ad quorum solucionem ipse tenebatur. Unde a sapientibus computata sunt debita sui antecessoris usque ad mille et ducentas marcas. Propria vero, quae in presenti traxerat guerra, quia infinitas in pluribus locis requirebat expensas, erant 1701 marca et 2 solidi. Unde animum et mores omni studio ad hoc componit, ut a guerris se contineat, paci studeat, expensis parcat, debita solvat, ut ecclesia Traiectensis per suam sollicitudinem in pristinum statum et in debitum reformetur honorem.

31.[i] *Qualiter Rodolphus castrum Covordie tradicione[k] receperit.* Sed verum est quod homo proponit, Deus disponit, quod hic manifeste apparuit, quia statim infra annum hoc bonum propositum in miserum exitum est dispositum et conversum, ex eo quod episcopus de contingentibus nichil obmittens[l], Covordiam munit armis, balistis, sagittariis, multis victualibus, militibus, armigeris. Quorum quidam, suadente diabolo, pecunia corrupti et a dictis tribus fratribus seducti[m], castrum sic omnibus bonis habundans et munitum nequiter tradiderunt, quia, istis post prandium in villam descendentibus et alios secum trahentibus, hostes, quos ipsi in molendinis suburbii absconderant, pontem castri preoccupant, portam succidunt et impugnant, viros innocentes, qui pauci erant et optime se defendebant, tandem vincunt, quosdam capiunt, alios crudeliter mactando occidunt et suos traditores recolligunt et se iterum ecclesie et domino suo episcopo, cui fidem dederant et qui nichil mali apud eos meruerat, patenter et potenter opponunt. Istud accidit anno 1229. Aug 30. Domini 1229.[n. 32]

---

a) patenter 1. b) XXXI. 2. c) *deest* 2. d) ommittat 2. e) Lywart 2. f) decantaretur 2. g) *correxi;* denariis 1. 2. h) hec 1. i) XXXII. 2. k) proditione 2. l) omittens 2. m) *hic explicit* 1 *fol.* 88; *reliqua codicis perierunt.* n) *correxi;* M.CC.XXVIII. 2.

29) Harns in pago Westergo. 30) Leeuwarden. 31) Dokkum. 32) Haec accidisse a. 1229. Aug. 30. testatur Emo col. 94.

32.[a] *Qualiter se iterum episcopus ad bellandum disponit.* Quarta vero ebdomada 1229. Oct. 28. huius proditionis episcopus ad cor rediens, circa diem Simonis et Iude de consilio ecclesie iterum se ad guerram et ad novos labores contra Coverdenses preparat et accingit. Milites colligit, cum quibus se Nienstede deponit, ubi castrum Hardenberge ad munimen et defensionem episcopatus circa Yslam erigit et munire incipit per portas et plancas[b] quas de Sculenburch[33] abstraxit. Et sic inter ista duo castra tam vicina cottidiani tumultus et guerre discursus oriuntur, donec episcopus statim post in adventu Domini ipsa hyeme, que solito Dec. 2. plus et asperior inhorruerat, Covordiam multo populo et militia circumvallavit, paderellas et duas machinas et castellum ligneum super glaciem, que tunc optato fuit spissa, plana et firma, viriliter et cum multa instantia ad castrum capiendum erexit. Sed in his omnibus et expensas et novam spem subito perdidit per invisum ventum et per subitam pluviam maledictam, que illos viros sacrilegos, parricidas sui episcopi perfidos et periuros et modo quasi captos et desperatos liberaverunt, exercitum adeo molestantes ut, toto apparatu illic dimisso, recedere cogeretur. Ex quo facto nostri plus confundebantur et inimici exaltabantur dicentes, Deum, ventos, pluvias, celum et aerem speciales suos esse defensores. Et nota quod de omnibus istis et de guerra tota terra Drentie pacifice se habuit asserens, se proditionem castri penitus ignorare, et dicebat se in hac parte velle quiescere et exitum belli expectare. Quod episcopus a Drentis acceptavit, quia aliud facere non potuit, et per illos cum paucis Groninge intravit, ubi eis centum obsides reddidit, quos illi posuerant ex tali pacto, ne exercitum in obsidione castri infestarent, et sic illic toto Dec. 25. festo quievit, donec novum gelu magnum et asperum ex insperato advenit, quod episcopum in tantum subito animavit, quod de Groninge Frisiam intravit. Cuius fines peragrans, maioribus et minoribus perfidiam et traditionem Covordensium conquerendo in ordine patefecit et contra illos consilium et auxilium omnium Frisonum postulavit. Qui sicut viri devoti et catholici suo patri et episcopo compassi, auxilium et exercitum ei contra illos parare promiserunt. Quorum bonum et pium propositum et belli apparatum quedam subita tempestas, que omnem glaciem cum turbine dissolvit, proch mirum, retardavit et disturbavit. Et episcopus illinc rediens Vollenho, recolligit illam terram et totum Steenwyc ad defensionem sui contra Covordenses et Drentones, qui satis manifeste partem illorum fovebant, armavit, plures milites et armigeros ecclesie ministeriales in gravibus expensis in villa et in turri Stenwic collocavit. Quos non multo post Covordenses per incendium domus Benkint incitantes[c] ad excursum et ipsos incaute et stulte se persequentes vicerunt, occiderunt et omnes ditiores milites sic generaliter ceperunt, ut tota illa vicinia succumberet desperata. Et tota Drenta cum Covordensibus coniuravit. Dicebant enim homines male fidei, quod illi ex quadam divina potentia ventis, pluvie et glaciei possent imperare. Post vero ex omnibus istis adversitatibus minime victus, suos defensores ad custodiam episcopatus in gravibus expensis Vollenho, Umme, Hardenberghe et Uken[34] super Tuentam animose collocavit, siccitatem venture estatis optans et exspectans. Et medio tempore nihil actum est dignum scripto vel narratione. Sed hoc sciendum quod domnus Egbertus de Groninghe et sui consanguinei et omnes Groningenses ab ecclesia et episcopo non recesserunt.

33.[d] *De quadam compositione fratrum inter episcopum et Rudolphum et de morte* 1230. *eiusdem Rudolphi.* Superveniente igitur estate, fratres de Covordia et Drentones, qui tunc contra suum iuramentum ipsis manifeste assistebant, inceperunt timere constantiam episcopi, qui omnibus modis se preparabat contra ipsos, quatinus exercitum duceret ad expugnandam Drentiam in gravi multitudine pugnatorum. Inter quos maxime timuerunt Frisones de decanatibus Staurie, Ostergo et Westergo. Unde per suos legatos sepe et instanter offerebant, quod de toto suo scelere perpetrato sine omni contradictione libere et absolute vellent ipsorum stare arbitrio. Hoc ipsum optinuerunt Frisones a domno episcopo, qui eos obaudire nolebat propter spem auxilii iam instantis. Unde totum negotium datum est in manus et arbitrium quorundam abbatum de Frisia, qui illud multis et diversis iuramentis confirmarunt et ipso die in colloquio, quod erat prope Gethorne[35], pronuncia-

---

[a] XXXIII. 2. [b] *correxi; plantas* 2. [c] *supplevi; deest* 2, *lacuna indicata.* [d] XXXIV. 2.

[33] Schuilenburg in insula fluminis Rege situm. [34] An Uelsen in comitatu Bentheim? [35] Giethoorn a Vollenho inter orientem et septentriones.

1230. verunt, omnes captivos hinc inde illico[a] absolvi et ad sua remitti, quod sine contradictione factum est. Ex quo episcopo magnum commodum accrevit, quia plurimi captivi sui divites et valentes et in hac guerra multum potentes sibi reddebantur et supplebantur etiam quidam denarii de prima compositione sibi promissi. Sed preter istos Drentones de tribus millibus promissis plus quam mille libras detinuerunt. Et quia abbates semper illos infames invenerunt, protervos etiam et inobedientes, ipsum arbitrium non promulgaverunt usque in Apr. 15. octavis paschae. Et sic iam annus fuit elapsus ab introitu arbitrii, quod tale fuit. Mandaverunt ut episcopus in unum locum inter Hardenberghe et Covordiam cum Drentonibus et Covordensibus consederet, et illi de Covordia darent ei et ecclesie suas proprietates in proprium valentes duo millia marcarum, et quod exularent ad annum, et postea parati essent servire ecclesie et episcopo 150[b] armatis in illis locis ad que eos secure posset conducere propter suas speciales inimicitias, et darent ecclesie duodecim vasallos inbeneficiatos, quos ecclesia antea non habuerat, et cum mille se humiliarent et peterent pedes episcopi usque ad unum miliare, et darent super eo privilegium, quod nulla de causa recederent a servitio ecclesie in perpetuum, et etiam sibi astarent contra Drentones, si non servarent arbitrium Frisonum et compositionem, vel si in posterum aliquid maligni attemptarent contra episcopos. Ista omnia Covordenses promiserunt et fide data iuraverunt se observaturos, et statim prope Berghene dederunt duodecim vasallos et bona sua usque ad valorem mille et octo marcarum et dederunt privilegium tale, quod si in aliquo venirent contra promissa, quod ipso facto essent transgressores fidei, periuri, excommunicati et exleges, et castrum Covordie et iurisdictio Drentie et omnia illis attinentia sine omni defensione iuris vacarent ecclesie. Et episcopus de consensu ecclesie et de speciali licentia domni pape recepit eos absolutos et inbeneficiavit eos castro et omnibus bonis novis et antiquis, ut tenerent eo iure quo gaudebant tempore episcopi Theoderici, sicut continent plene privilegia super istis confecta. Addiderunt etiam arbitri, ut Drentones pro novis et antiquis dampnis multipliciter episcopo illatis solverent episcopo ad certos terminos duo millia marcarum et sexcentas marcas, quod illi facere renuerunt. Et ut multa breviter concludamus, Covordenses ad antiquum vomitum reversi, se iterum de novo rusticis iuramento et obsidibus copulaverunt contra ecclesiam et episcopum sine omni causa, sed tantum ut diu consuetam, inveteratam et innatam[c] sibi perfidiam de novo ostentarent. Super quo facto arbitri plurimum indignati Iul. 22. post plurimas admonitiones tandem circa festum Mariae Magdalenae et Drentos et Covordenses perfidos, periuros et excommunicatos denunciaverunt ubique et maxime in Frisia, ut illos contra eos ad servitium episcopi, sicut promiserant, excitarent. Et nota quod statim post predicti malefactores copioso et improviso exercitu venerunt Stenwic et illud sibi ad suum mandatum et servitium iurare compulerunt. Deinde primo mane processerunt Gethorne, illud et totam terram Vollenho et istud castrum volentes capere et occupare. Sed episcopus de Zwollis[36] adveniens, cum illis quos in momento evocare poterat ipsis corporaliter et etiam pedes velociter et strennue[d] occurrit super Vene[37] vel paludem ad defensam suorum, qui tamen pauci erant, sed viriles et animosi. Et per quosdam mediatores factum est, ut conflictus differretur, et bellum ad 15 dies fuit treugatum ob spem cuiusdam nove compositionis. O mira et miranda talium malefactorum presumptio! Unum episcopum, patrem et dominum suum, in palude fetida sine causa crudeliter interfecerunt et alium suum dominum successorem et episcopum etiam in consimili luto et fetore mortem suam exspectare compulerunt. Sed Deus misericordiarum dominus istorum canum rabidam insaniam amplius non omnino impunitam sustinuit, quia eos in tam reprobum sensum dedit, ut Rodolphus de Covordia, uno tantum servo comite, castrum Hardenberghe ascenderet, episcopo super concepta pace et compositione locuturus. De cuius stulto adventu episcopus plurimum miratus et turbatus, sicut potuit et debuit acriter redarguit, quod se in medios suos capitales et mortales inimicos precipitaret. Qui de istis presumptuose et sicut sibi tunc placuit respondit. Cui tamen episcopus, sicut honor suus exigebat, quia in domum suam venerat, in omnibus bene cavisset et securum ea via qua venerat, scilicet in navi remisisset, si Henricus de Gravestorpe, incentivum omnium malorum, non statim intravisset ecclesiam Nyenstede occasione misse audiende cum

---

a) ilico 2. b) C. et L. 2. c) *correxi;* innovatam 2. d) strenu. 2 *semper*.

36) Zwolle. 37) Palus inter Vechtam et Restam fluvios.

20 armatis. In qua incepit habere verba nimis incomposita et ligitiosa cum parochianis 1230. super quadam decima[a], sed a tempore guerre detenta, adeo ut castellani, qui propter presentiam Rodolfi, quem non libenter videbant, etiam illuc descenderant, turbati et indignati secum primo ad verba deinde ad arma concurrerent. Quosdam vulneraverunt et etiam ab illis revulnerati sunt, quosdam occiderunt, Henricum de Gravestorpe gravissime vulneraverunt et eum cum tribus aliis captum ad castrum reduxerunt. In continenti fit clamor et a viris et a mulieribus, quatenus Rodolfus omnium parentum suorum occisor moriatur. Quo audito, episcopus cum suis Rodolfum armat et eum omnibus modis defendere et de manibus illorum liberare laborat, non ideo quod in suo conducatu illuc pervenit, sed quia treugatus[b] extitit, et eum iam habuit in domo sua et potestate. Sed episcopus minime perfecit, quia tot illic erant sui mortales inimici, ut potenter cameram episcopi destruerent et parietes inciderent et illum captum extraherent. Quem in continenti occidissent, si eum turpiori morti non reservassent. Ex quo facto episcopus dolens et confusus a castro recessit, castellanis et omnibus aliis gratiam suam dedixit, Traiectum properat, totum istum eventum ecclesie sicut erat exposuit et curiose ad hoc laboravit, ut per ecclesiam illi a morte liberarentur. Sed in hac petitione omnes una voce sibi contradixerunt. Unde factum est, ut illi duo Rodolfus et Henricus octavo die in conspectu multorum nobilium et maiorum et minorum, qui illuc confluxerant ad negotium promovendum, quia gaudebant de vindicta suorum parentum, prope Nienstede in rotis confringerentur et exaltarentur. Et nota quod tertius erat domnus Menzo de Gravensdorp, pater domni Henrici, quem medio tempore castellani prope Covordiam occiderant et statim in rota exaltaverant. Sic tota provincia dedit gloriam Deo preter episcopum, qui tamen pre omnibus aliis gauderet, si solus Rodolfus de domo et camera sua non extractus fuisset. Intellexit etiam, quod quidam emuli sui sibi imponerent mortem illius, super quo postea sepius lucide et sufficienter se excusavit. Acta sunt hec anno Domini 1230. in festo beati Iacobi apud Hardenberch a Wenemaro Iul. 25. sculteto et ab Eylardo de Benthem, cuius filium et uxorem Covordenses quandoque ceperant, et sub cuius custodia castrum Covordie, sicut supra dixi, rapuerant, et a multis aliis qui capitanei ipsorum inimici extiterant. Hinc primum instauratur bellum.

34.[c] *De preparatione ad bellum.* Igitur episcopus ad recuperationem perditorum et ad vindictam sui antecessoris totis viribus semper intentus, ecclesiam suam convocat, super dando consilio eam ut decuit sollicitat. Et tandem post multum tractatum ab omnibus in eo convenitur, ut episcopus personaliter ad Frisones discurrat, indulgentiam clamet et predicet et eis iter contra Drentos et Covordenses in quandam certam remissionem peccatorum suorum iniungat. Quem illi sicut filii patrem devote cum multa reverentia curiose receperunt; ad stationes indictas humiliter accurrunt; novam gratiam eis per suum episcopum large apportatam debita fide et credulitate acceptant; ad arma se praeparant contra Dei et ecclesie inimicos et occisores[d] sui patris et episcopi, perfidos, infames et periuros contemptores Frisonum et transgressores arbitrii, sicut abbates Frisie, quibus commissum erat arbitrium, in singulis cetibus et stationibus predicando confitebantur. Econtra nostri adversarii se animantes, quosdam Frisones sibi collaterales de episcopatu Monasteriensi, scilicet Langewalt et de Vredewalt[38] et Vevelgones[39] prece et pretio et mutuo auxilio in suam defensionem et perditionem trahunt et, iuramentis hinc inde factis, perpetuo connectunt. Groningenses etiam Hunsegones[40] sibi vicinos insimul trahunt et coniurant societatem, ex eo maxime quia tunc temporis Hunsegones et Vevelgones diro bello in[e] invicem dimicabant; et inter eos ipsis diebus plurimi extiterunt nudati, capti et occisi. Et post pauca dies belli contra Drentones indicitur, ad quam nostri Frisones tanquam veri peregrini et sue ecclesie Traiectensis specialissimi defensores, non ex iure, cum sint homines liberi et ab omni iugo servitutis et cuiuslibet pertinentis dominii exuti, ex mera et pia compassione et propter indulgentiam predicatam, episcopo parati, evocantur per suos plebanos, per decanos, per monachos et viros religiosos et per abbates. Quorum omnium memoria semper in bono habeatur, et precipue apud ecclesiam Traiectensem, quamdiu substiterit, quia pro illius honore et

---

[a] *hic aliqua excidisse videntur:* sibi pertinenti *seu similia.* [b] treugatum 2. [c] XXXVI. (XXXV.) 2. [d] *correxi;* ecclesiae et occisorum 2. [e] *deest* 2.

38) Regiones a Trentia versus septentriones et Lavicam. 39) Incolas pagi Fivelgo. 40) Incolas pagi Hunsego, dioecesis Monasteriensis.

1230. liberatione nec verbis, nec consiliis, nec rebus, nec affinibus, nec caris amicis vel parentibus pepercerunt extunc et inantea, quin immo[a], quod omnibus istis maius erat, pro ea proprium sanguinem suum effuderunt, sicut infra patebit. Ad quorum exhortationem tot et tanti confluxerunt, ut exercitus in duos prudenter divideretur, ita ut omnes de decanatu Stauriae et de Westergo et de Nova Terra[41] et de Bornego[42] et de Smalena[43] super Backenvene convenirent, illic Drentos impugnaturi; reliqui vero, hoc est illi qui manent a Lywart usque ad Lavicam omnes per Mernam[44] cum Hunsegonibus Groninge intrarent. Quos episcopus contra hostes personaliter rexit et produxit et reliquis suis amicis duos decanos, scilicet Stauriae et Westergoiae, viros honestos et discretos, super Backenvene prefecit. Ordinaverat etiam per copiosos sumptus et largas expensas in sua terra tres magnos exercitus. Primum super Tuentam contra Covordiam. Secundum apud Ummen contra Runenses[b] et Restam. Tertium vero, qui habebat mille et sexcentos equites et quatuor milia[c] peditum, miserat Vollenho contra Steenwyc prope Wilthalte[45] pugnaturos. Et pro omnibus istis excercitibus indesinenter fiebant a populo ieiunia et elemosine et processiones, a monachis et monialibus, conversis et inclusis, clericis et canonicis orationes et devote supplicationes per omnes angulos episcopatus et ecclesias illi adiacentes. Et certissima fuit nobis spes victorie et contra illos divine sicut meruerant ultionis, quia de contingentibus nichil videbatur obmissum quantum ad Deum et quantum ad debitum belli apparatum. Sed, quod mirabile dictu est, aliter nobis contra speratum advenit, quia sine dubio in hoc casu patuit manifeste, quia iudicia Dei abyssus multa[46], et vere dici potest, quia

Ludit in humanis divina potentia rebus[46*].

Dies enim conflictus omnibus predictis exercitibus, qui magni et gloriosi convenerant Oct. 18. in quinque locis iam dictis in festo Luce fuit assignatus, et ut brevibus verbis nostrum dedecus excutiamus, tres magni exercitus extra Frisiam per ministeriales ecclesie ordinati nichil fecerunt sed, sicut viri tunc tantum fruges consumere nati, exitum belli et factum Frisonum exspectabant, consilia cotidie tractantes ardua et magna de invisibilibus generosis. Et postquam exitum rei vix intellexerunt, ad sua inglorii revertebantur, tanquam re bene gesta, eam autem suam turpitudinem Deo imposuerunt propter quandam pluviam, que subito superveniens factum nostrorum satis videbatur impedivisse. Quod vere dicere poterat episcopus et illi qui apud Mitspete prope Groninge acies suas illa die disposuerant, sed confligere non poterant et propter gravem pluviam et ex eo maxime quoniam Drenti et Vegelgones et ipsorum complices undique evocati in nimia et miranda multitudine obsistebant. Priori etenim die fugaverant Frisones, qui super Backenvene convenerant, per quandam occultam et maledictam traditionem, quos antequam se armarent vel acies disponerent ex improviso invaserunt et eos ad arma recurrentes et inter se incaute tumultuantes persecuti, occiderunt fere quinquaginta et plurimos in dira vincula deposuerunt. Et sic, proch[d] dolor, omnes isti exercitus dissoluti sunt, et inimici Dei et ecclesie elevati sunt in superbiam nimis intollerabilem. Accidit autem haec cedes Frisonum apud Backen- Oct. 19. vene anno Domini 1230.[e] in crastino Luce euangeliste.

35.[f] *Item de eodem et diversis aliis.* Frisonibus igitur ad sua redeuntibus, ipsorum occisi in diversis locis vel claustris sepeliuntur. Pro captivis et vulneratis discurrunt et laborant monachi, ut pro multa liberentur pecunia. Tota Frisia clamat et querulatur: quidam pro episcopo et indulgentia, quidam contra ipsum. Groninge in nimia ponitur desperatione. Et ab omnibus dubitatum est, an etiam episcopus aliqua via vel per terram vel per mare secure recedere permittatur, cum ipse tamen predicando indulgentiam et penitentias iniunctas relaxando vel minuendo, penitentes et eliminatos reconciliando ob ecclesie sue deliberationem nichil demeruit. Sed spiritus ubi vult spirat, et a suo datore per interventum beati Martini episcopo sic ab omnibus relicto et desperato spiritus consilii et fortitudinis in tanta concessus libertate[g], ut statim suos de Transisulania in gravibus

---

[a] imo 2. [b] *correxi;* Renenses 2. [c] millia 2 *semper.* [d] proh *saepius* 2. [e] *correxi;* M.CC.XXXI. 2. [f] XXXVI. 2. [g] *fortasse legendum* liberalitate.

[41] Terra ad septentriones Stauriae circa Bolsward iacens, quae Borne sinui seu Boerdiep erepta fuit. [42] Ad meridiem fluvii Boerdiep. [43] Smalingerland. [44] Regio hodie *de Marne* dicta, ab oceano et inferiore parte fluvii Hunse interclusa. [45] Witteltе ad orientem oppidi Steenwyk et ad septentriones vici Uffelte. [46] Secundum Psalm. 35, 7. [46*] Ovidii ep. ex Ponto IV, 3, 49.

1231. expensis per mare, tempore hyemis evocaret, per quos Groninge mirabiliter animavit et ab inimicis non solum defendit, ymmo eos sic timore coegit, ut prope Mitzplete castrum novum ad custodiam sue terre et in illo plurimos bellatores collocarent, quibus fecerunt expensas et dederunt salarium de bonis episcopi et suorum, que in suis terris libere poterant et consueverant occupare. Et sic tota illa hieme discursum est et pugnatum inter ipsum castrum et Groninghe. Et quodam mane, quia nostri tunc temporis semper meliori utebantur fortuna, castrum ceperunt, in quo tamen paucos occiderunt et quosdam captivaverunt. Hunsegones etiam nostri auxiliatores suos speciales inimicos et nostros adversarios, scilicet Vevelgones, medio tempore sepe vicerunt, ceperunt et in processu guerre plurimos occiderunt, sicut plenius patebit. Rebus sic bene dispositis in Groninge et in Hunsegonia, episcopus fractas vires belli in omni parte prudenter recolligens, episcopatum suum et Traiectum et quoscunque alios amicos suos litteris et bonis nunciis consolatur, adversa supprimens, prospera magnificans et extollens, se iterum personaliter de introitu et negotiis Frisie intromittit, non parcens persone sue, laboribus etiam vel expensis, adventum suum Frisonibus prescribit, stationes indicit, suos in Groninge pugnantes postponit et per Mernam veniens, a Lavica predicare incipit. Et ut brevius expediamini, tantam gratiam invenit apud Frisones et tam piissimam compassionem, ut plus sua incommoda quam propria conquererentur. Sepe enim viderunt episcopum ad aliqua loca, cum aliud facere non posset propter rupturas viarum, pedes cum sua familia ambulare. Ex quo accidit ut tota illa magna, dives, nobilis et gloriosa Frisia suum episcopum tanquam unus homo, quod tamen invisum erat usque ad hec tempora, sequerentur et in nullo discreparent a sua petitione immo vel iussione[a].

36.[b] *Quomodo Trentones compulsi sunt pacem petere.* Inter ista accidit, ut omnes amici vel auxiliatores episcopi in Frisia vel extra ad ipsius constantiam et instantiam cum multa velocitate ad arma contra Drentos properarent propter quoddam gelu, quod circa Febr. 2. festum candelarum subito et optatum horruerat et fere omnes paludes pervias fecerat et induratas. Sed sicut gelu subito venit ita subito recessit. Et tamen inimici nostri adeo territi fuerunt, ut omnibus modis pacem petierint; et per multos intercursus abbatum et aliorum virorum bonorum tandem multa difficultate obtentum est, ut totum negotium belli et discordie et omnia dampna nova et antiqua committerentur hinc inde arbitrio et ordinationi omnium abbatum Frisie et quorundam aliorum prudentum, quos ad hoc elegerunt et episcopus et Frisones et Groningenses. Et cum hec multitudo concordare non posset, in ultimis creditum et commissum est totum factum abbatibus de Ludinkercke[47] et Sancti Bernardi[c. 48] et cellario Claricampi[49]. Et reliqui abbates, quorum pia facta nunquam a memoria bona recedant, cum maioribus et nobilioribus totius Frisie, qui plurimi advenerant, in magnis expensis apud Groninge novem diebus pronuntiationem arbitrii una cum episcopo exspectaverunt. Et dicti arbitri suum arbitrium prope Mitzplete partibus illic convenientibus et audientibus taliter pronunciaverunt.

37.[d] *Forma et modus compositionis.* Volumus et mandamus, quatenus omnes captivi hinc inde dimittantur. Quod statim factum est, cum illic adducti fuissent. Volumus etiam, ut quilibet hinc inde sue restituatur possessioni. Episcopus quiete possideat Hardenberghe, et Covordia detur in feodo domno Fretherico possidendum eo iure quo sui antecessores illud possidebant tempore episcopi Theoderici. Et episcopus in nullo impediatur in suo iure vel dominio per totam Trentam. Ipse et sui nuncii intrent et exeant securi et honorati. Pro occisis et pro omnibus dampnis episcopus et Frisones recipiant 10 milia librarum Groningensis monete ad certos terminos, et sic lites quiescant. Oportuit ergo, quia iuratum erat, ut ista, quamvis omnia non placerent, illic complerentur usque ad solutionem pecunie. Et addiderunt, ut quicunque ista firmiter non observaret, esset convictus, infamis, perfidus et periurus et ab omni gratia Dei et communione sancte ecclesie separatus. Super quo tradiderunt scriptum suum sigillis omnium abbatum Frisie munitum, et in signum et fedus pacis perpetue oscula mutua ab inimicis hinc inde dabantur, et precipue

---

[a] *correxi;* visione 2. [b] XXXVII. 2. [c] sancto Bernardo 2. [d] XXXVIII. 2.

[47] Ludingakerke in Westergo, canonicorum regularium, haud procul ab Harlingen et Franeker olim situm. [48] Aduard in regione Middag, ordinis Cisterciensis. [49] Klaarkamp in Ostergo, ordinis Cisterciensis.

1231. inter Covordenses et domnum Egbertum de Groninge et suos filios et consanguineos, ut antiquum odium plenius sopiretur. Addiderunt etiam, quod si domnus Fredericus arbitrium et fidelitatem iam factam non servaret ecclesie vel episcopo contra quemlibet, ipsum castri et terre feodum sine omni questione vacaret episcopo et suis successoribus, et sic a loco recessum est, omnibus sperantibus, quod hec pax et compositio nunquam deberet Febr. 23. infringi ab aliquo. Acta sunt hec apud Mizpete anno Domini 1231. in quadragesima, Oculi mei.

38.[a] *De quibusdam tunc contingentibus.* Inter predicta vero notandum occurrit, quod arbitri iam prenominati guerram Hunsegonum et Vevelgonum componere non poterant, quia potestatem non habuerant; sed ad aliquot menses inter se treugaverunt. Egbertus vero prefectus in Groninge et Fretherieus dominus tunc de Covordia bona fide promiserunt domino suo episcopo, quia ipsi pacem et concordiam inter illos elaborarent; quod minime tamen fecerunt. Unde postea infinita mala et dampna inter ipsos sunt subsecuta, quod infra plenius dicetur. Omnibus ergo predictis sic compositis et treugatis, episcopus patenter ad recessum se preparat, solvit accommodata, cives convocat, illis cum multis gratiarum actionibus valedicit, et in ipso cetu apud Groninge coram toto populo in atrio ecclesie computatum est, quod ista guerra semper maledicta duraverat quinque annis continuis; in qua ceciderunt plura centenaria virorum fortium et pugnatorum. Ubi etiam episcopus manifeste et veraciter monstravit, quod ipse in illa guerra de sua camera de parata pecunia 5 milia marcarum et 662 marcas, terra vera sua per diversos exercitus evocatos dampnificata erat large ad . . .[b] marcarum, preter gravissimas et frequentes exactiones, quas cotidianus apparatus belli requirebat. Unde laboribus et expensis nimium iam defatigatus gaudet de pace, Frisiam intrat, ubi omnibus Frisonibus valedicit et in magna ipsorum laude et amicitia ab eis recedit. Per Vollenho et Daventriam Traiectum revertitur. De cuius adventu et vix sperato reditu omnes gaudebant preter illos, qui tempore sue absentie totam terram Traiectensem diversis insultibus, inter se ipsos tumultuantes, rapinis et incendiis tota illa hyeme infestaverant. Ad quorum correctionem cum episcopus et expensis et collecta militum manu[c] satis infructuose fere tota illa estate laboraret, tandem tota illa discordia per Florentium comitem Hollandie filium Wilhelmi comitis, qui priori anno militare inceperat, penitus est sopita. Et episcopus se ad quietem et ad solutionem debitorum suorum disponit et deponit, quia Romani ipsum et ecclesiam super multa pecunia in postulatione episcopi accommodata et expensa citationibus, suspensionibus et excommunicationibus indesinenter et iniuste fatigabant. Cum quibus tandem in certam summam convenitur et deponitur. Et sic ab omnibus liberatio ecclesie sperabatur.

39.[d] *De discordia cum Trentonibus nova.* Qui habet audiendi aures audiat, miretur et doleat, quod ille hostis antiquus, spiritus nequam, insufflator totius mali, semper invidens paci et maxime quieti ecclesiarum, corda Covordensium et Trentonum, a quibus adhuc nondum recesserat, de novo adeo insufflando excitavit, ut nescio qua temeritate inducti, iterum se de novo in auxilium Vevelgonum adarmarent et Groningensibus pacem dedicerent et castrum suum prope Mizpete repararent et munirent. In quo posuerunt plurimos armatos, quibus de novo assignaverunt omnia bona episcopi et suorum; illorum nuncios, sicut tamen dictum erat in arbitrio, non admittebant et, ut breviter multa concludamus, arbitrium in nullo servaverunt. Nec etiam modicam partem promisse pecunie ad primum terminum solvere volebant. Episcopum et Frisones parvipendentes, Groninge magna multitudine cum Vevelgonibus obsederunt. In quos cives cum Hunsegonibus tertio die insurgentes et 1232. Mart. 8. e portis prorumpentes, in die 8. Martii vicerunt et eos fugientes persecuti sunt, multos occidentes et plurimos capientes, de quorum curribus plurima spolia et arma et sexcentos equos abstraxerunt; et sequenti die terram Vevelgonum pro magna parte combusserunt, illic plurimos occidentes, nudantes et capientes. Et non multo post quodam die ante ortum solis novum castrum prope Mizspete quidam viriliter et fortissime impugnare ceperunt. Alii vero strennue procedentes, totum Lare cum ecclesia combusserunt, ubi multum populum, qui illic tunc convenerat ad nundinas, fugaverunt, quibus equos et infinita pecora illic ad vendendum conducta abstulerunt, castrum in reditu expugnaverunt, inde plures dextrarios et 36 armatos viriles et fortes eduxerunt, reliquis omnibus in castro ignem apposuerunt et sic cum[e] magna letitia civitatem suam intraverunt et de die in diem fortunam

---

a) XXXIX. 2. b) *lacunae indicium in* 2. c) *inserui; deest* 2. d) XL. 2. e) cum sic 2.

bonam a Deo sibi datam in nullo sicut viri providi et discreti neglexerunt. In his[a] omnibus 1232. domnus Egbertus et sui filii et consanguinei ductores et propugnatores extiterunt. In hac belli prosperitate episcopus et Frisones nullo modo comparuerunt. Quod exinde erat, quod arbitri adhuc non dederant witam vel culpam Trentis et istos non absolverant a iuramento facte compositionis. Protraxerunt enim negotium, sperantes adhuc reformare omnia ad concordiam, si forte dicta vexatio eis daret intellectum. Sed induratum erat in istis cor Pharaonis[50]. Et cum hoc post multas competentes admonitiones sensissent, eos manifeste excommunicantes, ipsos perfidos et periuros et infames denunciarunt, episcopum et Frisones et illorum societatem ab omnibus promissis et iuramentis rite absolventes. Quo facto, episcopus a Groningensibus et ab omnibus Frisonibus ad arma et ad vindictam novorum et antiquorum malorum per sollempnes nuncios in Frisiam de Traiecto evocatur. Vocatus venit, voluntatem Frisonum audit et intelligit, aliquot stationes indicit, in quibus arbitri manifeste protestati, Covordenses et Trentos arbitrium ipsorum minime servavisse, immo palam venisse contra omnia pacta et iuramenta. Unde statim convenitur ad cetum Winenie[51] ab tota Frisia, et illic occurrunt nuncii Groningensium et Hunsegonum. Et in eo concordatum est ab omnibus, quantocius illi rebelles et excommunicati bello attemptentur et impugnentur in diversis locis. Sed uno eodemque die ebdomada sequenti, et omnibus necessariis ad istud propositum sine mora bene dispositis, episcopus festinans ad sua revertitur. Tres educit et disponit exercitus in suis terminis. Unum a Kunera et Lenna contra Brokope, qui habuit large quatuor milia pugnatores Frisones leviores, per quos nichil factum est, ut digne litteris commendetur. Alium ordinavit contra Steenwyc tantum ad quendam terrorem vel custodiam illius terre, quia pauci erant. Tertium ipse personaliter duxit Anen ad illam paludem et viam contra Covordiam, in qua periit et occisus fuit domnus Otto episcopus pie et laudabilis memorie large cum quadringentis viris fortibus et honestis, sicut in anterioribus plene legistis et intellexistis. Hic iterum episcopus acies suas ordinate et prudenter disponit. Que, benedictione accepta episcopali, in magno commodo paludem transeunt, quia desiccata erat tota illa estate, et se disponunt iuxta Covordiam cum 600 armatis equitibus et quatuor millibus peditum electorum bene ad hanc viam paratorum, per quos ipso die, qui erat Lamberti, in occasu solis, quia tota die Sept. 17. exspectaverant de suis trecentos viros, per quos incenderant quandam villam Trentie, impugnaverunt, vicerunt et ceperunt in quodam veloci cursu ipsam villam et suburbium Covordie, que omnia propter suam novam munitionem penitus iudicabantur et videbantur inexpugnabilia. In quibus equos, arma, vestes et multa victualia rapientes, nullos ceperunt sed parvulos et mulieres et viros, quos comprehendere poterant, occiderunt. Reliqua omnia per apparatum ignem in favillam penitus redegerunt. Et sine dubio in mane sequenti castrum cepissent, si populus labore et ieiunio toto afflictus ad hospitium suum Ane per illam maledictam paludem, in qua adhuc ossa nostrorum plurima inveniebantur, non fuisset reversus. Sed summo mane iterum castrum totus exercitus cum episcopo aggre- Sept. 18. ditur, in quo illa nocte tot ascenderant, ut omnino de illo capiendo spes non haberetur. Vidimus etiam contra nos apud Hulsvorde[52] magnas acies Trentonum ipsa nocte esse collectas, cum quibus secure confligere non poteramus, cum medio loco essemus inter Hulsvorde et Covordiam, quod nullo episcopo vel exercitui usque nunc dicitur accidisse. Sed in sero leti ad hospitia Anen propter victoriam priori die habitam revertebamur, sperantes letos rumores nobis appropinquare de duobus exercitibus Frisie, quos gloriosos, fortes et ad bellum optime apparatos eduxerunt ad duo loca; quia omnes a Stauria usque ad Bornedam[53] convenerunt super illud funestum Backenvene, reliqua vero pars Frisie a Borneda usque ad Lavicam cum multis militibus intraverunt Groninge, ut de consilio et auxilio illorum et Hunsegonum inimicos apud Mizpete impugnarent. Sed, proch dolor, secundo Sept. 20. die veraciter intelleximus, exercitum apud Backenvene victum fore et fugatum[54]. Nescio nec dicere volo quo misero casu. Ubi multi sunt nudati et capti, pauci vero occisi. Quorum sanguine illa maledicta palus en altera vice inebriabatur. Quo facto, Trenti animati et exaltati tota nocte, quia longa erat, festinantes in tanta multitudine contra nostros prope Covordiam conglobabantur, ut eis cedere cogeremur et exercitum nostrum iuxta Harden-

---

[a] hos 2.

[50] Secundum Exod. 7, 13. [51] Wyns in Ostergo, tres miliarios distans a Leeuwarden. [52] Olim inter Koevorde et Dalen situm. [53] Fluvius Borne sive Boerdiep. [54] Sept. 11, ut infra sub fine legitur.

1232. berge commode dissolveremus. Et nota quia milites de terra Traiectensi istis omnibus non sunt advocati, quia in hac guerra suprascripta semper inveniebantur timidi et effeminati. Etiam illi de Tuentia non interfuerunt, ex eo quod ecclesie et episcopo in propriis expensis servire noluerunt. Sed omnes de Daventria, de Zallant et de Vechta in suis expensis pondus illius expeditionis cum multo suo honore et fidelitate sustulerunt. Oportet autem ut omnis veritas huius narrationis inscribatur posteris nostris scire cupientibus. Unde ad nominis pudorem et dolorem nos transferamus.

40.[a] *Qualiter exercitus primo victoriam habuerit sed post succubuerit.* Unitus noster exercitus, in quo pre omnibus aliis longe maior et pretiosior nobis spes victorie multis de causis habebatur, apud Groninge collectus, die condicto ad pugnam progreditur et in Sept. 15. crastino exaltationis sancte crucis adeo viriliter impugnat inimicos, ut potenter aggerem et munimen destruerent et planarent, et cum aliquot centenariis terram illorum intrarent, ubi miro modo hinc inde certatum est, et ex utraque parte plures occisi tunc et prostrati. Et tandem inimici, quibus omnibus incumbebat defensio, quorum sanguis sitiebatur, et propter uxores et parvulos suos, quorum vite in nullo parcitum fuisset, et propter perpetuam terre sue destructionem, nostros multo suo dampno expulerunt. Et sic ab invicem separati, mortuos suos et graviter vulneratos ad sua hospitia reportabant, tota illa nocte se ad crastinam pugnam reparantes Verum toto illo die Frisones viriliter et honeste, sicut in antiquo consueverant, pugnarunt. Quod multis vulneribus et per scuta gladiis et Sept. 16. lanceis rupta et fracta et miro modo lapidata poterant comprobare. Sequenti mane Hunsegones cum Groningensibus et quibusdam de nostris Frisonibus Vevelgones vicerunt et victos nimis persecuti, in redeundo grave dampnum ab eis acceperunt. Post quem casum quidam de nostro populo animum pugnandi aliquantulum perdiderunt. Sed tamen tertio iterum apud Mizpete acies suas disponere inceperunt, ubi statim contra se invenerunt gravem multitudinem inimicorum, qui tunc ab omni insultu in diversis locis hinc inde exhonerati et superbi de victoria habita super Backenvene fuerant conglobati. Ubi cum ipsis erant tota Trentia et omnis Vevelgonia et totum Langhewalt et Fredewalt, et tamen per omnes istos nostris resistere non potuissent, si illi de Thrente et Henricus de Burdo, cui copulata et data fuit filia Rodolfi cum castro Covordie et dominio Trentie, multos bellicosos viros de partibus Westphalie secum in auxilium istorum ad solidos non adduxissent. Ex quibus omnibus accidit ut noster populus in primo aspectu aciei sic terreretur, ut ad fugam et reditum versus Groninge inordinate festinarent, quos capitanei nostri exercitus nullo modo nec exhortando nec clamoribus increpando nec repercutiendo poterant retinere. Quo viso, hostes aggerem transiliunt fugientes persecuti, et leve erat eis sine omni difficultate vel periculo quemlibet capere vel occidere. Unde in nostros sicut lupi vel aves sine ulla misericordia deseviebant, plurimos capiendo propter pecuniam, alios occidendo propter immisericordiam. Qui postea dum sepelirentur computati sunt usque ad 60 mortuos. Inter quos periit domnus Hesselus de Lywart decanus per totum Ostergo cum 11 sacerdotibus, vir magni consilii et precipue honestatis, largus beneficiis et valde hospitalis. Quem non multum commendare laboro, quia sua fides et devota obedientia domno episcopo et toti Traiectensi ecclesie notissima extitit, pro cuius honore recuperando proprium sanguinem effudit. Et quis dubitet, ipsum et omnes secum occisos, quod corde contriti et ore confessi illic ob indulgentiam et remissionem peccatorum suorum convenerant, quietem in celis et partem martyrii a patre misericordiarum per interventum beati Martini, pro cuius ecclesie maxima necessitate totum bellum gerebatur, accepisse? Frisones enim isti nec aurum nec argentum nec aliquod feodum pro sallario exspectabant sed tantum celeste premium, pro quo vitam suam tradiderunt. Et propter illum qui pro ipsis in cruce pependit et quinque vulnera sustinuit, ipsi et flagella et vincula et vulnera plurima, quidam etiam usque ad mortem[b], quid amplius dare poterant quam se ipsos? Unde istos iudicamus mundo perditos et Deo vel celo acquisitos. Et vere in istis pium est gaudere Martinum[c], Sept. 20. et pium est flere Martinum. Accidit autem hec cedes apud Mizpete anno Domini 1232. in Sept. 11. vigilia Matthei apostoli et euangeliste, et super Backenvene quinto die antequam erat vigilia Lamberti.

---

a) XLI. 2. b) *inserendum videtur* sustinuerunt. c) Martino 2.

CHRONICON EBERSHEIMENSE.

EDIDIT LUDEWICUS WEILAND.

Pace nostris temporibus gloriosissima, quae patriae duas provincias olim ereptas et diu desideratas reddidit, icta, cum opus nostrum denuo aggrederemur, primo monumentum historicum Alsatiae recuperatae edere nobis licere gavisi, resuscitat dolores, quibus infligebamur audientes, nostrates nobilissimam illam Rheni superioris metropolim, Argentinam, invitam armis et igne requirere coactos esse, terribilis illa bibliothecae Argentinensis ruina, quae inter alios pretiosissimos codices Chronici Ebersheimensis quoque codicem in cinerem redegit. Erat codex iste, testante viro ill. Boehmer[1], *qui eum a.* 1852. *vidit, in folio minore a.* 1320. *exaratus et ex hereditate viri de historia Alsatica optime meriti, abbatis Grandidier in bibliothecam Argentinensem venerat. Pertinuit olim ad Beatum Rhenanum et in Schlettstadiensi bibliotheca servabatur, ut dicit Grandidier*[2], *unde quomodo in dominium viri huius docti venerit ignoramus. Fuit notae optimae. Alio codice Ebersheimensi, recentiore*[3] *et viliore usus est Martene, qui primus Chronicon a.* 1717. *luci dedit sub nomine Historiae Novientensis monasterii in Thesauri novi anecdotorum tomo III, p.* 1125—1160, *omissis tamen chartis, quae ei insertae sunt, prologo secundo et aliis quibusdam. Dein Grandidier a.* 1787. *codice suo nisus, priorem Chronici partem usque ad a.* 1167. *(cap.* 29*), ut iudicari licet, accuratissime excudendam curavit in tomo II. perraro Historiae suae Gallicae Alsatiae p. X—XXXVI, chartas illas modo reiciens, quas omnes in Historiis suis ecclesiae Argentinensis et Alsatiae, partim autographa secutus dederat. Valde ergo dolendum est, editorem hunc propositum suum, etiam posteriorem Chronici partem vulgandi, ad perfectum non duxisse, quia hac de causa et bono editionis nostrae fundamento ex parte caremus et prologus secundus, ad quem Grandidier in praefatione provocat, omnino periit. Reiecti igitur sumus ad*

1. *Editionem prioris partis, quam instauravit Grandidier;*
2. *Editionem mancam Martenei;*
3. *Schoepflinum, qui editionem Martenei mancam esse dolens, a.* 1751. *in Alsatiae illustratae tomo I, §.* 46, *p.* 58 *supplementum eius dedit caput nostrum* 2, *quod ille omiserat*, e codice, *ut dicit*, coaetaneo, qui in monasterio Ebersheimensi asservatur. *Qui codex an saeculi XIII. fuerit, dubium; fortasse idem fuit exemplar, quo iam usus est Martene.*

Qui maximam partem Chronici novissime vulgavit vir ill. Boehmer in Fontium tomo III, p. 10—31, *Martenei editionem modo repetiit. Praeterea*

---

[1] Fontes rer. German. III, p. XVII.

[2] Histoire de l'Alsace II, preuves p. IX.

[3] Codicem recentiorem fuisse lectio eius arguit, quamvis Martene p. 1125 eum ab annis circa quadringentis scriptum fuisse dicat.

Massmann, Kaiserchronik tom. III, p. 322 *fragmentum illud a Schoepflino datum iterum excudit.*

Chronici priorem partem legentes non fugiet, eam compendio seu excerpto similem esse, quippe quod, ut unum pro pluribus urgeamus, ne fundationis primae cellae in insula Ebersheimensi quidem mentionem faciat, quamvis verba cap. 3 ut prediximus *ad hanc fundationem ubiubi antea narratam tendant oporteat. Et exstitisse Chronicon uberius quoddam, in quo praesertim historia originis christianismi in Alsatia et monasterii Ebersheimensis prolixius narrata fuerit, pro certo habemus. Fragmenta eius namque in codice Argentinensi Mathiae Niuwenburgensis saeculi XIV. erant asservata. Cum codex iste et ipse incendio bibliothecae Argentinensis et cum ipso spes perierit Chronici antiquioris Ebersheimensis reliquias quasdam in futurum colligendi, rei aptum esse duximus, nos hoc loco descriptionem accuratissimam fragmentorum illorum repetere, quam a.* 1838. *dedit vir d. Engelhard, tunc temporis bibliothecae Argentinensi praefectus, in Archivi nostri tomo VI,* 435—447, *et quam descriptione codicis, quam vir cl. Hegel sibi fecit nobiscumque benevolentissime communicavit, aliquoties supplere licet*[4].

Inceperunt fragmenta folio 62 *codicis verbis prooemii editionis nostrae:* Quoniam igitur genus humanum *et narrationem iisdem verbis ac editiones usque ad finem cap.* 2 *deduxerunt:* Germani milites fiscales regni (et) ministeriales principum (nuncupantur)[5]. *Quibus adiecta est sententia, quae in Chronico recentiore desideratur:* et inde iudicia servilia subire contemnunt. *Post haec historia Iulii Caesaris usque ad eius mortem erat protelata; narratur, eum legionem Germanorum trans Alpes secum duxisse, eamque Antonio commendasse. Auctor vero hanc de Caesare factam digressionem excusans subiungit, qui plura de his rebus scire velit,* Lucanum vel Historiam Romanam[6] legat. *Sequitur prolixa narratio de conversione Alsatiae a sancto Materno, cui sanctus Petrus ipse hoc negotium iniunxerit, et a sociis eius sanctis Euchario et Valerio perpetrata. Maternum, narrat Fragmentum, idola et templum apud Novientum destruxisse et post mirabilem ipsius per baculum sancti Petri ad hoc missum perpetratam resurrectionem, ecclesiam ibidem construxisse, sicut et ecclesiam antiquam sancti Petri Argentinae et ecclesiam dictam Dompeter prope Molsheim,* ipsamque ob multitudinem credentium Ytalica lingua Dumpeter i. e. domum Petri nominavit[7]. *Superstes est haec sententia:*

> Post hec assumtis fidelibus, qui crediderant, beatus Maternus insulam Novientum ingressus et templum effringens, aras destruxit et simulacra comminuit et in flumen proiecit; deinde omnia vasa sacrificorum et omnia utensilia templi comminuit et cum ossibus mortuorum, que inibi reperta sunt, in quodam immundo loco ac palustri ipsius insule proiecit, que etiam usque hodie a querentibus illic reperiuntur.

Maternus dehinc cum sociis, ut legebatur, Treverim antiqui imperii metropolim et posteritatem Nembroth, Nynique ac Trebete sobolem, gladio verbi Dei expugnaturus aggreditur. *Appropinquantibus autem fidei praedicatoribus, omnia in civitate oracula obmutescunt, excepto oraculo idoli praecipui, quod adventum eorum et civitatis conversionem declarat, consiliumque dat fores urbis*

---

[4] Editiones novae Mathiae a Studer et Huber (Böhmer Fontes IV) instructae, quae ambae codice Argentinensi usae sunt, non agunt de indole fragmentorum istorum.

[5] Voces uncis inclusae ab Engelhardo non relatae sunt.

[6] Haec videtur esse liber Orosii.

[7] Haec verba allegavit e codice ipso vir cl. Hegel, Chroniken der Deutschen Städte VIII. Strassburg II, 712, not. 6.

claudendi. Cumque tamen filius regis equi refrigerandi gratia exierit, in Mosella fluvio submergitur mortuusque deploratur. Viri sancti autem, a vidua quadam eiulatus causa comperta, ab ea ex miraculis quibusdam recognoscuntur. Quo audito, regina eos statim advocat locumque fluminis ostendit, ubi filius mortem subierit. Quem sancti vivum ex aquis revocant, omnesque cives baptisma accipiunt. Finiebat haec narratio fol. 64 *verbis:* Praefuit itaque beatus Maternus Treverensi ecclesiae 30 annis, plenus etate et virtutibus migravit ad Dominum qui vivit et regnat Deus in secula seculorum. Amen[8]. *Sequebantur in inferiore parte fol.* 64 *haec cum rubrica:*

> De Trebeta et eius genealogia et fundatione civitatis Treverensis. Licet ab incepto nostro iam aliquociens digressi simus possitque nobis illud Flacci non incongrue obici: Amphora cepit institui[a], currente rota, cur urceus exit[9], tamen quia Trebete et fundacionis Trevirensium[b] mentionem fecerimus[c], ne indiscussum pretereamus et lectorem suspensum relinquamus, quis vel unde fuerit vel quo tempore imperium Europie[d] instituerit, paucis disseramus verbis. Cum[e] nimirum complacuisset Deo conditori rerum propter iniusticias hominum totum deperire mundum, solus Noe *etc.*

Porro agitur de genealogia, gestis, artibus Nimrothi, de nuptiis Nini et Semiramidis, de nativitate et indole Trebetae, de amore incestuoso a matre erga eum concepto. Trebetae nomen declaratur e Graeco Troa *et Hebraico* beth *i. e. domus, ut indicentur tres urbes parentibus suis propriae: Babylon, Calanna, Ninive. In media dein narratione, quae descripsit fugam Trebetae, ut illectiones matris devitaret, in codice unum seu complura folia excisa erant. In folio hanc lacunam sequente legebatur finis capitis nostri* 3 *inde a verbis:* veneratione sancti antistitis *usque ad verba:* in comitatu Barga sita est que Spēs dicitur. *Reliqua capitis huius in codice desiderabantur. Abhinc fragmenta nostra excerpti notam prae se ferebant. Capita enim nostra* 4. 5. 6 *in unum, multo brevius coacta erant; capita vero* 7. 8 *integra legebantur; caput* 9 *abbreviatum erat eo quod nomina tantum locorum, ubi monasterium praediis ab Athico duce donatum erat, enumerabantur, non vero ipsa praedia, ut in editionibus, describebantur; cap.* 10—12 *integra legebantur, omissa tamen in fine cap.* 11 *charta Theuderici regis; cap.* 13 *simili modo quo cap.* 9 *decurtatum exstabat in codice usque ad verba:* Defuncto itaque Eberhardo abbate, Columbus ei abbas successit, *additis fol.* 66' *verbis:* Et sic abbates sibi invicem succedentes usque ad presentem abbatem pervenerunt. *His verbis finiebantur fragmenta Chronici Ebersheimensis in codice Argentinensi, quae excipiebant excerpta e Gestis Treverorum.*

Codicem ipsum hunc Mathiae Niuwenburgensis Argentinensem excussisse multaque e fragmentis illis chronico suo inseruisse Iacobum Twinger de Königshofen, evicit vir cl. Hegel[10]*, ad cuius editionem excellentissimam lectores, qui plura de Chronico antiquiore cognoscere cupiant, reicimus*[11].

E descriptione fragmentorum, quam proposuimus, pro certo haberi potest, Chronicon antiquius in priore modo parte prolixius fuisse superstite, neque esse

---

a) institui *omisit Engelhard; supplevimus sec. Hegel.* b) Treverensium *E.* c) fecimus *E.* d) Europe *H.* e) Cum — Noe *solummodo sec. H.*

[8] Haec secundum virum cl. Hegel.

[9] Horatii de arte poetica 21.

[10] Chroniken der Deutschen Städte VIII. Strassburg I, 177.

[11] Fragmenta nostra a Königshofen adhibita sunt cap. IV, p. 629; cap. V, p. 697—702. 708—713. Multa tamen abbreviata leguntur. Vir cl. Hegel p. 701, not. 1 adnotavit in chronico Latino Königshofenii nonnulla e fragmentis verbotenus descripta fuisse.

valde dolendum, ipsum periisse, quod fabulosa potius quam historica nobis servaverit. A defunctis ad viventes gressum vertamus.

Chronicon Ebersheimense, nobis superstes, in duas partes seiungi, primus animadvertit Grandidier, qui abbatem Notgerum a. 1167. *mortuum prologum secundi auctoris secutum esse asserit*[12], *ex quo haec verba tantum, quibus ille antecessoris sui memoriam recolit, nobis servavit:* auctorem excellentem premissi operis, quisquis ille fuit. *In anno* 1167. *distinctionem statuendam esse, stilus quoque arguit. Primus auctor, monachus sane Ebersheimensis, circa saeculum XII. medium scripsisse elucet. Ei vero verba illa pauca, quibus memorantur electio et anni regiminis Notgeri abbatis*[13], *ex parte modo attribuo, eumque electionem tantum Notgeri a.* 1163. *factam adnotasse contendo, quippe non sit cur gesta abbatis istius omnino silentio praeterierit, si post eius obitum demum stilum deposuerit. Annos regiminis Notgeri potius aut auctor secundus aut quidam alius postea adscripsit. Primus auctor iam coaevus exstitit Conrado abbati (a.* 1110—1137*), quippe qui se huius temporibus homines quosdam miraculo sanatos vidisse asserat*[14]. *At eum in concinnando Chronico inniti adnotationibus antiquioribus, circa saeculum XI. exiens factis, colligitur e cap.* 24, *ubi testis quidam sane oculatus narrat, se ipsum vidisse monachos a Willone abbate inter a.* 1039. *et* 1060. *intrusos et postea a conventu relegatos. Idem auctor, ut videtur, cap.* 21 *provocat ad testimonium clericorum Alewici episcopi Argentinensis a.* 1001. *defuncti*[15]. *Sed nolumus, credas fortasse, opus quoddam antiquioris auctoris nobis servatum esse genuinum in anteriore Chronici parte. Multa enim et in ea, quae attingit saeculum XI, narrantur perverse et inaccurate, quorum meliorem cognitionem auctorem coaevum habuisse nemo infitiabitur*[16]. *Accedit quod fabulas illas de Trebeta, de Iulio Caesare, de sancto Materno ante saeculum XII. iniens confectas esse, vix quis probaverit*[17]. *Monachus igitur, qui scripsit circa a.* 1163. *adnotationes quasdam saeculo XI. de abbatibus factas operi suo inseruit, neque ea, qua debuit, sollertia in hoc negotio versatus est, verbis hominis saeculi XI. sine ratione usurpatis.*

Opus auctoris illius primi saeculi XII. in initio fuisse prolixius, quam editiones, fragmenta illa, de quibus egimus, probant. Auctor secundus saeculi XIII. demum, qui antecessoris sane opus descripsit et continuavit fabulas illas de Trebeta, de Iulio Caesare, de sancto Materno decurtavit. Quas fabulas Ebersheimenses una cum Gestis Treverorum aliisque fragmentis ad prolixiorem quandam Historiam imperatorum fabulosam, circa saeculum XII. iniens sane conscriptam recedere, arbitratus est vir d. Massmann[18]. *Fortasse ei nomen erat* Gallicae historiae; *et ab auctoribus diversis locis scribentibus legendis et mythis regionis uniuscuiusque augebatur et immutabatur. Multa, quae legebantur in fragmentis illis Ebersheimensibus, in Gestis Treverorum desiderantur seu paulo alias narrantur. Sed non est nostrum, de hoc fonte impurissimo altius indagare. — Auctor primus adhibuit praeter illum in componendo opere Vitas sanctorum: Arbogasti, ad quam cap.* 3 *provocat, sanctae Odiliae saec. XI. conscriptam*[19] *cap.* 6 *et* 12. *Vita sancti Deodati Nivernensis*

---

[12] l. c. p. IX.

[13] V. infra sub fine cap. 29.

[14] cap. 28 fin.

[15] *ut clerici ipsius asserere solebant (mures) cum ipso simul tumulati sunt.*

[16] Cf. e. g. cap. 21 ubi Willehelmus dicitur successor Alewici, cap. 25 ubi Heinricus III. et IV. imperatores, Wernherus I. et II. episcopi confunduntur. Auctor saeculi XI. etiam melius de Ottonibus adhuc egisset.

[17] Cf. Waitz in praefatione Gest. Trever. SS. VIII, p. 118.

[18] Kaiserchronik III, 308. 313. Cf. quae ad examinandam hanc opinionem diximus in praefatione editionis Excerpti ex Gallica historia supra p. 389.

[19] V. A. SS. Iul. III, p. 225 sq.

cap. 7 et 8 usus est, diversa ab illa quae typis vulgata est[20]. *Neque ea quae cap. 4 de sancto Furseo traduntur in Vitis eius excusis inveniuntur*[21]. *Capitibus 4. 5. 6 pauca libasse videtur e Vita sancti Leodegarii et e Fredegario. Uberrimam materiam autem ei praebuit tabularium monasterii, ex quo chartas complures integras descripsit, alias pro parte excerpsit; ad alias tantum provocat. Quod non miramur in medii aevi auctore, non curavit, chartas illas plurimas esse fictitias. Cum chartas, quae insertae sunt integrae, Grandidier prorsus omiserit, Martene vero verba tantum initialia et finalia dederit, cumque fere omnes sint spuriae, nos tantum Martenei verba repetivimus, lectoresque ad Grandidieri opera reiecimus, qui eas ex autographis praelo dedit. Ceterum opus primi auctoris, quod a Conrado abbate sincerioris fidei esse coepit, ad res imperii vix aliquid facit; monasterii casus tantum describere in animo habuit auctor.*

De secundo auctore pauca dicenda erunt. Narrationem protelavit usque ad captivitatem Heinrici regis, filii Friderici imperatoris, a. 1235. factam scripsitque, si rectum computum cap. 42 instituimus, anno 1235. exeunte seu 1236. ineunte. Egilolfum II. abbatem (a. 1177—1189.) adhuc cognovisse videtur, quippe qui eius laudem cap. 31 verbis intimis praedicet[22]. *De miraculis a sancto Nicolao in monasterio perpetratis se pauca metrice digessisse, ipse in eodem capite profitetur. Chartas spurias nobis non offert, res vero in Alsatia et in imperio ab episcopis et regibus gestas historiae monasterii et abbatum intermiscet, virumque se praebet cuius ingenium muris claustralibus non obturatum sit. Quae sic congessit magnae fidei sunt habenda. Chronologia autem abbatum, nescio incuria librariorum falsos numeros annorum scribentium aut ipsius auctoris oscitantia, aliquotiens est confusa adeo, ut an rectam adnotationibus nostris restituerimus, dubitemus*[23].

Chronico nostro solus, quoad videmus, usus est auctor Annalium Argentinensium[24], *qui pauca ex cap. 4—6 excepit, et ea in Annales Marbacenses*[25], *quibus pro fundamento servit, transfudit.*

Capitum inscriptiones, quas praebet Grandidier, ab hoc ipso inventas esse facile perspicitur; lemmata vero a Marteneo sparsim inserta, in codice, quem adhibuit, occurrisse videntur: ideoque ea in notis criticis adnotanda curavimus. In capitum distinctione primum Grandidieri editionem secuti sumus, deinde eam nostro consilio instituimus.

Dabam Berolini die 8. mensis Augusti a. 1871.

LUDEWICUS WEILAND.

INCIPIT TOPOLOGIA NOVIENTENSIS CENOBII.

[a]Quoniam igitur genus humanum semper ad ocasum[b] vergens de die in diem ad non esse tendit, curiositate tamen quadam naturali semper transacta postponens, futuris inhiat ac novis delectatur et sic preteritorum obliviscitur, — unde quidam nature humane rimator

---

a) Topos enim graece, latine locus dicitur, unde topologia quasi loci descripto dicitur *praemittit* 2, *certo glossam textui intrudens.* b) occasum 2.

[20] ibid. Iun. III, 872 sq.

[21] ibid. Ian. II, 36 et 44.

[22] Non urserim locum cap. 31: *quam temporibus suis nostris oculis vidimus,* quem ipsimet demum vocem *oculis* inserendo hoc modo creavimus. Vox *suis* fortasse etiam loco *nostris* supra lineam a glossatore addita, posteaque in textum intrusa esse poterat.

[23] Series abbatum Ebersheimensium, quam praebet Gallia christiana nova V, 855 sq., tota e Chronico nostro pessime confecta est.

[24] Mon. SS. XVII, 87.

[25] ibid. p. 146.

eximius: *Vita, ait, brevis, ars longa, experimentum fallax et idcirco iudicium difficile*[26] — hac igitur causa non semel nec bis, sed multocies rogatus fui a fratribus, ut topologiam loci nostri, id est historiam fundationis[a] monasterii Novientensis sive Ebersheimensis scripto mandarem, quatenus et presentibus satisfacerem et succedentibus manifestarem.

1. Est itaque[b] is idem prefatus locus in Germanie finibus inter Renum[c] et Vosagum, in pago Alsaciense[d], in comitatu videlicet Thronie[e, 27] et in espiscopatu Argentinensi, in insula Ille[f] fluminis situs, nemoribus consitus, perspicuis fontibus irriguus, pratis amenus, agrorum fertili cultura circumdatus, vineis non longe adiacentibus letus, piscationibus et venationi commodus ac variis commeatibus utilis et oportunus[g].

2. Cum enim pagus Alsatiensis[h] primitus ab exercitu Trebete possessus fuisset et excultus, ipse cultores fanatici et idolatre fanum culture deorum suorum et in ipso aram Diane et Mercurii construxerunt et ludis zenicis dedicaverunt. [i]Set cum[k] post multa temporum curricula tota Germania et[l] idem pagus a Romanis temporibus Iulii Cesaris subacta fuisset, Iulius deum terre placare volens, Mercurium videlicet, qui a Deutonicis[m] precipue colebatur, quoniam deus facundie dicebatur (unde etiam Greca etymologia Mercurius, quasi mercatorum kirios vocatur)[n], seu Theutates[27*] idem Theutonicorum deus[o] (quia id genus hominum maxime eloquentie studet), insulam itaque ingressus, ipsum fanum iam vetustate collapsum renovavit ac donariis honoravit nomenque mutans Novientum nominavit. Nam antiquitus a primo possessore Stanenbruh[28] vocabatur; unde etiam actenus saltus adiacens eo nomine nuncupatur. Deinde ad munimen Romani exercitus castella in circuitu munivit. Primum supra laccum[p] ipsius Ille fluminis quod Brundusium nominavit, sed postea a Herolis[29] renovatum et Brannenburc[30] est nominatum. Alterum vero in saltu iuxta villam quae Hiltesheim[31] vocatur construxit, quod actenus Ertburc vocatur. Tertium vero iuxta villam Caugenheim[q, 32], quod Altenburc dicitur. Quartum nihilominus trans flumen iuxta montana construxit ipsumque ab alto situ Apicam[33] nominavit. Horum itaque castellorum[r] castellani cum finitimis populis ipsius pagi singulis mensibus ad fanum supradicte insule venientes, sacrilegos sacrificiorum ritus cum ludis zenicis celebrabant. Sed cum Iulius Cesar per decennium munificencia et benignitate atque honoribus omnes Germanos magis quam bello absque omni tributo Romano subdidisset imperio et auxilio ipsorum Senones Gallos aliasque circumpositas nationes vicisset, benignitatem et fidem ipsorum erga se in hoc remuneravit, quod principes ipsorum senatores, minores vero milites Romanos appellavit et conscripsit. Deinde cum Romam redire disponeret, conventum in Germania celebravit omnibusque valedicens, minores milites principibus commendavit, ut non quasi servis ac famulis uterentur, sed quasi domini ac defensores ministeria ipsorum reciperent. Inde accidit, quod preter nationes ceteras Germani milites fiscales regni et ministeriales principum nuncupantur[s].

3. [t]Cumque post multa temporum curricula Dagobertus regni Francorum suscepisset gubernacula et in pago Alsaciense aput Rubiacum[34], in arce ipsius castri que Isenburc[u, 35] dicitur commaneret, contigit ut venatores regis, assumpto filio eius, saltum Ille[v] fluminis

a) *deest* 1. b) autem 2. c) Rhenum 2. d) Alsaciensi 2. e) Throniae 2. f) Yllae 2. g) opportunus 2. h) idem Alsaciensis 2. i) *lemma in* 2: De Iulio Cesare. k) *hoc loco incipit* 3. l) *abhinc* 2 *omisit reliqua capituli huius.* m) *correxi;* Deptonici 1. 3. n) *quae uncis inclusimus fortasse a glossatore addita sunt.* o) theus 3. p) lacum 3. q) Cagenheim 3. r) castrorum 3. s) *explicit* 3. t) *lemma in* 2: De Dagoberto rege ac filio ipsius. u) Ysenburc 2. v) Yllae 2.

---

[26] Hippocratis Aphorism. I, 1.

[27] Idem comitatus qui vocatur *comitatus Kirichheim* in charta spuria Ludewici Pii *data a.* 817. *Thronie seu Kilikheim.* (Grandidier, Histoire de l'église de Strasbourg II, preuves n. 93.) Pagus Troningorum occurrit in charta Murbacensi a. 728 ap. Schöpflin, Als. dipl. I, n. 9. Situs est vicus Kirchheim ad flumen Mossig infra Marlenheim et temporibus Merowingicis et Karolingicis palatium erat regium. Tronie nomen fortasse superstes est in nomine vici Trenheim seu Traenen iuxta Kirchheim situm. Cf. omnino Schöpflin, Alsatia illustrata I, 641. 704, qui tamen chartis spuriis nimiam fidem attribuit.

[27*] Teutates Gallorum deus memoratur a solo Lucano, Pharsal. I.

[28] *Saltus qui dicitur Standenbruh sive Breitenlacha* memoratur in fictitio Ludovici Pii diplomate a. 814. dato ap. Grandidier, Hist. de l'église de Strasbourg II, preuves n. 87. G.

[29] De Harelungis, quorum fuit olim Brisahcgowe. cf. Ekkehardum SS. VI, 185, l. 48.

[30] Brandenbruch audit infra c. 23.

[31] Hiltesheim, Hilzheim seu Hilzen haud procul ab Ebersheim.

[23] Kogenheim.

[33] Epfich.

[34] Ruffach.

[35] Castrum Isenburg, cuius reliquiae conspiciuntur in colle, qui oppido Ruffach imminet, in occidua parte castri quod postea ab episcopis Argentinensibus eidem colli impositum fuit. G.

causa venandi intrarent. Igitur per decursum fluvii venationi insistentes, cum iam inclinata die nox instaret, ad sepe iam dictam Novientensem insulam pervenerunt. Cumque stationem pernoctandi inibi statuissent, collocatis iam equis et canibus, ut talium hominum consuetudo est, totam insulam pervagantes, panes et formellas casei, vel quidquid ad cibum invenire poterant, diripuerunt. Post hec cellam venerabilium virorum qui ibi, ut prediximus[36], commanebant intrantes, omnia utensilia ipsorum asportabant et horrea[a] ipsorum effringentes, queque illic reppererunt ad pabula equorum suorum sibi vendicarunt. Cumque eos ut ab infestatione ipsorum cessarent deprecarentur, illi, ut Gallorum moris est, Teutonicam linguam subsannantes, cum derisione eos de conspectu suo abegerunt. At illi ecclesiam ingressi, repulsam suam Domino et beato Petro commendabant[b]. Mane igitur facto venatores, asssumpto denuo regis filio, proximam silvam cum canibus ingressi venari ceperunt. Cumque[37] per anfractus aquarum et condensa silvarum discurrerent, aprum mire Vit. Arbog. magnitudinis reppererunt. Quem cum canibus adscitis, cornibus et clamoribus provocassent, ille frendens ac spumans contra regis filium, quem in quodam loco incaute solum reliquerant, inpetum fecit. Quo viso, equus cui supersedebat perterritus ac rapidis passibus totus in preceps actus, densissimam silvam expetiit. Cumque puer non valens residere ad terram decidisset, pes eius sterifio[38] sive ascensorio selle inhesit, ac sic per devia et abrupta tractus, calcibus equi et obiectu arborum miserabiliter est protritus. Denique, utrum etiam ab apro sit vulneratus incertum habetur. Hinc tamen processit sermo, quod sit percussus ab apro. Hinc etiam tam ipse rex quam ceteri omnes predictam insulam Novientum mutato nomine Ebersheim, id est mansionem apri, nominarunt ac in maxima veneratione ipsum locum et omnes pertinentias ipsius longo post tempore habuerunt, nec aliquis ulterius extitit qui sacrum locum temmerario[c] ausu ingredi presumpserit. Denique cum, ut prediximus, venatores regis filium vulneribus affectum reperissent, cum maximo luctu et eiulatu in lecto eum gestatorio collocantes, ad regem, unde digressi fuerant, remearunt. Cumque puer die una supervixisset, altera defunctus est. Seb a beato Arbogasto Argentinensi episcopo, ut in Vita ipsius scriptum reperimus, per suffragia sancte[d] Dei genitricis Marie resuscitatus est. Quapropter rex et regina omnisque senatus sanctam Dei genitricem tanto gaudio tantoque tripudio extulerunt, ut etiam ecclesiam Argentinensem ob honorem et laudem ipsius ac pro veneratione sancti antistitis Arbogasti[e] amplissimis donariis refertam ditassent, adeo ut rex et regina tres curtes principales[39] cum omnibus appenditiis suis inibi traderent et penitus in ius et dominium sancte Dei genitricis Marie et episcopi Argentinensis transfunderent. Harum prima Rubiacum in comitatu Illecich[f][40] sita est. Secunda vero Biscovesheim[41] in comitatu Tronie[g]. Tercia vero ultra Ararim[42] in comitatu Barga[43] sita est, que Species[44] dicitur. His itaque curtibus subiecta familia trifarie secernitur. Prima ministerialis, que etiam militaris directa[h] dicitur, adeo nobilis et bellicosa, ut nimirum libere condicioni comparetur. Secunda vero, censualis et obediens, permagnifica et sui iuris contenta. Tercia nichilominus est, que servilis et censualis dicitur. Sed tamen omnes sub dominio episcopi et ab ipso rectoris constituti consistunt.

4.[i] Erat preterea his temporibus in regno Francorum nobilissimus et ditissimus princeps nomine Erchonaldus, honore maioris domus sublimatus, ipsius Dagoberti regis consanguineus[45]. Is nempe, Dagoberto rebus humanis decedente, regnum Francorum cum 652. regina Nanthilde et Clodoveo filio ipsius strenue gubernabat, vir sane religiosus ac iusticie tenax, unde etiam, instigante se ad hoc Furseo confessore Christi, in Perona monasterium in honore[k] sancte Dei genitricis Marie decenter construxit ac magnifice ditavit[46]. Quo

---

[a] horreorum *male* 2. [b] commendaverunt 2. [c] temerario 2. [d] sanctissimae 2. [e] *deest* 1. [f] Ullecich 2. [g] Tronio 2. [h] recta 2. [i] *lemma in* 2: De Erchonaldo principe. [k] honorem 2.

[36] Verba *ut praediximus* solummodo declaranda sunt, si hanc partem Chronici excerptum prolixioris operis esse statuas. Cf. praefationem nostram.

[37] Sequentia deprompsit Noster e Vita sancti Arbogasti, ab ipso infra laudata, quam tamen ampliavit et ad locum Ebersheimensem retulit. V. Acta Sanctorum, Iuli V, 177.

[38] Nobis: *Stegreif*.

[39] In Vita Arbogasti Ruffach modo memoratur. Sequentia potius desumpta sunt e charta spuria Dagoberti I. regis data in Isenburg a. 652; v. ap. Grandidier, Hist. de l'égl. de Strasb. I, peuves, n. 17.

[40] Comitatum Illchicha partem Sundgoviae comprehendisse probat Schöpflin, Alsatia illustrata I, p. 661.

[41] Bichofsheim sive Bischen prope Rosheim.

[42] hodie *Ergers* fluviolus.

[43] Barr.

[44] Spesburg castrum prope Barr.

[45] Dagoberti ex matre cognatus nominatur a Fredegario c. 84.

[46] Haec in duabus Vitis Fursei ap. A. SS. Ian. II, 36. 44 non inveniuntur.

659. defuncto, filius ipsius Leudesius[a], quem Germani Leudericum[b][47] vocant, in locum ipsius successit; et quamdiu rex Clodoveus rebus humanis superfuit, honore maioris domus sublimatus erat.

5.[c] Defuncto vero Clodoveo[d], filius ipsius Childericus regni gubernacula suscepit. Qui cum regnum Francorum ceu religiosus strenue et nobiliter per aliquot annos rexisset, factione cuiusdam Ebrowini a pestiferis conspiratoribus in aula regia cum uxore sua pregnante peremptus est[48]. Leudesius[a] vero cum ceteris Francie vel Germanie principibus fratrem ipsius Theodericum in sedem regni constituit, suffragantibus sibi ad hoc Didone Pictavensi et Leudegario Augustidunensi[e] episcopo ac Garino comite fratre ipsius[49]. Quapropter prefatus Ebrowinus[f] apostata cum ceteris conspiratoribus[g] sanctum Leudegarium[h] captum interemit, Didonem vero episcopum avunculum eius exilio dampnavit. Leudesius[h] itaque, ut prediximus, maior domus existens, duxit uxorem nobilissimam de prosapia Sigismundi et Gothmari regum Burgundie genuitque ex ea filium nomine Athicum seu Adalricum. Aliquanto ita tempore transacto, predictus Ebrowinus cum ceteris coniuratoribus suis in Germaniam, quasi pacis obtentu, pro Leudesio[h] transmiserunt, ut ipsius auxilio in gratiam regni pervenire potuissent, dispositis ei in itinere insidiis. Ille vero, licet eos omnimodis habuisset suspectos, tamen utpote religiosus princeps pro pace restauranda iter agressus est. Cumque ad loca insidiarum pervenisset, illi ex inproviso consurgentes, ipsum cum aliquantis militibus occiderunt, reliqui vero in Germaniam transfugerunt.

6.[i] Athicus autem filius ipsius, patre adhuc superstite et Childerico regnante, uxorem duxit Berswindam, filiam sororis sancti Leodegarii[h] episcopi[50] et martiris[k] et Garini comitis Pictavensis, sororem videlicet regine[51]. Ob hanc itaque causam consanguinitatis seu propinquitatis a prefato rege ducatum Germanie adeptus fuerat; habuitque sedem in villa regia que Ehenheim[52] vocatur vel in castro in vertice montis sito, quod olim propter irruptionem Ungarorum[l] a superioribus regibus constructum[53] et Altitona fuerat nuncupatum, nunc vero eadem ethimologia Hohenburc nominatur[54].

7.[m] His siquidem temporibus sanctissimus confessor Christi Deodatus, Nivernensis scilicet episcopus, licet nobilis genere, divitias tamen et gloriam mundi pro amore regni celestis despiciens et pauper pauperem Christum sequi desiderans, episcopatum ac patriam propriam reliquit et Romam ad limina apostolorum pervenit. Cumque antistiti sedis apostolice[55] presentatus fuisset ac desiderium cordis sui illi pandere cepisset, domnus papa ad eum sic fari adorsus est: *Si,* inquit, *inopia peregrinationis et labor predicationis te delectat, accepta a nobis legatione et potestate ligandi ac solvendi, in transalpinas Germanie*[n] *partes perge et feritatem gentis illius salutaria eis monita prebens mitiga.* His auditis, sanctus confessor Christi iniunctum sibi predicationis officium gratanter amplectens, comfestim[o] benedictione percepta et reliquiis sanctorum apostolorum aliorumque sanctorum a domno papa impetratis, summa cum festinatione ad transalpinas Germanie[n] tendit regiones. Cumque, transmissis Alpibus, ad pagum usque Alsatiensem cum sociis secum commeantibus pervenisset, statim predicationis officium inicians, verbo Dei circumpositas instruit nationes. Denique peragrato omni pago, usque ad insulam Novientum sive Eberesheim devenit. Cumque a fidelibus inibi congregatis cum omni officio caritatis fuisset exceptus, aliquot diebus aput ipsos remoraturum se spopondit. Sed cum ab ipsis de sancto Materno, primo ecclesie ipsius fundatore, comperisset totamque[p] insulam deambulans situm ac solitudinem loci perspexisset[p], primo propter sanctitatem ac religionem fundatoris[q], deinde propter amenitatem ac solitudinem loci, precipue tamen rogantibus et obnixe deprecantibus se religiosis viris, quos illic congregatos reperit, mansionem sibi inibi constituere decrevit.

---

[a] Leodesius 2. [b] Leutericum 2. [c] *lemma in* 2: De Childerico rege Francorum. [d] Clodovaeo *hic* 1. [e] Augustodunensi 2. [f] Ebrowing 2. [g] tum *inserit* 2. [h] Leod. 2. [i] *lemma in* 2: De Athico duce filio Leodesii. [k] martyris *hic etiam* 1. [l] Hunnorum 2. [m] *lemma in* 2: De sancto Deodato. [n] Germaniae 1. [o] confestim 2. [p] totamque — perspexisset *des.* 1. [q] *correxi;* fundatorum 1. 2.

47) Nostrum Leodisium maiorem domus, filium Erchanoaldi, cum Leutherio duce Alamannorum (Fredegar. c. 88) confudisse patet. 48) Secundum Gesta Francorum c. 45, Fredegar. c. 95. 49) Didonem avunculum Leodegarii et Garinum comitem fratrem e Vita Leodegarii c. 1. 12 excepisse videtur Noster. Ceterum omnia quae in hoc capite narrantur confusa sunt seu fabulosa. 50) Liuthericum, maiorem domus Childerici regis, filium genuisse Edih seu Adalricum, eumque Berehsindam, materteram sancti Leodegarii, duxisse tradit Vita S. Odiliae c. 1. 2 51) Minime. Bilhildis enim regina filia fuit Sigeberti II. regis. 52) Ober-Ehnheim. 53) *Qui (locus) olim propter firmitatem et defensionem ingruentium bellorum constructus tempore Marcelliani regis fertur esse.* Vit. Odiliae c. 1. 54) *Qui ob ethimologiam ipsius nominis Hoenburch dicitur* ibid. c. 8. 55) Vitaliano fortasse a. 657—672.

8. Cumque fama virtutum eius, confluentibus ad se multis, per totam provinciam illam percrebuisset, prefatus Atticus[a] dux, comperto eius adventu, assumptis satellitibus suis, ad eundem locum gratia videndi et audiendi eum properat. Sanctus itaque ut eum adesse cognovit, assumptis fratribus, pergit ei obviam ac salutans ducit ad cellam. Deinde oratione premissa, sacerdos Christi verbum exhortationis ad ipsum faciens et salutaribus eum monitis instruens, adeo compunctum ac penitentem reddidit, ut in lacrimas quoque prorumperet. Dux itaque gratias Deo immensas retulit, quod in fundo sui iuris tales sibi ministros collocasset. Quia idem locus cum omni adiacente silva iure hereditario ad ipsum pertinebat. Post hec muros antiqui illius fani considerantes, ecclesiam de ipso construi constituunt, duce omnes impensas larga manu prebente. Adposito itaque ex orientali parte sacrario, undique collapsum ac dirutum reficiunt et cooperiunt. Dehinc cum ecclesia omni festinentia expolita et decenter ianuis ac fenestris impositis adornata fuisset, dux consilio episcopi claustrum aliasque officinas militantibus Deo necessarias[b] construere aggressus est. Que cum celeriter consummata fuissent, dux[c] legatos cum epistola[c] ad regem Burgundionum[56] et ad abbatem Agaunensem Ambrosium[57] transmisit, suppliciter deprecans ut respectu amicicie et consanguinitatis de reliquiis sanctissimi Mauricii martiris[d] ac sociorum eius ei transmitterent. Cuius peticionem rex et abbas gratanter ac benigne suscipientes, sicut rogaverat de reliquiis sancti Mauricii ac ceterorum Thebeorum martirum transmiserunt. Quas cum dux et episcopus cum magna leticia recipissent, dux ecclesiam quam construxerat in honore ipsorum martirum dedicari decrevit. Cui beatissimus Deodatus sic respondit: *Nequaquam nos, domne[e] dux, sic agere convenit ut beatum principem apostolorum Petrum, primum videlicet possessorem, eliminare debeamus, maxime etiam propter[f] sanctitatem et reverentiam sancti Materni episcopi, primi videlicet fundatoris.* Dux itaque ne voluntati pontificis contraire videretur, tria altaria in sacrario sub una veneratione erigi precepit, primum videlicet sancto Mauricio ac sociis eius, dextrum vero sancto Petro, sinistrum autem sancto Paulo adtribuens, precipue quia episcopus reliquias ipsorum ab apostolico impetraverat. Cumque dies dedicande ecclesie 13. Kal. Iulii appropinquaret, dux Iun. 19. omni studio sacerdotes non solum illius pagi sed et de Lotharingia convocari precepit maximumque apparatum preparari iussit. Venerabilis interim ducissa ornatum altaris et sacrarii vestesque sacerdotales quam plurimas omni nisu acceleravit. Siquidem constituta, ut prediximus, die omnibus advenientibus, antistes ad dedicationis solempnia celebranda cum ministris ingreditur.

9. Dux[58] itaque cum ducissa magnatorum suorum stipatus frequentia, dotem ecclesie preordinans, viginti Dipl. Lud. curtes cum omnibus pertinentiis et utilitatibus suis descripsit ac super altare sancti Mauricii, quod et principale erat, contradidit ac penitus transfudit. Hec sunt autem nomina villarum in quibus ipsa predia sita sunt. In Sulza[59] curtis dominica cum omnibus appendiciis suis, ecclesia videlicet matrice cum decimis suis, mansus censuales atque serviles, agri cum vineis et pratis, curtes cum curtificiis, familia ministerialis, servilis et censualis, aquarum decursus cum molendinis ac forestis ac totus simul bannus generalis, a iugo montis qui Beleus[60] dicitur et a fonte qui Breitenbrunno vocatur in descensu usque ad saltum qui Munebruoch vocatur, cum omni libera utilitate. In Egenesheim[g. 61] curtis dominica cum vineis et agris ac decima ipsius allodii. In Sigoltesheim[62] curtis dominica cum omnibus pertinentiis suis, agris videlicet et vineis, ecclesia[h] ipsius allodii cum omnibus pertinentiis suis, agris videlicet et vineis[i], cum omni decima ipsius, mansus serviles et censuales, cum viis et inviis, exitibus et reditibus, cum omni libera utilitate, familia utriusque sexus, medietas banni generalis et foresti[k] a villa que Mecerol[l. 63] dicitur in descensu usque ad Scottenwilere[m. 64], et fluvio qui Vaconna[65] dicitur usque ad amnem qui Mulebach[66] nominatur. In Oleswilre[67] curtis dominica cum omnibus consequentiis suis, agris videlicet ac vineis, cum decima ipsius allodii; communionem vero banni generalis usque ad[n] Eggenbach[68]

---

a) Athicus 2. b) mil. Deo nec. *des.* 1. c) dux — epistola *des.* 2. d) martyris 1. e) domine 1. 2. f) proper 1. g) Egensheim 2. h) et ecclesia 2. i) et ecclesia ipsius allodii *repetit* 2. k) forestis 2. l) Macerol 2. m) Schotenwilre 2. n) *deest* 2.

56) Chlotacharium III. fratrem Childerici II. Austrasiae regis. 57) Ambrosius abbas Agaunensis his temporibus nullus exstitit, sed antea tres Ambrosii, inter quos primus abbas, inter sanctos numeratus. V. Mülinen, Helvetia sacra I, 167. 58) Sequentia desumpta sunt verbotenus e charta spuria Ludewici Pii imperatoris a. 824, quam ex autographo dedit Grandidier, Strasb. II, preuves n. 96. 59) Ober-Sulz in superiori Alsatia. 60) Nostratibus hodie *der Belchen* prope Murbach. 61) Egisheim. 62) Siegolsheim ad orientem oppidi Keisersberg. 63) Metzeral in valle Gregorienthal. 64) Stoswihr prope oppidum Münster. 65) Fecht, cui adiacet Türkheim. 66) Mühlbach. 67) Orschweiler prope Schlettstadt. 68) Torrens Eckenbach, qui superiorem Alsatiam ab inferiore et dioecesim Argentinensem a Basileensi dividit.

et Illam[a] flumen[b], usum vero lignorum et pascuam porcorum in Westerholz habere debet. In Scerewilre[c][69] curtis dominica cum vineis et agris et pratis aliisque appendiciis suis cum omni decima et banno ipsius allodii. In Ghagenheim[d][70] curtis dominica cum pertinentiis suis, agris, pratis, molendino, piscationibus, familia utriusque sexus communioque[e] banni generalis. In Sarmeresheim[f][71] curtis dominica cum omnibus appendiciis suis, ecclesia videlicet ipsius ville cum decimis suis, mansus serviles et censuales cum molendino et banno ipsius allodii. In Hiddenheim[g][72] curtis dominica cum omnibus utilitatibus suis, ecclesia matrice cum omnibus decimis suis, mansus serviles et censuales cum molendino et piscationibus et tertia parte banni cum omni libera utilitate. In Utenheim[h][73] curtis dominica cum agris et pratis et ecclesia ipsius ville cum decimis suis et banno ipsius allodii. In Valva[74] curtis dominica cum salica[i] terra et pratis ad ipsam pertinentibus cum quarta parte banni ipsius ville. In Northus[75] curtis dominica cum consequentiis suis, salica terra in agris et pratis ac silvis, molendinis et piscationibus cum omni decima ipsius allodii, mansus etiam serviles et censuales cum medietate banni. In Hundenesheim[76] curtis dominica, salica terra cum decimis suis, mansus censuales duodecim cum curtibus suis. In Muoteresholz[k][77] curtis dominica cum omnibus appendiciis suis, salica terra cum decimis suis, ecclesia parrochialis[l] cum decimis suis. In Baldenheim[78] capella de Baldenheim cum medietate decimarum ipsius ville, mansus serviles et censuales, aque aquarumque decursus cum molendinis et piscacionibus ac forestis, bannus eciam generalis ab Azolveswilre[79] usque in mediam villam Baldenheim et a Niveratesheim[m][80] usque Racenhusen[81]. In Gruzenheim[n][82] curtis dominica cum omnibus pertinenciis suis, salica terra in pratis et agris, ecclesia cum omni decima ipsius ville, mansus serviles et censuales, aque decursus cum molendino et piscatione, viis et inviis, exitibus et reditibus cum omni libera utilitate, cum tribus partibus banni generalis, omneque ius iudiciarie potestatis. In Wizwilre[o][83], que est in pago Prisigaugensi[p], curtis dominica cum omni mundeburge[q] sua, ecclesia videlicet cum decimis suis, salica terra, mansus serviles et censuales, mancipia utriusque sexus, molendina cum piscationibus ac forestis, ius naule cum investigatione auri, bannus totaliter cum omni libera utilitate. In Arcenheim[84] curtis dominica cum salica terra, mansus censuales sex cum visitatione sua ac banno ipsius allodii. In Burcheim[85] curtis dominica cum salica terra et decimis ipsius, ecclesia parrochialis[l] cum decimis suis, mansus etiam serviles ac censuales cum aliis utilitatibus suis, familia utriusque sexus, bannus generalis totaliter. In Lagelenheim[r][86] curtis dominica cum omnibus pertinenciis suis, ecclesia parrochialis[l] cum decimis suis, mansus serviles et censuales, familia tota, bannus generalis cum omni libera utilitate. Has igitur curtes, ut prediximus, dux Athicus[s] in dotem[t] ecclesie sancti Mauricii Novientensis cenobii totaliter et integre cum omni libera utilitate et absque ulla contradictione contradidit, exceptis his que postmodum venerabilis filia ipsius, sancta videlicet Odilia, ipsi ecclesie ad victualia fratrum inibi Deo servientium contulit.

10.[u] Denique his ita peractis, Childericus rex sanctum Deodatum per nuncios ascivit eumque pro se Deum exorare petiit et ei in heremo, que Vosegus[v] dicitur, vallem cum villulis ac novalibus sibi contiguis tradidit, deprecans ut monasterium illic construeret ac servientes Deo inibi monachos collocaret, seseque omne illi suplementum[w] edificationis prebiturum pollicetur. Ad hec vir sanctus: *Si factis*, inquit, *dicta confirmaveris, iussis tuis prompto ac libenti animo obsecundare confirmo*[x]. Rex ilico non paucas illi prolatas tradidit pecunias eumque per cartarum confirmationem[87] ad predictum destinavit locum, omne illi prebens solatium. Vir itaque Dei illic veniens, totam vallem perlustrans, tandem in quadam planicie super ripam fluvii qui Mort[88] dicitur edificationem monasterii iniciavit. Deinde quibusdam casulis constructis, ad Novientum reversus, fratres quos illic collocaret et de reliquiis sanctorum, quibus oratorium deificaret, necnon libros ac vestes sacerdotales ad ministeria divina complenda, quorum omnium copia inibi iam congesta fuerat, secum assumens, ad predictum locum denuo remeavit. Cumque inceptum iam perduxisset ad effectum, quedam nobilis matrona de parentela prefati ducis, nomine Huna, cuius filium beatus Deodatus baptizaverat ac de sacro fonte levaverat, ipsum evocavit et allodium suum in Sigoltesheim et in Mittelwilre[89] divisit ac medietatem ad Novientum sancto Mauricio contradidit, reliquam vero partem cum possessione sua in Ongeresheim[90] ad locum noviter inceptum, quem Vallem Galilee[91] nuncupaverat, itidem sancto Mauricio contradidit. Sanctus itaque

a) Yllam 2. b) fluvium 2. c) Schervilre 2. d) Kagenheim 2. e) communione 2. f) Sermesheim 2. g) Hittenheim 2. h) Votenheim 2. i) Susalica 2. k) Mouteresholz 2. l) barrochialis 1. m) *correxi*; et Aniveratesheim 1; et Amveratesheim 2. n) Grusenheim 2. o) Viswilre 2. p) Prisiacensi 2. q) mundiburge 2. r) Lagenlenheim 2. s) Atticus 2. t) in dotem *des*. 1. u) *lemma in* 2: De fundatione Vallis Galileae. v) Vogesus 1. w) suppl. 2. x) vel promitto *add*. 2.

69) Scherweiler ad flumen Leber. 70) Kogenheim prope Ebersheim. 71) Sermersheim ad Illam supra Benfeld. 72) Huttenheim unae horae spatio infra Ebersheim situm. 73) Uttenheim ad occidentem oppidi Erstein. 74) Walff haud procul a Barr. 75) Northausen, vulgo Nartz ad Illam infra Erstein. 76) Hindisheim ad flumen Andlau. 77) Mittersholz ad orientem Schlettstadt. 78) Baldenheim prope Mittersholz. 79) Ehenweier prope Mittersholz. 80) Niffern vicus destructus prope Ebersheim. 81) Rathsamhausen prope Schlettstadt. 82) Grusenheim inter Schlettstadt et Colmar. 83) Weissweil ad occidentem oppidi Kenzingen. 84) Artzenheim infra Colmar. 85) Burgheim prope Ober-Ehnheim. 86) Lagelnheim prope Colmar. 87) Eiusmodi charta iam non exstat. 88) hodie *die Murthe*. 89) Mittelweiher prope Reichenweiher. 90) Ingersheim ad flumen Fecht paullum infra Türkheim. 91) Postea dictus Saint-Dié.

Deodatus utrumque locum meliorando et aucmentando per aliquot annos rexit et post hec etate bona huius vite liberatus erumnis apud prefatum locum[a] 13. Kal. Iulii[92] migravit 679. Iun. 19. ad Deum[b].

11. Defuncto itaque, ut superius commemoravimus, Childerico rege Francorum, 673. Theodericus[c] frater ipsius regni gubernacula suscepit. Is nimirum, suadente duce, Novientum venit et pro remedio anime sue et parentum ac fratrum suorum predium monasterio vicinum hereditario iure ad se transmissum super altare sancti Mauricii[d] martiris, villam videlicet Hiltesheim cum duabus villulis Binrenheim[e][93] et Azolveswilre[f] illi adiacentibus, cum omnibus pertinentiis suis totaliter contradidit et absque ulla contradictione in ius ac dominium monasterii transfudit; bannum videlicet generalem cum iure forensi, ecclesiam cum decimis suis, familiam utriusque sexus, agros cum pratis ac forestis cum omni libera et regali immunitate contradidit. Post hec itaque saniori consilio curtim unam cum beneficio servili fisco regali relinquendam decrevit, ea videlicet causa ut si nuncius fiscalis in eadem villa, necessitate cogente, diverteret, mansionem in fundo monasterii nullatenus haberet nec quemquam hominum ibi constringeret[g]. Rex itaque huius donationis seu confirmationis cartam conscribi iussit et propria manu anuli sui inpressione roboravit, cuius etiam exemplar inserere maluimus. [h]*In Christi nomine Theodericus* etc. — *Datum mense Februario die nono, anno decimo regni eius. Amen*[h][94].

12.[i] Athicus[k] itaque dux postquam, incitante diabolo, per passionem furoris filium suum Adelbertum propria manu interemit[95], heredibus destitutus, patrimonium suum in quatuor partes divisit. Primam videlicet partem pro anima filii sui ad monasterium ancillarum Dei in Argentinensi civitate, quod in honore sancti Stephani prothomartiris est constructum, ubi et filium suum sepelierat, et ad monasterium quod Medianum[96] dicitur, alteram nichilominus partem, ut prediximus, sancto Mauritio ad Novientum contradidit, terciam vero partem ad monasterium quod Hohenburc[l] dicitur, ubi et ipse cum uxore Berswinda[m] sua tumulatus cernitur. Quartam vero partem, ne omnimodis stirpem suam hereditate privaret, cognatis reliquit. Que nimirum pars postea ad duos fratres devenit, quorum unus Eberhardus, alter vero Maso dicebatur. Siquidem domnus[n] Eberhardus in castro Egenesheim, quod et ipse construxerat, sedem habebat; frater vero eius in valle que ex nomine eius Vallis Masonis[97] nuncupatur manebat. Denique oculto Dei iudicio domnus[n] Eberhardus cecitate percussus sine uxore et heredibus remansit. Frater vero eius Maso filium quidem habuit, quem tali infortunio amisit. Nam cum quadam die in fluvio qui Olruna[o][98] dicitur cum aliis iuvenibus balnians colluderet, gurgiti inmersus ac necatus est, et sic ambo fratres exhereditati sunt. Denique Dei inspiratione Eberhardus in fundo suo monasterium primo in honore sancti Mauricii construxit, postea vero in honore sancti Leodegarii a beato 727. Pirminio[p] episcopo dedicari iussit, quod et Vivarium peregrinorum seu Muorbacum[q] nominavit. Frater vero ipsius cum uxore sua monasterium sanctimonialium in supradicta valle item in honore sancti Leodegarii construxit[99], eo quod de stirpe illius emerserint et caput ipsius ab episcopo Augustidunense impetraverint.

13. Post obitum itaque beati Deodati fratres Novientenses de ipso cenobio electum[r] quendam nomine Erhardum[s], venerabilem virum, abbatem constituerunt. Hunc sancta ac 679. venerabilis virgo Christi Odilia post mortem patris sui evocatum tali sibi ac monasterio[t] ancillarum Christi, cui preerat, conventione et connexione karitatis coniunxit, ut in[u]

---

a) prefatum locum *des.* 2, *lacuna relicta.* b) Dominum 2. c) Theodoricus 1. d) Martini *male* 2. e) Berenheim 2. f) Azolvelwilre 2. g) contingeret 2. h) *lemma in* 2: Privilegium Theoderici regis Francorum. *Haec verba chartae solummodo leguntur in* 2; 1 *et ea omisit.* i) *lemma in* 2: De divisione patrimonii. k) Atticus 2. l) Hohenburg 2. m) *deest* 1. n) dominus 1. 2. o) Olrima 2. p) Pirmino 2. q) Murbacum 2. r) virum *add.* 2. s) Erardum 2. t) ministerio *male* 1. u) *deest* 2.

[92] Anni 679. testante eius Vita c. III, n. 20 ap. A. SS. Iun. III, 879, quae tamen Nostro non innotuit.

[93] Bindernheim prope Ebersheim.

[94] Hoc loco in Chronico legi chartam fictitiam Theuderici III. regis a. 672, quam ex autographo adulterino edidit ipse (Strasb. I, preuves n. 24), dicit Grandidier. Chartam vero genuinam eiusdem regis a. 684. monasterio villam Hiltesheim tantum concedentem v. ibid. n. 23 (Pardessus n. 402).

[95] Secundum Vitam Odiliae c. 8. At Noster confudit filium Athici anonymum cum altero filio Adelberto, qui ibid. c. 12 tres filias habuisse memoratur, ideoque Athicum *heredibus destitutum* fuisse dicit.

[96] Nobis *Mittelmünster*, Gallis *Moyenmoutier*, haud procul ab Senones.

[97] Ubi iacet Masmünster, Gallice Massevaux.

[98] Doller rivus cui adiacet Masmünster.

[99] Masmünster.

cunctis spiritalibus et consilio et auxilio eis preesset, ea scilicet conditione ut in summis festivitatibus, in nativitate Domini videlicet et in pascha et in pentecostes, de Noviento presbiter unus ac diaconus et subdiaconus ibi missas celebrarent et ancillas Christi communicarent; abbas vero ipse in nativitate sancte Marie inibi missarum solempnia compleret. Deinde sancta virgo Christi quid pro huiusmodi benefacto monasterio Novientensi vicissim impenderet cum sororibus et familia deliberabat. Dedit itaque predicto monasterio ad meliorandam fratrum illic Deo servientium prebendam, in Barro[1] curtim unam cum vineis ad ipsam pertinentibus; reditus salis ad terciam dimidiam sartaginem in Marsal[2] et in Metiwich[a. 3], in Illechilechen[4] tres mansus cum curtibus suis et piscationibus; in Cuonenheim[b. 5] quinque mansus cum curte dominica et salica terra ad luminaria ecclesie sancti Mauricii; in Castineto[6] curtim unam cum vineis ad ipsam pertinentibus; in Sarmenza[7] quinque mansus cum curtibus suis et capella ipsius loci; in Gundolvesheim[8] curtim dominicam, quinque mansus et duas vineas; in Bercholz[9] et in Regenesheim[c. 10] agrum decem iugerum cum decimis suis; in Roulechesheim[11] quinque mansus cum decimis suis; in Balteresheim[d. 12] quinquagenta iugera cum decimis suis. Hec itaque omnia virgo Christi Odilia, ut prediximus, sancto Mauricio contradidit, et insuper omnes vestes sacerdotales, quibus abbas in summis festivitatibus induebatur et quibus altare sancti Mauricii tegebatur. Defuncto itaque Erhardo abbate, Columbus ei abbas successit vixitque usque ad tempora Pipini regis Francorum. Huius siquidem temporibus venerabilis Yrinus presbiter ecclesiam que cella sancti Petri dicitur[12] construxit, quam et beatus Pirminius confessor Christi[14] in honore sancti Petri dedicavit. Huic successit Benedictus abbas, cuius temporibus Pipinus rex monasterio[e] cum omnibus pertinentiis suis inmunitatem concessit[15]. Huic successit Ysenhardus[f] abbas[16]; et huic Dieobaldus[g] abbas[17]. Huic Karolus Magnus privilegium inmuni-
810. Aug. 12. tatis tradidit, et ab omni iure fisci regalis absolvit, cuius etiam exemplar inserimus. [h] *In nomine Patris* etc. — *Actum Ferdi in Saxonia in Dei nomine feliciter. Amen.*[h. 18]

14. Diebaldo successit Griemaldus abbas; et huic venerabilis Sabacius abbas. Hunc Ludewicus[i] imperator Pius, filius Karoli, de Amerbacensi[19] monasterio translatum abbatem constituit ipsique privilegium inmunitatis tradidit, cuius exemplar interserimus[k. 20]. Huic Salemon abbas successit; et Salemoni Gibelinus abbas; et huic Wolfridus[l]; et huic Herebaldus. Herebaldo vero Hartmannus[m] successit. Huius temporibus Arnolfus dux Noricorum
887. Karolum patruum suum regno pepulit ac regnum sibi usurpavit, et Baltramno[n] episcopo Argentinensi[o] abbaciam Novientum, ut parti eius faveret, promisit[21]. Is abbaciam ingressus, omnia dicioni sue subegit et Helmericum quemdam monachum abbatem constituit, quia Hartmannus ei subesse noluit. Sed non diu hac tirannide potitus est, nam ab apostolico Iohanne degradatus est et excommunicatus. Post tres autem annos Iohannes papa cum principibus Karolum imperio restituit[22], qui et confestim abbaciam recepit et Helme-

---

a) Mittewich 2. b) Cunenheim 2. c) Regensheim 2. d) Baltersheim 2. e) Noviento *add.* 2. f) Isenhardus 2. g) Diebaldus 2. h) *lemma in* 2: Privilegium Caroli Magni. *Modo haec verba chartae leguntur in* 2, *quam* 1 *omnino omisit.* i) Ludovicus 2. k) *nec* 1 *nec* 2 *hoc loco lacunam indicant.* l) Wlfridus 2. m) Hertmannus 2. n) Baltramo 2. o) Arg. ep. 2.

1) Barr. 2) Marsal locus munitus ad flumen Seille a. 1870. Aug. 15. a Bawaris patriae recuperatus. 3) Nostratibus *Mittewich*, Gallis *Moyenvic*, prope Marsal situm. 4) Illkirch ad meridiem urbis Argentinae. 5) Kunheim. 6) Kestenholz, Gallis *Châtenois*, prope Schlettstadt. 7) Sermersheim. 8) Gundelsheim prope Ruffach. 9) Bergholz inter Ruffach et Gebweiler. 10) Rexheim prope Ensisheim. 11) Rurelsheim prope Ensisheim. 12) Baldersheim inter Ensisheim et Mühlhausen. 13) Sita fuit prope Ober-Sulz. 14) Qui obiit a. 754. 15) Charta haec deperdita videtur, sed memoratur in charta interpolata Karlomanni regis a. 770. data; v. apud Grandidier, Strasb. II, preuves n. 60. Sickel n. 9. 16) Occurrit a. 770. in charta modo laudata. 17) Occurrit a. 803, monasterio Fuldensi praedia quaedam tradens (Grandidier l. c. n. 82; Dronke, Cod. dipl. Fuld. n. 179), a. 810. in charta Karoli Magni, inter a. 822. et 823. in Libro Societatum abbatiae Augiensis ap. Grandidier l. c. n. 176. 18) Edidit hanc chartam Grandidier l. c. n. 86 ex autographo. Böhmer 190. Sickel 225. 19) Amorbach in Francia orientali. 20) Duas chartas Ludewici Pii Sambatio abbati concessas a. 814. et 824. edidit Grandidier l. c. n. 87 et 96 ex autographis, quae tamen ambae sunt spuriae. Nr. 93 vero dedit chartam Ludewici a. 817. Theopaldo abbati concessam, et ipsam spuriam, quam *ex codice Chronici Novientensis* se sumpsisse dicit. 21) Concessitque a. 889. Iun. 13; v. chartam Arnolfi ap. Grandidier l. c. n. 159, quae etiam mentionem facit Helmerici abbatis. Böhmer 1056. 22) Haec fabula e memoria coronationis Karoli Calvi a. 875. per Iohannem VIII. papam factae orta videtur.

ricum, restituto Hartmanno, expulit et inmunitatem abbacie cum omnibus pertinenciis ipsius per chartas confirmavit[23].

15.[a] His itaque temporibus venerabilis Ricgardis[b] imperatrix[24] Novientum venit et triginta iugera ruris ac vinearum et curtim unam in Kunigesheim[c][25] cum omni decima ipsius allodii sancto Mauricio ad sacrificia divina contradidit, maxime penitentiam agens, quia ecclesiam sancti Mauricii in Sigoltesheim per potentiam decimis suis privaverat. Nam in eadem villa in fundo suo ecclesiam in honore beati Petri construxit ac primo decimas suas, deinde succedenti tempore omnes decimas tocius ville ad ipsam coegit, excepto predio sancti Mauricii ac familie ipsius et allodio sancte Dei genitricis et familie ipsius. Hac itaque de causa prefatum allodium, ut prediximus, contradidit, ac in multis deinceps se profuturam[d] promisit.

16.[e] His etiam diebus erat quidam vir nobilis natione Suevus[f], Lanzo nomine, habitans in possessione sua, in villa que Suabesheim[26] dicitur. Is cum haberet uxorem spesiosam et ingenuam, nomine Gyselhildam[g], spiritu zelotipie adversus eam tactus est. Nam de quodam milite falso rumore infamata fuerat. Cumque maritus hac suspicione diu laborasset, cogitare cepit qua molicione veritatem rei experiri potuisset. Denique quadam die Rhenum transiturum et in Sueviam se iturum simulabat. Assumptis itaque quibusdam sibi consciis, in quoddam latibulum Rheni fluminis divertit dieque una inibi delituit. Igitur nocte insecuta domum rediit ac silenter curiam intravit solusque ad ostium cubiculi, in quo uxor ipsius dormiebat, devenit. Cumque illud clanculo pulsasset, domina expergefacta ancillam vocavit et requirere quisnam esset precepit. Ancilla ad fores veniens, quis de foris sit requirit. At ille nomen sibi militis, quem suspectum habebat, assumit et se intromitti petit[h]. Ancilla domine renuntiat, illa vero ut parumper expectet remandat. Quid multa? *Is,* inquit ad ancillam, *est a quo infamata ac falsa suspicione a marito sum notata.* Deinde ut altera Iudit[i] virili animo induta Deum adiutorem invocat, quatenus persecutorem sue pudicitie prosternat. Denique idem maritus eius duos gladios habens unum secum tulerat, alterum in cubiculo parieti adpensum reliquerat. Quem dextra tenens post ostium constitit, levaque ianuam aperuit. Cumque ille pedem intra limen posuisset, illa in caput ipsius ictum libravit, quo ruente, secundum cervici incussit. Deinde vociferans domesticos advocat, inimicum ac persecutorem sue pudicitie prostratum clamat. Qui accensis luminaribus adcurrentes, invenerunt dominum suum in pavimento iacentem et in suo sanguine palpitantem. Quo viso, clamor ingens ac luctus oritur, vicini accurrunt, et statim huius rei fama ville conplentur. Levantes itaque dominum suum servi in lecto collocant ac vulnera ligant. Qui cum gustata aqua paululum[k] requievisset, collectis viribus uxorem vocat et iniquitatem perfidie ac suspicionis sue confitetur. Post hec ut abbas advocetur exorat. Qui cum adscitus venisset, confessionem, ultimum iam spiritum trahens, fecit et communionem corporis Christi suscipiens, predium in quo piaculum perpetratum fuerat sancto Mauricio cum familia ac omnibus pertinentiis suis pro remedio anime sue contradidit et se ad monasterium deportari petiit ac sic ultimum spiritum exalavit. Qui cum ab uxore et familia ad monasterium deportatus fuisset, abbas corpus saniori consilio in sarcofago inhumatum reposuit, donec dominam[l] cum epistola ordinem rei continente ad apostolicum[27] transmisit. Qua perlecta, papa dominam intuens ac virtutem femineam collaudans, alteram Iudit[i] cognominavit et omnimodis liberam et absolutam redire mandavit. Que statim ad pedes eius corruit ac pro sepultura et absolutione mariti rogavit. Cui ille litteras absolutionis ad abbatem tradidit et ut infra ecclesiam sepeliretur concessit. Quod et factum est. Nam post aliquos annos ipsa domina in eodem sepulchro iuxta virum suum ante altare sancte crucis sepulta est.

17.[m] Erant preterea iisdem temporibus duo fratres libere conditionis habentes possessionem in villa que Bezenesheim[27] dicitur, decem et octo mansuum. Quam cum inter se

---

a) De sancta Richarda imperatrice et allodio in Kimigesheim *lemma in* 2. b) Richardis 2. c) in Kun. *des.* 2. d) profuturum 1. e) *lemma in* 2: De domino Lanzone Suewo. f) Suewus 2. g) Guelhildam 2. h) petiit 1. i) Iudith 2. k) paulum 2. l) dominam donec 2. m) *lemma in* 2: De villa Bezenheim.

[23] Haec charta deperdita videtur.

[24] uxor Karoli Crassi imperatoris.

[25] Kinsheim prope Schlettstadt. Mentionem huius donationis facit charta Willehelmi episcopi Argentinensis a. 1031; v. Grandidier, Hist. de l'Alsace I, preuves n. 386.

[26] Schwabsheim prope Schlettstadt.

[27] Forsan Benedictum IV. a. 900—903.

[28] Biesheim ad septentriones oppidi Neu-Breisach.

divisissent, unus ipsorum, qui Hiltevrit vocabatur, partem suam, novem videlicet mansus cum curte dominica et silva ac familia aliisque pertinentiis suis, sancto Mauricio ad monasterium Ebersheim contradidit seque inibi monachum fecit. At vero frater ipsius alteram partem ad monasterium quod Gengenbacum[29] dicitur contradidit.

900–911. 18. Regnante siquidem post hec Ludewico filio Arnolfi, cum iam defuncto Hartmanno Egehardus[a] abbas successiset, quidam de nobilissima stirpe Alemannorum Altmannus cum uxore sua domna Winehilda, de nobili videlicet Germanorum stirpe progenita, predium quoddam in pago Alsatiense inter Illam[b] et Renum in villa que Widdenesheim[30] dicitur habens, in ipso cum familia consistebat. Cumque iam absque liberis consenuissent, Deo inspirante, ipsum allodium cum omnibus pertinentiis suis sancto Mauricio ad sustentationem fratrum inibi Deo servientium contradiderunt, curtim scilicet dominicam et duodecim mansus ad[c] ipsam pertinentes cum ecclesia ipsius loci ac decimis ad ipsam pertinentibus, salicam terram cum pratis ac foreste, familiam etiam utriusque sexus cum banno et omni libera utilitate. Post hec idem Altmannus simul cum abbate in presentiam Ludewici imperatoris venit et prefatam donationem per auctoritatem regiam confirmavit[31], ea scilicet ratione ut nullus iudex publicus in ipsam villam ingredi presumat nec quemquam hominum ibi constringat, sed predictus abbas omnesque eius successores prefatam villam potestative possideant. Dederunt etiam propter inmunitatem regiam de ipso allodio curtim unam cum beneficio servili in ius ac dominium regni, ea de causa ut, si[d] legatus fisci apud eandem villam[e] pernoctaret, nequaquam supra dominium monasterii mansionem haberet[f]. Dederunt etiam Altmannus et uxor eius tres mansus sancto Mauricio in villa que Niveratesheim dicitur, cum capella ipsius loci et omnibus decimis ipsius. Defuncto itaque Altmanno, ab uxore sua ad monasterium delegatus et inibi sepultus est. Cumque omnia signa ecclesie pulsarentur, funis maioris campane ruptus est. Dedit itaque prefata Winehildis ipso die super altare sancti Mauricii duos mansus in villa Cellesheim[32], unum in beneficio sacriste, alterum vero ad funes et circulos campanarum omni deinceps tempore comparandos. Cumque[g] et ipsa obisset, in sepulchro viri sui sepulta est.

939. 19. Post multa itaque annorum curricula, cum Oddo primus filius Heinrici[h] imperatoris, defuncto patre, administrationem imperii suscepisset, Adelheidam ex nobilissima stirpe Germanorum et Burgundionum[i] progenitam uxorem duxit et consortem imperii instituit. Habuerat enim ipsa Adelheidis[k] primo Heremannum ducem Alemanie maritum et de ipso genuerat filium nomine Ernustum[33]. Quo defuncto, Ruodolfum regem Italie maritum accepit. Cumque apud Mediolanum regnaret, defuncto fratre suo Cuonrado rege Burgundionum, etiam ipsius regnum iure hereditario adepta est. Denique imperatrix effecta insignia duorum regnorum suorum, Italie videlicet et Burgundie, Oddoni[l] imperatori in conventu principum resignavit et imperio Romano addidit. Hac igitur de causa Mediolanenses cum Longobardis contra Oddonem imperatorem rebellare ceperunt. Imperator itaque, expeditione contra eos ordinata, administrationem tocius Germanie Willegiso Mogontino[m] archiepiscopo commisit, pagum vero Alsaciensem[n] cum monasteriis et ecclesiis fisci Widerolfo Argentinensi episcopo commendavit[34] et sic Italiam ingressus, Mediolanum obsedit ac septem annis inibi permansit. Unde contigit ut, defuncto interim abbate Novientense seu Ebersheimense, Widerolfus episcopus ex parte imperatoris Baudezium[o] a fratribus electum

---

a) Eggehardus 2. b) Yllam 2. c) in 1. d) *deest* 2. e) si *inserit* 2. f) *lemma in* 2: De villa Niveatesheim. g) Cum 2. h) Henrici 2. i) Burgundiorum 1. k) Adelheid 1. l) Ottoni 2. m) Moguntino 2. n) Alsatiensem 2. o) Baudesium 2.

29) Gengenbach ad flumen Kinzig. 30) Wittisheim inter Schlettstadt et Rhenum. 31) Charta Ludewici Infantis monasterio Ebersheimensi data iam non exstat; ad eam vero provocat adhuc Schöpflin, Als. ill. I, 57, §. 46. — Addam hoc loco oportet, errasse virum d. Dümmler mihi videri, qui abbatiam Heriboteshelm, quam Ludewicus rex Gerhardo comiti, abbati laico, dedit, a. 906. confiscavit, Stephanoque Leodiensi episcopo a. 908. Ian. 28. confirmavit (Böhmer 1218), Ebersheimensem fuisse credit; v. Ostfränkisches Reich II, 502. 541. 548. Est potius Herbizheim ad flumen Saar infra Saaralben in dioecesi Mettensi situm. 32) Zillisheim inter Mühlhausen et Altkirch. 33) De Ernesto duce filio Ottonis I. et Adelheidis, cf. notam e Libro aureo Epternac. erutam circa finem saeculi XII. exaratam supra SS. Tom. XXIII, 20, not. 75. Ceterum quae hic narrantur prorsus fabulosa esse, nemo non videt. 34) Ottonem I. cum Ottone III. confusum esse patet. Willegisus a. 975—1011. et Widerolfus a. 991—999. Iul. 4. cathedram tenebant.

abbatem[a] constitueret et ordinaret. Regresso tandem post septem annos imperatore, prefatus episcopus Baudezium[b] abbatem ipsi in conventu principum presentavit ac simul cum ipso privilegium de decimis prefati monasterii ab imperatore impetravit, cuius etiam exemplar inserere volumus. *In*[c] *nomine Domini nostri Iesu Christi* etc. — *domino nostro feliciter. Amen.*[c. 35]

In[d] *nomine sancte et individue Trinitatis* etc. — *Anno dominice incarnationis* 973. *indictione* 7. *anno* 20. *regni domni Ottonis serenissimi regis*[d. 36]. 973. Ian. 1.

20. Eodem[e] tempore Liutfridus[f] comes de nobili Burgundionum genere allodium suum[g] in Artolvesheim[h. 37] sancto Mauricio ad prefatum monasterium contradidit, curtim videlicet dominicam cum omnibus pertinentiis suis et[i] ecclesia ipsius loci, cum decimis suis[i] et banno ipsius loci, cum capella in Birenheim[k. 38] et allodio sibi coherente cum decimis ipsius ville. Erant[l] preterea hisdem[m] temporibus duo fratres de Lotharingia libere condicionis, predium quoddam infra terminum Vosagi habentes iuxta villam que Tanwilre[n. 39] vocatur. Quod cum inter se divisissent, unus partem suam cum ecclesia ipsius loci sancto Mauricio ad predictum monasterium contradidit, alter vero partem suam monasterio quod Medianum dicitur contulit.

21. Defuncto post hec Oddone imperatore primo, Oddo secundus filius ipsius successit in regnum. A quo cum Widerolfus episcopus investituram quorundam regalium locorum impetrasset, Novientensis etiam monasterii curam suscepit ipsumque locum ob honorem et patrocinium sanctorum Thebeorum multis honoribus ac donariis adornavit et in tantum dilexit, ut etiam in supremis positus in eodem monasterio se tumulari preciperet; quod et factum est. Cui successit in episcopatu Alewicus Augensis abbas. Post hec venerabilis ac 999. beate memorie Baudezius[o] abbas migravit ad Dominum. Post cuius transitum fratres secundum regulam sancti Benedicti convenientes, Ruopertum[p] abbatem constituerunt[40]. 1001. Quod factum predictus Alewicus Argentinensis ecclesie episcopus graviter tulit et cum furore monasterium ingressus, omnem sibi substantiam ac thesaurum ecclesie vendicavit[q]. Quem cum fratres prioris amicitie, quam erga ipsos in Augensi monasterio positus habuerat, ammonerent, respondisse fertur: *Ego quondam Mariam Augensem concubinam habui, nunc vero Mariam Argentinensem legitimam uxorem duxi.* Cumque nocte sequenti infra monasterium se cum comitibus suis sopori dedisset, vidit turbam armatorum militum clausis foribus ad se ingressam; cumque ante lectum ipsius constitissent, unus, qui ceteris preesse videbatur, propius accedens, cuspide ipsum tetigit et cur domum suam violenter ingredi presumpserit minaci voce requirere cepit. Qui cum tremens et palpitans reticeret, sequentibus se ait: *Arripite hunc temerarium et extra domum meam non sine contumelia eiicite.* Statimque illum alii per manus, alii per pedes trahentes, extra cellam in qua iacuerat proiecerunt. Cumque expergefactus magnis clamoribus perstreperet, qui simul cum ipso cubabant expergefacti exilierunt; sed milites predicti statim disparuerunt. Denique episcopum ante fores iacentem reppererunt et quemadmodum illic venerit interrogare ceperunt. At ille ab ignotis militibus se tractum et illic proiectum commemorabat. Cumque a terra surgere conaretur, nec manibus, nec pedibus se iuvare poterat, levatus tandem a suis in

---

a) *deest* 2. b) Baudesium 2. c) *lemma in* 2*:* Privilegium d. Widerolfi episcopi de decimis monasterii. *Haec verba chartae solummodo exstant in* 2*;* 1 *ea prorsus omisit.* d) *lemma in* 2*:* Privilegium Oddonis imperatoris de decimis monasterii. *Haec verba chartae solummodo exstant in* 2*;* 1 *ea prorsus omisit.* e) *lemma in* 2*:* De Liutfrido comite et Artolfesheim. f) Luitfridus 1. g) situm 2. h) Artolfesheim 2. i) et — suis *des.* 2. k) Bireheim 2. l) *lemma in* 2*:* De Damvilre. m) iisdem 2. n) Tamvilre 2. o) Bauderius 2. p) *correxi;* Ruodolfum 1; Rudolfum 2. q) vindicavit 2.

35) V. chartam Widerolfi de decimis monasterii s. a. datam a Grandidier, Als. I, pr. n. 339 *ex tabulario abbatiae* excusam et certo spuriam, quae tamen explicit: *In Christo feliciter.* 36) Grandidier in adnotatione provocat ad chartam Ottonis III. a. 994. Ian. 13. datam, ab ipso tom. I, n. 340 excusam *ex apographo tabularii Argentinensis* (Stumpf 1014). At chartam, quae Chronico inserta fuit, fuisse eam, quam dedit *ex autographo abbatiae* n. 301, in qua Otto I, Willegisus, Widerolfus occurrunt (Stumpf 523) e dato a Marteneo retento patet. Utraque vero fictitia est. 37) Artolsheim ad septentriones oppidi Markolsheim. 38) Bindernheim, v. cap. 11. 39) Tannweiler ad occidentem oppidi Dambach. 40) Hanc electionem a 1001. factam esse ex eo colligitur, quod infra cap. 24 narratur Ruopertum monasterio praefuisse ab ultimo anno Ottonis III. et quod Alawicus episcopus iam a. 1001. Febr. 3. defunctus est. Si verba urseris, eam factam fuisse contenderis inter Ian. 23. et Febr. 3, cum Otto III. a. 1002. Ian. 23. obierit.

sella collocatur; deinde, percunctantibus singulis de habitu et qualitate militum, viros aiebat procere stature fuisse et aureas cruces in galeis ac scutis ipsos dicebat habuisse. Cumque etiam tumida verba principis ipsorum retulisset, omnes pariter una voce sanctum ducem cum Thebeis militibus fuisse Mauricium dicebant. Deinde summa cum festinatione restitutis omnibus que, iubente episcopo, monasterio violenter abstulerant, ipsum sine mora nave imponentes, ad civitatem usque perduxerunt. Cumque inibi per totum fere annum podagricus ac ciragricus[a] iacuisset, mures minutissimi[b] extranei coloris ac forme digitos[c] pedum ipsius ac manuum corrodere ceperunt. Qui cum nulla arte inhiberi potuissent, cubicularii ipsius lectum in quo iacebat quatuor funibus in aere suspenderunt. Sed mures a laqueari per funes descenderunt ac indesinenter quousque expiraret corrodebant et, ut 1001. Febr. 3. clerici ipsius ecclesie asserere solebant, cum ipso simul tumulati sunt. Unde accidit ut predictum monasterium cum pertinentiis suis in summa veneratione ac tutela per multa tempora a cunctis haberetur in tantum, ut etiam Willehelmus Argentinensis episcopus, successor Alewici[41], eidem monasterio concessiones antecessorum suorum de decimis monasterii per cartarum conscriptionem venerabili Ruoperto[e] abbati et successoribus ipsius ecclesiastico banno confirmaret et corroboraret, que etiam hactenus in armario monasterii conservantur[42].

22. Igitur[f] non pretermittendum existimamus miraculum, quod Dominus hisdem temporibus Ruoperti abbatis per sanctorum Thebeorum merita operari dignatus est. Nam quedam mulier dum in festo sancti Mauricii et sociorum eius, signis ecclesie sonantibus, ad vespertinas laudes occurreret, filium parvulum domi reliquit. Quem, expletis laudibus, domum rediens in Illa[g] flumine necatum repperit. Quem statim mente consternata rapidis passibus acsi furibunda arripiens, ad ecclesiam pervenit et infortunium suum sanctis martiribus improperans, filium ante altare sancti Mauricii proiecit et reliquias sanctorum de altari rapiens super ipsum posuit. Quam cum fratres de altari removere niterentur, illa pertinaci voce renitens, nunquam se recessuram, nisi filium reciperet, clamabat. Igitur multis circumpositis, circa mediam noctem luctu et clamoribus fatigata obdormivit et quendam virum iuxta altare stantem et per somnium sibi dicentem audivit: *O mulier, quia maledictis et improperiis nos lacessire ausa fuisti, filium quidem tuum in presenti recipies, sed pauco post tempore super ipso gaudebis.* Quod et factum est. Nam statim de somno excitata, corpus filii arripuit et in sinu suo collocavit, et aqua, qua ingurgitatus fuerat, statim per os ipsius quasi de cantabro erupit, et puer redditus vite palpitare cepit; et sicut matri in visione divinatum fuerat sex tantum mensibus supervixit ac vitam finivit. Unde quis dubitet per merita sanctorum martirum hoc factum fuisse, quibus infelix mulier improperare[h] et obiicere ausa fuerit, quod[i] detrimentum filii idcirco perpessa sit, quia in festivitate ipsorum, relicto parvulo, ad ecclesiam ipsorum properare maluerit? Hinc etiam considerandum cuique summopere est, quanta perversitas sit, quemque de infortunio suo Deo et sanctis eius maledicere, qui pluit Matth. 5,45. super iustos et iniustos et per misericordiam suam etiam ingratis cottidie beneficia prestat.

23. Ruopertus itaque abbas bonus monasterii provisor per multos annos extitit et multis commodis locum ampliavit. Nam amnem, qui monasterii claustra preterfluit, multis sumtibus per longum terre spacium ab Illa[g] flumine derivari fecit et totum monasterium aquam deducendo circumvallit et molendina ceterasque officinas oportune construxit. Berhta[k] etiam quedam nobilis domina temporibus ipsius capellam in honore sancte Margarete ante ostium maioris ecclesie construxit et dedicari fecit ac dotem contradidit. Dedit etiam ad eandem capellam Volmarum et Eberhardum cum uxoribus suis et omni posteritate ipsorum, censuales duorum nummorum seu cere eiusdem precii; feminas vero viri potentes, quamdiu absque maritis sint, duodecim ulnis lini ad candelas ecclesie[l]. Dedit etiam sancto Mauricio ad prebendam fratrum curtim castri Brandenbruch[m], cuius superius mentionem fecimus[43], cum silva adiacente, et duos mansus in Muteresholz[n] [44] et

---

a) chiragricus 2. b) immitissimi 2. c) pedicas 2. d) digitos *inser.* 2. e) Rupert. *semper* 2. f) *lemma in* 2*:* Miraculum. g) Ylla 2. h) properare 1. i) quoddam 2. k) *lemma in* 2*:* De fundatione capellae S. Margaretae. l) conficiendas *adiecit in marg. manus recentior in* 1; *in textu in* 2. m) Trandenbruch 2. n) Muetershols 2.

[41] Scilicet post Wernherum I, quem Noster non cognovit; cf. infra cap. 25. Willehelmus sedit anno 1029—1047.

[42] Chartam dedit *ex tabulario monasterii* Grandidier, Als. I, pr. 386 sub a. 1031; ante eum Schöpflin, Alsatia diplom. n. 263 sub a. 1042. Opus impostoris eam esse elucet.

[43] V. supra cap. 2.

[44] Mittersholz.

molendinum in Ahewihre[a][45] cum curte[b] et piscationibus suis. Dedit etiam sancto Mauricio pro anima viri sui Hugonis itemque filii sui Hugonis et filie sue Berhte, quos in supradicta capella sepeliri fecit, novem mansus censuales in Marcolvesheim[46] et vineam duorum iugerum in Scerevilre[c][47], et ipsam se etiam in eadem capella tumulari fecit. Dederant etiam pater ipsius et mater sancto Mauricio quinque mansus et curtim dominicam in villa Ebersheim cum foresta, que Munichowa dicitur, et familiam utriusque sexus, cum vinea duorum iugerum in Scherewilre[d]. Horum omnium cartam Ruopertus abbas et Willehelmus episcopus conscribi fecerunt et sigillari, et episcopus perpetuo anathemate et banno spiritali monasterio confirmavit, que etiam usque hodie in armario monasterii continetur[48].

24. Post hec[e] Ruopertus abbas ex hac vita migravit, prefuitque monasterio ab ultimo 1001—1039. anno tercii Oddonis imperatoris usque ad primum annum Heinrici[f] filii Cuonradi[g] imperatoris. Cumque fratres alium elegissent, Heinricus imperator quemdam monachum aurificem de monasterio quod Vivarium[h][49] dicitur, Willonem nomine, violenter intronizavit ac abbatem constituit. Idem enim Willo imperatori cifos cupreos et scutellas stagneas miri operis deauravit, quos militibus in donariis dedit. Quod cum militibus innotuisset, ipsum interficere moliebantur et idcirco imperator illum a se removit ac pro[i] hoc tali commercio abbatem constituit. Quem cum fratres contra velle suum coacti suscepissent, quosdam ex ipsis nobiles et litteratos viros monasterio pepulit et filios pistorum ac cocorum et piscatorum intronizavit ac tonsorari fecit, quos etiam nos ipsi postea de claustro proiectos portarios et pistores ac molendinarios monasterii vidimus. Cumque[k] fratres quadam die missarum sollempnia peragerent, abbas cellarium ingressus, mensuram potus eream inibi pendentem repperit, cumque a cellerario staupum[50] iusticie fratrum esse cognovisset, statim arreptum lapidi inlisit ac totum in partes comminuit. Quod cum fratribus in ecclesia nunciatum fuisset, statim egressi ipsum adhuc in eodem loco repertum, cur hoc fecisset, requisierunt. Quos cum indignanter ac proterva voce abire iussisset, statim arreptum alii per crines, alii per pedes trahere ceperunt et extra claustra monasterii proiecerunt, statimque famuli accurrentes et pugnis cesum per pontes fluvii extra locum abegerunt. Cumque ad imperatorem venisset et calamitatis sue miserias retulisset, imperator ira commotus episcopo Argentinensi[51] per litteras mandavit, ut quantocius abbatem restitueret omnesque facti reos de monasterio expelleret. Episcopus ergo, assumpto abbate, ad monasterium venit consideransque nequiciam et insolentiam ipsius, moderatius, quam iussus fuerat, erga fratres agere studuit ac deinde, pace inter ipsos et abbatem reformata, admonere eos cepit, quatenus et monasterio et sibimet ipsis providerent, illud eis obiiciens: quia non est potestas nisi a Deo[52], qui etiam regnare facit ypocritam[l] propter peccata populi[53], et illud apostoli: quia qui potestati resistit, ordinationi Dei resistit[54], et illud: redimentes tempus, quoniam dies mali sunt[55]. Post hec relictis illis, remeavit in sua. Abbas vero, simulata pace per aliquod tempus, quadam nocte ex insperato cum famulis suis, qui secum venerant, ecclesiam furtive ingressus, partem ornamentorum et thesauri ecclesie et quasdam casulas et cappas cum libris rapuit atque, omnibus navi impositis, aufugit ac turpiter evasit et in Wormatiam civitatem veniens, omnia distraxit et ulterius non comparuit.

25. His[m] ita peractis, imperator episcopum Hezilonem rogavit, ut fratres conveniret ipsosque rogaret, quatenus Egelolfum quendam nobilem virum, Amerbacensem monachum, eligerent. Quod cum factum fuisset, idem Egelolfus abbas ordinatus est. Huius itaque temporibus, iam defuncto Hezelone episcopo, Werenharius successor ipsius pacifice monasterium 1065. ingressus, quendam monachum in eodem monasterio reclusum convenit[n] et ab eo quedam privilegia monasterii, que a fratribus propter tutelam custodienda acceperat,

---

a) Ahenwilre 2. b) curti 2. c) Scerwilre 2. d) Scherwilre 2. e) hoc 2. f) Henric. 2 *semper*. g) Conradi 2. h) Onuartum 2. i) per 2. k) *lemma in* 2: De mensura stofi fracto et Willone. l) hypocritam 2. m) *lemma in marg.* 2: De abbate Egelolfo. n) invenit 2.

45) Ehenweier, v. cap. 9. 46) Markolsheim oppidulum. 47) Scherweiler, v. cap. 9. 48) Chartam Berhtae de Brandenbruoch sive de Griez cum confirmatione Willehelmi episcopi adnexa sub a. 1031. dedit *ex tabulario abbatiae* Grandidier, Als. I, pr. n. 387, sub a. 1041. vero Schöpflin, Alsat. dipl. n. 262, in qua tamen haec donatio aliquantum diversa legitur. Duae certo chartae exstitisse videntur. Ceterum chartam Berhtae genuinam esse, nemo contendet. 49) Murbach. 50) i. e. cyphum, mhd. *stouf*. 51) scilicet Heziloni, qui a. 1047. electus fuit, v. cap. sequens. 52) Roman. 13, 1. 53) Hiob 34, 30. 54) Roman. 13, 2. 55) Ephes. 5, 16.

expetiit; simulque pollicitus est ei, quod si privilegia obtinuisset, statim eum abbatem constitueret. Que cum a proditore fratrum hac conditione accepisset, statim civitatem ingressus, cives ac clerum convocat eisque cartas demonstrat et in presentia omnium ignem copiosum fieri precepit atque illas omnes conscriptiones in ipso conbussit, ea scilicet intentione ut, si omnia privilegia monasterii subtraheret, monachi investituram ab imperatore ulterius non expeterent. Sed enim eius vecordia tali intentione frustrata est: siquidem omnia inmunitatis ac fundamenti et decimarum privilegia in Muorbacensi[a] armario conservata fuerant. Quod factum cum fratres comperissent, protractum proditorem, ligatis post tergum manibus, iumento impositum noctu[b] in exilium transmiserunt, ubi et vitam finivit. Post hec idem Werenharius episcopus Heinrico[c] imperatori[56] insidias cum quibusdam conspiratoribus suis intendebat. A quo cum fortiter preventus ac deprehensus fuisset, omni post hec tempore suspectus fuit. Unde contigit, quia expelli metuebat, ut fratri suo Radebotoni comiti de Habechesburc curtes episcopatus sui et ecclesias multas in beneficio concederet. Deinde[d] ad tantam insaniam devenit, ut etiam allodia et curtes quasdam sancti Mauricii Novientensis cenobii eidem Radebotoni fratri suo per rapinam concederet, id est: Sulza cum pertinentiis suis, Burcheim cum appendiciis suis, Nortuhus[e] et Hundenesheim cum omni utilitate sua, curtim etiam monasterii in Egenesheim cum vineis et agris et omni utilitate sua. Cumque abbas querimoniam de hac rapina coram imperatore fecisset, imperator iram dissimulans cum quibusdam principibus consilium iniit, quemadmodum eum ab episcopatu amoveret. Considerans ergo hoc sine gravi discrimine propter magnitudinem stirpis eius non posse fieri, tale consilium repperit, quod eum Constantinopolim ad regem Grecorum pro negotiis imperii transmitteret. Cumque assumptis comitibus iter arripuisset, imperator legatos post ipsum cum epistola ad regem transmisit, quatenus ipsum insidiatorem imperii in dampnationem exilii destinaret. Quod et factum est. Nam in quandam insulam transmissus ibique toxicatus, impiam vitam digna morte finivit.

26. Egelolfus[f] itaque abbas capellam prime fundationis iam vetustate collapsam destruxit, eamque in alio loco, id est ante portam maioris ecclesie in honore sancti Iohannis baptiste construxit; et ex hoc et deinceps per multa tempora semper locus in deterius prolapsus est. Defuncto[g] itaque Egelolfo[f] abbate, fratres quendam Adelgaudum nobilem virum de Muorbacensi monasterio abbatem elegerunt et ordinari fecerunt. Iste claustrum monasterii iam vetustate collapsum aliasque officinas venustissime, sicut hactenus cernitur, reparavit et curtes monasterii in meliori statu reedificari iussit. Huius itaque temporibus Ruodolfus[h] dux Alemannorum coniuratione Saxonum et quorumdam aliorum principum rex
1077. contra Heinricum imperatorem constitutus, coronam sibi imposuit et in Saxonia regnavit. Hac itaque de causa Heinricus imperator Adelgaudum abbatem expulit ac deposuit, quia filius Iudite, filie sororis eiusdem Ruodolfi[h], fuit et maxime quia corona, quam sibi imposuit, secrete in monasterio fabricata fuerat. Expulsus itaque Muorbacum rediit ibique post
1078. anni circulum obiit[57].

27. Quo[i] defuncto, fratres de proprio monasterio Gerungum quendam nobilem et
1078–1087. honestum virum elegerunt et abbatem sibi ordinari fecerunt. Ordinatus autem decem annis, monasterium augmentando ac meliorando, piis et honestis moribus rexit, donec conspiratione quorumdam perversorum hominum, monachorum videlicet et laicorum, falso rumore infamatus ac[k] depositus fuit. Nam quidam Waltherus, ipsius monasterii cellerarius, contra voluntatem fratrum et contra voluntatem episcopi[58] cum amicis et coniuratis suis Heinricum imperatorem adiit et abbatem multis criminibus falso dehonestavit et abbatiam super eum suscepit. Gerungus vero non valens iniquitati resistere, cessit et in Burgundiam ad

---

[a] Murbac. 2 *semper*. [b] *deest* 2. [c] *deest* 2. [d] ac deinde 2. [e] Northus 2. [f] Agelolf. 2. [g] *lemma in marg.* 2: De abbate Adelgaudo. [h] Rudolf. 2. [i] *lemma in marg.* 2: De Gerungo abbate et eius adversario Walterio. [k] *deest* 2.

[56] In sequentibus Heinricus IV. imperator ab Heinrico III, ad quem narratio cap. 24 spectat, non distinguitur, Wernherus autem episcopus II. (anno 1065—1079.) cum Wernhero I. (a. 1001—1029.), cuius legationis in Graeciam factae meminit Wipo c. 22 supra SS. Tom. XI, 267, confunditur. Wernherus I. autem frater Radebotonis de Habsburg fuisse fertur.

[57] Anno, ut colligimus, 1078. Computus annorum abbatum sequentium, quem instituimus, fundamento nititur modo cap. 29, quo narratur Sigemarum abbatem anno 2. ordinationis ad concilium Lateranense a. 1139. celebratum perrexisse.

[58] Ottonis sane a. 1085—1100.

cognatos suos cum quibusdam de familia ecclesie, qui sibi adherebant, pervenit. Transmissus itaque a suis Romam ad apostolicum[59] perrexit et ab ipso litteras restitutionis sue ad episcopum Argentinensem accepit. Cumque repatriasset, in quandam curtim monasterii divertit. Quod cum Walthero superposito[a] nunciatum fuisset, pertimuit et duos de familia, cocum[b] et fullonem, clanculo ad perquirendum illic transmisit. Qui conficientes situlam plenam clareti, noctu ad ipsum pervenerunt ac Deo gratias de adventu ipsius referre ceperunt. Quos ille gratanter suscipiens, fidem illorum erga se collaudavit. Cumque cifum plenum clareti in lecto collatus bibisset, reliquum sibi usque mane servari precepit. Media itaque nocte venter ipsius intumuit et quasi cacabus bullire cepit. Cumque vicinam mortem[c] presensisset[d], navigio se imponi et ad monasterium, quod Selsa[60] dicitur, se deferri precepit, ubi et non multo post defunctus est. Waltherus itaque tali introitu abbatiam per viginti quatuor annos contra voluntatem episcopi obtinuit et multa dispendia prediorum 1087—1110. monasterii fecit; nunquam tamen ordinatus in abbatem fuit. In ultimis itaque maleficio quorumdam crura et pedes ab umbilico et deorsum doluit, ac per tres dies et noctes a nullo excitari potuit, tercio demum die circa vesperas expergefactus una se tantum hora dormisse existimabat, et ex hoc ac deinceps ad interitum tendebat et baculum pastoralem[e] super altare posuit et abbatiam coram omnibus abdicavit. Huius temporibus Oddo episcopus curtim monasterii in Wizwilre[f] cum omnibus pertinentiis suis rapuit et raptoribus concessit.

28. Defuncto[g] itaque Walthero abbate, Stephanus Clingensis[61] et Wizenburgensis, Selsensis et Lintburgensis abbas, consilarius Heinrici imperatoris[62] precepto ipsius domnum[h] Cuonradum[i] Clingensem monachum, nobilem[k] ac litteratum virum ad Cuononem[l] Argentinensem episcopum[63] destinavit, quatenus ipsum abbatem constitueret; quod et sine dilatione factum est[m]. Susceptus itaque a fratribus, honeste vite et bonarum virtutum executor claruit doctor eximius. Tercio siquidem ordinacionis sue anno ecclesiam maiorem antique 1112. structure ventorum inpulsu iam fere dilapsam, consilio cum fratribus ac familia ecclesie inito, destruxit ac novam, sicut hactenus Deo annuente cernitur, fundavit. Cumque iam fere totam fabricam ipsius complesset aliasque officinas monasterii ac curtes reformasset, octavo et vicesimo ordinationis sue anno de huius vite ergastulo migravit ad Christum[64]. 1137. Iste temporibus suis predium quoddam monasterii in Brissache inutile vendidit et de ipsa pecunia allodium novem mansuum in Witenesheim[n] [65] ab abbate ac fratribus sancti Georgii martiris[o] de Nigra sylva coemit. Comparavit etiam ipso tempore curtim unam in Castineto[66] cum quinque agris vinearum a quodam Regenhardo de Volcholdesheim[67]. Iisdem temporibus Ruodolfus miles de Rinowa[68], ministerialis sancte Marie[69], tradidit sancto Mauricio quatuor mansus et dimidium pro remedio anime sue in Duobelesheim[p] [70]. Item[q] Aigia[r] matrona dimidium cum curte sua[q]. Eberhardus etiam quidam nobilis miles libere conditionis de Crenchingen[s] tradidit eodem tempore sancto Mauricio tres mansus in villa Ebersheim. Ipso etiam tempore Ozelo quidam ministerialis sancte Marie de Castineto monachum se reddidit et tres agros ac dimidium vinearum in Scherewilre monasterio contradidit. Neque[t] etiam silentio transeundum putamus, que miracula Dominus tempore ipsius facere dignatus est. Nam quedam capella in angulo claustri antiquitus in honore sanctorum martirum[u] Stephani, Laurentii et Vincentii constructa ac dedicata fuerat. In hac idem venerabilis Cuonradus abbas horas ac peculiares orationes suas complere solebat. Quadam igitur nocte, in festo videlicet sancti Stephani prothomartiris[v], candela ante altare incaute collocata decidit et omnia sarmenta inibi congesta cum scabello ante altare posito consumpsit. Cumque fratres ad matutinales horas[w] surrexissent, naribus incendium

---

a) supposito 2. b) eorum 2. c) mort. vic. 2. d) persensisset 2. e) *deest* 2. f) Wiswila 1. g) *lemma in marg.* 2: De Conrado abbate. h) domini 1. i) Conrad. *semper* 2. k) *deest* 1. l) Cunonem 2. m) quod f. est sine dil. 2. n) Wittensheim 2. o) martyris 1. p) Dubelesheim 2. q) Item — sua *manu posteriori adscripta in* 1. r) Agia 2. s) Erenchingen 2. t) *lemma in* 2: Miraculum. u) martyrum 1. v) prothomartyris 1. w) laudes 2.

59) Urbanum II. a. 1088—1099. 60) Selz. 61) Klingenmünster ad septentriones oppidi Bergzabern. 62) quinti sane. 63) a. 1100—1123. 64) Cuonradus abbas testis occurrit duarum chartarum a. 1133. et 1135, v. Grandidier, Als. II, preuves n. 627. 635. 65) Wittensheim. 66) Kestenholz. 67) Volksheim haud procul ab Neu-Breisach. 68) Rheinau. 69) Argentinensis. 70) Dieboldsheim inter Rheinau et Bindernheim.

senserunt. Discurrentes itaque per omnes officinas et nichil dampni repperientes, capellam tandem ingressi, omnia que inibi erant conflagrasse vident. Accedentes itaque ad altaria[a], pallium cum linteaminibus, capsas cum cruce omnia salva et intacta, favillis tantum cooperta reppererunt. Quod miraculum omnibus in eodem loco consistentibus innotuit. Vidimus etiam hisdem temporibus energumenos duos, virum ac mulierem, ante altare sancti Mauricii curatos.

29. Defuncto[b] itaque Cuonrado abbate, fratres secundum regulam sancti Benedicti convenientes, Sigemarum virum honestum et prudentem, priorem videlicet monasterii, abbatem elegerunt et Gebehardo episcopo[71] ordinandum obtulerunt. Is namque secundo
1139. ordinationis sue anno Romam ad concilium Innocentii pape[72] perrexit indeque rediens, muros ecclesie ac tecta, que Cuonradus abbas inperfecta reliquerat, perfecit. Huius
1147. temporibus expeditio Iherosolimitana sub Cuonrado rege facta est, et multa dispendia ecclesiasticarum rerum acciderunt. Transacta itaque expeditione, Cuonradus rex defunctus est,
1152. et Fridericus filius fratris ipsius, Friderici videlicet ducis Suevorum imperator factus est. Iste Longobardiam expeditione facta intravit et multas civitates ac castella cepit. Cumque Terdonam civitatem obsideret, Uodalricus[c] quidam nobilis miles de Rinowa, patruelis Heinrici advocati[73], sagitta transfixus est. Is cum iam se moriturum[d] cerneret, Fridericum imperatorem ascivit et testamentum suum per ipsum ordinavit. Nam quoddam allodium suum in Cuonigesheim[e][74] sancto Mauricio contradidit ac se monachum Ebersheimensem fieri rogavit. Cumque ab abbate Vuldense[f][75] tonsoratus et cuculla indutus fuisset, statim defunctus est. Translatus itaque a suis in equis, iubente imperatore, et ad monasterium advectus, ibidem a Burchardo Argentinense episcopo[76] et Sigemaro abbate sepultus est. Anshelmus itaque advocatus monasterii, cognatus ipsius, prefatum allodium ipsa die in presencia episcopi aliorumque multorum sancto Mauricio obtulit. Quod et episcopus monasterio banno ecclesiastico ac perpetuo anathemate confirmavit. Actum anno dominice
1155. incarnationis 1155. Hisdem temporibus Cuono[g] quidam de familia sancte Marie tradidit sancto Mauricio curtim unam et sex iugera vinearum in villa Danbach[h][77] et sex campestres[i]. Oddo etiam de Bruomath[k] et Diepoldus filius ipsius tradiderunt sancto Mauricio quatuor agros vinearum in Castineto. Neque[l] etiam silendum putamus, quale miraculum Dominus temporibus ipsius[m] ostendere dignatus sit. Dedicata siquidem ecclesia a Burchardo Argentinensi episcopo, cum fratres sequenti nocte matutinas laudes complerent, iuvenis quidam lampadem, que extra[n] gradus pendebat, sursum trahens, funem cui innexa fuerat uncino incaucius inseruit; que statim dissoluta plena oleo spacio haste unius[o] corruit ac super pavimentum integra et sicut fuerat oleo referta constitit. Quam cum fratres dissuluisse[p] putarent, accensa candela, salvam et intactam et oleo plenam repererunt et cum maxima admiratione rursus funi insertam suspenderunt. Quedam etiam mulier arreptitia ipso tempore ante sacrum altare infra canonem curata est. Post[q] hec Sigemarus abbas
1163. septimo et vicesimo ordinationis sue anno requievit in Domino et in sepulchro predecessoris sui sepultus est. In cuius locum Nothgerus[r] cellerarius monasterii successit. Et quatuor
1167. annis ac sex mensibus supervixit[s] et ex divina disposicione carni debitum solvens expiravit ....[t]

30. Fratres ad electionem conveniunt, et postulata sancti Spiritus infusione, virum providum et litteratum priorem Oddonem nominatum de Hiltzheim in patrem eligunt. Hic ut erat religiosus et honestus, regiminis sui curam circumspecte gessit et res ecclesie cum edificiis sub ipso non diminute, circa ordinis etiam et conservande discipline studium satis
1177. erat sollicitus. Duodecimo[78] tamen amministrationis sue anno pro debito ad culturas vinearum et agrorum contracto, quod ob sterilitatem eiusdem anni plene persolvere non poterat, creditori suo, cuidam civi Argentinensi, in propria persona se dedit obsidem et in ipsa detentus

---

[a] altare 2. [b] *lemma in marg.* 2: De abbate Sigemaro. [c] Vodalricus 1; Udalricus 2. [d] mor. se 2. [e] Kunigesheim 2. [f] Wldense 2. [g] Cuno 2. [h] Odanbach 2. [i] et sex campestres *recentiori manu adscripta in* 1. [k] Brumath 2. [l] *lemma in* 2: Miraculum. [m] temporibus ipsius *des.* 2. [n] ante 2. [o] un. haste 2. [p] dissiluisse 2 [q] *lemma in marg.* 2: De Noggero et Oddone abbatibus. [r] Noggerus 2. [s] *hic explicit* 1. [t] *hoc loco scriptum fuisse prologum secundi auctoris v. praefationem nostram p.* 430.

[71] a. 1131—1141. [72] Concilium Lateranense a. 1139. Apr. 4. celebrari coeptum est. [73] Argentinensis. [74] Kinsheim, v. cap. 15. [75] scilicet Markwardo. [76] a. 1141—1162. [77] Dambach oppidum. [78] *undecimo* legendum videtur.

obligatione, donec circa natalem Domini gravi febre corripitur. Convocatis igitur reverendis 1177. Dec. 25. quibusdam maioris ecclesie canonicis, viatico et sacrati olei inunctione, premissa confessione, procuratur, deinde coram ipsis cum creditore de persolutione debita facta dispositione, in ipsa nativitatis Domini nocte circa galli cantum decedit. Devectus autem ad ecclesiam suam per alveum Ylle fluminis, ante fores monasterii sepelitur, quod et antea rogaverat, ut ab introeuntibus memoria illius haberetur.

31. Pro[a] consuetudine vero debita fratres ante celebratas exequias ad electionem resident et priorem Egilolfum canonice sibi in abbatem eligunt, Salomone liquet attestante[79], quod memoria iusti quasi mel indulcabitur in ore loquentis. Libet ergo statum patris huius eo gratius scripto mandare, quo virtutum eius fama non desinit in seculum florere. Iste de nobili Burgundionum genere natus et ad locum istum puer delatus et oblatus, et elactatus est hic et enutritus, litteralibus deinde studiis applicatus, Domino inspirante, tam nobilis ingenii gratiam est adeptus quod in monasterio nulli in scientia secundus est habitus. Tandem ad maturam deveniens etatem, prior est in ecclesia constitutus. Qualem se benivolum dederit erga fratres, qualis fuerit in cultu divino et studiosus in edificiis monasterii, labor et opera sua monstrabunt, que hoc ordine describentur. Capellam infra oratorium super eminentes columnas construxit, cuius pavimentum quadris lapidibus constravit, et in honore beati Nicolai dedicari eam procuravit. In qua non longe postea puer immersus aquis et defunctus resuscitatus est. Puellam etiam suffocatam aquis scimus ibidem vite redonatam quam temporibus suis nostris oculis[b] vidimus elegantissime forme cum legitimo viro multos annos duxisse. Quadragesimo vero sexto post obitum eius anno[80] per merita beati Nicolai 1233. s. 1234. tot et tanta miracula Dominus operatus est in eadem capella, que et quanta visa non sunt ex eo tempore quo Dominus noster cum discipulis personaliter conversatus multis signis et prodigiis primitivam suscitavit ecclesiam. Quod idem pater spiritu prophetie tactus quibusdam familiaribus suis predixit, tales videlicet ibi sanctorum reliquias esse reconditas que aliquando virtutes multas de se forent ostensure. De quibus tempore et loco plenius disseremus. Preterea pavimentum monasterii simili opere quadro consterni fecit. Testudineum opus super chorum firmissima structura fieri iussit. Omni tempore vite sue temporalibus ecclesia sua rebus copiosius abundavit et spiritali floruit devotione. Inundatio talis 1183. aquarum sub ipso facta est[81] que numquam extunc visa vel habita fuit.

32. Schisma quoque temporibus his ecclesiam lamentabiliter maculavit. Alexander namque papa, contra quem quidam Victor ex favore Friderici imperatoris fuit electus, sed tandem post longum conflictum devictus, secundo amministrationis sue anno[82] concilium 1179. Mart. 16. indixit, in quo prorsus omnes qui a complicibus premissi schismatici receperant ordines degradari constituit. Inter quos omnes huius monasterii fratres preter paucos iuvenes depositionis penam incurrerunt. Hac clade grex Domini merore nimio percellitur, sacerdotibus devotis et venerabilibus perpetuum silentium indicitur, querulosa fit inquisitio, quid de obsequio divino tractetur. Quid faciant? Duo iuvenes immo adolescentes sacerdotii gradum conscendere de necessitate compelluntur, quia nonnisi per mendicatas personas, que sacerdotium non demeruerant, mensa Domini poterat procurari. Sed hec interim de his dicta sufficiant, et ad processum materie pes digressus reflectatur. Temporibus iisdem 1189. Fridericus imperator in expeditionem ivit transmarinam et ibidem quadam die dominica 1190. Iun. 10. nimium relevare volens estum in quodam fluviolo casu horribili et nimis sinistro interceptus est. Post cuius obitum Heinricus[c] filius suus in imperium eligitur et consecratur.

33. Ceterum anni, quibus hic pater egregius regiminis agebat curam, duodecim[83] fuerunt, in quorum novissimo gravi molestia crurium cepit indesinenter affligi. Cumque diutina infirmitas sua delata fuisset ad domnum Argentinensem episcopum, Heinricum[c] videlicet dictum de Hasenburc, qui semper propter quoddam latens odium inclementi respexerat eum vultu, locum multo comitatu accedit et quasi condolendi gratia lectulo se dedit assessorem in quo decubabat. Dehinc inter multa consolationis verba de resignatione procurationis eum commonere cepit. Ad quod eger decumbens dum paulatim obticuisset,

---

[a] *lemma in marg.* 2: De Egilolfo abbate. [b] oculis *inserui; deest* 2. [c] *correxi;* Henric. 2 *semper.*

[79] Eccli. 49, 2. [80] Anno, ut colligimus ex cap. 42, 1233. exeunte seu 1234. ineunte. [81] A. 1183. mense Novembri, v. Annal. Marbac. h. a. [82] Post pacem Venetam scilicet. [83] *undecim* legendum videtur.

tandem in hanc vocem prorupit: *Quia sepe dictis et factis me lesistis et usque ad mortem me gravare non desinitis, in propria persona vos appello quod infra terminum huius anni coram summo iudice domino nostro Iesu Christo mihi respondeatis.* Episcopus hoc audito medullitus infremuit et totus in lacrymis profusus, gradum ab eo divertit. Etenim fides accedit
1189. Aug. 15. dictis. Nam abbate circa assumptionem beate Dei genitricis obeunte, subsequitur episcopus
1190. inantea die paschali migrans de corpore.

Mart. 25. 34. Domus[a] orbata dilecto patre et benefactore suspirat, et successorem sibi indilate dari, quo regatur, expostulat. Super quo fratres libera dotati electione consident, et quia viros habere non poterant nisi quos schisma, sed non infamia, deliniverat, tandem[b] ex eis unum eligunt, Fridericum de Ebersheim, arbitrati quod obtenta forte per ipsum apostolica dispensatione, simul ipsi cum eo revocari ad pristinum ordinem mererentur. Electus ad episcopum pro investitura mittitur, sed obiecta premisse cladis deiectione, non admittitur. Nihilominus tamen ipse redit in possessionem et, subtractis optimis ecclesie privilegiis, vi potitur votis. Sed durabile res hec non habet emolumentum. Episcopus enim quemdam nobilem et procere stature virum nominis Rimundum, qui venerat de Babenberc et monachus erat claustri quod dicitur Municheberc, superducit et instituit. Schismaticus, viso quod facto potenti reniti non poterat, litem dimittit et veniam petens recipitur, sed privi-
1191. legia non sunt ecclesie restituta. Anni duo necdum fluxerant et habentia monasterii sic est exhausta, quod retroacte copie nullum vestigium invenitur. Abbas igitur, assumpto[c] secum uno serviente, declinavit ad abbatem Sancte Walpurge[84], qui diebus illis ex industria sua Heinrico familiaris erat imperatori et principibus, et pro reverentia pre ceteris huius terrae spiritalibus personis honoratus; de cuius etiam consilio, quia suus erat comprovincialis et dexter specialis, huic loco fuit destinatus. Abbate vero de residentia transmigrante, fratres simul preter duos et totidem pueros eliminantur et ad singulas diocesis ecclesias conservandi diriguntur. Ne morer in multis, quid de hoc patre scribam nescio, nisi quod satis erat quantum in se religiosus et castus; attamen omnibus diebus suis, viginti quatuor[85] scilicet annis, quibus regimini prefuit, claustro pressura cum penurie miseria non defuit. Allodium in Sulza cum capella tempore suo venditum est centum marcis, quibus solvebantur decime quedam quas obligaverat. Ordo cum disciplina dissolvitur, quia sub ipso
1196. fratres tertio sunt dispersi. Preterea nono[86] sui temporis anno secunda fit expeditio Ierosolimitana[d] tantaque fames orta est, quod exinde multi interierunt. Siligo vendebatur quadringentis denariis, ordeum trecentis.

35. Nec longe post Heinricus imperator dolo circumventus uxoris, cuius parentelam
1197. Sept. 28. diversis cruciatibus affectam extirpavit, toxicum sumit et exspirat. Philippus autem frater eius quasi hereditarium se imperio successorem ingerit et ad hoc quosdam principes huius terre favorabiles sibi assumit. Saxonie vero primates et Germanie sauciati a fratre suo Heinrico imperatore, remoliuntur et Bertholdum ducem de Zeringin, qui eo tempore Burgundiones expugnaverat, adsciscunt et, ut imperialis cure dignitatem attemptet[e], fidele sibi patrocininium compromittunt. Iste Coloniam profectus, quasi propositum affectans, post aliquanta secum de gravi labore et expensa discutit et cepto renuncians, in propria cum improperio remeavit. Interea frater Philippi Oddo dictus de Anelant[87] partibus Alsatie se dedit invasorem et sine obstaculo dimicans ad castrum quod dicitur Hunenburc venit et ibi fratrem Conradi episcopi Argentinensis, qui Heinrico prememorato successerat[88], telo traiectum occidit. Episcopus ergo sicut erat strenuus et tyrannicas semper amans curas,
1197. in ultionem fratris omnes civitates et aulas regias sue ditioni vicinas irrupit et incendio
1199. destruxit[89]. Philippus autem valida manu veniens Argentinam obsedit et diu laborans eam subigere sibi, et non proficiens, facta compositione, per interpositas quorundam principum personas flectitur et recedit. Episcopus statim missis nunciis Oddoni, cui Saxones contra Philippum dextras dederant, se complicem offert, quod munitus veniat, facilem sibi in has

---

a) *lemma in marg.* 2: De abbate Rimundo. b) *correxi;* tamen 2. c) assumto 2; *similia semper.* d) Iherosolym. 2. e) *correxi;* attentet 2.

84) hodie Walburg uno miliario distans ab Hagenau ad septentriones. 85) annis, ut videtur, 1190—1213. 86) Hic numerus falsus est, legendum erit ad maximum: *octavo.* 87) palatinus comes Burgundiae. Cf. de hoc cognomine Kaiserchronik 17430: *sich selben hiez er âne lant.* 88) anno scilicet 1190. 89) anno 1197. exeunte, v. Ann. Marbac. h. a.

partes ingressum, fide prestita, ministrare spondet. Gaudet ille et de fautoris ope fiduciatus iter aggreditur et sine difficultate donec ad civitatem Wisenburch proficiscens, legationem 1201. habet, quod post terga contra ipsum adversarius expeditionem habeat vel moveat, et veritus interceptionem, infecto negotio revertitur. Nihilominus autem Philippus idem moliebatur. Congressurus enim secum usque Babimberc processerat, et ibi a comite de Wittilisbach, cui filiam suam desponderat et fraude subduxerat, occiditur. Et sic Oddo, 1208. nullo obstante, regno gloriatur; dein cum exercitu Romam properat et consecratur. Verum 1209. quoniam historia sepius ingesta digressionem fieri compellit, enumeratis tantum[a] enumerandis, cepti operis cursus ad seriem propositi recursum impellit.

35. Vicesimo[b] quarto pretaxati abbatis Rimundi anno domnus Argentinensis episcopus, 1213. Heinricus scilicet de Veringen, qui Conrado successerat in pontificatu[89], assumpto secum Anshelmo monasterii tunc advocato, memoratum convenit abbatem et, obiecta rerum tenuitate, facilem eum invenit et affectuosum ad procurationis depositionem. Resignato itaque pastorali baculo, fratribus etiam ab obedientia solutis, fit consessus ad electionem. Cumque interea premissi duo, episcopus et advocatus, ne partium discrimen moveretur, se quasi utiles ingerunt assessores; unde presentibus ipsis fit interruptio, nec processum habere poterat electio. Postulant ergo cum devota precum instantia, quod compromissio detur in ipsos, pollicentes in vera fide, citra quatuordecim dies unum e fratribus, quem potissimum adiudicarent, se regimini velle preficere. Statutus evolvitur terminus, immo mensis, et unus et alter, nec promissi fides salvatur. Indigentia cepit urgere fratres, nec qui porrigeret optabatur. Musitat enim rumor occultus, quod palparentur unus et alter latenti simonia super extranearum impositione personarum. Cui morbo volentes occurrere pastore destituti, Murbacensem eligunt abbatem Arnoldum nomine, de cuius ecclesia pridem multos receperant fratres. Iste nobilis erat genere, sed nobilior moribus et pia conversatione. Quod liquido sic patuit, quia gratiosus ad honorem sibi oblatum, ad omne quod imminere poterat subditis periculum, se fidum et inflexibilem obicem exhibuit. Fama facti volat ad aures diocesani et, bile concepta, vehementem contra factores quasi in presumptores movet indignationem; nihilque moratus, brevem assignat terminum et, ut omnes simul coram eo compareant, sub obtentu vere precipit obedientie. Fiduciati fratres de patroni subsidio, festinos et hilares se forensi parant mandato. Ministeriales interim contra dominum suum abbatem invehuntur et, quod eos secum degeneres dare velit ex humilioris perceptione beneficii[90], improperant, et sic aversus licet invite negotium demandat. Quid ergo? Presul sedet pro tribunali, et ut grex incustoditus lupo devorandus obiiciatur, sic cetus iste carens sublevante sevicie iudicis opponitur. Modum et numerum non habent contumelie quibus debachatur[c] in astantes, et ad furorem suum multos habet applausores. Audientia denegatur obloquentibus, et ne multis utar ambagibus, ad manumissionem denuo compulsi, gratie submittuntur presidentis. Mitigatus ille et voluntarios iam habens ad suum arbitrium, abbatem eis imponit Hugoniscurie[91] nomine Wernherum, sic ut utrique presit ecclesie. Iste locum suum ad bonum statum redegerat, ita quod ecclesia sua temporalibus rebus habundabat. Investitus igitur et curiam ecclesie que sita est in Argentina cum fratribus ingressus, ex advocati persona salutatur, sed ne fratres secum ad monasterium reducat, ordinato forte sic ante consilio, cohortatur. Mittitur post tergum, et arcelle sive in dormitorio seu in quocumque loco fuerunt invente securibus effringuntur, quia in loculis quorumdam sperabatur argentum inveniri. Interim abbas pomposo comitatu locum ingreditur et a secularium personarum et histrionum iocundo recipitur et vocifero sonitu. Sed fratres, ex premissi advocati persecutione precluso sibi reditu, in omnem locum disperguntur. Assumit tamen quosdam abbas in ecclesiam suam Hugoniscuriam et illic eos de rebus huius monasterii procurat. Duos autem girovagos monachos in hoc egregio loco divina susurraturos collocat. Anni iam circulus evolvitur, et de permissione tam episcopi quam advocati fratres recolliguntur, et sic ordo pro parte reformatur. Respexit enim Dominus ecclesiam, revocatis quasi de captivitate Babilonica[d] iustis heredibus. Nam Fridericus

---

a) tatum 2. b) *lemma in marg.* 2: De Arnoldo et Vernhero abbatibus. c) debacchatur 2 d) Babylonica 2.

[89] anno videlicet 1202.

[90] Ebersheimensis scilicet abbatiae, quae non, ut Murbacensis, erat regni, sed potius episcopatus Argentinensis.

[91] Hugeshofen, gallice: *Honcourt*, in valle Weilerana, dicta Albrechtsthal, haud procul a Weiler situm.

quidam cognomento Meisterlin et uxor sua Adilheidis, qui in curia claustri sita in Argentina residentiam fecerant a quadraginta annis, se cum omni habentia sua transtulerunt ad locum et quadringentas libras et amplius contulerunt. Recepit etiam abbas ab officialibus suis septuaginta libras et insuper, et sic domus ab omni debito solvitur, et agri campestres cum vinetis in cultura redintegrantur.

36. Novi item casus a cepto nos revocant et ut memorie commendentur invitant.
1212. Quidam puerulus Nicolaus nomine veniens a pago Coloniensi, multo puerorum comitatu et suggestione qua nescio stimulatus, asserebat se posse sicco vestigio maris undas transvadare et sufficientem expensam sequentibus se ministrare. Fama tam mirabilis facti resonat in civitatibus et villis, et quotquot audierunt tam masculi quam puelle, parentibus relictis, signum crucis recipiunt et ad transfretandum se expediunt. Sic per totam Alemanniam et Galliam servulorum, ancillarum et virginum infinitus numerus ductorem suum prosecutus, venit ad Vienaiam, que civitas est mari contigua, et illic aliqui navibus recepti et a piratis divecti, Sarracenis venduntur. Aliqui reditum affectantes inedia consumuntur, puelle etiam multe que virgines exierant gravide revertuntur, et ita liquido datur intelligi, quod hic cursus ex deceptione maligni hostis emanarit, quia multis perditionis causa fuit. Eodem anno Oddo imperator contra iuramentum quod fecerat terras quasdam Romane sedi tributarias usibus suis vendicat. Ob hoc vinculo anathematis innodatur, et per totum imperium hec sententia confirmari imperatur. Ipse tamen contumax et inobediens,
Sept. in Teuthoniam revertitur et in montem Brisacum se recepit et ibi residentiam disponit, ut ex hac munitione sibi resistentes impugnare valeat. Saxones igitur, qui secum venerant, res burgensium nimis avide diripientes et uxoribus et filiabus eorum violentiam inferre volentes, seditionem contra se concitant; fit pugne congressus cum tumultu et ab indigenis advene conteruntur. Imperator per crepidinem montis resiliens, rebus perditis, cum paucis evasit; deinde ducatu marchionis de Badin fultus abscedit et in regno postea non comparuit. Fredericus rex Sicilie, filius Heinrici quondam imperatoris, cui puero principes Alemannie iuramentum prestiterant, quod patri succedere deberet in regno, fretus auxilio pape Innocentii, per Longobardiam sequitur e vestigio et Basileam usque deveniens et inde Haginowam ductus, ab Argentinense episcopo recipitur in regno et regnandi nullum invenit offendiculum. Iste pacem firmat et predones quos reperit indifferenter dampnat[a]. Hec interim de premissis dicta sufficiant, et scribentis nisus ad propositum recurrat.

37. Wernherus abbas usque ad nonum annum utramque regens ecclesiam, tempora-
1221. lium affluentia gloriabatur, sed circa religionis curam non multum erat sollicitus. In nono vero anno loci prioris[92] quidam monachi apud advocatum suum, comitem Albertum de Habisburc[93], se delatores sibimet offerunt et, quod res domui sue distractas redegerat in usus alterius ecclesie, mentiuntur. Comes tyrannico semper motus impulsu, statuit insidias; et, cum die quadam visitandi gratia locum adiret, captivatur et vinculis iniectus et abductus, in castro quod dicitur Limpberc eidem presentatur. Quo viso, comes eum de lapidatione sue domus interpellat et subito tactus furore, denudatum ementulari imperat. Abbas auxilium honestorum militum qui aderant suppliciter invocat, et vix per illorum intercessionem ei quinquaginta marcarum precio penam redimit; quarum medietatem postera die persolvit, pro reliquis persolvendis vadem dedit. Solutus ergo spiritale iudicium querit. Sed nec per hoc neque per seculare iustitie locum invenit. In Argentinam ergo se transtulit et ibi graves faciens expensas, sex fere menses exegit. Deinde episcopo Argentinense, qui pro negotio ecclesie sue Romam profectus est, comitem se fecit et in itinere correptus infirmitate, subito moritur et pecuniam quam habebat per episcopum remittit huic loco, quem se confessus est dampnificasse ad ducentas libras; nec tamen quicquam ecclesie restituitur.

38. Veniunt[b] qui nuncient obitum defuncti, et per electionem fratrum Wernherus de
1221—1223. Corch, qui in monasterio fuerat enutritus a puero, substituitur. Iste tertium annum in regimine non perfecit, et ecclesia sub ipso nec in temporalibus nec in spiritalibus profecit. Dico tamen quod ante commissam sibi curam satis erat honestus et benivolus; sed habebat fratrem monachum sibi couterinum nomine Gotfridum, qui semper avaritie nimis intendebat et congestor fuit pecunie. Cui quasi confidenti et sibi de iure fideli res monasterii

---

a) damnat 2. b) *lemma in marg.* 2: De Wernhero de Corch abbate.

92) id est Hugeshofensis abbatiae. 93) dictum Sapientem, lantgravium Alsatiae superioris.

commisit. Sed ipse si qua subtrahere poterat, in usus proprietatis recondidit, et ita domus substantie diminutionem incurrit. Obiit autem episcopus Argentinensis Heinricus de Veringin 1223. Mart. 11. huius anno tertio. Et Bertoldus filius ducis de Decke sibi succedit in episcopii ministerio. Ipso anno cepit abbas iam dictus debilitari, ita quod in manibus eius et cruribus pustule tumescerent, ex quibus sanies ebulliebat. Quo morbo semper invalescente, discrimen impositum est ei infectionis[a], et probandus ad mensem et dimidium in sequestro recluditur, fratre simul a procuratione sui officii submoto. Iste tactus amaritudine pro commissi beneficii destitutione, pecuniam absconditam ad alia committit loca, a quibus neque sibi neque ecclesie de cetero fuit restituta. Subtraxit etiam duo efficacissima privilegia, que per fratrem suum, dictum Waltherum de Chorch, episcopo fecit assignari, sperans per hoc officii prius habiti recuperationem posse mereri. Deinde recogitans secum quid fecerit, tactus dolore, tres menses vix supervixit. Frater reclusus, tabe non imminuta, vocatur ad proxime sinodi instantiam et ibi ad resignationem procurationis inducitur. Affuerunt aliqui de fratribus, qui festino reditu factum nunciant, et antequam solverentur a premissi abbatis obedientia, nimis incaute precipitant electionem in priorem suum nomine Anshelmum. Iste cum fratribus in amministratione locari petit ab investitore, sed obiectionem precipitationis audit et non exauditur.

39. Venerant[b] ipso anno duo viri litterati de curia Romana, alter iunior sed mire scientie, alter provectior etate et statura, sed respectu minoris idiota. Isti receperant ordinem domus Theutonicorum, in quo iunior adeptus est apud Honorium papam[94] summe camere dignitatem. Procedente tempore iunior a seniore circumvenitur proponente, quod dignitas qua fungebatur periculum immo detrimentum evidens sit anime, et suadente, quod secum arctiorem petat ordinem, obtemperans invenitur. Gavisus ille claustrum affectat Cisterciensis ordinis, unde puer exierat, relicta sua professione, hinc non longe situm, quod dicitur Pomerium[95]. Quo venientes antequam sumerent habitum, locum istum adeunt et, considerata eius qualitate, ad propositum redeunt. Post assumptum autem ordinem et probationem fere per sex menses adtemptatam, rigor eos lacerat, recolentesque situm delectabilem quem viderant, deliberatione secum habita, veniunt. Et quam sit utile si recipiantur proponentes, maxime propter scientiam iunioris, sue petitionis effectum inveniunt. Percipitur interea veridico relatu, quod multi monachi et abbates toto nisu ferveant ad intrusionem huius abbatie. Fratres hoc scientes et de iactura cassate electionis dolentes, infirmum illum suum dico prius abbatem conveniunt, et tunc demum absolutionem obedientie sibi prestite cum devotione postulantes, admittuntur. Hinc habito consilio, iuniorem illum fratrem advenam, Heinricum nomine, Herbipolensem natione, in curam regiminis eligunt, audientes ab eo, quia ius novit, quod de iure non poterat abiici, et electum protinus, ut postulet investiri, dirigunt. Adsunt quidam abbates et canonici, dum peteret institui, qui Rome viderant eum in officii sui sublimitate adeo florentem, quod omnes cause supervenientes ad examen eius expediende devolverentur, et fideliter episcopo consulunt, ut audiatur. Qui dictis et assertionibus eorum illectus, instantem recipit, et quod exigit onus ministerii imponit. Procurata iam ecclesie cura, gesta principum replicemus.

40. Fridericus ut premissum est nuper in regnum electus, dum post pauca consecrationem Rome consequeretur, 1220. Nov. 22. Siciliam revisit et Heinricum filium suum in Alemannia regem constituit. In isto claret liquido quod scriptum est: *Ve terre ubi rex puer est.* Eccl. 10, 16. Iste cepit quasi degener luxui deservire, consilia prudentum avertere, tyrannorum precipitem dementiam et consortia diligere, paternis monitis in firmanda pace non obtemperare. Quorumdam denique stimulatus instinctu, contra memoratum Bertholdum Argentinensem episcopum manus conatur extendere et multis eum iniuriis lacessere, proposita hac dimicandi occasione, quod ad hoc comparaverit a comite de Lyningen munitiones, ex dote filie comitis de Dagesburc, quam duxerat uxorem[96], sibi cedentes, ut valentius opponere se sibi posset et imperio. Quippe quia genere, divitiis et virtute prestantis animi fortior erat omnibus

---

a) infestionis 2. b) *lemma in marg.* 2: De Henrico abbate.

94) tertium. 95) Baumgarten prope Andlau. 96) Gertrudis filia Adelberti II. comitis de Dagsburg, a. 1225. mortua, tertio nupta fuerat Simoni de Leiningen a. 1226. defuncto. Cf. chartam Bertholdi episcopi a. 1226. Sept. 29. ap. Würdtwein, Nov. subsid. dipl. XIII, 292. et chartam Heinrici regis a. 1226. Nov. 28. ap. Böhmer, Acta imperii selecta n. 319. (Reg. imp. n. 124.)

predecessoribus suis et, ut sine preiudicio eorum dixerim, omnibus eis successuris, facta fidem firmant. Episcopus viriliter contra nititur, civitatibus enim regis a montibus Alpinis et comitibus sibi contiguis usque ad hos terminos, adversus eum simul conglomeratis, se dedit obvium et circa[1] pagum Prisiacensem in campestri planitie iuxta villam que dicitur 1228. Iun. 8. Bladosheim[2], in imagine sancte Dei genitricis Marie, que fuit in vexillo depicta, eis opposita, movet in fugam et, innumeris captivatis, aliis curruum rotis contritis, multis etiam in Rheno submersis, gloriosum obtinet triumphum. Rex, comperta suorum destitutione, se pro valetudine contra civitatem Argentinensem instaurat obsidione. Episcopus interim abbatem, quem nuper imposuerat, mittit ad curiam Romanam. Qui, ut bene poterat et ut notus erat domino suo, qui miserat eum, impetrat quod omnes invasores ecclesie sue personaliter compescere per censuram possit ecclesiasticam. Ita sublimavit idem episcopus ecclesiam Argentinensem optimis huius provincie castellis, quorum hec sunt vocabula: Gyrbaden[3] cum appenditiis suis, Bernestein[a][4] cum sibi adtinentibus, Danne[5] cum theloneo optimo et rebus ad se pertinentibus, quod habuit a comite de Phyrreto qui dicebatur Grimel, qui parricidium in patrem suum commiserat[6]. His et aliis probabilibus meritis egregius ille Bertholdus episcopus tunc memoriam sui nominis perhennavit.

41. Ceterum abbas gratie retributionem, quam pro suis laboribus semel et secundo Romam pro Argentinensi ecclesia profectus percepisse debuerat, alias perdidit. Homines enim regis adversus eum ita conspiraverant, ut sicubi comprehendi potuisset, atrocissima mortis pena, pro eo quod negotiatus fuerat contra imperium, multari deberet. In Argentinam ergo se transtulit et in gravissima expensa vivendo luxoriose, bona domus Domini dissipavit. Post res exhaustas et curias quasdam creditoribus cum ornatu ecclesie Iudeis obligatas, fratrum quosdam in dispersionem, quosdam in captivitatem aliquamdiu mitti disposuit et in hoc episcopum, cui servierat, propitium ad tempus et stultitie sue dissimulatorem habuit. Mittitur ab apostolico medio tempore legatus, cardinalis videlicet dictus Oddo, statum ecclesiarum Alemannie respecturus. Qui ob metum regis ad singulas dioceses declinare formidans, quippe quia controversia tunc movebatur inter papam et imperatorem, in Argentinam, in qua defendi poterat, est receptus. Deferuntur autem illuc ei quelibet huius terre negotia discutienda; sed inter multa sibi aperitur de huius ecclesie dilapidatione. Notorium enim erat quod populus et locus in quo residebant utrique proclamabant. Terminatis igitur eis secundum posse pro quibus venerat, visitatores instituit et iam reditum disponens, inter cetera statuta depositionem huius abbatis eis committit. Mandatum imperantis servatur, et cum aliquibus qui idem meruerunt ministris quasi sinister circa 1228. s. 1229. principium septimi anni deponitur. Fratrum quidam per diversa locati factum ignorant, et visitatores contra libertatem antiquam ecclesie sibi potestatem electionis usurpant.

42. Fuit[b] tamen in ecclesia monachus, procurator et cooperator nuper depositi, qui optimos de familia episcopi et quosdam homines monasterii litteratos et illitteratos undecumque sibi illexerat, ut ipsorum favore regiminis arcem posset conscendere. Sed episcopus negotium ad se deportatum cum maxima despexit indignatione et huiusmodi personam animo proponi sibi penitus inhibuit. Sicque spes hominis illius, non plantata radice iusti vigoris, exaruit. Sepedicti visitatores diem constituunt, et fratres de locis suis recollecti, coram eis compareant precipiunt. Fit concursus ad locum assignatum, et quod aptare velint loco ministrum idoneum ab eisdem visitatoribus est propositum. Fuerunt fratres qui submurmurarent, contra canones esse quod obponunt, nihilominus ipsi non ad aliud nisi ad loci et ordinis utilitatem se iurabant conari. Cum autem vim non videretur habere, sed multum reclamaretur super commodo promisso, locus et assensus conciditur. Producitur in medium Novillarensis[9] ecclesie camerarius nomine Conradus, et ut assumat sibi laborem reformande destructionis adtentissime rogatur. Ille cum eiulatu maximo, sicut credi potest et vere sincero, reclamat et quod nec scientia, nec persona, neque providentia sit conveniens intonat. Sic fere trium horarum evolutio consumitur, antequam ad consensum

---

[a] Bernesteim 2. [b] *lemma in marg.* 2: De abbate Conrado.

[1] i. q. e regione. [2] Bladolsheim seu Blotzheim ad occidentem oppidi Hüningen. [3] Girbaden olim uno miliario a monte Odiliano ad septentriones in Vosago situm. [4] Bernstein, cuius rudera exstant supra oppidum Dambach. [5] Thann. [6] anno 1234. v. Ann. Marbac. [7] Neuweiler prope Buchsweiler.

emolliatur. Tandem annuens episcopo presentatur, et inter multas lacrimas et suspiria monasterio preficitur. Non post multa vero ad locum accedit, nec unius diei sumptum ad manus invenit. Creditores statim benivoli conveniuntur, et que sufficiat tam ad victum quam ad cultum indigentia mutuatur. Labor huius ministri vere sudabat[a] ad ordinis reformationem, et si qua fuit huc usque dissolutio, competenter est ab eo sopita; fuit etiam ardentissimus eidem nisus, ad castimoniam et religionem inducere si quos poterat viros ac mulieres. Adherebat enim Predicatoribus, quos idem fervor accenderat, et Minoribus fratribus, quos utrosque ordines Dominus noviter excitaverat ad imminentem ecclesie necessitatem. Eo namque tempore tot hereses pullularunt, ut in villis et civitatibus infiniti huiusmodi labe infecti invenirentur. Quos intrepida valitudine dictus ordo Predicatorum vel ab errore revocabat vel irrevocabiles civili curie dampnandos exponebat. Invenit idem abbas domum ducentis quinquaginta marcis Argentinensium et insuper obligatam, nec usque ad quatuor annos et sex menses[8] huic summe quicquam poterat adimere, scilicet indesinens sumptus massam debiti magis exagerabat. Circa medietatem autem quinti anni Dominus Deus misericordia motus, inestimabili bonorum largitate monasterium locupletavit. Nam per beatum Nicolaum in capella sua longe pretaxata sic recentibus miraculis potentie sue declaravit immensitatem, ut sine estimatione et numero contracti, curvi, ceci, muti, calculosi, obsessi et diversi generis egritudine gravati indilate curarentur. De quorum numerositate pauca metrice digessimus, quia non est volumen quod summe plenitudinem comprehendere sufficeret. Tantus fit concursus, ut in oblationibus infra duos annos et sex menses[9] mille quadringente libre Argentinensium reciperentur. Pignora solvuntur, collapsa restaurantur et ad iocundum statum ecclesia de multis retroactis tribulationibus revocatur.

43. Temporibus iisdem Heinricus, qui regni gubernacula gerebat, audito quod pater huius imperator ob frequentes insolentias suas sibi aliquotiens insinuatas falcem imperatorie severitatis in eius correctionem dederit et a Siciliae finibus, ubi viginti annis et uno demoratus fuerat, reditum ad Theutonicam maturarit, austeritatem suam veritus, cum eis quibus a iuventute se crediderat archanum consilii sui trutinat et, quomodo patri valeat aditum obstruere, comentatur. Aperit ergo erarium suum regium et, convocatis eis quos inedia pulsabat, copiosum erogat salarium et errori suo turmam conglobat assentaneam. De civitatibus quoque singulis imperio subiugalibus optimorum filios sibi dari postulat obsides, intendens per hoc eas fore sibi annexas nec in partem alteram declinandi querere vestigium. Iam in notitia quorumdam ventilatur, quod imperator in procinctu sit veniendi, et temeritas eorum qui se filio complices dederant consternatur. Unde querunt[b] unus et alter in quibus se tueri valeant secura munitionum diverticula, relictusque solus ille puer, nec iam rex, in quibus occultetur non invenit latibula: ecce qui semper fuit anceps et paucorum instillatus auribus! Iam personat in terris principis ingressus, et a maioribus natu et civitatibus universis populosus datur occursus. Tandem et filius a quibusdam productus, dum pro gratia recipienda pedum offerret oscula, non recipitur, sed sine spe reditus proscriptioni destinatur. 1235. Aug. 15.

---

a) sudabant 2. b) quaeruntur 2.

8) usque ad annum igitur 1233. exeuntem circiter. 9) usque ad annum igitur 1235. exeuntem seu 1236. ineuntem.

EMONIS ET MENKONIS WERUMENSIUM CHRONICA.

EDIDIT LUDEWICUS WEILAND.

Ad extremas regni Germanici oras maritimas, ad Frisiae partes, ubi vetus Germanorum libertas inter homines rusticos adhuc saeculo XIII. vigebat, deducunt nos Chronica, quae edituri sumus et quae nominibus Emonis et Menkonis abbatum Werumensium iure inscribi licet. Nam in codice antiquo membranaceo, quem sub numero 1 infra probaturi sumus pro parte autographum esse Menkonis, cum inscriptiones in fronte et in calce prioris operis appositae id Emoni vindicant, tum auctor posterioris chronici prolixe narrat, Emonem opus praecedens composuisse. Menkonem vero auctorem fuisse chronici posterioris, docemur inscriptione in fine codicis manu eiusdem saeculi XIII. adiecta. Uterque enim auctor in opere suo de se ipso tantum persona, ut dicunt, tertia agit. Cum de vita et gestis auctorum inquiramus, fere omnia ex ipsis operibus hauriamus oportet, quia alii fontes praesto non sunt. Et praesertim Menko de Emone nobis multa gravioris momenti retulit.

Emo igitur, qui a. 1237. Dec. 13, cum iam ad annos senectutis pervenisset[1]*, diem extremum obiit (col. 131), circa a. 1170. natus esse videtur, et parentibus nobilibus Fivelgoniae seu fortasse Hunesgoniae, ut colligi licet ex eius cum aequivoco Emone, primo fundatore Campi Rosarum, cognatione*[2]*, quem ipse nobilitate secundum considerationem carnis praeditum*[3] *vocat. A primis pueritiae suae annis litteralibus studiis imbutus, in limine adolescentiae iam pueros in quodam sancti Benedicti monasterio litterarum elementa docebat*[4]*; postea studii causa cum fratre Addone Parisios et Aurelianos*[5] *et demum Oxoniam Angliae anno aetatis vicesimo*[6] *adiit. Summa cum diligentia iuvenes his locis versantes, omnes auctores ethicos, Ovidium, Vergilium, satiricos et alios poetas et metrica opera theologiae, ut Auroram (Aratoris scilicet), Sedulium, Theophistam*[7]*, Priscianum maiorem et minorem, Petrum Eliam*[8]*, Summas quoque grammatices et dialectices, noctibus ad vigilandum et exarandum inter se divisis, integra descripserunt et ex ore magistrorum glossaverunt*[9]*. Oxoniae dein praecipue iuri canonico tantam operam navabant, ut Emo postea iuris canonici et legalis cognitione super omnes clericos Frisiae excelleret*[10]*. Magistri titulo decoratus et in patriam reversus Emo a Thietmaro episcopo Mindensi*

---

[1] V. col. 128: *usque ad annos senectutis sue.*

[2] Amitae Emonis fundatoris filium se ipsum vocat col. 4.

[3] col. 1.

[4] col. 4 et 115.

[5] col. 115.

[6] col. 4.

[7] Auctorem huius nominis non cognovi.

[8] Grammaticum saeculi XI, qui commentarios in Priscianum composuit, teste Fabricio ed. Mansi II, 90.

[9] col. 115. 128.

[10] col. 116.

(a. 1185—1206.) sacros ordines accepit et mox communi suffragio populi parrochus electus est in Huisinge in pago Hunesgo[11]. *Sed animus eius zelo vitae aeternae inflammatus, altiora petebat et melioris vitae conversationem sitiebat. Accessit igitur ad cognatum suum aequivocum, qui in proprio praedio suo, in Fivelgo sito, Romerswerf dicto, iam a. 1204. oratorium novum fundaverat, claustrumque ibi constituere iam diu frustra satagebat. Assumunt ambo habitum ordinis Praemonstratensis ab abbate Varlarensi a. 1209, chartamque accipiunt ab Ottone episcopo Monasteriensi, qua Emoni sacerdoti cura novellae plantationis deputatur. Post collatam ecclesiam in vico Werum ad dexteram Fivelae ripam sito, hodie dicto Wittewierum, a. 1213. conventus fratrum illuc transfertur et nomen Floridi Horti (Bloomkamp) accepit, sororibus relictis in claustro primitivo, quod Campus Rosarum (Roozenkamp) seu Novum Claustrum (Nijeklooster) vocabatur. Extunc Emo noster sub nomine praepositi curam monasterii utriusque sollicite gerebat; a. 1217. paternitatem abbatis Praemonstratensis, Praemonstratum profectus, impetravit; a. 1225. Mai. 23. a Theoderico episcopo Monasteriensi nomen et officium abbatis accepit, quo munere usque ad diem obitus a. 1237. Dec. 13. fungebatur. Quantas autem tribulationes quantosque labores pro monasterio sibi subiecto sustinuerit, praesertim cum Herdrici praepositi Schildwoldensis insolentiis sese opponeret, optime ex ipsius narratione cognoscitur. Hoc loco tantum commemorare libet, quater eum Praemonstratum ivisse (a. 1211. 1214. 1217. 1224.), ubi a. 1214. omnes ordinis libros accuratissime descripsit. De itinere Romano, quod ad provehenda monasterii negotia a. 1211. et 1212. arripuit, ipse nos optime edocet. Deinde a. 1225. cum episcopo Monasteriensi, de morte Engelberti Coloniensis infamato, Leodium profectus ad Conradum cardinalem episcopum Portuensem et S. Rufinae, negotiis ibi peractis testis oculatus interfuit. Cum Olivero scholastico Coloniensi, qui a. 1214. et 1224. crucem per Frisiae partes praedicavit, Nostrum intimum commercium habuisse ex eo apparet, quod a 1224. ipsum in Florido Horto hospitem excepit.*

Auctor noster, qui litterarum scientia non minima inter coaevos emicuit, rei litterariae summam operam dabat, multo satagens studio, ut armarium librorum in capitulo libris sacrae scripturae impleret[12]. *Quamobrem clericos non solum instruebat et ad scribendum fervide incitabat, sedet iam sorores sollicite in scribendo informabat. Praeterea ipse profitetur, se scripta contemplativa composuisse*[13], *ex quibus Menko*[14] *enumerat haec opuscula manualia et brevia:* Arbor vitiorum et virtutum; De differentia criminum; De differentia virtutum politicarum et theologicarum; De anima. *Vitas quoque patrum in ordinem congruum secundum virtutes et vitia collegit metrice. E quibus scriptis multa eum Chronico suo minus eleganter inseruisse pro certo habemus, cum in fine eiusdem tractatum prolixum de anima multa cum eruditione scholastica agentem et alia complura alibi intrusa legamus, quibus rerum gestarum cognitionis studioso taedium moveatur. E Vitis patrum disticha de Davide desumpta videntur, quae col. 52 leguntur.*

Cum Emo iam ex Decretalibus Gregorii IX. papae seu ut vocatur Libro Extra locos sex[15] *ad annum 1219. attulerit, eum Chronicon integrum post annum 1234. demum, usque ad quem annum etiam narrationem protelavit, composuisse, neque annalium instar singulis annis quae gesta fuerint adnotasse colligimus. Cui sententiae quadrare videtur, anno 1214.*[16] *auctorem iam mortis Ottonis IV.*

---

[11] col. 115. 116. [12] Menko col. 128. [13] col. 51. [14] col. 129. [15] col. 53. 57. 59. 60. Bis istas decretales vocat *Extravagantes primas.* [16] col. 17.

imperatoris mentionem facere. At cum perpendamus, Emonem in chronologia diffinienda adeo esse accuratum, ut ordinem temporis semel modo neque absque ratione perturbaverit[17]*, ad sententiam cogi videmur, eum iam ante annum 1234. per annos notabilia quaeque sibi adnotasse, quae omnia e memoria narrare tali quali fecit accuratione certo non potuit. Secundis curis ea postea relegisse et inter se coniunxisse et praesertim circa finem vitae contemplationes illas, quibus loci isti Libri Extra inserti sunt, intrusisse videtur. Tractatum enim de anima, quem in fine Chronici iam legimus, eum circa exitum vitae demum scripsisse, Menko auctor est. Qua vero ex causa narrationem in a. 1234. finiverit, licet anno demum 1237. obierit, prorsus ignoramus, cum verba Menkonis dicentis:* Circa finem vite sue *(Emonis scilicet)* ad aliquot annos nichil memorabile contigit — *causam sufficientem continere nequaquam concesserimus.*

Chronicon cum in universum inspiciamus, doleamus oportet, quod ordo narrationis saepissime contemplationibus, tractatibus theologicis et huiusmodi sententiis, enuntiatisque biblicis interrumpitur. At patet, auctorem in animo non habuisse, acta sui temporis scripto mandare, sed potius suas ipsius animi permutationes et fata externa describere. Annos namque numerat inde a sua conversione a. 1209. facta. Dum autem scribebat et mentionem faciebat hominum qualiumcumque, ad commemoranda etiam eorum gesta, ut ita dicam invitus, paulatim inductus esse videtur. Qua re perpensa, multa excusanda erunt, quibus offendimur seu quae desideramus. Primo loco pertractat sua ipsius gesta et monasterii casus; res gestas et bella popularium suorum semper in arma ruentium saepius obiter tantum perstringit, plura sane sciens quam litteris mandans[18]*; in rebus adiacentium regionum et imperii describendis admodum brevis est. Plura recepit de pontificibus Romanis, Innocentii III. pontificatui e. g. pagellas quasdam dedicavit*[19]*; plura etiam de peregrinationibus cruce signatorum et in terram sanctam et contra Stedingos factis tradidit, plura etiam de ordinibus novis et sectis suo tempore ortis. Ut uno verbo dicamus, clericum potius se exhibet quam historicum; certo quodam ecclesiastico consilio ductum eum vel quaecumque historica tradat inseruisse contenderimus. Hoc consilio memorantur diluvia, quae Frisiam destruxerunt, aliaque phaenomena, tamquam Dei iudicia; hoc consilio crucis praedicationes et peregrinationes, gesta pontificum, mors atrox Engelberti Coloniensis, hoc consilio etiam remotiora quaedam, ut verbi Dei apud Valvos praedicatio et conventus Friderici II. imperatoris et Honorii III. papae Alatri factus. Sane dolendum est, Emonem, quem a viris egregiis bene instructum fuisse de rebus suo tempore gestis non negaverim, ea, quae ei innotuerunt, non omnia scripto mandasse. At quae nobis tradidit, ea gravissimi esse momenti et summae fidei digna affirmaverim. De Frisiae vero statu saeculo XIII, de institutis septem civitatum liberarum, de moribus Frisonum Chronica Emonis et Menkonis summi esse pretii nemo negabit. Fides autem auctoris iuvatur epistolis seu chartis, quas inseruit operi, et abbatum Praemonstratensium et pontificum Romanorum et Oliveri scholastici et Conradi Portuensis et Theoderici Monasteriensis aliorum. Inter quas epistolas primum sibi vindicat locum itinerarium peregrinatoris cuiusdam in terram sanctam, quod ad a. 1217. occurrit, cuius auctorem hominem*

---

[17] col. 70. Oliveri scholastici itinera per Frisiam a. 1224. facta narrata sunt, et mox verbis: *Anno eodem, anno inquam Domini* 1223, auctor tendit ad narrandas controversias Herdrici praepositi, quarum maxima pars in a. 1224. utique incidit.

[18] Cf. col. 62: *Hic est annus* 7. *ab incursu orientalium Frisonum* etc.; col. 94, ubi computi gratia facta complura memorantur, quae in ordine narrationis desideramus.

[19] col. 17.

litteratum fuisse, scribendi genus elegantius probat. Alia subsidia historica, quibus usus sit Emo ad componendum Chronicon, perpauca occurrunt. Protocollum concilii Lateranensis a. 1215. celebrati ei, sicuti et auctoribus Chronici Urspergensis, Montis Sereni, Annalium Stadensium, aliis ad manus fuit. Catalogum episcoporum Monasteriensium recepit col. 86. 87. Ceterum nonnulla, quae de temporibus retro actis tradit historica, e scriptis veterum seu patrum ecclesiae videtur hausisse[20]. *E scriptoribus Latinis laudat: Horatium, Vergilium, Ovidium, Lucanum, Senecam, Ciceronem, quorum dictis saepenumero orationem suam adornat. E scriptoribus ecclesiasticis saepissime adhibuit: Gregorium, Augustinum, Hieronymum, Boethium; semel etiam Petri Comestoris Historiam Scholasticam*[21]. *Cum ad cursum et mutationes solis lunaeque et huiusmodi naturae signa investiganda admodum sit curiosus, aliquoties de istis sermonem facit verbis, quae plerumque Isidori Etymologiarum cognitionem produnt neque tamen cum iis prorsus conveniunt. Bedae potius opera* De natura rerum *et* De temporum ratione *secutus est, e quibus in Anglia versans cognitionem rerum naturalium certo hausit. Praeterea col. 98 Pronostici cuiusdam inseruit verba, quae e Vergilii Georgicis I, 208 sq. conflata sunt. Summus autem ei usus est operum iuris canonici. Inter quae praecipue occurrunt Decretum Gratiani et Decretales Gregorii IX.*[22]; *tum magister Stephanus (col. 38), nimirum Tornacensis, Innocentius papa (col. 38), magister Simon Tornacensis*[23] *(col. 56), magister in Verbo Abbreviato*[23*] *(col. 57), magister Bertoldus (col. 57), magister Robertus (col. 58 in marg.), magister Alanus (col. 110), Alexander quidam (col. 110).*

Scribendi genus Emonis licet saepius perplexum et verborum mole obtenebratum sit, tamen fastidium legentibus generare non dixeris. Sententiae minus explicatae, quas dicunt anacolutha, aliquoties occurrunt. Emonis autem scribendi genus Menkonem quoque imitatum esse, acrius inspicientem non fugiet. Uterque etiam locos e scriptoribus Latinis seu ecclesiasticis seu e sacra scriptura petitos saepissime immutavit, cum e memoria eos citaret.

An glossematum, quae in codice antiquo membranaceo Chronico Emonis, fortasse manu Menkonis[24], *adiecta sunt, Emo ipse auctor sit, dubium est. Certo notandum autem videtur, ea plerumque res ad Gallicam historiam spectantes tradere, quamobrem e monasterio Praemonstratensi huiusmodi adnotationes in Frisiam devenisse autumaverim.*

Chronicon Emonis inde ab a. 1237. usque ad a. 1273. continuavit Menko successor eius secundus. Paulo namque successore Emonis proximo a. 1243. Aug. 8.[25] *mortuo, abbas electus est Aug. 19. Menko monasterii prior. Erat tunc, ut ipse profitetur*[26], *annorum triginta, ordinem intraverat ante annos tredecim; per annos septem iam sacerdotii, per annos novem diaconatus, per annos undecim subdiaconatus officia gesserat; a. 1238. autem vestiarii et cellerarii muniis fungebatur*[27]. *In Fivelgonia eum natum fuisse ex eo colligitur, quod erat* civis et compatriota *Herdrici praepositi Schildwoldensis*[28]. *De anno, quo Menko defunctus sit, dubitari licet. Anno enim 1276. Mart. 18. iam occurrit*

---

[20] col. 15: *Romani nempe, ut legitur, postquam civitas erat munita muris, volebant eam munire legibus*, sententiam, quam ad certum fontem reducere nequeo. Col. 51 ea quae de Totila et Theoderico refert, certo ad Gregorii Dialogos recedunt.

[21] col. 51. Cassiani operum, qui saec. V. composuit Collationes Patrum (Migne 49. 50), etiam mentionem facit col. 37.

[22] V. supra p. 455.

[23] An hoc loco pro *Simon* legendum *Stephanus?* De Simone Tornacensi nil inquirere potui.

[23*] Petrus Cantor saec. XII. ex. Migne 205.

[24] V. infra in codicis 1 descriptione.

[25] col. 141.

[26] col. 143.

[27] col. 137.

[28] V. infra Gesta abb. Horti S. Mariae cap. 58. De ortu Herdrici autem cf. col. 85, ubi cognationis ipsius fit mentio.

O. (i. e. Oudgerus) abbas Floridi Horti in charta[29], *qua ab abbatibus Frisiae data controversiae pacatae sunt, quae iam ferme per quinque annos vertebantur inter episcopum Monasteriensem et incolas terrarum Emesgo, Reiderland, Oldamt. Cum vero Menko, his controversiis narratis, verba proferat*[30]*:* Exitus autem huius cause suo loco describetur, *eum adhuc superstitem fuisse, cum de pace partes tractarent, immo potius cum de pacis conditionibus iam convenissent, morte autem prohibitum esse, quominus pacis instrumentum una cum ceteris abbatibus daret, recte iudicaverimus. Anno adhuc* 1276. *eum inter vivos egisse, fortasse quis contenderit, testimonio fultus Continuationis, quae sub hoc anno, narrata morte Ottokari II. regis Boemiae, quaedam de Menkone nostro subiungit. At cum hoc loco numerus iste prorsus sit falsus, et Continuatio ubique ordinem temporis confuderit, argumento isto fidem omnem denegemus oportet. Anno potius* 1275. *Menko decessisse videtur, quem numerum in calce codicis* 1 *adnotatum fuisse infra probaturi sumus. De suis ipsius gestis adprime brevis est Menko: e Chronico cognoscimus tantum, eum fuisse fervidissimum promotorem aedificandarum novarum ecclesiarum in Florido Horto et in Campo Rosarum, quas a.* 1259. *et* 1268. *dedicari fecit*[31]. *Anno* 1248. *Praemonstrato redux castra Frisonum cum Wilhelmo rege urbem Aquensem oppugnantium visitavit*[32]. *De negotiis, quae egit cum Herdrico praeposito Schildwoldensi, non ipse sed Gesta abbatum Horti sanctae Mariae infra edenda nos certiores faciunt.*

Ex loco modo laudato apparet Nostrum hanc partem Chronici anno demum 1275. *scripsisse. Ea autem, quae infra de indole codicis* 1, *Menkonis autographo, disseremus, comprobant, auctorem anteriorem partem operis usque ad annum* 1249. *medium uno quasi impetu scripsisse, abhinc vero diversis temporibus, neque tamen per singulos annos cetera composuisse, curisque iteratis emendasse et supplevisse. Qua re factum est, ut ordo chronologicus nequaquam accurate servatus sit, saepenumero ea quae ad annum posteriorem spectant, iam annis prioribus distribuantur. Neque fieri potuit, quin errores chronologici auctoris e memoria scribentis orerentur, quales in Emonis opere fere nullos offendimus. Econtra autem Menkonis opus in iis, quae ad historiam sui temporis pertinent, antecessoris Chronicon multum superare nemo negaverit. Postquam Menko, Emonis vita et morte narratis, vestigia eiusdem in inserenda prolixa et fastidiosa contemplatione philosophica secutus est, copiosior fit in explanandis iis quae in monasterio, in Frisia, in dioecesibus Coloniensi, Monasteriensi, Traiectensi, in imperio, toto orbe suis temporibus gesta sint. Quod non certum rerum delectum habuit, non miramur: historici namque nomen Nostro non usurpaverimus. Iam quibus auctoribus in rebus gestis narrandis usus esse videatur, inquiramus. Obsidioni Aquensis civitatis eum interfuisse, iam supra diximus. Qua expugnata, coronationem etiam Wilhelmi regis eum vidisse veri simile est. Ubi e cardinalium seu ex aliorum principum ore sane multa accepit de electione regis, de iis quae pars adversa Friderici imperatoris et Conradi regis in Germania et Italia egerat*[33]. *Anno* 1247. *Albertus archiepiscopus Rigensis et Wilbrandus frater ordinis Minorum, quibus Innocentius IV. papa officium crucis praedicandae in succursum Ludewici regis Franciae iniunxerat, a curia venientes,*

---

29) apud Niesert, Münstersches Urkundenbuch I, 74. Driessen, Monumenta Groningana III, 433. 30) col. 190. 31) col. 160. 170. 171. 173. 32) col. 149. 33) Qua ratione vir d. Lorenz (Deutschlands Geschichtsquellen im Mittelalter p. 121) contendat, Menkonem familiaritate Wilhelmi regis et successoris eius Florentii usum esse, non video. Florentii saltem ne mentio quidem in Chronico fit.

abbates Frisiae Groningae adunaverunt[34]*, inter quos etiam Menkonem nostrum fuisse iudicari licet. Anno* 1259. *dedicationi novae ecclesiae interfuerunt Wilhelmus episcopus Monasteriensis et Christianus Letowiensis*[35]*; a.* 1268. *dedicationi ecclesiae Campi Rosarum Emundus episcopus Curonensis*[36]*. Quorum virorum commercio quin Noster usus sit ad exploranda quae per orbem notabilia fierent, quis dubitet? De abbatibus Praemonstrati in capitulo generali coadunatis certo multa quoque accepit, praesertim quae ad gesta Ludewici IX. regis Franciae spectabant. Et ipse rex Frisones in suum adiutorium litteris suis provocavit a.* 1268, *iisque per Gerbrandum abbatem Dokkumensem nuntium suum transmisit*[37]*. Sane ea quae a.* 1269. *et* 1270. *gesta sunt in Africa et in Terra sancta a peregrinatoribus, Menko a popularibus suis, qui rebus ipsis interfuerunt, accepit.*

De fide, quae Menkonis narrationibus attribuenda sit, diligentissime inquisivit vir d. Iohannes Gelhorn in dissertatione inaugurali Gottingensi, mox praelo danda, et nobiscum humanissime quae invenit communicavit. Qui singula percurrens iudicat, Menkonem, ubi agat de rebus inter papam et imperatorem gestis, studio partium papalium inductum, multoties falsa seu inaccurata pro veris tradidisse, ideoque in ea modo parte, qua res tradat quibus ipse interfuerit, fidem mereri. Cui sententiae in universum accedentes, Nostrum tamen bona fide egisse et ab auctoribus suis, partibus papalibus faventibus, potius deceptum esse, censuerimus.

De fontibus eius scriptis pauca dicenda erunt. Ipse inseruit a. 1260. *epistolas duas integras Thomae episcopi Bethlehemitani; laudat epistolam regis Franciae. Insuper protocollum concilii Lugdunensis a.* 1245. *seu bullam quandam uberiorem ea, quae vulgata est, ei prae oculis fuisse, cum scriberet de ista synodo, contenderim. Verba etiam, quibus fatum acerbum Conradini explicat*[39]*, bullam quandam papalem mihi sapere videntur. Imperatorum seriem inde a Friderico I. percurrens*[40]*, fonte quodam scripto usus esse non videtur, sed haec potius e memoria et e traditione maiorum adnotavit. Iam enim inseruntur quaedam fabulosa. Idem de historia Sarracenorum inde a Saladino narrata*[41] *iudicari licet. Quae vero scit de Nerone, de Vespasiano, de Tito, de Domitiano*[42]*, de Karthagine a Didone aedificata et a Scipione destructa*[43]*, e compilatione quadam historica, quales medio aevo vertebantur, desumpsisse videtur. Nihilominus tamen non ignarus fuit veterum scriptorum. Vergilium, Ovidium, Horatium, Lucanum, Dionysium Catonem, Ciceronem, Senecam bene novit; semel etiam librum quendam pseudoaristotelicum Alexandris dictum laudat*[44]*. Artis quoque medicinae studiosus fuisse videtur, quippe qui ad Hippocratem et Galenum provocat. Patres ecclesiae Gregorium, Augustinum, Hieronymum saepenumero ei materiam sententiarum inserendarum praebuerunt. Cum Isidori Etymologiis nonnulla, quae de phaenomenis leguntur, non plane conveniunt; enuntiatum etiam sub nomine Etymologiarum a Menkone prolatum in iis non invenitur*[45]*. Et ipse sicut et Emo ex Bedae operibus hausit et plura certo didicit. Praeterea de natura oceani tractans provocat ad Librum Experientiae*[46]*, qui eiusdem generis fuisse videtur ac Pronosticus ille, cuius verba Emo servavit. Versus quoque duo, qui sub titulo* Paraclitus *allegantur, simili quodam operi vindicandi erunt. Menko et ipse sicut Emo iuris peritus, saepius Decretum et Librum Extra seu Decre-*

---

34) col. 148. 35) col. 160. 36) col. 173. 37) col. 175. 176. 39) col. 174. 40) col. 146.
41) col. 167. 42) col. 168. 43) col. 177. 44) col. 126. 45) col. 151. 46) col. 172.

tales Gregorii IX. adhibuit; e decretalistis quoque aliqua excepit: e Summa magistri Remundi et e libro quodam magistri W.[47] *nescio cuius.*

Haud libenter a Menkone transimus ad eius Continuationem, *de qua perpauca dicenda erunt, quia excerptum tantum nobis superstes esse pro certo habemus. Cum enim codex* 2, *qui solus nobis hanc Continuationem servavit, Chronica Emonis et Menkonis abbreviaverit et miserrime mutilaverit, veri simillimum est, abbreviatorem etiam Continuationi non pepercisse. Quae sententia iis quae in Continuatione leguntur prorsus approbatur. Annus ultimus deprehenditur* 1296. *Cum in Florido Horto eam scriptam esse neminem fugiat, mirandum valde, quod eiusmodi res, quas frater monasterii nequaquam omittere potuerit, desiderantur. De morte Menkonis nihil legimus, neque de electione successoris eius Oudgeri, qui a.* 1283. *tamquam deus ex machina apparet. Neque fit mentio pacis illius a.* 1276. *Mart.* 18. *inter episcopum Monasteriensem et incolas terrarum Emesgo, Reiderland, Oldamt ictae, cuius charta sub nomine* bischop Everardes bref[48] *per multum temporis fundamentum iuris ecclesiastici et civilis terrarum illarum erat. Accedit quod ordo annorum per totam Continuationem prorsus est perturbatus. Partem culpae huius rei certo in librarium transferamus necesse est; textus enim adeo corruptus est, ut coniecturis non omnia explicare potuerimus. Ea autem ratione versatus est abbreviator, ut partes integras narrationis omitteret, non vero ut totam narrationem in compendium redigeret, uti patet e Chronicis Emonis et Menkonis, quae hoc modo tractavit. Qua re factum est, ut quae nobis servaverit plerumque prolixe narrata sint neque decurtata. Spectant fere omnia ad historiam monasterii et Frisiae; raro aliqua occurrunt quae ad exteros pertinent, ut pugna in campo Marchfeld commissa, incendia civitatum Lübeck et Hamburg, visio monachi in civitate Tripolitana. Continuatorem, qui et ipse Horatium legerat, Folcardum abbatem, qui adhuc a.* 1295. *occurrit*[49], *fuisse, editores Ultraiectenses opinati sunt*[50]. *Sed argumentum, quo hanc opinionem fulciunt, mihi non plane persuasit. Cum enim dicant, neminem alium de rebus a Folcardo gestis tam prolixe et accurate referre potuisse quam ipsum, non video, cur frater qualiscumque monasterii Werumensis haec non eadem accuratione narrare potuerit. Scriptores complures Continuationi operam navasse, Matthaeus censuit*[51]; *Oudgerum abbatem certo inter eos non fuisse, recte Ultraiectenses statuerunt, quia eius desidia vituperatur. Equidem ab eo loco, ubi legitur a.* 1296, *scriptorem alium incepisse, crediderim, cum genus scribendi ex tunc mihi variare videatur et mendae codicis plures occurrant quam in anteriori parte; quamobrem in autographo fortasse aliam manum difficiliorem lectu exordium sumpsisse contenderim. Sed res haec difficillima diiudicatu parum facit, quia opus integrum non est superstes.*

Codices Chronicorum nostrorum modo duo ad nos venerunt. Qui sunt:

1. *Codex academiae Groningensis sign.* Vqs. *membr. in* 8°, *saec. XIII, constat sex quaternionibus foliorum octenorum, duobus columnis in quaque pagina exaratus est, quae columnae ab Ubbone Emmio ut videtur iam signatae sunt* 1—193. *Fuit olim abbatis cuiusdam Werumensis, ut docet inscriptio paginae ultimae saec. XVI, iam diligenter erasa, quae chemicis adhibitis vix legi potest:* Sum Cornelii Ho.... quondam abbatis in Wittewerum. *Postea saeculo XVII.*

---

[47] col. 174. Littera *B.* quae col. 129 sententiam quandam incipit, *Bernardum,* scilicet Clarevallensem significare veri simile est.

[48] V. supra p. 458.

[49] Driessen, Mon. Groning. I, 55.

[50] p. VII—IX.

[51] in praefatione.

7. Chronicon Emonis et Menkonis.

Cod. Groningensis membran.

manus librarii col. 8.



loca regum. ē adhuc ipē donec n̄ erat
rector in suā ciuiū sibi seruaret. sine
q̄ simulabat᷑ a quodā falso frē wal
derico . q̄ subintrauerat valde astuto.
Jac
dore

manus Menkonis col. 131.



ordinauit . τ conscripsit . meliꝰ de ordine nau-
rauit sꝫ dubia declarans . τ iminꝰ expressa
sic fidelis τ bonꝰ dispensator supplens

col. 161.



Messana . ē nobilissima ciuitas
sicilie q̄ vulgo dr̄ Messin . fulmi
ne succensa fuit . superiꝰ τ inferiꝰ a
bre motu sūpta . tercia ū ciuitas p̄
p̄apā τ messanā . fuit Anckon . site tre

L. Weiland fecit 21. 3. 72.

8. Chronicon Ottenburanum.

Codex archioi regii Monacensis.

f. 10' manus prima et secunda.



centab; usq; ad p̄sentiā impatoris ꝯmendauit,
Et ab eodē benigne susceptus p̄ regalia sublimatꝰ
ad p̄pria ē dimissus. Hii sunt abbes qui ottenbrense rexer

f. 15. manus tertia.



ext̄ uillā. sc̄t sibotinwiles . τ Rore . τ Lindun . τ Rŏdolfs
houen . sc̄o alex̄ attribuit . Sub eodē abbē magnꝰ τ fregꝰ

W. Arndt fec.

9. Albrici chronicon.

Cod. Parisiensis 4896 A.

f. 49.



rimq. 30 . equos onustos auro τ
argento . et . 300 . oneratos vino
et mille sarratenas formosas .

vox usq ad karolum . 2 . milit ūc
gasconiam anglico ductu p̄ue-
niq . balduinus etiam sup̄uen-

W. Arndt scripsit Berolini $\frac{22}{4}$ 65.

Codex Hannoveranus.



delitatis ī decretis ꝯmedat.
Anno xc . xxiv . In pascha eclipsis fcā
est . Henricus īpator et rex francoꝝ sup

xxi.

W. Arndt scripsit $\frac{20}{4}$ 65. Berolini.

Mon. Germ. SS. T. XXIII. tab. 3. ad pag. 461.

ineunte magistratus Groningensis codicem possidebat et Ubboni Emmio ad scribendam Frisiae historiam commodavit[52]. *Ab Emmio, qui codicem adnotationibus innumeris in margine scriptis spurcavit et paginam primam et ultimam, quae iam tunc vix legi potuerunt, in folia chartacea involucro adiecta describere temptavit, codex in manus privatas cessisse videtur. Nam saeculo XVII. exeunte erat Mensonis Alting, consulis Groningensis, qui eum cum Antonio Matthaeo, editori primo, communicavit*[53]. *Saeculo nostro e bibliotheca I. R. van Eerde, professoris Groningensis, a.* 1837. *mortui, cum emit vir b. m. Franciscus Koppius quondam parrochus vici dicti den Ham prope Aduard, qui — quod hoc loco gratissimo animo commemorari iuvat — Bethmannum nostrum a.* 1840. *iter per Frisiam facientem liberalissime excepit eique occasionem codicis perscrutandi dedit*[54]. *Quo viro humanissimo praematuro fato huic vitae erepto, pater eius optimo usus consilio, thesaurum bibliothecae academicae Groningensi a.* 1852. *dono obtulit epistola Latina, iam cum codice compacta, viro d. W. A. Enschedé, professori publico eidemque bibliothecae praefecto, directa.*

Codex, qui continet Chronica Emonis et Menkonis quemque accuratissime descripserunt editores, Traiectenses, duabus manibus exaratus est. Prior, quae protenditur ab initio usque ad col. 96 *med.* (— nec feminis reverentiam exhibuerunt), *semper sibi similis et uno eodemque atramento usa, ductus praebet firmos, teretes. Lineae versuum in quacumque huius partis columna* 47 *atramento ductae sunt et in marginem supergrediuntur. Compendia innumera conspiciuntur; saepe adhuc* ę *occurrit, saepius* ti *quam* ci. *Mendae perpaucae, plures tamen et deteriores quam in posteriori parte codicis. Librarium quendam priorem partem exarasse pro certo habemus. Litterae initiales rubro colore depictae sunt. Quod ad correcturas, primo eadem manus ipsa rarissime aliqua correxit vel supplevit*[55]; *secundo correctoris cuiusdam manus priori similis, sed gracilior et atramento nigriori utens nonnulla emendavit et addidit*[56]; *tertio manus fugitiva, pallido utens atramento et glossas, quae cum textu minime cohaerent et a nobis infra eandem dabuntur, et saepius vocem* Nota *in margine adiecit et civitates itineris in Terram sanctam e textu repetiit et annos conversionis Emonis in imo margine paginarum plurimarum scripsit. — Aliam prorsus faciem ostendit posterior codicis pars inde a col.* 96 *med.* (Incenderunt etiam ecclesiam in Usquerth —), *quae ultima Emonis et Chronicon Menkonis complectitur. Eam manu ipsius Menkonis exaratam esse, iam Bethmannus cognovit, cui et editores Traiectenses annuerunt. Primo quidem conspectu diversas manus statueris; sed re acrius perspecta veri simillimum et pene certum putaveris, Menkonem ipsum diverso tempore, diversis usum calamis et atramentis, Chronicon suum exarasse, ac cum manus in eius exordio minime variet, et ipsum finem Chronici Emonis descripsisse. Habitus litterarum, quae sunt perparvae, acutae, usque ad col.* 152 *satis constans est, abhinc fit magis fugitivus, maior, atramentum vero nigrius. Certus in hac parte codicis versuum numerus nullus, lineae omnino desiderantur; rubricatam, cuius vestigia nusquam occurrunt, usque ad col.* 150 *circiter spatia vacua litterarum initialium relicta, abhinc et ipsae atramento semper scriptae sunt. Emonis opere col.* 113 *med. completo, nullum spatium seu divisionis vestigium praecedit: sequentis tamen sententiae pars ultima maior* (usque ad locum [illegible] — nichil memorabile contigit) *atramento paullulum pallidiori postea in*

---

[52] [illegible] editionem Traiectensem p. IX, not. [illegible] editionis.

[53] V. [illegible]

[54] Cf. Bethmann, Reise durch die Niederlande, Belgien, Frankreich. Hannover 1842, p. 17. 18.

[55] e. g. col. 21 verba *Anno vero* 8 *fundata est grangia secus Emesam* eadem manu in margine suppleta sunt, signo apposito.

[56] col. 6 *efficax*; col. 7 *magister Emo*; col. 8 *sacerdote*. Cf. specimen scripturae.

7. Chronicon Emonis et Menkonis

Cod. Groningensis membran.

manus librarii col. 8.



manus Menkonis col. 131.



col. 161.



L. Weiland fecit 21. 3. 72.

8. Chronicon Ottenburanum.

Codex archivi regii Monacensis.

manus prima et secunda.



centib; usq; ad p̄sentiā impatoris cōmendauit,
Et ab eodē benigne susceptus ꝑ regalia sublimat᷒
ad ꝓpria ē dimissus. Hii sunt abbes qui ottunbrense rexer̄

manus tertia.



ext ullā. scī sibotinwilere. 7 Rore. 7 Lindun. 7 Rôdolfs
houen. scō alex' cōtulit. Sub eodē abbē magnꝰ 7 frequens

W. Arndt fec.

9. Albrici chronicon.

Cod. Parisiensis 4896 A.



q; 30. equos onustos auro t
nio. et. 200. oneratos vino
ille tarratenas formosas.

vox usq ad harolum. g. milt art
gasconiam anglico ductu puenit. balduinus etiam supuenit

W. Arndt scripsit Berolini 22/2 65.

Codex Hannoveranus.



delitatis i decretis cōmendat.
Anno x° xxiiij. In pascha eclipsis fcā
est. Henricus īpator et rex francoꝝ sup

xxi.

W. Arndt scripsit 22/2 65. Berolini.

rm. S.S. T. XXIII. tab. 3. ad pag. 461.

ineunte magistratus Groningensis codicem possidebat et Ubboni Emmio ad scribendam Frisiae historiam commodavit[52]. *Ab Emmio, qui codicem adnotationibus innumeris in margine scriptis spurcavit et paginam primam et ultimam, quae iam tunc vix legi potuerunt, in folia chartacea involucro adiecta describere temptavit, codex in manus privatas cessisse videtur. Nam saeculo XVII. exeunte erat Mensonis Alting, consulis Groningensis, qui eum cum Antonio Matthaeo, editori primo, communicavit*[53]. *Saeculo nostro e bibliotheca I. R. van Eerde, professoris Groningensis, a.* 1837. *mortui, eum emit vir b. m. Franciscus Koppius quondam parrochus vici dicti den Ham prope Aduard, qui — quod hoc loco gratissimo animo commemorari iuvat — Bethmannum nostrum a.* 1840. *iter per Frisiam facientem liberalissime excepit eique occasionem codicis perscrutandi dedit*[54]. *Quo viro humanissimo praematuro fato huic vitae erepto, pater eius optimo usus consilio, thesaurum bibliothecae academicae Groningensi a.* 1852. *dono obtulit epistola Latina, iam cum codice compacta, viro d. W. A. Enschedé, professori publico eidemque bibliothecae praefecto, directa.*

Codex, qui continet Chronica Emonis et Menkonis quemque accuratissime descripserunt editores, Traiectenses, duabus manibus exaratus est. Prior, quae protenditur ab initio usque ad col. 96 *med.* (— nec feminis reverentiam exhibuerunt), *semper sibi similis et uno eodemque atramento usa, ductus praebet firmos, teretes. Lineae versuum in quacumque huius partis columna* 47 *atramento ductae sunt et in marginem supergrediuntur. Compendia innumera conspiciuntur; saepe adhuc* ę *occurrit, saepius* ti *quam* ci. *Mendae perpaucae, plures tamen et deteriores quam in posteriori parte codicis. Librarium quendam priorem partem exarasse pro certo habemus. Litterae initiales rubro colore depictae sunt. Quod ad correcturas, primo eadem manus ipsa rarissime aliqua correxit vel supplevit*[55]; *secundo correctoris cuiusdam manus priori similis, sed gracilior et atramento nigriori utens nonnulla emendavit et addidit*[56]; *tertio manus fugitiva, pallido utens atramento et glossas, quae cum textu minime cohaerent et a nobis infra eundem dabuntur, et saepius vocem* Nota *in margine adiecit et civitates itineris in Terram sanctam e textu repetiit et annos conversionis Emonis in imo margine paginarum plurimarum scripsit. — Aliam prorsus faciem ostendit posterior codicis pars inde a col.* 96 *med.* (Incenderunt etiam ecclesiam in Usquerth —), *quae ultima Emonis et Chronicon Menkonis complectitur. Eam manu ipsius Menkonis exaratam esse, iam Bethmannus cognovit, cui et editores Traiectenses annuerunt. Primo quidem conspectu diversas manus statueris; sed re acrius perspecta veri simillimum et pene certum putaveris, Menkonem ipsum diverso tempore, diversis usum calamis et atramentis, Chronicon suum exarasse, ac cum manus in eius exordio minime variet, et ipsum finem Chronici Emonis descripsisse. Habitus litterarum, quae sunt perparvae, acutae, usque ad col.* 152 *satis constans est, abhinc fit magis fugitivus, maior, atramentum vero nigrius. Certus in hac parte codicis versuum numerus nullus, lineae omnino desiderantur; rubricatori, cuius vestigia nusquam occurrunt, usque ad col.* 150 *circiter spatia vacua litterarum initialium relicta, abhinc et ipsae atramento semper scriptae sunt. Emonis opere col.* 113 *med. completo, nullum spatium seu divisionis vestigium intercedit; sequentis tamen sententiae pars ultima maior* (usque ad locum istum — nichil memorabile contigit) *atramento paullulum pallidiori postea in*

---

[52] Cf. editionem Traiectensem p. IX, not.

[53] V. dedicationem editionis.

[54] Cf. Bethmann, Reise durch die Niederlande, Belgien, Frankreich. Hannover 1842. p. 17. 18.

[55] e. g. col. 21 verba *Anno vero* 8 *fundata est grangia secus Emesam* eadem manu in margine suppleta sunt, signo apposito.

[56] col. 6 *efficax;* col. 7 *magister Emo;* col. 8 *sacerdote.* Cf. specimen scripturae.

spatio prius vacuo relicto addita videtur, cum ultima eius verba lineam, quae columnam claudit, contra usum excedant et eadem fere verba inferius col. 129 *in contextu legantur, quibus scriptor statim in margine apposuit vocem* Vacat. *Concludendum ergo erit, Menkonem primo post Emonis Chronicon dimidiam columnam vacuam reliquisse et tantum verba, quae in imo margine eiusdem columnae leguntur* (Expliciunt cronica et soliloquia magistri Emonis) *adscripsisse; postea vero rei aptius duxit, sententiam istam, quam iam col.* 129 *scripserat, in calce Chronici Emonis ponere, et col.* 113 *eam adiecit et voce* Vacat *indicavit, eam col.* 129 *esse delendam. Spatia vacua etiam alibi apparent: Emonis morte et miraculis quae ad sepulcrum eius fiebant narratis, col.* 133 *dimidia et tota* 134 *sunt vacuae, fortasse causa continuandae seriei miraculorum, si quae in posterum forent adnotanda. Col.* 191 *lacuna parva conspicitur, quam auctor certe eo consilio reliquit, ut librum Bibliorum sacrorum, cuius verba allegat, quique, cum scriberet, e memoria excidisset, postea inscriberet. Col.* 161 *et* 173 *atramentum aliud in medio contextu adhibitum prodit, auctorem spatium linearum* 6 *et* 5 *prius vacuum reliquisse, cum quae scribere vellet in memoria ei tunc non essent. Schedulas etiam assuit postea, ut textum suppleret. Quarum priori, nunc signatae* 169 *et* 170, *alia parva assuta est, quae atramento duplici exarata quaedam praebet supplementa. Secunda ad columnam* 173 *pertinet et eundem litterarum habitum monstrat. Correcturas in ea parte Chronici Emonis, quam scripsit Menko, perpaucas videmus et eas eodem atramento ab ipso Menkone mox factas. Tum in suo ipsius opere primum usque ad col.* 152 *atramento paullo nigriori usus ipse correxit; abhinc, ubi atramentum contextus et ipsum nigrius fit, correcturis atramentum pallidum, fuscum adhibuit; nonnulla tamen etiam in hac parte statim atramento contextus castigavit et supplevit*[57]. *Col.* 184 *med. habitus scripturae rursus fit magis gracilis et abhinc usque ad finem Chronici correcturae nullae occurrunt, quamvis haec pars nequaquam mendis et omissionibus careat. Statuendum ergo erit, auctorem prohibitum esse, quominus ultimam curam operi apponeret*[58], *cuius anteriorem partem diversis temporibus scriptam multipliciter recognovit et supplevit. Menkonem etiam glossas marginales, quae in Emonis parte priori apparent, scripsisse et lemma in fronte codicis* (Incipiunt Cronica et primo de fundatore et fundatione novi claustri quod dicitur ......[59]) *adiecisse, mihi quidem veri simile est. In calce Chronici Menkonis manus alia, robusta sed coaeva scripsit:* Sum scriptor talis, monstrat mea littera qualis; *rursus alia manus coaeva inferius adiecit:* Expliciunt cronica magistri Menconis abbatis tercii; *in imo margine paginae autem eadem ut videtur manu exaratum legitur:* mcclx x.ɵ. *Scriptorem annum mortualem Menkonis indicare voluisse, veri simile; at falsum esse numerum nemo non videt. Fortasse vero hoc loco prius* 1275 *legebatur, cum Emmius hunc numerum praebeat, et litterae atramento nigro postea superductae videantur. Prima enim et ultima codicis pagina iam vix legi potest, litterae vero aliquando a recentiori quodam homine superductae mihi videntur. Primae praesertim paginae scriptura adeo evanuit, ut etiam chemicis adhibitis nequaquam totum textum eruere potuerimus. Erat sane idem status iam Emmii tempore; nam apographum quod paravit, ut supra diximus, adminiculum firmum non praebet, et saepius nos ipsi plura et meliora legisse quam Emmius glo-*

---

57) Adiiciendum puto, col. 160 auctorem sententiam quandam in margine posita voce *Vacat* delendam voluisse; col. 188 fin. quinque lineas erasas esse.

58) Hoc etiam ex eo concluditur, quod rubricae per totum opus desiderantur.

59) Nomen iam legi non potest; *Campus Rosarum* supplenda esse censeo.

riamur. Quae cum ita sint, valde gratulandum est, alium codicem superstitem esse. Qui est

2. *Codex academiae Groningensis sign.* Vq=s, *chartaceus in folio, saec. XVI, foliorum* 61, *quem appellabant Matthaeus et Traiectenses codicem Frisium. Continet praeter Chronica Emonis et Menkonis etiam Continuationem, quam solus nobis servavit. Chronica vero admodum sunt in eo decurtata et abbreviata, ut vix tertia pars eorum supersit. Et non multa cum ratione egit abbreviator; meditationes Emonis et Menkonis non solum sed multa etiam quae ad historiam spectant abiecit, alia valde confudit, verba multoties transposuit. In dubio relinquamus oportet, num librarius codicis idem sit atque abbreviator; lectio adprime depravata et mendosa, librarium hominem illitteratum et operis huiusmodi impotentem fuisse, potius arguere videtur. Certo post annum* 1339. *facta est abbreviatio, quia ad a.* 1247. *(col.* 149*) in codice legitur* ducis Gelriae *pro* comitis. *E codice* 1 *derivatum esse codicem hunc, non plane affirmandum est. Nam praeter Continuationem praebet etiam in Chronico Emonis additamenta nonnulla et varias lectiones, quae ex illo fluere non potuerunt. De quibus inprimis notanda est, quae ad a.* 1209. *(col.* 8*) inseritur, charta Ottonis episcopi Monasteriensis*[60]. *Ad a.* 1224. *(col.* 70*) Eltetum de Midlestum accuratius nominat* Eltetum in den Oert capitaneum in Middelstem. *Alia quaedam minoris momenti omittimus. Ad autographon Emonis ergo codicem recedere fortasse quis dixerit; sed huic opinioni non plane accedendum esse puto. Ad a.* 1226. *(col.* 91*) enim adnotatio quaedam, quae in* 1 *in margine alia manu adiecta est, in* 2 *in contextu legitur, et cum saltem veri simile sit, has adnotationes in* 1 *a Menkone ortas esse, recte aliquis statuat, codicem* 2 *ex* 1 *fluxisse et tantum additamentis quibusdam seu interpolationibus auctum esse. Attamen etiam hoc dubium videtur, cum utrum hae adnotationes re vera a Menkone originem traxerint, an potius ipse eas, quae iam in Emonis autographo legebantur, in codice* 1, *dum eum castigabat, tantum adscripserit, diiudicare non valeamus. Lectionem praebet codex* 2, *ut iam supra tetigimus, valde depravatam; orthographiam inprimis nominum propriorum librarius usum sui temporis secutus in peius mutavit. Codex olim erat Ioannis van der Waeyen, theologiae in academia Franekerana professoris, a quo Matthaeus eum mutuatus est.*

Iam quantum editiones hucusque in lucem missae ad nostrum propositum faciant examinemus. Primam instituit Antonius Matthaeus a. 1699. *in Analectis veteris aevi (Lugdun. Batav.* 8°*) tom. III, quae editio repetita est ab Harkenroht in tomo II. recensionis secundae Analectorum (Hag. Comit.* 1738. 4°*). Epistola dedicatoria docemur, Matthaeum utrumque codicem neque plures ad editionem suam instaurandam adhibuisse, at cum codex* 1 *ei lectu esset difficillimus, ut propemodum ad singula subsistendum ei esset, consilium codicis istius abiiciendi non semel eum cepisse, sed denique labore constanti navata, Ubbonis Emmii descriptione paginarum primae et ultimae adiutum, universum descripsisse. Neque vero pro textus fundamento Matthaeus usus est codice* 1, *immo potius fundamentum posuit codice* 2, *cuius lacunas ope codicis* 1 *supplevit, variasque hic ibi lectiones in margine adnotavit. Insuper textum mendis ex ignorantia legendi vetustam scripturam ortis et immutationibus suo Marte*

---

[60] Suspicionem, quam movet haec charta contra se, tacere non audeo. Nam Emo in textu col. 7 nullius chartae, cum a. 1209. Mart. 28. et 29. Monasterii esset, impetratae mentionem facit, immo potius expressis verbis dicit, episcopum tunc in civitate non fuisse, et litteras, quas ei tunc dedit Liudgerus canonicus, nil nisi commendatitias abbati Varlarensi directas fuisse, nemo non videt. Charta vero diem Mart. 31. a. 1209. gerit. De narratione, qua Hugo hanc chartam prosequitur, v. infra.

factis multotiens vitiavit adnotationibusque illustravit doctissimis quidem, sed quae de omnibus rebus et quibusdam aliis agant, ad declarandum vero textum fere nihil faciant. Continet editio Matthaeana, sicut et posteriores editiones praeter Emonis et Menkonis Chronica etiam Continuationem.

Non adeo facilis iudicatu est ratio editionis sequentis, quam instituit Carolus Ludovicus Hugo a. 1725. in tomo I. Sacrae antiquitatis monumentorum (Stivagii in folio) p. 429 sq. Editor in praefatione pronuntiat, se, ne nomen nudi et ieiuni editoris incurrat, ad exemplaria manu scripta bibliothecarum, quas lustraverit, castigasse passim lectiones Matthaeanas, supplevisse hiatus, emendasse textum. Sed quae promisit non adimplevit; pro fundamento textus enim non codice quodam sed editione Matthaeana usus est, cuius etiam vitia typographica saepius repetiit, coniecturas, quas Matthaeus instituit et in margine adnotavit, ubique in textum recepit. Neque tamen Hugonem prorsus ope codicum manu scriptorum destitutum fuisse patet, ad quos etiam p. 480 not. provocat. Saepius enim cum Matthaeus nec cum codice 1 nec cum 2 conveniat, Hugo lectionem rectam praebet. Praeterea non solum chartam Ottonis episcopi Monasteriensis inseruit sed etiam narratione quadam eam prosecutus est[61]*, quae neque in codicibus neque in editione Matthaeana reperitur. Cum de charta dubitare liceat, an Emo ipse eam Chronico suo inseruerit, de narratione ista hoc prorsus negandum est. Nam asserit, Emones post reditum a primo itinere Monasterium et Varlare facto iterum profectos esse ad episcopum et chartam impetrasse, quae tamen datum gerit a. 1209. Mart. 31, quo die ipsi certo in itinere primo occupati erant. Praeterea narratio contendit, non solum Emonem fundatorem, sed etiam Emonem abbatem prius cucullam sancti Benedicti induisse, quod a vero plane abhorret. Interpolatoris ergo opus est haec narratio; Hugoni ipsi tamen eam non vindicaverim. Col. 1 etiam supplevit nomen loci* (Damae), *ubi mater Emonis commorabatur, qui quod in codicibus deest, certe miramur; col. 35 epistolam peregrinatoris, quam Emo operi suo inseruit, optime his verbis clausit:* Et hec ad gentis Frisonum gloriam retulisse sufficiet; nunc ad intermissa revertamur, *quae verba non interpolatorem sed auctorem ipsum sapere videntur*[62]*; col. 68 pro verbis codicum* in Foro *dat lectionem* Berumum. *Alia multa, quibus editio Hugonis a codicibus et ab editione Matthaeana discrepat, procul dubio ab ipso immutata sunt. Et plerumque sunt in peius immutata, nomina propria orthographiam modernam praebent, omissiones et vitia ex incuria editoris et typographi orta innumera inveniuntur. Ut concludamus, dicendum erit, Hugonis editionem certo libri manu scripti fundamento carere, neque tamen ubique lectionem eius esse spernendam, quippe quae aliquando ad exemplar aliud idque deperditum, fortasse ex ipso Emonis autographo derivatum, recedat.*

Editionem novissimam paraverunt H. O. Feith et G. Acker Stratingh, Groningenses, a. 1866. in Werken uitgegeven door het Historisch Genootschap te Utrecht. Nieuwe Reeks. Nr. 4. Utrecht. 8°. Textum Emonis et Menkonis ad fidem codicis 1, textum Continuationis ad fidem codicis 2 per litteram ad litteram recudi fecerunt, adnotatis in notis criticis lectionibus omnibus variis codicis 2, Matthaei et Hugonis. Opus itaque ex parte infructuosum editores creasse, iudicamus, cum multoties nil nisi errores typographicos repetierint. Praeterea vituperemus oportet, viros doctos Frisones ad declaranda Chronica et ad diffinienda

---

[61] V. col. 8: *Postquam vero — scripto roboravit.* Nomen etiam episcopi supplevit.

[62] Contrarium contendunt editores novissimi p. XVII.

locorum Frisicorum nomina prorsus nihil fecisse hancque operam homini externo reliquisse. Textum vero praebent accuratissimum et in praefatione optime et prolixe de codicibus, editionibus, auctoribus egerunt.

Iam brevis ratio reddenda est de consilio editionis nostrae. Pro fundamento textus Chronicorum Emonis et Menkonis nimirum usi codice 1, *lectiones Matthaei tamquam prorsus inutiles nusquam curavimus. In Emonis Chronico varias lectiones cod.* 2 *adnotavimus, ea tamen ratione, ut transpositiones vocum singularum et lectiones varias ex orthographia seu negligentia manifesta librarii ortas omnino reiiceremus. Ad textum Menkonis constituendum non adeo opus erat codice* 2, *quia autographus auctoris praesto erat. Ergo accurate adnotavimus modo ea, quae codex* 2 *in hoc Chronico omisit et abbreviavit, lectionesque paucas, quae singularitatem quandam involvere viderentur. Pauca denique ex Hugone desumpsimus, ubi haec editio et a codicibus et a Matthaeo discrepabat. Continuationem dedimus secundum textum codicis* 2, *valde corruptum, lectionesque varias Hugonis adnotavimus. Praesertim in Continuatione multoties opus erat coniecturis, neque nos fugit, non ubique medelam sufficientem nos attulisse.*

Codices, quos ante hos triginta annos b. m. Bethmannus iam inspexit, multa cum liberalitate nobis Berolinum transmisit mense Ianuario a. 1872, *vir d. Enschedé, bibliothecae academicae Groningensi praefectus, cui gratias agere hoc loco iuvat. Codicem membranaceum, me petente, Arndtius noster contulit, confessus, se nunquam codicem lectu difficiliorem oculisque plus nocentem excussisse. Dein eum in textu constituendo occupatus ipse multoties iterum iterumque consului. Codicem* 2 *ipse contuli.*

Berolini die 27. *mensis Maii a.* 1872.

LUDEWICUS WEILAND.

EMONIS CHRONICON.

*col. 1.

*Fuit vir quidam[63] moribus[a] pie vivere volentium dignus recordatione. Vir iste secundum considerationem carnis nobilitate[b], alia quoque dote corporis admodum beatus extitit; statura quidem brevis, facie formosus, corpore validus, velocitate et valitudine viguit. In rebus domesticis fuit providus, in moribus circumspectus et cautus. Ab adolescentia sua puritatem innocentie et deinceps diligebat, subiectus parentibus, a quibus quasi unicus plurimum amabatur. Quorum providentia, postquam gemine sorores eius nupsissent, actitatum est, ut cuiusdam nobilis filia ei desponsaretur, que postmodum est eidem[c] copulata. Defuncto itaque patre, matre superstite[d] et [Damae][e][64] commorante, adhesit uxori, quam, sicut iuste postulant nuptie[f], maritali diligebat affectu. Ipsa tamen, fortassis occulto Dei iudicio, infecunda permansit. Cunque aliquot annis onus matrimonii strennue perferret, tactus intrinsecus aliqua[g] molestia, quia prole, que premium solet expectari nuptiarum, caruit, accensus est igne divini[h] ut creditur caloris, et incepit[i] meditari devotioris[k] vite conversationem, et querere[l] certiorem filiarum[m] et filiorum fecunditatem. Aggressus est igitur nuptam suam verbis dulcibus huiuscemodi inspirationis, uti ipsa assensum preberet; sed minime consensit et restitit ei more carnalium, quia eadem[n] caro facta, sed non eadem inspiratio erat ipsi[o]. Quid ergo ille faceret tantum accensus? Non

---

a) *sequitur in* 1 *spatium vacuum tertiae partis lineae.* b) *sequitur in* 1 *parva rasura* 4 *seu* 5 *litterarum;* alia *add.* 2. c) ei 2. d) matre sup. *bis scripta* 1. e) Damae *add. Hugo; neque in* 1 *neque in* 2 *hoc loco lacunae vestigium.* f) nuptiae *in marg. add.* 2. g) aliqua *deest* 2. h) *utrum* novi *an* divini 1 *iam discerni non potest;* divini 2. i) coepit 2. k) remotioris 2. l) querere *deest* 2. m) fratrum 2. n) *sic coniicio;* quia eadem *in* 1 *iam legi non possunt, excepta littera* q; una q̇dem 2. o) in ea 2.

63) Emo ut infra appellatur, de Romerswerf. 64) Appingadam.

acquievit carni et sanguini; cepit vigilare, genua flectere, crebras orationes fundere, sed occulte in medio domus suae; et[a] fugiebat thorum nupte, ut vel hoc modo[b] ad commutationem ipsam provocaret. Cunque fatigatus esset, in[c] duro domus sue pavimento[c] breves sed[d] dulces carpebat somnos, et mane servus vel ancilla impingebant in illum virgulam[e]. Affuit sacrum quadragesime tempus, quo se preparat ad miliciam universitas fidelium; et *col. 2. ipse aliquid altius ceteris meditabatur, quatinus licitis ex consilio *spiritus, quo affectus erat, quippiam supererogaret. Postulavit igitur partem panni linei et crudi et fecit membris aptari et[f] strictissime assui, et sic quasi lorica indutus, vestes superinduit communes et contra carnem et sanguinem vigiliis et orationibus, ieiunio panis et aque, bis tantum in ebdomada refectionem capiens, fortiter dimicavit. Sed et hac consuetudine[g] aliquot sequentes quadragesimas observare consuevit, exceptis aliis observanciis feriarum, quas 1 Cor. 9, 27. sibi iugiter imponebat iuxta preceptum apostoli dicentis[h]: *Castigo corpus meum et in servitutem redigo.*

Cepit igitur dicere sororibus suis et nupte, quia facturus esset claustrum in[i] patrimonio suo et multorum filiorum et filiarum heres futurus. Quod subsannare consueverunt; ille, quia sperabant ei in bona succedere, illa, quia[k] non quod spirituale, sed[l] quod carnale cogitabat.

In illa autem tempestate transmissa est a summo pontifice[65] crucis predicatio, ut iam secundo incitarentur fideles ad succursum sancte terre. Ac[m] ille sicut cervus fontem sitiens, gratias egit Altissimo in corde suo, qui talem sibi ad votum[n] ostendit occasionem; et id ipsum nupte sue innotuit[o], quod iam dudum voluit ire post Christum, et tunc instabat hora abnegandi sese et tollendi crucem. Porro illa videns insuperabile propositum, habito consilio recollectisque bonis suis et donatione ante nuptias, cum dolore se ab illo dissociavit et in domum patris regressa, deinceps sub custodia matris et fratrum suorum more turturis vitam castam ducebat et fine bono[o] quievit.

Denique zelo sancte conversationis et promotionis eiusdem in loco avito totus ardebat, et transtulit se ad Claricampenses[66], ut locus[67] et religio promotionem caperet et incrementum. Sed illi aliud meditantes, quatinus, venditis prediis, secum[p] rediret; a[q] maritis namque sororum ipsius artabantur et earum propinquis[q], et idcirco ab eo recesserunt. Monachi quoque in vicino[r] positi[68] metuentes a Cisterciensibus opprimi propter locorum vicinitatem, ipsum alliciebant et, vocatis clam sororibus semel[s] et iterum, convenerunt *col. 3. cum eis, ut tandem, datis ducentis *marcis, ingrederetur ad eos, ille vero residuis bonis libere potirentur. Sed non sedit divine dispensationi tale cupiditatis carnale commercium. Et ideo[t] ille sedit solitarius, quia levarat[u] se super se, donec sua sponte sese et sua optulit[v] domno Reindoni[w] abbati, qui tunc abbas extitit prefatorum in vicinia monachorum, ea conditione, ut asserere solebat, ut in[x] loco suo transponeret conventum, et ipse cum illis ibidem faceret residentiam perpetuam. Cui gratanter concurrentes omnes id ipsum[y] promiserunt et de communi consensu oratorium construxerunt. Quo constructo affuit pie recordationis domnus Otto Monasteriensis episcopus et instantia abbatis et conventus venit[z] ad locum et preparavit se ad dedicandum oratorium in loco constructum. Cui astantes et resistentes sorores[a] Emonis iam dicti fundatoris, dedicationi reclamaverunt. At ille nichilominus dedicavit, dicens, qui in causa triumpharet[b], oratorium cum aliis rebus possi- 1204. deret. Dedicatum est oratorium primum anno Domini 1204.

Circa idem tempus cepit cenobium sancti[c] Iohannis euangeliste[c] in Merna[69] et ceno-

---

a) et *deest* 2. b) more 2. c) in — pavimento 2; *in* 1 *haec verba incerta, neque Emmius legere potuit, qui copiam suam multoties correxit et denique scripsit:* et cantiones sacras pro solito. d) et 2. e) ignari 2. f) et *deest* 2. g) hanc consuetudinem *ex correctura* 2. h) iuxta apostolum dicentem 2. i) de 2. k) illaq 2. l) sed *iam legi non potest* 1. m) At 2. n) sibi devotam 2. o) *incertum in* 1. p) ad eos 2. q) amarius namque sororum ipsius et ab earum propinquis arctabantur 2. r) vicinia 2. s) simul 2. t) igitur 2. u) levaret 2. v) donec sua sponte et sese obtulit 2. w) Reyndo. 2 *saepius.* x) illo *inser.* 2. y) id ipsum *des.* 2. z) subvenit 1 *prius, rad. corr.* a) fratres *H. male.* b) dicens quod causa Christi triumphare deberet et *H.* c) *deest* 2.

[65] Innocentio III.

[66] coenobium monachorum ordinis Cisterciensis, hodie Klaarkamp, duo miliaria a Dokkum versus meridiem.

[67] Emonis hereditarius, Romerswerf, prope Felwert versus fluvium Fivel situs, ubi mox exstabat coenobium sororum Campus Rosarum, Roozenkamp, seu Novum Claustrum, Nijenklooster, dictum.

[68] in Fildwerth, hodie Felwert seu Oldenklooster bij den Dam, ordinis sancti Benedicti.

[69] Regio hodie *de Marne* a mari et inferiori parte fluminis Hunse inclusa. Monasterium istud ord. Praemonstr. vocabatur *Oldenkloster in de Marne.*

bium sororum[a] in parochia Skeldensi[70] a quodam Heinrico canonico Capenbergensi[b], preposito in Merna. Verum claustrum in Gratia sancte Marie[71] convaluit cooperante matrona conversa longeva, amita fratris Herdrici, postmodum prepositi ibidem. Surrexit etiam cenobium in Porta sancte Marie[72] per quendam bone memorie[c], qui tunc prefuit[d] familie in Berethe[73], olim abbatem[e] in Doccum.

Igitur post hec omnia prefatus abbas[74] se illuc transtulit, sed subito post unius noctis moram rediit, nunquam illuc rediturus. Ille ergo propter premissam[f] conditionem et[g] liber esse voluit et predium suum promovere; sed de consilio transposita est illuc[h] familia 12 sororum cum priore. Qui cum lautius se procurari[i] voluisset, orta est animorum scissura inter fundatorem et priorem, et recessit prior. Proinde iterato institutus est[k] alius prior cum paucioribus, qui cum non attenderet nec acquiesceret animo fundatoris, sed licite ad velle suum rebus uteretur, offensus est fundator et iam tercio separatus, solus remansit. Duo quidem notabilia simplicibus *in eo apparuerunt: quia[l] ultra modum litteraturam *col. 4. amplectebatur, sed vena ingenii, ut apparuit, arida fuit, et non est subsecuta fecunditas. Sed tamen ante novissima admodum legere edoctus, ordinem dyaconatus suscepit. Aliud erat, quod prefectis in loco competenter optemperare non poterat. Plurimas tamen et varias sustinuit angustias et labores in inicio caloris, pii propositi querens fideles cooperatores et non inveniens, per annos circiter octo. Et tunc non erat nisi invitatus quispiam 1204. secularis sacerdos, qui divina celebraret, retentis paucis in habitu[m] regulari. 1212.

In tempore illo fuit clericus adolescens, prefati fundatoris amite filius et nomine equivocus [magister Emo][n], qui a primis puericiae suae annis litteralibus fuit studiis imbutus. Is cum fuisset in limine adolescentiae suae, et ipse parvus[o] parvulos imbueret[p] aput quosdam beati Benedicti religiosos, mediante abisso iuditiorum Dei cepit gustare, sed tenuissime[q], quia suavis est Dominus, et displicuit mundus pre dulcedine religionis. Ad[r] quam quo pacto pertingere posset, nondum cogitabat. Vallaverat eum verecundia, que radicem traxit ex simplicitate et pudicicia et stupore quodam animi sui, qui iugiter ab annis pueritie dispensante gratia divina premebat linguam suam a turpiloquio et animum a motu concupiscentie et cogitationum trahentium ad opus inhonestum, ne quasi passer instabilis rueret. Qui cum mare versus Angliam anno etatis sue quasi 20.[s] transisset communis causa studii litterarum, quod fuit Oxonie, estuabat uberius liberalibus artibus se implicare. In quarum foribus stans a fratre suo carnali[75] secum commorante revocatus est et, ut zelo innocentie protegende discipline iuris intenderet, persuasus. Deinde in patriam remeans, fervorem iuventutis verecundia erudiente temperavit, que sic per Dei gratiam ipsum ad ordinem milicie clericalis preparavit. Tandem de media abisso secularis circuitus nesciens eligitur et invitatur ad titulum cuiusdam ecclesie. Quamobrem ad sacros ordines properavit, et a venerabili Mindensi *pontifice domno Thidmaro[76] primicias quinque ordinum simul suscepit *col. 5. et deinceps per legitima intersticia ad ordinem sacerdocii est provectus. Functus ergo sacerdocio, plebem pro viribus custodivit sine delectu personarum, omnibus omnia factus, et consequenter de manu archidyaconi de more Monasteriensis ecclesie curam recepit animarum[77].

Porro iugiter eum, qui est Deus virtutum, cuius est totum, quod est optimum, precibus et desiderii manibus propulsavit, ut que bona essent nutriret et nutrita custodiret. Vulneraverat cor eius amor et timor Dei, et adhesit anima eius post eos usque ad fores iustificationis. Sed nec adhuc caminum doloris et laboris ingredi conabatur, in quo, sicut postmodum experiebatur, examinantur qui per portam iustificationis[t] introducuntur.

[a] et cen. sor. *des.* 2. [b] cappenburgensi 2. [c] bone mem. *des.* 2. [d] qui hunc praefecit *H.* [e] abbate 1. [f] promissam 2. [g] et *deest* 2. [h] illic 2. [i] procurare 2. [k] est *deest* 2. [l] qui 2; quidam *H.* [m] *prius sequebatur* seculari, *iam subpunctum* 1. [n] magister Emo *in marg. addit manus secunda in* 1; *in textum recepit* 2. [o] parvulus 2. [p] imbuebat *H. male.* [q] tenuisse 1. [r] Ad — rebus et religione *col.* 6 *des.* 2. [s] XXX° *corr. radendo in* XX° 1. [t] iustificōīs 1.

[70] Schiltwolde in pago Fivelgo a Groningen 11 miliaria distans orientem versus. [71] Coenobium ord. Praemonstr. *Gratia sancta Mariae* seu Skeldense dictum, situm erat in parrochia Schiltwolde. [72] in villa Cusemer in pago Fivelgo et regione Oldamt, ordinis Praemonstratensis. [73] olim praepositurae Monasteriensis Farmsum, hodie *de Beerta* ad Dollart. [74] scilicet Reindo Fildwerthensis. [75] Addone, ut a Menkone infra col. 115 vocatur. [76] a. 1185—1206. [77] Plebanus factus est in Husdinge, hodie Huisinge in pago Hunsego, praepositurae olim Usquert; v. infra.

Parturiebat animus eius fetum vite remotioris, sed non peperit propter seculares quibus adhuc serviebat, satis ignarus future novitatis post conflictus vetustatis. Et diligebatur ab omnibus in simplicitate sua, sed ipse altius meditabatur, eo quod apostolus proloquitur: Galat. 1, 10. *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Inter prospera presentis vite et dulcia dulcedine patrie celestis afficiebatur, tanquam in aure cordis diceretur ei: *Transi in locum tabernaculi admirabilis, ubi est vere sonus epulationis in voce exultationis et confessionis*[78]. Nunquam fruitione temporalium incendium anime refriguit suspirationis, sed adhuc morabatur quasi in Ihericho, sicut ille qui statura pusillus erat, qui vix potest subsistere, fragilitate carnis infirmus aut compede consuetudinis ligatus, cui displicent mala, nec resistit, quia caro concupiscit adversus spiritum. Peccat tamen magis sub Deo, quam contra Deum, semper de venia cogitans et de misericordia confidens. Meditatur de venia, quia terretur a culpa, ratione repugnans, sed sensualitate succumbens. Intus voce dicitur: Ps. 118, 20. *Concupivit anima mea desiderare iustificationes tuas*[a], *quia nondum perfecte desiderat.* Quemadmodum quidam dolent, quod dolere non possunt, sed dolent, ut doleant, ut dolor *col. 6. *inefficax[b] inferat dolorem efficacem. Postpositis itaque secularibus litteris, mel et lac euangelice lectionis esuriit et potum de psalmorum nectare quesivit et vacabat officio sibi iniuncto cum officio scribendi et legendi, redarguens se ferula pii desiderii, quo detrimenta ante acte etatis redimebat, quia spiritus adiuvat infirmitatem nostram. Mater enim sua carnalis onus rerum familiarium administravit, femina provida et Deum timens, sollicite satagens et orans, ut fide et opere proficeret coram Deo et hominibus; quia scriptum Sap. 4, 8. est: *Cani sunt sensus hominis, et etas senectutis via immaculata.*

Quodam igitur tempore dum sollemnia dedicationis ex more perageret, aderat quidam valde sibi[c] familiaris[79], qui specialis fuit cultor decoris Dei in construendis ecclesiis et ornandis; et in hoc studio ab adolescentia et deinceps flagrabat. Qui etiam post horam prandii in sobrietate consumptam, cum simul per viam cum hospite deambularet, ceperunt sese mutuo invitare ad melioris vite conversationem, et vilescebat mundus inter verba cum delectationibus suis. Ille quidem, uti postmodum deprehensum est, calore novi operis, iste simplicitate nove vite trahebatur. O altitudo sapientie et scientie Dei, qui regna transfert et constituit! Placuit ergo illis, ut locum illum[80] visitaturi convenirent. Et accesserunt et invenerunt illum[81] solum, qui se et locum quasi elapsus de manibus multorum solitarium conservarat. Et gavisus est in adventu eorum, et accensa sunt corda eorum, ita ut dextras darent ad invicem super altari ad locum promovendum rebus et religione.

Interea prefatus[d] sacerdos triphariam religionem[82] cordetenus ponderabat[e]. Et unam illarum[83] propter vicinitatem decrevit vitare; alteram[84] quoque, licet eam diligeret, non elegit. Premonstratensem ergo ordinem acceptavit, fiducia incorporationis[f] animo con- *col. 7. cepta. Egit ergo medio tempore, *mediante[g] viro illustri piae opinionis Popecone[h] in Thiamerswerve[i. 85] plebano, ut omnis scintilla discordiae ortae[k] aliquando inter monachos vicinos et fundatorem loci extingueretur, constitutis ab episcopo Monasteriense delegatis, 1208. qui anno gratie 1208. citatis partibus[k*], cum abbas Reindo nollet comparere, compositionem super rebus sumptis et expensis in loco novello, vallatam attestatione virorum Febr. 25. proborum, confirmarunt 6. Kalendas Martii. Testes compositionis prius celebrate fuerunt Osbrandus[l] de Iucawerth[86], Evo de Romerswerve, Eggardus de Nothensum[87].

Inde[m] ubi tempus visum fuit oportunum[n] memorato sacerdoti, cepit parochianis suis propositum[o] propalare et, dispositis rebus suis, valedixit omnibus, et[p] profectus est[p] cum amico memorato et cum fundatore loci iam sepe[q] dicti. Pervenerunt igitur ad Ortum beate Virginis[88] trans Lavicam[r. 89], et exposita intentione eorum coram venerabili abbate loci domno Sigardo[s], dictus abbas, revoluto libro institutionum[90], voto ipsorum, Deo fortassis

---

a) mea de. iusti. tuas 1. b) inefficans 1, *corr. manus secunda.* c) valde sibi valde 1, *secundum* valde *linea transducta a scriba deletum.* d) factus 2. e) ponderavit 2. f) incorporandi 2. g) metuante 1. h) Popekone 2. i) Tiamersuuerua 2. k) orta 2. k*) *bis scriptum in* 1. l) Olbrandus 2. m) Unde 2. n) importunum 2. o) suum *add.* 2. p) *deest* 2. q) semel 2. r) translavicam 1. s) Syardo *H.*

78) secundum Psalm. 41, 5. 79) Heinricus ut vocatur infra. 80) Romerswerf scilicet. 81) Emonem fundatorem. 82) i. q. ordinem monachicum. 83) scilicet sancti Benedicti. 84) Cisterciensem. 85) Tjamsweer ad flumen Fivel supra Appingadam. 86) Iukwerd in Fivelgo praepositurae Farmsum, prope Appingadam. 87) Vicus iam nunc disparuit. 88) Mariengaarde in pago Ostergo, quinque miliaria a Leeuwarden ad septentriones. 89) Lauwers fluvius. 90) i. e. librum regulae ordinis.

disponente, satisfacere minime consensit. Quamobrem turbati sunt, et tercius rediit ad propria. Sacerdos[a] ergo memoratus et loci novelli fundator habenas propositi minime laxarunt et se ad invicem considerabant, quoniam ille adhuc cucullam gestabat, quam conditionaliter et illectus[b], ut dixit, accepit in ordine, quem professus erat ante tempus regularis institutionis; et ideo ne dispar habitus concordem utriusque voluntatem impediret, sua sponte nigra veste[91] deposita, candidam cappam[92] sibi aptavit et induit. Et profecti sunt per Groninge in ebdomada penosa post dominicam palmarum et in sabbato 1209. Mart. 22. sancto Monasterium venerunt. Ibi demorati[c] per diem resurrectionis, die sequenti acceptis Mart. 29. litteris bone memorie Liudgeri[d] canonici, quoniam in civitate tunc non erat episcopus, ex eius consilio accesserunt ad abbatem Varlarensem. Qui, vocatis senioribus et astantibus *in capitulo, vestem dedit benedictam et remittens ad titulum Novi Claustri, curam loci *col. 8. fideliter commendavit, asserens se non posse more paternitatis tam remotum locum visitare. Sicque reversi sunt anno gratie 1209, conversionis eorum primo.

[Postquam[e] vero ad sua regressi sunt, simul cogitare ceperunt quomodo possent se munire adversus invidorum malivolencias. Cumque nichil efficacius esse inter se deliberando putavissent, quam ad episcopi auctoritatem confugere, ambo Monasteriensem episcopum accesserunt, eique Emo de Husdinge explicavit, qualiter votis infectis cucullam sancti Benedicti induissent, postea vero habitu dimisso habitum et regulam de Premonstrato vovissent in monasterio Horti beate Virginis; unde ad suam primam habitacionem reversi, ad professionis sue nornam vixerant; et quia invidencium malivolencie erant expositi, rogabant suppliciter, ut eos in suscepto opere confirmaret et in sua susciperet protectione locum in quo perseverare resolverant. Humilium orationem exaudivit episcopus et personas ac locum eorum in suam tutelam suscepit et sequenti scripto roboravit[e]:

Otto[f] *omnipotentis Dei gratia Monasteriensis ecclesie episcopus tam presentibus quam* 1209. Mart. 31. *futuris hoc scriptum inspecturis salutem in vero salutari. Accessit ad nos magister Emo quondam in Husdinge plebanus, et*[g] *sua nobis insinuatione monstravit, quod laicus quidam Emo de Romerswert religiose vivere*[h] *cupiens in possessione sua capellulam fundavit ac habitum religionis*[i] *beati Benedicti a Reyndone in Fildwerth abbate recepit, nulla facta professione*[k], *et postea reversus in possessione sua libere est versatus. Postmodum vero idem magister Emo in eodem loco conversus secundum regulam beati Augustini et ordinem Premonstratensem ibidem vivere et Deo servire cepit, cui et fundator illius loci Emo tanquam maiori cessit et in eadem regula quasi maiori et liberiori similiter versari consensit. Nos autem factum utrorumque commendantes, eidem magistro Emoni in eodem loco secundum ordinem predictum Deo serviendi, fratres insuper et sorores colligendi, presente fundatore consentiente, plenam concessimus auctoritatem*[l]. *Et ne res gesta posteris in dubium venire queat, scripto et sigillo nostro confirmavimus.*

Acta sunt hec anno dominice incarnationis 1209. *pridie Kalendas Aprilis, feria tertia paschalis ebdomade, indictione* 12, *epacta* 12, *concurrente* 3.]

Post reditum vero eorum fundator memoratus cepit ventilari spiritu contradictionis, versus in arcum pravum[m], sive ut loci regimen, cui ipse adhuc[n] idoneus non erat rector, in futurum sibi servaret, sive quia stimulabatur a quodam falso fratre Waldrico [sacerdote][o], qui subintraverat valde astute[p], qui utique per eum conabatur in loco dominari, sed postmodum exigente malicia sua non sine adminiculo proborum virorum more basilisci[q] eliminatus est. Alter vero, convocatis plurimis qui loci et religionis ibidem incrementum optabant, monitis et minis eo usque perductus est, quod tandem volens fixis in terram genibus sub attestatione stole obedire[r] promitteret. Nam propter inconstantiam suam sacerdos memoratus eundem et locum deserere meditabatur. Ecce[s] persecutio duplex et utraque domestica, quam consequenter lenire dignatus est Altissimus. Irascitur enim et miseretur;

---

a) magr̄ Emo *atramento paullo atriori in marg. add. corrector* 1. b) electus 2. c) remorati 2. d) Ludgeri 2. e) Postquam — concurrente 3. *des.* 1; Postquam — roboravit *in H. tantum leguntur; des. etiam* 2. f) Otto *in H. tantum*; omnipotentis — concurrente 3. *etiam in* 2. g) et *deest* 2; *add. M. H.* h) vivere *in marg. add. manus recentissima* 2. i) et *add. H*; a *add. M.* k) possessione 2; *correxit iam M.* l) autoritatem 2. *H.* m) v. i. a. p. *in loco raso sed ut videtur eadem manu* 1. n) adhuc ipse 1. o) sacerdote *in marg. addit man. sec. in* 1; *in textum recepit* 2. p) astuto 1. q) *sic H*; basilii 1. 2. r) obedientiam 2. s) Ecce — estus fundata est *col.* 9 *des.* 2.

91) ordinis sancti Benedicti. 92) Praemonstratensium, quorum habitum Emo sacerdos iam praeelegerat, ut dicit Menko infra col. 117.

conturbat terram, et sanat contriciones eius. Sane accesserunt ad eum duo adolescentes[1] Deo disponente, qui seminarium dici possent messis in Christo postea colligende.

Sane in ipso inicio caloris cordis sui, cum fluctuaret anima sua pre tedio future, quam desiderabat, societatis, trahebatur nempe amore contubernii clericorum ex occulto ut creditur instinctu spiritus. Nam quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus[a][2]. Qui autem scrutatur corda, scit quid desiderat spiritus. Ipse desiderio pie conversationis vigilias et ieiunia attemptabat et orationi vacabat. Lectioni quoque et meditationi precipue psalmorum intentus erat, et querebat in eis non verba tantum scientie, sed conpunctionis. Nocte quadam cum devotioni huiuscemodi propositi[b]
col. 9. Psal. 2, 8. ferveret et sopori se dedisset, audivit sibi dici per nocturnam *revelationem: *Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem terminos terre.* Et evigilans exilaratus est et eventum huius oraculi spe letus expectabat. Die itaque sequenti iuvenis quidam acer moribus et actibus ut fama fuit dissolutus, cum quadam nepte sua, ut seculo renunciaret, accessit. Qui in conventu, ut erat flagrans spiritu cuiusdam vehementis indignationis, votum fecit et obedire et stabiliri spopondit; et quia spiritu pietatis accensus non
Matth. 10, 22. erat, perseverare non potuit. *Qui autem perseveraverit usque in finem, salvus erit.* Verum ante discessum suum laboribus et operibus suis conventui iam congregato fideliter providebat, et ideo ante obitum suum corde ut speratur contrito, ut saltem defunctus reduci mereretur, postulavit et meruit. Anima eius requiescat in pace. Puella vero de ipsius detrimento dolebat et dolore erudita moribus et bona conversatione proficiebat. Reliquam partem oraculi credebat partim impletam et partim orabat semper impleri, utpote sicut Ysachar inter terminos portionem cupiebat, ita ipse in rememoratione finis vitae suae et mundi huius ad eternae patriae pertingeret hereditatem; sive ille qui fecit omnes terminos terre, qui inquam per dona sancti Spiritus concessit omnibus suis de terrenis triumphare, ipse eodem spiritu doceret terrena despicere et amare celestia Porro impletum esse quodammodo, opinabile est in dispositione domorum, quae institutae sunt ad subsidium conventus, Deo disponente, in terminis terre per plagas celi. Quarum prima[c] quanto est beatior cultu divino et contubernio fratrum, tanto maiori labore et sudore diei et estus fundata est.

1211. Iun. 23. Anno conversionis suae tercio, anno vero gratie 1211. primo collata est ecclesia in Werum[3] Novo Claustro, paucis adhuc fratribus ibidem[d] collectis, vigilia beati[e] Iohannis baptiste, a maiori et saniori parte patronorum, pastore eiusdem ecclesiae in religionem beati Benedicti cedente. Ernestus autem quidam prepotens importunitate paucorum, qui
*col. 10. residui *non consenserunt, partem sibi vendicavit, pro cuius instantia Otto Monasteriensis episcopus donationem iam dictam patronorum[f] impedivit per sententiam latam contra canonicos. A qua appellatum per prepositum Novi Claustri die sexta post sententiam,
Sept. 23. Nov. 9. 9. Kal. Octobris in villa Hreidensi[g][4]. Quinto igitur Idus Novembris collectis expensis iter Romam arripuit, adherente sibi Heinrico illo antiquo sodali, qui in initio religionis defecerat[h], sed tunc, posthabita omni cura rei familiaris propriae, comitem se indivisum ultro exhibuit. Transeuntes[i] autem per Covordiam[5] et villas reliquas, Hrenum tandem apud Duzburch[6] traducti sunt. Deinde per Traiectum[7], per Tungrim[8], per Helicinis[9], per Villarium[k][10], per Bonam Spem[11], per Altum Montem[12], per Claros Fontes[13], per Funiacum[l][14], per Tenolium[15], per Laudunum, Premonstratum venerunt. Ubi summa caritate retenti per pie recordationis abbatem Gervasium, per dies aliquot requieverunt. Prepositus igitur negotium domno Gervasio[m] plene intimavit, qui corroborans ipsum, litteras ad summum pontificem pro ipso sub tali dedit tenore:

---

* Bellum contra Albigenses hereticos fuit. *in inferiori paginae margine scripsit secunda manus in* 1.

a) 1 *ita habet:* sed ıp̄e spc. po. pro nobis gemi. ı̄enar. b) *sequebatur prius in* 1 vacaret, *quod statim a scriba ipso subpunctum est.* c) *sequuntur in* 1 versus austrum *sed subpuncta.* d) ibi fratribus 2. e) *deest* 2. f) *correxi;* canonicorum 1. 2. g) Reydensi 2. h) defecit 2. i) Transeuntes — castellum s. Petri *col.* 11 *des.* 2. k) p. v. *bis in* 1. l) Cuissiacum *H.* m) G. 1.

1) Sifridus postea prior factus et Thitardus; v. Menkonem infra col. 117. 118. 2) Rom. 8, 26. 3) Wittewierum. 4) Osterreide et Westerreide iam a Dollart absorpta. 5) Kovoerde. 6) Duisburg. 7) Mastricht. 8) Tongeren. 9) Hallets a Namur ad septentriones. 10) Villers prope Estinnes-au-Mont, a Mons ad orientem. 11) Bonne-Espérance haud procul a Binche. 12) Hautmont in Gallia, arr. d'Avesnes cant. de Maubeuge. 13) Clairfontaine haud procul a Vervins. 14) Foigny. 15) Thenailles prope Vervins.

Reverentissimo patri et piissimo domino Innocentio[a] *Dei providentia sacrosancte Romane* 1211.
ecclesie summo pontifici humillimus eius servus Gervasius[b] *fratrum Premonstratensium*
minister humilis cum orationum instantia devotam obedientie voluntatem. Lator presentium,
canonicus Novi Claustri, quod est ordinis nostri, de Frisia oriundus, in qua rari inveniuntur
Premonstratensis vel alterius ordinis professores, ad me nuper accessit, credens quod humilitatis
meae preces aput sanctitatem vestram pro eo debeant gratiam invenire. Licet igitur
supplicare nequaquam sufficiam pro me ipso, [sciens tamen][c] *quod sicut sapientibus et insipientibus,*
ita divitibus sitis et pauperibus debitores[d], *vestre humiliter supplico pietati, quatinus*
ipsum in recitationibus suis, in quantum permittit honestas, vestra dignanter exaudiat celsitudo.
Allegant autem pro ipso et persone petentis simplicitas et religionis in patria memorata
raritas; que si in partibus diffusius propagaretur, 'videretur opus esse pietatis et sapere cari- 'col. 11.
tatem. Valeat in Domino sanctitas vestra, quam Dominus ecclesiae suae conservet incolumem.

Hiis acceptis litteris et valedicto, viam incognitam est ingressus. Via autem hec est,
qua ivit perveniens Romam, habens civitates et castella signata vice quasi commonitorii
in perpetuum laboris ipsius, Sessun[16], Castellum Theoderici[17], Sechana[18], Mer sur Seine[e][19],
Troes sur Seine[e][20], Bar sur Seine[e], Lugdunum super Rodanum. Demum Vallem Morianam
ingressus est usque Minit, qui est terminus vallis. Post vallem secuntur civitates Longobardie,
Susia, deinde post alias Papia super Padum, Placentia super Padum, deinde Pons Tremulus[21],
Luke[22], castellum quod dicitur Sanctus Quiricus[23], Radecophanum[f][24], Viterbium, Sutrium,
Castellum beati Petri. Kalendis[g] igitur Februarii 14, die Marii et Marthe[i] Romam venit, 1212. Ian. 19.
presidente Innocentio papa tercio, anno pontificatus eius ...[k] Mansit autem per dies quinquaginta,
in[l] quibus devotionem domni pape in missarum celebratione et verbi Dei predicatione
per stationes consideravit, licet hiisdem diebus pro causa sua plurimum laboraverit
sub auditore domni pape, subdiacono domno Andrea, notario maximo. Per dies illos Febr. 6 — Mart. 17.
quadragesimales divina officia in principalibus ecclesiis, videlicet beati Iohannis baptiste
et sancti Salvatoris audire consuevit[l]. Quinto igitur Idus Marcii Romam reliquit, et Papiam Mart. 11.
venit, ibique in vigilia pasche aput monachos Vallis Umbrose mansit extra civitatem[m]. Mart. 24.
Deinde relicta Papia, Bononiam profectus est. Litteras enim suas Rome[n] mercatoribus
Bononiam tendentibus commiserat et in pignus tradiderat pro[o] pecunia ab eis accepta.
Custodes nanque in presidiis, quos posuerat Otto[p][25] iam excommunicatus a domno papa,
spoliaverunt clericos litteras de curia[q] deferentes. Cunque Bononiam venisset, sexto[r] die
videlicet Papia relicta, expectavit ibidem mercatores prefatos. Post multos igitur[s] dies
tandem quidam ex eis[t] 'venerunt*, et gavisus ut reddant quantocius litteras postulavit. 'col. 12.
Illi deinde post longas inducias confessi, se perdidisse litteras aput quoddam presidium.
Plenus ergo anxietate post[u] labores et tedia, correptus est febre per aliquot dies Cunque
labor habitus in curia totus esset cassus, nisi iterum reverteretur: confisus de[v] Dei misericordia
plus quam in viribus propriis, pecunia iam exhausta, placuit Romam redire et querelam[w]
ad pedes domni pape deponere. Sed[x] ille sodalis eius magis animam illius quam
propriam salvare cupiens, sese ultro exhibuit; et ne cum eo rediret, propter periculum
febrium prohibuit; sicque solus Deo duce rediit et a cancellario coram papa introductus[x],
et auditis litteris adversitatis ipsius, iussit papa rescribi litteras et reddi; et cooperante
Deo licet fatigatus optato fine potitus est. Multum[y] interim pro salute sodalis sui sollicitus,
Bononiam reversus est et eum salvum invenit. Ipse interim scribebat et missarum sollemniis
vacabat et orationibus aput capellam beatae Teclae virginis, socius domni Egidii
piae memoriae eiusdem capelle rectoris. Frequenter etiam intravit et exivit inter monachos
Beati Stephani, ubi requiescunt preciosi martires Christi Vitalis et Agricolaus. Postremo
valefacto omnibus familiaribus, iter arripuit cum[z] comite suo et per aliam viam reversus

---

* 1212. Leodium spoliatur. *add. sec. manus in marg. superiori* 1.

[a] I. 1.
[b] G. 1.
[c] *add. H.*
[d] *leg. videtur potius* creditores.
[e] scine 1.
[f] Radecoph. 1.
[g] Kalend. 1; Kalendas 2.
[i] die — Marthe *des.* 2.
[k] *nec in* 1 *nec in* 2 *lacunae indicium; supplendum erit* 14.
[l] in — audire consuevit *des.* 2.
[m] muros 2.
[n] Rome *deest* 2.
[o] pro *deest* 2.
[p] IV. Imp. *add. H.*
[q] de curia *bis* 1.
[r] sexto — relicta *des.* 2.
[s] ergo 2 *saepius.*
[t] quidam *sequebatur in* 1, *alia manu subpunctum.*
[u] propter 2
[v] *deest* 2.
[w] querelas 2.
[x] Sed — papa introductus *des.* 2.
[y] Multum — octavas apostolorum *des.* 2
[z] *bis erat scriptum, primum erasum* 1.

[16] Soissons. [17] Château-Thierry. [18] Sezanne. [19] Mery-sur-Seine. [20] Troyes. [21] Pontremoli. [22] Lucca. [23] S. Quirico. [24] Radicofani. [25] imperator IV.

est, videlicet per Mediolanum in Cumas; et sic Alpibus transmissis venit Basileam super Hrenum et Argentinam. Ibi navi conducta, Spira[a], Vurmatia, Maguncia et quamplurimis castris relictis, Coloniam venit. Post hec pedestri[b] itinere reversus est, Deo disponente et
Iul. 6. cooperante, circiter octavas apostolorum.

1212. Anno autem conversionis sue 4. facta est amicabilis compositio cum filio Ernesti, prestitis sibi expensis pro redimenda pace super collato iure a patronis sanioris et maioris partis, quod, licet dictus filius Ernesti voluisset usurpare, post iniquam sententiam interposita appellatione nunquam fratres perdiderunt, et[c] ideo secundum Augustinum proiecta pecunia pacem sibi comparavit.

*col. 13. 1213. *Anno sequenti fundata est grangia in Hora [Gerbadawerve][d]. Proinde quantum pro ordine, personis, et rebus laboraverit, facilius mente quam littera potest ponderari. Pro ordine inquam, quia perpendit, quod diverse essent consuetudines in ecclesiis unius et eiusdem ordinis contra institutionem patrum, et ventilabatur eadem varietate[e] nolens, et cepit mendicare libros et transcribere. Aderat pro huius mutabilitatis medicina carus amicus et huiuscemodi sollicitudinis medicus, scolasticus frater Fretherícus, qui iunctus fuit ei corde in primo introitu in Ortum[26], cum ab aliis, ut supra[f] dictum est, pateretur repulsam. Ipse ore et manu, verbis et stilo instillabat auribus eius, ut libros ordinis suis laboribus de ipso gremio matris ecclesie transferret et novam plantam novo potu rigaret. Et exclusa varietate cepit textum librorum musicorum conscribere, quem apud fontem facile posset corrigere, et notis quasi scaturigine prima aspergere. Quia ipsemet opera simplicitatis suae post[g] mirari se sepe asseruit, hac ratione, *quia quasi oblitus fui virtutem Dei disponentis et operantis*, et ponderabat imperfectionem sui super se aliquid presumentis. Igitur profectus est, assumpto secum fratre Thitardo[h], in multa simplicitate, et invenerunt gratiam coram optime recordationis domno Gervasio abbate et in tempore competenti votis suis satisfecerunt et redierunt. Denique reportavit litteras confirmatorias laboris sui in monasterium, quod de novo Floridus Ortus[27] nomen accepit in Werum, in hec verba:

1214. Iun. 8. *Gervasius*[i] *Dei pacientia Premonstratensis dictus abbas venerabilibus in Christo fratribus ordinis Premonstratensis abbatibus universis has litteras inspecturis salutem et sinceram in Domino caritatem. Non facile debet convelli quod cum labore conficitur, nec est a filiis mutandum, cui patrum auctoritas suffragatar. Quin pocius in sua debet semper integritate persistere, quod constat esse et multa diligentia conparatum et provida patrum sanctione sta-*
*col. 14. *tutum, sed et propria insuper honestate subnixum. Sane* **dilectus* in Christo Emo Floridi Orti provisor nuper veniens Premonstratum multo sategit studio, multa curavit instantia, ut in ecclesia sua, que adhuc nova est, libri ecclesiastici haberentur secundum usum omnino et ordinem, quo ipsa ecclesia Premonstratensis utitur, tam in littera, quam in cantu. Ordinarium quoque ad exemplum nostri et institutiones conscripsit, et quas in scriptis non invenit expressas. Quia ergo omne totum pulchrius elucessit, cuius partes a se ipsis non discrepant, et membra eo rectius disponuntur, quo suo capiti coherentia conformantur: nos ipsum Emonem*[k], *qui ad hoc sollicicius laboravit, ut ecclesia sua suo toti, hoc est ordini conveniret, et suo capiti, videlicet ecclesie*[l], *per identitatem consuetudinum cohereret, attentius in Domino commendamus, precipientes districtius in virtute Spiritus sancti et sub pena excommunicationis, quatinus usus legendi pariter et cantandi, quem ad uniformitatem ordinis conservandum secum tulit a nobis, in ecclesia Floridi Orti perpetuo modis omnibus habeatur, nec patri abbati, nec alicui nostri ordinis professori, aliquatenus liceat omnium eorum, que notavit aut scripsit, iota unum vel unum apicem immutare; sciturus qui hoc fecerit, se ex ea hora excommunicacionis sententiam incurrisse, qua aliquod predictorum omnium mutare presumpserit vel de se, nisi mutationem illam in Premonstratensi ecclesia factam esse noverit et receptam.*

Datum Premonstrati 6. *Id. Iunii, anno gratiae* 1214.

* 1214. Philippus rex Francorum cepit comitem Flandrie. *in marg. superiori scripsit manus secunda in* 1, *iam vix legibilia.*

---

a) Sprea 1. b) pedester *prius, ead. man. corr.* 1. c) et ideo — in pace concessit *col.* 16 *des.* 2. d) Gerbadawerve *superscripsit man. secunda; sed ipsa hoc et verba* Anno — hora *postea linea transducta delevit* 1. e) *loco* et vent. ead. varietate *habet H.* talem varietatem. f) supp 1. g) opera *add.* 1. h) Thidardo *H.* i) G. 1. k) E. 1. l) nostrae *add. H.*

[26] sanctae Mariae scilicet. Cf. de hoc infra Gesta abb. Horti S. Mariae c. 17—19. [27] Bloemhof seu Bloemgaarde.

Postmodum pro consumacione cepti illius congratulatus est fratribus, qui eodem 1214. afficiebantur desiderio, subscribens in hunc modum[a]:

Credo, fratres, observantiam institutionum Premonstratensis ecclesiae vite apostolice esse quasi civitatem supra montem sitam. Cuius cives, apostolos et eorum successores patres, nostros Dominus commendans dixit: Qui vos recipit, me recipit. *E contra de perversis dixit:* Matth. 10, 14. Quicunque non receperint vos, neque audierint sermones meos *etc.* tolerabilius erit terre Marc. 6, 11. Sodomorum *etc. Sed hec quidem apostolis;* **nunc autem per successores eorum in lumine*[b] *col. 15. *vobis quoque professis ordinem Premonstratensem audire et recipere et servare sub predicta spe vel pena predicuntur. Denique ex inspiratione, ut spero, Spiritus sancti institutiones sacras huius sancte civitatis complexus, Deo disponente, pro viribus uniformitatem precipue eorum, quae ad cultum Dei pertinent, deesse dolui. Que quidem suo loco in capitulo, missale, textus, commendantur*[c]. *Porro aliquandiu circumferebar vento varie consuetudinis, donec dante Deo attraxi spiritum pietatis, et primo ad usum immolandi hostias iubilationis Deo uniformiter usum cantus de gremio ecclesiae Premonstratensis, non sine labore, sed cum solatio fratris Thitardi*[d] *transtuli. Sane hunc laborem satis dulcem persuasit michi caritas fratrum, quos non minus quam me dilexi, quos eadem Spiritus sancti inspiratio id ipsum mecum petere et expectare fortiter intus perdocuit. Persuasit etiam obedientie bonum, genitrix virtutum; monuit concordiae uniformitas. Sed credo, fratres, non deerunt, qui dicent curiosum esse pro hiis quasi minimis conquirendis*[e], *sicut Dominus arguit scribas et Phariseos, qui decimabant mentam et anetum et reliquerunt que graviora sunt legis. Sed subiunctum est:* Hec oportuit fieri, et illa non omittere. *Plane Deo disponente pro viribus* Matth. 23, 23. *domum sibi more converso fieri desidero. Romani nempe, ut legitur, postquam civitas erat munita muris, volebant eam munire legibus. Religiosus vero prius spiritualibus ditare se studeat quam temporalibus. Puto adhuc*[f] *esse, qui quasi dedignando dicent, me uti posse consuetudine vicinarum ecclesiarum. Sed legant mecum et intelligant:* Nolite cantare, nisi quod legitur[g] esse cantandum. *Quid expressius hiis verbis vel simplicius? Hiis iam dimissis, filii*[h] *dulcissimi, quorum palatum sanum est, vobis inquam laborem meum pro uniformitate ordinis durum satis, sed dulcem commendo; vos inquam gustate, quanta sit hilaritas conscientie, etiam in hac vita sine heretica contradictione, uniformiter Deo psallere secundum instituta ecclesie Premonstratensis,* **que mater est omnium ecclesiarum sue professionis.* *col. 16. *Porro pro imperfecto meo, quod a vobis facile deprehenditur, super audatia tanti cepti veniam peto. Sed ignorare nolo vos, duo esse imperfectionis materiam, videlicet animum ad ulteriora pronum, qui nichil credit actum, dum quid superest agendum*[28], *et usum pristinum, qui etiam veritatem cognitam cogit negligere. Modum tamen*[i] *in notandis libris servavi, excepta cline cornuta, pro qua ipsi utuntur flexa rotunda, et torculum frequenter habent, et podatum prepunctem*[k], *et puncto percantato fortiori voce, quasi cum quadam subdistinctione resumunt podatum. Hec ideo de notis vel figuris dixerim, quia certus usus earum dulcem modum cantandi reddit, qui haberi non potest de exemplaribus confuse et superbe notantium. Semitonium quoque voce valde circumflexa cantant. Postremo, fratres dulcissimi, gratias ago Deo in exultatione, quam non meis meritis, sed vestris orationibus cumulavit, quoniam opus sanctum, opus dignum benedictione, a multis desideratum pro uniformitate ordinis per me et fratrem in Christo transferri*[l] *in pace concessit.*

Eodem anno[m], anno inquam gratie 1214. magister Oliverus scolasticus Coloniensis, 1214. verbi crucis legatus, ingressus est Frisiam; ad cuius exhortationem multitudo hominum utriusque sexus cruce signata est per singulas Frisiae maritimas[29], et trunci in ecclesiis

---

a) *in margine* 1 *manu secunda* Epistola sua ad fratres. b) limine *H.* c) commendat *H.* d) th. 1. e) acquirendis laborare *H.* f) adh̄c 1. g) le. 1. h) sibi 1, *corr. manus recentior.* i) tā 1. k) prepunctē 1. l) tranferri 1. m) Anno eodem 2.

[28] Cf. Lucan. Pharsal. II, 657. [29] Litteras, quibus ipse Oliverus haec fusius narrat, repperi in codice Vitas sanctorum continenti saec. XII. scripto in monasterio S. Laurentii prope Leodium, nunc Bruxell. 9290, ubi illae in prima pagina leguntur a manu saec. XIII. in., igitur coaeva, cum aliquot versibus et notitiis de bonis quibusdam monasterii a diversis manibus saec. XIII. in. exaratis: *Illustri comiti Namucensi et nobili uxori eius O. Coloniensis scolasticus, apostolicae sedis legatus, salutem presentem et futuram. Cum essem iuxta occeanum in fine provincie Coloniensis in diocese Monasteriensi, feria sexta ante pentecosten, anno gratiae* 1214, *et pro reverentia domni papae mecum essent abbates Cisterciensis, Premonstratensis et Cluniacensis ordinis et alii multi religiosi, feci decantari missam sollempniter de sancta*

1187. erecti causa pecunie ad subsidium terre sancte. Anno[a] nanque Domini 1187. apostolico Urbano III, imperante in Alemannia Fretherico, Constantinopoli Ysatio, in Frantia Philippo, in Anglia Heinrico, in Sicilia Willelmo, in Ungaria Bela, capta est Iherusalem a Saladino, Egipti et Sirie rege. Hanc urbem Latini 96 annis tenuerant, ex quo ipsam cum Antiochia christianorum recepit victoria, cum eam gentiles prius per annos 40 possedissent. Commendationem vero domni Innocentii pape tercii, qui pro liberatione terre sancte predicatores direxit, sic posuit magister Oliverus dicens: *Innocentius, qui successit Celestino,* *col. 17. *favorem suum impendit *Ottoni et eum Rome coronavit in imperatorem. Qui nimium*[b] *ingratus benefactori suo patrimonium sancti Petri statim post acceptam coronam invasit, nec pepercit puero Fretherico*[c]*, sed Apuliam hostiliter ingressus, Deum et homines contra se provocavit. Ideoque summus pontifex, multis premissis admonitionibus, eum excommunicavit, deinde* 1218. *barones ab eius fidelitate absolvit.* Et sic imperio perdito mortuus est in Saxonia cum signis maximis contricionis[d].

Innocentius[e] papa ingenio, facundia, memoria precellens fuit, in iure ac lege Domini eruditus valde, magnanimus plurimum; qui contumaciam regum et aliorum principum compressit. Regem Francorum Philippum, uxorem suam, sororem regis Datiae[30], quam abiecerat, superducta Teutonica, per interdictum Francie recipere coegit[31]; Iohannem regem Angliae, qui admittere recusavit ad sedem Cantuariensem cardinalem sanctae Romanae ecclesiae domnum Stephanum, vita et scientia fulgentem, per sententiam excommunicationis et interdictum Angliae in tantum humiliavit, ut ipse et successores[f] sui a sede apostolica regnum Anglie recipiant[31]. Temporibus eiusdem pontificis populus aquilonaris, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam fidei catholicae. Nam gens Livorum, Hestonum, Pruzorum[g], variis erroribus delusa, ignorans Dei filium et incarnati verbi misterium, numina gentilium colebat, driades, amadriades[h], oreades[i], napeas, hinnides[k], satiros[l] et faunos. Separabat[m] enim sibi lucos, quos nulla securis presumpsit violare, ubi[n] fontes et arbores, montes et colles, rupes et valles venerabantur, quasi aliquid virtutis et auspicii reperiri posset in eis. Nunc autem sanam doctrinam secuta et ad episcopum ac pastorem animarum suarum conversa, Iesum Christum, pontificibus suis obediens, ecclesias edificat ac frequentat, legibus christianis pro magna parte subiecta. Preterea Constan-

---

a) Anno — 40 possedissent *des.* 2. b) nimis *corr. ex* minus 2. c) Frederic. 2 *fere semper.* d) praedicationis 2. e) Innocentius — fidei catholicae. Nam || gens Livorum *des.* 2. f) sucessores 1. g) Prussorum 2. h) amandriades 1 *prius suppungendo corr.* i) orcades 2. k) humides 2. l) saturos 2. m) Separabat — domni Innocencii 18. *col.* 19 *des.* 2. n) v́ 1.

cruce. Principium sermonis mei erat: Absit mihi gloria *etc. Cum multa hominum milia et mulierum qui ad sermonem convenerant, sederent in prato extra villam Frisie, que dicitur Bethdum, et aer satis esset serenus, apparuit nubes candida, et in ea crux alba sine humana imagine ab aquilone; postea crux alia ad austrum eiusdem coloris et scematis; tercio crux magna inter illas et super illas, medio colore colorata, habens formam humani corporis, ut videbatur ad quantitatem hominis, cuius nuda erat forma, caput habens sursum et pedes deorsum, caput inclinatum ad humerum, et brachia non in directum extensa, sed sursum elevata. Clavi per manus et pedes visibiliter apparebant eo scemate, quo apparet in ecclesia ab artifice parata. Et cum multi ad crucem recipiendam accurrerent, miles quidam, qui ante crucem recusaverat accipere, tamen una cruce visa statim crucem accepit. Quidam de incolis terre hoc viso velociter ad me currebat dicens:* Nunc terra sancta recuperata est! *quasi prophetica certitudine preteritum ponens pro futuro. Puella quaedam dives christianorum adoratura surrexit; sed compulsa sedere a turba, demonstravit matri sue et avie et multis circumsedentibus, qui multa veneratione sursum aspicientes adorabant, quamdiu signum apparebat. Durabat haec visio per spatium competentis misse circa horam terciam. Hoc miraculum plures quam centum viderunt. — Procedente tempore in alia statione eiusdem terre apparuit crux sine forma humani corporis, habens colorem hiris, nota contra solem; quam vidit abbas de Valle Sancti Petri et monacus eius et plures de populo quam Bethdum. Deinde in alia statione in die sancti Bonefacii apud portum Frisie, qui Dochum nominatur, ubi beatus Bonefacius martirio fuit coronatus, apparuit crux magna, qui eramus in statione amplius quam decem milia, ut creditur. Albi coloris erat crux, quae paulatim movebatur in aere, acsi traheretur per funiculum, quasi iter demonstraret peregrinis navigaturis ad terram promissionis inter Europam et Affricam. In gente autem illa, in qua hec contigerunt, computantur* 50000 *signatorum,* 8000 *scutariorum et ... milia loricatorum. Sciatis autem, tot naves preparari ad expeditionem Iesu Christi, quod credimus de sola provintia Coloniensi amplius quam trecentas naves onerarias profecturas, replendas viris bellatoribus, armis et victualibus ac instrumentis bellicis. Hec autem scribsimus vobis, quoniam ad miliciam Iesu Christi vobis salubriter et terre sancte, ut speramus, utiliter signati estis, obnixe rogantes, ut cruce signatis propitii sitis et iudicibus, quos apud Namurcum constituimus, favorabiles. Valete.* BETHMANN.

30) Ingeborg sororem Waldemari II.

31) a. 1213.

tinopolitana civitas scismatica in diebus suis expugnata, in Latinorum transivit dominium 1203. et potestatem. Insuper Tolosanum *comitem, receptatorem hereticorum et defensorem, *col. 18. humiliavit et Albienses hereticos per largas remissiones catholicis indultas ad nichilum deduxit, quos primo loco per predicatores humiles ac litteratos ad ortodoxam fidem reducere studuit, deinde quasi contra ethnicos et publicanos peregrinos armatos transmisit.

Ammiramomelinus rex Carthaginis in tantam surrexit elationem, ut missis litteris blasfemia plenis generaliter omnes Christi cultores ad conflictum invitaret. Unde propter indulgentias a domno Innocentio papa factas de duobus regnis Franciae et Angliae multitudo maxima convenit congregata aput Tolaetum; sed qui invitati erant, non fuerunt digni diem conflictus expectare, nec placere Domino videbatur, ut disposita celitus christianis victoria multitudini bellatorum ascriberetur; et licet rex Castelle[32] liberalissimus et miles secundum vires etatis suae strennuus larga manu stipendia[a] distribueret, reversi sunt tamen ad propria, remanentibus paucis. Dux Austrie[33] propter viarum intervalla maxima tarde venit, nec assequi diem belli valebat. Rex autem Castelle, Arragonie[34] et Navarie[35] in fide Trinitatis et cum signis Unitatis transeuntes portum, obviantes principi perfidie, qui licet eminentiorem locum occupasset et numero equitum ac peditum christianos multipliciter vinceret, virtute tamen divina superatus in bello, fugatus evasit, cesis milibus multis Sarracenorum et amissis civitatibus ac castris plurimis. Factum est anno Domini 1212. Iul. 16. 1212, 16. die Iulii.

Post hanc gloriosam victoriam idem apostolicus orientali ecclesiae compassus, predicatores[b] crucis per regna misit occidentis[b]. Cor apponens ad liberationem terre sancte, orationes generales instituit, concilium indixit, quod celebravit in Lateranensi basilica anno 1213. mense Novembri[36]; cui interfuerunt 413 episcopi. Abbatum et aliorum prela- 1215. torum ecclesiae *turba convenit, que dinumerari facile non poterat. Ubi principaliter ordi- *col. 19. natum est de hiis, que ad subsidium terre sancte pertinebant. Terminus etiam generalis expeditionis prefixus erat; infra quem idem summus pontifex obdormivit in Domino. Anno quoque 7. conversionis sue concilium Rome celebratur 3. Idus Novembris. Nov. 11. Sic nanque scripsit domnus papa: *Taliter vos preparetis, quod a presenti incarnationis* 1213. *anno usque ad duos annos et dimidium, prefixis vobis pro termino Kalendis Novembris.* Que synodus congregata est in basilica Lateranensi, que Constantinopolitana dicitur, 412 episcoporum tam Latinorum quam Grecorum, et abbatum 800 et aliorum ecclesie prelatorum, prepositorum et decanorum, anno pontificatus domni Innocentii . . .[c] [37].

Completis itaque[d] piis laboribus, de quibus supra dictum est, fratribus collocatis in Florido Orto et sororibus in campo primitivo relictis, in Campo inquam Rosarum[38], multiplicata est familia Dei gratia, hereditate admodum festinata. Fundator autem persecutionem movebat, singulariter volens in communi conversatione ieiunare et singulariter prandere, et occasione litterature modo versus Hrenum[e], modo versus occasum, modo versus orientem pergebat, assumpto sibi iumento et rebus, quas quoquo modo conquirere valebat. Dicebat aliquando aput[f] quosdam, quod in conscientia graviter torqueretur pro mutatione habitus, et aput tales, qui vermem conscientie[g] non medicabant[h]; et ideo nec licentia nec consilio accepto, Romam adiit, et reversus ultra a conquestione cessavit. Porro cum esset aput Hildenshem[i] causa studii ut dicebat litteralis, in habitu regulari cepit egrotare usque ad mortem. Et venit religiosus quidam causa visitationis et consolationis et interrogavit eum de professione et moribus eius. Et comperto, quod quadam singularitate ductus illuc transierat, iniunxit ei sub spe salutis, ut postea innotuit, quatinus ad locum suae conversionis et ad stabilitatem et[k] obedientiam rediret. *Et convaluit et rediit et resedit in melius commutatus et mansit aliquo tempore, gratia *col. 20. Dei visitante[l], in loco stabilis et quietus. Et[m] appropinquante termino, qui preteriri non

---

a) *correxi;* dispendia 1. b) pred. c. p. r. m. o. *bis in* 1, *secunda manu suppuncta.* c) *numerum non scripsit in sequenti spatio vacuo relicto* 1. d) igitur 2. e) Heremum 2. f) ad 2. g) communiter 2. h) medicabantur *H.* i) Hybdersem 2. k) ad *add.* 2. l) et *add.* 2. m) Et — lecto decubuit *des.* 2.

[32] Alfonsus VIII.

[33] Liutpoldus VII.

[34] Iacobus I.

[35] Sancho VII. Fortis.

[36] Synodus Lateranensis celebrata est a. 1215. Nov. 11—30, indicta vero iam a. 1213. Apr. 19; v. bullam Innocentii ap. Baluze, Ep. Inn. II, 756 et supra p. 375, ex qua infra aliqua inseruit auctor.

[37] Haec de synodo Lateranensi auctor sicuti Chron. Ursperg., Montis Sereni, Ann. Stadenses e protocollo per orbem misso hausisse videtur.

[38] Roozenkamp.

potest, quia mensurabiles positi sunt dies hominis, ut innotesceret ei finis suus, ille inquam finis, qui est sine fine, et numerus dierum qui est...[a], dissolutionem sui corporis persensit, dixitque, quod pedes et crura obsequium subvectionis ei denegarent. Et procedente tempore pre habundantia humorum, ut putabat, vertigine et tocius corporis quasi mole premebatur; et tali pressus stupore fecit sibi fieri sanguinis diminutionem, et extunc in lecto decubuit. Cunque decubuisset, et certa sui custodia deputata[b] non fuisset, subito[c] vocavit conversum, qui in eadem domo dormire consuevit. At ille occurrens vidit eum agonizare et continuo vocavit sacerdotem, qui assistens post verba consolationis et exhortationis cepit psallere et officium more canonico agonizanti exhibere. Quo peracto, quasi lassus reclinavit caput et paululum obdormivit; et evigilans dixit, quod per visionem vidisset omnes caras in Christo sorores exeuntes de oratorio et gratanter ei occurrentes, et astantibus commendavit, ut oratio fieret pro eo ab eis. Et obdormivit[d] in pace. Nocte igitur[e] dormitionis suae, ut dicebatur, cuidam sanctimoniali beati Benedicti per revelationem ostensum est, vidisse virum indutum albis vestibus et usque in celum penetrare. Et mane comperto obitu illius, congratulata[f] est anime[g] eius cum ceteris caris et amicis suis[h]. Obiit autem 1215. Oct. 8. anno gratie 1215, 8. Idus Octobris.

Denique[i] post mortem prefati fundatoris domus Dei et beate Virginis in campo prenominato, sicut ante mortem eiusdem, dictus prepositus Floridi Orti sollicitudinem utriusque familiae fratrum et sororum gerebat. Qui sepe, ut dicebat, de difficultate sollicitudinis obstupuit, quam misericorditer Deus mitigabat diversis modis, quos inspirabat, quibus *col. 21. invigilabat correctioni suorum, necessariis quoque[*] rebus *ad sustentationem competentem, donis quoque Spiritus sancti, quibus personas fratrum et sororum accendit, ut pacientie, humilitati, caritati et obedientiae invigilarent, et ex quibus in uno corpore 1 Cor. 12, 7. collegii fratrum diversam spargebat utilitatem, sicut dicit apostolus: *Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem;* per timorem, per pietatem, que est cultus Dei, scilicet Deum cognoscere, cognitum diligere, dilectum adorare; per scientiam quoque, per quam fratribus suis clericis et laicis concessit res terrenas et negocia seculi rite dispensare et se suosque fratres contra adversitatem et perversitatem munire, ut recte et secure viverent in medio nationis prave, et ceteris bonis, de quibus scriptum est: *In bonis iustorum exaltabitur civitas.* In rebus autem gerendis et administrandis se simplicem estimavit et insufficientem. Et cum plerumque in stuporem traheretur propter temporis maliciam et fratrum conquestionem sub pondere suspirantium iniuncte sollicitudinis, et illi innitendum humane sollercie audacter dicerent, ille meditabatur de Deo confidendum et de eo presumendum et ab eo solo petendum, ut vias hominis dirigat. Sicut ille, quasi oppressus a gigantibus et contradictoribus, a proditoribus, ab iniquitate et dolore, usura et dolo, pro se et omnibus Ps 54, 23. clamavit: *Iacta cogitatum tuum in Domino et ipse te enutriet.* Bonum est confidere in Domino. Quod etiam expertum se dicebat multis casibus minus subtiliter examinatis, de quorum eventu timebat turbari, sed de eisdem in melius mutatis meruit letificari. Unde Rom. 8, 28. illud apostoli: *Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

1216. Anno conversionis octavo fundata est grangia secus Emesam[k].

1217. Febr. 14. Nov. 19. Anno conversionis eius nono soluta est compositio, que inita fuit cum filio Ernesti, 16. Kalendas Martii. Cuius pater 14. Kalendas Novembris collecta multitudine bellatorum venit Loppershem[39], eicere Eggehardum[l] de domo dotali ecclesiae, asserentem se ius habere in ecclesia fratris sui Aldberti[m] iam defuncti. Cuius dimidia pars concessa fuit ab episcopo filio suo; sed tunc stimulante invidia quorundam in illa seditione quidam igne apposito domum, pro qua litigabant, accendit. De cuius incendio exusta est ecclesia beati *col. 22. Petri vicina, pro cuius restauratione compulsus est a parochia, *exponere mille marcas, et pro ipsis persolvendis[n] ypotecaria satisfecit[o] cautione. Ernestus vero Idus Decembris Dec. 13. nocte beate Lucie[p] martyris mortuus est; et nutu Dei reddita est pax fratribus, quemadmodum beatissima virgo et martyr astantibus olim[a] christianis promiserat. Et[b] uni de 1217. fratribus nocte eadem venerabilis virginis per somnium revelatum est, quasi fumo chorus ecclesie repleretur, et cista, in qua erant indumenta sacra adhuc communia conventui et prefato Ernesti filio, de loco sursum tolleretur. Qui mane intellexit, iam dictum Ernestum[c] moriturum. Quod et factum est. Eodem quoque anno facta est donatio ecclesiae in Werum ab universitate patronorum 15. Kalendas Aprilis, die dominico, presente Menkone[d] Mart. 18. decano in Loppeshem, et aliis plurimis, constitutis in ea[e] iam fratribus sub ordine Premonstratensi.

---

[*] Anno gracie 1216. migravit Innocentius III. Lodewicus iunior in Angliam proficiscitur. *in imo paginae margine manus secunda* 1.

[a] *hic aliquid excidisse videtur; in* 1 *nulla lacuna.* [b] *deest* 2. [c] cito 2. [d] dormivit 2. [e] ergo 2 *saepius.* [f] gratulata 2. [g] anima 2. [h] eius 2. [i] Denique — secus Emesam *col.* 21 *des.* 2. [k] Anno — Emesam *in margine inferiori supplevit manus prima signis ubivis positis* 1. [l] Egchardum 2. [m] Alberti 2. [n] solvendis 2. [o] satisdedit 1. [p] Iu *sequente rasura parva* 1.

[39] Loppersum.

Ipse[f] vero, conscriptis exemplaribus ecclesiasticorum librorum, cum fratre precordialissimo memorato de Orto beate Virginis[40] primo ad capitulum proficiscitur, et triduo capitulo[g] terminato, remansit usque in diem[h] omnium sanctorum. In quo capitulo se et Nov. 1. locum novellum imbutum suavi sapore Premonstratensium consuetudinum in usu vivendi et religione Deo serviendi optulit, petens paternitatem et percipiens et litteras reportans in hunc modum:

Ego[41] *Gervasius Dei pacientia dictus Premonstratensis abbas omnibus in perpetuum. Notum esse volumus tam presentibus quam futuris, quod cum ecclesia Floridi Orti in Frisia per Dei gratiam dilatari cepisset, ita quod surgens de paupere fundamento iam haberet incrementum, quam vir religiosus Emo eiusdem loci prepositus gubernabat*[i], *qui fuit unus de duobus primis inhabitatoribus et fundatoribus dicti loci, idem prepositus tandem veniens ad generale capitulum Premonstrati se optulit et locum suum ecclesiae et ordini Premonstratensi, quem elegit et professus fuerat a primis commisse sibi ecclesie fundamentis,* **ipsamque Premonstra-* *col. 23. *tensem ecclesiam inmediate matrem elegit, ut ecclesia Floridi Orti tanquam specialis filia Premonstrati per Premonstratensem abbatem tanquam per patrem regatur, secundum quod ordinis exigunt instituta. Nos autem devotionem ipsius et suorum in Domino commendantes, sicut erat merito commendanda, recepimus*[k] *eum in filium et ecclesiam suam in filiam specialem*[l]. *Ne igitur futuris temporibus super hoc possit aliquis scrupulus suboriri, presentes litteras in testimonium rei geste conceptas sigilli nostri appensione duximus roborandas. Actum anno gratie* 1217.

Formam[m] capituli, quod per triduum celebratur, in scriptum redegit hoc modo: Primo die postquam ingressi sunt capitulum abbates Premonstratensis ordinis, procurantur littere varie, pro causis quibuscunque tam per patres ordinis quam per nuncios potentum et pro excusatione absentium, et conceditur fraternitas supervenientibus per librum solito more; item pro absolutione defunctorum, quibus olim vel per se, vel per[n] certum nuncium petentibus per litteras data fuit fraternitas. Quorum littere tunc recitantur. Quibus lectis subiungit abbas: *Anima eius et anime omnium fratrum defunctorum* etc. Pro fraternitate quoque danda multi tam viri quam femine religiose, pauperes et divites, introducuntur. Die secunda ante ortum lucis pulsatur unum de maximis signis, et statim omnes surgunt abbates et capellani, dicentes aput se primam; et pulsatis omnibus signis omnes chorum ingrediuntur, et mox abbas ille, cui pridie iniunctum fuerit, inponit sollemniter: *Dum sanctificatus* etc. cum sequentia *Veni sancte Spiritus.* Missa itaque percantata, vel usque *Agnus Dei*, pulsatur nola, que suspensa pendet ante hostium capituli vel caminate abbatum, ter interciso sono. Finita missa, omnes intrant capitulum, et omnibus decenter stantibus imponit abbas Premonstratensis: *Alleluia, Veni sancte Spiritus.* Quo percantato dicit: *Benedicite*, et mox abbas aliquis humilians *se ante domnum Premonstratensem, accepta bene- *col. 24. dictione facit sermonem. Postea sicut prius fraternitas a supervenientibus postulatur et conceditur, et abbates pro familiaribus suis postulant. Hiis ita peractis, prior capituli, abbas aliquis, publice pronunciat, ut exeant capellani, et continuo surgunt circatores[42] secundum ordinem cum scedulis duo, in quibus recitatur, quomodo se habeat domus illa

---

a) olim *deest* 2. b) Et — factum est *des.* 2. c) E. 1. d) Menchone 2. e) in ea *des.* 2. f) *sequentia in* 2 *abbreviata sunt hoc modo:* Sic primo Praemonstratum proficiscitur, mores, statuta obedientiam amplexurus in capitulo generali, cuius obedientiae testimonium eidem Emoni abbas Praemonstratensis impertit in hunc modum: Ego Gervasius *etc.* g) caplī, *sequebatur iterum* proficiscitur *quod a scriba ipso deletum est* 1. h) *sequitur* tercium, *a scriba ipso deletum* 1. i) *haec vox deest* 1. 2; *supplendam docet col.* 73. k) recipimus 2. l) spiritualem 2. m) Formam — Adiutorium, Benedicat *col.* 25 *des.* 2. n) *sic signis appositis docemur restituere locum in* 1.

40) Friderico.

41) Eadem charta legitur etiam infra col. 73.

42) Circatores vocabantur in ordine Praemonstratensi visitatores a circueundo. Unde circaria est visitatio et visitationis districtus, i. q. in aliis ordinibus provincia.

et illa, quam visitarunt in spiritualibus et temporalibus. Quibus recitatis, porrigunt cartulas
priori capituli, et coram[a] Premonstratensi se prosternunt dicentes: *Si quid minus fecimus,*
quam debuimus, veniam petimus; et abbas subiungit: *Indulgentiam* etc. Post hec omnia
dicit domnus Praemonstratensis hiis, qui diffinitores dicuntur, ut facto prandio conveniant
et super singulis, quae recitata sunt, more solito tractent et disponant. Die tercia, sicut
predictum est, ante ortum lucis pulsatur prima; et ingressis omnibus chorum imponitur
sollemniter: *In medio ecclesiae.* Abbates interim, qui volunt, missas celebrant. Missa iam
percantata, pulsatur nola capituli, ut dictum est, et omnibus in capitulo constitutis, imponit
domnus Premonstratensis: *Veni, creator.* Postea dicit: *Benedicite,* et rursus fit exhortatio.
Diffinitores autem, si adhuc habent indiscussa, iterum conveniunt seorsum, et alii quolibet
exeunt. Fit tamen interim exhortatio in capitulo claustri; cui multi intersunt. Reversis
vero diffinitoribus in capitulum, pulsatur nola, et conveniunt singuli abbates, et surgens
prior capituli dicit: *Exeant capellani, et nuncii abbatum remaneant,* et extunc de tabula
pronunciat quecunque diffinita sunt et scripta, videlicet de abbatibus deponendis, quibus
dicitur: *Abbates illi pro insufficientia sua cedant;* et statim surgunt et reddunt sigilla, et
dicitur eis prostratis: *Indulgentiam.* Quibus rite de abbatibus peractis, surgunt et capitulum
claustri intrant et, si que sunt de culpis subditorum ordinata, contra eos pronunciantur in
audientia omnium. Postremo domnus Premonstratensis more prefationum in parasceue
*col. 25. orat pro omnibus gradibus ecclesiae. Tandem *accensis candelis et allatis stolis et baculo
pastorali, excommunicantur proprietarii et alii secundum ordinem, et dicit: *Omnes proprietarios*
etc. *auctoritate Domini nostri Iesu Christi* subiungens: *Fiat, fiat,* et proicit ad terram
candelam, quam tenuit, et alii abbates similiter. Postea subiungit: *Confiteor, Misereatur,*
Indulgentiam. Sequitur benedictio: *Sit nomen Domini benedictum, Adiutorium, Benedicat.*

1217. Eodem anno applicuit exercitus christianus Acon[b] contra Sarracenos, anno[c] gratie
1217. Hoc in loco libuit interponere pro favore peregrinorum topographiam et eventus
quos viriliter pertulerunt pro Christo peregrini navigantes per mare versus terram sanctam,
quos quidam familiaris suus in via peregrinationis sue conscripsit et ei transmisit in hunc
modum:

Mai. 31. *Anno dominice incarnationis* 1217. *pontificatus domni Honorii pape secundo, ultimo die*
mensis Maii, natales fines et arva dulcia linquentes, primicias peregrinationis nostre libavimus
ei, qui peregre proficiscens suis bona sua quandoque cum usuris repetere distribuit[43].
Iun. 2. *Per hostium itaque Lavice fluminis in altum emissi, ventis usi pro voto secundis, die tercio*
Angliam vidimus. Quam pre oculis et a dextris habentes, insulam que dicitur Wich[44] *venimus,*
que mari excedente divisa ab Anglia per se facit insulam, sed debitam Angliae servat obedientiam.
Iun. 3. *Sequenti autem die sabbati Deutenmutha*[45] *pervenimus, ubi portus inter duos montes*
altos sinuoso nos collegit amplexu, ubi Hollendie comitem[46] *et comitem de Wetha*[47] *cum*
multis viris nobilibus 112 *navibus advectos invenimus. Ubi consilio prudentiore promulgatis*
legibus in exercitu servandis, omnibus quoque ad salutem animarum et pacem pertinentibus
rite dispositis, comes de Wetha predux tocius classis est electus, posteriore custodia comiti[d]
Iun. 4. *Hollandie*[e] *deputata, quem ducem et dominum iam totus sibi delegerat exercitus. Die igitur*
*col. 26. *dominico aliquantum aere perturbato propter dies interlunares semper *navigantibus suspectos,*
comes de Wetha ventis suadentibus se mari commisit cum multis navibus. Quibus vento
opposito, nebulis et imbre disiectis, una in scopulos incidit Britanniae, quae salvis hominibus
Iun. 5. *cum*[f] *multa rerum iactura deperiit. Nos igitur sequenti die cum comite Hollandie Britanniam*
Iun. 7. *advertentes, quarta feria portum sancti Mathei*[48] *attigimus, ubi secundo perlectis constitutionibus,*
Iun. 11. *totus eisdem legibus servandis se astrinxit exercitus. Sequenti vero die dominico*
mutatis custodiis comiti Hollandie preducatus et marscallo Coloniensi postducatus committitur.
Portum sancti Mathei linquentes aquiloni vela laxavimus, qui Ulixibonam tendentibus cum
Iun. 16. *omnibus suis collateralibus est utilis. Ventis itaque prosperis sed nimis lenibus usi, sexta feria*
proxima Phare[49] *pervenimus, quod est oppidum Galiciae dives admodum, portum habens*

---

a) domino *add. H.* b) Akon 2. c) anno — se ipsum perdat *col.* 45, *passagium peregrinorum et contemplatio auctoris, des.* 2. d) comite 1. e) hollandrie 1, *corr. suppungendo.* f) *repetita sequebantur verba* multis navibus quibus vento opposito, *sed linea transducta statim deleta sunt* 1.

43) Conferenda est narratio in Ann. Colon. max. supra SS. XVII, 829. 44) Wight insula. 45) Dartmouth. 46) Wilhelmum I. 47) Georgium comitem de Wied. 48) In Britannia minori situs erat hic portus; cf. Ann. Colon. max. 49) Cap Vares in Gallaecia.

flexuosum, turre sublimi presignata a Iulio Cesare constructa. Navibus itaque in tuto dispositis, 1217.
sequenti die versus Compostellam iter arreptum, per diem et noctem continue laborantes, Iun. 17.
vix confecimus. Unde post oblata Deo et beato apostolo sacrificia reversi, per novem dies
ventis oppositis Phare sumus detenti. Hortatu igitur comitis Hollandie, qui ab incolis didicerat,
quod ab illo portu ventis Ulixbonam[a] *ferentibus exire non possemus, versus Britanniam ad*
unius miliaris estimationem reversi, portum optimum, quem Tui[b. 50] *dicunt, inter duos montes*
aereos complicitum intravimus. A quo in festo apostolorum Petri et Pauli progressi, ventis Iun. 29.
instabilibus per tres dies et noctes iactati in fluctibus, quarto die Portugaliam[51] *pervenimus.*
Hic portus faucibus artis et obiectis scopulis preclusus, quandam de navibus nostris non sine
magno periculo recepit, cetere vero extra portum in conspectu scopulorum anchoris missis in
*angustia spiritus noctem exegerunt. Mane autem facto ventis suadentibus iterum iter * attemptantes,* *col. 27.
sed voto fraudati, portum Silere[52] *intravimus, ubi in grangia portui proxima abbatem de Alcubaz*[53] *ordinis Cisterciensis*[d] *invenimus. A quo de situ terrae et portuum difficultate multa audivimus. Qui etiam inter cetera nobis retulit, qualiter magister regis de Maroch ad fidem nostram conversus palam coram rege predicavit, regnum ipsius finem habiturum in proximo. Quo ad iussum regis interfecto, filius eius in lege doctissimus fidem christianam publice professus, contra legem regis prudentissime disputavit et de fine regni ipsius ex dictis*[e] *prophetarum probabilem collegit sententiam; qui secunda die mille lanceis confossus interiit. Cuius rex corpus cum in immundo loco proici iuberet, Deo volente nulla poterat arte moveri. Quo miraculo rex confusus, christiani roborati in tantum, ut ab illo die publice missas celebrarent, et ecclesias construerent in civitate Maroch. Hiis igitur et plurimis ab eo*
auditis, portum Silere[f] *tercia feria post festum Alexandri martyris linquentes, sexta feria* Iul. 11. Iul. 14.
proxima Ulixibonam pervenimus. De cuius situ quedam propter utilitatem, quedam propter delectationem annectimus. Est igitur Ulixibona civitas Hispanie, terminus gentium et ecclesiae, ritu veteri sita in monte, ab Ulixe et Achille condita, quod probant antiqua edificia, Turres veteres[53*] *appellata, et pagus vicinus Achele vocatus ab Achille. Caput autem civitatis ipsius circulum implens muro et turribus altis, verticem montis pulchre coronat, ubi est domus episcopalis et sedes. Corpus vero civitatis per devexum montis usque ad aquas fluminis*[54] *descendens, ad austrum muro cingitur et turribus. Ibi miro scemate constructa in honore beate Virginis ostenditur ecclesia, in qua corpus beati Vincentii martyris in sarcophago requiescit argenteo. Ad orientem vero extra civitatem quoddam est venerabile cenobium, ubi palma de sepulchro*
*martyris Christi domni Popteti * Vluinga*[g. 55] *pulchre consurgens in aera demonstratur, qui mutato* *col. 28.
nomine Heinricus, princeps miliciae christiane, ante 70 annos ibidem cum suo armigero vitam finivit in Christo; qui nunc divina revelatione canonizatus, gloria temporali letatur et eterna. Tagus autem fluvius ad austrum descendens, largo sinu complicitus, innumeris navibus stationem prebet tutissimam. Notandum vero quod naves portum intrare volentes sinistri[h] *litoris latere secure decurrunt, usque dum in faucibus ipsius fluminis recepte oppositi litoris montem ascendant, donec scopulum transeant quinquaginta cubitorum, in sinistro latere sub aquis latentem. Collectis igitur in hoc portu multis navibus, adunato tocius exercitus consilio et populo civitatis, episcopus*[56] *loci illius sermonem faciens ad populum, persuadere nitebatur, ut in Hispania remaneret et inimicos ecclesiae in urbe*[i] *que Alcoz*[57] *dicitur expugnaret, utile hoc fore et honestum multis rationibus asseverans, suum et suorum et regum terre spondens auxilia, lucra promittens quam plurima, moram sine lucris utilem probans, tum propter rerum copiam ibidem venalium, tum propter moram regum et principum, qui eo anno non transirent, cetera que rationi videbantur consentanea annectens. Sed hiis omnibus magna pars exercitus, sed precipue Frisones reclamabant, multa in contrarium allegantes, illud precipue, quod domnus Innocentius in concilio negaverat ipsi episcopo petenti, licere peregrinos*

---

a) *sequebatur* tendentibus, *statim suppunctum* 1. b) tuj 1; *manus secunda in marg. scripsit* Tvi. c) *deest* 1; *sed supplendum videtur.* d) Sisterciensis 1. e) ex dictis *bis, secundum deletum* 1. f) *sequebatur* intravimus, *deletum* 1. g) *vel* Vliunga 1; *videtur esse* Ulvinga *i. q. lupi filius.* h) *sequebatur* lateris, *deletum* 1. i) in urbe *supplevi.*

50) Hic locus Tuy oppidum in Minho fluvii dextera ripa situm esse non potest, nisi ordinem itineris scriptor fortasse turbavit. 51) Porto. 52) Capo Silleiro in Gallaecia in confiniis regni Portugallici. 53) Videtur esse Alcobaça in Portugallia. 53*) Torre Velha. 54) Tejo. 55) De hoc heroe Frisico a. 1147. apud Ulixibonam occiso et de palma cf. Gesta Fresonum vernacula lingua scripta ed. De Crane (Workum 1837. 4°.) p. 129. 56) Severius vocatus, secundum Ann. Colon. max. p. 830. 57) Alchaz castrum in foribus Ulixibonae situm, Ann. Col. max.

1217. _in Hispania detineri, de vindicta ecclesiae docens inchoandum a capite. Diviso igitur exercitu,_
Iul. 27. _quinta feria post beati Iacobi festum simul a portu exivimus, media parte navium versus_
terram sanctam tendente, ceteris ad expugnandam urbem Alcaz properantibus. Nos autem
urbe a sinistris relicta, Caput sancti Vincentii[58] _et Caput de Sacis_[59]_, Alvor_[60] _quoque et Silvis_[61]
urbes captas quondam a nostris, Almadra[62] _quoque et Albufere_[63] _castra fortia pertranseuntes,_
*col. 29. _ad levam ante portum civitatis, que quondam Sancta Maria, nunc_[a] *_Hairin dicitur, ventis_
fallentibus anchoras proiecimus de navibus 35; _ibique noctem agentes, mane socios nocte_
dispulsos a nobis venientes[b] _leti suscepimus, simulque cum ipsis vela levantes, dum procedere_
temptaremus, subito voto et vento fraudati rursus uncos harene mandare cogebamur. Nec mora
minoribus ad terram navigiis advecti, die obsidenda civitate consilia ventilavimus. Diversis
itaque diversa sentientibus, divino spiritu necscio an suo impetu inflammati circa vesperam
Frisones signa levantes ad celum et beatam Virginem in subsidium suum cum cantico invitantes[c]_,_
hostes dispositos in campis et urbem audacter insiliunt, statimque hostibus in fugam
conversis, dum portis appropiant, Sarracenum per murum descendentem conspiciunt. Quo
statim interfecto quidam Friso sagittam iniecit, et eodem fune transcendens murum, vexillum
in turri sublimi deposuit, portisque apertis socios recepit. Qui tota nocte spoliis intendentes,
mane succendentes civitatem, multam navibus predam invexerunt. Licet autem nox illa nubibus
atris texisset celum, multi tamen ymaginem beate Virginis se vidisse testabantur in aere, tanquam
sue vindicte congratulantis. Erat autem hec civitas fortissima, cuius due partes aqua
cingebantur, tota muro turrito vallata, spisso in tantum, ut in eius vertice duo possent sibi
equites occurrere. Hec vastatio omnem in tantum terruit viciniam, ut nullus in suis presidiis
speraret salutem.

Aug. 1. _Hiis itaque peractis, in die sancti Petri ad vincula procedentes, civitates et oppida terrarum_
scilicet Odiatiam[64]_, Harmund_[64*]_, Kazalam, Saltus_[65] _quoque et Arenam sancte Eulalie_
Aug. 2. _cum Hispali magna_[65*] _transeuntes ad levam, sequenti die Roden_[66] _pervenimus. Iactis anchoris_
terram propere conscendimus. Conversis in fugam civibus, nostri castrum invadunt, spoliis
vastant et ignibus, totaque illa nocte in eo permanserunt. Mane facto plurimis ad naves cum
*col. 30. _preda reversis,_ *_quibusdam spe lucri per vineas incaute dispersis, Sarraceni multitudine_
magna per noctem collecta nostros invaserunt. Paucis itaque cesis utrinque, missis de navibus
auxiliis, tota die pauci de nostris cum multis Sarracenis commiserunt, ita ut pauci de nostris,
Mauri plurimi arcubus morerentur et balistis. Sole vero iam ad occasum vergente, Sarraceni
fortius conglobati, diu ventilatis consiliis, clangore horrido intonantes, velud parati omnia
fortune committere, cum impetu nostros insiliunt, sed statim in fugam conversi, turpia post
tergum vulnera susceperunt. Nostri igitur tunc demum navibus se suscipientes, balistariis
ultimam mandavere custodiam. Qui repulso barbarorum impetu post omnes navibus invecti,
primam et ultimam meruerunt coronam. Tunc vero victores mutuis se laudibus efferentes,
dum se humiliant in laudibus, in gloria plus crevit timidissimis quibusque audacia loquendi.
Aug. 4. _Mane facto feria sexta stationem solventes, contra insulam Cadir_[67] _proras dereximus, portuque_
recepti in magnanimitate[d] _spiritus, que semper nascitur ex prosperis, terram conscendimus,_
civitatem eiusdem nominis muro et turribus multis munitam obsedimus. Civibus in
insulam ulteriorem elapsis, civitas desolata inimicos suos sue solitudinis accepit solatium.
Cuius edificia materia et arte fulgentia, vineas et pomeria etc. nobis vendicantes, in labores
aliorum intravimus, ortosque et vineas, ficus et oleas et omne genus arboris pomifere succidimus,
mahumeriamque[68] _ipsorum tantis impensis, tanto constructam ingenio, ut referenti_
nemo crederet, ad referendum nemo sufficeret, solo aequavimus, cuius ligna coloribus fulgida,
Aug. 7. _floribus excisis, in nostris_[e] _usibus necessariis deputavimus, et usque ad diem Lune ibidem_
permanentes, tandem saturati spoliis, reliquias civitatis per ignem iudicavimus; velisque
*col. 31. *_levatis usque ad fauces stricti maris, quod Ostrior_[69] _dicunt, eodem vento et velo volavimus,_
ubi euro se opponente, super anchoris noctem exegimus. Mane vero ventis furentibus

---

a) _bis_ 1. b) _sic H._; veniente 1. c) tantes _solum exstat, ceteris in fine lineae praecedentis erasis_ 1. d) magnimitate 1. e) nostris _incertum in_ 1.

58) Si Capo S. Vincent intelligimus, ordinem itineris perturbatum esse statuendum erit; fortasse indicare vult Capo la Roca. 59) Capo Sancheto in exitu portus Ulixibonae situm. 60) Alveroa, quae tamen ad Tagum supra Ulixibonam sita est. 61) An Silves iam ultra Capo S. Vincent situm? 62) Almada ad Tagi ostia. 63) Albufeira iam ultra Capo S. Vincent. 64) Olhao. 64*) Ayamonte. 65) Saltes insula. 65*) Sevilla. 66) Rota. 67) Cadix. 68) Templum quod nos vocamus _Moschee._ 69) Herculis columnae.

ad insulam predictam redire conpulsi damna et pericula et multas pertulimus angustias. Quatuor 1217. *itaque diebus continue ascendendo ad celum et descendendo usque ad abissos fluctibus iratis iactati sub insula, ventos sequi et mari procelloso nos committere, quod plurimi timebamus, iudicavimus tutissimum, illud Senece ad Lucillum*[70] *recolentes:* In tempestate navigantibus nil eque timendum quam terram. *Anchoris itaque prima sabbathi mane levatis, sed* Aug. 12. *pluribus in fundo relictis,* 86 *naves statione soluta, ubi erat spiritus ventorum et procellarum impetus, illuc ferebantur, fidei et propositi scindentes unitatem, necessitatis urgente articulo. Nos vero in portum Hispalis magne, que nunc Sibilia dicitur, non sine magno periculo intravimus. Dominus autem qui deducit ad inferos et reducit, humiliat et sublimat, eodem die mutatis pro voto ventis, ceteras naves et socios nostros in viam voluntatis eorum reduxit. Nos vero a portu exire non valentes, duas ibi noctes exegimus. Tercio tandem die vela levantes, eodem die circa solis occasum horridas fauces intravimus, ubi Europa et Affrica, montibus erectis in celum, facile conspiciuntur a dextris et a sinistris. Ibi Mutemuda civitas Affricae et Ceteriph*[71] *oppidum Hispaniae ex parte montium occidentali sic contra ponuntur*[a] *ex directo, ut commeatui brevissimus est transitus. Ad orientem vero Cepta*[72] *civitas conspicitur in Affrica, cui ex directo Malagam opponit Hispania. Igitur in alis zephiri toto carcere emissi, die assumptionis beate Virginis assumpti, non navigare sed volare videbamur, ita ut qui sepe* Aug. 15. *descenderant in navibus et operationes fecerant in aquis, nunquam se tam iratis elementis, tam inmanibus *procellis iactatos iurarent. Ventis itaque urgentibus a conspectu Hispanie,* *col. 32. *que pre oculis semper habenda est Balbellonam*[73] *euntibus, longe delati Evice*[74] *insulam quarto die venimus, ubi nos deviasse cognoscentes, proris ad terram conversis, tertio die Tortosam civitatem accessimus, ubi Errora*[75] *fluvius, limes gentium et terminus fidelium, dulcibus aquis influens amaritudinem temperat et reddit potabilem. Ibi tandem Sarracenis a tergo relictis, libertatem consecuti et aquas potabiles*[b]*, veteris veritate probata proverbii, quod libertatem estimat et precium ponit aque potabili, laudavimus inventorem. Defecerat enim nobis aqua*[c]*, et multi de nostris sitis et febrium et dissenteriae calore ferventes aquas maris amaras haurientes sitim extinguendo incitabant; alii limum in lagenis inventum, alii quoscunque fructus manibus exprimebant, necessitatis suae mendicantes auxilium; alii feces vini vel cervisie sugebant; nonnulli quoque gemino famis et sitis malo confecti in amaritudinem animae suae panes amarissimos, aqua maris confectos comedebant. Duobus ergo diebus in convivio dulcium aquarum deductis, ventis prosperis navigantes, Terragonam a sinistris et castra plurima linquentes, vigilia sancti Bartholomei Barcellonam venimus, ubi sociis inventis gavisi, lassis* Aug. 23. *corporibus, suadentibus ventis inde provecti, octo miliaribus emensis portum sancti Feliciani martyris*[76] *in territorio Catologinie contigimus; collectisque sociis qui ibi stationem fecerant, Marciliam properavimus; sed duris boreae flatibus a terra repulsos portus sancti Mendriani*[d] *martyris nos suo collegit in gremio, una dieta distans a Marsilia. Qui inter montes altissimos complicitus, Tolonam*[77] *civitatem habet a dextris. Capella vero sancti martyris in latere sinistro vili scemate constructa, sed multa sanctitate famosa monstratur. Inde vero* 15. *die provecti, relictis a leva Garda et Gera et Antibure*[78] *civitatibus, portum qui Oliva dicitur in festo Lam-* Sept. 17. *berti martyris intravimus, qui monte interiecto ad occidentem Niceam*[79] *habet *castrum in* *col. 33. *monte sublimi constructum. Unde post dies octo progressi, relictis ad*[e] *sinistram civitatibus famosis Ianua et Pisa et castris innumeris, ad dextram vero insulis*[80] *Sardinia, Corsica, Capricorno*[81]*, Gorgonio*[82] *et Ella*[83] *et aliis quam plurimis, ad oppidum in territorio Pisano, quod Plumbinum*[84] *dicitur, pervenimus. Unde post octo dies progressi Messinam tendentes, ventis contrariis urgentibus, portum Civitatis Veteris*[85]*, que quondam Centumcollis dicebatur, in festo sancti Dionisii martyris non sine magno intravimus periculo. Unde propter angustiam* Oct. 9. *temporis*[f] *et navium multitudinem, que portu stricto collidebantur, egressi cum navibus* 18, *stationem fecimus in portu Cornetano*[86]. ***Est autem Cornetum a cornis dictum, castrum domni pape, in patrimonio sancti Petri fundatum, tribus miliaribus distans a mari et duabus dietis a Roma.*** *Igitur a civibus Cornetanis honeste suscepti, de fide et securitate litteris ipsorum*

---

[a] peñtur 1. [b] nacti *add. H.* [c] aq̄ 1. [d] m̄driani 1. [e] *sequebatur in* 1 civitatem, *iam deletum.* [f] tp̄es 1.

[70] Epist. moral. ad Lucilium libri XX. [71] Tarifa. [72] Ceuta. [73] Barcellona. [74] Iviza Pityusarum maxima. [75] Ebro. [76] S. Feliu de Guixols. [77] Toulon. [78] Antibes. [79] Nizza. [80] quae hic ordine perturbato enumerantur. [81] Capraia. [82] Gorgona. [83] Elba. [84] Piombino. [85] Civitavecchia. [86] Corneto.

1217. *muniti, cuncta que ad hiemis solacium pertinebant disponere curavimus. Quos domnus papa benigne suscepit, de virtute Frisonum et audacia et in destructione civitatum Hispanie non parum gavisus. Qui nostris precibus aures sue sanctitatis inclinavit in tantum, ut Veronicam Domini*[87] *nobis infra paucos dies bis videndam monstraret. Preterea litteris suis transmissis Cornetanis, Biterbiensibus, Tuscanis, Veterallis*[88] *et ceteris vicinis civitatibus et castris nos cum multa commendavit diligentia, sub anathematis interminatione precipiens, ut in commerciis et contractibus et ceteris necessariis nos fideliter tractarent. Quod ab omnibus inviolabiliter est observatum.*

1218. Mart. 20. *Igitur hieme peracta in prima veris adolescentia, vigilia sancti Benedicti, naves in altum*
a portu deduximus, accepta a Cornetanis coram potestate et senatu et universa communitate
licentia, qui bonum principium meliori fine concludentes, honeste susceptos honestius dimiserunt
cum multis milibus utriusque sexus, cum apparatu insigni et gloria, cum baneriis et
* col. 34. *vexillis quadraginta octo usque ad mare deduxerunt, ubi collecto*[a] *cetu, *dispositis in giro*
populis, potestas Cornetanus, qui prudens et legum doctissimus, Frisonum fidem et audaciam
multa commendavit facundia, satisfactionem offerens spontaneam, si qua facta fuisset in nos
iniuria. Signatos quoque Corneti, Biterbii, Tuscani, Sene, Veteralle[88], *Montisalti*[89], *Montisflasconi*[90]
et ceteros, qui in navibus nostris in terram sanctam properabant, fidei nostrae
commendavit et in omnibus nobis precepit esse subiectos. Omnibus igitur in hoc consentientibus,
ipse senator vexillum insigne in signum potestatis et dominii propria manu porrexit,
omnibus Latinis fide astrictis, ut in omnibus negociis pacis et belli nobis tanquam patribus
obedirent. Nosque respondendi tempore accepto qualescunque gratiarum actiones ipsis retulimus,
de beneficiis acceptis et pietate erga nos usque in finem servata, quam equanimiter
nemoris sui incisionem, suis vetitam civibus, a nobis tolerassent; quam pie nos in suis hospiciis,
quam fideliter in commerciis tractassent; quam humane infirmos nostros visitassent,
quicquid vel usus communis vel pericia phisicorum in remedium morborum adinvenit, secum
afferentes et prout cuique opus erat impercientes; quanta pietate infirmos nostros ut filios suos
deplorassent, sepulchra eorum ut sanctorum venerantes et cetera. Pro quibus omnibus nostri
laboris participium et Deum ipsis retributorem constituentes, non sine lacrimis ab ipsis divisi,
Mart. 25. *in die annunciationis dominicae vela levavimus, et per diem et noctem prospere navigantes,*
ventis contrariis in portum Veteris Civitatis sumus revecti. A quo eodem die feria tercia recedentes,
Mart. 27. *velis aquilone tumentibus, hostia Tiberina, Tagetam*[91], *Baias, Neapolim, Principatum,*
Apuliam, Calabriam, Siciliam, quo tendebamus, relinquentes ad levam, sexto tandem die,
Apr. 2. *feria secunda, pluribus defatigati periculis ex impericia ductoris in insulam, que dicitur Lampeosa*[92],
duce Christo devenimus, a Barbaria quinquaginta miliaribus distantem. Ubi cursarios[93]
* col. 35. *Ianuenses in galea *una feliciter invenimus, qui, depredata Barbaria et captis Sarracenis,*
tempestate coacti illic in portu recepti, socios a se divisos expectabant. A quibus de
Apr. 4. *errore nostro et inminentibus periculis sufficienter instructi, quarta feria versus Siciliam*
trecentis miliaribus a tergo relictam proras direximus. Emensis igitur 120 miliaribus Maltham
insulam devenimus; qua a dextris relicta, feria sexta[b] *Sarragosam, que Siracusana dicitur,*
feliciter contigimus, 160 miliaribus a Maltha distantem. Est autem Siracusana sedes episcopalis
Apr. 8. *ad orientem Siciliae inter Mazaram*[94] *et Cataneam, ubi diem palmarum sollemniter*
celebravimus, canonicis eiusdem ecclesiae morem Latinorum per omnia sequentibus. Quarta
feria proxima inde recedentes, per noctes et dies ventis usi prosperis, sed nimium validis, in
Apr. 15. *die sancto pasche sub Creta insula ad occidentem anchoras proiecimus, et ibidem tota nocte*
iactati fluctibus et procellis, preter spem Dei misericordia servati, mane insulam que Sikilon
dicitur accessimus cum tribus tantum navibus, quarum due in portu tenacibus anchoris remanserunt.
Nos vero, fallente anchora, ventis oppositis a portu repulsi, circa vesperas sub Creta
recepti ad aquilonem, tota nocte ventis usi secundis, die secundo ad vesperam Candiam civitatem
pervenimus, ubi a custodibus insule diligenter edocti, que sidera, quam celi plagam sequi deberemus
tendentes versus Acon, post solis occasum portum linquentes, ventis et mari plus quam pro voto
Apr. 26. *blandientibus, die septima, sequenti die post Marci evangeliste, portum Aconensem gaudentes intravimus,*
gratiarum actiones, non quas debuimus sed quas potuimus, referentes Deo, qui nobis omni

---

[a] collectu 1. [b] IIII. *prius, ead. manu corr. in* VI. 1.

87) sudarium, cui impressa est Christi facies. 88) Vetralla. 89) Montalto. 90) Montefiascone. 91) Gaeta. 92) Lampedusa. 93) praedones maritimos, nobis *Corsaren.* 94) Marsala.

humane societatis solatio destitutis tanto affuit sue pietatis presidio, ut post multos labores requie corporis indulta, docere videretur expresse, que sit beatorum post mundi pericula futura requies animarum; et tunc demum que passi fuimus periculorum meminisse iuvabat. Amen.

[Et hec ad gentis Frisonum gloriam retulisse sufficiet; nunc ad intermissa revertamur.][a] Sane corporis sui complexionem eatenus ab adolescentia temperatam esse novit[95], quod nec aspectu[b] *nec tactu subito, quibus appetit et appetitur concupiscentia feminarum, * c. 35. castitas erudiente stupore verecundiae per Dei gratiam consuevit violari[c]. Quamobrem imminebat ei et premebat suggerendo hostis antiquus illecebrosas cogitationes per absconditum tempestatis, que est carnis concupiscentia, que teste apostolo[96] concupiscit adversus spiritum et e converso. Cunque tribularetur aliquociens, oraculo apostolice sententie armatus est. Nam cum immineret, lingua palpitante in verba huiuscemodi solebat erumpere[d]: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius.* Gratia Dei per Iesum Christum Rom 7, 24. spiritus quodam robore convalescebat, iuxta quemadmodum quidam sapiens dixit: *Vincit in certamine, qui spiritu ductus gratiam attendit.* Et extunc expertus est utiles esse temptationes. Sicut caro sine sale, sic anima sine temptatione corrumpitur. Et vilescebat sibimet, sicut ille, qui afflictus dicebat: *Ego dixi in pavore meo,* quo scilicet erudiebatur, *omnis* Ps. 115, 11 *homo mendax et infirmus.* Duo inter utilia utiliora et efficatiora egritudine urgente probavit antidota, que quandoque cum non sentiret, Ieronimo dicente: *Oratione fugantur pestes anime et ieiunio pestes corporis,* non advertit. Nam cum indiceret corpori auctoritate spiritus abstinentiam panis et aquae, prevaluit spiritus, et in corpore quasi obstupefactus languor nature sui fomes refriguit. Legerat aliquando, quod a temptatione maligni nulla persona excipitur, nullus locus excluditur, ubique dolus, quia temptatio est vita hominis super terram, et multiplices hostes, demon cum viciis, homo cum bestiis, mundus cum elementis, caro cum sensibus. Specialiter[e] tamen tres hostes nos affligunt, demon, mundus, caro. Ex hiis tribus duo coniurant tercio ad subversionem nostram. Denique temptationem carnis et illecebras mundi expertus erat aliquando acrius sibi inferri post memorabile festum Laurentii levitae et Martini episcopi. Acrius inquam pre aliis vicissitudinibus, forsitan Deo permittente, maligni rotam complexionis ex sua versutia ad subvertendum inflammabant. Quodam igitur tempore cum a capitulo generali reversus fuisset, adeo duobus hostibus illis vexatus est, quod nisi restitisset ille ternarius amoris et timoris et pudoris, tanquam piscis, rupta sagena, *forsitan evasisset. Interim confitebatur, orabat et per intervalla propter * c. 37. reverentiam corpus et sanguinem dominicum participabat. Nec tamen adhuc requievit spiritus eius, donec salubrius meminit et plenius illorum trium, que mense divitis, id est veritatis, apponuntur. Sunt enim ista vitulus saginatus, bona terre, medulla tritici, que sunt eucharistia, lectio, oratio. Hec enim tria apponuntur contra tria que nos infestant, videlicet contra carnem, mundum, demonem. Eucharistia contra carnis incentiva. Sic enim carnis vicia edomanda sunt, ut ad usum eucharistiae semper dignus minister sit. Convertit ergo se ad libros scientiae, ut agnitos excluderet laqueos concupiscentiae. Redarguit nanque, ab exordio conversionis vitas patrum et libros Cassiani tanquam ethicam incipientium non lectitasse. Apprehendit igitur volumen beati Augustini de sermone Domini in monte, et legebat et intus garriebat, et cavebat[f] spiritum a terrenis. Querebat differentias peccatorum et invenit. Nam qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, id est hoc fine et animo attendit, ut concupiscat, quod iam non est titillare, sed plene libidini consentire; quia si anima titillata fuerit, culpa est, non tamen crimen. Visus ponitur[g] pro omni motu, qui est ad delectationem corporalem, et interior, quod est concupiscentia, que dicitur etiam mater adulterii, in quo primis parentibus male aperti oculi leguntur. Cum autem transit in affectum cordis, ut etiam facere[h] disponat, ubi non deest voluntas, sed occasio, passio dicitur, mors videlicet in domo. Et est passio quedam animi forma vel deliberatio ex consensu, unde dicitur iracundus vel amator. Propassio vero est subitus animi motus sine deliberatione boni vel mali operis, vel subiti animi affectus ire vel amoris. Sicut autem bona voluntas, cum deest copia agendi, remuneratur, sic deliberatio cum molimine viciorum damnatur. Tribus modis peccatum consummatur, suggestione, delectatione, consensu. Suggestio

---

[a] *uncis inclusa add. H.* [b] *man. sec. in imo margine scripsit* 1: Sicut caro sine sale, sic anima sine temptatione corrumpitur. *et* Oracione fugantur pestes anime, ieiunio pestes corporis. [c] gr. unquam violaretur *H.* [d] *sic H;* palp. verba huiuscemodi 1. [e] s̄palr̄ 1. [f] *correxi;* cavabat 1. [g] p̄r 1. [h] falc̄e *prius, rad.* fac̄e 1.

[95] scilicet Emo noster. [96] Galat. 5, 17.

fit per memoriam vel per corporis sensus, cum quid videmus vel tangimus. Quod si frui
delectaverit, illicita delectatio refrenanda est. Sed huic non consentimus, si dominantis rationis
* c. 38. iure cohibemus. Si consentimus, *plenum peccatum erit notum Deo in corde nostro;
etiam si facto non innotescat hominibus; quasi a serpente fiat suggestio et quedam suasio in
appetitu carnali, tanquam in Eva delectatio, in ratione tanquam in viro consensus. Delectatio
ante consuetudinem vel nulla est vel tam tenuis, ut prope nulla sit, cui consentire magnum
peccatum est, cum est illicita. Tribus gradibus pervenitur ad peccatum, ideo tres sunt differentiae
peccati, in corde, in facto, in consuetudine. Et dicunt[a], quod non vindicat Deus primos
motus, propassionem et passionem, sed quasi tercio consensum, deinde delectationem,
deinde opus, deinde consuetudinem. Secundum magistrum Stephanum post primos motus
sequitur conceptio, deinde delectatio, post consensus in actum, deinde opus, post consuetudo,
deinde obstinatio, que dividitur in presumptionem et desperationem. Secundum Innocentium
papam anima distemperatur cogitatione, infirmatur delectatione, moritur consensu,
effertur operatione, sepelitur consuetudine. Sed adhuc importunitas temptationis non defecit,
donec ardenti studio libros moralium arripuit, in quibus egregius doctor[97] non minus humiliter
quam salubriter, que sit vicaria successio vel successiva alternatio huius[b] temptationis
et divine contemplationis in eodem homine, ostendit. Hec est temptatio, hec est pugna; hec
est milicia, hic est conflictus viciorum et virtutum. In huius conflictus consideratione ardebat,
ardenter legebat, et cavebat[c] spiritum a fecibus carnis et curis huius mundi. Vere
lectio illa novicium instruit, titubantem erigit, hominem sibi ipsi ostendit. In hoc conflictu
Iob 11, 10. homo se totum Deo committere debet. Nam teste Iob: *Si subverterit omnia, vel in unum
coartaverit, quis contradicet Domino?* cum vel virtutes, quas habuit subtrahit, vel has omnino
non adimens, viciorum concuti temptatione permittit. Celum et infernus[d] coartantur,
cum unam eandemque mentem et contemplandam illuminat et importunitas temptationis
obscurat. Secreta sapientiae supernae sunt opera, cum Deus quos creavit deserit, cum
* c. 39. nos illuminat, et tamen carnis temptationibus tenebris cecitas pulsat. *Tamen cum fatigant
ista, nec superant, nequaquam per pollutionem trucidant. Temptatur iustus, ut erudiatur,
solidetur; bona sibi non attribuat, ne torpeat; a fortitudine non deficiat, sed sit in custodia
iugi sui profectus. Nam sepe mundas mentis nostrae cogitationes ardore libidinis inmundi
spiritus succendunt, et quasi igne omnes[e] concremant, dum castos motus animi luxurie
temptatione perturbant. Tamen virtutes nostre temptationis tempore, etsi turbate ab
incolomitate sui status deficiunt, per intentionis tamen perseverantiam integre in mentis
Iob. 5, 23. radice subsistunt. Item Iob: *Bestiae terre pacificae tibi fient.* Bestiae sunt motus carnis
contra nos insurgentes. Sed cum cor sub divina lege deprimitur, etiam carnis incentiva
detumescunt, ut etsi temptando submurmurant, non tamen ad effectum operum quasi ad
morsus exsurgant. Quis has bestias terre plene edomet, cum ille ad tercium celum raptus
Rom. 7, 23. dicat: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae.* Sed aliud est, has
bestias in campo operis sevire, aliud intra cordis foveam frementes tenere. Ideo illicita
cogitatione affligimur, quia in quibusdam terrenae actionis vel conversationis actibus libenter
occupamur. Necesse est, ut inmundas cogitationes timoris fletus diluat, et quicquid
mens de inexperto certamine vel de conversationis pristine memoria patitur, lavetur. Sepe
inmunda animo vertimus, quociens a precibus vacamus, et in oratione earum rerum ymagines
patimur. Quid in multis moror? Hiis atque hiis similibus, quibus libri illi redundant,
quasi Spiritus sancti apotheca afficiebatur et reficiebatur dulcedine mirabili, sed virtute
sacre lectionis et conpunctionis nebula temptationis evanuit, et animus eius ad lucem propositi
Ps. 59, 3-5. pristini renovatus requievit, iuxta illud: *Iratus es et misertus es nobis,* item: *Commovisti
terram et conturbasti eam sana contritiones[f] eius, quia commota est,* item: *Ostendisti
populo tuo dura.* Ibi dicitur, quod mutati non cito transeant ad requiem, sed dura adhuc
patiantur, ut purgentur, nec velint reverti ad pristinas voluptates; et ad hoc omnis reli-
* c. 40. giosus etsi mutatus se preparare debet. *Perpendit quoque, sanctos sine donis Spiritus
sancti nichil meritorie agere potuisse. Nam omne opus ex dono est. Quapropter venerabatur
in eis fidem et caritatem ceterasque virtutes, ut in beato Martino inter alias fugam
oportunitatis, sicut alius etiam dixit: *Si vis salvus esse, fuge homines.* Intellexit quoque

---

a) dn̄t 1. b) hūc 1. c) *correxi;* cavabat 1. d) inferijꝰ 1. e) *correxi;* oues 1. f) sa. con. 1.

[97] sanctus Gregorius.

quod virtutes naturali voluntate ad effectum deducere non potuerunt, nisi gratia Dei sua voluntate perficiendi facultatem administraret, reprimendo fragilitatem, per quam incipientes et proficientes semper relabuntur. Unde et hic trepidabat, quoniam iuxta cuiusque fragilitatem, sive ex sensualitate per gulam et luxuriam, sive ex ratione per superbiam, iram, accidentiam[a], maligni spiritus, ut retrahant, mala proponunt. Unde si dominetur avaricia, extra lucrum cum fraude proponunt. Luxuria quoque, testante beato Gregorio, etsi carne abscisa est, a corde funditus abscisa non est. Hinc etiam Ieronimus ad Eustochium virginem: *Si post nuditatem, ieiunia, famem, carceres, flagella, supplicia in semet ipsum reversus apostolus exclamat: Infelix ego homo quis me liberabit? etc. quis se putet securum esse debere?* Siquidem offert Deus gratiam bonis et malis, et quibusdam perdendis non solum offert, sed etiam confert, ut Saul et Iudae, propter presentem iusticiam, cui deserviebant; sed secundum prescientiam Dei erant de numero malorum. Porro prescientia non mutat naturam hominis, qui liber creatus est. Sed Deus ita prescit aliquod futurum, ut etiam nichilominus presciat ipsum hominem eque potentem ad dimittendum, si vellet, sicut ad faciendum, quod necessario est futurum. Et quidem si Deus previdit hominem peccaturum, et non possit esse quin peccet, tamen non vidit ex necessitate peccaturum, sed ex voluntate. Quia providentia Dei etsi falli non possit, neminem tamen cogit, et non de prescientia Deus iudicat, sed de iusticia. Salvandis vero absque omni merito precedente, quasi velint nolint, aliquando infertur gratia, ut Paulo. Timeant ergo omnes servi Dei, quoniam nichil deest timentibus Deum. Ipse enim prevenit nolentem, ut bonum velit per gratiam. Sequitur volentem, ut bonum possit per donum. Adiuvat liberum arbitrium, ut sponte bonum sequatur. Avertit captivitatem, ne sequi *abnuat; firmat fragilitatem, ne sequens relabatur; *c. 41. et dat meritum, quod sequens non deficiat; et dabit premium eternum, videlicet gaudium sempiternum, quoniam gratiam et gloriam dabit, Dominus.

Quia Spiritus sanctus ad fideles suos veniet[b] per gratiam illuminantem, virtutes acquirendo, anxiatus est spiritu, quoniam in primo ingressu vite regularis maiorem habuit orandi devotionem; verum aliquanto minor in operatione religio propter inexpertas adhuc vite illius observantias. Multiplicatis vero fratribus, inminuta apparuit affectus devotio, propter quod valde trepidabat, quoniam haec duo connexa sunt, oratio et[c] misericordia. Unde illud: *Benedictus Dominus, qui non amovit orationem meam et misericordiam suam a me*[d]. Ps. 65, 20. Sane ex conpassione sollicitus fuit circa fratres, que aliquando interrupta oratione perurgebat ipsum. Quamobrem postulabat sibi reddi leticiam orationis et principaliter spiritum ad firmandam perseverantiam pristine devotionis. Legerat nanque quod oratio est de bonis impetrandis ex pietate et perseverantia pro se et omnibus catholicis. Unde cum sollicitudo fratrum in orando perseverantiam turbaret, deprehendit sui ipsius infirmitatem. Proinde necessario inventa est pro malis removendis deprecatio. Delinquit nempe homo vel fragilitate infirmus vel consuetudine compeditus, et in hiis improvidus putrescit, donec Deus inspiratam deprecationem dignam Deo fragilitatis et negligentie inspirat detestationem.

Effectum orationis et ieiunii expertus est hoc modo. Quedam nanque puellula in annis adhuc puerilibus oblata est monasterio. Que, ut postmodum innotuit, ab infantia sua insidias inmundi spiritus cum magna importunitate etiam in forma cuiusquam animalis teterrimi coloris se ingerentis ferebat. Cunque in claustro fuisset, quasi subtractione deceptus spiritus illic non comparuit. Porro pater puelle cum die quadam inquireret, si bene se haberet[e], filia respondit: *Bene, et eo melius, quod monstrum tale me istic non invenit.* At ille dicta dissimulavit et valedicens recessit. Proinde post dies aliquot cum litteris esset apposita, o res horrenda! affuit mane et vespere in crepusculo et terram *solidam per *c. 42. magna et parva fragmenta in scolas spargebat. Sed interim quidam strepitus fiebat, quasi super ligneo interstitio, priusquam caderent super pavimentum. Et hec illusio multis diebus fiebat. Interea quibusdam maturioribus sororibus mane et vespere permissum est id ipsum experiri; et apparuerunt ad parietem quasi duae scintillae ignei ruboris, moventes se sursum et deorsum, antequam fragmenta spargerentur. Ex hac tandem illusione doluit conventus, et intravit assumpto sacerdote, et premissa letania exorcizavit aquam, et invocato nomine Iesu Christi et excitata fide cordis necessaria contra tumultus phantasticos, orationes complens aspersit et recessit; et sic per dies aliquot evanuit; et rursus rediit.

---

a) accidiā 1. b) *correxi;* venire 1. c) *sequebatur* ieiunium, *iam suppunctum* 1. d) et mi. s. a. 1. e) *supplevi.*

Sed iam tunc multiplicatis orationibus et ieiuniis merito devotae congregationis, nocte quadam cuidam virgini per nocturnam visionem compulsus est fateri, quod fas non erat ei illic ultra commorari.

Effectum quoque confessionis hoc modo expertus est. Cuidam puelle in monasterio oblate, cum esset in annis puericiae, o altitudo sapientiae et scientiae Dei! permissus est spiritus immundus illudere. Siquidem certis noctibus videlicet quatuor ante novilunium, et sex per interlunares noctes, post dictas matutinas quasi de lecto alterius veniebat et se quasi palpabilem ingerebat. Nam curiositas illius etatis hanc dedit audatiam, ut apprehenso monstro quadam vice inquireret, quo nomine ipsa vocaretur; et respondit intelligibiliter, quod non usuali, sed alio nomine vocaretur. Sed cum[a] adhuc accederet, et illa horreret, invita sopore phantastico premebatur. Cunque evigilaret, monstrum ad stratum alterius quasi repedabat. Que cum postmodum illusione decepta desipere[b] inciperet, altera delectationem in dolorem traxit et[c] confitendum festinavit. Quam consolari studuit et revocare ad virtutem fidei Iesu Christi, et compaciens ei instituit, ut illis prefatis diebus illa et aliquot puelle singulis diebus confiterentur et communicarent, iniunctis aliquot psalmis et
*col. 43. *vigiliis. Verum licet pro ea fideliter precarentur, donec illi infundebatur deprecatio digna[d] contra consuetudinem illius mali, non sunt exaudite. Crebro igitur confitebatur, sed turbulento animo, tanquam illi non compateretur vel non crederet, recedebat. Denique cum quadam vice affectasset, quatinus ipse sciret condolere horrori suo, confitendi causa accessit ad fenestram. Qui cum exhortaretur eam firmiter credere, invasit eum subito horripilatio, et irruit vehementia horroris cum tremore tocius corporis, et excidit quasi a mente per modicum, sicut lumen a cereo flante vento, lingua interim palpitante verba cantici pene usque in finem: *Quoniam tu solus sanctus, tu solus dominus, tu solus altissimus*[e], *Iesu Christe.* Et recedebant ab invicem. Cunque adhuc illa die quadam anxie confiteretur, et auxilium precaretur, respondit: *Funde coram Deo orationem tuam et pete ab eo, ut dignam tibi infundat deprecationem.* Quibus ex verbis toto corde commota, sicut rei exitus declaravit, digne Deum pro peccatis suis deinceps peroravit. Nam quadam nocte per revelationem noctur-
Ev. Ioh. 16, 24. nam audivit ter percantari antiphonam evangelici oraculi: *Usque modo non petistis quicquam in nomine meo; petite et accipietis*[f]. Sicque per Dei gratiam ab illusione liberata est.

Recogitabat aliquando annos puericiae et adolescentiae suae, et gratias agebat Altissimo, qui usu temperantiae, cuius adhuc scientiam nondum habuit, vitam suam preteritam exercitaverat. Qui secularis inter seculares, non tamen seculariter gule deditus erat, nec ebrietati vacabat, et castigabat eum ignarum temperantia dominio suo, cum esset in aliquantula rerum abundantia, ne corrumperetur importune serviendo gulositati et ebrietati iuxta appetitum concupiscentiae. Proinde cum seculo renunciasset et virtutem abstinentiae deprehendisset constare in equanimitate tolerandi inopiam et in non corrumpendo per abundantiam, miratus est, se evasisse, et congratulatus est illi, a quo concessum est ei per innocentiam communia vicia declinare et per intellectum ad regularis vite institutionem
*col. 44. fore perductum. Meditatus est aliquociens corde, *pensans misericordiam Dei, qui est pater luminum ex eo quam maxime, quod adeo simplicitate sui salubriter delectari concessit eidem, ut nec honoris nec dignitatis ventilaretur ambitione. Proinde cum diligeretur et honoraretur a plerisque bonis, cavebat sibi fieri inflationem aurium, honore etiam non false simplicitatis, et quociens ad consilium vel colloquium vocabatur, semper sollicitudinem in corde querebat. Denique cum seculo renunciasset, non ad loci dignitatem prememorati,
1 Cor. 3, 7 sed ad sollicitudinem se preparabat. Nam *neque qui rigat, neque qui plantat, est alicuius momenti, sed qui incrementum dat Deus.* Et quia discipulus hominis non fuit, ne magister
Eccli. 2, 9. 10. fieret erroris, per magisterium erudiebatur timoris, de quo scriptum est: *Qui timetis Deum, sperate in illum, et illuminabuntur corda vestra.* Censura namque divini timoris obedientiam docet et reverentiam. Cum autem caritas, que manet immobilis, sit radix iustorum, et flos eius spes celestium, metuebat intus in anima vicium cupiditatis temporalium, que est radix malorum. Verum quia flos illius radicis est delectatio temporalium, illuminatus est ex opposito et sperabat et presumebat de Christo, cupiditatem cum flore suo partim aruisse, ex eo quod temporalia nunquam ad delectationem, sed ad usum dumtaxat fratrum propter Dei cultum diligebat. Porro cupiditas solet derivare in avariciam, que amatores suos pre-

---

[a] *supplevi.* [b] decipere 1, *manu recentiore corr.* [c] ad *addit manus recentior* 1. [d] *loco* donec — digna *habet* tamen illarum deprecationes *H.* [e] al. 1. [f] accipi. 1.

cipue ad duo exercet, ut de quesitis rebus opera misericordie minime fiant, et sive bene sive male, semper in augendis rebus festinetur, sicut scriptum est: *Venatio leonis onager, et pauperes pascua divitum.* Eccli. 13,23. Recurrebat ad suam conscientiam et invenit in ea pro modulo suo largitatem ab eo utique, a quo est omne datum optimum, repositam, ut si posset, omni petenti daret; et super omnem vocem querulantium turbabantur viscera eius. Non enim comedit aliquando, si vidit vel audivit pauperem, quin compateretur ei et subveniret; et super omnibus afflictis pia gestabat viscera. Sepe etiam cum collocasset se in stratu suo tempore algoris, ante oculos mentis penuriam pauperum et defectus senum et debilium compaciendo constituit*.

*Sane secundum evangelicam sententiam hodie multi vocati, ad monasteria currunt, *col. 45. et fecunda paupertas virorum fugitur, et omnes habere cupiunt quod delectat, pauci brevissimam viam ad delicias, videlicet contemptum earum inveniunt. Hinc valde timebat, ne inter mercenarios inveniretur; quia quidam sunt in ecclesia prelati sua querentes, non que Iesu Christi, non Deum propter Deum querentes, sed temporalia consequentes et propter hec Deo servientes. Quisquis talis est, mercenarius est et cum Symone mago mercatore eiciendus. Et apostolus questum et avariciam, que est idolorum servitus, in eo exhorruit. Sed ne ob augurium timoris non fallax obstupesceret, sententiam sanctorum in hac perplexitate sollicite investigavit et advertit, ad principalem intentionem semper fore recurrendum, quia affectus operi nomen imponit. Et reverendus pater Augustinus astruit id ipsum dicens ex epistola Iohannis: *Videtis non quid faciat homo considerandum, sed quo animo et voluntate faciat.* Item beatus Ieronimus: *De sensibus Deus iudicat et voluntate.* Et poeta: *Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.* Ov. Pont. 3, 4, 79. Igitur ut per hostium intret, qui ad Deum converti desiderat, introduci debet principaliter propter Deum et secundario propter temporalia, si hoc sine temporalium subsidio nequit fieri. Sic scribit beatus Gregorius cuidam episcopo, ut pauperrima regularia monasteria requireret, que secundum Deum vivere sciunt, et eisdem sacerdotes lapsos tradat cum rebus eorum. Sic etiam apostoli precia pro prediis a conversis acceperunt ad fovendos egenos. Et Dominus habebat loculos, a fidelibus oblata conservans. Prevalebit quod principale est. Verum quoniam Deus videt veraciter, utrum intentio illius fuerit pronior ad cultum Dei quam ad cupiditatem, hoc solum superesse estimabat, ut timeat, ne alios lucretur et se ipsum perdat.

Anno quoque conversionis sue 11.[98], quo fundata est grangia secus Emetha[a].[99], ut[b] 1218. extrinsecis etiam temptationibus excitaret fidem retributionis eterne, et illuminaret corda ad cognoscendum, quia non sit christiane veritatis in temporalibus exultare, fratres pusillanimes pro tenuitate temporalium amissione eorum placuit in camino probationis *examinare[c]. *col. 46. Per** exercitium temptationum profectus probatur in fide, propter quod quis temptatur. Vergente igitur estate ignis corripuit officinam quandam, et subito multa consumpsit que erant fratrum usibus[d] reposita. Porro[e] quam certum sit, quod irascitur et miseretur Deus, hoc apparuit experimento, quod dormitorio fratrum, quod propter vicinitatem flagrantis incendii humanis viribus defensari non potuit, pepercit. Hoc in autumno die beati Magni. Aug. 19. Sed mitigavit iram, nec prorsus amovit. Media nanque hieme sequente, cum[f] putarent se penas sufficienter exsolvisse et ultra se in probatione deficere, venit diluvium et operuit subito totam terram et mansionem virginum Christi sororum suarum, et summersit oves et boves et universa pecora earum, et ventilata sunt per direptionem procellarum necessaria[g], usibus earum preparata. Quid[h] facerent ille agniculae nunquam expertae talem cladem? Ceperunt querere tutam stationem et se connexis manibus tenere gregatim, confiteri ad invicem et psallere et ad exitum preparare. Sed in illo articulo peri-

---

* Anno gratie 1218. comes Montisfortis ab Albigensibus occiditur. *in imo marg. man. secunda* 1.

** Lodewicus iunior cum Francis proficiscitur ad Albigenses; et vinum congelatum fuit. *in summo margine manus secunda* 1.

[a] Emelam 2. [b] ut — quis temptatur *des.* 2. [c] exanimare 1. [d] usui 2. [e] Porro — prorsus amovit *des.* 2. [f] cum — deficere *des.* 2. [g] quae *inser.* 1; necessariaque *corr. ex* omniaque 2. [h] Quid — te nichil deest *des.* 2.

[98] Legendum videtur *anno* 10, qui erat a. 1218. Si revera est a. 1219, ordo rerum in sequentibus valde perversus est.

[99] Hodie Westeremden, media in terra Fivelgo, tunc vero ad ostium Emesae fluvii situm, portu praeditum. De portu autem exsiccato cf. Menkonem col. 136.

1218. culi non aderat prepositus. Cunque domus illa in quam conscenderant, cuius columne in terram minime defixe erant, iam ictibus procellarum dissiparetur, divise sunt ab invicem, et pars conscendit oratorium, pars altera domum australem; et statim domus post fugam earum stare ultra non valuit. Porro ex collisione trabium fracte domus rumpebatur paries alterius; et tunc preparabant se et animas suas Deo commendabant, connexe manus et mentes, et aque inundaverunt in altum; et ecce confortate sunt subito et stabant simul, et domus valde debilis pondere earum immobilis reddebatur et firmior. Sane Deus pepercit oratorio misericorditer, quod propter eminentiam sui facile potuit expugnari ventis, propter semet ipsum et serenissimam Virginem et matrem suam et ancillas suas. Et fugit mare; et ceperunt sese nominatim inquirere et clamare, et tandem convenerunt et gratias egerunt Deo omnium redemptori. Hanc vastationem nequam spiritus quodam preludio multis ante ebdomadibus prenunciarunt; et constat nimirum, sicut testatur egregius doctor Augustinus, *col. 47. quod aliquando nequam spiritus, que ipsi facturi sunt, predicunt. *Accipiunt nanque potestatem, aerem morbosum reddere. Aliquando non que facturi sunt ipsi, sed que signis naturalibus futura prenoscunt, predicunt. Nam cum memorate sorores in domo australi quam prefatus sum, in qua erat refectorium, quodam vespere ad bibendum consedissent, subito paries tribus ictibus vehementer percussus alto strepitu insonuit, et sic secundo et tercio, deinde multis locis et multociens. Et consternate sunt ancille Christi et tandem fidecordis animate, contra phantasiam surrexerunt et more solito potum cum gratiarum actione terminarunt. Porro fratres per ignem et aquam examinati valde facti sunt pusillanimes, ut[a] si quisquam quantumlibet vere testificaretur eis, quod possent in tanta perturbatione perseverare, nullatenus crederent nec affirmarent. Sed fidelis est Deus, qui non patitur quenquam temptari supra id quod potest. Occasionem hinc inde ostendit suis consilii et auxilii ad habendum necessaria in dura afflictione, ad innovandas domos novas et veteres, ad emendum granum, ad construendas grangias pro subsidio fratrum et sororum Christi. Quia aput Dominum misericordia, et copia aput eum rerum.

Magnanimus igitur erat in colligendis fratribus, sicut qui paratus erat omni si posset petenti tribuere, — sed[b] de eisdem in melius mutatis meruit letificari[b], — et in grangiis instituendis et domibus construendis. Veruntamen sibi suspectus erat, ne quod foris recte agebatur, intus per fucum cenodoxiae a mercede vacuaretur, et intrinsecus quadam molestia premebatur propter maliciam temporis, cuius similis non est comperta ab annis pristinis, quia universa usibus humanis necessaria in summo erant precio et precium eorum quasi nullius precii reputabatur. Denique in simplicitate sua sententiam fratrum expectabat et semper extorsit ab eis honesta et necessaria. Proinde cum staret ad laudandum Deum inter psallentes, sono multitudinis mulcebatur, et erupit aqua de oculis et lingua palpitabat verba intercisis suspiriis, et exultavit spiritus eius in Deo, dicens Deo: *Pasce agnos tuos, non meos. Ut quid voluisti me dici pastorem? Timentibus te nichil deest.*

*col. 48. 1219. Ian. 16. Anno inquam gratiae 1219, anno[c] diluvii noctu beate Iuliane 55.[1], *anno domni Honorii pape ...[d], mense Ianuario, die mensis 16, luna ipsius diei 17, die pasche 7. Idus Aprilis, dominicali littera F, die inquam mensis Ianuarii 16.[e], cum aliquot diebus precedentibus spirasset affricus, sed non immoderate, die prefata plus solito invaluit a mane usque ad vesperam, sed precipue, ut visum est, ab hora nona diei invaluit. Qui, ut asserunt, nascitur ex refluxionibus occeani vergentibus ex occidente et oriente[f], et concursum facientibus in latere australi, sed refluxione oriente preeunte et preripiente locum propinquum[g] zephiro in occidente. Frigidus autem et siccus erat secundum tempus, quod per diem naturalem quadrifarie secundum philosophos dividitur. A nona parte noctis usque ad terciam diei calidum et humidum; a tercia diei usque ad nonam eiusdem calidum et siccum; a nona diei usque ad terciam noctis frigidum et siccum; a tercia noctis usque ad nonam eiusdem frigidum et humidum. Verum per intervalla grandinem cum magna acerbitate proiecit, quia calor solis in alto erat, qui guttas attraxit; sed frigore constricte in grandinem sunt verse. Et hiis iaculis ille

---

a) *correxi;* et 1. b) *linea transducta deleta* 1. c) inquam *add.* 2. d) *spatium trium litterarum vacuum relictum* 1; *Ubbonis Emmii manus supplevit* tercii. e) 55. — Ianuarii 16. *des.* 2. f) etc. *add.* 2, *in quo sequentia* et concursum — frigidum et humidum *des.* g) propinquam 1.

[1] Anno 1164. Febr. 16. fuit hoc diluvium, cuius mentio occurrit apud Ann. Palid., Magdeburg., Colon. max. et Helmoldum II, 1.

cruentus affricus[a] armatus miseros mortales[b] tam in mari quam in terra afflixit crudeliter. 1219. Cunque homines pro defendendis domiciliis suis plurimum usque ad solis occasum et ultra laborassent et furorem occeani minime formidassent, iam hora dormitionis securitatem qualemcunque promittente, illico choro cruentissimo crudelis cessit affricus collaterali[c] zephiri a septentrione. Et quia mare funditus motum fuit per affricum, choro ruente, effluxit, et effusum est multis voluminibus et crementis[d], more bullientis aquae, et optinuit precipue maritimas Frisie, et more repentine mortis invaluit et attraxit pauperum domicilia[e], divitum domos indomite aggrediens, sicut[f] quidam dixit: *Mors eque tuguria pauperum et turres divitum*[g] *pulsat*[2]. Cunque aliquid resisteret, eo amplius furor arma nocendi exacuit, more humani ingenii assiliendo recurrens et relabendo fugiens, donec crebris assultibus ipsas domorum columnas effodiendo et frangendo evulsit. Dum igitur hora dormitionis securitatem[h], *ut dictum est, promisisset, et subito violentia maris amplius invaluisset et quasi * col. 49. per spatium unius hore noctis ascendisset, ceperunt miseri mortales fugere et scandere domorum solaria, et pro terra trabium robora calcare; et fenestras per tecta facientes, tutissimum sibi refugium putaverunt, non in tectis, sed super tecta commorari. Multi siquidem volentes, sed[i] non valentes tempestati resistere et res perituras defendere, perierunt, quos[k] violentia currentis aque in terra subsistere non permisit. O dolor et gemitus, videre homines tanquam natatilia maris inter fluctus iactari, videre miseros aliquot sudibus compressis et substratis sibi, vel feno vel stramine, quo trahebat vis maris, sine navi navigare. In quo diluvio milia virorum, mulierum et parvulorum perierunt, et ecclesiae destructe sunt.

Sane[l] diluvium diei Mercurii, id est quarte feriae ascribimus, quia diem a vespera in vesperam computamus, non sicut Hebrei a mane incipientes, secundum quos dies precedit et nox sequitur; nam mistice a luce in tenebras cecidit. Mirum in modum, cum secundum philosophos de 24 horis terciae ferie precedentis feriam quartam luna teneret horas secundam, nonam, decimam sextam, vicesimam terciam, secundum quas mare, ut asserunt, movetur, subito nec hora diei nona nec hora noctis decima sexta, sed quasi confusus, quasi in medio horarum suarum irruit cataclismus, legis suae oblitus est Neptunus, ut eo atrocius Deo permittente contra incautos insaniret. Mane facto cepit sevire affricus, et miseros mortales submersos cum ceteris animalibus quasi gremio terre immeritos eventilare; cui accedente vespera restitit aquilo a septentrione. De singulis horis singulis planetis in uno die deputatis sic dicunt. In die lune prima hora de 24 horis, que sunt in die naturali, deputata est lune, sex sequentes aliis planetis. Item octava est lune, sex sequentes aliorum planetarum. Item 15. est lune, sex sequentes aliorum planetarum. Item 22. lune, 23. Saturni, 24. Iovis, 25. Martis, et illa est prima hora sequentis diei. Unde illa dies dicitur *dies Martis. Ordo vero planetarum hic est: Sol, Venus, Mercurius, luna, Saturnus, * col. 50. Iupiter, Mars. De huiusmodi dixit poeta:

Felix qui potuit rerum cognoscere causas[3] —
Unde tremor terris, qua vi maria alta tumescant,
Obicibus ruptis, rursusque in se ipsa residant[m. 4].

Augustinus de hiis: *Non est curandum christiano, si ignoret de illis rebus, quas philosophi invenisse se existimant, quia nec ipsi omnia repererunt*[n], *quedam humana coniectura investigantes, quedam historica experientia scrutantes, plura opinantes pocius quam scientes. Satis est christiano, rerum creatarum, sive celestium sive terrestrium, nonnisi bonitatem credere Creatoris.* Porro[o] Altissimus, qui ventis imperat et mari, misericordiae non obliviscitur, parcendo et servando incolas terre, quando in quarto septenario lunaris temporis illam violentiam permittit ebullire. Primo nanque die nascentis lunae primi septenarii occeanus copiosior esse videtur, quia aer in aquosam substantiam transit, luna nichil caloris habente; et proficiente luna proficit calor et minuitur mare[5], humore nanque aeris desiccato per

a) ille aphricus ventus 2. b) *deest* 2. c) collaterali — bullientis aquae *des.* 2. d) ĉm̄tiˢ 1. e) et *add.* 2. f) sicut — tecta commorari *des.* 2. g) tuguria ·.· et turres ·.· pauperum et divitum 1. h) *deest* 1. i) et 2. k) quos — navigare *des.* 2. l) Sane — maliciose absconderunt *col.* 52 *des.* 2. m) revolvant *H.* n) reperert 1. o) P *litterae spatium relictum* 1.

[2] Cf. Horatii Carm. I, 4. [3] Vergilii Georg. II, 490. [4] ibid. 479. 480. [5] Similia in Isidori Etymologiis III, 49.

1219. calorem accensionis, usque ad septimum diem. Post eundem diem paulatim ebullit et crescit occeanus, et tantum videtur facere calor, quantum videbatur facere humor. Tercia vero septimana[a] similis est prime propter detrimentum; quarta secunde propter incrementum. Secundum opinionem philosophorum diluvium fit ex elevatione et depressione stellarum, ut si omnes planetae simul eleventur plus solito a terra remoti, minus de humore consumunt; unde humor excrescens per terras se diffundit, et fit diluvium. Sed si unus vel duo eleventur sine aliis, tunc non tantum humor excrescit. Quod enim ex istorum elevatione crescit, desiccatur aliorum propinquitate, et fit particulare diluvium. Si vero omnes simul deprimantur, ex vicinitate terras adurunt. Et propter hanc inequalitatem communis[b] fuit sententia philosophorum, terrena modo diluvio modo incendii adustione finiri. Signa igitur causam esse
* col. 51. futurorum, crediderunt[c] gentiles, quia, ut dicit beatus Augustinus, *superiorem ceteris omnibus causam, id est voluntatem Dei, videre non potuerunt. Voluntas nanque Dei prima et summa est causa omnium specierum et motionum, que etiam propter raritatem mira videntur. Hec est sola, unde ortum est quicquid est. Sed et sidera vel stelle sunt insigna tempestatis vel serenitatis, sicut de ortu iubilei[d] dicit magister in Historia Scolastica[6], quia ab hoc institutus est annus quinquagesimus, quia Abraham peritus erat in astris, et noverat, quod intemperies aeris, que fit ex elevatis vel depressis planetis, semper usque ad quinquaginta annos ad temperiem redeat, et quod vidit fieri in astris, voluit fieri in terris. Contingit autem diluvium propter scelera nostra, quia scriptum est, quod sub Noe filii Chain abutebantur uxoribus fratrum suorum nimiis fornicationibus, iratusque Dominus peccatis hominum dixit:
Gen. 6, 7. 13. *Penitet me fecisse hominem. Delebo hominem, quem feci; disperdam eum cum terra,* videlicet cum fertilitate terrae. Terra enim vigorem suum et fertilitatem perdidit per diluvium.

Hec et hiis similia in scriptum redegit, sibi soli ad contemplandum iugiter magnalia et mirabilia et terribilia Dei, que fecit; sed tibi, o lector, ut admoneantur singuli, supra petram et in alto cum sapiente domos sibi stabilire, et firma faciant domorum suarum laquearia. Et si quando Domino[e] Sabaoth sederit[f], maritimas Frisie quasi per servum suum flagellare, et permiserit ventos ruentes validos, certos nuncios interitus, affricum et chorum[g], sursum cor habeat et peccata sua ante se statuat et extunc tutiora et altiora loca ascendat, neglectis rebus perituris, quas iusto Dei iudicio meretur amittere, sed cum dolore, quo tanquam in fornace vasa figuli torquentur mortales. Ecce talem stragem attulit furens occeanus, vicem faciens Totile et Theoderici, qui persecuti sunt ecclesiam Dei, peccatis hominum exigentibus. Sed adhuc iratus erat Altissimus, et residuum maris fame flagellavit et pestilentia, iuxta comminationes prophetarum, qui semper populum rebellem, ne peccarent vel ne perirent a facie gladii, famis et pestilentiae, terruerunt. Unde ad David[h]:

* col. 52. **Ecce trium rerum tibi rex datur optio: septem*
Annis vexabit teque tuosque fames[i]*;*
Aut tribus instantes pacieris mensibus hostes;
Aut per tres pestis curret ubique dies[7].

Erant quidam blasfemi, qui in labore hominum non fuerunt, in cacuminibus villarum constituti et Silvarum accole, in quorum terminis quasi unius hore incursum, quippe quia non erat nisi unica maris estuatio, licet multum aucta crementis, qua tot milia stravit civili prelio rabies occeani et mitigata recessit. Et ideo illi habundantes panem pauperibus et annonam divitibus, sicut econtra Idumei aquam negaverunt Israelitis. Et isti res alienas ex inundatione rapientes, ut proprias cum gaudio amplexati sunt et creatis iusticiariis pro restitutione earum maliciose absconderunt.

In illa maris inundatione accidit, cum hinc inde aggeres dissipasset et quasi irrecuperabiliter destruxisset[k] secus Emesam circa terminos fratrum, et multi depauperati recessissent de finibus illis, quorum erat reparare, mare crebro ascendit pristinos terminos reposcens. Facta est querela ab incolis sex villarum, quorum patres immunes erant operis illius, ut fratres Floridi Horti ex parte sororum suarum et alii pauci ad reparationem com-

---

a) *secunda manus addit* na, *ut efficiatur* septimana 1. b) ꝯvīs 1. c) esse *iterum sequebatur, recentiori manu suppunctum* 1. d) iubei 1. e) dominus *H.* f) coeperit *H.* g) evrum *H.* h) Unde Davidi dictum est a Nathan *H.* i) famis 1. k) destruxit 2.

6) Hist. Scholast. super Genesi cap. 15, unde sequentia ad verbum sunt desumpta. 7) Versus hi e Vitis Patrum desumpti videntur, quas scripsit ipse Emo metrice, teste Menkone infra col. 129.

1219

pellerentur, et circumvenerunt consules illius anni. Econtra responsum est, omnes ad onus teneri, quia quorum erat reparare, urgente necessitate recesserant, et ideo agros fratrum et aliorum quorundam non debere inmoderate onerari, vel[a] etiam magis, quam singulos sex villarum, quod esset fraterne compassionis et publicae utilitatis. Unde factum est, cum viderent per fratres impediri, graviter minati sunt et communitatem[b] eundi et ducendi per vias etiam[c] publicas auferre[d] conati sunt. Cum igitur tanto periculo se fratres exposuissent, factum est mirabiliter, quod maiores de septem villis mari conterminis statuerunt convenire et, convenientibus eis, continue elegerunt iuratos, qui pro utilitate et necessitate instantis periculi iustam dictarent sententiam, — nam iam[e] consules anni dissimulabant negocium tale diffinire, — et, partibus citatis, talem ediderunt[f] sententiam: Quod omnes agri omnino[g] *equo onere propter necessitatem in reparatione aggerum (* col. 53.) respondere deberent. Qui volentes efficacem fore sententiam, quoniam pars altera necdum[h] consensit, collecti in unum spoliarunt rebelles. Qui sequentes spolium, vulneraverunt unum letaliter, peccata[i] cumulantes damno. Et sic fratres per gratiam Dei cum triumphantibus triumpharunt.

Pro violenta vero Frisie[k] oppressione per[l] subitam maris diruptionem multas secum causas pertractabat, que licet multis religiosorum conventibus[m] sit insignis, qui pio affectu pro ea indesinenter supplicant, quia tamen numerosa hominum multitudine est elata et libertate, que res est inestimabilis, pauperum et divitum ditissima, animalium quoque copia, pascuis et fructuum fertilitate opulenta et iocunda, forsitan in oculis Altissimi pro tot et tantis bonis rea[n] arguitur ingratitudinis[n] et convincitur iudicio diluvii, famis et pestilentiae, ne innoxia sibi videatur, sed[o] ut reatum suum cognoscat et abhominationes suas et precipue illorum qui deberent esse sal terre, saporem sapientie et lucem scientie in salsuginem et tenebras convertunt. Unde posita est terra in salsuginem a malicia inhabitantium in ea. Ibi[p] ordinantur presbiteri sine certo titulo contra[q] illud dist. 70[r]. Ferri candentis purgatio non aboletur contra illud II. qu. 5.[s] *Abolenda*[8]. Ecclesiae constructe hinc inde in episcoporum potestate, X.[t] qu. 1. *Per laicos*[9]. Clerus ecclesias ingreditur et eicitur contra illud XVII. qu. 7.[u] [10] Dotem ecclesiae auctoritate propria disponunt vel vendunt laici. Nummi pro crismate extorquentur, contra[v] illud in Extravagantibus primis[11] *De Simonia, Ex tue*[w]. Ecclesiae iure hereditario a filiis sacerdotum possidentur contra[x] illud VIII. qu. 3. Presbiteri et ceteri altaris ministri ex confertis convivantur et tabernas intrant contra[y] illud dist. 44. Coniugati sacros ordines capiunt et beneficia ecclesiastica, et coniuges coniunguntur contra Decretales titulo *De clericis coniugatis*[12]. Nec res, quas acquirunt post ordines[z], ecclesiis sed liberis suis relinquunt contra illud titulo *De peculio clericorum*[13]. Peccata[a] igitur sacerdotum et altaris ministrorum maxima sunt propter dignitatem officii, ut dicit domnus Innocentius papa, et propter perversitatem exempli, et scitur quia multa sunt venialia laicis, que mortalia sunt *presbiteris. (* col. 54.) Eis enim datum est, nosse misterium regni Dei, et claves regni celorum, et panem et vinum consecrare in corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi. Sed heu in diebus nostris sine examinatione, id est indigne, manducant illud, et ideo non vivificationem sed iuditium manducant, et non advertunt que advertenda sunt in ipso, et ideo sine reverentia quasi ad alium cibum accedunt. Ideo multi sunt infirmi, incognitis videlicet febribus, et imbecilles longas et incurabiles infirmitates incidentes, et dormiunt in morte, quia ex hoc contingit mortalitas, fames, diluvium. Sine etiam consideratione mundicie corpus et sanguinem Domini accedunt[b], manentes in criminali vel impenitentes in veniali vel manentes in voluntate peccandi. Ideo rei efficiuntur corporis et sanguinis Christi, nec ipsas negligentias, quas in tractando, sumendo,

---

a) vel — utilitatis *des.* 2. b) ɔvitatē 1. c) et 2. d) auferre *deest* 2. e) cum 2. f) dederunt 2. g) *deest* 2. h) nondum 2. i) peccatum 2. k) Violenta maris 2. l) per — tantis bonis *des.* 2. m) convenientibus 1, *manu recentiori corr.* n) velut rea ingratitudinis Frisia castigatur 2. o) sed — in ea *des.* 2. p) Porro 2. q) contra — Abolenda *des.* 2. r) Đ. LXX. 1. s) ii. Q. v. 1. t) v; *in linea,* x *super linea eadem manu* 1. u) Q. VII. *des.* 2. v) contra — Ex tue *des.* 2. w) *correxi;* Exq̄ 1. x) contra — Q. III. *des.* 2. y) contra — 44 *des.* 2. z) *deest* 2. a) Peccata — emere tibi pacem *col.* 60 *des.* 2. b) *correxi;* corpis et san. d. accedī 1.

[8] c. 20. C. II. qu. 5, quod autem incipit: *Consuluisti.*

[9] Sic incipit c. 20. C. XVI. qu. 7.

[10] Hic numerus falsus; Causa XVII. quatuor modo continet quaestiones.

[11] Sic hic et infra col. 60 vocantur Decretales Gregorii IX. seu Liber Extra. Locus laudatus est V, 3, 20.

[12] Vide Decretales Gregorii IX. lib. III, tit. 3.

[13] ibid. III, tit. 25.

servando admittunt, emendare maturant, non attendentes, et peccatum et periculum tocius ecclesie esse quod delinquunt.

Laici etiam oblationes, primicias, decimas ad cumulum mutuae damnationis non persolvunt, que dande sunt ministris Dei, non servis demoniorum. Olim in populo Iudeorum quatuor fiebant decime frugum levitis. De hac levite summo sacerdoti decimabant, de qua panis propiciationis. Item 10 partes decimabant decimarum, ex quibus in anno Iherosolimis se procurabant. Quarto ad opus peregrinorum decimabant, de illa sibi nichil retinebant. Decimas solvere est de iure naturali, unde et ante legem et in lege solvebantur. Quod Ade in extasi ostensum est et triplex est ratio solutionis, ut ostendatur inicium et finis boni esse a Deo, quia denarius perfectus est nummus. Item decimam damus et novem retinemus, quia omnis imperfectio a nobis est, ut ostendamus nos ex illis esse, ex quibus decimus ordo angelorum replendus est. Primicias tamen recompensat ecclesia per possessiones[a] et oblationes cotidianas et ieiunia quatuor temporum. Sacerdotes mortaliter peccant, qui non predicant minutas etiam decimas esse persolvendas. Sed omnes laici tenentur in generali scire, decimas esse persolvendas. Unde beatus Augustinus: *Si tu decimam non dederis, tu ad decimam revocaris.* Ideo penuriam patimur. *Decime sunt,* teste
*col. 55. Augustino, *tributa egentium animarum,* *et pro eis Deus dat salutem corporis et animae. Sed verum est, quod Deus nulla peccata dimittit impunita, si homo penitens non punitur[b]. In medio nationis prave impediuntur etiam electi. Qui etsi affectum[c] consulere cupiunt, non valent, sed etiam inflammantur contra illos, et fiunt quasi iumentum, irrationabiles, terrena quoque inmoderate ambientes. Sed utinam sint aput te, Deus, quod est a te solo querere, quod negligunt plurimi. Hic se ipsum accusabat et timebat periclitari ex participatione rerum etiam licite acquisitarum, quas afferunt seculo abrenunciantes, quando monasterium ingrediuntur; et examinabat utrobique intentionem sui suscipientis et alius[d] offerentis, ne forte vicio symonie corrumperetur. Symon olim sua optulit, spiritualia emere voluit et de emtis gloriam et lucrum habere. Verum sua dare licuit, emere margaritam et thesaurum, quod est virtutes, Dominus iubet, sed non secundum intentionem Symonis, qui in iniquitate volens remanere, que iustis debentur appeciit possidere, unde Deum iniustum probavit. Pecuniam quoque Spiritui sancto coequavit et Deum cupidum comprobasse arguitur. Porro quia in pravitate voluit perseverare et pecuniam Spiritui sancto
Act. 8, 20. parificare, respondit apostolus: *Pecunia tua tecum sit in perditione,* innuens, quod primitus unusquisque se ipsum et deinceps res suas debeat Deo offerre. Quod vere religiosi faciunt, qui proiectis veteribus pilis et cornibus currunt ad fontem aque salientis in vitam eternam, non ambientes celsitudinem sed carcerem, deferentes secum bonorum suorum debitum subsidium, gratis accipientes spiritualia, chori introitum, fratrum communionem, orationum participationem, ut ministrent pro suo ordine in psalmodia, in ymnis, in divinorum celebratione. Carceres enim ecclesie sunt monasteria, vincula penitentia et excommunicatio. Nam si etiam quispiam, spem habens et promissionem, ut abbas fieret, ut dicitur XVI. qu. 5. *Per laicos*[14], ambiciosa mente et cum munere ingrederetur: pro huiusmodi delicto in monasterium detrudendus esset, ut habetur I. qu. 1. *Reperiuntur.* Sed cum non
*col. 56. exprimatur, in quod detrudi *debeat, in illud detrudi potest, et erit ibi, ut in ergastulo, ablatis eis que sunt honoris et que sunt oneris remanentibus.

Disputabat adhuc de peccato illius magi, volentis spiritualia emere et vendere et vendendo gloriam et lucrum optinere. Qui dum pro spirituali gloriam voluit usurpare, Deo, cui debetur gloria, se voluit parificare, quia auctoris sui gloriam negare convincitur, quisquis sibi tribuit quod operatur; et dum propter spiritualia pecuniam intendit accipere, Creatoris cultum creature attribuit, in eo idololatriam incurrens; et cultum Deo auferens sacrilegii crimen non effugit. Porro ipse testimonio conscientiae suae fixum habuit, nichil prorsus horum unquam intendisse, et ob hoc sperabat et presumebat, de illo inspectore desuper[e] reatum non habere. Non enim venditur in claustro quicquam a prelato propter sua vel privata lucra, nec accipit ibi subditus ad sua lucra, quod condemnat canon. Unde magister Symon Tornacensis arguit, illum duntaxat symoniam committere qui lucrum

---

a) processiones *H.* b) *correxi;* punit 1. c) affcū 1. d) alic° 1. e) desr̄ *cod.*

14) immo c. 20. C. XVI. qu. 7.

proprium captat. Sed fit ut dicitur XII. qu. 1. *Futuram*[15]. Beatus Hilarius autem parentibus omnia dereliquit aut vendita erogavit, ipse tamen factus episcopus Arelatensis[a], que illa ecclesia tunc habuit, non solum possedit sed etiam acceptis nervosis fidelium hereditatibus ampliavit. Licuit ergo religiosis et res et rerum stipendia cum illis, qui ad monasterium veniunt, recipere sufficientia ad eorum procuraturam. Simile habetur XVI. qu. 1. *De lapsis sacerdotibus*[16]. Qui si parentes habent, res eorum legitime parentibus tradantur, ita tamen ut eorum stipendia, qui in penitentia dati fuerint, sufficienter procurentur. Sed propter temporalia non licet allicere simplices, quoniam ut dicitur XVII. qu. 1[17]: Qui illecti fuerint et comam deposuerint, in eo quod ceperunt, perseverent. Res eorum heredibus reddantur propter occasionem mali et presumptionem. Sed pro ingressu monasterii, qui[b] est spiritualis, non licet aliquid exigere. Prepositio tamen *pro* dist. 61. consecutive et temporaliter expetitur ibi. Solita erat dari pecunia pro ordinatione pontificis, id est quando ordinabatur. Sed nichil est extorquendum. Qui vero aliquid promiserit, solvere tenetur. Quia Ananias *optulerat[c], si quod habuit, quia habuit. Ergo si licuit non solventem morte *col. 57. punire, licet promissum solvendum exigere. Magister in Verbo abbreviato[17*]: *Contingit, quod aliquis accedens ad claustrum dicat: Offero me et mea huic ecclesie vel monasterio ad serviendum perpetuo. Si sine distinctione recipitur, sanus erit eius ingressus, si non plura quam oblata ab eo exigantur. Si distinguitur inter illum et sua, ut scilicet ille sit causa, quare sua recipiantur, sanus erit ingressus et licitus. Si autem distinguatur inter illum et sua, ut sua scilicet sint causa, quare recipiatur, viciosus erit ingressus. Si autem monasterium eguerit, ita quod offerentem se illi sine pecunia recipere non possit vel sustentare, spiritualem ei fraternitatem concedat, non corporalem; vel in exceptionem paupertatis suae et sustentationem vitae illius potest exigere, ut recipiat temporales redditus, quibus sustentetur dum vivit. Quod si perpetuos exegerit, iam manifesta cupiditas viciosum facit ingressum. Ex hiis autem liquet, non debere construi monasterium sine certo numero agrorum, pecorum et personarum. Cum enim ita augmentum susceperit, non nisi difficile laqueos cupiditatis et symonie vitare poterit.*

Item peccatum est, si in recipiendo canonicum vel monachum pecunia intervenit, nisi, ut dicit magister, forte fuerit oblata. Similiter sub conditione et permixtu contractus, sicut qui se et sua reddit Deo. Potest tamen non esse peccatum. Quid enim, si dicat prelatus: *Bene recipimus te, si vis, sed hic non habes, quod comedas, nisi tecum ducas, quia nec nos habemus, quia nostra nobis sufficere non possunt.* Argumentum simile *De symonia. Tua nos*[18]. Consuetudo est in multis ecclesiis, nisi sit ibi numerus taxatus monachorum vel canonicorum, si superveniat aliquis, qui aliquam portionem sufficientem ad prebendam instituendam offerat, quod admittitur, et approbatur institutio talis, quia contigit hoc de facto in ecclesia Parisiensi consentiente toto capitulo, recepto cantore. Item magister Bertoldus: *Si cenobii paupertas sit in tantum, ut aucto numero personarum necesse sit augere patrimonium, ibi statum loci introitum petentibus significare non improbamus.* Quidam plus dicunt, *etiam *col. 58. taxationes id est rei precium imponere licere, in hoc casu habentes, qua tueantur hanc suam opinionem, cenobitarum consuetudinem[d]. Quod si constiterit, monasterio omnia bona, que habet, acquisita per symoniacum ingressum omnium ibi commorantium, credimus esse distinguendum, quia locus aut est carceris, aut voluptatis. Si carceris, non oportet inde monachos exire, quia artiorem non invenirent locum vel carcerem. Unde ipsi non emerunt honorem, ut dictum est, sed onus; et ideo doleant, quia extraordinarie introierunt. Bona vero illorum sive mobilia sive immobilia in manus alicuius persone ecclesiae resignata, per eandem possunt eidem ecclesie, sicut et aliis, conferri. Si vero claustrum voluptatis, sicut regalium monachorum, videlicet urbana claustra, tunc quia non onus sed honor emptus est, omnes statim abscedant. Si vero mixta sint omnia et confusa, tunc, sicut dicitur in euangelio[e][19], assumant ventilabrum et mundent aream claustri et conscientiae, ut dona feneratoris et raptoris reiciant et grana scilicet pura et munda sibi assumant.

[a] *correxi;* Ardatensis 1. [b] q̄ 1. [c] *incipiente nova pagina, aliqua excidisse videntur. Matthaeus sequentia, suo sane Marte sic profert:* optulerat, quicquid habuit? Postquam idem retinuit et fefellit, quia habuit, mulctatus morte. Ergo *etc.* [d] *in marg.* 1, *sec. manus addit* M. Robertus. [e] ev̄ 1.

[15] Sequentia non ex c. 15. C. XII. qu. 1 *Futuram*, sed ex c. 13. ibid. *Expedit* desumpta sunt. [16] c. 5. C. XVI. qu. 6, ex quo sequentia. [17] Sequentia loco laudato non leguntur, sed potius c. 42. C. XVI. qu. 7. [17*] Petrus Cantor. [18] Decretal. Gregorii IX. lib. V, 3, 34. [19] Matth. 3, 12.

Sed si non poterunt, quia nesciunt que sint de granis, que de paleis, faciant quod possunt estimatione, et nichil, quantum in se est, omittant de contingentibus. Si autem omnino in hoc est aliquis solus, et resistere non potest, sequatur conscientiam.

Sane adhuc meditabatur, si tanta perplexitas in participatione licite acquisitarum, quanto plus vinculi in oblatione et communicatione rerum illicite acquisitarum, cum quibus plerique accedunt, qui titulo usure divicias cumulaverunt, sicut prediximus. Quarum acquisitio illicita dinoscitur in acquirendo et retinendo, utpote furtis, usuris et symoniace acquisitis; de quibus, ut quidam dicit, elemosina vana est, immo nulla est. Porro ex dictis sanctorum intelligebat, quia bona talium, qui in iniquitate pristina precipue volunt permanere, non congruit religiosis recipere, non quod pecunia sit in perditione, sed quia mala eorum videntur ex tali receptione sequi, et illi ex hoc magis confirmantur in iniquitate, et infirmis fratribus scandalum ex hoc generatur, de quibus beatus Augustinus: *Nummi tui convertuntur in bonum, et tu remanes malus*[20]*?* Recte quidem offerunt, sed non recte dividunt. *col. 59. Sic etiam beatus Augustinus XIV. qu. 5. videtur reprobare elemosinas omnium *avariciam sectantium, dicens: *Fideli totus mundus diviciarum est, infideli autem nec obolus*[21]. Nonne omnes, qui videntur sibi gaudere acquisitis eisque uti nesciunt, alienum possidere convincuntur? Omne igitur, quod male possidetur, alienum est. Male autem possidet, qui male utitur. Ex quo videtur, quod *elemosinam non posse fieri* dictum sit tantum in odium usurariorum vel avarorum. Usurarius quippe non est dominus fenebris[a] pecunie de equitate. Gen. 3, 19. Peccat in Deum et in proximum contra illud: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Proinde ex usura, ut dicitur XIV. qu. 5. elemosina fieri non potest, sed refundere debet eam ei, a quo accepit, ut dicitur ibidem: *Si res*[22]. Si non, dabit heredibus. Si non sunt heredes, dabit pauperibus; et transfertur dominium in pauperes auctoritate iuris, non facto refundentis, titulo *De usuris. Cum tu*[23]. Et si cenobite aliqui pauperes essent, possent possidere titulo ex donatione, quia ius eis donavit. De quibus beatus Augustinus: *Quid prodest dispergere pauperibus et pauperem fieri, cum anima misera superbior efficitur divicias contemnendo, quam fuerat possidendo.*

Movebatur quoque pro eo quod pecuniam ecclesie dederat cuidam adversario, qui violenter voluit ipsum supplantare ecclesia, quam veraciter a maiori et saniori parte patronorum collatam sibi tenuit, et a diocesano confirmata fuit et rite possessa; et legit, quod causarum decisiones etiam in re dubia et per litem incerta fiunt plerumque in spiritualibus aliquo dato vel retento vel promisso, et advertebat, disquisitionem hanc utilem esse propter scrupulosos fratres et propter emulos eidem oblatrantes. Fit ergo litis decisio vel transactio, aliquo dato; alias in personis, ut dist. 63. *Generalis*[24], ubi dicitur: *Quisquis serviles personas putaverit non esse restituendas, nisi de voluntate dominorum testimonio subscriptionis absolutos vel legitima transactione concessos, periculum non se ambigat proprii honoris subiturum.* Item fit in rebus ecclesiasticis, ut habetur XII. qu. 2[25]: *Quod si necessitas optulerit* etc. *ut aliquid rerum ecclesiae distrahatur, aput duos episcopos causa probetur, et sic que facta fuerit venditio vel transactio, corroboretur.* Item in criminibus maxime iniuriarum XXII. qu. 4[26]: *col. 60. *Si illic, ubi hec acta sunt, constiterit supplicatione suscepta *eum, qui male tractatus est, ignovisse, semel in abolitione missa punitio recidivo dolore non debet iterari.* Item pro vexatione XXIV. qu. ultima *Tributum*[27]. In Extravagantibus[b] primis titulo *De symonia. Matheus*[28]. Et non precipit papa dimittere administrationem, qui dederat pro sua vexatione. Item pro impenso beneficio XII. qu.[c] [29]: *Quicunque suffragio alicuius aliquid ecclesie utilitati providerit et pro eo quodcunque commodum in remunerationem promiserit, promissi solutione eum absolvi oportere.* Ecce in tot casibus solet celebrari transactio. Sed in re spirituali transactio cum temporali fieri non debet. Sed dicunt, quod in re spirituali intrinseca et extrinseca fieri possit transactio. Si enim veraciter quisquam probaverit vel sciat, se iuste possidere ecclesiam, licite daret rem aliquam extrinsecam. Quippe licet unicuique ius suum redimere, sicut dicitur I. qu. 3. *Quesitum*[30]. Quod si credat tamen se iuste possidere, potest partem reddituum auctoritate superioris concedere, quia si rem extrinsecam daret, posset esse emptio. Igitur dantur munera pro re spirituali adipiscenda et male, I. qu. 1. per totum[31], pro recuperanda quoque illicite, ut I. qu. 1. *Nullus*[32], pro ea retinenda licite[a], ut I. qu. 3. *Quesitum*. Porro si iuste possides et non potest adversarius cogi per censuram ecclesiasticam, detrahendum est severitati, ut habetur dist. 34. *Fraternitatis.*[33]. Is autem potest qui commode potest. Tunc demum dare pecuniam non erit viciosum, sed secundum Augustinum licet proicere pecuniam et emere tibi pacem.

---

[a] foenoris *H.*
[b] ext^a 1; *supplevi secundum col.* 53.
[c] 2 *supplevit M, qui etiam sequentia e Decreto castigavit.*

[20] c. 14. C. XIV. qu. 5.
[21] Hoc dictum loco laudato non inveni.
[22] c. 1. C. XVI. qu. 6.
[23] Decretal. Gregorii IX. lib. V, tit. 19, c. 5.
[24] D. LIV. c. 12, ex quo sequentia.
[25] Haec hoc loco non repperi.
[26] immo c. 29. C. XXIII. qu. 4.
[27] immo c. 22. C. XXIII. qu. 8.
[28] Decretal. Gregorii IX. lib. V, 3, 23.
[29] c. 66. C. XII. qu. 2.
[30] c. 4.

Anno conversionis eius 12, bissexto intrante, luna[b] 26, septenario[c] lunationis, octava 1220. Ian. 4.
innocentum, dominicali litera E, facta est horrenda maris diruptio et multis metuenda in horrore crepusculi. Sed quamvis in multa profunditate estuaverit[d], non tamen[e] equo molimine delevit homines ut antea, quia terminos maris nondum occupare ausi sunt ut olim. Anno eodem domnus Theodericus[f] episcopus tercius intravit partes Frisiae. Qui cum multis veniens, multis eguit et dixit, ad se pertinere questum synodalem negociorum illius anni, cuius ipse tenetur facere visitationem. Et sic pertransivit etiam Emesgoniam, qui bello concertaverant diuturno; et suasum *est ei[g], ut pro bono pacis se interponeret; * col. 61.
et non audierunt eum. Tellus[h] macera[i] vix pro recompensatione laborum et seminis ordeum germinavit; et constabat, quod ira Dei nondum fuit aversa; et non restabat nisi orare: *Ne declines in ira a servis tuis, Domine, petentibus nobis eterna et temporalia. Scimus, Domine, iratum te esse, quia tollis temporalia, sicut cum faciem tuam avertis a querentibus eterna.*

Anno conversionis ipsius 13, 6. Kal. Marcii, luna[k] 28, in 4. septenario lunationis, cum 1221. Febr. 24.
hiems secundum naturam piscium versus finem suum magis humida, aquis videlicet pluviae, et minus frigida fore debuisset, spiritus[l] temporis fefellit. Nam die prefata, cum aliquot diebus precedentibus chorus ope partim zefiri, partim circii, antequam mare eiceret, dira inequalitate vexasset, effuso occeano, dirupit aggeres Neptunus et totam terram sua[m] replevit amaritudine, loca tamen superiora statim deseruit, sed in inferioribus exspacians ruptis obstaculis versus Silvas[34], moram fecit odiosam. Siccitas magna secuta est. Collecta est messis ordei, quod debile fuit tam culmo quam arista et tenue. 14. vero[n] Kal. Octobris, Sept. 18.
luna[o] 29. effudit se occeanus, et terram totam optinuit, et que sicca fuit paulo ante, repleta est amaritudine. Eodem tempore magister Iohannes Xantensis, verbi crucis predicator, cum disposuisset stationes per loca, prohibitus est invidia occeani.

Anno quoque conversionis ipsius 14. in medio Ianuarii magna rabies fuit ventorum et 1222. Ian.
circa anniversarium diluvii pristini sub titulo beate Iuliane; unde rursus formidabant subversionem. Quid[p] igitur utilius orent nisi verba prophetiae: *Quousque irasceris super* Ps. 79, 5. 6.
orationem[q] servi tui? qui non inimicis sed etiam factis servis tuis irasceris. Orarent utique et dicerent: *Cibabis nos pane lacrimarum et potum dabis nobis in lacrimis in mensura*[r]. *Transeat ira a servis tuis Domine, ne in eternum damnemur. Scis enim, quamdiu utilis erit castigatio, et tamdiu pascemur et potabimur huius vite doloribus ad sufficientem eruditionem in mensa.* Dicant ergo universi supplicando: *Quia in nos, o Deus, a te nobis illate non transierunt ire afflictionis tue; sed adhuc terrores tui conturbant.* Quia quod accidit et accidere potest, non imprudenter timetur. Promittit enim aut *etiam facit Deus misericorditer * col. 62.
tribulationem, nec alimentum subtrahit sed desiderium movet, et misericordia suavis est patienti, sicut panis esurienti. Siccitas arefecit paschua; herba ordei et avene brevis fuit et rara, sed Silve abundabant siligine. Veruntamem si tellus irriguum superius suo tempore aliquot ebdomadibus habuisset, famem frugum ubertate depulisset, decursis iam tribus annis et mensibus sex. Hic est annus septimus ab incursu Orientalium Frisonum 1216. Aug. 10.
in Fivelgoniam in die beati Laurentii contra Hrodbernum[s] et generum suum et ceteros parentes, quorum domus incineratae sunt et consulum terre ex parte. Contremuit tota 1222.
terra propter iuratos, quos universitas Frisonum de more vetustissimo creaverat apud

---

[a] illicite *prius, rad. corr.* 1. [b] luna — littera E *des.* 2. [c] II. septenario *M. supplendo, et recte quidem.* [d] estuavit 2. [e] *deest* 2. [f] Theodoric. 2 *semper.* [g] ibi 2. [h] Tellus — querentibus eterna *des.* 2. [i] mac^a *cod.* [k] luna — occeano *des.* 2. [l] spē 1; spes *M.* [m] sua *deest* 2. [n] Nonarum 2. [o] luna — amaritudine *des.* 2. [p] Quid — panis esurienti *des.* 2. [q] orom͡ *cod.* [r] n. ī. la. ī. 1. [s] Rhodb. 2.

[31] *per totum* significant, per totam quaestionem 1. de hac re tractari. [32] c. 100. [33] c. 7.
[34] Territorium pagi Fivelgo, dictum *Durswolden* seu postea *de Woldstreek*.

1222. Upstellesbome[a][35]. Idem ipse est annus, in quo vinculum societatis Fivelgoniae et Hunesgoniae[b]
Aug. 4. secundo Nonas Augusti pene scissum est occasione iniuriae cuidam illate, instigante
Eppone Rembada[c] de Monemawalda[36], cuius domus incendio vastata est, et multi de
Sept. 1. parte Fivelgoniae[d] cesi occubuerunt. Pluviae vero in capite Kalendarum Septembris et
deinceps leserunt messem ordei, avene, feni. Luna autem 14, proxima die post festum[e]
Oct. 22. undecim milium virginum, facta est eclipsis lunae. In Augusto vero stella multis incognita flammivoma ab aquilone apparuit multis noctibus. Quam propter ignitos radios, quos sursum spargebat, cometam fuisse existimant[f], que, ut dicitur, regni mutationem aut[g] pestilentiam sive bellum vel estus ventosve portendit[37]. Unde[h] quidam poetarum dixit:

Prepes sanguineo delabitur igne cometes,
Prodigiale rubens; non illum navita tuto,
Nec impune vident populi, sed crine minaci
Nunciat aut ratibus ventos, aut urbibus hostes.

Pluribus autem diebus quam 7 visa est, sed nondum per 80[38]. Dicunt quidam, quod non sit stella, sed ignis, iuxta voluntatem Creatoris ad aliquid designandum. De ea dicitur, quod ante destructionem Iherusalem multociens visa sit ad modum gladii bis acuti. Est enim, attestante Daniele[39], Deus in celo, qui revelat misteria, mutat tempora, transfert
* col. 63. regna, ut universi *cognoscant, quod dominatur excelsus in regno humano, et cui voluerit, dabit illud. De eclipsi dicunt, quod dum sol est in inferiori emisperio, luna in superiori, terra in medio, tumor terre interpositus non permittit radios solis ascendere ad lunam. Patitur enim eclipsim, sed nonnisi in 15. luna, quia tunc est soli opposita; non tamen omni 15, sed quando contingit, in ea contingit.

1222. Eodem anno summo pontifici domno Honorio pape occurrit illustris imperator Frethericus
Apr. aput urbem Campaniae Alatre[i][40], et illic cum episcopis et proceribus imperii de negotio terre sancte tractaverunt, et in festo beati Martini Verone concilium[k] celebrari statuerunt.

Arguebat[l] se plerumque inquietum curiositate vanitatis inter prospera et adversa. Circa que dupliciter movebatur, appetitu et metu. Nam nec appetitum cohibebat mente, iusticia mediatrice, ut Deum gratis diligeret, nam iusticia et iudicium preparatio est sedis eius, nec clavo fortitudinis confixit metum, ut etiam oculata fide cum propheta psalleret:
Ps. 30, 4. *Quoniam fortitudo mea non in terrenis, et refugium meum es tu, in quo solo est securitas.*
Sicut enim hii duo affectus quasi pedes curiose mentis; alter fugiendo quod timet, alter
Ps. 106, 26. eligendo quod appetit. De quorum ascensu et descensu terribiliter dicitur: *Ascendunt,* rectores videlicet ecclesie, *quandoque*[m] *pro temporali habundantia, quandoque*[m] *prosperitate religionis; eriguntur contra Deum et descendunt usque ad abissos gravium peccatorum, et anima eorum in malis ascensus et descensus tabescit.* Porro contra prospera et adversa interpellat ecclesia caput suum merito martirum suorum dicens: *Ex eorum imitatione tribue nobis prospera mundi despicere*[n], *et nulla eius adversa formidare*[o]. Hoc oraculo sero a somno concupiscentie excitatur et convaluit. Expertus est vires vel potentias animi detestabili sopore curiositatis enervari[p], sensum quoque ymaginandi presentia, preterita et futura, intellectum quoque, qui vis est cernendi et capiendi invisibilia; ipsam rationem, que vis
* col. 64. est discernendi species et genera ymaginum. Denique *ipsam mentem concupiscentia aggreditur, ut fallat ambitione honoris ad gloriam, potentie ad superbiam, ad habendum et retinendum plus iusto temporalia, etsi non in habitu, qualitate scilicet mentis difficiliter mobili, inflexione tamen favoris vel detractionis, quibus quatitur mens, in respectu videlicet claustralium, ceterorum consumationem etiam omnibus, non tantum virtutum exerciciis

[a] upstellesbame 1; vpstallesbome 2 [b] hunesg̃. 1. 2. [c] Rhembada 2. [d] fivelg̃. 1. [e] die festi 2. [f] existimabant 2. [g] ad 2. [h] Unde — in ea contingit *col.* 63 *des.* 2. [i] de latere 2. [k] consilium 2; *similia fere semper.* [l] Arguebat — appareat peccatum *col.* 66 *des.* 2. [m] q̃n; 1. [n] desp̃. 1. [o] adũ for. 1. [p] venerari 1, *manus moderna corr. partim radendo.*

[35] Locus prope Aurich in Frisia Orientali. [36] Iam non exstat; in Fivelgo certo situm fuit. [37] Cf. Isidori Etymolog. III, 71: *Cometes — aut pestilentiam aut famem aut bella significat;* melius autem concordat Beda De natura rerum c. 24: *Cometae — regni mutationem aut pestilentiam aut bella vel ventos aestusve portendentes.* [38] Hoc etiam ex Beda l. c. [39] Dan. 2, 28. [40] Non Alatri sed Verali hoc colloquium habitum est, v. Böhmer, Reg. Imp. p. 120.

sed et rebus equare contendit, oblita doctoris egregii dicentis: *Ille non est arundo vento agitata, quem a status sui rectitudine nulla varietas rerum flectit.* Nam ut dicit beatus Augustinus: *In temporalium provisione regnum Dei cogitetur; in milicia regni Dei temporalia non cogitentur.* Hec est, que orationis suavitatem, ungenti videlicet primi, quod a caritate Christi nascitur muscis, sollicitudinum et occupationibus rerum et negociorum facit[a] vilescere hilaritatem largiendi et virtutem macerandi carnem, transitorie, non scrutabiliter fieri usu et amore sui procurat. Hec esse advertit detrimenta et damna cancerose cupiditatis et alia innumera. Sancti vero scientia pollebant vi rationis utpote inferiori, per quas res terrenas et negocia seculi rite disponebant, qui teste beato Gregorio omnia simpliciter aspexerunt, et in hiis que viderunt rapacitatis studio non trahebantur. Intelligentiam quoque divinorum habuerunt, que oculum mentis illuminabat ad contemplationem eternorum, et sapientiam spiritualis iocunditatis de utroque provenientem, presertim de archanis Dei pleni erant. Sane testimonio conscientie gaudebat et de Dei gratia presumebat, quia stimulum timoris et amoris Dei in corde pro modulo suo sentiebat, sicut dicitur: *Letetur cor* Ps. 85, 11. *meum, ut timeat nomen tuum, Domine;* et recolebat iugiter detrimenta inexorabilis fragilitatis humane et caliginem invincibilis ignorantie. Natura enim hominis ad bonum se habet et ad malum ex libero arbitrio; et arbitrium quidem, videlicet habilitas rationabilis voluntatis, ad aliquid esse potens dicitur et ad aliquid infirmum; quia liberum est ad bonum et ad malum, et mala voluntas ex homine est et a diabolo; et ad aliquid infirmum, quia opus habet gratia ad eligendum bonum, et bona voluntas a Deo est. Siquidem *bonis et malis *col. 65. Deus offert gratiam. Sed per hanc, nisi perseveret, nemo bonum operatur. In bonis perseverat, ut iam incipiant bene[b] et velle et operari. Et hec in illis ex iusticia Dei perseverat; non quod ipsi boni vellent ipsi gratie adherere, — quia nec vellent, nisi gratia perseveret, — sed quia Deus videt quosdam tales, qui, si gratia adiuvans perseveraret, ipsi gratie vellent adherere, quod velle nunquam in actu posset haberi, nisi gratia perseverante. Ibi itaque coniuncta sunt misericordia, que optulit, et iusticia, que perseverare facit. Iustum quippe est, ut gratia ei[c] non subtrahatur, qui erat ei, si perseveraret, consensurus. Malis vero gratia subtrahitur ex iusticia, quia Deus videt illos tales esse, quibus etiamsi gratiam conservaret, illi tamen ex arbitrii libertate nollent consentire, et oporteret gratiam, que neminem compellit, in illis ad bonum velle compellentem esse. Itaque simul sunt subtractio gratie et malum velle et operari; sicut in bonis simul sunt gratia perseverans et bonum velle et operari. Prescientia ergo Dei manet secundum gratiam, quia gratia aspirans tales facit, quales previdit. Gratia vero secundum iusticiam; iusticia autem eius in filios filiorum, et iusticia eius sicut montes Dei. Hii sunt iusti, qui per iusticiam fiunt montes Dei. Sed ne queratur, cur quidam eliguntur, quidam reprobantur, preveniens propheta dicit: *Iudicia tua, abissus multa,* videlicet inscrutabilis profunditas est, quam Ps. 35, 7. homo non attingit. Unde dicit beatus Augustinus: *Quare Deus quosdam trahat, quosdam non, noli investigare, si non vis errare.* Ecce descensus quasi ad inferos titubantis conscientie, sed, o Deus, etiam si descendero ad infernum, ades. Advertit quoque oraculum apostoli quasi quoddam canticum ascendendi usque ad spem que est certitudo futuri premii. Spe enim salvi facti sumus, et beatus est, qui habet eum in spe, qui est omne bonum. Ait enim: *Gloriamur in tribulationibus nostris, scientes quod tribulatio pacientiam operatur,* Rom. 5, 3-5. *pacientia probationem, probatio spem. Spes autem non confundit, quia caritas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Unde illud: *Si sumpsero pennas* Ps. 138, 9. *meas diluculo,* videlicet geminam caritatem, *quasi volaturus ad extrema mundi, etenim illuc ad extrema mundi manus tua,* id est virtus, *deducet me.* Caritas vero pro signo est Spiritus sancti, qui *in mente est, illa, dico, que est de corde puro et conscientia bona et *col. 66. fide non ficta. Siquidem ipsius animus movebatur frequenter cogitare severitatem regule, emendationem vite, remedia anime, diversos quoque articulos temperantiae in rebus et personis, ut quasi diversis mansionibus more Hebreorum ad terram pertingeret promissionis. Et voluntas, que bonorum esse dicitur, — nam mali cupiditatem habent, — urgebat operari principaliter propter honorem Dei et utilitatem proximi, in quibus teste sapiente quodam constat cor purum. Porro conscientia bona dinoscitur esse in penitentia et continentia. Denique pacientia, omnium scilicet iniuriarum remedium, que est in caritate,

---

a) fac̄. 1. b) bn̄ 1. c) Dei *H*.

fructuosam facit penitentiam, quando usus eiusdem penitentie vertitur in consuetudinem, Gal. 2, 20. consuetudo quasi in novam naturam; ut possit ille dicere: *Vivo iam non ego, vivit vero in me Christus.* Siquidem ad veterem naturam, que similia de similibus operatur[a], pertinent illecebre sensualitatis, cui serviunt quinque sensus, per quos oblectamenta huius mundi influunt ad replendum appetitum carnalitatis; ad[b] novam angustie cum debito fine[b], ut[c] si comedat religiosus, dirigat motum ad hunc finem, ne deficiat in Dei servicio; si esurit, esuries eius ad hoc dirigatur, ut caro afflicta redigatur in servitutem. Pacientia itaque per penitentiam ad serviendum Deo reddit hominem velut insensibilem, quod fit spiritu consilii, qui intercidit flammam ignis, id est fomitem peccatorum, ut peccatum, quod est in carne, iam non appareat peccatum.

1223. Ian. 27. Anno conversionis eius 15, 6. Kal.[d] Febr., postquam affricus et zephirus[e] chorus[f] imbres largos sparsissent, quos interim flatibus suis sursum in aera trahentes et in nubes condensantes, de eisdem nubibus deorsum proiecerunt per nubes collisas, que ex aquis per ventos elevate et conglobate, de quibus venti idem inclusi, ut asserunt, volentes irrumpere magno murmure tonuerunt, et fulgura excussa micuerunt. Verumtamen ille solus sapiens et potens, cuius altum potentia, profundum sapientia, longum et latum veritas et caritas, novit plene causam tanti terroris super terram, mare et omnia que in eis sunt. Rumor fuit terre motum fuisse aput Brixam civitatem Longobardiae[41]. De terre motu dicunt, quod venti concavis locis inclusi, qui de spiramine aquarum concipiuntur, qui et spiritus pro-* col. 67. cellarum* vocantur, *dum erumpere gestiunt, terram tremere faciunt. Hinc fit terre hiatus in locis fragilibus continuis aquis, que facile rumpuntur. Hoc autem est in terra tremor, Apr. 17. quod in nube tonitru. Hic hiatus, quod ibi fulmen[42]. 15. vero Kal. Maii frustra taurus prodiit, quia agricole parum operati sunt. Quippe gelicidium et pruine terram concludens, insuper pluvia immoderata, sinum terre siccari non permiserunt, nec superficiem; et sic non multo minus dulcis quam salsa aqua[g] fecit nocumentum. Ecce secundum interpretationem Ioseph super somnio Pharaonis, qui vidit boves obesas secus fluvium a macris totidem devorari, superfluitas aquarum adducit famem et multimodam miseriam, et adhuc manus Domini non est remissa, qui tamen populum sibi peculiarem nonnisi post longam afflictionem, in qua contradixere ducibus sibi a Deo preordinatis, suspirantes et dicentes: Exod. 5, 21. *Fetere fecistis nos coram Pharaone,* liberare distulit. Quia secundum prophetam adiutor est in oportunitatibus, in tribulatione, si quando oportunum et salubre est, et quando gratior est liberatio. Sperabunt igitur in te, qui noverunt nomen tuum, quod est: *Ego sum qui sum,* ex hoc tua ope equanimiter ferentes mutabilia. Orabunt ultra pro pace populi et Ioel 2, 17. ecclesie, et pro peccatis suis orantes: *Parce, Domine, parce populo tuo et ecclesie tue*[h]. Utique quia, si in continenti quod peterent, acciperent, semper tamen rogandus est Deus, ne quando perderent, et non debet esse fastidium petendi, ut largitas donatoris non habeat Aug. 15. defectum. Accessit memorabile festum assumptionis beate Virginis, in quo post peracta missarum sollemnia inundantia pluviarum fosse et depressa[i] terrarum quasi lacus adimplentur, et campi in stagna aquarum conversi sunt. Et[k] videres lacteas adhuc, cum iam regio alba deberet esse ad messem. Ecce elementa contra peccatores pugnant; celi cometem miserunt, aer immoderatam inundantiam; terra sterilitate, mare subversionis horrore triumphavit. At tu, christiane, qui afflictionibus erudiendus es, dicas: *Iustus es, Domine, in disponendo et iustus es in operando. Miserationes tue super omnia opera tua*[43], *et ira super* * col. 68. *opera diaboli.* Periit feni copia ex[l] parte maxima et messis precipue *vernalis late per multas provincias. Arbores olim fructifere poma negabant et vindemia diu dilata est. Adhuc extendit manum suam Altissimus, ut eo feriret fortius in retribuendo.

1224. Mart. 11. Anno conversionis 16, bissexto intrante, 5. Id. Mart.[m] vigilia beati Gregorii rusticus tellurem scindere et fabam serere debitis se armavit instrumentis. Negociorum[n] enim diversa sunt genera. Medicina bona est, quorum ordini convenit; mercatura si tenuis est,

* Philippus rex Francorum obiit; Lodewicus succedit ei, *in imo marg. manus secunda* 1.

---

a) similibus oper *vix legi possunt* 1. b) *loco* ad — fine *leg.* et concupiscentiae *H.* c) At *H.* d) 6. Kal. — non habeat defectum *col.* 67 *des.* 2. e) affricus ⁊czephirꝯ 1. f) eurus *H.* g) *supplevi; deest* 1. h) q̄s d. et cet. *add* 1, *quae solvere non valeo.* i) depressarum 2. k) Et — in retribuendo *des.* 2. l) media *sequebatur*, *statim deletum* 1. m) bissexto — Mart. *des.* 2. n) Negociorum — dignius *des.* 2.

41) a. 1222. secundum Ann. Colon. max. 42) Cf. Bedam De nat. rer. c. 49. 43) Cf. Psalm. 144, 9.

sordida est; agricultura nil melius, nil uberius, nil homini libero dignius. Circiter festum 1224. Gerthrudis erexit se libisticum et lilium, rediit temperies vernalis et color campis premortuus; Mart. 17. in ortu arietis 15. Kal. Aprilis croceos flores erexit et salices foliis cepit vestire. Mart. 18. Idus vero Maii magister Oliverus Groninge ingressus est cum magno favore tocius populi, feria 4. Mai. 15. Deinde feria sexta Bedum[44] stationem habuit; proxima[a] dominica Winchium[45], ubi multos Mai. 19. divites signavit. Pertransiit autem Fivelgoniam in tribus stationibus Loppersum[b], in Foro[c, 46], Fermesum[47], una in Menterne[48], et duabus in terra Hreidensi[d]. Post[e] quas sabbato sacro Iun. 1. pentecostes et die sacra[f] in Florido Orto pausavit. Secunda vero feria ingressus est Iun. 2. 3. Emesgoniam et stationem habuit Huttum[49]; deinde Husum[50], in multa spe reconciliandi illam gentem; sed iter[g] non profecit. Quapropter reversus est Husdengum[h], et habita ibidem statione declaravit quatuor iudices cruce signatorum, et rediit Coloniam obviam domno Conrado cardinali Portuensi, tunc legato tocius Teutoniae. Qui postmodum concilium proposuit cum episcopis celebrare, sed propter occursum Fretherici imperatoris dilatum est. Iudicibus igitur magister Oliverus[i] tale dedit mandatum: *Ad concilium domni Portuensis episcopi, sedis apostolice legati, pro negocio crucis principaliter nos oportuit accedere. Ideoque quia[k] fidelitatem vestram et industriam experimento didicimus, negocium crucis, quod nobis a summo pontifice commissum est, vobis tam in Groninge quam per totam Frisiam Monasteriensis diocesis[l] committimus in absentia nostra[m], sive in terra pacanda et armis deponendis, sive in causis signatorum. Quia si non omnes* etc.[n] *Formam quoque expressit * col. 69. sacerdotibus ad parochianos suos, ut in exhortando nulli darent crucem, qui nec corpore[o] nec rebus terram sanctam posset iuvare. In qualibet ecclesia poni iussit truncum, sicut in priori predicatione, et processionem fieri in quolibet mense; et singuli sacerdotes darent indulgentias decem[p] hiis, qui secundum facultates offerrent; et de hiis quinque[q] in carinam[51] computarent et quinque[r] in annalem penitentiam. De indulgentia vero quadraginta dierum quatuordecim dies computarentur[s] ad carinam, reliqui in annuam penitentiam. Reconciliandi ecclesiae tantum ab uno subdelegatorum introduci deberent, si tamen[t] personaliter crucem acceperant. Nam nulli robusti signari debebant ad redimendum. In absentia vero sua talibus litteris salutavit prelatos Frisie:

Honorabilibus in Christo viris, dilectissimis abbatibus, prepositis, decanis, consulibus et populo Frisie Oliverus[u] servus empticius crucis[v], Coloniensis scolasticus, verbi crucis minister, vitam bonam et exitum felicem. Laudans Deum[w] laudabo, gaudens in Domino gaudebo, nuncians nunciabo profectum negocii[x] crucis. Nam postquam a vobis recessi, landegravius[y] Thuringie[52], regis Ungarie[53] gener, miles iuvenis et in armis strennuus, dives ac potens, crucem transmarinam accepit, et cum eo decem comites, milites etiam[z] plurimi et popularium turba, que dinumerari non potest. Notum preterea vobis esse cupio, quod Dani cum provincia Bremensi et Coloniensi navalem exercitum preparant. Unde vos moneo, quatinus constantes et perseverantes esse velitis in apparatu navium secundum formam temporis, quam vobis prescripsi, cum aput vos essem. Illud etiam scitote, quod domnus imperator de Sarracenis Sicilie[a] triumphavit.

Reversus est tandem 4. Idus Iulii et stationem habuit Groninge; deinde proxima dominica Frodawalda[54] in loco harenoso; deinde Sutherhusum[55]; deinde Dockum[b]. Et recepit Iul. 12. Iul. 14. eum[c] gens illa honorifice, et commisse sunt ei[d] dissensiones terre illius terminande, que diu convaluerant inter duo castella, Thitardi[e] videlicet et Wiggeri[f], cui favit totus populus

---

a) vero *add.* 2. b) lopp̃. 1; loppessem 2. c) Loppersum, Berumum *H.* d) Rheidensi 2. e) propter 2. f) sacro 2. g) tunc 2. h) Husdengoniam 2. i) O. 1. k) quia *deest* 2. l) episcopis 2. m) absentiam nostram 2. n) Quia — etc. *des.* 2. o) non corporaliter 2. p) dierum *add.* 2. q) quique 2. r) quicunque 2. s) computarent 2. t) tantum 2. u) O. 1. v) crucis *deest* 2. w) in domino 2. x) *deest* 2. y) lantgravius 2. z) autem 2. a) Ciciliae 2. b) Doccum 2. c) illum 2. d) illi 2. e) Thiterdi 2. f) Viggeri 2.

44) Bedum seu Beem prope Groningen ad septentriones. 45) Winsum in pago Hunesgo prope Hunse fluvii flexum. 46) Hunc locum esse Appingadam, non vero Westeremden, ut vult Alting, contendit vir d. Acker Stratingh in Bijdragen tot de Geschiedenis van Groningen VI, 50 sq. Occurrit etiam in Continuatione ad a. 1280. 47) Farmsum. 48) Menterne in praefectura antiqua (Oldamt) situm. 49) Uttum in pago Federitgo. 50) Groothusen praepositurae olim sedes. 51) Carina est dierum quadraginta ieiunium. 52) Ludewicus IV. 53) Andreae II. 54) Vredewold regiuncula pagi Hugmerchi a Groninga ad occidentem. 55) Suirhuisum in eodem pago in sinistra Lavicae ripa et in territorio Achtkarspelen situm.

*col. 70. propter seditionem et rebellionem prefati Thitardi[a]. Transiit deinde ultra *Bordenam[56]. 1224. Deinde* reversus est et formam compositionis inter prefatos enunciavit. Et accepta licentia et valedicto, iter eundi Groninge arripuit, volens redire in Emesgoniam ad sopiendam discordiam gentis illius, que iam crebro per nuncios invitaverat ipsum, volens regi consilio ipsius. Cunque in itinere esset eundi Groninge cum religiosis viris et secularibus honestis et propter treugam crucis sine armis pergentibus, supervenit prefatus Thitardus[a]; et simulans se pacis colloquium habiturum cum magistro, paulum ipsum a consortio societatis traxit et corripiens equum, irruit in virum honestum[b] Eltetum [in den Oert, capitaneum][c] de Iul. 27. Midlestum[d. 57], et caput eius gladio percussit[e] 6. Kal. Augusti, concurrentibus in idem scelus et ferientibus impiissimis sociis suis brachia et crura illius militis Christi[f] cruce signati, post frequentes indulgentias peccaminum suorum; qui ut creditur odivit ecclesiam malignantium et cum impiis non sedit. Anima eius requiescat in pace[g].

1223. Anno eodem, anno inquam Domini 1223.[h], Herdricus prepositus de Skeldwalda[i], dum plena auctoritate episcopi fungeretur et nimis insolesceret, tum quia acephalus[58] erat, tum quia diviciae ei affluebant, in quibus speravit, et precipue de brachio episcopi, quia dixit plane se non curare, quid universi religiosi sentirent, dummodo in gratia episcopi consisteret, motus est igitur prepositus et conventus Floridi Orti contra eum zelo[k] Phinees, qui coeunti cum Madianitide non pepercit[59]. Et iste Madianidem amavit, quia iudicia Dei non custodivit. Madian nanque *declinans iudicium* interpretatur. Ille nanque excommunicavit et solvit pro pecunia, ecclesias et clausit[l] et aperuit clave cupiditatis, preter ebrietates et comessationes suas. Eodem anno dictus prepositus[60] cum tribus abbatibus Frisie, duobus noviter institutis, ivit Premonstratum. Ubi facta mentione predicti Herdrici[m], breviter domnus Conradus Premonstratensis abbas[60*] dedit litteras capituli abbatibus de Orto sancte Marie, de Dockum, de Valle beate Virginis[61], ut eundem sub pena asscripta in Frisia habere *col. 71. *respectum compellerent; quarum tenor hic erat:

Conradus[n] Premonstratensis dictus[o] abbas et abbatum eiusdem ordinis capitulum generale de Orto sancte Mariae, de Dokkum, de Valle beate Virginis abbatibus salutem in Domino. Intelleximus relatione abbatis de Hamburna[62], qui auctoritate generalis capituli circationis[p] officio in Frisia functus erat, duas esse in Frisia preposituras, quas tenent frater Herdricus[m] et frater D.[q], quibus abbas prefatus auctoritate ordinis preceperat, ut infra certum tempus, videlicet quadraginta dierum, secundum debitum ordinis Premonstratensis, quem[r] professi sunt, paternitatem sibi procurarent. Quod quia facere contempserunt, pena excommunicationis iure punire possemus eosdem, nisi fecunditatem ficulneae[s] sterilis per patientiam expectaremus. Quia igitur libertas secundum apostolum multis velamen malicie fore dinoscitur, vobis in virtute obediencie stricte precipimus, ut prefatos prepositos auctoritate capituli Premonstratensis ad presentiam[t] vestram citetis et sub pena suspensionis et interdicti precipiatis eisdem, ut ante nativitatem Domini secundum debitum ordinis alicuius abbatiae in Frisia paternitatem sibi eligant. Quod si facere contempserint, extunc suspensos et excommunicatos, sicut acefalos, auctoritate ordinis et nostra denuncietis.

1224. Ian. 25. Et premissis citationibus postremo anno Domini 1224.[u] in conversione sancti Pauli pro contumacia excommunicatur. Sed ille extraordinarie Romam appellat[v]. Cuius excommunicacionis denunciatio transmissa est episcopo, qui consuluit, ut mitteret Premonstratum; quod et fecit. Et optinuit revocatorias ad Clarholtensem[w] et Varlerensem[x], ut ipsi accedentes de statu suo cognoscerent, et cessare a procuratione episcopi et respectum habere etiam in Westphalia persuaderent; quod si non faceret, Premonstratum citarent. 1224 Tales etiam litteras misit ei abbas Premonstratensis:

---

* Ventus validus excussit segetes 3. Non. Aug. *in marg. superiori manus secunda* 1.

a) .th. 1. b) in nobilem et honestum virum 2. c) *uncis inclusa add.* 2. d) in Middelstem 2. e) anno 1223. *add.* 2; anno 1226. *add. H.* f) *deest* 2. g) *sequuntur tres lineae vacuae* 1. h) Anno Domini 1225. *H.* i) Skelwalda 2. k) zelo — interpretatur *des.* 2. l) ecclesiis clausit 2. m) .H. 1. n) C. 1. o) *deest* 2. p) curationis 2. q) N. 2. r) quae 2. s) *deest* 2. t) penitentiam 2. u) 1235. *H.* v) appellavit 2. w) Clahostensem 2. x) Valerensem 1.

56) Boerdiep seu Boorn fluvius. 57) Midlestum vicus maximus pagi Hunesgo, praepositurae Usquert. 58) Ecclesiae praefuit, quae sub paternitatis titulo nulli monasterio addicta erat. 59) Cf. Numer. 25. 60) Emo scilicet. 60*) De Conrado abbate cf. supra p. 365. 61) Coenobium infra p. 503. etiam dictum Nova Ecclesia et vulgo O. L. Vrouw ten dale situm erat prope Dokkum. Abbas in Gestis abb. Horti S. Mariae c. 1 a. 1230. audit Sigehardus. 62) Hamborn prope Duisburg.

Conradus[a] *Dei pacientia dictus abbas Premonstratensis dilecto in Christo filio Herdrico*[b] *preposito in Skeldwalda*[c] *salutem et sinceram in Domino caritatem. Cum didicerimus, te regularem vitam elegisse et gerere habitum in nostro ordine assuetum, propositum tuum plurimum in Domino commendamus, monentes te ob salutem tuam et ob ordinis honestatem, ut eligas aliquem religiosum locum de nostro ordine infra diocesim Monasteriensem, ad quem habeas respectum ratione paternitatis et de* **quo recipias et visitationes et consuetudines ordinis approbatas.* * col. 72. *Credimus enim, quod hoc ipsum et tue honestati expediat pariter et saluti, nec in aliquo erit iuri tui episcopi*[d]*, quem*[e] *honorare volumus, derogatum, cum presumamus, quod augmentare velit pocius quam minuere ordinem nostrum episcopus memoratus. Super eo autem quod dixisti in litteris tuis ad nos missis, quod secundum mandatum*[f] *circatorum*[g] *accessisti ad venerabilem fratrem nostrum prepositum Cappenbergensem, obedientiam facturus eidem, non es redarguendus, immo merito commendandus, cum bene placeat nobis, ut recipiaris ab ipso, si gratiam inveneris aput eum*[h]*. Super eo vero quod postulasti in calce litterarum tuarum, ut duabus vel tribus sine suspitione personis preciperemus*[i]*, quod de omnibus circumstantiis cause et loci inquirerent veritatem, scias quod in hoc exaudivimus preces tuas, prout videre poteris in nostra commissione ad Varlerensem*[k] *et Clarholtensem*[l] *emanante. Hoc siquidem scire te volumus, quod si dilexeris ordinem, ordo te diliget et honorabit etiam*[m] *in quantum cum sua poterit honestate.*

Herdricus itaque cognito quod littere contra ipsum essent allate, plenus potestate et ira in superbiam exarsit; et[n] credens prefatum conventum conculcare, quemadmodum Iulianus Basilium, et extinguere, ut Arioch[o] sapientes Babilonis[63], confinxit multa contra prefatum prepositum et conventum. Et faciens A. notarium episcopi scribere singula, deputavit P. et A. de Loppeshem[p] decanis, ut super illis peremptorie in purificatione sancte Febr. 2. Marie eundem prepositum citarent Monasterium. Qui ad cumulum depressionis more adulantium, qui[q] semper dicunt: *Euge, euge*, in cetu laicorum executionem citationis fecerunt circiter festum beate virginis[r] Lucie. Igitur prepositus[s] multis ex causis Romam appellavit; 1223. Dec. 13. et tamen Monasterium missus est frater Paulus[t] procurator, qui appellationem illam sollemniter innovavit. Cum ergo pendente appellatione nichil innovari debeat, ille precursor antichristi sedens[u] in insidiis, sub cuius lingua labor et dolor, quia nocentior[v] fuit lingua illius labore, quem ingessit, sabbato proximo dominicae quinquagesime facto congregavit 1224. Mart. 2. clerum et per litteras episcopi mandavit prefatum prepositum et conventum excommunicatos *denunciari, ita ut nullus in terra vel eis quicquam venderet vel ab eis compararet, * col. 73. contra decreta Romanorum pontificum. Quod ne fieret, frater Paulus[w] procurator conventus secundo Coloniam appellavit, nuncio iam Romam destinato. Interim supplicatum est ecclesie Premonstratensi per litteras prefati conventus et magistri Oliveri in[x] hunc modum:

Reverendo in Christo et venerabili domino et patri Conrado[a] *Dei providentia Premonstratensi abbati Emo*[y] *Dei gratia dictus abbas Floridi Orti salutem et tam devotam, quam debitam cum orationum sinceritate obedientiam. Notum sit paternitati vestre, quod claustrum quod Floridus Ortus dicitur, in quo Deo auctore in regimine deservio, domno Gervasio antecessori vestro suisque successoribus optuli immeditate sancte Premonstratensi ecclesie, circa fratrum meorum et domus cupiens vigere sollicitudinem. Affectu itaque meo pensato, locum istum in filiam suscepit et affectum suum spopondit circa eundem indesinenter vigere, et ne rem hanc aput posteros in oblivionem venire contingeret, suis voluit litteris confirmare, quarum hic formam duxi breviter inserendam: „Ego*[64] *Gervasius Dei pacientia Premonstratensis abbas omnibus in perpetuum. Notum esse volumus tam presentibus quam futuris, quod cum ecclesia Floridi Orti in Frisia per Dei gratiam dilatari cepisset, ita quod surgens de paupere fundamento iam haberet incrementum*[z]*, quam vir religiosus Emo eiusdem loci prepositus gubernabat, qui fuit*

---

a) C. 1. b) H. 1. c) Skelwalda 2. d) capituli 2. e) iuri episcopi Monasteriensis aut sui capituli quod *H.* f) nostrum *sequebatur, a scriba ipso deletum* 1. g) curatorum 2. h) ipsum 2. i) reciperemus 2. k) Varlerum 2. l) Chaholt^{2} 2. m) etiam — honestate *des.* 2. n) *deest* 2. o) Arioth 2. p) loppesh̄ 1; loppessem 2. q) qui — euge *des.* 2. r) virg. *deest* 2. s) *deest* 2. t) P. 1. 2; *supplevi ex col.* 76. u) sedens — ingessit *des.* 2. v) innocentior *H.* w) P. 1. x) in — gratie 1217. *col.* 74 *des.* 2. y) E. 1. z) *correxi ex col.* 22; conventum 1.

63) Cf. Daniel 2. 64) Eandem chartam v. supra col. 22.

1224. *unus de duobus primis inhabitatoribus et fundatoribus dicti loci, idem prepositus tandem veniens ad generale capitulum Premonstrati*[a] *se optulit et locum suum ecclesie et ordini Premonstratensi, quem elegerat et professus fuerat a primis commisse sibi ecclesiae fundamentis, ipsamque Premonstratensem ecclesiam immeditate matrem elegit, ut ecclesia Floridi Orti tanquam specialis filia Premonstrati per Premonstratensem abbatem tanquam per patrem regatur, secundum quod exigunt ordinis instituta. Nos autem devotionem ipsius et suorum in Domino commendantes, sicut erat merito commendanda, recepimus eum in filium et ecclesiam suam* * col. 74. *in filiam specialem. Ne igitur futuris temporibus * super hoc possit aliquis scrupulus suboriri, presentes litteras in testimonium rei geste conceptas sigilli nostri appositione duximus roborandas. Actum anno gratie* 1217." *Harum intuitu litterarum supplico, ut filie vestre solitam impendere dignemini pietatem, et contra pravorum violentias consilio et scripto vestra prompta sit defensio. Verum quia tribulatio proxima est, ad vos suspiro, sperans, quod iniuriae meae vobis exposite vestram movere debeant pietatem. Quidam itaque*[b] *Herdricus dictus prepositus de Skeldwald inordinate vivens*[c], *factus officialis et exactor domni episcopi Monasteriensis, occasione continue procurationis decanatus nimis procurationem, quam foris pretendit, per insolentias plurimas confundit, ut ei cui venando pecuniam se*[d] *probavit, possit placere. Qui inter cetera, que ordini*[e] *ingerit scandala, cum se auctoritate vestra et capituli generalis ad eligendam paternitatem sensisset urgeri, me tanquam huius coactionis cooperatorem ab episcopo Monasteriensi in vindictam maliciose*[f] *criminari et gravari persuasit. Cunque super iniuria episcopi legitime sedem apostolicam appellassem, dictus prepositus sive ex mandato episcopi sive non, contra privilegia ordinis et iuris, me et fratres meos excommunicatos denunciari fecit, humanitatis beneficium et vite necessaria ab aliis percipienda prohibendo, que etiam, sicut optime novit vestra discretio, in articulo necessitatis iuste excommunicatis propter excommunicationem non sunt amputanda. Hanc igitur inauditam coram vobis, pater*[g], *depono querelam, supplicans ut de Orto sancte Marie et de Dokkinge*[h] *abbatibus viris religiosis detis in mandatis, qui si hec ita invenerint, plene corrigant et ipsum ad resarcienda damna per eum fratribus data per penam suspensionis et excommunicacionis compellant; et nichilominus sententiam excommunicacionis, quam contra ordinis privilegia tulit, nullam esse, publice denun-* * col. 75. *cient. Preterea*[i] *supplico, quatinus super ordinis disciplina * adeo vestra invigilet discretio, ut sepe dicto preposito Herdrico*[k] *correcto, tantum vobis aput omnes in Frisia honoris accedat incrementum, quantum dissolutio ipsius ordini ingessit opprobrium. Quod ut efficaciter promoveatur, fratrem meum, latorem presentium, canonicum ad vos destinavi, rogans obnixe, ut ipsum tanquam filium recipiatis et in hiis, que ad domus nostre protectionem et sepedicti prepositi correctionem spectant, secundum scientiam a Deo vobis datam benigne expediatis. Preterea obnixe flagito, ut auctoritate vestra et ordinis imperiose pro reverentia summi pontificis domno episcopo Monasteriensi scribere velitis, ut me et fratres meos inculpate fame per Dei gratiam aput omnes optimos tocius viciniae nostrae sine vexatione temerarie excommunicacionis Deo servire permittat, quoniam per Dei gratiam in tanta libertate in Frisia constituti sumus, quod nec pullo galline violenter per suos nos poterit spoliare.*

Item per litteras magistri Oliveri: *Venerabilibus viris, domno Conrado Premonstratensi abbati ceterisque abbatibus ac toti capitulo Premonstratensi, Oliverus servus crucis empticius, Coloniensis cancellarius, paratum semper cum devotis orationibus obsequium. Cum ex mandato sedis apostolicae Frisiam Coloniensis provincie peragrarem, duos in ea viros Premonstratensis habitus inveni. Alteri illorum, videlicet Emoni*[l] *abbati Floridi Orti, a clero et populo plenum testimonium modestie ac laudabilis vite perhibetur; reliquus Herdricus*[m] *de Skeldwalda prepositus non solum aput populares, verum etiam a bonis et gravibus sufficienter infamatur. Officialis enim gerens negocium*[n], *excommunicat et absolvit, ecclesias claudit et aperit pro precio, et quod abhominabilius est, baptismum parvulorum impedire nititur, quibusdam ecclesiis crisma negando pro unius vel paucorum delicto, nisi pecunia crisma redimatur. Hec autem vobis significo, quia gentem Frisonum diligo, que fide stabilis et in armis strennua iterum se preparat ad terre sancte subsidium, tam in bellatorum numerosa multi-* * col. 76. *tudine quam navium utili * ac necessario instanti expeditioni provido apparatu. Sane quoniam ordinem vestrum veneror et amo, excellentiae vestre religionis scribendo quantum audire*

---

a) p̃mõ. 1; Premonstrati *supra col.* 22. b) igitur 2. c) Skelwalda in ordine tuuens 2. d) se *deest* 2. e) *deest* 2. f) *deest* 2. g) *deest* 2. h) in Doccum 2. i) Preterea — preiudicium generandum *col.* 77 *des.* 2. k) .H. 1. l) E. 1. m) H. 1. n) *prius* officium, *quod a scriba ipso deletum est* 1.

1224. *placet, caritative*[a] *consulo, quatinus, si prenominati fratris vulnus fuerit medicabile, sicut habitu, sic obedientia incorporetur homo*[b]. *Alioquin immedicabile vulnus ense spiritualis gladii precidatur, ne pars sincera trahatur, et scandalum per gentem devotam et ad obsequium Salvatoris mundi promptam latius dilatatum gravius animarum periculum inducat.*

Accepto itaque instrumento de capitulo Coloniensi in hunc modum: *Gozwinus*[c] *Dei gratia maior in Colonia decanus et archidiaconus totumque capitulum maioris ecclesie viris venerabilibus Sigardo*[d] *de Orto sancte Marie, D.*[e][65] *in Dokkum abbatibus Premonstratensis ordinis et magistro I. in Nova Ecclesia*[66] *plebano, Trajectensis diocesis, salutem in Domino. Querelam magistri Emonis*[f] *prepositi in Florido Orto, Premonstratensis ordinis, Monasteriensis diocesis, recepimus continentem, quod cum ipsum episcopus Monasteriensis Thedoricus super quibusdam causis contra privilegia ordinis Premonstratensis et formam iuris gravare niteretur, idem prepositus legitime super omni iniuria ipsius per se et procuratorem suum Paulum canonicum Premonstratensis ordinis sedem apostolicam appellavit, ac postmodum cum se et fratres suos a iam dicto episcopo per excommunicationem et negandam in omnibus necessariis vite communionem nimis iniuste gravandum presensisset, per procuratorem suum Paulum*[g] *ne id fieret, nostram legitime audientiam tanquam a suspecto appellavit. Mandamus igitur vobis, quatinus partibus convocatis de appellatione ad nos interposita cognoscatis, et si eam ante predicta gravamina secundum ea, que dicta sunt, legitimam inveneritis, excommunicationem in prepositum et conventum ipsius latam nullam publice denuncietis. Testes autem qui nominati fuerint* etc.

Eodem instrumento tractus est in causam universus clerus, quia non debuit obedire iniquae denunciationi, per ecclesias amplius quam quinquaginta; et publice citatus est feria quarta post dominicam Misericordia Domini locis deputatis trans Lavicam Winenge[67] et Mai. 1. Dockum. Cunque comparuissent, et prefatus Floridi Ordi prepositus ex sententia iudicum, appellationem precessisse excommunicationem probasset, illi Coloniam *appellarunt. Missum est ergo Coloniam in occursum illorum, * col. 77. et intellecto processu cause, decanus remisit causam in eundem statum, in quo fuit tempore prime appellationis, in hunc modum:

Gozwinus[c] *Dei gratia maior in Colonia decanus et archidiaconus totumque capitulum ecclesie beati Petri viris venerabilibus Geiconi*[i] *preposito in Fermeshem et Emoni*[k] *priori in Feldwirth salutem in Domino. Constitutis in presentia*[l] *A. domni episcopi Monasteriensis et Paulo*[g] *prepositi Floridi Orti, et quinque plebanorum de Fivelgonia procuratoribus, de consensu ipsorum ita ordinatum est et terminatum, quod commissio ad Sigardum*[d] *de Orto sancte Marie et D.*[e] *de Dokkum abbates et I. plebanum Trajectensis diocesis impetrata super excommunicatione a domno Monasteriensi episcopo in eundem prepositum Emonem*[f] *et conventum Floridi Orti facta, a nobis penitus est cassata; et quicquid auctoritate eiusdem commissionis fuit factum, sive in citando sive in absolvendo sive ad interesse condemnando, cassatum est et pronunciatum est non tenere. Procuratores quoque predicti appellationi tam ad capitulum quam ad domnum archiepiscopum facte renunciaverunt. Reliquimus etiam negotium in eo statu, in quo fuit tempore appellationis, quam magister Emo*[f] *et prepositus dicit se ad sedem apostolicam interposuisse, de qua cognoscere non est nostre auctoritatis, salvo iure utriusque partis. Ne ergo, quod aput nos de consensu procuratorum factum est sollemniter, maneat occultum, mandamus vobis, quatinus convocato clero Fivelgonie, ea que supradicta sunt, et in conventu laicorum publice denuncietis, nullum ex hoc partibus preiudicium generandum.*

Interim rediit nuncius a[m] Roma et tria paria litterarum reportavit contra episcopum, duo super causa, tercium super iniquis exactionibus et iniuriis ipsius. Fecerat enim ecclesiam nostram spoliari crismate.

Honorius[n] *episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Monasteriensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem. Dilecti filii prepositus et conventus Floridi Orti sua nobis*

---

a) carative 1. b) habitu suo testatur, protinus ad emendationem eius vitae et scandali resecationem carceri incorporetur *H.* c) G. 1; *supplevi sec. Lacomblet IV*, 650. d) S. 1. e) T. *H.* f) E. 1. g) P. 1. i) *supplevi ex col.* 82; G. 1. k) E. 1. 2; *supplevi ex col.* 91. l) *supplendum videtur* nostra. m) a *deest* 2. n) Honorius — qui nominati etc. *col.* 79 *des.* 2.

65) Alius esse videtur ac qui infra col. 92 a. 1228. audit *Th.* et quem Gesta abb. Horti S. Mariae cap. 1 ad a. 1230. vocant *Thidwardum*, cod. 2 vero *Theodericum*, minus recte ut videtur. Nomina quae profert Hugo, Ann. Praemonstr. I, 617. 618, *Thomae* et *Tadonis* certo testimonio carent, quamvis Thomam infra col. 92 in textum intruserit. 66) Coenobium quod supra p. 500 vocabatur Vallis S. Mariae. 67) Wijns in Ostergo. 68) Engelbertus I.

1224. *conquestione monstrarunt, quod tu in eos sine causa rationabili, nulla competenti monitione premissa, contra statuta concilii generalis auctoritate propria excommunicationis sententiam promulgasti. Ideoque fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quod, si ita est,* * col. 78. *infra octo dies post susceptionem*[a] **presentium sententiam ipsam sine qualibet difficultate relaxes. Alioquin dilectis filiis de Orto sancte Marie et de Dokkum prioribus et magistro I. scolastico de Nova Ecclesia Traiectensis diocesis nostris dedimus litteris in mandatis, ut ipsi extunc, sufficienti ab eis iuxta formam ecclesie cautione recepta super hiis, pro quibus est huiusmodi sententia promulgata, relaxent eandem, et iniuncto eis, quod de iure fuerit iniungendum, audiant si quid fuerit questionis, et appellatione remota debito fine decidant, et faciant quod decreverint auctoritate nostra firmiter observari. Datum Laterani.*

1224. Apr. 8. *Honorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis de Orto sancte Marie et de Dokkum prioribus et magistro I. de Nova Ecclesia plebano salutem et apostolicam benedictionem. Dilecti filii prepositus et conventus Floridi Orti sua nobis insinuatione monstrarunt, quod venerabilis frater noster Monasteriensis episcopus in eos sine causa rationabili, nulla competenti monitione premissa, auctoritate propria excommunicationis sententiam promulgavit contra statuta concilii generalis. Unde ipsi nostris dedimus litteris in mandatis, ut si est ita, infra octo dies post susceptionem earum sententiam ipsam sine qualibet difficultate relaxet. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatinus si dictus episcopus mandatum nostrum neglexerit adimplere, vos extunc sufficienti ab eis iuxta formam ecclesiae cautione recepta super hiis, pro quibus*[b] *est huiusmodi sententia promulgata, relaxetis eandem, et iniuncto eis, quod de iure fuerit iniungendum, audiatis si quid fuerit questionis, et appellatione remota fine debito terminetis, facientes quod decreveritis auctoritate nostra firmiter observari. Datum Laterani* 6. *Idus Aprilis, pontificatus nostri anno* 8.

Honorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis de Orto sancte Marie, de Dokkum abbatibus Premonstratensis ordinis salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte prepositi et conventus monasterii Floridi Orti Premonstratensis ordinis nobis est oblata querela, quod venerabilis frater noster Monasteriensis episcopus ipsos indebitis exactionibus aggravat et * col. 79. *molestat, alias eis plurimum iniuriosus existens. Ideoque discretioni vestre per* **apostolica scripta mandamus, quatinus partibus concovatis audiatis causam et, appellatione remota, fine debito terminetis, facientes quod decreveritis auctoritate nostra firmiter observari. Testes autem qui nominati* etc.

Citatus itaque est episcopus denuo, et assignata loca trans Lavicam pretaxata, et die cedenti propositum est, fecisse excommunicationem pendente appellatione et ecclesiam conventus crismate spoliasse. Iudices igitur, cognita spoliatione crismatis, habita interlocutoria, per sententiam adiudicarunt ecclesie illi restitutionem crismatis sub certo arti- Sept. 8. culo diei, videlicet nativitatis[c] beate Virginis. Cunque procurator episcopi id minime curaret, prepositus propter contumaciam petivit, ut episcopus excommunicaretur; quod et factum est. Interim cum Herdricus omnia mala ista procuraret cum A. notario episcopi, Deo ordinante[d] accidit, quod domnus Conradus[e] Portuensis cardinalis Coloniam veniret[69]. Ad ipsum prefatus prepositus misit cum litteris abbatum[f], ut moneret episcopum absolvere Herdricum a procuratione negociorum suorum, et si episcopus non faceret, daret in mandato abbatibus de Orto sancte Marie, de Dokkum, ut predictum Herdricum[g] compellerent cessare; quod et factum est in[h] hunc modum:

Conradus[e] *Dei gratia Portuensis et Sancte Ruffine episcopus, apostolice sedis legatus, venerabili in Christo eadem gratia Monasteriensi episcopo salutem in Christo Iesu. Significarunt nobis de Orto sancte Marie, de*[i] *Dokkum et alii plures abbates Premonstratensis ordinis, quod Herdricus*[g] *prepositus de Skeldwalda contra constituta sui ordinis vagatur per mundum et negociis* **secularibus se immiscet, alias plurimas inhonestates committens in salutis sue preiudicium et gravamen et scandalum plurimorum. Quocirca vobis mandamus auctoritate legationis qua fungimur, quatinus dictum Herdricum*[g] *in suo errore nullatenus foveatis, sed ipsum moneatis et efficaciter inducatis, et si necesse fuerit compellatis, ut relictis seculi vanitatibus redeat ad observantias regulares. Alioquin sciatis, nos dedisse in mandatis abbatibus*

---

[a] *deest haec vox et suppleta est manu valde recenti* 1. [b] p. q. *bis* 1. [c] *deest* 2. [d] ep. deordinante 2. [e] C. 1. [f] abbm 1. [g] H. 1. [h] in — Bunne 11. Kal. Iulii *col.* 80 *des.* 2. [i] D' 1.

69) Iun. 7; v. Ann. Colon. max. SS. XVII, p. 837.

de Orto sancte Marie, de Dokkum, de Valle beate Virginis, Premonstratensis ordinis, ut dictum Herdricum[a] *ad id censura ecclesiastica compellant iusticia mediante. Miramur enim, quod talem officialem habetis. Datum Tulpeti, 12. Kal. Iulii.* 1224. Iun. 20.

Conradus[b] *miseratione divina Portuensis et Sancte Ruffine episcopus,* * *apostolice sedis legatus, dilectis in Christo de Orto sancte Marie, de Dokkum, de Valle sancte Marie abbatibus, Premonstratensis ordinis, Traiectensis diocesis, salutem in Christo Iesu. Vestram et aliorum multorum abbatum vestri ordinis peticiones recepimus continentes, quod Herdricum*[a] *dictum prepositum in Skeldwalda, sepe a vobis monitum, a vexatione seculari et aliis actibus inhonestis compesci censura ecclesiastica faceremus, monendo primitus venerabilem fratrem nostrum episcopum Monasteriensem, ut ipsum a familiaritate sua penitus amoveret. Nos vero supradictum*[c] *episcopum monuimus diligenter, mandantes eidem, ut ipsum ad hoc, si*[d] *fuerit necesse, compellat. Quocirca discretioni vestrae legationis qua fungimur auctoritate mandamus, quatinus, si prefatus Herdricus*[a] *monitionem dicti episcopi noluerit exaudire, vel episcopus super hoc negligens fuerit memoratus, ipsum Herdricum*[a] *ad observantias sui ordinis, monitione diligenti premissa, per censuram ecclesiasticam auctoritate nostra firmiter compellatis. Datum Bunne 11. Kal. Iulii.* Iun. 21. *col. 80.

Cunque dictus Herdricus abbatibus parere contempneret, excommunicatus est. Mira Dei providentia cum A. et B. procuratores negociorum[e] episcopi post nativitatem beate Virginis in Frisie partes venissent et ferverent adhuc furore diuturno, peragratis villis Beftlo, Hugemerche, Lidenge, venissent Usquerth[f][70], ibidem a fratre Sibrando[g][71], viro constante et ordinem defendente, procuratore[h] abbatum, denunciatur episcopus excommunicatus, et illi, si procurarent negocia, excommunicati. Et credidit populus et recessit ab eis die primo[i]. Die altero domnus Herdricus[a] impedivit populum mobilitate sua, volens et nolens, vel magis timens, episcopum aliquantulum gravari, tum quia gravis ipsi erat episcopus; et non processerunt, quia date sunt littere universis pro defensione ipsorum, si episcopus vel nuncii sui ante absolutionem suam aliquos[k] gravaret. Venerunt[l] itaque Loppeshem, et die prima domnus Herbrandus[m] de[n] Usquerth optulit conventui compositionem, ut omnis controversia inter episcopum et ipsum quiesceret, et ad Herdricum pax esset, et[o] cautionem daret prepositus, ne abbates contra eum scriberent. Ad quod respondit prepositus, nichil se velle spondere[p] pro abbatibus, quoniam[q] hoc non esset in sua potestate. Quo audito A. et B. ceperunt presidere quasi contemnentes reconciliationem. Accessit ergo *frater Sibrandus[r] procurator abbatum interritus et frater P. et alii fratres, volentes excommunicationem denunciare; sed Geico[s] de Fermesum decanus, P. et A. in Loppeshem decani[t] et quam plurimi cum ipsis gravissimum fecerunt strepitum currendo et[u] clamando et conviciando, putantes eos tali insultu a proposito cohercere. Factus est concursus et clamor, ut[v] possent dicere fratres contra tales insidias inermes: *Circundederunt me canes multi, concilium malorum obsedit me.* Sed dicti fratres indefessi restiterunt. Affuit eis Deo sic ordinante vir nobilis Stitho, inflammatus caritate correctionis ecclesiae, non rogatus. Amor enim Christi ociosus esse non potest; et quasi tuba vehemens voce et manu illos furentes dimovit, et ita usque ad crepusculum vis vi repulsa est, cum nullius tamen lesione. Die sequenti congregatus est populus quasi vir unus. Aderant ibi consules terre et iurati de Upstellesbome[w], et audita denunciatione excommunicationis episcopi a delegatis summi pontificis et Herdrici a cardinali, decreverunt in sententia: nisi decani duobus milibus marcarum, terram immunem fore, si assisterent nunciis episcopi, caverent[71], non debere eis impendi[x] obedientiam. Quod quia visum est illis intolerabile, dixerunt se hoc nolle facere; et ideo nuncii episcopi soli et contempti vacue mense inviti assidebant[y], videntes se[z] vacuos honore et vacuas crumenas habere; et sic compulsi sunt Dei misericordia

Sept. 8.

*col. 81.

Psal. 21, 17.

---

a) H. 1. b) C. 1. c) superdictum 1. d) *deest* 1; *supplevit Emmius.* e) neg. *deest* 2. f) Vsquert 2. g) S. 1; *supplevi ex col.* 83. h) procurate 2. i) die primo *des.* 2. k) *deest* 2. l) Veniunt 2. m) H. 1. 2; *supplevi ex col.* 96. n) đ. 1; *fortasse legendum* decanus. o) *deest* 2. p) respondere 2. q) quomodo 2. r) S. 1. s) G. 1. t) decani pp̄ti 1, decani *suppunctum est, sed* pp̄ti *potius suppungendum erat.* u) et *deest* 2. v) ut — lesione *des.* 2. w) Vpstallebomes 2. x) eis *iterata vice sequebatur, recentiori manu suppunctum* 1. y) mensae accedebant 2. z) *deest* 2.

70) Bafflo, Hummerze seu Oldenhove, Leens, Usquert, omnes olim praepositorum sedes. 71) postea abbate Horti sanctae Mariae. 72) i. e. cautione interposita sponderent.

1224. disponente, formam compositionis preposito et conventui beneplacitam per amicos et familiares precipuos ipsius conventus offerre et conscribere in[a] hunc modum:

Sept. 19. *In nomine Domini amen. Ego Theodericus*[b] *Dei gratia Monasteriensis episcopus omnibus, ad quos presens scriptum pervenerit, salutem in Domino. Notum esse volumus universis, quod discordia, que inter nos ex parte una et prepositum Emonem*[c] *Floridi Orti et suum conventum ex altera parte vertebatur, sopita est in hunc modum: prepositus Emo*[c] *obedientiam, quam aliquis alius abbas vel prepositus Premonstratensis ordinis, salvo iure privilegiorum et ordinis, suo episcopo facit vel fecit, domino suo episcopo Monasteriensi faciet et exhibebit, et omnes cause sive crimina, super quibuscunque articulis contra eum vel conventum suum mote fuerant,* *col. 82. **sopite sunt in perpetuum et extincte. Omnes quoque sui fautores, clerici sive laici, qui propter causas contra ipsum motas in aliquod devenerant gravamen, liberi erunt penitus ab illo et exempti; et instrumenta, quecunque ex utraque parte, tam nostra, quam Emonis*[c] *prepositi et sui conventus a quocunque optenta fuerint, nullius erunt penitus momenti; et ipse prepositus obediens erit nobis modo supradicto, et nos ipsum quantum potuerimus promovebimus. Discordia vero, que inter Emonem*[c] *prepositum et suum conventum ex una parte et inter Herdricum*[d] *de Skeldwalda et suum conventum ex altera vertebatur super quibuscunque causis, sopita est in hunc modum. Uterque supradictorum prepositorum, dextra sibi ad invicem data, veram amiciciam inter se promiserunt se fideliter servaturos, adicientes quod neuter ipsorum consilio vel facto alium sive in generali capitulo sive in alio quocunque loco gravabit; nisi si quis eorum requisitus fuerit in animam suam, liberum ei erit, dicere veritatem super re de qua fuerit requisitus. Instrumenta quoque ex utraque parte, a quocunque etiam optenta fuerint, sive a domno papa sive a delegato sive ab ecclesia Coloniensi sive ab episcopo Monasteriensi sive a capitulo generali, in manus domni Geiconis de Fermeshem*[e] *et Alfardi de Midlestum resignabunt, nullo unquam tempore valitura. Fautores quidem utriusque partis ab omni gravamine, quod propter eos incurrerant, liberi erunt et soluti, simul cum illis qui propter denunciationem cuiuscunque excommunicacionis sese a synodo subtraxerunt.*

Acta sunt hec aput Loppeshem, anno dominice incarnationis 1224, 13. *Kal. Octobris, presentibus testibus Geicone*[f] *de Fermeshem decano, P. et A. decanis de Loppeshem et aliis quam plurimis. Ut autem hec compositio firma maneat et inconvulsa, presens pagina nostro sigillo et Emonis*[c] *prepositi Floridi Orti et Herdrici*[g] *prepositi de Skeldwalda sigillis est roborata. Data per manus magistri A. notarii episcopi Monasteriensis.*

Cum igitur forma pacis inter domnum[h] episcopum et conventum ordinata fuisset et iam conscribenda, et dextram idem prepositus dedisset Herdrico[i] societatis, quia dies eundi ad capitulum generale instabat, dixit prepositus Herdrico, si in proposito haberet *col. 83. ire in societate sua, *quatinus se prepararet. Ille ad hec fore se adhuc dubium dixit, utrum personaliter iret, an pro se legatum mitteret. Quod clam procuravit, mittens duos qui litteras episcoporum Coloniensis, Traiectensis, Monasteriensis capitulo presentarent. Prefatus vero prepositus cum fratre Sibrando, abbatum procuratore, die beati Mathei de Groninge profectus est (Sept. 21.) et Deo propicio[k] Premonstratum solita via prospere[l] pervenit. In capitulo itaque abbates de Cappenberge[m], de Varlere[n], de Claholt ipsi restiterunt consilio quantum valuerunt, et auxilio quorundam aliorum, dicentes sibi fore periculosum, si dictus Herdricus[g] a procuratione negociorum episcopi prohiberetur, cum monasteria ipsorum possiderent ecclesias in quibus synodalia iura ipsi procurarent. Postremo cum causa ipsa tractaretur, a diffinitoribus[o] diffinitum est, illum penitus debere cessare a procuratione negociorum episcopi auctoritate generalis capituli et auctoritate cuiusdam privilegii summi pontificis, collati ordini Premonstratensi in[p] hunc modum:

1222. Iun. 22. ***Honorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis abbatibus et fratribus universis ordinis Premonstratensis salutem et apostolicam benedictionem. Cum relictis seculi vanitatibus ei soli impendere teneamini famulatum, cui servire regnare est, indecens constat esse, ut cum debeatis orationibus invigilare, involvatis vos questionibus alienis. Quocirca universitati vestrae auctoritate presentium inhibemus, ne quisquam vestrum in pertractandis alienis causis presumat existere procurator. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre inhibitionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indigna-***

---

a) in — episcopi Monasteriensis *col.* 82 *des.* 2. b) th. 1. c) E. 1. d) h. 1. e) fmesh̄ 1. f) G. 1. g) H. 1. h) *deest* 2. i) H. 1; *deest* 2. k) Deo prop. *des.* 2. l) sol. v. pros. *des.* 2. m) Cappenberga 2. n) Varler 2. o) diffinitionibus 2. p) in — precipiatis hoc ipsum *col.* 84 *des.* 2.

tionem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Laterani 10. *Kal. Iulii, pontificatus nostri anno* 6.

Quod[a] efficacissime per ipsum abbatem Premonstratensem in consistorio abbatum 1224. primo, et postea in capitulo claustri pronunciatum est[a]. Et directe sunt littere per abbatem Cappenbergensem domno Monasteriensi, quod capitulum Premonstratense non admitteret, ut sepedictus Herdricus[b] suus esset de cetero officialis. Et aliud par litterarum transmissum est abbatibus de Orto sancte Marie, de Dokkum, ut citarent illum et ad sententiam capituli servandam compellerent, in hanc formam:

**Conradus[c] Dei pacientia dictus abbas Premonstratensis et abbatum eiusdem ordinis* *col. 84. *capitulum generale venerabilibus in Christo fratribus Sigardo[d] de Orto sancte Marie et D. in Dokkum abbatibus salutem. Cum expositum sit nobis in capitulo generali, quanta dissolutione et insolentia frater Herdricus prepositus in Skeldwalda sit respersus, quanta etiam scandala ex eo quod synodalia procurat, cum sit insufficiens et minus idoneus, sint exorta; discretioni vestre auctoritate mandamus[e], quatenus dicto Herdrico[b] ex parte nostra et ordinis firmiter iniungatis, competenti tamen monitione premissa, ut infra instantem quadragesimam apud Hamburne vel Varlar sibi paternitatem assumere non omittat, ut patrem super se habeat, a quo vel a cuius ecclesia formam sibi religionis assumat et a quo etiam visitetur secundum consuetudines ordinis approbatas. Ceterum cum idem Herdricus[b] citatus fuerit ad capitulum generale nec capitulum curaverit visitare, sub prefata vobis auctoritate mandamus, quatinus ex parte nostra firmiter iniungatis eidem, ut infra instantem sollemnitatem pentecostes veniat personaliter Premonstratum, satisfacturus ordini super eo quod ad mandatum nostrum visitare capitulum non curavit. Verum quia ex procuratione synodalium, quibus vacat, multa scandala provenerunt, tum quia insufficiens est et minus idoneus, tum quia exhibet se dissolutum, volumus ut ex decreto generalis capituli ab eorum procuratione desistat et vos ex parte nostra ei precipiatis hoc ipsum.*

Ille inquam frater Herdricus[b] plenus blasfemia ordinis sui et habitus[f], cum tenuisset dimidiam[g] partem ecclesiae vicine sibi, tam per preces quam per potentiam, in corde semper ambiens et rapere volens, oculos habens et non considerans[h], persuasit[i] sacerdoti qui tenuit residuam partem ecclesie, ingredi monasterium, cogitans per illius introitum ecclesiam, de qua exiit, intrare. Verum quia[k] iuxta illud[l]: *Prope erat dies afflictionis, et* Deut. 32,35. *adesse festinabant tempora*, et Dominus dicit: *Mea est ultio, et ego retribuam in tempore competenter constituto, ut labatur pes in presenti*[k], continuo versus est populus in conspirationem seditionis et eiecit omnia que in domo dotali collocaverat cum damno et dedecore. Postmodo nullo religiosorum usus consilio, aciem collegit armatam amicorum et cognatorum suorum. Et illi de parte adversa robore multorum sese *munierunt, et convenerunt *col. 85. consules terre et iurati orientales pro reformanda pace inter eos. Ille vero violenter voluit vendicare domum manu armata et ceperat applicare exercitum, sed prohibitus est a consulibus prefatis. Populus autem de parte altera, sicut semper solet esse inquietus, et malignis perurgentibus spiritibus[m], applicuit ad fossatum claustri; et ceperunt sese altrinsecus congregati spiculis provocare et vulnerare. Et mortuus est quidam nobilis de Menterasilva, cuspide transmissa in caput eius. Quo comperto cepit multitudo cingere fossatum obsidione per diem et noctem. Et tunc non immerito frater Herdricus[b] timore magno timuit, et fuga se salvare[n] constituit. Unde dimoto paululum populo, valde metuens pro vita, equum cum paucis conscendit et porta aperta erupit. Et secuti sunt eum quidam. Equus autem ipsius pre rapido cursu, ut creditur, fefellit eum, sed tamen tunc non fallax ad salutem eius; cecidit tamen, et continuo a socio suo alii impositus est iumento, et non periit fuga ab eo, sed evasit et[o] animam suam pro equo et capa[p] perdita redemit. Consequenter propinqui illius defuncti more suo ceperunt exurere domos proximorum suorum in ultionem. Quare ille reversus ad se precepit eis[q] offerri ut dicitur[r] mille marcas pro compositione vite ipsius et in redemptionem monasterii, ut parcerent. Interea illi sepelientes mortuum suum et multitudinem magnam congregantes, denuo venerunt, et non

---

a) Quod — est *in duabus ultimis lineis columnae scripta, sed signis appositis in hanc formam : eis locus conveniens assignatur* 1. b) H. 1. c) C. 1. d) S. 1. e) quatenus dictus H. citatus fuerit ad capitulum generale nec capitulum curaverit visitare, sub prefata vobis auctoritate mandamus *add. H.* f) plenus — habitus *des.* 2. g) mediam 2. h) oculos — considerans *des.* 2. i) suadet 2. k) quia — presenti *des.* 2. l) *correxi*; .i. (id est) 1. m) perversis gentibus 2. n) servare 2. o) evasit et *des.* 2. p) cappa 2. q) illis 2. r) ut dic. *des.* 2.

pepercit oculus eorum cuiquam cognatorum suorum. Postremo ingressi claustrum, domos
magno sumptu constructas, unam et aliam et terciam et quartam, que erat nidus sororum
Christi bone opinionis et conversationis, incinerabant. Que quasi contigua cohesit oratorio
ipsarum, et exusta est. Et mira res apparuit, ut dicitur, quod ventus pro oratorio pugnavit
et flammam ventilavit, ne lederet domum Deo[a] consecratam. Sed illi Assiriis et Chaldeis
crudeliores non pepercerunt, sed more antiquo Romanorum sicientes pecuniam, lapidem
in altari consecratum evulserunt, credentes pecuniam ibi fuisse sepultam. Insuper et
sacrosanctum dominicum[b] corpus cum vase suo detulerunt.

1224. Eodem[c] anno Augustus pluviosus spem feni et annone fraudavit. Nam faba preter
*col. 86. Iun. 5. *solitum ante festum beati Bonifacii effloruit, et circiter idem festum rosa natalicium[d]
Nov. 11. habuit. A festo beati Martini gelu forte constrinxit lutum et lacus ad meandum, exceptis
paucis et brevibus intersticiis per totam hiemem et ultra[e].

1225. Mart. 30. Anno quoque[f] conversionis eius[g] 17, sacratissimo die pasche, videlicet 3. Kalendas
Aprilis, eurus ab oriente nubibus intumuit, et in octava eius nive candida et tecta et prata[h]
operuit, et sic intravit cano capite Aprilis et frigido, nondum pro voto multorum, qui feno
et pabulo et annona caruerunt. Et fuit illis diebus magna caristia omnium rerum. Mortua
sunt pecora pre inopia feni et agni pre frigore, et debiles erant oves. Tria enim concurrerunt,
frigus insolitum, mortalitas animalium et caristia annone metuenda. Vendebatur
nempe quarta pars modii pro duabus marcis et dimidia, et[i] consternate sunt mentes multorum
considerantium, quia talia exigunt iniquitates eorum, et omnia opera Domini sunt
veritas et iudicium. In quo triplex est consolatio misericordie sue et iusticiae. Cum enim
graves penas solvimus, etsi causam ignoramus, intelligimus tamen esse de iusticia Dei.
Ps. 6, 9. Tercia est a fletu. Unde: *Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem, quia exaudivit
Dominus vocem fletus mei*[k]. Rectus est Deus, quia neminem fallit; fidelis vel verax, quia
reddit promissa; iustus, quia omnia eque discernit. Per misericordiam inmeritos liberat;
quod ubi non facit, veritate vindicte non immerito damnat. Sapientie nanque Dei non est
numerus, quia hoc finitum est quod mundus iste complectitur.

Mai. 8. Octava quoque Kalend.[l] Maii intravit domnus Theodericus tercius Monasteriensis
Mai. 23. episcopus, et decimo Kalend. Iunii in ebdomada pentecostes apud Floridum Ortum sicut
amicus honorifice susceptus; et[m] eodem die ecclesiam ipsius dedicavit. Eodem quoque[m]
die Emo prepositus Floridi Orti per manus impositionem prefati venerabilis antistitis ex
miseratione divina, astantibus fratribus suis, nomen et officium abbatis suscepit, anno
conversionis eius 17, indictione 13.[n], concurrente 2[o], epacta 9, anno pontificatus[p] prefati
pontificis 7, in ordine pontificum Monasteriensium vicesimi quinti, qui cepit anno gratie
1219. et sedit annos 7. Beatus nanque Liudgerus[q] primus pontifex fuit Monasteriensis.
*col. 87. Successerunt ei *Gerfridus, Alfridus, Liudbertus[r], Bertoldus[s], Wilhelmus, Nithardus,
Reinoldus, Hildeboldus, Dodo, Suetherus, Theodericus primus, Sigefridus, Herimannus[t]
primus, Rodbertus[u], Fretherícus primus, Erpo, Burchardus[v], Theodoricus secundus,
Egbertus, Wernerus[w], Fretherícus II, Ludewicus[x], Herimannus[y] secundus, Otto, Theodericus
tercius, Ludolfus. Anno inquam gratie 1225, anno pontificatus domni Honorii
pape tercii 10.[z], anno a concilio Lateranensi 13.[a], prime predicationis magistri Oliveri[b] 12,
fundate ecclesiae sororum 22.[c], donationis ecclesie in Werum 15, a cataclismo noctu beati
Marcelli 7. Sane predictus pontifex, qui anno transacto instinctu quorundam nimis persecutus
erat prepositum cum conventu Floridi Orti, cum eodem pacem firmam stabilivit
et fraternitatem poposcit et accepit et ibidem die illo demoratus est. Et sequenti, scilicet
Mai. 24. sabbato quatuor temporum, ordines clericorum Fermeshem[d] sollemniter celebravit; et post
nonam unde exivit reversus est. Nimis[e] siquidem sollicitus fuit et laboravit ab introitu
suo usque ad exitum super causa Herdrici, que vertebatur inter ipsum et Silvanos Skeldenses.
Ideoque in primo ingressu invitavit consules terre, ut ope illorum compellerentur
reddere pecuniam pro incendio claustri ipsius. Unde illi non crediderunt ei, nec comparuerunt.
Tandem multociens vocati proposuerunt, nullatenus velle[f] obedire et damnum

---

a) domino 2. b) ducum 2. c) Anno D. 1229. *in marg. add. eadem manus* 2. d) natalitia 2. e) et ultra *des.* 2.
f) *deest* 2. g) *deest* 1. h) tecta prava 2. i) et — iste complectitur *des.* 2. k) ii. q. e. d. vo. f. 1. l) Octavo
Kal. 2. m) *deest* 2. n) XIIII. 2. o) con. XI. 2. p) *deest* 2. q) Ludgerus 2. r) Luid. 2. s) Barth. 2.
t) Harmannus 2. u) Robertus 2. v) Burgardus 2. w) Warnerus 2. x) Ludoicus 2. y) Herm. 2. z) pape XIII. 2.
a) X. *H.* b) O. 1. c) *deest* 1; *supplet* 2. d) in Fermesum 2. e) nimium 2. f) vel 2.

resarcire, nisi ille in perpetuum ecclesiam prefate parochie liberam fore ypotecaria cautione 1225.
sufficienter caveret; et id ipsum contra eum conclamavit tocius terre multitudo. Nondum
enim recuperaverat favorem populi propter insolentias et abusiones suas detestabiles, et
audire eum dedignabantur, nisi illud fieret. Quod intelligens episcopus precepit Herdrico,
ut se suo consilio committeret et arbitrio. Quod et factum est. Et arbitratus est episcopus,
prefatos parochianos debere pro incendio ei restituere mille marcas et sexcentas, et illum
in perpetuum silere super prefata ecclesia et super hoc cautionem immobilium sufficientem
prestare, et altrinsecus iurare, ne pacem postea unquam violarent. Ipse vero pro bannis
nongentas marcas percepit. Et ita pridie Kal.[a] Iunii reversus* est. Mai. 31.

*Iulius[b] sicut leo fervidus in inicio sui secutus est, sed posteriora eius pluviosa usque *col. 88.
7. Id. Augusti; et expectabatur temperies, quia prata densa erant et sata ad messem propter Aug. 7.
irriguum Iulii. Sed luna quarta, quasi post horam vespertinam, turbo cum tempestate subito
exortus est, et secuta est continua inundantia pluvie. Unde poeta de luna:

Si nigrum obscuro comprenderit aera cornu,
Maximus agricolis pelagoque parabitur imber;
Sin ortu quarto, nanque is certissimus auctor,
Pura neque obtusis per celum cornibus ibit,
Totus et ille dies et qui nascentur ab illo
Exactum ad mensem, pluvia ventisque carebunt[73].

Augustus totus pluviosus fuit, et terre cultoribus iniuriosus; et collecta est messis cum
culmo viridi et grano lactenti, et mentita est spem seges. Septimo Idus Septembris[c] Sept. 7.
consules terre confirmarunt, fratres Floridi Orti in possessione esse in Emetha. Occubuit[d]
Engelbertus presul Coloniensis, occisus a comite Fretherico Ysenbergense. Vigilia[e]
apostolorum Symonis et Iude factus est terre motus horribilis in multis locis, et circa horam Oct. 27.
sextam diei ipsa quasi superficies pavimenti rupta est[f] et muri quasi concussi, et laquearia
videbantur ventilari, luna 22. Postea maxima pluviarum inundantia secuta est, et impleta
sunt prata aquis abissi superioris. Nam[g] inferior abissus est occeanus. Abissus nempe
profunditas dicitur aquarum. Nubilosus siquidem aer iste pertinet ad abissum inferiorem,
quia hic sunt nubes, venti, tempestates, pluviae, choruscationes, tonitrua, grando, nix.

Eodem anno cum multiplex fieret querela coram papa Honorio tercio contra exactiones
advocatorum, quas extorserunt a religiosis domibus precipue monialium[h] inverecunde,
abbatissa Asnidensis[i][74] super causa simili[k] Engelbertum archiepiscopum optinuit[l] delegatum
contra Frethericum cognatum suum, fratrem episcoporum Monasteriensis et Osnaburgensis[m][75].
Prefatus[n] pontifex tunc temporis summus fuit et fidelissimus in causis
ecclesiasticis. Qui commonitum habuit patruelem suum Frethericum comitem Ysenbergensem[o],
promittens se velle ipsum de rebus patrimonii sui ditare, ne eidem plus iusto
parceret; sed ille non acquievit. Accidit *igitur quod pro causa imperii prefatus pontifex *col. 89.
Sosaciam perrexit[p] et in via dictum comitem obvium habuit. Qui[q] minando, ne eum
iure suo, scilicet advocatie, privaret, torva facie et animo furioso et lingua pulsavit[r]. At
ille[s] equanimiter toleravit et ceptum iter, illo dimisso, peregit. Iam tunc multi comites,
ut fama fuit, in mortem eius conspiraverant. Cunque ad prefatum oppidum[t] venisset et
illic patrueles sui, videlicet episcopi Monasteriensis et Osnaburgensis[u] affuissent[v], affuit[w]

---

* *In imo margine coll.* 87 *et* 88 *man. sec. scripsit in* 1*:* Anno Domini 1224. 6. Kal. Aug. occisus est Eltetus de Midlestum[x]. Eodem anno conflagratum est claustrum H. prepositi. Anno Domini 1225. vigilia Simonis et Iude, occisus est Engelbertus Coloniensis archiepiscopus. Sequenti anno occisi sunt filii sculteti Fermesum, in die beati Gereonis. Proximo anno conflagrata est villa Groniensis[y] 10. Kal. Maii. Eodem anno episcopus Ludolfus primo intravit Frisiam 17. Kal. Iunii. Eodem anno occisus est Hereco subdiaconus de Uttum; occisus est etiam Herebrandus sacerdos de Rip 12. Kal. Iunii. Occisus est etiam Folcquardus diaconus de Fene. Occisus est etiam Otto Traiectensis episcopus aput Covordiam. Occisus est Redbertus de Gadl[z].

a) *supplevi; deest* 1. b) Iulius — spem seges *des.* 2. c) Decembris anno 1225. 2. d) Occubuit — Ysenbergense *des.* 2. e) Eodem anno in vig. 2. f) rupta est *des.* 1. g) Nam — nix *des.* 2. h) monalium 1. i) asindensis 1. k) incitat *add.* 2. l) optimum 2. m) osnaburnensis 1. n) Prefatus — ecclesiasticis *des.* 2. o) Isbergeñ 2. p) pergit 2. q) Fredericus *add.* 2. r) *prius* provocavit, *ead. manu suppunctum* 1. s) episcopus *add.* 2. t) Cumque Sosaciam 2. u) Osnabergeñ 2. v) affuisset 2. w) affuit — insecutus est *des.* 2. x) midł 1. y) g̊uieñ. 1. z) gadł. 1, *quod solvere non valeo.*

73) Hos versus etiam Beda cognovit, v. De temporum ratione c. 25 ex. 74) Essen. 75) Engelberti I.

1225. frater eorum sicut satan. Sed cum archiepiscopus milites ad hospicium premisisset, ut
cum paucis commodius rediret, adiuncto sibi comite de Termonia[a], dictus Fretherícus,
dispositis in nemore insidiis, cum aliquot servis episcopi Monasteriensis, ut fama fuit,
clam insecutus est. Cunque dictus episcopus nemus quoddam perambularet, servi[b] ante
et post ipsum[c] de latebris prosilierunt et accurrentes trahebant et tenebant iumentum[d]. At
ille[e] veniens post tergum clamabat[f], ut[g] sibi soli servaretur, et accurrens percussit tremendum
caput tribus ictibus, deinde cetera membra, donec humi cecidit, multis[h] de comitatu
suo nescientibus et aliis fugientibus, preter comitem Termonie, qui se super moriturum,
Nov. 7. sed frustra, totum expandit. Accidit, ut dicitur, 6. feria, die beati Wilibrordi. Postmodum
corpus eius ad abbatiam Montis Veteris[73] primo[i] deductum[k] est, deinde Coloniam. Illis[l] diebus
domnus Conradus cardinalis, episcopus Portuensis et Sancte Rufine, cum Teutoniam visitaret,
ad instantiam episcoporum et omnium prelatorum ecclesie, nec non illustris Heinrici
Dec. filii Fretherici, celebrare constituit concilium in civitate Maguntia, in quo priores ecclesie
Coloniensis pilleum suum primo ter gladio incisum et sanguine respersum, deinde camisiam
cum wambicio quasi recenter tincto, eiulantes et cantantes: *Videns Iacob vestimenta* etc.
inferebant, et ipse cardinalis flens cum omni multitudine subiunxit: *Fera pessima* etc.
Deinde a ministerialibus ecclesiae Coloniensis accusati sunt principaliter episcopus Monasteriensis
et fratres et comites multi. Monasteriensis autem quasi more impaciens diem et
1226. Febr. 2. locum peciit ad se de obiectis expurgandum. Prefixus est igitur ei dies purificationis beate
*col. 90. Virginis *et pro loco civitas Leodiensis. Interim collegit expensam et invitavit priores
ecclesie cathedralis nec non et priores tocius episcopatus, videlicet abbates, prepositos,
priores et decanos. Invitavit quoque episcopos Bremensem[74], Verdensem[m][75], Mindensem[76],
Traiectensem[n][77], et occurrit in comitatum suum Mindensis cum fratre suo Osnaburgensi.
Aderant etiam abbates Frisie: Sancti Bernardi[78], Floridi Orti et de Rottum[79]. Et profecta
Ian. 26. est omnis multitudo 7.[o] Kal. Februarii, proxima feria post conversionem beati Pauli. Et
solutum est gelu forte; et cum tenderent versus austrum, euronothus et affricus flatibus
et imbribus valde homines et iumenta fatigarunt. Primo igitur die fessi venerunt ad
Lippiam[80], secundo Duzburch, tercio Nussiam, quarto Ruram[81], quinto Aquisgrani, sexto,
Febr. 1. videlicet in purificationis[p] vigilia, Leodium. Die igitur dominico[82] mane facto, in equis
pompatice ibant ad ecclesiam beati Lamberti cathedralem, et expectantibus episcopis et
omnibus, post horam prime venit vicarius quidam, et officium misse cepit legere sine
cantu. Ecclesia nanque Coloniensis pro signo mesticiae sollemnitatem cantandi prohibuerat,
donec ultio fieret condigna pro scelere, et totus ubique clerus quasi in triduo ante pascha
in habitu lugubri et voce submissa horas reddebat. Cardinalis interim misso episcopo
Hildesemense[83] perquisivit, si placeret domnis episcopis differri causam in feriam sequentem,
et placuit. Aderant ibi, ut fama fuit episcopi novem, comites plurimi et multitudo
Febr. 3. infinita. Die sequenti post missam ascenderunt episcopi cum comitatu suo aulam episcopalem,
in medium videlicet cenaculum, et moram fecit cardinalis, et fluctuabat plebs
avida novitatis et implebat domum. Episcopi quoque plurimi expectabant; sed pro signo
cunei episcopalis cathedra pontificalis super capita manu ferebatur. Accessit tandem cardinalis
et semel et secundo data indulgentia urgebat populum descendere, et descendit paulatim.
Tandem placuit excommunicare remanentes et in negotio illo alienos; et tunc
timentes dederunt locum. Et facto silentio post prelibationem paucorum verborum domni
cardinalis, surrexit scolasticus Osnaburgensis Olricus et pulchre peroravit pro electo eccle-

---

a) t'monia 1; tremonia 2. b) Frederici *add.* 2. c) *deest* 2. d) episcopi *add.* 2. e) episcopus 2. f) clamat Fredericus 2. g) episcopus *add.* 2. h) multis — Postmodum *des.* 2. i) primo *deest* 2. k) perductum 2. l) *in* 2 *loco* Illis — domni papae invenit *col.* 91 *haec abbreviata leguntur:* Huiusmodi interfectionis culpam impingunt episcopo Monasteriensi et Osnaburgensi fratribus Frederici comitis praefati, ac proinde horum suggestu hoc facinus perpetratum fuisset. Horum purgatio Romam devolvitur, ut sese innoxios purgent. Interim lite pendente episcopus praefatus Monasteriensis vita defungitur, eiusque frater episcopus Osnaburgensis superstes temporis successu gratiam domni papae Honorii reconsiliatam sensit. Eodem anno Lodewicus rex Francorum — Lodewicus, *quae sec. man. adiecit col.* 91 *in* 1. m) Isonem comitem de Welpa, qui ecclesiam Verdensem annis 26 administravit *add. H. ex glossemate.* n) *correxi;* Traiectum 1. o) *correxi;* VI. 1. p) purificationes 1.

[73] Altenberg. [74] Gerhardum II. [75] Isonem. [76] Conradum I. [77] Ottonem II. [78] Aduard ordinis Cisterciensis in regione Middag. [79] Rottum ord. S. Benedicti in Hunesgo. [80] Lippe fluvius. Patet, a Monasterio iter initium cepisse. [81] Roer fluvius. [82] Ipsa vigilia purificationis hoc anno incidit in diem dominicum; intelligit saue auctor diem festum. [83] Conrado II.

siae suae captando benivolentiam, elidendo malam presumptionem, exibendo contra confictionem 1226.
inimicorum iustam satisfactionem. Surrexerunt ˙et[*] ministeriales Coloniensis ˙col. 91.
ecclesie et comes Gelrensis[84] contra Monasteriensem. Econtra ministeriales Monasteriensis
pro Monasteriensi; et facto tumultu dilata est causa. Die[a] vero proxima finxit se cardinalis Febr. 4.
iturum extra civitatem, et recessit populus de aula et clerus. Sed clam rediens cum
episcopis introivit et clausa ianua dedit audientiam, et adiudicata est eis expurgatio per
episcopos. Et subtraxerunt se episcopi et territi defecerunt, et subsecuta est ab officio
suspensio et beneficio, et appositi sunt pro custodia spiritualium et temporalium diocesis
Monasteriensis episcopus Patherburgensis[85] et comes Gelrensis. Septimo igitur Marcii Mart. 7.
profecti sunt Romam, et pridie Kal. Iunii innotuit rumor depositionis eorum, videlicet Mai. 30.
Monasteriensis episcopi et Osnaburgensis electi, fratris sui. Monasteriensis autem post
breve defunctus est, et frater gratiam domni papae invenit.

Anno Domini 1226. die dominico, quarto Nonas Octobris migravit beatus Franciscus, Oct. 4.
institutor ordinis pauperum fratrum. Sequenti vero anno, 17. Kal. Augusti, die dominico, Iul. 16.
canonizatus est; anno[b] vero tricesimo primo, 13. Kal. Iulii translatus est in ecclesiam
novam. Anno etiam Domini 1226. occubuerunt filii skulteti de Sigerdachurke[86] 6. Id. Oct. 10.
Octobris in cetu populi Fermeshem congregato; quorum insolentia, quam parentes more
Heli non correxerunt, mortem insperatam sortita est[b]. In autumpno pestilentia equorum
fuit, quorum lingue et ungule putrescebant; sed sanguine fuso desuper[c] ungulam convaluerunt.

Anno Domini 1227. cruce signati versus terram sanctam portum patriae liquerunt 1227. Mai.
4. Idus Maii, sed[d] 11. Kal. Iunii recesserunt de Borkna[e][87]. Una navium ipsorum[f] comparata[g] 12. 22.
fuit et instructa ad usum pauperum de pecunia divitum virorum et mulierum,
pene duobus milibus marcarum in terminis duorum decanatuum per labores Emonis[h]
Floridi Orti abbatis et Emonis[h] prioris de Feldwirth et P. et Geiconis[i] decanorum de
Loppeshem et Fermeshem. Eodem anno conflagrata est villa Groniensis decimo Kal. Apr. 22.
Maii. Episcopus[k] Ludolfus Frisiam ingressus est 17. Kal. Iunii, et ante ingressum Mai. 16.
eius occisus est Hereco[l] subdiaconus, iuvenis satis probus. Occisus est Herebrandus
de Ripa[88] 12. Kal. Iunii. ˙Occisus est Folkwardus diaconus de Fene[89]. Et factum Mai. 21. ˙col. 92.
est interdictum divinorum per Fivelgoniam contra occisorem Herebrandi 17. Kal. Iulii. Iun. 15.
Circiter 9. Kal. Iulii reversus est episcopus. Anno eodem, quinto Kalendas Augusti, Iun. 21. Iul. 28.
occisus est crudeliter Otto episcopus Traiectensis, filius Bernardi de Lippia abbatis olim
in Livonia et postmodum[m] episcopi ibidem, iuxta Covordiam et cum eo ingens multitudo
nobilium, qui collecta forti manu comitum et militum voluit cohibere rebellionem Rodulfi,
qui cum quibusdam sediciosis de Groninge, qui Geliconide dicebantur, contra episcopum
prefatum et Egbertum prefate ville rectorem conspiraverat[n]. Applicuit igitur contra predictum
castellum et ingressus est cum exercitu[o] quandam paludem. Et miserabiliter a
Drentonibus[p] in eadem prostrati et conculcati perierunt. Anno eodem 15. Kalendas Aprilis Mart. 18.
migravit Honorius papa tercius. Successit Gregorius nonus. Anno eodem consumatum est
fossatum claustri. Eodem anno Boricius quartus de maioribus principibus Chunorum,
quos Theotonici[q] Walewin[r] vocant, per fratres de ordine Predicatorum ad fidem Christi
conversus est, et baptizatus est cum multis sue gentis hominibus a domno Roberto Strigonense
archiepiscopo[s], presente Bela iuniori rege Ungarie, filio regis Andree.

Anno[t] Domini 1228. post constitutionem satisfactionis pecuniarie, quam priori anno
domnus episcopus Monasteriensis de consilio decanorum et abbatum et cleri edidit pro
occisione sacerdotis, videlicet in mille marcis Groniensis[u] monete, de consilio arbitrorum
in eadem causa[v] tales conscripte sunt littere:

---

[*] Lodewicus rex Francorum obiit veneno aput Albigenses; succedit Lodewicus. *in summo marg. manus secunda in* 1.

a) dicit 1, *ab Emmio corr.* b) anno vero — sortita est *des.* 2. c) super 2. d) sed — Borkna *des.* 2. e) borknā 1; *sed linea super litteram a radendo deleta videtur.* f) ipsorum *deest* 2. g) compara 1. h) E. 1. i) G. 1. 2. k) Episcopus — est episcopus *des.* 2. l) Hevo *H.* m) postea 2. n) conspiraverant 2. o) exercitū 1. p) Trentonibus 2. q) Teutonici 2. r) Waelwyn 2. s) Stringonensi episcopo 2. t) Anno — post ascensionem Domini *in* 2 *infra leguntur post* custodibus prefati castelli *col.* 94. u) Groningensis 2. v) in ead. causa *des.* 2.

84) Gerhardus III. 85) Wilbrandus. 86) Vicus Amisiae ostiis. a Continuatore infra ad a. 1275. Sierdakircha vocatus, ˙iam non invenitur. 87) Borkum insula opposita 88) Zeerip prope Loppersum. 89) Locus vastus.

1228. Mai. 5. *In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego Th.*[a] [90] *de Dockum Dei pacientia abbas, I.*[b] *prior et monachus Claricampi, subdelegatus domni H. abbatis loci eiusdem, et Fretherıcus de Frekenhorst, domni Ludolfi*[c] *episcopi legatus in Frisia sue diocesis, arbitri in causa, que vertebatur inter Godescalcum pugilem et Geiconem Herebrandi*[d] *de Ripa plebani*[e] *occisorem super occisione ipsius Herebrandi*[d] *a partibus constituti, dilectis suis A. de Loppeshem decano et H. Upwirthe*[91] *plebano et omnibus, ad quos heae*[f] *littere pervenerint, salutem in Domino.* *col. 93. **Notum facimus vobis, quod cum dissensio inter Godeskalcum et Geiconem super corpore Herebrandi*[g] *occisi verteretur, nec non inter domnum Ludolfum*[c] *Monasteriensem episcopum et ipsum Geiconem*[h] *super forma bannorum, in nos ex*[i] *consensu partium sollemniter in claustro Feldwirth*[k] *tam*[l] *de compositione quam pro bannis est compromissum. Nos vero, diligenti super hiis Loppeshem cum prudentibus habito tractatu, in hoc concorditer convenimus, quod sententiam domni episcopi, quam Fermeshem super ordinibus tulit, quantum ad nos, fore ratam decernimus*[m]. *Verum quia penitentiarius domni pape pro iam dicto Geicone*[n] *supplicavit, quatinus cum ipso domnus episcopus misericorditer agere dignaretur; nos pro reverentia*[o] *sancte crucis de compositione per episcopum taxata trecentas marcas ex misericordia alleviamus, constituentes ut septingentae marcae Groningensis*[p] *monete pro ordinibus dentur secundum consuetudinem terre numeratae*[q], *et ducente libre pro bannis domni episcopi* etc. *Actum est hoc anno Domini* 1228. *Loppeshem*[r], 3. *Non. Maii, feria* 6. *proxima post ascensionem Domini.*

Eodem[s] anno facte sunt sedes chori. Eodem anno rediit a Roma Wilbrandus quondam episcopus Patherburnensis, quem elegerat ecclesia Traiectensis, et in ultionem decessoris Oct. 14. sui cum multo exercitu per plurima loca, et pridie Idus Octobris per incendia intravit et optinuit Drentoniam[s].

1230. Anno Domini 1230, anno vero conversionis 22. quidam canonicus sacerdos in Orto sancte Marie abbati suo pie recordationis domno Sigardo apud Vallem sancte Marie dormienti nasum cultello sacrilega manu amputare conatus est, quem penitus precidisset, nisi clamor predicti abbatis et tandem advenientium fratrum concursus impedivisset. Perpetuam tamen maculam abbati[t] imposuit. Quem circatores illius anni[u] primum domno Stenveldensi[v] [92] tanquam patri, deinde domno Premonstratensi mittendum litteris suis[w] decreverunt; sed abbas Iesus et conventus instituerunt, ut primum Romam pro absolutione iret; et sic factum est. Qui cum in itinere esset, subiit ordinem pauperum fratrum, et postea Romam directus[x] est et post modicum temporis mortuus. Eodem autem anno quo vulneratus Nov. 13. est piae memoriae domnus Sigardus[y], Idus Novembris[93] scilicet[z] postquam convaluit, defunctus est. Anno eodem annus erat transitus beati Liudgeri primi Monasteriensis *col. 94. episcopi 421.[a], annus pontificatus[b] *domni Gregorii pape noni quartus, annus consecrationis Fretherici illustris et semper augusti Romanorum imperatoris 10, annus conversionis beati Augustini 821. — eodem tempore viguerunt Ambrosius, Martinus, Ieronimus, Prudentius, Claudianus, — annus conversionis beati Benedicti 704, annus quando cepit papa Gregorius doctor egregius 610, annus passionis beati Bonifacii 505, annus ex quo capta est Iherusalem a Saladino 40, ex quo magi Coloniam translati sunt 66, ex quo cepit ordo Cartusiensium[c] 140, ordo[d] Cisterciensis[e] 132.[f], ordo Premonstratensis 110, ex[g] quo plantatus[h] Ortus sancte Marie 66, Floridus Ortus[i] 17; annus[k] prime peregrinationis contra Saladinum 42, medie 34, tercie predicante magistro Olivero 13, primi adventus magistri Oliveri 16, quarte peregrinationis 4, concertationis[l] inter Menternenses et Silvanos 29; annus[m] 18. a concilio presidente Innocentio papa III, donationis[n] ecclesie in Werum annus[o] 20;

---

a) Th. 1; Theodoricus 2; Thomas *H.* b) primus 2. c) L. 1. 2. d) H. 1. 2. e) *deest* 2. f) istae 2. g) H. 1; super compositionem A. 2. h) G 1. 2. i) ex *deest* 2. k) Seldwertham 2. l) *deest* 2. m) discernimus 2. n) G. 1; Gaycone 2. o) dign. mō (modo) reverentiae 2. p) *sic* 2; *deest* 1; Groniensis *addit Ubbo Emmius in* 1. q) memoratae 2. r) in Lopperssum 2. s) Eodem — Drentoniam *des.* 2. t) illi 2. u) in *add.* 2. v) Stelveldensi 2. w) lit. suis *des.* 2. x) profectus 2. y) S. 1. z) *correxi;* s; 1; sed 2. a) *correxi;* xxi 1. 2. b) pontificatus — translati sunt 66. *des.* 2. c) Cartusiensum 1. d) ex quo cepit ordo 2. e) Cisternensium 2. f) cxxii, ex quo cepit 2. g) Anno ex 2. h) est *add.* 2. i) Anno fundationis Floridi Horti 2. k) Annus — peregrinationis 4. *des.* 2. l) Anno conc. 2. m) Annus — papa III. *des.* 2. n) Anno don. 2. o) annus *deest* 2.

90) *Thidwardus* legendum videtur, v. supra p. 503 not. 65. 91) Opwierde praepositurae Farmsum. 92) Steinfeld in Eiflia; abbas Macharius, v. Gesta abb. Horti S. Mariae c. 1. 93) Hunc esse diem obitus v. Gesta abb. Horti c. 1.

introitus[a] fratrum in Floridum Ortum 17; annus diluvii noctu beate Iuliane 67, a cataclismo
noctu[b] beati Marcelli papae 12, prioris pestilentie animalium 37, posterioris 24; annus
Engelberti Coloniensis archiepiscopi occisi 6, domni Ottonis Traiectensis episcopi aput
Covordiam occisi 3; annus conflagrationis[c] ecclesie in Loppeshem 13; idem[d] incendii
monasterii[e] sancti Bernardi[f]; triumphate[g] Threntonie robore exercitus domni Wilbrandi
Traiectensis 2, pridie Idus Octobris[1]. Sed anno Domini 1229.[h], 3. Kal. Septembris Rodulfus 1229. Aug. 30.
semel eiectus usurpavit sibi Covordiam[i], occisis quibusdam et captis custodibus prefati
castelli.

Anno gratie 1231, 12. Kal.[k] Iunii facta est donatio ecclesie in Skiramere[2] dominica 1231. Mai. 21.
sancte Trinitatis a potentioribus; sed 5. Id. Iul cassata est fratribus absentibus, instantia Iul. 11.
quorundam, videlicet decanorum et aliorum, sed 4. Kal. Aug. innovata est, presentibus iam Iul. 29.
dictis decanis. Eodem die confederati sunt Threntonibus[l] Fivelgones datis iuramentis,
et disposuerunt preliari contra Gronienses[m]. Eodem nanque anno ortum est bellum inter
Ernerenses[n][3] et Uthusenses[4] *propter insulam[5], quam iurati aput Upstellesbome[o] Uthusensibus *col. 95.
adiudicaverant. Sed quia iamdicti Ernerenses[p] parere recusarunt, 14. Kal. Augusti Iul. 19.
iuratos secuta est universitas Fivelgonie pro coercione ipsorum, et congresse sunt partes
in pugnam. Gronienses itaque, quos causa non urgebat sed magis elatio instigabat, et
aliquantula societas Egberti rectoris iam dicte ville cum quibusdam fautoribus Ernerensium,
qui sibi astiterant in seditione civium suorum, Gronienses inquam cum denso globo
virorum, gerentium arma Fivelgonibus inusitata, associati[q] Ernerensibus in pugna, Fivelgones
et[r] in fugam verterunt et lassos in fuga nudaverunt, vulneraverunt, occiderunt; et
prostratus est[s] Ecellus, vir potens lingue et universitati terre, quia iustus dicebatur, acceptus.
Qui mortuus est die beate Marie Magdalene. Extunc valde timuerunt Ernerenses, et vetus Iul. 22.
fossatum antiquissime discordie inter Fivelgones[t] et Hunesgones[u] foderunt usque ad mare.
Interim confederati sunt Fivelgonibus[v] Frodasilvani et Threntasilvani[6] contra Ernerenses
ad pugnandum. Verum Frodasilvani parochiis[w] cis amnem[7] commisso prelio[w] visi sunt
inferiores in pugna. Sed imposita eis ad placitum pecuniae summa quieverunt et[x] cum
Threntonibus Groninge applicuerunt 14. Kal. Septembris[y] et deinceps. Threntones tamen Aug. 19.
7. Idus Augusti applicuerant. Septimo quoque Idus Augusti Fivelgones[z] collecto exercitu Aug. 7.
fossatum[a] per loca repleverunt et congressi sunt ad preliandum. Et quia illo die Groninge[b]
propter metum Threntonum non[c] affuit, post aliquantum bellum Ernerenses[d] fugam
inierunt, etiam relictis villis post tergum. Et in fuga illa[e] fessis et lassis et feminis nichil
nocuerunt[8]. Quos redeuntes a fuga Ernerenses[f] occiderant quasi incautos, amiserunt. Sed
diem illum leti in triumpho terminarunt. Die sequenti, vigilia[g] sancti Laurentii, die luctus Aug. 9.
et miserie, denuo ad fossatum applicuerunt; et res aliquantulum prospere gesta audaces
fecerat debiles et inermes[h], sacerdotes quoque qui affuerunt. Et ecce soluta[i] obsidione
Threntonum[k], qui dolo quorundam, ut postea compertum est, reversi fuerant, affuit cuneus
Groniensium[l] ut nubes densa, preeuntibus *sagittariis, et impetu facto transierunt fossatum, *col. 96.
et tanta multitudo Fivelgonum[m] nec unam iecit[n] cuspidem, sed impleta stupore fugam dederunt,
et statim qui lassi, qui debiles fuerant, vulnerati, nudati turpiter et occisi passim per
prata iacuerunt. Nobiles quoque hinc inde nudati ignominiose et capti sunt, tam a Groniensibus[o]
quam ab Ernerensibus[p], et ditiores Groninge incarcerati; et nichil restabat, nisi
per dies et noctes nudos, captos[q], occisos querere et deplangere.

Hiis ita[r] gestis, 14. Kal. Septembris repeciit fossatum universitas Fivelgonum pugnatura. Aug. 19.
Sed septimo Idus Septembris Threntones[s] excusarunt, se non posse venire propter Sept. 7.

a) introitus — Loppeshem 13. *des.* 2. b) *bis, primum deletum* 1. c) confraglationis 1. d) Anno 2. e) mon. *deest* 2. f) 13. *add.* 2. g) Triumphate — Octobris. Sed *des.* 2. h) XXIX. 1. i) Couerdiam 2. k) 12. Kal. — Eodem die *des.* 2. l) Trentonibus 2. m) Groning. 2. n) enẽnses 1. o) Upstellebones 2. p) *deest* 2. q) sociati 2. r) Fivelgonesque 2. s) *deest* 2. t) Fivelgonenses 2. u) Hunesgonenses 2. v) Vivelgonibus 2. w) *loco* parochiis — prelio *habet* eis 2. x) tunc *add.* 2. y) Decembris 2. z) Fivelgonenses 2. a) fossata 2. b) groñ. 1; groningeñ 2. c) nemo 2. d) Enerenses 1. e) illis 2. f) Ernereñ 2. g) *deest* 2. h) et inermes *des.* 2. i) solita 2. k) threnť. 1; Trentones 2. l) gronieñ 1. m) fiv̄ 1. n) inierit 2. o) groningeñ 2. p) Ernensibus 2. q) et *add.* 2. r) itaque 2. s) *deest* 2.

[1] a. 1228. Cf. Gesta ep. Traiect. c. 29, supra p. 417 et 512. [2] Scharmer praeposituræ Loppersum. [3] Eenrum praepos. Bafflo. [4] Uithuisen praepos. Usquert. [5] Cf. quae disseruit vir d. Acker Stratingh in Bijdragen tot de Geschiedenis van Groningen VI, 72 sq. [6] incolae regionis Drenterwold, quae sita est ad meridiem urbis Groningen. [7] Hunse. [8] scilicet Fivelgones victores.

1231. metum belli, quod 4. Idus Septembris episcopus ipsorum indixit se facturum; sed pro fide Sept. 10. servanda obsides dederunt. Quarto vero Idus Septembris Ernerenses, adductis plurimis[a] trans Lavicam bellatoribus et aliis quam plurimis hinc inde, facto impetu vastarunt villas adversariorum quot[b] voluerunt, sed nec ecclesie Dei pepercerunt, nec feminis reverentiam exhibuerunt[c]. Incenderunt etiam ecclesiam in Usquert[d] et iuxta illam inclusum bone fame; et tunc in illa ecclesia consumptum est igni dominicum sacramentum. Ecce ad tantum nefas traxit[e] eos feritas rebellandi, cum pro fide violata impeterentur. Confederati fuerunt illi[f] de Hugemerke[g], de Midach[h], de Merna, de Groninge, cuncti bellatores, instigante quosdam sola superbia, quosdam quidem timore patrie spoliande. Inter ceteros de Hunesgonia capitales[9] erant Eppo, Eyzo[i], et Egbertus rector Groniensium, oblitus tocius consilii et auxilii quod impenderant ei Fivelgones[k], quando eiectus fuerat a prefata villa per Geleconidas[l], et hoc in recenti. Propter huiusmodi tam[m] detestabile sacrilegium, procurante viro honesto domno Herbrando decano ecclesie illius, excommunicati sunt ab episcopo Ludolfo; et eadem excommunicatio confirmata est a domno Gregorio papa IX. Ernerenses igitur, inconsulto domno papa, pecuniam ad ecclesie reparationem exposuerunt et per pecuniam datam prefato[n] episcopo reconciliari studuerunt. Eodem tempore defunctus est predictus[o] decanus possessor ecclesie in Usquerth[d], tercius heres illius nominis, relicto parvulo eiusdem nominis.

Phil. 4, 9 Cum[p] autem dicat apostolus: *Pacem habete, et Deus pacis erit vobiscum*, dicunt sapien- *col. 97. tes: *Militare non est peccatum*. *Dicit enim Augustinus: *Quid culpatur in bello? An quia morituri aliquando moriuntur, ut dominentur in pace victuri? Hoc reprehendere timidorum est, non religiosorum. Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, implacatus animus, feritas rebellandi, libido dominandi, hec sunt, que in bellis iure culpantur.* Unde sciri potest, quod illud sit iustum bellum, quo edicto a principe vel papa nec vindicatur illata, nec propulsatur inferenda iniuria. Clericis non licet arma movere manu propria, sed moventibus possunt auctoritatem dare, XXIII. qu.[q] ultima[10]. Omni tempore militari potest, si culpa subest. Pugnandum est causa necessitatis et utilitatis pro defensione sui et suorum et ecclesie ac fidei et patrie regni. Leo enim papa populum contra Sarracenos congregari precepit et cum eis Romam egressus, ad litus descendit maritimum[11]. Quia Deum videtur temptare, qui sancte religionis detrimenta non precavet, XXIII. qu. 8. c. *Igitur*[12] etc. *Si nulla*[13]. Nam si hodierni temporis ecclesia, perfectionem euangelicam et pacienciam imitata martirum, paganis colla submitteret, evacuaretur predestinatio et excideret promissio. Et ideo Machabei magis sabbato rebellare quam pariter omnes interire elegerunt. Sed valde cavendum, ne predicta verba Augustini, scilicet *Nocendi cupiditas* etc., conscientiam remordeant.

1232. Anno[r] gracie[s] 1232. Hunesgones intraverunt terminos Fivelgonie et succenderunt Sept. 17. Wigbaldeswerf[14]. Et postea 15.[t] Kal. Octobris post placitum sollempne, quod Groninge habuerunt, cui etiam interfuerunt Translaicenses[u], post pocula exhausta ascenderunt equos equites, et admixta est multitudo peditum, spe predandi adversarios; et hora vespertina superbe intraverunt villam Emetha, horrenda et incerta nebula. Et concrepatione campanarum stupefacti fugerunt, et in fuga in via publica comprehensi miserabiliter sunt occisi[v] et capti pene meliores terrae ad quadringentos; alii innumeri vulnerati evaserunt; quidam Sept. 18. vero secus viam relicti. Et sic nox hos et illos obtexit. Proximo[w] sabbato episcopus Ludolfus celebravit ordines clericorum Bedum, qui iam tercio Frisiam intraverat. Postmodum Fivelgones habito consilio statuerunt, quod captivi omnes in turribus quarundam *col. 98. ecclesiarum includerentur, donec plenius deliberarent, quid de illis utilius fieret. *Sed medio tempore ad magnam confusionem omnium furtive de turribus aufugerunt. Et[x] sic postea illo anno nichil memoria dignum actum fuit[x].

Anno gracie[y] 1233. effudit abissus superior horrendam satis pluviarum inundantiam a

---

a) pl. *in loco raso eadem manu* 1. b) quod 2. c) *hic desinit manus prima; incipit alia manus coaeva, ut videtur Menkonis in* 1. d) Husquert 2. e) attraxit 2. f) iłł 1; illis 2. g) Hugemercke 2. h) Midag 2. i) Eyro 2. k) Fivelgonenses 2. l) Geliconides 2. m) *deest* 2. n) pec. prefatam 2. o) praefatus 2. p) Cum — conscienciam remordeant *col.* 97 *des.* 2. q) Q. 1 *semper.* r) *pro* A *rubricatori spatium vacuum relictum est* 1. s) igitur 2. t) VI° 2. u) translaueñ 2. v) *in margine eadem manu add.* 1. w) Post prox. 2. x) Et — fuit *des.* 2. y) *deest* 2.

9) i. e. proceres, capitanei; cf. etiam infra apud Menkonem col. 155. 10) i. e. 8. 11) V. c. 7. C.XXIII. qu. 8. 12) c. 7. 13) c. 15. 14) Videtur esse Wytwert praepositurae Loppersum.

1232. Iul. 1. Sept. 14. Kalendis Iulii et deinceps; et exspaciata est aqua[a] huc atque illuc per campos et planiciem terrarum, duobus annis retroactis satis aridis. Presertim post exaltationem sancte crucis tanta fuit ymbrium effusio mense Septembri[b], ut diluvio maris posset adequari[c]; et ideo fenum multum periit et prata relicta sunt cum vellere suo. Residuum feni magnis navibus ducebatur per campos et vias, quasi per alta maria. Annus[d] ille fuit magne afflictionis hominum et animalium, ut homo iure et deinceps reddat Deo vota laudis sue et cogitationibus suis confiteatur ei, et reliquie cogitationis, id est recordationis peccatorum que debent esse in memoria, ne superbiant abstinentes ab operibus malis. Verisimile fuit, quod in illa inundatione superioris abissi, que hactenus salsugo in sinu terre delituit, diluta sit et absorta. Extunc enim terra cepit solitos fructus reddere. Unde, o vos christiani dignis flagellationibus castigati, orate humida solsticia propter estum estatis et hiemes serenas. Duo quippe dicuntur esse solsticia, videlicet 12. Kal. Ianuarii et 12. Kal. Iulii, et duo equinoctia 12. Kal. Aprilis et 12. Kal. Octobris[15]. Dicit ergo ille pronosticus[16]: *Cum libra fecerit equinoctium in Octobri, serite ordea campis, si fieri posset*[e]*, etiam usque ad Ianuarium, et lini segetem. Vere fabis*[f] *satio est, cum signum tauri* 15. *Kal. Aprilis apparuerit. At si triticum et aliud genus farris, quod habet aristas, serere volueris, ante abscondantur Pliades, que pridie Nonas Aprilis occidunt, debita quam sulcis*[g] *committas semina. Multi ante occasum earum, videlicet ante Aprilem, cepere, sed illos expectata seges vanis elusit avenis.* Signa in sole et luna commendantur agricolis, nam Deus est, qui fecit luminaria in potestatem dierum et noctium. Sol[17] in ortu maculosus, abscondens se, significat imbrem; radiosus et pallida aurora grandinem; ceruleus pluviam; igneus euros; macule cum igne ventos et imbres in occasu. Luna nova nigra significat ymbrem, rubea ventos. Quarta vero certissima signa dat. Si tunc

Pura, nec obtusis per celum cornibus ibit,
Totus et ille dies, et qui nascentur ab illo
Exactum ad mensem, pluvia ventisque carebunt.

'Imbrem etiam prenunciat bucula celum suspiciens, rana querelans, hirundo lacus circum-' col. 99. volitans, formica ova efferens, corvi facto agmine rauce crepitantes et arcus aquosam pretendens faciem. Signa serenitatis sunt hec: stelle per imbrem nec nimis obtuse nec nimis scintillantes, nebula ima petens, noctua non clamans, corvi ter vel quater gutture presso clamantes et illud[h]:

Nocte rubens celum cras indicat esse serenum;
Si de mane rubet, signum donat pluviale.

Anno eodem[i] statuta domni Gregorii pape IX.[17*] transmissa sunt Premonstratum in capitulo generali. Obiit Geico[k] decanus in Fermesum, vir per omnia secularibus actibus ydoneus et bene religiosis obsequiosus. Successit ei Sicco quartus a proavo Sigrepo.

1234. Ian. 6. Anno gratie 1234. circa epiphaniam duo de Predicatoribus Bremensis collegii Fivelgoniam intraverunt ad crucesignandum contra Stethingos[l]. Qui[m] post negocium eorum in ecclesia Dammensium[n. 18] declaratum aliquanto populi tumultu vexati sunt, et ideo Groninge se transtulerunt et Dammenses[n] excommunicatos denunciarunt. In Groninge ergo[o] et per Hunesgoniam stationes instituerunt et adulati sunt invicem cum Groniensibus et Hunesgonibus, ac Stathingos[p], Threntones et Fivelgones pares esse propter inobedientiam, dicere non timuerunt. Isti[q] inquam Predicatores inclusis, quorum fuit ingens multitudo, propter abusiones quibus simplices alliciebant, valde insultabant, et precipue uni illorum de Stetheswerth[19]; qui incorrigibilis apparuit, illusionibus deceptus simplices alliciebat; et contra eum adeo processerunt, ut eiceretur de clusa et per manum armatam Groniensium duceretur Groninge. Qui post confessionem multarum blasfemiarum vix quod non combureretur evasit et in penitentiam perpetuam in specu subterraneo peragendam abbati suo de Rottum redditus est. Nam ibi olim conversus fuit. Isti inquam Predicatores,

---

a) *deest* 2. b) fuit inundatio mensis Septembris 2. c) possit aequari 2. d) Annus — signum donat pluviale *col.* 99 *des.* 2. e) poss; 1. f) fabas 1. g) *correxi;* fulcis 1. h) $\overset{d}{i}$ 1. i) Eod. anno 2. k) Geyco 2. l) Stetingos 2. m) Sed 2. n) Damens. 2. o) *deest* 2. p) Statingos 2. q) Isti — se intromitterent *col.* 100 *des.* 2.

15) Cf. Isidori Etymolog. V, 34. 16) Sequentia secundum Vergilii Georg. I, 208 sq. formata sunt, cuius verba passim sapiunt. 17) Cf. Bedam De rerum natura c. 36. 17*) Videntur esse Decretales seu Liber Extra. 18) Appingadam. 19) Stitswert praepos. Usquert.

1234. ut multis visum est, sine discretione usi sunt auctoritate ligandi et solvendi, quasi gladio
in manu furentis. Pauci igitur cruce signati sunt contra Stathingos. Dammenses itaque
post multas comminationes vix optinuerunt reconciliari, post castigationem virge, profusis
genibus, nudi et prostrati, per aliquot signatos emissos contra pretaxatos Stadingos. Denique
Predicatorum istorum vexatione quasi divinitus timor et tremor cecidit super Fivelgones
* col. 100. *propter coniurationem, quam fecerant instigante Hecello et quibusdam aliis contra
episcopum super rescriptis, que impetrabat clerus, et contra interdictum ecclesiarum et
contra bannos immoderatos, et maxime contra satisfactionem pecuniariam, quam statuerat
episcopus pro sacerdotibus occisis iam ante annos quasi quinque, conspirantes et coniurantes
compositionem sacerdotis occisi non excedere quadringentas marcas, et alia quedam
coniuratione firmarant, in preiudicium canonicarum sanctionum[a], contra quod dicit Calixtus
papa XI.[b] qu. 1.[20]: *Coniurationis astucia non solum inter christianos abhominabilis est, sed
et inter ethnicos, et ab exteris legibus prohibita.* Contra quos domnus Ludolfus episcopus
Monasteriensis recto utens ordine, a domno papa iudices optinuit Sancti Petri et Sancti Iohannis
decanos et custodem Osnaburgensis ecclesie. Per quos frequenter commoniti et
interdicto ecclesiarum puniti, non resipuerunt, sed iustam quandam querelam sibi habere
videbantur adversus sacerdotes fornicarios et tabernarios, quos ante humiliationem laicorum
corrigere dissimulavit episcopus. Et non solum non de ordinibus, sed nec de rebus
ecclesiasticis legitur aliquando laicis attributa disponendi facultas. Unde quecunque in
ordinibus a principibus decreta inveniuntur, nullius auctoritatis esse monstrantur. Ita continetur
distinctione 96.[c]: *Bonum quidem*[21]. Casus talis: Symachus Simplicius[d] papa infirmabatur.
Cumque de salute corporis desperaret, supplicavit Basilio urbis Rome prefecto, ut
interponeret partes suas de electione pape futuri ad scisma sedandum. Procedente tempore
quidam clerici presumpserunt de papatu tractare et res ecclesie alienare. Quod audiens
Basilius egre tulit, et convocatis episcopis protulit constitutionem. Deinde defunctus est
Basilius, et convaluit Symachus reprobavitque constitutionem a Basilio factam, et hoc, ne
in posterum laici de rebus ecclesiasticis disponendis se intromitterent. Anno igitur prefato[e]
Febr. 27. 3.[f] Kal. Martii de beneplacito episcopi soluta est stulta constitutio laicorum renunciantium
eidem, precipiente episcopo, ut penitentiam agerent et ex gratia de expensis, quas
fecerat, liberi essent.

Eodem anno Predicatores hac et illac versus Hrenum[g], Westfaliam, Hollandiam, Flandriam,
Brabantiam quasi nubes volabant et principes ac populos contra Stadingos[h] concitabant.
Quos contra querela Bremensis archiepiscopi iam pene per quinquennium auribus
domni pape illata est, qui tribus episcopis causam huiuscemodi delegavit. Et ut multis
* col. 101. innotuit, inter cetera reprehensibilia *principalior causa fuit inobedientia, quae[i] sceleri
1. Reg. 15, 23. ydolatrie non est inferior, dicente Samuele, 1. Reg. 15.[k]: *Nolle obedire scelus est ydolatrie.*
Illi nanque, licet gens modica fuerit[l] secus ripam Wisere fluvii, propter violentias quas
milites et servientes intrantes ad eos irrogabant, omnes huiuscemodi eiecerunt et se defenderunt
et interim redditus episcopi et ecclesiarum non reddiderunt, propter quod sacramentis
ecclesiasticis et sacerdotum ministerio privati sunt. Prefati igitur episcopi propter
inobedientiam eorum causam sibi commissam Predicatoribus commiserunt, quatinus ad
coertionem illorum[m] crucem darent omnibus peregrinari volentibus in remissionem omnium
peccatorum. Non parva ergo multitudo signata est in prefatis partibus. Terminus quoque
Mai. 27. peregrinationis ad preliandum constitutus est 6. Kalendas Iunii, sabbato ante ascensionem
Domini. Affuit ergo comes Hollandie[22] cum multa acie pugnatorum in multis navibus.
Aderat et comes de Gelre[23] et de Cleve[n][24]. Affuit ibi dux Brabantie[25] cum incredibili multitudine
bellatorum. Stathingi igitur[o] quid facerent pauci inter multos, inobedientes inter
catholicos? Premortui et obstinati, nolentes relinquere glebam patriam, in occursum se
transtulerunt et ultro preliari ceperunt. Et in primo congressu comes de Aldenburch[p][26]

---

[a] santionum 1. [b] 2. *H.* [c] XCIV. *H. male.* [d] Simplicius *deest H.* [e] Eodem anno 2. [f] *deest* 2. [g] Rhenum 2. [h] Statingos 2. [i] quae — ydolatrie *des.* 2. [k] Sam. — 15. *in marg. superiori eadem manu; in textu* Salomone *deletum* 1. [l] fuit 2. [m] ipsorum 2. [n] comes Geldriae et Cleuuiae 2. [o] Statingi ergo 2. [p] Oldenburgh 2.

[20] c. 22. C. XI. qu. 1: *Conspirationum,* non vero *Coniurationis.* [21] c. 1. D. XCVI: *Bene quidem,* ex quo sequentia desumpta sunt. [22] Florentius IV. [23] Otto II. [24] Theodericus V. [25] Heinricus I. [26] Heinricus.

laxatis habenis cum equo cadente corruit et occisus est. Fama fuit, aput Stathingos[a] fuisse 1234.
11 milia pugnatorum. Princeps exercitus christianorum fuit dux Brabantie, qui tandem
coacta milicia hinc inde illos perditos[b] et lassos iam circumcinxit et, facto impetu, in ore
gladii consumpsit. Fama fuit, multos viros et mulieres exitu preconsiderato in palude et
alibi se[c] per fugam servasse.

Et hec est tercia crux data contra inobedientes quasi ydolatras. Nam prima fuit contra
Sarracenos; secunda contra hereticos Albigenses; tercia contra Stadingos[a]. Multe siquidem
novitates in diebus domni Gregorii noni pulularunt[d]. Prima est religio Predicatorum,
qui ut nubes volant; item Humiliatorum seu Nodosorum vel Nudipedum[27]; item quorundam
simplicium, qui dicuntur Beggini[e]; item collegia communium feminarum; item Asininorum[f]
ducentium asinum; item fratrum de gladio; item de novitate miraculorum; item
de quodam de Armenia[g], qui Rome in turba cum tuba[h] perstrepuit dicens: *Laudate*[i], *properate;*
*item ordo de redemptione captivorum, qui dicitur sancte Trinitatis; secta 13. in *col. 102.
Longobardia; item unum quinque decretalium.

Anno eodem fuit annus concertationis Nordensium duodecimus, qui conflixerant cum 1223.
Hundrensibus[28] et Herlingensibus[29] et Upgentensibus, Emesgonibus, Brokmannis[k][30], et
multos centenarios hominum hinc inde prostraverant[l]. Ipsi quoque damno, ut dicitur,
quingentorum occisorum puniti sunt. Cunctis predictis terris[m] summam puri auri mille
marcarum et quinque milia argenti pro pace optulerunt. Totidem quoque marcas secundum
monetam Emethensium exhibuerunt Uttensibus[n][31], quas olim acceperant ab eis, ne se inimicis
eorum sociarent. Annus etiam fuit quartus guerre Hreidensium[o] cum parochianis 1231.
de Eskathorp[p][32] et fautoribus suis. Hreidenses[q] quippe postquam offensi fuerant propter
iniurias ipsis illatas redeuntibus vel etiam euntibus ad nundinas frequenter, indicto bello
indocti ad arma et inermes cum pilleis pennatis[r] et equis impinguatis congressi sunt in
campo trans Emesam, et disposita acie ipsorum in multitudine gravi irruerunt[s] hostes, licet
pauci, et versa est multitudo in fugam secus Emesam in obliquum, et pene omnes nobiles
vel divites capti sunt, alii alias fugientes naves non apprehenderunt et amni se crediderunt
et in eo capti sunt vel[t] submersi. Duces adverse partis fuerunt Stephanus et Eustachius
et milites de castellulo Fresenberch[u][33] sub comite de Ravenesberch[34], qui consilio pacifico
usi, reddiderunt captivos. Et sic aliquamdiu quieverunt.

Anno[v] secundo post inchoatam guerram a Hreidensibus contra incolas Emese superiores 1233.
prefatos, ortum est bellum inter Emesgones inferiores et Hreidenses propter quendam
Hreidensem submersum, qui voluit predari venientes de nundinis, quem Emesgones indignum
compositione censuerunt iure predonis. Emesgones ergo collectis navibus et repletis
applicuerunt et, scissis aggeribus, proximas villas compulerunt ad deditionem. Amnicole
vero non consenserunt, sed viriliter eos de partibus superioribus repulerunt. Anno igitur 1234.
Domini 1234. auxilium veterum hostium et comitis de Ravenesberch Emesgones *postularunt, *col. 103.
sed pauci venerunt. Eodem tempore Hreidenses a Fivelgonibus auxilium petiverunt,
Frodasilvani similiter. Mota enim gens a quatuor monetis[35] a Stauria usque Lavicam
contra Longawaldenses[36] et Frodawaldenses, quia in prelio episcopi Wilbrandi adiutores
extiterant Threntonum in occisione et spoliatione ipsorum, et similiter contra Fivelgones,
quorum quidam prope Emesam piraticam predam contra mercatores eorum exercuerunt.
Sed non credidit gens illa sibi, et ideo ab invicem recesserunt[w], cum hactenus unius fori
fuissent.

Ecce[x] quod expertus est ille nobilis concionator, in manifesto nobis est; qui dum sufficienter
ostendisset, humanum statum esse incertum et fluctuantem, subiunxit: *Omnia in*

a) Statingos 2. b) inde proditos illos 2. c) *deest* 2. d) pullularent 2. e) Begini 2. f) asinorum 2. g) Harmenia 2. h) turba contraria 2. i) et *add.* 2. k) Brockmannis 2. l) prostraverunt 2. m) *deest* 2. n) Uthensibus 2. o) Rheydensium 2. p) Escadorp 2. q) Reydenses 2. r) armatis 2. s) eruerunt 2. t) et 2. u) Fresenburch 2. v) *abhinc reliqua omnia Chronici Emonis desunt* 2. w) et id. ab i. r. *bis scripta, secunda deleta* 1. x) Soliloquia auctoris *lemma in marg. eadem manu* 1.

27) i. e. fratrum Minorum. 28) Hinte praepositi sedes ab Emden orientali ad septentriones. 29) in praefecturis Esens et Wittmund. 30) in praefecturis Marienhave et Aurich. 31) Uttum. 32) Aschendorf in dextera ripa Amisiae ad meridiem oppidi Papenburg situm. 33) Idem esse videtur, quod infra apud Menkonem col. 169 Fretheburch audit. 34) Ottone. 35) Haec vox usurpatur pro voce Frisica *monda*, quae significat id quod communia, v. Richthofen, Altfris. Wörterbuch 934. 36) Regio Langewold in pago Hugmerchi.

Eccl. 3, 1 *mundo sibi contraria, et nichil eternum,* dicens: *Tempus et tempus omni rei sub celo,* et post
ibid. 8. pauca: *Tempus pacis et tempus belli.* Reversus itaque in se, contemplatus est in illa specula generali, que est sui ipsius cognitio. Unde Boetius: *Cognosce te ipsum, et cognosces omnia presentia, preterita et futura.* Et invenit, quia multiplex est bellum, inter Deum videlicet et hominem, inter hominem et hominem, inter diabolum et hominem, inter spiritum et mundum, inter spiritum et carnem, inter virtutes et vicia. Locus belli mundus.
Iudith 16, 3. Tempus milicie presens vita. Unde est illud: *Domine, qui conteris bella ab inicio.* Fuit enim bellum sub Lucifero, sub gigantibus, sub turrim edificantibus, inter circumcisos et incircumcisos; sub lege inter Iudeos et Israelitas; in novo testamento inter Christum et diabolum, inter christianos et paganos, inter hereticos et catholicos, inter veros fratres et falsos; sub antichristo inter angelos et homines in iudicio. Est etiam iugis pugna virtutum cum viciis in anima hominis. Nam prima omnium virtutum petiit campum pugnatura fides; secuti sunt apostoli et martyres. Adiutrices erant fidei spes, caritas et pacientia. Occurrit ydolatria cum proceribus huius mundi, et post octo generales persecutiones Dei gratia evanuit ydolatria. Deinde prodiit pudicicia, et occurrit sodomita libido, que gladio verbi per collum fixa prostrata est. Post fidem et castitatem procedit patientia. Occurrit ira
* col. 104. tumens, que frustra arma consumens, sed deiciens, *cuspide versa se ipsam transfixit. Sequitur superbia in equo impacienti, cui occurrit humilitas, iuncta sibi spe. Sed post multas blasfemias superbia corruit in foveam et conculcata est. Prodit luxuria, videlicet omnium rerum superfluitas ebria; cui occurrit sobrietas et crucem Domini intentans fugat hostem, et de curru cadens lacerata est et, dentibus silice contritis, vomuit quas hauserat escas. Instat adhuc avaricia succincta gremium, que post multas simulationes etiam virtutum comprehensa est a largitate et strangulata. Adhuc procinctus bellicus non est solvendus tibi, o anima, quia oritur invidia ex discordia ad disturbandum triumphum latenter; cui occurrit concordia, stipata legione omnium virtutum, sed fides pilo transfixit linguam illius
Ps. 37, 11. heretice pravitatis. Hec sunt multiformia bella in anima. Unde ille: *Conturbata est anima mea,* et merito, quia adhuc supersunt feculente turbationes preter predictos conflictus etiam in anima sapientis, succedentes sibi vicissim pro causarum varietate, que pocius dici debent in anima sapientis affectiones. Nam affectio est mutabilis mentis impulsio. In insipiente perturbationes sunt. Primus quidem modus perturbationis secundum poetam est metus,
Verg. Aen. VI, 733. unde: *Hinc metuunt, cupiunt gaudentque dolentque.* Auctoritate vero sacre scripture primus motus est cupiditas, secundus metus, tercius dolor, quartus gaudium, quia radix omnium malorum cupiditas. Cupiditatem sequitur tenacia, multiplicatio, inaffectio, voluptas. Metum sequitur sollicitudo, inconstantia, fictio, irrationabilitas. Dolorem[a] sequitur livor, amaritudo, clamor, crudelitas. Gaudium sequitur dissolutio, iactantia, mendacium, superbia. Ecce quot et quales perturbationes secuntur quaterniones predictos. Hii etiam dicuntur nuncii importuni in malum, quibus in anima sapientis respondent cardinales virtutes, videlicet timori prudentia, dolori fortitudo, spei iusticia, gaudio temperantia. Hiis etiam ratio domum suam, id est carnem et animam, disponit in bonum, utens timore pro ianitore, dolore pro dapifero, gaudio pro pincerna, spe pro cubiculario. Hii etiam gemme dicuntur in corona in bono, ut caput anime coronent: timor in fronte, superposita sibi iusticia, spes in occipite, superposita sibi prudentia; dolor a sinistris cum fortitudine; gaudium a dextris cum temperantia. Quis non miratur tot varietates in bono et in malo? Sunt etiam
* col. 105. gaudium *et dolor de presenti, timor et spes de futuro; dolor et timor de malo, gaudium et spes de bono. Novit, quia inter ista quasi inter diversas molas conteritur, et sicut nec pax est temporis, quamvis instanter oretur, sic nec ista sinunt miserum animum requiescere.
Ps. 41, 5. In tanta tristicia consuluit propheta dicens: *Effudi super me vel in me animam meam,* ad Deum videlicet, qui est solus supra rationalem animam, cui similis est, quia ceso corpore non decrescit. Sic etiam Deus inpermutabilis permanet quod est, quamvis res, in quibus est anima, varientur. Anima dum supra se extenditur, videt Deum in se remanens, non comprehendit, sed cogitat supra se esse illam invisibilem deitatis essentiam. Visione corporea nullus vidit Deum, quia spiritus est. Visione enigmatica videtur per fidem in presenti. Comprehensive, pure videtur ab angelis, a sanctis, ab animabus bonis. Videtur tamen in presenti per inspirationis, contemplationis, orationis, meditationis, predicationis

---

a) dolor 1, *manu recentiori correctum.*

effectum, vel etiam quando redit ad se, dimissis exterioribus et dilatato intellectu, Deum intelligit et quodammodo videt et recognoscit. Si vero inferior vis anime contristetur, consolatur eam ratio, et revocat ad se exhortando dicens: *Quare tristis es, anima mea, et quare* Ps. 41, 6. *conturbas me? Spera in Deo* etc.

Anima hominis proprie dicitur, non pecudum, quia illorum vita in sanguine est constituta. Hec quoniam immortalis est, anima recte dicitur, quasi amena, id est a sanguine longe discreta, quia post mortem corporis perfectam eius constat esse substantiam; vel dicitur anima eo quod animet substantiam atque vivificet. Animus dicitur a nimi, id est a vento, quod cogitatio eius ad instar venti motu celeri pervagatur. Fit autem ex appetitu eius et desiderio. Mens dicitur a mene, id est a luna; modo enim tribulationibus attenuatur, modo leticia reparatur. Spiritus quoque tripliciter dicitur. Veraciter spiritus nullis indigens, complens universa, totus in toto immobilis loco, et voluntate eternus, que summa sunt singulariter potens. Spiritus quoque dicitur tenuis substantia, nobisque invisibilis, creatus immortalis. Dicitur etiam spiritus per totum corpus emissus atque receptus, per quem vita mortalium flatu necessario continetur, nec ocium capiens, iugi mobilitate reparatur. Anima igitur nec animus nec mens proprie vocatur, sed quia res iste in ea excedunt. Dicatur igitur anima, dum corpus vivificat, animus dum vult, mens dum scit, memoria dum recolit, ratio dum recte iudicat, spiritus dum spirat, sensus dum sentit, voluntas dum consentit. Anima igitur hominis dicitur spiritualis substantia, que nullatenus sanguinis effusione consumitur. *Anima hominis est a Deo creata, spiritualis propriaque substantia, sui * col. 106. corporis vivificatrix, rationalis et immortalis, sed in bonum malumque convertibilis. A Deo creata est, qui dicit: *Omnem flatum ego feci.* Spiritualis, quia nec longo, nec lato, nec Iesai. 67, 13. profunditate clauditur. Propriaque substantia, quia nullus spiritus alter carnem suscipit, ut eius passionibus condoleat vel letetur. Item ineffabili conditione diligit carnem suam. Vita corporis anime presentia est. Accepto vulnere in corpore dolet, quia ubique substantialiter inserta est. Alimenta competentia ubique dispergit. Non potest se segregare, nisi secundum iussionem conditoris. Rationem habet, quia divina tractat, que est animi probabilis motus, que per nota ad ignota ducit, cogitationes suas apprehendit, movetur, erigitur, fluctuari cognoscitur. Immortalis est, quoniam corpus vivificat, in semet ipsa vivit. Non constat ex pluribus, simplex natura est. Ad ymaginem et similitudinem Dei facta est, et ideo ab eo non discrepat. Sed ymago potest habere aliquam similitudinem, non hoc[a] potest implere quod veritas. Passionibus obnoxia est et meroribus pervia. Vivit in se post huius seculi amissionem, pura, subtilis, cita, eterna, videt, audit, tangit, omnia spiritualiter ex toto cognoscens. Affectionibus hic[a] obnoxia est; modo gaudio levamur, modo merore deprimimur. Affectio, que venit et recedit, incerta est. Dei enim hoc esse, quod sapere, non est intelligenda pars Dei, quia convertibilis est; nec angelorum, quia carni sociabilis est. Semper eam naturalis mobilitas exagitat ad cogitationes; nam sopitis sensibus ymaginatione deludimur. Bonarum rerum amissibilis ac receptibilis est; non recolit magis quam discit artes usuales, et nova sic audit, quasi nichil ex hiis didicisset. Nobili semper ardore vegetatur, et calore membra vivificat. Nescit habere adversum, quia simplex est. Lumen non improbe dicitur propter ymaginem Dei, quod pro modulo suo necessarium accipit Patrem et Filium et Spiritum sanctum; quia una substantia, non discreta maiestas, splendor est super omnes fulgores. Potest quidem ex aliqua parte sentire, sed ydonee non valet explicare. Lumen aliquod spirituale anima habet. In cogitatione positi quiddam in nobis tenue, volubile, clarum sentimus, quod respicit sine sole. Et quia in se lucida est, rerum conspicientiam habet; clarior fit, cum a Deo bonis actibus intenta non recedit. Anima formam habere nullatenus putanda est. Forma dicitur, que aliquod spacium linea lineisve concludit. De divite guttam in igne *postulante sic intelligitur, ut humana presumptio quid * col. 107. formidare debeat agnoscat. Anima licet informis, formas legitur accipere frequenter. Ipsa quoque quantitatem penitus non habet. Quantitas enim aut de coniunctis constat, ut arbor, homo, aut de disiunctis, ut populus. Nec formam recipit, nec quantitatem, ubicunque est. Creatori tamen circumstantia eius et quantitas patet, qui omnia sub mensura, numero et pondere creavit. Iusticiam habet contra prava et iniqua, prudentiam contra confusa et incerta, fortitudinem contra prospera et adversa, temperantiam contra non rectos impetus

[a] H 1.

carnis et delectationes. Hiis quatuor anime salus custoditur. Hec quatuor per tria complectitur, contemplatione, ratione, memoria. Stultis iuvenibus obviat, quod aut in parilitate partium aut humoribus anima inepta nimis habitatione deprimitur. Multis morbis accedentibus acumen solite sapientie tollitur. Ceterum anima nec crescit cum parvulis, nec fatuis alie tribuuntur; sed sicut immortalitatem assumunt, ita et rationabiles esse se generaliter sentiunt. Parvulis ratio crescit longa meditatione, non anima.

Anima naturales habet virtutes. Prima est ymaginatio, per quam incorporalia ymaginarie sentimus. Secunda imperativa, que facit transferri de loco ad locum, voces edere, membra curvare. Tercia principalis, que facit, corporalibus sensibus sopitis, profundius firmiusque aliquid tractari. Quarta naturalis, id est calor animi vitalis, qui nobis, propter suum fervorem moderandum auras ethereas hauriendo et reddendo, vitam tribuit. Quinta delectatio, appetitus boni malique, que sub iocunditate animus concupiscit. Prima est attractiva, rapiens de naturali quod sibi necessarium sentit. Secunda detentoria, donec decoctum procuretur. Tercia translativa. Quarta expulsiva, que contraria expellit. Legitur, mox ut corpus de limo est effectum, statim Deum insufflasse, factumque esse Adam in animam viventem. Insufflatio Dei mandatum est et iussio. Secundum hoc dixerunt, mox ut semen humanum coactum fuerit in vitalem substantiam, illico creatas animas corporibus dare discretas atque perfectas. Phisici quadragesimo die humanum corpus ac mortale animam dicunt accipere. Fixe credendum est, et Deum animas creare et occulta quadam ratione iustissime illis imputare, quod primi hominis peccato tenentur obnoxie. Dominus *col. 108. autem Iesus Christus absque peccato sine dubio *venit, qui erat omnium peccata soluturus.

Quidam anime sedem, quamvis sit in toto corpore diffusa, in corde esse volunt, dicentes quod ibi purissimus sanguis et vitalis spiritus continetur, ut inde etiam cogitationes sive bonas sive malas exire confirment, quod anime virtutem operari posse, non dubium est. Plurimi autem animam in capite insidere manifestant, ad similitudinem aliquam divinitatis, que licet omnia ineffabili substantia sua repleat, scriptura tamen eam celos insidere confirmat. Fuit in primo homine beatitudo naturalis, arbitrii liberi potens[a] et inviolata scientia; sed in transgressione perdidit quod posteris traditurus acceperat. Ad nos transmittere[b] potuit quod amisit. Inde propagatus interitus, inde nutrita defectio, inde ignorantia, inde cure, inde penitenda consilia, obscurata cognitio, turpe desiderium, iusticie neglectus, plura nobis cum pecoribus communia, que[c] divinitas voluit[d] esse discreta. Pronunciat enim nobis, proch dolor! solis discessio serenitatis adventum; venturam seculis libertatem temporum ratione colligimus; leticiam nobis interdum ignari animi presagio promittimus. Sed quid tale ignorare potuisset anima, si eius fuisset dignitas custodita? Depressa est iure ad ignorantiam, que scire voluit contumaciter vetita. Modo signis aut coniecturis sapit aliqua, que sine labore nosse potuit universa

Augustinus[e]: Anima est res spiritualis, vicina substantie Dei, que corpus movet, regit, sensificat, capit rerum infinitarum ymaginem, et revocat se ab exterioribus, secundum quod dicitur mens rationalis. Est autem a Deo non de Deo nec de aliqua preiacenti materia, sed de nichilo creata, nichil habens simile in aliqua creatura. Quicquid intelligit, tota scit, etiam si non totum scit, scit se viventem et intelligentem vel aliquid volentem. Cum ergo se intelligentem scit, se utique scit. Vis anime ingenium est, vis scilicet ad aliquid cito percipiendum. A quo est sensus applicatione exteriorum per visum et cet. De sensu surgit opinio et ratio. Opinio scilicet fluctuans et incertum vel falsum de rebus anime iudicium. Ratio verum et certum, videlicet de re corporea. Sequitur intelligentia que est certum iudicium de re incorporea, que est solius Dei. Efficientia[f] anime est in vi vegetandi, sentiendi, ratiocinandi; ratio in presentium noticia scilicet, quid sit, in absentium intelligentia, quale sit, in cognitorum inquisitione, cur sit, et extenditur ad cognitionem nature et morum *col 109. disciplinam. In anima sunt ratio, memoria, voluntas, *triplex dignitas. Unde: *Diliges* Matth. 22, 37. *Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota mente et ex tota anima tua.* Hec trinitas corruit per suggestionem, delectationem, consensum in imprudentiam, infirmitatem, immundiciam. Ratio recipit malum pro bono, pro vero falsum, incommodum pro commodo, et sic perdit ethicam, logicam et practicam. Memoria scissa est in cogitationes affectuosas, onerosas, ociosas; voluntas in concupiscentiam carnis et oculorum et superbiam vite. Sed

---

a) patens 1. b) non *ab Emmio add.* 1. c) *correxi;* quam 1. d) *haec vox ab Emmio in marg. add.* 1. e) Aug9 *rubricae instar positum est in dimidia linea vacua praecedenti* 1. f) E *littera deest, a rubricatore non suppleta* 1.

per virtutes catholicas reparatur: fide, spe, caritate. Item cordis proprium est Deum diligere, anime Deum credere, et que Dei sunt vere discernere. Mentis est recordari, diligere Deum, sapere. Item anima habet tres dignitates, intellectum, voluntatem, memoriam. Intellectus in corde, ex intellectu generatur voluntas, de ambobus procedit memoria.

Sunt autem tres vires anime, rationabilitas, irascibilitas, concupiscibilitas, quibus assistunt fides, spes, caritas. Sunt et quatuor virtutes cardinales date anime in adiutorium operationibus[a] suis. Prudentia assistit rationi, ne erret in agendo vel omittendo. Temperantia concupiscibilitati, irascibilitati adest fortitudo. Iustitia assistit libero arbitrio, ex quo procedunt opera meritoria vel demeritoria; vel iusticia omnes circuit et ordinat. Hee vires etiam dicuntur affectiones naturales, quia facile corrumpuntur. Ratio convertitur in superbiam, concupiscibilitas in vanam gloriam, irascibilitas in invidiam. Sunt etiam due nature anime propter semet ipsam et corporis coniunctionem. Superior ratio, inferior sensualitas vel carnalitas. Per rationem affectat celestia, per sensualitatem terrestria. Ratio autem et sensualitas inter se rixantur. Sensualitas habet quinque sensus, per quos oblectamenta huius mundi influunt, ad replendum appetitum carnalitatis.

Anima habet quatuor status; primum creationis, quo ab unitate profluit ad ternarium, quia anima suscipit unitatem substantie, et ternarium potentiarum, nimirum irascibilem, concupiscibilem, rationabilem. Secundum, quo a ternario ascendit ad novenarium, quoniam in statu vegetationis suscipit officium regendi corpus, quod secundum naturam influit et defluit per novem foramina, per oculos, aures, nares, os et per duos inferiores meatus. Tercium operationis, quo anima visibiles et incorporales exercet actiones. Quartum resolutionis[b], quo anima post varietatem vite presentis redit ad puritatem nature. Item de eodem. *Tres sunt anime potentiales virtutes: ratio, que circa caduca vertitur et ad res transitorias (* col. 110.) pertinet et ad historiam. Intellectus circa mores hominum et proprietates. Intelligentia, superior potentia anime, divina considerans secundum magistrum Alanum. Item: Sensus est vis anime, qua preterita, presentia et futura ymaginamur; ratio, qua ymaginum genera et species discernimus; intellectus, quo incorporea, ut est dilectio, sapientia, intelligimus. Sensus tenet primam regionem ascendendi, ymaginatio secundam, ratio terciam. Super hanc est fides. Intellectus fidem transcendit, per quem sancti vident celi secreta. Fides autem secundum Alexandrum eminentior est ratione, memoria, intellectu. Fidem comprehendere non potest per se inquisitio rationis vel acumen intellectus, sed dicitur inesse secundum vim rationabilem, et ideo excedit rationem. Et hoc dicitur de fide infirmi; sed fides catholica virtus inest secundum quandam vim anime, que sineresis dicitur, et est secundum vim rationabilem, secundum supremam partem ipsius, que quidem superior est ratione; et ita fides virtus superior est ratione, immo et intellectu, quia fides penetrat quousque non attingit intellectus. Superior igitur ratione ac scientia et certior, firmior et verior est fides, in quantum virtus est, simplicis vetule, qua credit Christum esse passum, quam scientia mathematice, que scit omnem triangulum habere tres angulos equales. Fides etiam virtus superior est et certior scientia enigmatica. Sed scientia comprehensiva certior est fide virtute, quia in patria non erit fides, sed loco eius scientia comprehensiva. Fides appellatur id quod creditur, scilicet quod subest fidei, ut passio Christi, vel Christum esse passum. Appellatur etiam fides, Christum credere. Unde Augustinus: *Quid est fides nisi credere quod non vides?* Quandoque vocatur usus fidei. Vocatur etiam sacramentum fidei. Unde dicitur, quod Cornelius pervenit per opera ad fidem[37], id est fidei sacramentum vel augmentum. Dicitur etiam habitus mentis, et talium habituum alius virtus, alius non virtus. De fide virtute dicit apostolus: *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.* (Hebr. 11, 1.) Substantia dicitur res per se existens, et secundum theologos quandoque pro creatura, quandoque pro essentia Dei, quandoque pro ypostasi sive persona, et tunc proprie[c] pro subsistentia. Substantia etiam dicitur divinum, gratuitum, virtus scilicet per quam subsistit vita gratie. Item dicitur vita eterna. Unde: *Substantia mea aput te est.* (Ps. 38, 8.) Item dicitur fundamentum. Unde fides *est substantia, vel fides est id per quod subsistunt, quan- (* col. 111.) tum in ipsa est, res sperande. Stola enim anime et corporis licet nondum assit nobis, tamen quantum est in certitudine fidei, subsistit in nobis. Et est virtus fides argumentum, id est arguta probatio rerum eternarum. Fides autem catholica hec est, ut unum Deum in Trinitate et Trinitatem in Unitate veneremur. Honor qui exhibetur uni persone, exhibetur cuilibet trium. Unitas trium personarum consideratur in unitate essentie, in equalitate, in eternitate. Unde: *Patris et Filii et Spiritus sancti una est divinitas* etc. Unitas vero essentie in tribus, alternitate, proprietate, assignatione. Unde: *Alia est proprietas Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti; alia predicatio Patris*[a], *alia Filii, alia Spiritus sancti.* Spiritus sanctus est amor Patris et Filii ab utroque procedens, sed nec posterior nec minor utroque, tanquam consubstantialis[b] et coeternus utrique; quia sicut in Christo tres sunt substantie in una persona, sic sunt in Deo tres persone in una substantia. In tribus substantiis est aliud, sed non alius; in tribus autem personis est alius, sed non aliud; quia tres unum sunt, quod est eternum et simplex; qui nec principium habet nec finem, sed principium est sine principio, et finis est sine fine. Persona est rationalis substantia individue nature. Persona Filii incarnata est, animam et corpus suscepit. Augustinus: *Deus verbum non accepit personam hominis, sed naturam.* In Christo sunt due nature, divina et humana, et tres substantie, caro, anima et verbum; sed non due persone. Alia natura Deus, alia natura ille homo, sed non alia persona Deus, et alia ille homo. Aliud Dei filius, aliud filius hominis; sed non alius. Anima et corpus simul coniuncta sunt una persona; sed antequam sumerentur a verbo, non erant simul iuncta. Illam enim assumendo univit et uniendo suscepit. Indubitanter tenendum est, quod non assumpsit personam; non est alia persona homo assumptus a verbo, sed una persona cum verbo. Unde legitur: *Homo assumptus est in unionem persone,* non nature, quia non est natura una cum verbo, sed una persona. Sicut enim anima et caro unus est homo, unus est Christus, quamvis multo maior unio sit inter Deum et hominem, quam inter carnem et animam. Dicitur itaque homo est Deus, Deus est homo, quia ille idem, qui est homo, est Deus ille idem, qui est Deus, est homo.

---

[a] opatōibus 1. [b] resolutiones 1. [c] p̄r 1.

[37] Cf. Act. apost. 10.

[c]Anima non videtur, quando egreditur. Quid mirum, quia manens in corpore non videtur. Natura quippe eius invisibilis est. Sed potest invisibiliter vivere, quam oportet in obsequio invisibilis conditoris manere. Sed nulla invisibilia nisi per invisibilia videntur, quia oculus nichil videret corporeum, nisi illum res incorporea ad videndum acueret; et ita sensus vivificat carnalia corpora que videntur. Si vitam anime in corpore manentis *col. 112. deprehendis *ex motu membrorum, cur non perpendis vitam anime post corpus etiam per ossa mortua in virtute miraculorum? Multi mentis oculum pura fide et uberiori ratione mundantes, egredientes carne animas frequenter vident. Apparent in columbe specie, ut ostendatur, quam simplici corde servierint. Iusti in morte sua[d] sanctorum visiones aspiciunt, ne mortem pertimescant. Animabus exeuntibus laus celestis erumpit, et fragantia celestis odoris, ut non trepident. Magna vis, que egredientem suscipit, cuius egressum sepe nullus mortalium ferre potest. Meritum anime non semper in suo egressu ostenditur, sed post mortem. Exemplum est de martiribus, quia qui Deo hic servire studuit, post mortem verius vivet. Iustus quacunque morte preoccupatus fuerit, iusticia eius non auferetur ab eo; et ideo non obest, si dure moriatur. Exemplum de propheta, quem leo occidit, sed de cadavere eius non comedit.

Ante resurrectionem recipi animas in celum, neque de omnibus fateri, neque de omnibus negare possumus. Nam sunt quedam, que a celesti regno adhuc quibusdam mansionibus differuntur, quia perfectam iusticiam non habuerunt. In iudicio hoc crescit[e], que in celo sunt, quod corporum beatitudine perfruentur. Ipsa aliquando animarum vis subtilitate sua aliquid previdet. Aliquando per revelationem, aliquando dum iam sunt recessure, afflate divinitus in secreta celestia mentem immittunt. Quis occulta Dei iudicia cognovit? Iniquorum animas in inferno esse credendum est; nam sicut electos beatitudo letificat, sic a die exitus ignis reprobos excruciat. Si viventis hominis spiritus incorporeus tenetur in corpore, cur non post mortem, cum incorporeus sit spiritus, etiam corporeo igne teneatur? Teneri autem per ignem dicimus spiritum, ut in tormento ignis sit videndo et sentiendo. Quis sane sapiens esse spiritus corporeos dixerit? Ignem gehenne corporeum esse non ambigo, quo certum est corpora cruciari. Si autem diabolus et angeli eius, cum sint incorporei, corporeo sunt igne cruciandi, quid mirum, si anime et antequam recipiant corpora, possint corporea sentire tormenta? Quod nonnulli extrahuntur a corpore et redeunt et se aliqua audisse vel vidisse dicunt, hoc ideo fit, ut tormenta inferni, que audita non crediderunt, saltem visa pertimescant. Sed humano cordi gravis valde duricia est, ut ipsam etiam penarum ostensionem, que omnibus utilis est, contempnat. Ipsa siquidem inferni supplicia cum demonstrantur, aliis hoc in adiutorium, aliis vero ad testimonium, ut isti videant mala que caveant, illi vero eo amplius puniantur quo inferni supplicia etiam cognita vitare noluerunt. Sepe anime in suis corporibus adhuc posite penale aliquid vident, quod quibusdam ad *edificationem * col. 113. suam, quibusdam ad edificationem audientium. Exemplum de puero dato draconi. Purgatorius ignis credendus de quibusdam levibus culpis, pro eo quod veritas dicit: *Siquis in Spiritum sanctum blasfemiam dixerit, neque in hoc seculo remittetur ei, neque in* Matth 12,32 *futuro.* Sed illic saltem de minimis nichil quisque purgationis obtinebit, nisi bonis hic actibus in hac vita adhuc positus promereatur.

---

[a] *in marg. supplevit eadem manus* 1. [b] consubalternus *H.* [c] GG9 (Gregorius?) *in marg.* 1. [d] *sic corr. eadem manus ex* scoꝝ 1. [e] *locus corruptus;* h' trescit 1; non tremescunt *M.*

Anima mortalis et immortalis est. Dicitur mortalis, quia beate vivere amittit; immortalis, quia nunquam essentialiter vivere desinit, et nature sue vitam perdere non valet. Augustinus: *Si non precessisset*[a] *peccatum, mors subsecuta non esset.* Mors anime precessit deserendo Deum, mors corporis secuta est, deserente anima. Sepe de culpis minimis pavor egredientes animas purgat, sicut dicitur de quodam sancto viro, qui ad mortem veniens vehementer tremuit, sed post mortem discipulis in stola candida apparuit. Quorundam etiam mentes trepidantium prius revelationibus roborat, ut mortem non pertimescant. Sex modis tangunt animum ymagines somniorum: ventris plenitudine vel inanitate, aliquando illusione, aliquando cogitatione simul et illusione, aliquando revelatione, aliquando cogitatione simul et revelatione. Sancti autem viri inter illusiones atque revelationes ipsas visionum voces aut ymagines quodam intimo sapore discernunt. Nam si mens cauta non fuerit per discretionem spirituum, multis vanitatibus se immergit.

MENKONIS CHRONICON.

Cronica[b] ista cum moralibus opusculis, que ad ingenium exacuendum, vitam ac mores informandos inseruntur, usque ad locum istum[b] conscripsit magister Emo, primus abbas et fundator Floridi Orti, vir venerande memorie ac spiritu Dei plenus, diligenter inserens omnia memorabilia, que non solum suis, immo vicinis temporibus contigerunt, secundum annos dominice incarnationis singula luculenter explanans, de diluviis, de bellis, peregrinationibus, incendiis et aliis omnibus emergentibus, nichil intactum relinquens. In quo etiam opere spiritu Dei actus, de se tanquam de alio sepe loquitur, exemplo Moysi, qui dicit: *Erat Moyses vir mitissimus super omnes habitantes in terra;* et Iob: *Vir erat in terra* Num. 12, 3. *Hus, nomine Iob, simplex et rectus.* Iob 1, 1. Quod dicit beatus Gregorius, ipsos de se per Spiritum sanctum tanquam de aliis dixisse, non ut se ipsos extollerent, sed ut aliis exemplo prodessent. Et Iohannes euangelista dicit: *Discipulus ille quem diligebat Iesus, qui et recubuit* Ioh. 21, 20. *in cena super pectus Iesu, et*[c] *dixit: Domine, quis est qui tradet te?* et apostolus: *Scio hominem in Christo ante annos* 2. Cor. 12, 2. 14 etc. et multa similia. Circa finem vite sue ad aliquot annos nichil memorabile contigit.

*Anno vero Domini 1237. precessit hiems humida et calida, et in hoc distemperata; et * col. 114. ideo multe secute fuerunt infirmitates. Quoniam[d] secundum proprietatem temporum hiems debet esse frigida et humida. Quatuor enim sunt elementa, quatuor humores[38], quatuor

---

[a] p̄cesisset 1. [b] *littera* C *omissa in* 1; *loco* Cronica — locum istum *leg.* Chronicam istam 2. [c] et — te *des.* 2.
[d] Quoniam — mala dieta *(p.* 524 *l.* 15*) des.* 2.

[38] Cf. Isidori Etymolog. IV, 5 et praesertim Bedam De temporum ratione c. 35.

1237. tempora anni, quatuor etates, quatuor principales venti. Ut sit sanguis calidus et humidus, sicut aer, adolescentia, auster, ver, dies naturalis ab hora diei tercia usque ad nonam. Melancolia frigida et sicca[a] sicut terra, senium, ventus borealis, autumpnus, dies naturalis ab hora diei nona usque ad terciam noctis. Flegma frigidum et humidum, sicut aqua, senectus, venti occidentales, hiems, dies naturalis ab hora noctis tercia usque ad nonam. Colera calida et sicca, sicut ignis, iuventus, subsolanus, estas, dies naturalis ab hora diei tercia usque ad nonam. Cum ergo qualitates aeris et temporis secundum suas proprietates se habent, homines in sanitate conservantur; si vero aer et tempora anni distemperantur, ex tali aeris epidamia, id est distemperantia, varie infirmitates secundum varietatem temporum et complexionum oriuntur. Cum ergo, sicut prediximus, precessisset hiems calida et humida, que deberet esse pocius frigida et humida, estas vero fuit horribiliter humida et Aug. 1. frigida usque ad Kal. Aug. Postea successit calor et siccitas satis immoderate; et sic fere annus[b] totus fuit distemperatus et nature contrarius. Unde aer corruptus per[c] spiritum attractivum vel cibum ex aere corruptum[c] vel edendo perceptus diversas in hominibus generabat infirmitates. Secundum phisicos enim malus odor plus nocet quam mala dieta. Et sic varia febris vexabat ubique homines[d], et maxime religiosos invasit quartana febris. Quociens[e] enim febris crebrescit, in religiosis maxime dominatur, forte propter diete frigiditatem, vel pocius quia filios quos diligit Deus punit, et flagellat omnem filium quem recipit. Lues etiam in linguis et ungulis equorum exorta est; sed post sanguinis minutionem sub lingua et super ungulis convaluerunt. Omnia fere semina degenerarunt; fenum habundavit propter irriguum.

Autumpno itaque prolabente, cum varia febris vexaret religiosos, in tantum ut per totam Frisiam vix sufficerent sani ministrare infirmis, nec etiam infirmitoria caperent infirmos, eodem[f] tempore reverendus pater Emo, pie recordationis et clarissime opinionis apud omnes religiosos et seculares sane sapientes, tipo febrium correptus, circa festum omnium Nov. 1. sanctorum paulatim cepit languescere et ex abstinentia ciborum, que summum est, ut dicit col. 115. Ypocrates, contra febrilem discrasiam remedium, deficere *et colorem vultus, quem habebat naturaliter rubicundum, mutare ac toto corpore attenuari. Attamen quamvis, febre exardescente et vires dissipante, iam deficeret, vigorem tamen animi et constantiam mentis felix contemplatio celestium et provida sollicitudo temporalium et vigilans cura animarum mirabiliter confortabat, in tantum ut raro etiam hiis diebus, quibus ipsum febrilis calor exurebat, post preambuli frigoris incommoda lecto decumberet, sed nunc infirmos visitans, nunc in claustro constitutos verbo et exemplo confortans et animans, sicut verus pastor deambulabat. Sed antequam exitus vite sue describatur, volumus de eius vita et conversatione quedam perstringere.

Reverendus siquidem pater a primis infantie rudimentis studiis litteralibus implicitus, adeo inter scolares alas[a] fuit in scripturis studiosus, ut, aliis conscolaribus ludentibus et discurrentibus, nunquam ociosus inveniretur, nisi aut studeret vel scriberet vel illuminaret. Unde contigit, ut omnes auctores, videlicet ethicos, Ovidianos, Virgilianos, satiricos et alia opera poetarum, et metrica opera theologie, ut Auroram[38*], Sedulium, Theopistam[39] et similia, Priscianum maiorem et minorem et Petrum Heliam, ac alios libros et Summas artis grammatice, nec non et summas dyalectice[g], cum fratre suo bone memorie domno Addone plene conscriberet. Quos omnes ipsi ambo Parisius, Aurelianis et Oxonie audierunt, et ex ore magistrorum glosaverunt et etiam glosas diversas et bursarios retulerunt. Oxonie etiam Decreta, Decretales, Librum Pauperum[39], nec non et alios libros canonici iuris et legalis, vigilias dividendo, scripserunt, audierunt et glosaverunt, nichil se habere credentes, quamdiu ipsis aliquis liber defuit ex utilioribus, secundum illud Lucani de Iulio:

Phars. II, 657. *Nil credens actum, dum quid superesset agendum.*

Cum vero de studio reverterentur, predictus domnus Addo beneficium in Emetha optinuit,

---

a) frigida *secunda vice scriptum antecedebat, linea transducta deletum* 1. b) *supra lin. add. eadem manu* 1. c) per — corruptum *eadem manus in marg. scripsit, pro* spirando, *quod in textu conspicitur linea transducta deletum* 1. d) *in loco raso eadem manu* 1. e) Quociens — propter irriguum *des.* 2. f) eodem — quia circa idem tempus *col.* 140 *des.* 2. g) dyaletice 1.

38*) Non necessarium est, ut intelligatur Petri de Riga, potest etiam esse Aratoris. 39) Quis hic sit, nescio.

ubi magister Emo ad aliquod tempus multis prefuit scolaribus, et post modicum honesta et communi electione in Husdengum est electus *in plebanum et sic, suscepto ordine sacerdocii, col. 116. plebem sibi commissam multa cum diligentia gubernavit, sine delectu personarum omnibus omnia factus[40], ut omnes lucrifaceret. Et cum esset artium liberalium et maxime iuris canonici ac legalis super omnes clericos Frisie sui temporis peritus ac in lingua Latina precipua facundia preditus, ita se sociis conformavit et in bona simplicitate, quantum decuit virum tam sapientem, ambulavit, ut a clericis et laicis amaretur et honoraretur. Erat forma decorus, statura gracilis et aliquantum longus, aspectu hilaris, vultu serenus, in genis rubicundus, sermone admodum iocundus, conversatione mansuetus, societate affabilis, eloquio cultus, vita et moribus preclarus, vir[a] tocius prudentie, in sermone verax, in consilio providus, in iudicio iustus, in commisso fidelis, in interventu strennuus, in bonitate conspicuus, in universa morum honestate preclarus; et necesse fuit, ut quem Deus tanta gratia perfuderat, ab omnibus amaretur. Celibatum autem vite ac continentiam carnis adhuc secularis in tantum amplectebatur, ut etiam occursus feminarum subterfugeret, tanquam sibi semper diceret: *Tolle, tolle paleam, ne ignis amoris in libidinem exardescat.* Iob 31: *Pepigi fedus cum oculis meis, ut ne cogitarem de virgine.* Ecclesiastico[b] 19: *Vinum et mulieres apostatare faciunt etiam sapientes, et propter speciem mulieris multi perierunt.* Proverb. 5: *Favus distillans labia meretricis, et nitidius oleo guttur eius. Novissima autem illius amara, quasi absinthium, et acuta quasi gladius biceps. Longe fac ab ea viam tuam, et ne appropinques foribus domus eius.* Proverb. 7: *Multos vulneratos deiecit, et fortissimi quique interfecti sunt ab ea.* Semper illam precedunt ardor et petulantia, semper comitantur fetor et immundicia, semper secuntur dolor et penitentia[c]. *Nunquid abscondere potest homo* Prov. 6, 28. *ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardescant? aut ambulare super prunas, ut non comburantur plante eius?* Et in Ecclesiastico[d] dicitur 15[40*]: *Commorari leoni et draconi placebit magis, quam habitare cum muliere nequam.* *Familiaris est enim inimicus, habitans non col. 117. procul, sed prope, non extra, sed intra. Iob 40: *Virtus eius in lumbis eius, et fortitudo illius in umbilico ventris eius.* Nunquam fugatur, nisi cum fugitur; nunquam mactatur, nisi cum caro maceratur.

Cum autem placuit ei, qui ipsum segregavit ex utero matris sue, vocare eum[e] per gratiam suam ad excellentioris vite meritum, cepit habitum religionis concupiscere. Et ut gratia Dei, que secundum beatum Gregorium aspirando prevenit, ut velimus, adiuvando prosequitur, ut possimus, in eo vacua non esset, ne panem ociosus comederet, non elegit in labores aliorum introire et ad claustra ditiora se transferre, sed occulta Dei inspiratione, ut ipsa gratia in eo habundantius esse dinosceretur, ad Novum Claustrum se transtulit prope villam Rhomerswerf, quod a quodam cognato suo et equivoco fundatum, in temporalibus et spiritualibus multis de causis fuit adeo desperatum, quod nisi sua sollertia supervenisset, convalescere vix potuisset, maxime propter litem, quam dictus fundator cum vicinis monachis sancti Benedicti in Feldwirth habebat. Predictus autem sacerdos ad prefatum claustrum accedens, facta compositione cum domno Reindone abbate vicini monasterii, ad ordinem Premonstratensem se transtulit et habitum candidum, in quo angeli apparere consueverunt, preelegit[f]. Cunque die noctuque de ampliando Dei cultu sollicitus cogitaret et Dei clementiam, a quo est omne datum optimum, imploraret, ut ei socios et maxime clericos, quorum contubernio maxime in officio divino et in lectione, nec non exercitio et sancte[g] meditationis studio plurimum delectabatur, per gratiam suam assignaret, contigit ut quadam nocte, cum huiusmodi desiderio ferveret et sopori se dedisset, audivit sibi dici per nocturnam revelationem: *Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam* etc. Ps. 2, 8. Et evigilans exhilaratus est, eventum huius oraculi spe leta expectans; et statim in processu temporis, Domino disponente, accesserunt ad eum duo adolescentes, qui seminarium dici poterant messis in Christo colligende, videlicet domnus Sifridus, qui multis annis fuit prior Floridi Orti et quasi mater[h] tocius discipline, quoniam domno abbate pro ecclesie *necessitate exeunte, ipse in choro et in omni disciplina sedulus fuit domus observator, nec col. 118. ad aliqua negocia exteriora per se agenda animum inflexit; immo circa scolares laborans,

a) ú 1. b) Ecc̄ 1. c) *in margine* R (require?) 1. d) ecc̄ 1. e) *manu recentiori deletum* 1. f) *prius:* assumpsit, *tum eadem manu deletum et corr. in* p̄elegit 1. g) et ex s. 1. h) mat̉ 1.

[40] Haec sunt verba Emonis supra pag. 467. [40*] immo cap. 25, 23.

officium vestiarii peragens, omnia etiam officia, quomodo se singuli in disciplina ac rerum utilitate haberent, veloci transitu circumspitiens, nunquam tamen a choro et communi opere conventus se absentavit. Et ideo anima eius cum Deo esse certissime speratur. Obiit 1232. anno Domini 1232, cum fuisset prior Floridi Orti annis 19. Accessit et alius, videlicet frater Thitardus canonicus, qui ordinis zelator fuit indefessus, et artificio manuali, quo preminebat, novellam plantationem plurimum emendavit, chorum tamen nunquam occasione laboris negligens, pocius se vigiliis afficiebat. Augebatur etiam in aliis de die in diem numerus clericorum et scolarium, quos magister Emo cum priore prefato spiritu caritatis summo studio in litteratura promovit, scientiam sibi divinitus collatam non sub modio, sed super candelabrum ponens, neque thesaurum concessum in terra abscondens, sed omnibus studere Act. ap. 20, 26. volentibus benigne participans; ut cum apostolo posset dicere: *Innocens ego sum a sanguine omnium vestrum, quia non subterfugi, quominus annunciarem vobis.* Ceteros autem labores, quos pro ecclesia sustinuit, longum est describere; et maxime labores et sollicitudines, quas habuit pro ecclesia in Werum, quando ibidem claustrum fundavit, quod Floridum Ortum nominavit, et hodie per Dei gratiam ac ipsius providentiam in spiritualibus ac temporalibus rebus ac personis et virtutibus floret. Quantas etiam sustinuerit tribulationes, dum Romam pro confirmatione dicte ecclesie et privilegiis optinendis pedes ivisset, non facile declaratur. Que tamen omnia vir Dei parvipendit, cum ad felicem exitum Domino gratiam suam apponente perduxit.

Convenerunt autem ad ipsum laici non pauci. Ex quibus quidam bone fuerunt opinionis aput homines et nobiles, quos ipse libenti animo in conversos recepit, et cum omni diligentia in disciplina et honestate claustrali informavit, fovebat ac diligebat, et omnes sollicitudines de temporalibus eis commisit, quia ipse cum clericis, in quantum potuit, orationi *col. 119. ac lectioni, nec non et sancte *meditationi studuit insistere et divinum officium plene ac perfecte in libris ordinis et pause in psalmodia in ecclesia novella ordinare. Sategit ergo multo labore in principio, ut uniformitatem librorum ordinis secundum usum Premonstratensis ecclesie in sua plene haberentur ecclesia, bene observans quod Dominus precepit: Matth 6, 33. *Primum querite regnum Dei, et hec omnia,* scilicet temporalia, *adicientur vobis.* Unde cum huius desiderii perfectionem non posset habere nisi in ipso capite, scilicet Premonstratensi ecclesia, quia dulcius ex ipso fonte bibuntur aque, presertim cum tunc temporis in tota Alemannia libri ordinis non invenirentur, labori ac periculo se voluntarie subiciens, cum solo comite, videlicet predicto fratre Thitardo, Premonstratum pedes transivit, et ibi libros ordinis, scilicet Ordinarium, Capitulare, Collectaneum, per se ipsum conscripsit, Graduale, Antiphonarium, Ymnarium notavit et plene correxit. Euangelia, epistolas et lectiones matutinales, que omnia propter sui prolixitatem et temporis brevitatem, quia ad filiolos, quos adhuc in Christo parturivit, quibus absentia sua propter novitatem fuit non modicum periculosa, redire festinabat, ad plenum scribere non valuit et ideo magna et mirabili, quantum ad novitatem suam in ordine, usus sagacitate per inicia et fines notavit. Modum[a] pronunciandi capitula, collectas, versiculos, epistolas, euangelia et similia notavit diligenter, in libello, quem Signaculum appellavit, singula consignans[a]. Que omnia postmodum conscribi ac plene corrigi in Premonstrato per magistrum Fretherícum de Orto sancte Marie, specialem amicum suum et in hiis cohortatorem ac coadiutorem, maxime in hiis que spectabant ad uniformitatem ordinis, corrigi dę verbo ad verbum procuravit.

Cunque in hiis et in aliis, que ad instructionem novelle domus pertinebant, sollicitus et indefessus die noctuque invigilaret, humani generis adversarius, qui quieti contemplationis semper invidet, exteriores sibi suscitavit non paucas adversitates, ac principaliter litem cum preposito de Skeldwalda; qui per seculares tam clericos quam laicos et precipue per domnum Theodericum Monasteriensem episcopum[b], qui dicto preposito favorem suum in tantum impendit, quod ei omnes arduas causas, que ipsum specialiter contingebant, commisit. Unde cum idem prepositus in hiis synodalibus multas committeret enormitates, magister Emo, zelo ordinis sicut Phinees accensus, in faciem ei restitit, primum pacifice *col. 120. suadens ac monens ut, hiis *inordinatis actionibus ac evagationibus pretermissis, ecclesie

---

a) Modum — consignans *alio atramento in margine supplevit auctor, curis igitur secundis* 1. b) *supplendum videtur* sustentabatur *seu tale quid.*

sue, sicut decet religiosum, provideret. Sed ille videns alios nobiles colla sua inclinare ac suis levitatibus applaudere, intolerabili ira, sicut olim Aman contra Mardocheum, adversus eum exarsit et per predictum episcopum, cuius omni tempore membranas quot voluit habebat, venerabilem patrem magistrum Emonem et conventum suum fecit denunciari excommunicatos, per totam viciniam interdicens firmissime, ne quisquam ipsis in emptionibus vel venditionibus communicaret; et per seculares gestus et mores, nec non et liberalitatem suam, maxime in ebrietatibus, attraxit sibi decanos et alios nobiles terre quam plurimos. Et sic non modicum angustiabatur[a] ecclesia Floridi Orti, cum eodem tempore propter inundationem salsi maris, que ante paucos annos in festo Marcelli precesserat et fere quatuor 1219. Ian. 16. annis fuit continuata, maxima fuerit annone caristia. Et licet talis angustia etiam viro constanti posset dolorem non modicum incutere, domnus Emo tamen in Domino iactans cogitatum suum, qui eum et conventum in Domino collectum enutriret, largiores in tali caristia precepit elemosinas erogari, nolens esse de numero illorum, qui ad tempus credunt et in tempore temptationis recedunt, semper sibi et fratribus suis de exemplis pacientie sanctorum dulcem querens consolationem. Unde Deus fidelis, qui non patitur iustum temptari supra id quod potest sustinere, qui sperantibus in se dat in perturbatione et tribulatione auxilium, in persecutione solacium et in omni temptatione virtutem, ipse famulo suo in se speranti, in sua misericordia confidenti, huius litis tam gloriosum dedit exitum, ut, predicto episcopo a iudicibus papalibus excommunicato, legati eius in Frisia ad synodalia nequaquam admitterentur, antequam tota causa esset terminata ad arbitrium et voluntatem sepedicti patris, formam compositionis eo dictante ac ipsis sigillantibus. Sic demum domno episcopo prefato, cuius nomine missi fuerunt synodare, ab excommunicatione absoluto, ad mensam a decanis et ad synodalia a subditis sunt admissi. Et ita plene impletum est, quod in Ecclesiastico[41] dicitur: *Cum placuerint Domino vie hominis, inimicos eius convertet ad pacem.* Acta sunt hec anno Domini 1223.[41*]

Has et multas alias tribulationes vir Dei ab extraneis pacienter sustinuit, maxime super beneficiis in Emetha et in Skiramere, super quibus non modicas sustinuit offensas et malignorum insultus, cum tamen nec precio nec prece vel etiam obsequiis intervenientibus eas suscepisset, *sed a maiori et saniori parte verorum patronorum pia liberalitate offeren- *col. 121. tium. Et cum quidam ex eis postmodum instinctu maligni hostis, qui omnibus bonis operibus invidet, allecti ab aliis vel etiam pocius alios allicientes, manu missa ad aratrum, retro vellent aspicere et donationem rite factam revocare, ipse pro iure ecclesie et concessione facta periculis se obiciens viriliter dimicavit, quoniam, etiam si inconcessa non licet appetere, oblata bene licet recipere ac recepta retinere. Qui enim aliquid Deo vel ecclesie offert vel promittit, solvere tenetur; quoniam et Ananias, qui sua optulit, sed fideliter non solvit, morte punitus est. Ergo quia licuit Petro, non solventem morte punire, multo magis licet oblatum solvendum exigere. Nec obest, quod ecclesie ille non vacabant de facto, cum de iure vacarent; quia illa ecclesia dicitur de iure vacare, que legitimum non habet pastorem; sed iste legitimos non habebant pastores, quia ambo uxorati erant, et sic irregulares et excommunicati. Extra[b] *De clericis coniugatis* per totum[42]. Extra[b] *De filiis presbiterorum*, cap.[c] *Ut filii* etc. *Ad presentiam* etc. *Nimis*[43]. Preterea ille de Emetha fuit filius sacerdotis et paterne incontinentie imitator, viduam duxerat, et sic per omnia irregularis. Nec obest, si non fuit ab omnibus facta electio, quoniam in omni electione maiori et saniori parti cedendum est; Extra[b] *De electione. Dudum*[44] etc. *Scriptum est*[45]. Notandum etiam est, quod professores Premonstratensis ordinis licite possunt ecclesias possidere, curam animarum recipere, quoniam nec in ordine nec in iure prohibetur, et quod non prohibetur, permittitur; Extra[b] *De translatione episcopi vel electi*, cap.[c] *Inter corporalia*[46]. Contra videtur prohibitum, quod non invenitur concessum. Solutio: Edicta quedam sunt stricti iuris, quedam bone fidei. Stricti iuris, de quibus dicitur: *Nichil venit in iudicium, nisi de quo actum est, ut veniat.* Et sic sunt edicta prohibitoria. Ut si appellatio est interdicta in litteris domni pape, tunc non licet appellare, nisi causa subsit legitima. Edictum etiam prohibitorium est: *Non occides.* Bone fidei sunt, de quibus dicitur: *Non solum id venit in iudicium, de quo* Deut. 5, 17.

---

[a] angustibatur 1. [b] ex 1 *semper*. [c] c. 1.

41) immo Proverb. 16, 7. 41*) immo a. 1224. 42) i. e. per totum hunc titulum. 43) Sunt cap. 1. 2. 18. 44) L. I, tit. 6, cap. 22 seu 54. 45) cap. 40. 46) I, 7, 2.

actum est, ut veniat, sed etiam id, de quo non est actum, ut non veniat; ut sunt edicta affirmativa; sicut omnibus licet iudicare, advocare, testari, qui a iure non prohibentur; quoniam quod canon non exprimit, nos exprimere non debemus. Ubi constitucio promulgatur affirmative, intelligitur concessum, nisi reperiatur prohibitum, exemplum[a] XXXI. qu. 1: *Deus* etc. sequenti: *Quod si*[47]. Si vero negative promulgatur, semper[b] intelligitur prohibitum, *col. 122. maxime ubi fuit *eadem ratio, nisi inveniatur concessum, exemplum[a] XXIII. qu. 5: *Si vero*[48]. Nam cuncta licerent, nisi iura vetarent. Dicitur etiam XVI. qu. 1[49]: doctos ac probos monachos posse predicare, baptizare, penitentias dare, decimis et primiciis perfrui. Idem dicitur proximis duobus capitulis, quod ligandi et solvendi habeant potestatem, et hoc nisi ex ordine prohibeantur. Beatus autem Augustinus et venerabilis pater Norbertus episcopi fuerunt, et curam gesserunt ecclesiarum pariter ac monasteriorum, et subditis gerendam commiserunt. Unde de approbata consuetudine etiam a latere domni pape[c] ubique terrarum professoribus huius ordinis cura animarum conceditur. Venerabilis etiam pater domnus Emo ecclesias istas non ambitione avaricie concupivit, cum ipse parsimoniam, que decet religiosos, specialiter et quasi naturaliter amaverit, penitus omnem abhorrens superfluitatem, sed pro fratrum suorum, immo pauperum Christi alimonia, quibus in sua novitate multiplicatis numero plus quam diviciis, in illa famosa frugum penuria post diluvium sancti Marcelli, necessaria non sufficiebant, quia omnia necessaria humanis usibus in summo erant precio, et precium eorum quasi nullius precii reputabatur. Quid ergo pauper Christi faceret? Ecclesias istas legitime receperat; licite poterant a conventu possideri; et nuncii sathane possessionem impediebant. Attendit, quod dixit Augustinus de Maximo episcopo Vagiensi XXIII. qu. 3.[50]: *Si defensionem rerum ecclesie oblatarum pretermisisset, non eius fuisset laudata paciencia, sed negligentia merito culpanda.* Neque apostolus Paulus vite sue transitorie, sed ecclesie Dei consuluit, quando contra illos, qui eum occidere conspiraverant, ut tribuno traderetur effecit. Unde factum est, ut ad locum, quo fuerat perducendus, eum miles armatus deduceret, ne illorum pateret insidiis. Dicitur etiam XII. qu. 1.[51]: *Hilarius episcopus omnia sua aut parentibus reliquit, aut pauperibus erogavit. Hic tamen factus Arelatensis episcopus, que tunc illa ecclesia habuit non solum possedit, sed etiam acceptis numerosis*[d] *fidelium hereditatibus ampliavit. Itaque divinarum scripturarum doctissimi, si scirent res ecclesie oblatas non debere defendi, nunquam eas deberent suscipere, qui etiam sua propter Deum reliquerant.* In hiis tamen et aliis negociis fora et conventus secularium, quantum poterat, subterfugit, quoniam ebrietates et insolentias epulantium ac ciborum superfluitates[e] non solum in habitu religionis, sed etiam in seculari habitu adhuc positus, toto corde detestabatur, quia sicut dicitur Proverb.[f] 20: *Luxuriosa res est vinum, et tumultuosa ebrietas,* *col. 123. *et in Ecclesiastico 31: *Vinum multum potatum irritationem et iram et ruinas multas facit.* Proverb. 31: *Noli regibus dare vinum, quia nullum secretum, ubi regnat ebrietas.* Multa enim mala facit ebrietas. Depauperat; Ecclesiasticus 19: *Operarius ebriosus non locupletabitur.* Apostatare facit; Ecclesiasticus 19: *Vinum et mulieres apostatare*[g] *faciunt etiam sapientes.* Aufert cor, id est discretionem cordis; Osee 4: *Vinum et ebrietas auferunt cor.* Turpitudinem denudat; Genesis 9: *Bibens Noe vinum inebriatus est et nudatur in tabernaculo.* Secreta revelat; Proverb. 31: *Nullum secretum ubi regnat ebrietas.* Cor venenat; Proverb. 23: *Ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet.* Amaritudinem cordis facit; Ecclesiasticus 31: *Amaritudo anime vinum multum potatum.* Mentem enervat; Ecclesiasticus 31: *Ebrietatis animositas imprudentis ostensio, minorans virtutem et faciens vulnera.* Rixas facit, penam eternam parat, oculos exuit et alia multa; Proverb. 33: *Cui ve? cuius patri ve? cui rixe? cui fovee? Cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? Nonne hiis, qui morantur in vino, et student calicibus epotandis?* Ebrietas enim non voluptas, sed pena est. Tullius: *Si videres istos epulones sicut boves opimos stridere et sudare, tunc intelligeres eos, qui maxime voluptatem secuntur, minime assequi*[52]. Ieronimus: *Nichil adeo obruit intelligentiam, sicut comestio et ebrietas.* Exemplum de Daniele et sociis, qui cum cibis regalibus contemptis leguminibus vescerentur, limpide

[a] ex^{m} 1. [b] sp 1. [c] legatis *male add. H.* [d] nůosis 1. [e] a. c. s. *in margine supplevit auctor curis secundis, ut atramentum prodit* 1. [f] pů 1. [g] apostare 1.

[47] cap. 12 et 13. [48] Intelligendum videtur cap. 9: *Si non licet.* [49] cap. 21. [50] cap. 2. [51] cap. 13. [52] Haec valde immutata sumpta sunt ex Tusculanis V, 34.

facte sunt anime eorum, et dedit eis Deus sapientiam super omnes sapientes Egipti[a]. Seneca: *Ciborum copia subtilitas sensus impeditur.* Ieronimus: *Venter pinguis non gignit tenuem sensum.* Seneca[53]: *Nichil aliud est ebrietas, quam voluntaria insania.* Tullius: *Mente uti recte non possunt multo cibo et potu repleti.* Galienus: *Ebriosus servus est omnium peccatorum.* Ieremias 5: *Saturavi eos et mechati sunt.* Ephesios 9.[54]: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Ieronimus: *Quicquid seminarium est voluptatis, venenum puta.* Seneca: *Quis hostis unquam tam contumeliosus fuit, quantum in quosdam voluptates sue sunt?* Ecclesiasticus 22.[55]: *In multis escis invenitur infirmitas, et propter crapulam multi perierunt.* Seneca: *Potest nostra providentia huic corpusculo longiorem prolongare moram, *si voluptates, quibus maior pars perit, possumus regere et coercere.* Idem[56]: *Fastidientis stomachi est multa degustare, que ubi varia sunt et diversa, inquinant et non alunt.* Idem: *Si vis esse in perpetuis deliciis, non voluptatibus est adiciendum, sed cupiditatibus detrahendum.* Ieronimus: *Voluptas famem, non sacietatem parit.* Osee 4: *Comedent et non saturabuntur.* Psalmus[57]: *Famem pacientur ut canes.* Lucas 15. de filio prodigo: *Ego autem hic fame pereo.* Seneca: *Multis serviet, qui servit corpori.* Ecclesiastes 6: *Omnis labor hominis in ore eius.* Ieronimus: *Tauri paucorum iugerum pascuis aluntur, unica silva pluribus elephantis sufficit; homo vero terra et mari ac aere pascitur.* Gregorius: *Non licet intueri, quod non licet concupisci. Non enim est securum intueri delectabilia.* Ysaias 5: *Ve qui consurgitis mane, ad sectandam ebrietatem et ad potandum usque ad vesperam. Ve qui potentes estis ad bibendum.* Gregorius: *Ebrietas est blandus demon, dulce venenum, suave peccatum; quam qui habet, se non habet*[b]*; quam qui facit, non facit peccatum, sed ipse totus est peccatum.* Augustinus: *Ebrietas aufert memoriam, dissipat sensum, confundit intellectum, concitat libidinem, involvit linguam, corrumpit sanguinem, omnia membra debilitat, vitam diminuit et omnem salutem exterminat.* Propter has causas et continentiam, quam quasi naturaliter amplectebatur, omnem penitus abhominans superfluitatem, consortia potatorum fugiebat.

*col. 124.

Si quando iudex delegatus erat, personarum omnino acceptor non fuit. Levitico 18.[58]: *Non facies quod iniquum est, nec iniuste iudicabis. Non consideres vultum potentis.* Iacobus 2: *Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem* etc. Actuum 11.[59]: *In veritate comperi, quoniam non est personarum acceptor Deus.* Proverb. 17: *Qui iustificat impium et qui condempnat iustum, uterque abhominabilis est aput Deum.* Ysai. 6.[60]: *Ve qui dicunt bonum malum, et malum bonum.* Unde in Exodo[61]: *Elige tibi viros potentes, Deum timentes, amantes veritatem, detestantes avariciam.* Summopere enim cavebat, ne amor vel timor, a recto tramite ipsum seducerent, et alia que ponuntur III. qu. 5. Propinquitatis ac familiaritatis et dominationis affectio veritatem impedire solet. Amor etiam carnalis et timor atque avaricia plerumque sensus hebetant humanos, et pervertunt opiniones, *ut questum pietatem putent et pecuniam[c] quasi mercedem prudentie, XI. qu. 3. Quatuor modis humanum iudicium pervertitur: timore, cum metu alicuius potestatis veritatem loqui pertimescimus, cupiditate, odio, amore. Supra eodem[62] capitulo[d]: *Pauper dum non habet, quod offerat, non solum audiri contempnitur, sed etiam contra veritatem opprimitur; quia cito violatur auro iusticia.* Hec omnia considerans vir Dei et spiritu sapientie repletus, quantum poterat iudicia subterfugit. Quando vero subterfugere non poterat, penitus non fuit acceptor personarum, sed via regia procedere sategit.

*col. 125.

Fuit[e] etiam tribulatis valde compatiens ac penitentibus post illatas sibi iniurias indulgens, vindictam in calumpniantes ac iniuriantes, etiam cum posset, non inferens, summum genus vindicte reputans misericorditer indulgere, cum posset vindicare. Quia hec est summa victoria de maligno hoste, qui est omnium malorum incentor, et nunquam plenius vincitur quam per pacientiam et humilitatem Unde quantum rigor discipline permittebat, plus appetebat a subditis amari quam timeri, et quasi unum ex illis in omnibus gestibus, moribus ac motibus se exhibuit, secundum illud Ecclesiastici 32: *Rectorem te posuerunt, noli extolli; esto in illis quasi unus ex illis.* Dicitur etiam in libro Sapientie 6: *Quoniam a Domino data est potestas, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera singulorum;* et infra: *Iudicium*

---

[a] Exemplum — Egipti *in margine inferiori auctor addidit curis secundis* 1. [b] se n. h. *bis erant scripta, ultima deleta* 1. [c] *sic corr. secundis curis ex* pecunie 1. [d] c° 1. [e] uit 1, *rubricatori spatio vacuo relicto.*

[53] ep. 83. med. [54] immo ad Ephes. 5, 18. [55] immo Ecclesiastici 37, 33. 34. [56] ep. 2. [57] Psal. 58, 7. 15. [58] immo 19, 15. [59] immo 10, 34. [60] immo 5, 20. [61] cf. Exod. 18, 21. [62] scil. 72.

durissimum fiet in his, qui presunt. Exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personarum cuiusquam Dominus, nec reverebitur[a] *magnitudinem, quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et equaliter illi cura est de omnibus. Fortioribus autem fortior instat curatio.* Unde summopere vitavit tipum superbie circa humiles, parvos et pauperes se prebens affabilem, attendens quod dicitur Eccli. 10,15 in Ecclesiastico: *Inicium omnis peccati superbia, et qui tenuerit illam, abhominabilis erit aput Deum.* Sedes enim superborum destruxit Deus, et sedere fecit mites pro eis, cum *col. 126. dicat beatus Gregorius: *Superbia natione celestis celestes appetit mentes.* *Superbos autem et rebelles sine personarum acceptione corrigebat, arguendo, obsecrando, increpando, bene observans illud Aristotilis in Alexandride[63]:

Parce humili, facilis oranti, frange superbum,

et in Eneide Virgilii:

Parcere subiectis et debellare superbos[64].

Quoniam sicut dicit Augustinus XXIII. qu. 1.[65]: *Cui licentia iniquitatis adimitur, utiliter vincitur, quoniam nichil est infelicius felicitate peccantium, qua penalis nutritur impunitas et mala voluntas velut hostis interior roboratur.* Et item qu. 4: *In prelatis circa correctionem subditorum non est laudanda paciencia, sed negligentia merito culpanda.* Augustinus: *Seculi nequicia est impunita nequicia.* Unde contigit ut mali spiritus, qui secundum Iob, cum iustum comedant, non dormiunt, ipsum etiam temptarent periculis in falsis fratribus. Nam in diebus suis multi labores in ieiuniis et vigiliis ac silentio, nec non et parsimonia cibi et potus, que omnia decent religiosos, non ferentes, ipsum multipharie perturbabant et etiam plurimi apostatabant; que omnia ipse patienter sustinuit, sciens quoniam necesse est, ut veniant scandala, sed ve illi, per quem veniunt, id est ex cuius culpa. Super quo Matth. 17,26. et alio loco dicit Dominus. *Ut non scandalizemus eos, vade ad mare, et mitte hamum,* etc. usque *dabis pro me et te.* Ubi dicit Gregorius: *In quantum possumus, vitare scandalum proximorum debemus. Si autem de veritate scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum*[b]*, quam veritas relinquatur.* Unde versus:

Scandala pro vita, doctrina iusticiaque
Non fugias.

2 Cor. 4, 8 Beati enim qui persecutionem patiuntur[c] propter iusticiam. Et apostolus: *Tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur, sed non destituimur; persecutionem patimur, sed non derelinquimur.*

Studebat intus et foris discipline ac honestati, temperantie ac sobrietati, fratrum discrete providens necessitati, raro aut nunquam superfluitati; in omni gestu compositus, facie pro tempore iocundus, in verbis circumspectus, nec profusus, sed brevitati studens, omnibus donis naturalibus et gratuitis adornatus, preterquam in facundia seculari, in lingua Teutonica, quam propter studium et amorem vite spiritualis et lectionis nec dilexit nec exercuit. Qui etiam licet esset in lingua Latina expeditissimus et iuris legalis ac canonici *col. 127. peritus, tamen ubique locorum maluit audire, quam *audiri, cum tamen propter gratiam sibi insitam multi eum reverenter desiderarent audire. Adulari maioribus nec scivit, nec voluit, plausum vel favorem secularium nec in dictis nec in factis quesivit. Vanam gloriam ambientes in secreto mentis detestabatur; humiles ac simplices in via mandatorum Dei gradientes venerabatur. Multiloquia omnino abhorruit, quoniam secundum quod dicitur in Matth 12,36. Proverb.[66]: *In multiloquio non deest peccatum.* Et in euangelio[d]: *De omni verbo ocioso reddent homines rationem in die iudicii.* Iacobus in epistola canonica 1: *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.* Et item: *Si quis putat se religiosum esse, et non refrenat linguam suam, huius vana est religio.* Proverb. 12: *Propter verba labiorum proximat ruina malorum.* Psalm.: *Vir linguosus non dirigetur*[e] *in terra*[67]. Immo multo minus in celo. Proverb. 13: *Qui custodit os suum, custodit animam suam.* Ecclesiasticus 14: *Beatus vir, qui non est lapsus verbo ex ore suo.* Iacobus 3: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* Item: *Lingua modicum membrum est, et totum corpus mittit in gehennam, et totum corpus maculat et inflammat rotam nativitatis nostre, inflammata a gehenna. Est enim inquietum malum, plena veneno mortifero. Omnis enim natura bestiarum et volucrum et*

---

a) reu͛erebr̄ 1. b) *sequebatur* permittitur, *iam deletum* 1. c) *supplevi; deest* 1. d) *in marg.* 1: ℞ (require?) prov. X. mͭ XII. e) dī. 1.

63) Gualtheri Alexandr. I, 115. 64) Aen. VI, 853. 65) cap. 2. 66) Prov. 10, 19. 67) Psalm. 139, 12.

serpentium domatur ab humana natura; linguam autem nemo hominum domare potest. Ecclesiasticus 19: *Quis est, qui non deliquerit in lingua? Quis*, id est quantus admirative; vel ideo dicit *quis*, quia difficile habetur, nisi detur a Domino. Ecclesiasticus 10: *Quis dabit ori meo custodiam, et super labia mea signaculum certum, ut non cadam ex ipsis, et lingua mea non perdat me?* Et in vitis[a] patrum quidam legitur orasse omni tempore: *Domine libera me a lingua mea.* Seneca[68]: *Tardilocum te esse iubeo*, et prope erit tibi Deus. Cato[69]:

Proximus ille Deo est, qui scit ratione tacere.

Ovidius:

Eximia est virtus, prestare silentia rebus[70].

Idem:

Quis minor est unquam quam tacuisse labor[71].

Amos 8: *In omni loco erit silentium.* Ysaias 32: *Cultus iusticie silentium.* Apocal.[b]: *Factum est silentium*[72]. Ysaias: *In silentio et spe erit fortitudo vestra*[73]. Ecclesiasticus 28: *Verbis tuis facito stateram et frenos ori tuo rectos*[c].

Habebat etiam specialem gratiam consolandi pusillanimes per auctoritates sacre pagine, quam semper gerebat in pectore *et in ore, nec non et in opere, legendo, scribendo et utiliora notando, quia fuit mirabiliter studiosus in lectione sacre pagine, creber et devotus in oratione, pervigil in matutinis observandis; et fere usque ad annos senectutis sue matutinis cum conventu viriliter observatis, postea modicum vel nichil dormivit, quia illam partem noctis post matutinas pocius vigilabat, propter consuetudinem observatam Parisius et Oxonie tempore studii, quando, fratre suo domno Addone priorem partem noctis vigilante ac scribente, ipse partem posteriorem pervigilabat. Que divisio noctis in libris eorum potest perpendi, et maxime in Decretis et in Libro Pauperum. Ex illa ergo consuetudine post matutinas hiemali tempore vigilabat scribendo, utpote qui ferme omnes primitivos libros chori et missales familiarium missarum in utroque claustro, nec non et alios multos scripsit, notavit et illuminavit. Conscriptis autem et correctis omnibus libris, qui ad divinum pertinent officium, attendens in vita contemplativa post orationes proximam esse lectionem, deinde meditationem, multo sategit studio, ut armarium librorum in capitulo libris sacre scripture impleret. Huius operis non solum sic in clericis, quos ad scribendum fervide incitabat et per se ipsum instruebat, verum etiam sedulitatem in femineo sexu considerans, sorores ad hoc habiles sollicite in scribendo informabat, primo quidem textum veteris ac novi testamenti et Scolasticam Historiam, expositiones sanctorum patrum, videlicet Augustini super Iohannem, et beati Gregorii ac aliorum, nec non et magistrorum postea faciens diligenter conscribi, tanquam

*col. 128.

Nil credens actum, dum quid superesset agendum.

Luc. Phars. II, 657.

Quasi enim spiritu prophetico sepe dicebat, quod post tempora sua, dum inchoarentur opera lapidea, tepesceret studium librorum conscribendorum. Ipse vero interea legendo, corrigendo et utiliora notando fere in omnibus libris armarii vestigia manus sue reliquit, nunquam ociosus existens, tanquam sibi cum Ieronimo diceret: *Semper aliquid operare, ne te diabolus ociosum inveniat.* Et illud Iacobi: *Ociositas inimica est anime*, et: *in desideriis est omnis ociosus.* Proverb. 13: *Anima operantium inpinguabitur.* *Et sic per locum a contrario: *Anima ociosa et torpens marcescet et extenuabitur.* Dicit etiam poeta:

*col. 129.

Ocia si tollas, periere cupidinis[d. 74],

et illud[75]:

Queritur Egistus quare sit factus adulter.
In promptu causa est: desidiosus erat.

Bernardus[e]: *Omnium temptacionum et inutilium cogitationum sentina est ocium.* Unde contigit ut propter studium divine pagine paratas haberet auctoritates, modo de Dei preceptis, modo de sanctorum exemplis dulcem sibi et aliis faciens consolationem, ita ut esset in ore suo sacra pagina sicut turris David, que erat edificata cum propugnaculis. *Mille clipei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* In scriptura enim divina sunt clipei, id est pre-

Cant. 4, 4.

---

[a] vitas 1. [b] Am. 1. [c] Ecc^{i}2 — tuo $\overset{e}{r}$ *in marg. inferiori sec. curis suppleta* 1. [d] *supplendum* arcus. [e] B^{5} 1, *ubi haec:* B — ocium *curis secundis addita sunt ab auctore in marg. superiori.*

[68] ep. 40. extr. [69] Dionysii Catonis disticha de moribus I, 3. [70] Ov. Art. Am. II, 603. [71] Amor. II, 2, 28. [72] Apocal. 8, 1. [73] Iesai. 30, 15. [74] Ovid. Remed. Amoris 139. [75] ibid. 161.

cepta Dei, ut: *Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo* etc. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Non concupisces* etc. *Non queres ultionem* etc. Ibi etiam est armatura fortium, scilicet exempla sanctorum, sicut exemplum innocentie Abel, Abraham obedientie, Ysaac simplicitatis, Iacob fortitudinis in labore, Iosep castitatis, Moyses mausuetudinis, qui inter milia fuit mitissimus, Finees zeli rectitudinis, Samuel benignitatis, qui de
1 Reg. 12,23. principatus culmine deiectus dixit: *Absit ut cessem orare pro vobis*, David non reddendi malum pro malo, qui Saul pepercit. Quapropter vir Dei collegit sibi opuscula manualia et brevia, sicut *Arborem viciorum et virtutum*, quam prius editam ipse correxit et multis locis supplevit. Similiter *De differentia criminum*, *De differentia virtutum politicarum et theologicarum*, et tractatum *De anima*. Vitas patrum etiam in ordinem congruum secundum virtutes et vicia collegit, incipiens ab oratione, lectione, meditatione, que sunt membra precipua vite contemplative, et sic de aliis, que ipse in sua senectute metrice plano stilo composuit, plus prospiciens utilitati legentium, quam ornatui verborum intendens. Seneca: *Plus me occupat medulla sensuum, quam spuma verborum.*

Cronica[a] etiam de omnibus memorabilibus, que non solum suis, immo etiam vicinis temporibus contigerunt, cum multa diligentia conscripsit secundum annos dominice incarnationis, singula luculenter explanans, de diluviis, de bellis, peregrinationibus, incendiis et aliis omnibus emergentibus nichil intactum relinquens. Ubi etiam spiritu Dei actus de
Num. 12, 3. se tanquam de alio sepe loquitur, exemplo Moysi, qui dicit: *Erat Moyses vir mitissimus*
Iob. 1, 1. *super omnes habitantes in terra*; et Iob: *Vir erat in terra Hus, nomine Iob, simplex et rectus*,
*col. 130. quod dicit *beatus Gregorius ipsos de se per Spiritum sanctum tanquam de aliis dixisse,
Ioh. 21, 20. non ut se extollerent, sed ut aliis exemplo prodessent. Et Iohannes euangelista dicit:
2 Cor. 12, 2. *Discipulus ille, quem diligebat Iesus, qui et recubuit super pectus Iesu*, et apostolus: *Scio hominem in Christo* etc. et alia multa exempla[a].

Ratione igitur previa et spiritu intellectus mores fratrum examinabat et singulis in suis obsequiis contra vicia insidiantia consulebat, conscribens antidota multimoda. Generalia ordinis instituta toto sinu complectens, commendabat assidue caput tocius religionis in communi substantia, communi obedientia et dilectione mutua, cum mediocritate cibi et potus, et castitate et humilitate. Fratribus etiam in secularibus ecclesiis et conversis in grangiis formam vivendi mirabili sagacitate in scriptis contradidit, precipue exhortans[b], ut ubicunque duo fratres[c] simul essent in ecclesia, studerent ad mutuam caritatem, ad parilitatem in predicatione, secundum datam sibi a Domino sapientiam, in ebdomadarum particione, in confessione, priorem inter eos parochianis tantum ad inquisita respondere, negocia declinare, quantum fieri posset, minorem domi subsistere, ambos in ecclesia ante omnes et post omnes esse, discipline claustri meminisse, in parochia vel alibi nunquam inebriari, propter infirmos domos simul intrare, non interesse conventibus secularium, post competentes dies in abbatia se presentare vicissim, in claustro post orationem conventui coniungi, rumores non deferre, sed per licentiam loqui, cibos secundum formam claustri sumere, clauso cenaculo comedere, breviter et discrete loqui in confessione, sine licentia abbatis litteras non exequi nec iudicia exercere, in omni negotio testem[d] habere, oblationes fideliter colligere, a minori quantitatem conscribi et presentari, hospitibus religiosis tantum lautius ministrari, libellos conventus servare et non facile sine memoriali ac licentia prestare, alienos libros supra unum non multiplicare, cognatos sine necessitate non frequentare, mores familie emendare, libenter quod possunt operari, aput seculares iudices non intercedere, pecuniam alienam non recipere nec deferre,
*col. 131. lectioni ac studio intendere, vestes suas subdolis non prestare, nec pecuniam; *ne conversi cum hospitibus bibant inhibere, semet ipsos non amare, se non habere plenam potestatem profiteri. Non solum autem canonicis in secularibus ecclesiis, sed et omnibus tam in claustris quam in grangiis certam formam vivendi limitabat, videlicet qualiter infirmi, quomodo minuentes sanguinem, quomodo custodes, quomodo in claustro sororum manentes se gerere deberent, ordinavit et conscripsit, nichil de ordine mutans, sed dubia declarans et minus expressa sicut fidelis et bonus dispensator supplens secundum quod in ordine dicitur, quod singuli officiales se debent gerere secundum abbatis ordinationem.

1237. Anno igitur Domini 1237, a diluvio sancte Iuliane 74, Nicolai 42, Marcelli 19, ab

---

a) Cronica — exempla *hoc loco deleri voluit auctor, adscripta in margine voce* Vacat, *quia eadem fere supra in exordio Chronici postea scripsit; cf. praefationem p.* 462. b) contr Exhortabatur etiam *H.* c) sacerdotes *add. H.* d) testm̄ 1.

aqueductu stabilito 45, a captivitate Iherusalem 48, prime peregrinationis 47, secunde 40, 1237.
ab adventu magistri Oliveri 24, tercie peregrinationis eo predicante 20, quarte peregrinationis
predicante magistro Arnoldo et Iohanne Zantense 10, a conversione beati Augustini
828, a conversione beati Benedicti 711. — claruit Boetius —, passionis sancti Bonifacii 511,
transitus sancti Liudgeri 428, ex quo claruit papa Gregorius 647, translationis magorum
Coloniam 73, ordinis Cartusiensium 147, ordinis Cisterciensium 139, Premonstratensium 117,
plantationis Orti sancte Marie 72, Floridi Orti in Werum 24, transitus sancti Francisci 11,
translationis eius 7, translationis sancte Elisabeth 2, transitus domni Emonis fundatoris Novi
Claustri, quod dicitur Campus Rosarum, 16, Egburgis devote in Novo Claustro sepulte 24,
anno imperii Frederici secundi Romanorum imperatoris 17, regni Iherusalem 13, Sicilie 41,
indictione 10, pontificatus domni Gregorii pape noni 11, episcopatus domni Ludolfi Monasteriensis
episcopi 12, reverendus pater Emo et pie recordationis apud Deum et homines in nocte Dec. 13.
beate Lucie virginis, quam semper specialiter dilexit ac ei servivit, *vigiliam eius ieiunando *col. 132.
et omnes, quos poterat, ad honorem ipsius exhortando, accedente festo eius supplicavit eidem
virgini, morbo invalescente, ut si eo anno secundum Dei ordinationem esset moriturus,
ea nocte ipsius precibus ad requiem transiret. Eadem igitur nocte dictis matutinis, recepto[a]
officio communionis et inunctionis, accepto baculo et stola, absolvit omnes quos ipse
auctoritate ordinaria sive delegata excommunicaverat[a], coram positis fratribus et sororibus
in Novo Claustro, cui ipse tanquam rigator nomen Campus Rosarum imposuit, de laboribus
et erumpnis carnis ereptus dormivit cum patribus suis; omnibus qui astabant fratribus
non modicum flentibus et patrem se tantum amisisse lamentabiliter conquerentibus, nec
non et sororibus, quas ipse tanquam oviculas debiles et infirmas, quo fragilior erat sexus,
eo sollicitius nunc blandiciis demulcendo, nunc etiam minis et terroribus deterrendo uni
viro desponderat virgines castas exhibere Christo. Corpore itaque eius sacerdotalibus
indumentis, ut decuit et mos est de prelatis, involuto et in ecclesiam processionaliter
delato, post lecta psalteria et missas celebratas, sororibus extra portas cum cantu exequiali
prosequentibus, et fratribus qui aderant comitantibus, in navi corpus est collocatum et ad
abbatiam deductum; ubi completis psalteriis post nocturnas vigilias et officio divino et
missis, in capitulo claustri, ubi ipse sibi sepulturam elegerat, est sepultus. Capitulum
quippe dum viveret diligens propter studium confessionum, correptionum, lectionis et
sancte meditationis, astrinxit sacerdotes, qui in obitu suo presentes erant, ut corpus suum
in capitulo humarent, et si quando novum capitulum fieret, in illud transferrent; ut sicut
vivus locum illum dilexit, sic etiam ad illum intraret[b] defunctus; ubi Deus omnipotens
sua ineffabili gratia per confessoris sui merita multa infirmis confert beneficia sanitatum.

Homo siquidem iste spiritu prophetie, in quantum ab hominibus sciri voluit, a Deo
fuit ditatus. Nam in anno obitus sui cuidam laico nobili in parochia Werum, qui fuit cruce
signatus, querenti consilium, si adhuc preparare deberet[c] pecuniam ad passagium terre
sancte[d], dixit precise: *Nec in diebus meis neque tuis erit generalis *peregrinatio in terram* *col. 133.
*sanctam, quoniam post mortem meam, te adhuc forte vivente, erit tanta dissensio in ecclesia
Dei, quod propter bella intestina non poterunt christiani contra paganos unanimiter dimicare.*
Dixit etiam quibusdam civibus super emptione prediorum litigantibus, quod forte visuri
essent diem, quando etiamsi pecunia abundarent, vix eam auderent in predia convertere
propter caristiam intolerabilem, maxime cum essent multo plures venditores quam
emptores, quod anno 12. post mortem suam per inundationem salsi et diversas plagas
manifesto accidit. Cuidam etiam familiari suo ante horam mortis querenti, quem vellet
sibi succedere, dixit: fratrem Paulum esse bonum, sed brevi tempore victurum, et domni
Pauli successorem nominatim expressit. Que omnia rei exitus vera esse probavit. Post
mortem etiam suam probabilia signa per ipsum Deus dignatus est operari. Nam etiam
Damme cecam illuminavit, mutam loqui fecit, et quandam per triennium contractam et
decumbentem libere fecit ambulare. Cui etiam Deum ac sanctum Nicolaum ac alios sanctos,
cum esset paupercula et necessaria deficerent, invocanti, responsum est celitus, ut venerabilem
patrem Emonem invocaret, quia ipsi collatio sanitatis sue divinitus esset reservata.
Et sic eo invocato sanitatem recepit[e].

---

[a] recepto — excommunicaverat *in marg. supplevit auctor* 1. [b] *correxi;* īutaret 1. [c] *in marg. add. curis secundis* 1. [d] *prius bis scriptum, secundum deletum* 1. [e] *hic dimidia columna* 133. *et tota* 134. *relicta vacua* 1, *fortasse ut plura adhuc de Emone eiusque miraculis addere posset auctor.*

*col. 135. *Post decessum tam reverendi patris et solliciti pastoris devota illorum fratrum congregatio, quam idem pater venerabilis in Christo plantavit, ac verbo et exemplo sancte
conversationis rigavit et intenta oratione munivit, domni Sibrandi abbatis de Orto sancte
Marie, vices patris abbatis, videlicet domni Premonstratensis gerentis, pacifice ac humiliter
1238. expectavit adventum. Qui anno Domini 1238. iam inchoante veniens, assumpto secum
Ian. 13. abbate de Dokum, in octava epiphanie capitulo presedit ac exhortatione premissa fratres
de concordia monuit, triplicem formam electionis secundum ordinem eis proposuit. Qui
sine votorum examinatione ac familiari scrutinio electionem in ipsum abbatem domnum
Sibrandum, eo quod esset vir honorabilis et discretus et locum eundem semper dilexerit,
compromiserunt, adiunctis ei tribus ecclesie canonicis; que forma electionis approbatur
in constitutionibus domni Innocentii pape[a]. Memorati autem electores[b], fratribus in capitulo
residentibus, ecclesiam intrantes, Spiritus sancti gratia invocata et collatione[c] breviter
habita, unanimiter in personam domni Pauli eiusdem ecclesie supprioris consenserunt.
Quem cum in capitulum reversi ad onus suscipiendum nominassent, sine contradictione
ab omnibus est acceptatus. Fuit enim vir nobilis et valde litteratus, iuris peritus, facundia
et dulcedine lingue preditus et ab adolescentia claustrali disciplina imbutus. Imponente
igitur cantore *Te Deum laudamus* secundum consuetudinem et campanis concrepantibus,
in chorum est deductus et, dicta debita oratione, in stallo[76] abbatis collocatus. Deinde in
capitulum reductus, professiones fratrum sine contradictione alicuius recepit, ac eodem
Aug. 19. anno in ecclesia Floridi Orti, in die beati Magni martiris, presentibus fratribus, a domno
Ludolfo Monasteriensi episcopo manus impositionem et abbatis benedictionem accepit.
Oct. 2. Eodem anno proxima die post Bavonis conflagrata est ecclesia sancti Andree in Emetha.
Oct. 14. Die Calixti data est sententia a consulibus de solutione per duo milia marcarum exponenda
in die beati Martini. Subdiderunt se fideiussores de quantitate, videlicet 1200 marcis, quia
reliquum fuit ex gratia indultum; et termini solutionis sunt assignati.

*col. 136. *Eodem anno, videlicet anno Domini 1238, anno ab inchoatione latericii operis[d] tercio,
predictus abbas electus veniens in Ortum sancte Marie, de consilio domni Sibrandi abbatis
ibidem conduxit magistrum Everardum lapicidarie artis peritum, natione Coloniensem, ad
novam ecclesiam in Florido Orto faciendam, mercede ipsius taxata tam hieme quam
estate, videlicet ut reciperet preter victum estivo tempore ad diem septem Daventrenses,
hiemali vero tempore a festo Martini ad purificationem tres; et hoc tempore sederunt[e] ad
secandos lateres, sed satis dampnose propter diei brevitatem et aeris obscuritatem. Que
tamen forma conventionis postmodum propter suam et filiorum intolerabilem gulositatem
mutata est, ut reciperet ad annum 34 libras et ad diem pro opere duas uncias Groniensium.
Aug. 14. Idem autem magister in vigilia assumptionis fundum in atrio ecclesie pretemptavit; et
statim postea iniciatum est fundamentum cum gravissimis laboribus et expensis, quia
subito vacillat operis edificium, cui debile subiacet fundamentum. Apposito igitur liniari
perpendiculo magister est metitus, quam profunde fodiendum esset fundamentum, ita ut
ligna in fundo posita omni tempore haberent aquam, que ipsa solet a putredine conservare.
Hoc autem perpendit per aquam, que erat in fossato atrii, ita ut illa equalitas aque posset
derivari per cuniculos terre super lignorum superficiem ad duos pedes, cum tamen in illo[f]
autumpno fuisset siccitas maxima. Ac sic necesse fuit totum fundamentum fodere ad profunditatem 20 vel 18 pedum. Preterea ad occidentem, ubi est maior pars edificii, olim
decurrebat amnis, cuius nomen erat Fivele, ita ut esset ibi portus navium. Qui cum in
Emetha esset obstructus et desiccatus, paulatim fimo sterquilinii et straminibus fuit
repletus; et ideo necesse fuit in profundum fodere, ut ad fundum solidum posset perveniri.
Effosso igitur fundamento, vicissim de cavea ad caveam posita sunt inferius ligna alnina
adhuc recentia et succorosa propter securiorem conservationem operis, primo in longum
operis, videlicet ad orientem et occidentem, et desuper alia in transversum. Quibus cum
*col. 137. multa *diligentia collocatis superiecta est terra, primo pinguis et fimosa pro maiori attractione[g] humoris et conservatione lignorum, postmodum sicca, que condensata est truncis,
accedentibus ad singulos quatuor viris fortibus, quibus lassatis alii quatuor succedebant; et

---

a) .c. *add.* 1 (capitulo?); III. *add. H.* b) *loco* Mem. aut. electores *leg.* procedentes, ceteris interea *H.* c) *in textu* collata, *in marg. corr.* collatione 1. d) *sec. cur. in marg. add.* 1. e) sederт 1. f) illa 1. g) atī9||ctōē 1.

76) i. q. sedes.

sic oportebat omni tempore huiusmodi fundationis interesse 80 viros, cum essent 10 trunci, et vicissitudinalibus commutationibus carere non possent. Quibus pleno robore laborantibus, tota villa contremuit, ita ut in vicinis domibus olle lacticiniorum effunderentur, et ova aucarum[77] ex tremore terre commixta fetus proferre non possent. Cooperabantur autem fideliter cum parochianis eiusdem ecclesie cives de Waltersum[78], ita ut ipsi fere medietatem operis explerent. Et dabatur cotidie laborantibus medietas rotundi panis et buccella casei ad meridiem, et tres vel ad minus due magne situle ad bibendum. Et sic in magna hilaritate operabantur. Et auctoritate domni episcopi singulis operantibus quinque dies de iniuncta penitentia indulgebantur. Canonici autem et conversi fideliter et viriliter cooperabantur. Principales in promotione operis fuerunt Andreas prior, vir prudens et dulcedine iocunditatis et vultus arrisione homines ad operandum optime alliciens; et frater Menko, tunc vestiarius et cellerarius interior, nec non et puerorum[a] magister, postmodum vero eiusdem ecclesie abbas effectus; et frater Itatus canonicus et Sigrepus conversus. Hii, quia efficaciores in duabus parochiis poterant habere petitiones, homines ad laborandum convocabant et sepe post diurnum laborem et sollicitudinem circa operis ordinationem et promotionem, aliis in vespere tendentibus ad quietem, etiam post occasum solis hostiatim circuibant, petendo et ad crastinum laborem invitando, sibi et particionibus parochiarum, prout qualitas operis exegit, vices distribuendo. Positio autem fundamenti intra quinquennium fuit consumata, Deo gratiam suam apponente, ut essent optima tempora; et frumentum ubique habundavit. Nam ab inceptione fundamenti usque ad tercium annum ecclesia Floridi Orti in singulis grangiis particiones duas vel tres de clibanis frumenti poterat intrituratas relinquere anno futuro. Sed statim fundamento posito tempora ceperunt in incremento annone vilescere; nam eo anno cum fuisset siccitas magna *ante festum Iohannis Baptiste, postea successit *col. 138. 1242. Iun. 24. pluvia maxima, que etiam fundamentum ecclesie in fine occidentali non modicum impedivit, quia sepe terra de die effossa propter ponderositatem et labilitatem ex pluvia relabebatur; et sic non poterat illa cavea, cum haberet in latitudine, quantum ad statum ecclesie, plus quam 60 pedes, et in longum 40 satis in fundo effodi et complanari, nec ligna satis ad placitum collocari. Tamen per totam illam caveam ligna fuerunt in fundo collocata, et ad parietem finis ecclesie duplicata. Fundus vero ad aquilonem fuit debilior in eadem parte occidentis, quam ad austrum, et minus solidus, quia virgam geometricam poterant levi labore ad finem imprimere. Unde si forte ibi periculum evenerit, ex hoc sciatur evenisse. Non solum autem ex hiis causis finis occidentalis plus descendit, sed etiam quia orientalis iam prius fuerat ad 20 pedes exaltatus, et sic suum fundamentum fuit iam stabilitum, antequam aliud inchoaretur. Preterea quoniam difficile est superedificare, nisi sciatur intentio primi fundatoris, cum quilibet artifex discretus primo in mente disponat materiam sui operis, et diversos diversa iuvant, ideo primam ordinationem operis hoc loco duximus describendam, ut si posteris placuerit superedificare, ex hoc habeant materiam perficiendi. Primum enim erat propositum, ut inter duo brachia ecclesie fieret ciborium in modum turris, cuius laquearia super tectum ecclesie in huiusmodi operibus solent extolli, ut fenestre super tectum prominentes chorum illuminent, ubi tamen volebant campanas conventus suspendi. A latere vero ciborii super duas capellas, que firmissimum habent fundamentum, propositum erat fieri duas turres minores, et in fine occidentali turrim magnam ad campanas parochie. Que omnia licet satis essent ad ornatum, tamen propter multos labores et expensas, quibus tam prelati quam universitas fratrum quasi in fornace tribulationis fuerunt excocti, hec ad presens pretermiserunt, et[b] posteris, qui labores eorum quasi gratis, et utinam non ingrati, erant intraturi, si facultates suppeterent, hec perficienda reliquerunt, perficientes alia cum inexplicabili difficultate. Nam opus, sicut evidentia declarat, erat magnum, parietes diversi, magister et operarii omnes summo pretio conducendi. Anni durissimi supervenerunt, et multi, etiam qui prediis habundabant, coacti sunt terram exire et alimoniam undecunque poterant *requirere. Nec hoc preter- *col. 139. mittendum, quod domnus Sibrandus abbas de Orto summopere instigabat, ut in sanctuario fierent duo altaria, sicut in Premonstrato. Et ideo dilatata fuit ecclesia ad orientem, ut largus esset ministrorum circuitus, et maxime propter pressuram offerentium et communicantium.

---

[a] pūorum *cod.* [b] *manu recentiori add.* 1.

[77] *auca* i. q. anser. [78] Woltersum ad meridiem Floridi Horti.

1240. Anno Domini 1240. mortuus est domnus Sibrandus abbas Orti sancte Marie, vir in omni populo valde honorabilis, corpore pinguissimus, statura procerus et robustus, ac bene dispositus, satis litteratus et facundus in lingua materna et Latina et naturali ingenio subtilissimus; qui ecclesiam suam cum multa et bona magnanimitate a perversis strennue defendens, quia intus et foris magna sue persone habebatur reverentia. Ipse autem ecclesiam Floridi Orti specialiter dilexit et in omnibus suis necessitatibus, et antequam esset abbas, efficaciter promovit. Successit ei domnus Iarichus fere octogenarius, qui a prima infantia in prima fundatione religioni mancipatus et satis litteratus ac bonus predicator, fuerat ecclesie satis utilis. Sed post electionem statim cepit corpore ac sensu deficere, et vix duobus annis in officio perstitit abbatis, et renunciavit.

1241. Oct. 6. Anno Domini 1241. die dominica in octava Michaelis, luna 27, circa horam nonam facta est eclipsis solis, que secundum rationes philosophorum poterat esse naturalis per obiectum lune inter nos et solem[79]. Cum enim sol est in medio zodiaci in ecliptica linea, et luna accedit ad ipsum, ut reaccendatur, ipsis in eadem linea directe convenientibus, sole supra et luna infra, et terra sit[a] utrique in eadem linea directe supposita, necesse est, lunari obiectu nobis solarem subtrahi aspectum. Zodiacus enim circulus continet in latitudine 12 lineas, quarum mediam, que vocatur ecliptica, sol tantum perambulat, luna autem per totam eius latitudinem vagatur[80]. Unde licet omni mense luna ad solem accedens reaccendatur, non tamen uno semper loco et eadem hora directe in ecliptica linea ei supponitur, et ideo non omni mense vel anno fit eclipsis. Sol autem in sua eclipsi nichilominus lucet, licet nos eius aspectu fraudemur. Cum vero luna eclipsim patitur, lumine privatur, quia lumen a se non habet, sed a sole. Cum enim sol est sub terra, et luna super terram vel econtra, uterque tamen in ecliptica linea: terra in eadem linea interposita privat lunam lumine, quod a sole contrahit. Et hoc semper circa plenilunium 14. vel 15. vel 16. Si vero luna per aliam quamlibet lineam preter eclipticam ab opposita parte feratur, terra ob sui exiguitatem solare non potest ei lumen adimere; et ideo luna non omni mense
*col. 140. patitur eclipsim. Poterit etiam hec eclipsis esse prodigialis, quia circa *idem tempus
Aug. 21. decessit[b] domnus[c] Gregorius papa IX. pontificatus sui anno 16, qui fuit homo valde[d] litteratus, et ecclesie sibi credite strennuus defensor, qui[f] quinque volumina Decretalium ob librorum[e] diversitatem ac prolixitatem in compendium unius voluminis per magistrum Remundum ordinavit contrahi[f]. Hic Frethericum imperatorem, Deo et ecclesie inobedientem et multa signa incredulitatis habentem, sepius monitum excommunicavit, ac postmodum[g] anathemati subiecit. Post ipsum electus est quidam Celestinus, qui post electionem tantum 16 dies supervixit; et sic sedes apostolica ferme per annum vacavit, Frederico imperatore electionem tam occulte quam manifeste impediente, et maxime per quosdam cardinales, quos in captivitate detinuit, sine quibus electio non poterat celebrari. Et[h] sic
2. Paral. 18, 16. accidit illud prophete: *Vidi Israel sicut oves sine pastore.* Utrum autem illa eclipsis fuerit
Act. 1, 7. naturalis vel prodigialis, ei relinquimus, qui dicit: *Non est vestrum nosse tempora vel*
Gal. 4, 10. 11. *momenta, que Pater posuit in sua potestate;* et apostolus: *Observatis tempora et menses et annos; timeo, ne frustra laboraverim*[i] *in vobis.* Paraclitus:

De lune giris et solis sepe requiris,
Sed scis stellarum de statione parum.

1242. Anno Domini 1242.[k] occisus est Rodulfus primogenitus Egberti, qui fuit prefectus ville Groniensis, et hoc per Thizonem militem et Rodulfum filium Christine, cognatum eiusdem occisi, et per Gelekonidas et Papelingos confederatos in destructionem predicti Egberti[l] et fratrum suorum. Sed aliter quam estimatum fuit evenit. Nam Egbertus iuvenis cum fratre Godescalco effugiens, vocatis ad se Rodulfo de Niurech et Menzone ad Amnem fratruelibus suis, auxilio militum de Pedese et aliorum multorum domum suam viris et armis munivit. Predicti autem occisores domum Thizonis, ecclesiam sancte Walburgis[81] et alias duas domos occuparunt, et sic aliquamdiu pugnantes plurimos hinc inde occiderunt. Sed plures et meliores ceciderunt de parte Thizonis et Rodulfi, et tandem eis deficientibus

---

a) ś 1. b) Anno Domini 1241. decessit *rursus incipiens* 2. c) domnus *deest* 2. d) valde *deest* 2. e) obliquorum 2. f) qui quinque — contrahi *in marg.* 1. *scriptor suppl. curis secundis.* g) proinde 2. h) Et — vel etiam distracta *des.* 2. i) frus. la. 1. k) *e correctura ortum videtur* 1. l) E. 1.

[79] Cf. Bedam De temporum ratione c. 27, ex quo Noster didicisse videtur. [80] *luna — vagatur* sunt verba Bedae in libro De natura rerum c. 16. [81] Groningae.

ceperunt cedere, et capte sunt domus eorum et quedam funditus destructe, et fere tota villa igni tradita anno 15. ab incendio priori. Destructum est etiam castrum in Lenerdawinkel, ubi fuit Gelekonidarum refugium; et Wigbaldus filius Wiggeri occisus. Insuper et villa in Elethe[82] igni tradita, quoniam Rothgerus scultetus et sui fratres fuerunt Thizonis et Rodulfi principales coadiutores. Econtra per Thizonem et suos destructum est castrum in Gronenburch[83], quod fuit seminarium tocius discordie, et domus militum de Pedese, videlicet Adulfi, Rodulfi fratrum et similiter patruelium suorum, ubi in optimis pomeriis et preciosa supellectile multa bona sunt igne consumpta vel etiam distracta.

Anno eodem circa ad vincula sancti Petri[84] electus est ad apicem apostolice dignitatis 1243. Aug. 1. domnus Synebaldus[a] presbiter cardinalis, et[b] quia, aliis diversa sapientibus, ipse dilexit vivere pacifice ac innocenter, dictus est Innocentius, *quartus in illa sede huius nominis *col. 141. heres. Qui statim post electionem suam confirmavit sententiam latam a domno Gregorio papa contra Fredericum imperatorem[85]; propter quod insidias multas et iniurias perpessus, tandem[c] Roma secedens secundum illud: *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in* 1244. Matth. 10,23. *aliam*, primo se Ianuam, unde fuit oriundus, transtulit ac postmodum Lugdunum super Rodanum in Burgundia secessit[86], et sic omnia iura papalia Lugdunum sunt translata. Eodem anno domnus papa concessit Maguntino primati[87] et Coloniensi archiepiscopo[88], ut ab omni clero suorum suffraganeorum perciperent quintam[d] omnium proventuum ecclesiasticorum[e], eo quod ipsi viderentur se periculo pro ecclesia contra predictum imperatorem viriliter opponere. Super quo mota[f] est questio et dissensio non modica, quia nec archiepiscopus Bremensis[89], nec Traiectensis[90], nec Monasteriensis[91], nec aliqui episcopi tocius Alemannie[g] preter Leodiensem[92] et Osnaburgensem[93] voluerunt in suis dyocesibus hanc exactionem admittere. Sed pro relaxatione miserunt ad domnum papam supplicationes, qui nec voluit ad plenum revocare, nec etiam sententias[h] a predictis archiepiscopis latas confirmare, sapienter expectans, ut medio tempore fierent amicabiles compositiones; quod et factum est. Nam et predicti archiepiscopi videntes, se non posse ad plenum prosperari, actionem suam mitigaverunt, et quod eis singuli episcopi ex gratia apposuerunt, gratanter acceptarunt.

Anno[i] Domini 1243. mense Augusto in inventione sancti Stephani domnus Paulus 1243. Aug. 3. secundus abbas Floridi Orti, anno ab obitu domni Emonis et sue successionis 6. acutissima febre correptus, de claustro sororum ad abbatiam est deductus. Sexta die infirmitatis recepto officio communionis et inunctionis, cum summa devotione et multiplicatis correptionibus, quas singillatim a singulis sacerdotibus expetivit, sciens sibi horam mortis imminere, ad exemplum domni Emonis de lecto se erigens, accepta stola et baculo, absolvit ab excommunicatione omnes, quos ipse auctoritate ordinaria sive delegata excommunicavit, quoniam omnis excommunicatus a suo excommunicatore est absolvendus, nisi per appellationem ad audientiam superioris fuerit causa devoluta. Quo facto se in lectum recipiens, circa horam nonam in festo Ciriaci, coram positis fratribus et de morte tanti Aug. 8. patris dolentibus et gementibus, omnibus que ad suam salutem aut ecclesie utilitatem pertinebant sapienter pertractatis, dormivit cum patribus suis; ac peractis illo die ac nocte secundum consuetudinem psalmis, sequenti die per venerabilem virum domnum Hayonem[k] abbatem de Merna a dextro latere domni Emonis abbatis, sicut ipse petivit, in capitulo est sepultus. Qui mortis sue quasi prescius, sepius eo anno desideravit, sibi complanari ac poliri operimentum sarcophagi et denigrari *ac a latere predecessoris sui collocari. Erat *col. 142. autem hic pater venerabilis in parentela nobilis, scientia eruditus, iuris ac theologie peritus, in iudicio iustus ac fervidus, in sermone iocundus, in omnibus factis suis habilis et compositus, in morum honestate preclarus, facundia precipuus, ita ut etiam dulcedinem lingue sue mirarentur audientes. Quem etiam Dominus tanquam aurum in fornace probans multis tribulationibus fatigari permisit, tam ab extraneis, quam etiam periculis in falsis

---

[a] Syneboldus 2. [b] et — heres *des.* 2. [c] tandem — sunt translata *des.* 2. [d] partem *add.* 2. [e] ecclesiarum 2. [f] mota *deest* 2. [g] Germaniae 2. [h] *bis scriptum, secundum ab auctore post deletum* 1. [i] Anno — sacerdotii 7. *col.* 143. *des.* 2. [k] *correxi;* hay||nē 1.

[82] Elden seu Eelde in Drenthe ad meridiem Groningae. [83] Groenenberg ad Hunse fluvium; cf. de situ castri infra col. 155. 156. [84] immo Iun. 25. [85] Hoc falsum. Nam usque ad tempus, quo Innocentius Roma secessit (1244. Iun. 7.), de pace inter ipsum et imperatorem tractabatur. [86] Lugduni applicuit a. 1244. Dec. 2. [87] Sifrido III. [88] Conrado. [89] Gerhardus II. [90] Otto III. [91] Ludolfus. [92] Robertum I. [93] Engelbertum I.

1243. fratribus; in quibus viriliter contra hostes visibiles et invisibiles decertavit. Quoniam ubi[a] Prov. 16, 32. necessaria erat paciencia, quasi naturaliter erat pacientissimus, iuxta illud Salomonis: *Melior est paciens viro forti et qui dominatur animo suo expugnatore*[b] *urbium*, contra infestantes Prov. 5, 9. ecclesiam fuit strennuissimus defensor, secundum illud: *Ne des alienis honorem tuum.* Cum enim quadam vice domnus Ludolfus episcopus Monasteriensis, vir naturali ingenio pollens, instinctu quorundam emulorum ecclesiam Floridi Orti de sepultura cuiusdam, quem dicebant excommunicatum, gravare voluisset et publice mandasset fideiussoribus super solutione ecclesie in Emetha datis, ne conventui quicquam exponerent, nisi prius ex parte defuncti sibi satisfieret, idem abbas constanter allegabat, ipsum ante obitum absolutionem petivisse et cautionem de parendo mandatis ecclesie prestitisse, et sic a suo confessore absolutum in forma ecclesie et ideo a sacramentis ecclesie et sepultura non fuisse excludendum, cum etiam sacrilegis et aliis, qui ad sedem apostolicam essent mittendi, in extremis possit etiam a simplici sacerdote, et maxime suo confessore, beneficium absolutionis impendi, accepta, ut dictum est, cautione, ut pareat mandatis ecclesie, si supervixerit; et sic heredes tenentur ad interesse, nec moriens sic absolutus sacramentorum et ecclesiastice sepulture habebit aliquem defectum, Extra[c] *De sepulturis. Parochiano*[94]. Hiis et aliis allegationibus coegit episcopum factum suum revocare et ecclesiam Floridi Orti ab illa impeticione liberam denunciare et nichilominus predictis fideiussoribus sub pena excommunicationis mandare, ut solutionem ecclesie terminis statutis exponerent. Nam precise dixit episcopo, quod nisi ecclesiam in suo iure paterne defenderet, ei nullam procurationem impenderet. Et sic domnus episcopus, cum esset vir sapiens et iuri ecclesiastico satis deferens, omnia que contra ipsum abbatem vel ecclesiam suam fuerunt attemptata publice in synodo Loppeshem revocavit.

Defuncto igitur hoc venerabili patre, cum domnus Elgerus abbas Orti sancte Marie, vices patris abbatis, videlicet domni Premonstratensis gerens, ivisset in Slaviam pro visitatione facienda, prior et conventus pastore orbati vocaverunt priorem Orti sancte Marie *col. 143. cum domno Iohanne abbate de Insula sancte *Marie[95], qui eo anno missus fuit ad visitationem circarie Frisie. Quibus venientibus, primo ordinatum fuit quoddam arbitrium; sed accedentibus predictis prelatis ad capitulum, omnes fratres unanimiter concordaverunt in personam fratris Menkonis, qui tunc erat prior eiusdem loci. Qui post *Te Deum* cum aliis consuetis sollemnitatibus percantatum in capitulum reductus, professiones fratrum concorditer accedentium recepit. Eadem nocte mortuus est domnus Rothwardus abbas Sancti Bonifacii in Dokum morte subitanea in Florido Orto, cum eadem die missam devote celebrasset; et ideo nullatenus de salute talium est dubitandum, cum dicatur in libro Sapientie: Sap. 4, 7. *Iustus si morte preoccupatus fuerit, in refrigerio erit;* maxime cum idem abbas ecclesiam suam tam in spiritualibus quam in temporalibus in bono statu conservaverit et in multis emendaverit, et in locum illum in optima venit voluntate pro cooperatione pacis et concordie in electione. Recepit autem predictus abbas electus administrationem ecclesie Aug. 19. Floridi Orti anno sexto transitus domni Emonis fundatoris et primi abbatis, in festo Magni martyris, anno fundationis eiusdem monasterii 30, anno etatis sue similiter 30, professionis 13, subdyaconatus 11, dyaconatus 9, sacerdotii 7.[d]

*col. 145. *Anno[96] Domini 1245. presidente domno Innocentio papa IV, pontificatus eius anno 1245. Iul. 1. tercio, mense Iulio, prima die mensis, in octava sancti Iohannis baptiste celebratum est concilium aput Lugdunum Gallie, quod est super Rodanum, in ecclesia sancti Iohannis in pede montis, presentibus archiepiscopis et episcopis ferme trecentis, tribus patriarchis, abbatum vero ac aliorum prelatorum ecclesie magna multitudine. Ubi cum citatus fuisset Frethericus imperator super obiectis iamdudum sibi criminibus responsurus, cum non veniret, nec responsalem mitteret, protelatum est concilium ad decem, deinde ad octo dies. Tandem venerunt magister Tadeus de Soessa et magister Petrus de Vinea, iudices palacii sui. Et surgens magister Tadeus, homo statu corporis et pulchritudine, scientia et facundia preditissimus, verbis dealbatis conabatur[e] ipsum excusare, cum tamen nullam ex parte ipsius exhiberet cautionem sufficientem. Cause autem contra ipsum fuerunt

---

a) ú 1. b) s. expug. 1. c) exī 1. d) *hic dimidiae* 143. *columnae et sequentis* 144. *spatio relicto, in sequenti folio pergit eadem prorsus manu eodemque atramento* 1. e) *bis scriptum, secundum deletum* 1.

94) III, 28, 14. 95) Marienweert ab oppido Kuilenburg ad meridiem. 96) Sequentia usque ad *eligant successorem* e protocollo concilii hausta esse videntur; multa vero in posteriori parte conveniunt vel ad verbum cum bulla excommunicationis ap. Huillard-Bréholles VI, 1, 319 et supra SS. XVIII, 490.

principaliter quatuor. Quia primo arguebatur de rupta pace inter ipsum et ecclesiam; 1245. secundo[a] de periurio septemplici, quia fidelitatem, quam iuravit domno Innocentio III. in receptione regni Sicilie et domno Honorio in coronatione imperii et domno Gregorio multociens, non servavit; tercio[b] de heresi, utpote clavium ecclesie contemptor, Sarracenorum amator et cohabitator; quarto de sacrilegio, quia cardinales capi fecit et vinculari; et[c] alie multe cause, quoniam[c] de Apulia et Sicilia fere omnes archiepiscopos et episcopos depulit et claustra destruxit, reditus ecclesiarum et claustrorum sue deputans milicie ac avaricie, immo Sarracenorum, qui secum erant, procurationi. Unde assentiente universali synodo, quoniam ipse se omni honore ac dignitate per iniquitates suas reddidit indignum[d], sententialiter ab imperio est depositus; et omnes, qui ei iuramento fidelitatis fuerunt astricti, sunt absoluti; et mandatum est eis, ad quos pertinet electio, ut libere ydoneum eligant successorem. Factum est hoc anno imperii sui 15, regni Iherusalem 21, Sicilie 49; ex quo submersus est avus suus Fredericus 55.

Anno enim Domini 1177.[f] Fredericus imperator compunctus est de persecutione facta 1177. in Alexandrum papam. Alexander enim tercius in concilio habito aput Thuroniam Fretheričum avum istius excommunicavit. Qui aput Hizingonem latebrosis insidiis eundem apostolicum cum rege Francie capere voluit, sed non perfecit[97]. Anno vero 1177. quidam de cardinalibus sacramentum de satisfactione ab imperatore receperunt. Quo facto imperator Venetias venit et ibi renunciavit cause Octaviani antipape et secundum canones ab excommunicationis sentencia, qua tenebatur, est absolutus coram multis ante ecclesiam beati Marci euangeliste. *Prenominatus imperator venit ad pedes predicti Alexandri et omnem *col. 146. reverentiam, quam imperator apostolicis impendere consuevit, exhibuit. Anno vero Domini 1188. idem Fretherieus crucem accepit et postmodum Yconium optinuit et tandem anno 1192.[g] ad loca pervenit Armenie, et ibi specie delectatus torrentis, nudus tranare conabatur ibique diem clausit extremum, mense Augusto, die dominico. Anno vero 1199. obiit Henricus imperator, filius antiqui Frederici, et Otto in imperio successit, regno Sicilie Frederico parvo commisso. Innocentius enim tercius favorem suum impendit Ottoni contra Philippum regem, qui pugnabat pro puero[h], et[98] coronavit Rome eundem Ottonem corona et sceptro imperii. Qui nimis ingratus benefactori suo, patrimonium sancti Petri statim post acceptam coronam invasit, nec pepercit puero[h] Fretherico, sed Apuliam hostiliter ingressus[i], Deum et homines contra se provocavit. Ideoque summus pontifex multis monitionibus[k] premissis ipsum excommunicavit. Deinde barones ab eius fidelitate absolvit, et sic imperio perdito mortuus est in Saxonia cum signis magne contricionis, et sic imperium devolutum est ad Fretherieum iuvenem.

Eodem anno electus est ad imperium domnus Henricus longravius[l] Thuringie, frater 1246. Mai. 22. mariti sancte Elisabeth, vir ut fama testabatur per omnia devotus et iudex optimus, qui a domno papa est confirmatus, et postmodum aput Francoforda cum filio Fretherici Conrado congressum faciens, ipsum fugavit et quosdam de suis cepit et occidit. Sed antequam Aug. 5. esset coronatus, annuente eo[m], cuius iudicia abissus multa[98*], de medio sublatus est; forte[n] 1247. Febr. 17. quia Dominus adhuc voluit castigare ecclesiam et temptare, Deuter. 13: *Temptat vos Dominus Deus vester, ut palam sciat[o], utrum diligatis eum;* vel forte, sicut dicitur Sapient. 4: *Raptus est, ne malicia mutaret intellectum eius. Placita enim Deo anima illius; propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.* Eodem anno[99] a cathedra sancti Petri Febr. 22. cepit exoriri siccitas, gelu in principio terram constringente, ut facillime aratris tereretur, et sic labor agricolarum est diminutus; sed circa pentecosten pluvia tantum increvit, quod segetes in multa parte perierunt; et sic eo anno facta est maxima penuria panis, et duravit usque post diluvia illa multiplicia, que fuerunt anno Domini 1249.

Anno Domini 1246. exivit frater Wilbrandus de ordine Minorum fratrum anno 12. a 1246. predicatione sua priori, quando fuit cooperator venerabilis viri domni Iohannis *decani *col. 147.

---

[a] *in marg. ead. manu* 1. [b] *in textu* secundo; *deletum et in marg. ead. manu* tercio 1. [c] *loco* Et — quoniam *leg.* qualiter 2. [d] *ita* 2; *deest* 1, *ubi ab Emmio additum.* [f] *sic rad. corr. ex* m.c.lxxxviii. 1. [g] mcclxxxv. 1. [h] pūō 1; parvo 2. [i] accessit 2. [k] praemonitionibus 2. [l] lantgravius 2. [m] *loco* eo — multa *leg.* Deo 2. [n] Forte — melius certificandus *col.* 147. *des.* 2. [o] *sic* 1; fiat *Vulgata.*

[97] Haec e memoria obscurata conventus apud S. Jean de Losne a. 1162. facti orta videntur. [98] Abhinc usque ad *signis magne contricionis* eadem verba usurpantur, quibus utitur Emo col. 17. [98*] Cf. Psal. 35, 7. [99] Haec ad a. 1245. respicere videntur.

1246. Osnaburgensis. Nunc vero missus fuit a domno Maguntino archiepiscopo, cui domnus
papa speciale super hoc dedit mandatum. Predicavit autem crucem super Fretherium de
Stoph[a] quondam Romanorum imperatorem et indixit treugas ad quinquennium. Et multi
secuti sunt ipsum in predicationibus, quoniam largas dabat indulgentias, et plurimi crucem
receperunt. Sed cito secuti sunt eum fratres sui, dicentes ipsum fuisse ordini inobedientem
ac ideo non esse audiendum. Que dissensio per prelatos Frisie sic est sopita, quod idem
Wilbrandus[b] iter suum ad papam acceleraret de omni negocio suo melius certificandus.

Oct. 18. Eodem[c] anno in festo Luce euangeliste crescente rabie ventorum, aggravata[c] est
inundatio salsi maris, et sic factum fuit diluvium particulare, et multe naves fuerunt submerse
vel confracte, et homines submersi. Quedam vero ad aggeres appulse vix homines
conservarunt. In eadem inundatione abbas Floridi Orti emit navim magnam a civibus de
Liuwerth[d][1] periculis marinis versus Spik[e][2] appulsam.

1247. Anno Domini 1247. venit quidam de ordine Minorum fratrum cum quodam Romano
eiusdem ordinis, dicens se appellari Renoldum, et ostendit litteras domni pape directas
ad quendam Renoldum, et requisivit instanter pecuniam truncorum et deposita crucis et
legata cruci in testamento defunctorum, quasi ad usum expensarum domni pape. Sed
domnus Sicco decanus de Fermesum et nobiles terre, pro libertate Frisonum viriliter
stantes, in faciem ei restiterunt, dicentes pecuniam illam conservari ad usum pauperum
peregrinorum, qui de Frisia essent exituri, cum generalis fieret peregrinatio, et sic vacuis
crumenis cum confusione sunt reversi. Postea compertum est a fratribus, quod Renoldus
fuit falsarius; et cum ille littere directe fuissent cuidam Renoldo, ac ipsum mors intercepisset,
iste litteras illas qualitercunque arripiens, falsum sibi nomen imposuit, ut per
illas collecta pecunia vel ab ordine apostataret, vel forte pocius favorem curie per pecunie
presentationem sibi vendicaret. Unde a fratribus suis est raptus, sicut decuit, et carceri
mancipatus. O[f] miserabilis honorum et dignitatum ambitio! que sicut Adam nudum in
paradiso decepit, ita et quosdam ex istis omnibus renunciantes et quasi nudos non veretur
temptare. Sed quid mirum! non fuit domus ab inicio, in qua Cayn imitatores suos non
habuerit. In domo Noe Cham patrem irrisit; in domo Abrahe Ismahel Ysaac illusit; in
domo Ysaac Esau Iacob persequebatur; in domo Iacob fuerunt Symeon et Levi vasa iniquitatis,
et Ruben, qui cubile patris ascendit. Samuel sanctus filios genuit perversos,
sicut et Heli. In domo David Aman corrupit Thamar et Absalon surrexit contra patrem.
Iosias etiam bonus et iustus filios habuit nequissimos. Immo Iesus Christus in consolationem
*col. 148. nostre fragilitatis in suo *collegio voluit Iudam avarum et ambiciosum, immo
furem sustinere.

Eodem anno frater Wilbrandus ivit ad curiam domni pape, et quia multam pecuniam
secum detulit nomine redemptionis crucis acceptam et multa et magna in curia ex parte
Frisonum promisit in rebus et personis subsidia, multam ibi invenit gratiam. Quo existente
in curia, rex Francie[3], qui iam cepit se accingere ad peregrinacionem in terram sanctam,
que a paganis miserabiliter polluebatur, supplicavit domno pape, ut dirigeret predicatores
in Frisiam, qui animarent[g] Frisones ad eundum cum ipso. Et sic negotium illud fratri
Wilbrando[h] est commissum. Principaliter tamen domno Aldberto archiepiscopo Livonie,
Estonie, Pruscie fuit commissum, ut ipse in transitu suo per Frisiam predicationem fratris
Sept. 14. Wilbrandi[h] roboraret et eum defenderet. Venerunt autem post exaltationem sancte crucis
Groninge, muniti multis litteris et auctoritatibus dispensationum, nec non et privilegiis
super libertatibus Frisonum. Convocatis igitur ibi abbatibus ac aliis prelatis Frisie et
iuratis ac nobilibus laicis, et maxime crucesignatis, ostensis litteris suis et auctoritate,
indixerunt tempus passagii transmarini in Maio proximo anno futuro, mandantes ut omnes
crucesignati se ad illud tempus prepararent. Sed reclamatum est ab omnibus, quod propter
brevitatem temporis, penuriam argenti et navium incertitudinem nullo modo tam cito
possent preparari; et sic dilatum est usque ad Maium sequentis anni. Sed et tunc propter
obsidionem Aquensis civitatis, ad quam plurimi Frisones iverunt, iter transmarinum est
dilatum, et vota auctoritate domni pape commutata.

---

[a] Schwaben *male correxit H.* [b] W. 1. [c] Anno Domini 1246. aggravata 2. [d] Luijwert 2; Lywerth *H.* [e] Spijck 2; Spich *H.* [f] O — et eum defenderet *col.* 148 *des.* 2. [g] *correxi*; animaret 1. [h] W. 1.

[1] Leeuwarden. [2] Spijk vicus Fivelgoniae ad Amisiae ostium. [3] Ludewicus IX.

Eodem anno mortuus est domnus Ludolfus Monasteriensis episcopus, vir[a] per omnia 1248. Iun. 10. pollens ingenio naturali, qui superbiam officialium ecclesie sancti Pauli potenter ac sapienter repressit et bona ecclesie viriliter de manibus eorum liberavit, in omnibus actibus suis fortunatus existens. Religiosos ac humiles satis dilexit ac efficaciter defendit. Obiit autem episcopatus sui anno 22, anno transitus sancti Liudgeri primi Monasteriensis episcopi 433. Fuit autem in ordine pontificum a beato Liudgero 26. Successit ei Otto secundus, filius Hermanni de Lippia, fratris domni Gerardi archiepiscopi Bremensis et domni Ottonis quondam Traiectensis episcopi, aput Covordiam a Rodulfo et Threntonibus occisi.

Eodem anno mortuo domno Henrico londgravio[b] Thuringie, qui fuit electus ad imperium 1247. et illud strennue cepit administrare, missus est a domno papa Petrus Sancti Georgii ad Velum Aureum dyaconus cardinalis, apostolice sedis legatus. Qui veniens Coloniam, convocavit omnes episcopos ac principes tocius Alemannie in festo Michaelis. Qui omnes Sept. 29. unanimiter convenerunt, nec deerat aliquis, quin vel per se venisset, vel per certum nuncium vel per litteras se excusasset *et ratihabitionem misisset. *col. 149. Ubi communiter omnibus assentientibus electus est ad apicem imperii Willelmus comes Hollandie[4], filius sororis ducis Brabantie[5], consobrinus comitis Gelrensis[c. 6]. Erant autem principales in electione sua cum legato domni pape Maguntinus, Treverensis, Coloniensis archiepiscopi et episcopi quam plurimi, aliis principibus, ad quos pertinet electio, sicut dictum, vel presentibus vel se per litteram excusantibus[7].

Eodem[d] anno concremata est ecclesia in Howerahusum[e. 8], de qua date sunt episcopo centum marce novorum Monasteriensium sive sterlingorum. Pollute sunt ecclesie in Halwirth[9] et in Berum[10] de pugna Riperti et Albertidarum; et habuit domnus episcopus ab utrisque 60 marcas Monasteriensis monete.

Anno Domini 1248, pontificatus domni Innocentii pape quarti quinto, electionis domni 1248. Willelmi comitis Hollandie ad[f] Romanum imperium secundo[f], obsessa est civitas Aquensis ab eodem rege, prebentibus sibi auxilium domno Petro cardinali, apostolice sedis legato, archiepiscopo Coloniensi, episcopo Leodiensi, comite Gelrense, Iohanne de Avennis, comite Hannonie, et aliis nobilibus quam plurimis de Brabantia, Hollandia, Selandia et Frisia. Cunque fere tota estate fuissent obsessi, circa autumnum supervenerunt Frisones occupantes planiciem campi versus aquilonem et chorum, ante introitum civitatis, quam nemo principum prius audebat occupare. Aqua etiam ab oriente obstructa fuit aggere fortissimo bene quadraginta pedum in altitudine; et sic aque precluse occupaverunt ad minus terciam partem civitatis. Unde dicti cives videntes se ex omni parte coartatos, elegerunt inire pacem et concordiam cum rege et tradere in manus eius civitatem. In festo igitur beati Luce euangeliste ordinata est compositio et iuramento advocati civitatis Oct. 18. Aquensis et duodecim nobilium eiusdem civitatis firmata. Qui omnes iuraverunt servare obedientiam domno pape, nec non et ecclesie ac regi fidelitatem, quam aliis imperatoribus servaverunt. Rex autem voce propria affirmavit in verbo Dei nec non et in verbo imperiali, quod formam compositionis ordinatam fideliter servaret et[g] eos in libertatibus consuetis conservaret ac roboraret, dummodo ei fidelitatem et obedientiam servarent. Acta sunt hec die dominico in festo Luce euangeliste. Licet[h] autem quidam primo laboraverint bursas Frisonum emungere, antequam daretur eis licentia revertendi, tamen consilio et auxilio abbatis Floridi Orti, qui de capitulo Premonstratensi rediens amore compatriotarum in castra diverterat, et nobilis viri ac fortis et facundi Thitardi Dodinga[i] optentum est a rege et cardinali, quod cum multa honestate ac gratiarum sunt actione remissi, quoniam ex eo quod campum, ubi incumbebat totum periculum belli, occupaverunt et Aquenses cives tribus vicibus irrumpentes de civitate viriliter represserunt, *pre omnibus aliis nationibus *col. 150. specialem consecuti sunt gloriam; ac ideo cum gloria sunt remissi. Rex vero in festo omnium sanctorum coronam regni Alemannie recepit et eodem die in throno Karoli Nov. 1.

---

a) vir — Threntonibus occisi *des.* 2. b) lantgravio 2. c) cons. ducis Gelriae 2. d) Eodem — Monasteriensis monete *des.* 2. e) Hrucrahusum *H.* f) ad — secundo *des* 2. g) et eos — conservaret *des.* 2. h) Licet — suis complicibus *col.* 150. *des.* 2. i) de Dokinga interventu *H.* *male.*

4) Wilhelmus secundum Ann. Stad. Oct. 3. apud Nussiam electus est. 5) Machtildis soror Heinrici II. 6) Ottonis II. 7) Haec de electione Wilhelmi minime vera et studio partium papalium depravata sunt. 8) de Houw in regione Marne. 9) Holwierde praepositurae Farmsum. 10) Berum praepositurae Loppersum.

1248. imperatoris est intronizatus, presentibus duobus cardinalibus, videlicet domno Hugone Sabinense et predicto Petro ad Velum Aureum, archiepiscopo Coloniensi et fere omnibus episcopis Alemannie.

Febr. 18. Eodem anno Fretherieus quondam Romanorum imperator aput Parmam civitatem Longobardie per potestatem eiusdem civitatis, auxilio Octaviani cardinalis et civium Mediolanensium in fugam est conversus[11], plurimis occisis vel captis de suo exercitu, castris suis spoliatis ac incensis; et custodes castrorum ducti sunt in captivitatem. Occisus est etiam ibi magister Tadeus de Soessa, iudex palacii imperatoris, vir magne prudentie, facundie ac pulchritudinis. Eodem anno Conradus filius predicti Fretherici[a] superatus est ab abbate Sancti Galli et episcopo Argentinensi. Eodem anno Lodowicus rex Francie arripuit iter in terram sanctam, et apud Marsiliam preceperat sibi parari centum naves; sed Fretherico impediente non habuit nisi medietatem[12], quarum quelibet poterat capere mille viros. Et sic cum 50 milibus in Ciprum navigavit et ibi hiemavit, precipiens fratri suo Roberto comiti Atrebatensi, ut sequeretur in vere cum aliis quinquaginta navibus; et sic simul in terram sanctam transfretaverunt.

Nov. 1. Eodem anno Thizo miles de Groninge circa festum omnium sanctorum occisus est
Nov. 20. a Rodulfo de Pedese et suis complicibus. Eodem anno feria[b] 6. post octavam sancti Martini surgente rabie ventorum satis immoderata, primum ab affrico, deinde a zefiro, postmodum a choro et circio, facta est elevatio maris, et rupti sunt aggeres occeani, et operuerunt aque superficiem terre, ita ut in Campo Rosarum aggerem plurimis locis supergrediens totam curiam impleret; et[c] sic dolores et gemitus non modicos suscitavit. In ipsa maris estuatione ventus boream a circio transiliens ad aquilonem se transtulit, et sic in aggeribus versis contra aquilonem et vulturnum preter consuetudinem maximum dampnum evenit. In ordeo etiam hiemali et tritico, que abundantius seminata fuerunt, propter siccitatem estatis et autumni damnum accidit gravissimum. Sed cito rupto aggere mediterraneo iuxta fossatum effluxionis aquarum, quod dicitur Delf[13], aque hinc inde sunt diffuse, maxime ad Silvas australes; et maxima pars siliginis periit. Et[d] sic modicum, immo nichil profuit agger mediterraneus tanquam ex invidia factus, quia non est sapientia,
*col. 151. non est consilium contra Deum. *Silve occidentales, cum non flaret ventus ab oriente, aggere suo conservato, ea vice evaserunt.

1248. Anno Domini 1249. iam inchoante, anno a[e] diluvio sancte Iuliane 86, sancti Nicolai 55,
Dec. 27. Marcelli 31, Luce euangeliste 3, luna 19, in festo Iohannis euangeliste zefirus[f] contra proprietatem sue lenitatis borealiter intonans, post vesperas horribiliter increvit et tantum circa conticinium[f] invaluit, quod a diebus multis non est talis fragor ventorum auditus, et ideo domus quam plurime tecto sunt nudate, quedam etiam nove et fortes corruerunt. Et nichil audiebatur ubique nisi dolor et mesticia. Circa medium autem noctis visus est splendor in aere quodammodo scintillans, quem quidam putabant esse fulgur; sed tonitruum non est subsecutum. Quidam autumabant esse draconem, de[g] quo dicit Ysidorus Ethimol. quod ignee sit nature et in tempestatibus soleat elevari[15]. Sed cum in calidissimis Ethiopie partibus soleat nasci ac habitare, de hoc splendore maluimus humiliter dubitare, quam temere diffinire. Illud tamen intelleximus, quod ubicunque visus fuit per totam Frisiam, cuilibet videbatur, quasi a se ad iactum baliste distareţ et ibi in terram descenderet. In primo galli cantu zefiro successit circius, qui est collateralis boree ad occidentem; et sic estuatio maris irrupit aggeres, et inundatio operuit terram, et erat ubique dolor et gemitus, eo quod Dominus flagella sic multiplicaret. Sed tamen pater misericordiarum et Deus tocius consolationis, qui irascitur et miseretur, iram suam inter ipsa flagella mitigavit; nam si circius zefiro paulo ante in plena maris effusione successisset et in tanta vehementia perstitisset, Frisia vix substitisset. Sed Dominus, qui et ventis imperat
Ps 103, 3. et mari, et obediunt ei, qui ambulat super pennis ventorum, ipse ventum in occidente retinuit, donec iam instaret tempus, ut caribdis aquas suas reciperet. Unde poterant dicere
Ps. 93, 17. mortales: *Nisi quia Dominus adiuvit me, paulo minus habitasset*[h]. Ieremias in Trenis:

---

a) F. 1. b) feria — maris et *des.* 2. c) et sic — dampnum evenit *des.* 2. d) Et — vice evaserunt *des.* 2. e) a — euangeliste *des.* 2. f) zefirus tantum contra conticinium 2. g) de — flagellis libera *col.* 153. *des.* 2. h) hab 1.

[11] Haec minus recta; neque imperator neque Octavianus ibi adfuerunt. [12] Hoc a vero abhorret; imperatorem potius peregrinationi Ludewici favisse, docet epistola ap. Huillard-Bréholles VI, 626. [13] Canalis in adiutorium Fivelae fluvii fossus; unde nomen oppidi Delfzyl. [14] Haec in Etymologiis non reperiuntur.

Misericordie Domini, quia non sumus consumpti. Et in Psalmo: *Non secundum peccata nostra* Thren 3, 22.
fecit nobis. In omnibus hiis non est aversus furor eius, sed adhuc manus eius extenta[17]. Ps. 102, 10.
Nam sicut dicit Gregorius: *Non cessant flagella divine iusticie, quamdiu non cessant actiones*
culpe. Adhuc enim quidam evaserant, qui aliis iam punitis insultarent, sicut fecerunt
vicine gentes in vastatione Iudee per Nabogodonosor, donec et ipse vastabantur. In cra- 1249. Febr. 4.
stino ergo Blasii, vigilia Agathe virginis, feria 5. increvit ventus *horribiliter primum a *col. 152.
zefiro, postmodum a circio, et iterum elevatum est mare et supergressum aggeres terram
implevit, et sic instante circio iugiter per triduum, singulis diebus naturalibus[a] effudit se
occeanus. Nec tam immaniter elevabatur, quin domus in maritimis possent subsistere; et
ideo non sunt tanti submersi, sicut olim in diluvio sancti Marcelli, quando una effluxione
nimis intemperata se quasi totum mare[b] effudit et multos in maritimis oppressit. Amodo autem
ut Dominus ubique plagam quasi equa lance communicaret, statim ut prior[c] effluxio maris
per diversa terrarum spacia fuit divisa, alia secundum occeani naturam ac principaliter
Dei ordinationem subsequens et aggeres confractos faciliter transiens, non solum per loca
maritima exspaciabatur, sed etiam interiora spacia terrarum penetravit; et[d] tunc agger
occidentalium, qui dicitur novus, fuit interruptus[d], quia novem influxiones continuate
fuerunt. Et quia hec plaga circa extremam partem hiemis accidit, aque tociens augmentate
tarde defluxerunt, et in humilioribus locis vix circa festum sancti Liudgeri terra fuit ara- Mart. 26.
bilis; et tunc ex quadam vi salsuginis et matutino gelu terram constringente, fuit terra
valde solubilis et videbatur pinguis, delectabanturque agricole in facilitate laboris ex tale
solubilitate terre, et fere ubique locorum plus solito seminatum est. O cecitas et ignorantia
humani generis! que de sua presumens scientia et subtilitate incidit in laqueum, quem tetendit.
Si enim minus aratum et seminatum esset, ipsum semen ad sustentationem hominum non
modicam utilitatem conservasset; et iumenta laboribus fatigata modicum precium solverunt,
quibus si in vere parcitum esset, ex ipsorum precio et seminibus perditis ad sustentationem
hominum non modicum profuisset. Cepit autem semen terre inmissum prima folia pulchre
ostendere, sed natura aruit, quia non habebat humorem vegetantem, sed pocius sua
salsugine arefacientem, quia quo magis sol incalescebat, eo magis salsugo ad superficiem
terre trahebatur, et sic homines ad augmentum flagellationis sue semen et laborem per-
diderunt. Quidam etiam propter defectum graminum pecora in Threnthiam et quocunque
poterant pro alimonia miserunt, ex quibus ad augmentum flagellationis plurima mortua
sunt. Et non fuit locus, quo quisquam flagellum Dei evaderet, secundum illud: *Si ascendero* Ps. 138, 8.
in celum, tu ibi es; si descendero ad infernum, ades etc. *In Silvis autem et aliis locis[e], *col. 153.
ubi propter locorum eminentiam siligo per salsam aquam non poterat attingi, aliud accessit
flagellum. In agris enim eorum, pascuis salsugine infectis, quasi nulla fuerunt gramina nec
fenum in pratis, et sic misera pecora pre fame terram corruptam cum radicibus evulserunt
et fere in illis locis omnia mortua sunt. Et sic nulla pars Frisiae fuit a flagellis libera.

Anno Domini 1250. similiter prior pars estatis fuit nimis sicca, et pestilentia ani- 1250.
malium increvit, et fere omnia pecora Silvanorum, que fuerunt priori anno residua, vel
ex novo aliis iam mortuis empta, moriebantur, et in calore estivo corpora mortuorum
animalium computrescebant, et fuit ibi fetor intolerabilis, de quo etiam homines corrumpe-
bantur, quia[f], ut dicit Galienus, plus inficit aer corruptus, quam etiam cibi corrupti. Alia
etiam pestis in Silvis[g] in homines consurrexit, quia quedam gutta venenosa oriebatur inter
carnem et cutem primo ad quantitatem glandis quercuum, et credebant homines esse
punctionem alicuius venenosi volatilis. Sed qui diligentius examinabant dixerunt, quod[h]
aliquot diebus antequam erumperet, poterant sentire distemperantiam, que quasi deambu-
labat per corpus, querens sibi exitum et sepius circa collum super scapulas erupit. Cui
autem cito abcidebatur primo die, et locus ferro adurebatur, poterat convalescere. Alio-
quin infra septem dies moriebatur, vix paucis inde convalescentibus sine cirurgia. Forte[i]
ex corrupto aere aliqua venenosa materia in hiis, qui habebant humores corruptioni habiles,

---

[a] natâ‖lib; 1. [b] mare *post* auctor *in marg. addidit, pallido atramento* 1. [c] *hucusque quaecunque Menko scripsit in codice* 1 *litterarum ductu exiguo, atramento subfusco sunt exarata. Abhinc habitus litterarum sensim fit grandior, festinantior, atramentum nigrius, sed saepius mutans colorem.* [d] et — interruptus *in margine superiori addidit Menko curis secundis, atramento pallidiori.* [e] et al. locis *in marg. add. curis secundis* 1. [f] quia — corrupti *des.* 2. [g] in Silvis *des.* 2. [h] q̊t 1, *corr. atramento fusco.* [i] Forte — pestem ingerant *col.* 154. *des.* 2.

[17] Iesai. 5, 25.

1250. in calore ad exteriora trahebatur, quia calor est attractivus et maxime sibi similia attrahit, quod est naturale omni creature. Ecclesiastic. 13: *Omnis homo sibi simili associabitur.* Ecclesiatic. 17: *Volatilia ad sibi similia conveniunt*[18]. Dicit autem Galienus, quod aer corruptus plus nocet quam cibi corrupti. Utrum autem hec pestis fuerit ex aere corrupto de cadaveribus pecorum in Silvis putrescentibus ad solem, vel cibis corruptis, vel quod credibilius est ex divino flagello, Deo relinquimus, cuius voluntas est summa causa omnium *col. 154. causarum. *De tali pestilentia animalium dicit Virgilius in Georgicis, quod olim in Venetia et Illirico ex corrupto aere piscium et serpentium, qui in quadam inundatione super terram manentes ex calore solis corrupti aerem corruperunt[a], orta est pestilentia pecorum. Unde[b] de Illirico dicit:

Georg. III, 478. *Hic quondam morbo celi miseranda coorta est*
Tempestas, totoque autumpni incanduit estu,
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum,
Corrupitque lacus, infecit pabula tabo.
Nec via mortis erat simplex, sed ubi ignea venis
Omnibus acta sitis miseros adduxerat artus,
Rursus abundabat fluidus liquor, omniaque in se
Ossa minutatim morbo collapsa trahebat.
III, 541. *Iam maris immensi prolem et genus omne natantum*
Litore in extremo, ceu naufraga corpora fluctus
Proluit; insolite fugiunt in flumina foce.
Interit et frustra[c] *curvis defensa latebris*
Vipera et attoniti squamis astantibus ydri.
Ipsis est avibus[d] *aer non equus, et ille*
Precipites alta vitam sub nube relinquunt.
Preterea nec iam[e] *mutari pabula refert,*
Quesiteque nocent artes, cessere magistri.
III, 554. *Balatu pecorum et crebris mugitibus aer*[f]*,*
Arentesque sonant ripe collesque supini.
III, 557. *In stabulis turpi dilapsa cadavera tabo.*
Donec humo tegere ac foveis abscondere discunt.
Nam neque erat coreis[g] *usus, nec viscera quisquam*
Aut undis abolere potest, aut vincere flamma,
Nec tondere quidem morbo illuvieque peresa
Vellera nec telas possunt attingere putres.
Verum etiam invisos siquis temptarat amictus,
Ardentes papule atque immundus olentia sudor
Membra sequebatur, nec longo deinde moranti
Tempore contactos artus sacer ignis edebat.

Hec autem ideo hic interposuimus, ut si, quod absit, unquam in futuris temporibus talis pestilentia ingruerit, maxime tempore estivo, corpora talia profunde terre infodiantur, ne aerem corrumpant et hominibus ac pecoribus pestem ingerant.

Eodem anno domnus Innocentius papa Lugduno Romam reversus est[19]. Eodem etiam anno cum Frisones tam graviter essent flagellati, Gronienses eis quasi insultabant et precium annone, quam de aliis terris navigiis advehebant, sine misericordia gravabant. *col. 155. Sed ecce aliud ve ipsis accidit. Nam cum Conradus de Groninge, Adulfus *et Rodulfus milites de Pedese et eorum complices ac maior pars Groniensium vicinis Frisonibus multas inferrent iniurias et nundinas equorum in pace consueta non servarent, immo meliores equos pro placito suo sibi tollerent ac etiam nobiles de Fivelgonia captivassent et Hunesgonibus multa inferrent dampna et incommoda, tandem Fivelgones et Hunesgones, cum pro insula Uthusensium 22 annis discordassent[20], pacem ultro inter se ordinaverunt,

---

a) et inde *add. prius, statim deleta* 1. b) $\overset{n}{\text{v}}$ 1. c) cur. fr. *editt.* d) aer av. *editt.* e) iam nec. *editt.* f) amnes *editt.* g) coriis *editt.*

[18] immo Eccli. 27, 10.

[19] Innocentius a. 1253. mense Octobri demum Romam reversus est, v. Böhmer, Reg. Imp. p. 362.

[20] Cf. supra col. 95.

1250. quasi[a] Deo destructionem Groniensium procurante. Et hoc factum est mediante domno Siccone decano de Fermesum, viro facundo et secularibus negociis ydoneo, cum aliis viris discretis, religiosis ac secularibus, ut tamdiu protracta et sanguine multorum aggravata[b] terminaretur hoc modo, ut quarta pars cederet Ernerensibus, qui primo medietatem sibi usurpare volebant, relique tres Uthusensibus; et omnes occisi hinc inde a capitalibus utriusque partis solverentur. Fuerunt autem a parte Fivelgonum occisi fere centum viri, ab altera parte totidem preter octodecim. Redemptiones captivitatum restitute secundum veritatem, et hoc a capitalibus hinc inde, non ab illis qui receperunt. Pro spoliis manifestis et incendiis Ernerenses dederunt Fivelgonibus et eorum capitalibus, scilicet Uthusensibus, 24 milia marcarum monete Fivelgonensis, Uthusenses Hunesgonibus nongentas marcas. Spolia vestium, armorum et omnia vulnera preter mutilationem sex membrorum propter Deum et bonum pacis dimissa sunt. Pace igitur inter eos ordinata, istis tamen nondum finaliter terminatis, concurrerunt omnes quasi populus unus, ut invaderent Gronienses; et post audacter invadentes castrum Gronengburch destruxerunt, quod erat contra illos de Threntawalda principaliter edificatum in litore *Hunese, ipsa Hunesa in quodam circulo *col. 156. ipsum castrum fere totum cingente, et putabatur multis et maxime vicinis non modicum nociturum. Postmodum Groninge obsederunt, sed propter humiditatem autumpni et aeris intemperiem eo anno non profecerunt.

1251. Apr. 16. Anno Domini 1251. post pasca Fivelgones et Hunesgones federa sua datis obsidibus innovantes, adiunctis sibi Menternensibus, Groninge obsederunt. Et quidam vallum transeuntes, per scalas ceperunt ascendere et eos viriliter impugnare. Qui tamen saxis et balistis se diu defenderunt, sperantes, Frisones secundum consuetudinem suam cito ad propria reversuros. Sed ipsis in obsidione fere ad quatuor ebdomadas perseverantibus, Gronienses timentes ne, si bello caperetur civitas, nimia fieret strages, se in manibus hostium tradiderunt, eo pacto, ut muri destruerentur, domus lapidee humiliarentur usque ad cellaria, mercatores cum omnibus rebus suis ibi libere manerent, milites salvis corporibus et rebus exirent, nunquam ibi stabilem mansionem habituri. Et sic muri fuerunt pro maiori parte destructi, et domus humiliate; et milites ad illum annum ultra Covordiam, ubi poterant, habitabant. Munitio etiam in Pedese destructa est.

1250. Eodem anno mortuus est Fredericus quondam Romanorum imperator, anno depositionis sue ab imperio 6; et quantum in se fuit, Conrado filio suo imperium commisit, cuius mater fuit filia Iohannis regis Acaron; et sic iure hereditario debuit succedere in maritimis transmarinis in Asia. Qui statim exemplo patris violenter occupans Siciliam, Apuliam, Calabriam et loca vicina, fautores domni pape etiam in Tuscia infestabat, sed tamen Romam non pervenit. Eodem anno strangulatus[c] est in domo sua miserabiliter magister Gerbrandus de Ingaldum, homo multe subtilitatis, litterature ac summe facundie, per Esculfum et suos complices.

*col. 157. 1252. *Anno Domini 1252. milites de Groninge in autumpno in prima aurora, quibusdam de concivibus consilium addentibus, in villam Groninge prorumpentes, Hermannum Buchel occiderunt, confidentem in pace sibi mediante episcopo Traiectensi[20] iuramento firmata, et Geleconidas multis spoliis et iniuriis affecerunt, quia totam causam destructionis civitatis eis imposuerunt, dicentes eos vicinas terras commovisse et tempore obsidionis non sicut poterant restitisse. Unde iterum conturbati Fivelgones et Hunesgones collecto exercitu eos invadere voluerunt. Sed ipsi considerantes se non sufficere ad resistendum, gratie se commiserunt. Et Conradus in Hunesgoniam, Egbertus in Fivelgoniam se obsides tradiderunt, eo pacto, quod absque conditione parerent ipsorum ordinationi. Eodem[d] anno mortuus est domnus Ripertus decanus de Loppeshem, recepto habitu religionis ab abbate Floridi Orti et restitutis omnibus que iniuste acceperat. Mortuus est etiam Menko sacerdos de Rip, iuris peritus et honeste scientie, morte subitanea.

1253. Anno Domini 1253. milites de Groninge falsis promissionibus de locis, ubi obsides erant, evadentes et collectis viribus Groninge venientes, in claustro Minorum fratrum se receperunt et tam claustrum quam domos vicinas lapideas munientes, Geleconidas in

---

a) quasi — procurante *des.* 2. b) discordia *supplendum videtur.* c) flagellatus *H.* d) Eodem — morte subitanea *des.* 2.

20) Heinrico I.

1253. ecclesia sancti Martini, Walburgis, Nicolai impugnabant. Tunc Fivelgones commonentes Hunesgones de fide data, in auxilium eos vocabant. Sed ipsi inter se dissentientes non venerunt, et sic soli Fivelgones predictos milites et eorum coadiutores quam plurimos viriliter invaserunt et die ac nocte impugnantes ad deditionem compulerunt, quibusdam tamen hinc inde prius occisis. Et sic recepti sunt obsides Adulfus de Pedese, Egbertus de Groninge milites cum tribus aliis, ac in Fivelgoniam deducti. Conradus autem subtiliter se *col. 158. prius de bello subtraxerat, sciens sanguinem suum plus *quam aliorum desiderari. Cum igitur predicti obsides ad aliquos dies in libera custodia mansissent, heredes occisorum et vulnerati conclamabant, ut artiori custodie manciparentur, donec omnibus lesis satisfacerent. Et sic ingravescente[a] tumultu populi, Appengadomme iuxta turrim in superiori domate in trunco sunt reclusi et ibi ad sex ebdomadas manserunt, donec prestarent sufficientes cautiones, quod omnibus lesis satisfacerent. Et sic ad propria sunt reversi.

1254. Dec. 7. Anno 1254. migravit[b] domnus Innocentius papa IV, cum pro defensione ecclesie a Frederico et filio suo Conrado ac fautoribus eorum multas sustinuisset tribulationes. Successit Octavianus cardinalis diaconus Sancte Marie in Via Lata, et dictus est Alexander IV. Mai. 20. Eodem anno obiit Conradus filius Frederici quondam imperatoris; et intromisit se de regno Sicilie, Apulie, Calabrie Meinfridus filius Frederici naturalis, quem genuit de filia cuiusdam comitis non legitimata. Iste plus patre et fratre studuit desevire in ecclesiam et fautores domni pape et, copulatis sibi Sarracenis, quasdam civitates in predictis regionibus funditus evertit. Eodem anno Emesgones versi sunt in seditionem, id est Federgones[21] contra Husenses[22], qui dicuntur Heinsetan[c], et cum eis fere omnes Frisones Orientales. Nam Federgones confederaverunt sibi parochiam de Hinte cum suis adiacentibus, et de Siberatesombechte et Evesombechte. Insuper attraxerunt sibi Nordenses a parte altera, et Hreidenses ab altera, ut Husenses et Brokmannos penitus destruerent. Sed illi Herlingos contra Nordenses sibi attrahentes et superiores Emesgones contra Hreidenses, se viriliter defenderunt. Et tunc effossa fuit obstructio aque Gent[d], que dicta fuit Caldameresdom; et ita Brokmanni per immissionem aquarum multa damna sunt perpessi.

1255. Anno Domini 1255. Conradus et nepos suus cum quibusdam strennuis sociis noctu de *col. 159. Padapole[23] venientes, *audacia inaudita se periculo subicientes, per scalas ecclesiam sancti Martini[24] superius ascendentes, diluculo per cocleam descenderunt et strictis gladiis super incautos irruentes, novem viros occiderunt, et interim reliqui per fenestras et ubicunque poterant desilierunt. Et sic omnes res et iumenta, que fuerant in ecclesia, et multa vasa vini ex novo allata militibus ad usus suos cesserunt, et[e] exinde largas habuerunt expensas. Tandem advenientibus militibus de Binethum[25], videlicet Stephano et fratre suo et aliis duobus, ad pacem sunt reducti in tali forma, quod super homicidiis, spoliis et aliis damnis nulla hinc inde fieret exactio. Insuper communes cives, bonum pacis affectantes, omnia damna partibus indulserunt.

1256. Anno Domini 1256. domnus Willelmus rex Romanorum a quibusdam militibus suis incitatus surrexit contra Frisones extremos versus occidentem, qui dicuntur Westlingi; et estivo tempore novem parochias optinuit et ibi castrum edificavit in locis harenosis et equitibus adibilibus[f]. Sed cum reliquam partem terre propter aquositatem et fossata non posset optinere estivo tempore[g], hiemali tempore cum essent aque congelate ac meabiles, agmine confisus equestri interiora terre illius super glacies confidenter adivit. Et cum Frisones pedestri agmine occurrerent, militibus regis glaciei minime credentibus et ideo fugientibus, sub pedibus equi regis glacie confracta, ipse comprehensus est, et agnitione ac proditione Ian. 28. cuiusdam militis sui fugitivi a Frisonibus est occisus, et corpus eius ab occisoribus delatum, 1257. Ian. 13. in domo cuiusdam occulte terre infossum est. Electus fuit ad imperium domnus Richardus comes et frater regis Anglie[26], qui cum pecuniam copiose domno Conrado Coloniensi archiepiscopo et aliis principibus Alemannie distribuisset, nichil proficiens ad propria est reversus.

---

a) ingravescentu *prius, a Menkone corr.* 1. b) migravit — funditus evertit. Eodem anno *des.* 2. c) *seu* hemsetan 1. d) Gent — perpessi *des.* 2. e) et — expensas *des.* 2. f) instruxit *H. male.* g) e. t. *a Menkone in marg. add. atramento fusco iam vix legi possunt* 1.

21) incolae pagi Federitgo et praepositurae Uttum. 22) Husum seu Groothusen in Emisgo. 23) Paddepoel, i. e. ranarum palus, dicebantur pascua ad Hunse fluvii ripam dexteram infra Groningam sita. 24) Groningae. 25) Bentheim. 26) Heinrici III.

1257.
*col. 160.
Oct. 7.

*Anno Domini 1257. iniciatus[a] fuit novus agger in Sonde[27], et satis fuit firmatus; sed cum non esset satis exaltatus, increscente nimis occeano, dominica ante festum[b] Gereonis Fivela fuit irrupta, que anno eodem, videlicet in estate instanti, fuit reparata. Sed illa irruptio, que fuit in aggere Thitardi Iuldelenga, non potuit stabiliri.

1259.
Iun. 21.
Sept. 7.

Anno Domini 1259. mortuus est domnus Otto Monasteriensis episcopus, natione Lippensis. Successit domnus Willelmus, nepos domni Ludolfi episcopi. Eodem anno consecrata est ecclesia Floridi Orti a domno Christiano Lecowiensi[28] episcopo vigilia nativitatis beate Virginis, presente domno Willelmo electo Monasteriensis ecclesie, cum summo altari et sancti Viti, quod est in medio ecclesie. Sequenti die in festo beate Virginis consecrata sunt alia quinque altaria. Eodem[c] anno ipsa ecclesia in altaribus et suis ornatibus, quatuor novis calicibus, fenestris, testudinibus et ceteris necessariis, non sine maximis laboribus et expensis temporibus domni Pauli abbatis fundata, anno vero 16.[28*] officii domni Menkonis abbatis, per suam fervidam et laboriosam promotionem perfecta et decorata ac dedicata, cum, ut preostensum est, essent tempora durissima propter frequentes inundationes salsi maris, et omnia necessaria essent in summo precio. Dedicata est autem ecclesia anno a prima fundatione claustri et transitus fratrum in Floridum Ortum 46.[c] [29] Eodem anno manifesto flagello Dei per terre motum ac fulmina et tonitrua, civitates quedam Sicilie in maiori parte sunt destructe, cum essent prius divinitus per quendam episcopum moniti cives[d], ut de peccatis suis penitentiam agerent et vitam suam emendarent. Sed illi non sicut Ninivite penitentiam egerunt, immo sicut Sodomite in peccatis suis perstiterunt. Et ideo apud Trapam[30] civitatem mons, in cuius pede civitas posita erat, terre motu scissus fuit et pars eius super edificia civitatis corruit, ita ut peregrinis nostris non invenirentur domus ad hospitandum in civitate, sed in promunctoriis manserunt. *Messana etiam nobilissima civitas Sicilie[e], que vulgo dicitur Messin, fulmine succensa fuit, superius[f] et inferius a terre motu consumpta. Tercia vero civitas post Trapam et Messanam fuit Anekon, similiter terre motu destructa, quarta Menkalion, quinta ad Sanctum Antonium, sexta Mons Marin, septima Castellum Pagan, octava Villefloret, nona Quilian, decima Mariget[f].

*col. 161.

Eodem anno domnus Henricus episcopus Traiectensis propter exactionem pecunie ultra consuetudinem cum Threntonibus quatuor parochias de Threntawalda armata manu promovit invadi. Sed cum optento introitu silve quasi victores exultarent et iam quatuor domos igni tradidissent, accurrentibus vicinis Frisonibus et ipsis civibus, Threntones in fugam versi sunt et viginti occisi, centum viri secundum Latinam computationem fugientes in Hunesa sunt submersi, et plurimi vulnerati et turpiter dearmati vel etiam nudati, et quidam captivati.

1260.
Mart. 1.

Anno[g] Domini 1260. talis littera fuit a partibus transmarinis transmissa:

*Illustribus regibus, principibus et venerabilibus archiepiscopis, episcopis, abbatibus et aliis ecclesiarum prelatis ac nobilibus viris, comitibus, baronibus, militibus universis presentes litteras inspecturis, frater Thomas de ordine Predicatorum miseratione divina Bethlehemitanus episcopus, in partibus cismarinis apostolice sedis legatus, salutem in filio Virginis gloriose, qui in Bethlehem nasci dignatus est. Tribulationes civitatum partium orientalium, quas passe sunt, non solum ex longinquo, sed ex vicino quasi post parietem audientes defecimus. Timor et ebitudo mentis cecidit super nos et super filios nostros. Quis enim, o viri catholici, non timeret, non solum ollam, sed ollas, civitates quam plurimas ac munitissimas a terre finibus ad se usque ab aquilone succensas, videns virgam Domini durissimam *et inflexibilem tam sollicite, tam attente tamque continue in tocius fere orbis excidium vigilantem. Veremur enim, ne Ieremie[31] verbum ad istarum partium christicolas extendatur dicentis:* Ecce populus venit de terra aquilonis, gens magna, consurgens de finibus terre, sagittam et scutum arripiens; crudelis est, et non miserebitur. Audivimus famam eius, dissolute sunt manus nostre. *Nec mirum,*

*col. 162.

---

a) iniciatus — Mariget. Eodem anno *col.* 161. *des.* 2. b) *prius sequebatur* Michaelis *statim deletum* 1. c) *in marg.* 1 *extenditur eodem atramento* Vacat, *quo verbo auctor ipse haec delenda esse notavit; insuper statim verba* Eodem orna ‖ *linea transducta delevit.* d) m. c. *in marg. atramento fusco add.* 1. e) *in loco raso* 1. f) superius — Mariget *in* 6 *lineis vacuis suppleta atramento fusco* 1. g) Anno — in senatorem est electus *col.* 169 *des.* 2.

27) t'Zandt ad septentriones Loppersum in ripa laeva Fivelae, quae olim hanc marcam alluisse videtur; cf. Driessen, Mon. Groning. I, p. 56, not.

28) Nescio quam episcopii sedem Noster intelligat. Fortasse legendum est *Letowiensi.*

28*) accuratius 17.

29) Similia leguntur infra ad a. 1266. col. 170 ab auctore post addita.

30) Trapana.

31) Ier. 6, 22—24.

1260. *quia de tribus unum nobis formidamus instare, ut vel terram sanctam desertam et solitariam relinquamus, vel tradamur in manus non solum sanguinem sitientium, sed etiam in hoc delicias suas ponentium, ut*[a] *vel eorum gladio consumamur, vel exponamur servituti perpetue infidelium et non miserentium dominorum, qui nec die nec nocte dant requiem servis suis. Nam Tartari, potius nominandi Tartarei, gens effera, gens immitis, fere totam orientalem plagam indefessa falce metentes, postquam Baldach*[32] *civitatem famosam, locum regium et caput precipuum paganorum, suo dominio subiugarunt, expositis in ore gladii cum calipho*[33] *eorum omnibus fere habitantibus in eadem, e vestigio omnes consequenter civitates et regna usque Halapiam*[34] *conterentes, demum Halapiam infra quindenam per suam violentiam occuparunt, divitiis et honoribus habundantem, et eam per fraudem non per vim optinuerunt, per inhabitantes callide sibi traditam et apertam, occisis cunctis viventibus in ea. Tandem castrum ipsi civitati annexum, quod fuit firmissimum, similiter propter quasdam inhabitantium discordias subintraverunt, in quo tesauros repererunt quam plurimos cum lapidibus preciosis. Quibus sublatis, castrum subverterunt et civitatem per circuitum diruerunt. Quod videntes ceteri regni illius nobiliores, scilicet soldanus de Ruispie, soldanus de Camella, dominus de Hamhac*[35] *et dominus de Amon*[36] *et alii quam plures, venerunt ad regem eorum*[b] *et pedibus provoluti facti sunt ei* * col. 163. *obedientes*[c]. **Soldanus vero Damasci, trium regnorum dominus, ab eorum facie fugiens terram dimisit, et maior pars populi sui ab eo recessit et ad auxilium Babiloniorum*[37] *confugit. Sed omnes civitates Sarracenorum regi Tartarorum claves cum nunciis premittentes et eius quasi mortui dominio se submittentes, ut sic ferocitatem suam placarent. Nonnulli vero Sarracenorum, quos fides catholica christicolis inimicos constituit capitales, cum uxoribus et filiis et suppellectilibus ad maritima confugiunt et christianorum manibus velut aves, quas insequitur accipiter, se committunt. Plures vero fugam ad Babilonios ineuntes, quod incredibile est auditui, se confractis viribus velut attoniti per prerupta montium et per spacia camporum dispergebant, sic quod parentes filiorum obliti, frater sororis, maritus*[d] *uxoris, dimissis spoliis aut per viam proiectis, solam vitam salvare, conculcatis in itinere debilibus et infirmis, satagebant. Videte ergo, si Tartarorum nomen convenerit hiis, que agunt, vel quia ad tartara pertrahunt, vel quia tartareis satellitibus in omnibus concordant, vel a tartasin, quod in Greco sonat tremere vel horrere. Procul dubio enim sunt horribiles et tremendi. Inebriant enim terram sanguine et humum adipe pinguium*[e], *quia dies ultionis Domini, annus retributionis, venit. Et si non suffitiunt ista ad doloris cumulum et terroris, Anthiochena civitas prius de victoria desperans, quam perveniret ad bellum, cum toto principatu suo eorum obedit voluntati.* * col. 164. *Princeps autem Anthiocenus *cum terra Tripolitana terribili tremore confractus Anthiochenorum vestigia est secutus. Itaque aliis universis iugo se Tartarorum subicientibus, aliis attonitis et quasi stupidis ad terrorem fulminis ex Dei iudicio fulgurantis, sola civitas Aconensis et Tirus cum castris domorum Templi et Hospitalis et Teutonicorum, que fratres predictarum domorum pro viribus muniverunt, ad tantum et tantorum conflictum se preparant sustinendum; die noctuque fossatis, machinis et aliis instrumentis bellicis preparandis continue insistunt. Sed cum iam existente periculo non immerito timeamus, licet cum lacrimis et suspiriis pauce reliquie fidelium provincie cismarine de die in diem tot et tantorum hostium impetum prestolantur, non tamen omnino deicimur in Dei auxilio confidentes, et post Deum in vestro festinato subsidio totam ponentes fiduciam spei nostre, velut in singulari refugio et consueto presidio populi cismarini. Etenim idem rex Tartarorum nobis litteras blasfemiae plenas in Deum viventem inaudite superbie destinavit, ut vere dicere possimus:* Dies hic[f] est tribulationis et angustie; *et ideo eas expandimus*[g] *coram Deo vivo, dicentes unanimiter et orantes:* Domine Deus Israel, tu fecisti celum et terram; inclina aurem tuam, et audi omnia verba regis Tartarorum, qui misit, ut exprobraret nobis Deum viventem, dicens, tuum posse esse in celis, Mangakan[h] vero in terris. Nunc igitur, Domine Deus, salvos nos fac de manu ipsius, ut sciant omnia regna terre, quia tu es Dominus Deus solus. *Nichilominus etiam expandimus coram vobis, qui estis pugnatores precipui Dei vivi, ut tantis auditis blasfemiis*

---

[a] *sequebatur* videtur, *atramento fusco deletum* 1.
[b] *prius* ad eum, *atramento fusco corr. in marg.* 1.
[c] *in imo marg. col.* 162 *leguntur atramento eodem sine signo:* Deuter. XXV. Pro mensura peccati erit plagarum modus.
[d] marites 1.
[e] pinguiū 1.
[f] h̄ 1.
[g] voces *inser. H. male.*
[h] Mangohan non *H.*

32) Bagdad, quae capta est a Tataris a. 1258.
33) Mostaasem.
34) Aleppo.
35) Hamath.
36) Hems.
37) i. e. Aegyptiorum.

vos zelus Dei ad vindictam accendat et ad terre sancte defensionem inflammet et ad succursum 1260. *provocet sanguinis populi christiani. Nec putetis, o viri *christianissimi, quod ut animam vestram* * col. 165. *tantum liberetis, vos Dominus viros precellentes ordinavit et principes, sed ut tali tempore in clipeum et defensionem vos Dominus prepararet Propterea ad vestre pietatis gremium fusis lacrimis post Deum precipue in tante necessitatis articulo recurrentes, prout possumus supplicamus, ut ad defensionem terre sancte, ubi Dominus noster Iesus Christus nasci ac mori dignatus est pro nobis, ubi nostram operatus fuit salutem, pro qua tanto laboravit tempore universitas populi christiani, cum studio omnique sollicitudine intendatis, nec patiamini, sicut infideles intendunt, nomen Domini Iesu in partibus orientis deleri et oblivioni mandari. Sed potius exurgat nunc gens inclita, apprehendat arma et scutum et exurgat in adiutorium terre sancte cum robore ac vigore, ita quod in estate presenti sui succursus remedio valeat recreari, donec cum mundi regibus et principibus de subsidio terre sancte altius disponatur, et ad tot et tantorum hostium resistentiam diuturnam invincibiliter animemur. Valeat universitas vestra in Domino. Datum*[a] *Acon, Kal. Marcii, pontificatus domni Alexandri pape IV. anno* 6, *indictionis* 3.

Item alia epistola: *Frater Thomas de ordine Predicatorum, dominici presepii et virginalis puerperii custos indignus, apostolice sedis legatus, discretis viris, universis prepositis et aliarum ecclesiarum rectoribus Frisie in Christo karissimis salutem in filio Virginis gloriose, qui in Bethlehem nasci dignatus est. Licet locorum intervalla et personarum distantia nimia nos disiungat, tamen in quantum possumus et divina gratia subministrat, libenter provincie vestre habitatoribus providemus et ipsorum animarum periculis obviamus. Attendentes siquidem ex accessu mulierum Frisie ad has partes pro devotione vel subsidio terre sancte, pro locorum nimia distantia et pro multis aliis casibus, qui offerunt se in via, multa pericula provenire, cum contingat frequentius instigante*[b] *humani generis inimico, quod cum aliquibus earum,* * col. 166. *prout fertur, *adulteria et fornicationes a peregrinis in via et navibus committantur, universitati vestre consulimus attentius, vos monentes, quatinus omnes et singulas mulieres vestre provincie, que causa devotionis vel quacunque alia de causa assumpserunt olim vel assument de cetero signum crucis, universi et singuli in suis parochiis moneatis attentius et inducere procuretis, ut pro causis predictis partes non visitent cismarinas, sed quod in via deberent expendere, vobis assignent vel alicui fideli a vobis super hoc constituto*[c], *per fidelem nuncium ad partes istas mittendum pro subsidio terre sancte, vel aliquem vel aliquos bonos viros dicte mulieres de dicta conducant pecunia, loco earum mittendos pro subsidio memorato. Illos autem, quos vobis constiterit a decem annis et supra crucis signaculum recepisse, attente monere ac inducere procuretis, ut exequantur votum crucis, vel redimant, si a laboribus ex causis legitimis excusantur. Quibus omnibus predictis mulieribus et aliis predicto modo excusandis, ex nunc auctoritate nobis ab apostolica sede tributa illam indulgemus suorum veniam peccatorum, quam optinerent, si terram sanctam personaliter visitassent. Datum Acon etc.*

Emissis autem prescriptis litteris, Hullehum[38] frater summi regis Tartarorum per quosdam nuncios didicit, fratrem suum Mangocan, qui super omnes Tartaros regnaverat, universe carnis debitum persolvisse[39]. Sperans se dominium suscepturum, ulterius non processit; veruntamen magnam reliquit partem exercitus ad custodiendas terras, quas expugnaverat, et precepit omnes destruere munitiones. Postea venit idem exercitus in terram sanctam et castra iuxta Iordanem fluvium est metatus, et in ipso tempore tradita est eis Damascus cum omnibus munitionibus circumpositis, sicut Malbek[d] et Belmas *et Aschilon et Psaltus * col. 167. et cetera castra Sarracenorum. Et non solum Sarracenis, verum etiam christianis fecerunt multa incommoda per malicias fraudulentas. Civitatem quoque Sydonie destruxerunt, in qua christianos plurimos occiderunt. Quibus auditis soldanus Babilonie[40] anno Domini 1260. Aug. mense Augusto imminente, cum omni exercitu de partibus Egipti egrediens, cum eis congressus est in terra Canaan eosque vicit viriliter et potenter. In quo conflictu ibidem de Tartaris 60 milia ceciderunt, ceteri fugerunt. Deinde cum soldanus Babiloniam redire deberet, a quibusdam suis ammiralibus est occisus, et alium soldanum[41], prout intelleximus,

---

[a] Datu 1. [b] instante *prius, atramento fusco corr.* 1. [c] vel illud *add. prius, iam atram. fusco deletum* 1. [d] *aut sic aut* Maſbek 1.

[38] Hulagu seu Ilek-Khan. [39] anno 1257. [40] Kotuzz soldanus Seldschukkorum Aegypti. [41] Bibars nomine.

1260. elegerunt, virum ignobilem, virtutibus vacuum cunctisque[a] maleficiis criminosum. Quod patet ex eo, quod non multo post suam electionem nobiliores, ut dicitur, occidit ammirales. Insuper baiulos suos regno superposuit Damasceno, Ierusalem quoque ac sepulchrum Domini in suam redegit potestatem, expulsis inde Surianis et aliis habitatoribus[b].

Hic libet paulisper intueri, quomodo etiam Dominus in paganis, quos curare non videtur, immo proiecit a se, quia ipsi ab eo recesserunt, — Ezech. 16: *Non affligam te ultra, quoniam proieci te* — tamen in eis etiam complet quod dicitur Genes.[41*] 20: *Ego sum Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitates parentum in filios usque in terciam et quartam generationem eorum, qui me oderunt.* Duo enim fuerant fratres, Salatinus et Saphatinus, qui dominum suum regem Egipti occiderunt et regnum Egipti possederunt et postmodum dominum de Baldach, que est civitas maxima, habens dominium super omnes Sarracenos, sicut Roma super omnes christianos, occiderunt; et sic dominium super totam Asiam usque *col. 168. ad Indiam optinuerunt. *Iste Saladinus cepit Iherusalem anno Domini 1190[c], captis et expulsis christianis, et muros destruxit, preter templum et turrim David, et multas crudelitates exercuit contra christianos. Idcirco sua crudelitas non fuit a Domino tolerata. Nam eo mortuo frater suus Sephatinus 15 filios eius occidit preter unum[42], qui regnum Halapie optinuit; et sic Sephatinus adhuc vivens filiis suis septem regna Asie divisit, qui nunc in quarta generatione, sicut patres eorum dominis suis fecerant, a suis servis receperunt, quia et rex Egipti et rex Damasci utrique a suis officialibus sunt occisi, et servus regis Egipti et Babilone regnum ipsum possedit et regnum Damasci baiulo contradidit. Sicut olim Baltasar fuit quartus post Nabogodonosor, qui a Dario et Ciro fuit occisus, et civitas Babilon funditus destructa[d], sicut predixerat Ysa. 10: *Ve Assur virga furoris mei;* item 13: *Erit Babilon illa gloriosa in regnis, inclita in superbia*[e] *Caldeorum, sicut subvertit Dominus Sodomam et Gomorram; non habitabitur in sempiternum, sed requiescent ibi bestie, et replebuntur domus draconibus; habitabunt ibi strutiones, et pilosi saltabunt ibi.* Similiter Nero fuit quartus post Augustum, qui imperium perdidit et se ipsum cultello occidit. Et postea transivit imperium ad Vespasianum, qui erat de alia generatione. Cui successit filius suus Titus, et post eum Domicianus frater Titi, qui propter suam nequiciam in tercia generatione regnum perdidit. Quanto ergo magis possunt timere christiani, quod res male acquisite non stabilientur. Proverb. 12: *Non roborabitur homo*[f] *ex impietate;* et illud: *Substantia*[g] *festinata minuetur*[43]. Unde nota, quod dicitur in Ecclesiastico[43*] 8: *Quia non cito profertur contra iniustos sententia, absque ullo timore filii hominum perpetrant mala.* Contra quos dicitur in Ecclesiastico 5: *Si dicas: peccavi, et quid mihi mali accidit. Altissimus est patiens* *col. 171. *redditor.* Rom. 2.[44]: *An ignoras quod patientia Dei ad penitenciam*[h] *te provocat? *An divicias bonitatis eius contempnis?*

Anno[i] Domini 1261. mortuus est domnus Conradus archiepiscopus Coloniensis, qui erat in omnibus agendis homo magnanimus et ecclesie sue defensor strennuus; qui duces Brabantie et de Limburch et comites de Iuliaco et de Cleve et de Moniove[44*] potenter humiliavit et ecclesiam Coloniensem exaltavit et ditavit. Successit domnus [Engelbertus][k] frater comitis de Falkenberch. Eodem anno consummatum fuit fundamentum ecclesie in Campo Rosarum, et ipsa ecclesia infra triennium in muris edificata. Eodem anno domnus Karolus, frater regis Francie, a Romanis in senatorem est electus[i].

1262. Ian. 28. Anno[l] Domini 1262. in octava Agnetis subito circa horam terciam, irruente choro collaterali zefiri et subsequente circio nimis immoderate, multe[m] domus corruerunt, et campanile in Werum cum omni suo pondere de loco motum est, et conventus occidentalis totus corruit, et pars tignorum in Campo Rosarum de lignea ecclesia corruit, et erat terre motus, ita ut altaria parieti non inherentia visibiliter tremerentur. Et occeanus vehementer commotus aggeres infregit, et aque salse superficiem terre operuerunt, et aqueductus in Fiskmare irruptus supernatavit, et aque per noctem et fere per diem irruperunt, donec

---

[a] c̄c̄tisq; 1. [b] *prius* habitatibus, *atram. fusco corr.* 1. [c] 1282. *male H.* [d] et c. B. f. d. *atramento eodem in marg. add.* 1. [e] supª 1. [f] hō 1. [g] sub̄a 1. [h] pe. 1. [i] Anno — senatorem est electus *et infra* Anno Domini 1263. transivit — abbatis ecclesie supradicte *in schedula assuta nunc signata* 169 *et* 170 *atramento paullo pallidiori addita et signis appositis ad suum locum destinata sunt* 1. [k] *locum nomini vacuum reliquit auctor* 1; *supplevit H.* [l] Anno — fuerunt prosperate *rursus leguntur col.* 171. [m] 2 *sic:* Anno Domini 1262. inundatione magna invalescente et vento impellente vehementissimo multae *etc.*

[41*] immo Exod. 20, 5. [42] Daher nomine. [43] Proverb. 13, 11. [43*] immo in Ecclesiaste 8, 11. [44] Cf. Rom. 2, 4. [44*] Montjoie.

ferventissimo labore omnium fratrum Floridi Orti et tocius parochie, necnon et civium de 1262.
Waltersum spacium aqueductus lignis infixis et straminibus cum terra interiectis fuit obstructum et in vigilia purificationis exaltatum et firmatum. Quia vero terra fuit dulci aqua Febr. 1.
satiata, salsugo eam non infecit, sed fruges sequentis estatis competenter fuerunt prosperate.

Anno[a] Domini 1263. transivit domnus Alexander papa quartus in illo nomine. Suc- 1261.
cessit domnus Urbanus, qui fuerat patriarcha Ierosolimitanus, cum tamen vacasset sedes fere ad duos menses propter dissensionem cardinalium[45].

Anno Domini 1265. transivit domnus Urbanus papa tercius, ut creditur dolo principis 1265.
Meinfridi veneno infectus. Successit Clemens IV.[46]

Anno Domini 1266, feria sexta post Mathie, collectis hinc inde exercitibus quam plu- 1266.
rimis, occisus est Meinfridus, Frederici imperatoris filius naturalis, a domno Karolo, fratre Febr. 26.
regis Francie, senatore Romanorum et comite Andegavensi, quem domnus papa iam declaravit regem Sicilie, ducem Apulie ac principem Calabrie nec non et Campanie, habito congressu belli iuxta Beneventum, quam plurimis Sarracenis, Teutonicis et aliis diversarum nationum populis cum eo interemptis. Et sic domnus Karolus Siciliam et predictas terras potenter intravit et ab indigenis satis honeste fuit receptus, quia tirannidem Meinfridi et Sarracenorum, quibus terras illas exemplo patris repleverat, exosam habuerunt[46*]. Sicque predictus Karolus tesauros auri et argenti, quos Fredericus et Conradus in munitissimis locis deposuerant, fere omnes optinuit. Eodem anno feria secunda post ascensionem
Domini abbas et conventus Floridi Orti cum Sondensibus et aliis consortibus novum agge- Mai. 10.
rem viriliter aggressi, eadem estate in multa firmitate ac altitudine compleverunt. Eodem anno[b] domnus Gerardus episcopus Monasteriensis castrum Fretheburch[47] edificavit contra cives de Eskathorpe et eorum complices. [c]Eodem anno destructum est castrum in Elethe, quod filii Rodgeri sculteti Threntie et fratrueles eorum ceperant edificare; et propter hoc paulo post occisi fuerunt filii domni Aldulfi de Pedese, eo quod ipsi cum Gerardo Clink, adiutorio domni Henrici Traiectensis episcopi, principaliter destruxerunt castrum pre-
dictum. Eodem[d] anno in festo duorum Ewaldorum, pridie ante festum Francisci, die Oct. 3.
dominica, nova ecclesia in Campo Rosarum est aspersa, in testudinibus, fenestris, choro sororum et omnibus ornatibus perfecta, anno inquam a sui fundatione 5, a prima fundatione ipsius claustri 62, quia fundatum fuit claustrum anno Domini 1204, anno vero ab inchoatione Floridi Orti 53, quod inchoatum fuit anno Domini 1213, a fundatione vero nove ecclesie in Florido Orto 28, a consumatione et dedicatione eiusdem ecclesie, nec non et ecclesie in Emetha 7. Consummata vero fuit tunc ecclesia Floridi Orti in tecto, testudinibus, fenestris et omni suo ornatu, et quatuor novis calicibus decorata, fundata quidem tempore domni Pauli secundi abbatis, sed fere a fundamentis cum omni ornatu suo consumata tempore domni Menkonis tercii abbatis ecclesie supradicte. Dedicata[e] est autem
anno a sua fundatione 21, a prima vero fundatione claustri in Florido Orto et transitus fra- 1259.
trum in locum illum 46. Fuit autem fundata primo anno electionis domni Pauli secundi abbatis, et forma eius ordinata per manus magistri Everardi Coloniensis senioris et per consilium domni Sibrandi abbatis de Orto sancte Marie, maximis laboribus et expensis, quia nec prelati nec subditi prius erant in aliquo lapideo edificio exercitati, et ideo dispositionem tocius operis antedictis personis reliquerunt. Anno vero 16. officii domni Menkonis abbatis per suam fervidam ac laboriosam promotionem fuit perfecta et decorata in altaribus et eorum ornamentis, quatuor novis calicibus, fenestris, testudinibus et[f] omnibus necessariis et ornatibus, non sine maximis laboribus et expensis, cum essent tempora durissima propter frequentes inundationes salsi maris et morticinia pecorum, et omnia necessaria essent in summo precio[e].

---

[a] *sequentia usque ad* ecclesie supradicte *in eadem schedula* 169. *suppleta et signo apposito ad hunc locum destinata sunt* 1; Anno — altitudine compleverunt *des.* 2. [b] Anno Domini 1266. *leg.* 2. [c] *incipit secunda schedulae pagina signata nunc* 170 *in* 1. [d] Eodem — summo precio *des.* 2. [e] *sequentia usque* in summo precio *in secunda schedula priori assuta leguntur et ipsa signata* 170, *atramento duplici, primo fusco, scripta sunt ab ipso Menkone* 1. [f] *pergit eadem manus alio nigro atramento* 1.

45) Haec falsa. Alexandro a. 1261. Mai. 25. mortuo, Urbanus IV. eligitur eodem anno August. 29.

46) Urbanus obiit a. 1264. Oct. 2; Clemens electus est 1265. Febr. 5.

46*) Hoc nullo fonte coaevo approbatur.

47) Cf. supra apud Emonem col. 102, ubi audit Fresenberg.

1268. Anno Domini 1267, anno[a] a diluvio sancti Marcelli 50. inchoante, cum ventus per aliquot dies per[b] nothum et affricum mare concitasset, subito inter crepusculum et conticinium affrico[d] successit crudelis circius vehementi afflatu, et per plurimas partes Frisie occeanus aggeres[d] infringens diluvium induxit. Sola vero Fivelgonia ab hac plaga fuit libera, forte quia suos aggeres plus aliis Frisonibus exaltavit, vel potius quia pauperes de diversis terris illuc confluentes, elemosinis et hospiciis benignius pertractabant, et potissimum quia iam ad 12 annos vel ultra per iudices eorum et alios potentes bona servabatur iusticia, et equum fuit iudicium divitibus et potentibus ac pauperibus, plurimum ad hoc studentibus et efficaciter cooperantibus honestis laicis Snelgero de Skiramere[e], Riperto de Nothensum, Tammone pugile de Aldesum[f], consilium principaliter ad hoc addente abbate
*col. 172. Floridi Orti, *cuius consilio dicti laici et alii nobiles terre satis acquieverunt. Inundatio[g] autem ista facta fuit, ut dictum est, anno 50. inchoante a famosa plaga diluvii, que fuit in
Ian. 16. nocte sancti Marcelli[h], eadem hora noctis sancti Marcelli, et eadem feria, scilicet quarta, et fere eadem lunatione, quia tunc erat luna 27, modo vero 28, et fere eodem die pasce, quia tunc erat dies pasche 7. Idus Aprilis, modo vero 6. Idus Aprilis[48]. Nec te moveat, si forte aliqui scriptores cronicorum posuerunt, famosum diluvium Marcelli fuisse anno Domini 1218, alii 19, quia isti inceperunt annum a nativitate Domini, quando in carne apparuit, alii ab annunciatione, quando in utero Virginis carnem assumpsit, et sic erat annus 18. cito finiendus. A senioribus autem probatum fuit in Libro Experientie, quod natura occeani est, ut anno 50. plus solito elevetur, et si sua elevatio protelata fuerit, cum venerit, tanto altius elevetur. Unde cum olim a diluvio Iuliane usque ad diluvium Marcelli fuissent anni 55, eo amplius et crudelius seviebat, quo fuerat a sua elevatione retarditus. Hec autem consideratio laicorum seniorum aliquo modo concordat rationi philosophorum[i], qui dicunt quinquagesimo anno proprietatem planetarum aliquam habere mutationem. Et secundum hoc dicitur, quod Abraham peritus in astronomia quinquagesimum annum iubileum instituit, et annum iubileum Dominus in lege Moysi confirmavit. Credibile autem est, quod quia sola inter omnes nationes christianorum Frisia[k] decimas et primicias non solvit, plagam occeani
Ps. 106, 34 tollere, quod Deo denegatur, secundum quod in psalmo dicitur: *Posuit terram fructiferam in salsuginem a malitia habitantium*[l] *in ea.* Qui autem decimas dant, quadrupliciter remunerantur, scilicet habundantia fructuum, sanitate corporis, indulgentia peccatorum et regno celorum. Augustinus: *Si decimam dederis, non solum habundantia perfrueris, sed sanitatem*
*col. 173. **corporis consequeris.* Item: *Qui premium celeste comparare atque indulgentiam peccaminum vult promereri, reddat decimam, et de novem partibus studeat elemosinam dare.* Unde Dominus per Malachiam 3: *Vos configitis me in decimis et primitiis.* Augustinus: *Hec est iustissima Dei consuetudo, ut si Deo decimam non dederis, tu ad decimam, que corruit, deducaris.* Insuper: *Dabis impio militi, quod non vis dare sacerdoti. Deus enim, qui dignatur totum dare, decimam vult a nobis recipere, non sibi, sed nobis profuturam.* Augustinus: *Decime requiruntur ex debito, et qui eas dare noluerint, res alienas invadunt, et sepe tollit fiscus, quod non accipit Christus.* Et sic sepe in Frisia, quod non datur Christo, tollit occeanus. Nota[m] quod dicitur in Summa Remundi, quod si aliqua terra ex antiquo optinuit, quod ibi decime non dantur, ibi non debet publice predicari, quod dentur, et sic non peccant decimas non dando. Non enim traditio legis divine, sed consuetudo terrarum in decimis dandis est observanda; Extra[n] *De decimis. In aliquibus*[49]. Nam sicut ibi dicitur, quedam sunt gentes christiane professionis, que nullam solvunt decimam, et infra: *Ille quippe decime sunt solvende, que debentur ex lege divina vel loci consuetudine approbata.* Item magister W. dicit super sententias, quod preceptum de decimis est morale, quia secundum consuetudinem terre sunt solvende, si talis consuetudo optenta est auctoritate episcopi et ecclesie, cuius interest, vel etiam a tempore, cuius non extat memoria. Consilium tamen sanum esset, ut solverentur, vel erogarentur simul vel per cotidianas causas[o] in usus pauperum auctoritate episcopi vel ecclesiarum, quibus essent persolvende.

---

a) anno — inchoante *des.* 2. b) per — affricum *des.* 2. d) *loco* affrico — aggeres *legit* oceanus aggeres et multas partes Frisiae 2. e) Skummera 2. f) Tammone de Nothensum 2. g) Inundatio — essent persolvende *col.* 173. *des.* 2. h) *in marg. eodem atramento* 1: Marcelli diluvium nota. i) phõꝝ 1. k) *in marg. suppl. eodem atramento* 1. l) fru. ē sal. amał. hab. 1. m) Nota — persolvende *in membrana assuta scriptor addidit, signo apposito* 1. n) eẍ. 1. o) cſās 1.

[48] Hi sunt dies paschales annorum 1219. et 1268. Menko ergo perperam scripsit *Anno Domini* 1267. Est annus noster et etiam Menkonis 1268, cum annum nequaquam ab annunciatione incipiat.

[49] III, 30, 32.

1268. Anno 1268. captus fuit archiepiscopus Coloniensis a comite Iuliacense[49], et Simon episcopus Parburnensis[a] a domno Gerardo episcopo Monasteriensi, quia collecto exercitu invaserant terram predicti comitis cum comite de Falkenburch[50], qui fuit frater carnalis domni archiepiscopi Coloniensis, et aliis multis principibus ac nobilibus, quorum plurimi cum eis capti fuerunt, congregatis contra eos episcopis Leodiensi[51], Monasteriensi et electo Traiectensi[52], comite Gelrense[53] ac multis aliis nobilibus prebentibus[b] auxilium comiti de Iuliaco, qui tamen deberet esse officialis ecclesie Coloniensis, sed semper fuit inimicus. Et ideo domnus Coloniensis archiepiscopus tunc terram suam[c] incendiis vastavit. Eodem anno dedicata fuit ecclesia in Campo Rosarum per venerabilem virum domnum Emundum episcopum Curonensem[d], qui fuit de ordine militum Teutonicorum, quia domnus episcopus Monasteriensis, licet esset in Frisia, tamen propter captivitatem predicti episcopi Parburnensis[a] officio suo non fungebatur, non quod sententia iudicis fuerit in eum prolata, sed quia omnis sacrilegium in ecclesiasticas personas committens ipso iure est excommunicatus, et maxime in episcopos vel sacerdotes. *Consecrata est autem ipsa ecclesia in crastino nativitatis beate Virginis ad honorem eiusdem sanctissime Virginis, de[e] cuius crinibus in summo altari habetur, et sancti Iohannis baptiste et beati Stephani. *col. 174. Sept. 9.

Eodem anno captus est Fredericus, dictus Conradinus a Conrado patre, per Carolum regem Sicilie ac Apulie. Iste Fredericus quintus fuit a Frederico primo de Stoph, qui cum esset dux Suevie, primus de parentela illa ad imperium fuit sublimatus. Cui in quodam rivulo submerso in Ungaria[f] successit filius suus Henricus, qui octavo anno imperii mortuus est. Et quia Fredericus filius suus puer erat, electus fuit ad imperium Otto frater ducis de Bruneswik, cui avunculus suus rex Anglie dederat ducatum Pictavie. Quo mortuo octavo anno imperii sui, traditum fuit imperium predicto iuveni Frederico. Qui propter timorem Ottonis viventis missus fuit ad Sarracenos transmarinos[54], et ne presumeretur nobilis esse, diversas artes mechanicas addidicit, velut sutoriam, fabricatoriam in auro et omni genere metallorum. Mortuo autem Ottone revocatus, ut dictum est, imperium optinuit. Et heu! mores gentilium, quos apud eos didicit, ac ydolatriam et consortia eorum nimis diligens, ecclesiam in tantum persequebatur, quod a domno Gregorio IX. sepius excommunicatus, tandem ab Innocentio IV. apud Lugdunum fuit sententialiter depositus. Quo mortuo Conradus filius suus, quem de filia Iohannis regis Ierosolimitani genuerat, regnum Sicilie et ducatum Apulie violenter sibi usurpavit et domnum papam ac ecclesiam multipliciter inquietavit, et ideo cito Dominus eum de medio sustulit. Cuius filius fuit iste Fredericus[g], qui similiter sicut pater et avus per inobedientiam, que est scelus ydolatrie, claves ecclesie contempsit et Siciliam ac predictas terras violenter occupavit, cum a temporibus Constantini imperatoris, qui primus inter imperatores per Silvestrum papam baptizatus verus fuit christianus et predictas terras domno pape ac cardinalibus et eorum officialibus libere *donavit, ut esset quasi speciale patrimonium sancti Petri, et de regno vel aliquo dominio se nemo ibi intromitteret, nisi de manu domni pape reciperet cum consensu cardinalium in feodum et fidelitatem ecclesie Romane iuraret. Quod quia imperatores de parentela non servaverunt supradicta, immo omnes terras istas violenter occupaverunt, videlicet regnum Sicilie ac ducatum Apulie et principatum Campanie ac Calabrie et Beneventum, ideo in tercia generatione medius Fredericus fuit ab imperio depositus, et post quartam in isto iuvene Frederico, qui fuit quintus in illa generatione[h], nomen illius parrentele quasi penitus abolitum, quia in linea a proavo descendente nullus heres est inventus, ut etiam in eis satis sit impletum, quod dixit Dominus in Genesi[55] 20: *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitates parentum in filios usque in terciam et quartam generationem eorum, qui me oderunt.* *col. 175.

Eodem anno apud Coloniam occisus fuit comes de Falkenburch, frater domni archiepiscopi Coloniensis, quia civitatem occulte intraverat, ut faceret vindictam contra quos-

---

[a] Padburgeñ 2; Paderburgensis *H.* [b] prebentibus — vastavit *scriptor pallidiori atramento postea inscripsit, lineis* 5 *et dimidia prius vacuis relictis, ita tamen ut vox* vastavit *iam in marg. exstet* 1. [c] Frisiam 2. [d] Thuronensem 2. [e] de — qui me oderunt *col.* 175 *des.* 2. [f] *litterae* un *iam vix legi possunt in* 1. [g] *hic atramentum mutatur, et apparet etiam ex habitu litterarum, post aliquod tempus scriptum esse* 1. [h] in i. g. *in marg. atramento paullo nigriori add.* 1.

[49] Wilhelmo IV. [50] Theoderico. [51] Heinrico III. [52] Iohanni I. [53] Ottone II. [54] i. e. Siculos. [55] vide supra pag. 550, not. 41*.

1268. dam nobiles burgenses, qui dicebantur fovere partes comitis Iuliacensis in archiepiscopi captivitate ac detentione. Eodem anno domnus Lodowicus rex Francie recepit crucem in terram sanctam anno a priori sua peregrinatione 20. Et tunc domnus Clemens papa per litteras suas omnes christianos in auxilium peregrinationis dicti regis invitavit; et ipse rex per litteras suas specialiter Frisones in consortium suum invitavit; ac sic per Frisiam ubique crux predicabatur, sed precipue per fratrem Herardum, qui claustrum maiorum fratrum, id est Iacobitarum[55], in Norde fundavit. Ponebantur etiam trunci in singulis ecclesiis, quos potius gazofilacia dicere possumus, ad que singulis dominicis diebus festisque diebus fiebant oblationes, et indulgebantur offerentibus quinque dies panis et aque. Et plurimi
* col. 176. nobiles ac divites et pauperes signum crucis receperunt. Significavit etiam supradictus *rex per prudentem virum domnum Gerbrandum abbatem de Dokum, sequenti anno post illum se in Maio exiturum, et ante festum Iohannis baptiste ad Aquas Mortuas[56] de portu eodem in terram sanctam Domino annuente navigaturum cum regibus et principibus et episcopis sibi adherentibus.

1269. Anno igitur Domini 1269. navibus et peregrinis per totam Frisiam paratis, ne penuria victualium et pecunie tantum negocium valeret impedire, primo in Fivelgonia et postmodum per alias Frisie partes fuit ordinatum, ut potius pauciores[a] proficiscerentur omnibus necessariis expediti, quam multitudo nimia et indigens vel cito reverti cogeretur propter defectum necessariorum, vel terram sanctam potius expensis aggravare, quam in bellis adiuvare. Idcirco sic fuit ordinatum, ut singuli peregrini ad minus haberent septem marcas sterlingorum et vestes et arma necessaria, sex cados butiri, unam pernam de carnibus porcinis et unum latus bovis et dimidium modium, id est duos quadrantes, farine. Omnibus igitur
Mart. 28. paratis, feria quinta in ebdomada pasce naves sollempniter per missam et alias orationes benedictas intraverunt peregrini cum multa devotione, et multe offense de homicidiis mediante cruce fuerunt indulte. Cunque prospero vento usque Borkna Emesgonum venissent, vento contrario impediente, fere ad viginti dies ibi sunt retardati. Exierunt autem de Frisia 50 coggones, de Fivelgonia specialiter quatuor. Omnes autem hee quinquaginta naves
Mai. 2. circa ascensionem Domini in portu Flandrie qui dicitur Svin[56*] fuerunt congregate, et ibi a comitissa Flandrie[57] et suis officialibus honorifice suscepti, per aliquod tempus demorati sunt, instrumenta nautica et alia necessaria renovantes ac supplentes. Deinde procedentes,
* col. 177. licet quandoque per tempestatem navibus *divisis, tandem Marsiliam venerunt, que vicina est portui ad Aquas Mortuas. Sed regem Francie cum suo comitatu non comprehenderunt,
Iun. 24. quia ipse per litteras suas promiserat usque ad festum sancti Iohannis baptiste se adventum Frisonum expectaturum, et tunc eis non venientibus itinere suo ad terram sanctam procedere properabat. Sed medio tempore recepit litteras a domno Karolo rege fratre suo, quod soldanus Babilonie misisset exercitum in Affricam versus Tunnisium, qui cum Affricanis eum in itinere impugnaret, et quod illo exercitu apud Tunnisium expugnato faciliter Egiptum intraret et Babilonie regem expugnaret, quia etiam equestri agmine de Affrica posset intra quatuor dies in Egiptum pervenire. Preterea per quosdam Predicatores recepit litteras, quod rex Tunnisii iam catholicam fidem recepisset et paratus esset hoc publice profiteri et baptismum recipere, si posset a christianis contra proprios subditos defendi.

Hiis causis inductus rex Francie in Affricam transivit cum tribus regibus et aliis multis principibus, qui eum comitabantur, et[b] circa litora Tunnisii, ubi fuit antiqua Cartago[b], castra posuit. Est autem Tunnisium nunc metropolis tocius Affrice loco Kartaginis magne, sed paulo longius a litore maris edificatum. Quia inter Tunnisium et litus maris adhuc apparent quedam vestigia murorum antique Kartaginis olim a Scipione Affricano destructe, qui ab eventu nomen accepit, quia Affricanos vicit et Kartaginem, quam olim Dido de Tiro veniens edificavit, destruxit[c]. Ibi[d] prefatus rex cum principibus et universo exercitu,
* col. 178. ut predictum est, litus ascendens, statim contra paganos bellum commisit. *Rex autem Babilonis, qui est dominus tocius Asie preter Indiam et Armeniam, ut predictum est, miserat exercitum suum in auxilium Affricanorum, malens ibi cum Affricanis progressum

---

a) paricide 2. b) et — Cartago *atram. nigriori in margine suppleta, in textu prius* et contra Tunnisium, *quae nunc deleta sunt* 1. c) *in marg.* 1. d) Ibi — christianorum occisis *des.* 2.

55) Fratres Praedicatores Iacobitae appellabantur eo quod eis primitus aedes S. Iacobi Parisiis data est ad mansionem. 56) Aigues-Mortes. 56*) Zwin portus prope Sluis. 57) Margaretha.

peregrinorum impedire, quam in terra sua cum eis dimicare. Inito igitur bello, Dominus
inopinabiliter contra innumerabilem populum paganorum regi Francie ac suis conperegrinis
dedit victoriam, et ceciderunt de exercitu paganorum fere quinque milia, aliis in fugam
conversis et in civitatem se recipientibus, paucissimis de exercitu christianorum occisis.
Postea christiani obsederunt civitatem aliam, que dicitur Cartago parva[a], non longe a Tun-
nisio in litore maris positam, et eam optinuerunt, quibusdam civibus inde clam fugientibus,
aliis vero occisis. Invenerunt autem christiani in eadem civitate non modicum frumenti in
puteis absconditum et etiam terre infossum. Relictis vero ibi militibus, qui civitatem contra
paganos defenderent, rex Francie cum exercitu iterum planiciem campi inter Tunnisium et
litus maris occupavit et ibi posuit castra. Sed aqua salsa et harenosa ibidem multos cor-
rupit et ad mortem perduxit. Tanta enim ibi est salsedo maris, quod accedente calore, qui
est ibi maximus, aque in salem concalescunt, et vicinus fundus inde salcescit. Preterea de
cadaveribus non solum equorum, sed et hominum occisorum et submersorum, ex multo
calore putrescentium aer corrumpebatur, et multi peregrinorum moriebantur, quia[b] secun-
dum Galienum aer corruptus quandoque plus nocet, quam cibi corrupti. In qua corruptione
etiam domnus Lodowicus rex Francie, auctor tocius peregrinationis, et unus filiorum suo-
rum defunctus est. Huic[c] autem regi Lodowico ab omnibus perhibebatur testimonium, 1270.
quod in hac malicia temporum solus inter principes seculi inventus sit iustus et crucis
Christi emulator et inimicorum *crucis persecutor, quippe qui non solum modo, sed et *col. 179.
ante 20 annos in magno exercitu et gravissimis expensis ad terram sanctam profectus, 1248.
Damiatam forti manu optinuit, expugnato prius in litore maris exercitu regis Babilonie et
plurimis paganorum occisis, sed postea fratre suo Roberto comite Atrebatense occiso a rege
Babilonis, dum ipse sine consilio fratris montes ad pugnandum transisset et ipse in auxilium
fratris, quem adhuc vivere putabat, properaret, in descensu montis fuit captus; et sic pro
sua liberatione Damiatam restituit, addito non modico pondere auri et argenti. Sed rex
Babilonis Damiatam sic receptam funditus destruxit, ne iterum a christianis caperetur et
esset eis in refugium et obsidionem regni sui. Rex autem Francie Acon civitatem novis
muris munivit et in multis roboravit, et tunc expensis exhaustus, et fratre cum multis
militibus occiso, ad patriam revertens, ibi iudicem suum reliquit cum expensis pro defen-
sione civitatis et ecclesie transmarine, promittens se Deo auxiliante cito reversurum cum
maiori apparatu exercitus et largioribus expensis. Quod et fecisset, si non fuisset apud Tun-
nisium morte preventus. Unde merito cum apostolo possumus cum admiratione clamare,
sicut dicitur Rom. 11: *O altitudo diviciarum sapientie et scientie Dei; quam incomprehensibilia
sunt opera Dei, et investigabiles vie eius! Quis enim novit sensum Domini, aut quis consilia-
rius eius fuit?* Utrum ecclesia non fuerit tali principe digna? Sicut olim in diebus Ieremie
Iosias rex iustissimus, qui excelsa abstulit et cultum Dei renovavit et tamen pro defensione
pacis terre sue fuit occisus, quia populus iam ydolatrie assuetus, cum in publico propter
timorem iusti regis non audebat, in occulto tamen ydola coluit, et ideo Iosia rege occiso
Iherusalem fuit capta et populus in captivitatem ductus. *Et sic potest hic timeri, quod *col. 180.
forte tota ecclesia, vel ille exercitus, non fuerunt digni talem habere principem. Vel forte
transmarini non fuerunt digni talem recipere coadiutorem et defensorem propter suas
civiles discordias, quia non solum Ianuenses, qui de Ianua civitate venientes Akon civitatem
inhabitabant, et Pisani de Pisa civitate invicem discordaverunt, sed etiam illi qui dicuntur
milites Dei, videlicet de Hospitali sancti Iohannis et de domo Teutonica nec non et Tem-
plarii, debitam caritatem secundum exigentiam religionis et nomen, quod dicuntur milites
Dei, non observant, sed invicem sibi inimicantur. Unde statim eodem anno disturbato exer- 1270.
citu christianorum propter mortem predicti regis et initis treugis inter domnum Karolum
regem Sicilie et regem ac populum Tunnisii, rex Babilonis castra militum de domo sancti
Iohannis et de domo Teutonica obsedit, et optinuit castrum in Monte Forti, quod crede-
batur inexpugnabile, et habitatores[d] salva vita, auro et argento et rebus omnibus quas
secum deportare poterant preter arma, libere dimissi sunt et ad civitatem Acon pacifice
reducti. Optinuit etiam hec castra Crak, Duplicar, Meregad, Blonkacastel. Civitates vero
Cesarea, Ioppe, Antiochia prius a paganis capte fuerunt. Similiter Caiphas. Potest etiam
esse, quod Dominus iratus fuit regi Francie, quod aliquibus litteris vel relationi credidit,

[a] q. d. C. p. *atramento nigriori in marg. suppl.* 1.

[b] quia — corrupti *des.* 2.

[c] Huic — Sicilie innovavit *col.* 184 *des.* 2.

[d] *correxi;* habitatoribus 1.

1270. ut a via incepta in terram sanctam diverteret et contra Tunnisium tenderet in Affrica, cum nonnisi contra detentores terre sancte et civitatis Iherusalem ac sepulchri Domini crucem accepisset et votum peregrinationis emisisset et peregrinos de Frisia et aliis diversis terris invitasset, ut terram sanctam secum visitarent et in contemptores sepulchri Domini et civi- *col. 181. tatis *sancte in Asia pugnarent. Sed predictis litteris mutatus[a], in Affricam tendens, propositum iter sibi et omnibus peregrinis prepedivit, sicut legitur 3. Reg. 13, quod propheta de Iuda missus a Domino in Bethel ad Ieroboam, arguit eum, quod relicto Domino immolavit vitulis aureis, cum contra preceptum Domini, deceptus per pseudoprophetam senem, panem et aquam cum eo comedisset, a leone in via est occisus, sed tamen leo nec carnes eius nec asini sui devoravit, ut sic iusticia et sanctitas ostenderetur. Sic forte Dominus predictum regem in omnibus aliis actibus iustum corporaliter[b] in vita punivit, ut animam eius in celo plenius remuneraret. Sed quia secundum Augustinum inquisitio divine voluntatis insipida est, causam mortis sue illi relinquimus, cuius iudicia sunt abissus multa[57*]. Merito enim in talibus cessare debet humani sensus ebetudo, cum dicat apostolus Rom. 12: *Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*[c] et 1. Cor. 2: *Nichil iudicavi me scire* etc. et 14[58]: *Ex parte cognoscimus* etc. et iterum: *Videmus nunc per speculum*. Philipp. 3: *Ego non arbitror me cognovisse.* Ecclesiastici[d] 3: *Altiora te ne quesieris.* Prov. 25: *Sicut qui mel comedit multum, non est ei bonum: sic qui scrutator est maiestatis opprimetur a gloria.* Ecclesiast.[e] 8: *Omne, quod voluerit Dominus, faciet, nec potest ei quisquam dicere: Cur ita facis?* Potest tamen colligi ex scripturis, quod triplici ex causa iusti sepe tolluntur de mundo, qui hic videntur utiles. Primo propter suam dignitatem, quia meruerunt Apoc. 3, 4. educi de carcere huius mundi et ad gloriam Dei intrare. Apocal.: *Ambulabunt mecum in albis*[f]*, quoniam digni sunt.* Secundo propter mundi vel subditorum indignitatem, quia non sunt digni talibus habitatoribus propter suam maliciam. Ysai. 57: *Colliguntur viri misericordie, quia non est qui intelligat; a facie malicie collectus est iustus.* Hebr. 11: *Quibus* *col. 182. *dignus non erat mundus.* Tercio propter sui securitatem. Sapient. 4: *Raptus est, ne malicia mutaret intellectum eius.* Quecunque harum causarum sive cuiuscunque alterius cause Deus tam iustum regem voluerit de medio tolli, Deo relinquimus, qui novit que ventura sunt, antequam fiant.

Interim autem peregrini Frisie venerunt Sardiniam, que est insula magna et potens, et cum intenderent secundum votum suum transire in terram sanctam, Predicatores cum magna instantia hortabantur eos transire in Affricam ad regem Francie, qui adhuc vivere putabatur, ut cum eo et aliis regibus ac principibus Tunnisium obsiderent, quatinus habito ibi, ut sperabatur, triumpho, directe cum toto exercitu regum ac principum contra soldanum Babilonie aciem dirigerent. Et sic primo turbatio fuit in populo, quibusdam volentibus transire in terram sanctam, aliis malentibus sequi maiorem exercitum in Affricam, tum ut predicatoribus suis obedirent, tum quia consideraverunt, quod ipsi tanquam pauci in terra sancta modicum possent prodesse, antequam maior exercitus illuc adveniret. Et sic consilio habito tandem elegerunt transire versus Tunnisium. Quo pervenientes statim litus ascenderunt; cunque regem Francie defunctum intellexissent, de consilio Karoli regis elegerunt sibi in ducem belli domnum Henricum comitem de Lucelengburch, virum magnum et fortem ac bellicosum. Cum tamen comes Flandrie[59] multum desideraret eos in comitatu suo habere, et cum more Frisonum impatientes more Frisones accelerarent ad bellum contra paganos, qui cum multitudine innumerabili occupaverant planiciem campi inter Tunnisium et castra christianorum, comes predictus vix tardavit eos, donec suum ordinasset exercitum, et custodia ac defensio contra exercitum paganorum sibi competeret. Et tunc *col. 183. instaurato exercitu suo *venit ad Frisones et fovens eos tanquam gallina pullos, hortabatur, ne aliqua temeritate equites suos precederent, sed ipsum sequentes cum multa discretione simul in hostes irruerent cum equitibus, et sic facto impetu contra paganos, eos in fugam verterent. Et cesa magna multitudine, plurimi ex[g] eis ad vicinam aquam, que de magno mari Tunnisium influebat, confugerunt; et ibi tanti submergebantur, quot in gladio ceciderunt. Et sic Frisones ibi victoriam habuerunt satis gloriosam. Sed quia Karolus rex vidit exercitus paganorum cotidie muliplicari, non solum de Affrica, sed de Asia, immo de Sicilia, 1270. tam paganos quam etiam malos christianos, qui primum Frederico imperatori, postmodum filio suo Conrado, deinde Meinfrido principi adheserant et a facie Karoli aufugerant, et civitas Tunnisii munitissima fuit, dissimulavit contra eos ire in bellum. Ac sic Frisones more impatientes ad naves redierunt et iter suum ad terram sanctam direxerunt. Sed in via illa quam plurimi moriebantur et in mare missi sunt, quia ut videbatur de corrupto aere apud Affricam ex cadaveribus mortuorum et aqua salsa et pessima, de qua superius dictum est, non modicum fuerunt distemperati. Reliqui versus Akon applicuerunt. Sed ibi non modicum defectum experti sunt, quia patriarcha Ierosolimitanus[60] mortuus erat. Verum tamen vicarius patriarche ac archiepiscopus Tirensis, nec non et milites Sancti Iohannis et de domo Teutonica[a] ipsos honorifice receperunt cum communitate tocius civitatis. Archiepiscopus autem Tiri predicans et innovans crucem ac indulgentiam, multos secum versus Tirum adduxit, quia de paganis ibi magis imminebat periculum, quam apud Akon. Et sic quamdiu Frisones in terra illa manserunt, civitates et castra christianorum in bona pace manserunt. Interea rex Karolus cum principibus sibi adherentibus, accepta, ut dicebatur, *pecunia non modica a rege ac civibus Tunnisii, pacem cum eis ordinavit. Insuper tributum, quod rex Tunnisii cum populo suo antiquitus solebat dare regi Sicilie, innovavit. * col. 184.

---

[a] mutat^{s} 1. [b] actibus corporalibus *prius postea corr.* 1. [c] sa. ad so. 1. [d] ecc̄i 1. [e] ecc̄is 1.
[f] aſ 1. [g] *deest* 1.

[57*] cf. Psal. 35, 7. [58] immo 1. Cor. 13, 9. [59] Guido.

Anno Domini 1270. peregrini Frisonum videntes, quod propter mortem regis Francie et filii sui cum[b] corpore patris et fratris in Franciam reversionem, ut etiam de regno suo disponeret, et quod[b] nullus rex vel princeps eos in terram sanctam comitaretur vel sequeretur, quod etiam ipsi tanquam pauci et inermes non valerent contra regem Babilonis, immo contra multa regna vel gentes, scilicet Egipti, Damasci[e], Halapie et de Baldach, ubi est thronus pape paganorum, quem caliphum dicunt, pugnare, cum consilio archiepiscopi predicti et vicarii, quem patriarcha reliquerat, et magistrorum ac militum de domo sancti Iohannis et domus Teutonicorum, iter suum in patriam reflexerunt, oblata ibi pro defensione terre satis larga pecunia, licet tamen quidam prius sine communi consilio et licentia se nequiter subtraxissent. Et quia, navibus in quibus[f] venerant fere dissolutis et ibi oblatis, in diversis navibus ad[f] diversos portus Europe sunt deducti, non simul redierunt, et multi in via sunt defuncti, et quidam in Grecia spoliati[g]. Postmodum vigilia Iohannis baptiste, Iun. 23. cum rex Babilonis festinaret obsidere Tripolim cum innumerabili exercitu, princeps Tripolitanus, vir fortis et potens in armis, sed numero exercitus valde impar, constanti animo misit ei legationem, quod non oporteret eum properare ad obsidionem civitatis, eo quod ipse vellet iactare cogitatum in Domino, cuius auxilio unus[h] persequebatur mille et duo fugaverunt decem milia[60*], qui fecit mirabilia in Egipto et Pharaonem cum populo suo demersit in profundum *maris; et ideo si nollet habere cum eo soldanus pacem, ipse cum fiducia in adiu- * col. 185. torio Dei cum suo populo vellet contra eum usque ad mortem pugnare. Soldanus vero considerans audaciam suam et constanciam, nec non et fiduciam in Domino, noluit se periculo committere, sed sapienter dissimulavit, dicens, quod pro tanta virtute vellet eum in gratiam suam recipere et ipsum cum civitate sua et omnibus que ad civitatem pertinebant, liberum dimisit. Insuper tria castella, videlicet[i] Meregad, Duplicar et Crak, sue custodie commisit, que prius ipse soldanus de manu christianorum iure belli acquisierat, ita ut de illis ipsi competens pro recognitione tributum solveret. Et sic a partibus illis soldanus cum exercitu recessit.

Anno[k] Domini 1271. circa dominicam passionis Domini versus Acon soldanus cum 1271. Mart. 22. exercitu maximo applicuit, et sic cives cum magistris trium domorum et consiliariis eorum, qui dicuntur milites, non valentes nec audentes impetum eius sustinere, et timentes, ne si bello caperet civitatem, penitus eos omnes deleret ac sic in partibus illis christianitas deperiret et peregrini nullum invenirent portum securum neque refugium, pacem cum ipso inierunt, firmantes treugas usque ad undecim annos, hoc interposito, si aliquis rex potens de ecclesia terram illam intraret, et per eum bellum fieret, ipsi essent excusati. Et sic

---

a) Teutonice 1. b) cum — et quod *des.* 2; et quod *superflua sunt in* 1. e) Damasci — Teutonicorum *des.* 2. f) quibus — ad *des.* 2. g) *hic habitus litterarum aliquanto fit gracilior, sed manus et atramentum eadem* 1. h) unus — adiutorio Dei *col.* 185 *des.* 2. i) videlicet — Crak *des.* 2. k) Anno — Sonde in novalibus *col.* 190 *des.* 2.

[60] Wilhelmus I, qui obiit a. 1270. Apr. 21. [60*] cf. Deuter. 32, 30.

1271. Mai. 24. soldanus legatos eorum honorifice fecit ad se adduci, et sic ipsa die parasceues predictas treugas ordinaverunt, ita quod Aconenses cum omnibus civibus ac religiosis ibidem *col. 186. commorantibus absque tributo et omnibus exactionibus omnia *sua possiderent, absque civitatibus et castris et suis attinentiis, que soldanus iure belli acquisierat. Hiis treugis ordinandis assensit et interfuit rex Cipri[61]. Sed domnus Eduardus rex Anglie, qui adhuc ibi morabatur, graviter tulit, quia utpote vir bellicosus, ex quo illuc venerat, semper fuit paratus contra soldanum in campo pugnare, si milites de tribus domibus et cives hoc vellent admittere et eidem et regi Cipri cum suis exercitibus assistere. Ac ideo statim ordinatis treugis, rex Anglie non sine indignatione recessit. Soldanus vero firmatis treugis legatos Akonensium cum honore fecit reduci et liberam dedit omnibus christianis licentiam adeundi omnes terminos regnorum suorum et loca sancta visitandi. Et sic multi de indigenis ac peregrinis Bethlehem ac Nazareth et alia loca sanctorum visitaverunt; sed sepulchrum Domini pauci visitabant, quia hoc sub pena excommunicationis fuit prohibitum, ne per oblationes, quas christiani ibi faciebant, et diversa telonea inimici crucis Christi ditarentur et fideles detrimentum paterentur.

Eodem anno Dominus, qui per suam misericordiam innovat signa et immutat mirabilia[62], duo gloriosa miracula operatus est in medio nostri, et digna memorie posterorum commendari. In Florido Orto quedam beggina satis devota nomine Briuthwa, que[a] ad dimidium annum usum loquele amiserat, penitus muta effecta, dum infra canonem ad sepulchrum domni Emonis abbatis cum gemitu et lacrimis oraret, infra elevationem hostie meritis et intercessione predicti patris et sue fidei constantia iuxta eius sepulchrum usum loquele recuperavit ac Deum voce publica benedixit et suo benefactori libera voce gratias egit. Eodem etiam anno, dum corpora reverendorum virorum, videlicet Emonis fundatoris *col. 187. *Campi Rosarum et domni Evonis, qui multo tempore fuerat prior ibidem, de loco lignee capelle in novam ecclesiam transferrentur, fuit ibidem puella sanctimonialis, virgo, que duos annos et dimidium fuerat muta, dum per septem dies a translatione ipsorum cotidie cum lacrimis et gemitibus eos ambos imploraret et omnes sorores cum ipsa supplicarent, octavo die, dum infra vesperas et cenam conventus ad ostium ecclesie cum fletu et planctu sola oraret, usum loquele plane recepit; et currens ad conventum sororum, que fuerunt in cena, libera voce clamavit: *Agite gratias Deo et patribus nostris in ecclesia sepultis, quod solutum est vinculum lingue mee, et ecce loquor libera voce.* Sorores autem omnes de mensa exilientes, cantando *Te Deum laudamus* in chorum ascenderunt. Quedam vero pre gaudio flentes Deum benedixerunt, qui facit mirabilia magna solus[b] et est mirabilis in sanctis suis[63], qui per servos suos mirabilium suorum signa etiam in nostris temporibus dignatus est demonstrare. Eodem etiam anno in Orto sancte Marie quedam femina paupercula, toto contracta corpore, ad sepulchrum domni Siardi, eiusdem loci tercii abbatis, est sanitati omnium membrorum restituta, cum prius per revelationem inter signis manifestis ei hoc fuisset ostensum, quod ad sepulchrum huius patris esset sananda. Hic siquidem pater triginta et tribus annis ecclesiam Orti sancte Marie gloriose rexit et eam in spiritualibus ac temporalibus mirabiliter ampliavit, se nichilominus in ieiuniis, vigiliis et laboribus non modicum affligendo. Unde sancta conversatione sua non solum suam familiam, sed et multos in vicinis locis ad Dei servicium provocavit. Unde non solum hoc miraculum, sed et alia diversa ad eius sepulchrum contigerunt. Hec miracula Deus in nostris temporibus *col. 188. ac multa alia per hos reverendos patres ac alios Deo *servientes et se ac familiam sibi creditam sollicite custodientes et sollicitudinem pro terra sua et tocius ecclesie cum instantia cotidiana fideliter gerentes, verbo et exemplo multos erudientes[c], secundum illud Daniel: Dan. 12, 3. *Qui docti fuerint, quasi splendor firmamenti erunt, et qui erudiunt multos, quasi stelle in per-* Matth. 28, 20. *petuas eternitates,* ut Deus per tam reverendos patres impleat, quod per se dixit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi,* quatinus sic gloriam sibi servientium etiam in hoc seculo manifestet et alios ad imitandum invitet.

1271. Sept. 1. Anno Domini 1271. electus fuit ad sedem apostolatus Romane ecclesie Gregorius X, cum esset in terra sancta peregrinus in comitatu domni Eduardi regis Anglie, cum vacasset sedes per tres annos et duos menses. Eodem enim anno predictus iuvenis rex Anglie, patre[64] adhuc vivente, post discessum Frisonum cum honesto comitatu terram sanctam

---

a) *atramentum fit paulo pallidius* 1. b) mag. so. 1. c) *supplendum* operatus est.

61) Hugo III. 62) Cf. Eccli. 36, 6. 63) Cf. Psalm. 71, 18. 67, 36. 64) Heinrico III. rege.

adivit, rege Cipri sibi in itinere associato. Hii parati erant contra regem Babilonis pugnare; 1271. sed fratres de tribus domibus dissuaserunt, asserentes quod impetum magnitudinis exercitus sui non possent sustinere.

Eodem anno archiepiscopus Coloniensis fuit de captivitate comitis Iuliacensis liberatus. Eodem anno orientales Frisones de Emesgonia ac terra Hreidensi cum illis de Aldaombechte[65] confederati, domos decanorum suorum destruxerunt et combusserunt. Principium huius seditionis fuit inter Walbertum Eppenga et Hrodbernum, qui puero suo adhuc puerulo optinuerat ecclesiam in Fermesum cum decanatu adherente post mortem domni Sicconis et filii sui Geikonis ac nepotuli. Walbertus enim[a] *primo suscitavit universitatem * col. 189. in Aldaombechte contra episcopum et decanos super exactione bannorum, qua universitas gravabatur, et sic attraxit sibi Herewardum Luscum. Quo mediante omnes Hreidenses et tandem Emesgones simul conspiraverunt, quia quidam eorum decani satis immoderate homines in bannis affligebant; et ideo domos eorum destruxerunt et eos de terra depulerunt, licet ipsi filios suos eis dedissent obsides, quod prudentium virorum de ipsis terris parerent ordinationi. Deinde homines de predictis terris tribus concurrentes, domum Hrodberni obsederunt. Sed illa cum propugnaculis ita fuit vallata, quod eam capere non potuerunt; imo per strennuos viros, qui eam defenderunt, 16 viris ex eis occisis, vacui sine honore recesserunt. Et tunc confusi et erubescentes, quod ipse solus cum sua parentela tribus terris resisteret, causam illam in universitatem Fivelgoniae converterunt. Sed cum Snelgerus de Skiramere et alii nobiles cum consulibus requirerent a Hrodberno et suis cognatis, si vellent universitati cavere de indempnitate, si bellum ingravesceret et universitas Fivelgonum defensionem terre sibi assumeret, si hostes irruerent, ipse sano usus consilio noluit sibi tantum periculum assumere et se ac parentelam suam depauperare; immo pocius domum suam lapideam eis reliquit destruendam; et sic delatis omnibus armis et suppellectilibus per ipsum Hrodbernum[b] ad loca secura domus est destructa. Domnus autem Gerardus episcopus Monasteriensis videns iurisdictionem suam et suorum officialium annichilari, pro evidentia patrati sceleris interdictum generale promulgavit, quod sacerdotes eorum plurimi satis stricte observaverunt, preterquam in Aldaombechte, quia *Walbertus * col. 190. et sui complices non solum sub optentu beneficiorum, sed etiam sub pena proscriptionis coegerunt plebanos eorum celebrare, assumentes sibi in argumentum excusationis, quod plurimi decani contra iura patribus successissent absque dispensatione sedis apostolice, et maxime quod essent paterne incontinentie imitatores; insuper quod pueris nondum doli capacibus[66] beneficia et decanatus ab episcopo conferrentur, et alia diversa de immoderatis bannis. Quorum quedam suo loco proposita rationem viderentur habere, quia talia sedis apostolice auctoritate ordine iudiciario sunt proponenda et dirimenda, non per violentiam laicorum corrigenda. Sed ipsi minime attenderunt, quod sepe utile viciatur per inutile, cum omnem vocem in iudicio sibi per predictam violentiam preclusissent, cum spoliatus ante omnia sit restituendus, et invasores rerum ecclesiasticarum ipso iure sint excommunicati, nec eis pateat aditus iudicii, nisi prestita cautione, quod lesis competenter satisfaciant. Preterea ad augmentum presumptionis quedam statuta contra ecclesiasticam libertatem ediderunt, cum dicatur Extra[c, 67] *De sententia excommunicacionis*[d]: *Novit, quod statutarii et scriptores statutorum, nec non et potestates, et consules, rectores et consiliarii, huiusmodi statuta vel consuetudines edentes vel servantes contra ecclesiasticam libertatem, ipso iure sunt excommunicati.* Exitus autem huius cause suo loco describetur[68]. Eodem anno cepit accrescere fames et ovium pestilentia propter iugem pluviam trium annorum.

Anno Domini 1272. obiit domnus Gerardus, episcopus Monasteriensis bone memorie 1272. Aug. 11. et sui episcopatus strennuus defensor. Qui castrum in Liudenghusum[69] destruxit propter eorum rapinas; castrum etiam in Horstmere[70] sancto Paulo et ecclesie Monasteriensi

---

a) *post hoc quinque lineae erasae, a scriptore ipso quidem, qui litteris huc illuc per spatium ita natum ductis indicare voluit, hic nil deesse* 1. b) H. c) ex 1. d) excō 1.

65) Oldamt. 66) i. e. qui dolum seu fraudes hominum nec cognoscere nec vitare valent. 67) V, 39, 49. 68) Huius rei infra nusquam fit mentio. Controversia vero, iam mortuo Menkone, plane quidem sedata est a. 1276. Mart. 18; v. chartam datam ab abbatibus Frisiae, inter quos O[ugerus] Floridi Horti, apud Niesert, Münster. Urkundenbuch I, 74 (Driessen III, 433). 69) Lüdinghausen in Westfalia. 70) Horstmar.

1272. optinuit. Eodem anno destructum fuit castrum novum iuxta Eskathorp post mortem predicti pontificis. Eodem anno stabilitus fuit aqueductus in Sonde in novalibus. Eodem * col. 191. anno[a] fuit maxima *fames in Frisia et per totam Westfaliam, et mortalitas ovium. Multa enim Frisonibus et maxime orientalibus a Fivelgonia usque ad orientem eo anno ad augmentum famis accesserunt incommoda. Primo quia per peregrinos terra fuit evacuata argento; secundo quia propter nimiam pluviam per quatuor annos nimis modicum creverat frumentum, et maxime in Silvis, ubi aliis temporibus solebat abundare; nec etiam in Threnthia, nec secus Emesam, nec alicubi ad emendum inveniebatur, nisi in Datia et Slavia, ubi[b] Dominus, qui irascitur et miseretur, dedit magnam copiam frumenti, ut saltem alicubi inveniretur, unde creatura Dei sustentaretur, quia ipse dat iumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum[71]; tercio quia in odium Emesgonum et Hreidensium propter suam inobedientiam domnus episcopus nundinas secus Emesam interdixerat, et ita Frisones non poterant pecora vendere nec necessaria comparare cum butiro, caseis et equis, cum pecuniam non haberent, nec cum aliquibus rebus possent habere; et illi de Datia et de Slavia pecora eorum et similia non curabant, sed solam pecuniam sitiebant. Insuper iudices eorum in quibuslibet civitatibus interdixerunt, ne frumenta de terris illis deportarentur. Et sic mercatores tardaverunt, donec ab ipsis iudicibus mediante pecunia quasi secundo emeretur. Unde[c] Dominus iustus iudex, quia ipsi conservis suis non compatiebantur, eodem anno cepit eis retribuere retributiones, quia cum in terris illis estivales fructus tarde soleant Iun. 5. seminare, scilicet[d] post festum sancti Bonifacii, circa tempus illud tanta increvit siccitas, quod fere omnes fructus estivales perierunt. Et sic impletum est, quod scriptum est . . .[e] [72]: 1273. *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis;* quia statim anno sequenti tanta facta est penuria, quanta prius habundantia. Dicit enim beatus Gregorius, quod Dominus, cuius sapientie non est numerus, de consilio prudentie ut nulla terra omnibus necessariis habundet ordinavit, ut sic mutuam pacem inter se observent; sed quandoque una terra, quandoque * col. 192. altera pane habundat, *altera indiget, et que prius indiguit, postmodum habundat, ut sic sibi invicem subserviant. Quia statim sequenti anno mercatores ceperunt fabam de Frisia in Datiam transvehere, quia illa eo anno in Frisia fuit prosperata. In Grippeswalda, ubi iam multis annis frumenta superhabundaverant, eo anno summa fuit egestas, sicut contigit in diebus Iacob et Iosep, ut terra Chanaan, que pre omnibus terris solebat frumento et vino et oleo habundare, egeret, et Egiptii per prudentiam et merita Iosep habundarent. Quarto etiam aucta est penuria, quia iam septem annis de loco ad locum serpserat pestilentia pecorum, et plurima moriebantur. Istis vero duobus annis fere ubique moriebantur oves, et ideo non poterant homines famem lacticinio sublevare, sicut quandoque solebant. Et sic Iun. 12. tantum fuit fames aggravata, quod modius magnus ad tempus circa pentecosten vendebatur pro 18 solidis sterlingorum[f] paratorum denariorum ad manum, in Menterawalda unus modius pro 4 marcis sterlingorum ad inducias anni. Ipsi enim immoderatas accipiunt usuras, ita ut pro una marca ad manum accipiant quatuor post annum, pro[g] uno modio quatuor post annum; et ideo verisimile est, quod idcirco laboraverunt enervare iurisdictionem spiritualem, ut usuras suas libere possent exercere. Predia etiam eo tempore quasi nullius erant precii, maxime in locis humilibus, ut in Waltersum et eorum confiniis propter submersionem avene; nec inveniebantur emptores propter defectum pecunie. Ideo tantum invaluit fames, quod multi fame moriebantur; et[h] plurimi essent morituri, si claustrales eis non subvenissent. Multi enim religiosi, sane sapientes et in Domino cogitatum iactantes, elemosinam auxerunt, timentes illud Augustini: *Si videris fame morientem, et non pavisti, occidisti.* Et qui hoc fecerunt, Deus eis melius in suis necessariis providit. *Qui enim,* ut ait Augustinus, *decimas vel elemosinas dant propter Deum, quadrupliciter remunerantur,* * col. 193. *habundantia fructuum, sanitate corporis, indulgentia peccatorum et regno celorum.* *In hac caristia plurimum angustiati fuerunt Silvani, et maxime in Astawalda et in Broke propter humilitatem agrorum, et ideo non pauci confugerunt ad villas, quidam mendicando, quidam etiam quasi pro solo victu serviendo, licet prius habebant proprios agros ad colendum;

---

a) Anno Domini 1272. *leg.* 2. b) ubi — invocantibus eum *des.* 2. c) Unde — Iosep habundarent *col.* 192 *des.* 2. d) sȝ 1. e) *ita* 1 *spatio relicto ad citandum librum, cuius, cum hoc scriberet auctor, non novit nomen.* f) soŕ. sterŕ. 1. g) pro — possent exercere *des.* 2. h) et — regno celorum *des.* 2.

71) Psal. 146, 9. 72) Proverb. 11, 26.

quia cum Silvanis non prosperatur siligo, nec ad pecora, nec ad lacticinium habent refugium. Multi etiam tam de Frisia quam de Threnthia patriam exierant, sperantes se alicubi meliorem invenire sustentationem. Nonnulli etiam de urtica et tribulis et lolio[72] miseram vitam utcunque sustentabant, maxime[a] tamen de lanceola, id est sude[73], quia Dominus, qui in ira sua non solet misericordie oblivisci, sepius in caris annis permittit lanceolam in pratis et pisces in mari ac precipue conchilia menarum[73] plus solito abundare. Sed in illa estate paulo melius prosperata fuit annona, licet vernalis[b] pluvia prohibuit[c] agriculturam, quia 1273. eo anno ad cathedram Petri ceperunt homines arare ac seminare, et ideo competenter fuit Febr. 22. prosperatum. Postmodum circa Gregorii, cum potissima est agricultura, increvit pluvia, Mart. 12. et fere per septem ebdomadas. Et tunc quicquid proiectum fuit in lutosos agros modicum fructum attulit seminanti, et sic prime sationis fructus melius fuerunt prosperati. Eodem anno in autumpno cepit oriri mortalitas, et quidam etiam subitanea morte moriebantur.

CONTINUATIO.

1278. Aug. 26. Anno[d] Domini 1276. Rodulphus rex Alemanniae pro inobedientia regis Boemiae ipsum bello aggreditur, in quo rex Boemiae victus occidit. Regnum suum haeredibus confertur. Folkringones et Gardringones de Menterna[74] pugnantes centum viros exceptis quinque occiderunt. Fratres maiores in Winsum[75], alias Iacobitae aut Praedicatores, in casa locum habitationis ceperunt sibi praeparare. Domnus[e] abbas Meyncko praedictus ad mandatum domni Praemonstratensis et diffinitorum studium puerorum transtulit ad parochialem ecclesiam Emetha[76]. Collatio beneficii in Uthusum[f] ante mortem dicti patris facta fuit ecclesiae Floridi Horti cum omnibus attinentiis per dispositionem domni Enardi sacerdotis, qui tunc temporis verus pastor fuit ecclesiae praedictae, homo nobilis et in omni conversatione vitae suae devotus et honestus, et quia frugem melioris vitae desideravit et dilexit, solus noluit venire, sed gregem commissam[g] sibi secum adduxit et in ecclesia praenominata vixit.

Anno Domini 1283. domnus Everardus Monasteriensis episcopus venit ad partes Frisiae 1283. causa visitandi et ad corrigendos subditos suae diocesis secundum consuetudinem antiquam et approbatam. Cumque Usquert devenisset, accessit ad eum domnus Oudgerus[h] abbas Floridi Horti petens humiliter confirmationem et investituram[i] in ecclesia Uthusum, quae[k] sibi et conventui suo a veris patronis eiusdem ecclesiae absque prece et precio ante introitum venerandi patris in Frisiam canonice fuerit collata. Sed iuvenis quidam iuris peritus Menolphus nomine, tali petitione audita, ex instinctu quorundam surrexit et, accepta licentia loquendi, huiusmodi collationem rationibus quibus potuit allegavit a domno episcopo minime admittendam sed potius irritandam, tum quia patroni non concordarent, tum quia regula beati Augustini non permitteret, canonicos suae professionis secularia beneficia possidere. Affirmavit etiam, nulla privilegia esse eis ad hoc a Romanis pontificibus indulta de iure communi, et rationes apposuit pro libitu suae voluntatis ad confusionem petitionis abbatis, licet minus rationabiliter et iuste, tamen petitionem abbatis sine effectu protraxit. Nocuit enim domino Floridi Horti, quod patrocinio defensionis in illo loco non fuerat munitus.

---

[a] maxime — fuerunt prosperati *des.* 2. [b] vernat 1. [c] *ita seu* prohibente *scripsisse videtur; sed iam fere evanuerunt litterae* 1. [d] *cod.* 2, *nullo spatio relicto, nec inscriptione addita pergit.* [e] Domin. *cod. semper.* [f] Wthusum *cod. saepius.* [g] commissum *cod.* [h] *seu* Ondgerus *cod.;* Oudgerus *M. H.* [i] investuram *cod. sic et infra.* [k] qui *cod.*

[72] Haec sunt plantarum genera. [73] Piscis genus. [74] Termunten praepositurae Farmsum. [75] Winsum in pago Hunesgo ad fluvii Hunse flexum. [76] Westeremden in Fivelgo.

1283. Episcopus autem tactus consilio suorum, Lopperssum diem partibus praefixit. Cumque in dictum locum venissent episcopus et sui, adfuit et magister Menolphus allegans in synodo, ecclesiam Uthusensem vacare et ex protractu temporis ius electionis ecclesiae ad domnum episcopum devolutum, quia patroni ecclesiae suo tempore non elegerunt, cum collatio fratribus in Werum facta propter rationes praedictas de iure subsistere non posset. Huiusmodi rationibus finitis, surrexit magister Wiardus, qui tempore illo super omnes clericos et magistros terrae Frisiae scientiae et facundiae donis imbutus quam plurimum pollebat, et allegata praenominati magistri multis iuribus, audientibus omnibus, patenter evacuavit, docens praeclare, ordinem Praemonstratensem super omnes ordines de iure ecclesiastica beneficia posse recipere. Habuit et rationes de privilegiis ordini concessis, praeponens articulum de privilegio Urbani quarti, qui talis est: *Canonici viri*[a] *ex nostra indulgentia speciali possunt ecclesias parochiales, habentes curam animarum, impetrare et impetratas per nostram licentiam officiare.* Et sic cavillationes praedicti oratoris in tantum enervavit[b], quod de praedictis paulatim loqui cessaret. Advocatus domni abbatis humiliter nomine abbatis et conventus petiit a domno episcopo quod fuerat petendum. Sed domnus episcopus non ita benevole iustam petitionem exaudivit, sicut allegata patienter audivit. Et ideo protelationis causa partes usque Fermesum protraxit. Ibidem vero cum advocatus abbatis petitionem suam nomine abbatis emissam per iura et argumenta declararet esse admittendam, et Meynco et Godescalcus[c] ac Ayboldus fratres dicti Aybadamam, viri nobiles et discreti, tam de se ipsis quam de aliis veris patronis dicerent constanter, donationem beneficii per ipsos factam abbati et conventui praedicto nulla de causa immutandam[d], dummodo ipsis vita et res ad defendendum huiusmodi violentiam remanerent[e]. Dicebant enim in facie episcopi, quod non consulerent alicui presbytero, quantecunque authoritatis esset, qui mitteret ipsum, ut veniret ad ecclesiam eorum tali voluntate, ut eam officiaret tanquam suam. Et ista propterea dicebant, quia secreto intellexerant, quod in recessu proposuerat ad officiandam ecclesiam eorum clero committere in confusionem abbatis et sui conventus ac simul eorum warandorum[77]; et de isto articulo fuit valida praesumptio in episcopum et suos[f], quod ob vindictam dilationem quaererent[g] unquam, quia praelati Frisiae et diocesis, audito quod ipse adventaret, dextras ad invicem dederunt in signum foederis, quod nullus eorum sine communi notitia et consensu alterius dictum patrem colligere deberet, et hoc per immoderatas expensas, quas minus rationabiliter per suos fieri procurabat in domibus religiosorum. Religiosi etiam in Hunesgonia per coertionem brachii secularis prohibitionem fieri sub quadam pena contra in huiusmodi facto delinquentes statuerunt. Sed verba antiquorum proinde rarissime falluntur, de quibus unus legitur sic dixisse: *Quaere fidem, et non invenies, fraus regnat.* Nam monachi de Aedwert, qui super alios religiosos in Frisia divitiis gaudent, pactum fidei infregerunt, mittentes qui domnum episcopum cum suis de villa Baflot[78] ad claustrum eorum invitarent. Quo facto reliqui socii et praelati licet confusi aut ipsum receperunt vel in parata pecunia ratione procurationis ei competenter satisfecerunt. Nec ex hoc beneplacitum ipsius et suorum plenarie sunt consecuti, quia saepissime altius ascendunt iniuriae et remanent ad vindictam in corde aliquorum, quam remuneratio boni operis, quod ex bona voluntate et conscientia procedit. Sed, constantia horum fratrum et eorum complicium audita, Monasterienses propositum sive intentionem callide palliabant, et domnus episcopus commisit huiusmodi causam suo offficiali magistro Henrico in recessu terminandam. Dissentiones hic ibi subortas quantum in ipso fuit[h] subtraxit, sicut in parochiis Waltersum[79], Gershusen[80] et Suthabroke[81] rei eventus demonstravit. Ubi beneficia clerici discordantes in malificia propriae salutis converterunt. De beneficio Uthusum[i], quia tam cito nihil lucri adfuit, in postsynodo Loppessum abbatibus domno Folcardo de Rotthum et domno Menardo de Thiasingacloster[k.82] una cum decano Alberto in Loppersum per litteram[l] suam commisit, ut ad praenominatam ecclesiam accederent et voluntatem singulorum warandorum intelligerent et prout verius ac melius possent Monasterii[a] post ipsum mitterent in scriptis, sigillis suis appensis. Qua commissione sic facta, turbatio litigii praedicti modicum cessavit. Sed Henricus ad suam voluntatem officialis non solum curiae Coloniensis verum et Monasteriensis effectus, sequenti anno in 1284. infirmitatem incidit, in qua fortior solito factus et sui minime compos mortuus est. Nec fuit qui adiuvaret; sed tum dominus Floridi Horti propter alia impedimenta ecclesiae suae non ita fervide causam commissam modo praedicto, ut decuit et litteram[b] commissionis habuit, finaliter studuit terminare.

---

[a] vero *H.* [b] enarvavit *cod.* [c] Gedescalcus *cod.* [d] immutandum *cod.* [e] remanarent *cod.* [f] praesumptio et suos *cod.; pro* suos *coniecit* suspicio *M. H.; ego* in ep. *supplevi.* [g] quaereret, *omisso verbo* unquam *M. H.* [h] in fuit ipse *cod.* [i] Wthusum *cod.* [k] Thiasingaclaster *cod.* [l] litera. *semper cod.*

[77] i. e. patronus, vindex. [78] Bafflo in Hunesgo. [79] Woltersum ad meridiem Floridi Horti. [80] Garshuizen praepos. Loppersum. [81] Zuidbroek praepos. Farmsum. [82] Monasterium ord. S. Benedicti, hodie Thiessinge haud procul a Groninga ad orientem.

Anno Domini 1284.[c] frater Folcardus novus abbas electus misit nuncios ad abbatem de Rotthum et Thiasengecloster[d] et ad decanum Albertum, petens instanter ut mandatum officialis eis adscriptum adimplere vellent[e]. At illi annuerunt. Et sic die statuto festo beati Nicolai episcopi una cum domno Alberto decano, qui fuit vir magnae discretionis et com- Dec. 6. petentis litteraturae, in negotiis ecclesiasticis et secularibus valde tritus, duobus monachis ex parte abbatis adiunctis, Uthusum pervenit. Ibi quia, voluntate singulorum warandorum perscrutata, omnes concorditer absque omni prece[f] et precio in domnum abbatem et conventum Floridi Horti consenserunt, uno tantum Bolone[g] Frouuekegma excepto, qui quantum potuit reclamavit propter metum decanorum in Usquert[h]. Aliqui mediocres tacebant, quibus ipsi damnum pro huiusmodi electione affuturum dicebant. Fuit tamen voluntas eorum cum pluribus permanere. Cumque plura obstacula praedictae donationi non occurrerent, conscriptis litteris, quibus fuerat necesse, et sigillatis sigillis praedictorum duorum, detulit secum Monasterii. Benedictione itaque festo conversionis apostoli in ecclesia sancti 1285. Ian. 25. Martini per manus impositionem domni Everardi episcopi benevole et devote accepta, omnia instrumenta super collatione Uthusumensis[i] ecclesiae ad mandatum domni episcopi ad manus domni Henrici cantoris ad Sanctum Paulum et Gerardi officialis Frisiae et bullarii domni episcopi dimisit examinanda, et sic, licentia domini accepta, sine omni perturbatione satellitum, qui novos praelatos spe lucri saepissime conturbant, curiam domni episcopi exivit et feliciter est reversus. Post mensem vero domnus episcopus misit duo paria litte- Febr. rarum per manum Harmanni Buzel[k] domno abbati et conventui Floridi Horti, unum de iure patronatus, aliud de investitura[l]. Anno eodem fuit hyems humida, et cataractibus[m] apertis recens aqua superabundavit et superexspaciata est planiciem terrae in tantum, quod homines prudentes assererent infra quinquaginta[n] annos nunquam sic aquam pluvialem increvisse, pestilentia autem eodem anno sacerdotum maxima, nam infra 15 septumanas quadraginta duo moriebantur. Lubeck eo temporis incendiis devastatur. Isto tempore[83] conflagratum est Hamburch in tantum, quod domus lapideae ceciderunt ignis ardorem non sufferentes. Perierunt et tunc in salario cuiusdam domus lapideae centum personae utriusque sexus. Naves in aquis ardebant et pontes comburebantur, nec fuit qui possit adiuvare. Motiva autem causa incendii fuit braxatio cuiusdem pauperis.

Anno Domini 1280. iam[o] incepto scrupulosa questio in terra Fivelgoniae oritur de con- 1280. sulatu, quam dignitatem quilibet habere voluit, etiamsi nihil iuris in ea in illo anno habere dignoscebatur, inter quos omnes principalis fuit Ebbo et sui. Nam carnali fratri suo Rodmaro, cui competebat huiusmodi potestas, auferre conatus est eam, sed non praevaluit. Inter cives Forenses[p][84] contradictionem sibi procuravit contra Adulphum de Tukawerth[85] per quendam Tadeconem Rembrechta, qui minime haec attentasset sine[q] instinctu praedicti laici Ebbonis, nec et habuit effectum, sed fomitem controversiae inter nobiles generavit, quod ad infelicem exitum deductum est die dominico, qui vocatur a vulgo skeynesmandeig[86], qua civile ius per novos iurantes consuetum est ab antiquo novari in terra Fivelgoniae; sed tunc omnino dissipatum est. Nam die praenotato non in Foro sed in Hechissel[87]

---

[a] Monasterium *H.* [b] *sic cod. H.;* litera *M.* [c] *correxi;* m.cc.lxxx° *cod.;* 1284 *Hugo.* [d] Thiasengeclaster *cod.* [e] *correxi;* vellet *cod.* [f] praece *cod.* [g] Balone *H.* [h] Wsquert *cod.* [i] Wthusmesis *cod.* [k] Busel *H.* [l] investura *cod.* [m] caractebus *cod.* [n] quinquagintos *cod.* [o] A. D. M.CC. iam *cod.;* 1280 *M. H.* [p] forensis *cod.* [q] sini *cod.*

[83] a. 1284. Aug. 8. v. Lappenberg, Hamburg. Chroniken 235 et Detmarum h. a. [84] Cf. supra p. 499 not. 46. [85] Tuukwert iuxta flumen Fivel infra Appingadam situm. [86] Hanc vocem significare *diem lunae lucentis* autumat vir d. Acker Stratingh in Bijdragen tot de geschiedenis van Groningen VI, p. 51 sq. Fortasse erat dominica post pentecosten; v. ibid. p. 52 not. 2. [87] *Heektzijl*, i. e. obicem rivuli Heekt, hoc significare vult Stratingh l. c. p. 54.

1280. convenerunt; ibique hinc inde aciebus directis, cum quinque religiosi et probi seculares ad concordiam inducere non possent potentes utriusque, auditus est clamor talis: *Pugnemus et defendamus nos,* et statim rapido impetu commissum est praelium, et fugatus est Ebbo et sui in ore gladii, nec est inventus dignus honore die illa, quia sicut Ebbo fuit causa motiva totius mali, sic etiam primus fugit[a] inter fugientes. Unde omnis multitudo per eum in fugam convertitur. Quidam Wirthum[88], quidam Enum[89], alii etiam Emetha timore perterriti currebant, et dispersi sunt, vulnerati sunt et infinitis vestibus spoliati. Multi etiam nobiles de societate Ebbonis laici in pauperrimis domibus circa aggerem latitabant cupientes effugere manus pugilis Roberni[b] et Adulphi et sociorum suorum, qui quasi leones ferocissimi singulos et universos partis adversae insequebantur. Et tunc in coemiterio Thiadmewt[c][90] occisus est quidam nobilis de Henwerth[d] nomine Focco per manum Adulphi. Occisi sunt et alii quinque in modica hora diei. Et sic ex tunc multiplicata sunt mala in terra.

1280. Anno Domini 1280. Hunesgones arma receperunt. Isti Hunesgones antea ad duos annos arma deposuerunt in tanta voluntate, quod nihil in manibus nisi virgas portabant. Debuit autem pax ista durare ad quatuor annos, secundum quod omnes masculini sexus, dummodo duodenus fuisset, coniurarant. Sed contentio, quae fuit de consulatu inter Duerdeconem de Kaldabera et iuvenem Eysonem Gerbranda eos fecit periuros, et subsequutum est bellum amarum, in quo occisi sunt primo Duerdeco[e], postea Eyso, per quos primo discordia mota fuit, et alii nobiles quam plures, ut Eppo Hoyckna, Pevo[f] Poptta, Rentho Nam, Sehelto de Werffhusum[g], Osdo et Hayo, et eorum complices. Grangiam conventus de Merna in eadem parochia manu armata invaserunt, auferentes frumenta et alia commestibilia de domo lapidea, quam et corruere fecerunt, muro subfosso et conversis vulneratis ac quibusdam fugatis, nec aliquam rationem pro se habuerunt, nisi quod timerent, ne inimici eorum monachis nescientibus domum possiderent in eorum confusionem. Gotescalcus[h] et Aylbodus fratres in Uthusum[i] manu hostili grangiam conventus[k] de Rotthum, quae grangia fuit in agro, invaserunt ac omni frumento ac aliis utensilibus[l] spoliaverunt, pro eo quod monachi dicti duas praebendas denegarent eis, nolentes fateri, quod pater dictorum fratrum conventui illas contulisset.

1285. Nov. 11. Anno Domini 1285. pluvialis aqua valde terram implevit circa festum Martini hyemalis, trans Laycam recens mare intumuit et, aggeribus confractis, bis occidentalem Frisiam Dec. 25. spatio interposito superexspatiata est. Postea die nativitatis Christi cum frigore intollerabili congelatio aquarum subsecuta est cum nive et grandine intermixta. Contigit et tunc temporis homines propter intollerabile frigus inter silvas et villas in pascuis mori. Fuerunt et tunc aquae congelatae in tantum, quod solidum iter itinerantibus trans Laycam praeberent, intrantes[m] per paludes et nemora. Ubi prius ad centum annos nullus viam quaesivit indubitanter, cum curribus pertransibant. Trans Emesam prope Oterthom[91], Longene et 1286. Febr. 22. Knocka cum equis homines in glacie solidum iter carpebant. Nec fuit mirum, quia ad Mart. 12. festum Petri cathedrae gelavit et pluvialis aqua est subsecuta usque ad festum Gregorii. Et sic quicquid in autumno tritici aut[n] hordei fuerat seminatum deperiit omnino. Gregorii papae cum agricultura deberet esse potissima, per gelu, quod de mane[o] fortiter terram corripuit, tardati sunt agricultores, et pabulum iumentorum etiam in villis, etiam ad greges pascendos, non poterat inveniri propter aestatis praecedentis siccitatem et hyemis frigiditatem subsequentis. Fuit enim fenum tanti precii[p], ut modius frumentalis bene repletus ad quatuor vel sex denarios vix emi posset. Et si maior fuit[q] .... In Daventria plaustrum feni pro decem solidis Daventriensibus vendebatur. Cum gramina nulla in pascuis crescerent, quam plures ruscas[r][92] confregerunt[s] et stramina rapientes de lectis suis, de domibus, pecudi apposuerunt, ne[t] inedia deperiret. Precium vaccae unius fuerunt sex[u] solidi sterlingenses vel octo ad maius propter defectum pabuli.

---

[a] *sic corr. eadem manu pro* fuit, *quod in linea legitur cod.* [b] *correxi ex* Roberti *cod., quia infra semper audit* Robernus. [c] Thiadmevit *M. H.* [d] Ferweth *M.;* Ferwerth *H. perperam e coniectura.* [e] diundeco *cod.* [f] Peūo *cod.* [g] Worthusia *H.* [h] Gotestalius *cod.* [i] Wthusum *cod.* [k] ꝯtis *cod.* [l] intersilibus *cod.* [m] intrantia *cod.* [n] *deest cod.* [o] manu *cod.* [p] praecii *cod.* [q] *in codice dimidia linea vacua relicta est.* [r] ruscá *H.* [s] confrigerunt *cod.* [t] nec *cod.* [u] ses *cod.*

[88] Wirdum. [89] Enum. [90] Videtur esse Tjamsweer. [91] Oterdum praepositurae Farmsum. [92] i. q. cortices.

1287. Dec. 14. Anno gratiae 1287.[a] decima[b] quarta die Decembris factum est diluvium in partibus Frisiae periculosum in homines, iumenta et res, et propter hoc famosum in tempus futurum. Aquis vero sic coadunatis et commotis, inter conticinium noctis et gallicinium libere aggeres transeunt, et omne genus hominum, quod in locis humilibus mansionem habuerat, cum iumentis, domibus, frumento, feno gurges aquarum miserabiliter[c] funditus evertens ad Silvas deportabat. Domus lapideae quam plures corruerunt. In Silvis etiam agri[d] ab ymo evulsi[e] aquis ferebantur. In locis humilibus sine obstaculo impetus aquarum paludes transivit. Nec fuit mirum, quia a tempore cuius non extat memoria in partibus istis[f] tam magna[g] salsi maris ebullitio ad mensuram quinque pedum non est visa. Et propter hoc infinita populi multitudo periit submersa. In occidente, ut sacerdotes et decani coniecerant, a Stauria usque ad Laycam triginta millia hominum submersa. A Laica usque ad Emesam viginti millia perierunt. Orientales, ut sunt Riustingi, Astingi et Herlingi, a plaga praedicta immunes fuerunt. Agri etiam eorum sationales et pascuales fructum dederunt competentem; sed in locis humilibus, ut est in Sunedeswolda[h, 1] et Sconamora, agri quam plurimum fuerunt destructi. Res mira: vir unus, lupus unus et canis et lepus in baculo ad Silvas venerunt vivi. Multi etiam qui rabiem aquarum miserabiliter[i] evaserunt. Et plerique pauperes, recedente aqua, paludes ascenderunt, construentes ibidem casas, in quibus frumentum quod ibi ab aquis fuerat proiectum triturabant. Nov. 11. Circa Martini hyemalis vacca pro tribus solidis aut quatuor vendebatur, et hoc nulla de causa, nisi quod paucissimi paucos fructus collegerant.

1288. Aug. 15. Sept. 14. Sequenti anno circa assumptionem Mariae, etiam circa exaltationem sanctae crucis, oceanus turbine ventorum commovetur ita ut pene omnes naves, quae se alto pelago commiserant, periclitarent, et submersi sunt centum gubernatores; in reliqua populi multitudine et divitiis et praecipue frumento non minor plaga fuit navibus annumerata[k], quam illa quae hyeme saevierat per inundationem salsi maris. Iun. 5. Eodem anno periculosum bellum inter ducem Brabantiae[2] et comitem Gelrensem[3] oritur, in quo plus quam duo millia hominum in spacio diei naturalis hinc inde vulnerati diem clauserunt extremum. Comes Gelrensis capitur et domnus archiepiscopus Coloniensis[4], qui dicto comiti in adiutorium venerat cum suis ad expugnandum principem Brabantinum. Oct. 26. Anno graciae ut supra 7. Kalendas Novembris circa festum Simonis et Iudae in oriente prope Oterdum et in occidente prope Usquert, in Merna et in Suterdicke[5] propter destructionem aggerum, qui minime in dictis locis fuerant reparati, salsum mare ebullivit, et superexspatiata est aqua planiciem terrarum, venitque ad loca humiliora, ut est Germerwolt[6], Waltersum, Astawalt[7], ubique fluitando.

1284. Anno Domini 1284. inter pugilem Robernum de Fermessum et Adolphum de Tukawerth et Limponem[l] Hagginga ex parte una, Ebbonem Menalda, Dodonem de Hek et illos de Stedum[8] ex parte altera lis oritur, et propter hoc, proh dolor, ius civile Fivelgonum, quod multo tempore floruerat, dissipatur. Sed ne a legentibus nobis imponatur illud Horatii[9]: *brevis*[m] *esse laboro, obscurus fio* etc. — 1282. Anno gratiae 1282. filius iuvenis Ebbonis Menalda de Hellum, decoratus aequivoco nomine patris, duxit in uxorem quandam iuvenculam nomine Ydam de Menterawalda[10]. Cumque ad annum commansissent, sponsa sponsum reliquit et lares paternos revisit. Et cum culparetur de huiusmodi dissidio, dicebat affirmative, quod nec in eum cui tradita fuerat consensisset aliquando, nec ipse eam carnaliter cognovisset. Medio tempore Gayko de Imeckna[11] de Middewalda, quod Yda fuit neptis uxoris suae, callide disposuit, ut quidam civis suus Folbertus nomine, filius Theodorici Pholpetra, fugitivam iuvenculam duceret in uxorem. Quo facto Ebbonides[n] scandalum[o] tale egre ferentes, habito consilio, ductu Walbartinorum de Senieda[13] in noctis silentio ex improviso

---

[a] *corr. ex* m. cc. LXXXVIII, *in marg. alia manus scripsit* 1287. *cod.* [b] decimo *cod.* [c] *sequuntur in cod. tres litterae (forte* eul*) quae deletae videntur et mox* eudiui; ut audivi *Bethmann legendum censuit; in M. H. haec omnino desunt.* [d] quaerens *H; fortasse leg.* quercus. [e] evulsae *H.* [f] *addidi.* [g] magni *cod.* [h] Senedewalda *H.* [i] *legendum forte* mirabiliter. [k] *correxi;* annumeratis *cod.* [l] *legendum videtur* Liupponem. [m] dum brevis *H.* [n] Elbonides *cod.* [o] scandulum *cod.*

[1] Simenswolde praepositurae Leer. [2] Iohannem I. [3] Reinaldum I. [4] Sifridus. [5] Suirdyk. [6] Garmerwolde praepos. Loppersum. [7] Oostwold praepos. Farmsum. [8] Stedum. [9] Ars poet. 25. 26. [10] a Dollarto demersum. [11] Fortasse Ennema, quod iacet prope Midwolde. [12] Fortasse Scheemda praepositurae Farmsum.

1282. patrem cum filio et iuvenculam capiunt in domo lapidea et cum victorioso gaudio Hellum omnes captivos deduxerunt. Sed Thidricus in brevi cum quadraginta marcis puri argenti datis Ebboni[a] se ipsum post paucos dies redemit. Deinde pro pecunia et filio satagit ut emendaret, et quia aemuli sui sibi noctuque dieque praecavebant, fecit quod potuit et[b] viduam nomine Frouwam de Scelwalda relictam Brinich temere[c] minus iuste cum filia parvula nocturno tempore captivam abduxit, et sic seminata est zizania, unde amarissimae segetes pullulabant. Et hoc totum a iuvencula originem sumpsit. Quare praevia ratione nomen habuit Yda, quia ydos Graece divisio interpretatur. Unde Yda, id est divisa et separata ab omni honore et discretione, sapientia quam minima[d] utebatur, cum a legitimo viro, cui primo nupserat, voluit absque congrua ratione separari. Sed cum haec ita confuse agerentur, et pugil Robernus consulatum haberet et simul esset edictor et alii quam plures nobiles cum eo, ut Aylwardus Snelgera, ordinatum est proinde consilio inter consules[e], quod Folbertus, qui detinebatur captivus ab Ebbone, in securum locum deberet mitti et deinde cum deliberatione absolvi, ita ut vidua et filia prius de captivitate redirent, et sic pax inter terras firmaretur. Sed tali consilio promulgato, quia non placuit Ebbonibus, mandatum consulum proterve contempserunt. Quare consules irati praeceperunt, ut bene con-
1283 venirent ad superbiam Ebbonis et suorum comprimendam, et sic anno Domini 1283. festo
Iun. 29. apostolorum Petri et Pauli consules, meliores, fortiores et agiliores terrae Fivelgoniae convenerunt Hellum quasi vir unus, ut domum praedicti comburerent et captivum potenti manu auferrent. Quo viso cum sepe dictus[f] Ebbo et cognatio eius tota ac amici quam plures, qui ipsum defendere venerant, consulibus ac toti terrae resistere non possent nec auderent, principibus placatis et consilio habito, probis et honestis viris mediantibus, fecit coactus quod prius voluntarie facere nolebat deditque captivum in manibus domni Ougeri[g] abbatis Floridi Horti. Consules vero benedicebant communitati et recesserunt illa die cum gaudio et honore, dimittentes domum Ebbonis in eo statu quo invenerunt. Sed domnus abbas Floridi Horti sicut minus provide fecit captivum ab Ebbone recipiendo, sic etiam minus caute fecit ipsum custodiri in claustro, quia brevi intervallo temporis postea, nullo sciente, tractus in ambitu claustri per fenestram manu illorum de Middewalda deportatus evasit. Medio tempore domnus episcopus Everardus missis litteris suis[h], ut iuvenculam mitteret in locum securum pro ipsius voluntate examinanda, praecepit[i]. Sed quia dictus laicus de constantia iuvenculae diffidebat, mandatum episcopi contempsit et curiam domni papae appellavit et domnum Thiterdum abbatem Clari Campi in iudicem obtinuit, qui[k] authoritate apostolica sententias contrarias sententiis domni episcopi promulgavit; et sic multiplicatae sunt sententiae. Tandem per consensum utriusque partis facta est arbitraria compromissio in decanum in Lopessum, virum constantem, et Hesselum decanum in Fermessum. Qui Hesselus, quia adhuc iuvenis, habuit in loco suo magistrum Ebbonem, qui fuit iuris peritus et omni consilio suo providens. Arbitraria promissione sic facta, ex mandato illorum, in quos arbitrati[l] fuerunt, pars utraque pro se dedit aurum ad valorem 40 marcarum, et hoc sub tali conditione ut, si aliquis eorum a sententia arbitrorum recedere vellet, si in sententiam concordarent, quod[m] aurum[n] amitteret, et pars consentiens illud recipere posset. Et sic istud aurum recepit[o] dominus Floridi Horti, qui[p] habuit captivum, et habuit aurum[q] quod recepit. Ista duo bono zelo fecit et magis pro Ebbone quam pro parte altera, licet in exitu idem Ebbo mala fuisset comminatus, quia, captivo elapso, constanter de abbate ipsum requisivit et dixit, quod aut satisfacere ei deberet aut captivum restituere. Praedicti arbitri quia non poterant concordare in sententiam, cum pluries ad hoc convenissent, ab invicem discesserunt. Et sic omnia ad malum exitum tendebant. Sed domnus Ougerus[g] abbas piae memoriae hunc exitum non vidit. Albertus vero decanus callide per
1284. nuncium ante horam mortis petiit ab eo aurum Ebbonis et obtinuit pro maiori parte. Novo abbate creato statim affuit Ebbo et sui, requirentes captivum et totum aurum tam illorum de Middewalda quam etiam quod suum fuerat. Cui favit Albertus decanus perhibens testimonium, quod aurum illorum de Middewalda iure cedere deberet laico praedicto. Iis auditis Robernus venit et sui, tantummodo aurum quod dederant in pignus requirentes praevia

---

a) Elbo. *cod. et abhinc ſere semper sic.* b) ut *cod.* c) temera *cod.* d) *correxi ex* qua minime *cod.* e) habito *add. H.* f) cepit dictus *cod.;* dictus *M. H.* g) *seu* Onger. *cod.;* Oudger. *M. H.* h) misit literas suas *M. H.* i) *supplevi.* k) quia *cod.* l) arbitri *cod.* m) *deest H.* n) arum *cod.* o) et *add. cod.* p) *supplevi.* q) habuit aurum et *cod.*

ratione, tum quia arbitri non concordabant, tum quia aurum alterius partis fuerat pro maiori 1284. parte domno Alberto restitutum. Domnus episcopus misit etiam litteras domno Folcardo[a] electo, ut aurum partibus restitueret sub obtentu amicitiae suae. Praecepit etiam arbitris, ut amplius de causa matrimoniali nullatenus se intromitterent[b], dicens sententiam diffinitivam praedictae causae ad ipsius spectare diffinitionem. Tandem habito consilio cum paucis, inter duo mala minus elegit et quod iustius videbatur fecit deditque pugili Roberno aurum illorum de Middewalda et quod residuum fuit de auro praenominati Ebbonis laici etiam remisit, nec per hoc gratiam est consecutus, quia domnus Albertus in suo officio in omnibus quibus potuit malefacturum se abbati et ecclesiae promisit. Et Ebbo quasi leo rugiens ad praedam, cum suis pessimo usus consilio, disposuit auferre boves et aratra ecclesiae praedictae. Conversis mutilatis et verberatis, abbati eorum non minus facere proposuit. Sed suscitavit Dominus probos viros, qualis fuit Dodo de Heck vir discretus, Haicko de Heppenga de Emetha, et Eppo Bolesmonna de Stedum, praedicto domino in omni virtute consimiles, et Eppo Stithenga de Germerwalda, qui[c] saepedicto laico Ebboni, si abbatem et conventum suum in aliquo laederet, quod in momento[d] eorum adiutorio carere deberet, denuntiarunt[e]. Et sic per praedictos nobiles monitus, facto, non voluntate quievit, quippe[f] mala consilia et[g] malas diversas vexationes praelato hic ibi excitavit[h]. Quod et similiter fecit Albertus decanus.

Anno Domini 1285. Nordenses[13] arma receperunt propter homicidia quae in dolo eis 1285. saepissime contigerant, cum pacem servarent. Inceperunt etiam tunc temporis primum construere castrum, quod prius non fecerunt, quia pax, quae est mater dilectionis et sanitatis plebis, viguit inter illos tredecim annis laudabiliter servata. Eodem anno comes Hollandiae[14] maximam exactionem lapidum sub obtentu amicitiae suae per nuntios et litteras exegit a claustris Translaicanis ad construenda castra in Westfreslande dominio suo subiugata[i]. Comes Gelrensis a captivitate ducis Brabantiae absolvitur omni materia 1290. dissentionis terminata[15].

Anno Domini 1290. frequens pluvia autumnalis segetes cum feno destruxit in agris et pratis. Propter nimiam abundantiam aquae pluvialis prope Arnum[16] et Daventriam Rhenus[k] et Isla effluxerunt, et destructa est Batua prope Islam. Domus multae devastatae sunt, hominibus submersis. Item crastina Benedicti abbatis rabies aquarum ventis agitata Frisiam Mart. 22. replet. In ista congregatione aquarum antiquum Silsteth funditus est evulsum in Otterdum, et aquae transierunt terminos suos repleveruntque omnia prata, et nisi praeter amnem[17] Waltersum per vim.

Anno 1290. Interea dum ecclesia in transmarinis partibus gemeret a paganis concul- 1292. cata[l] et domnus papa Nicolaus debita carnis solvisset, bella atrocissima per omnes fines Apr. 4. christianorum oriuntur. Nam Romae cardinales certabant pro papatu, rex Franciae et Angliae pro potentia et libidine dominandi.

Anno 1291. est dissentio magna inter Alrichum et Ebbonem decanos in Lopperssum, 1291. pro parte altera in tres parochias, Schelwolde, Slothra[18], Hemmenis[19], quae[m] concordes fuerunt contra decanos, et sic invaluit dissentio, quod decani non admittebantur ad synodalia in Silvis[20]. Cum autem hinc inde sententiae excommunicationis et interdicti fulminarentur, nec tamen esset finis, moto[n] arbitrio convenerunt partes in abbatem Floridi Horti et in Skelwalda et Asterloo monasteriorum praepositos, qui statim ut convenerunt concordabant, abbati in Werum committentes, ut secundum hoc quod condixerant litteras dictaret[o].

Anno Domini 1287. facta est visio[p] mirabilis in claustro grisei ordinis in civitate Tri- 1287. polis[q]. Monachus quidam[r] dixit missam coram abbate suo, uno praesente ministro. Inter[s] ablutionem et communionem manus quaedam missa aparuit scribens super corporale litteris aureis, in quo dictus monachus corpus Domini confecerat[t]: *Cedrus alta Libani succidetur*

---

[a] F. *cod.* [b] intromitteret *cod.* [c] *deest cod.* [d] memento *cod.* [e] *deest cod.* [f] *correxi;* quia per *cod. M. H.* [g] per *inser. cod. M. H.* [h] praelatos ad hoc excitavit *coniecit M. H.* [i] subiugatam *cod.* [k] Rhenum *cod.* [l] concultata *cod.* [m] qui *cod.* [n] *correxi;* modo *cod.;* facto *coniecit M. H.* [o] dictarent *cod.* [p] *sic M. H.; deest cod.* [q] Tripoł *cod.* [r] *addit cod.* qui. [s] intra *cod.* [t] consecrarat *H.*

[13] circa oppidum Norden, dioecesis Bremensis.

[14] Florentius V.

[15] a. demum 1290.

[16] Arnhem.

[17] Fivel. Locus corruptus; sensus esse videtur, aquas omnia replevisse, exceptis locis flumini adiacentibus, cui prope est Woltersum.

[18] Slochter.

[19] duo Ham, Kolham et Foxham.

[20] territorium dictum *de Durswolden* seu postea *de Woldstreek* in pago Fivelgo.

et Tripolis in brevi capietur, destruetur, Acharon capietur, et Mars Saturnum superabit et Saturnus insidiabitur Iovi et vespertilio subiugabit dominium apostolicum. Infra quindecim annos erit unus Deus et una fides et alter Deus evanescet et filii Ierusalem a captivitate liberabuntur. Gens quaedam veniet sine capite, et tunc vae clero et tibi christianitas. Navicula Petri iactabitur variis fluctibus, sed evadet et dominabitur in fine. In mundo erunt multa praelia, strages magnae et fames valida, hominum mortalitas et regnorum mutationes. Terra barbarorum convertetur, ordines mendicorum et aliae sectae quam plurimae annichelabuntur. Bestia occidentalis et leo orientalis universum mundum subiugabunt, et tunc pax erit in toto orbe terrarum, et copia fructuum per quindecim annos erit, et tunc erit commune passagium ab omnibus finibus ultra aquas congregatum[a] *ad terram sanctam, et vincunt, et civitas Ierusalem gloriabitur, et sepulchrum Domini honorabitur; in tanta tranquillitate audietur de Antechristo et alia miracula. Ergo vigilate.*

1296 Anno Domini 1296. nova ecclesia in Skeramera[21] fundata est, cuius aedificatio funditus super arenam totaliter incepta in tanta sumptuositate, quod tota illa ecclesia lapidea, quae prius ibi fuerat constructa in palude a proavis, qui eam suis temporibus aedificaverunt[b]. Una riga[22] mortuorum in palude inferius fuit inventa, quando[b*] fodiebatur fundamentum, alia desuper; tertia fuit tunc temporis, quando[b*] fossum est fundamentum, et illa complanata est per totum cimiterium, in quo non apperuerunt sepulchra antequam e novo fiebant.

1295 Anno Domini 1295. orta est dissentio magna et questio contra Menaldamum de[c] Hellum. Primo a Liubbone[d. 23] Tadegma de Astawalda pro morte nepotis sui, quem iuvenis Ebbo occidit, cui adhaesit semifrater suus Uffo et omnis cognatio simul contra Menaldamum pro facienda vindicta. Secundo questio[e] fuit ab haeredibus Luci Rodmari, qui occisus fuit prope aquam sive mare scilicet Skeld[24]. Inter istos haeredes principalis fuit Abeco Aldinga et Liuppo[f] Rondage et omnis cognatio eorum, dicentes quod Menaldamen et eius adhaerentes dictum Rhondage occidissent; et propter hoc potenter castrum occisi Rodmari[g] munierunt, facientes conspirationem cum dicto Liuppone[f] et suis, qui etiam munivit suam domunculam lapideam simul contra Menaldamum in tanta constantia, quod Ebbo senior, qui fuit homo magni consilii et mirabilis ingenii, cum suis sibi faventibus non potuit nec scivit invenire concordiam et bonum pacis. Medio tempore cum praedicta mala sic essent in foribus, pugnatum est inter nepotes Menaldamani[h] et Ebbonem Haigienga de Slothra prope Lumscwereth. De qua pugna cum satisfacere vellent Menaldamani[h] praedicto Ebboni sine contradictione Aylwardi[i] Snelgra, qui fuit filius materterae Ebbonis, noluit acceptare sive recipere, sed proterve animo elato erexit se contra Menaldamum, et cum eo omnis cognatio sua, ut fuerunt Aylwardus et Eyso, fratris[k] filii Snelgeri de Skiramera, et eorum filii et nepotes, Brinckmarus et Wiardus, fratris[k] filii Ebbonis, et eorum adiutores. Iis ita fieri incipientibus, Esschellus Merethia in Skelwalda incepit contendere pro consulatu cum Menaldamo et, quia timuit ne potuit resistere eis, fecit conspirationem cum Ebbone et Snelgranis[l], simul cum eo omnis cognatio ipsius, et sic in fortitudine iuravit Escellus, quia confederatae fuerunt in unum cum eo duae sectae de orientali parte Silvae et de occidentali Snelgrani[m] et Ebbo, et multi de Trentawalda divites et nobiles eis[n] astabant; quam plures nobiles de villis diversis et etiam Silvis in secreto quantum potuerunt praedictas fluitas[25] ad confusionem Menaldingorum provocabant. Ebbo vero et filii sui, nepotes et consanguinei in quantum valebant per maiores et meliores, qui non fuerunt pro parte sive secta, petebat ab eis simpliciter pacem et illam eis offerebat, dicens quod omne crimen sive malum, quod eis sive suis imponerent, et omnem materiam dissentionis inter eos exortam, qualiscunque esset et undecunque originem haberet, quod lubenti animo ad verbum domni abbatis de Werum et Wretheronis Folcichia, Aylwardi Snelgra et Ailwardi Walberta finaliter componere vellet et emendare secundum terrae iusticiam simul et consuetudinem. Sed quamvis sic rogaret et praedicti nobiles cum eo, nihil est eis responsum quod bonum pacis

---

a) congregatas *cod.* b) *aliquid excidisse videtur.* b*) quoniam *cod.* c) *correxi;* et *cod.* d) Aliub bone *cod.*; Allius *M. H.* e) qūo *cod.* f) Luippo *cod.*; Lueppo *H.* g) Rod. *cod.* h) Menalda^{m} *cod.* i) Aylwardri *cod.* k) fratres *H.* l) Snelgr̃nt *cod.* m) Snelgam̃ *cod.* n) ei *H.*

21) Scharmer in Fivelgo. 22) nobis *Riege, Reihe.* 23) Idem qui infra audit Liuppo et Liubraddus. 24) Schilt-Meer lacus haud procul a Schildwolde. 25) Haec vox, quae apud Richthofen desideratur, a Matthaeo, qui ubique legit *flinta*, sic interpretatur: *Flinta et terrae tractus et eius habitatores.*

1295. aperiret. Dicebant etiam interdum istae quatuor fluitae: *Aratra sunt instaurata, aratra sunt instaurata.* Quod verbum unus principalium eorum, qui etiam fuit principalis inter compositores, attinens ad quatuor sectas, quas vocabat aratra, saepissime revocabat cum fiducia, ponens spem in multitudine populi et non in Deo. Et cum ista tamen debuisset considerasse, quia fuit competentis litteraturae et magnae discretionis homo quoad sensum naturae, et ideo suam spem in Domino posuisse et ab eo victoriam quaesivisse debuisset, quod non fecit; et ideo defecit. Cum dies praelii advenisset, congregati sunt in unum contra Menaldamum. Et sicut isti parati venerunt ad pugnam, sic et Liubraddus[a] et Uffo fratres cum omnibus consanguineis[b] et amicis, quos habere potuerunt de orientali Broke[26] et de villis et silvis Astawalda, Liudibrandkircka[c] et Sierdakiercka, et cum eis Abeco Aldenga et Liuppo Vodenga cum omnibus consanguineis suis et amicis, quos habere pretio[d] et precibus potuerunt de silvis et villis convenerunt in unum contra Menaldamenses[e] ab oriente, habentes propositum firmum destruere munitiones eorum et ipsos omnes interficere vel de terra fugare. Menaldamenses[f] vero cum non haberent magnum adiutorium de civibus et silvis vicinis, non surgeret[g] eis confidentia, vocaverunt in adiutorium fluitam Walbertinorum. Cum Menaldamenses[h] ex utraque parte vallati fuissent ab inimicis, nec aliquis esset qui possit tardare inimicos, quin vellent irruere super eos, et cum libenter de omnibus causis, in quibus fuerunt et essent nocentes, secundum consuetudinem terrae et iustitiam libenter vellent commutare in melius et cum omnibus bonum pacis servare, quid plura? Snelgrani[i] et eorum aratra inceperunt campanas trahere[k] in turri Skelwalda, ut manifestum fieret orientali societati, quod ipsi ab occidente convenissent, et statim concito cursu cum clangore tubarum et strepitu multitudinis processerunt, voluntatem opere volentes adimplere. Quod audientes Menaldamenses[h] et videntes, intrepidi tanquam novi Machabei circa domum lapideam Dodonis Ieldickna eis occurrerunt animo defendendi se et sua. Cumque sic convenissent et fortiter dimicarent, conversi sunt in fugam tandem Snelgrani[l] et eorum turba magna. Et insequuti sunt eos Menaldamenses[h] sicut viri fortes, aliquos denudabant, nonnullos vulnerabant et multos mutilabant. In ista fuga occisus fuisset Aylwardus Snelgera, nisi Eppo Stythinga[m] defendisset eum. Eyso et frater suus hic idem passus fuisset, si equum velocem non habuisset. Occubuit tamen unus ex societate eorum qui fuit nationis de[n] Skiramera. Istis sic fugatis, congregati sunt Menaldamenses[f], ut pugnarent ex[o] novo contra duo aratra, quae fuerunt instaurata ab oriente. Cumque etiam advenissent, fugati sunt orientales et captus est Uffo frater Liubbonis[p], et alius quidam cum eo[p*], et sic reversi sunt in die illa Menaldamenses[q] ad castrum suum cum omni societate eorum cum gloria et victoria magna. Fuit tamen unus nobilis de societate eorum occisus, qui fuit nationis de Middewalda. Cumque sic Menaldamenses[q] uno die quatuor cornua insultantium devicissent in fortuna bona, postmodum non sunt ista aratra in tali multitudine instaurata contra eos, sed secreto in latibulis die noctuque ipsorum interitum moliebantur. Unde accidit quod Elthatus Frethia, nepos Ebbonis senioris, et cum eo Ebbo iuvenis, qui fuerunt ambo viri viriles, et cum eis aliqui armigeri, post crepusculum iverunt Slothra et violenter in manu forti de quadam domo extraxerunt Abbonem Hagienga, qui fuit unus ex maximis inimicis eorum, et cum eo Renvardum filium Lyudmari[r] divitis de Herna, qui habuit in uxorem neptem Aylwardi et Eysonis Snelgera, et eos sine vulneribus captivos traxerunt per silvas Hellum. Et quamvis isti machinati essent saepius mortem in Menaldamenses[q], tamen eis pepercerunt et eos vivos in vinculis detinebant; sed nec sic pacem habere potuerunt. Nam consilio habito, de nocte incastellaverunt domum lapideam Dodonis Ieldinga in Skeldewalda istae quatuor sectae contra Menaldamum et combusserunt domos ligneas. Quod audientes Menaldamenses[q], cum paucis quos habebant ad manum invaserunt eos et omnes, qui fuerunt extra castrum, fugaverunt; et tunc Hessellus consul occisus est ab[s] Eppone fratre Ebbonis, et Wiardus Frouwamonna vulneratus ad mortem et captus. Tunc etiam miserunt in orientali Broke Menaldamenses[q] pro adiutorio. Qui statim venerunt

a) *seu* Linbraddus *cod.; Linbraldus H.* b) sanguineis *cod.* c) *correxi;* Luidibrundkincka *cod.* d) *sic H.;* prece *cod.* e) Menalda^{m} *cod.* f) Menald: *cod.* g) suggeret *cod.* h) Menaldamen *cod.* i) Snelgnĩ *cod.* k) *deest cod.* l) Snelgani *cod.* m) Stitinga *H.* n) *deest H.* o) *correxi ex* de *cod.* p) *correxi;* Biulbonis *cod.* p*) eis *cod.* q) Menaldameñ *cod.* r) *correxi;* Luydmari *cod.* s) *deest cod.*

26) A vico principali Broke (v. supra p. 562, not. 81.) totum territorium Silvanum distinguebatur in orientalem et occidentalem partem.

1295. et pugnantes ad castrum, miserunt in illud ignes per fenestras; aliqui etiam fodiebant parietem subtus. Quibus sic dispositis, defecerunt vires pugnantium superius in castro propter acerbitatem fumi et ardorem ignis, praecipue quia non viderunt defensores sive adiutores aliquos, qui eos defenderent, advenire. Unde dederunt se et sua in manus Menaldami ea conditione, ut eos non occiderent. Quo facto mitigatum est etiam cor Menaldamensium[a] et receperunt eos vivos, concedentes eis vitam, qui eorum quaerebant mortem. Contigit ergo sic ex bonitate Menaldamensium[b], quod habuerunt in castro Ebbonis, quod fuerat unicum refugium eorum, viginti captivos, quos omnes potuissent occidisse, et si fecissent, digna pro meritis dona eis reddidissent. Abeco Aldinga ad castrum Rodmari Lusci proximi consanguinei sui, pro cuius morte iniit guerram, ductus est in sola camisia cathenatus duabus cathenis ad castrum, ut ibi occideretur. Sed mediante abbate Floridi Horti et aliis sacerdotibus bonis, qui cum eo fuerunt, ordinatum est, quod Liuppo Rondage et alii, qui fuerunt cum eo in castro, sine timore et offensa cum omnibus quae habebant iverunt[c] de castro, promittentes quod amplius non obsiderent. Et ut nulla falsitas interveniret, per se etiam castrum inutile reddiderunt. Ebbo[d] vero medietatem castri et haereditatis emit ab haeredibus Rodmari post paucos dies et illam dimidietatem dedit ad structuram ecclesiae in Hellum. Fuerunt enim aliqui haeredes, qui nolebant post Rhodenge[e] pugnare. Snelgerani[f] cum hoc factum audivissent, Aylwardus[g] et Eyso[h] miserunt pro abbate Floridi Horti, qui tum temporis fuit in Novo Claustro, rogantes intime ut sine mora, quanto citius posset, iret Hellum in subsidium eorum, qui in castro capti fuerant, et faceret quantum pro eorum adiutorio posset, ne[i] occiderentur vel alias destruerentur. Cumque abbas venisset, divertit se Hellum, sed quia vidit multitudinem prope castrum Dodonis Ieldeckna, divertit faciem suam ad domum illam et vidit superius Buttonem Abenckna expectantem exitum rei. Nam Ubelo et Herdricus fratres dicti Monmangamenses[k], et Butto Buttesmonna, qui duxit sororem eorum, cum omnibus consanguineis et amicis volebant occidere Buttonem, qui fuit superius in castro, in vindictam, quia prius filium Buttonis Buttesmonna occidit. Quo audito abbas procuravit cum Eltato Menalda et Ebbone, et cum melioribus, qui venerunt ab[l] orientali Brocke, qui fuerunt consanguinei sui[m].... Iis itaque peractis, monuit abbas Menaldamenses, ut captivos omnes praecipue vulneratos in bona custodia haberent[n]. Quod ipsi sicut probi viri fecerunt. Sequenti vero die abbas occurrit Snelgronibus[o] in Slothra dixitque eis, quod omnes viventes in castro sine timore essent tuti de[p] vita, quanquam aliqui ex eis essent vulnerati. Tunc fratres Aylwardus et Eyso inceperunt tractare cum abbate de bono pacis, intime rogantes, ut abbas quantum possit pro concordia laboraret. Qui statim in bona voluntate annuit. Tempore intermedio cum Snelgerani[q] et eorum[r] adhaerentes de quatuor fluitis emendare non possent per bellum, neque iudices et consules terrae, ut captivos a Menaldamensibus[s] liberos de damno reciperent, nec surgeret eis spes aliquo modo emendandi, compulsi sunt necessitate magna, petitionibus adire abbatem ex novo, ut ipsorum impotentiam et defectum per suam discretionem sublevaret. Quod et fecit abbas. Sicut enim prius et postea sic et tunc pro eis fideliter laboravit. Ebbo vero, qui pater et patruus Menaldamonna fuit, dicebat: *Sicut ante conflictum volebam confidere domno abbati et Aylwardo Snelgra et aliis personis superius scriptis, sic nunc volo esse principalis vobiscum et cum aliis probis hominibus in compositione ordinanda. Et quia cum bonis suis dederunt se ipsos in manus meas et meorum, ut parceremus eis in vita, est necesse, quia dedimus eis vitam, ut auferamus eis res temporales.* Ista cum nunciasset abbas, Snellegrani[t] et sui valde fuerunt confusi, sed quia aliud iuvamen habere non potuerunt, placuit eis potius res amittere quam personas. Et sic totum negotium belli in contrarium venit. Nam quatuor fluitae sine retardatione volebant destruere Menaldamenses et bona eorum dissipare, quod totum in eos retortum est. Modus compositionis patet in litteris ab abbate super hoc confectis, de quibus ipse tres retinuit, et Menaldamenses tres, et unaquaeque fluita tres. Formam compositionis per se edixit, praehabito sermone, sicut semper consuevit facere.

1280. Anno Domini 1280. Hessellus decanus de Fermesum exiit solum paternum et venit

---

[a] Menald. *cod.* [b] Menaldameñ *cod.* [c] abirent *H.* [d] *sic hoc loco cod.* [e] Rondage *H.* [f] *correxi;* Snelgameri *cod.* [g] Ayl *cod.* [h] Eyl. *cod.* [i] nec *cod.* [k] monmãgameñ *cod.* [l] *deest cod.* [m] *aliquid excidisse patet, in cod. nullum lacunae vestigium.* [n] haberet *cod.* [o] *sic H.;* Snelgregonibus *cod.* [p] *deest cod.* [q] Snelgrameri *cod.* [r] *correxi;* eius *cod.* [s] captivos Ameldameñ *cod.* [t] Snellegramerae *cod.*

1280. Parrhisiis pro remedio et adiutorio alterius oculi sui et etiam pro studio cum famulo et duobus sociis. Hic cum esset Parrhisiis, audivit quod duo magistri adinvicem disputaverunt de conceptione virginis Mariae, utrum esset digna celebratione vel non. Cum non possent convenire in unum, quid esset faciendum, quia alius dicebat et rationibus firmis affirmabat quod esset celebranda, alius in contrarium quod non esset docebat, factum est in die conceptionis, quod magister, qui non volebat honorare conceptionem virginis Mariae, sed cepit suis scolaribus legere, ut suam disputationem defenderet, obmutuit in praesentia omnium qui aderant. Cumque modum loquendi non haberet, rediit ad cor et contritionem et poenituit de sua disputatione perversa, quam fecerat contra conceptionem Virginis gloriosae, promittens, si mater misericordiae Maria usum loquendi ei donaret, quod omnibus diebus vitae suae festum in conceptione virginis Mariae faceret et omnibus quibus posset praedicaret, esse festum conceptionis solemniter celebrandum. Quid multis moror[a]? Mater omnis gratiae, quae sinum misericordiae omnibus invocantibus eam de toto corde benigne aperit, non vindictam longiorem pro contemptu fecit, sed in momento sicut obmutuit, ita usum loquelae recepit et palam quid sibi acciderat praedicavit. De quo signo festum conceptionis tunc in[b] maiori reverentia cepit haberi, donec hic decanus cum talia et consimilia Parisiis audivisset et etiam ibidem totum officium de conceptione invenisset, in reditu suo secum attulit, prout ibi invenit, et in decanatu suo per licentiam officialis domni episcopi per villas fecit primo annuatim celebrari.

De capella in Crewert[c][27] *et qualiter sit constituta.* Fuit quaedam vidua nomine Tyadeka in Crewerth[c] nobilis et dives simul et discreta, unicum habens filium nomine Menconem. Qui cum in pueritia sua infirmari coepisset ad mortem, vovit pro filio, si Dominus daret ei vitam et mater misericordiae Maria, quod construeret capellam in propriis bonis et in tantum eam dotaret de proprio fundo, quod sufficeret uni sacerdoti. Quo voto sic emisso, filius revixit. Quod considerans dicta domina, prae gaudio et dilectione seculi aliquantulum retraxit animum a proposito et coepit tractare, quomodo nobilissimam et ditissimam iuvenculam terrae Fivelgoniae filio suo assumeret in uxorem. Fuit enim tunc temporis etiam in Loppersum nobilis vidua dives et discreta, relicta domni Gayconis, quondam decani ibidem, viri prudentissimi et insignis nobilitatis, unicam ex eo habens filiam nomine Tetam, providentem et in litterali scientia super omnes[d] mulieres pollentem. Iste etiam decanus promisit in quadam infirmitate cum consensu mulieris suae Thialdis, quod construeret capellam et filiam offerret religioni; sed quod vovit non ita cito et perfecte ut debuit adimplevit. Et hoc potuit esse propter iuventutem filiae et spem longioris vitae. Et ideo morte praeventus est et obiit in Domino in confessione pura et sepultus in Florido Horto inter canonicos dicti loci. Relicta vero ipsius non immemor voti capellam construxit et canonicum in Florido Horto, qui ibidem quotidie divina officia celebrabat, accepit, filiam etiam unicam iam duodenam de claustro abstraxit. Medio tempore conceperunt amicitiam iuvenis praenominatus et iuvencula praedicta, et sic evenit quod, accedente consensu matris, Menco duxit Tetam in uxorem, et facta est inter eos laetitia magna propter abundantiam divitiarum et floridam vitam[d*] iuventutis. Nam circa anni circulum, cum dicta Teta parere festinaret, Menco vir eius correptus infirmitate mortuus est. Quod audiens uxor prae nimio dolore abortivit et ipsum nomine patris Menconem vocabat, et defunctus est, sepultus apud patrem in Campo Rosarum. Et Tyadeka obtulit[e] pro filio decem gramina[f][28] in haereditatem[e]. Unde[g] abbas concessit ei plenam fraternitatem omnium bonorum quae fuerunt in ecclesia Floridi Horti[g]. Teta iuvencula viro et filio sic privata, quando[h] prius potuit, rediit Lopperssum in domum matris, ubi etiam postea correpta infirmitate ultima vocavit abbatem Floridi Horti et surgens de lecto tonsuram et habitum cum summa devotione accepit, bona paterna offerens[i] secum in praesentia sacerdotum et matris, quae ad hoc consentiebat, ecclesiae Floridi Horti. Quo facto defuncta est. Medio tempore ante mortem praenominatae Tetae mater eius domna[k] Tialdis insurrexit contra

---

a) moro *cod.* b) in tunc *cod.* c) *correxi;* Erew. *cod.* d) sc. superiores *cod.* d*) vitae *inser. cod.* e) *loco* obtulit — haereditatem *habet H.:* CL marcas pro filii defuncti requie transcripsit in haereditatem monasterii. f) g̃nima *cod.* g) *loco* Unde — Horti *habet H.:* Concessit vero abbas plenam fraternitatem Tyadekae in ecclesia Floridi Horti. h) q̊n̄ *cod.* i) *sic H.;* afferens *cod.* k) *sic correctum ead. manu pro* nomine *cod.*

27) Krewert praeposíturae Farmsum. 28) *Gramen* est mensurae terrestris species, eadem quae a Frisonibus vocatur *graes*. DUCANGE.

domnam Tyadecam, dicens quod omnia bona ipsius iure haeriditario mediante filia essent ad eam devoluta. Alia, scilicet Tyadeca, in contrarium loquebatur. Nobiles, cognati et amici viduarum sequebantur eas, alii in voluntate aliquid afferendi[a], alii in voluntate retinendi. Et sic evenit quod illi qui prius fuerant amici, facti sunt inimici et pro eis dividendis certarent, qui multa bona comportaverant. Iis taliter finitis, rediit Tyadeca ad cor, revocans de voto, quod vovit et non implevit, et de amissione haeredis, cepit cogitare, quomodo adimpleret votum. Cumque Fermessum quaereret adiutorium, quasi omnes parochiani et sacerdotes de Halwirth[29] cum decano et consilio decani exclamabant, dicentes quod deberet aedificari ecclesia in Crewerth, ne scisma fieret in parochia propter duas villas Crewirth et Arnewerth[30], quae ei adhaerere volebant ratione novi aedificii, si ad hoc licentiam possent obtinere. Quibus rationibus auditis cum proficere non posset nisi cum muneribus et petitionibus magnis, divertit se ad abbatem Floridi Horti et ipsius invocat consilium cum auxilio. Abbas[b] autem audiens intentionem eius esse firmam et habere voluntatem bonam aedificandi ecclesiam, quia fuit ipsius pater spiritualis, respondit ei iis verbis: *Verba ista sunt prius saepe ab ore vestro prolata sine effectu. Nunc autem si vultis adimplere, prout votum urget, et ratione voti tenemini, sciatis quod capella ista, si aedificabitur, non erit utilis*[c] *ecclesiae nostrae. Tamen ut divinus cultus augmentetur*[d], *promittite Deo et mihi, quod ad honorem Dei genetricis Mariae in proprio fundo constituatis ecclesiam cum omnibus attinentiis ad divinum officium. Pro posse meo iuvabo vos.* Ad haec verba Tyadeca vidua respondit tanquam voti compos: *Omnia quae dixistis volo cum effectu in maxima voluntate adimplere, et hoc Deo et vobis, pater charissime, promitto.* Adiecit etiam et dixit: *Quia multa bona venerunt ecclesiae vestrae de domo nostra Crewerth, ut nunc et deinceps non habeatis damnum, dummodo vos et ego vixerimus, donec omnia plenarie fuerint consummata quae pertinent ad novam structuram, habeo voluntatem vobis et conventui vestro ecclesiam cum suis pertinentiis offerre*[e]. Respondit abbas: *In nomine Iesu vivas et facias.* Medio tempore ordinat abbas negotium cum amicis et notis suis ad domnum episcopum pro voluntate viduae praenominatae; et quamvis quibusdam non placeret, tamen suam obtinuit voluntatem.

a) offerendi *H.* b) Aabbas *cod.* c) *sic H.*; verlis *cod.* d) augmentur *cod.* e) *sic M. H.*; afferre *cod.*

[29] Holwierde. [30] Arwert.

GESTA ABBATUM
HORTI SANCTAE MARIAE.

EDIDIT LUDEWICUS WEILAND.

Ad supplenda et illustranda ea, quae Emonis et Menkonis Chronica de statu et rebus gestis Frisonum saeculi XIII. referunt, primo luci damus Gesta Sibrandi (1230—1240), *Iarici* (1240—1242), *Ethelgeri* (1242—1259) *abbatum Horti sanctae Mariae seu Mariengaarde, monasterii ordinis Praemonstratensis in pago Ostergo ad septentriones civitatis Leeuwarden olim siti. Fundaverat id a.* 1163. *et usque ad a.* 1175. *ei praeerat Fridericus quondam plebanus Hallumensis, cuius etiam Vita a successore eius sexto Sibrando conscripta in eodem nostro codice adhuc superest*[1], *quam tamen utpote a nostro consilio alienam non recipiendam duximus. Eadem de causa Vitam Siardi seu Sigehardi abbatis* (1198—1230), *antecessoris proximi Sibrandi, in eodem codice contentam, reprobavimus, quamvis ab eodem auctore, qui et Gesta nostra scripserit, concinnata esse videatur. Prologum enim, qui in codice haec Gesta praecedit et eodem modo infra a nobis est editus, minime iis quadrare sed potius nil nisi prooemium Vitae abbatis Sigehardi esse, nemo non videt. Negligentia igitur librarii procul dubio eum hoc loco posuit et lemma prorsus inconveniens in eius fronte scripsit*[2].

Gesta, quorum finem deperditum esse dolemus, scripta esse tempore Theoderici abbatis (1259—1275)[3], *patet e cap.* 24[4], *et quidem post a.* 1267, *annum obitus Heinrici episcopi Traiectensis, qui cap.* 15 bone memorie *vocatur. Auctorem in ipso opere saepenumero de se ipso narrare, ubi canonici cuiusdam, de quo sermo habet, nomen silentio suppressit, attentius legentem non fugiet. Cum enim cap.* 19 *de ministro magistri Friderici aegrotantis dicat:* iuvenem *eum fuisse* satis mihi familiarem et notum *et* quia idem mihi est ut ego, *omnia quae de isto traduntur ad auctorem referri licebit. Erat cognatus abbatis Ethelgeri, e nobilibus Frisiae oriundi*[5], *et* ordini *Praemonstratensi* a tempore puerili annexus *(c.* 53*), a Siardo abbate adhuc ab ipso puerili aevo paterna dilectione per decem annos fotus et enutritus*[6]. *Iam circa a.* 1220. *igitur eum claustro traditum esse et tempore, quo opus suum conscripserit, provectae iam*

---

1) Edita est in Actis Sanct. Bolland. Mart. I, 289. Cf. infra codicis descriptionem. Vita quae legitur apud Le Paige, Biblioth. Praemonstr. 515 e Vita ista et aliis recentioribus auctoribus confecta est. 2) *Incipit prologus in vitam et gesta trium venerabilium abbatum Orti sancte Marie, Sibrandi videlicet et Iarici similiter et Ethelgeri, perpulchre attollens laudes beatissimi patris et abbatis Sigehardi.* 3) Annos istos sicut et annum obitus Ethelgeri damus ad fidem Sibrandi Leonis qui a. 1575. scripsit Chronicam abb. Horti S. Mariae; v. ap. Hugo, Sacrae antiquitatis monumenta II, 225. 4) Sicuti et Vita Sigehardi, ut elucet e Prologo, qui Theoderico dedicatus est. 5) cap. 53: *pro speciali, qua abbati Ethelgero coniunctus fuerat dilectione cognationis.* 6) Vide Prologum.

aetatis fuisse elucet. Affuit a. 1230. sepulturae Hesselonis decani Ostergoviae (c. 9) et procul dubio scholaribus adnumerabatur magistri Friderici a. 1236. mortui, quem cum veterum opera, Persii scilicet, Iuvenalis, Virgilii, Horatii, Ovidii, pro multa parte memoria tenuisse tum libris sacrae paginae funditus imbutum fuisse pronuntiat (c. 18). Deinde ab Iarico abbate circa a. 1240. seu 1241. custos disciplinae claustralis ad adiutorium Thammonis magistri scholae factus (c. 23), a. 1240. Wilhelmum apostolicae sedis legatum in Horto de ipsius legatione in Daniam facienda narrantem audivit (c. 42). Tempore Ethelgeri ab ipso ad aedificandum novum claustrum Sepulcri sanctae Mariae missus (c. 53), postea prior huius coenobii factus, illud a. 1242. Sept. 25. dedicari fecit (c. 55). E Prologo insuper docemur, auctorem denique a Theoderico abbate praepositum primum, deinde, excusso onere praepositurae, confessorem sororum in Bethlehem factum esse.

Erat ergo sane apprime instructus ad monasterii sui fata describenda, quae ex maxima parte ipse oculis viderat, et etiam accurate et prolixe litteris mandavit. Plura autem quaerentem opus fallet: episcoporum Traiectensium gesta raro, imperatorum gesta tantum hic illic parva cum curiositate perstringit. At quae narrantur, monasteriorum in Frisia fundationes, incrementa, lites, Herdrici illius famosissimi ac potentissimi omnium Fivelgonum et Hunesgonum viri ingentem et violentam constantiam atque excessum tragicum, ea coloribus vegetissimis depicta esse laetamur. In chronologia non semper accuratus est, quippe qui e memoria res ante triginta annos gestas refert[7]*. Librorum scriptorum, quos auctor cognovit, rara tantum fit mentio: ad Vitam Friderici fundatoris provocat c. 1 et 14*[8]*, ad Itinerarium Wilbrandi episcopi Traiectensis c. 7, ad librum cui Herdricus ille gesta sua mandavit c. 63.*

Gesta nobis servavit Codex Bruxellensis 6717—6721. membr. fol. saec. XV.[9] *inscriptus:* pertinet monasterio Orti S. Marie ordinis Premonstratensis in Frisia prope Lewerdiam, *et a tribus librariis exaratus. Duo primi quaterniones deperditi sunt; tertius incipit a) fol. 1:* Prologus in librum de initiis et incrementis Premonstratensium. — *b) fol. 1':* De Norberto. — *c) fol. 28':* Vita Friderici abb. et fundatoris Orti S. Mariae. — *d) fol. 51—70':* Vita Siardi abb. Orti S. Mariae. Quoniam Dominus Iesus etc. Venerandus itaque — laus Deo patri amen. *fol. 65 incipit secunda manus, in novo quaternione.* — *e) fol. 71—74 manus saec. XVI. brevem historiam monasterii a. 1163—1545. scripsit.* — *f) fol. 75. 76. vacua.* — *g) fol. 77:* Vita et miracula Herimanni Ioseph in Steenvelt reconditi. Iesu Christe qui — secula seculorum amen. — *h) fol. 101, novus quaternio, tertia manus:* Vita et gesta trium abbatum Orti *etc. (v. supra) Prologus Vitae Siardi et Gesta nostra. Ultimi quaternionis folium penultimum excisum est ideoque finis Gestorum deperiit; at pauca haec erant quae desiderantur, nam in hoc folio etiam sermonis cuiusdam initium scriptum erat, cuius finem ab eadem manu exaratum folium ultimum continet. Postremo librarius haec adnotavit:* Nota lector presentis libri finem debitum deesse pluraque ob curae negligentiam deperiisse, prout in ipso origenali evidencius patet. Similiter quoque et de originali vite abbatis Siardi plura in fine deperierunt. — *Codex igitur noster ex autographo descriptus videtur et dat textum*

---

[7] Cf. cap. 7 et 8; cap. 18 annum mortis Friderici magistri et Sibrandi abbatis eundem fuisse putavit, cum ex epitaphio cap. 19 inscripto doceamur, illum a. 1236, Sibrandum vero a. 1240. demum obiisse, Menko p. 536 testetur; cap. 41. 42. 43 in Gestis Ethelgeri facta annorum 1239. 1234. 1238. referuntur.

[8] Praeterea cap. 16; sed locus talis, ubi de gestis Renici Frisonis legatur, in Vita edita nequaquam occurrit; fortasse hanc cum Vita Sigehardi confudit Noster.

[9] Cf. Archiv VIII, 501. 502.

satis bonum, et a manu coaeva correctum. Notandum hoc loco, lemmata capitum 49. 50. 51. 52 *a librario confusa esse, quod tamen manus coaeva emendavit scribens in margine fol.* 114′: Nota: perpende, lector, per scriptoris negligenciam capita capitulorum transposita a sequenti capitulo usque ad 52, que tamen alacri oculo si inspicias repperies.

Codicem, quem iam olim b. m. Bethmannus manibus volvit, Arndtius noster a. 1867. *Bruxellis constitutus mense Martio excussit.*

Berolini die 9. *mensis Februarii a.* 1872.

LUDEWICUS WEILAND.

Ex[10] *tue paternitatis mandato, o Theoderice*[a], *viri venerabilis Deoque devoti sacerdotis et abbatis Sigehardi tui predecessoris, licet tribus egregiis patribus, Sibrando videlicet, Iaricho, Ethelgero, interpositis, vite virtutumque insignia, quibus rex glorie, dominus virtutum, pater luminum, a quo est omne datum optimum et omne donum perfectum procedens, sanctum suum non solum in carne, forte preter carnem viventem, mirificum, verum etiam post carnis huius terminum in medio populorum longe lateque degentium utroque sexuum diversarum condicionum, miraculis que per eum operatus est Dominus prodentibus, mirificatum ostendit, brevi stilo apertoque, qui legentium animos non offendat nec fallat, gratia Christi preveniente, commanente ac subsequente, non ociosis, non curiosis, sed studiosis, sed religiosis mentibus deserviens pro viribus, sollerter intendere curabo. Nec inmerito. Cum enim scientia meis auribus ampullosa dicta Cyceronis aliquando ad discendum ea vel docendum nequaquam instillaverit, mirum non erit, si ea quoque humanis auribus linguam parcius eruditam et minus eloquentem proferre non concedat. Ut autem hoc opus mihi hactenus inexpertum et ideo forte minus excultum aggredi ausus sim*[a*], *non temeraria presumpcio nec presumptuosa suasit elacio, sed pia ac devota cum tuo mandato, pater reverende, religiosarum sororum in Bethlehem*[11], *quarum me post excussum onus preposíture confessorem statuisti licet inutilem, quibus eapropter contraire, etsi velim, non valeam, immo nec velim nec valeam, induxit peticio. Insuper ipsius*[b] *pii patris*[12], *qui me ab ipso puerili evo ulnis*[c] *paterne dilectionis fovit, attraxit et nutrivit per decem annos adhuc vivens, ad idem attemptandum excitavit pura, sancta et devota dilectio. Absurdum siquidem et omnino racioni videtur contrarium, ut tanti viri memoria cum sonitu pertranseat apud homines, cuius memoria probatur in benedictionibus esse apud Deum, et non pocius digne in memoria vertatur hominum, qui ad gaudia transierit angelorum. Ad te ergo, o pater, mihi nunc sermo est, quem velut legitimum heredem eodem stallo*[13] *installatum, eadem sede residentem, eodem baculo innitentem, eisdem denique ornamentis sacerdotalibus, quibus sanctus pater divina celebraturus officia sanctis altaribus astabat, adornatum oculis inspicere concessum est. Ad te inquam quecunque de ipsius patris ortu, vita, moribus, conversacione ceterisque memoria dignis a personis religiosis ac Deum timentibus*[d] *investigavero, quecunque ipse scivero, sciens dictavero, dictans conscripsero transmittenda iure decrevi; quatinus a te visa et apud te lecta et relecta tuo iudicio vel radantur vel corrigantur vel approbentur. Ceterum, o lector, teque, o lectionis auditor, qui me forte dices pennas volatui incongruas assumpsisse, maiora viribus attenptasse — quod concedo inperfectum meum recognoscens — te inquam peto ut, dum presens opusculum in manibus tuis inciderit, lectis et relectis, que placuerint tibi assumas imitanda, cetera volumine clauso irrosa et irrasa volumini relinquas. Fieri siquidem in rebus consuevit humanis, quod uni displicet alteri complaceat; quod unus a se proicit tanquam vile et abiectum, hoc alter sustollat tanquam utile et necessarium. Annis*[e] *igitur is de quo sermo habendus est defunctus* 40 *paucis minus; illorum trium, quorum supra mentio habita est, quilibet suo in tempore extitit ecclesie sibi conmisse pastor et rector devotus.*

---

a) o. T. *addidit manus saec. XVI.* a*) ausim *cod.* b) *correxi;* inpius *cod.* c) uluis *cod.* d) timentes *cod.* e) *correxi;* annos *cod.*

10) Hunc prologum ad Gesta Sigehardi abbatis pertinere, v. praefationem nostram. 11) in pago Ostergo, haud procul a fluvio Ee situm. Fundaverat et ipsum hunc conventum Fridericus fundator Mariengardensis; v. eius Vitam auctore Sibrando c. 2. A. SS. Mart. I, 292. 12) Nempe Sigehardi, qui monasterium secundum Menkonem p. 558 rexit a. 33, ab a. ergo 1198—1230. 31) Stallus est locus habitationis, sedes.

1. *De felici obitu abbatis Siardi et electione domini*[a] *Sibrandi ipsiusque prosapie, scientie, vite ac morum qualitate*[b]. Primus itaque pater Sibrandus pii patris Sigehardi[c] successor extitit immediatus, vir genere nobilis secundum seculi dignitatem, sed animi magnanimitate nobilior; magne litterature, eloquencie autem non modice. De qua si scire volueris, o lector, ad librum quem idem de ortu et miraculis primi patris et abbatis Frederici conposuit te mitto. Ibi enim invenies quam lucide, quam honeste, quam denique delectabiliter ipsius patris ortum, progressum et egressum describens ad finem usque perduxit. 1230. Nov. 13. Dec. 13. Iste post decessum patris Sigehardi, qui fuit in nocte Brictii confessoris[14], electus in festo Lucie virginis, presidentibus domno Thidwardo de Dockem, domno Sigehardo de Valle[15] abbatibus, auctoritate domni Macharii Steinveldensis[16] abbatis, per compromissionem in eosdem et domnum Godescalcum et domnum Rainerum ecclesie priores factam, cum esset corpulentus valde, insolitas et inconsuetas ecclesie cepit facere expensas, plures cappellanos habere, laucioribus uti cibariis, in maioribus equitaturis incedere, vestes deliciaciores habere. Et licet hec et huiusmodi ecclesiam viderentur onerare, tamen utpote vir providus et discretus, ipsam ab ipso suo introitu maxime in temporalibus cepit exaltare et ditare, ita ut non solum sui sed etiam omnis populus terre, qui eum facietenus cognoverant, vel deligerent ut patrem vel timerent ut dominum.

2. *Quod Sibrandus prepositum Herdricum excommunicationis sententia innodaverit et publice denunciaverit; pro quo laudem honoremque etiam ab*[d] *adversariis promeruerit*[e]. Hic est Sibrandus ille, qui dudum a suo abbate domino nostro Sigehardo, tunc temporis apostolice sedis legatus in causa, que vertebatur inter pie memorie domnum Emonem Floridi Orti fundatorem et primum abbatem ex parte una et domnum Herdricum fundatorem ac primum prepositum in Scelwalda — qui illo tempore famosissimus ac potentissimus omnium Fivelgonum, Hunesgonum ac aliarum terrarum in Frisia[f] dyocesis Monasteriensis, auctoritate ipsius episcopi Monasteriensis habebatur — missus, eundem prepositum semel, secundo ac tertio legittime citatum, nec comparentem, nec pro se responsalem ydoneum mittentem, pro contumacia excommunicationis sentencia innodare eundem, aliis hoc ei dissuadentibus, 1224. Sept. aliis autem suis clamoribus verba sua et dicta interrumpentibus, in communi cetu omnium Fivelgonum in Appengadomme[g][17], qui eo forte die avidius solito convenerant audire virum nova et inaudita suis temporibus prolaturum, ipso Herdrico presente et minas non modicas inferente, publice denunciavit excommunicatum et ab omnibus auctoritate sedis apostolice arcius evitandum cum suis conplicibus, quorum unus primus ac precipuus extitit Gaico de Fermesum[18] prepositus, avus illius qui eiusdem nominis nunc est prepositus vel decanus, Blondera[19], viris suis consanguineis eum ad hoc factum, postquam cognitus[h] est ab eis, animantibus et in suam eum defensionem recipientibus ac tutelam. Unde factus securior, per iniurias prestito silencio, negocium plenius enucleavit coram omni vulgi multitudine, et predictos prepositos, ut iuri parerent ac excommunicacionis sentenciam formidarent, vel induxit vel coegit, populo, qui antea reclamaverat, sibi applaudente et acclamante: *Alra monna selegest! alra monna selegest*[i][20], dicentes se antea vel vocem vel linguam huiusmodi rarius audivisse. Prepositus autem Herdricus viri constanciam animadvertens, ipsum postmodum abbatem creatum, tanquam sibi amicissimum, in sua ecclesia Scelwald honorifice valde suscepit et cum magnis expensis, ut mihi post patuit, detentum non sine clenodiis a se tamquam suum dominum dimisit, suam gratiam se per hoc assecuturum confidens. Quod et factum est. Nam ex illa die facti sunt amici non dico Herodes et Pylatus, sed Sibrandus et Herdricus, abbas scilicet et prepositus, qui antea forte inimici erant ad invicem.

---

[a] *sic cod.* [b] capitulum primum, secundum *etc. add. cod. quod omisimus, numeris capitum in fronte positis.* [c] Sighehardi *cod. sed per primum* h *linea transducta est.* [d] *alia manu supra lineam add. cod.* [e] cap. secundum *add. cod. vide supra not.* b. [f] in Frisia *uncis inclusa a librario cod. an delenda?* [g] appēlḡadomme *cod.* [h] 9gnitus *cod. similia semper.* [i] *alia manu corr. in* selegeest *et* seelgeest *cod.*

[14] Nov. 13. a. 1230. etiam Emo supra pag. 512.

[15] Vallis sanctae Mariae coenobium prope Dockum, vulgo dictum O. L. Vrouw ten dale.

[16] in Eiflia.

[17] Coetum istum Loppersum, non vero Appingadam, factum esse, v. Emonem supra p. 505.

[18] Farmsum in pago Fivelgo.

[19] Quid sibi velit hoc nomen, eruere non potui. Neque in dioecesi Traiectensi neque in Monasteriensi ulla decanatus sedes huius nominis occurrit. Hoc loco decanatus in Farmsum certo intelligendus est, qui iure hereditario ab avo ad nepotem pervenit. Blondera vero fortasse pro nomine gentilitio Gaiconis habendum est et filium Blonderi significat.

[20] i. e. *omnium virorum beatissime.*

3. *Qualiter diversarum domorum edificia suo a predecessore inchoata abbas Sibrandus ad perfectionem*[a] *usque perduxerit aliaque adiecerit.* Iste opera predecessoris sui, que morte corporis interveniente reliquerat inperfecta, citius ad perfectum[b] ducere nitebatur studiose: camenadam videlicet abbatis ad abbates aliosque hospites recipiendos maiores, dormitorium sororum in Bethlehem; occidentalem quoque partem ecclesie, que eatenus[c] remanserat imperfecta, ex lateribus constructam ecclesie adiecit; refectorium conventus canonicorum, coquinam conventualem a fundamentis erexit et ut nunc cernitur ad perfectum usque perduxit.

4. *Qualiter victum fratrum abbas Sibrandus melioraverit.* Prebendam butiri tempore estivo in gemina refectione melioravit, pulmentum ad cenam, quod antea fratribus non dabatur, dandum fore constituit. Triticum quod antea venundabatur, nec conventibus nisi ob reverenciam duplicium festorum in pane amministrabatur, sicut usque nunc cernitur, purissimum non venundandum sed in refectoriis fratribus ad refectionem pro gratiarum actione referenda ministrandum decrevit.

5. *Quod ecclesie sue possessiones abbas Sibrandus ampliavit.* Possessionibus aliis, quas vel cum viventibus attraxit sive cum mortuis legata suscepit, illas quas hodie ecclesia habet in Merkahowe[d] [21], pro centum libris Hollandensium[e] conparavit a domno Nicolao Persin, amministrantibus officium celerarie religioso viro fratre Bouteto sacerdote et canonico de Mora[22], fratre Ulbodo converso antiquo de Fincum[23], egregiis exteriorum provisoribus, suis temporibus adiecit.

6. *Quomodo ipsius temporibus domno Conrado abbati Premonstratensi domnus Wilhelmus Anglicus successerit, sub quo dissensio in toto ordine suborta fuit.* Huius temporibus canonicus quidam nomine Wilhelmus, nacione Anglicus, a curia Romana veniens, negociis pro quibus venerat promotis, per Premonstratum casu pertransiens, a canonicis ipsius ecclesie de conveniencia abbatum qui electioni preesse debebant, electus est in abbatem, 1233. Oct. 10. pie memorie domno Conrado, tunc existente abbate, per cessionem absoluto. Qui Wilhelmus dum se ferventiorem in observantiis ordinis ac domni pape mandatorum observacionibus plus solito exhiberet et ideo in abbates Francie, qui eo tempore forte remissiores erant, multa crudelitate ut dicebatur per depositiones grassaretur, post evolucionem paucorum dierum iterum a canonicis, instinctu quorumdam abbatum qui sibi eandem forte sentenciam vel timebant vel sciebant imminere, vel inductus vel coactus, sigillum a se reiecit. Quod postmodum, ut pluribus patuit, libentius rehabuisset, sed rehabere non potuit, domno Hugone ipsius ecclesie canonico eidem cicius substituto. Dissensio itaque facta est, non solum inter eos quorum quilibet laborabat esse abbas, alter quia non ex animo renunciaverat, alter quia iam canonice substitutus fuerat, verum eciam in toto ordine, quorum quidam uni, alii vero alteri adherebant et favebant. Et hec dissensio, ut reor, per duos annos aut tres duravit, donec per summum pontificem, qui se medium interposuit, alter confirmacionem recepit, alter in familiam ipsius pontificis est assumptus. Istius Wilhelmi partes fovit noster Sibrandus abbas, eo quod esset ordinis zelator ac emulator vehementissimus paternarum tradicionum.

7. *Abbatis Sibrandi temporibus cruce contra Threntones in Frisia predicata atque cruce signatis muneribus per eos corruptis, plurimi in bello cecidere.* Istius eciam temporibus 1227. abbatis, post occisionem pie memorie domni Ottonis Traiectensis episcopi de Lippia ac aliorum nobilium ducum ac comitum, qui eidem adherebant, militum quoque ac innumerabili fere vulgi multitudine, ante[f] Covordiam[g] a castellano ipsius castri Rodolpho et Threntonibus factam, electo quoque iam pridem viro venerabili domno Wilbrando Hildesemense canonico in episcopum ecclesie vacantis, auctoritate sedis apostolice ad faciendam vindictam in nacionem pravam et parricidalem, ad defendendum ius ecclesie Traiectensis et ad pheodum beati Martini conservandum, cepit predicari crux a predicto pontifice, qui

---

a) pfcīꝫ *cod.* b) pfctm̄ *cod.* c) *recentiori manu cod.* d) merkrahowe, *sed* kr *alia manu in loco raso, similiter in fine una littera erasa est cod.* Markenhove est insula prope Amstelredammum que nunc Merklo ... vulgariter dicitur, que attinet genere .... Orti Marie in p..... *addit in margine manus saec. XVI, ubi tamen quaedam voces abscisae sunt.* e) llandie *alia recentiori quidem manu in loco raso, in principio sequentis lineae adhuc legi possunt litterae* ſiū, *verisimile igitur legendum* Hollandensium. f) *eadem manu supra lineam additum; in linea vox prior erasa est cod.* g) convordiam *cod.*

[21] Infra cap. 36 audit *Merkeraland* et *Markaland.* Est insula Marken in Zuiderzee haud procul ab Amsterdam.
[22] Morra ultra Dokkum versus oceanum situm. [23] Finkum ad meridiem Hallum.

1227. nobilitate animi sui nobilitatem evincebat nativam, que tamen fuerat non modica — frater videlicet comitis de Aeldenborch — contra Trentones et Covordenses, qui adhuc quasi equo animo ferebant mala que fecerant in episcopum occisum et suos commilitones; quorum alii cultris in gutture mersis gutture extracto dilacerati, alii gladiis interempti, alii securibus mactati, alii fustibus excerebrati sub divo, inhumatis diu corporibus, palam omnibus iacebant, dum non erat qui sepelire vel vellet vel auderet. Et quia terra Trentonum immediate ex duabus partibus iungitur terre Fresonum Traiectensis dyocesis, predictus episcopus, utpote vir prudens et litteratus ac multe eloquentie, pluribus eciam malis ac magnis periculis, ex quibus iam se ereptum speraverat, — ut patet in opusculo quod de situ parcium transmarinarum conscripsit, quod et Itinerarium appellavit —, exercitatus, cum prelatis eiusdem terre diversorum ordinum, quorum quidam Premonstratenses, quidam Cystercienses, alii Benedictini, alii Augustiniani fuerant, cepit habere tractatum, qualiter negocium suum utilissimum valeret habere processum. Quorum quidem omnes dicebant aperte, se sui episcopi tamquam veri patris et domini partes fovere, pro episcopi occisione et comitum suorum dolore ad sue[a] beneplacitum voluntatis tanquam filios obediencie promptos et paratos per omnia existere. In occulto autem non omnes sic. Nam quidam eorum, qui propter episcopi presentiam et magnanimitatem facietenus ei[b] non contradicebant[c], Threntonibus et Covordiensibus tamen cordetenus favebant et adherebant. Et hii quidem pro composicione primitus laborandum censuerunt; alii autem, post factum nepharium hostibus in pertinacia durantibus et quasi de facto gaudentibus, non pro composicione laborandum, sed crucis predicacioni instandum esse predixerunt, ut cruce[d] signatorum nomine audito, fama vulgante, se et sua gracie episcopi commendarent et satisfactionem condignam, ipso penitenciam iniungente, subirent. Quid multis moror? Hoc consilio accepto alioque semoto, predicacioni opera datur. Innumerabilis populorum multitudo, iuvenes similiter ac virgines, senes cum iunioribus, cruce signantur; quorum alii per se mittunt, alii per se vadunt. Verbum auditur in Threntia et contremiscunt, Covordienses in pavorem velut in mentis excessum inducuntur. Timor et tremor omnes simul[e] invadit; irruit super eos formido et pavor in multitudine crucis signatorum, in fortitudine brachii excelsi, ita ut vix in eis remaneret habitus. Tandem aliquot tali modo transactis diebus, resumpto spiritu sapientes Babilonis tractatum habere ceperunt, quo facto opus esset. Incidit forte in mentem alicuius eorum illud sapientis Deut. 16, 19. dictum: ***Munera**[f] **excecant oculos eciam prudentum**,* quod rarius fallere consuevit, ut notatum est. Inito ergo consilio congregataque pecunia amicorum suorum ac familiarium, sive qui propinqui fuerant sive qui remoti, modo per se, modo per internuncios aures interpellabant, ut sibi subvenirent; modo illis munera dantes et plura promittentes, modo recipere nolentes, ut reciperent cogentes. Omnibus autem et his et illis servicii perpetui debitores non solum se, sed omnem suam terram, postmodum futuros, iureiurando firmabant, si se tempore necessitatis huius iuvarent. Nec mora, capti sunt a mammona iniquitatis qui cruce signati fuerant sui redemptoris; magisque fideles extiterunt eis a quibus munera dampnacionis receperunt, quam suis qui quasi eorum colla ipsis ad protectionem subdiderunt. Vexilligeri fere omnes erant vel consiliarii exercituum principales ad opus communiter electi. Threntia igitur circumcincta ab omni parte exercitibus innumeris; qui intus erant, quid facerent, quo se primitus verterent nesciebant, quia multitudinem conductorum armatorum etsi habebant, ne forte dolus esset in causa, eis confidere non audebant. Dividentes igitur exercitum suum contra omnes obsidionum partes se viriliter preparabant ad resistendum, illius sequentes consilia qui docuit pugnandum pro patria. Facta autem congressione, pugnatum est acriter hinc et inde. Threntones autem confidentes in amicis, quos inter inimicos habebant, spontanee sed tamen ut inviti inimicos intra sue terre municiones admiserunt, quot ad predam et internicionem habere voluerunt; et sic dato signo vexilla sunt deiecta populusque in fugam conversus. Illorum autem qui 1232. Sept. 20. obsidionem intraverant, alii capti, alii vulnerati, alii crudeliter ab hostibus sunt occisi. Inter quos nobilis ille[g] decanus Ostergie Hessellus primo quidem ab equo nescio quo modo deiectus, captus est a quibusdam servientibus. A quibus quia incognitus[h] erat requisitus, si aliquid solvere posset, cum eum divitem ac decanum fore didicissent, pro eo habendo ceperunt concertare. Quo adhuc dicente: *Omnibus vobis sufficio respondere*[a], subito alius 1232. quidam adveniens cum baculo grandi, quem manu tenebat, percussum ipsum excerebravit dicens: *Sic divisus, equaliter dividet omnibus.* Ita defunctus est, sui similem in decanum non relinquens. Audita autem fama volante fuga unius obsidionis, fugerunt et qui in alia obsidione fuerunt; nec fugere dubitaverunt, quo ignominiam etiam post mortem haberent; et sic alii, sic et isti capti, vulnerati, occisi sunt. Qui effugere non potuerunt, resistere timuerunt. Episcopus autem, qui cum suis iam magnam partem terre hostilis intraverat, auditis quae contigerant, exercitum suum retraxit et in suum castrum illesum reduxit.

---

[a] *sequitur in cod.* ãt, *sed linea* ˜ *et* ı *sunt secundae manus in loco raso, adhuc dinoscuntur* af...ũ.. [b] i *secundae manus in loco raso cod.* [c] *secunda manus supra lin. add., in linea vox erasa, sed cognosci adhuc possunt* audebant IIIIII *cod.* [d] *corr. ex* crucis *cod.* [e] sil' *cod.* [f] *supplevi; deest cod.* [g] nobiles *cod.* [h] incongnitus *cod.*

8. *Quomodo debitas suis sceleribus penas castellanus Covordiensis luit*[b]. Non post multum autem temporis castellanus Rodolphus esse dicebatur a satellitibus episcopi captus et vinculatus. Cum magna ut dicebatur contricione aliquamdiu vivens retentus, tandem episcopo sive annuente sive renitente in rota positus est, condignam meritis excipiens 1230. Iul. 25. ulcionem cum suo cognato[c] Hemone[24], qui nimium robustus dicebatur. Iustum quippe videbatur, ut qui socii criminum erant indivisi, participes penarum essent[d] et socii.

9. *De domni Traiectensis abbatisque Sibrandi nostri amicitia, deque sepultura pie memorie domni Hesselli Oestergie decani, viri celeberrimi.* Tempore autem predicationis sancte crucis episcopus iste familiarissimum et amicissimum se exhibebat abbati nostro Sibrando, qui eciam sibi inter suos fidelissimos fideliter astabat, tam per suos quam per se negocia ecclesie Traiectensis promovendo. Decanus autem Hessellus inter mortuos que- 1232. situs et inventus, in suam patriam cum lachrimis suorum et eiulatu reductus, apud nos in Orto sancte Marie manibus ipsius abbatis, sermone consolatorio prehabito ad populum lugentem et flentem, officiose est sepultus. Cuius anima requiescat in pace. Amen.

10. *Quod domna Anastasia duo cenobia, unum canonicis fratribus, aliud sororibus, construxerit nobiliterque dotaverit, abbate Sibrando sorores de Bethlehem eidem assignante.* In diebus etiam istius abbatis reverendissima domna Anastasia Pomeranorum ducissa[25] cum[e] bone memorie domno Ottone abbate de Belboech, quod alio nomine Castrum sancti Petri appellatur[26], cuius ipsa fundatrix extiterat, tractatum habere cepit de cenobio sororum[27] construendo, silvas lignorum, villas cum decimis, terras ad colendum cum possessionibus et piscacionibus necessariis ad usus sororum, dummodo prior ydoneus et provisor utilis eisdem sororibus per abbatem assignaretur, liberaliter assignans. Quod audiens abbas gavisus est valde — erat enim multo tempore cupiens audire, que tunc audiebat — et ut domine ipsius voluntas haberet effectum, omnem se operam adhibiturum efficaciter pollicetur. In brevi igitur sororum mansionibus constructis, cum litteris petitoriis ducisse se preparans ad iter, transiens[f] vias invias, aquosas scilicet et inaquosas, quarum[g] quelibet laborem itinerantibus generant et gravamen, venit in Fresiam, de negocio et voluntate ducisse cum abbate Sibrando, ad quem ecclesia Belbocensis immediate spectabat, tractaturus. A quo honorifice susceptus, cognitoque[h] pro quo venerat, et ipse gaudio repletus est, exultans spiritu ultra quam credi potest, et gratias agens eo quod cultum nominis divini per structuram novi cenobii suis in diebus sic contingeret ampliari. Habito igitur cum senioribus domus sue consilio, qui omnes congaudebant in hoc quod audiebant, sorores in Bethlehem, quas predictum negocium magis tangebat, alloquendas decrevit. Iniunctis autem orationibus in conventu fratrum, in presencia coabbatis sui, abbas Sibrandus prehabito sermone hiis exhortationibus usus est: *Licet, dilectissime Deo mihique sorores, relictis seculi vanitatibus illecebrisque spretis et contemptis, Deo soli in hac sacra religione sub obediencia militare decreverimus, ut pro terrenis que reliquimus celestia, pro transitoriis que contempsimus eterna premia nobis promissa percipiamus, vera tamen et perfecta non erit hec virtus, si non ex tota anima, ex omni mente, ex omnibus viribus, ex toto denique corde, quod Deo est placitum et nostre saluti proficuum affectuosissime faciamus, quatinus eius voluntas fiat sicut in celo et in terra. Voluntati siquidem certissime probatur*[i] *concordare divine, si sicut pater clarificavit filium suum secundum formam servi, resuscitans eum a*

---

[a] responde't *cod.* [b] luit *manu saec. XVI. in margine cod.* [c] ɔgnato *cod.* [d] ēēt *cod.* [e] *deest cod.* [f] trasiens *cod.* [g] *alia manu in loco raso cod.* [h] congn. *ut semper cod.* [i] ɔꝓbatur *prius,* ɔ *ab ipso scriba deletum est lineolis transductis.*

[24] Heinricus de Gravestorp audit in Gestis ep. Traiect. c. 33. supra p. 421. [25] Vidua Bogislavi I. ducis. [26] Belbuck prope Treptow ad Regam, dioecesis Caminensis. [27] quod infra cap. 50 appellatur Rubus, nobis Marienbusch, postea translatum in oppidum Treptow.

mortuis et collocans in celestibus, ut ait beatus pater Augustinus, sic quoque per filium clarificetur pater, si per eum sanctum nomen eius, quod est benedictum in secula, de die in diem, de gente in gentem et de regno ad populum alterum a suis fidelibus fideliter annuncietur. Annunciatum est, dicitis, in universa terra predicatum est verbum salutis a solis ortu et occasu, ab aquilone et mari. Quid deinceps opus est laborare? Necesse est, o filie, necesse est non solum audientibus sed etiam verbum Dei dicentibus. Quare necesse? Quia laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere; oportet eciam per personas religiosas ac Deum timentes verbum auditum, ut in bono statu perseveret et fructum faciat tricesimum, sexagesimum sive centesimum, confirmari. Sicut autem predicacio fit verbo et opere, ita eciam confirmacio predicationis non solum spirituali verbo sed etiam boni operis exemplo. Predicacio itaque verbi sicut solis viris litteratis, ne error generetur, cum necesse est, committitur, ita eciam predicatio boni exempli et sancti operis non solum viris sed et religiosis feminis commendatur. Puto intencionem iam advertitis et defluencia ex ore meo verba vestris intencionibus prevenitis. Et quid plura? Domna Anastasia Pomeranorum ducissa tam verbis quam exemplis abbatis ac fratrum de Belboch inducta, sicut a predecessore nostro beate memorie domno Sigehardo abbate conventum exegit canonicorum, ita eciam a nobis, sicut ex suis patet litteris, sollicite requirit sibi exhiberi conventum sororum, quarum monitis et exemplis edocta et inducta, relictis pompis seculi et vanitatibus illecebrosis, cum sacris Christi virginibus uñi[a] *viro Christo adherens, sine macula et ruga Christo sponso valeat exhiberi. Oportet igitur in hac vestra sancta congregacione huiusmodi personas et inveniri et esse, que vestigia fratrum ad eundem locum transmissorum sequentes et normam quam sunt edocte secum assumentes, nec cum uxore Loth retro respicientes, sed in anteriora se cum apostolo extendentes, eorum cum quibus conversabuntur doctrine studeant et saluti pro viribus deservire. Ut autem discrimini et periculo in via habendi in animo vestro locus non sit, licet onustum corpus onerare me videatur, vie tamen et laboris per mare et terras me habebitis socium ac ministrum.* Hec et huiusmodi fatus, religiose sorores se suis monitis optemperaturas dicebant; eligeret et assumeret ad negocium hoc ydoneas quas vellet de conventu. Nec mora, eliguntur, electe denominantur, denominate in infirmitorium pro recreacione assumuntur. Licentia quoque visitandi claustra et salutandi amicos sub bona tamen custodia conceditur. Abbas ad iter preparatur, ventus prosperatur. Navis aditur, anchora tollitur, vela panduntur, prospero cursu citius in Hamborch et sic ulterius versus Belboch in Sclaviam pervenitur. Audito autem abbatum adventu ac sororum, conventus letatur, ducissa pre ceteris gaudet et ad recipiendas diu desideratas personas totam se affectuose preparat, immensas gratias referens Deo, qui iter prosperaverat, abbati Ottoni qui suis laboribus et expensis sorores adduxerat, abbati Sibrando, quod peticionem suam admiserat et cum sororibus suis se visitaverat. Omnibus autem et his et istis pro laboribus et expensis liberaliter et copiose respondebat. Suis temporibus non fuit talis mulier visa in universa terra. De qua, o lector vel auditor, quia me quod audivi et didici non piguit scribere, te quoque[b] non pigeat legere[c] vel audire. Factum[d] siquidem quod dignum est referri, dignum est audiri; et quod dignum est audiri, dignum est conscribi, quod dignum est conscribi, dignum est memorie conmendari, quod dignum est memorie conmendari, dignum est et imitari. Ex veridica autem relacione sic percepi.

11. *Qualiter sui generis nobilitatem virtutibus longe prestancioribus domna Anastasia evicerit.* Hec matrona nobilis nobilitatem sui generis cupiens imitari subque femineo pectore virilem gerens animum, cum esset nobili orbata marito, filiis[28] adhuc infra annos pubertatis existentibus, ipsa ducatus dignitatem tam provide quam honeste ac strennue procurabat. Quibus, dum adhuc ordiri viderentur, sicut a texente tela succiditur, de medio succisis, ipsa licet animo gravaretur, in relictis tamen eorum parvulis[29] spem habens, tanquam in suis nepotulis sicut prius consueverat, in eodem regimine non minoribus invigilare curabat laboribus. Et quia forte legerat vel audierat illud sapientis dictum: *Diligite iusticiam qui iudicatis terram!* non sicut illi, *qui dicunt bonum malum et malum bonum, ponentes lucem tenebras et tenebras lucem, qui pervertunt iudicia ut facere videantur iusticiam,*

Sap. 1, 1.
Ies. 5, 20.

---

a) uno *cod.* b) *sequebatur* tco (lecto?) *nunc erasum cod.* c) *sic ex corr. et rasura cod.* d) ffactum *cod.*

[28] Bogislavo II. mortuo a. 1220. et Kasimiro II. mortuo a. 1219. [29] Barnim I. Stettinensi et Wartislavo III. Demminensi.

iustificantes impium pro muneribus, sed sicut mulier fortis de qua legitur, *quod de ultimis finibus precium eius faciens iudicium et iusticiam in terra*, os suum aperuit[a] sapientie. Prov. 31, 10. Legem quoque clemencie non oblita, manum suam aperuit inopi et palmas suas extendit ad pauperem. Sexum eciam femineum quasi conmutans in virilem, pater extitit orphanorum et vindex[b] viduarum. In omnibus autem his, cum volebat, abbatem Ottonem vel socium habebat vel ministrum.

12. *De humilitatis ac paciencie magnanimitate domne Anastasie deque abbatis Ottonis vehementi paternarum tradicionum emulacione.* Puerulis autem istis diligenter educatis, cum adolescentie metas transegissent et ad virilem pervenissent etatem, suo consilio ipsi parentum suorum patrimonio distributo, ac ducibus altero Diminensi, altero Stetinensi constitutis, ipsa cum sororibus, quas educi fecerat, ob sacre religionis quam imitaretur normam in seculari tamen habitu et propria expensa, quam sibi ex suo dotalicio reservaverat, frequencius conmanebat. Et licet severum animum, quem gerebat in pectore, severitate vultus ostentaret in facie, quadam tamen die cum sororibus quae sibi tunc aderant solito hilarior effecta, extra septa monasterii omnem conventum sororum ad spaciandum secum eduxit in campum, abbatis super hoc irrequisito consensu, qui in vicino manebat, et reduxit. Quod factum abbas audiens, crastina die veniens ad capitulum, priorissam acriter proclamavit, omnem conventum corripuit, in ipsam etiam dominam forte plus debito invectus est. In hanc scilicet[c], quod contra ordinis instituta sive sciens sive nesciens conventum metas sibi constitutas transgredi fecisset, in hunc autem, quod mandata sciens scienter contra egisset nec transgredi hortantem pro suo posse retardasset. Venia igitur coram abbate omnes petita et obtenta, dies ieiunii in pane et aqua professis ordinem est iniuncta. Mira res! Licet ordinem non professa, licet mandatorum ordinis ignara, quae primam se exhibuerat in transgressione, consortem se et sociam exhibebat in transgressionis emendacione. Ieiunatum itaque est sine dispensacione sicut ab ancilla sic et a libera, sicut a famula sic et a domina, sicut a sorore sic et a matre. Interim autem servos suos in villam proximam transmittens, mandavit sibi de optimo potu et pane delicatissimo habundantiam preparari et ad vesperam liberaliter exhiberi. Tempus enim forte erat gemine refeccionis. Quibus ad vesperam, ut domina imperaverat apportatis, ipsa, accito sibi abbate, sic ait: *Hactenus, o abba, factum est sicut imperasti; sed quia adhuc superest tempus miserendi, necesse est ut tu quoque facias quod nos fecisse probasti. Obedivimus tibi hodie tanquam patri; obedire te nobis hactenus oportebit tamquam tue matri. Pransi sumus mane, sed sine te; eciam sumemus ad vesperam, Deo volente, sed certe non absque te. Allioquin pax minime erit inter te et me.* Sic fata, abbas animum[d] domine, cuius offensam portare nec poterat nec volebat, cupiens mitigare sibique ac ordini satisfactum esse perpendens, ad eam forte sic ait: *In manibus tuis, o domina, et nos et tempora nostra. Sicut bonum videtur in oculis tuis, sic fiet.* Cena igitur ut mandatum fuerat preparata, mense ponuntur, mensalia sternuntur, abbas cum suis, quos habere voluit, vocatus venit, conventus sororum ex abbatis mandato adest, ex appositis cenatum est, bibitum est ab omnibus in leticia et exultacione quantum refectioni corporum videbatur conpetere. Inter cenandum autem domina abbatem cepit habere commendatum, quod constanter egisset pro ordine, ordinis transgressiones, suam persone presenciam non veritus, districtius corrigendo. Abbas autem econtra dominam de virtute collaudabat paciencie, qua sui animi vehementiam, quam eciam verbo exsufflare potuisset, sic equanimiter tolerasset. Sic ipsis pie hinc inde concertantibus, domina letior effecta gaudio repletur, vultusque eius, sicut de Anna Samuelitica legitur[30], non sunt amplius in diversa mutati.

13. *De felici obitu domne Anastasie reverentissime.* Tempore autem post non multo, annorum suorum labente curriculo, defuncta est in senectute bona[31]; in eodem claustro sororum ab abbate loci non sine multorum lachrimis qui convenerant sepulta, multarum virtutum exempla suis posteris relinquens imitanda.

14. *De sororibus qui sese pro Dei amore ad exteras naciones tradiderunt perpetuo moraturas.* Bethlehemiticarum autem sororum, quae patriam parentesque propter ordinis honestatem ac religionis dilatacionem relinquentes ad peticionem domnorum abbatum

[a] *sic corr. alia manu ex* aperui *cod.* [b] udex *cod.* [c] silicet *cod.* [d] *sic ex correctura cod.*

[30] 1 Reg. 1, 18. [31] post diem 31. mensis Maii a. 1240. secundum Cohn, Stammtafeln.

gravamen exilii animo constanti subierunt, nomina sunt hec: soror Ava de Mercelum, amita Sibrandi Renekenga, germana soror Renici iunioris, de quo aliqua urbanitatis forte possent gesta conscribi quoad seculi dignitatem, si materie preiacentis excellencia hoc prohibere non videretur. Huius Renici avus extitit Renicus ille nobilis et potens de quo in vita legitur patris et abbatis Frederici[a] [32]. Soror Siburbis, germana ipsius abbatis Ottonis. Horum quoque germanus frater extitit pie memorie frater Thomas canonicus Orti sancte Marie, quondam eiusdem ecclesie prior, postmodum sororum in Bethlehem prior et confessor, qui eciam in eodem existens officio appositus est ad patres suos. Soror Eltetis de Groningen, et altera eiusdem nominis de Liuwerth. Soror Tetta Translaicana, et altera eiusdem nominis de Westergine. Soror Margaretha de civitate nobili et cesarea Groningensi, et altera nominis eiusdem de civitate eadem. Soror Vernua de Twislum, et soror Intetis, quae fuit germana soror fratris Geldardi supprioris ecclesie in Dockum, qui et secutus eam in Belboch, diu prioratus officio functus est[b] ibidem. Iste numero sorores decem vocacione, qua vocate fuerant, forte digne invente sunt et ideo in sua vocacione fideliter feliciterque perstitere, aliis quibusdam, que denominate fuerant, retro respicientibus nec iam cum Iesu in obedientie via perfecte ambulantibus. Ab his eciam decem primitus in Sclavarum terminis disseminatus est ordo sororum Premonstratensis ordinis. Et hec de his incidenter dicta sufficiant.

15. *Qualiter Florencius Hollandie comes Westfrisie partes intraverit, qualiterve fratre ipsius in Traiectensem episcopum electo, Trentones eidem reconsiliati sint.* Temporibus istis Florencius comes Hollandie magnanimitatem sui animi ac ingenii subtilitatem pluribus cupiens declarare, suum ius exquisiturus venit in Fresiam et honorifice ab hominibus terre receptus est ac pro comite in partibus Westerginis, videlicet in Franecre[33], ubi locus ad hoc constitutus habebatur, recognitus[c]. Cumque causas ad se pertinentes amice satis tractare cepisset, animos nobilium terre in sui favoris partes forcius temptavit inflectere, quatinus per eos intencionis sue secretum, quod per se forte dissimulabat revelare, facilius quiret nobilioribus terre fulcitus effectum sibi voluntario mancipare. Hic dum taliter aliquot diebus in suorum negociorum prosperacione, cum sibi videbatur, gauderet: ecce subito die quadam nuncius de civitate Traiectensi adveniens nunciabat, pie memorie 1233. Iul. 27. domnum Wilbrandum eiusdem civitatis episcopum viam universe carnis ingressum apudque Sanctum Servacium, cuius cenobii ipse fundator ac patronus extiterat, ut[d] talem decebat pastorem ac doctorem, honorifice conmendatum sepulture. Et quia predictus comes alieni existens sanguinis fratrem carnalem habebat[34] iam prepositum ad summum, licet etate iuvenem, quantocius hac fama percepta, relictis tractatibus quos habere ceperat in Fresia, ad iam dictam civitatem ire festinabat, quatinus huius consilio et iuductu frater ad honoris episcopalis promoveri potuisset dignitatem. Quod factum est, ac deinceps vite sue diebus comes iste partes Fresie non apposuit intrare, gladiusque sanguinem forte siciens ac libertatis Fresonum eatenus a temporibus Karoli magni imperatoris Romani habite debito plus invidens, qui iam quasi exemptus videbatur de[e] vagina, nutu divino cessavit percutere Israel. Huiusmodi autem electionis celebracione et confirmacione Trentones, qui episcoporum ut supra tactum est inimici capitales extiterant, audita, recolentesque que et quanta mala fecerant duobus huius electi predecessoribus, legacione transmissa, sibi precavere cupientes, in manus electi ac sui fratris, memorati comitis, se suaque dedentes, pacem sibi ac suis terminis affectuose postulabant, pecuniarum exactionem, quam imposuissent, pro omni suo errato se fideliter statutis terminis solvere spondentes. Comes ergo cum fratre electo sapienciori usus consilio, plenariam emendam, quae ipsis sine omni sanguinis effusione sponte offerebatur, recipiendam inire decrevit; et ita lis et discordia eatenus multo tempore habita inter episcopos et Trenthones sopita est, hac condicione apposita, quod a Trenthonibus in loco, quo episcopus Otto bone memorie cum suis conmilitonibus fuerat occisus, cenobium sororum Cystertiensium[f] construeretur et conpetenter dotaretur, ubi divine laudis organa iugiter in memoriam resonarent occisorum. Quod cenobium non multo post tempore de loco eodem ex conveniencia bone memorie Hinrici episcopi[35], qui

---

a) ffrederici *cod.* b) est *addidi.* c) reognitus *cod.* d) *deest cod.* e) *correxi;* in *cod.* f) cystersientium *cod.*

32) In Vita Friderici edita nil tale reperitur; forte cogitavit de Vita Sigehardi. 33) Franeker. 34) Ottonem nomine, episcopum III. 35) Qui sedebat a. 1250—1267.

tercius ab ipso Ottone extiterat, pro statu claustro magis conpetenti translatum est et in parrochia Roldensi[36] in solitudine que Hassen antea vocabatur constructum; unde et nomen Assen[37] accepit.

16. *Qui prioratus officio functi fuerint sub abbate Sibrando.* Istius abbatis, videlicet domni Sibrandi, temporibus priores fuerunt in Orto sancte Marie: bone memorie frater Godescalchus cognomento *goda brother*, Lutwerdensis[38] nacione, quem idem abbas in eodem officio invenit; qui eciam, ut superius tactum est in primo capitulo *Primus itaque*, unus fuit ex illis in quos predicti abbatis electio fuit conpromissa. Isto propter senium ac debilitatem cum senio senibus advenientem absoluto, substitutus est frater Menoldus ecclesie tunc camerarius de nobilibus Sembranda viris, partium orientalium oriundus. Iste, officio prioratus sed heu brevi tempore strennue amministrato, incidens in morbum quem caducum appellant, absolucionem officii petiit et obtinuit nec multo post tempore supervixit, fratre Herardo tunc ipsius infirmario multam sibi humanitatem propter Deum exhibendo.

17. *Quod magistrum Fretherícum doctrina et religione clarissimum abbas Sibrandus in priorem constituerit.* Circa idem tempus pueris scholaribus, qui tunc recipiebantur, existentibus in Grind[39], magistro Wbbone, filio domni Dodonis de Wandelswerth[40], ad ipsorum instructionem conducto, scole eatenus habite in Orto sancte Marie sub magistro Fretherico ipsius ecclesie sacerdote et canonico, pueris qui sub eo fuerant iam adolescentibus, ceperunt minorari et quasi defluendo deficere. Quod abbas considerans, ut scholares illos ad conventum et ad noviciatum reciperet et magistrum Frethericum priorem tocius conventus institueret animum apposuit. Iste Fretherícus arcium magister quas liberales appellant, inter eruditos existens eruditus, gramatice que prima ex septem et dicitur et est, eruditorum erudicior tunc temporis ab omnibus magistris habebatur, ita ut circumquaque de omnibus Fresie partibus, ubicunque fuerant, clerici litterati vel arcium periti ad ipsum sepius confluerent, nodosas seu intricatas questiones, quas forte diucius excogitando sive legendo adinvenire poterant, deferendo proponerent, quas omnes ipse facilius quam credi potest explicatas solvebat et conplanabat. Auctoristam ipsi similem Fresia vix habebat; Persium, Iuvenalem, Virgilianos, Oracianos, Ovidianos, quos habebat pro multa parte corde tenus, et sciebat et legebat, in quibus legendis et relegendis iuvenis existens, ut quandoque ipsum audivi dicentem, quam plurimum iocundabatur et delectabatur. Etate vero succedente, ut pro parte cognovi, certe non sic. Nam libris istis gentilium sepositis, in libris catholicis videlicet Boecio, Prudencio, Aurora, Aratore, Sedulio, Florido aspectu[41], Iob et Thobie libris ac ceteris, quos longum est enarrare, suorum scolarium[a] ingenia exercebat. Insuper in dictatura, versificatura, in declinacionibus, in parcium regiminibus sollerter eosdem insistere curabat. Ipse vero in libris veteris scilicet ac nove legis frequenter intentus, psalmorum David precipue ruminacionibus ac dulcioribus super mel et favum meditacionibus invigilabat. Et ut breviter concludam, omnium librorum sacre pagine quos vel habuit vel habere potuit, videlicet Gregorii, Ambrosii, Augustini, Ieronimi, Bernardi ac aliorum sancte ecclesie doctorum, vix aliquem a se reliquid indiscussum, de quo fructum non carperet salutarem, quem non solum suis usibus aptum reservaret, verum aliis quibuscunque necessitatem qualemcumque pacientibus refocillacionis causa inpertiri potuisset. Oracionibus continuis eciam preter horas constitutas instabat, semper in eis faciendis querens secretum. Delicta iuventutis et ignorancie deflens, corpus ieiuniis in abstinencia esce et potus quantum valitudo permittebat macerabat. O quociens quis ipsum in ymnis et canticis suave[b] sonantibus vidit uberrime flentem et cantantem, simul audivit iubilum cordis, quem in interiori homine inspiratus habebat hiis exterioribus signis patentibus forsitan ostendentem.

18. *Qualiter in prioratu magister Fretherícus se gesserit.* In prioratu autem positus, licet pluribus hic[c] placeret, quibusdam autem, ut in huiusmodi fieri consuevit, forte non sic. Lineam tamen rectitudinis non deserens, omnibus se eque amicabilem et eque severum,

---

a) sclolarium *cod.* b) *sic ex corr. al. manu, prius* suaviter? c) ħ *cod.*

36) Rolde in Drenthe media via inter Groningen et Kovoerde situm. 37) Assen. 38) i. e. Leeuwardensis. 39) Olim oppidulum, postea parva insula, ut docemur ex adnotatione infra c. 23 alleganda, hodie vero et ipsa ab oceano demersa videtur. Cf. etiam Driessen, Mon. Groning. IV, 843. 852. 40) Wanswerd. 41) Lamberti canonici S. Audomeri, cf. Archiv VII, 540.

vultum hiis ac illis prout meruerunt sive bonum sive malum ostendebat. Infirmos frequencius visitabat; in infirmitorio inverecunde iacentes ut ad conventum redirent mandabat; hospitibus hospitalitatem multam exhibebat; pro culpis emissos forcius corrigebat; transgressores ordinis durius corripiebat; religiosas personas ac Deum timentes et fovebat et attrahebat; omnibus autem indigentibus et necessitatem pacientibus prout poterat subveniebat. Et quia perlongum videtur, omnia sua vel dicta vel facta per singula vel rimari vel describere, anno prioratus sui, ut reor, quarto, qui fuerat domni Sibrandi abbatis et officii octavus et vite ultimus[42], idem pater percussus est morbo, quo invalescente post dies aliquot subtractus est ex hoc seculo.

19. *De infirmitate pioque decessu, sepultura et epithaphio magistri Fretherici.* In infirmitate autem positus, viribus corporis sui deficientibus, fratrem quemdam de conventu tunc iuvenem, satis mihi familiarem et notum, sibi assumpsit in ministrum, mandans ei quatinus sibi lectum in camera quondam sua prope scolas, ut infirmitati morem gereret, citius prepararet. Quod idem frater sollicitus de iussione promovere quam ocius curavit. Vespere autem facto cum soli essent, idem licet trepidus perquirere cepit, cur in infirmitorio communi, cum multum esset debilis, iacere noluisset. Respondit: *Ne forte gravamen aliquod per me fratribus in eo nunc existentibus generetur.* Et ille: *Vultis,* ait, *unum aut duos advocem de conventu qui mecum per noctem vestri curam habeant?* Ait: *Non frater, spero enim de bonitate Dei, quod tua mihi providentia sufficiet.* Ita tribus aut quattuor noctibus prout poterat minister in timore ac tremore, ne subito decederet, quasi insompnes ducens, curam magistri[a] animo vigilanti gerebat. Interim autem abbas, qui foris fuerat, domum reversus, audita sua infirmitate, venit visitare eum, plurimum dolens, si tanti viri presentiam corporalem ecclesie sue per mortem temporalem subtrahi contingeret. Audita autem ipsius confessione, quam usque ad id tempus minime reservaverat, absolucione facta, extremam recepit unctionem, petens sibi viaticum sacrosancti corporis Christi per manum et ministerium alicuius sacerdotis exhiberi. Et quia frequencius per omnem suam infirmitatem nauseam paciebatur, ne periculum generaretur, sacerdote cum pixide corporis Christi ianuam intrante, ipse ut vidit, suo corpore erecto ut poterat, expansis manibus exultans in spiritu huiusmodi salutacionem protulit: *Ave, rex noster, fili David, redemptor mundi, quem prophete predicaverunt salvatorem domui Israel esse venturum.* Itaque lacrimis devocionis totis visceribus resolutus, quod reliquum est lectitans conplevit, itemque: *Iesu nostra redempcio, amor et desiderium, deus creator omnium, homo in fine temporum.* Sic notum prosequens ymnum, sacerdote coram eo stante et pixidem in manibus tenente, non sine lacrimis plurimorum qui aderant orationes fundebat. Manibus autem ablutis, pixidem apertum in eis accipiens inspiciensque corporis Christi sacramentum, ut vidit, elevatis Luc. 2, 29. oculis dicebat ymnum Symeoniticum: *Nunc dimittis* usque in finem, deosculansque ac se ipsum cum vase consignans dicebat sic: *In manus tuas Domine Ihesu Christe conmendo spiritum meum, redemisti me Domine Deus veritatis.* Hocque versiculo ter dicto, item deosculans et se cum fletu consignans reddidit sacerdoti in sacrarium reportandum. Minister autem suus hoc considerans memorie conmendabat attencius. Quem ad se vocatum admonebat, quatinus omnia que separacioni corporis ab anima essent necessaria tempestive prepararet et apportaret, aquam videlicet benedictam, crucem, turribulum, thus, ignem, lucernam: *Ne me,* ait, *in agonia constituto fratres pro hiis habendis discurrere oporteat et oratio mihi necessaria inpediatur.* Dicebatque: *Cum videris resolucionis mee tempus adesse, corpore super sagum vel cilicium collocato, sociis tuis ipsum custodientibus, tu vadens ad tabulam, quam fratres ad laborem ducturus*[b] *percutere consuevi, crebris ictibus ad fratres excitandos percute sicque cicius revertens cum aliis spiritum meum Domino conmenda.* Sic 1236. Mart. 15. fatus, subito vocis organo lingueque usu cessantibus, nocte hanc vesperam sequente, dictis matutinis, spiritum reddidit, ipsoque die ab abbate ante capitolium fratrum cum multarum lacrimarum effusione sepulture traditus est. Pro epytaphio[c] autem abbas Sibrandus hos conposuit versus:

Hoc iacet in tumulo prior et doctor Fretherícus,
Ecclesie speculum mente manuque sue;

---

a) *supra lin. ead. manu add., in linea legitur erasum* sibi *cod.* b) ducturos *cod.* c) ephytaphio *cod.*

[42] Hoc falsum; Fridericus enim secundum epitaphium c. 19 obiit a. 1236; Sibrandus vero a. 1240.

Post medium noctis exutus carne, decorem 1236.
Induit a Domino, spiritus[a] *eius ovans.*
Martis erat Idus, sexta[b] *tunc luce sequente,*
Quando cinis cinerem, terra recepit humum.
Anni ter deni fluxerunt, mille ducenti,
Bis terni, mater cum pia virgo fuit.

Dicebat igitur abbas fratri qui minister prioris fuerat in infirmitate: *Describens hos versus in scedula ad hoc aptata*[c] *affigensque*[d] *lingno, desuper vitro ut possit durare ordinato, ad caput sepulchri muro fac inseri, ut transeuntes per conventum scriptaque legentes orationem saltim elemosinariam pro eius anima fundant ad Dominum.* Quod mandatum dictus minister segniter inplevit, immo ut verum fatear cum ipso, quia idem mihi est ut ego, penitus inplere neglexit. Litteram siquidem prout poterat describens, artificum adiutorium ut debuit non expetiit, super hoc neglectu sibi postulans indulgeri.

20. *Magistro Fretherico frater Thomas in priorem substituitur, abbas Sibrandus carnis debitum feliciter solvens debito cum honore sepelitur.* Huic priori substitutus est frater Thomas, de quo mentio est in capitulo *Bethlehemiticarum*[42*]. Iste frater Thomas prefati magistri Fretherici ad ecclesiam Premonstratensem pro cantu ac legenda secundum mandatum apostolicum ad uniformitatem revocanda simul ac consuetudines ordinis addiscendas comes et consocius fuerat indivisus. Hoc igitur circa festum paschale ad officium prioratus Mart. 30. instituto, heu dictu! nobilis illa ordinis columpna, Sibrandus videlicet abbas Orti sancte Marie post Kalendas Augusti cepit infirmari, nec multo post decumbens lecto, circa festum 1240. Aug. 1. assumpcionis domine nostre, videlicet 12. Kalendarum Septembrium die, moritur[43], hono- Aug 21. reque debito funeri exhibito, ante altare sancte crucis in medio ecclesie sepelitur. Ad cuius exequias tam cognati quam noti et familiares ex remotis eciam partibus confluentes, se patrem patrie dominumque terre velocius debito amisisse lamentabantur.

FINIT VITA SIBRANDI ABBATIS ORTI SANCTE MARIE.

INCIPIT VITA IARICI ABBATIS ORTI EIUSDEM.

21. *Et primo de predicti domni Iarici viri doctissimi electione.* Missis itaque nunciis in Steinvelt ad patrem abbatem, qui adhuc fuerat domnus Macharius, vir Deo devotus, etate senior, a latere ipsius abbatis missus est bone memorie frater Petrus predicte ecclesie prior, qui vice abbatis ecclesie viduate ydoneo secundum formam canonicam provideret de pastore. Qui veniens, accitis de vicinioribus ordinis abbatibus, presidensque sermone prehabito fratres ad conpromissionem faciendam cautius induxit. Qua facta concordatum est, ac denominatus fuit Iaricus ecclesie sicut etate senior ita moribus maturior existens canonicus, tunc temporis plebanus in Grind. Nimirum ecclesie utilis pastor futurus, si anni Dei officio congruentes iam pridem officii non precessissent dignitatem. Nulli siquidem illo tempore in Fresie partibus secundus habitus est in scripturarum divinarum honesta scientia, veteris ac nove legis sagacissimus existens ab ipso puerili evo investigator ac diligentissimus perscrutator, philosophorum gentilium ac poetarum ampullosa ac fabulosa dicta et scripta penitus non curans. Hystorias catholicas tenaci memorie conmendare curabat attencius. Quare Christi gratia coadiuvante, gratie sue plenitudinem copiosius infundente, factum est ut ea quae iuvenis existens lectitasset, ea quoque copiosius ad maturam perveniens etatem tamquam doctor egregius omnibus suis adiutoribus velud de fonte plenissimo ac limpidissimo exhauriens, profundere studiose curavit. Hec patent in libro explanacionum quem super canticum canticorum tanquam divinitus inspiratus conposuit. De qua explanacione si quid scire cupis, o lector, ipsum librum perquirens, diligencius perlegere curato. Ibi enim invenies oleum sub amurca, vinum sub acino[e], nucleum sub testa, granum triticeum sub palea, hoc est sub verbis amatoriis sponsi et sponse copulativam coniunctionem sive coniunctam dilectionem Christi et ecclesie. Invenies inquam qualiter sancti nominis sui timore pariter et amore concepto, variis tribulacionibus, diversis habitacionibus, incertis sedibus sponsa se proiecerit, nunc in vicis, nunc in plateis, nunc in ortis, nunc in vineis, nunc inter ligna silvarum, nunc inter aculeos spinearum, nunc in foraminibus petre, nunc

---

[a] spitus *cod.* [b] *correxi;* sexte *cod.* [c] aptā *cod.* [d] afficiesque *cod.* [e] *correxi ex* icino *cod.*

[42*] cap. 14. [43] Annum obitus 1240. fuisse expresse dicit Menko supra p. 536.

in cavernis macerie, nunc in cubilibus leonum, nunc in montibus pardorum, ipsum tam laboriosa quam studiosa inquisicione requirens, et cetera in hunc modum. In eodem quoque libro inscripti habentur sermones annales, quorum quidem quosdam in materna ad populum profundens lingua, post in Latinum translatos ad utilitatem legencium conscripsit ac studencium. Alios vero sicut nunc exarati inveniuntur pronunciavit, presente episcopo Traiectensi, in synodo maiore coram omni clero prefate civitatis. Nec pretereundum quod in arte versificandi, quam in puericia scolaris existens addidicerat, in tantum viguit, quod sicut quondam dicebatur de poeta de ipso quoque non immerito diceretur: *Quicquid temptabat dicere, versus erat*[44]. Idem enim plebanus existens parrochie in Hallum, quandoque negociorum, quandoque forte deductionis causa veniens ad claustrum in Orto, magistrum Frethericum, de quo superius mentio habita est in capitulo decimo septimo, circa idem tempus in scolis visitare solebat frequencius; terminatoque negocio pro quo venerat, scolaresque salutans recedebat, qui vultus ipsius maturitatem et venientis et recedentis diligencius considerantes reverebantur. Quodam igitur tempore consueto modo veniens, calcar suum cuidam scolari cum recederet prebuit suo pedi annectendum. Cui dixit scolaris: *Dicatis ergo versum.* Et ille continuo subintulit: *Ferro cinge pedem, properat Iarichus ad edem.*

22. *Domnus Iarichus sacrista in Orto olim existens quid egerit.* Ante plebanatum vero in Hallum sacrista existens in Orto inter ceteros ornatus, quos de officio sibi iniuncto ecclesie adiecit, yconam beate virginis Marie, in qua oleum ipsius virginis cristallo inclusum sub pedibus ipsius ymaginis ab inspicientibus cernitur, ex puro argento sed deaurato, nobili artificio fieri procuravit. Circa cuius ymaginis tabulam, cuius longitudo paululum ipsius superexcrescit latitudinem ipso dictante hii conscripti sunt versus. In superiori quidem parte sic:

Quam[a] *bonus ecce*[b] *thronus, non est onus iste patronus,*
Sed via, sed patria, quem fert pia virgo Maria.

In dextera autem parte sic:

Igne rubus, sole tellus, nuce virgula, flore
Campus ovat, rore vellus, virguncula prole[c].

In sinistra vero sic:

Melle favus, luce lampas, fons flumine, messe
Area, porta duce, fruitur radicula Iesse.

In inferiori quoque sic:

Sic cedro ramus, sic austro non aquilone
Ortus sic thalamus, sponso solium Salomone.

Cum igitur in metrica prolatione versificatorum modi quam plures inveniantur, horum versuum modos forte diversos, ad alia tendens, lectori relinquo examinandos.

23. *Abbas Iaricus scolares pueros de Grind in Ortum transferens, magistros ydoneos* 1240. *eisdem assignavit.* Iaricus tempore electionis sue parochianus fuerat civium in Grind[*], ibidem[d] officio ab abbate Sibrando, suo ut dictum est predecessore, deputatus. Et quia idem pater plenius et viderat et sciebat insolencias scolarium puerorum qui ibidem minus in disciplinis claustralibus exercebantur sub magistro seculari, licet in litteratura aliquantulum proficerent, eos quantocius in scolas pristinas ad claustrum duxit revocandos, instituens eis doctorem magistrum Thammonem plebanum de Werne[44*] natum de Growe[45], qui de novo ab ipso patre Iarico habitum susceperat religionis. Discipline autem claustralis custodem eis apposuit fratrem illum qui, ut supra tactum est capitulo decimo nono *In infirmitate autem positus,* minister fuerat prioris magistri Fretherici positi in extremis, mandans ei, quatinus curam haberet eorum eciam studii et doctrine, si quando predictum magistrum circa exteriora negocia contingeret occupari. Primam autem huius mandati particulam predictus obedienti animo acceptans, secunde partis insufficientiam sibi inesse

---

[*] *in margine haec manu saec. XVI. adscripta leguntur:* (H)ic dicitur ex textu quod Grindt .. ne Iaricii abbatis opidulum (f)uerit, sed iam parva insula est, habens tantum domos sic .. (u)num per inundationem maris (d)estructa et avulsa est etc.

a) Qǰ *cod.* b) *supra lin. al. manu, in linea ipsa erasum est* iste *cod.* c) *sic corr. alia manu ex* flore, *partim radendo cod.* d) *manu saec. XVI. correctum ex* idē *supra lin. scribendo* bi. *cod.*

44) cf. Ovid. Trist. IV, 10, 26. 44*) Wier esse videtur ad occidentem Horti. 45) Grouw ad meridiem urbis Leeuwarden.

humiliter allegabat. Cui pater: *Sufficit,* ait, *discipulo, si sit sicut magister eius. Quia autem tuum scire licet discrepet a maiorum scientia claustrali, tamen vite ac religioni claustralibus servande videtur congruere, quod tibi infusum a tuo doctore meministi, hoc illis infundere curato, et sufficit eis. Dicit enim sapiens, quod in multa sapientia multa est indignacio et* Eccles. 1,18. *qui apponit et scientiam, apponit et dolorem.* Sic delusa sollicitudo contradicentis est. Intellexit tamen idem postmodum in scolis cum scolaribus scolasticis et disciplinis et doctrinis intentus verum esse, quod sciencia non proficiens est deficiens et quod qui alium docet, se ipsum instruit vel repetendo que legerat vel legendo que prius nesciverat.

24. *Quod iuvenes morum ac vite honestate pollentes variis deputati officiis strennue se gesserint.* Hoc loco sub silencio pretereundum non videtur quod vel a scolis in Grind evocati vel postmodum recepti scolares extiterunt in Orto: Theodricus, Wilgrepus, Allardus, Waltetus, Bavo, Siardus et alii quidam sicut in pueris esse quandoque consuevit, tam morum probitate, quam vite pollentes honestate. Quorum quidam in tenera existentes etate transierunt, quidam iuventutis flore arrepto precisi sunt, sicut a texente tela succiditur; quidam eciam, sacerdotali ordine suscepto, felici fine ut speratur diem clauserunt extremum. Illorum autem quorum nomina prescripta sunt primus quidem post abbatem Sigardum abbatis gerit officium, secundus autem aliquandiu supprior existens, iam in prepositum Sepulchri sancte Marie[46] in Enwylum est electus, tercius ad officium prefatum scilicet supprioratus assumitur, quartus sacrista, quintus provisor exteriorum, sextus vero cellerarius existens in Orto, officia sibi deputata non segniter amministrant, post huius finem vite mercedem sui laboris a remuneratore bonorum omnium Deo se sperantes feliciter precepturos.

25. *Unde frater Thitardus prioratus promeruit gradum.* Huius itaque abbatis temporibus priore Thoma propter suam gravitatem et debilitatem absoluto substitutus est frater Thitardus, filius Folperti viri nobilis de Benardabure vico[a] a primeva etate in disciplinis claustralibus enutritus. Huius Thitardi prioris fratres extiterunt Wilgrepus, Fretherícus, Bernardus, qui et ab avo suo, qui claustrum quod usque nunc cernitur condidit, nomen accepit. Quorum Wilgrepus erratus forte suos corrigere volens in ordine Cluniacensi, monasterio Bethania[47], ubi nunc est abbas Simon, sub abbate pie memorie domno Godescalco aliquandiu Deo serviens moritur. Fretherícus vero, accepta uxore filia nobilis viri Thadeconis de Frenigge Elburga, tres ex ea filios genitos inmatura moriens etate reliquit, quarto qui nomen patris sui Folperti habebat iam pridem apud Clarum Campum inclaustrato. Trium autem priorum medius in iuvenili existens etate, patre adhuc vivente sed forte nesciente, seculum cum suis appendiciis sic ut corpore sic animo forte relinquens, habitum apud nos in Orto sancte Marie religionis peciit et obtinuit.

26. *De infirmitate abbatis Iarici deque absolucionis ipsius postulacione.* Pater itaque Iaricus in sua ut dictum est electione, que in die exaltacionis sancte crucis celebrata est, 1240. Sept. 14. iam grandevus existens, more sui predecessoris pro cognitione cuiusdam cause ex parte sedis apostolice, ut sibi vel suo antecessori delegate, exiens ad locum preordinatum qui Heilsum[48] vocatur non longe a villa Lutwordensi, circa festum omnium sanctorum infirmi- Nov. 1. tate gravi corripitur, a qua postmodum quamdiu superfuit plene curatus non est. Quare ex ipsius heu dictum! insufficiencia ecclesia in multis et a multis quam plurimum poterat pergravari, si per officialium suorum cautam providenciam ac fratrum ecclesie caritativam equanimitatem usque ad anni unius spacium ac deinceps tam in exterioribus quam interioribus Deo adiuvante provisum non esset. Anno igitur sequenti, qui erat annus Domini 1241.[b] 1241. pro ipsius absolucione obtinenda ad capitulum generale legacio transmissa est.

27. *Qualiter dominus de Insula sancte Marie susceptam execucioni mandaverit legacionem. Item documentum utile pro vitanda ambicione.* Committitur itaque pie memorie domno Iohanni de Insula sancte Marie[49] abbati ex parte domni Premonstratensis ipsius absolucio simulque a domno Stenveldensi alterius substitucio cum annua tocius circarie Frisie visitacione. Quod abbas ob ecclesie reverenciam et capituli peticionem tempus

---

[a] vicꝯ *cod.* [b] *correxi;* millesimus ducentesimus trigesimus nonus *cod.*

[46] Monasterium vulgo dictum Buwanum in territorio dicto Achtkarspelen, cf. infra cap. 53. [47] sive Foswerd, in vico Ferwerd olim situm. [48] Ielsum. [49] Marienweert in pago Teisterbant ad meridiem oppidi Kuilenburg.

consuetum visitacioni preveniens navigioque descendens, assumpto secum domno Allardo 1242. Mart. 17. bone memorie Bernense[50] abbate, venit in Fresiam circa festum Gerthrudis virginis, legacionem sibi iniunctam exequuturus[a]. Advocatoque abbate Vallis sancte Marie[51], que est Orti eiusdem filia spiritualis, tunc temporis existente felicis recordacionis domno Sigebodo viro Mart. 21. utique honorabili et discreto, dies beati Benedicti abbatis ad absolucionem faciendam et electionem celebrandam indicitur. Advocatisque qui fuerant advocandi, pater Iaricus diu desideratum sibi tempus advenisse gavisus est, quippe cui onus incumbebat quod portare non poterat. Quis enim sani capitis in invio et non in via sive in via tenebrosa et operta mortis caligine incedens onustumque portans humeris pondus gaudio non repleatur, si ante se vel post se videat hominem venientem cum lumine, qui et iter illuminet et onus sustollat? Prorsus nemo. Si enim *ve soli* est, ut dicit sapiens[52], *quia, si ceciderit, non habet sublevantem:* quale ve, putas, erit ei qui non tantum solus sed cum deprimente se pondere cadit? Sed o quam pauci sunt qui ex delectacione honoris, quem tamen ex onere inposito assequuntur, onus hoc sic depremens[b] non quidem humeros carnis sed spiritus attendant, ut debent. Consequencia siquidem sibi sunt onus et honor, sive honor et onus. Unde quidam egregius versificator sic ait: *Fructus honos oneris, fructus honoris onus,* subintellecto verbo *est.*

28. *Abbas Iarichus sui absolucionem officii petiit et obtinuit.* Adveniens igitur in capitulo licet eger corpore, fortis spiritu, cognita ex litterarum lectione abbatum auctoritate, letabundus veniam postulavit, officii petens absolucionem. Fleri tunc poterat a multis, cum viderent patrem Iarichum super absolucionem officii veniam postulantem, de quo speratum fuerat in sua electione ipsum pro sua hactenus habita provida discrecione utilem ecclesie patrem ac pastorem fore affuturum. Absolucione igitur obtenta[53], statim tractatus haberi cepit de substitucione alterius, cuius humeris onus a senioris dorso sublatum inponeretur portandum.

29. *Ethelgerus genere[c] nobilis, ordine dyaconus, sciencia conspicuus, humilitate ac obediencia summus, in abbatem eligitur.* Erat tunc temporis inter ecclesie Orti sancte Marie fratres canonicus quidam nomine Ethelgerus ordine dyaconus, parentibus secundum seculi dignitatem non infimis oriundus. Pater eius Guido Elgera de Ethelgerabure, mater vero Bava nobilis matrona, filia videlicet Wibrandi viri potentis de Kampenggabure, soror Dodonis Kampengga, viri in diebus suis usque nunc nominati et clari. Qui Dodo pro amore ac reverencia Ihesu Christi Domini nostri tempore predicacionis magistri Olyveri scolastici Coloniensis[54] cruce signatus trina vice mare pertransiens, assumpto secum filio predicte sororis Thitardo, ad ultimum in nomine sancte Trinitatis in ultima sua peregrinacione mortuus, felici fine transivit ad Dominum. Nepos vero suus reversus aliquandiu in seculo conmoratus, tandem relictis seculi vanitatibus, habitum sancte religionis suscipiens, locum sue sepulture cum fratribus in Orto meruit habere. In religione vero positus, Iesu Christi, cuius vestigia exquisiturus tot vicibus transivit ultra mare, ordine sacerdotali suscepto, sacramenta suis manibus meruit pertractare Huius Dodonis filii fuerunt Wibrandus et Kempo. Quorum Wilbrandus per omnem terram Ostergo[d] ex suis probatis virtutibus extitit nominatus. Qui, accepta uxore nobili matrona Saspurga de Hasoeba et prediviti, mortuus est sine liberis ac sepultus claustro sororum in Nazareth ordinis Cystertiensis[e, 55]. Frater vero suus Kempo, desponsata sibi uxore privigna[f] fratris Haxedi adhuc iuvencula, genuit ex ea filios et filias, suorum bonorum heredes futuros. Horum duorum fratrum avunculus extitit venerabilis Sidachus abbas Clari Campi, soror vero Bava priorissa sororum Gnadeawert, quorum anime per misericordiam Dei requiescant in pace, amen. Frater itaque predictus Ethelgerus ob virtutum, quibus a primeva etate floruerat eminenciam, notarius simul et cappellanus abbatis domni Sibrandi frequencius existens, solacium illi non modicum 1238. in suis amministracionibus faciebat. Qui eciam ab ipso abbate biennio ante suum decessum

---

[a] exequturus *cod.* [b] *alia manu corr. in* deprimens *cod.* [c] gn̄e *cod.* [d] ost'go *cod.* [e] cyrstertiensis *cod.* [f] p̄uigna *cod.*

[50] Berna prope Heusden in pago Teisterbant. [51] Vallis seu Curiae sanctae Mariae coenobium in Backenvene pagi Drenthe fundatum a. 1196. a Siardo abbate Horti. [52] Eccle. 4, 10. [53] Iarichum vix duos annos in officio abbatis perstitisse, auctor est Menko supra p. 536. [54] a. 1214. [55] Monasterium hoc, dictum etiam Genezareth seu Gernaert et Zenauwert, situm erat in parrochia Hallumensi. Cf. infra cap. 37 et quae ibi addidit manus saec. XVI, p. 592 not. b.

missus fuerat in Franciam ad ecclesiam Cussiacensem[56] excellentis in ordine dignitatis. 1238. Cuius ecclesie tunc temporis abbas extitit bone memorie Conradus quondam Premonstratensis ecclesie abbas. Hic quidem antecessor fuerat abbatis Wilhelmi Anglici, cuius mentio supra habita est capitulo *Huius temporibus*[57]. Absolutus ab ordinis visitatoribus auctoritate domni pape Gregorii ad ecclesiam memoratam visitandam transmissis, post ad ecclesiam Cussiacensem electus. Iste abbas fratrem memoratum scilicet Ethelgerum ad se transmissum honeste recepit et detinuit in omnibus eum fideliter promovendo. Et quia non tantum capacis ingenii fuerat, sed et summe humilitatis ac obedientie iuvenis, summo studio ipsum omnes ecclesie fratres amplectebantur et fovebant. Quare factum est ut in brevi temporis spacio in hiis pro quibus venerat addiscendis sufficienter instructus, cum abbatibus, qui illo in anno capitulum adiuverant, rediret ab abbate proprio revocatus. Hunc itaque maior et sanior pars capituli, que electio[a] tunc temporis canonica dicebatur, eo quod esset omni excepcione maior, sibi 1242. creari summo studio postulabat in abbatem ac pastorem, quibusdam forte, qui priorem supratactum capitulo *Huius itaque*[58] affectabant, contradicentibus et frivolam dyaconii pretendentibus excepcionem. Quam, licet forte illam partem instinctu alicuius persone sibi familiaris abbas Iohannes foveret, acceptare non presumens, — religiosus quippe fuerat — de consilio coabbatum, qui presentes fuerant, maioris et sanioris partis electio est approbata et confirmata. Cantato igitur *Te Deum*, ut moris est, et recepta tam canonicorum quam conversorum obedientia, ad sorores in Bethlehem itum est, ut et ipse secundum morem pristinum per obediencie recognicionem[b] abbatem Ethelgerum adhuc dyaconem in patrem reciperent ac pastorem.

30. *Quod abbas Ethelgerus sacri sacerdocii ordinem ab alieno episcopo susceptum exequi noluerit, donec a proprio super hoc dispensacionem promeruisset.* Hiis itaque rite peractis, quia tempus paschale instabat, in cuius sacre solempnitatis vigilia quandoque[c] consue- Apr. 20. verunt a quibusdam episcopis ordines celebrari, dispositis rebus necessariis et ordinatis que fuerant ordinanda, pater Ethelgerus pro ordine sacerdotali recipiendo in incertum ad orientales Christi sacerdotes iter arripere decrevit, assumpto secum fratre Ulbrando item ordine dyacono, tunc temporis cellerario, cum aliis quos suus predecessor capellanos habere consueverat. Pertransiensque Monasteriensem ac Osnaburgensem episcopos ad Mindensem[59] cepit itineris sui cursum inflectere. Quo perveniens honorifice ab eo suscipitur, cognitoque pro quo venerat, omnem se operam adhibiturum pollicetur, quatinus sua voluntas effectui mancipetur salutari. Sed quia propter temporis brevitatem sui episcopi, videlicet domni Traiectensis, dimissorias habere non poterat, in sabbato sancto ipsi ordine sacerdotali cum solempnitate concesso, exequucionem[d] officii non concessit, donec a suo episcopo dispensacionem super recepcione obtinuisset, legitime ut videbatur non obtenta. O Dei sacerdotem venerandum in ovem alterius pastoris sui pastoralis baculi iura extendere non cupientem, o dyaconem electum tamen in abbatem forte non minus caute ambulantem, quatinus pasturam ab alieno pastore postulatam sic reciperet, ne pro hoc suo pastori aliquid preiudicium generaret! Frater siquidem comitis Hollandie Florencii, de quo supra tactum est capitulo *Temporibus illis*[60], Otto videlicet, per decennium[61] electus existens ecclesie Traiectensis, sacerdocii dignitatem nondum fuerat assequutus, licet ad providenciam tam spiritualium quam temporalium a domno Coloniense[62] fuisset auctorizatus. Secundum desiderium itaque cordis sui exauditus, receptis litteris testimonialibus ad domnum Traiectensem cum benedictione pontificali recedit letus et alacer, quia voto pro quo exierat gratia Christi amminiculante potitus sit. Eodem quoque tempore ad domnum Traiectensem itinere arrepto prospero veniens successu, ab eodem quoque honorifice susceptus, dispensacione obtenta, cum gaudio revertitur ad propria.

31. *Qualiter aut quando abbas Ethelgerus suas primicias celebraverit.* Nec mora, auditur in terris, abbatem Ethelgerum ordine sacerdotali suscepto reversum, alter alteri iam notum nunciat tanquam ignotum; de diversis partibus terre venitur ad claustrum; de celebracione prime misse inquiritur; festivitas beati Iohannis ewangeliste ante portam Mai. 6. Latinam indicitur; fit predicta die concursus populorum cognatorum, affinium et notorum, qui omnes quasi certatim confluentes prime consecracionis sue simul et benedictionis

---

a) eleciō *cod.* b) reognicionem *cod.* c) qn̄q; *cod.* d) exequcionem *cod.*

[56] Cuissy haud procul a Lauduno Remos versus. [57] cap. 6. [58] cap. 25. [59] Wilhelmum I. [60] cap. 15. [61] Numerus anno 1242. quadrat, cum Otto episcopus a. 1233. electus sit. [62] Heinrico I.

1242. participes fieri summopere affectabant. Matrone eciam nobiles tam ab oriente quam occidente ad predictum festum conglobate anulos aureos, armillas, inaures et monilia, quevis pro suarum rerum facultatibus mente libera ac devota offerentes, affectum, quem erga ipsius personam in divino officio habebant, exterioribus hiis signis studiose ostendebant. Missa dicta, benedictione recepta, ad domum hospitum itum est, in qua multitudini cum magno ut decuit apparatu ab officialibus in habundancia ferculorum et potuum sufficienter ministratum est. Sicque ad vesperum cum gaudio et leticia quivis itinere arrepto reversus est ad propria.

32. *De felici obitu pii patris Iarichi simul et eius sepultura, et quod spiritu prophecie claruerit.* Processu temporis eodem anno quondam abbas Iaricus, cuius curam animo vigilanti suus successor[a] habebat, spirituales eidem[b] ministros cum honesta procuracione assignando, iam diutina lacessitus infirmitate, viribus corporis, quas tamen iam dudum Iun. 24. permodicas habuerat, circa festum sancti Iohannis baptiste cepit repente destitui. Quare resolucionis sibi tempus imminere aliquibus certis indiciis forte perpendens, armis sacramentalibus contra spirituales nequicias sese per fratrum ministeria muniri postulavit. Confessione igitur facta, unctionem extremam cum viatico vivifici corporis Christi percipiens, cum devocione multa orationes ut poterat ruminabat, ministros hinc inde assidentibus et exitum rei expectantibus. Circa mediam vero noctem predicte festivitatis aliquo ministrorum accersito et requirenti: *Quomodo habetis?* ait: *Vadens extra infirmitorium considera diligenter aeris qualitatem, an nubilus sit an lucidus, spissusque an tenuis, et renuncia.* Quo eunte et ut inperatum fuerat considerante, reversus ait: *Aer tenuis est et lucidus. Vade,* ait, *adhuc et vide qua parte firmamenti flat ventus.* Reversus ait: *Ab austro.* Dixitque: *Sic se habentibus hiis signis ut nunc dicitis, non moriar. Si*[c] *autem mutatio facta fuerit hac die, scias me huic seculo subducendum* Sic fatus, iterum oracionibus indefessis spiritum suum Domino commendabat. Secundum verbum itaque patris circa sextam ipsius diei horam mutacione quadam aeris facta, circumstante fratrum caterva, qui pro honore festi avidius ipso die convenerant, et orantibus, diem clausit extremum, longevi laboris quo in vinea Domini desudavit, sive inter fratres frater, sive inter filios pater, Iun. 25. mercedem denarii recepturus. Sepultusque est die postera prope ostium[d] ecclesie in conventu, ubi ordinis transgressores penitentiam agentes prosterni quondam consueverant coram transeuntibus, horis sibi assignatis, supple ante gradus presbiterii. Sic enim quoad viveret expetierat, quatinus sibi a fratribus, qui cum devocione intrare ac exire ecclesiam frequencius debebant, ipsius tumbam contemplantibus per orationem elemosinariam subveniretur. Spiritus itaque suus tanto limpidius nunc sanctam Syon Iherusalem, beatam in supercelesti regione, in Domino gaudentem leticia inenarrabili et glorificata, laudibus divinis incessanter vacantem, salutans contemplatur, quanto minus nube mortalitatis obtegitur. Qui in carne positus, quasi sub gravi tegmine, per speculum in enigmate, spiritu sancto ducente, ipsam salutaverat in complemento sui operis super canticorum cantica hiis verbis: *Salve sancta Syon, cuius fundamenta in montibus sanctis. Salve beata Iherusalem, cuius montes in circuitu eius, qui exultaverunt ut arietes; ibi enim exultabunt sancti in gloria. Super hos montes aromatum trahe me post te, transfer me ad te, tu qui sponsus es anime mee et dilectus anime mee per omnia benedictus in seculorum secula. Amen.*

EXPLICIT VITA PATRIS IARICHI.

INCIPIT VITA ABBATIS ETHELGERI.

33. *Qualiter abbas Ethelgerus pervigilem sibi conmissorum curam egerit.* Pater itaque Ethelgerus sibi cernens inpositam tam interiorum quam exteriorum providenciam, licet propter sui dyocesani insufficienciam curam nondum recepisset pastoralem, cepit tamen animo volvere, qualiter ecclesia sibi conmissa tam in temporalibus quam in spiritualibus Deo beneplacitum susciperet incrementum. Officinas ergo circuiens cum officialibus quos in officiis invenit, grangiasque visitans, ad consilium suum accito magistro Thammone, de quo supra capitulo *Pater itaque*[63], in eis quae fuerant reformanda reformavit, que vero in bono statu invenit, in eodem permisit, mandans et hiis et illis, quatinus rerum gerendarum curam haberent sollicitam et efficacem.

---

a) succesor *cod.* b) *sequitur unius vocis rasura cod.* c) *sic corr. rad. ex* Sic *cod.* d) *sic corr. rad. ex* hostium *cod.*

63) cap. 26; est potius cap. 23.

34. *Quare ad curiam Romanam magister Thammo transmissus sit.* Interim vero sic dispositis exterioribus, curam quoque agens interiorum, predictum magistrum Thammonem ad curiam Romanam duxit transmittendum pro quibusdam dispensacionibus obtinendis simulque et pro aliquibus negociis ad honestatem Dei ac ecclesie spectantibus promovendis. Que suscipiens predictus cum expensa honesta et tribus equitaturis emittitur. Exiensque cum abbatis benedictione, fratrum oracionibus conmunitus, omnem se diligenciam in hiis exequendis adhibiturum pollicetur. Transiensque montes et colles, vias quoque asperas et planas, estum forte sustinens et frigus, loca eciam nemorosa et ideo tenebrosa, latronum insidiis plena, tandem post multos agones et labores, optatam pervenit ad Urbem. Ubi a domni pape penitentiariis, qui tunc fuerat Gregorius nonus, sine magna difficultate dispensacionibus obtentis, cum de negociis coram ipsis et quibusdam cardinalibus tractatum habere cepisset, aliis sentientibus sic, aliis ut in huiusmodi fieri consuevit non sic, ipse heu dictum! senciendum duxit cum illis qui non sic. Et ita eciam intactis coram summo pontifice negociis, coram quo ventilari debebant et a quo vel pro vel contra sentenciari[a], quasi fugitivus[b] velocius debito ab Urbe recessit prosperoque cursu ad[c] domum est reversus, quasi bene egisset. Excipitur ab abbate et fratribus cum gaudio, que gesta erant in via eundo et redeundo narrat, dispensaciones secundum suum beneplacitum voluntatis obtentas nunciat, negocia omnia sibi conmissa promota testatur. Letantur omnes hoc audientes, laudibus illum extollunt ad sydera, in quibus audiendis facietenus forte satis iocundabatur, in archano pectoris sui, in quo acta et non acta latebant abscondita, forte non ita. Sed hec de hiis vice hac dicta sufficiant.

35. *De consecracione abbatis Ethelgeri. Item exemplum notabile pro fugiendo vicio symonie.* Eodem anno abbas Ethelgerus vadens ad capitulum generale professionem facturus, obvium habuit quendam episcopum, Bonifacium nomine utique religiosum ac Deum timentem, qui per episcopatum Traiectensem vices gerebat in spiritualibus ecclesie Traiectensis. A quo cum consecracionis sibi graciam conferri postulasset, occasionaliter ipsum nescio qua de causa de loco ad locum trahens et sic de die in diem differens, tandem cum cognovisset ipsum ad capitulum iturum, usque ad reditum ipsius a capitulo benedictionem differendam decrevit. In reditu vero, itinere illo propter aeris inequalitatem simul ac Reni fluminis superexcellentem habundanciam sibi minime conpetenti, per viam aliam reversus est in regionem suam. Quare post breve temporis intervallum, assumpto secum magistro Thammone memorato cum aliis capellanis sibi necessariis, navigio descendens Traiectum versus, predictum episcopum ibidem invenit. Dieque consecracioni prefixo, que ut estimo dominica habebatur, episcopus prandium suum preparari constituit apud fratres Predicatores, cum quibus eciam consueverat frequenter hospitari. Quod audiens abbas cum suis illuc usque iens, pro familiaritate quam ad fratres habebat, episcopo ignorante, in sua expensa omnia ad refectionem ea die necessaria preparari copiose constituit. Inter prandendum vero abbatissa sive priorissa sororum de Aldwic[64] pro familiaritate, quam domnus Sibrandus abbas Orti quondam ad ecclesiam predictam Cluniacensis ordinis habuerat, abbati Ethelgero tortam panis piperatam ac mellitam, quam forte ad huiusmodi ministerium fecerat preparari, per suum nuncium honeste procuravit apportari. Quam abbas ut vidit, episcopo primitus deferendam ministro ut potuit innuit ac exhibendam. Hoc notato episcopus, ne alicui symonie posset argui nota vel aduri infamia, ipsam primitus omnino recusans immo reiciens, tandem vix multorum precibus exoratus, aliquandiu coram se iacere permisit[d], perque ministrorum manus distribuendam, nil de ea gustans, reliquit. Attendant igitur, attendant hoc tam prelati quam subditi miserrimorum[e] temporum nostrorum in quos, ut ait apostolus[65], certissime devenerunt fines seculorum, que et alio loco periculosa testatur futura. Attendant inquam religiosum Bonifacium episcopum in temporalibus pauperem, in spiritualibus divitem, gyeziticam ac simoniacam pravitatem sic ab animo suo ac conscientia, ne scrupulus aliquis generaretur unde degener efficeretur, extirpantem, ut nec buccellam panis de pane, apportata abbati cui benedictionem contulerat, exhibito sibi, voluisset degustare, ne gustum inferret anime mortem sempiternam. Attendant inquam prelati pro temporalibus spiritualia sine cessacione venundantes cum Gyezi. Attendant subditi sine intermissione spiritualia temporalibus

---

[a] senteciari *cod.* [b] *sic ex corr. alia manus cod.* [c] *iam erasum cod.* [d] promisit *cod.* [e] misserr. *cod.*

[64] Oudwijk in Traiecti suburbanis ad orientem. [65] 1 Cor. 10, 11.

conparantes cum Symone, ne cum predictis eternum mercari contingat interitum, ubi
Ies. 66, 24. secundum Ysaie vaticinium *vermis corrodens non morietur, ubi ignis exurens non extinguetur, ubi miserrime impiorum anime semper penis attrite et ad penas excipiendas iterum infeliciter*
Ps. 10, 7. *renovate transibunt ab aquis nivium ad calorem nimium.* Ubi secundum psalmiste vocem ignis, sulphur et procellarum spiritus non quidem totum sed heu pars erit calicis eorum. Ubi eciam, ut breviter concludam, nullus honor sed sempiternus horror inhabitat. Finito itaque prandio, abbas cum suis episcopo valedicens et fratribus, eorum se conmendans oracionibus, licenciatus abcessit.

36. *Qualiter per Merkeraland a Traiecto ad propria reversus sit.* Postera igitur die abeuntes de civitate navigio pervenerunt in Markaland, que est insula circumcincta ex omni parte non quidem salsis sed dulcibus aquis maris, ex empcione abbatis Sibrandi, ut supra tactum est capitulo *Possessionibus*[65], attinens ecclesie Orti sancte Marie. Ubi ingruente gelu per longi temporis spacium coactus est cum suis permanere sociis, natalis domini
Dec. 25. Ihesu ibidem cum devocione peragens festivitatem. Quo transacto eodem gelu invalescente, subferratos equos conducens, non sine magno discrimine per mare strictius congelatum transiens, ad propria revertitur.

37. *Quomodo*[a] *inter abbaciam Clari Campi et Orti sancte Marie controversia suborta fuerit.* Dum igitur in sua ecclesia cum dilectis fratribus suis in bona pace sedens abbas Ethelgerus gauderet in Domino, lectionibus vacans, oracionibus intendens, ecce bonorum inimicus, pacis disturbator, disturbacionis amator, sue ac suorum invidens quieti, hoc inter ipsum ac religiosos alterius ordinis in lucem proferre tam studiose quam maliciose curavit, quod inter se et suos subditos excitare Deo protegente non potuit. Est namque cenobium sororum Nazareiticarum[b] ordinis Cysterciensis, attinens ecclesie de Claro Campo, ordinis prenominati, situm inter abbaciam Orti sancte Marie versus orientem et cenobium Bethlehemiticum attinens abbacie de Orto virginis Marie versus occidentem, loco non longe intermedio. Cuius cenobii tunc temporis extitit abbas Sidachus vir utique in diebus suis nominatus ac clarus, in negociis maxime secularibus non mediocriter expertus, de quo supra capitulo *Erat tunc temporis*[66]. Hic itaque conversum[c] quendam Geroldum nomine habebat suarum rerum emptorem ac venditorem, quem in suo ordine *kepere*[67] appellant. Habebat quoque abbas Ethelgerus eiusdem[d] officii conversum, Vulbodum nomine, non illum de quo supra capitulo sexto, immo alium eiusdem nominis, natum de Swawerth[68], que est villa distans a claustro Nazareiticarum ad dimidiam, ut reor, leucam. Inter quod claustrum et villam predictam versus austrum est iacens allodium quoddam Pecwerth nomine, attinens ecclesie de Orto, in locis graminosis situm, pascendis pecoribus, armentis boum et gregibus ovium ab ipsa natura[e], ut ita dixerim, aptatum. Inter que loca quasi adiacens est stagnum ab austro ad aquilonem protensum, quod vulgo Widamere appellatur, piscibus ac volucribus pristinis temporibus forte habundans et ideo tam piscacioni quam aucupacioni apte conveniens, modernis autem temporibus fructuosas herbas licet subaquosas cannate et arundinete germinans. Que loca temporis processu in pascua gregum et conculcacionem pecorum proventura sperabantur. Hec veluti quedam brachia a vicinioribus terris ex utraque parte fluminis extensa in magna parte stagna protendebantur. Que videlicet terre ex una parte, orientali scilicet, spectabant ad grangiam memoratam, ex alia grangie que habetur in Herum attinebant, parte scilicet occidentali, sine omni contradictione. Hac racione novalia illa stagnosa, dicebat frater Ulbodus, attinere ecclesie de Orto, frater vero Geroldus alia utebatur racione, dicens quendam virum pristinorum temporum de Swawerth, qui Dies nomen habebat, stagni tocius dominium suis in diebus habuisse et in ius sororum Nazareiticarum pro sua ac suorum parentum memoria libere et absolute sine omni contradictione transfudisse. Hiis et huiusmodi pluribus racionibus aliis sepe altercantibus, quorum quilibet pro suo iure subtiliter allegare curabat, ad abbatem Sidachum ex parte sui conversi questio devolvitur. Interim autem abbas Ethelgerus sorores suas carnales, quas tres numero habebat, in Nazareth venit visitare, abbate Sidacho ibidem existente. Qui cum recedere festinaret, ad se abbas predictus honeste sed tamen, ut post

---

a) Quō *cod.* b) *in margine manu saec. XVI.:* nunc vocatur Zenauwert. *cod.* c) *sic ead. manu corr. superscribendo pro* onerosum *cod.* d) eiudē *cod.* e) *correxi ex* nafa *cod.*

[65] cap. 5. [66] cap. 29. [67] nobis: *Käufer*. [68] Swaert.

patuit, dolose invitans, hiis forte alloquutus[a] est verbis: *Inter ordinem vestrum et nostrum, o abba, a diebus antiquis pacis et societatis vinculum, fraternitatis et charitatis nexus ordinatus est et conscriptus, nec opus est aut necesse, nostris temporibus per nos aut nostros propter locorum vicinitatem et Domini cui famulamur licet habitu diverso idemptitatem aliquatenus dissolvi aut dissolvendo infirmari.* Cui alter abbas forte sic respondit: *Pro mea parte quicquid a patribus attemptatum est, ratum erit ac firmum et inconvulsum permanebit.* Et alter: *Sunt*, ait, *predia quedam non multum valencia, quia subaquosa, de quibus incertum est, cum sint tam nostris quam vestris terminis vicina, in cuius partes per divisiones cedant. Vellem igitur, si sic placeret per vos, qui abbatis et domini de Orto geritis officium, ea vestris sororibus et personis in hoc loco Deo famulantibus in manibus nostris resignari, et ego vobis et ecclesie vestre in loco vobis magis conpetenti equa lance responderem.* — *Quantum in me est placet*, ait, *attamen sciatis, me huiusmodi conmutaciones sive vendiciones sine meis officialibus nec facere velle nec posse.* Primam igitur huius locucionis partem abbas Sidachus acceptans tamquam sue peticionis affirmativam, reliquam tamquam sibi contrariam audire forte dissimilavit quasi negativam. Mittuntur itaque die postera servi ad predictorum locorum channeta[b] et arundineta succidenda, officialibus de Orto irrequisitis; que a[b*] conversis et servis loci predicti inplaustrata ad grangias eorum, aliis irrequisitis, deducuntur. Et ex utraque parte de iniuria illata fit clamor; ad cetum conventumque laicorum causa deducitur; a communi vulgo libenter auditur.

38. *Qualiter utriusque ecclesie advocati causam deciderint.* Audiunt causam advocati utriusque ecclesie ad ipsos non deductam, audiunt amici utriusque abbatis nec ad ipsos delatam. Sese pro conposicione interponunt, ne a vulgo plus audiatur elaborant. Abbates ut discensionis materiam conpromittant[c] hortantur, conpromittere[d] nolentes verbis nunc dulcioribus nunc asperioribus invehuntur, quibus tandem cedendum fore coniunctim diffinitum est. Horum autem qui se magis interposuerunt conmunium abbatum amicorum nomina sunt hec: Thithardus Ethelgera[e] et suus frater Wibrandus, qui fratres carnales fuerant abbatis Ethelgeri, tres sorores ut dictum est habentes in claustro Nazareth; Wibrandus Kempinga et suus frater Kempo, filii sororis abbatis Sidachi, quorum pater Dodo Kempinga avunculus extitit abbatis Ethelgeri; item Wibrandus de Hontummahusum[69] gener abbatis Sidachi, filiam sororis ipsius habens coniugio, qui eciam filius fuerat matertere abbatis Ethelgeri; item Hessellus[f] de eiusdem[g] villa, filius amite abbatis Ethelgeri, utriusque ecclesie advocatus; item Ethelinus de Lakum utriusque ecclesie advocatus, filiam tamen habens in claustro Nazareth. Hii numero septem causam in ipsos legittime conpromissam diligencius investigantes, intelligentes et examinantes, nunc dissolventes, nunc retorquentes, tandem duxerunt taliter decidendam, ipsam decisionem abbati Ethelgero per Hessellum cognatum, qui maturior videbatur, transmittentes, in qua opcio dabatur eligere unum e duobus quod placuisset: videlicet quod aut personaliter per se iuramento[g*] firmaret cum octo de suis canonicis, quos abbas Sidachus elegisset, sic per se causam in abbatem predictum non refusam, quum[h] potuisset merito sine omni consciencie scrupulo infirmari; vel quod abbas Sidachus proprio iuramento firmaret cum octo de suis monachis, quos abbas Ethelgerus elegisset, sic causam in se simpliciter transfusam, quod merito refelli non debuisset. Hiis auditis abbas cum suis paululum deliberans[i], iuramentis non quidem dandis sed audiendis animum apposuit, abbatem Sidachum huiusmodi iuramenta nullatenus prestiturum; eligens ac denominans octo de monachis quos presumpsit fore melioris ac sanioris consciencie. Que cum delata fuissent ad abbatem Sidachum, sese libera mente quicquid ab ipsis edicebatur asseruit affirmaturum pro honore ac reverencia domni abbatis de Orto et sui conventus, huiusmodi dulciloquio animum abbatis delinire studens, quatinus in taxandis ac audiendis iuramentis sese sibi ac suis placacionem efficeret ac propicium inveniret. Sed longe aliter evenit. Nam die condicta amicis communibus loco condicto convenientibus, abbas uterque cum suis affuit et, brevi facta interlocutoria, abbas Sidachus quod exigebatur liberaliter exhibuit, cuius tamen monachi nolentes stabant ac trementes, quid animi ipsis esset hiis signis evidencius forte ostendentes.

---

[a] alloqutus *cod.* [b] channata *cod.* [b*] *supplevi.* [c] *ante hanc vocem erasum est* ī *cod.* [d] inconpromittere *cod.* [e] ethelgā *cod.* [f] Haessellus *sic cod* [g] *sic corr. al. manu ex* eudē *cod.* [g*] iuramenta *cod.* [h] quū *cod.* [i] animum *inser. cod.*

[69] Hantumhuizen ad septentriones Dokkum.

39. *Qualiter condictum pro causa iuramentum abbas Sidachus prestiterit.* Contigit interea abbatem Vallis sancte Marie Sigebodum, de quo supra capitulo *Admittitur itaque*[70], circa locum predictum iter facere. Et videns patrem abbatem cum suis ibidem adesse, descendens de equo[a], venit salutare eum, interrogans quid in loco ageretur. Cognitoque abbas Ethelgerus eidem abbati tractatum cause quoad diem illam commisit. Conveniunt itaque partes; abbatem Sigebodum abbas Sidachus salutat et ad claustrum suarum sororum, quod vicinius fuerat, ipsum ad noctem invitans, suum devocius exhibet ministerium. Quo ab ipso resalutato, primitus ad conposicionem faciendam questionis mote inter ipsum et abbatem de Orto, cunctis qui aderant audientibus, eundem hortatur, dicens iuramentis aut Iac. 5, 12. raro aut nunquam deesse peccatum, Iacobo apostolo attestante, qui[b] ait: *Sit sermo vester: est est, non non; quod hiis amplius est a malo est.* Respondit: *Non est opus causam iam decisam iterum in questiones vertere.* Et alter: *Decisam*, ait, *causam adhuc non perpendo; verendum enim erit ne in ipsa decisione, ut nunc presto est, cuiusvis anima*[c] *letaliter incidat. Presto sum*, ait, *edictis satisfacere. Monachos denominatos ad satisfaciendum mecum adduxi; ad finem precor causam deduci.* Et alter: *Si sic*, ait, *necesse est fieri, dicatis: Protestor coram Deo et sanctis eius, in ordine et habitu meo, causam controversie que vertitur ad presens inter officiales meos et abbatis de Orto sic ab ipso abbate in me refusam, sine omni excepcione, quod merito refelli non debeat, sic me Deus salvet et sancta ewangelia, amen.* Hoc iuramento sic taxato, assunt et monachi, contravenire suo abbati forte non ausi, quilibet specialiter sibi petens de iuramento indulgeri. Iurant ergo sic: *Protestamur coram Deo et sanctis eius in ordine et habitu nostro, abbatem nostrum nos firmiter credere verum in hac causa dixisse et non falsum, sic nos* etcetera. Uni tantum[d] ex ipsis, qui abbas fuerat in Oliva[71], domno Iaricho Menigga, ob reverenciam officii quondam habiti et pro familiaritate speciali[e], quam ad ipsum et ad suos habebat abbas Ethelgerus, duxit de iuramento penitus indulgendum.

40. *Qualem pro novalibus conmutacionem abbas Ethelgerus receperit. Hac*, inquit abbas Sigebodus, *cause parte utrumque decisa, secundum vestram peticionem, secundam quoque partem nunc nos petimus ad finem deduci. Que est?* ait ille[f]. *Pro hiis*, inquit, *novalibus abbas Ethelgerus in loco sibi magis conpetenti petit ecclesie sue secundum vestram sponsionem equa lance responderi.* Et alter: *Licet*, ait, *plus debito gravati simus*[g] *iuramentorum exactione, quia tamen consciencia nostra nos non gravat ex ipsorum solucione, pro amicicia et pace deinceps obtinenda inter ordines et loca decem usualis monete libras pro eis offero, certum dans pro incerto. Insuper predium quod habemus prope claustrum Orti sancte Marie, quod novo fossato cingitur, libera mente in manibus abbatis refundo.* Cui alter deliberatus sic respondit: *Quamvis hec vestra exhibicio sive conmutacio argui possit non minime eo quod non valeat pro multa parte novalibus predictis respondere, pro pace tamen obtinenda, quam exigitis, et ne scandalum generetur secularibus ex concertacione religiosorum, qui forma gregis merito esse decernuntur secundum dictum apostolicum, abbas Ethelgerus ecclesie sue et sibi satisfactum in huiusmodi decernit.* Sic sedata controversia presenti ac pace firmata, quilibet Deo gratias agens reversus est ad propria.

41. *Quod inperatorem ab omni honore papa deposuerit.* Circa tempus idem Gregorio nono adhuc existente presule sedis apostolice, Fretherieus Romanorum imperator, Iherusalem et Sicilie[h] rex a predicto pontifice semel secundo ac tercio conmonitus, cum ab heresi, quam male ut dicebatur[i], declinare non vellet, nec monitis ecclesiasticis parere, 1239. Mart. 24. de conmuni consilio tam cardinalium quam plurimorum episcoporum excommunicatus et anathematizatus, ad ultimum ab omni honore et habito et habendo cum omni sua posteritate deponitur. Quam deposicionem idem quoad viveret minime curavit.

42. *Apostolice sedis legatum abbas Ethelgerus suscepit, detinuit ac in pace dimisit.* Eodem quoque tempore Wilhelmus quondam Premonstratensis abbas, de quo supra capitulo *Huius temporibus*[72], ab Urbe missus est ab eodem pontifice legacionis officio fungi per Daciam[73]. Quem cum per Fresiam racione legacionis iniuncte transire contingeret, abbas

---

a) *add. cod.:* ecce charitas, *quod uncis inclusum, lineis transductis deletum est, fortasse ex margine originalis irrepsit.* b) quit *cod.* c) animam *cod.* d) tm̄ *cod.* e) sp̄ali *cod.* f) illa *cod.* g) *sic ut videtur prius, eadem manu et radendo corr. in* sicuti *cod.* h) Scilicie *cod.* i) amplectabatur *seu tale quid supplendum videtur.*

70) cap. 27. 71) Haud procul a Danzig in Prussia. 72) cap. 6. 73) Hoc a. 1239. contigisse videtur.

Ethelgerus in sabbato sancto honorifice suscepit et detentum per aliquot dies ac recreatum per aliquam viam deducens, in pace dimisit. Qui tempore recreacionis, fratrum devocione conspecta, benedicebat Dominum, dicens se pro magno munere habere quod a Deo sibi fuerit concessum in Orto beate Marie sui ordinis Dominice resurrectionis solempnitate missam celebrare. Idem requisitus de statu curie et de causa legacionis, dicebat que supra capitulo proximo; se quoque missum filio Waldemari regis[74] coronam regalem exhibere regis regali dignitate privati. Quam predictus forte recipere veritus est ob permaximam potenciam, divicias et sapienciam, — qua tamen non bene, immo male usus est — eius qui regnum possidebat. Quam tamen ad instanciam clavium ecclesiasticarum recepit vir Deo devotus, Heinrichus Turingie landgravius, qui non multo post a predicto Fretherico, sibi 1246. Mai. 22. exenia plurima frequencius tamquam suo amico transmittente, per tunicam et balteum, mirabili artificio conpositis et ab eodem transmissis, ut dicebatur infectus interiit. Con- 1247. Febr. 17. radus vero filius Fretherici, matre filia ducis Swevie natus[75], regni Almannici pro patre interim[a] gubernacula possidebat.

43. *Lusores illusit potentesque deiecit Deus.* Florencius quoque comes Hollandie, de quo supra capitulo *Temporibus illis*[76], milicie ludos frequencius exercens, in torneamentis circa fines Francorum exercendis quam plurimum gaudebat. In quibus eciam quandoque victor existens, laudibus populorum sese supra id forte quod fuerat extolli gratulabatur. Sed hec sentencia finem cicius tristem accepit. Nam idem dum ludere festinaret ut ludere consueverat, aliquo tempore illusus, immo illisus, ab equo deiectus, suis eum iuvare non valentibus, conculcatus et contritus, flebilem mortis sentenciam accepit. Et hunc quidem 1234. dum ecclesia tanquam sentencialiter[b] excommunicatum ad sepulturam non reciperet, a suis in quodam nemore in memoriam sui nominis monumento erecto sepelitur, duos filios quos ex filia ducis Brabancie genuerat relinquens, Wilhelmum videlicet et Florencium. Quorum patrocinium patruus eorum Wilhelmus recipiens, curam ipsorum quoad viveret[c] fideliter gerebat. Qui eciam fratris vestigia imitatus, post paucos annos milicie nomen simul et officium assumens, in torneamenti ludo confossus, vivus quidem evasit et post numerum dierum paucorum finem vite sortitus est, iuvenis Wilhelmi suique fratris nobi- 1238. lioribus Hollandie militibus relinquens procuracionem[d].

44. *Quis monasterium Iherusalem fundaverit quodque primum ordinis canonicorum regularium extiterit.* Interim autem dum omnia claustralium iura pacata viderentur, alia questio inter abbates Claricampi videlicet et Orti sancte Marie suboritur. Gericus siquidem vir dives et potens in Twislum[77] et[e] parrochia beati Augustini[78], liberos non habens quoad seculum, suorum bonorum heredem esse cupiens Deum bonorum omnium largitorem, in monumentum eciam forte sui nominis ac parentum suorum, claustrum[79] cepit edificare in Wigarathorpe suorum prediorum, in eo cum sua familia et aliis quos ad Deum[f] attrahere posset studiosius cupiens famulari. Et quia districtioris ordinis nexus verebatur, laxioris ordinis regulam eligere primitus studiose curavit. Accedensque ad abbatem de Lindekerka[80] ordinis beati Augustini, tunc venerabilis memorie domnum Garbrandum, intencionis sue eidem revelavit archanum, petens sibi in aliquibus personis Deum curantibus et aliquibus libris ordinis subveniri, quatinus per eos in disciplina claustrali et in ordinis observanciis, prout melius possent instrui, efficacius erudirentur. Quod abbas, virum forte probare cupiens, cuius spiritu ageretur, primitus inplere non omnimodis sed pro parte curavit. Quare post breve temporis spacium tam ab eo quam a suo ordine animum avertens, ad abbatem Sidachum et ad ordinem Cisterciensem[g] se convertit cum paucis, quos melioris consciencie fore reputavit et in suorum negociorum promocionibus efficaciores, ceteris, qui se forte eiusdem esse probitatis putabant, aut irrequisitis aut contradicentibus. Quod abbas predictus, ut prior, nec plene reppulit nec accepit, maxime cum prioris, a quo quovismodo receptus fuerat, mutandi habitum et ordinem assensum nec expetivisset nec haberet.

---

[a] intherim *cod.* [b] fĩnalit' *cod.* [c] *correxi ex* viverent *cod.* [d] procreacionem *cod.* [e] *supplevi.* [f] dei *cod.* [g] Circerstiensem *cod.*

[74] Abel. [75] Mater Conradi fuit Isabella filia Iohannis regis Ierosolimae. [76] cap. 15. [77] Twijsel in territorio dicto Achtkarspelen, praepositurae Oldenhove. [78] Augustinusga ibidem situm. [79] dictum Ierusalem seu Gerkesklooster. [80] Ludingakerke, v. supra p. 423 not. 47.

45. *Qualiter Gerichus priori ordine relicto Premonstratensem ordinem postulaverit et acceperit* Venit igitur in Ortum ad abbatem Etelgerum voce lacrimabili petens propter Deum, ipsum et suos cum omnibus suis appendiciis mobilibus et immobilibus in ordinem recipi Premonstratensem, nihil aliud ab eo expetens nisi personas Deum timentes, qui ordinem in suo loco servandum edocerent; insuper asserens, se a primo suo abbate absolutum, a secundo quoque simpliciter repulsum; se iam nescire quo declinaret, nisi ad ipsum. Quo abbate, qui super afflictos pia fuit assidue gestans viscera, ipsum miserante ac de consilio saniorum admittente, ipsi concessit priorem fratrem videlicet Ripertum, virum utique maturum et ordinatum, cappellanum ei dans fratrem Gerfridum. Hos itaque secum assumens, frater Gerichus letus domum revertitur.

46. *Quibus dolis ordinem suum neophitus monachus dilatare contenderit.* Interea vir nobilis Wibrandus Ostergie decanus, relicto decanatu quem, ut vulgo dicebatur, iusto titulo vix possidebat, a noviciatu, quem receperat in Clarocampo ab abbate Sidacho suo avunculo, emancipatus, monachus ipsius efficitur. Et hic quidem arcioris forte consciencie stimulis permotus, ut ita dixerim, avunculum arguere cepit eo quod tepidiorem plus debito se exhibuisset in ordinis sui dilatacione; fratrem Gerichum, quem abbas de Orto iam recepisset pro temporalium habundancia, a se iam pridem repulsum, cum adeo bene et forte plus bene eidem tam in personis quam in rebus valuisset providere. Et adiecit: *Quia tamen, ut audio, curam in spiritualibus ab episcopo Monasteriense idem abbas vix recepit, necessarium est eundem conversum occulte ad vos vocatum verbis attrahi, promissis allici dulcioribus. Et ego pro vobis vadens in Monasterium, curam ab episcopo recipiam ex parte vestri omnium in loco existencium, ac abbati de Orto, si post pecierit, non concedi, licet difficulter, tamen obtinebo.* Hiis dictis abbas consentiens, idem itinere difficili arrepto — hyems
Nov. 30. quippe fuerat — forte circa festum Andree voluntate sua ab episcopo obtenta, circa festum
Dec. 25. natalis Domini revertitur ad propria.

47. *Quomodo abbas de Lindinkerca Gerichum cum suis omnibus abbati Ethelgero resignaverit.* Interim vero abbas de Lindinkerka audiens conversum Gerichum, ordine suo derelicto, ab abbate Orti sancte Marie in ordinem receptum Premonstratensem, animo consternatur, scienter reputans predictum abbatem huiusmodi causas in preiudicium alterius ordinis sive abbatis tanquam virum iustum sibique familiarem vix attemptare. Misso igitur nuncio familiari in Ortum idem certius experiri, cum cognovisset[a] abbatem per falsi suggestionem illusum, ad condictam diem cum eo adveniens, in manibus suis ipsum cum omnia sua sequela a se et a suo ordine absolutum resignavit, sibique ab ecclesia sua concessa petens restitui. Que abbas Ethelgerus integraliter sine aliqua diminucione reddi mandavit. Sic igitur hac parte sopita, pars altera valencior validius insurgere festinat.

48. *Quibus fraudibus abbas Sidachus Gerichum sibi attraxerit.* Predictus siquidem conversus Gericus ab abbate Claricampi Sidacho promissionibus magnificis attractus et illectus, cum tribus conversis capitalibus iureiurando in sanctis ewangeliis, immo ut dicebatur in corpore Christi affirmavit, se cum omnibus quos attrahere potuisset de congregacione sua ordinem Cysterciensem ab ipso recepturum, observaturum ac in eo firmiter perseveraturum, dummodo ab ordine Premonstratensi, quem[b] receperat, ab obediencia abbatis Ethelgeri potuisset absolvi. Quod ille constanter e converso sese effectui mancipaturum spospondit.

49. *Quam pulchra varietate officiorum in Orto commutacio facta sit.* In illis diebus conmutacione quadam officiorum facta, abbas Ethelgerus fratrem Thitardum a prioratu absolvit et fratrem Sigebodum de Wibernavirum oriundum priorem constituit, eo quod esset ordinis zelator paternarumque tradicionum sectator. Quo vero post non longo tempore absoluto, exteriorum provisione eidem conmissa, substitutus est frater Ummo de Ummegga viris, parcium orientalium, parochia Aneggum[81] oriundus Et hic post breve absolutus officioque camere conmisso, institutus est frater Onsebus Wesfgme natus[c] ex nobilibus Folprechia viris, quorum virtutem et magnanimitatem nobiles[d] Sikegga viri quandoque[e] senserunt; vir utique ordinatus ac Deo devotus, forte sicut de Iob beato legitur, simplex et rectus ac timens Deum et recedens a malo.

[a] congn. *cod. saepius.* [b] quam *cod.* [c] wesfgmenatꝯ *cod* [d] nobilis *cod.* [e] qñqꝫ *cod.*

[81] Videtur esse eadem parochia, quae alias vocatur Oengum, praeposituræ Hartzum seu Nesse, iam olim a Dollarto submersa, v. Ledebur, Die fünf Münsterschen Gaue Frieslands 31.

50. *Qualiter domno Ottone feliciter defuncto, abbas Ethelgerus ecclesie Belbocensi de abbate providerit*[a]. Mortuus est interea felicis recordacionis domnus Otto Belbocensis abbas, de quo supra capitulo decimo. Quare necesse fuit abbatem Etelgerum illo ire tum visitacionis gratia tum causa institutionis alterius persone in ecclesiam. Quo perveniens non sine difficultate itineris, a conventu Belbocense gratanter excipitur, de patre suo ipsis sublato queruntur, alterum sibi per suam providenciam substitui precantur. Annuit abbas deque consilio saniorum ac seniorum fratrem Sigebodum prefatum suum provisorem eis abbatem denominat. Cognitaque per visitacionem tam interiorum quam exteriorem amministracione, correctis que fuerant corrigenda et reformatis in statum debitum que fuerant reformanda, vadit in Rubum ad sorores, consolacionis eisdem munus inpertiri. A quibus cum ingenti gaudio lacrimisque profusis suscipitur, maxime autem a Bethlehemiticis que adhuc superfuere sororibus. Aliquantisque diebus salutis eis verba profundens, benedicens eas recedit ab eis, reversusque est in Belboch. Ubi item aliquot transactis diebus, et ordinans que fuerant ordinanda, salutatis fratribus et eorum se conmendans oracionibus, benedicens eos recessit ab eis, prosperoque successu in domum suam reversus ad suos, fratri Sigebodo prenominato, ecclesie sue provisori, nomen et officium abbatis Belbocensis conmittens, in omnibus que secundum ordinem expostulasset expeditum a sua ecclesia cum benedictione dimisit, fratrem vero Thammonem sepius supra memoratum provisorem constituit exteriorum.

51. *Quomodo de temerariis ac transgressoribus se defenderit.* Factum est autem, dum hec agerentur, conversus Gericus, qui supra, occasionem querens divertendi ab amico, cum priore fratre suo Riperto cepit altricari, dicens se ab abbate Ethelgero iam per multum temporis in nullo penitus expeditum, se quoque velle iam pocius transire in Aedwerth[82] ad sanctum Bernardum, quam sic penitus deperire. Abbas quoque Sidachus nuncios suos cum litteris episcopalibus transmittens, curam se recepisse in spiritualibus omnium in loco existencium attestabatur, mandans auctoritate episcopali sibi conmissa in virtute sancte obediencie, omnes alterius ordinis professores eliminari. Quam prior dictus acceptans, familie pro maiori parte ploranti et flenti valefaciens recedit, domum reversus. Requisitus ab abbate, causam reditus edisseret; abbas de consilio fratrum[b] alterum Utatum nomine transmittit, vicem prioris agere mandans, item in virtute sancte obediencie, auctoritate privilegiorum sedis apostolice ordini indultorum, omnibus suis professoribus nec ordinem nec locum deserere, nullum[c] penitus alterius ordinis professorem recipere, tam in spiritualibus quam in temporalibus curam agere, rebelles et inobedientes censura ecclesiastica ad satisfactionem conpellere, claves ecclesie diligencius custodire. In hiis omnibus exequendis prior predictus fidelissimum ac firmissimum habuit assecutorem fratrem Gerfridum prememoratum supra capitulo 45, qui non modicas molestias a fratre Gericho et suis conplicibus tempore huius dissencionis, quia tanquam vere obediens eliminari non poterat, sustinebat.

52. *Quomodo congregacio familie Gerici in duo divisa sit.* Ut iam dictum est provisor exteriorum fuerat magister Thammo, ob litteraturam, qua forte ceteris sui temporis preminebat, vulgo sic dictus. Vir utique inter homines conscientiam habens, ut videbatur, bonam; cuius eciam sanis consiliis abbas Ethelgerus permaxime utebatur. Et hic quidem in seculo positus predicto Wibrando abbatis Sidachi sororio, item in seculo posito, speciali quadam familiaritate fuerat confederatus. Communique consilio spretis mundane vanitatis illecebris, seculum relinquentes, sub habitu religionis, licet ordinum diversorum, regi regum Deo vivo et vero elegerunt iugiter inherere, eandem familiaritatis quam prius coniuncti fuerant sectantes unitatem. Hic siquidem considerans, turpe esse et indecorum omnino, videri personas religiosas sub Dei timore positas de quacunque re temporali vel habenda vel non habenda concertare, cum beatus Augustinus pro pace obtinenda asserit, pecuniam esse proiciendam, cum patre Ethelgero tractare cepit de conposicione inter ordines et loca iterum facienda. Cui abbas Ethelgerus statim consenciendum decrevit, dummodo suo ordini et loco in conposicione preiudicium non fieret, quod tolerari merito non debuisset. Ad instanciam quoque forte ipsius predictus Wibrandus monachus abbatis Sidachi sororius suum avunculum ad idem incitavit faciendum. Condictoque die ad locum preordinatum cum suis capellanis predicti abbates simul convenientes, prefatis duobus monacho

---

a) providerat *cod.* b) fratrem *cod.* c) ull'm *cod.*

82) Aduard.

et canonico secum assumptis, hii duo primitus secreta[a] inter se habere ceperunt de causa, quorum quilibet forte alterius abbatem de suo facto arguebat, proprium racionibus quibus poterant in alterutrum defensare cupientes. Nec mora, eisdem ad suos revertentibus, abbates omne ius quod quilibet illorum habere videbatur in ipsos transfundentes, iidem in hoc concordandum decreverunt ut, tocius familie coadunata congregacione, personarum quelibet ad illum accederet abbatem, cuius normam quoad viveret sectari voluisset, secundum numerum capitum singulorum ad utrumque abbatem accedencium omnibus attinenciis ecclesie mobilibus et immobilibus sequestratis ac divisis. Sicque factum est ut familia in duo divisa, altera quidem in claustro in Wigarathorpe iam constructo remaneret, reliqua vero in grangia, que habetur in parrochia beati Augustini, normam imitantibus in ordine Premonstratensi, que predictam grangiam fratris Gerici prememorati patrimonio[a*], resideret; illis regulam beati Benedicti sectantibus, istis[b] normam beati Augustini, ut dictum est, sequentibus. Nec multo post predictus Wibrandus monachus, conventu monachorum secum transmisso, illis creatur in abbatem, istis vero supermemoratis cum fratre Gerfrido in prioratu relinquitur frater Utatus.

53. *Quis ubi qualiterve monasterium sororum Sepulchri sancte Marie*[83] *fundaverit.* Erat itaque in parrochia iam dicta laicus quidam nomine Bovo, nobilis et dives; item sicut Gericus tunc temporis nec uxorem habuit nec liberos. Qui forte imitatus sentenciam Luc 13, 24. Domini dicentis: *Contendite intrare per angustam portam* et cetera, itemque *nisi quis* Luc. 14, 33. *renunciaverit omnibus que possidet, non potest meus esse discipulus*, constructa iam pridem capella beati Nicolai in suo patrimonio nec non et sufficienter dotata ad sacerdotalem sustentacionem ex connivencia sui dyocesani, videns fatrem Gericum, suum forte quondam emulum, iam ex suis bonis ad honorem Dei ac in sui nominis monimentum claustrum, iam conventum monachorum ac abbatem habens, construxisse, sese per hoc amplius quid faciendum arbitrabatur incitatum. Accitoque per internuncios abbate Ethelgero, intencionis sue eidem revelavit archanum, dicens animum suum in eo et volvi et revolvi, quod relictis vanitatibus huius seculi illecebris, omnia que possidere quoad seculum videbatur eidem et plene et plane resignaret, dummodo sororibus, que in partem suam cesserant, ac aliis personis, quas Dominus ad sui nominis gloriam dilatandam per suam graciam attraheret, in futurum per ipsum ac suos artifices cenobium cantancium construeretur sororum. Quod dictum, cui subsecutum est et factum, abbas cum suo cellerario acceptans, qui presens erat, omnem se operam adhibiturum pollicetur. Transmissaque velocius navi ad Hamburgensem civitatem pro adducendis lignis, ad claustri structuram artifices misit, fratreque Utato priore revocato, fratrem illum qui minister quondam fuerat prioris magistri Fretherici positi in extremis, de quo supra capitulo *In infirmitate*[84], misit cum eis, conmittens eidem et loci prioratum et edificiorum ordinacionem. Interim vero abbas Ethelgerus sorores aliquas pro iuvenili etate ad discendum habiliores de memorata familia ad claustrum suarum sororum in Bethlehem iubet deduci, quatinus in legenda ac cantanda ordinis[b*] et disciplinis claustralibus melius ac commodius instrui possent. Frater quoque memoratus ad locum veniens transmissum, tum pro obediencie, quam sese devoverat servaturum, conservacione, tum pro ordinis, cui annexus a tempore puerili fuerat, dilatacione, tum eciam pro speciali[c], qua abbati Ethelgero coniunctus fuerat dilectione cognacionis, ea que sibi ab ipso abbate iniuncta fuerant, prout melius scivit et valuit, studiose inplere curavit. Sicque factum est ut in brevi temporis spacio, abbate ac provisoribus sibi operam multam administrantibus, sororum edificiis sive mansionibus in fundamentis, in parietibus et in tecto consummatis, ut tunc temporis necessitas postulabat, frater predictus acuta febre Nov. 30. correptus, circa festum Andree navigio deduceretur ad claustrum, ab hiis qui circa ipsum fuere, quasi[d] desperatus. Qui tamen per Dei graciam aliquanto elapso tempore convaluit, maioribus forte periculis et laboribus, ut post Deo donante patebit, reservatus.

54. *Qualiter abbas Ethelgerus quasdam de Bethlehem sorores ad prefatum locum transmittens, priorissam ibidem et*[e] *suppriorissam constituerat.* Claustralibus itaque preparatis, ut iam predictum est, structuris, abbas Ethelgerus cum sororibus, quas ad tempus receperat, alias numero decem forte pro decalogi perfectione ad locum preordinatum sub

---

[a] secreto *cod.* [a*] *locum hunc corruptum esse patet; supplenda videntur* attinentem comparaverat *seu similia.* [b] tiº *prima manu in capite lineae, quod secunda add. corr. in* istis *cod.* [b*] observantia *excidisse videtur.* [c] *correxi ex* spirituali *cod.* [d] *sic supra lin. eadem manu pro* prope *lineae cod.* [e] *supplevi.*

[83] Cf. cap. 24 not. 46. [84] cap. 19.

diligenti custodia personis religiosis convenienti circa festum beate Lucie virginis transmittere Dec. 13. curavit, eisdem instituens priorissam sororem Hildegardim germanam sororem Kemponis viri nobilis de Waxinge[85]. Huius Kemponis frater iunior extitit Iaricus, ex patre genitus eodem, sed alia matre. Et hic Kempo, accepta uxore nobili iuvencula filia Menulfi, suis diebus viri nominati de Homulmahusum[86], unicum ex ea genitum filium nomen sui patris Sinici habentem, dum annos pubertatis ingrederetur, adhuc vivens morientem deplanxit et, ita aliquibus superexistens annis, mortuus est sine filiis, fratrem predictum suorum bonorum heredem relinquens. Qui eciam, accepta uxore filia Ivonis Garechia, filios et filias ex ea generans, duas quidem ex eis relinquens habitu investitas[a], in numero sororum Bethlehemiticarum promeruit conpulari. Horum quoque fratrum soror fuerat matrona nobilis Ida uxor Dodonis de Brontegum; qui eciam ex ea recipiens filios et filias, unam quidem filiam Bethlehemitico, aliam autem Syonitico[87], terciam vero monastica disciplina Templo sociavit Dominico[88]. Quarum Syonitica iam sororum sue ecclesie extat priorissa; de reliquis vero in suis forte locis tale quid expectatur futurum. Forte autem hoc loco idcirco dixerim, quia secundum phylosophum omne futurum est incertum et de futuris non est determinata veritas. Suppriorissam autem statuit abbas Ethelgerus sororem Sitetim filiam Ailulfi Ricnatha de Hallum. Istius Ailulfi filii fuerunt in Orto sancte Marie Sivicus et Wicgerus, sacerdotes et canonici, qui metas sibi consitutas heu transgredi non valentes, ex hoc seculo diebus suis evolutis migraverunt, unicam sororem, nomen matris habentem, superstitem sub religionis habitu relinquentes. Frater vero carnalis extitit Wilgrepus Ricnatha. Qui liberos non habens, cum esset locuples[a*] et in temporalibus habundans, vivens intus, religiosorum ecclesiis ex suis habundanciis, fratre consenciente, de consilio fratris Thome, qui suus extitit confessor, de quo supra capitulo *Bethlehemiticarum*[89], benefecit. Moriens vero ecclesie de Orto centum libras in monimentum sui nominis legavit, terre sancte pecuniam copiosam ad suarum necessitatum relevacionem transmisit, reliqua fratri ac sue posteritati relinquens. Istorum eciam duorum fratrum germana soror extitit Renweris nobilis matrona, uxor Siardi Rembrechta de Rembrechta castello in Merumasehusum. Hec matrona duas filias sibi a predicto moriente marito relictas, unam quidem Sitetim nomine matrimonialiter Dodoni filio domni Wibrandi Renekenga de Mercelum sociavit. Que duas ibidem filias ex ipso generans, marito iam non existente[b], alteram viro probo Kemponi de Merum[90], quo melior diebus suis Friso vix surrexit, Avam nomine, nuptum tradidit. Reliquam vero nomine Renniwerim nomine[c] viro nobili Lindoni filio domni Walteti de Underthum copulavit. Ava extitit mater duarum sororum in Bethlehem, Rewerildis et Bernildis; Renweris vero sororum item duarum, Ethelindis et Thiadlindis. Quarum Ethelindis tempore huius descripcionis priorissa extat sororum in Bethlehem. Reliquam vero filiam quam habebat a dicto Siardo predicta Renweris, Simerim nomine, in matrimonio tradidit honorabili viro Menoldo Thiarchia de Blita[91]. Que item ex ipsius maritali consorcio filios generans et filias, duas quidem filias Renwerim et Liudgerdim Bethlehemitico tradidit cenobio, Domino in obediencie vinculo servituras. Quarum[d] prior in eodem existens famulatu felici ut speratur fine migravit a seculo anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo, ut reor, quinto[e]. 1255. Reliqua vero soror tempore huius littere inter ceteras Christi ancillas, cui servire regnare est, ut ancilla serviens est, mercedem denarii cum suis sodalibus quem expectat quandoque Deo largiente preceptura.

55. *De primordiis ac consecracione cenobii Sepulchri sancte Marie.* Sororibus igitur ut iam prehabitum est deductis, abbas ipse sine dispendio more subsecutus easdem pro consolacione, ordinatis que fuerant ordinanda, domum revertitur fratremque illum, qui pridem ibidem fuerat prior ordinatus, iam convaluisse videns ex infirmitate, eodem functum officio remittit eisdem. Qui eciam a bone memorie, ut reor, Wilhelmo Turonense[92] episcopo, vices domni Monasteriensis Ottonis de Lippia in partibus illis gerente, in honorem beati Ioannis euwangeliste constructam ecclesiam novi cenobii anno Domini 1242[93]. 7. Kalendas Octobris 1242. Sept. 25.

---

a) investitus *cod.* a*) locuplex *cod.* b) ente *cod.* c) *add. cod.* tradidit, *ut puto ex praecedenti linea.* d) Quare *cod.* e) MCCL. ut reor quinto *cod.*

[85] Waaxens a Dokkum inter septentriones et occidentem.

[86] Idem videtur esse quod supra cap. 38 Hontummahusun audit.

[87] Mons Sion seu sanctae Mariae, vulgo Vonneklooster ad septentriones Dokkum.

[88] Templum Domini seu Silva sanctae Mariae, vulgo dictum Wert.

[89] cap. 14.

[90] Marrum in pago Ostergo inter Hallum et Ferwert.

[91] Blija.

[92] An Curonensi?

[93] Numerus falsus esse videtur. Otto II. episcopus erat a. 1248—59.

promovit dedicari, quatinus post huiusmodi consecracionem, ordine in loco confirmato, inmutacio aliqua, ut iam facta fuerat, procurari postmodum de facili non valeret. Sicque de die in diem ecclesia eadem tam in temporalibus quam in spiritualibus per divine bonitatis graciam ipsi Deo beneplacitum suscepit incrementum, abbate ipsorum curam maxime in spiritualibus, quam ab episcopo receperat, habente quoad viveret.

56. *Quod prepositus Herdericus in via obedientie cum Iesu paulo minus ambulaverit.* Illis adhuc temporibus domnus Herdricus Gracie[a] sancte Marie prepositus[94], de quo supra capitulo secundo[b] *Hic est ille Sibrandus qui*, in sua, ut ita dixerim, amministracione potenter agebat sub domni Liudgeri venerabilis memorie Clarholtensis abbatis tuicione, qui ipsum per suam eloquenciam in omnibus suis actionibus tamquam pater filium defensabat, quasi sub muro inexpugnabili aut clippeo non declinante, saliens de monte in montem, collesque forte transiliens, visitatorum Westphalie seu Frisie tam abbatum quam prepositorum visitaciones minime curabat.

57. *Qualiter ecclesie Sceldwaldensis abbas Ethelgerus paternitatem receperit.* Predicto autem abbate defuncto[c], patre Ethelgero tunc temporis forte in capitulo generali existente, questio cepit haberi ad quem locum predicta ecclesia deberet habere respectum. Ex qua[d] sentencia diffinicionis promulgatur, abbatem Orti sancte Marie, utpote que prima fuisset omnium ecclesiarum Frisie Premonstratensis ordinis, in eadem ecclesia debere paternitatis vicem[e] tenere. Quod abbas Ethelgerus, quem prefatus prepositus propter innatam sibi mansuetudinem ac insitam humilitatem et tanquam sibi ignotum parvipendebat, audiens, sese ad prepositi Herdrici correctionem sine maiorum auctoritate ac aliorum sibi vicinorum abbatum amminiculo minime posse sufficere dicebat, quippe qui, ut supra prelibatum, sepius coram annuis visitatoribus proclamatus, laqueos sibi positos adhuc evasisset minime irretitus. Ne tamen alicuius obedientie nota pater Ethelgerus redargui potuisset, onus paternitatis sibi inpositum cum quali volebat auctoritate subnixus recepit, sicque domum revertitur, iam duarum ecclesiarum in spiritualibus provisione recepta, quam sibi sui non reliquerant preabbates.

58. *Quomodo abbas Floridi Orti prepositum Herdricum pro sui absolucione officii postulanda monuerit.* Tempore autem postmodum oportuno pater Etelgerus, abbatum consilio ac prepositorum de circaria Frisie evocato, conmissionem paternitatis ecclesie de Gracia sancte Marie et absolucionis auctoritatem, si[f] sponte cedere voluisset, depositionis vero si non sponte, contra domnum Herdricum prepositum predicti loci sibi factam ostendit eisdem, petens ac mandans abbatibus et prepositis orientalium ecclesiarum, quatinus predictum prepositum ad absolucionem expetendam monitis ac minis inducerent; asserens sese, si hoc faceret cum reverencia exhibenda, in procuracionibus annuis faciendis et ceteris rebus suo honori conpetentibus sibi amicabiliter ac paterne provisurum. Que omnia patre reverendo domno Meincone[g] Floridi Orti abbate predicto domno Herdrico coram posito in sua ecclesia videlicet Sceldwalda edicente, dictus prepositus audiens, ut leo rugiens, terribiles fremitus sine voce primitus emittere cepit, indignacionem quam[h] animo gerebat, forte ostendentes. Tandem in vocem prorumpens, huiusmodi cepit verba proponere: *Audi, audi queso, o abba, audi! Quando fundamenta huius templi locata sunt, quando parietes erecti, quando domus iste quas hic circumquaque vides constructe, quando arbores iste sic in ordine posite, quando agri ad semen recipiendum et ad fructum dandum in tempore suo sic exculti, ubi tunc fuit iste abbas Orti? Certe, certe manus iste, que hec omnia elaboravere, hec quamdiu superfuerint possidebunt; nec valebit quisquam mortalium de meis evellere manibus. Veniat, veniat ille Ortulanus, certe ego illum in manu valida et brachio extento recipiam. Quis, o abba, ista audivit? Quis vidit talia? prorsus nemo. Quis hunc abbatem in patrem expetiit? Ipse, ipse sit abbas in Orto sancte Marie; ego, ego ero quoad vixero prepositus in Gracia sancte Marie.* Abbas autem Meinco[g] pacienter ipsum audiens, attencius verba ruminantis pensabat. Quibus tandem qualitercunque terminatis, abbas illi cum multa tranquillitate et paciencia respondit: *O preposite, pacienciam animi habetote. Paciencia enim vobis in tali articulo necessaria est. Mementote queso dierum antiquorum; recogitate annos vestros in amaritudine anime vestre, recolite qualiter a venerabilibus patribus diebus*

---

[a] grē *cod.* [b] vigesimo *cod.* [c] de fctō *cod.* [d] q; *cod.* [e] *correxi;* vitam *cod.* [f] *correxi;* sibi *cod.* [g] Meme. *cod. hic et infra, sed correxi, cum c.* 63 *Meinco legatur.* [h] quem *cod.*

[94] i. e. Sceldwaldensis.

pristinis emendacione promissa supportatus estis; non tamen propter vos sed propter subditos vestros, qui non exemplo vestri sed exemplo Iesu Christi ac suorum servorum in omni loco sue conversacionis Christi bonus odor esse studuerunt, et non tantum coram Deo sed eciam coram hominibus exempla honestatis monstrare curaverunt. Quandoque vel sero resipiscere gratisque vobis oblatam graciam gratanti animo recipite. — Et quis est o abba, inquit prepositus, *finis meus, ut pacienter agam? Finis siquidem melior est hiis que sunt ad finem, ut probatur, qui finis, non pugna, coronat; et a fine est omnis denominacio. Cuius eciam finis bonus est, ipsum quoque bonum est. Secundum apostolum*[95] *quoque non coronabitur, nisi qui legitime certaverit. Et in stadio huius vite omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium. In quibus sentenciis apostoli legitima concertacio et bravii apprehensio pro finali precio forte sumuntur, non immerito. Et ipse Dominus inquit in euwangelio:* Qui perseveraverit usque Matth. 10,22. in finem, salvus erit. *Ergo, ergo si salvus esse voluero, immo quia volo et omnes hoc volunt, certo certius dico, quod in opere cepto, ut bravium inveniam et coronam accipiam, quoad Dominus voluerit perseverabo usque in finem. Hortaris quoque ut gratis oblatam graciam animo gratanti accipiam. Et que est hec gracia, o abba? Ego servus, minister et prepositus Gracie sancte Marie, graciam Ortulani non quero nec accepto nec curo. Gracia sua sibi sit et suis; ego qui meis diebus plus omnibus prelatis Frisie qui nunc supersunt laboravi, Graciam beate Marie mihi multis acquisitam laboribus, multis in viscera tam sudoribus, erumpnis, vigiliis, ieiuniis et quam plurimis inconmoditatibus medullitus unitam, quam diu supervixero nunquam*[a] *deserere aut derelinquere valebo. Sicut enim inpossibile est, quod homini medullitus insertum, sine mortis metu ab homine posse avelli, sic inpossibile est ab Herdrico preposito Graciam beate Marie sine separacione corporis ab anima quovis modo auferri. Numquid*[b] *coram oculis tuis, o abba, et tuorum conprelatorum idem est offerre graciam et auferre? Siquidem cum legatur in scolis, quod opposita iuxta se posita magis elucescant, et oblacio et ablacio sint opposita, tanquam sibi contraria, miror, immo condoleo, vestram sapientiam ad tantam devenisse insipienciam, ut hoc oculo cordis minime advertatis, immo pocius me advertere non putetis. Adverto, adverto, nec non advertere potero.* Hec itaque vel huiusmodi verba torvo vultu, pluribus coram positis, forte proferens, conversus ad abbatem secreto et amicabiliter eum alloquitur, forte sic dicens: *O abba, in multis tuis predecessoribus tibi quoque ac tuis hactenus servire curavi, quia quasi civis meus es et conpatriota, nec dissentire nos expedit, quia in alterutrum prodesse valemus et obesse. Asta mihi nunc et ego mane et vespere astabo tibi, ut abiciamus a nobis iugum Translaicanorum, quod portare merito nec debemus nec volumus nec valemus.* Ad quod abbas: *O preposite, omnia,* inquit, *facta et dicta prelatorum moderni temporis necesse est nobis diligencius examinare lima rationis, ne periculum incurramus inobediencie, sed pocius ad observanciam anime laboremus, quia sine ipsa saluti nostre consulere non valemus. Exempla: Adam quidem peccavit per inobedienciam et eiectus est de paradiso; Abraham quia obedivit, pater gencium multarum constituitur; Moyses quoque obediens dux Israelitici populi efficitur; Chore cum suis sociis quia inobediens extitit, a terra cum castris suis vivus absorbetur. Cogita generaciones singulas et annunciabunt tibi, maiores tuos, et dicent tibi. Si ergo monitis meis obtemperaveris, si consiliis acquieveris, ut frater adiuvans fratrem astabo et ut vere amicus cum abbate Orti tuam tractabo causam. Ad obiecta autem tuorum dictorum huius temporis respondere non est. — Surgamus,* ait prepositus, *intremus et bibamus.* Sic opere prime diei completo, abbas Meinco omnem processum negocii nunciavit abbati Ethelgero. Quem ille legens et relegens obtegere silencio curavit, paucis huius secreti archanum revelans.

59. *Quod abbatem Ethelgerum frater Galtatus missam velocius conplere adhortatus sit.* Iisdem temporibus fuerat in ecclesia memorata Gracie sancte Marie canonicus quidam nomine Galtatus, cognatus domni Herdrici prepositi secundum carnem. Quem idem prepositus sibi utpote iuvenem et validum corpore attraxerat, quatinus sui defectus utpote iam senioris et invalidi per ipsum, cum necessitas sic exigeret, suppleri potuisset. Iste frater Galtatus aliquo tempore in Orto beate Marie pro addiscendis consuetudinibus ac ordinis observanciis constitutus, abbati Ethelgero sese obsequiosum valde exhibuerat omnemque statum prepositi ac ecclesie eidem ad unguem revelans, ad immutacionem sine omni hesitacione faciendam sollicite hortabatur. Se quoque expositum ad omnem ipsius abbatis voluntatem exequendam ac honorem non tantum conservandum sed et augmen-

---

[a] nonquam *cod.* [b] Nūcq̃d *cod.*

[95] 1 Cor. 9, 24.

tandum cum advocatis ecclesie ac optimatibus tocius Fivelgonie de Aldaombechte[94] ac terre Reidensis, quibus prepositus magis innitebatur, fideliter astruebat. Dicebatque inter cetera, memoratam ecclesiam nequaquam ipsius prepositi dominium racione expensarum, quas frequencius inutiles faciebat, sine magno sui detrimento posse portare. Hiis forte et huiusmodi dictis abbas Ethelgerus auditis, nuncio cum litteris transmisso, ratione paternitatis diem ad prefatam ecclesiam veniendi ac visitationem faciendi constituit, abbatibus de Merna et de Florido Orto secum assumptis.

60. *Qualiter Wilhelmus Hollandie comes ad Romanum pervenerit imperium.* Illis autem temporibus Fretherico quondam Romanorum imperatore, ut prehabitum est supra capitulo *Circa idem*[95], a summo pontifice Gregorio nono per sentenciam deposito ac Hinrico Thuringie landgravio, quia imperium electus susceperat, ab eodem ut dicebatur Fretherico infecto, ad instanciam eiusdem pontificis principes Allemannie[a] convenere in unum, eligere virum cuius brachiis inperiale sceptrum inponeretur portandum. Summo igitur studio magnaque concordia optimatum ac principum tocius regni, consultu tamen precipue Colo- 1247. Oct. 3. niensis ecclesie archipresulis, reverende memorie Conradi, electus est iuvenis Hollandie comes Wilhelmus, natus patre Florencio, de quo supra capitulo *Temporibus illis*[96] et capitulo *Florencius*[97], matre vero filia ducis Brabancie[98], bone indolis adolescens. Qui licet sic nobilibus ortus esset natalibus ac per hoc plurimorum nobilium comitum ac ducum superaret catervam[b], nequaquam tamen regalia in suis repositoriis inclusa principum subvectus auxilio prevaluit obtinere, donec, beneficio cruce signatorum cum predictis civitate Aquensi circumvallata, non sine sanguinis inpensa quorumdam nobilium de Frisia, urbis defensores, sese cum advocato civitatis in manus regis electi ac tocius gentis Frisonum 1248. Oct. cum uxoribus et parvulis ac rebus mobilibus et immobilibus, ut graciam invenirent, affectuose dederunt. Nec mora interveniente ab hiis principibus quorum intererat rege coronato ac sede regni obtenta, rebus necessariis ordinatis, ad alia regni negocia rex cum suis expeditus egreditur tractanda.

61. *Quod Conradus Fretherici filius relicto regno fugam ceperit.* Hiis prospere gestis, Conradus filius Fretherici, qui expectatus suis opem non tulerat inclusis, nuncio sibi non accommodo referente, auditis animo consternatur, Alemannicoque regno penitus derelicto, fuge presidio sibi suisque consulendum citius fore decrevit, ad patrem reversus. Quare novo regi[c] in cunctis sui iuris urbibus ac civitatibus, ad quecunque manum porrexerat, facilior sperato patebat accessus.

62. *Ducis Brunswicensis[d] filia novo regi nuptum traditur.* Mittitur interea legatus ad ducem Brunswicensem[d], quatinus filiam suam adhuc virginem novo regi Allemannorum matrimonialiter tradere voluisset uxorem. Auditis dux gaudet nateque assensum requirens, cum cognovisset, legacionis huius baiulis ipsam copioso, ut regalem decebat dignitatem, apparatu tradit ad partes Hollandie pro contubernio iuvenis ac novi regis Wilhelmi 1252. ducendam[99].

63. *Qualiter ecclesiam Sceldwaldensem abbas Ethelgerus visitaverit.* Veniens ad ecclesiam Gracie sancte Marie abbas Ethelgerus cum predictis de Merna et de Florido Orto abbatibus, a conventu clericorum, conversorum ac sororum pro maiori parte libenter excipitur, sed a domino domus non libenter forte videtur. Persone tamen nutu divino reverenciam veritus, quod corde gerebat, forinsecus signis ostendere formidabat. Salutans quidem abbatem cum reverencia, ab eodem resalutatus est cum omni humilitate ac paciencia. Consedentibus illis et, ut fieri solet, hinc inde conferentibus, a preposito liber, in quo omnes sui actus memorabiles a primeva sua conversione ac claustri fundacione curialiter descripti fuerunt, abbati offertur[e]. Curialiter autem idcirco dixerim, quia postmodum, eodem occasionaliter in manibus meis devoluto, ipsum legi et relegi, super suis dictis et factis admiratus. Quibusdam autem de familia hanc oblacionem inpedire cupientibus, abbas Ethelgerus sibi librum quantocicius mandavit exhiberi, in ipso legens ac coram se infra cenandum relegi faciens. Qui, si bene memini, tali principio sumit exordium: *Audi fabulam, non tamen fabulam, sed rem gestam de Herdrico preposito Gratie*

---

[a] aliemānie *cod.* [b] caterva *cod.* [c] regno *cod.* [d] bruus.—. *cod.* [e] offeruntur *cod.*

[94] Oldamt. [95] cap. 41. [96] cap. 15. [97] cap. 43. [98] Machtildi, filia Heinrici I. [99] Elisabetha filia Ottonis ducis nupsit Wilhelmo regi a. 1252. Ian. 25.

sancte Marie et memoriis hominum traditam et cetera, dictatus ut reor non ab ipso preposito Herdrico sed a magistro Henrico scriptore ad peticionem sive mandatum ipsius prepositi. Ex hoc autem abbatis facto prepositus cepit habere abbatem conmendatum, in suo corde ad se reversus, forte sic inquiens: *Iste abbas non inmerito ab hominibus commendatur, honoratur et amatur, quia pius, prudens, humilis, pudicus, sobrius, castus, paciensque videtur. Quare Deum cum illo esse harum virtutum indicio probatur. Te cum illo controversiam habere non expedit, ne contra Deum luctam videaris inisse. Pacientia ergo tibi secundum abbatis Meinconis dictum necessaria est, quia per hanc Dei ac ipsius graciam poteris invenire.* Hec forsitan eo cogitante, alia rursum cogitacio cordi suo forte ingeritur in hunc modum: *Si hunc abbatem, a te in patrem non expetitum, patrem recognoscis, aliter certe tecum geritur, quam tu cum quovis hominum unquam gestum audieris. Tu a quovis Ortulanorum abbatum nunquam aut pastum recepisti aut paxillum, ipsi autem in suis visitacionibus non tantum tibi*[a] *et tue ecclesie oneri fuerunt, immo pocius horrori quam honori.* Iterum quoque ad se reversus, forte aiebat sibi: *Falleris, falleris, o Herdrice, falleris. Quis unquam abbatum tantum tibi honoris inpendit quantum ille felicis memorie domnus Siardus abbas, dum secum peteres capitulum generale, professionem facturus et ecclesiam tuam ordini ac ecclesie Premonstratensi conmendaturus. An non meministi, qualiter tuam personam abbatibus et*[b] *prioribus ecclesiarum per quas transivimus conmendabat, supplicans quatinus reverenciam sibi debitam tibi exhiberent, qualiter te, qui respectu sui vilis eras in oculis eorum et abiectus, superiorem se in cenis residere fecit, qualiter suis capellanis mandavit, quatinus tui ac tuorum efficacem haberent custodiam ac omnem reverenciam quam possent devocius inpendere curarent? Et quod hiis omnibus maius est et coram oculis tuis accepcius, hec fieri mandavit eciam te ignorante, ne alicuius adulacionis posset infamia notari. Quod tamen tuam personam latere non potuit. Audis eciam certe, quanta nunc beneficia cecis, claudis, paraliticis, aridis, lunaticis, obsessis ac ceteris cura corporali indigentibus ad sepulchrum suum suis meritis intervenientibus a Deo felicium actionum retributore conceduntur. Quod eciam de Sibrando illo corpulento abbate, cuius memoria sit in benedictione, sentis. Verbo et opere affectum suum benignum erga te et tuos frequencius ostendit. Cuius filius precordialis iste abbas extitit, ut audio. Qui eciamsi predictas virtutes cum eo excrevisse nescisset, procul dubio ipsum sic precordialiter non amasset. Postposita ergo omnis rancoris molestia cum ipso concorda, gracie Dei ipsiusque paternitati te tuosque*[c] *conmenda.* Sic forte secum fatus cum membra quieti dedisset, nocturno tempore excipitur sompno. Mane autem, orto iam die, ante omnes sompno excutitur accedensque ad locum ubi artus solutos abbatum quies reddebat laboris usui mentesque fessas alleviabat, conpetencius pulsans forte aiebat sic: *Surgite abbates, surgite et capellani, vigilate et orate ne intretis in temptacionem.* Audiens hec a somno[d] expergefactus frater Galtatus, de quo supra capitulo *Iisdem quoque*[1], et ipse velocius exurgit vadensque ad magistrum curie, mandavit illi ex parte abbatum portam exteriorem claustri firmiter servari diligentemque custodiam adhiberi, neque ad illam diem quivis hominum aut intromitteretur aut emitteretur sine ipsorum licencia speciali. Accedens quoque ad prepositum increpabat eum forte sic dicens: *Inveterate dierum malorum,* Dan 13, 52. 53. *nunc retribucionis eorum malorum venit que ante operabaris, iudicans iudicia iniusta, innocentes condempnans, nocentes pro libitu tuo absolvens! Adest enim ecce in ianuis angelus Domini in manibus evaginatum habens gladium, ut secet te de medio nostrum partemque tuam ponat cum hypocritis.* Hec autem dicebat ille forte aspirans ad prelaturam. Cui senior subridens aiebat: *Ge ge, fili mi, unde hoc nosti? Credo enim quod angelus bonus comitetur cum abbatibus, qui mihi contra meam intencionem non gravamen sed graciam ostendet. Caveas ergo tibi, ne tempore suo hiis verbis et consimilibus habeas conveniri et tu.* Abbates igitur surgentes tempore sibi competenti, dicta missa, convocacionem fecerunt clericorum, conversorum ac sororum in ecclesia, quatinus omnibus simul conglobatis littere capituli generalis habite in communi omnibus ostenderentur ac legerentur. Quibus lectis abbas Meinco, presente preposito et omnibus qui aderant, eas in ydiomate suo, lingua materna exposuit. Conversus autem prepositus ad abbatem Ethelgerum sic ait: *Quia me causa tangit principaliter plus quam omnes circumsedentes, mihi peto litteras ostendi, ut probentur, si veritate fulciantur nec ne.* Hanc peticionem fratre Galtato ceterisque interrumpere cupientibus, abbas sibi mandavit litteras exhiberi. Exhibitasque recipiens, preposito porrexit sic inquiens: *Has litteras ostendo*

---

a) tī *cod.* b) *supplevi, deest cod.* c) tuisque *cod.* d) sūno *cod.*

1) cap. 59.

sub periculo cause, mandans ut, eis coram nobis examinatis, sic ut nunc sunt salve reddantur. Et prepositus inspectis breviter sic ait: *Ecce eas salvas in continenti reddo, sed rescriptum quero et inducias deliberatorias peto concedi, quatinus tempore intermedio consilio cum amicis habito cercius experiar, utrum cedere liti sit utilius an contendere tecum, o abba.* Brevi igitur interlocutoria prehabita, abbas eidem consenciendum decrevit, assignatis tamen eidem clericis et conversis quibusdam, qui tempore intermedio introitum suum et exitum in rebus agendis considerarent, interiorum ac exteriorum amministracionem ipsis de connivencia[a] prepositi conmittens. Et sic alia veniendi vice assignata, domum revertitur.

64. *Qualiter abbas Sigebodus suam ecclesiam resignaverit et quam cito successor ipsius absolucionem expetierit.* Dum hec aguntur in Fresia, persecutiones forte quam plurimas abbas Sigebodus, de quo supra capitulo *In illis diebus* et capitulo sequenti[2], ab illis qui in ecclesia Belbocensi religiosi forte videbantur sed non erant, habitum quidem portantes sed gestum religionis non habentes, paciebatur in partibus Sclavie. Quare secundum
Matth. 10, 23. Domini verbum dicentis: *Si persecuti vos fuerint in civitate una, fugite in aliam,* cum eis quos secum deduxerat recedens, venit ad patrem suum Ethelgerum, consilium ab eo, quo facto opus esset, exquisiturus[b]. Consilioque fretus accepto ad capitulum generale vadens, querimoniam de suis facturus emulis, in via egritudine corripitur. Qua detentus cum personaliter nequiret, per nuncios officii sui absolucionem petiit ac eandem patri abbati Ethelgero, si sibi videretur expedire, obtinuit conmitti. Cuius cessione abbas Ethelgerus post causarum examinacionem ad ipsius abbatis Sigebodi instanciam recepta, missus est frater Bavo natus de Havere[3], canonicus Orti sancte Marie, vice patris abbatis regere electionem super novo pastore in ecclesia Belbocensi iterum faciendam. In cuius presencia, dum presideret capitulo, concordatum est ac denominatus frater Hessellus quondam eiusdem ecclesie canonicus, tunc autem prior prenominate ecclesie Montis Syon in Boemia[4]. Ad cuius evocacionem ipse frater Bavo cum sociis accingitur; adductus venit, fratres ecclesie ad obedienciam recipit, curam animarum ab episcopo, sed ut reor sine benedictione, suscepit, in continenti ad capitulum generale quasi professionem facturus vadit, in via pro absolucione obtinenda abbates Francie sollicitat. Venit, in capitulo petit et a preside absolvitur; sigillum quo brevi usus fuerat tempore resignat, cum suo capellano iam quasi capellanus revertitur. Audiunt factum seculares viri et mirantur, claustrales quoque percipiunt et obstupescunt. Dicitur fratri Bavoni, qui adhuc in partibus illis remanserat, novitas hactenus inaudita, nec ad plenum pre admiracione credere sufficit; donec per capellanum, sigillo presentato, res gesta auditur. Celebratur denuo secundum formam canonicam electio. Ipse frater Bavo concorditer eligitur, ad patrem abbatem pro consensu mittitur, consenciente abbate, a domno Grobense[c, 5], qui simul electioni preerat, confirmatur; ab episcopo suo curam animarum cum benedictione pastorali recipit. Ad ecclesiam suam revertitur, a conventu cum graciarum actione divine laudis excipitur; in negociis cure interioris ac exterioris suis diebus ecclesia admodum prosperat.

65. *Quomodo prepositus Herdricus tempore induciarum sue preposture cedere decrevit.* Herdricus autem prepositus, qui supra, inducias deliberatorias sibi concessas non negligenter preterire permittens sibique volens prospicere ac de futuris cavere, de loco ad locum vadens sive ad se vocans quos voluit ipse, tractatum habere cepit cum eis, quid abbati Ethelgero super sentencia capituli responderet. Quorum forte pluribus qui sanum sapiebant, sibi tum pro defectu corporali quam paciebatur, tum pro necessitate claustri, dummodo procuracio sibi honesta assignaretur, cedendum fore dicentibus, alii forte econtra nullatenus hoc sibi faciendum senciebant. Quorum consilium[d] licet animo suo forte magis acceptaret, eidem tamen minime innitendum esse decrevit, exemplo forte territus regis Israelitici, qui consilio seniorum spreto iuvenum consilio usus est, dicens ad populum
3 Reg. 12, 10. 11. de dura servitute patris sui conquerentis: *Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei. Pater meus cedit vos flagellis, ego autem cedam vos scorpionibus.* Qui cito responsum
12, 16. audivit: *Revertere in tabernacula tua, o Israel, quia non est tibi pars cum David, neque hereditas cum filio Ysai.*

---

[a] convivencia *cod.* [b] *sic alia manu supra linea pro* accepturus *lineae cod.* [c] *correxi;* Grebensi *cod.* [d] consilio *cod.*

[2] cap. 49, 50. [3] Hiaure ad septentriones oppidi Dokkum. [4] Monasterium Strahoviense Pragae.
[5] Grobe monasterium in insula Usedom, postea in oppidum Usedom translatum.

66. *De fundacione monasterii de Asterle*[6], *deque ipsius primordiis.* Fundaverat autem iam pridem prepositus Herdricus aliud quoque cenobium sororum in extremis partibus terre Reidensis in diocesi Osnaburgensi inter villas Winsewida[7] et Westerlee[8], in terra deserta, vere invia et inaquosa, in qua non ambulavit homo nec habitavit vir, ibi amitam suam, sororem Etelsedim, nobilem illarum parcium matronam, cum quibusdam alliis sororibus transmittens, Deo devotum in tali loco exhibere famulatum. Priorem quoque simul ac provisorem novelle plantacionis statuit fratrem Liudwardum quondam plebanum Sceldwalde laicalis ecclesie, iam pridem habitu religionis investitum, quosdam ei conversos dans in socios quos exteriori prefecit culture. Licet autem victum ac vestitum hiis personis prepositus tanquam suis pro tempore fecerit ministrari, presumpcio tamen vehemens esse poterit non immerito, quod propter viarum difficultatem ac locorum distanciam in fame et siti, in frigore et nuditate, in labore quoque et erumpna, primevis temporibus hec persone multos vite sue dies expenderint, sola caritate fraternitatis quam invicem habebant, que omnia suffert, cum obediencia, que omnia sustinet, eis de die in diem multam consolacionem ministrante.

67. *De progressu personarumque variacione prefati loci.* Temporibus ergo prescriptis huius cenobii fundacionis, ut estimo, vicesimus annus volvebatur, ac pro maiori parte novis personis veteribus subrogatis, primi quidem emolimentum sui laboris ponderisque diei et estus mercedem denarii iam[a] recepisse sperantur. Qui locus adhuc incorporatus non fuerat, immo quasi ad ubera matris pendens, panem artum comedebat et aquam brevem ad refocillandam animam bibebat, sugens mel consolacionis de petra deserti oleumque spiritualis leticie de saxo durissimo vaste solitudinis.

68. *De loci eiusdem officialibus.* Huius itaque loci, qui ex vicina sibi villa Westerle a preposito Asterle est denominatus, prior tunc temporis fuerat frater Ondulphus Hunesgonia[b] natus, in canonicum receptus a preposito Sceldwalde; priorissa vero soror Siburgis de nobilibus Wibrendaviris de Metensilva[9] carnis sue ducens originem. Provisor quoque exteriorum extitit frater Folkardus, humili quidem progenie natus sed ingenio pollens naturali, artis sutorie officio deditus. Interiorum autem amministracio per manus sororis Ide ex nobilibus Herwardaviris progenite volvebatur.

69. *Qualiter ecclesiam de Asterloe ab ecclesia Sceldwalde tam in personis quam in rebus prepositus Herdricus sequestraverit.* Igitur induciarum tempore prepositus Herdricus locum hunc ab ecclesia Sceldwalde tam in personis quam in rebus cupiens sequestrare, utraque familia sibi consenciente, in hoc decrevit, quibusdam libris cum quibusdam animalibus necessariis de Sceldwald in Asterle translatis et grangia que habebatur in Broke[10] assignata, utramque ecclesiam rebus mobilibus et immobilibus tunc habitis debere esse contentam; personas occidentales Fivelgonie ac deinceps, in quovis loco tunc temporis forent, attinere ecclesie in Sceldwald, orientales autem a Fivelgonia ac ultra, in quocunque loco eo tempore fuissent, ecclesie in Asterle. Debita autem ecclesiarum quevis in locis sibi taliter assignatis reciperet ab eo tempore quo hec agebantur ac de eis inquirentibus responderet. Hec autem, ut post patuit, idcirco fieri procuravit, quatenus, eo ab ecclesia Sceldwald absoluto, orientalem ecclesiam nondum[c] incorporatam, procuracione honesta secundum sue beneplacitum voluntatis ab occidentali ecclesia sibi assignata, si non in pace reciperetur, violenter invaderet et occuparet. Sed o quomodo filia ecclesia vix ablactata portaret patrem, quem mater ecclesia dudum grandiuscula a suis eciam membris excutere parabat, quia ipsum iam sustinere non poterat? Nec mirum si hostis antiquus, pacis inimicus, incentor viciorum, virtutum distractor illum esse querebat loci disturbatorem, quem olim dolebat fuisse ipsius ecclesie fundatorem. Sed divina providencia, que in sui disposicione non fallitur, per suam sapienciam a fine usque ad finem pertingentem sicut aliter esse disposuit, ita eciam aliter disposita fieri procuravit.

70. *Quomodo officiales ecclesie de Asterle prepositum Herdricum ne ipsius prepositurам invaderet refellerint.* Sequestracione siquidem facta, in qua suum eciam favorem prepositus

---

[a] *post* iam *erasum est* tunc *ut videtur cod.* [b] hunelgonia *cod.* [c] nundum *cod.*

[6] Heiligerlee. [7] Winschoten. Emendada igitur videtur opinio viri d. de Ledebur, qui p. 25 hanc parrochiam dioecesi Monasteriensi vindicat. [8] Adhuc hodie sic. [9] Midwalde territorii Oldamt. [10] Noord- et Zuid-Broek ibidem sita.

inpendit ecclesie in Asterle, consilium hoc, quod animo suo insederat, cum sorore Ida cepit conmunicare; primitus ex obliquo petens, quatinus ipsa familiam intus et extra ad suum incitaret assensum spondensque sibi conmoda multa. Quod illa effectui se mancipaturam efficaciter promittebat, licet animo longe ab ipso dissentiret, illam forte noctem ducens insompnem. Altera autem die ut promissum inpleret, convocatis ad se priore, provisore, priorissa quoque, peticionem prepositi sibi factam eis exposuit. Qua percepta omnes tacuere, quilibet alterius verbum respondentis auscultans. Tandem prior forte primitus in verba prorupit, in spiritu vehementi sic inquiens: *Si prepositus Herdricus esse vult prepositus, in sua prepositura quam nunc habet remaneat; sin autem a prepositura Sceldwalde cesserit, certe meo consilio noster prepositus non erit; prelaturam alias querat ubi voluerit.* Similiter autem et alii dicebant: *Si ipsius expensas ecclesia temporalibus habundans sine sui detrimento portare non potest, quomodo nos, qui respectu*[a] *ipsius exigui sumus, ipsum sustinere valebimus?* At illa: *Bene*, inquit, *sentitis; et ego vobiscum hoc sencio.* Et subinfert: *Qualiter ei igitur resistere poterimus, si violenter nos et nostra occupare voluerit?* — *Oportebit*, inquiunt, *si per domnum abbatem Ethelgerum ipsum amovere nequiverimus, contra ipsum cum preposito, qui electus eidem in dignitate succedat, advocari eciam potenciam secularem advocatorum ecclesie, quos satis potentes habemus, cum parentibus ac propinquis familie. Qui pocius totis nisibus eidem contradicendo resistent, quam*[b] *suas sorores, filias et neptes iam in servicio Domini enutritas et eruditas, opibus ecclesie consumptis, in domos suas recipiant.* — *Oportunum igitur*, ait illa, *videtur ut, hoc consilio a communitate nostra occultato, ne contra agatur, per quemvis nostrum pociores advocati et amici in hoc negocio premuniantur, ne quavis occasione eidem forte circumveniente*[c] *ecclesiam nostram dampnum irrecuperabile forte contingat incurrere.* Hec et huiusmodi inter se disserentes, ab invicem separati, animo forte volvebant et revolvebant, qualem exitum hec eorum causa ex divina preordinacione deberet sortiri. Unanimiter tamen orationi instandum et beate Katerine patrocinium in hoc casu decreverunt inplorandum, quatinus quod possibilitas eorum non obtinebat, eius intercessione apud suum sponsum Ihesum Christum concederetur eisdem.

71. *Qualiter mandatum capituli generalis abbas Ethelgerus execucioni mandaverit.* Tempore igitur induciarum elapso, assunt iterum nuncii ecclesie de Sceldwald, abbatem Ethelgerum sollicite petentes, quatinus mandatum capituli sibi conmissum de absolucione prepositi festinato executioni mandare curasset, conquerentes eciam forte, sese in sequestracione rerum duarum ecclesiarum non modice delusos; emendam aliquam sibi per eum fieri postulantes. Quos ille, die veniendi prefixa, a se in pace dimisit, emendam quoque spondens, si sic veniens inveniret, ut referentes dicebant. Reversi qui missi fuerant, negocia conmissa referunt, audientes gaudio replentur, sitibundi diem expectant. Interim autem abbas, ut promissum inpleret, immo ut conmissum effectui manciparet, cum sociis exiens necessariis venit in Mernam, illiusque loci abbate secum assumpto litterisque transmissis in Floridum Ortum cum nuncio, qui abbatem quoque illius ecclesie in occursum evocaret, iter suum versus ecclesiam Gracie sancte Marie cepit inflectere. Quo veniens abbatem evocatum forte in loco inveniens, convocacionem omnium in loco existencium fieri mandavit, prepositoque presente, iterato forte lectis litteris, a preposito primitus inquirit, quid tempore induciarum super mandato capituli cum amicis deliberaverit. Cui ille: *Procuratorem*, ait, *meum ad presens non habeo, cras tibi, o abba, per ipsum sive per me finaliter respondebo.* Et abbas: *Grave est, o preposite, eundo et redeundo sepius in vacuum laborare; gravius forte tibi et tue ecclesie expensas ex nostra presencia faciendas tolerare. Quare necesse est ut deliberata in presenciarum edicas aut sentenciam capituli culpatus excipias.* Respondens sic ait: *Quia hec tua dicta, o abba, non sunt pacem querentis, immo pocius litigium suscitantis, scrutare queso primum, ausculta et vide. Quis unquam cum preposito Herdrico litigium habuit et pocior inventus est*[d] *eo? Si non audisti, nunquid non legisti in libro quem tibi, cum nuper hic fueras, legendum exhibui?* Hiis prepositi dictis per quandam tumultuosam submurmuracionem a consedentibus factam, in qua quid quis intenderet sciri non poterat, interruptis, prepositus quasi contumax ecclesiam egredi nitebatur. Cui frater Galtatus obvium se exhibuit, viam exitus eidem precludens. Per abbates igitur submurmuracione conplanata[e], abbas Meinco, prestito silencio, accepta

---

[a] r̄spctu *cod.* [b] *sic secunda manu corr. ex* quū *cod.* [c] circumvenientis *cod.* [d] *correxi;* ab *cod.* [e] ɔplanā *cod.*

licencia sic ait: *Oportebat quidem prestolari cum silencio qualiacunque dicta tua, o preposite, in quibus eciam proferendis te quoque necesse fuit modum non excedere. Sed quia et tu et tui contra egisse in hoc plurimum videmini, venia super hoc postulata, gracie domni abbatis vos committite; alioquin, ecclesia vestra sub interdicto posita, cicius recedemus. Dignum siquidem est, ut quos timor Dei et prelatorum ecclesie presencia a malo non revocat, inobediencie ecclesiastice saltim coarceat severitas discipline.* Ad hoc abbatis Meinconis dictum omnibus veniam expetere paratis, solus prepositus se medium opponens inter abbates et conventum, suis mandans sedere, ad abbates sic inquit: *Nuper enim in hoc loco resedistis, o abbates, quo nunc, litterisque nunc tunc quoque lectis ac examinatis, inducias deliberatorias petivi, interim experiri utrum cedere liti an contendere utile mihi tecum foret, o abba. Quibus tunc concessis sed nondum promulgatis, in contento ipsarum litterarum vos recognoscere non tenemur. Quodsi contra gravati fuerimus, super isto articulo ad audienciam maiorum appello.* Ad quos abbas: *Gravare quidem ecclesiam poteris, o preposite; nos tamen non minus, quia iuste et rationabiliter tua in causa procedemus. Iustum certe et rationabile probabitur omnique iuri consonum videbitur, si tanto tempore deliberata edicere nolueris, omnes tuos subditos a tua obedientia auctoritate maiorum nobis prestita generaliter absolvi, te quoque tanquam membrum inutile ordinis ac per inobedientiam putridum per sententiam ad cedendum compelli.* — *Interlocutoriam*, ait prepositus, *peto, quam denegare merito non debetis.* — *Concedimus*, inquit abbas, *et hanc brevem.* Exiens igitur a consilio cum suis officialibus, ad se quoque evocari faciunt abbatem Meinconem; ad quos sic ait: *Consilium utile ecclesie mihique honestum si quis nunc proponeret in hoc articulo necessitatis, magnifice acceptarem. Quare si quis vestrum, o mei officiales, excogitare poterit illud quantocius edicat.* Abbate vero Meincone seorsum ab aliis assumpto, petivit quatinus, ut sibi melius providere valeret ac de rebus aliquibus ordinare, inducias saltim illius diei ac noctis inpetraret concedi. Cui condolens predictus abbas suppliciter deprecanti, intrans ad abbates, quod expecierat obtinuit indulgeri.

72. *Qualiter Herdricus suam preposituram resignaverit.* Sequenti igitur die rursum ab abbate super responso deliberatorio prepositus Herdricus convenitur. Cui prepositus per noctem deliberatus sic ait: *Legitur in Genesi, quod locutus est Dominus ad Abraham dicens:* Egredere de terra et de cognacione tua et veni in quam monstravero tibi et faciam Gen. 12, 1. te crescere in gentem magnam. *Licet autem multipharie multisque modis olim Deus noster locutus fuerit patribus in prophetis, novissime tamen diebus istis, diebus gratie, locutus est nobis in filio suo unigenito, quem constituit heredem universorum, sic dicens:* Nisi quis Luc. 14, 33. renunciaverit omnibus que possidet, non potest meus esse discipulus. *Ut ergo inter discipulos Iesu merear inveniri et esse, secundum auctoritatem nunc positam ecclesiam istam a me erectam et coadunatam, gratia Dei cooperante, ac possessam cum omnibus suis attinenciis mobilibus ac immobilibus in manus tue paternitatis refundo, auctoritatibus in ea habitis hiis dictis plane ac pure renuncians. Secundum vero auctoritatem prius positam, supra petram statuens pedes meos, ut dirigat gressus meos in semitis suis Deus meus, ecce egredior de terra et de cognacione mea, vadens in terram peregrinacionis, confirmare columpnas novellarum mearum plantacionum, ut faciat me quoque crescere in gentem magnam ad nominis sui gloriam in populum acquisicionis, qui annuncient inter gentes opera eius, in omnibus quoque populis mirabilia eius, valefaciens hiis*[a] *verbis tam presentibus quam absentibus.*

73. *De electione domni Galtati et de annuis redditibus domno Herdrico pro sua cessione assignatis.* Hiis auditis et intellectis, e familia sibi hactenus tam speciali[b] quis se contineret a fletu? Mox vero ad hec dicta cum recedere festinaret, ab abbatibus retardatus vix tandem remanere consensit. Et quia abbas Ethelgerus novellarum plantacionum vixdum rudimenta perceperat, ad quorum festinacionem egredi properabat, cepit diligencius inquirere, qui vel ubi essent, quis eorum episcopus, quive earum advocati forent aut patroni. Et cum cognovisset a referentibus: *Necesse est*, ait, *ut etsi loca incorporata non sunt, personarum tamen, quem ordinem sunt professe ut audio, quantum in nobis est saluti provideamus.* Hiis cum abbatibus secrecius pertractatis, electionis faciende diem prefixit sequentem. In qua, Spiritus sancti gracia invocata, per conpromissionem electus est frater Galtatus, ut prehabitum est, prepositi quondam Herdrici cognatus. Huius tamen electionis consensus a priore de Asterloe et conventu illius loci, quod ordini nondum[c] spiritualiter

---

a) *ante* hiis *erasum est* ī *cod.* b) spūali *cod.* c) nundum *cod.*

fuissent incorporati, minime fuerat requisitus. Preposito autem quondam Herdrico sex marce gravis monete ad suas specialiter[a] expensas pro sua cessione per abbates sunt assignate, ab ecclesia de Sceldwald annuatim quoad viveret exolvende.

74. *Qualiter conventuales de Asterle preposito Galtato obedienciam fecerint.* Hiis itaque dispositis, itum est et in Asterle per viam aquosam et lutosam, quatinus fratrum ac sororum ibidem existencium a preposito domno Galtato professio quoque reciperetur. Cuius electio licet ingrata fuisset illius ecclesie pocioribus personis, ob reverenciam tamen patris abbatis Ethelgeri ac presenciam, quamvis cordetenus dissentirent, cesserunt tamen ac secundum ordinem sese servaturas spoponderunt quecunque regulariter precepta fuissent. Prepositus quoque quondam Herdricus illam ecclesiam a sua videns iurisdictione alienari sibique de ea benefieri volens, sicut et de priori, instanter ab abbatibus exegit cum procuracione fraterna, sibi aliquas expensas et de illa ecclesia assignari. Igitur ex mandato ....[b].

[a] spālitꝯ *cod.* [b] *hic desinit folium; quod sequebatur, iam excisum est cod.*

CHRONICON OTTENBURANUM.

EDIDIT LUDEWICUS WEILAND.

Chronicon abbatiae imperialis Ottenburanae, dioecesis Augustensis, continet codex praestantissimus nunc in tabulario Monacensi asservatus, qui liberalitate viri ill. Francisci de Löher eidem praefecti mense Martio a. 1873. *nobis Berolinum transmissus est. Est iste codex, qui in tegumine fert inscriptionem manus recentissimae:* Liber Cop. Ottoburensis, *membranaceus in quarto minori et* 32 *folia complectitur. In quibus leguntur haec:*

fol. 1 *manu saec. XIII. adnotatio redditus caseorum, quam infra sub calce Chronici dabimus. — f.* 1^{a}—10ʹ *manus saec. adhuc XII. scripsit Chronici priorem partem usque ad abbatem Rudungum* (Scientes — ad propria est dimissus). *Eadem manus, quae scripturam diplomatis imitata est, glossemata quinque textui chartarum Karoli Magni et Ottonis I. adiecit. — Nullo spatio intermisso in eadem linea pergit manus saec. XIII. ineuntis f.* 10ʹ—14. (Hii sunt abbates — poculum solebat ministrare) — *f.* 14ʹ—28 (Sub eodem — pontificatus nostri anno quarto) *alia manus saec. XIII. et ipsa scripturam diplomaticam imitans. — f.* 28ʹ—29ʹ *med.* (In nomine — domni abbatis receperunt) *rursus alia manus coaeva. — f.* 29ʹ *ex. legitur alia manu eiusdem saeculi adnotatio de feudis Cunradi Bauwars, quam sub calce Chronici subiungemus. — f.* 30, *f.* 30ʹ *f.* 31 *tres manus diversae Chronicon compleverunt, quarum media chartae characterem prae se fert. — f.* 31ʹ *manus adhuc saec. XIII. quaedam adnotavit de feudis nobilis viri de Loubun, quae sub calce dabimus.*

Chronicon, ex quo iam Maurus Feyerabend in Jahrbücher des Reichsstifts Ottenbeuern tom. I. et II. diplomata plurima textusque historici magnam partem passim vulgavit, a. 1838. *praefectus regiminis Bawarici de Raiser in Jahresberichte des historischen Kreisvereins im Regierungsbezirke von Schwaben und Neuburg für das Jahr* 1838. *(Augsburg* 1839.*) p.* 64—86 *typis dedit usque ad codicis fol.* 16. *Dein, cum haec editio et manca esset et fide diplomatica careret, a.* 1859. *vir rev. Antonius Steichele, canonicus Augustensis, codicem nostrum integrum primus publici iuris fecit in Archiv für die Geschichte des Bisthums Augsburg tom. II, p.* 6—67. *Textum praebuit hic editor bonum, codicem optime descripsit, Chronicon adnotationibus perutilibus illustravit.*

Indolem codicis nostri in universum inspicientibus patet, scriptorem primum saec. XII. in animo habuisse, ad instar Chronici Laureshamensis, Epternacensis, aliorum, gesta abbatum cum traditionibus monasterio factis et privilegiis coniungere, sed nescio quo casu prohibitum esse, quominus ad sua tempora propositum deduxerit. Nam usque ad Ottonis I. imperatoris tempus, ad electionem Rudungi abbatis a. 973. *tantum narrationem protelavit. Post prologum posuit primum* *chartam spuriam Silachi fundatoris, dein chartas item spurias Karoli Magni*[1], *chartam spuriam Ottonis I.*[2], *cuius textum alium secundum collectionem quandam diplomatum saec. XVI. praebent Mon. Boica XXXI,* 1, 211. *Narratio, qua has chartas inter se coniunxit scriptor, admodum ieiuna est, cum certo cognitionem minimam de rebus longe retroactis haberet, et perpauca scripta de fatis monasterii agentia ei praesto essent. Translationem vero quandam sancti Alexandri adhibuit, aliam sane eamque antiquiorem illa, quae exstat in Actis Sanct. Bolland. Iul. III,* 19. *Haec enim sanctum illum iam filium sanctae Felicitatis vocat, sicuti et scriptor secundus saec. XIII.*[3] *Vitam quoque sancti Oudalrici cognovit, sed ea minus accurate usus est, cum Oudalricum, qui a. modo* 973. *abbatiam administravit,* diu *monasterio praefuisse dicat. Praeterea in glossemate primo, chartae Karoli Magni adiecto, Concordato Calixtino eum usum esse, iam adnotavit vir rev. Steichele, quamvis tenor sententiae istius discrepet a pactis, quae edita sunt in Legg. II,* 75. 76. *Reliqua quae narrat de disceptatione inter Ottenburanos et Campidonenses facta e chartis monasterii hausisse videtur. Quod si exceperis, hanc primam Chronici partem fabulosa tantum et minus fide digna nobis servasse dixeris.*

Propositum auctoris saec. XIII. monachus alius recepit et primum seriem abbatum duodecim priorum proposuit, pauca de advocatis monasterii interserens; deinde copiosior fit de Adalhalmo, Gebehardo[4], *sub quo iam chartis usus est, de Heinrico, de Ruperto (*1102—1145.*), cuius obitum iam non adnotavit. Praeter seriem abbatum et chartas scriptor hic Vitam beati Ruperti deperditam, quam laudavit*[5], *adhibuit. Sed subsidia haec non prohibuerunt, quominus auctor advocatos duos aequivocos saeculum ab invicem distantes confunderet.*

Tertius scriptor saec. XIII, qui scripsit post obitum Honorii III. papae (a. 1227. *Mart.* 18.*)*[6] *gesta Ruperti abbatis adimplevit, gestaque Isingrimi (*1145—1179.*), Bernoldi (*1179—1193.*), Cunradi, cuius tamen obitum a.* 1227. *non narravit, subiunxit. Chartis praecipue nisus est monasterii, sed et Annales Ottenburanos minores*[7] *adhibuisse videtur. Chartas Friderici I. et II. imperatorum, quas integras fol.* 20′—24′ *inseruit, omittendas duximus, quippe quarum archetypa adhuc in tabulario Monacensi exstent. Praeter donationes monasterio factas auctor iste pauca nobis retulit historica de advocatis et de commercio abbatum cum imperatoribus, quae fide digna esse non negaverimus.*

Sequens scriptor exitum Cunradi et primordia Bertholdi abbatum prosequitur et quidem adhuc filum quoddam historicum protexere conatus est. Quae sequuntur fol. 30. 31 *manibus diversis saec. XIII. scripta adnotationum modo vigorem habent ex chartis haustarum, quarum una, Gregorii IX. papae a.* 1233. *data, integra descripta est. Anni numerus ultimus occurrit* 1235, *et hoc anno seu non multo post codicem clausum esse iudicari licet. Certo Bertholdus abbas adhuc superstes fuit, cum hoc fieret, cuius obitus annus a recentioribus* 1248. *ponitur. Adnotationes fol.* 1, 29′, 31′ *postea factae sunt, sed adhuc saec. XIII. Quibus subiungimus in editione nostra aliam adnotationem*

---

[1] Cf. Sickel, Acta Karol. II, 430.

[2] Stumpf 520.

[3] fol. 11.

[4] a. 1094—1100. rexisse traditur a Feyerabend I, 80. Notandum certe, annos abbatum, quos hoc loco Feyerabend praebet, certo fundamento carere.

[5] fol. 12′. Ad hanc Vitam Ruperti mihi etiam recedere videntur, quae legimus in Ann. Ottenbur. min. (SS. XVII, 316) de praedecessoris eius morte: *Legimus huic simile in veteribus paginis de Hainrico abbate nostro et Ruoperto advocato, quorum prior positus in agonia oculis de capite subito exilientibus seculo subtrahitur, sequens autem in insaniam diebus aliquod actus, indignam et ipse consecutus est mortem.*

[6] fol. 25′: *ad domnum papam Honorium, qui Romanam tunc regebat ecclesiam.*

[7] supra SS. XVII. editos.

censuum quorundam saec. XIV, fidem secuti viri rev. Steichele, qui eam exscripsit et p. 67 *typis dedit e codice quodam Ottenburano saec. XII, epistolas Paulinas continenti, qui nunc est bibliothecae Lycei regii Dillingensis.*

Cum in monasterio Ottenburano perpauca monumenta scripta genuinae antiquitatis servarentur, non miramur, quod opus nostrum nomen operis historici nequaquam sibi vindicare potest, et quod ea, quae de temporibus saeculo XII. anterioribus ab auctoribus traduntur, partim fabulosa sunt, partim suspicionem movent. Numeri annorum perpauci leguntur, quamvis Annales minores ansam praebuissent eos ponendi. Nos ope Annalium istorum chronologiam ordinare temptavimus. In interpretandis locorum nominibus virum rev. Steichele secuti sumus, meliora nos dare posse desperantes. Nemo nos vituperet, speramus, quod variam lectionem chartae Silachi, quam Bruschius (Chronologia monast. German. 1682. 4°. *p.* 629) *ex alio exemplari dedit*[8], *adnotavimus. Exemplar istud recentius eo, quod scriptor primus codicis prae oculis habuit, fuisse, interpolatio de Gozberto Viennensi episcopo arguit. Item variam lectionem chartae Sifridi episcopi Augustensis et bullae primae Honorii III. papae, quas Feyerabend II,* 831. 833 *ex archetypis recudi fecit, subiunximus. Notandum denique existimamus, nos litteras codicis* o̊ *et* ů *ubique usurpatas solvisse in* ou *et* uo.

Berolini die 22. *mensis Aprilis a.* 1873.

LUDEWICUS WEILAND.

*Scientes[a] quoniam fastidiosa sunt que in scriptis minus compendiose tractantur, *f. 1a. complacuit admodum nobis, valde breviter positionem describere Outenburrensis[b], videlicet nostri monasterii, qualiter a fundamentis constructum sit; pariter per quos inicium tante provectionis usque ad nos Christo donante acceperit. Ubi nulla supereffluitatis usi prolixitate tantumque vetustissimam literarum[c] seriem prosequentes, verbis quam succincte positis eiusdem loci exordia indicare satagimus.

Igitur ante omnia non inmerito fundatores, qui Deum sibi heredem suis ex rebus elegerunt, in ipso narrationis ordine ponendos estimamus, deinde quibus prediis et quantis monasterii fundamenta locaverint, quotque militantium Deo personas in eodem constituerint, dignitates privilegiorum denuo ac libertates vel etiam donationes seu predia per manus imperatorum evidenter collata ostendemus. Rursus quo regni ac principum consilio predictus locus ab expedicione regali ac servitute sive hostili clipeo relaxatus sit et abstractus *autenticis regum scriptis una denotabimus. Nunc de singulis videamus. *f. 1a'.

Anno[9] *incarnationis dominice septingentesimo*[d] 64. *regnante Karolo*[e] *glorioso Romanorum* 764. *imperatore. Ego Silachus*[f], *ex Alamannia*[g] *vir nobilis ac prepotens, et uxor mea Erminswint*[h] *cum filiis nostris Gauciperto*[i] *episcopo, Totone*[k] *clerico, simul et Tageberto*[l] *laico, monasterium*[m] *in domate proprio, quod divisum et separatum liberalissime a cunctis coheredibus*[n] *contraximus et possidemus in loco qui vocatur Outinburra*[o], *secundum ecclesiasticam institutionem et iudicum leges in Dei nomine construimus atque fundamus. Omnia igitur predia vel mancipia totamque familiam nostram omnipotenti Deo et beato Petro*[p] *apostolorum principi, necnon invictissimo martyri sancto Alexandro abhinc in legitimam ac perpetuam dotem pro incolomitate*[q] *utriusque vite et pro remedio animarum parentum nostrorum prefato monasterio delegamus eo pacto, ea videlicet condicione, ut nulli hominum*[r] *liceat* **hanc donationem aliqua-* *f. 2. *tenus infringere aut umquam commutare, sed ad victum fratribus et vestitum summo et vero regi Deo inibi militantibus perpetualiter deserviant. Si quis autem invasor, quod absit, aut*

---

[a] *littera* S *desideratur cod.* [b] ŏtenburrensis *cod.* [c] *sic cod. saepius.* [d] septingensimo *cod.* [e] Magno *add. Bruschius.* [f] Sylachus *B.* [g] Alemannia *B.* [h] Erminiswinda *B.* [i] Gosberto in sancta Viennensi ecclesia *B.* [k] Tottone *B.* [l] Dagoberto *B.* [m] *deest B.* [n] haeredibus *B.* [o] Uttenburha *B.* [p] *deest B.* [q] incolumitate *B.* [r] homini *B.*

[8] Bruschium repetiit Petri, Suevia ecclesiastica 1699, p. 825.

[9] Verbis: *Diploma primae fundationis tale habetur adhuc in ipso monasterio* Bruschius, Chronologia monast. German. (1682. 4°) p. 629 chartam nostram ex alio exemplari dedit, cuius variam lectionem et interpolationem adnotavimus.

tyrannus hanc nostre donationis confirmationem irruperit, anathema sit a Deo, et mors super eum eterna veniat vivensque in infernum per omnia secula cruciandus descendat. Amen. Amen. Amen. Hii sunt testes qui viderunt hec et audierunt: Canto, Hilti, Outeno[a], *Landolfus*[b], *Fridebertus, Hargoldus, Rupertus et alii plures tam nobiles quam ignobiles.*

Et[c] hec vocabula prediorum que primitus monasterio data memorantur: principale ceterisque[d] maius, ipsum scilicet locum mundinarium, qui Outenburren dicitur, cum terminis suis, duo miliaria in longitudine habens et unum in latitudine, de cultis et incultis hubas ad minus trecentas; item villam Behaim[10] cum terminis suis; villam Habewanguen[11] *f. 2'. cum *tota marcha sua, et predium Holleswanc[12] usque in Westernhain; villam Husen[13] cum terminis suis; villam Westerhain[14] cum prediis usque in Hirgchaim[15]; villam Oumintingen[16] cum pertinentiis suis; item ecclesias Stainhaim[17] et Kirchtorf[18] cum prediis quibusdam; villam que dicitur Ekka[19] cum terminis[e] suis; villam Dietriceshoven[20] cum prediis suis; villam Attenhusen[21] cum omnibus appendiciis suis; item iuxta Vindicem[22] villam que vocatur Cella[23] et villam Wigenhusen[24] cum terminis[e] suis[f]; item predium in Wale[25] hubas novem. Ista pariter ad numerum[g] reducta existunt oppida seu ville duodecim ecclesieque barrochiales totidem cum viculis centum viginti, exceptis prediis intra provinciam hinc inde quibusdam transpositis. Preterea totam populi sui multitudinem tam ingenuos quam serviles ore manuque abdicantes eo iure ac honore, quo ipsis nobilitate seculari dominabantur, prefato monasterio, pari nichilominus servata eorum dignitate, tradiderunt.

*f. 3. Sane predicti fundatores ad numerum[g] apostolorum *ipsi caenobio fratres 12 instituunt, quorum non solum nobilitas sanguinis, quantum probitas morum et disciplina ad perpetuas Dei laudes[h] narrando requiritur effectus. Quibus etiam domicilia versus oratorium hinc inde construentes, singulis propria cum subpellectili sua separatim repositis prebendas ex communi cellario diebus non feriatis administrari statuerunt. At vero diebus festis mensa omnibus una parabatur, ad quam congregatis semper accuratiori usu ex officio serviebatur. Interea ne pro corporali aliquo modo indigentia causarentur Deo servientes, sub numero ex omnibus cibaria, quorum terra nostra fructum reddit, data et vini mensura legitime fruebantur. Istis et huiuscemodi consolationibus fratres utpote novi tyrones expediti; Toto clericus qui supra fundator dilectissimus, post admirabilem sacri corporis Alexandri acquisitionem valefaciens seculo monachus effectus, in proprio humiliter cepit conversari monasterio. Qui post aliquot dies abbas et dominus loci constitutus, *f. 3'. inter cetera sue pietatis opera benivolum imperatorem *Karolum adiens, nec non a piissima imperatrice adiutus Hiltigarda[i], cui et prius monasterium suum contradidit, cum multis beneficiis privilegium subscriptum ab ipso principe reportavit.

769. *In nomine Dei Patris omnipotentis et Filii et Spiritus sancti. Karolus a Deo ordinatus augustus magnus pacificus, rex Francorum, imperator Romanorum, gubernans imperium. Quoniam principem ac defensorem ecclesiarum nos fecit Dominus, ne eius ingrati esse videamur munificenciae, servicium eius augmentare, ecclesias multiplicare, super inceptis et constructis bene et oportune, ne posthac destruantur, potestati regali convenit tuitionem inpertire. Unde quidquid ad loca sanctorum damus vel concedimus, hoc nobis ad mercedis augmentum vel stabilitatem regni nostri pertinere confidimus. Quapropter notum sit omnibus principibus nostris et fidelibus, qualiter nos ad peticionem dilectissime coniugis*[k] *nostre Hiltigarde illustris* *f. 4. *regine, abbatem nomine Totonem ex * monasterio, quod vocatur Outenburra, cella nova, cum hominibus una et rebus ipsius monasterii, sub nostro mundiburdio et deffensione propter malorum illicitas hominum infestationes accepimus et retinemus. Igitur a presenti die coram*

---

[a] Uleno *B.* [b] Landolphus *B.* [c] *littera* E *deest cod.* [d] *inter* ceteris *et* que *rasura duarum litterarum cod.* [e] tm̄. *cod.* [f] s. *cod.* [g] nv̓m *cod.* [h] *bis cod.* [i] hiltig̃. *cod.* [k] coniungis *cod.*

[10] Böhen iudicii ruralis Ottenbeuern [11] Hawangen eiusdem iudicii. [12] Locus vastus, olim situs ubi nunc silva Holensberg secundum Feyerabend, Jahrbücher von Ottenbeuern I, 118. [13] Videtur esse Ungerhausen villa parroch. iudicii rur. Ottenbeuern. [14] Ober- et Unter-Westerheim parrochia iud. rur. Ottenbeuern. [15] Erkheim eiusdem iudicii. [16] Amendingen eiusdem iudicii prope Memmingen. [17] Steinheim ibidem situm. [18] Kirchdorf trans Illeram in praefectura Wirtenbergica Leutkirch. [19] Eck ad flumen Günz iudicii rur. Ottenbeuern. [20] Dietershofen iud. rur. Babenhausen. [21] Attenhausen iud. rur. Ottenbeuern. [22] Wertach fluvius. [23] Locus vastus, cuius nomen superest in *Zeller Feld* in marca Pforzen iud. rur. Kaufbeuern. [24] Weinhausen eiusd. iud. [25] Waal iud. rur. Buchloe.

principibus nostris decernimus atque precipiendo precipimus, ut nulli de maioribus atque 769. *minoribus liceat predicto abbati aut hominibus ipsius monasterii tam ingenuis quam servientibus, vel in rebus, quae ad ipsam casam Dei legitime aspicere videntur, inquietare aut calumniam facere presumat, sed sicut diximus liceat eum una cum iam facto monasterio sub nostra tuitione quietum vivere ac residere, ac si alique cause adversus eum aut homines ipsius monasterii surrexerint, quas infra pagum cum fidelibus suis deffinire non potuerint, in presentiam nostram reserventur. Et ut omni regno nostro et fidelibus nostris pateat, nos prefatum locum non avaricie vel questus, sed pro amore Dei et anime salute ac defensionis causa in nostram potestatem suscepisse, 'hinc a presenti die et deinceps fratribus eiusdem monasterii auctoritate* 'f. 4'. *nostra damus hanc licentiam et concedimus, ut post discessum Totonis abbatis potestatem habeant inter se eligendi abbatem, quem meliorem secundum regulam sancti Benedicti et aptiorem nostro servicio invenire potuerint, nobisque ac successoribus nostris presentetur*, quatenus regia sublimetur*[a] *auctoritate et confirmetur. Investitus siquidem per nos, liberum hunc ab omni exactione curiali vel munere permittimus abire, consecracionem et sui monachorumque concedentes, ubi*[b] *a religiosis dumtaxat episcopis infra provinciam ordinari poterunt*[c]*, liberrimam habere. Amplius presenti sane abbati eiusque successoribus, monachis et hominibus, ac negociatoribus prefati*[d] *loci, quia nostra auctoritate frequentia populi ad reliquias sacras venientis inibi statuimus, hanc libertatis gratiam concedimus, ut, ubicumque in regno nostro ad negociandum perrexerint, 'sive in civitates vel in oppida seu pontum navesque* 'f. 5. *petant, sive venientes seu redeuntes, sine exactione thelonei cum pace securi transeant et pergant. Item placuit nostre providencie, in Totonis prefati abbatis suorumque successorum et fratrum monachorum hoc perpetualiter potestate ponere, ut sapientum usi consiliis ex his, quos inter potentes seculi noverint esse equitatis et fidelitatis amatores, eligant suis competenter locis advocatos et deffensores, si opus habuerint. Sin vero, nos nostrosque successores iustissimos et certissimos deffensores habeant. Sed nullus hominum sibi hanc potestatem presumat vendicare, vel quasi hereditariam aut aliquo iure debitam invadere, nisi quem abbatis et monachorum consulta approbatiora velint admittere, eo tamen tenore, ut post fidelitatem regio iure nobis nostrisque successoribus, abbati tria iuret sacramenta: primum quod secundum posse et nosse iustus et utilis advocatus in homines et res predicti monasterii existat; 'secundum quid-* 'f. 5'. *quid placitando acquisierit, id est*[e] *in iniuria pannorum vel satisfactione*[f] *temeritatum, tercia sibi parte retenta, duas reddat abbati, et nullum advocatum vel exactorem preter se nisi abbatis permissione constituat; tercium quod nichil privati muneris vel servicii a quolibet loco sive curte seu a villicis vel a cellerariis quasi ex debito et** statuto iure exigat, ac mansiones vel pernoctationes uspiam frequentare caveat. Ad unumquemque vero locum, quem abbas ad placitandum ordinaverit, cum 12 equis et totidem viris advocatus semel tantum in anno adveniat, nisi pro aliqua necessitate ab abbate sepius advocetur; ac tunc pro loci qualitate ab abbate honeste suscipiatur et procuretur. Infra locum autem monasterii nullum placitum, nisi rogatu et voluntate abbatis umquam statuat. Nullum de militari familia sine iusta sociorum suorum deliberatione dampnet, vel aliqua iniuria 'coherceat, offendat. Qui* 'f. 6. *militares vel alio nomine ministeriales, optimo iure perfruantur, quo Fuldenses vel Augenses pociuntur. Amplius nullum domus servientem sine consensu*** abbatis ad iudicium vel ad dampnum cogat. Quando autem huius commissi vel in homines aut in res, quod vulgo balmunt dicitur, exstiterit, statim sine mora et sine preiudicio, nisi cito resipuerit, advocatia cum*

* Heinricus[g] imperator[26]: Omnis[h] episcopus vel abbas electus regni nostri de partibus Teutonicis infra sex menses nobis presentetur, regalia per ceptrum accipiat sicque confirmatus per nos et sublimatus dignitate principaliter exhinc pociatur. *glossema eiusdem manus.*

** Notandum[i] est distincte quod dicitur de locis sive curtis seu de villicis vel cellerariis, hoc est de his quae non seculari persona sed per domesticos nostros, videlicet fratres barbatos specialiter excoluntur. *glossema eiusdem manus.*

*** Quicumque[k] in nostro iugiter occupantur servicio, ut sunt manticarii, veredarii, pistores, coci, braziarii, officialesque nostre curie ceteri homines. *glossema eiusdem manus.*

a) *corr. ex* sublimatur *cod.* b) ú *cod.* c) potert̄ *cod.* d) *sequebatur* monasterii *eadem manu sublineando deletum cod.* e) idē *cod.* f) *radendo corr. ex* satisfactionē *cod.* g) einricus *cod.* h) *littera* o *omissa cod.* i) otandum *cod.* k) uicumque *cod.*

26) Haec ad Concordatum Wormatiense recedere patet; sed tenor diversus est a diplomatis quae edita sunt Legg. II, 75. 76.

omnibus commodis sine spe recuperationis carebit. Et ut hec firmius credantur et diligentius conserventur, manu propria subter firmavimus et anulo nostro insigniri iussimus.

Ego Liutpertus recognovi archicapellanus et subscripsi.

Data anno incarnationis Domini septingentesimo sexagesimo 9. *Actum Mogontia in pentecosten in Dei nomine feliciter. Amen.*

He sunt donationes, quibus imperator Karolus Outenburrense monasterium ditavit *f. 6'. et per manus fundatorum, dato quo supra privilegio, primitus *transmisit ac delegavit hoc modo:

Ego Karolus Dei gratia[a] *Romanorum*[b] *imperator, die presenti ad prefatum monasterium per manus Gauciperti episcopi et Totonis abbatis fratris eiusdem ex mea proprietate viros duodecim cum uxoribus et liberis ac tota possessione sua pro anime mee salute Deo et beato martyri Alexandro, sicuti ex hereditario iure possideo, trado nichilominus et transfundo, ea vicelicet condicione, ut ex his qui obierint optimum tantum bonum, quod in mobilibus rebus habuerint, abbati et fratribus prefati loci detur, cetera heredibus. Si vero absque herede obierint, predia, vel quicquid habuerint hereditario iure, ad monasterium publicetur. Item omnem decimam ex debito regali, quicquid de pago Hilargowe*[27] *de quibuscumque debitis aut fredis omni tempore exigitur, quod nostri iuris est, ad prefatum sanctum locum concedimus et confirmamus, ut cum Dei gratia et nostra elemosina ibidem nostris temporibus et futuris in augmentum Dei servitutis proficiat. Que etiam cum omni integritate suscipiatur.*

*f. 7. Hiltigarda nichilominus illustris regina corpus *sancti Alexandri adversus Viennensium querelas prefato Totoni mirabiliter retinens[28], memoriam sui apud Utenburram exhinc perpetuam constituit. Que etiam post multa beneficia eidem loco collata, maius his predium suum in Haldewanc[29] situm cum terminis suis ac nobili familia et ignobili ad centum fere hubas computatum sancto Alexandro tradidit, abbati fratribusque utendum coram marito suo imperatore perpetualiter delegavit.

972. Nov. 1. *In*[30] *nomine sancte et individue Trinitatis. Otto divina functus clementia imperator Romanorum et semper augustus. Si peticiones servorum Dei, quas nobis pro suis necessitatibus innotuerint, ad effectum perducimus, non solum imperialem consuetudinem exercemus, sed etiam ad beate retributionis mercedem talia nobis facta proficere speramus. Quapropter comperiat omnium fidelium nostrorum industria presentium videlicet et futurorum, qualiter nos adierint Oudalricus Augustensis ecclesie episcopus et abbas Outtenburrensis ecclesie seu Kunradus*[c] *f. 7'. *Constanciensis *ecclesie presul atque Burchardus Alamannie dux ceterique potentes Alamannorum insinuantes, notificantes copiam et inopiam ac regionis duriciam Utenburrensis abbacie, supplicantes, precantes et consiliantes, quatenus pro Dei honore et pro nostra gratia et pro meritis sancti Alexandri martyris, qui ibi corporaliter requiescit, eam liberam a nostra et ab omni regia servitute faceremus, id est ab expedicione regali et exercitali vel hostili clipeo, et a curiali remota itineratione seu ab omni regni negocio. Ad quod respondimus, peticioni eorum nequaquam velle consentire, nec fieri posse sine communi principum regni consilio, permissione, deliberatione atque dispositione. Tandem eorum deliberationi, consilio ac iudicio concessimus, permisimus, ita sane, ut quicquid eis ex hinc placuerit placeat, quod displicuerit displiceat, et quod ex his elegerint laudamus, consentimus, precipimus, permittimus. Igitur in unum convenerunt et consenserunt, id aliter nequaquam fieri posse, nec tantus locus deberi a regali obsequio divelli, nisi* *f. 8. *parte aliqua *prediorum prefate abbatie abstracta nobis tradantur sub tali condicione, ut a nostra regali potentia Purchardo Alamannorum duci suisque successoribus Alamannie ducibus in beneficium concedantur, sitque in omnibus regni negociis paratus semper et verbis et factis pro abbate hostes rei publice nostre debellare, et quociens fit, expedicionem nobiscum movere; prefatus vero abbas libere Deo cum fratribus suis deserviat et post eius obitum fratres liberam et canonicam in alium electionem habeant*[31]*, nobis nostrisque successoribus presentetur et regalia per nos accipiat et sic a nobis sublimetur et confirmetur. Unde quisquis abbas inibi constituatur, precipimus, statuimus, ut post adeptam dignitatem non muneris quippiam vel curialis exactionis ab eo exigatur, preter quod canes duos pariles vel unicolores ad nostrum*

---

[a] gratia *deest cod.* [b] roman̄ *cod.* [c] kunradꝰi *cod.*

[27] Illergau. [28] Cf. Translationem S. Alexandri fabulosam A. Sanct. Bolland. Iul. III, 19. [29] Haldenwang iud. rur. Kempten. [30] Stumpf 520. Mon. Boica XXXI, 1, p. 211 hanc chartam spuriam dederunt ex exemplari alio, quod a nostro aliquantum discrepat. [31] Ius electionis Ottonem I. monachis concessisse, concludendum videtur e Vita S. Oudalrici c. 25, SS. IV, 410. Cf. Hermann. Aug. 973.

et successorum nostrorum honorem ad fores aule in Ulma vel ad Augustensis curie portam 972. Nov. 1. *pariter in testimonium libertatis defferri prevideat, venatoribus nostris illinc servituros*[a]. *Item in predictis civitatibus curiam nostram* **generalem acturi cum principibus, ex precepto** *idem* *f. 8'. *abbas conveniat, de ceteris omnino, ut attentius Deo famuletur, liber et securus permaneat.*

Hec sunt predia, que cum familia et omnibus appendiciis suis pro libertate prefati monasterii abstracta seu inbeneficiata noscuntur: oppidum Oumintingen cum vico suo Trunkenesber[32], *villam Husen, villam Titherichesoven, villam Wigenhusen et predium in Wale, et alia que nominare longum duximus; item investituram ecclesiarum Stainhaim et Kyrchtorf, insuper et decimam de pago Hylargowensi de quibuscumque debitis a Cyrchtorf usque in Mosebrunge*[33], *quam usque in hanc diem de elemosina domni Karoli magni imperatoris fratres prefati monasterii libere possederant, nunc pro eadem libertate cum supra dictis regie manui resignatam abdicarunt. Fautores nichilominus et consiliatores iam dicte libertatis decreverunt, ut predicte decime prediorum, que priusquam*[b] *nostre dicioni traderentur, in* **elemosinariam domum* *f. 9. *prefati monasterii ad reficiendos pauperes dabantur, nunc etiam auctoritate nostra et prefati Oudalrici episcopi et abbatis successorumque suorum consensu a curtis solummodo villicorum pro testimonio libertatis ad iam dictam domum in usus pauperum revertantur. Preterea imperiali*[c] *auctoritate nostra iubemus, ut omnia precepta, libertates, dignitates, privilegia, que a predecessoribus nostris regibus vel imperatoribus prenominato monasterio, abbati, monachis, hominibus tam ingenuis quam servientibus ac negociatoribus quoquomodo concessa sunt, perpetuum obtineant vigorem, nullusque nostre reipublice potestate functus, sive in successorum nostrorum temporibus, aliquid audeat ex his inmutare et que prefati abbatis fratrumque usibus succedunt, presumat aliquociens dilapidare. Et ne forte aliquis advocatus aut tyrannus eo licentius sibi usurpet aut vendicet aliquid ex his, que sunt abbatis et fratrum eius, quasi nostri iuris non sit, noverint omnes fideles nostri, sicut domnus Karolus imperator primitus magis pro defensione quam servitutis utilitate suscepit,* **ita et nos stren-* *f. 9'. *nuissimos atque*** *iustissimos rectores et defensores esse sciat. Et ut hoc nostrum preceptum firmius stabiliusque perpetim cunctis credatur, hanc cartam inscribi iussimus, anuloque nostro signatum manu propria subtus firmavimus.*

Data ab inperatore Ottone, Oudalrico episcopo et abbate Outtenburrensis[d] *loci, anno incarnationis Domini nongentesimo* 72. *die Kal. Novembrium. Actum Argentina civitate in Dei nomine feliciter.*

Ego Rupertus archicapellanus scripsi et subscripsi.

Signum Ottonis (M).

Temporibus eiusdem imperatoris facta est secundo inter Outtenburrenses et Campidonenses dissensio, contendentibus pro saltu[34], quem ex adverso violenter sibi pacto equitatis relicto utrique vendicabant. Unde ipsarum milites ecclesiarum insidias alterutrum sibi pro huiusmodi ponentes, diutina congressione populum ipsius regionis ad inopiam ferro *vel igne coegerunt. Qua ex re imperator commotus venerabilem Oudalricum epi- *f. 10. scopum accersitum[e] inimicicias illorum omni cum diligentia sedare precepit, missis cum eo comitibus Bertholdo et Richwino[35], qui terminos, sicut Wicgarius Augustensis episcopus a Karolo[36] missus iuniore quondam diviserat et posuerat, prefati comites denuo cum 876–887. pagensibus renovarent. In exordio enim huius discordie quidam Reinhocus nutu Karoli vir admodum clarus in Outtenburrensem ecclesiam primum vice imperatoris advocatus constituitur, et Gisilfridus apud Campidonam pari modo defensor preficitur. Tandem illis ad concordiam cum optimatibus provincie convocatis, memoratus episcopus[37] prefatam abbaciam aliquanto rexit tempore. Interea vir quidam nobilis Hato nomine, ecclesiam in Bonningin[38] cum aliis prediis Outtenburrensi contulit monasterio, et seculari[a] pompa derelicta habitum induit monachilem et se in eodem monasterio includi faciens[39], irreprehensibilem *f. 10'. diu vitam duxit. Postmodum vero ab antiquo *seductus hoste, proprietates cepit habere et propterea a cella propria eiectus inter alios fratres iussus est conversari, ubi tandem per gratiam sancti Spiritus ita cepit sancte ac religiose vivere, ut etiam multa signa per eum Christus facere dignaretur, et sic sancto fine consummatus in ecclesia nostra est tumulatus[b].

---

* Si[f] pro inevitabili necessitate rogatus fuerit abbas loci huius ad curiam venire cum principibus extra provinciam, humiliter cum equis 12 vadat et, explicito quantotius regali colloquio, ad propria reverti satagat. *glossema eiusdem manus.*

** Non[g] usurpent sibi advocati ecclesias ad imperium pertinentes quasi ad voluntatem suam illis utcunque abuti, sciant nichilominus se quam cicius privari posse cum per horum videlicet scriptorum pulsati fuerint racionabilem evidentissimam auctoritatem. *glossema eiusdem manus.*

a) *correxi;* servaturos *cod.* b) prꝰiusquam *cod.* c) impali *cod.* d) Ottenburg *cod.* e) *correxi;* accersitus *cod.* f) *littera* S *omissa cod.* g) *littera* N *omissa cod.*

32) Trunkelsberg. 33) Fortasse nomen istius loci exstat in molendino *Moosmühle* prope Leutkirch; v. Feyerabend I, 363 not. 34) Videtur esse pars silvae dictae *Kempter Wald*, quae usque hodie vocatur *Herrenwald* prope Haldenwang, v. Feyerabend I, 341. 35) Richwinum esse filium fratris S. Oudalrici autumat Steichele. 36) i. e. Crasso, cuius temporibus vixit Wicgarius.

Cum igitur prefatus episcopus Outtenburrensi monasterio diu[40] ac utiliter prefuisset, 973. propriae[c] conscius infirmitatis, ipsam abbaciam reclamantibus cunctis resignavit, fratres exhortans ac populum, ut absque retractacione successorem Dei adiutorio sibi providerent idoneum. Unde supplicantes episcopo, quem adiudicaret tanti laboris suscipere fastigium, respondit, meliorem inter fratres se non nosse, quam domnum Rudungum fuisse. In quo verbo universi concordantes, episcopus eidem electo baculum, duobus pariter comitibus illum deducentibus usque ad presentiam imperatoris, commendavit. Qui ab eodem benigne susceptus per regalia sublimatus ad propria est dimissus[41].

*f. 11. Hii[d] sunt abbates, qui Ottinburrense rexerunt *monasterium, ex quo* fundatum est. Toto beatus vir, qui ipsum sacrum cenobium in proprio domate construxit in honore beati martiris Alexandri, filii sancte Felicitatis, cuius martiris sanctum corpus illuc feliciter aquisivit Domino adiuvante. Post illum abbates fuerunt hi, quorum nomina sunt subscripta: Milo, Wicgarius[42], Birtilo, Adalbero[43], Udalricus episcopus et abbas[e], Rudungus, Dancolfus, Sigibertus, Embricus, Eberhardus, Racelinus, Adilhalmus, Gebehardus, Heinricus, sanctus Rupertus, Isingrimus, Bernoldus, Kunradus. Sub Dancolfo abbate cepit vacare advocacia Ottinburrensis monasterii. Qui Dei et sui oblitus Rupertum nobilem virum de Ursin[41] advocatum sibi elegit, qui in ipsa advocacia promeruit, quod in fine vite sue in insaniam est conversus. Post hunc Reinhardus filius eius advocatus factus, favorem sibi imperatorum et ducum Baioarie ac Suevie preclaris actibus suis comparavit, et precipue principum de Altorf et episcopi Augustensis et abbatis Campidonensis, qui omnes multis et magnis feudis ipsum ditaverunt.

Defunctis 12 abbatibus, qui loco Ottinburrensi prefuerunt, de quibus exceptis duobus *f. 11'. beatis viris *Totone et Udalrico episcopo pauca vel nulla gesta habentur, Adalhalmus eligitur qui 4 regebat monasteria, scilicet Petirshusin[45], Nernishaim[46], sancti Magni ad Fauces[47] et Ottinburron. Hic vetus destruxit monasterium aput Ottinburron[f] et novum edificare cepit[48], laicisque abstulit monachorum prebendas, quas usque tunc iniuste posséderant. Huic successit Gebehardus[49], qui honestate sua et liberalitate multa cenobio acquisivit. Nam quidam illustris vir Eticho nomine predium suum in Savilgou[50], curiam scilicet villicariam et alios 4 mansos cum nonnullis mancipiis sancto Alexandro contradidit. Similiter Hartnidus vir nobilis predium suum in Herwigishovin[51] predicto martiri obtulit. Quidam eciam Ottinburrensis ecclesie ministerialis nomine Siboto 5 hubas in Boningin, quas ipse oppignoraverat, predicto Ottinburrensi[f] loco contulit. Prefatus vero abbas eosdem mansos solvit et ipsum militem in sui curam suscipiens, usque ad finem vite sue pavit.

[a] sclari *cod.* [b] *corr. ex* tumailatus *cod.* [c] propriæ *corr. ex* propria *cod.* [d] *pergit alia manus saec. XIII. in. in eadem linea.* [e] Ud. ep. et abbas *ead. manu supra lineam add. cod.* [f] ottinb' *cod.*

---

[37] Oudalricus, v. infra fol. 11.

[38] Benningen prope Memmingen, iud. rur. Ottenbeuern.

[39] Cf. Vit. Oudalrici c. 26, SS. IV, 412.

[40] Hoc falsum; ex Vita Oudalrici c. 25 discimus, episcopum a. 973, mortuo abbate Adalberone, demum abbatiam ab imperatore accepisse, eodemque anno autem resignasse.

[41] Haec de electione Rudungi e cap. 25 ex. Vitae Oudalrici desumpta videntur.

[42] An episcopus Augustensis?

[43] De hoc nepote Oudalrici, qui obiit a. 973, v. Vit. Oudalrici praesertim c. 24. 25.

[44] ex familia comitum de Ronsberg et Irnsee prope Kaufbeuern oriundum; de eius insania cf. Ann. Ottenbmin. SS. XVII, 316.

[45] In Casibus mon. Petrishus. supra SS. XX. nullus abbas huius nominis memoratur. Ottinburensi monasterio eum praefuisse a. 1082—1094. dicit Feyerabend I, 80. Hess, Prodrom. mon. Guelf. 45 Adilhalmum etiam abbatiam Weingartensem rexisse dicit.

[46] Neresheim.

[47] St. Mang in Füssen.

[48] Monasterium a. 1094. a fulmine percussum esse, auctor est Bernoldus SS. V, 459.

[49] a. 1094 - 1100 secundum Feyerabend I, 80.

[50] Saulgen seu Salgen viculus parrochiae Pfaffenhausen, iud. rur. Mindelheim.

[51] Herbishofen iud. rur. Ottenbeuern.

Ipse Siboto filios habens de ignobili femina, sextam hubam in Kenginshuosin[52] predicto abbati et ecclesie sue contulit, ut filiis suis in censuale *beneficium concederetur, de qua *f. 12. unus solidus Augustensis monete persolvitur annuatim. Preter ista prefatus abbas Gebehardus multa preclara gesta fecit ad utilitatem monasterii. Quo defuncto, successit ei in prelacione, non in virtute abbas Heinricus iuvenis etate et stultus moribus, qui timore Dei carens, multa damna in dilapidacione rerum intulit monasterio, et post unius anni spacium mortuus est volente Deo[53], ne religio et bona ecclesiae penitus deperirent.

Isto igitur defuncto, quoniam multum defecerat religio monastica, predictus Rupertus advocatus[54] de monasterio sancti Georgii in Nigra Silva beatum Rupertum adducens[55], Ottinburrensi prefecit monasterio, quia patri suo iam morienti et ob defectum religionis hic sepeliri nolenti promiserat, quod abbatem religiosum et bonum monasterio provideret. Qui beatus vir eidem loco prelatus, quasi sol oriens omnes tenebras irreligiositatis radio sue sanctitatis dispulit et personas honestas de aliis monasteriis advocans, monachos eciam perfectissimos educavit. Laicos Deum *timentes eisdem monachis associavit et feminas *f. 12'. honestas et nobiles ad serviendum Deo inclusit, quorum donacionibus possessiones monasterii sunt plurimum dilatate, scilicet in Richersriet[56], in Friderichisriet[57], in Wolfoldis[58], in Kolberc[59] et in aliis locis. Et quoniam ipse beatus vir miraculorum erat eximius operator, quemadmodum habetur in libro qui de beata vita eius scriptus est, populi multi locum ipsum frequentantes plurimas donaciones illuc detulerunt, de quibus domnus Siboto, qui tunc custos erat ecclesie, sarcofagum argenteum[60] fecit fieri, in quo veneranda corpora 1134. sanctorum martirum Alexandri et Theodori idem venerabilis inclusit abbas cum multis aliorum sanctorum reliquiis, de ipsorum virtute in Spiritu sancto previdens et predicens, quod propter ipsorum merita et presenciam locus idem divina sit visitacione semper illustrandus. Preterea monasterium, quod Adilhamus cepit construere, iste sanctus pater perfecit, et perfectum omni decore ac pictura competenti, advocatis duobus episcopis, Udalrico videlicet Constanciense ac Hermanno Augustense, *in festivitate omnium sanctorum *f. 13. 1121. Nov. 1. fecit dedicari[61]. In ipso dedicacionis die Rupertus advocatus, filius Reinhardi de Ursin, qui Reinhardus[a] duas hubas in Alrichsrain[62] Ottinburrensi[b] monasterio sub Gebehardo abbate donaverat cum omnibus attinenciis et cum omni iure corporali et incorporali, ipse inquam Rupertus contulit eidem cenobio vineam suam et curtem in Kortis[63] cum capella sancti Georgii, quod predium in Valle Venusta[64] situm est, donans simul eadem[c] die aliam vineam in Basilan[65] valde bonam, quam quedam femina Diemuot nomine et alii boni homines donacionibus suis postea adauxerunt. Data sunt eciam ipsa die nonnulla mancipia a prenominato advocato. Idem Rupertus swaigam unam predicte contulit ecclesiae, cum filius eius Albertus et filia eius Irmingardis a beato patre Ruperto[d] in monasterium reciperentur.

Filius quoque ipsius Ruperti Reinhardus nomine, relicto seculo in monasterium ab eodem patre susceptus, swaigas in Nidirtaige[66], que solvunt nongentos caseos, eidem donavit ecclesie cum omnibus attinenciis et omni iure. Irmengardis soror predicti Ruperti post *decessum viri sui in Karinthia, cum magno periculo persone ac rerum suarum corpus *f. 13'. eius rapiens ad Otinburrense monasterium transtulit, et unam hubam in Wihstain[67], et duas hubas in Lademutingin[68] eidem ecclesie contulit, ut anniversarium amborum simul

---

a) R. *cod.; Steichele solvit compendium in* Rupertus, *minus recte ut videtur.* b) ottinb' *cod. saepius.* c) eâdem *cod.* d) R. *cod.*

52) Aut Engishausen iud. rur. Illertissen, aut Königshausen iud. rur. Türkheim. 53) De morte Heinrici cf. Ann. Ottenb. min. supra SS. XVII, 316. 54) Hic nequaquam idem esse potest, qui supra sub Dancolfo abbate; fuit potius istius nepos per Reinhardum filium, cuius infra fit mentio. 55) Rupertus obiit a. 1145. Aug. 15, cum aut 40 secundum Ann. min. aut 50 annos secundum Ann. mai. rexisset monasterium; 1146. vero annum obitus praebent Ann. S. Georgii SS. XVII, 296. 56) Reichertsried parrochiae Eggenthal, iud. rur. Kaufbeuern. 57) Friesenried iud. rur. Obergünzburg. 58) Wolfholz viculus parrochiae Huttenwang aut Wolferts locus vastus parrochiae Ottenbeuern. 59) Köhlberg parrochiae Kemnat, prope Klein-Kemnat. 60) Descriptionem istius monumenti, quod tempore saecularisationis adhuc superstes erat, v. ap. Feyerabend II, 44; anni numerum monstravit 1134. 61) Annum 1121. dant Ann. Isingrimi mai. supra SS. XVII, 312; diem vero Sept. 28. adnotant Necrologia Ottenbur. v. ibid. not. 4. 62) Allersrain curiae duae parroch. Dirlewang, iud. rur. Mindelheim. 63) Kortsch. 64) Vintschgau in comitatu Tirol. 65) Passlan ad meridiem oppidi Meran. 66) Niederthey curati sedes pone Umhausen in valle Oetzthal. 67) Videtur esse Weicht villa parrochialis iud. rur. Türkheim. 68) Lamedingen iud. rur. Buchloe.

ibi deinceps celebretur. Miles quidam ipsorum Otto nomine a contribulibus suis exoculatus, monasterium Ottinburrense ingrediens, relicto seculo, terciam hubam in Lademutingin[a] eidem dedit ecclesie. Quidam ministerialis Ruperti de Marstetin, cum filia sua Helcha[b] nomine in monasterium a beato viro Ruperto reciperetur, huobam unam in Friderichsriet donavit ipsi monasterio cum omnibus attinenciis. Quidam illustris vir Wolftrigil nomine, pater Heinrici de Buoron[69], predium suum in Salhinwanc[70] et in Friderichsriet unum mansum pro remedio anime sue cenobio contulit Ottinburrensi. Quod reliquum est nostri iuris in Friderichsriet alii boni homines, quorum nomina scripta sunt in celo, beato martiri Alexandro contradiderunt. Quidam liber homo Rudolfus nomine et fratres eius predium suum in Kolberc cum omnibus attinenciis eidem martiri sub predicto sancto *f. 14. patre obtulerunt. *Sub ipsius sancti patris tempore quidam Burcardus nobilis cum filio suo Rudolfo seculo abrenuncians et monasterium ingrediens[b] Ottinburrense, predium suum in Bruningis[71] scilicet 7 curtes eidem ecclesie contradidit, unde solvuntur ...[c] casei. Similiter et Burcardus de Burcperc[72] predium suum in Bilratperc[73] Outtinburrensi contulit monasterio, unde solvuntur centum casei. Quidam illustris vir Wernherus nomine advocatus[74] de Swabegge habens unum militem Berengerum nomine, qui predium suum Walde[75] cuidam militi Gotfrido de Rainstetin 30 marcis obligaverat, cum prenominato milite suo Berengero[d], qui hoc ipsum devotis precibus ab eodem domino suo impetraverat, proprietatem predicti predii per manus Ruperti advocati misit et contradidit beato martiri Alexandro, ita ut abbas ipsius monasterii prefato Gotfrido peccuniam persolveret supradictam. Sanctus ergo pater Rupertus adiutorio illustris femine Irmingardis, cuius supra mencionem fecimus, prenominatum predium solvens, usui fratrum perpetualiter deputavit. Ipsa eciam femina sancto patri cottidie unum vini poculum solebat ministrare.

*f. 14'. *Sub[e] eodem pratre Adilhaidis illustris femina de Sunthaim[76] predium suum, quod habuit in eadem villa, capellam videlicet beatorum Nicolai et Kiliani, et partem parrochialis ecclesie cum villa pene tota sancto Alexandro contradidit, et ipsa relicto seculo se apud Outinburrense[f] monasterium includi fecit, artissimam vitam usque ad obitum suum ducens. Post transitum vero eius, cognati ipsius Egilolfus et Ulricus et Heinricus de Riedin[77] ceperunt infestare monasterium pro eodem predio, dicentes se heredes esse. Predictus autem Egilolfus cum quadam die persequeretur hostes suos et fugasset eos in ecclesiam Sunthaim, unum ex eis in ea interfecit. Unde penitentia ductus in monasterium Ottinburrense[g] se contulit, relicto habitu seculari, duas curtes optimas in Gunze[78] monasterio conferens, et ex tunc monasterium quiete possedit predium predictum in Sunthaim. Mater etiam illorum in fine vite sue conversa, predium in Kirloch[79] contulit monasterio. Quidam etiam Ruodolfus ministerialis ecclesie ad religiosam vitam se conferens, huobam unam in Attinhuosen sancto Alexandro contradidit. Ministeriales comitis Ebirhardi de Kirchperc[80] pro prediis, que habebat ecclesia Ottinburrensis in Kienberc[81], per concanbium dederunt monasterio tres curtes in Berge[82].

1145. Aug. 15. Post obitum beati patris Ruoperti electus est Isingrinus de monasterio beati Udalrici Augustensi[h], strennuus vir, qui in multis per Dei auxilium profuit monasterio. Predium quippe in Wolfoldeswendin[83] ad novem huobas computatum cum ecclesia per industriam ipsius abbatis a Bertoldo presbitero de Gruoninbach[84], nobili viro, contraditum est beato Alexandro. Decimas quoque in Haldiwanc et in Angir[85], quas Kunradus plebanus eiusdem 1152 seu 1153. ville auferre conabatur, strennue retinuit idem abbas. Septimo autem anno prelationis

a) latemvtingi *cod.* b) *supra lin. add. ead. manu cod.* c) *lacuna cod.* d) B. *cod.* e) *pergit alia manus saec. XIII.* f) ǒtinb̃ *cod.* g) ottinb' *cod.* h) aug̃ *cod.*

69) An Kaufbeuern? Wolftrigil idem esse videtur, qui a. 1123. inter homines liberos testis occurrit ap. Gerbert. hist. Nigr. silvae III, cod. dipl. p. 51. 70) Salenwang parrochiae Friesenried. 71) Aut Bräunlings viculus parr. Altusried, iud. rur. Grönenbach, aut Bronnen viculus parr. Volkratshofen eiusdem iudicii. 72) Burgberg iud. rur. Sonthofen. 73) Beilenberg viculus parr. Altstetten eiusdem iud. 74) ecclesiae Augustensis. 75) Wald iud. rur. Türkheim. 76) Sontheim iud. rur. Ottenbeuern. 77) Videtur esse Frechenrieden villa parrochialis prope Sontheim. 78) Günz iud. rur. Ottenbeuern. 79) Locus desertus prope Frechenrieden. 80) Kirchberg ad Illeram, praefecturae Wirtenbergicae Laupheim. 81) Kienberg parroch. Burggen, iud. rur. Oberdorf. 82) Memminger-Berg prope Memmingen. 83) Non villa parroch. Wolfertswenden, sed Unter-Wolfertswenden seu Niederdorf, prope situm, iud. rur. Ottenbeuern. 84) Grönenbach. 85) Curia Angerhof parrochiae Haldenwang.

sue, cum profectus esset ad sedem apostolicam cum Kunrado episcopo Augustensis[a] 1152 seu 1153. ecclesie, monasterium Ottinburrense exustum est incendio casuali[1], et mirum dictu baculus beati Ruoperti, quem idem abbas *secum ferebat, in ipsa exustionis hora repente in manu *f. 15. ipsius sedentis apud ignem est confractus. Post aliquot annos predictus episcopus ab eodem abbate vocatus ad festum nativitatis Domini, consecravit altare beati Petri in sinistra parte chori, et in ipsa consecrationis die Hiltiboldus illustris de Krumbach[2] predium suum in Engilmuotriet[3], ecclesiam videlicet et dimidiam partem ville, et quatuor huobas extra villam, scilicet Sibotinwiler[4] et Rore[5] et Lindun[6] et Ruodolfshoven[7] sancto Alexandro contradidit. Sub eodem abbate magnus et frequens fuit concursus populorum longe vel prope positorum ad sepulcrum beati Ruoperti, quia prodigia et signa multa et magna ibi per merita eius fiebant. De quorum oblationibus idem abbas multa bona fecit monasterio in vario ecclesie ornatu, in calicibus, in casulis, in cappis, in tapetibus, in campanis, in libris, in muris, in edificiis et in multis aliis, auxilio cuiusdam fratris, qui Salcho dicebatur, qui tunc temporis custos fuit eiusdem sepulcri. Per exhortationem ipsius abbatis et peticionem Egilolfi, cuius supra mentionem fecimus, Ulricus de Riedin frater ipsius villam 1167. ipsam Riedin totam[b] cum ecclesia et nemore et pascuis et piscariis ad eam pertinentibus, et villam Rotinbach[8] citra Licum ad 20 huobas computatam monasterio Otinburrensi contulit[9], quibus Hermannus de Wale et alii homines ecclesie inbeneficiati sunt.

Hec[c] sunt predia citra Licum, que Ulricus de Riedin dedit Otinburrensi monasterio: Wicperc[10], Urberc[11], Buochiberc[12], Kienberc[13], Litun[14], Greggin[15], Genna[16], Schelminstaige[17], Grindisriet[18] unus mansus, Ruprehts[19] dimidia huba; in Owe[20] quicquid filii domni R. tenent; villa Rotinbach tota preter unam curtem, que est monasterii sancti Udalrici Augustensis[d], cuius tamen advocacia ad Otinburron[e] pertinet.

Sub eodem abbate Ruodolfus, Adilbertus et Liutfridus liberi homines ad conversionem venientes, predium suum in Swinoberc[21] monasterio contulerunt. Alii quoque viri conversi quedam predia sua in montanis scilicet in Albigou[22] contradiderunt, que nominatim describemus.

*Bertoldus qui Getinbraiter dicebatur, ministerialis huius ecclesie, ad conversionem *f. 15'. veniens, predia sua et beneficia sua in Frolins et in Teninberc[23] et in aliis locis ad 10 huobas computata contulit monasterio. Wilmandus[f] de Altorf[24] ministerialis ecclesie in monasterium cum uxore et filiis suis[g] ingrediens, predium suum iuxta Hasinwiler[25] ad tres huobas computatum contulit, quo postea rogatu eius Kunradus de Smalnegge[26] et filii eius inbeneficiati sunt. Kunradus de Rainstetin curtem in Gozhalmishoven et in Lachun[27] aliam contulit. Swigerus de Sunningen[28] curtem bonam in Traslaibeshoven[18], cum converteretur, dedit et prediolum censuale in Sunningin, quod ibidem possidebat, filiis suis illegitimis concedi fecit, unde maltrum tritici solvebatur, quod Kunradus de Hairmirtingin[29] sibi concessum esse fingit. Hartwicus de Rôt liber homo predium suum in Rot[30], ecclesiam videlicet et villam dimidiam, et semet ipsum contulit monasterio Otinburrensi[h]. Qui cum susceptus fuisset, penitencia ductus fugit, postea vero comprehensus precibus obtinuit, ut ipsum predium Gotfrido advocato[31] in beneficium concederetur et ipse de manu eius illud susciperet. Hartnidus filius fratris predicti Hartwici ad conversionem veniens huobam

a) aug̃ *cod.* b) *supra lin. add. ead. manu cod.* c) Hec — pertinet *add. manus coaeva in marg. inferiori, signis appositis, cod.* d) aug̃ *cod.* e) otinƀ *cod.* f) *seu* wilinandus *cod.* g) *sequitur* monast' *cod.* h) oĩ *cod.*

---

[1] Cf. Ann. Isingr. mai. 1152. et Ann. min. 1153.

[2] Krumbach iud. rur. sedes.

[3] Engetried iud. rur. Ottenbeuern.

[4] Dingisweiler parr. Engetried.

[5] Curia Rohrhof.

[6] Linden parr. Engetried.

[7] Curiae dictae *die Bruderhöfe* eiusdem parrochiae.

[8] Rettenbach iur. rur. Oberdorf.

[9] A. 1167. facta est haec donatio sec. Ann. min.

[10] Weichberg parr. Rettenbach.

[11] Auerberg mons, circa quem omnia ista praedia sunt sita.

[12] Buchenberg parr. Rettenbach.

[13] Kienberg parr. Burggen.

[14] Leuten parr. Bernbeuern.

[15] Vallis dicta *im Greggen* inter Westerhof et Buchenberg.

[16] Curia vasta Gennachhof a Rettenbach ad occidentem.

[17] Declivum montis a Rettenbach ad septentrionem prope Frankau vocatur *Schelmenhalde.*

[18] Locus incertus.

[19] Locus cum curia dictus *auf dem Ruprecht* prope Frankau.

[20] Ob parr. Bernbach.

[21] Schweineberg desertum parr. Kimratshofen, iud. rur. Grönenbach.

[22] Pagus Alpgau iuxta Sonthofen et Immenstadt.

[23] Viculus Fröhlins et Tennenberg prope Ottenbeuern.

[24] Altdorf prope Ravensburg.

[25] Hasenweiler praefect. Wirtenberg. Ravensburg.

[26] Schmalegg eiusd. praefect.

[27] Lachen iud. rur. Ottenbeuern, ad cuius parrochiam pertinet Gossmannshofen.

[28] Sinningen praefect. Wirtenberg. Laupheim.

[29] Heimertingen iud. rur. Babenhausen.

[30] Ober- et Unter-Roth iud. rur. Illertissen.

[31] marchioni de Ronsberg.

unam in Northovin[32] et molendinum in Oninginshusen[33] contulit monasterio. Dux Welfo swaigam unam in Gihage cum mancipiis quibusdam dedit sancto Alexandro, quia filius fratris eius dux Heinricus aliam swaigam ibidem dederat.

Liutgardis illustris femina predium Buron, quod hereditate possederat, post decessum fratris sui rogatu prefati abbatis monasterio contulit, quod quia dux Welfo iniuste invaserat, sexaginta libris Augustensis[a] monete predictus abbas ab eodem redemit, ea condicione *f. 16. interveniente, *ut ipsi duci in beneficium concederetur. Advocato autem predicte femine, Siboldo libero homini de Horningin, date sunt 60 libre Ulmensis monete, ut manu dante ipsius donacio eiusdem femine firmaretur. Witimarus miles de Rotinbach cum uxore sua et duabus filiabus monasterium ingrediens, predium suum in Ufhoven situm dedit et beneficium suum in Scelmistage et in Rotinbach resignavit. Sigimarus liber homo pro susceptione filie sue Irmingarde huobam unam in Bergerstetin[34] contulit. Albertus de Westirriet[35] ministerialis ecclesie cum uxore et duobus filiis et duabus filiabus idem beneficium resignavit et predium suum in Tiufintal contulit. Bertoldus de Druchpurc[36] rogatu Kunradi de Racinriet[37] plus quam dimidiam huobam in Friderichesriet pro filia sororis sue Elisabeth contulit. Ruodolf liber homo de Eggintal[38] duas huobas in Kolberc moriens dedit. Wolfwinus de Montalban[39] uxorem suam hic sepeliens, predium quod dicitur Campemaur[40] dedit, unde singulis annis 12 gelta olei solvuntur, et parvam vineam in Kortis dedit. Gotfridus advocatus in extremo vite sue, quoniam multa mala intulerat monasterio, swaigas in Seldon[41], que singulis annis sexcentos caseos[a*], molendinum in Richersriet contulit; et in sepultura eius Heinricus filius eius dimidiam huobam in Ursiggin[42] dedit, ut inde lumen ad sepulcrum eius singulis noctibus accendatur. Oggozus presbiter de Hundinlanc[43] et frater eius pro filia sua Ita predium suum in Hiberc[44] situm dedit, unde solvuntur 60 casei. Marquardus de Afiltranc[45], frater Volcmari, dimidium mansum in Bidigin[46] moriens dedit.

*f. 16'.

*Sub eodem patre Eugenius papa et Fridericus[b] imperator hec privilegia Outtinburrensi[c] ecclesie dederunt[47].

Cum igitur idem abbas 30 annis Outtinburrensi monasterio provide prefuisset, permissione Dei, cuius iudicia sunt occulta, sed nunquam iniusta, cepit egrotare et amens effectus, sic per duos annos in eadem amentia vivens permansit. Interea tamen ecclesia honeste regebatur per Gernodum priorem et per religiositatem fratrum, qui strennui erant et ferventes in observantia regulari.

1179. Dec. 12.

Defuncto igitur eodem abbate Isingrino, electus est Bernoldus, unus ex senioribus monasterii. Qui cum adisset imperatorem Fridericum[d] apud Ulmam, ut imperiali auctoritate electio eius confirmaretur, cancellarius et alii officiales curie curiali exactione ipsum infestantes, consilio suo egerunt cum imperatore, ut ad curiam, que tunc apud Herbipolim celebranda erat[e], ipsius negocium differretur. Quo cum pervenisset et privilegia Otinburrensis[f] ecclesie coram principibus regni lecta essent, iudicio ipsorum et auxilio Dei ab omni regio negotio et exactione secundum tenorem privilegiorum liber ad propria remeavit[48]. Resque monasterii sapienter disponens, muros et edificia claustri cepit renovare. Rupertus autem de Werde, filius sororis predicti abbatis, exhortatione ipsius admonitus et studiosis precibus exoratus, contulit Otinburrensi[f] ecclesie pro anima sua et pro animabus omnium parentum suorum 7 mansos, quos libere possidebat in quatuor locis, scilicet in Grabrehterhovin[49] et in Riedin et in Brunnin et in Geruten, et Kunradum villicum, qui supersedebat illis, cum tota familia sua. Sed Wernherus de Nordiholz[50], filius matertere

---

a) aug̃ *cod.* a*) *supplendum* solvunt. b) Fr. *cod.* c) öttinb̃e *cod.* d) F. *cod.* e) erãt *cod.* f) oĩ *cod.*

[32] Nordhofen viculus parrochiae Neuburg ad Kammel, iur. rur. Krumbach. [33] Engishausen parr. Eck, iud. Illertissen. [34] Bergenstetten parr. Herrenstetten, iud. rur. Illertissen. [35] Westenried viculus parr. Unterthingau, iud. rur. Obergünzburg. [36] Trauchburg prope Isny. [37] Ratzenried praefect. Wirtenberg. Wangen. [38] Eggenthal iud. rur. Kaufbeuern. [39] Castrum dirutum prope Castelbell in Vintschgau. [40] Fortasse Morein viculus prope Castelbell. [41] Sölden in valle Oetzthal? [42] Irsingen iud. rur. Türkheim. [43] Hindelang iud. rur. Sonthofen. [44] Imberg parrochiae Sonthofen. [45] Apfeltrang iud. rur. Obergünzburg. [46] Bidingen iud. rur. Oberdorf. [47] Privilegium Friderici I. v. infra fol. 20', privilegium vero Eugenii papae a. 1152. Dec. 22, quod in codice non exstat, v. ap. Feyerabend II, 823. [48] Cf. prolixiorem narrationem Ann. min. p. 316, e quibus noster fortasse hausit. Annum 1180. ibidem in 1179. mutandum esse, ex curia Herbipolensi a. 1180. Ian. 13. celebrata patet. [49] Videtur esse Grafertshofen prope Weissenhorn, iud. rur. Roggenburg. [50] Nordholz parroch. Rennertshofen, iud. rur. Roggenburg.

sue, cepit impetere monasterium pro dacione supra dicta, unde abbas necessitate compulsus eosdem mansos omnes in beneficium sibi concessit, quos idem Wernherus Swigero de Aichain[51] postea concedi fecit, susceptis ab eo 80 marcis.

Sub eiusdem abbatis *tempore Heinricus marchio de Ruomsperc cum uxore sua Oudilhilde *f. 17. 1182. et filiis ac filiabus suis predium quoddam in Altingin[52] situm, dimidiam videlicet huobam cum duabus extremis partibus vinee sue, quas vulgo duos morgin vocant, adiacentem quoque predicte vinee vallem totam, excepta portione Bertoldi[a] cognati sui de Wizinhorn[53], que est in medietate eiusdem vallis, Deo sanctoque martiri Alexandro pro remedio anime sue parentumque suorum in ius proprietatis tradiderunt; ministerialibus suis etiam hanc licentiam dantes, ut si quas res, predia vel possessiones vendicione, mutuatione, voluntaria donatione, sive quocumque modo vel pactione ibidem monasterio conferre voluerint, perpetuam habeant potestatem[54]. Heinricus igitur, qui et Mesiner dicebatur, ministerialis predicti marchionis, cum uxore ac filia fratris sui ad conversionem Outtinburron veniens, huobam unam in villa Altingin, et plurimos agros extra eandem villam contulit monasterio. Gerungus quoque frater eius pro 12 marcis et pro spe amplioris remunerationis plurimos agros ibidem vendidit monasterio. Gebehardus etiam de Liehtinstain[55], ministerialis predicti marchionis, monasterium ingrediens, molendinum in Altingin et quosdam agros et quedam prata cum filiorum suorum voluntate contradidit. Similiter Heinricus de Niufaron[56] cum uxore sua conversus, predia sua ibidem sita contulit. Rudolfus quoque de Isir et Heinricus de Genkingin[57] et Rudigerus de Mulhuosen[58], et Ruodolfus de Kuppingin[59], ministeriales marchionis, agros suos eidem monasterio pro argento vendidit. Quedam etiam nobilis femina Adilhaidis nomine de familia Bertoldi de Nifin[60] predia sua valde bona pro remedio anime sue monasterio contulit cum manu domini sui; qui[b] ut hanc donationem fieri permitteret, singulis annis novum pellicium a preposito *monasterii *f. 17'. recepit. Hec predia que prescripsimus tante sunt latitudinis, ut vix quatuor aratris boum excolantur. Vinea quoque industria Heinrici prepositi et labore Marquardi[c] et Kunradi exteriorum fratrum exculta ad 30 morgin computatur. In coemptionem[d] prediorum, agente prefati prudentia prepositi, quedam femina de Mammingin Bertha nomine ad conversionem veniens, plus quam centum libras contulit monasterio. Quidam etiam Grifo de Mammingin conversus 60 libras contulit monasterio ad predictum emptionem. Kunradus, qui et Sender, multa bona fecit ecclesie in argento et in peccoribus. Kunradus de Hailbersperc[61] pro duabus filiabus suis huobam unam in Asce monasterio contulit. Bertholt, qui et Gunuil, cum duabus filiabus suis monasterium ingrediens, beneficium suum in Harde[62] resignavit. Waltherus miles de civitate[63] cum filio suo C. monasterium ingrediens, beneficium suum in Helbiligisberge similiter resignavit. Sub eodem abbate cripta sancte Marie, que corruerat, per industriam Alberti custodis sepulcri beati Ruperti est reparata. Heinricus marchio de Rumsperc[e] iturus in Apuliam cum imperatore Heinrico, huobam unam in 1191. Ursingin contulit monasterio, ut inde anniversarium eius deinceps agatur. Idem marchio swaigam unam in montanis prius dederat, ut ossa parentum suorum in capitulo sepelirentur.

Igitur abbas Bernoldus 14. anno prelationis sue viribus et sensu deficiens resignavit 1193. prelaturam, et confestim conventus fratrum et ministeriales ecclesie in unum convenientes Cunradum priorem, qui bonum ab omnibus habebat testimonium, unanimi consensu in patrem et dominum elegerunt[64]. Hic cum magno labore imperatori Heinrico[f] apud Ratisponam occurrens[65], cum per septem dies quibusdam inpedimentis *in curia esset detentus, *f. 18. tandem benigne per regalia sublimatus, inde ad Augustam civitatem profectus est, et ab Uodilscalcho episcopo in abbatem consecratus. Pro expensis autem in eodem itinere copiose

---

a) *radendo corr. ex* Btohdi *cod.* b) cui *cod.* c) marq̄ *cod.* d) coemptior, *cod.* e) rumsp *cod.* f) H. *cod.*

51) Illeraichen iud. rur. Illertissen. 52) Altingen praefect. Wirtenberg. Herrenberg. 53) Weissenhorn oppidum iud. rur. Roggenburg. 54) V. chartam istius donationis a. 1182. datam ap. Feyerabend II, 826, ex qua Noster hausit. 55) Lichtenstein castrum parroch. Honau, praefect. Wirtenberg. Reutlingen. 56) Aut Nufringen praefect. Herrenberg aut Neufra praefect. Rottweil. 57) Genkingen praefect. Reutlingen. 58) Mühlhausen nunc vastum prope Herrenberg. 59) Kuppingen praefect. Herrenberg. 60) Neiffen. 61) Halbersberg parrochiae Ottenbeuern. 62) Hard viculus communiae Buxach prope Memmingen. 63) scilicet Memmingensi. 64) Cf. Ann. min. a. 1193, qui verbis: *deficiente viribus et sensu* affinitatem prodere videntur. 65) Imperator a. 1193. Ian. 10—27. Ratisbonae morabatur, v. Stumpf 4791—4795.

habitis predictus abbas cifum aureum, quem Heinricus marchio in Apulia moriens[66] Outtinburrensi monasterio transmiserat ad faciendum inde calicem, necessitate coactus ipse abbas pro 24 libris Ratisponensis monete iussit vendi. Pro cuius recompensatione industria sua egit abbas quod quidam Bertoldus cognomine Uzgeů optimam huobam in pago illo sibi resignavit. Quam dum pro predicto dampno recompensando consilio ministerialium marchionis custodi ecclesie assignasset abbas prelibatus, tandem peticione ipsius custodis et tocius conventus census in Durniwanc[67], duo videlicet libre Augustensis monete, pro eadem huoba sacrario sunt traditi et perpetualiter confirmati. Idem abbas dimidiam huobam in Lindun a quodam Heinrico Stramin et a fratre ipsius Hugone 19 libris comparavit. Eodem abbate et preposito Heinrico patrantibus, Gebehardus de Liehtinstain, Heinricus Mesiner, Heinricus de Niuferon, de quibus ante scripsimus, se ac predicta predia sua in Altingin monasterio Ottinburrensi[a] contulerunt; et quia studio et industria predicti Heinrici prepositi predictum predium plurimum est auctum et dilatatum, decrevit predictus abbas cum consensu tocius conventus, ut de reditibus eiusdem predii anniversarius dies eius annuatim agatur[68].

Tercio anno prelationis predicti abbatis muri monasterii pre vetustate corruerunt. Quibus per 11 annos, eodem abbate patrante et coadiuvantibus fratribus suis, studiose 1204. Sept. 28. reparatis, abbas episcopum Vrisingensis ecclesie accersiens, ipsum monasterium *dedi- *f. 18'. catione honestissima consummavit[69]. Idem abbas cupiens requirere monasterio predium in Buron, quod imperator Heinricus post decessum Welfonis ducis monasterio iniuste 1194. abstulerat, eundem imperatorem apud Noricum et postea apud Wormaciam adiit[70], et ab eo literas ad fratrem eius Kunradum ducem Swevie pro querimonia sua terminanda impe- 1196. travit. Sed quia idem dux, antequam hec fierent, vita decessit, predictus abbas dolens pro dampno ecclesie, prescriptum imperatorem, qui tunc morabatur in Apulia, tercia vice apud Barum[71] adiens pro eodem predio convenit et, acceptis iterum ab eo literis ad Philippum fratrem eiusdem imperatoris, ducem Swevie, ad patriam est reversus. Sed ipso labore magno et expensis plurimis propter iniusticiam ipsorum principum et avariciam nichil utilitatis est consecutus.

1197. In diebus illis facta est fames magna per totam Germaniam ita, ut maltrum frumenti 30 solidis minusve venderetur[b. 72]. Pro predictorum igitur itinerum expensis copiosis et fame diuturna et pro assiduis exactionibus, quibus Gotfridus advocatus homines ecclesie vexabat, multis debitis monasterium obligatum propter rerum penuriam prorsus defecisset, nisi divina gratia et bonorum hominum donaciones sibi subvenissent. Nam Kunradus plebanus de Altinisriet[73] 50 libras contulit monasterio pro prebende usu, quo vix per triennium utebatur. Waltherus decanus de Scongou[74] consanguineus eiusdem abbatis 10 marcas dedit pro anniversario suo celebrando. Sifridus dictus de Horningin 20 marcas pro usu prebende, quam tantum tribus recepit annis. Engilherus plebanus de Riedin 20 marcas pro remedio anime sue dedit. Swigerus nobilis vir de Aichain 30[c] libras contulit, ut festum sancti Iohannis ante portam Latinam festive agatur et ut lumen ante aram eius singulis et totis noctibus accendatur et ut toti conventui plenum servicium de huoba una in Bozze[75] sita exhibeatur. Idem abbas ab imperatore Heinrico vocatus Magonciam *f. 19. conpulsus *est, feudum Wolfhardi de Stephinsriet[76] ad 20 mansos computatum uxori eiusdem militis concedere, quod feudum idem abbas Wolfhardo defuncto pro centum 20 marcis a predicta femina redemit. Albertus etiam de Hoinstain[77] ipso abbate agente predium suum Wolfseldon[78] ad tres huobas computatum et 70 marcas ad redemptionem

---

a) oī *cod.* b) *corr. videtur ex* venūderetur *cod.* c) *sequebatur* marcas *iam oblitteratum cod.*

[66] In obsidione Neapolis mortuus est a. 1191. Heinricus, qui postremo testis occurrit chartae Heinrici imperatoris datae Iun. 17, Stumpf 4708. [67] Dirlewang iud. rur. Mindelheim. [68] Chartam de hac re confectam v. ap. Feyerabend II, 828. [69] Cf. Ann. min. 1204, qui et ipsi dicunt, *monasterium ante 11 annos collapsum esse*, et titulum dedicationis apud Feyerabend II, 829. Annus tertius Cunradi cum 11 annis non congruit. [70] Imperator degebat apud Nürnberg a. 1194. Mart. 18. 22. (Stumpf 4851. 4852), Wormatiae Apr. 2. (ibid. 4853.) [71] Post mortem Cunradi ducis a. 1196, imperatorem Bari moratum esse, ignoramus. Anno vero 1195. Mart. 30. — Apr. 4. ibi moram faciebat; v. Stumpf 4911—4919. [72] Cf. Ann. min. 1197. [73] Altisried parrochia iam cum Frechenried coniuncta, iud. rur. Ottenbeuern. [74] Schongau oppidum. [75] Boos iud. rur. Babenhausen. [76] Stephansried parrochiae Ottenbeuern. [77] Hohenstein castrum dirutum prope Hall ad Kocher. [78] An Wolfsölden parroch. Affalterbach, praefect. Wirtenberg. Marbach?

predicti feudi contulit, ut anniversarium eius et uxoris sue, Gepun nomine, et omnium parentum suorum in vigilia beate Scolastice celebretur. Wolfhardus iunior de Stephinsriet, fratruelis predicti Wolfhardi[a], vita decedens reliquit ecclesie feudum suum, cuius partem, quam idem miles uxori sue delegaverat, predictus abbas 44 libris redemit; et quoniam Wolfhardus[b] senior de feudo predicto plurima obpignoraverat, idem abbas 30 libras dedit ad ipsa redimenda. Noverint ergo omnes hec legentes, quod predicto abbati promittebatur a multis peccunia copiosa, ut predictum predium concederet in beneficium, quia castrum firmum in eo constructum erat, quam ipse pro Deo et fratrum suorum peticione devota recipere recusavit. Laudatum est igitur sibi communi fratrum consilio et consensu, universaliter fide data, ut anniversarius dies obitus sui in ecclesia et in refectorio pleno servicio de eodem predio perpetualiter celebretur.

Hermannus Sender curiam et agros, quos possidebat in Mamingin, contulit monasterio, quia multa inde commoda fuerat consecutus. Rudolfus, qui Scratinbacher dicebatur, 18 marcas dedit monasterio, et domum suam et 8 iugera custodi ecclesie ad habenda inde lumina assignavit, et consilio ipsius Heinricus, qui Monetarius fuit appellatus, se cum filio suo contulit monasterio, datis 40 marcis. Heinricus, qui et Huginhover, 18 marcas dedit et 10 libras pro molendino in Bonnigin, quod uxori sue usque ad terminum vite[c] illius delegavit. Dedit et duas domos et ortum custodi ecclesie, cui de una ipsarum *solvuntur annuatim 10 solidi et 6 denarii, de altera vero 4 solidi. Ipse autem custos *f. 19'. tenetur singulis annis persolvere regi censum, de prima quidem domo 6 denarios[d], de secunda 3 denarios[e] et 1 solidum de predictis agris, et 1 solidum plebano de Sancto Martino de eisdem et de quodam orto 4 denarios[d] Hermanno Mainhunt. Albero, qui et Grifo, dedit domum suam monasterio et unum ortum, que utraque camerarius monasterii possedit; dedit quoque 60 libras monasterio vir predictus. Ulricus qui et Ulmer similiter dedit domum suam monasterio et 60 libras pro usu prebende[f][79].

Hiltebrandus ministerialis Gotfridi marchionis huobam unam in Westerhaim, quam quidam milites auferre monasterio conabantur, de manu predicti abbatis in beneficium suscipiens, ipsam monasterio retinuit et in fine vite sue conversus, monasterio eam reliquit. Idem abbas nemus, quod est iuxta ecclesiam in Attinhusen, quod quidam milites Swincristin dicti de manu eius tenebant, pro 20 libris ab ipsis solvens monasterio requisivit. Idem abbas predium in Kraphilins[80] cum 20 libris monasterio aquisivit a quadam nobili femina filia Kunradi de Achiberc[81], unam videlicet huobam eiusdem predii ab ipsa emens, dimidiam vero huobam, quam ibidem de manu eius in beneficium tenebat, peccunia solvens prenominata. Gilfridus ministerialis ecclesie molendinum in Woulfolswendin et terciam partem huobe, quam pro 16 libris impignorata sibi fuerant, in termino vite sue resignavit, ut in anniversario eius in vino et albo pane congregationi serviatur. Item Heinricus, qui et Hagilstain, per exhortationem predicti abbatis huobam unam in Liedishaim, quam in beneficio tenebat, monasterio resignavit.

Sub eodem abbate Gotfridus advocatus, filius Heinrici marchionis, repentina *infirmitate *f. 20. preventus Auguste[82], disposuit Ottinburrensi[g] monasterio duos mansos in Ursingin 1208. et duas partes nemoris, quod ibidem est, pro salute anime sue et pro dampno, quod intulerat monasterio, donari, et ut[h] anniversarium eius annis inde singulis deinceps celebretur; quam donationem frater eius Bertholdus marchio, qui ei successit in advocatia, benigne complevit. Quam dum per 4 annos strennue tenuisset, cum Ottone prius imperatore, sed tunc excommunicato a domno papa Innocentio, proficisci volens in Saxoniam, iuxta Renum defunctus est[83], et corpus ipsius ad monasterium Ottinburrense[g] delatum, presente comite 1212. Apr. 2. palatino de Tuwingin et copiosa militum multitudine cum tristicia et ingenti luctu in capitulo est sepultum. Sed quia idem marchio excommunicato imperatori communicaverat, nec ante mortem suam meruerat absolvi, pro sepultura eius Ottinburrensis[i] locus sub

---

[a] wolf' *cod.* [b] wolf *cod.* [c] *sequebatur* sue *iam sublineatum cod.* [d] dešar *cod.* [e] d. *cod.* [f] *iam sequuntur tres lineae vacuae cod.* [g] oĩ *cod.* [h] *supra lineam add. ead. manu cod.* [i] oĩ *cod., sequebatur* ecclesia *iam oblitteratum.*

[79] De istarum donationum civium Memmingensium censu cf. adnotationem saec. XIV. ad calcem Chronici infra positam.

[80] Kräpflins locus desertus parr. Böhen, iud. rur. Ottenbeuern.

[81] An Achberg prope Tettnang?

[82] Obiit a. 1208. Ann. min. Diem obitus Mai. 11. praebet Feyerabend II, 278 ex Necrologio.

[83] a. 1211. secundum Ann. min., quem numerum Feyerabend II, 279 recte in 1212. mutavit et diem Apr. 2. addidit.

interdicto est positus a presule Maguntino[84], et abbas officio divino privatus. Sed missis Mogontiam discretis nuntiis, per intercessionem tocius cleri et nobilium Alamannie, bonum testimonium abbati perhibentium, absolutionem impetravit. Vacante itaque advocatia Ottinburrensi[a], Gotfridus comes de Marstetin cepit agere ac petere, ut sibi concederetur, datoque predio suo in Helchinriet[85] monasterio, et multis muneribus promissis, tandem obtinuit quod petebat. Sed quoniam animum habebat inbecillem, et locum defendere[b] nec volebat nec valebat, cum multa[c] mala et dampna plurima per quinque annos ecclesia
1219. pertulisset, idem comes necessitate coactus et dedecore, predictam advocatiam Friderico imperatori pro nongentis marcis vendidit, et ut predium suum in Helchinriet rehaberet;
*f. 20'. annuente his pactionibus *abbate prenominato propter intoleranda mala et incommoda[d], que[e] propter ignaviam eiusdem comitis monasterium sine intermissione paciebatur. Imperator igitur suscepta de manu abbatis advocatia, illustri et glorioso filio suo Heinrico duci Suevie simul ipsam concedi fecit, dans monasterio privilegium, quod subscriptum est. Sed propter temporum et rerum ordinem privilegium, quod avus eius imperator Fridericus eidem ecclesie tempore imperii sui dederat, preponemus:

1171. *In[f] nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus Dei gratia Romanorum imperator — vice Christiani Moguntini archiepiscopi et archicancellarii recognovi*[86].

1220. *In[f] nomine Domini Dei eterni et salvatoris nostri Ihesu Christi. Fridericus secundus — in Germania octavo et in Sicilia 22. feliciter. Amen*[87].

*f. 25. **In*[f] *nomine Ihesu Christi. Heinricus dux Suevorum et rector Burgundie. Per presens scriptum notum esse volumus omnibus, ad quos ipsum pervenerit, quod advocatia Outtinburrensis cenobii redempta a Gotfrido*[g] *comite de Marstetin cum predio ipsius monasterii sito in Helchinriet concessa est in feudum karissimo patri nostro Friderico*[h] *inclito Romanorum et Sicilie regi per manus Conradi, venerabilis abbatis in Outtinburron*[i], *ut ipsum monasterium nostra et inperiali protectione perpetuo gaudeat, sub hoc pacto, ut nullo alienationis modo a nobis vel heredibus nostris distrahatur vel alienetur, et ut liceat ministerialibus et feuda regni vel ducatus Suevie habentibus, et predia sua et feuda dare ecclesie Outtinburrensi; et quod minister noster, si in res seu homines monasterii nequiter aliquid egerit, ad preces domni abbatis deponatur, et equior substituatur. Singulis autem annis de qualibet huoba in ea parte, que Geu dicitur, dabitur nobis modius tritici et modius siliginis et agnus vel 18 denarii, et de qualibet huoba integra sita in parte, que Tan dicitur, malterum dabitur avene et agnus sive 18 nummi. De villa etiam Outtinburron*[i] *dabuntur nobis in collecta sex libre singulis annis. Et ut ea, que dicta et promissa in contractu concessionis ipsius advocatie sunt, firma permaneant, sicut karissimus pater noster domnus Fridericus*[h] *Romanorum et Sicilie rex pariter nobiscum fide data promisit, hanc paginam, in qua eadem conscripta sunt, sigillo nostro fecimus communiri.*

*f. 25'. *In diebus illis defuncto plebano Outtinburrensis ecclesie, venerabilis abbas Cunradus pro dampno, quod in amissione predii in Helchinriet monasterio suo acciderat, omni studio apud episcopum Augustensis ecclesie cepit agere, quatenus privilegium Urbani pape[88], qui prefatam ecclesiam cum omni iure parrochiali[k] ab abbate vel vicario eius procurandam monasterio concesserat, dato super hoc suo privilegio innovaret. Quo impetrato, idem abbas duos fratres idoneos ad domnum papam Honorium, qui Romanam[l] tunc regebat ecclesiam, transmittens, apud ipsum Deo auxiliante obtinuit, auctoritate ipsius ac scriptis predicte donacionis privilegia confirmari. Privilegium autem episcopi et literas ab eo missas apostolico, et confirmationem super hoc ab apostolico apud Urbem Veterem datam subscribimus:

1220. Mai. 30. *In[89] nomine Patris et Filii et Spiritus sancti amen. Sifridus Dei gratia Augustensis*

a) oī *cod.* b) defendendere *cod.* c) *sequebatur* dampna *iam oblitteratum cod.* d) commoda *cod.* e) *correxi;* et *cod.* f) *littera* I *omissa cod.* g) G. *cod.* h) F. *cod.* i) ŏttinb' *cod.* k) *corr. ex* barrochiali *cod.* l) rom̄ *cod.*

---

[84] Sifrido II.

[85] Helchenried parr. Dirlewang, iud. rur. Mindelheim.

[86] Chartam Friderici I. a. 1171. Mai. 7. datam, quae in codice integra continetur, cum archetypon adhuc exstet, omisimus, cf. Stumpf 4124.

[87] Charta Friderici II. a. 1220. Ian. 4. data, quam archetypo superstite omisimus, in codice nostro integra contenta, sed e charta Friderici I. interpolata est. Cf. Böhmer, Reg. imp. n. 318.

[88] III. a. 1185—1187; bulla haec deperdita videtur.

[89] Ex archetypo dedit hanc chartam Feyerabend II, 831, cuius lectionem adnotavimus.

ecclesie episcopus. Debitum pastoralis officii nos prosequi et ad vitam eternam edificare non 1220. *ambigimus, quociens ecclesiis a Deo nobis commissis prospicere*[a] *satagimus, promovendo eas in his que ad honorem earum pertinent sive profectum. Huius itaque rei gratia notum fieri volumus universis tam futuris quam presentibus Christi fidelibus, quod considerata devotione, qua venerabilis in Christo frater noster abbas et conventus Uttinburrensis monasterii semper corruscare et fulgere apud omnes dignoscitur*[b]*, presertim cum idem monasterium hactenus religione, honestate, pariterque*[c] *copia rerum preditum et preclarum, sed nunc propter rapinas et alias laicorum violentias, *quibus insolescunt laici contra clerum, maxime propter extorsiones* *f. 26. *et indebita servicia, que comprehendi nequeunt, advocatorum cooperantibus, precipue quod locus ille nuper miserabiliter crematus fuit incendio casuali, et que semper ibidem exuberabat hospitalitatis affluentia, ad maximas*[d] *redactum penurias*[e] *in eum devenerit*[f] *statum, quod fratres eiusdem loci propter nimiam inopiam mendicare contingeret, nisi ab aliis claustris exhiberentur. Hiis et aliis motivis subnixi rationibus et causis, ad instantem et devotam peticionem predicti abbatis et conventus, de consilio et consensu dominorum nostrorum, maioris capituli Augustensis, ad meliorationem prebendarum et aucmentum divini cultus et obsequii, memoratis dominis et successoribus eorum in perpetuum utramque administrationem, temporalem et spiritualem, parrochialis ecclesie Uttinburrensis*[g]*, nunc vacantis et attinentis eis ratione iuris patronatus, salvo per omnia iure diocesani et archidiaconi loci, auctoritate pontificali liberaliter damus et concedimus, ita ut usumfructum*[h] *ipsius ecclesie percipiant ad communes usus et ibidem ordinent secundum generalem consuetudinem tocius episcopatus nostri vicarium, presbiterum scilicet secularem idoneum moribus et literatura, qui sciat et valeat plebem regere sibi commissam, assignaturi*[i] *sibi talem de proventibus ecclesie portionem, per quam honeste possit producere vitam, sicut ipsi rationem in districto examine proinde*[k] *sunt reddituri. Ut autem ista donatio sive concessio in sua debeat consistere firmitate, presentem paginam eis indulgemus, *roboratam sigilli nostri testimonio et auctoritate*[l]. *f. 26'.

Acta sunt hec anno dominice incarnacionis[m] 1220. 3. *Kal. Iunii, presidente sanctissimo papa Honorio, regnante gloriosissimo rege Romanorum semper augusto Friderico*[n]*, anno regni eius* 8, *coram dilectis nobis dominis Rappotone maiore preposito, Heinrico*[o] *decano, Heinrico*[o] *de Mœinchingen*[p] *arcidiacono, Hermanno de Wartolfesteten, preposito de Fiuthwanc*[q]*, Wortwino de Fiuthwanc*[q]*, Ulrico Fusario canonico Augustensi, Heinrico*[o] *abbate, Hermanno priore, Albertho preposito, Alberto custode Sancti Udalrici in Augusta, Ruodolfo preposito, Bertholdo camerario, Heinrico*[o] *presbitero, monachis de Uttinburron*[r]*, Hermanno notario nostro, Cunrado diacono, magistro scolarum, Bertholdo capellano*[s] *nostro, Cunrado*[t] *dicto Sibilin*[u]*, Cunrado*[t] *dicto Arnis, Ruodolfo, Degenhardo, laicis de Uttinburron*[v]*, et aliis quam pluribus tam clericis quam laicis, testibus ad hoc vocatis.*

Litere episcopi sancte Augustensis ecclesie ad Honorium summum pontificem:

Sanctissimo patri ac domino Honorio, sacrosancte Romane ecclesie summo pontifici, Sifridus[w] *divina miseratione Augustensis ecclesie episcopus humilis devotum obsequium cum obedientia et orationibus. Noverit sanctitatis vestre incomprehensibilis celsitudo, quod vacante parrochiali ecclesia de Uttinburron*[x] *nostre diocesis, accesserunt ad nos abbas et fratres conventus Uttinburrensis monasterii et, propositis coram nobis dolenter inopia et ceteris miseriis multis loco suo inminentibus variis ex casibus et causis, dum ex rapina et aliis iniuriis sibi a malefactoribus contra ius illatis, dum et ex coactis et extortis serviciis advocatis suis *incessanter* *f. 27. *exhibitis, presertim ex miserabili et casuali, quo nuper enormiter lesi sunt, incendio, et ex frequenti, que semper ibi floruit, hospitalitatis observantia, sic quod fratres ipsi ibi iam non habentes alimoniam oporteat ad alia transire monasteria, — devote et humiliter petiverunt a nobis, quatenus propter Deum et orationes suas, pensatis his et aliis, quas difficile esset enarrare, calamitatibus suis, ad reformandum priorem statum monasterii sui, ipsis dispensative et liberaliter dictam ecclesiam, in qua ipsi ius habent patronatus, tenendam in perpetuum in suis reditibus ad usus communes*[y]. *Nos igitur moti spiritu super desolatione loci semper hactenus religione et ceteris virtutibus cum rerum sufficientia admodum reflorentis, predictis quoque et*

---

a) prosicere *cod.* b) corruscare — dignoscitur *in rasura alia ut videtur manu coaeva cod.; Feyerabend secundum archetypon sic:* semper nobis et ecclesie nostre subditi et obnoxii tenebantur. c) que *deest F.* d) mamimam *F.* e) penuriam *F.* f) devenit *F.* g) Uttenburrin *F.* h) ususfructus *F.* i) asignaturi *cod.* k) perinde *F.* l) *littera* u *supra lineam add. cod.* m) dñi *add. cod. et F.* n) Frederico *F.* o) Hainrico *F.* p) Mändichingen *F.* q) Fuchtewanc *F.* r) vttinb' *cod.*; Uttenburen *F.* s) capellario *cod. F.* t) Cuonrado *F.* u) Sibelin *F.* v) vttinb' *cod.*; Uttenburrun *F.* w) S. *cod.* x) vttinb' *cod.* y) *supplendum* concederemus.

aliis nisi rationibus et causis, de consilio et consensu fratrum nostrorum capituli Augustensis, ipsam ecclesiam in perpetuum ad communes usus tenendam, salvo iure diocesani et arcidiaconi loci, prefatis fratribus et eorum successoribus, ita quod in ea habeant administrationem spiritualium et temporalium, quemadmodum expresse continetur in privilegio nuper[a*] *a nobis edito, auctoritate pontificali dispensantes liberaliter concessimus, sanctitati vestre supplicantes humiliter et devote, quatenus propter Deum et orationes nostras in subsidium et reformationem loci tam miserabiliter desolati factum nostrum apostolico munimine dignemini confirmare.*

*f. 27'. 1220. Iul. 17. **Honorius*[a][90] *episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui monasterii beatorum martirum Alexandri et Theodori de Uttinburron salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod iustum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id pro sollicitudine*[b] *officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis precibus inclinati, ecclesiam sancti Petri de Uttinburron, quam venerabilis frater noster Augustensis episcopus, diocesanus vester, de capituli sui assensu, monasterio vestro contulit, intuitu pietatis, sicut eam iuste ac pacifice possidetis et in eiusdem episcopi litteris exinde confectis plenius continetur, vobis et per vos ipsi monasterio auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.*

Datum[c] *apud Urbem Veterem* 16. *Kal. Augusti, pontificatus nostri anno quarto.*

1220. Iul. 8. *f. 28. *Honorius*[a] *episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui monasterii de Uttinburron, ordinis sancti Benedicti, salutem et *apostolicam benedictionem. Sacrosancta Romana ecclesia devotos et humiles filios ex assuete pietatis officio propensius diligere consuevit et, ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tamquam pia mater sue protectionis munimine confovere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et monasterium, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, que inpresentiarum racionabiliter possidet aut in futurum iustis modis prestante Domino poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem in Uttinburron et Behain ecclesias et ius patronatus, quod in ecclesia de Sunthain proponitis vos habere, sicut ea omnia iuste ac pacifice obtinetis, vobis et per vos eidem monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Districtius insuper inhibemus, ne tu, fili abbas, sine omnium vel maioris et sanioris partis fratrum tuorum assensu eiusdem monasterii possessiones alienare presumas. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre protectionis, confirmationis et inhibitionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.*

Datum[c] *apud Urbem Veterem* 8. *Idus Iulii, pontificatus nostri anno quarto.*

*f. 28'. **In*[d] *nomine sancte Trinitatis. Cunradus Dei gratia Otinburrensis abbas. Notum esse volumus cunctis ista legentibus, quod, advocatis Otinburrensis ecclesie de Rumsperc defunctis, cum Gotfridus comes de Marstetin factus esset advocatus et propter pusillanimitatem suam defendere non posset monasterium, inter ceteras infestaciones et molestias temporibus illis eidem ecclesie illatas, quidam miles Albero nomine Flusson*[91] *multos ecclesie nostre homines in Sunthaim habitantes, Heinricum videlicet qui Satillin dicitur, cum omni eius parentela sibi usurpavit. Sed a prefectis imperatoris Friderici*[92] *iunioris et filii eius Heinrici regis, qui Gotfrido in advocacia Otinburrensi successit, violencia supradicti militis et aliorum repulsa est et predicta multitudo Otinburrensi ecclesie*[e] *iusto iudicio requisita, nostrum ius in eisdem hominibus ipsorum genealogia conprobante.*

Sub predicto et benedicto abbate Cunrado custos altaris sancti Alexandri, Swigerus nomine, de donacionibus bonorum hominum dimidiam hubam in Bezilinsriet[93], que multis annis cuidam militi Heinrico nomine de Bogilins[94] fuerat obligata, per decem libras Campidonensis monete solvens, ex unanimi et devoto consensu abbatis et cunctorum fratrum inpetravit, ut festum sancte Trinitatis deinceps in monasterio Otinburrensi in summis, sicut pasca et pentecoste, per omnia debeat in perpetuum celebrari. Item idem custos aliam curiam in Habiwangin diu obligatam cum decem libris predicte monete solvit, ut inde octava assumptionis beate Virginis in albis et per omnia sicut festa apostolorum celebretur perpetuo cultu et honore. Item idem custos sex vestes preciosas emit de sameto rubeo, scilicet casulam unam et dalmaticam et subtile et tres cappas. Item de ciclade auro texta[a] casulam unam et dalmaticam emit, et subtile novum[a] de eadem materia solvit in opido Mammigin, quod pro 36 solidis fuit obligatum. Item idem custos fecit parari thuribulum argenteum pondo 4 marcarum, et librum regum, qui in incendio monasterii cum multis aliis exustus fuerat, rescribi fecit, dato scriptori precio competenti. Item idem custos devota peticione sua egit, quod quidam Rudolfus miles de Bozano[1] duas kappas purpureas dedit monasterio Otinburrensi.

[a*] super *cod.* [a] *littera* H *leviter a scriba rubricatori praescripta est cod.* [b] per sollicitudinem *F.* [c] daī *cod.* [d] *incipit alia manus saec. XIII.* [e] *sequitur rasura sex litterarum cod.*

[90] Ex archetypo dedit hanc chartam Feyerabend II, 833.

[91] Flüssen viculus parr. Tafertshofen, iud. rur. Roggenburg.

[92] Titulus imperatoris demonstrat, hanc chartam datam esse post Nov. 22. anni 1220.

[93] Bezisried viculus parr. Ottenbeuern.

[94] Böglins locus vastus eiusd. parr.

*Presidente adhuc pio abbate Cunrado, ex occulto Dei iudicio, sed non iniusto, locus *f. 29. Otinburrensis cum villa sibi adiacente pene totus per incendium casuale est devastatus[2], 1217. sed per germanum predicti custodis, Rudolfum nomine, qui in illo tempore prepositus erat monasterii, in muris, in edificiis et in campanis constanter est et strenue restauratus.

Post felicem decessum[3] memorati et semper memorandi abbatis Cunradi, qui per 30 1227. et 6 annos monasterium Otinburrense rexit[b], qui fuit humilis, castus, benignus, hospitalis, in elemosinis largus, in servicio Christi strennuus, in doctrina preclarus et in oracionibus[b] assiduis devotus[c], tunc successit ei in prelatura domnus Bertholdus, iuvenis etate, sed disciplina et morum probitate ac omnibus virtutibus precellens et grandevus, qui camerarius erat monasterii in eodem tempore et ipsum officium prudenter et optime disposuerat. Qui cum unanimi consensu fratrum ac ministerialium esset electus, pudicum[d] corpus pii predecessoris sui ante aram sanctorum Iohannis et Mathie apostolorum in aquilonari parte monasterii honorifice sepelivit, presente cleri ac populi copiosa multitudine. Tandem idem electus ad curiam Ulme celebrandam[4] proficiscens, cum a rege Heinrico filio domni Friderici inperatoris iunioris per regalia sublimatus esset, et ab episcopo Eistetensi[e] Heinrico in oppido Gisilin[5] per consecracionem confirmatus, — episcopus quippe Augustensis cruce signatus peregre profectus erat[6] — ipse[d] abbas ad monasterium suum reversus et honorifice, ut dignum erat, susceptus, cepit res monasterii sapienter disponere, incorrecta corrigere, bene ordinata stabilire et plurima predia solvere, que pro diversis necessitatibus ante ipsum fuerant vice pignorum obligata. Nunc temporibus eius gesta per ordinem narrando prosequamur.

Defuncto Alberone de Flusson, de quo supra fecimus mencionem, tres filii eius, Bertoldus, Rudolfus et Eberhardus, predictum Heinricum, qui et Satillin, in dominium suum reducere conabantur, sed venerandus abbas Bertoldus datis eis 25 libris Ulmensis monete ab ipsa inpeticione penitus ipsos removit, pro cuius facti certitudine Heinricus miles de Sconegge[7] factus est testis et fideiussor pro 40 libris Ulmensis monete[f].

Gebehardus miles de Starkinberc[8], qui diu et sepe monasterium Otinburrense pro una curte in Kortis molestaverat, dicens eam hereditario *iure ad se pertinere, cum *f. 29'. quodam tempore ad idem monasterium venisset sub domno Cunrado abbate, susceptis ab eo 12 marcis querimoniam ipsam remisit, promittens swaigam unam in loco qui Cirtis dicitur monasterio tradere et eam de manu abbatis in feudum recipere. Que promissio sub domno abbate Bertoldo pervenit ad effectum. Item Hermannus miles de Wale, qui habebat de manu abbatis Otinburrensis feudum in Urberc et in Rotinbach et in Kienberc cum signatus cruce, relicto domi parvo filio, mare transfretasset et illic feliciter migrasset ad Dominum, uxor eius Otinburrensi monasterio contulit 10 marcas et curtem unam in

---

a) *supra lineam add. cod.* b) rexit — oracionibus *in rasura cod.* c) assiduis devotus *marginem superexcedunt cod.* d) *in rasura cod.* e) eistensi *cod.* f) *sequitur rasura tertiae partis lineae cod.*

1) Bozen civitas Tirolis. 2) Cf. Ann. min. 1217. 3) Quem a. 1228. ponunt Ann. min. Annum vero 1227. esse, v. infra. Unde Feyerabend II, 358 sciat, Cunradum Iul. 28. sepultum esse, ignoramus. Si hoc rectum, a. 1226. iam obierit oportet. 4) Heinricus rex a. 1227. Ulmae morabatur Febr. 15. et Mai. 6, v. Böhmer, Reg. imp. 127. 148. 5) Geislingen. 6) Sifridus III. episcopus Augustensis in peregrinatione Friderici imperatoris a. 1227. Aug. 23. Brundusii obiit secundum Necrol. Ottenbur. 7) Ober-Schöneck parr. Dietershofen, iud. rur. Babenhausen. 8) Starkenberg castrum dirutum inter Nassereit et Imst.

Moringishusin[9] et de integra huoba tres partes in Lenginvelt[10] sub tali pacto, ut sibi et filio eisdem prediis feudi iure concessis, domno Bertoldo militi de Taninberc[11] predictum feudum Hermanni[a] de Wale preter advocaciam ecclesie in Rotinbach ab abbate Bertoldo concederetur, ut ipsa cum filio suo de manu eiusdem militis idem feudum reciperet et teneret. Item sub eodem abbate Bertoldo[b] quidam Hermannus de Mammingin iuxta fontem et uxor eius[c] et fratres eius predium, quod habebant in eodem oppido, Otinburrensi monasterio contulerunt et in censum unius denarii de manu domni abbatis receperunt[d].

*f. 30. *Item[e] in tempore venerandi abbatis Bertoldi quidam miles de Sunumultingint[12], Rudolfus nomine, veniens ad monasterium Utinburrense[f] rogavit devote, ut filius eius, qui adhuc parvus erat, in monasterium susciperetur, conferens monasterio tres mansos in Stainhaim iuxta Mammingin[g] et multos[h] homines ad idem predium pertinentes, ita tamen ut sibi et uxori sue ac filiis suis ipsum predium et predicti homines in beneficium concederentur. Que omnia facta sunt coram multis testibus, scilicet domno Dietrico de Muhinberc, domno Dietrico de Rot[i], Heinrico qui et Arnis, et ministro civitatis qui Wiser[k] dicitur, cum aliis civibus eiusdem loci.

Item agente eodem domno abbate[l] duo honesti milites de Gozhershuhin, Reinhardus et Ulricus, contulerunt monasterio Uotinburrensi[m] unum mansum in Eppinguin[13] et cum alio feudo, quod habebant prius ab abbate, eundem mansum in beneficium receperunt ad melioracionem[n] feudi sui, quod ante receperant[o] ab eodem domno abbate, dato eis insuper a domno abbate bono palefrido. Item Bernoldus miles de Riedin offerens filium suum Deo in monasterium, contulit monasterio mansum unum in Weriswiler[14], et in Bibera[15] medium, in Crumbach[16] unum, in Rotinbach quartam partem mansi[p], in Rutin unum.

In tempore predicti abbatis, cum vellet cognatus eius, domnus Heinricus decanus de Blezzin[17], pro diversis negociis ad curiam Romanam proficisci, rogante predicto abbate inpetravit monasterio in Utinburron[q] a domno papa Gregorio secundam confirmacionem super ecclesiam parrochialem in Utinburron, que prius fuerat a domno papa Honorio similiter impetrata interventu domni Sifridi episcopi felicis memorie ac tocius Augustensis chori assensu.

*f. 30'. 1233. Apr. 15. **Gregorius*[r] *episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui monasterii de Utenbiurren, ordinis sancti Benedicti, salutem et apostolicam benedictionem. Iustis petentium desideriis dignum est nos facilem prebere consensum, et vota, que a rationis tramite non discordant, effectu prosequente conplere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et monasterium, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, que inpresentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum prestante Domino iustis modis poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem ecclesiam de Utenbiurron, quam de concessione venerabilis fratris nostri Augustensis*[s] *episcopi, capituli sui accedente consensu, prout pertinebat ad eum, canonice vos proponitis adeptos, sicut eam iuste ac pacifice possidetis, vobis et per vos eidem monasterio auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre protectionis et confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.*

Datum[t] *Lateranis* 17. *Kal. Mai., pontificatus nostri anno septimo*[u].

*f. 31. *Item[v] in tempore sepe et digne memorandi Bertholdi abbatis nostri quidam civis Uotenburrensis, Heinricus cognomento Vogellinus, predium quoddam, dimidium videlicet

---

a) H. *cod.* b) b' *cod.* c) et uxor eius *supra lineam add. cod.* d) *sequitur in cod. adnotatio de feudis Conradi Bauwars, quam infra damus.* e) Iit' *cod.; pergit manus saec. XIII. priori simillima cod.* f) utinbr' *cod.* g) māngin *cod.* h) *corr. ex* murtos *cod* i) de Rot *in rasura cod.* k) wiser̄ *cod.* l) abate *cod.* m) ůtinbr' *cod.* n) *litterae* ra *supra lin. add. cod.* o) repant *cod.* p) mams̄ *cod.* q) vtinbrō *cod.* r) *alia manus saec. XIII. seu eadem chartae instar cod.* s) augustenssis *cod.; sequebatur* ecclesie *iam oblitteratum.* t) dat̄ *cod.* u) *septem lineae et dimidia in extremo f.* 30' *vacuae cod.* v) *rursus alia manus saec. XIII. cod.*

9) Morenhausen parr. Ebershausen, iud. rur. Babenhausen. 10) Lengenfeld iud. rur. Buchloe. 11) Tannenberg iud. rur. Schongau. 12) Ober- et Unter-Sulmetingen praef. Wirtenberg. Biberach. 13) Videtur esse Eppingen in magno ducatu Badensi. 14) Erisweiler locus desertus parr. Neuburg ad Kammel, iud. rur. Krumbach. 15) Biberach iud. rur. Roggenburg. 16) Krumbach. 17) Pless iud. rur. Babenhausen.

mansum in villa Sunthein, a quodam milite H. nomine, cognomento Milerdeme[a] de Mindelhein conparavit pro 16 libris Augustensium[b], pacto tali, ut prefatus miles H. qui proprius fuit Swigeri[c] et S. de Mindelberc[18] nobilium, iam dicto predio in manus eorum assignato, cum absque donatione ipsorum proprii militis nulla esset donatio, ipsi nobiles domnus Swigerus et filius eius S. de Mindelberc beato Alexandro manu sua contraderent, quod et factum est in presentia quam plurium nobilium. Prenominatus etiam civis noster Heinricus[d] Vogellinus ipsum predium suscepit a manu venerabilis Bertholdi[e] abbatis nostri pro beneficio censuali, et uxori sue cum omnibus eorum infantibus et eorum heredibus, et in agnitionem et testimonii memoriam annuatim persolvent cellerario in die Martini 6 denarios. Huius facti totalis testes, qui affuerunt, sunt hii: omnis conventus ecclesie Uotenburrensis, Swigerus[c] et S. nobiles de Mindelberc, Th. de Muoienberc, H. marscalcus de Wægegge, Marquart de Haselberc, H. et B. milites dicti Coloni, H. minister de Mæmingen, et alii quam plures. Acta sunt hec anno gratie 1235, indictione 8. 1235.

Item[f] idem Heinricus civis noster a quodam Berhtoldo Shuehilino, qui monasterio nostro iure proprietatis attinet, duo iugera comparavit in Ruodungisriet[19] sita, eo tenore videlicet, quod predictus Berhtoldus cum eisdem iugeribus esset ab ecclesia nostra feodatus. Ipsorum ius feodi in manus domni abbatis Berhtoldi sine omni tergiversatione resignavit, et prenominatus Heinricus[d] burgensis noster iure ac nomine feodali dicta iugera suscepit, nulla prorsus obstante calumpnia, cum heredibus suis perpetuo possidenda. Simili tenore a quodam Hermanno de Suntheim milite in prefato pago comparavit quinque iugera, et item a domno predicto abbate iure feodi suscepit sine omni difficultate cum heredibus suis iugiter habenda, excepto quod annuatim in festo sancti Martini de utroque allodio duos denarios censuales persolvent.

---

*Noverint omnes presens scriptum inspicientes[g], quod domnus Hartmannus de Liubinouwe has possessiones habet in pacto a Cuonrado Bauwars, quas idem Cuonradus ab ecclesia Outtinburrensi habet in feudum, tali inter ipsos pacto interiuncto, ut iam dicto Hartmanno[h] premortuo feoda redeant ad predictum Cunradum; vice versa prefatus Hartmannus[h] in pacto reddidit Bauwars curiam in Alrichsrain, quam habet in feodo ab eadem ecclesia, domno abbate ab eodem Bauwars 10 marcis accepturo. Sunt autem he possessiones infeodate Cuonrado in Bozze et in Bonningen quidquid habet et dimidiam huobam Gozhalmeshovin et quartam partem huobe in Ruodungesriet. *f. 29'.

*Ista sunt feoda que C. nobibis de Loubun[20] habet in feodo de Outtinburron[i]. In Gunze ecclesiam et duas curias, que pertinent in cameram Uottinburrensem, et illam que dicitur ehaftin per totam villam et piscinam. Habet etiam in feodo curiam in Westerhain. Quidquid habent milites de Attenhusin in Egge, illa bona habet C. de Loubun de Outtinburron[i]. Quidquid habent predicti milites de Attenhusin in Wisinpach[21], de C. de Loubun habent et de Outtinburron[i]. Quidquid habet miles qui dicitur Wezelo de Engishusin[k] in Engishusin, de C. de Loubun habet et idem C. de Outtinburron[i]. Quidquid habet R. de Engishusin de Scuonneggensi in Engishusin, illa bona habet C. nobilis de Loubun de Outtinburron. Item C. de Loubun habet in feodo decimam in Kemenatum[22] et decimam in Nahtrammeshoven et decimam in Richiltberge[23] de Outtinburron. Item habet in feodo curiam que dicitur Putanz, quam habet pincerna de Rumisperc de Outinburron. Item habet in feodo de Outtinburron duas curias, quas habent de Attenhusin milites in villa Attenhusin, et curiam in Berge[24]. Item C. de Loubun habet quartale in Attenhusin, quod habet quidam *f. 31'.

---

a) milerd'me *cod.* b) aug̃ *cod.* c) S. *cod.* d) H. *cod.* e) B. *cod.* f) *pergit alia manus saec. XIII.* g) *supplevi.* h) H. *cod.* i) ŏttinb' *cod. similia semper.* k) enginshusin *cod.*

18) Mindelberg castrum dirutum ad Mindel flumen, infra Mindelheim, parrochiae Westernach. 19) Secundum Feyerabend I, 418 et II, 395 Rudungsried ab abbate Rudungo nomen adeptum, nunc est viculus Knaus, parr. Erkheim, inter Schlegelsberg et Sontheim in silva situs. 20) Lauben ad Günz, iud. rur. Ottenbeuern. 21) Wesbach viculus parr. Egg ad Günz, iud. rur. Ottenbeuern. 22) Kemnat prope Kaufbeuern. 23) Reichelsberg viculus prope Kempten. 24) Memminger Berg prope Memmingen.

dictus Knobelrinc de Ottinburron. Item C. de Loubun habet curiam in Ouzlinsperc[25], quam habet miles Bumannus. Item C. de Loubun habet curiam, quam habent milites, qui dicuntur Zange, et R. de Eggintal in villa Egintal. Item habet in feodo filios coci de Rumershusin[26] de Outtinburron. Item habet in feodo medium mansum in Engishusin et advocatiam in Engishusin. In Hainbrehsriet duas curias, Hainrici de Scherme unam, Hainrici de Molendino unam.

*f. 1. *Hi sunt redditus caseorum et vini apud montana. Curia Wolfhounnun solvit 300 caseos; Hainbach sexcentos caseos solvit; Erbinlounun 200 caseos solvit; Nidertage sexcentos caseos solvit; altera curia similiter sexcentos; Riedrun 14 solidos Augustensium[a] solvit; Sliershowe due curie, quarum utraque solvit unam saumam vini et unum vrischink; tercia curia ibidem unam saumam vini; superior curia Silze unam saumam vini; curia ante cimiterium unam saumam vini et duos vrischinge; zem Giezen unam saumam vini et 8 denarios[b] Augustensium; Zegehage utraque curia trecentos caseos solvit.

In[c] Altingen trans Alpes[27] Risershof solvit medietatem bonorum; der Ouninger solvit de quadam domo 18 denarios[b] et duos pullos; molendinum 15 solidos[d] Tuwingensium; Mangoldus de quaquam domo 5 solidos[d] Hallensium; soror Risarii 18 denarios[b] Hallensium et 2 pullos[e]; de Gahai[28] Schover 18 denarios[b]; domnus Gozzoldus 5 solidos Tuwingensium de quodam bono in Raistingen[29], quod possidet pro iure personali; Braintinholz[30] solvit 14 m̊. ve.[f]

De[g] agris Kastiner dantur regi 8 denarii; de domo Ulrici 6 denarii; de agris Sendari 30 et 8 denarii; Schogin 2 denarii; de prato iuxta Berge Heinrico militi de Ringinberc[31] 1 denarius; de orto iuxta curiam nostram Bertoldo an der Egge 6 denarii; de orto Ulrici Lanzinun 1 denarius; de agris Hugginhoverin militibus de Bozze 6 denarii; de domo Rufi 6 denarii eisdem; de domo Kastiner eisdem 17 denarii. Census custodis: de domo Hugginhover 6 denarii regi; de domo Kanzins 3 denarii; de quibusdam agris Sratinbachers regi 1 solidus; de quibusdam agris predicti viri plebano de Sancto Martino 1 solidus; de orto quodam Mainhund 4 denarii; de orto Kanzingi uxor quondam Hermanni Sendarii dare debet Lanzinun 1 denarium.

---

a) so. Ag^{9} *cod.* b) d' *cod.* c) *pergit alia manus saec. XIII.* d) s. *cod.* e) et ii pullos *supra lin. add. cod.* f) monete veteris *solvendum duxit Steichele.* g) *sequentia damus ad fidem viri rev. Steichele p.* 67.

25) Videtur esse Etzlensberg viculus parr. Bernbach, iud. rur. Oberdorf. 26) Rumelzhausen parr. Günz, iud. rur. Ottenbeuern. 27) *die Schwäbische Alb.* 28) Kayh praefect. Wirtenberg. Herrenberg. 29) Reusten eiusd. praef. 30) Breitenholz eiusd. praef. 31) Videtur esse Ringenberg viculus parr. Gestraz, iud. rur. Weiler.

CHRONICA
ALBRICI MONACHI TRIUM FONTIUM,
A MONACHO
NOVI MONASTERII HOIENSIS
INTERPOLATA.

EDIDIT PAULUS SCHEFFER-BOICHORST.

Vastam quam volvimus molem, qualis nunc est, non unus idemque congessit. Operi insunt quae auctorem Francogallum, Campaniensem, Cathalaunensem, monachum Cisterciensis ordinis et Trium Fontium[1] *quidem monasterii indicant. Alia vero monacho Novi Monasterii Hoiensis*[2]*, in pago Leodiensi siti et sancti Augustini regulae obsecuti, attribuenda esse ipsius scriptoris verba plane docent. Huiusce pars chronici minor eaque superaddita est, illius maior atque genuina. Quae sententia, quum iis, quae hucusque de re nostra disputata sunt*[3]*, prorsus repugnet, — nam opus integrum viri docti Hoiensi ascripserunt, — fieri non potest, quin argumentatione uberiore probetur.*

Duo certe sunt loci, quos non a Germano, sed a Francogallo scriptos esse concedes[4]*. Notissimis illis constitutionibus, quas anno* 1234. *Henricus (VII.) rex et principes Germaniae promulgaverunt, auctor sibi adiiciendum esse putavit:* Nota lector, quod in Alemannia omnes archiepiscopi et episcopi et quidam excellentiores nigri abbates et omnes duces et quidam marchiones et lantgravius Thoringie et palatinus comes de Reno, — omnes isti vocantur principes. *Quod ad lectorem monitum, si Germanus pro Germanis scripsisset, optimo iure valde*

---

[1] Trois-Fontaines, départ. Marne, arrond. Vitry-le-François.

[2] Huy.

[3] Cf. Wilmans Über die Chronik Alberich's in annalibus nostris X, 174—246. Cui doctae ceterum dilucidaeque dissertationi equidem minime consentire possum; et de auctore et de auctoris tempore vir cl. vehementer errasse mihi videtur.

[4] Ubi auctor de bellis contra Albingenses gestis, de expeditione anno 1212. in Sarracenos Hispanicos facta, de urbibus Damietta anno 1219. et Corduba anno 1236. expugnatis, de crucesignatis anno 1239. in terram sanctam profectis retulit, persaepe milites nuncupat *nostros*. Qui quum omnes, quotcunque nominibus appellantur, ulla sine exceptione Francogalli fuerint, mihi haud dubium est, quin auctor eos *nostros* nuncupans, populares suos nuncupare voluerit. Prae ceteris verbum *noster* in iis, quae de expeditione Hispanica anno 1212. facta narrantur, mihi notabile esse videtur; hic enim milites tum *Franci* tum *nostri* audiunt. Quia vero alius quis existimet, auctorem vocabulo *noster* usum esse, non quo pugnantes eiusdem patriae sed eiusdem fidei fuisse diceret, eum igitur catholicos paganis vel haereticis opposuisse, e verbo illo nihil certi consequi volui, quamquam meo iudicio milites, eo quod scriptoris populares fuerint, *nostri* vocantur. Nec locum illum, quo auctor Guidonem Cathalaunensem cantorem his verbis introduxit: (a. 802.) *Guido autem noster se liberat omni questione et ita prosequitur* etc., sententiae meae argumentum profero. Sed monere mihi liceat, excepto hoc Guidone Cathalaunensi, nullum rerum scriptorem in toto opere *nostrum* vocitari.

superfluum diceres. Inter nostrates enim nullus tam indoctus erat lector, qui omnes archiepiscopos necnon, paucis exceptis, omnes episcopos et quosdam excellentiores abbates ordinis Benedictini, dein duces, marchiones, comitem palatinum Rheni principes esse nesciret. Quare haec explicatio, quam multi apud Germanos principes vocarentur, mihi haud dubium, quin lectoribus facta sit, quorum in patria principum numerus multo minor erat, inprimis nullus abbas, pauci tantum episcopi, omnes ne archiepiscopi quidem, principum honore fungebantur[5]. *Haec eadem causa in Francogallia fuit*[6]. *Alterum argumentum annus* 1239. *praebet*[7]. *Ubi auctor relationi, quanta laetitia corona Domini spinea infra octavas assumptionis Luteliae recepta esset, haec addidit:* — et dictum est in pleno sermone, quod post omnia illa privilegia, quibus regnum Francie a Domino Iesu Christi hucusque decoratur et sublimatur, novissime tantum talemque thesaurum ipse pius Dominus habere concessit. *Quae verba, sane alterius, quum noster referret, eum ipsum summa erga Deum gratia commotum fuisse, quis est qui neget?*[8] *Germanus quidam, etiamsi orationem Lutetiae habitam audiisset, certo haec de antiquis Franciae privilegiis novoque thesauro non retulisset*[9].

Ut auctorem nostrum in Campania vixisse doceam, unum iam hoc argumentum mihi paene sufficere videtur: Abundantissima laude, qua Guido Catha-

---

5) Sicut in hac regis Germaniae lege persaepe verbum *princeps* occurrit, ita in diplomate quodam regis Franciae, quod sub anno 1232. invenies, verbum *barones*. Qui vero in Francia barones sint, noster non declarat. Sane tam superfluum habet, popularibus suis dici, quinam in Francia barones sint, quam necessarium, qui a Germanis principes appellentur.

6) Vox *princeps* ea notione, quam apud nostrates habebat, Francogallis prorsus ignota erat. Principibus nostris Francogallorum *pares* respondebant, quos ineunte saeculo XIII. duodecim fuisse constat.

7) Ab Hoiensi quodam etiam quae sequuntur scripta non sunt: 1064. *Galeranus vero per uxorem suam cepit habere dominium ultra Mosam prope Leodium et inchoavit edificare castrum Lemborch.* Hoiensi dicendum fuisset: *cis Mosam.* Nec facile credas, ab Hoiensi situm oppidi Traiecti, monasterio suo proximi, hoc modo descriptum esse: 1233. *Est villa quedam que dicitur Maestrecht inter Brabantiam et Coloniam.* An Hoiensis, immo Germanus, qui imperatorem Fridericum sub anno 1235. *imperatorem Alemannie* vocavit? qui a Guidone Cathalaunensi cantore totidem verbis transtulit: ad annum 878. hanc contumeliam in Germanos iactam: *Karolus regno Germanie presidens barbarice gentis irruptione subegit Ytaliam,* ad annos 814. et 838. has laudes Francogallis patriaeve eorum tributas: *O quanta precipue lamenta Francorum, quorum genus opibus, sed plus operibus, non moribus curiosis, sed curialibus, non auro sed ferro gentibus ceteris anteferri dulcemque Franciam moderamine regiminis sui meruerat appellare! — Karolus portionem optinuerat potiorem multimodis nature commodis, videlicet salubris aëris, ameni situs et uberis glebe, morum ornatus et exercitii prestantioris armorum, cultioris habitus et eloquentie dulcioris.* Auctorem populi nostri, quum alibi eundem Guidonem ob inanium turbam verborum vituperasset, hic ei ne verbo quidem repugnasse certe nemo est, qui credat. Sane eodem loco non solum Guido, verum omnes Francogalli reprehendi videntur; immo vir cl. Böhmer Reg imp. 1198—1254. p. LXVIII. censuit: *auch spricht der verfasser zum iahre* 842 *verächtlich von den Franzosen.* Sed auctoris verba perpendens: *Guido more suo Gallicano cothurno incedit,* eum Francogallos in contemptum et invidiam vocasse minime concedes. Quod si Germanus quidam efficere voluisset, vix sibi satis habuisset, Ottonem Frisingensem, cuius simpliciorem relationem praefert magnificae Guidonis, his tantum verbis laudare: *semper maturius incedit,* sed gloriando morem Germanicum mori Gallico opposuisset. Iam nihil aliud auctor fecit atque Guil. Malmesb. §. 31, de Anglis suis dicens: *Angli pompatice dictare solent.* Ut vero Francogallos loco allegato unam ob labem despexerit, — nonne idem Böhmerus p. V. n. * animadvertit, quanta obiurgatione Burchardus Urspergensis Alemannos affecerit, Burchardus, inquam, quippe quem vir cl. ipse Alemannum habuerit et optimo quidem iure habuerit?

8) Quod fabula quaedam *a cantoribus Gallicis pulcherrime contexta, que ad risum moveat audientes vel etiam ad lacrimas,* sub anno 770. quam accuratissime perscribitur, hoc in argumentum sumere supersedeo. Neque illo loco nitor, quo civitas quaedam Graeciae (1233.) *gallice Azispigalz appellatur.* Auctorem enim eo, quod perbene Gallice sciverit, nondum Gallicum effici iure mihi obiicias. Eadem vero de causa concedes, hasce e lingua Germanica versiones: *Wirceburg que Herbipolis dicitur* (751.) — *apud Herbipolim civitatem, que Wesceburch dicitur* (1231.) — *Lilienfeld id est campus Liliorum* (1230.), nostrum minime probare Germanum.

9) K. Bartsch in libro Über Karlmeinet p. 3, quum Albricum uno carmine Germanico usum esse sibi persuasum haberet, omnia quae auctor designare videtur lingua Germanica confecta esse censuit. Qui argumentationis modus quam perversus sit, facile intelligitur; loci supra allegati: *a cantoribus Gallicis* etc. vir doctus rationem non habuit; sed ne unum quidem carmen illud Germanus erat qui condidit. Cf. G. Paris Hist. poétique de Charlemagne p. 315 seqq.

launensis cantor Henricum Campaniae comitem extulit, sub anno 1163. *operi inserta, hoc modo loqui pergit:* Albricus monachus: Sed o exclamatio! pre dolore quid nos ad hec dicemus, quod tantam in dicto principe laudem per famam publicam denigravit, que adhuc resonat, quedam lues inportuna, lues pestifera; et licet ipse penituerit, tamen multi ex illis non penituerunt, qui per eius exemplum et opus a via deviaverunt. Et hoc testatur causa Trecensis episcopi *etc. Hoiensis quamvis rerum gestarum gnarus fuerit, ad rumores per Campaniam divulgatos provocare non potuit; neque Hoiensis intererat, ab alio quodam memoriam comitis cuiusdam Campaniae laudibus immeritis efferri.*

Et sicut rumores per Campaniam divulgati, ita nostro fabulae monti cuidam Campaniae adhaerentes notae fuere[10]. *Quod narratio probat de haereticis anno* 1239. *in Monte Widomari*[11] *combustis. En eius verba:* — et sicut antiquitus, ut dicitur, canes in eodem loco undique convenientes bellum ad invicem habuerunt, quodam presagio futurorum, et se invicem laceraverunt, ita isti Bulgri peiores canibus uno die ibi ad triumphum sancte ecclesie exterminati sunt. *De eodem monte aliam adhuc fabulam profert:* Invenit enim frater Robertus et secundum hoc publica currit opinio, quod ille Fortunatus Manicheus pessimus, quem beatus Augustinus de Affrica expulit, venit eodem tempore ad partes illas Campanie et invenit Widomarum principem latronum, in eodem monte cum suis latitantem, hunc ad suam sectam cum sociis convertit; et a tempore illo circa montem illum in proximis villulis nunquam defuit semen istud pessimum Canaan et non Iuda[12].

Quodsi auctorem, de quo agitur, Campaniensem fuisse iure statui, in opere nostro permulta, quae res in Campania gestas illustrant, te inventurum esse expectabis. Nec frustra quaeres; immo tot tantaque ad historiam Campaniensem spectantia narrantur, ut fontem alterum eiusdem ad res Campanienses describendas pretii non esse mecum consentias. Ex multis pauca tantum hic producam; imprimis ea mihi argumentationi haud incongrua videntur, quae noster inde ab anno 1190. *usque ad annum* 1236. *de castellis urbibusve aut in Campania ipsa aut in terra adiacente aedificatis, firmatis, oppugnatis, destructis retulit.*

1190. Palatinus Campanie comes Henricus castrum de Brois[13] deiecit.

1200. Comitissa Blancha quedam castra potenter firmavit et tenuit.

1204. Comitissa Campanie Blancha castrum nobile atque fortissimum, quod dicitur Sancte Manehildis[14], firmabat super Axonam fluvium ad tutelam gentis, facta tamen pro loco eodem commutatione quadam apud castellanum Vitriaci[15] et de consensu et voluntate regis Francie. Similiter comes Barri[16] castrum optinuit Clarimontis[17] Virdunensis dyocesis, heredibus tam vi quam muneribus alienatis; per ista duo refugia spoliabantur pretereuntes, unde gaudium fuit vicinis, quod predones alienati sunt ab eis.

1207. Comes Barri Theobaldus exercitum a Francia, Burgundia et Campania collegit, Vicum[18] in dyocesi Mettensi obsedit, cepit et ex magna parte destruxit; — castrum de Prinneio[19] subvertit.

1210. Comitissa Campanie contra guerras imminentes supra montem, qui dicitur Widomari, castrum edificavit.

1215. Castrum, quod dicebatur Rista[20], in dyocesi Mettensi — comes Barri Henricus in ascensione

---

[10] Quibuscum conferas alias duas fabulas, sane non eiusdem momenti, (805 et 806.) de Ganalone traditore, qui Ramerupti (Ramerupt, départ. Aube, arrond. Arcis-sur-Aube) natus et Nigellae (Nesle-la-reposte, départ. Marne, arrond. Epernay) sepultus esse dicitur, et (863.) de Adremaro, fundatore monasterii Arremarensis (Moustier-Ramey, départ. Aube, arrond. Troyes).

[11] Mont-Aimé, départ. Marne, arrond. Châlons-sur-Marne.

[12] Necnon inter *fabulas illas pulcherrimas*, quas auctor sub anno 770. summatim perscripsit, duae ad rem nostram pertinent: — *et de Karolo magno in Monte Widomari a dicto Ludovico et Grecis obsesso; — de sex proditoribus de genere Ganalonis occisis, quorum duo perierunt ante portem Montis Wimari, quorum unus fuit Almagius.*

[13] Broyes, départ. Marne, arrond. Epernay.

[14] Saint-Ménéhould, départ. Meurthe.

[15] Vitry-le-brulé vel Vitry-en-Perthois, départ. Marne, arrond. Vitry-le-François.

[16] Bar-le-duc.

[17] Clermont-en-Argonne.

[18] Vic, départ. Meurthe, arrond. Château-Salins.

[19] Preny, départ. Meurthe, arrond. Nancy.

[20] Riche, ibidem.

Domini potenter cepit et subvertit. — Symon vero de Iovevilla[21] — castrum suum ad manendum et muniendum — Erardo de Brienne[22] exposuit.

1218. Concremata est Sermasia[23]. — Comes Campaniensis consilio et industria sue matris firmavit castrum fortissimum, quod dicitur Montesclaire[24], in finibus Tullensis dyocesis, et comes Barri castrum, quod dicitur Fau[25], ante Tullum firmavit. — Castrum de Sathanagio[26] ab eodem comite subvertitur.

1230. (Dux Lotharingie) cum comite Campanie et Symone de Iovevilla vel tantum mali vel amplius operati sunt super comitem Barri, et quoddam castrum in villa, que dicitur Monasterium super Sauz[27], contra eum firmaverunt, quod comes Barri eodem anno penitus abrasit. — Principes cum comite Barri adunati — incenderunt Spernacum[28], Sezaniam[29] et Virtutum[30], et quasdam villas in Campania et turrim de Fimiis[31] obsederunt.

1233. Comes Campanie castrum de Nongento[32] in Bassigneio obsedit.

1235. Rex Navarre recuperato per iudicium castro de Nongento in Bassigneio reparavit illud et refirmavit.

1236. (Rex Francie) habuit custodias suas in Monasteriolo[33] et in Brai[34] super Sequanam.

Quod ad maiorem castellorum partem attinet[35], *Hoiensi ne nomina quidem nota fuisse, si affirmo, ne quis contradicat haud timeo. Iam ad alia transeamus, quae a Campaniensi scripta esse luce clarius est. In opere nostro comites terrae, palatini scilicet, prae omnibus eminent, — res sane, quae auctore Campaniensi aliter fieri non potuit. Sed longum est, hic integram comitum historiam a nostro traditam in medium proferre. Bellis igitur ceterisque rebus publicis postpositis, eas tantum exhibeo notitias, quae personas, familiam, domum comitum illustrant. Inde ab anno* 1125, *quo tempore comitatus Campaniensis ad Theobaldum comitem Carnotensem et Blesensem devolutus est, incipiens ipsum auctorem ut supra loquentem facio.*

1125. Hugo comes Campanie factus est Templarius, et Theobaldus nepos eius, comes Carnotensis, fit etiam comes Campaniensis; et abhinc dissensiones multe ceperunt oriri, siquidem comes Hugo duxerat in uxorem Elizabeth sororem comitis Raynaldi de Burgundia et comitis Guilelmi de Ultrasagonnam, et illa peperit filium Odonem nomine de Canlita, et dictum est a phisicis comiti Hugoni, quod ipse non habebat possibilitatem generandi, et idcirco consequens erat, eundem Odonem non esse suum filium, sed alterius. Et hec fuit causa, qua comes dictum Odonem non constituit sibi successorem[36].

1126. Domnus Norbertus Premonstratensis ordinis institutor missus est ad partes Alemannorum a comite Campanie Theobaldo ad accipiendam et deducendam sibi uxorem, filiam cuiusdam Ingelberti, nobilis marchionis Foroiuliensis[37].

1150. Nobilis comitissa Mathildis Campaniensis et uxor Renaldi comitis Nivernensis et comitissa Montis Veteris iuxta Coloniam et mater illorum Romanorum, qui Froiepain dicuntur, sorores fuerunt superioris archiepiscopi Coloniensis Friderici.

1152. Item moritur comes Campanie Theobaldus 6. Idus Ianuarii et apud Latiniacum sepelitur. Quatuor habuit filios hoc ordine annotandos: Henricum comitem Trecensem palatinum, largitate et liberalitate famosum, Theobaldum comitem Blesensem, qui tenuit Carnutum, Stephanum comitem de Sancerra, quod Sacrum Cesaris est dictum, et Guilelmum, qui fuit archiepiscopus Senonensis et postea Remensis, ad quem magister Petrus Comestor scripsit scolasticam historiam. Habuit etiam predictus Campanie comes

---

21) Joinville, départ. Haute-Marne, arrond. Vassy. Quo de castello noster sub anno 1055: *Stephanus comes Ioviniaci primus castrum de Iovevilla inchoavit.*

22) Brienne, départ. Aube, arrond. Bar-sur-Aube.

23) Sermaise, départ. Marne, arrond. Vitry-le-François.

24) Monteclair, départ. Haute-Marne, arrond. Chaumont.

25) Foug.

26) Stenay, départ. Meuse, arrond. Montmedy.

27) Montiers-sur-Saulx, départ. Meuse, arrond. Bar-le-duc.

28) Epernay.

29) Sézanne, départ. Marne, arrond. Epernay.

30) Vertus, départ. Marne, arrond. Châlons-sur-Marne.

31) Fismes, départ. Marne, arrond. Reims.

32) Nogent-le-roi, départ. Haute-Marne, arrond. Chaumont-en-Bassigny.

33) Montereau-faut-Yonne, départ. Seine-et-Marne, arrond. Fontainebleau.

34) Bray-sur-Seine, départ. Seine-et-Marne, arrond. Provins.

35) Haec de castellis si accuratius inspexeris, satis iam superque habebis, quo Anglico cuidam consentire possis, de Campaniensibus existimanti: *Est quaedam pars Franciae, quae Campania dicitur, et cum regio tota studiis armorum floreat, haec quodam militiae privilegio singularius excellit et praecellit.* Itiner. reg. Riccardi c. 29. ed. Stubbs p. 67.

36) Quocum conferas, quae noster sub anno 1217. de fratre Theobaldi comitis retulit: — *quia nullius valoris fuit et balbus et quandam nobilem puellam, que erat in servitio matris sue, filiam domni de Soilliaco accepit, — idcirco a comitatu alienatus est.* Huius progeniem noster sub anno 1196. accurate recenset.

37) Haec e vita S. Norberti desumpta addidi, ne quid de rebus genealogicis desit. Ceterum omnia, quae aliis e fontibus defluxerunt, ab argumentatione nostra removi, non quia ea nullius aut minimi pretii habuissem, — nam ratione patriae populariumve quivis auctor opera aliena excerpsit, — sed quia exempla exemplis cumulans lectorem fatigassem.

Theobaldus filias sex: Prima fuit Maria Burgundie ducissa, secunda Agnes Barri Ducis comitissa, tertia quedam ducissa in partibus remotis. Hanc postea duxit Guilelmus Goez in dyocesi Carnotensi, et genuit duas filias, matrem Gaufridi de Dunzei et Agnetem domnam de Monteforti in Cenomania. Quarta comitissa Mathildis Pertici, quinta monialis Fontis Ebraldi, sexta fuit Adela Francorum regina.

De abundantissima laude, qua Guido Cathalaunensis cantor primum filiorum, Campaniae heredem, extulit, necnon de huiusce laudis refutatione, quam noster subiit, iam supra dixi. Prolixiora sunt utriusque verba quam quae hic repeti possint. Quare ad cetera de Heinrico comite relata transeamus.

1178. Henricum Campanie comitem liberalitate nominatissimum ad hoc induxit idem abbas (Clarevallis) ut pro peccatis suis cruce signatus iter arriperet Ierosolimitanum; et cum eodem comite quidam nobiles transfretaverunt. Ex quibus fuit unus Henricus comes de Grandiprato et Waflardus et Gaufridus de Balaham frater eius.

1181. Comes Henricus Trecensis transmarinis partibus reversus, statim ut terram suam attigisset, viribus corporis cepit repente destitui et veniens Trecas in bona confessione christiana decessit. Cuius terra uxor eius comitissa Maria regebat, donec filii eius Henricus et Theobaldus ad virilem pervenissent etatem.

1197. Apud Acram in partibus transmarinis comes Campaniensis Henricus, cum esset terre sancte princeps, corruit inopinato casu de fenestra cenaculi, ubi incaute fuit appodiatus, et mortuus est. Post quem frater predecessoris sui regis Guidonis Heimericus, rex Cipri, custodiam sortitus regni Ierosolimitani; comitatum vero Campanie Theobaldus frater eiusdem cum matre sua comitissa Maria tenuit. Hic accepit Blancham sororem regis Navarreorum in coniugium, que Blancha sororem habuit nomine Berengariam, quam rex Richardus Anglorum nominatissimus in uxorem duxerat. Reliquit autem predictus comes et princeps Henricus in Acra de Ysabella uxore sua duas filias, quarum una fuit regina Cipri, uxor videlicet Guidonis, filii Heimerici; aliam nomine Philippam adduxit Erardus de Ramerut de partibus transmarinis, per quam voluit esse comes Campanie.

1198. Obiit comitissa Maria Campaniensis, duos habuit filios, Henricum et Theobaldum, de quibus premisimus, duas quoque filias, Colatiam uxorem comitis Guilelmi Matisconensis et Mariam comitis Balduini Flandrensis.

1201. Mortuus est in Campania circa pentecosten comes Theobaldus, anno etatis sue 25, cruce signatus, qui comitem Reynaldum de Dampetra misit pro se in partes transmarinas cum sufficientibus expensis. Trecis in ecclesia sancti Stephani iuxta patrem suum magnum Henricum sepultus est. Uxor eius Blancha relicta gravida per annos 20 terram tenuit, que viriliter et strenue de adversariis triumphavit, et quedam castra potenter firmavit et munivit.

1222. Theobaldus comes Campaniensis cingulo militie accingitur in pentecoste cum Philippo regis filio. Iste comes Campaniensis primo duxit in uxorem Gertrudem comitissam Daburgensem. Postea dimissa illa domna duxit Agnetem, sororem Humberti, filiam Wichardi de Belloioco, consobrinam scilicet domni Ludovici.

1225. Comes Campaniensis Theobaldus quibusdam amicis secum assumptis ad avunculum suum ad partes Navarrorum abiit. Quo tempore rex habebat filium nomine Guilelmum, bastardum tamen, quem populus terre sibi preficere videbatur magis, quam comitem; et episcopus Panpelone frater uterinus eiusdem bastardi simili modo contradicebat comiti. Unde videns comes nichil eo tempore se posse proficere, revertitur cum suis.

1230. Moritur comitissa Blancha Campaniensis pridie Idus Martii.

1231. Comes Campanie communias burgensium et rusticorum fecit, in quibus magis confidebat, quam in militibus suis.

1231. Obiit Agnes comitissa Campanie 5. Idus Iulii, sepulta est in Clarevalle in capella comitis Flandrie, matris sue avunculi; unica filia reliquit.

1232. Comes Campaniensis Theobaldus duxit in uxorem Margaretam filiam Erchenbaldi de Borbona, et hac de causa quorundam baronum incurrit odia.

1234. Theobaldus comes Campanie post pascha dominica Misericordia Domini in regem elevatur Navarrorum, avunculo suo Sanctio sine herede mortuo; in cuius thesauro 1700000 librarum invenisse dicitur.

1235. Rex Navarre rediens in Campaniam cruce signatur.

1236. Rex Navarre filiam suam, quam in fide et sub quibusdam religionis pactionibus regi Castelle promiserat pro filio suo, dedit inconsulto rege Francie Iohanni filio comitis Britannie.

1239. Natus est regi Navarre filius, et factum est gaudium magnum in Campania[38].

Nec minori diligentia quam comitum palatinorum auctor historiam ceterorum magnatum Campaniae prosecutus est. Ea hic afferre sufficiat, quae de nobilium genealogiis sunt. Sub anno 1070. *invenies originem propaginesve comitum de Suessonio, annis* 1162. *et* 1219. *de Brana*[39], *annis* 1023. 1031. 1063. 1068. 1070. 1168. *de Roceio*[40], *annis* 1117. *et* 1168. *de Regitesto*[41], *annis* 805. 989.

---

[38] Similia de re quadam in Campania bene gesta ad annum 1204. leguntur: *unde gaudium fuit vicinis.*

[39] Braine, dép. Aisne, arr. Soissons. [40] Rouci, dép. Aisne, arr. Laon. [41] Réthel, dép. Ardennes.

1031. 1063. 1070. *de Arceis*[42] *et Ramerupto*[43], *annis* 1055. 1080. 1111. 1201. *de Brienna*[44], *anno* 1060. *dominorum de Brois*[45], *anno* 1120. *de Cociaco*[46], *annis* 1055. 1080. 1111. 1201. *de Iovis Villa*[47], *anno* 1216. *de Dampetra*[48], *annis* 1117. *et* 1168. *castellanorum de Vitriaco*[49]. *Quibus rebus addere lubet multas illas latasque narrationes, historiam comitum Barri Ducis illustrantes, familiae sane non Campaniae ipsius, sed quum omnibus fere Campaniae litibus implicitae, tum auctoris monasterio, de quo postea dicturi sumus, proximae. Annos* 1033. 1096. 1111—1114. 1118. 1123. 1124. 1127. 1129. 1131. 1134. 1142. 1158. 1164. 1168. 1170. 1189. 1191. 1193. 1204. 1207. 1210—1215. 1218. 1219. 1225—1227. 1229. 1230. 1232—1234. 1237—1239. *si perlegeris*[50], *paene miraberis ab uno auctore tot tantaque de comitibus istis tradi.*

Haec de terrae magnatibus; quod personas ecclesiasticas attinet, inprimis notandum est, duarum ecclesiarum antistites quam accuratissime recenseri, Remensis[51] *scilicet et Cathalaunensis*[52]. *Neque auctor sibi satis habuit, nomina tantum et tempora praesulum operi inserere, sed etiam de electionum litibus*[53], *de electi indignitate*[54], *de consecrationibus*[55], *de sede recusata relictave*[56], *ceterisque huiusce modi rebus narravit. Ut alias etiam relationes de Campaniae ecclesiis fideve catholica et cultu breviter tangamus: exempli gratia edocemur, anno* 1163. *corpus sanctae Hildae, corio cervino diligenter insutum, ab Henrico comite Campaniensi Trecis in ecclesia sancti Stephani collocatum, anno* 1205. *a Nevellone Suessioni episcopo cubitum beati Stephani Cathalaunum et caput Philippi apostoli Trecas transmissa, anno* 1221. *Trecis corpus sancti Vincentii inventum esse, anno* 1223. *in corpore Hervei Trecensis episcopi defuncti signa quaedam asperam eius vitam ostendisse, anno* 1228. *ecclesiam Trecensem corruisse et caput sancti Philippi in illo casu mirabiliter se abscondidisse. De haereticis anno* 1239. *in Monte Widomari combustis iam supra dixi; anno* 1202. *Trecis duas turpissimas vetulas, alteram se sanctam Ecclesiam, alteram sanctam Mariam nuncupasse atque cum aliis sex* Popelicanis *rogo traditas esse, itemque anno* 1235. *sectae cuiusdam asseclas Cathalauni igne damnatos esse invenies. Neve res monasticas prorsus negligamus: ad monasteria Altum Villare*[57] *anno* 662, *Orbacum*[58] *anno* 691, *Sancti Urbani*[59] *et Arremarrense*[60] *anno* 863. *condita,*

---

42) Arcis-sur-Aube.

43) Ramerupt, départ. Aube, arrond. Arcis-sur-Aube.

44) Brienne, départ. Aube, arrond. Bar-sur-Aube.

45) Broyes, départ. Marne, arrond. Epernay.

46) Couci, départ. Aisne, arrond. Laon.

47) Joinville, départ. Haute-Marne, arrond. Vassy.

48) Dampierre-Saint-Dizier, ibid.

49) Vitry-en-Perthois vel Vitry-le-brulé, départ. Marne, arrond. Vitry-le-François.

50) Locos integros paucis in foliis consertos invenies apud Du Chesne, Histoire de la maison de Bar-le-duc. Preuves p. 6. 8—10. 14. 15. 18. 21. 22. 24—26.

51) Quod ad archiepiscopos Remenses attinet, primo Flodoardi historiam descripsit; quae inde ab anno 991. usque ad annum 1240. de archiepiscopis narrat, ea in fontibus quos habemus desiderantur; sed licet usque fere ad annum 1200. annales quosdam deperditos secutus sit, attamen argumentatio nostra vi non caret. Nemo enim, nisi Campaniensis, huic fonti tam multa deprompsisset. Cf. annos 961. 968. 975. (988. 991. 992.) 1023. 1034. 1056. 1067. 1070. 1085. 1096. 1108. 1124. 1125. 1137. 1161. 1162. 1175. 1176. 1193. 1202. 1204. 1206. 1207. 1211. 1219. 1220. 1226. 1227. 1240.

52) In serie Cathalaunensium praesulum inde ab anno 900. pauca tantum frustra quaesivi: mortem Rogeri II., electionem Philippi I., electionem non approbatam Albrici, mortem Haimonis, electionem Bosonis; quum vero electio Rogeri II. et Haimonis, mors Philippi I. et Bosonis adsint, vix dubito quin horum electio, mors illorum ab interpolatore, de quo dicemus, cum aliis rebus omissae sint. Hi autem sunt anni, sub quibus antistitum Cathalaunensium mentio fit: 446. 495. 546. 577. 592. 626. 644. 666. 719. 796. 822. 860. 863. 899. 946. 958. 999. 1004. 1009. 1066. 1113. 1126. 1127. 1131. 1143. 1147. 1151. 1161. 1163. 1190. 1201. 1215. 1226. 1228. 1239.

53) Cf. annos 1204. 1207. 1226.

54) Cf. annos 1163. et 1202.

55) Cf. annos 1176. 1193. 1220. 1227. 1228.

56) Cf. annos 1215. 1226. 1227.

57) Hautvillers, départ. Marne, arrond. Reims.

58) Orbais, départ. Marne, arrond. Epernay.

59) Saint-Urbain, départ. Haute-Marne, arrond. Vassy.

60) Moustier-Ramey, départ. Aube, arrond. Troyes.

Cheminium[61] anno 1110. a Richardo Albanensi episcopo consecratum et privilegiatum, heremum Montis Dei prope Remos anno 1134. aedificatum, abbatiam monialium Virtuti[62] anno 1222. a Blancha comitissa Campaniae fundatam provocamus[63]. Corporale Domini Lageri[64] coli, sub anno 1087. legimus; tectum ecclesiae Claraevallis, adhuc latericium, anno 1178. plumbeum factum, anno 1231. horreum quoddam Claraevallis, frumento plenum, fulmine consumptum esse damnumque septem milia librarum excessisse narrantur. De abbatibus quibusdam Claraevallis, Ripatorii[65], Cheriaci[66], Trium Fontium postea dicemus; de claris viris feminisque Nigellae[67], Sancti Remigii, Claravalle, Tribus Fontibus, Valle Cellarum[68], Elantii[69] sepultis, annos 806. 1124. 1148. 1213. 1214. 1226. 1228. 1231. videas.

Quibus argumentis, exemplis tantum, diligenter perpensis auctorem nostrum Campaniensem, non Leodiensem fuisse facile concedas. Necnon ex iis, quae de praesulibus Remensibus et Cathalaunensibus dixi, fore spero ut iamiam sibi quisque persuasum habeat, harum quas in medium protuli rerum scriptorem aut in Remensi aut in Cathalaunensi pago degisse[70]. Sed Remensis quidam certe non solum Cathalaunenses recensuisset, sed etiam alios episcopos, Remensi archiepiscopo subditos; econtra auctor Cathalaunensis, seriem archiepiscoporum Remensium, quippe qui Cathalaunensium metropolitae sint, eadem diligentia annotans atque Cathalaunensium episcoporum, consuetudini temporis et ordini plane respondet. Neque usquam electiones Remensium tam copiose narrantur, quam Cathalaunensium, annis 1226. et 1228. factae. Anno 1131. sanctum Bernhardum sedem Cathalaunensem recusasse auctor haud ignorat, eundem paulo post Remensium quoque electionem evitasse silentio praeterit. Item quae sub annis 1113. 1121. 1163. 1215. noster de Cathalaunensibus refert, iis similia de Remensibus frustra quaeris.

Itaque auctor Cathalaunensis habendus est. Cui vero ecclesiae ascriptus fuerit, ut definiamus, eum monachum Cisterciensis ordinis fuisse prius nobis demonstrandum est. Rem sane luce clariorem crederes. Auctor enim ipse, quum sub anno 1110. haec de Urbano II. protulerit: Auctor Albricus: Insuper et de principio nostri ordinis Cisterciensis idem Urbanus memoriale in perpetuum habebit, *nonne se planis verbis Cisterciensis ordinis monachum professus est? Necnon viri docti, quotquot de re nostra disputaverunt, scriptorem se hoc loco Cisterciensem dixisse concesserunt; mirum attamen in modum ei fidem non attribuerunt. Quod quum conarentur, nec vera arte critica usi sunt, neque opus integrum attente perlegerant. Nam quum permulta, ut postea docebimus, operi nostro insunt, quae Cisterciensem sapiunt, tum auctor ipse non solum allegato, sed etiam alio loco se monachum Cisterciensem esse ait.*

Ad ea, quae Sigebertus Gemblacensis de lancea Domini anno 1098. inventa retulit, haec noster addidit: Auctor: Hanc auctoritatem Sigeberti prefert domnus Elinandus opinioni Guilelmi Anglici de lancea Domini a tempore apostolorum non visa. Habet autem quorundam relatio, et domnus Radulfus[71] Clarevallensis michi retulit, quod cum lancea ista quoddam vasculum plumbeum fuit inventum, de quo non meminit hystoria. Et illud vasculum domnus Podiensis episcopus sibi appropriavit. Et erat in eodem vasculo sudarium Domini nostri Iesu Christi diligentissime locatum, non illud sudarium quod est apud Compendium, sed aliud. Utrum autem istud sudarium fuerit capitis aut corporis, non affirmo, quia plura fuerunt linteamina circa corpus Iesu secundum euangelium. Quodcunque autem horum istud sit, satis est reverendum ubicunque sit. Qualiter autem vasculum illud plumbeum cum sudario de manu in manum et usque ad quandam *nostri* ordinis abbatiam pervenerit, suo loco dicemus, ne hic aliud pro alio dicere videamur[72].

---

[61] Cheminon, départ. Marne, arrond. Vitry-le-François. [62] Vertus, départ. Marne, arrond. Châlons-sur-Marne. [63] De monasteriis Pultariae et Vizeliaci, haud longe a finibus Campaniae sitis, cf. annum 866. [64] Lagery, départ. Marne, arrond. Rheims. [65] L'arivour, départ. Aube, arrond. Troyes. [66] Chéry. [67] Nesle-la-reposte, départ. Marne, arrond. Epernay. [68] Vaucelles, départ. Aisne, arrond. Laon. [69] Elant, départ. Ardennes, arrond. Mézières. [70] Cuius rei si adhuc argumentum quaeris, hunc inspicias locum: *Anno* 795. *In Westfalia vero Karolus rex quatuor episcopatus: Padeburnensem, Monasteriensem, Osnaburgensem et Mindensem; quatuor similiter fecit in Saxonia: Hildenesemensem, cuius primus conventus exivit a Remensi ecclesia, Halverstatensem, cuius primus conventus a Cathalauno fuit missus, Verdensem quoque et Bremensem.* [71] Codices legunt: *Radulfus: Habet autem quorundam relatio et domnus Clarevallensis michi retulit* etc. Quum vero de hoc

Verbis: suo loco dicemus *auctor ad annum* 1119. *provocat; ibique de sudario Domini narrare pergit:* Sudarium Domini, de quo superius tetigimus, modo est in abbatia de Cadunio Petragoricensis dyocesis. *Fata dein sudarii clerico cuidam ab Ademaro Podiensi episcopo commendati uberiore relatione exponit; postremo:* Procedente *inquit* tempore presbiter in abbatia Caduinii se reddidit et sanctuarium illud ibidem dedit. *Caduinium*[73] *autem monasterium ordinis Cisterciensis erat, et inde auctorem, quoniam sudarium ad abbatiam quandam ordinis sui pervenisse dixerit, monachum Cisterciensem fuisse efficitur. Quod quo certius fiat, neve quis me aenigma*[74] *tantum aenigmati superaddidisse dicat, alia argumenta proponere iuvat. Quae sunt:*

1. *Si non omnes, quos noster narrationis suae testes allegat, certe tamen plerique ordini Cisterciensi ascripti erant:*

784. — ut dicit abbas de Valle sancti Petri[75]; 1098. — domnus Radulfus Clarevallensis michi retulit; 1130. — de hac autem congressione — dicitur a quodam abbate ordinis Cisterciensis de Suecia; — sed et abbates de Dacia in generali capitulo apud Cistercium per omnia vera esse protestati sunt; 1166. — indicante abbate Gerardo de Alna[76]; 1199. — teste domno Hugone de Nigella, qui fuit abbas de Ursicampo[77] et postmodum de Ripatorio[78]; 1200. — retulit abbas de Chaerio[79]; 1218. — sicut dictum est abbati de Valle sancti Petri; 1225. — dicit ergo episcopus Semigallie, domnus Balduinus de Alna[80].

Radulfo scriptore neque in Albrici, neque in aliorum operibus quidquam inveniatur, quumque verbo *autem* relatio iis, quae in praecedentibus auctor ipse addidit, firmissimo quasi vinculo coniuncta esse videantur, quum denique verbis *suo loco dicemus* ad locum delegemur, quem Albrici ipsius esse nemo negabit; equidem haud dubito, quin legendum sit: *Habet autem quorundam relatio et domnus Radulfus Clarevallensis michi retulit.* Verbum *Radulfus* ab auctore in margine additum et ab interpolatore vel librario in locum falsum delatum esse coniiciam. Radulfus vero in Gallia chr. IV, 804 inde ab anno 1224. usque ad annum 1232. abbatiae Clarevallensi praefuisse dicitur. Tempore ergo nostri floruit. Necnon Cisterciensis erat, ut omnes, quorum ad colloquia auctor provocat. Firmum denique argumentum habemus, inter abbatem ac nostrum non ullum commercium defuisse. Genealogiam comitum Alvernensium, quam sub anno 1210. his verbis concludit: — *et hoc modo iunior comes Alvernie Guilelmus filius est sororis domni Radulfi supradicti abbatis,* certo solius abbatis causa explicavit. Et forte ea quoque, quae ad annum 1235. de obitu Radulfi, tunc Lugdunensis archiepiscopi, narrantur: *magna devotione moritur*, quandam familiaritatem nostri cum Radulfo indicant.

72) Licet coniecturam annotationis praecedentis reprobes itaque auctorem quendam, nomine Radulfum, ceterum prorsus ignotum, nobis statuendum esse dicas, verba tamen, in quibus nitimur, Albrici esse consenties. Obscurus enim iste tuus Radulfus, cui si quid loci illius attribuendum est, certe non ea scripsit, quae inde ab: *Utrum autem istud* usque ad finem sunt. Quod quum tenor disquisitionis — ut ita dicam — criticae, verbis: *Utrum autem* incipientis, tum locus alter, ad quem noster provocat, plane docet.

73) Cadouin, départ. Dordogne, arrond. Bergerac.

74) Cf. Wattenbach Deutschl. Geschichtsq. 510. ed. II^{a}. 75) Heisterbach. 76) Aulne-sur-Sambre. 77) Ourscamp. 78) L'arivour. 79) Chéry.

80) Unum tantum, quem Albricus allegavit, testem regulae Cisterciensi obsecutum non esse constat, illum scilicet presbiterum Flandrensem, de quo annum 1205. videas. De monacho magistroque Alberto et de praesulibus Mitylenensi et Cuviniensi, quorum testimoniis narratio quaedam annorum 1205. et 1208. affirmatur, nihil compertum habemus. Nota vero, tunc temporis Cistercienses in partibus transmarinis persaepe muneribus pontificalibus functos esse.

2. *Omnia fere monasteria*[81], *inde ab anno* 1180. *nominata, in quibus principes, episcopi, viri clari sepulti esse dicuntur, Cisterciensis ordinis sunt. In Francogallia haec: Sanctus Portus* 1181, *Bullencuria* 1196, *Longus Pons* 1197, *Cistercium* 1202. 1218, *Claravallis* 1213. 1218. 1231, *Tres Fontes* 1214, *Bellum Pratum et Vallis Cellarum* 1226, *Elantium* 1228, *Marquetta* 1233; *in Germania: Aurea Vallis* 1226, *Campus Liliorum* 1230; *in Helvetia: Alta Cumba* 1232; *in Ungaria: Egris* 1233. *et Pelisium* 1235; *in Hispania: Pobletum* 1196. *Quibus addenda sunt monasteria inde ab anno* 1110. *condita: Saviniacum, Cheminium et Morimundum anno* 1110, *Aurea Vallis* 1131, *Sanctus Andreas prope Genuam* 1131, *Vitae Schola in Dacia* 1158, *Bonus Portus* 1199, *Dünamünde in Livonia* 1201, *abbatia monialium Burgensis in Hispania* 1212, *Vallis sancti Benedicti* 1224, *Caritas* 1236.

3. *Haud raro capituli generalis Cisterciensium mentio fit; quaere annos* 1130. 1153. 1199. *Ea hic proferam, quae auctor de capitulis haud dubie sui ipsius temporis dicit:* 1228. Cardinalis Romanus — misit generali capitulo Cisterciensi duo paria litterarum. 1230. Ad generale capitulum Cisterciense huius anni venerunt littere. 1234. Hoc anno in capitulo generali apud Cistercium recepta est translatio corporis beati Benedicti.

4. *Res a claris Cisterciensibus gestae singulari diligentia enarrantur. De Henrico abbate Clarevallis, postea cardinali Albanensi sedisque apostolicae legato, vide annos* 1179. 1187—1188; *de Guilelmo Cariloci abbate multa sub anno* 1197. *proponuntur; vita et scripta Ioachimi abbatis Florentini sub anno* 1201. *recensentur; de Guidone Cisterciensi abbate, postmodum cardinali et legato, et de eiusdem monasterii abbate Arnoldo, Narbonensium archiepiscopo, annos* 1200. *et* 1211. *conferas; quae de Conrado primo Villarensi monacho, cui dein summa negotia demandata sunt, nostro dicenda erant, ea sub annis* 1200. 1219—1221. 1223—1226. *invenies; quae ad Iacobum, antea Trium Fontium abbatem, tunc cardinalem Sabinensem necnon legatum attinent, sub annis* 1231. 1233. 1234. 1240. *accurate perscribuntur; de Bertholdo Livonum episcopo annum* 1194, *de Bernhardo Selonum et Godefrido Borussorum episcopis annum* 1207, *de Balduino Semigallensi episcopo iam supra commemorato annos* 1232. 1236. 1239. *revolvas*[81*].

Sed haec hactenus; aliis argumentis postpositis, iamiam nostrum Cisterciensem fuisse satis superque evicisse mihi videor. Qua in re nisi fallimur, quum auctorem in Campania et in Cathalaunensi agro degisse constet, quid nos iam impedit, quominus inscriptioni codicis et pervetusti et optimae notae:

---

[81] Duo tantum excipienda sunt, Roda Ducis et Sanctus Florus, illud monasterium canonicorum sancti Augustini, hoc monachorum sancti Benedicti. Utrumque sub anno 1226. occurrit Ibi etiam coniecturam quandam invenies, quae si approbatur, non duo monasteria excipienda sunt, sed unum tantum, Roda Ducis.

[81*] Cistercienses primam, ut ita dicam, in opere nostro partem tenere, Wilmansium ceterosque omnes effugit. Solus, qui Albricum res Cistercienses summa diligentia prosecutum esse bene perspexit, vir doctus M. Perlbach laudandus est. Qui in egregia dissertatione sua: Zur Geschichte der ältesten Preuss. Bischöfe p. 4, — opusculum nova hac editione iam typographo transmissa ad manus nostras venit, — ut intimum Albrici, Augustiniani sane monachi, cum Cisterciensibus commercium ostenderet, argumentis etiamsi non omnibus, attamen haud spernendis usus est, iis scilicet quae egomet sub nr. 3. et 4. protuli. Quod vero vir doctus ad sententiam probandam adiecit: *sehr ausführlich erzählt er die Gründung des Ordens* et *den Caesarius von Heisterbach bezeichnet er durchgehend nur als frater;* haec mihi aut nullius aut parvi saltem momenti esse videntur. Omnia enim quae de ordine fundato narrantur, die excepto, non Albrici ipsius sunt, sed monachi Mortui Maris; et Caesarium eadem notione, qua hodie dicimus: *Bruder Berthold von Regensburg* vel *Fra Salimbene di Adamo*, ab Albrico fratrem appellari, adversarii Perlbachianae sententiae itemque meae opponent, et optimo quidem iure, nam Albricus ipse non solum Caesarium, sed etiam Robertum et Bernhardum, monachos ordinis sancti Dominici, ad annos 1234. 1235. 1239. fratres vocitat.

Cronica Albrici, monachi Trium Fontium[82], *fidem sincerissimam attribuamus? Qua ratione vetamur, inquam, ne inscriptioni illi, ab omnibus nostrae aetatis aut nullius momenti habitae aut saltem in dubium vocatae, pristinam auctoritatem restituamus? Monasterium enim Trium Fontium in dioecesi Cathalaunensi situm et regulae Cisterciensi ascriptum erat, eius igitur monachus et omnibus, quae hucusque ex opere nostro excerpsimus, describendis idoneus fuit, et multa quin describeret vix facere potuit. Sed unus scrupulus restat. De monasterio nempe ipso fere nihil enarratur. Tribus tantum locis abbatia abbatesve commemorantur, nec series abbatum, nec caedes Alardi abbatis*[83]*, nec monasterii incendium*[84] *nec cetera huiusce modi annotata sunt. Qua causa commotus si opus monacho Trium Fontium haud cunctanter abiudicares, certe licito festinantius ageres. Id nobis considerandum est: persaepe interpolatores ea, quae auctoris domicilium attingunt, ab opere removere, omissam historiam illius abbatiae ecclesiaeve, in qua opus conditum est, historia suae ipsorum sedis quasi compensantes*[85]*. Neque aliter interpolatorem, de quo dicturi sumus, fecisse eo libentius credam, quo certiores — ut ita dicam — reliquias historiae Trefontensis agnoscere mihi videor. Guidonem abbatem anno* 1204. *Remis archiepiscopum electum, Tribus Fontibus anno* 1214. *Agnetem Barri Ducis comitissam sepultam, Iacobum abbatem anno* 1231. *cardinalem consecratum esse*[86]*, in interpolatis adhuc codicibus legimus. Quae ad Iacobum attinent, nostrum maiorem in modum ceperunt; res ab eodem annis* 1233. *et* 1234. *in Ungaria, anno* 1240. *Leodii et Bituricis gestae enarrantur*[87]*. Praeterea auctor duorum monasteriorum Tribus Fontibus subiectorum mentionem fecit; Cheminii*[88] *scilicet et Aureae Vallis*[89]*; utrumque quo anno et die conditum, alterum a quo viro consecratum et privilegiatum sit, annotavit. Inprimis autem familiae cuiusdam, qua nulla tunc temporis erga monasterium Trium Fontium liberalior erat, genealogiam et fata tanta diligentia prosecutus est, quanta ea alius quis, atque monachus Trium Fontium, vix prosecutus esset. Haec sunt, quae de baronibus Dampetrensibus*[90] *retulit:*

---

82) Codex Hannoveranus inscribitur: *Cronica Alberici, monachi Trium Fontium, Leodiensis dyocesis,* sed ex coniectura, ut iam Leibniz opinatus est, viri docti. Qui nescio an loco illo anni 1239. nisus sit, quo episcopus Leodiensis *noster* dicitur. Nec vero in Leodiensi pago monasterium Trium Fontium nominis exstabat, nec verbum *noster,* quum ex Aegidii Aureae Vallis libro de gestis pontificum Leodiensium descriptum sit, auctorem Leodiensem fuisse probat. Insuper mihi vix dubium est, quin interpolator, de quo postea dicemus, non vero auctor, hic Aegidium secutus sit. Sin aliter, auctor vel tanta incuria egit, ut ex eius verbis nihil efficere liceat, vel verbo *noster* eadem notione usus est, atque Aegidius ipse, quippequi Treverensis, non Leodiensis pagi fuerit.

83) Ep. Petri Clarevall. abb. ap. Tissier Bibl. Cist. III, 266. Chron. Clarevall. ap. Chiflet Genus ill. S. Bernardi assertum 86.

84) Vide diploma ab auctoribus Gall. chr. IX, 960 allegatum.

85) Huius rei exemplum praebet inter nostrates Secoviensis ille, quem eiectis omnibus, quae historiam Reicherspergensem illustrant, annalibus Magni presbiteri Secoviensia quaedam inseruisse Wattenbach Mon. Germ. SS. XVII, 441 docuit. E Francogallis afferre licet auctorem chronici Turonensis ap. Bouquet XVIII, 200. Hic usque ad annum 1220. integrum Altissiodorense chronicon sancti Martini descripsit; sed ubi Altissiodorensis res in Senonensi vel Altissiodorensi territorio gestas prosequitur, Turonensis Turonensibus enarrandis insistit.

86) Quod virum cl. Wilmans effugisse videtur, alioquin p. 188. 189. non affirmasset: auctorem de Iacobo cardinali Praenestino loqui, de Iacobo quondam abbate Trium Fontium silere ideoque, quum ex Aegid. Aur. III, 134 Iacobum cardinalem antea abbatiae Trium Fontium praefuisse edoctus fuerit, eum monachum huiusce monasterii non esse.

87) Plerique viri docti Iacobum abbatem Trium Fontium monasterii prope Romam siti habuerunt; sed erraverunt. Nam 1) Iacobum quendam inter annos 1223—1231. monasterii Campaniensis abbatem fuisse, auctores Gall. chr. IX, 960 docuerunt; 2) omnes huius temporis rerum scriptores Iacobum abbatem Trium Fontium dicunt, monasterium vero Romanum usitatiore nomine Sancti Anastasii nominabatur. Cf. Aegid. Aur. III, 134. Vita Gregorii IX. ap. Muratori III, 578. Epit. Iac. ap. Ciaconium Vitae pont. ed. Oldoino II, 87. necnon Albricum ad annum 1231.

88) Cf. subiectionis diploma in Gall. chr. X, Pr. 170.

89) Chronolog. Cisterc. ap. Winter Die Cistercienser des nördl. Deutchl. I, 321. Cf. Manrique Annal. Cisterc. I, 232.

90) Dampierre-Saint-Diziers, départ. Haute-Marne, arrond. Vassy. Quacum baronum Dampetrensium gente cave ne confundas gentem comitum Dampetrensium (Dampierre-le-château, départ. Marne, arrond. Sainte-Ménéhould). De Reinaldo comite noster narrat sub a. 1202. et 1232.

1163. Apud Cathalaunum electus fuit in episcopum quidam Guido de Dampetra, frater Anserici, Guilelmi, Andree et Milonis virorum nobilium; sed divino, ut creditur, iudicio, cum esset indignus, obiit ipsa die, qua erat in crastino consecrandus.

1205. — filiam eius (Livernatis) dederunt viro nobili Nargaldo de Toceio, Guidonis de Dampetra consobrino.

1210. Philippus rex Francorum obsedit castrum Rionense, — quod cum captum fuisset, tradidit illud Guidoni de Dampetra custodiendum et muniendum.

1216. Vir etiam nobilis Guido de Dampetra hoc anno mortuus est, tres filios relinquens de Beatrice, filia Erchenbaldi de Borbon, et filias tres. Primogenitus Erchenbaldus ditissimus est in Alvernia non solum per hereditatem matris, sed per patrimonium uxoris, que fuit filia alterius Erchenbaldi de Monte Lucionis, sed per industriam et calliditatem patris exaltatus nimis. Secundus Guilelmus de Moylen et de Dampetra domnus, duxit Margaretam comitisse Flandrie sororem, quam Buchardus clericus de Avennis rapuerat, cum esset vir nobilis, et ex ea duos filios genuit Iohannem et Balduinum. Tertius Guidonis filius Guido adhuc erat infantulus.

1219. Iohannes de Torota sororem habuit domni de Dampetra.

1231. Guilelmus de Moelen . . . .

1232. Quedam Margareta in abbatia monialium de Silva Lugdunensis dyocesis multa vidit secreta celestia: dicitur enim de ea, quod dixerit domne Beatrici de Borbon, matri domni Erchenbaldi et Guilelmi de Moelen, domnum Guidonem de Dampetra maritum suum absque ulla recuperatione in inferno dampnatum esse.

1239. Moritur Ysabella, domna de Baia, mater Symonis de Castro Villani. Ingelramus de Coci, qui natus est de sorore dicte domne de Baia, regi Scotie Alexandro filiam suam dedit in matrimonium. Hic Alexander primo habuit unam de sororibus regis Anglie, que sine liberis obiit. Sunt ergo due regine in cognatione de Moelen vel de Dampetra, ista de Scotia et uxor regis Navarre, filia Erchenbaldi. Pater namque Erchenbaldi Guido de Dampetra tres sorores habuit: una Ysabella mater domni Roberti de Aspero Monte, et una Oda, mater illorum de Torota, tertia Helvidis, domno Iohanni de Monte Mirabili peperit Mariam uxorem Ingelranni de Coci.

Quibus rebus privilegia conferenda sunt[1], *quasi Dampetrensium liberalitatis erga monasterium testes:*

Circa annum 1160. Guillelmus fratribus Andrea, Milone, Guidone consentientibus, quum abbatiae omnia patris Guilelmi dona confirmaret, advocatiam sancti Urbani et sancti Maximini superaddidit.

In terram sanctam profecturus Guido fratre Milone annuente monachis nonnulla alimenta assignavit, eis annue e molis Sancti Desiderii, e vineis villae Moylen et e vectigale reddituque Betancurtis persolvenda.

Alio tempore Guido monachos advocatia Villariensi donavit[2].

Anno 1224. Guilelmus monasterio omnia confirmavit, quae eidem Guarnerus de Chasseneio e feodis suis Dampetrensibus dederit.

Quum alia, tum annua tributa, e vineis Moylensibus persolvenda, mihi notabilia videntur. Inter omnes enim, quotquot manibus revolvi, huius temporis auctores solus noster Guillelmum, maritum comitissae Flandrensis, de Moylen[3] *vel Moelen vocat. Guillelmus autem quum filius esset Guidonis, qui monachos vinearum Moylensium participes fecit, haud dubito quin heres fuerit villae illius pretiosissimae, cuius e vineis monachi quotannis decem cubas accipiebant. Haecne nostro causa fuit, cur Guillelmum non solum de Dampetra, sed etiam de Moylen nuncuparet*[4]*?*

En argumenta, quibus nisus operi inesse contendi, quae auctorem Francogallum, Campaniensem, Cathalaunensem, monachum Trium Fontium indicent; alia autem non a Campaniensi, sed ab Hoiensi scripta esse censui.

Quod ita sese habere, multa argumenta praesto sunt[5]. *Traditiones Hoienses et libro*[6] *et ore*[7] *propagatae referuntur; Hoiensium ludi a maioribus*

---

[1] Conferas etiam velim, quae infra de duobus diplomatis, ecclesiam quandam sancti Desiderii attingentibus, disseram.

[2] Huius donationis Ed. Barthélemy Diocèse ancien de Châlons-sur-Marne II, 316 mentionem fecit; tria alia diplomata P. Anselme (Augustin Déchausse) Hist. généal. et chronol. de la maison royale III, 155. 156. ed. III^a lingua Gallica summatim perscripsit.

[3] Moëslain, départ. Haute-Marne, arrond. Vassy.

[4] Huic argumentationi ea fortasse addere licet, quae iam supra de comitibus Barri Ducis diximus. Is qui tot tantaque de comitibus istis tradidit, certe eis vicinus erat. Monasterium vero Trium Fontium comitatum Barrensem adiacebat, ipsaque in comitum terra agros censusque possidebat. Cf. Ed. Barthélemy l. c. I, 165. Quam fortasse ob rem — ob possessiones scilicet, necnon multas relationes, quibus noster historiam comitum illustrat, — A. Duchesne Histoire de la maison de Bar-le-duc Pr. 6. monasterium in ipso pago Barrensi situm esse putavit.

[5] Cf. quae hac de re vir cl. Wilmans l. c. 185. 186 egregie disseruit.

[6] Cf. a. 899.

[7] Cf. a. 1035: *Alii dicunt et maxime antiqui Hoyenses* etc.

instituti multis verbis explicantur[8], *necnon locus*, ubi choreas soliti erant burgenses ducere, ad orientalem plagam *oppidi situs esse dicitur*[9]; *Mosa annis* 1230. 1235. 1237, *super ripas effusa, Hoiensibus enormia damna intulisse narratur, immo altera vice domus et ecclesiae, ad quas usque undae pervenerint, denique via, qua in alveum redierint, quam accuratissime designantur. Ut brevi faciam: scriptor non solum originem Novi Monasterii Hoiensis perscripsit*[10] *eiusque praepositos recensuit*[11], *sed etiam duobus locis se ipse monachum Novi Monasterii professus est. Sub anno* 1236. *Alexandrum, quem episcopus Leodiensis praepositurae iam in abbatiam mutatae praefecerat*, primum abbatem nostre ecclesie Novi Monasterii *dicit et Mosam, anno* 1237. *agros Hoienses inundantem*, equalem fere planitiei claustri nostri, videlicet Novi Monasterii, *aestimat. In monachum denique Novi Monasterii cadit, regulam sancti Augustini ad annum* 1130. regulam beati patris nostri Augustini *nuncupari*[12].

Quodsi duobus hoc nostrum opus attribuendum esse iure statui, iam quaestio est, quaenam inter utrumque ratio intercedat.

Quum inscriptione codicis teste chronicon integrum Campaniensis sit, saltem ei partem genuinam maioremque ascribere haud cunctaberis, paucis additamentis Hoiensi reservatis. Neque alia indicia desunt, interpolatorem et Hoiensem fuisse, et paulula tantum superaddidisse. Utrumque materia docet, alterum forma. Ab hac disquisitio nostra exordiatur. Si locum sequentem anni 1116 *examinaveris:* Post Arnulfum patriarcham Ierosolimitanum, qui privilegium crucesignatorum ad opus ecclesie Novi Monasterii Hoyensis, procurante venerabili sacerdote Petro heremita, qui in eadem ecclesia...., transmisit Otberto tunc temporis Leodiensi episcopo, fuit patriarcha Guerimundus; cui successit Stephanus, deinde Guilelmus, *iam auctorem operis genuini ea tantum scripsisse concedes, quae de patriarchis leguntur. Quam in patriarcharum successionem, iungenda divellens, interpolator narrationem de privilegio monachis Hoiensibus dato parum commode illigavit; et quum nimia in sententiam interiectam coartaret, unum alterumve verbum omisit*[13]. *Alio quem propositurus sum loco interpolator suam sane enuntiationem ad finem perduxit, sed auctoris verba mutilavit.* Maxima fuit in principio huius anni (1230), tempore hyemis, aquarum inundatio. Rome autem de inundatione Tyberis ultra 7000 hominum dicuntur submersa fuisse. Apud abbatiam de Fusniaco et illam de Valle Regis et quasdam alias, ... et in Leodiensi dyocesi apud Hoyum Hoyolus ibi fluens enormia dampna intulit oppidanis. *De vastationibus Hoyoli fluminis referre maturans, interpolator damni monachis Fusniaci et Vallis Regis*[14] *illati rationem non habuit. Quod deinde ad materiam attinet, Hoiensis si opus condidisset, permulta non solum de episcopatu Leodiensi, cuius ditionis urbs Hoiensis est, sed etiam de omnibus inferioris Rheni partibus enarrasset. Huiusce modi vero pauca tantum et quae non multum valent, in chronico nostro inveniuntur. Quibus cum tenuissimis notulis si ea conferre vis, quae — ut exemplum praebeam — Reinerus Leodiensis tradidit, quantum inter opus Leodiensis cuiusdam genuinum ac nostri intersit, haud difficulter tibi persuadebis. Neque ipsae res Leodienses tam copiose referuntur*[14*], *quam expectaveris*[15]. *Adhuc sub anno* 1239.

---

[8] Cf. a. 1225. [9] Cf. a. 1101. [10] Cf. a. 1101. [11] Cf. a. 1208. [12] Quod ad episcopum Leodiensem, qui *noster* dicitur, annotationem 82 conferas velim. [13] Supplendum esse coniicio: *qui in eadem ecclesia edificanda laborabat*. [14] Quasi praeteriens annoto, etiam haec monasteria ordinis esse Cisterciensis. [14*] E. g. Aegid. Aur. III, 133 et Hist. mon. s. Laur. ap. Martène Ampl. coll. IV, 1099 testibus Conradus IV. anno 1239. Leodium venit, ut Ottoni electo nomen imperiumque ratum efficeret, eumque iterum anno 1240. Leodii versatum esse, ex Ann. S. Pantal. Mon. Germ. SS. XXII, 533 constat. Utrumque regis iter ad Leodienses factum noster silentio praeteriit. [15] Immo ne Hoiensia quidem omnia enarrantur.

Aegidii Aureae Vallis liber, qui gesta episoporum illustrat, operis usibus adaptatus est. E contra res Campanienses iam per longum temporis spatium fuse lateque perscriptae neque unquam uberrimae hae relationes aliis e fontibus derivatae sunt. Qua differentia in promptu habita[16], *equidem Hoiensi et interpolatoris munus ascribo et vix alia quaedam decerno, atque Leodiensia et Hoiensia.*

Certos sane fines constituere non licet. Interpolator haec illaque etiam praeter Leodiensia et Hoiensia addidisse potest. Illinc cave ne omnia, quae de episcopis Leodiensibus referuntur, monacho Trium Fontium deneges. Qui certe Gesta episcoporum, opus Aegidii, monachi Aureae Vallis, quod monasterium Tribus Fontibus subiectum fuisse iam dixi, in chronico concinnando adhibuit. Praeterea monendum est, momentis quibusdam singularibus animum monachi nostri ad res Leodienses acrius intuendas conversum esse: comites Barri Ducis, monasterio vicini, episcopis inimicissimi erant; Albertus episcopus Leodiensis Remis, qua in urbe diu deguerat, ab imperatoris satellitibus occisus est; Conradus cardinalis Portuensis, de quo Albricus tam multa narravit[17], *ut commercium quoddam inter utrumque constitisse putarim, antea Villare in monasterio Leodiensis pagi habitum Cisterciensem assumpserat; anno* 1227. *Remenses Hugonem Leodiensem episcopum sibi praeficiendum elegerunt; celeberrimus ille Campanus, Iacobus de Vitriaco*[18], *cuius pluries mentio fit*[19], *per longum tempus Leodii versabatur; anno denique* 1240. *et Godefridus Cathalaunensis conditione quadam conscripta ad sedem Leodiensem vocatus est et Iacobus cardinalis Praenestinus, quondam abbas Trium Fontium, qui iam paullo antea in electionem Leodiensium se interposuerat, causam ad finem perducturus, Leodium venit et Hoii magnam curiam congregavit. Habes igitur res, quae nostro cum Leodiensibus intercedebant, tam multas atque magnas, ut minime mirari possis, quod auctor interdum se perbene in historia Leodiensi versatum esse quasi ostentare videtur*[20].

Quae quum ita sint, fore spero ut me certos fines inter utrumque, auctorem scilicet et interpolatorem, non constituisse approbes. Id in universum scire sufficiat, additamentis paucis exceptis opus, sicut codicis inscriptione monacho Trium Fontium attribuitur, ita re vera eius esse[21].

Hac quaestione absoluta[22], *iam quo tempore auctor scripserit investigemus*[23].

De Theodoro Celesio, restitutore ordinis sanctae crucis, qui anno 1234. Hoii monasterium *primum et initiale ordinis sui* construxit ibique anno 1236. sepultus est, interpolator nihil retulit. Cf. Hist. mon. s. Laur. ap. Martène l. c. 1098. et Vitam b. Theodori ap. Gorrissen Hist. de Huy 296—316. Anno 1228. Hoii fratrum Minorum domus fundata est; etiam hac de re interpolator silet. Cf. Gorrissen l. c. 328. Theoduinum episcopum anno 1066. Hoienses magnis libertatibus ditasse, Aeg. Aur. III, 1 tradidit, necnon eas interpolator praeteriit.

[16] Quod de rebus Campaniensibus et Leodiensibus habendum est, idem de Cisterciensibus et Augustinianis. Exempli gratia inde ab anno 1180. recensentur sexdecim monasteria Cisterciensium, in quibus viri clari sepulti sint, unum solum ordinis sancti Augustini. Cf. supra p. 639 n. 81.

[17] Cf. annos 1200. 1219—1221. 1223—1226.

[18] Vitry-le-brulé vel Vitry-en-Perthois. Idem est oppidum, cuius dominus Hugo ipsum monasterium Trium Fontium condidit. Quodsi Matzner De Iac. Vitr. vita et reb. gestis p. 2 Vitry-le-brulé in confluente Matronae et Sequanae fluminum prope Lutetiam Parisiorum situm esse affirmat itaque patriam Iacobi, quippequi Campanus fuerit, urbem Vitry-le-François esse opinatur, vir cl. vehementer errat. Nam oppidum Vitry-le-brulé in ipsa praefectura Vitry-le-François situm est, et tunc demum temporis, quo Vitry-le-brulé a Carolo V. destructum erat, anno scilicet 1543, Vitry-le-François alio loco a Francisco I. aedificatum esse constat.

[19] Cf. annos 1211. 1213. 1216. 1227 bis. 1229. 1240. 1241.

[20] Rebus Leodiensibus vocabulum *Auctor* vel *Albricus* ad annos 1099. 1106. 1111. 1196. 1198. adiecit.

[21] Opiniones Francogallorum ac Belgicorum, quas hic repetere supersedeo, argumentis claris reiiciens Wilmans l. c. 175—178 docuit, quam perversum sit, plures *auctores* statuere. Nec vero vir cl., quamvis egregie disputaverit, opus nostrum *interpolatum* non esse probavit. Interpolationibus exceptis ei prorsus consentire possum, opus esse unius, — sane non Hoiensis, sed Trefontensis.

[22] Interpolatoris est, non solum addere, verum etiam demere. Et re vera quae monasterium Trium Fontium attingunt, ab Hoiensi eiecta sunt. Sed cum alia quoque oppressisse ut coniicias, duo argumenta praesto sunt. Sub anno 1070. auctor se *inferius* de Gisla Barri Ducis comitissa dicturum esse promisit; Gislae vero in opere, quale nunc est, postea ne verbo quidem mentio fit. Item

De Ioachimo abbate sub anno 1201. *praedicans:* Multo aliter sentire videtur de adventu Antichristi, quam quidam nostri temporis, qui de die in diem simplicium corda sollicitare temere satis presumpserunt, quod nos loco competenti declarare proponimus, *ad annum* 1227. *provocare mihi videtur. Ibi enim quid Minorita quidam hac de re sentiret, exposuit eiusque perversam doctrinam refutavit.*

Tempestatem anni 1229. nostris temporibus *inauditam dicit itaque se ipsum huic eventui aequalem manifestat.*

Anno 1160. *in Alemannia novam haereticorum sectam prodiisse narrat. Quae tunc temporis sane oppressa est;* sed ex hereticorum reliquiis, *inquit*, creditur excrevisse ista nova heresis, que nostris diebus graviter Alemanniam infecit. *Verba* nostris diebus *annum* 1233. *indicant, sub quo fuse lateque origo et propagatio novae huius sectae explicantur*[24].

Anno 281. *Manichaeorum haeresin exortam esse quum narrasset,* Isti sunt, *addidit*, qui nostris diebus vocantur Bulgri, per quam diabolus multos sibi falsos martires per ignem acquisivit. *Quae verba ad annos* 1235. *et* 1239. *refero. His enim annis haereticos Cathalauni, Cameraci et in Monte Widomari combustos esse, Albricus ipse ait. Ad annum* 1239. *infelices illos expresse* Bulgros *nuncupat; sed eiusdem sectae eos quoque fuisse scimus, qui anno* 1235. *rogo traditi sunt*[25].

Rebus igitur intra annos 1227. *et* 1235. *gestis auctor se coaequalem praebet*[26]; *sed etiam tunc temporis iamiam chronico concinnando institit*[27].

---

ad annum 1119: *de Windo Doisceno et de Erpent nostris temporibus dicemus*, neque hoc promissum impletur. Quas lacunas, animus sane inclinat, ut ab interpolatore relictas esse credat. Sed etiam auctor ipse neglexisse potest ad Gislam Windumque redire. De aliis omissionibus vel decurtationibus vide infra p. 648. n. 61.

23) Quae Wilmans de tempore disseruit, ea haud maioris momenti sunt, quam quae de auctore.

24) Quod ad Windum Doiscenum, *de quo nostris temporibus dicemus*, annotationem 22. conferas.

25) Chron. attribuée à Baudoin d'Avesnes Recueil XXI, 166 ad a. 1235. Cf. Philippe Mouskes ed. Reiffenberg II, 611.

26) Unus hic scrupulus evellendus est. Albricus ad a. 1202. refert, popularem suum Reinaldum comitem Dampetrensem post annos 30 captivitate Alapensi liberatum esse. Quem iam anno 1203. rediisse, d'Arbois de Iubainville Histoire des ducs et des comtes de Champagne IV^a, 100 n. (c.) probare conatus est, duobus privilegiis anni ut putavit 1203. innisus. Alterum vero, quod ap. Ed. Barthélemy Diocèse de Châlons II, 431 sane anno 1203. ascribitur, multos post annos datum esse eo elucet, quod *coram Philippo Cathalaunensi episcopo* (1227—1237.) sancitum est. Et quia in hoc ipso diplomate comes Reinaldus, se ex terra sancta redeuntem monasterio Argonnensi damna quaedam restituere ait, alterum quoque diploma, quod Barthélemy l. c. I, 410 item anno 1203. attribuit, posteriori tempori assignandum est. Albricum a tanto errore, quantum d'Arbois ei imputavit, longum abesse, immo verum dixisse, diploma ap. Barthélemy l. c. I, 382, docet, mendo typographico anno 1230. ascriptum, anno 1234. ascribendum. Cf. l. c. 381 et 297. En verba episcopi Philippi Cathalaunensis, de Reinaldi filio referentis: *Et hec omnia assignavit et concessit eis — pro redemptione patris sui, qui redierat a prisione de Halape de manibus inimicorum Iesus Christi.* Iam mihi consenties neque Albricum, quippe qui de rebus Campaniensibus tam graviter non erraverit, esse Campaniensem et coaevum quidem Campaniensem negabis.

27) Cave ne verbo *novissime*, quod auctor saepe adhibuit, notionem usitatiorem subiicias. Apud nostrum verbum non eandem vim habet, atque *nuper* vel *proxime;* sed ei — fortasse Plinium secuto — est idem, ac *tandem, postremo, ad ultimum.* Cuius rei argumenta sub annis 1225. 1233. 1236. inveni: *Comitissa Gertrudis, cum esset primo ducissa Lotharingie, deinde comitissa Campanie, novissime vero de Linengis comitissa, tandem moritur sine herede. — deinde tres demones illos advocavit, quos habebat pro regibus, et novissime magnum illum principem, quem Epanamon nominavit. — post omnia illa privilegia, quibus regnum Francie a domno Iesu Christi hucusque decoratur et sublimatur, novissime tantum talemque thesaurum eidem pius Dominus habere concessit.* Quae quum ita sint, ad tempus scriptionis definiendum hos quoque locos nihil valere concedes: *anno* 1186. *ad Mabiliam novissime reversa est hereditas Britanie; anno* 1213. *Berengariam rex Ierusalem Iohannes in uxorem novissime accepit.* Aliciae, non Mabiliae, terra Britannica, quam longius per tempus Philippus II. Augustus sibi vindicaverat, anno 1211. restituta est, et Iohannes rex mortua secunda iam uxore Berengariam anno 1224. in matrimonium duxit. — Aliud etiam moneam. Isabella uxor Iohannis Angliae regis sub anno 1198. *moderna Anglie regina* audit. Quae quum anno 1218. Iohanne rege mortuo comiti Marchiae nupsisset itaque ab inde re vera *regina* non esset, locum illum ante annum 1218.

De Radulfo Suessionum comite ad annum 1070. *annotavit:* qui adhuc vivit. *Eundem vero Radulfum anno* 1236. *mortuum esse, ipse Albricus hoc sub anno tradidit*[28]. *In describendis igitur rebus anni* 1070. *ante finitum annum* 1236. *occupatus fuit.*

Sub annis 1098. *et* 1210. *Radulfus, quem usque ad annum* 1235. *abbatiae Clarae Vallis, ab inde archiepiscopatui Lugdunensi praefuisse scimus*[29], *abbas Clarae Vallis audit. Quo quae adhuc anno* 1210. *facta sint, ea auctorem ante annum* 1235. *litteris mandasse elucet.*

Quum tenorem pacis, anno 1229. *inter regem Franciae et comitem Tolosanum initae, operi suo insereret, conditioni illi, qua muri urbis Tolosae diruendi essent, addidit:* Quod iam factum est. *Idem glossema constitutioni anno* 1230. *promulgatae, qua Iudaeis Francogallis tribus pensionibus debita solvenda essent, adiecit. Verba vero vi ac sensu carerent, si auctor ea tempore longiore post muros dirutos*[30] *debitaque soluta*[31] *scripsisset; quare eum iam ante annos* 1235. *vel* 1236, *quod tempus loci supra allegati — ut dicere solemus — terminum-ad-quem effecerunt, in colligendo scribendoque versatum esse credam.*

Rei narratae prorsus aequalem laus quaedam regis Angliae mihi sapere videtur: Anno 1232. De rege Anglie dicitur, quod religioni valde consentit et quod nuper[32] in Londiniis, ubi sunt ditissimi Iudei, pulcherrimam domum, quam pro synagoga dedicanda erexerant, fecit fieri ecclesiam beate Marie —. Pauperibus etiam benivolum se exhibet et munificum et Iudeos baptizatos de regiis donariis precipit sustentari et alios sua benivolentia provocat ad baptismum, et ista etiam eius humanitas in pauperes de die in diem accipit incrementum.

Sequente sub anno auctor, postquam de interitu Conradi Marburgensis magistri retulit, litteras ab archiepiscopo Moguntino et fratre Bernardo anno 1234. *Romam missas, quibus Conradum non ullo sine iure necatum esse ostenderent, cum operis lectoribus communicavit. Itaque res anni* 1233. *non ante annum* 1234. *exaravit. Eas vero vel anno* 1234. *nondum finito, vel ineunte*

---

scriptum esse, nescio an quis affirmarit. Sed considerandum est, sicut Mathildis Henrici V. antea uxor, iam vero Aquitaniae ducissa, se etiamtunc semper imperatricem nuncupavit, ita quoque Isabellam, quae licet comiti Marchiae nupta solium regium reliquisset, regium tamen nomen sibi retinuisse. Cuius rei argumentum praebent Matthaeus Paris ed. Maddens III, 15 necnon diploma ap. Bouquet XX, 206 n. 12: *Hugo de Lezignam comes Marchie et Engolisme et Ysabella Dei gratia regina Anglie, dictorum comitissa uxor* etc. Res quum ita sit, illud *moderna Anglie regina* sane docet, auctorem ante annum 1246, quo Isabella obiit, in opere conficiendo occupatum fuisse, nec vero eum iam ante annum 1218. scripsisse probat.

28) Secundum necrologium quoddam Suessionense comes die 4. Ianuarii 1237. obiit. L'art de vérifier les dates III^{b}, 265. ed. II^{a}.

29) Cf. Gall. chr. IV, 141.

30) Quo tempore muri diruti sint, accurate definiri non licet. Secundum Guillelmum de Podio Laurentii c. 40. ap. Bouquet XIX, 224 comes Tolosanus *de voluntate propria remansit in prisione regis Parisius, donec muri Tolosae corruissent et castra et villae.* Qui quum die 30. Iunii captivitate liberatus sit, muros ante finem mensis Iunii dirutos esse consequaris. Et partem murorum eo tempore eversam esse minime negarim; sed pace duos demum ante menses inita tantum laborem, quantus murorum magnae illius urbis destructioni inerat, iam exeunte mense Iunio perfectum esse vix credam. Qua in re mihi forte consenties, si has pacis conditiones perpenderis: 20 *cives Tolosae de voluntate nostra et ipsorum in hostagiis carissimi domni nostri Ludovici, regis Francorum illustris, remanebunt, quousque* 500 *tesiae rapinales murorum Tolosae sint dirutae et totidem tesiae fossatorum sint repletae, in qua parte Tolosae domnus rex et domnus legatus voluerit. Et cum hoc dicto regi constiterit, eos debet a suis hostagiis liberare. Iuraverunt autem praenominati cives, quod quam cito ab hostagiis praedictis liberati recesserint, conventiones de diruendis omnino muris Tolosae et implendis fossatis bona fide et efficaciter persequentur.* Vaisette Hist. de Languedoc III. Preuves 334. Conditiones certe, quae ad longius temporis spatium referendae sunt!

31) Pensiones aeris alieni solvendi, a nostro omissas, ex exemplari ap. Duchesne Scr. rer. Franc. V, 421 supplemus: *debita solventur tribus terminis, videlicet in instanti festo omnium sanctorum* (1. Novemb. 1231.) *tertia pars, in sequenti festo sanctorum tertia pars et in alio sequenti festo omnium sanctorum residua pars.*

32) De re huic simillima Matth. Paris ad annum 1233. narrat, ed. Maddens II, 362.

anno 1235. *descriptas esse, verba litteris addita docent:* Quid ad hoc domnus papa scripserit, nondum scimus, nisi quod penitet eum satis, quod tantam dicto magistro Conrado potestatem permiserit, unde talis confusio emerserit. Insuper visio quedam visa est in Alemania de novo, per quam coniicitur, quod idem Conradus sit dampnatus. *Verba* nondum *et* de novo[33] *sententiam nostram satis probant. Animadvertas etiam velim, pontificem Romanum non solum potestatis magistro permissae poenitentiam non egisse, sed etiam de archiepiscopo Moguntino ceterisque, qui in Conradi interfectores licito lenius consuluissent, graviter conquestum esse*[34].

Iterum aequalem agnoscimus auctorem, quippequi ducem Austriae, anno 1235. *a rege Ungariae devictum, hisce verbis vituperet:* — quasi a probitatibus patris omnino alienus, de die in diem se habet deterius, ut iuvenis.

Anno 1236. *milites ordinis Calatravae Sarracenos Hispanicos devicisse narrat et:* de istis, *dicere pergit,* cotidie meliora melioribus a peregrinis nunciantur[35].

Haec auctorem inde ab anno fere 1232. *aequalem indicant*[36]*; aliae vero res posteriore tempore et quidem — ut mihi videtur — ab auctore ipso scriptae sunt. Inprimis notandum est, librum de episcopis Leodiensibus, quem Aegidius Aureae Vallis anno* 1247. *suscepit*[37] *et anno* 1251. *finivit*[38], *a nostro usibus suis adaptatum esse. Quod cum certo certius sit*[39], *haud video cur cetera, quae antecedenti argumentationi repugnent, auctori derogemus et interpolatori adiudicemus. Cetera autem sunt: ut iam supra ostendi, ab anno* 281, *ubi auctor de haereticis retulit, ad annum* 1235. *et meo iudicio etiam ad annum* 1239. *delegamur. Sub anno* 1113, *quot capellas ordines Hospitalitarum et Barbatorum* circa annum 1240. *habuierint, declaratur*[40].

---

[33] Verbis: *de novo* noster alia notione utitur, ac *denuo;* verba eandem apud eum habent vim, quam *nuper, nuperrime.* E. g. Carolum Calvum anno 877. *de novo* imperatorem coronatum Pontigonem venisse narrat. *Anno* 1113. — *ordo militie de novo multas domos perdidit* etc. Neque aliam sententiam verbo subiecit alius huius temporis scriptor Campaniensis, Guido scilicet Cathalaunensis, qui ad annum 924. Heribertum comitem *ob gratiam Rodulfi Francorum regis de novo creati* Carolum regem ad colloquium fraudis invitasse ait.

[34] Cf. litteras Gregorii IX. ap. Manrique Annal. Cistercienses IV, 500. Ripoll Bull. ord. Praed. I, 70.

[35] Quod hunc locum anni 1236. attingit: *Magister Robertus de novo resipiscens, ad mandatum pape multos hereticos denudavit,* dubito utrum verba: *de novo,* quibus nostrum eadem notione usum esse ac *nuper* supra docui, ad scriptoris tempus referenda sint, an ad tempus, quo Robertus haereticos denudavit. Nec secus haesito, quid de duobus his locis anni 1225. censendum sit: *libellus hic, ante* 300 *circiter annos editus, et magnum concilium nuper celebratum evasit, et hoc anno dampnationem incurrit. — Bituricis cicitate consilium celebratum est, Romano cardinali praesidente. Qui cardinalis Parisios reversus, nuper tumultum fecerat.*

[36] Hic nonnulla afferre lubet, quae longius sane temporis spatium amplectuntur. Ad annum 1168. Fridericus II. dicitur *modernus imperator.* De eodem sub anno 1226. auctor narrat: *Imperator iste dicitur tantos in auro et argento thesauros habere, quantos ullus de antecessoribus eius habuit.* Adhuc ergo Fridericus vivebat. — Sub anno 1198. Isabella filia comitis Engolismensis *moderna Anglie regina* audit. Isabella autem, post mortem primi viri, Iohannis regis Angliae, Hugoni comiti Marchiae nupta, sed etiam tunc *Dei gratia regina Angliae et comitissa Marchiae et Engolismae* dicta, teste Matthaeo Paris ed. Maddens III, 15 anno 1246. obiit. — De Erchambaldo Dampetrensi sub anno 1216. dicitur: *ditissimus est in Alvernia.* Eum die 21. vel 22. Iulii 1242. cecidisse, in L'art de vérifier les dates III^{a}, 219 ed. II^{a}. edocemur. — Filiam Gualerani Limburgensis ducissam Lotharingiae esse, ad annum 1214. invenies. *Et una eius filia Katharina est Lotharingie ducissa.* Quam anno 1255. mortuam esse constat. — Quod Richardum Cornubiae comitem attingit, iam Wilmans l. c. 179 annotavit.

[37] Cf. Aegidii epist. dedicat. apud Chapeaville II, 2: *Et inde ab anno* 1048. — *nostram dignum duximus initium habere portiunculam, finem vero in Henricum tertium huius nominis, quem prefecit ecclesie Leodiensi Petrus dictus Caputius, diaconus cardinalis Sancti Georgii ad velum aureum, legatus sancte Romane ecclesie, anno Domini* 1247. 6. *Kalendas Octobris.*

[38] Cf. Aegid. III, 137: — *usque in finem anni Domini* 1251, *quando calamo silentium imposuimus* —.

[39] Huiusce rei certissimum argumentum annus 1106. praebet. Eo enim Albricus de sepultura Henrici IV. referens Aegidium secutus est, attamen Aegidii verbis, nescio quo errore, suum anteposuit nomen: *Auctor: Sepultus est imperator extra Leodium in monte Cornelii* etc. Nec mirum, quod monachus Trium Fontium libro monachi Aureae Vallis usus est; quum uterque Cisterciensis, tum Aurea Vallis, ut supra iam diximus, filia Trium Fontium erat.

[40] Insuper conferre

Et nihilominus res annorum 1229. et 1230. post tempus haud longius enarratas, laudem regi Angliae ipso anno, cui ascripta est, scilicet 1232, impertitam esse censuimus[41]*! Mors Ladislavi Polonorum ducis rebus anni 1227. intercalatur: tyrannum anno demum 1239. mortuum esse constat. Carolus frater regis Ludovici IX, anno 1246. Andegavensibus praefectus*[42]*, iam ad annum 1239. comes Andegavensis audit. Iohannes de Plano Carpino anno 1246. ad Tartaros missus esse sub anno 1239. dicitur. Hisce rebus convenit, quod lantgravius Thuringiae, de quo annum 1241. videas,* postmodum electus Romanorum *nuncupatur. Ultimum laboris terminum*[43]*, opus Aegidii adhuc excedentem, praebet genealogia Henrici Leonis, sub anno 1193. explicata. En verba:* Guilelmus vero de sorore regis Dacie genuit istum Ottonem, qui tenet ducatum de Brunswik, patrem Ysabelle, uxoris Guilelmi Romanorum regis. *Haec post 25. diem Ianuarii 1252, et quum* verbum tenet *optimo iure urgere mihi videar*[44]*, ante 9. diem Iunii eiusdem anni scripta sunt. Hoc enim die dux Otto mortuus est*[45]*, illo Isabella Guilelmo nupsit*[46].

Controversia eo modo effecta ut tollatur, haec coniiciam: Aegidii Aureae Vallis liber de Gestis pontificum Leodiensium, anno 1251. publici iuris factus, ad manus Albrici pervenerat; fortasse Aegidius ipse exemplar operis matri ecclesiae, Trium Fontium scilicet, dono dederat. Qua re noster commotus ad chronicon diu interceptum rediit, idque iterum revolvens nonnulla addidit, praecipue ex ipso Aegidii libro. Nec vero operi finem imposuit. Quod quominus usque ad annum 1252. deduxerit, nescio qua causa impeditus sit.

Aegidio — sit coniecturae venia! — ecclesia mater quasi mutuum munus opus Albrici transmisit. Id postea Aegidius cum monachis Hoiensibus communicavit, monachis — inquam — rerum historicarum summopere curiosis, quippe quorum postulatione Aegidius ipse librum de Gestis episcoporum Leodiensium confecisset[47]*. Tandem chronicon nostrum, quod quum Aegidio reddendum esset, monachus quidam Hoiensis non solum transcripsit, verum etiam rebus Hoiensibus ampliavit. Hac in re tum traditione, tum libro illo usus est, quem auctor abbati Hoiensi dedicaverat, Aegidii scilicet Gestis pontificum Leodiensium*[48].

---

vis: *Anno* 1200. — *Hugo factus episcopus sedit annis* 29 — *Anno* 1202. — *et in illa captivitate fuit per annos* 30. — *Sefridus factus est archiepiscopus per annos uno minus* 30. – *Anno* 1211. — *per annos* 20 *mirabili opere restauratur.* — *Anno* 1211. — *post annos* 18. — *Anno* 1212. — *infra annos* 20. — Haec certe Albrici sunt; e contra Hoiensis est, qui ad annum 1208. verbis: *in loco opportuno dicemus* annum 1236. allegat.

[41] Sub ipsis annis 1229. et 1230. verbis: *infra triennium* vel *per triennium* ad annum 1231. vel 1232. delegamur.

[42] Cf. L'art de vérifier les dates IV, 23 ed. II^a.

[43] Sane, si scriptoribus nostri aevi Bavaricis, qui die 5. Aug. 1254. Ludovicum ducem Bavariae Mariam, filiam ducis Brabantiae, in matrimonium duxisse affirmant, fidem attribuendam esse docueris, terminus-ad-quem, a nobis statutus, ultimus non erit. Sub anno enim 1241. Ottonem, quem Ludovici loco posuit, auctor alteram filiam ducis Brabantiae sibi adiunxisse tradit. Sed quamvis quaesierim, nec diei neque anno ullum pretii aliquanti testimonium reperi. Qui primus diem 5. Aug. 1254. statuit, ignotus quidam esse videtur, cuius dissertatio de Maria Brabantina ap. Hormayr Archiv f. Gesch. etc. 1828 p. 105–109 exstat; novissimus diem annumque repetivit Häutle Geneal. des Stammhauses Wittelsbach p. 5. Hac in sollicitudine versato solatium mihi erat, ne Böhmerum quidem diem annumque illum documentis probare potuisse. Quare in libro Wittelsbachische Regesten p. 26. utrumque silentio praeteriit.

[44] Codex sane Hannoveranus habet: *tenuit,* sed inferioris notae est, quam Parisiensis; et auctor ipse si *tenuit* scripsisset, ullo sine dubio etiam Ottonis successorem nomine nuncupasset.

[45] Secundum Ann. Stad. Mon. Germ. SS. XVI, 373 et Necrol. Wienhus. in Zeitschr. f. Niedersachsen 1855. p. 210; secundum Necrol. S. Michaelis ap. Wedekind Noten III, 42 obiit 7. die Iunii.

[46] Anno 1252. 8. Kal. Febr., *in quo beati Pauli conversio contigitur,* nuptias Brunswigae celebratas esse, Ann. Erphord. Mon. Germ. SS. XVI, 38 tradunt. Quibuscum et die et loco Ann. Stad. ibid. 373 consentiunt, sed anno 1251. nuptias ascribunt. Hoc per errorem factum esse, diplomata ap. Böhmer Reg. imp. 1246—1313. p. 17 et 19 docent.

[47] Epist. dedicat. ap. Chapeaville II, 1.

[48] Quod loco illo efficitur, quem supra p. 642 descripsi. Hunc interpolatoris esse eo evici, quod in patriarcharum successionem, ab auctore concinnatam, parum apte illigatus sit; eum ex Aegidii Gestis desumptum esse, verba haec probant: *privilegium crucesignatorum transmisit Otberto tunc temporis Leodiensi episcopo.* Quibuscum conferas Aeg. Aur.

Quo tempore interpolator sua adiecerit, accuratius definiri non licet. Certo ante annum 1295. *scripsit; hunc enim ante annum codicem quendam, qui iam periit, cuius vero exemplar exstat, confectum esse infra docebimus.*

Haec de interpolatore; cuius rationem ulterius non habituri de auctore tantum eiusque opere disseremus. Sed quae de nostro comperta habemus, ea pauca sunt et nonnisi ex ipsius chronico desumpta. Albrici[49] *ei igitur nomen erat; in monasterio Trium Fontium Cathalaunensis pagi regulae Cisterciensi obsequebatur; multa ei cum viris spectatissimis commercia fuisse, testes ad quos provocat docent; monasteria Tribus Fontibus vicina pluries invisit: librum quendam se in abbatia Bullencuria*[50] *pervolvisse*[51]*, passionarium quoddam, registrum Gregorii VII, narrationem quandam mirabilem, vaticinium in urbe Damietta inventum se Claravalle legisse*[52]*, ipse testatus est. In monasteriis Orbacensi*[53]*, Dervensi*[54]*, Divionensi, Cheminensi*[55] *diplomata quaedam inspexit et excerpsit. Sed ad loca etiam remotiora pervenit: ea quae in Lateranensi ecclesia leguntur in medium protulit*[56]*; sanctae Elisabethae revelationes Schonaugiae asservari tradidit*[57]*, et quum de corpore beatae Luciae, Venetiis* in multis serris et portis *incluso, referens his verbis narrationem affirmaret:* et hoc testatur qui propriis oculis vidit[58], *nescio an auctor de se ipso locutus sit. Eum multum peregrinatum esse, inprimis subsidia operis probant: tot libros non una duaeve bibliothecae praebuerunt; quum Albricus in universum* chartas abbatiarum *alleget, eum plurium abbatiarum tabularia perquisivisse elucet. Multa igitur scripta revolvit et in iis excerpendis diligenter institit. Nec tamen vir magni ingenii erat. Cuius chronicon si rudem indigestamque molem dicimus, ei certo iniuriam non offerimus. Qua re haud multum nobis dolendum est, quod Albrici de arte poetica liber, qui Carolo de Visch*[59] *teste penes Praedicatores Colonienses exstabat, nostra ad tempora pervenisse non videtur. Sed dubitarim, num auctor tantae rusticitatis, cui vix prosae orationis facultas, unquam in rebus metricis versatus sit. Equidem illud de arte poetica opus, a Carolo de Visch allegatum, alii cuidam Albrico attribuam.*

Chronicon ut scribendum susciperet, — nisi fallor — hac ratione commotus est: Sancti viri, *inquit*[60], qui sunt in claustris, plus intendunt contemplationi et sermonibus quam cronicis; et litterati, qui sunt in seculo, vel ad prebendas tendunt vel ad pecuniam. Unde est illud:

Dat Galienus opes et sanctio Iustiniana;
Ex aliis paleas, ex istis collige grana.

Id ab incepto opere sibi antiquissimum habuit, ut eandem rem plurium narratione illustraret[61]. *Sub anno* 833, *postquam de imperio inter filios Ludovici*

III, 16: *cum privilegio crucesignatorum domino Oberto Leodiensium episcopo transmisso ad partes Leodienses revertitur.*

[49] *Albricus* scripsit auctor codicis Parisiensis; codex Hannoveranus interdum *Albericus* habet, saepissime vero cum Parisiensi concordat.

[50] Boulancourt, départ. Seine-et-Marne, arrond. Fontainebleau.

[51] Cf. annum 835.

[52] Cf. annos 835. 1085. 1173. 1220.

[53] Orbais, départ. Marne, arrond. Epernay.

[54] Montier-en-Der.

[55] Cheminon, départ. Marne, arrond. Vitry-le-François.

[56] Anno 907. — *in ecclesia Lateranensi Rome multo aliter sentitur de eodem Formoso — sicut ibi legitur, Lateranensem ecclesiam ab invasoribus predecessoribus suis destructam renovavit.*

[57] Cf. annum 1156.

[58] Cf. annum 970.

[59] Bibliotheca scriptorum sacri ord. Cisterciensis p. 17.

[60] Ad annum 400. Cf. annum 990: *In multis namque studebant antiqui, que hodie habentur derisui.*

[61] Interdum initium tantum vel initium et finem descripsit, lectore ad fontes ipsos delegato. Qua re factum est, ut illa *Narratio de Stadingis, quam Fredericus de Sinu sancte Marie prepositus misit abbati Premonstratensi*, periret. En Frederici et Albrici verba: *In Bremensi archiepiscopatu ab ipsa metropoli ad duas leugas erat insula, et cetera, que ibi continentur.* Alia exempla collegit Wilmans l. c. 193. n. 2. Sed quaeritur, utrum omnia huiuscemodi ab auctore ipso, an ab interpolatore, an alia ab auctore, alia ab interpolatore oppressa sint. Quodsi auctor ad annum 1218, his verbis: *De Frisonibus in superiori pagina continetur,* ad litteras quasdam recurrit, quarum sub anno 1217. initium tantum finemque legimus, accu-

Pii diviso secundum Helinandum retulit: et quia per unum auctorem, *inquit*, alius intelligitur, secuntur verba Guidonis[62]. *Ubi de proelio anno* 1097. *ad flumen Bardarum commisso Sigeberti et Balderici verba communicavit, lectorem adhortatus est:* Conferantur singula singulis, et sicubi mendacium deprehenditur, corrigatur. *Testimonia aliunde desumpta quum sui ipsius rerum cognitione explanaret, usque ad annum* 1111, *Helinandi exemplum secutus*[63], *verbo:* Auctor *sua ab alienis secernit*[64]*; inde ab anno* 1111. *usque ad* 1223, *iam animosior factus, nomine diutius non retento, se Albricum nuncupavit. Nec solum hac significatione narrationes aliorum locupletavit, verum etiam, auctoribus interdum vituperatis, corrigere conatus est*[65]. *Sigebertum, qui anno* 1100. *Urbanum papam mortuum esse* schismaticum *tradiderit*, indiscrete et confuse *loqui ait, Ottonis Frisingensis chronico confidens. Quem ordinis socium Guidoni quoque populari suo praetulit. Hunc ad annum* 842. *ob inanium verborum turbam reprehendit, illum* semper maturius incedentem *laudavit. Sed ne Ottoni quidem fidem indubitatam attribuit. Quem de Iohanne XII. pontifice mitius quam verius censuisse dixit:* pro reverentia sancte sedis. *Petro igitur Damiano astipulatus est, severum de Iohanne iudicium ferenti. Ceteris huiuscemodi rebus postpositis*[66], *praecipue etiam monendum est, Albricum maximam operam in chronologia corrigenda navasse et hac in causa quasi magnifice se intulisse Quum amici eum rogassent*[67], *quodnam tempus inde a mundo creato usque ad Deum incarnatum effluxerit, calculis subductis* eis qui voluerint contradicere, *inquit*, parati sumus pro posse nostro respondere. *Et paulo post dicere pergit:* Quod vero 74 annis et antiquius ponimus nativitatem Abrahe, quam Eusebius, et secundum hoc cetera omnia que secuntur ordinavimus, hec est tota vis, propter quod laborem istum de annis ita subtiliter calculandis assumpsimus. *Ad superbiam vix tolerabilem alia eum inflavit computatio:* Dico ergo non per opinionem, sed per affirmationem et certitudinem, quod beatus Martinus obiit hoc anno (400.); et hoc paratus sum probare certis auctoritatibus contra omnes conpotistas et cronographos, si fuerint contradictores. *Modestiorem se gessit, ubi testimonia de Christi obitu recensuit:* Evasi inter utrumque prout potui, et qui tutiorem viam salvis auctoritatibus predictis michi ostenderit, libens et voluntarius in hac arte ero discipulus[68].

---

rata de Frisonibus narratione omissa; equidem vix dubito, quin interpolator, non auctor tam incommode absoneque decurtaverit. Sed quia certis argumentis rem definire nequeo, eam integram relinquo. Cf. supra p. 643. n. 22.

62) Quodsi Wilmans l. c. 192, in his anni 855. verbis innisus: *que ab istis quasi despecta conculcata sunt, colligere et secundum praescriptam formulam ordinare conabimur*, Albrico opus certo modo dispositum ut scriberet iniunctum esse coniecit, vir cl. mihi valde errasse videtur. *Secundum prescriptam formulam* idem est atque *secundum formulam, qualis adhuc fuit*. Cf. de hac re A. Pannenborg Studien zur Gesch. der Herzogin Mathilde p. 13. n. 2.

63) Cf. Tissier Bibl. Cist. VII, 313, ubi editor *frequentissime voculam illam: Auctor, alioqui etiam importunam*, se omisisse profitetur.

64) *Anno* 1110. *Auctor Albricus.* Cod. Paris., *Auctor.* Cod. Hannov. — *Anno* 1163. *Albricus monachus.* Cod. Paris. et Hannov.

65) Semel atque iterum, ubi auctores inter se distulerunt, eos ad concordiam redegit. Inprimis nomine quodam tempori non conveniente virum, de quo dixit, *binomium* fuisse coniecit. *Anno* 691. *Quod ibi nominatur papa Zagharias, intelligendum quod papa Sergius fuit binomius.* Cf. anno 774. 802. 886. Aliud concordandi genus ad annum 1097. invenies: *Ita potest fieri diversarum sententiarum concordantia.* Cf. infra p. 650. n. 69.

66) Hic duo etiam exempla proferre liceat: *Anno* 987. — *decipitur nimis in temporis circumstantia predictus Guilelmus* (Malmesberiensis), *quia Ludovicus ille, quem irritavit Ysembardus, non fuit filius Lotharii, nuper defuncti, nec pater eiusdem Lotharii, quos pro uno, ut inscius hystoriae, conputare invenitur.* — *Anno* 1095. *Ubi dicit Sigebertus: „Habitis conciliis“ de illo concilio, cuius per orbem fama clarius enituit, specialiter meminisse debuit.*

67) Item ad annum 1035. rogantibus quibusdam respondit: *Quesitum est* etc. Responso iam dato si adiungitur: *et ut satis querentibus faciamus*, haec non Albrici sunt, sed Hoiensis, qui, quum in narrationibus Hoii ore propagatis inniteretur, se Albrico melius querentibus satisfacere posse arbitratus est.

68) Cf. anno 340. et 769. *De obitu beati Nicolai credimus hic anno-*

In chronico igitur concinnando quin arte quadam critica auctor uti voluerit, nequaquam dubitabis; attamen ne minime quidem postulatis tuis satisfecit. Voluntas laudanda, sed vires deerant. Ullo sine dilectu, prout libri praesto erant, haec illave operi inseruit: exempli gratia pene integram Ottonis Romanorum imperatoris Historiam, quam Liutprandus confecit, eadem diligentia descripsit, atque Gesta Philippi Augusti Francorum regis, quae Rigordus et Guillelmus Armoricus celebrarunt. Non solum leges Henrici (VII.) principumque Germaniae, sed etiam edictum, quod anno 1230. *Ludovicus IX. et barones Franciae contra Iudaeos promulgarunt, in opere nostri leguntur. Ne te morer: hoc profecto est chronicon de rebus omnibus et quibusdam aliis conscriptum. Narrationibus insulse cumulatis accedit stupenda auctoris credulitas: fictiones Turpini ei ne tantillum quidem scrupulum moverunt; quae poetae suae aetatis de temporibus longe remotis cecinerunt, ea interdum sane in dubium vocavit, sed saepius aut vere facta esse credidit, aut cum historia, quae certa rerum fide nititur, in concordiam redigere tentavit*[69]*; miraculis vanisque simulacris liber abundat: diaboli, ut ita dicam, inferna perfodiunt*[70]*, daemones super terram saltant*[71]*, manes aerem pervolant*[72]*. Quae quum ita sint, quid adhuc mirares, auctorem ad dissolvendas historiae quaestiones in Revelationibus sanctae Elisabethae nisum esse aliasque insuper revelationes exspectasse?* Omnes, *inquit*, usque ad tempus Elyzabeth istius errabant historiarum scriptores et cronographi *Dein:* Et quia multa nostris temporibus revelata sunt et cotidie revelantur, si aliquis vel etiam aliqua inveniatur, cui Dominus ista revelare dignatur, ita quod sit concordantia et arti et rationi et auctoritatibus, hoc notissimum inter alia petere debemus. *Quibus rebus si rudem auctoris sermonem addideris, idem istud opus concedes litterarum monasticarum decrescentium, de quibus Albricus ipse conquestus est, lugubre argumentum praebere; monasticarum — inquam, — ne enim obliviscaris velim, in Campania eodem fere tempore et equitem illum, Godefridum de Villa Harduini, egregium historiarum librum scripsisse et Bertramum de Barro ipsumque Theobaldum comitem aliosque vates immortalia composuisse carmina.*

Ceterum vir omni laude dignus est. Veritatis studiosissimus erat: Ottonem Frisingensem, quod Iohannem XII. Romanorum pontificem excusaverit, reprehendit et, ut superius iam annotavi, severiori iudici astipulatus correxit; ut Gregorium IX. infaustae potestatis magistro Conrado Marburgensi commissae poeniteat fore speravit[73]*, sed frustra speravit. Eadem aequitate erga principes seculares utitur: Guidonem Cathalaunensem, in celebrandis comitis Campaniensis laudibus nimium, verbis fere duris redarguit*[74]*; quae vero idem auctor de Henrici IV. virtutibus iure praedicavit, ea libenter recepit*[75]*, quamvis Henricus pontificibus Romanis inimicus fuerit. Quod ad lectionis multitudinem et varietatem, nullum huius temporis chronographum ei aequiparare possumus, neque ullus, Vincentio Bellovacensi fortasse excepto, historiarum libros tanta diligentia revolvit, descripsit, excussit. Opus inaestimabilis pretii foret, si plures maioresque libri, in quibus nisus est, ad tempora nostra non pervenissent. Qui quum plerique adhuc exstent, ea tantum gravioris momenti sunt, quae auctoris tempora attingunt.*

---

tandum, quia vita illius atque translatio non aliter concordarent, sed contrarietas determinanda est a peritis. — Revolvendo autem compotum, incenio hec omnia in hoc anno concurrere.

[69] *Anno* 774. *Quoniam Amicus et Amelius hoc anno passi sunt, videndum est, si de hystoria illorum aliqua reperiri posset concordia.*

[70] Cf. e. g. an. 1141.

[71] Cf. e. g. an. 1233.

[72] Cf. e. g. an. 976. 1130.

[73] V. an. 1233.

[74] V. an. 1163.

[75] V. an. 1085.

Haec sunt omnia, quae annum 1223. *sequuntur, ultimum scilicet locum, ubi nomine Albrici addito sua ab alienis secernit; sed etiam in priori parte nonnulla occurrunt, quae ad fontes reduci nequeunt. Qua ratione imprimis familiarum nobilium stemmata laudanda sunt.* Nulli sit onerosum, *inquit*, quod personas illas hic annotavimus, quarum nomina frequenter in cartis abbatiarum inveniuntur. *Et certo nemo hoc eius studium grato animo non agnoscet, immo quivis huic iudicio meo consentiet: quodsi Annalista Saxo apud Germanos, apud Francogallos Albricus scientiarum genealogicarum parens et auctor dicendus est. Necnon ea magni aestimanda sunt, quae ad historiam litterariam illustrandam protulit. De libris historicis, quos in conficiendo chronico adhibuit, infra accuratius disseremus; quibus accessionibus historiam ceterarum disciplinarum adauxerit, annotatio nostra docebit*[76].

Iam ad fontes transeamus. Et primo quidem Albricum multa ex ore hominum accepisse docebimus[77]. *Quod iam verbum saepe recurrens:* dicitur *probat. Iohannicium regem Bulgariae anno* 1206. *interfectum esse, auctor se* audiisse *ait*[78]. In isto quoque anno 1221, *inquit*, nunciatum est in Francia, *Tartaros fines Comaniae transgressos esse; mortem principis Antiochiae* nunciatam esse *et de proeliis inter christianos et Sarracenos Hispanicos commissis* quotidie meliora melioribus a peregrinis nunciari, *ad annos* 1236. *et* 1237. *legimus. Quod tempora remotiora attinet, auctor interdum ad narrationes ore propagatas provocat:* 1050. vulgo narrantur. 1066. narratio quedam vulgaris. *Semel atque iterum quae sibi a senioribus relata sint refert:* 1056. habemus ab antiquis. 1097. miraculosa historia tradita a maioribus[79]. *Haec in universum; quae speciatim de testibus annotata inveniuntur, sunt:* 784. ut dicit abbas de Valle sancti Petri[80]; 970. Et hoc testatur, qui propriis oculis vidit[81]; 1098. Domnus Radulfus Clarevallensis michi retulit[82] *etc.;* 1116. Qui hoc vidit testis est[83]; 1130. dicitur a quodam abbate ordinis Cisterciensis de Suecia, — sed et abbates de Dacia in generali capitulo apud Cistercium per omnia vera esse protestati sunt; 1166. indicante abbate Gerhardo de Alna[84]; 1199. teste domno Hugone de Nigella, qui fuit abbas de Ursicampo et postmodum de Ripatorio[85];

---

[76] Vir cl. Wilmans in appendice de rebus litterariis facto p. 240—245 nonnulla omisit, alia proposuit, quae aut non Albrici ipsius sunt, sed ex fontibus derivata, aut ad historiam pertinent. Hanc equidem seriem tibi praebeo: de sancto Severiano 393, sancto Adhelmo 694, Ambrosio Autperto 767, Paulo diacono 807, Albino doctore 835, Rabano Mauro 835. 844, Halitgario Cameracensi 850, Strabone 855, Iohanne VIII. pontifice 873, Herigero Lobiensi 990, Silvestro papa 998, Papia 1053, Gerlando magistro 1084, Aimaro Podiensi 1095, Petro Alphonso 1106, Roberto Leodiensi 1111, Guillelmo de Campellis 1113, Anselmo Laudunensi 1115, Hugone Praemonstratensi 1130, Petro Cluniacensi 1143, Petro Cantore 1149. 1197, Haimone de Bazochiis 1151, Guillelmo de Conchis 1154, Hildegarda Bingensi 1154, Elisabetha Schonaugiensi 1155, Omnebono, Gratiano, Petro Lombardo, Richardo Sancti Victoris, Herveio Dolensi 1156, Zacharia Chrisopolitano, Radulfo Flaicensi, Ioh. Salisberiensi 1157, Petro Manducatore et Petro Pictavino 1169, priore quodam Sanctae Trinitatis Londiniensis 1175, Lamberto Leodiensi 1177, Iohanne Ambianensi 1182, Iohanne Leodiensi 1195, Humberto Mediolanensi et Garnero Lingonensi 1200, Alano Insulano 1202, Petro Pictavino 1205, Bartholomaeo Turonensi et Stephano Cantuariensi 1206, Petro Riga 1208, Prepositino magistro 1209, Azone legum interprete 1220, Stephano Cantuariensi 1228, Guillelmo Autissiodorensi et Ardingo Papiensi 1230, Philippo Parisiensi 1237.

[77] Quae Wilmans l. c. 236 n. 3 hac de re disseruit, ea pauca sunt et minime sufficiunt. Necnon cetera, quae vir doctus ad detegendos et illustrandos fontes investigavit et collegit, nequaquam omnibus numeris absoluta dici possunt.

[78] *Ao.* 1095. *Quod iste episcopus* etc. — *audiisse me recolo.*

[79] Sequentem anni 1035. locum: *alii dicunt, et maxime antiqui Hoienses* interpolatoris esse elucet.

[80] Heisterbach.

[81] Sed haec verba fortasse ad auctorem ipsum referenda esse, supra auguratus sum.

[82] De hoc loco conferas p. 637 n. 71.

[83] *Monstrum quoddam Namurci natum est, videlicet biceps infantulus. Qui hoc vidit, testis est.* Testem hunc, qui si Albricum locutus est, infantem non ipso nativitatis anno 1116 videre potuisse luce clarius est. Sed monstrum iam aetate provectum vidit. Nec vero tibi repugnarim, locum nostrum alio e libro descriptum esse contendenti.

[84] Aulne-sur-Sambre.

[85] Ours-camp et L'arivour.

1200. Hec omnia retulit abbas de Chaerio[86], qui fuit socius eiusdem cardinalis, prout propriis oculis aspexit et audivit; 1205 simpliciter refero, quod a quodam presbitero Flandrensi dicitur. Qui per civitatem Ternoam repatriando iter habuit, hec retulit *etc.* — Ad hoc etiam quod imperator Balduinus in Ternoa fuerit occisus, consentit domnus archiepiscopus Mitilenensis et unus monachus magister Albertus, qui eodem anno ibi per Ternoam transitum habuit; addidit supradictus presbiter Flandrensis *etc.;* 1208. Dicit episcopus Cuviniensis de Armenia *etc.;* 1210. tam clerici, quam layci, qui viderunt, retulerunt *etc.*; 1212. Qui vidit et fuit unus de predictis clericis, quos califas in parte sua emit, fideliter retulit *etc.* — et post annos 18 huius expeditionis addidit, qui hoc retulit *etc.;* 1218. et sicut dictum est abbati de Valle sancti Petri, cum eodem anno visitationis gratia Frisiam intrasset; 1225. dicit ergo episcopus Semigallie domnus Balduinus de Alna, quod frater Symon veraciter dixit *etc.;* 1233. Qui hec retulit, dixit quod a duobus vel tribus clericis istud accepit; 1239. Tartarorum forma, sicut ille qui vidit testimonium perhibet, talis est *etc.*

Testes fere omnes, ut iam supra monui, ordini Cisterciensi ascripti erant. Quibus a fratribus suis auctorem multa et alia accepisse si statuimus, vix audaces reprehendemur. Singula quae de hac re optimo iure auspicari mihi videor, quia longum est, in medium proferre supersedeo. Sed unum hoc momentum sufficiat. Iacobus cardinalis Praenestinus, quondam abbas Trium Fontium[87], *quum Placentiae natus, in Francia Cisterciensis factus, Romae cardinalis promotus, in Ungariam*[88] *et Franciam*[89] *orator missus, ubique summis negotiis functus*[90], *terras perlustrasset, homines nosset, maximas res gestas vel vidisset vel audiisset, nonne eum nostro testem locupletissimum et, ut ita dicam, fontem inexhaustum fuisse credas? Trium Fontium abbati iam multa cum monacho suo communicare licuit: exempli gratia anno* 1211. *Petrum Lucedii abbatem Yvorensibus, Giraldum Pontis abbatem Placentinis episcopos a pontifice Romano praefectos esse, anno* 1213. *monasterium sancti Augustini Papiense, cuius monachi abbatem interfecerint, regula mutata abbati Mortariae a legato subiectum esse, et cetera huiuscemodi; cardinalis factus quum ex Italia et Ungaria redux monasterium suum Campaniense inviseret, Albrico etiam plura et quae gravioris momenti erant suppeditare potuit. Ad eum, ut ex multis pauca eligam, accurata illa descriptio proelii, quod anno* 1231. *inter Bolonienses et Mutinenses commissum est, ad eum imprimis omnia quae Ungariam attingunt, — instituta publica*[91], *res a regibus gestae*[92], *Andreae regis et Isabellae reginae sepultura*[93], *filii cuiusdam diu desiderati ortus celebreque baptisma*[94] *— mihi referenda esse videntur*[95]. *Equidem vero rem nonnisi breviter indicare volui; alii si placet accurate singula perquirant*[96]. *Sed unum mihi adhuc mo-*

---

[86] Chéry.

[87] Cf. sup. p. 640 n. 87.

[88] *Ao.* 1233. *Regina Hoilenz de Hungaria in presentia Iacobi cardinalis et episcoporum moritur et in abbatia de Egris sepelitur. Qui cardinalis per Hungariam hoc anno concilia sua tenuit.— Anno* 1234. *Iacobus Prenestinus episcopus, cardinalis et legatus in Hungaria, fratrem Ioannem predicatorem, de penitalibus domni pape, fecit episcopum in Bossena Ragusie.*

[89] *Anno* 1240. *Legatus Iacobus, Prenestinus episcopus, qui erat in Francia, inhibuit Leodiensibus, — ne episcopum eligerent nisi de suo consilio et de sua auctoritate, et in hoc valde fatigavit electores, eundo post eum in Franciam.*

[90] *Iuxta beatum Malachiam in presbyterio, scilicet ad eius sinistram, iacet beatae memoriae dominus Iacobus de Placentia, archidiaconus Ravennae, postea monachus Claraevallis, dein Trium Fontium abbas, denique Praenestinus episcopus cardinalis.* E lib. inscript. sepulcral. coenob. Claraevallis ap. Ciaconium Vitae et res gestae pont. etc. ed. Oldoino II, 87.

[91] Cf. an. 957.

[92] Cf. an. 1006. 1041. 1078. 1167.

[93] Cf. an. 1233. et 1235. De nece Gertrudis reginae vide annum 1213.

[94] Cf. an. 1239.

[95] Nec seriem regum e libro quodam descriptam esse statuamus oportet. Qua de re hunc locum conferas: *Anno* 1167. *In Hungaria post regem Theta regnavit filius eius Bela per annos, ut dicunt,* 30.

[96] Cf. Perlbach Zur Gesch. der älteren Preussischen Bischöfe p. 11.

nendum est. Quodsi Iacobus nusquam expressis verbis arbiter allegatur, auctorem res tantum miraculosas, quas lectores vix credituri essent, testium auctoritate probasse consideres. At cardinalis Praenestinus, vir in rebus publicis versatissimus, inepta miracula et credenda et enarranda libenter animis pusillis reliquit.

Dein epistolas scriptasque relationes, quas Albricus usibus suis adaptavit, recensemus. Epistolas Petri Damiani pluries laudavit. Neque vero ubique epistolas ipsas descripsit, neque integrum epistolarum corpus prae se habuisse videtur, sed unam tantum epistolam I, 9. *Qua ad annos* 764. 965 981. 1078. *usus est. Ea quae sub annis* 901. 1023. 1055. *se Petro debere attestatus est, re vera Helinando* 1078. 1045. 1055 *debuit. Quod ad annum* 1078. *dixit:* Item secundum Elinandum quedam de Petro Damiano occurrunt hic annotanda[1], *nonnulla sane apud Helinandum occurrunt, alia vero non eius in chronico, sed in Petri Damiani ep. I,* 9 *inveniuntur, cetera denique in editione epistolarum Caietana frustra quaesivi. — Maius spatium in chronico nostro epistolae Ivonis Carnotensis sibi vindicant.* Huius, *inquit ad annum* 1116, volumen epistolarum de boni et equi commendatione malique et iniusti dissuasione habetur a multis. *Epistolas allegat vel excerpsit ad annos* 858. 879. 930. 1013. 1060. 1061. 1094. 1103. 1108. 1110. 1111. 1115. 1116. [2] — *Raro epistolis sancti Bernardi usus est; earum quasi praeteriens* 1132. 1143. 1144. *mentionem fecit; sed praeclarissimam illam adhortationem, ad Eugenium III. anno* 1145. *scriptam, sub anno sequenti integram operi inseruit. Quae sub anno* 1142. *ex epistola quadam Bernardi profert, ea Helinando deprompsit. — Utrum fragmenta litterarum, quibus Lucius III. a Conrado Romanorum rege auxilium petiit, ex exemplari Ottonis Frisingensis chronici paullulum fortasse ampliore, quam quae ad nos pervenerunt, an ex litteris ipsis descripserit, in medio relinquimus. Utique noster ad annum* 1144, *ceterum Ottonis narrationem repetens, nonnulla Eugenii verba praebuit, quae in Ottonis chronico quale habemus frustra quaeris. — Alia fragmenta litterarum, quas virgo Hildegardis, a capitulo Cisterciensium interrogata, de ordine florente scripsit, ad annum* 1153. *evolvas*[3]. — *Iterum fragmenta tantum epistolae illius, quam Iohannes Indorum rex et presbyter anno* 1165. *ad principes occidentales misisse dicebatur*[4], *cum lectoribus communicavit; necnon responsionis Iohanni ab Alexandro III. papa anno* 1177. *datae mentionem fecit*[5]. — *De historia expeditionis transmarinae anno* 1202. *factae et urbis Constantinopolitanae anno* 1204. *expugnatae, quum magnas relationis cuiusdam partes describeret, Albricus optime meritus est* [6]. *Haec enim relatio, cuius auctor locupletissimum rerum gestarum testem se praestitit, nisi Albrici chronico inserta, nostra ad tempora non pervenisset. Quacum excerpta litterarum illarum, quas Balduinus imperator ad Innocentium III. de urbe*

---

[1] Cf. an. 1044: *ut scribit domnus Elinandus, Petrus Damianus in alia epistola ita refert* = Helin. 1045.

[2] Epistolam, quam Calixtus papa de translatione S. Iacobi scripsit, Historiae translationis praecessisse Albricus ipse ait, nec dubito quin epistolam quoque Leonis papae, quam ad eundem annum, 1119. scilicet, Albricus laudat et descripsit, eidem libro iuncta fuerit.

[3] Litterae ab iis diversae sunt, quae *ad griseos monachos* scriptae ap. I. Blanckrualt S. Hildegardi epistolarum liber p. 182 exstant. In universum Albricus S. Hildegardis epistolas ad annum 1141. recensuit, sed nisi fallor Vitam quandam secutus.

[4] Epistolam edidit G. Oppert Der Presbyter Iohannes 167—169. Exstat etiam in cod. Fuldensi saec. XII. ex. v. SS. XXI, 475n.12.

[5] Editiones huius epistolae, a nostro perperam anno 1170. ascriptae, invenies apud Jaffé Reg. p. R. 8539.

[6] Relationem eam esse continuatores Bouquetii XVIII, 767, n. b. arbitrati sunt, *cuius meminit C. du Cange in notis ad* §. 6 *et* 127 *Gaufridi de Villa Harduini, scriptam occasione reliquiarum, quas e Constantinopoli attulit anno* 1205. *Nevelo Suessionensis episcopus, nunc deperditam.*

capta scripsit, per vices coniunxit[7]. — *Litteras Innocentii III, anno* 1208. *scriptas, ut Francogalli et Burgundi ad debellandos Albingenses excitarentur*[8], *utrum ipse legerit necne, diiudicari non licet.* — *Eiusdem pontificis litteras, quibus anno* 1211. *Otto imperator regi Franciae ecclesiae inimicissimus denunciatus est, prae oculis habuisse videtur*[9]. — *Auditas, non visas litteras laudat, per quas anno* 1213. *archiepiscopus Strigoniensis neci Gertrudis Ungariae reginae consensisse dicebatur.* — *Eodem sub anno binis Innocentii litteris usus alteras summatim perscripsit*[11], *alteras accuratius excerpsit*[12]. — *Relationis cuiusdam Iacobi Acconensis, de rebus transmarinis editae, initium tantum finemque ad annum* 1217. *dedit. Litterae quum alibi exstent*[13], *decurtationem vix dolemus. Has descriptio de regnis Orientis excipit, quam Albertus patriarcha Hierosolymitanus Saladino mortuo Romam misit. Qua iterum ad annum* 1219. *usus est. Utroque loco quum eadem fere verba atque in Iacobi Vitriacensis Historia orientali legamus*[14], *nec vero nostro hoc Iacobi opus notum fuerit, eum in litteris patriarchae, a Iacobo expresse laudatis, innisum esse nemo non videt.* — *Fragmentum litterarum, quas Honorius III, verbis legati Pelagii receptis*[15], *ad Francogallos de Davide Tartarorum rege scripsit, in annum* 1221. *ingressus, auctor nobiscum communicavit*[16]. *Ibidem litteras Templariorum, quae de eodem rege sunt, breviter percurrit* — *Litterae de Hugone Arelatensi archiepiscopo, rerum ecclesiasticarum venditore, nescio ad quem datae, sub anno* 1224. *allegantur.* — *Bullam Honorii III, libellum quendam Iohannis Scoti damnantem, auctor integram ceteris anni* 1225. *rebus praemisit.* — *Contra epistolam quandam, qua frater Petrus de Boreth, Acrae degens, episcopo Basacensi Antichristum mox venturum esse anno* 1227. *nunciaverat, argumentis e biblia sacra sumptis disputavit.* — *Binae Friderici II.*[17] *contra Honorium III, Honorii*[18] *contra Fridericum litterae in fronte anni* 1228. *recensentur. Ibidem litterae Honorii, qui homines regni Siciliae a fidelitate imperatori debita absolvit, duobus exemplaribus capitulo Cisterciensi missae esse narrantur ac breviter perstringuntur*[19]. — *Patriarchae Hierosolymitani querela de Friderico imperatore ac pontificis Romani responsio sub anno* 1229. *recensentur. Illa adhuc exstat*[20], *haec periisse videtur.* — *Litteras de Sarracenis Hispanicis fusis fugatisque auctor anno* 1230. *ad generale Cisterciensium capitulum scriptas et eodem anno alias de rebus ultramarinis in curia Campaniensi lectas esse tradidit.* — *Fortem virilemque epistolam, qua anno* 1231. *dux et principes Saxo-*

---

[7] Duchesne Scr. rer. Franc. V, 278. Bouquet XVIII, 524. Qua causa commotus vir cl. Wilmans l. c. p. 215, Albricum utraque litterarum recensione usum esse affirmarit, haud video. Exemplar ad Innocentium III. missum omnia atque eadem continet, quae exemplar ad principes datum, sed etiam plura. Quo se usum esse Albricus ipse attestatur hisce verbis: *prout habentur in epistola imperatoris Balduini, que sic incipit: Reverendo patri.*

[8] Epp. Innoc. III. lib. XI, ep. 26.

[9] Notices et extraits des mscr. de la bibl. du roi II, 282. Böhmer Acta imp. 629.

[10] *Litterarum tenor talis esse perhibetur.*

[11] Innoc. III. epp. lib. XVI, ep. 30. ed. Baluze II, 756.

[12] Innoc. III. epp. lib. XVI, ep. 26. ed. Baluze II, 752.

[13] Martène et Durand Thesaur. anecd. III, 289.

[14] ap. Bongars Gesta Dei per Francos p. 1125. 1128.

[15] Auctoris nomine omisso litteras edidit Eccard Corp. hist. II, 1451—1454. Cf. Chron. Dunstapl. ed. Hearne 111.

[16] Huius epistolae fragmentum etiam in Chronico Dunstapl. p. 107. invenies.

[17] — *imperator litteras misit archiepiscopo Treverensi.* Hae adhuc non exstant, sed eiusdem argumenti litterae, ad Crucesignatos et Veronenses missae, ap. Huillard-Bréholles Hist. dipl. Friderici sec. III, 36. leguntur.

[18] — *papa litteras suas ubi dirigit.* Quas ad praelatos Apuliae dedit, eas ap. Huillard l. c. III, 52 invenies.

[19] — *cardinalis Romanus — misit generali capitulo Cisterciensi duo paria litterarum, quas ei miserat summus pontifex.* — *Specialiter homines regni a sacramento absolvit et absolutos denuntiavit.* 2. *Kal. Aug.* Haec ad verbum fere cum litteris, 3. Kal. Sep. ad Senenses datis, ap. Huillard l. c. III, 494 conveniunt. — *Quod sit hostis ecclesie et discipulus Machometi.* Eadem in epistola ad cardinalem Non. Aug. data, quae adhuc exstat, ap. Huillard III, 73. occurrunt.

[20] Huillard III, 120.

niae Alemaniae pontifices adhortati sunt, ut cardinali Romano pro legibus patriae conservandis alteri Maccabei resisterent, proh dolor! valde corrupit et decurtavit; neque habemus, quo lacunas explere et vitia corrigere possimus. — Idem de archiepiscopi Maguntini epistola, qua anno 1234. *Romam missa severum et iniustum iudicium Conradi Marburgensis denunciabatur, nobis dolendum est*[21]. — *Nec minori desiderio nos afficit, relationem summi forte momenti, quam Fridericus Sinus sanctae Mariae praepositus anno* 1234. *abbati Praemonstratensi de Stadingis miserat, a nostro adeo detruncatam esse, ut nunc initialia tantum verba legamus. Litteras Philippi prioris transmarini, de Iacobinis confectas, ad annum* 1237. *solidiores reliquit, et pauca, quae desunt, aliunde addere licet*[22]. — *De apostasia Friderici Gregorius IX, ad Senonensem archiepiscopum scribens, multa questus esse videtur; integris litteris deperditis*[23], *Albricus nobis sub anno* 1239. *fragmentum asservavit. Ad eundem denique annum ea, quae Hermannus magister Militiae Templi de rebus transmarinis Galthero de Avesnis scripsit, evolvas. Postremo Albricum Registrum etiam Gregorii VII. in bibliotheca Claraevallis asservatum nosse quidem, nec vero inde narrationem locupletasse monemus.*

Se tabularia monastica perquisivisse, auctor ipse verbis iam supra allegatis testatur. Et praecipue quidem eo consilio chartas revolvit, ut sibi materiam stemmatum componendorum pararet. Personarum nomina, *inquit*, frequenter in cartis abbatiarum inveniuntur *Quae quomodo usibus suis adaptaverit, exemplum hoc doceat. Quum in duobus diplomatis, chronico Sancti Benigni Divionensis*[24] *insertis, Ottonem Guilelmum comitem* pro filii Widonis coniugisque Hermitrudis anima *villam Vivariensem, et Higelbertum militem* coram Willelmo comite, Rainaldo comite ipsius filio, Ottone comite filii eius Widonis filio *agrum quendam ecclesiae sancti Benigni dedisse legerit*, Otto Guilelmus, *ad annum* 1005. *consecutus est*, filios habuit ex Ermentrude Guidonem et Rainaldum. Quorum Guido, vivente patre mortuus, filium reliquit alium Ottonem. *Hoc exemplum sufficiat. Quibus chartis adiutus Albricus stemmata singula condiderit, investigare neque tentavimus, neque nostrum esse duximus. Ea tantum diplomata actaque hic breviter perlustremus, quae auctor aut summatim perscripsit, aut ad verbum reddidit. — E privilegio iam deperdito*[25], *quo sanctus Reolus anno* 691. *monasterium Orbaci fundavit, annos regis Theoderici*[26] *exhibuit. — Ad annum* 869. *ecclesiam sancti Benigni renovatam esse*, sicut in privilegio[27] *retulit. Nec vero hoc privilegium in abbatiae chronico reperies*[28]. — *Ecclesiam sancti Desiderii monasterio Dervensi anno* 873[29]. *a Bosone comite datam et a Carolo Calvo rege*

---

[21] Hasce archiepiscopi cuiusdam Germaniae litteras ut nobiscum auctor Francogallus communicaret, si quo factum sit interrogas, Cistercienses te moneo in actione Conrado magistro Francofurti tunc temporis intenta magnas partes egisse. Quorum ordini quum noster ascriptus esset, quid mirum, ad notitiam eius tum litteras illas pervenisse, tum constitutionem quandam, ab Henrico et principibus Germaniae eodem tempore et eadem in urbe promulgatam?

[22] E Matthaei Paris. Hist. m. Cuius atque nostri ope textum mendis purgatum ediderunt Echard et Quétif Scr. rer. Praed. I, 104.

[23] Verba: *Tres, inquit, baratores sive guillatores fuerunt in mundo, Moyses, Christus et Machometus,* satis cum hisce aliarum litterarum verbis consonant: *a tribus baratoribus, ut eius verbis utamur, scilicet Christo Iesu, Moyse et Mahometo, totum mundum fuisse deceptum.* Huillard l. c. V, 339. Sed cetera valde inter se differunt.

[24] ap. d'Achery Spicileg. II, 387. 389.

[25] Cf. Marlot Metrop. Remens. II, 303.

[26] Carolum Calvum Ciriaco Nivernensi episcopo anno 859. castrum Primeriacum dedisse, noster vix e diplomate quodam comperit, sed Visionem quandam secutus, cui cetera de sancto viro debere videtur.

[27] ap. Bouquet VIII, 618.

[28] Privilegia e Chron. S. Benigni aliisve libris desumpta non enumeramus.

[29] Utraque vice Albricus *Sanctum Desiderium* datum vel redditum esse ait Nec vero dubito, quin non urbis, quam ad nobiles Dampetrenses pertinuisse supra vidimus, sed ecclesiae cuiusdam mentionem fecerit. Quam in suburbio Sancti Desiderii sitam fuisse, diplomatis excerptum ap. Ed. Barthélemy Ancien diocèse de Châlons II, 251 docet.

confirmatam, dein anno 925. *a comite Heriberto redditam sancitamque esse*[29], *haud dubito, quin Albricus in diplomatis ipsis legerit*[30]. — *Privilegium illud, quod Carolus Calvus* ind. 10. a. 37. regni sui et in successione Lotharii 7., imp. vero 2. *Bertiloni abbati indulsit, in chronico Sancti Benigni editum non est; quare iterum nostrum etiam tabularium monasterii perquisivisse elucet*[31]. — *Sub anno* 948.[31*] *Albricus, nisi fallor, in diplomate quodam Ottonis Magni innisus*[32], *abbatiam sancti Gaugerici Fulberto Cameracensi datam esse retulit*[33]. — *De monasterio Chiminii, Richardi Albanensis episcopi* auctoritate privilegiato, *annum* 1100. *videas.* — *Hucusque acta privata; quae sequuntur, publici iuris erant. Concilii Lateranensis, anno* 1179. *habiti, commentariis usus est, paullo diversis ab exemplari, quod in collectione conciliorum editum est*[35]. *Sed ea tantum descripsit, quae numerum ac dignitatem personarum praesentium attingunt.* — *Fusius acta concilii sequentis Lateranensis, ab Innocentio III. anno* 1215. *convocati*[36], *usibus suis adaptavit. Quae quum* 70 *capitibus distincta sint, Albricus septemdecim nobiscum communicavit.* — *Ad annum* 1219.[37] *tabulae, quibus comes Tolosae se in potestatem regis Franciae dedit*[38], *eo modo recensentur, ut auctorem eas aliquando perlegisse intelligas nec vero inter scribendum ipsum ad manus habuisse concedas.* — *Constitutionem illam a rege baronibusque Franciae anno* 1230. *contra Iudaeos promulgatam*[37] *necnon legem ab Henrico VII. principibusque Germaniae post triennium pro pace imperii latam*[40], *auctor etsi non ad verbum, at rebus haud multis omissis descripsit. Illius plura exemplaria hucusque in bibliothecis exstant, haec temporum iniuria periisset, nisi ab Albrico vindicata esset.*

Multo maior est numerus scriptorum, quorum opera noster in auxilium vocavit. Eo observato ordine, quem ipse tenuit, primo nonnulla nominamus, quae semel tantum vel semel atque iterum occurrunt minusque ad historiam quam ceteras ad disciplinas spectant: Ieronimi scilicet Commentarii super Danielem; Augustini De civitate Dei; Philonis Iudaei Quaestiones et solutiones in Genesi, quas vero an ipse legerit valde dubito; Arnobii rhetoris Adversus gentes; Solini Collectiones rerum memorabilium, in quibus equidem vero locum allegatum non reperi; Isidori Ethymologiarum libri; Petri Alfonsi Dialogi contra Iudaeos; Ambrosii Autperti Expositio super Apocalypsin; Petri Cantoris Verbum abbreviatum; S. Bernhardi Sermo super cantica canticorum; S. Elisabethae Liber Viarum Dei et Sermo de assumptione B. Mariae Virginis; Hugonis de Sancto Victore Liber Didascalicon.

Dein opera historica. Et distinguemus quidem, quae et adhuc supersunt et expresse laudantur; quae supersunt nec vero ab Albrico allegantur; quae

---

[29] Quae de silva quadam, a Carolo Calvo monasterio S. Cornelii data, 877. referuntur, ea mihi e diplomate emanasse non videntur; temporis rationi eodem modo repugnant, ac quae ibi de translatione sancti Cornelii narrantur. [31] Ad nostra tempora diplomata pervenisse non videntur; equidem alibi ne indicia quidem reperi. [31*] Quod chartam Gemblacensem attingit, qua innisus Albricus sub anno 945. Hugonem episcopum Leodiensem duos annos et dimidium sedisse affirmat, v. cl. Wilmans 219 n. 1 astipulor: non diplomate quodam Gemblacensi auctor usus est, sed Aegidii Gestis episcoporum Leodiensium. Quo errore ad chartam provocaverit, sane non video. [32] Cf. Stumpf R. 161. [33] Conditiones, quibus Godefridus dux a. 1099, in terram sanctam profecturus, castrum Bullonicum ecclesiae Leodiensi vendidit, ad diploma quoddam non referam. Quae quum ubique notissimae fuisse videantur, — cf. Chron. S. Huberti c. 83. Will. Tyr. IX, 8. Aeg. Aureavall. III, 13. — Albricus eas ex ore hominum accepisse potest. [34] Diploma in Gall. christ. X. instr. p. 160. editum est. [35] Mansi XXII, 213. [36] Mansi XXII, 954. [37] Ad annum 1227. et 1234, ubi commutatio quaedam inter Metensem et Leodiensem episcopos facta et pax Theobaldi Campaniensis cum regina Cypri inita referuntur, auctorem quamvis accurate pecunias numeratas recensuerit, in actis nisum esse minime contendam. [38] Histoire générale de Languedoc III, Pr. 329. [39] Quae quoties edita sit, ap. Bréquigny, Table chronol. V, 386 invenies. [40] Cf. Legg. II, 301.

perierunt, sive noster auctores in medium protulit, sive nomina oppressit. Tum de vitis, passionibus, translationibus sanctorum, de visionibus et miraculis disseremus, postremo de carminibus fabulisque Romanensibus.

Primae classis sunt: Eusebii et Hieronymi Chronicon, quod inde a chronici sui initio saepius allegatum Albricus Hieronymum anno 381. *finivisse ait; Iosephi Antiquitates Iudaicae Rufino interprete; Petri Comestoris Historia scholastica, quam, ut res adhuc anni* 802. *confirmaret, pro argumento posuit et sub anno* 1152. *ad Guilelmum Rhemensem archiepiscopum scriptam esse tradidit; Orosii Historia Romana, cuius finem in anno* 418. *statuit*[41]*; Bedae De sex aetatibus mundi, quem librum auctoris minorem chronicam vocavit et anno* 726. *finitum esse ait; eiusdem Historia ecclesiastica, quam sub anno* 732. *ad Beowulfum Nordanimbrorum regem missam esse, ex operis prologo desumpsit; Rufini Historia ecclesiastica, quam auctoris nomine oppresso iam sub anno* 196. *allegavit et nomine addito anno* 398. *finitam esse dicit; Gregorii Turonensis Historia Francorum, quam saepius laudatam excerptamque annum* 593. *pertigisse statuit; Historia tripartita, quam res inde ab anno* 324. *usque ad annum* 444. *gestas illustrare annotavit nec vero descripsisse videtur; Flodoardi Historia Remensis*[42], *sub anno* 336. *primo laudata, cuius finem anno* 950. *ascripsit; Sigeberti chronicon, quo inde ab anno* 381. *opus beati Hieronymi continuatum esse censuit. Protinus addamus, Sigeberti quoque continuationes, ab Anselmo et ignoto Gemblacensi confectas, necnon auctaria Gemblacense et Affligemense nostro materias suppeditasse. Quorum additiones cum Sigeberti chronico quum uno in volumine coadunatae essent, factum est ut Albricus, quae unius quae alterius sint, haud exacte distinxerit. E. g. locum quendam anni* 1112, *re vera iam ab Anselmo scriptum, adhuc Sigeberto attribuit; quae ad annos* 1130. *et* 1133. *Anselmi esse dixit, ea auctarii Gemblacensis sunt. Praeterea uno saltem loco auctariis quoque Bellovacensi et Mortui Maris usus est*[43]. *Sequitur Hugonis de Sancto Victore chronicon ineditum, cuius exemplar in bibliotheca Lipsiensi asservatum*[44] *vir cl. Gersdorf libenter nobis transmisit. Hanc paparum imperatorumque seriem, in quam auctor paucas notas historicas interiecit, Albricus primum sub anno* 400. *laudavit; eamque Hugonem digessisse ait usque ad annum* 1130[45]. *Quocum fine codex Lipsiensis concordat*[46]. *Auctorem qui*

---

41) Omnes quos adhuc nominavimus auctores Wilmans l. c. 196 silentio praeteriit; sed Pauli diaconi Historia Langobardorum nostrum ad annos 680. 712. 738. 856. usum esse affirmavit. Equidem vero sub annis 712. et 738. nulla Historiae Langobardorum vestigia reperi; locus anni 680. non Albrici est, sed Guidonis Cathalaunensis, qui sane Hist. Lang. usibus suis adaptavit. Quod quum ita sit, nonne alterum quoque locum, ubi Hist. Langob. expressis verbis laudatur: *Unde legitur in hystoria Langobardorum*, Guidoni ascribendum esse credas?

42) Quodsi Wilmans l. c. 229. Albricum annalibus etiam Flodoardi usum esse affirmavit, vir doctus paullulum erravit. Non Albricus annales secutus est, sed cuius opus Albricus descripsit, Guido Cathalaunensis.

43) Cf. quae de natura codicis ab Albrico inprimis adhibiti Wilmans l. c. 196—199 docte disputavit. Neque erravit vir cl., quum p. 199 n. 1 Albricum praeterea codice quoque D 1 insignito usum esse contenderet. Quod sane non loci ab ipso allegati probant; hos enim eodem iure Helinando attribuere licet. Sed uberrima de ordine Cisterciensi relatio, qualis ad annum 1098. invenitur, talis in Helinandi chronico frustra quaeritur: eam noster totidem verbis e Sigeberti codice D 1 transtulit. Quo in codice auctarium Mortui Maris cum Bellovacensi coniunctum exstat.

44) Manuscr. 350. Cf. Mon. Germ. SS. XVI, 41.

45) *Hucusque magister Hugo de Sancto Victore cronicam suam de Romanis pontificibus et imperatoribus digessit. Unde manifestum est, ipsum hoc tempore floruisse. Hic multa scripsit laude digna, que in armariis habentur. In quibus hec sunt: Hugo de sacramentis, Hugo super hierarchiam Dyonisii, Didascalicon Hugonis, Hugo de tribus virtutibus, fide, spe et karitate; exponit etiam luculento sermone regulam beati patris nostri Augustini, et multa alia scripsisse dicitur. Sed et quandam epistolam prolixam scribit ad beatum Bernardum. Dicunt eum natum fuisse de Saxonia.* Verba: *exponit — patris nostri Augustini* ab Hoiensi intercalata sunt; sed etiam quae de epistola ad sanctum Bernardum scripta dicuntur, ea Hoiensi attribuam. Auctor enim, si haec epistola ei nota fuisset, vix e fine chronici Hugonem hoc tempore floruisse conclusisset, verum in epistola nisus Hugonem sancto Bernardo coaequalem statuisset.

46) Ea, quae p. 112. Honorium papam sequuntur, aliis manibus addita sunt.

ab alio Hugone, Floriacensi scilicet, discernatur, ubique noster Magistrum Hugonem *nuncupat. Dein Helinandi monachi Frigidi Montis Chronicon. Quo opere noster nullum frequentius descripsit; ac persaepe illis etiam locis, quibus ad Guilelmum Malmesberiensem, Baldericum et Robertum, quorum opera de prima in terram sanctam expeditione sunt, ad Petri Damiani epistolas nonnullasque sanctorum Vitas provocat, non his e fontibus sed ex Helinandi chronico hausit. De re sane fraudulosa lenius forte iudicabis, si nostro opera omnia, quae, ubi Helinandus laudandus erat, laudat, praesto fuisse consideraveris. Haec certe cum Helinandi narratione hic illic contulit. Necnon interdum religiosiorem se praebens, locum quendam Helinando depromptum his exempli gratia verbis designat:* Elinandus ex dictis Odonis Cluniacensis. *Saepissime* Elinandus ex dictis *vel* relatione Wilelmi Malmesberiensis *allegatur*[47]. *Insuper monendum est, Albricum non integrum Helinandi opus ad manus habuisse. Qui quum ad annum* 633. Liber tertius Bede incipit et liber Elinandi *annotarit, ad eum Helinandi chronicon eodem modo mutilatum pervenisse elucet, atque ad primum unicumque editorem*[48] *et iamiam ad Vincentium Bellovacensem*[49]. *Helinandum excipit Hugo Floriacensis, cuius Minorem Historiam ecclesiasticam inscriptione:* Hugo Floriacensis *vel etiam* Hugo monachus de Sancto Benedicto super Ligerim *intra annos* 674. *et* 844. *laudavit. Librum usque ad annum* 855[30], *ipsius huius anni res illustrans, ab auctore perductum, et ubi sub anno* 1130.[51] *Hugonem nostrum ab aliis eiusdem nominis distinguit, Adelae comitissae Campaniensi dedicatum esse ait*[52]. *Eundem annum, in quo finem Historiae ecclesiasticae*[53] *statuit*, etiam, *inquit*, magister Richardus in Excerptionibus[54] suis non transiit. *Hisce verbis ad opusculum quoddam Richardi Sancti Victoris provocavit, cuius quae natura sit, eo sese perbene intellexisse ostendit, quod id et nullo alio loco allegavit, et hoc loco arctissime cum Historia Hugonis coniunxit. Illa enim Excerptionum parte, cuius noster rationem habuit, Richardus nonnisi Hugonem secutus, eius Historiam tenuissimam in epitomen coegit. Res quum ita se habeat, Albricum Excerptiones ne toties quidem descripsisse putarim, — nam verba quaedam Richardi etiam ad annum* 855. *nobiscum non communicavit, — quoties eas laudavit. Sicut Hugonis chronicon, ita Ottonis quoque Frisingensis plurimi aestimat. Sed quid de Ottone censuerit, iam supra paucis verbis indicavi. Eius chronicon inde ab anno* 747. *usque ad annum* 1147. *presso pede secutus*[55], *po-*

---

[47] Cf. Wilmans l. c. p. 204 n. 6.

[48] Tissier Bibl. Cisterc. VII, 73.

[49] Cf. hac de re quae Tissier VII, 306 ex opere Vincentii excerpsit.

[50] *Usque ad hunc annum minor ecclesiastica hystoria Hugonis monachi pertingit, quem etiam magister Richardus in excerptionibus suis non transiit. Unde quoniam tales viri, qui multa et bona et bene dicere potuissent, in medio itinere nos relinquunt, de Domini nostri Iesu Christi gratia confisi, prout melius poterimus, que ab istis quasi despecta conculcata sunt, colligere et secundum formam prescriptam ordinare conabimur.*

[51] *Hugo, qui scripsit minorem ecclesiasticam hystoriam ad comitissam Campanie Adalam, matrem comitis Theobaldi, fuit niger monachus Floriacensis, id est de Sancto Benedicto super Ligerim in dyocesi Aurelianensi.*

[52] Secunda recensione utebatur, et codice quidem, quem Waitz, SS. IX, 348 numero 3 insignivit. Cuius rei duo haec argumenta sufficiant. Ad annum 820. noster ac solus codex 3 legunt: *Quo dum in custodia teneretur.* Item sub anno 842: *atrociter inter se dimicaverunt.* Ceteri codices: *Qui dum* etc., *atrociter pugnaverunt* l. c. 363.

[53] Rarissima Rottendorffiana editione, Monasterii Guestfalorum anno 1636. publici iuris facta, in designandis chronici locis utemur. Quae sane non ad operis recensionem secundam plane quadrat, sed ceteris editionibus multo integrior est.

[54] Opus sub Hugonis nomine inter Hugonis Sancti Victoris opera editum est; ap. Migne Patrol. CLXXVII, 194. Cf. Hist. litter. XIII, 480.

[55] Interdum noster, Ottonis chronicon describens, unum alterumve verbum praebet, quod in Ottonis editione novissima frustra quaeris. E. g. apud Ottonem VI, 24. *et incredibili fame fatigatam*, apud nostrum vero: *et incredibili fame et cede fatigatam* legimus. Cf. adhuc: *cum subditis suis conventum fuisse* Otto VI, 23. *cum subditis suis conventum fuisse et ita male mortuum esse* Albricus 965. — *Hanc lanceam reges nostri hactenus habent* Otto VI, 18. *hactenus in magna veneratione habent* Albricus 929. Revolvas etiam velim quae supra n. 45. de epistola

steriore loco, hucusque narrationem episcopi Ottonis pertingere ait, qui fuit vir nobilis et monachus Morimundi[56]. *Rarius chronico Sancti Huberti Andaginensis usus est; et uno tantum loco, eo scilicet, quo ad annum* 750. *monacho Andaginensi primam narrationis materiam deprompsit, opus nomine nuncupavit, sed depravato:* ex libello, qui canterellus dicitur. *Pro* canterellus *haud dubito quin legendum sit:* cantatorium, *qua significatione chronicon divulgatum fuisse constat*[57]. *Pluries et in usum vocavit et expresse laudavit: Chronicon Sancti Benigni Divionensis*[58], *cuius monasterii eum etiam tabularia perquisivisse supra docuimus. Opus non uno eodemque nomine designat. Quod ad annum* 890, *ubi prima eius mentio occurrit, itemque ad annos* 939. *et* 988. Collectaneum Sancti Benedicti, *ad annum* 926. Liber collectaneus monasterii sancti Benedicti, *ad annum* 1031. Hystoria Divionensis *audit. Necnon ad annos* 925. *et* 991, cartis Sancti Benedicti Divionensis *allegatis, auctor in chronico nisus est, quippe quod multa diplomata contineat. E contra verba, quibus Albricus rem quandam anni* 877. *comprobavit:* apud Sanctum Benignum scribitur, *non ad chronicon, sed ad Annales Sancti Benigni*[59] *referenda sunt. Qui hoc tantum loco laudantur nec saepe descripti sunt. Chronico ubique praelato, noster annales vix semel atque iterum usibus suis adaptavit, postremo ad annum* 895.[60] *Chronologico, ut hucusque, ordine observato, proxima post chronicon Sancti Benigni commemoratio est Liutprandi Cremonensis episcopi, cuius Antapodoseos librum inde ab anno* 890. *usque ad annum* 950. *quavis fere pagina et allegat et excerpsit. Partim Sigeberti verba repetens:* Ab hoc tempore, *inquit,* Luitprandus Ticinensis ecclesie dyaconus hystoriam suam de regibus et principibus partis Europe ad quendam Libertane ecclesie de Hyspania Regemundum nomine orditur. *Operis inscriptionem accuratius nosse non videtur, neque Antapodoseos librum ab eiusdem auctoris Historia Ottonis Magni discrevit. Illo enim libro usque ad annum* 950. *excusso, decem post annos, quum Ottonis Magni historiam describendam aggrederetur, operum mutatorum ne verbo quidem men-*

---

quadam dixi. Haec utrum noster aliunde addiderit, an ampliori forte exemplari chronici Ottonis deprompserit, viri sagaciores videant. Quodsi exemplar amplius Albrico praesto erat, facere non possumus, quin codicem illum, quem Wilmans Mon. Germ. SS. XX. numero 5 insignivit, aut ab Ottone denuo rescriptum esse aut ex ampliore nostro exemplari emanasse statuamus. Ad hunc enim codicem Albricus ubique proxime accedit. E. g. Otto VI, 35: *pedes ex parte ferreos, ex parte fictiles habuit.* Solus cod. 5, quocum Albricus 1083 consonat: *pedes ferreos, ex parte fictiles habuit.* Ibidem omnes ceteri codices: *Hoc nimirum regnum — gladio anathematis ferire decuit.* Solus iterum cod. 5 atque Albricus l. c.: *Hec nimirum regnum — gladio anathematis ferire decrevit.*

56) Noster pergit: *et una die electus in abbatem eiusdem loci, sequenti die factus est in Bavaria episcopus Frisingensis ecclesie.* Cui narrationi aliquam fortasse vim inesse censebis, si auctorem necnon Ottonem Cistercienses fuisse et monasterium Morimundi haud longe a Tribus Fontibus abesse consideraveris. Morimundi autem talis qualis hic enarratur electio etiam tunc temporis, quo Albricus scripsit, nulla certe oblivione deleta erat.

57) SS. VIII, 568—630.

58) d'Achery, Spicilegium II, 357. ed. II.

59) SS. V, 37—50.

60) Ad annum 892. noster locum quendam descripsit, quem in annalibus Sancti Benigni, quales l. c. exstant, sub anno 899. invenies. Annus 892. vero cum annalibus Besuensibus SS. II, 248 concordat. Quorum quum auctor Benignenses descripserit, aliud exemplar Besuensibus propius ad manus Albrici fuisse verisimile est.

61) Quodsi Albricus ad annum 965. narravit: *Itaque omnibus devictis, imperator sanctus suos adhuc reliquos interficientes retrahebat et revocabat; et ab hiis, qui supererant, obsidibus acceptis venerabilis papa Leo* etc., nescio an ampliorem Liutprandi recensionem secutus sit. In codicibus Liutprandi adhuc superstitibus verba: *imperator sanctus — et revocabat* desiderantur. Nec vero solum ceteris tam arcte coniuncta sunt, ut ea a nostro aliunde addita esse vix contendam, sed etiam plane Liutprandum sapiunt, quippe qui Ottonem semper *imperatorem sanctum* vocaverit. Cf. etiam ex Antapodoseos libro sequentem locum: *Anno* 900. *(Leo) rem fecit dignam memoria, quam in hoc loco depingimus.* Sed quaestionem in medio relinquens, Liutprandum, qui si profecto opera rescripserit, hac in re codice usum esse annoto, quem vir cl. Lappenberg SS. III. numero 5^{a} distinguit. Hic enim solus lectionem Albrici ad annum 963. praebet: *Post hec patriam quantocius repedavit.* Ceteri: *Papiam.*

tionem fecit. Et sicut ad annum 950. *simpliciter de Liutprandi historia locutus est, ita ad annum* 965*:* Hucusque, *inquit,* historia Luithprandi. *Sequuntur Guilelmi Malmesberiensis Gesta regum Anglorum, quae primo ad annum* 971. *laudata descriptaque annum* 1124. *pertingere dixit. Eodem opere Helinandum quoque et Guidonem Cathalaunensem usum esse quum bene intellexisset, persaepe eorum narrationibus Guilelmo depromptis verba:* Elinandus *vel* Guido ex dictis Willelmi *anteposuit. Quamquam scriptorem Anglicum parvi aestimavit, immo ad annum* 987. *eum* historiae inscium *vituperavit, nihilominus iterum iterumque ad eius opus recurrit*[62]*, et postremo quidem sub anno* 1225*, ubi opus* historia nova Anglorum *nuncupatur*[63]. *Ut Guilelmum persaepe laudavit, dum Helinandum describit, ita quoque Roberto*[64] *et Balderico*[65] *allegatis haud raro Helinandum secutus est. Semel ad utrumque provocat, sed Baldericum excerpsit; necnon Robertum pro Balderico, pro Roberto Baldericum testes protulit. Saepius, quam Balderici, Roberti narrationem adhibuit; sed ubique fere Helinando praelato, ex neutrius opere magnum chronico fructum attulit*[66]. *Sequitur ad annum* 1165. Cronica Sancti Dyonisi. *Eadem inscriptione ad annum* 1171. *usus, se omnia Philippi II. Augusti praeclara gesta,* que habentur in cronica ecclesie beati Dyonisii annotata, secundum magistrum Rignotum et secundum Guilelmum Britanicum presbiterum, sicut sunt veraciter digesta, *opusculo suo inserturum esse promisit*[67]. *Dein inscriptione mutata narrationes sive Rigordi*[68] *sive Guilelmi*[69] *se* Ex Hystoria regum *vel* regis *deprompsisse ait. Rigordi opus rarius in auxilium vocavit; sed quae ex eodem Guilelmus usque ad annum* 1209. *excerpserat, ea chronico suo aptiora habuit, quam fusam latamque Rigordi relationem*[70]. *Et utraque quidem Guilelmi recensione usus est*[71]. *Longo temporis spatio interiecto* Cronicam Sancti Dyonisii *excipit Petri Vallis Sernai liber de bellis contra Albigenses gestis, quem vero nunquam aut saltem rarissime Albricus ad perscribendum chronicon contulit. Quamquam enim sub anno* 1203. *lecto-*

---

[62] Codice usus est, quem vir cl. Hardy, cuius editionem sequimur, littera L insignivit. Nam hic solus codex cum nostro ad annum 1095. concordat, lectiones exhibens: *congregatorum episcoporum; eorum qui inter se dissidebant pace.* Quae Wilmans l. c. 202 de loco quodam anni 1092. annotavit, ea omni vi carent; hic noster non Guilelmum, sed Helinandum descripsit.

[63] Wilmans l. c. 210 Albricum Guilelmi opus cum *Bernardi monachi peregrinatione in terram sanctam* contulisse opinatus est, sed erravit. Nostri enim annus, ab anno Guilelmi differens, in quo vir doctus coniecturam suam posuit, idem apud Helinandum occurrit. Quem Albricum descripsisse cetera quoque probant.

[64] ap. Bongars Gesta Dei per Francos I, 30—80.

[65] ibid. 81—138.

[66] Quodsi Wilmans l. c. p. 212 nostro opus Balderici, ultra finem editionis quam habemus a Balderico ipso perductum, praesto fuisse affirmat, equidem viro docto minime assentire possum. Albricus Helinandum sequitur; et Helinando librum continuatum ad manus fuisse statuo. Quomodo enim fieri potuit, ut uterque ex ampliore hoc exemplari duos tantum locos atque eosdem describeret?

[67] Quae loco allegato auctor chronico Sancti Dionysii ascripserit, ea neque apud Rigordum neque apud Guilelmum inveniri Wilmans l. c. 208 perperam affirmavit. Noster rebus sane quibusdam aliunde additis alteram Guilelmi recensionem secutus est. Nec secus vir doctus erravit, quum priorem locum, ubi Albricus se chronicon Sancti Dionysii descripsisse ait, partim Rigordi, partim Albrici ipsius esse censeret. Omnia ex prima Guilelmi recensione defluxerunt.

[68] Recueil XVII, 1—62.

[69] ibid. 62—116 ex codice Parisiensi 1075. Editione iam parata Brial codicem Londiniensem nactus est, cuius varias lectiones et additamenta l. c. 769—775 invenies. Meo iudicio codex Londiniensis alteram operis recensionem praebet. Sed quousque tandem auctorum tanti momenti, quantum Rigordus et Guilelmus sibi vindicant, a doctis Francogallis primam exspectabimus editionem arte critica adornatam?

[70] Num parva Rigordi continuatione p. 114—116 usus sit, in medio relinquo. Ad annum 1223. inter chronicon nostrum illamque continuationem quaedam concordant, quaedam differunt. Cf. Wilmans l. c. 209.

[71] Quod quomodo Wilmans l. c. 210 negare potuerit, equidem intelligere et cogitatione comprehendere nequeo. Cf annos 1171. 1185. 1186. et quae ceteris locis annotavi. Haec si Albricum ampliore exemplari — nam amplior est altera Guilelmi editio, — usum esse comprobant, illinc loci non desunt, qui eum primam quoque consuluisse declarent E. g. ad annum 1191. Cod. 1075. et noster: *rex submonuit proceres per iuramentum, quod ad idem tenebantur;* Cod. Lond.: *rex submonuit proceres, ut adimplerent id, ad quod per iuramentum tenebantur.*

rem, qui de historia ista Albigensium plenius cognoscere voluerit, *ad libellum* monachi domni Guidonis abbatis de Sarnaio[72] *delegavit*, ubi totum illud negotium diligenter explicatur, *iterumque sub anno* 1209. *operis mentionem fecit, attamen vix unum alterumve locum invenies, quo narrationem nostri ex Petri libro derivatam esse, pro certo affirmare possis*[73]. *Fere idem de operibus, quorum commemorationes adhuc restant, nobis existimandum est. Postquam ad annum* 1213. *de celeberrimo sancti Lamberti triumpho egit*, Occasione huius belli, *inquit*, quidam archidiaconus Leodiensis, magister Hirnardus, quendam libellum cronice de hiis tantum, que suo tempore contigerant, dicitur edidisse, ubi ea que facta sunt ibidem diligenter exequitur. *Hoc Hirnardi opus, quod meo quidem iudicio idem est, atque* Triumphus sancti Lamberti in Steppes obtentus, *quem Chapeaville publici iuris fecit*[74], *nostro ad manus non fuisse, e verbo* dicitur *efficias*[75]. *Certo cum Triumpho illo nulla alicuius momenti convenientia occurrit. Sequitur Oliverus, quem dicimus Scholasticum. Eius Historiam Hierosolymitanam ad annum* 1223. *noster his verbis attingit:* Hucusque magister Oliverus Pateburnensis episcopus perduxit historiam suam Ierosolimitanam incipiens eam ab anno creati mundi[76]. *Librum, si recte iudico, nunquam in auxilium vocavit. E contra eius Historiam Damiatinam*[77] *adhibuit, sed uno tantum loco adhibuit, ad annum* 1234, *inscriptione* Magister Oliverus episcopus *usus*[78]. *Ultimus auctor Iohannes de Plano Carpino*[79]. *Rebus iis, quas de Tartaris, testem quendam ocularem secutus, sub anno* 1239. *enarravit, si lectori non satisfecerit, Iohannis historiam evolvendam commendavit.* Si quis plenius scire desiderat, legat historiam, que intitulatur Tartarorum, editam a fratre Iohanne de Palatio Carpini, ordinis fratrum Minorum. *Nec vero ullam nostri de Tartaris narrationem*[80] *ad Iohannis librum referre licet.*

Secundae quam statuimus fontium classi ascribenda sunt: Eutropii Historia Romana, qua Albricus ineunte opere saepius usus est; Gregorii Turonensis Historia a Fredegario epitomata et continuata; Fredegarii Continuationes; Genealogia domus Carolingicae[81], *ex qua nonnulla ad annum* 644. *occurrunt; Chronicon Moissiacense*[82], *cuius vestigia ad annos* 770. *et* 773. *inveniuntur; Annales Sanctae Columbae Senonensis*[83], *quibus materiam praebentibus noster inde ab anno* 806. *hic illic narrationem suam adornavit. Praeterea hos ad annales res Senonenses referam, quas auctor sub anno* 888. *se* notulae cuidam *debere ait*[84]. *Qua in re, nisi fallimur, noster amplius annalium exemplar*[85], *quam quod ad nos pervenit, prae oculis habuerit oportet. Cui etiam elevationem sanctorum Saviniani et Potentiani, de qua annum* 847. *videas, ut attribuamus animus*

---

[72] Recueil XIX, 1—113.

[73] Cf. annos 1208. 1209. 1210.

[74] Gesta ep. Leod. II, 640.

[75] Quodsi Wilmans l. c. 224. ea de causa, quod uterque, Albricus scilicet et Hirnardus, *custodiae de Steppes* mentionem fecerit, Albricum ex Hirnardi opere hausisse collegit, hoc argumentum nihil valere quisque concedat. Insuper illud: *custodia de Steppes* etiam in Aegidii Aureaevall Gestis III, 110 invenitur. Quid est igitur, cur vir doctus, quum fontem statuere voluerit, locum non ad Aegidii opus reduxerit?

[76] Pars posterior edita est ap. Eccard II, 1349; partis prioris codex in bibliotheca Guelferbytana asservatur. Cf. Ficker Engelbert der Heilige p. 251.

[77] ap. Eccard II, 1398.

[78] Quum Historia terrae sanctae annum 1213. non excedat, Albricus vero eam annum 1223. attigisse dixerit, Historiam terrae sanctae et Historiam Damiatinam, quae anno 1223. finita est, unum eundemque librum habuisse videtur. Cf. hac de re Wilmansii iudicium l. c. 213.

[79] ed. d'Avezac in Recueil des voyages et mémoires IV, 603—773.

[80] Cf. annos 1222. 1237. 1238. 1239.

[81] SS. II, 308—312.

[82] SS. I, 282—313.

[83] SS. I, 102—109.

[84] *Quaedam notula dicit ita.* — Subsequente tunc loco verba: *Waltharius archiepiscopus unxit Odonem in regem* eadem sunt atque in annalibus 886.

[85] Cf. quae Waitz SS. IX, 339. 340 de ratione inter Annales S. Columbae, Historiam Francorum Senonensem et Odoranni chronicon intercedente annotavit. Quibus annales S. Maximini SS. IV, 6. 7. addas, quorum cum libris Senonensibus arcta affinitas hucusque viros doctos effugit.

inclinat: in annalibus, quales exstant, rem frustra quaeres. Exemplari superstite Albricum usum non esse, eo quoque evincitur, quod ipsius cum annalibus convenientia annum 922. non excedit, exemplar superstes vero annum 1200. attingit. Alia[1] *cum Historia Francorum Senonensi*[1*] *plane concordant. Qua utrum Albricus usus sit, an omnia quae de rebus Senonensibus sunt, ex eodem fonte, ex quo Annales nostri Senonenses et Historia Senonensis effluxerunt*[2]*, ex ampliore illo scilicet annalium exemplari hauserit, — hanc quaestionem in ambiguo relinquam. Quodsi ad annum 1061.* Invenitur, *inquit*, annotatum: Redditio Vitriaci *et ad annum* 1075: Scribitur in annalibus: Redditio Vitriaci, *haud est dubium, quin ad Annales Sancti Petri Cathalaunenses*[2*] *provocaverit. Aliis locis tenue hoc opusculum vix consuluisse videtur. Saepius descripsit Chronicon Clarevallense, inde ab anno 1147. usque ad annum 1192. perductum, cuius certe nonnisi fragmenta sunt, quae Chifletius*[3] *edidit. Textum integrum Albrico praesto fuisse, quivis annos 1147. 1171. 1178. 1179. 1182. inspecturus intelliget. Uno tantum loco ad annum 1192. Lamberti parvi annales*[3*] *secutus est, nec frequenter Reineri*[4] *continuationem. Huius opere ad annum 1197. usus, mirum in modum:* Quidam monachus, *inquit*, in suis annalibus ita scribit. *Restant nonnulla praesulum gesta catalogive. Inprimis liber iam saepe laudatus Aegidii Aureae Vallis. Cuius codex ad nostrum transmissus Aegidii etiam additamenta continuit*[4*]*, sive in calce scripta, sive iam textui inserta. Quae de episcopis Virdunensibus usque ad annum 1131. narrantur, ex eorum Gestis, a Berthario inceptis, ab anonymo quodam*[5] *et Laurentio Leodiensi*[6] *continuatis emanarunt. Metensium gesta*[7] *Albricus usque ad annum 1209. usibus suis adaptavit, Treverensium*[8] *non ultra annum 1067. adhibuit; res Tullenses integris episcoporum gestis debuit*[9]*. Catalogis usus est: Coloniensium antiquissimo*[10]*, qui anno 1191. desinit, et Romanorum, de quo pauca nobis disserenda sunt.*

Quodsi Albrico ipsa pontificum Romanorum Gesta praesto fuissent, eis certe plura deprompsisset, quam quae sunt nomen, genus, tempus[11]*. Quum vero affinitas permagna sit, — praecipue ad annos 146. et 656, ubi exceptione facta pontificum nomini, generi, tempori res quaedam aliae adduntur, — facere non possum quin catalogo Albricum usum esse statuam, e Gestis concinnato. Hanc paparum seriem in priore operis parte saepissime adhibuit, in posteriore neglexit. Ibi enim Helinandum, ipsa Gesta pontificum describentem, sequi ei licuit*[12]*; sed etiam Hugonis Sancti Victoris chronologiam inspexit. Quae in Helinandi et Hugonis operibus inde fere ab anno 700. non inveniuntur, ea perpauca sunt*[13]*. Si autem quaeris, quonam Albricus inter multos illos, qui exstant, catalogo usus sit, ad hoc quod respondeam nescio. Certe catalogum nostrum libris iam deperditis ascribendum non esse mecum consenties.*

---

[1] Cf. annos 904. 906.

[1*] SS. IX, 364 – 369.

[2] Cf. n. 4.

[2*] SS. XVI, 488.

[3] Genus illustre sancti Bernardi assertum 81–89.

[3*] SS. XVI, 645 – 651.

[4] SS. XVI, 652—680. Lacunam l. c. 679 ex Albrico ad 1225. supplere potes.

[4*] E. g. ea conferas velim, quae ad annum 1187. de Alberto Virdunensium episcopo ex Aegidii additamentis descripsi.

[5] SS. IV, 36—45—51.

[6] SS. X, 486—516.

[7] SS. X, 531—547.

[8] SS. VIII, 130 – 174. De codicibus a nostro adhibitis cf. Waitz l. c. 128. n. 44. et Wilmans l. c. 227. n. 2.

[9] SS. VIII, 632—648. Albricum codice 3. usum esse iam Wilmans l. c. 225 annotavit. Qui quum Albrico Gesta non ultra annum 1064. praesto fuisse contenderit, ea ratione commotus, quod Albricus ad annum 1090, nec vero Gestorum auctor Pibonem episcopum *monachum sancti Benigni Divionensis* nuncuparit, Gesta haud diligenter perlegisse videtur. Cf. cap. 48: *iam consecratur monachus, quod tamen clam fiebat in Divionense coenobio.* Cap. 49: *Divionense monasterium laeti adgrediuntur, reverentissimum Pibonem quasi redivivum cum gratiarum actione recipiunt.*

[10] Hahn Coll. monum. I, 385.

[11] Verba e Libro pontificali desumpta, quae ad annum 774. occurrunt, haud dubito quin Albricus Guidoni debuerit.

[12] Cuius etiam ea sunt, quae Wilmans l. c. 230. n. 1. Albrico ascripsit: *Hucusque pertingit liber de gestis* etc.

[13] Cf. annos 907. 958. 995. 1002. 1006.

Inter opera, quae iniuria temporum perierunt, maximas sibi partes vindicat Guidonis Cathalaunensis chronicon. En Albrici de Guidone eiusque studiis verba: Guido cantor Sancti Stephani Cathalaunensis[14], frater Nicholai viri nobilis de Bazochiis et abbatis Milonis Sancti Medardi Suessionis, scripsit librum unum apologeticum et usque ad mortem regis Richardi, librum historiarum a mundi principio breviter transcurrendo usque ad tempus suum, cuius dicta suis in locis in hoc opere annotavimus, et scripsit de mundi regionibus libellum unum, de eodem volumine coartatum, et preter hec volumen aliud satis rhetoricum epistolarum diversarum[14*]. Unde et quia iste scripsit et quia in hoc anno decessit, hec de eo diximus, ut sciatur quis fuerit. *Omnia haec opera si re vera interierunt, neque archivorum tantum tenebris obruta sunt, vix est cur doleamus. Rebus enim iis, quas Albricus nobis asservavit, diligenter perlectis et perpensis, Guidoni vanam verborum opificis gloriam libenter concedes, historicis eum minime ascribes. Neque Albricum quidem effugisse videtur, quod boni historici proprium est, id Guidoni deesse. Eius librum* apologeticum *vocavit; et quum labes populi sui bene perspexisset, Guidonem* more suo Gallico cothurno *incedere ait*[15]. *Alio loco eum ob nimias laudes, quibus comitem suum extulerit, correxit, vituperavit, derisit:* Sed o exclamatio[16]! *Profecto, Guido tantam in dicendo speciem atque pompam adhibuit*[17], *ut eum, nisi saecula interiecta essent, Cassiodori discipulum haberes. Historiam scripsit, ut magnus verborum architectus praedicaretur, nec vero ut res gestas, quales erant, fideliter et simpliciter enarraret. Sed iam satis, quo Guidonem historicum haud magni aestimes. Quodsi plurima eum aliis ex fontibus hausisse addidero*[18], *iamiam mihi concedes, vix esse cur libri interitum doleamus. Opera autem, quibus adiutus Guido narrationem suam adornavit, sunt: Pauli diaconi Historia Langobardorum*[19], *Thegani Vita Ludovici*[20], *Liber pontificalis*[21], *Flodoardi Annales*[22], *Guilelmi Malmesberiensis Historia Anglica, Guilelmi Gemmeticensis De gestis ducum Normannicorum*[23], *Guilelmi Tyrii Belli sacri historia*[24], *quam pede tam presso secutus est, ut iamiam refutata opinione, quae hucusque erat, etiam narrationes de rebus transmarinis, quae ante Guidonis tempora evenerant, nullius momenti esse astipuleris. Ut saeculi erat, fabulas miraculaque non respuit: Karoli Magni expeditionem cruciatam*[25], *commentitia Gesta Caroli Calvi*[26], *ineptam sancti Martini translationem*[27], *quam Odoni Cluniacensi ascribunt*[28], *verbis mutatis operi inseruit. Sed nescio an aliis adhuc subsidiis usus sit: nonnulla me fortasse*

---

14) In chartis Cathalaunensibus Guidonem *cantorem* nunquam, Guidonem *archidiaconem* saepissime reperi.

14*) Hoc in Bibliotheca urbis Luxemburg exstare videtur. Cf. Archiv der Gesell. VIII, 596.

15) Cf. annum 842.

16) Cf. annum 1163.

17) E. g.: *carcere iniectus, de quo nonnisi mortuus eiectus; — deiecti solio, vinculis iniecti nec ab hiis nisi de corpore simul eiecti; — sub obtentu occasionis obtento, captum et raptum, iniuriose tractum, contumeliose tractatum, ab ecclesia manibus violenter iniectis eiectum; — castrum ingreditur, palatium aggreditur, imperiales turbat et diripit, Otto se per fugam eripit, sed quesita, quia non acquisita* etc.

18) Quae Wilmans l. c. de fontibus annotavit, ea tam pauca quam falsa sunt. Nam Guido neque Aimoinum Floriacensem neque Baldricum Dolensem secutus est. Neque Oliverus scholasticus Guidonis chronicon descripsit, sed uterque Guilelmi Tyrii Belli sacri Historia usus est.

19) Cf. annum 738. et quae supra p. 657 n. 41 dixi.

20) Cf. e. g. ann. 742.

21) Cf. annos 806. 817. 833. 834.

22) Cf. annos 922. 928. 930. 954.

23) ap. Duchesne, Hist. Norm. scr. 215—317.

24) ap. Bongars Gesta Dei per Francos I, 625—1044. Editio nova in Recueil des historiens des croisades, Paris 1841—1844. nobis ad manus non erat.

25) Originalis libelli textus, quoad sciam, adhuc praelo datus non est; versio Gallica exstat ap. Moland Origines littéraires de la France 109 seqq.

26) Quum Guido ad annum 842, Caroli Calvi contra fratres bellum enarrans, omnes errores repetierit, qui in Hist. reg. Franc. mon. s. Dionysii SS. IX, 401. reprehenduntur, nec vero ceterum, sepultura Caroli Calvi excepta, ulla convenientia inter Guidonem et monachum Sancti Dionysii inveniatur, haud dubito, quin uterque ex communi fonte hauserit, ex Gestis Caroli Calvi, de quibus monachum c. 21. audias: *Quod quomodo contigerit, in gestis ipsius plenius invenitur.*

27) Cf. annum 882.

28) ap. Duchesne, Bibl. Cluniac. 113 seqq.

effugerunt, nec vero ubique cognitu facile est[29], *quonam e fonte tantum verborum flumen emanarit. Certe omnia, quae de temporibus paullulum remotis tradidit, historiae lucem non afferunt. Sed quum coaequalis narret, non prorsus spernendus est. Iam res anno* 1158. *gestas ipse vidit*[30]; *Henrico comiti Campaniensi, anno* 1163. *defuncto, — nisi fallor — familiaritate quadam coniunctus erat*[31]; *anno* 1189. *expeditione in terram sanctam parata se signis Campaniensium aggregavit;* cum quibus, *inquit*, et pusillitas mea, pusillanimitate procul abiecta, peregrinationis huius onus assumpsit. Quod iter sicut videre datum est, placuit et referre. *Et hac relatione nihil in toto Guidonis opere praestabilius est; ei plurimum attribueres, nisi Guidonis illud, ut res magnifice exornaret, magis interfuisse scires, quam ut eas fideliter traderet.*

Opus mihi saltem incognitum, cuius maior vis nescio an in auctoris nomine posita sit, ab Albrico ter laudatur: Anastasii bibliothecarii Historia Romana. Quae quum semel ante Christum natum nostro materiam praebuerit, dein ad diem passionis Dominicae affirmandum in auxilium vocata sit, nec vero ultra, — nam tertium inter opera tantum Anastasii recensetur, — forsitan aliquis coniecerit, auctorem ad opus quoddam recurrisse, quo historia Romae antiquae usque ad Christum crucifixum perducta erat. Sed Albrici verba afferre iuvat: Anno 4. ol. 171. — et sequenti anno gravia prodigia et inaudita visa sunt, que in Romanorum hystoria describuntur. — Anno Domini 34. De anno Dominice passionis in Romana hystoria ita scriptum est secundum Anastasium bibliotecarium. De illius, inquit, obscurationis die, quando passus est Dominus, non solum ewangeliorum fides, sed etiam aliquanti Grecorum libri attestantur. — Anno 864. Sub Nicolao papa floruit Rome Anastasius bibliothecarius, qui vitam sancti Iohannis elemosinarii, passionem decem milium martirum et quedam alia de Greco in Latinum transtulit; qui etiam Romanam hystoriam et multa alia scripsit. *Quod Anastasii opus a Libro pontificali plane diversum esse, quisque intelliget; neque loci allegati in Libro pontificali inveniuntur, neque Albricus ipse, quippe qui Helinando duce ad annum* 758. *annotaverit:* Hucusque pertingit liber de gestis pontificum Romanorum, et abhinc de Romanis pontificibus sparsim et varie tractant diversi auctores, *nostram paparum historiam Anastasio ascripsit*[31*].

Se de rebus Remensibus praeter Flodoardi Historiam aliud etiam opus ad manus habuisse, Albricus ipse attestatus est: Anno 939. Et in aliis annalibus habetur *etc.* Anno 806. De quo Tulpino archiepiscopo ita invenitur in annalibus *etc. Haec sane in Flodoardi Historia occurrunt, illa vero ibi desiderantur. Posteriorem igitur locum noster haud dubie e libro quodam descripsit, a Flodoardi Historia diverso; nec vero priorem ab Albrico ipso Historiae depromptum esse putarim. Qui meo iudicio Flodoardi Historiam, sibi notissimam ac saepe laudatam,* alios annales *non nuncupavit: annalibus Remensibus usus est, quorum auctor iam Flodoardi Historiam consuluerat. Hos deperditos annales in monasterio sancti Remigii conditos esse si affirmo, duo mihi argumenta sunt:* 1) *Abbatum et monasterii, etiamsi rara, talis vero mentio fit, qualis auctorem monasterii ipsius monachum sapit. Ea exempli gratia videas velim, quae ad annum* 1049. *de ecclesia sancti Remigii consecrata enarrantur: etiam praesules qui aderant nominantur. Necnon locum*

---

[29] Quae Guido ad annum 798. de rebus Constantinopoli gestis retulit, ea ex Histor. miscella XXV, 24 desumpta esse videntur. [30] — *strages hominum facta, quantam se vidisse non meminit aetas.* [31] *fateor me non vidisse, legisse non memini tante liberalitatis extitisse principem.* [31*] Neque opus idem est atque Anastasii Historia ecclesiastica sive Chronographia tripertita.

anni 1134. *conferas, quo Odo abbas* 10 Kal. Iunii *fundamenta Montis Dei* ex oblationibus offerentium ad miracula sancti Gibriani *iecisse traditur.* 2) *Quae ad annum* 945. *de monasterio sancti Remigii reformato diligenter exponuntur, eadem in codice quodam Sancti Remigii invenies. Non solum tempus, res, personarum nomina, verum etiam nonnulla verba plane concordant*[32]. *His annalibus, quos iamiam Sancti Remigii inscribimus*[33], *noster a Flodoardi Historia destitutus omnia de rebus Remensibus deprompsit, nescio quem usque ad annum, sed certo duo circiter per saecula. Quae inde ab anno* 1200. *protulit, ea sane e sua ipsius vel amicorum memoria tradere potuit.*

Sub anno 862. De isto Hugberto abbate, *inquit*, in quadam notula reperitur, quod abbatiam Lobiensem invasit fugato Hardberto abbate. *Quo cum loco si res Lobienses, quae ad annos* 737. 749. 827. 990. 1007. *annotatae sunt, coniunxeris, Albricum brevibus monasterii Lobiensis annalibus usum esse satis superque tibi persuasum habebis. Quod opusculum ab annalibus, qui exstant, necnon a chronico diversum est.*

Quodsi Albricus anno 866. *ecclesiam Pultariensem dedicatam esse, verbis:* Reperitur annotatum *affirmat, nescio quem ad librum provocaverit.*

Duo nostro libri de rebus Flandrensibus praesto erant. Comitum genealogia ad annum 966. *explicata, hoc modo quum perrexerit:* Alia littera habet, *eum duobus e fontibus hausisse apparet. Quorum prior arctam cum Flandria generosa affinitatem prae se fert. Sed noster hoc opus Flandrense ipsum non descripsit; aut eodem fonte usus est atque auctor Flandriae generosae, aut hic operi cuidam alii, ab Albrico adhibito, materiam praebuit. Utcunque erit, duo nobis libri statuendi sunt, quibus adiutus de rebus Flandrensibus enarravit. Quorum ad alterum tertia etiam commemoratio chronici cuiusdam Flandrici mihi referenda esse videtur. De quo ad annum* 1213*:* Sequitur in eadem cronica: Praedictus itaque comes Fernandus *etc. Praecedentibus autem paginis nulla chronici, quod de Fernando Flandrensium comite egerit, nobis mentio occurrit. Nec vero dubito, quin ineunte anno* 1213. *chronici inscriptio omissa sit. Ibi enim Albricus* Comitatum Flandriae *inquit* sortitur Fernandus *etc. Quae verba, quo iure postea:* Praedictus itaque comes Fernandus *dixerit, declarant et haec illaque eiusdem fontis esse comprobant.*

Sanctos Cassium, Florentium, Malusium a Rainaldo Coloniensi archiepiscopo et Gerhardo Bonnensi praeposito anno 1166. *translatos esse quum referret, inscriptionem addidit:* Cronica Aquensis. *Quod opus, ut cetera, prorsus incognitum esse videtur, nec scio quibus aliis locis ab auctore in usus vocatum sit.*

Genealogiam quandam Namurcensem sub anno 1168. *allegavit:* Alibi scriptum reperitur. *Quae verba accuratum comitum stemma sequitur.*

Ultimam operis cuiusdam deperditi commemorationem annus 1173. *praebet:* De eadem civitate Laude alibi scriptum invenitur, quod imperator Fridericus eam mutaverit et in loco, ubi nunc est, posuerit[34].

Praeterea pauca noster adhibuit opera iam deperdita nec vero ullo modo laudavit. Quum ad annos 427. *et* 626. *eandem seriem archiepiscoporum Moguntinorum legeris, auctorem, ut ita dicam, se ipsum descripsisse vix credes,*

---

[32] Vide annotationem, quam loco laudato subiecimus.

[33] Quos cave ne confundas cum Ann. Remens. SS. XVI, 731 et cum Chronicis Remens. ap. Labbe I, 358. 362.

[34] In universum ad annales, chronica, scripta noster his locis provocavit: 881. *In quibusdam annalibus scribitur;* 1055. *In quibusdam cronicis annotatur;* 1195. *Mortuus esse scribitur circa hec tempora nominatissimus ille Salahadinus;* 1234. *Dicitur etiam et scriptum est, quod quidam admiraldus Damasci* etc.

sed eum in catalogo quodam Moguntino nisum esse coniicies. Quod ita sese habere, annis 755. 855. 945. 1002. 1032. 1049. 1078. 1086. *perlustratis, pro certo affirmabis. Hos enim ad annos non solum archiepiscopi recensentur, sed etiam monasteria ab eis condita. Notas Sancti Remacli Stabulensis Albrico ad manus fuisse, res de abbatibus ac monasterio sub annis* 875. 905. 921. 939. 972. 993 .1134. 1159. 1191. *propositae satis superque demonstrant*[35]. *Necnon ea, quae noster de rebus Virdunensibus, Tullensibus, Treverensibus, annos* 1131. *vel* 1090. *vel* 1067. *transgressus et iam a praesulum Gestis hucusque fidelissimis ducibus destitutus, non vero ipse coaevus retulit, animus inclinat, ut ad fontes scriptos reducat*[36]. *Ceterum cave, ne quicquam, cui recte fides habeatur, nostrum libris deprompsisse statuas*[37]. *Qui res quam multas colloquiis debuerit, iam supra docuimus; et tunc temporis, quo libri rarissimi erant, hominum memoria quo magis exercitanda erat, eo plura et percepit et retinuit*[38].

Haud minor quam auctorum historiae profanae est numerus eorum, quibus Albricus res sacras debuit. Haec supersunt vitae, passiones, translationes sanctorum, visiones, miracula ceteraeque huiuscemodi nugae, quae Albricus partim et laudat et descripsit, partim operum inscriptione oppressa usibus suis adaptavit, partim quasi praeteriens nonnisi verbo tetigit: ***Recognitiones sancti Clementis*** 45. 93.[39]; *S.* ***Elisabethae*** *Liber revelationum de SS. Ursula et sociabus* 238. 1156.[40]; ***Gregorii Turonensis*** *De gloria martirum* 256; *eiusdem* ***Historia*** *septem dormientium* 319. *et De miraculis sancti Martini* 400; ***Historia B. Servatii*** 347.[41]; *et Sulpitii Severi et Paulini Nolani Vita S. Martini* 400; ***Herici Vita*** *metrica B. Germani* 447.[42]; *Vita S. Godonis* 644. 676.[43]; ***Sigeberti Vita Sigeberti*** *regis* 651. 655.[44]; *Vita S. Filiberti* 644. 661. 676. 685. 689.[45]; *S.* ***Bercharii*** 662. 666. 685.[46]; *S. Rodingi* 666.[47]; *Nicolai Vita S. Lamberti* 686. 1234.[48]; *Vita B. Audoeni* 678. 693. 841.[49]; *S. Eucherii* 750.[50]; *S.* ***Guilelmi ducis*** 806.[51]; *Ionae Vita S. Huberti Leodiensis* 821.[52]; *Ionae Vita S. Columbani* 821.[53]; ***Translatio S. Calixti*** 844. 845.[54]; *Methodii Revelationes* 856; ***Translatio S. Cuthberti*** 883. 995. 1085. 1104. 1115.[55]; *Casus coenobii Dervensis et miracula S. Bercharii* 909. 992.[56]; ***Odonis Cluniacensis*** *De relatione corporis S. Martini* 913. *cf.* 882.[57]; ***Bernardi scholastici*** *Miracula S. Fidis* 994.[58]; ***Translatio metrica S. Fidis*** 994.[59];

---

[35] Opusculum ab annalibus Stabulensibus ap. Reiffenberg Mon. de Namur VII, 195 diversum est.

[36] Cf. hac de re Wilmans l. c. 225—228.

[37] Quo iure Wilmans l. c. 232 Albricum res Normannicas ex opere quodam deprompsisse statuerit, quod chronico Fiscanensi apud Labbe I, 325 admodum affine fuerit, equidem non video. Res fere omnes huic — ut vir doctus censuit, — ampliori chronici exemplari ascriptas aut apud Guil. Malmesb. aut apud Helinandum invenies. Necnon ea, quae Wilmans l. c 205 ad ignotos Anglorum fontes reduxit, in operibus notissimis exstant, in operibus — inquam —, quibus Albricum usum esse Wilmans ipse aliis locis bene perspexit. De rebus Ungaricis a Wilmans p 231 enumeratis cf. supra p. 652, n. 88.

[38] Utrum Albricus res Leodienses, quae neque apud Reinerum, neque apud Aegidium inveniuntur, ex ore Leodiensium, quibuscum ei multa commercia fuisse supra exposuimus, an e libris habuerit, hanc quaestionem in medio relinquam. Fortasse Arndtius noster, iamiam Aegidii editionem paraturus, utrumque, Aegidium scilicet et Albricum, Vita Alberti episcopi chronicoque Hugonis Petrapontis, operibus hucusque praelo non datis, usum esse me docebit.

[39] Divi Clementis Recognitionum libri X. In inclyta Germaniae Basilea. S. a.

[40] A. SS. Oct. VIII, 163.

[41] Cuius fragmentum nostris usibus satisfaciens apud Chapeaville I, 37.

[42] A. SS. Iul. VII, 221. Quo de carmine quae noster ad annum 877. annotavit, ea non ipsius sunt, ut Wilmans l. c. 232 putavit, sed Helinandi.

[43] A. SS. Mai. VI, 444.

[44] A. SS. Febr. I, 231.

[45] A. SS. Aug. IV, 75.

[46] A. SS. Oct. VII^{b}, 1010.

[47] A. SS. Sept. V, 513.

[48] A. SS. Sept. V, 602.

[49] A. SS. Aug. IV, 810.

[50] A. SS. Febr. III, 217. Ad annum 766, ubi miraculum quoddam S. Gengulphi enarrat, Albricum non ipsius vita usum esse putarim, sed eius epitome, ab Helinando facta.

[51] A. SS. Mai. VI, 811.

[52] Mabillon A. SS. IV^{a}, 295.

[53] ibid. II, 5.

[54] A. SS. Oct. VI, 443.

[55] A. SS. Mart. III, 127. Notae de passione S. Dionysii, quas Wilmans l. c. 232 Albrico attribuit, Flodoardi sunt. De Herici Vita S. Gengulphi cf. supra n. 50.

[56] Mabillon A. SS. II, 844. Miracula S. Bercharii, quorum sub titulo fragmentum in SS. IV, 487 exstat.

[57] Duchesne Bibl. Clun. 113.

[58] A. SS. Oct. III, 280.

[59] A. SS. Oct. III, 289. Quamquam auctor ad annum 988. his Helinandi verbis: *S. Dunstani vitam descripsit Osbernus*, sua mente

Simonis Metaphrastae Vita B. Silvestri 999.[60]*; Vita S. Heinrici imperatoris* 1004.[61]*; Miracula Richardi abbatis S. Vitoni* 1019.[62]*; Eberwini Vita S. Symeonis* 1029. 1035.[63]*; Alredi Vita Edwardi regis* 1045. 1053. 1066. 1071. 1101.[64]*: Vita S. Simonis Crespeiensis comitis* 1061. 1074. 1075. 1076. 1081. 1082.[65]*; Miracula S. Dunstani* 1071.[66]*; Vita S. Norberti* 1119. 1126. 1134.[67]*; Calixti II. papae Translatio S. Iacobi* 1118.[68]*; Galteri Vita Karoli Boni comitis Flandriae* 1116. 1117. 1126. 1127.[69]*; Vita S. Malachiae* 1126. 1141. 1148.[70]*; Vita S. Bernardi Clarevallensis* 1130. 1132. 1137. 1145. 1153.[71]*; Heriberti Liber Miraculorum Clarevallensis* 1130. 1135. 1166. 1167.[72]*; Caesarii Heisterbacensis Dialogus Miraculorum* 1150. 1188. 1196. 1200. 1210. 1213. 1214.[73]*; Iacobi Vitriacensis Vita S. Mariae Ogniacensis* 1211. 1213.[74]*; Vita S. Teliai* 1230. *anoymo auctore*[74*].

Iam opera de rebus sanctis vel potius catholicoecclesiasticis sive re vera deperdita sive mihi tantum incognita percursuri sumus: Vita B. Martialis 51*; Miracula S. Mariae, quibus narratio rythmica de S. Bonito inerat,* 687. 764*; Visio Stephani papae* 754.[75]*; Audradi chorepiscopi Senonensis Visiones* 842. 843. 845. 846. 849. 850.[76]*; Translatio S. Agili Resbacensis* 938. *cf.* 1197*; Plena narratio de baculo S. Petri* 953. *cf.* 52. 972*; Maioli abbatis Cluniacensis Narratio de duce Sardiniae Eusebio et de duce Siciliae Eustorgio* 976*; Opus quoddam, in quo legitur:* Lucie et Geminiani 970. *Deinde ad annum* 1002. *Albricus* De hoc Silvestro papa, *inquit*, in quodam libello, ubi agitur de sanctuario Lateranensis ecclesie, ita scriptum reperitur *etc. Quem ad libellum haud dubito quin ea etiam referenda sint, quae sub annis* 901. *et* 907. *legimus*: De Formoso papa in quodam libello scriptum reperitur *etc.*; in ecclesia Lateranensi multo aliter sentitur de eodem Formoso — sicut ibi legitur *etc. Sequuntur Vita S. Hildegardis* 1099. 1141. 1153. 1155. 1170.[77]*; Narratio de purgatorio S. Patricii* 1141*; Visio Thugdali de poenis inferni* 1149.[78]*; Iohannis abbatis Fordensis Vita S. Wolverici* 1154*; Opus quoddam, in quo S. Eadmundus Eustachium percussisse dicitur* 1154.[79]*; Vita S. Gundrici Dunelmensis* 1171.[80]*; Vita et Visiones Humelinae Ambianensis* 1202.[81]*; Gossuini monachi Claraevallis Miracula et Visiones* 1203, de quibus quedam, *inquit*, in superioribus annotavimus. *Quod opus ad annum quoque* 1195.

---

adiecit: *De qua vita in precedentibus per annos* 58 *multa tetigimus;* attamen ubique Helinandi opere usus esse videtur.

[60] Surius A. SS. VI, 1052.

[61] Mon. Germ. SS. IV, 792. Locus allegatus in Vitae addit. c. 1 occurrit.

[62] Mon. Germ. SS. XI, 280.

[63] Mon. Germ. SS. VIII, 209.

[64] A. SS. Ian. I, 293.

[65] A. SS. Sept. VIII, 744. Ad annos 1063. et 1109. Albricus Gilonis Vitam S. Hugonis Cluniacensis expresse laudavit, sed hic et ubique, de Hugone referens, Helinandum secutus est.

[66] A. SS. Mai. VII, 812.

[67] Mon. Germ. SS. XII, 663.

[68] Calixti papae Miracula S. Iacobi se Helinando debere Albricus l. c. ipse dixit. Sed Translationem Iacobi, quam diligenter a Miraculis distinguit, e chronico eius nec descripsit nec describere potuit. Translatione ipsa, et exemplari quidem, quamvis affini, tamen non eodem usus est, ac quod edidit Aguirre Conc. Hisp. IV, 120.

[69] Mon. Germ. SS. XII, 537.

[70] Surius A. SS. VI, 27.

[71] Quae ceteris sub annis Wilmans l. c. 233 Vitae attribuit, ea in Vita non inveniuntur.

[72] In editione Chifletii Genus illustre S. Bernardi assertum 161. miracula annorum 1166. et 1167, quae Albricus expresse Heriberto attribuit, frustra quaeruntur. Quare eum ampliore editione usum esse statuamus oportet. Ex qua nescio an ea etiam fluxerint, quae ad annum 1130, nomine auctoris non addito, de sancto Bernardo leguntur.

[73] ed. Strange.

[74] A. SS. Iun. IV, 636. Quo iure Wilmans l. c. 234. Albricum ad annos 1209. et 1211. Vita et miraculis S. Guilelmi Bituricensis, quorum plura exstant, usum sese statuerit, haud video.

[74*] A. SS. Febr. II, 308.

[75] Visionem etiam auctori Hist. reg. Franc. mon. S. Dionysii c. 16. (SS. IX, 390) ad manus fuisse, loco allegato docebo.

[76] E P. Sirmondi manuscripto, de quo nihil amplius auditur; cf. Duru Bibl. de l'Yonne I, 249. — Duchesne Hist. Franc. scr. II, 390—393 fragmenta nonnulla edidit. Quae a Bouquet VII, 289. et Duru l. c. 250 repetita sunt.

[77] Vitam Albricus non expresse laudavit; ad annum 1170. narrationem conclusit: *et cetera que ibi habentur.* Quo opere etiam Albertum Stadensem SS. XVI, 303 usum esse, rebus anni 1141. inter se collatis intelliges.

[78] Cf. Helinand. p. 186ᵇ—194.

[79] a miraculis S. Eadmundi ap. Martène Coll. ampl. VI, 821 diversum.

[80] Cf. Chron. Clarevall. ad a. 1171.

[81] — *domne Humeline vita et visiones haberi dicuntur;* ipse igitur eas legisse non videtur.

laudatur; et ad idem, etiamsi non laudatum, referenda est illa anni 1173. narratio mirabilis, quam qui plenius scire voluerit, apud Clarevallem inveniet[82]. *Claravallis auctori etiam vaticinium quoddam suppeditavit, quod anno 1220. urbe Damietta capta quum inventum esset, e Chaldaica lingua in Latinam versum, tunc Romam missum, demum Claramvallem delatum est*[83]. *Ut finem faciamus, lectorem ad Novam Historiam B. Mariae Salomae 1212, ad Philippi cancellarii Parisiensis Narrationem de sancto clavo apud S. Dionysii monasterium perdito et reinvento 1237, ad vaticinium Cisterciensis cuiusdam 1241.*[84] *delegamus.*

Haec sunt istius generis opera, quae ab Albrico expresse laudata ad nostra tempora non pervenerunt. Necnon alia, quae tacite suis usibus adaptaverit, — et praecipue quidem opus quoddam de S. Thoma Cantuariensi scriptum, quod nostro ad annos 1164. et 1171. materias praebuerit[84*], *— iam interiisse coniicias. Sed sicut ubique, ita etiam de rebus sacris nonnulla certe ex ore hominum accepit. Quare viri docti, harum minutiarum curiosi, utrum auctor narrationes de Inventione S. Hildae 333. 1163, Translatione S. Quintini 835. 836, Vita Cyriaci Nivernensis 859, Translationibus S. Magdalenae 867. et Cornelii papae 877. etc. priorum operibus an coaevorum sermonibus debuerit, ipsi frugifera diligentia sua extricent.*

Multo magis me carmina fabulaeque Romanenses delectant. Sed hac in re adeo hospes sum, ut vix aliquid novi proferre possim, quin immo ne multa a viris doctis iam eruta me effugerint metuam.

Toto se animo noster Turpini commentis dedit. Quibus quum commendatio Calixti II. papae accederet, plenam fidem adiunxit easque presso pede secutus est. Et exemplari quidem usus est, quod Florentiae in bibliotheca Laurentiana asservatum, hucusque in lucem non prolatum, editionibus multo amplius est: hinc integra capita habemus, quae illinc desunt. Id Albrico praesto fuisse, eo imprimis colligimus, quod narratio eius duorum quas noscimus capitum inscriptionibus plane respondet[85]. *Necnon codicem aut codicis archetypum a Guilelmo Britone scriptum esse moneo*[86]. *Cuius itemque Rigordi Gesta Philippi regis quoniam Albricus excerpsit, nonne verisimile est, eum ipsis Gestis simulque Turpini exemplari, a Guilelmo confecto, Lutetiae in bibliotheca Dionysiana usum esse?*

Quum Calixtus II. papa Turpini auctoritatem constituerit, quum duo de Iacobo apostolo libros rebus ficticiis impleverit, nescio an eius ipsius Gesta iure ab operibus historicis removerim[87]. *Certe ea, quae Albricus ad annum 1122. ex hoc iam deperdito libro de Iohanne Indorum patriarcha tradidit, nonnisi ineptissime ficta sunt. Nec mihi mirum, quod vir mendaciis adeo favens sua ipsius gesta fabulosa sive ipse scripsit sive scribi iussit.*

---

82) Nec vero tibi repugnabo, si hunc locum Iohanni Clarevallensi ascripseris. De utroque, Iohanne scilicet et Goswino, Chron. Clarevall. ad a. 1178: *Testimonium domni Gossuini monachi quondam Claraevallis, qui apud Chiminium diu mansit et in Burlencuria requievit. Hic ergo scripsit quendam librum Miraculorum ad abbatem Everbaci Gerardum et in prologo suo ait: Iohannes prior Claraevallis pulchrum volumen fecit componi, in quo miracula diversorum et visiones ad aedificationem legentium continebantur descripta.* 83) Cf. de eadem re Chron. Dunstapl. ed. Hearne 101. 84) Idem vaticinium iisdem verbis ab auctore Chron. Dunstapl. 241. relatum esse, Wilmans l. c. 236 n. 2. monuit. 84*) Similia nec vero eadem in Vitis s. Thomae auctoribus Wilhelmo filio Stephani et Herberto de Boscham leguntur. Giles S. Thomas I, 290. VII, 326. 85) — *a.* 784. *de Rothlando Granopolim obsidente hic est annotandum; — a.* 795. *hic etiam inserit Elinandus ex dictis Turpini — de Rothlando Granopolim obsidente; — a.* 815. *post mortem Caroli Magni — quidam Altumaior Cordube.* Quibuscum conferas capitum inscriptiones, quas Sebastiano Ciampi, De Vita Caroli Magni et Rolandi Historia, Iohanni Turpino vulgo tributa, p. 142. debemus: *De miraculo Rotolandi comitis, quod apud Granopolim Dominus per eum fecit. — De Altumaiore Cordube.* 86) *In fine è scritto: Guillermus Brito me scripsit in civitate Carcasone.* Ciampi l. c. 87) Utcunque erit, minime Wilmansio l. c. 230 assentiendum est: hoc ex Gestis Calixti fragmentum Gestis Romanorum pontificum innexum non erat.

Quae Albricus opere ineunte de Britonum regibus narravit, ea satis cum Galfredi Monemutensis Historia Britonum[88] *consentiunt. Itemque fabulae ad annum* 434. *de Vortegirno et ad annum* 459. *de Arturo rege prolatae in Galfredi libro*[89] *occurrunt. Et quia Albricus loco priore, ubi de Vortegirno agitur, fontem eiusdem inscriptionis laudavit, ac quam Galfredi opus prae se fert, posteriore loco Arturum occisum esse iisdem verbis retulit, ei Galfredi Historiam Britonum praesto fuisse facile credas. Quod vero ne affirmemus, eo nos vetari censeo, quod anni Rivallonis, Uterpendragonis, Arturi, Constantini regum a Galfredo traditi non sunt. Qua re Albricum non Galfredi ipsius, sed opus quoddam, illi arcta affinitate coniunctum in enarrandis Britonum fabulis adhibuisse putarim.*

Cui operi haud incommode Merlini Vaticinia adiungimus. Albricus ea ad annos 434. 565. 717. 1136. 1139. *expresse laudavit; nec vero meris Vaticiniis, sed Vaticiniis interpretatis ei uti licuit. Cuius rei mihi argumentum est, quod ad annum* 1139. *verba Merlini explanantur atque eadem explanatio ad annum* 1143. *recurrit. Res quum ita sit, nisi Albricum se ipsum descripsisse putes — et hoc minime putabis —, iam eum Vaticiniis interpretatis usum esse concedes*[90].

Ad annum 653. *allegatur:* Quedam hystoria de rege Floovenz, Clodovei filio. Huius filia Helvidis, data Iustamundo regi Saxonum, peperit Brunomundum et heredes Witechindi. *Inscriptionem* Hystoria *quum adiiceret, Albricus vix carmen quoddam designare voluit, neque Iohanni Bodeli* La chanson des Saxons[91], *neque anonymi cuiusdam* Floovant[92]. *Sed fabulam pedestri oratione scriptam adhibuit, et meo quidem iudicio, non solum hic, sed duobus aliis etiam locis. Ad annos* 859. *et* 921. *genealogiam Guitechindi prosecutus, iterum iisdem fere verbis rem tractavit; nec vero, ut modo dixi, eum se ipsum descripsisse, ullo pacto statuam.*

De Auctario duce, qui in cantilena vocatur Lotarius superbus, *annum* 753. *evolvas. Quae ibi narrantur, ad carmen* Ogier de Danemarche *referenda non sunt; hoc enim in carmine Ogerium* Lotarium superbum *vocatum esse frustra quaeres*[93]. *Item fabulas de Pipini filiis pellice natis*[94] *fugaque Caroli Magni, de quibus annum* 764. *videas, ad certos fontes reducere nequeo. Carminis, quod ad annum* 770. *de regina Sibila* pulcherrime contextum *esse ait, versionem Hispanicam et Belgicam habemus*[95]. *Res reginae adversas accidisse, id proditoribus generis Ganalonis ascribendum est. Nec silentio praetereamus et plerumque in Campania scenam carminis constitutam*[96], *et proditores Ganalones a Campania ortos esse*[97]. *Quod monui, ut haec Albrici, Campaniensis scilicet, verba plane perspicias et recte aestimes:* Que carmina quamvis delectent et ad risum movent audientes vel etiam ad lacrimas, tamen a veritate hystoriae nimis comprobantur recedere, lucri gratia ita conposita. *Ad annum* 774. *notissima illa Amelii et Amici Historia, quam Albricum non carmini de sociis illis fidelissimis composito, sed narrationi prosaice scriptae*[1] *deprompsisse, eius arctissima cum Vincentio Bellovacensi XXIII,* 162—169 *convenientia docet. Tertium post annum quum Caroli Expeditionem Calabricam fictam esse existimaret, quia* nusquam habetur, nisi in cantilenis, *ad carmen illud provocat, quod inscriptum est:* Aspremont *vel* Agoland[1*]. *Tunc genus Nemerici copiosius et accuratius explicavit, quam alius quis, Bertramo Barrensi excepto. Sed Bertramus item Campaniensis erat. Quo igitur studio Campanienses in antiquis fabulis colendis eo tempore versati fuerint concludas. Loco allegato, anno scilicet* 779, *Aioli mentionem faciens, quum verba:* De quo canitur a multis *adiecerit, plura quam unum illud, quod exstat*[2], *de Aiolo carmina nosse videtur. Denique ibidem Historiam Ursonis Bellovacensis laudavit. Ubi de Austrasiorum coniuratione, anno* 788. *facta, Sigeberto duce enarravit, suo Marte addidit:* Et ut in cantilena dicitur, ad istam conspirationem cognoscendam Karolus Magnus monitu angeli ivit de nocte furari. *Verba haud dubie ad carmen:* le romant Basin[2*] *spectant. Brevis Arnai Aurelianensis commemoratio, quam sub anno* 802. *invenies, e carmine quodam emanavit, cuius autographum interiit, cuius vero recensio saeculi XIIII. exstat:* Arnais d'Orléans[3]. *Quae ad annum* 805. *de quatuor Haimonis filiis referuntur, ea auctorem* Narrationem de S. Reynoldo et genealogiam eius et sociorum *aut ipsum legisse aut ab aliis audiisse comprobant*[4]. *Carmen sub anno* 806. *allegatum, quo gesta Guidonis Burgundiae ducis* satis pulchra *decantantur,* sive fabula sive hystoria, *idem esse elucet, atque* Gui de Bourgogne[5]. *Relatio de Guidone Burdegalensium duce, quam auctor rebus anni* 806. *inseruit,* et cetera sive fabulosa sive historica annexa *haud dubito quin in carmine:* Huion de Bordeaux[6] *posita sint. Einhardum una cum uxore Emma, filia Caroli Magni, Seligenstadii sepultum esse, ad annum* 826. *retulit, haud dubie hominum sermones secutus. Historiam de Aimero captivo se cantoribus debere, Albricus ipse ad annum* 837. *attestatus est.* De nomine pape, *adiecit,* qui a cantoribus dicitur Milo, non est curandum, quia ita solent nomina mutare, vel per ignorantiam vel curiose. *Carolo regi Gerardum Viennensem cessisse, ad annum* 866. *annotavit,* et victoriam, *dicere perrexit,* ei concessisse perhibent heroice cantilene. *Denique Albricum etiam Gerini comitis,* qui vixit ut postea compertum est plus quam annis 300, *ad annos* 945. *et* 805. *mentionem fecisse, fabulae Heliae militis,* quem cignus adduxit et reduxit, si creditur, *ad annum* 1076. *gnarum se praestitisse, de Ogero Daco, senio valde confecto, qui anno* 1210. *in pago Nivernensi obierit, de Gaidonio duce, Rolandi armigero, qui anno* 1234. *in Apulia mortuus sit, ex ore fabulantium audiisse monemus.*

---

[88] I, 3. 11. II, 6—15. ed. Giles.

[89] VI, 17. 19. VII, 3. XI, 2.

[90] Haud scio an iis, quae Alanus Insulanus scripsit. Cuius librum ad manus nostras non fuisse dolemus.

[91] ed. F. Michel.

[92] ed. Michelant et Guessard, Anciens poëtes de la France I.

[93] Cf. G. Paris Hist. poétique de Charlemagne 306. 307.

[94] Wilmans l. c. 239: *ohne Zweifel aus li Romans de Berte aux grands piés.* Sed optimo iure G. Paris l. c. 232: *L'allusion d'Albéric semble se rapporter à un poëme, assez différent de tous les autres.*

[95] F. Wolf Über die neuesten Leistungen der Franzosen p. 124, Idem Über zwei neuentdeckte Niederländische Volksbücher.

[96] — *de Gallerano de Bacaire et eodem Machario turpiter tractis* etc. *De Bacaire* vir doctus G. Paris l. c. 392 n. 1 interpretatus est: *de Beaucaire;* sed quum *Galleranus* et *Macarius* eo tempore, quo carmen compositum est, apud nobiles de Bayarne, départ. Marne, arrond. Vitry-le-François, nomina haud insolita fuerint, quum poetae saepius heroes carminis heroum suae terrae et aetatis nomine nuncuparint, — e. g. Bertramus Barrensis, — equidem gentem de Bacaire eandem esse ac de Bayarne coniicio. Porro: *de Karolo Magno in Monte Widomari obsesso,* denique: *duo ante portam Montis Wimari perierunt.* Mons Widomari vel Wimari = Mont-Aimé départ. Marne, arrond. Châlons-sur-Marne.

[97] Albrico ad a. 805. 806. auctore Ganalon ipse Ramerupti = Ramerupt, départ. Aube, arrond. Arcis-sur-Aube natus et Nigellae = Nesle-la-reposte, départ. Marne, arrond. Châlons-sur-Marne sepultus est.

Una adhuc eaque scripta fabula Romanensi Albricus usus est. Ad annum 1232. *lectorem invitavit:* Cur Semigallia dicatur illa terra, revolve Historiam Brenni et Beli et Senonensium Gallorum. *Eundem librum iam ad annum* 122. *consulum adhibuit, Hieronymi verbis:* Senones Galli Romam invaserunt *adiiciens:* sub Brennio et Belio. *De fabula nihil certi constat; quam vero eo consilio fictam esse coniiciam, ut populum Semigallensem, quem tunc temporis Germani sibi subdiderunt, a Gallis originem duxisse eluceat.*

---

1) De qua cf. C. Hofmann Amis et Amiles V. n. *. 1*) Hist. litt. XXII, 300—318. 2) Hist. litt. XXII, 274—286. 2*) Cf. G. Paris l. c. 315 seqq. 3) Ibid. 403. 4) L. de Baecker Chants hist. de la Flandre 134. 5) ed. Guessard et Michelant, Anciens poètes I. 6) ed. Guessard et Grandmaison, Anciens poètes V.

Tot enumeratis chartis, epistolis, libris, carminibus nondum omnia Albrici subsidia perlustravimus. Pauca restant, quae classibus a nobis institutis repugnant, et nescio an quis ea Antiquitatibus ascripserit. Sunt autem: epitaphia Teodorici regis 694, *Eugenii III.* 1153, *Odonis Parisiensis episcopi* 1208; *Descriptio geographica Walliae, de qua ad annum* 1188: proprius apud Clarevallem libellus invenitur, continens Walliae descriptionem, *occasione legationis archiepiscopi Balduini confectam; Versus memoriales de archiepiscopis Rothomagensibus* 1183; *Martyrologium* 1; *Passionarium Clarevallense et antiquus liber Bulencuriensis* 835, *uterque sermones quosdam continens; computus Dionysianus.*

Denique: Corpus iuris canonici, quo toties usus est, ut singulos locos recensere supersedeamus. Studio singulari in Gratiani Distinctione 63. *innisus est. Cuius de libro ipsum audiamus:* Eodem anno 1156. quidam magister egregius, Omnebonus nomine, librum de concordia discordantium canonum diligentissime ordinavit in duas partes, primam partem in 26 distinctiones, secundam in causas 37, per questiones diversas, satis artificiose propositas. Et hic liber a nomine auctoris Omnebonum appellatur. Et hunc secutus est tempore Alexandri pape Gratianus cardinalis, qui multa addidit, ita quod de 26 distinctionibus 100 distinctiones fecit; et per ipsum ista doctrina magis facta est autentica. *Praeterea — quod in auctore Cathalaunensis pagi vix dubitaveris, — Haimonis* Enchiridion in decretis *ei praesto fuisse putarim. De quo ad annum* 1151: Et electus est in episcopum Haymo archidyaconus vir nobilis et religiosus de Basochiis, qui fecit Enchyridon in decretis secundum Panormiam Yvonis Carnotensis. *Necnon Ruotgeri archiepiscopi Trevirensis librum decretorum nosse videtur. Ubi enim ad annum* 905,*Gesta Trevirorum secutus, operis mentionem fecit, eundem ad episcopum Virdunensem Dadonem inscriptum esse addidit. Ultima Decretalium commemoratio sub anno* 1234. *occurrit:* Nova conpilatio Decretalium sub bulla domini pape canonizata allata est Parisius; et ceciderunt quinque paria decretalium, quarum summa redacta est in istam conpendii gratia et intelligentie facilioris.

Auctor qui tot ex operibus chronicon suum conflavit, ipse a posterioribus rarissime in auxilium vocatus est. Nemo quod sciam genuinum Albrici opus adhibuit; pauci interpolationem Hoiensis usibus suis adaptarunt: exeunte saeculo XIV. Adrianus de Budt[7] *et centum annis interiectis auctor magni chronici Belgici, qui ad annum* 1240: Hucusque, *inquit,* chronicon Alberici monachi Trium Fontium protenditur et finitur. *Insuper presbiter Iohannes*[8] *et monachus Gemblacensis*[9], *quorum opera nondum edita sunt, Albrici chronico usi esse videntur. Hi omnes Belgae, et Belga poeta quoque, quem in conficiendo carmine Karlmeinet viri docti Albrici chronicon consuluisse affirmant*[10].

Restat ut de codicibus, qui ad nostram notitiam pervenerunt, breviter disseramus.

1. *Codex Parisiensis, Lat.* 4896 A *insignitus, membranaceus in folio, saeculo XIV. una manu exaratus. Cuius* 273 *folia, teste Arndtio nostro, binis columnis divisa sunt; primum imagunculis nitide exornatum; litterae initiales mox rubro, mox caeruleo colore depictae. Codex continet a) fol.* 1—264 Cronica Albrici Trium Fontium monachi; — *b) fol.* 264 *Fragmentum historicum, quod Bouquetii continuatores ediderunt*[10*]; — *c) fol.* 264—267 *Epistola Innocentii IV. e concilio Lugdunensi data; — d) fol.* 267 *Translatio Trium Magorum;* —

---

[7] De Smet Corp. chron. Fland. I, 274—279. [8] Cf. e. g. Chapeaville Gest. ep. Tungr. II, 126. [9] Ibid. 111. [10] K. Bartsch Ueber Karlmeinet pag. 36. [10*] Recueil XXI, 630.

e) fol. 267—273 Baldrici de Avesnis Ex chronicis Hainonensibus. *Finis periit. Codex ex exemplari quodam effluxit, cuius scriptor interpolationibus Hoiensis novas interpolationes adiecit; ac codex ita dupliciter interpolatus intra annos* 1284. *et* 1295. *confectus est. Illud Albrici fontibus et codice Hannoverano collatis luce clarius fit; hoc eo evincitur, quod scriptor ad annum* 1239, *ubi Albricus Alfonsum regem Castiliae filiam regis Aragonensis in matrimonium duxisse narraverat, adiecit:* ex qua genuit Sancium regem Castelle, qui nunc est. *Et in interpolationibus ut ita dicam interpolandis suam ipsius memoriam non solum ducem habuit, etiam libros in auxilium vocavit: ad annos* 1099. 1163. 1165. *Gesta pontificum Leodiensium, ad annum* 666. *Legendam S. Waldrudis, ad annos* 922. 1143. 1161. *auctorem mihi prorsus ignotum, Morandum, additionum suarum testes protulit. Codicem usibus nostris iam multos ante annos vir doctus C. Turles contulit, et anno* 1866. *vir b. m. H. Pabst excussit.*

2. *Codex Hannoveranus, XIII,* 748 *signatus, saeculo XIV. una manu exaratus. Folia* 230 *numerantur, binis columnis divisa; in fronte picturam elegantem vides: primo loco pictor monachum nigri ordinis posuit, qui in cubiculo sedens codicem nostrum exarat, secundo ecclesiam, domos, arbores etc. Litterae initiales modo rubrae, modo caeruleae. Volumini insunt a) fol.* 1—215 *Albrici chronicon quod inscriptum est:* Incipit cronica Alberici monachi Trium Fontium Leodiensis dyocesis; — *b) fol.* 216—228': Ex cronicis Haynonie͞ns recollectis per magistrum Balduinum de Avennis; — *c) fol.* 228—229: Ex cronica monasterii sancti Huberti in Ardenna. *Quorum ad excerptorum calcem manus saeculi XV. ex. vel XVI. in. adiecit:* Ce liure icy appartient a Messire Antoine Dalegre sieur de Millant, venant des meubles de madame Daigny. *Et manus adhuc posterior:* A Loys sieur de Louenses. 1577. *Codicem quondam Atrebati exstitisse, quum glossemata, commemorationibus monasterii S. Vedasti Atrebatensis addita, tum codices Insulanus et Gottingensis comprobant. Sed de iis infra. Codicem Hannoveranum adhuc monendum est eodem modo omissionibus scatere, ac Parisiensis interpolationibus abundat. Cuius rei arctior hic illic Parisiensis cum Albrici fontibus convenientia certissimum argumentum est. Ipse codicem contuli, quem innata liberalitate vir ill. Bodemannus, bibliothecae regiae Hannoveranae praefectus, mense Ianuario* 1872 *nobis transmisit.*

2 *a. Codex Insulanus, quem* describebat A. Cuvellier anno 1627. iussu domini sui D. Philippi de Gomiecourt, Bethuniae gubernatoris[11], *e codice Hannoverano emanasse, quia codicem ipsum non vidimus, ope Gottingensis docebimus.*

2 *b. Codex Gottingensis a Fr. Butkens e codice Insulano transsumptum esse, ipsius codicis inscriptio declarat:* Autographum huius chronici asservabatur in bibliotheca patrum Capucinorum Attrebati, scriptum in pergameno, littera valde antiqua, in folio; et ad calcem habet Recollecta illa per magistrum Balduinum de Avennis. Et hoc iussit fieri transsumptum dominus Philippus comes de Gomiecourt duobus tomis, quorum primus continet cronica usque ad annum 1000, secundus comprehendit reliqua usque ad 1241. inclusive cum cronicis magistri Balduini. Hos duos tomos optima et clara littera conscriptos diu penes me habui et de eis hanc copiam extrahere iussi. *Itaque codex ex Insulano defluxit; et quum omnibus iisdemque vitiis et omissionibus scateat atque Hannoveranus, quem insuper glossemata, ad monasterium S. Vedasti spectantia, ut iam supra diximus, quondam Atrebati exstitisse comprobant, vix ullum mihi dubium est, quin Insulanus Hannoverani apographum sit.*

---

[11] Le Glay Catalogue descriptif des manuscrits de la bibliothèque de Lille nr. 285 pag. 216.

2 c. E codice Hannoverano denique omnes emanarunt codices, inde ab anno 960. incipientes. Qui quamquam ad manus nostras non erant, attamen e collationum fragmentis hic illic dispersis satis superque intelleximus, eos editioni nostrae nullam utilitatem allaturos esse, quippe qui, codicis Hannoverani exemplaria, eo multo deteriores sint. Res quum ita se habeat, nec necesse est nec quicquam expedit, longa forte argumentatione probare, quonam ordine codices aut omnes ex eodem Hannoverani apographo aut alter ex altero emanarint. Sunt autem: Lipsiensis[12]*, Gissensis*[13]*, Guelferbytanus iam deperditus, quem Leibnitius in prima editione paranda adhibuit, duo Parisienses*[14].

Chronicon primus edidit Leibnitius, qui quum codicem Guelferbytanum, inde ab a. 960. *incipientem, typis describendum curaret, editione iam usque ad annum* 1187. *provecta, codicem Hannoveranum nactus est. Cuius lectiones, quas maioris momenti habuit, uncis inclusas inde ab a.* 1187. *usque ad a.* 1241. *addidit. Dein consilio mutato priorem partem praelo subiiciens codicem Guelferbytanum postposuit ac solo Hannoverano usus est. Editio hoc modo parata in Accessionum historicarum tomis I. et II. prodiit.*

Excerpta editionis Leibnitianae, quae ad historiam Francogallicam spectant, cum codicibus bibliothecae Parisiensis collata, in diversis Rer. Gall. scr. tomis invenies[15]. *Haud mediocri laude editio ultimae partis digna mihi videtur, nec silentio praeteream, me studiis virorum doctorum Guigniaut et de Wailly nonnihil debere.*

Novam editionem instituens codicem Parisiensem fundamentum habui. Cui quoniam res multae a librario intercalatae sunt, nec vero codex Hannoveranus, nonnullis omissis, integrum Albrici chronicon praebet, interdum cognitu difficillimum erat, quaenam admittenda, quaenam removenda essent. Sed quum primo textum condidissem, dein Albrici fontes investigarem, me haud saepe errasse reperi. Quare etiam locis illis, quibus fontes desunt, me saltem non toties lapsum esse confido, ut nullo pacto mihi condonare possis. — Quae Albricus ad verbum ex aliis operibus descripsit, ea usque ad initium finemque resecui; quae vero retractavit vel constrinxit, ea non minuta praelo subieci. Illa nullius pretii sunt, haec quanti prodesse possint, operibus aliis collatis, nuperrime pluries[16] *edocti sumus. — In locis geographicis explicandis multum sudavi et alsi, praecipue Francogallicis. Quodsi hac in re a viris doctis Transmosellanis multum peccasse deprehendar, eos rogatos velim, ut mihi alienigenae indulgeant. Sed etiam quae fontes aliasque res attingunt, — ut in labore taedii adeo pleno etiam diligentissimo cuique fieri solet, — fortasse magnos in errores incidi. Ceterum spero fore ut haec prima editio mea non prorsus indigna censeatur, quae simul omnium ante institutum nostrum reformatum ultima prodeat: rectore illo viro, qui ad summam patriae gloriam Scriptorum seriem hucusque perduxit, densas per silvas viam muniens, crassis tenebris reiectis omnia circumcirca clarissima luce illustrans, novae artis criticae non solum nostratibus, verum etiam exteris nationibus signifer.*

Dabam Roedelheimii in villa Brentano 1. *die mensis Augusti.*

PAULUS SCHEFFER-BOICHORST.

---

[12] Cf. Lectiones emendatiores et auctiores ap. Mencken SS. I, 38—90.

[13] Cod. chart. saec. XVIII. Cf. F. G. Otto, Commentarii critici in codd. bibl. acad. Gissensis p. 42.

[14] 4896 B. C. saec. XVII.

[15] IX, 57. X, 285. XI, 349. XIII, 683. XVIII, 744. XXI, 594.

[16] Cf. e. g. egregiam dissertationem, quam Carolus Günther de chronico archiepiscoporum Magdeburgensium confecit.

Anni 1656[a], qui sunt a creatione Ade usque ad diluvium secundum Hebraiicam veritatem et beati Ieronimi translationem, sic colliguntur: Adam cum esset annorum 130, genuit Seth.
Genes. 5, 3–30. Seth cum esset annorum 105, genuit Enos. Enos annorum 90 genuit Chainam. Chainam annorum 70 genuit Malaleel. Malaleel annorum 65 genuit Iareth. Iareth annorum 162 genuit Enoc. Enoc annorum 65 genuit Mathusale. Mathusale annorum 187 genuit Lamech. Lamech annorum 182 genuit Noe. Iunge ad 632[17], habes 1056. Et anno 600.[b] Noe factum est diluvium.

7, 6. A diluvio usque ad annum, in quo dixit Deus ad Abraham: *Egredere de terra tua et co-*
12, 1. *gnatione tua,* sunt anni 366, qui sic colliguntur: Sem filius Noe genuit Arfaxat biennio post diluvium.
11, 10–26. Arfaxat annorum 35 genuit Sale. Sale annorum 30 genuit Heber, qui annorum 34 genuit Falech, qui annorum 30 Reu, qui annorum 32 genuit Sarach, qui annorum 30 genuit Nachor, qui annorum 29 genuit Thare, qui annorum
12, 4. 70 genuit Abraham. Et Abraham 75 annorum egressus est de Aran. Itaque habemus a diluvio usque ad annum repromissionis annos 366 et unum qui superest adiungimus summe sequenti. Summa tota a principio mundi usque ad annum repromissionis 2022. Et exinde ad nativitatem Domini continentur in cronica Eusebii[18] anni 2015.

De annis qui sunt a repromissione usque ad exitum filiorum de Egypto, quando lex data est, ista est validissima auctoritas in beati Pauli apostoli epistola ad Galathas: *que post 430 annos facta est lex, non irritum facit ad evacuandam repromissionem.* Item de annis ab exitu de Egypto usque ad edificationem templi Salomonis talis habetur auctoritas in
3. Reg. 6, 1. libro Regum: *Factum est anno 480. egressionis filiorum Israel de Egypto, Salomon autem*
anno 4. regni sui templum cepit edificare Domino. Iste due auctoritates firme et stabiles continent annos 910. Adde 366 secunde etatis, faciunt annos 1276 a diluvio usque ad edificationem templi, et a principio mundi usque ad edificationem templi sunt anni 2932. Modo inquirenda est summa annorum ab edificatione templi usque ad destructionem eius per Nabuzardan et Nabugodonosor. Si dicamus, quod sint ibi anni 483, erit tota summa ab initio mundi 3415. Iosephus tamen ponit summam hanc 3513 et menses 5[19], et ita de 100 annis summam nostram excedit anno et dimidio minus. Quos 100 annos, ut quibusdam videtur, colligit in libro Iudicum. Sed in hoc esset contrarius supradicte auctoritati de libro Regum in summa, que ponitur ab exitu de Egypto usque ad templi edificationem. Itaque ubi est contrarius Biblie auctoritati, non recipitur. Aliis videtur, sicut magistro Petro Manducatori in Scolastica Hystoria[20], quod istos 100 annos accipit a principio Genesis, ubi Adam per 100 annos luxit Abel. Quod utrum recipiendum sit, prudentibus dereliqui. In libro vero Regum, ubi dicitur quod Salomon regnavit annis 40, Iosephus ponit annos 80. Que discordia ita determinatur in Scolastica Hystoria[21], quod Salomon per 40 annos fuit bonus et Deum timens et per alios 40 annos fuit malus et per mulieres in senectute depravatus, et ideo sancta scriptura annos 40 solummodo quibus bene vixit ponere curavit. De annis regum Israel et Iuda inscribimus 483 annos ab edificatione templi usque ad eius destructionem. De summa que est a destructione templi usque ad incarnationem Domini discordat Eusebius in cronica[22], quod usque ad primum annum Cyri regis Persarum ponit annos solummodo 30, et alii ponunt 70 usque ad tertium annum Cyri. Nos autem secuti auctoritatem Iosephi[23] et Affricani, cuius sententia continetur in Ieronimo super Danielem[24], ubi agitur de ebdomadibus, auctoritatem etiam ipsius Ieronimi et Bede[25] et Scolastice Hystorie[26], indubitanter dictos 70 annos recipimus. Et ita ponimus a destructione templi usque ad incarnationem Domini annos 634 secundum auctoritates et consequentias, quas in suis locis invenies. Summa tota a principio mundi usque ad incarnationem Domini anni 4049 uno minus. Qui unus bene subintelligitur in minutiis non plene determinatis. Voluerunt amici nostram habere opinionem[d] super istis, et qui voluerint[e] contradicere, parati sumus pro posse nostro respondere. Et quia cronica Eusebii ab Abraha[f] usque ad nativitatem Christi continet annos 2015[g], ipsam cronicam decrevimus ad predictam summam nostram adaptare. Quod vero 74 annis et antiquius ponimus nati-

a) 1655 2. b) 60 2. c) 2017 2. d) op. hab. 2. *Abhinc incipiunt collationes codicis Parisiensis, a viro cl. Hermanno Pabst institutae.* e) voluerit 2. f) ab Abr *desunt* 2. g) 2013 2.

---

[17] Hic quid sibi velit numerus quove modo Albricus eum iniverit, haud video. [18] ed. Schoene 145. [19] — *menses sex et dies decem.* Ioseph. Ant. Iud. lib. X cap. 8, 5 in eius operibus ed. Dindorf I, 382. [20] Petrus Com. Lib. Genes. cap. 30. [21] Ibid. III. Reg. c. 27. [22] ed. Schoene p. 95. [23] Ant. Iud. lib. XI cap. 1, 1 ed. Dindorf I, 398. [24] Comment. in Daniel. c. 9, 24 in Hieron. operib. ed. Valarsi et Maffaei V, 681. 682. [25] De sex aet. mundi in eius operib. ed. Stevenson II, 167. [26] Lib. Dan. c. 18.

vitatem Abrahe quam Eusebius, et secundum hoc cetera omnia que secuntur ordinavimus, hec est tota vis, propter quam laborem istum de annis ita subtiliter calculandis assumpsimus. Propter questionem, que erat inter paganos et christianos, videlicet[a] qui erant[b] antiquiores, Moyses et prophete nostri an gentium philosophi, et de sapientia quam isti acceperunt[d] ab illis, facta fuit cronica Eusebii; et propter aliam questionem inter eosdem periculosiorem scripsit Augustinus librum de civitate Dei et Orosius hystoriam suam.

Anno 50. etatis Phalec[26], dicit Philo, ex tribus filiis Noe, eo vivente nati sunt 24000 virorum et 100 extra mulieres et parvulos. Nemrot filius Chus filii Cham regnavit super filios Cham, Iectan super filios Sem, Suffene super filios Iafet. H. sch. Gen. 37.

Anno 50. etatis Phalec, Reu filii sui 20, turris edificatur.

Abhinc post diluvium et divisionem linguarum quatuor principalia regna surrexerunt in terra: Primum Scitharum ab aquilone tempore Saruc, ubi primus regnavit Thanus, a quo fluvius Thanays denominatur. Scithe fuerunt de Iafet, a quibus postea descenderunt Troiani et a Troianis Romani et Franci et multi alii. Secundum regnum Egyptiorum a meridie, ubi primus regnavit Zoel sive Mineus. Tertium regnum principale Assyriorum ad orientem, ceteris excellentius, similiter de[e] Cham et ex parte de[e] Sem. Quartum regnum Scitioniorum[f] ad occidentem in[g] insula Moncionis dicitur fuisse de Sem. De Sem namque fuerunt non solum Iudei sed et Medi et Perse et Greci. De Cham Assirii et Egyptii et Chananei. De Iafeth Scithe et Troiani, Romani et Franci. Hugo S. Vict. 98.

Item de Sem gentes 27, de Cham 30 et de Iafet 15. H. sch. Gen. 37.

Aliter Arnobius rethor: De Sem fuerunt gentes 406, in linguis 27; de Cham gentes 394, in linguis 22, de Iaphet gentes 200, in linguis 23[27].

Assiriorum primus regnavit Belus annis 62, cui successit Ninus filius suus annis 52. Huius anno primo Abraham nascitur[28]. Assiriorum tertius regnavit Semiramis[h] annis 42. Hugo S. Vict. 98.

Huius anno quarto Treveris fundata est ante Romam conditam 1252.[29] G. Trev. 2.

Ninus, de quo diximus superius, Zoroastem magum Bactrianorum regem, qui dicitur fuisse Cham filius Noe, cepit et interfecit. Idem Ninus fuit Nemrot filius Chus. Orosius I, 4.

Anno 247.[30] et ante Urbem conditam 1068.[31] fames fuit in Egypto.

In obitu Ioseph habuit finem liber Genesis.

Anno 80. Moysi[i] facte sunt decem plage in Egypto et exitus filiorum Israel. Hieron. 129.

A Nino anno 469. et ante Urbem conditam 937. Iosue prefuit filiis Israel annis 27. ibid. 133.

Circa primum annum Lampares, qui regnavit Assiriis 30 annis[k], cepit regnum Latinorum et 149 ante destructionem Troie, in quo primi regnaverunt Ianus, Saturnus, Picus, Faunus, Latinus[32].

Primo anno Samuel incipit sextus liber Iosephi et primo anno David septimus, continens annos 40.

Eodem anno incipit liber Regum secundus.

Anno 13. David natus est Brutus, et 28. patrem suum interfecit.

Anno 40. regni David cepit regnum Britonum, in quo primus regnavit Brutus annis 24.

Post David regnavit Salomon annis 80. Huius primo anno liber Iosephi incipit octavus, continens annos 163.

Britonum Locrinus[l] annis 10, cui successit Guendolena annis 15. Britonum Maddan annis 40, cui successit Mempricius annis 20, post quem Ebraucus[m] annis 40, Britonum[n] Brutus viride scutum annis 16, post quem Lier annis 25, post quem Rudhudibras annis 39, post Bladuch annis 20, post Lier annis 60, cui successit Cordeilla annis 5, post quem Margan annis 2, cui Cunedagius annis 33, cui Rivallo annis 14[33]. Hucusque regnum Britonum.

Iosias regnavit super Iudam annis 31. Huius anno 13. Ieremias exorsus est predicare[33*] et 15. cepit Nechao regnare super Egyptios annis 8, et 23. post Nechao regnavit Plameticus annis 44. Quo- 4 Reg. 22, 1.

---

a) *deest* 2. b) fuerunt 2. d) acciperunt 2. e) ad 1. f) Sciciniorum 2. g) *deest* 2. h) mater Nini uxor relicta Beli *add.* 1. i) Moysi 80 2. k) *deest* 1. l) Locricius 2. m) Ebrancus 1. n) Brutonum 2.

26) Verba: *Anno* 50. *etatis Phalec,* e loco huic proximo anticipata, desunt apud Petrum Comest., quo noster nisus est. 27) Locum in Arnobii libro Adversus gentes non reperi; sed libenter me opus non perlegisse, sed manibus tantum volvisse profiteor. 28) *Huius* 43. *anno natus est Abraham.* Hieron. 11. 29) Anno 1250. secundum Gesta Trev., et hunc ad annum, si Hieronymo astipulans anno 1264. Abrahae Romam conditam esse statuis, annum quartum Semiramis quadrare invenies. 30) sc Nini. Eodem modo paulo inferius anni Nini cum annis Urbis coniuncti sunt; qua ratione noster eos effecerit, alii iudicent. 31) Orosius I, 8 ante annos Urbis conditae 1008 narrat ubertatem fuisse, quam fames secuta sit. 32) Haec ex iis, quae Hieronymus singulis locis annotavit, a nostro computata esse videntur. 33) Cf. Galfredi Monemutensis Hist. Brit. I, 3. 11. II, 6—15. 33*) Hieronym. Comment. in Danielem cap. 1, 1. Chron.* p. 89.

modo ergo stare potest quod Iosias rex[a] occisus fuerit a Nechao rege precedenti, cum post mortem ipsius Nechao regnaverit adhuc 9 annis, quibus regnabat[b] super Egyptios Plameticus[34]? Solutio: Nomen superioris scilicet Nechao a divina scriptura inponitur sequenti videlicet Plametico, ut de Decio legitur, qui occidit beatum Sixtum[35], qui post mortem illius prefuit ecclesie Romane annis 10, et attribuitur Valeriano et dictus est Valerianus Decius.

Anno primo Cerops regis Macedonum Iechonias post transmigrationem Babilonis genuit Salatiel, qui cum esset annorum 16, genuit Zorobabel, qui cum esset annorum 52, genuit Abiut, qui 15 annorum genuit Eliachim, qui 21 annorum genuit Azor, qui 40 annorum genuit Sadoc, qui 49[c] annorum genuit Achim, qui 49[d] genuit Eliud, qui 49[d] genuit Eleasar, qui 49 genuit Mathan, qui 49 genuit Iacob, qui 49 genuit Ioseph.

Anno primo olimpiadis 36.[e], qui erat Sedechie secundus, Daniel incipit.

Anno secundo 38. olimpiadis Nabugodonosor Ierusalem destruxit et templum conbussit[36].

Questio validissima de 70 annis hic est ponenda. Ergo tertio anno huius olimpiadis 70. annus incipit et perdurat usque in primum annum Cyri, qui cepit anno quarto 55. olimpiadis; et ab anno primo Cyri liber Esdre incipit et Daniel terminatur. Annus tertius 35. olimpiadis fuit 11. Ioachim et primus transmigrationis. Tertio anno transmigrationis Daniel prophetare cepit et quinto Iezechiel[f]. Annus tertius 41. olimpiadis fuit annus captivitatis, postquam percussa est civitas, et transmigrationis 25.

Huc usque pertingit Iezechiel propheta.

Hystoria Iudith sub[g] Cambise proscribitur[37].

Hieron. 105. Olimpias 79. Artaxerses Longimanus, qui et Assuerus, regnavit annis 40. Huius anno tertio hystoria Hester incipit. Quod enim sub Longimano et non sub Memnone facta sit hystoria Hester, due de eodem libro approbant auctoritates. Una quod iste[h] regnavit ab India usque Ethiopiam[38], quod alius non fecit, alia quod Mardocheus fuit de prima transmigratione, qui usque ad hec tempora vixit, tertia est ipse Iosephus[39].

Olimpiade 81. Iudas pontifex 25[40].

Olimpiadis 83.[i] anno quarto incipiunt Danielis ebdomade ab anno 20. Artaxersis, id est 115.[k] regni Persarum. Quo anno egressus est sermo ab ore regis ut reedificaretur Ierusalem ad preces Neemie. Est autem ebdomada 7 annorum[41].

ibid. 101. Annus secundus 67. olimpiadis fuit primus annus consulum.

Eodem[l] anno[42] pontifex constituitur Ioachim annis 26, cui successit Heliasib[m] annis 32, cui successit Iudas in pontificatum annis 25. Post quem Iohannes annis 43, cui Iaddus[n] annis 50, cui Onias annis 17, cui Symon iustus annis 16, cui Eleazarus annis 18, cui Manasses 31, cui Onias 9, cui Symon 12, cui Onias 28, cui Iason impius annis 31, cui Onias vel Menelaus 9. Huius anno 7. Ioachim qui et Alcimus pontificatum optinuit annis 4, cui successit Iudas Machabeus annis 3, cui Ionathas annis 17, cui Symon frater suus annis 8, ibid. 131. cui Ionathas Hyrcanus annis[o] 31, cui successit Aristobulus anno primo 169. olimpiadis anno 1.[43], post quem Alexander frater eius annis 27, cui successit uxor eius Alexandra cum filiis annis 9, cui Aristobulus[p] annis 3, cui Hircanus annis 29, cui Herodes sub quo Dominus natus est.

---

a) *deest* 2. b) regnavit 2. c) 29 2. d) annorum *add.* 2. e) 36. olimp. 2. f) Ezechielis 2. g) lysub 2. h) ille 2. i) 91. 2. *sub rasura.* k) *deest* 2, *sed spatium pro numero relictum est.* l) In eod. 2. m) annis 26 Ioachim, post quem Heliasib 2. n) Iaddis 2. o) annis *repetit* 2. p) Aristobol. 2.

34) Idem iam Hieronymo p. 91 mirum videbatur, nec vero quae in hac re dubia erant tollere conatus est Quod ad annos Iosiae, in quibus Nechao et Psammeticus regnare coeperunt, noster ab Hieronymo differt, cum eo consentit annos 23 et 44 Nechaoni et Psammetico ipsis attribuens 35) De eadem re ad annum 269. post Christum natum disserens, passionarium quoddam allegat. Quod idem esse videtur atque passionarium Claravallense ad annum 835. laudatum. 36) Secundum Hieronymum p. 93 primus annus Sedechiae erat quartus olympiadis 44. et anno tertio olympiadis 47. templum destructum est. Nec cetera quae sequuntur ad Hieronymi computationem quadrant. 37) Cf. Hieronym. chronic. pag. 99. 38) — *constituerat ab India ad Aethiopiam usque* 127 *satrapes* Ioseph. Ant. Iud. lib. XI cap. 6, 1. 39) l. c. 40) Paulo inferius inter eos numeratur, qui post captivitatem Babylonicam pontificis munere fungebantur. 41) Haec desumpta e fragmento Iulii Africani, nobis servato apud Hieron. Comment. in Daniel. cap. 9, 24. Vide eius opera ed. Valarsi et Maffaei V, 682. 683. 42) Non eodem anno, sed eo, quem ante consules creatos invenies, scilicet quarto anno 83. olympiadis, quo Iudaeos e captivitate relaxatos esse dixerat. 43) Ceterae quoque temporis notae et cum Hieronymo et Hugone Sancti Victoris fol. 98 satis conveniunt.

Anno 20. consulum 300 Fabii nobiles occisi. Et 61. consulum anno decemviri constituti. Et 122. Senones Galli sub Brennio et Belio[a] Romam invaserunt[43*]. Et 136. Camillus consul, et 148. Quintius[b] dictator. Eutrop. I,15. Hugo S. Vict. 101'.

Anno secundo 108. olimpiadis Artaxerses, qui et Ochus[c] pulso Nectanabo rege Egypti recuperavit Egyptum. Hieron. 113.

Qui Nectanabus, si verum est quod scribit Solinus[d. 44], iam accesserat ad matrem Alexandri. Abhinc sic scribendum est: Persarum Artaxerses Ochus[c] annis 25, qui anno 18. regni sui expulit Nectanabum, qui iam regnaverat in regno Egypti annis 19[45]. Et sic ab hoc anno intitulatur Persarum et Egypti Artaxerses Ochus, cui successit Persarum et Egypti Arses vel Xerses annis 4, cui Persarum et Egypti Darius. Hic anno regni sui 6. ab Alexandro Magno superatus est, et translata[e] est monarchia ad Alexandrum[45]. ibid. 115.

Anno consulum 181. Papirius consul Romanorum habetur. Hugo S. Vict. 101'.

Anno quarto 113. olimpiadis obiit Alexander Magnus, qui regnaverat annis 12, mensibus 7, cuius pater Philippus[f] regnavit annis 26. Hieron. 115.

Anno post mortem Alexandri Magni 13, olimpiadis 117. anno primo incipit primus annus regni Grecorum in Siria. ibid. 117.

Lege libros Machabeorum et invenies omnia consona.

Anno consulum 219. mortuus est rex Pirrus Romanorum adversarius. Eutrop. II,8.

Anno consulum 235.[g] incipit primum Punicum bellum[h] Romanorum contra Cartaginem, quod per 22 annos duravit[i]. II, 10. III, 1.

Anno consulum 242.[k] Manlius et Regulus consules. Hugo S. Vict. 101'.

Anno secundo 139.[l] olimpiadis Sirie et minoris Asie regnavit Anthiochus Magnus annis 36. Hieron. 123.

Circa hoc tempus liber ecclesiasticus scribitur a Iesu filio Syrach, cum ipse dicat in prologo, quod 38. anno tempore Euergetis descendit in Egyptum.

Anno consulum 291. Publius Cornelius Scipio consul. Hugo S. Vict. 101'.

Anno consulum 294. incipit secundum Punicum bellum annorum 19[46]. Eutrop. III. 3. 13.

Anno primo 141. olimpiadis diris prodigiis Roma territa est[47].

Anno consulum 298. Fabius Maximus dictator, Iulius Emilius postea et post Varro. Hugo S. Vict. 101'.

Anno consulum 304.[m] Levinus et Marcellus, et sequenti anno Claudius Nero et M. Livius Salinator.

Anno consulum 311.[n] Scipio Affricanus consul. Et insequenti anno fuit finis secundi Punici belli[o]. Eutrop. III, 13.

Anno consulum 324, olimpiadis 148. anno primo, regnavit Sirie et minoris Asie Seleuchus[p] Philopator annis 12. Hieron. 125.

Huius regni anno 7. de Eliodoro, de Onia et de Iasone inpio. Post Seleuchum[p] regnum Grecorum in Siria et Asia anno 137. secundum Machabeorum hystoriam tenuit radix peccati Anthiochus, qui dictus est Epifanes, annis 11. 1 Mach. 1,11. Hieron 127.

Anno 143, olimpiadis 152. anno 3, Anthiochus 7. sui regni anno[48] percussit Egyptum, et exinde Ierusalem in armis cepit et templum spoliavit et polluit. 1 Mach. 1, 21–24.

Quo tempore Onias pontifex fuit occisus et Iason inpiissimus post multa scelera fugit et peregre mortuus est[49].

De predicto autem Menelao[50], quod fuerit secundum quosdam frater predictorum Onie et Iasonis, qui poterit, concordet ad secundum librum Machabeorum[51], ubi dicitur quod iste Menelaus et quidam Lisimacus fuerunt fratres Symonis delatoris[q], filius[r] vero Onie, iunior Onias, fugiens in Egyptum aliud in Elyopolim condidit templum. Hieron. 127.

Anno 145.[s] edificavit Anthiocus idolum abominationis in templo Ierosolimis[52]. 1 Mach.

Sequitur martyrium Eleazari et septem Machabeorum fratrum cum matre. Et surrexit Mathatias et zelatus est legem Dei[53].

Anno 146. Mathatias vir iustus obiit[54] et surrexit Iudas Machabeus[t] et adiuvabant eum fratres omnes[55] sui[u].

Anno 147. Anthiocus ab Anthiochia exivit et in Perside pecuniarum causa secessit[56].

Anno 148. Lizias postquam devictus fuit[57], quasdam pactiones pacis cum Machabeis facit[v. 58].

Anno 149. Anthiocus in[w] reditu[x] a Perside miserabiliter interiit[59].

Machabei interim templum mundaverant et aliud altare iam erexerant[60].

Succedit[y] in regno Anthiocus Eupater[z] filius scilicet annis 2. Hieron. 127

---

a) Belino 2. b) Quintinus 2. c) Achus 2. d) Salinus 2. e) translatus 2. f) Philippus pater 2. g) 233. 2. h) bellum Pun. 2. i) perduravit 2. k) 244. 2. l) 133. 2. m) 300 et 11. 2. n) 315. 2. o) belli Pun. 2. p) Selench. 1. q) dilator 2. r) filii 2. s) 145. 2. t) Iud. Mach. surrexit 2. u) *deest* 2. v) fecit 2. w) *deest* 2. x) reditum 2. y) successit 2. z) Antipater 2.

[43*] Verba: *Senones Galli Romam invaserunt* Hieronymi 111 sunt; Brennium et Belium Gallorum duces fuisse, haud dubito quin noster ex historia Brenni et Beli ad annum 1232. laudata addiderit. Quod ad temporis notam attinet, Hieronymi annum olympiadis in annum consulum mutavit. Neque hoc solo loco, quum Hugone Sancti Victoris excepto nemo auctorum, qui ei duces erant, annos consulum numeraret, annos olympiadum Urbisve annos consulum effecit. Cuius computationis modum necnon errores si in quovis consulum anno demonstrare conatus essem, laborem superfluum et valde inutilem me subiisse censerem.

[44] Hac de re in libro quem Solinus Collect. rer. mem. inscripsit nihil invenitur.

[45] Temporum notae ab Hieronymo pag. 113. 115 paullulum differunt, nec vero quin noster eas ex Hieronymo mutuaverit mihi dubium est.

[46] Quod ad annos et primi et secundi belli Punici, paululum noster ab Eutropio et Orosio differt: primum per 23 annos tractum, secundum post annum 17. finitum esse dicunt.

[47] De diris prodigiis Orosius IV, 4 ad annum 477. refert, hic vero annus cum primo anno olympiadis 141. nequaquam convenit.

[48] Annum olympiadis regnique ex Hieronymo 127 addidit.

[49] II. Mach. 4, 34. 5, 8. 9.

[50] De hoc Menelao cf. supra pag. 673: *cui Onias vel Menelaus*.

[51] Cap. 4, 23. 29.

[52] I. Mach. 1, 57.

[53] ib. 2, 1. 26.

[54] ib. 2, 70.

[55] ib. 3, 1. 2.

[56] ib. 6, 1—3.

[57] ib. 4, 34. 52.

[58] ib. 6, 58—60.

[59] ib. 6, 16.

[60] ib. 4, 36 seqq.

2 Mach. Menelaus vero dampnatione cineris interiit[61]. Iudas Machabeus contra Nicanorem anno sequenti bellum memorabile gessit[62]. Et hucusque narratio secundi libri Machabeorum pertingit, primus enim esse deberet in narratione, sed secundus est auctoritate et novissime scriptus.

1 Mach. 7, 1–5 Anno 151. Demetrius Seleuci filius regnavit, cuius iussu Anthiocus Eupator et Lisias fuerunt occisi, et Alcimus impius ad eum venit.

ib. 9, 18. Anno 152. Iudas Machabeus occiditur.

ib. 9, 31. Anno 153. Ionathas loco Iude surrexit olympiadis 155. anno primo[63] per annos 17.

1 Mach. 10, 1. Anno 160. Anthioci filius Alexander in Ptolomaide, que Acra dicitur, contra Demetrium regnare cepit.

ib. 10, 57. 58. Anno 162. nuptie Alexandri cum filia Ptolomei regis Egypti.

Anno consulum 361.[64] tertium Punicum bellum incipit, quod in quatuor annis fuit consummatum.

1 Mach. 10, 68. Anno regni Grecorum 165. Demetrius filius Demetrii contra Alexandrum regnum invasit.

Eutrop. IV, 5. Anno consulum 364. Scipio Affricanus minor[a] tertium Punicum bellum[b] finivit et Kartaginem delevit anno a conditione sua 700.

1 Mach. 11, 17. 18 Anno 167. occisus est Alexander et caput eius allatum est[c] Ptolomeo, et rex Ptolomeus[d] die tertia obiit.

ib. 12, 48. Anno 169.[e] Ionathas dolo Triphonis occisus est.

ib. 13, 41. 42. Anno 170. ablatum est iugum[f] gentium anno primo sub Symone sacerdote magno.

ib. 14, 1–3. 16 seqq. Anno 172. captus est Demetrius ab Arsacide Parthorum rege.

Eodem anno Romani cum Symone fedus innovarunt.

Eutrop IV, 3. Lucius consul Romanorum et cetera.

ib. IV, 4. Anno quarto 160. olimpiadis ultimus rex Macedonum Perses a Romanis victus est. Iste fuit triumphus ab aquilone.

1 Mach. 16, 16. Anno 177. Symon occubuit.

Anno 178. Epistola secunda in principio secundi libri Machabeorum.

Eutrop IV, 9. Kartago post 22 annos sue destructionis permissa est reparari.

Hugo S. Vict. 101'. Anno consulum 391. Scipio Nasica.

Anno consulum 393. Postumius et Metellus[g].

Eutrop l. c. Anno consulum 401.[h] Marius et Geneius Mallius consules; bellum Romanorum in Numidia, et triumphus de rege Iurgurta, et ita finitum est Iurgurtinum. Iste triumphus Romanorum fuit a meridie.

Hieron. 131. Anno quarto 168.[i] olimpiadis obiit Iohannes Hyrcanus.

ib. 133. Anno quarto 171. olimpiadis Syria per Gabinum ducem in Romanorum dominium transiit, et sequenti anno gravia prodigia et inaudita visa sunt[k], que in Romanorum hystoria describuntur.

Eutrop. V, 3. Anno primo 172. olimpiadis bellum civile Rome exortum est et bellum Metridaticum contra Romanos in oriente.

Hugo S. Vict 101'. Anno consulum 422. Silla consul.

Eutrop. VI, 5. Hieron. 135. Anno tertio 175. olimpiadis obiit rex Nicomedes Bithinie, et anno sequenti obiit rex et pontifex Iudeorum Alexander, cui successit uxor eius Alexandra cum[l] filiis annis 9.

Orosius 6, 6 Anno consulum 447. Mitridates interiit. Pompeius in oriente 22 reges subegit, Ierosolimam vi cepit et Aristobolum secum duxit. Hic est triumphus Romanorum ab oriente. Et eodem anno Marco Tullio Cicerone consule fuit bellum sive conspiratio Catilinaria Rome, quam Salustius scribit.

Eutrop. VI, 14. Anno ab Urbe condita 693, consulum 451, Iulius Cesar factus est consul, qui per annos 11 sequentes de occidente triumphavit.

ib. VI, 15. Anno ab Urbe condita 697, Pompeii secundo consulatu, Crassus ad Parthos missus, templum Ierosolimis spoliavit[65] ac deinde a duce regis Parthorum Orodis captus est et occisus.

Hieron. 137 Iulius Cesar primus regnavit Romanis annis 4 et dimidium.

ib. 139. Anno primo 184. olimpiadis Augustus post mortem Cesaris imperavit Romanis annis 47.

ib. 140 Augusti annus 10. est primus Herodis.

Anno tertio 187. olimpiadis bellum Actiacum, ubi Cleopatra victa sese interfecit. Eodem anno finiunt anni 400 Macedonum.

Beda De sex aet. 167. Anno ab Urbe condita 752, olimpiadis 194. anno tertio[m], Augusti 42. natus est dominus noster Iesus Christus, ebdomada 66, tertio scilicet anno ipsius ebdomade. Annus Augusti 40. fuit primus annus 64. ebdomade Danielis. Quomodo ergo stare potest, Dominum fuisse natum anno tertio 66. ebdomade? Quod autem in martirologio scriptum est: Ebdomada iuxta prophetiam Danielis 66, optime quidem dictum est, sed expositione indiget. Conputavimus iam in precedentibus 63 ebdomadas annorum solarium cum duobus annis ebdomade sequentis, et istam conputationem incepimus ab anno 20.[n] Artaxersis, scilicet ab exitu sermonis, ut reedificaretur Iherusalem, quod verbum Neemias adinplevit. Sed quia prophecia dicit, quod

---

a) *deest* 2. b) bellum Pun. 2. c) est allatum 2. d) multum inde gavisus *add.* 2; *deest quum in* 1, *tum in ipso Machabaeorum libro.* e) regnante Demetrio *add.* 1. f) super Iudaeos *add.* 1. g) Marcellus 2. h) 410. 2. i) 166. 2. k) sunt visa 2. l) cum *bis* 2. m) *deest* 1. 2. n) secundo 2.

61) II. Mach. 13, 6-8. 62) ib. 14, 4. 63) Annum olympiadis noster ex Hieron. 127 addidit. Quod aliis quoque locis fecit. 64) Eutrop. IV, 5 anno 601. Urbis bellum Punicum tertium susceptum esse narrat, et hunc ad annum, si anno 240. Urbis reges expulsos statuis, annum 361. consulum quadrare invenies. A quo consulum anno differt annus, quo Orosio IV, 23 teste bellum initum est, scilicet 306. Annum igitur consulum 361. ex Eutropio noster effecisse videtur; anni vero quatuor, per quos bellum duraverit, Orosio desumpti sunt; in Eutropii historia desiderantur. 65) Hoc de templo spoliato ex Orosii Hist. VI, 13 addidit, cetera magis ad Eutropium accedunt.

abbreviate sint[a] ebdomade[b.66], vel ideo[c] istas solares breviandi gratia convertimus in lunares hoc modo: In quolibet ciclo paschali 19 annorum, ut patet in tabula ubi adnotantur 7 anni embolismales, id est 7 anni 13 lunationum, — itaque habemus, id est lucramur 7 menses in 19 annis, et 14 menses in 38 annis, et ita ascendendo et multiplicando in 444 annis, qui sunt a principio ebdomadarum usque ad annum nativitatis Domini, lucramur 162[d] menses, qui per 12 et 12 divisi faciunt annos 14, duas videlicet annorum ebdomadas. Iunge ad[e] 63 et habebis 65 annorum ebdomadas. De[f] sequenti quoque[g] ebdomada restant in superioribus anni duo et alique forsitan minutie, unde[h] recte dicitur ebdomada iuxta[i] Danielis propheciam 66, tertio scilicet anno ipsius[k] ebdomade natus est Christus. Augusti annus 42. fuit Herodis 33. Era conputabatur 38. Que conputatio invenitur in Ysidori Ethimologiis[l] et in Petro Alfunso[66] et in provincialibus conciliis[m] Hyspaniarum.

Anno 3. dominice nativitatis Iohannes ewangelista nascitur.

Anno 12. dicitur Componius preses in regno Archelai. Ios. Ant Iud. XVIII, 2, 2.
Anno 14. Domini Marcus preses et insequenti anno Rufus preses. Obiit Augustus post 57 annos.
Anno Domini 16. Tyberius imperat annis 23. Hugo S. Vict. 115
Anno sequenti Valerius Gratus preses[n] Iudee 11 annis. Ios. Ant. Iud. XVIII, 2, 2.
Anno Domini 28. Pontius Pylatus preses 10 annis[67].
Anno nativitatis[o] Domini 34, Tyberii vero 19, passio Domini. Hugo S. Vict. 115'. De anno dominice passionis[p] hic aliqua inserenda sunt. De quo in Romana hystoria ita scriptum est secundum Anastasium bibliotecarium. De illius, inquit, obscurationis die, quando passus est Dominus, non solum sanctorum ewangeliorum fides, sed etiam aliquanti Grecorum libri attestantur.

Scribens autem inter ceteros et Phlego et cetera in cronica Eusebii. Hieron. 149.

Ad hoc autem quod luna 15. et feria 6. passus sit Dominus, omnium doctorum sententie tam veterum quam modernorum, et ipse usus catholice ecclesie conveniunt. Qualiter autem ista duo luna 15. et feria 6. in hoc anno conveniant 8. Kal. Aprilis, difficilimum est invenire. Aureus enim numerus 16. cum littera dominicali C hic in isto anno secundum universalem tabulam Dyonisii quam ecclesia tenet annotantur.

Et beatus Augustinus in libro de civitate Dei 18, capitulo penultimo, et in 4. libro de Trinitate capitulo 5. scribit, quod Dominus passus est 8. Kal. Aprilis. Quod si ita est, non 5. Kal. Aprilis, sed die precedenti, scilicet 6. Kal. Aprilis, cum littera dominicali B dies pasche secundum tabulam Dyonisii deberet occurrere; sed quia in nocte dominice resurrectionis ordo temporum inmutatus est, et dies qui secundum primam conditionem noctem precedebat modo subsequitur, recte in hoc anno dominicus dies et secundum Dyonisium et per tot annos invenitur per C et secundum beatum[q] Augustinum potuit esse in B. Item neque conputus paschalis, neque tabula tunc habebatur in ecclesia, et aliter et alio forsitan anno inserebatur tunc bisextus quam modo inseratur.

Item dicit beatus Augustinus in prescripto libro de civitate Dei, quod a consulatu duorum Geminorum, in quo passus est Dominus, usque ad consulatum Honorii et Eutiniani anni a passione Domini 365 conpleti sunt. Cum igitur certissimum teneamus isto anno passum fuisse Dominum, de luna invenienda 15, 8. Kal. Aprilis, nullo modo possumus evadere, quia 19. videtur occurrere, unde aut[r] non debemus inniti huic opinioni, que dicit 8. Kal. Aprilis passum fuisse Dominum, aut luna sub aliis regulis tunc[s] temporis[s] computabatur quam modo conputetur. Evasi inter utrumque prout potui, et qui tutiorem viam salvis auctoritatibus predictis michi ostenderit, libens et voluntarius eius in hac arte ero discipulus. Et quia multa nostris temporibus revelata sunt et cotidie revelantur, si aliquis vel etiam aliqua inveniatur[t], cui Dominus ista revelare dignatur[u], ita quod sit concordantia et arti et rationi et auctoritatibus[v], hoc potissimum inter alia petere debemus.

Eodem anno 3. Nonas Augusti beatus Stephanus lapidatur, et insequenti Ianuario scilicet 8. Kal. Februarii Paulus convertitur.

Anno Domini 37. obiit Philippus tetrarcha, qui regnavit annis 35 a morte Herodis[68].

---

a) sunt 2. b) ebdomades 2. c) vel ideo *desunt* 2. d) 166. 2. e) ad *bis* 1. f) et de 2. g) *deest* 2. h) de et 2. i) secundum 2. k) ipsius anni 1. l) Isidoro ethimologiarum 1. 2. m) consiliis 1. 2. n) preses Gratus 1. o) *deest* 2. p) passionis Domini 2. q) *deest* 2. r) *deest* 1. s) *deest* 2. t) inveniantur 1. u) dignetur 2. v) auctoribus 2.

[66] Dialogi Tit. IX. ap. Migne CLVII, 625.

[67] Quo Pontius praeses factus sit, eundem annum Beda De sex aet. mundi habet. Cf. Bedae Opera ed. Stevenson II, 168. Anni per quos Pilatus res Iudaicas administravit, ex Iosephi Ant. Iud. XVIII, 4, 2 desumpti sunt.

[68] Secundum Ios. Ant. Iud. XVIII, 4, 6 Philippus 37 annis regnavit.

Hugo S. Vict. 115'. Anno Domini 39. Gaius inperat annis 4.

Anno Domini 40. de obitu beate[a] Marie Magdalene et beate Marthe in Vita ipsius Marthe invenies.

Ios Ant. Iud. XVIII, 7, 2. Tertio Gaii imperatoris anno apud Lugdunum Gallie Herodes tetrarcha exiliatus[b] est cum Herodiade.

Hugo S Vict 115'. Anno Domini 43. Claudius inperat annis 14.

Act ap. 12. Anno Domini 45, Claudii vero tertio, misit Herodes rex manus, videlicet Herodes Agrippa, ut affligeret quosdam de ecclesia, occidit autem Iacobum fratrem Iohannis gladio et beatum Petrum incarceravit, qui ab angelo Domini liberatus est. Et Herodes Agrippa ipso anno Dei iudicio percussus est et mortuus.

Et hoc anno tota hystoria Clementis cum suis annexis, id est cum suis disputationibus beati Petri cum Symone mago, et quomodo beatus Clemens recognovit patrem et matrem ac fratres vel recognitus est ab eis. Ista, inquam, narratio conpleta esse putatur hoc anno, quia beatus Petrus per Anthiochiam, ubi 7 annos prefuit, venit Romam, ubi sedit annis 25 et dimidio[69]. Et iste est annus tertius Claudii et primus Petri in ecclesia Romana.

Anno Domini 48. De sancto Apollinare apud Ravennam[70].

Ios Ant. Iud. XIX, 8, 3. 2. Anno Domini 50. Quidam Herodes rex Calcidis.

Hic obiit frater Herodis Agrippe.

Anno Domini 51. Quo tempore missus sit beatus Martialis[c], in Vita eius[d] habetur.

Anno Domini 52.[71] beatus Petrus octavo anno, ex quo Romam venerat, Treverim transmisit beatum Eucharium cum sociis suis Valerio et Materno, qui cum 20 dies perfecissent de itinere, apud Elegiam vicum grandem Gallie Argentinensis[f] dyocesis beatus Maternus obiit. Quo terre mandato socii eius Romam revertuntur et a beato Petro baculum quo sustentabatur[g] accipientes, reversi Christum invocaverunt, ad quorum invocationem resurrexit mortuus 40 dies habens in monumento. Sanctus ergo Eucharius tercius in ordine 70 discipulorum Christi cum sociis Treverim pervenit, ubi per 23 annos episcopus fuit primus. Et iste est annus primus sancti Eucharii primi Treverorum episcopi[72].

Hugo S. Vict. 115'. Anno Domini 57. Nero pessimus[h] imperat annis 14.

Act. 24, 27. Hieron. 155. Anno Domini 58. In Iudea Felici presidi Portius Festus succedit et beatus Paulus Romam mittitur vinctus.

Anno Domini 62. De Nazario et Celso, Gervasio et Prothasio, et multis aliis qui passi sunt tempore Neronis.

Flod. H. R. I, 4. Item Remis martirizati sunt Thimoteus et Apollinaris et alii 50.

Hieron. 155 Anno Domini 65. Beatus Marcus apud Alexandriam loco sui ordinavit Annianum episcopum annis 22.

Anno Domini 66. Beatus Mathias apostolus lapidatus est.

Anno Domini 67.[i] Passio beati[k] Marci ewangeliste et passio Iacobi fratris Domini.

Anno Domini 68.[l] Passio apostolorum Petri et Pauli. Qui beatus Petrus tres sub se ordinavit pontifices: Linum, Cletum[m] et Clementem, qui civitatis Dei magnus princeps exstitit, sed predictis duobus quamdiu vixerunt[n], tanquam senioribus suis[o] deferebat, parvi tamen nominis exstiterunt[p] respectu illius, nisi quod martyrium consecuti sunt et in canone misse conscripti sunt. Cat. p. R. Linus ergo natione Ytalus de Tuscia sedit annis 11[73]. Cuius[q] primus annus intitulatur in eodem anno, quo passus est Petrus.

Hieron. 157. Anno Domini 71.[74] Imperaverunt Galba, Vitellius et Otto.

ibid. 159. Anno Domini 72. Imperavit Vespasianus[r] annis 10.

Beatus Marcialis obiit.

Primo anno Vespasiani factum est famosissimum excidium Ierosolimorum.

Beda De sex aet 171. Quatuor enim annis bellum illud protractum[s] est, duobus Nerone vivente et duobus postea.

Rufin H. e. III, 5. Ecclesia christianorum, que erat Ierosolimis, divino accepto responso ultra Iordanem apud parvam civitatem Pellam secesserat.

Otto Fris. III, 18. Urbs tota expugnatur et in templo, iuxta quod Dominus predixerat[t], lapis super lapidem non relinquitur, anno[u] a conditione eius 1180. Quibus bellorum motibus sedatis clausa est Rome porta Iani sexta vice ex quo Urbs condita fuit[v].

Anno Domini 74. De beato Mansueto Tullensi, Iuliano Cenomanensi, Perpetuo et Potentiano Senonensi et Aventino Trecensi.

---

a) *deest* 2. b) exulatus 2. c) Marrialis 1. d) ipsius 2. e) *deest* 2. f) Argenterensis 1. 2. g) sustentebatur 1. 2. h) pellinius 2. i) LXXVII 2, *numerus* X *priori loco rasus est.* k) *deest* 2. l) 70. 1 *in rasura.* LXXVIII 2, *sed hic quoque numerus* X *priori loco rasus est.* m) Cletem 1. n) vixerint 1. o) *deest* 2. p) exstiterint 2. q) *deest* 2. r) Vaspasianus 1, *sic et infra. Abhinc codex Parisiensis a viro cl. Turles collatus est.* s) pertractum 2. t) dixerat 2. u) *deest* 1. 2. v) est 2.

69) Cf. Gesta pont. Rom. ed. 1602 pag. 1. 70) Cf. Otto Fris. III, 14. 71) Secundum Gesta Trev. anno 54. 72) Haec cum Gestis Trev. c. 14. 15 et Aegid. Aur. I, 4. 5. 6 satis consentiunt. Nec vero noster in iis ipsis nititur, sed in fonte eorum, in illo scilicet libello, qui sub anno 953. *plena narratio de baculo sancti Petri* dicitur. Cf. annum 972. 73) Gesta p. R.: *sedit annos* 15. Hieron. 157: *annis* 11. 74) Annus cum Hugone S. Victoris convenit; Hugo vero Vitellium et Ottonem omisit.

Anno Domini 76. Treveri ordinatur episcopus Valerius annis 15. Gesta Trev. c. 15.

Anno Domini 81. Cletus papa natione Romanus de vico Patricii sedit annis 12. Cat. p R.

Anno Domini 82.[75] Imperavit Tytus annis 2. Hieron. 159.

Anno Domini 84. Imperavit Domitianus annis 15[a] et mensibus 6. ibid. 161.

Anno Domini 87. Alexandrie fit episcopus Abilius annis 13.

Anno Domini 91. Treveri ordinatur episcopus Maternus annis 40. Iste Tungrenses et Agrippinenses ad fidem Christi convertit, has tres cathedrales ecclesias solus rexit, scilicet Treverensem, Tungrensem[b], Coloniensem. Gesta Trev. c 15.

Anno Domini 93. Clemens papa ordinatur 9 annis. Fuit hic filius Faustiniani, cuius frater Clemens consul fuit primus episcopus Metensis, et horum soror Plautilla, cui beatus Paulus pannum restituit sanguine suo laureatum, Domitillam virginem peperit. Cat. p. R.

Anno Domini 95. De Nereo Achilleo et ceteris annotandis.

Anno Domini 96. De beato Dyonisio Parisiensi episcopo, Sanctino Meldensi, Memmio Catalanensi[c] et sociis eorum.

Anno Domini 97. Iohannes apostolus in Pathmos insula apocalipsim vidit, cui beatus Dyonisius reditum prophetavit. Lege parvam epistolam in ierarchia[76]. Hieron. 161.

Sancta virgo Domitilla exiliata est.

Anno Domini 98. Passio beati Dyonisii et sociorum eius.

Alexandrie prefuit Cerdo episcopus annis 10. ibid. 163

Anno Domini 99. Nerva imperat anno 1. Hugo S. Vict. 116.

Anno Domini 100. Traianus imperat annis 29.

Anno Domini 101. Iohannes apostolus et ewangelista requievit.

Anno Domini 102. Passio beati Clementis pape, qui substituerat Anacletum natione Grecum de Athenis, sedit annis 6. Iste annus primus est Anacleti. Cat. p. R.

Item beatus Ignatius tertius post Petrum et Euodium Anthiochie episcopus adducitur Romam et bestiarum dentibus laniatur. Hieron. 163.

Anno Domini 103. Passio beati Symeonis episcopi in Ierusalem, 120[d] annorum senis. Rufin H e. III, 33

Heretici pullulant Symonis successores, Menander, Ebion et Cherinthus, et preter istos Nicholaite. ib. III, 26-29.

Anno Domini 107. Rome prefuit Euaristus natione Grecus annis 7[77]. Cuius pater fuit Iudeus nomine Iudas de Bethleem. Quia isti primi pontifices sub se ordinabant sibi[e] successuros[f], idcirco questio de annis singulorum omittenda videtur. Cat. p. R.

Alexandrie prefuit Primus annis 12. Hieron. 163.

Anno Domini 112. Anthiocie post martirem Ignatium prefuit Heras vel Heron longo tempore.

Florebant hoc tempore Quadratus apostolorum discipulus, et in Asia[g] Policarpus et Papias episcopi. ib. 167. 163.

Anno Domini 114. Plinius paganus hystoriographus pro christianis Traiano scripsit. ibid. 165.

Anno Domini 115. Rome prefuit Alexander natione Romanus annis 8. Cat. p. R.

Anno Domini 119. Adrianus imperat annis 21. Hugo S. Vict. 116.

Anno Domini 120. Passio beati Eustachii cognomento Placidi[h] et sociorum eius.

Anno 122. Rome prefuit Sixtus natione Romanus annis 10. Alexandrie Iustus annis 11. Cat. p. R. Hieron 165.

Anno 123. Ierosolimis prefuit Beniamin; Iohannes, Mathias, Philippus, Seneca, Iustus et Levi in brevi[i] prefuerunt. ibid. 167.

Anno 126. Floruit Aristides Atheniensis philosophus christianus.

Anno Domini 127. Aquila Iudeus interpres vertit vetus testamentum de Ebreo in Grecum. Hec est secunda editio.

Anno 128. Sanctus Maternus tertius Treverensis episcopus, qui[k] fuit primus[l] Tungrensis episcopus[l] et primus Coloniensis, obiit apud Coloniam, cuius corpus miraculose per Renum et[m] Mosellam relatum est Treveri. Gesta Trev. c. 15. 16.

Anno 133. Rome prefuit Thelephorus annis 9, natione Grecus et anachorita. Alexandrie Eumenes annis 13. Ierosolimis Effrem, Ioseph, Iudas 15. et ultimus ex circumcisione[n]. Cat. p. R. Hieron. 167.

Anno 136. Ierusalem inmutata ab Elio Adriano dicta est Helia, qui de Iudeis fecit exterminium. Rufin. H. e. IV, 6.

Anno 137. Floruerunt viri sancti Egesippus et Iustinus philosophus christianus, et e contra serpebant heretici Saturninus, Basilides et Carpocrates. ibid. IV, 8. ibid. IV, 7.

Anno 140. Imperat Anthoninus[o] Pius gener Adriani annis 22. Hugo S. Vict. 116'.

Anno 142. Rome prefuit Iginus annis 4. Cat. p. R.

Anno 143. Treveri parvo tempore sederunt isti martyres et episcopi: Auspicius, Felix, Mansuetus, Clemens, Moyses, Martinus[p], Anastasius, Andreas, Rusticus, Auctor, Mauritius, Fortunatus[q], Cassianus et Marcus. Gesta Trev. c. 16.

---

a) tribus 2. b) et *add.* 2. c) Catalanum 1. d) 102. 2. e) *deest* 2. f) successores 2. g) alia 1. 2. h) Placide 1. i) in brevi *desunt* 2. k) *deest* 1. l) *deest* 2. m) et per 2. n) circumcisis 1. o) Anthonius 1. 2. p) Clemens — Martinus *desunt* 2. q) Fortinatus 2.

[75] Annus Christi idem est atque Hugonis S. Victoris, qui vero Titum tres annos regnasse dicit. [76] Num recte legitur: *ierarchia?* Equidem *in Ieronimo* legendum esse conieci, sed eius in operibus epistolam frustra quaesivi. [77] Tam Christi quam pontificatus anni nec cum libro catalogisve pontificum, ad quos Hugo S. Victoris accedit, nec cum Hieronymo conveniunt. Anni qui sequuntur Christi, libro pontificali minime congruentes, ex Hieronymo computati esse videntur, ratione sane interdum mendosa. Necnon quod ad annos pontificatus, noster interdum Hieronymo maiorem attribuit auctoritatem, quam catalogo suo, e libro pontificali concinnato.

Cat. p. R Anno 146. Rome prefuit Pius frater Pastoris, qui visiones et precepta angeli scripsit, natus de Aquileia[a], que est civitas in Dalmatia, annis 74. Qui de mandato angeli precepit pasca die dominico semper celebrari, quod ante non fiebat. Horum erant cognate Praxedis et Potentiana[b] virgines.

Hieron. 169. Eodem anno Alexandrie[c] Marcus[d] prefuit annis 10.

ib. 169. 170. Anno 150. Iherosolimis prefuit Marcus primus episcopus ex gentibus, deinde Cassianus, Publius, Maximus.

Rufin. H. e. IV, 11 E contra efferbuerunt heretici Valentinus, Cerdo et Marcion et Marcus.

Hieron. 167. 169. 171. Anno 153. Anthiochie prefuit Cornelius, deinde Heres ac deinde Theophilus[e].

Anno 156. Alexandrie[f] prefuit Celadion annis 14.

Anno 157. Tungris Navitus[g] qui et Treveri prefuit paucis scilicet christianis, qui supererant, aliis vel martyrizatis vel apostatantibus[h], unde dicitur, quod per annos fere 200 civitas Treverensis a fide apostatavit.

Cat. p. R. Anno 160. Rome prefuit Anicetus natione Sirus annis 9[i].

Hugo S. Vict. 116. Anno 162. Marcus Anthoninus[k] Verus cum fratre Lucio imperat annis 20.

Rufin. H. e. IV, 15. 16. Passio beati Policarpi Smirneorum episcopi et Iustini philosophi.

ibid. IV, 23. Anno 163. Apud Athenas post Dyonisium Publius, deinde Quadratus.

Hieron 173. Anno 164. Anthiochie post Theophilum Maximinus.

Rufin. H. e. V, 12. Anno 165. Ierosolimis post Maximum[l] Iulianus, Gaius et alius Iulianus.

ibid. IV, 23. Florebant hoc tempore nobiles episcopi Dyonisius Chorinti, Pinitus[m] Crete, Philippus Gortine et Lugdunensis[n] Fontinus[o] et eius discipulus iam presbiter Hireneus[p].

Hieron. 171. Anno Domini 170. Alexandrie Agrippinus prefuit annis 12.

Cat. p. R. Anno Domini 171. Rome prefuit Sother natione Campanus de Fundis[q], annis 8[78].

Rufin. H. e. IV, 29. 30. Anno[r] 172. Fuerunt hoc tempore heretici Tatianus, Severus et Bardesanes[s].

Anno[r] 173. Galienus autem[t] insignis medicus fuit hiis diebus.

Gesta Trev. c. 16. Anno[r] 174. Tungri et Treveri post Navitum prefuit Marcellus, deinde Metropolus.

Oros. VII, 15. Anno[r] 176. Vologesum Parthorum regem gravi bello presserunt imperatores.

Cat. p. R. Anno 179. Rome[u] Eleutherius natione Grecus de Neapoli[79] prefuit[v] annis 12.

Rufin. H. e. V, 1–3. Anno Domini 180. Apud Lugdunum super Rodanum martyrizati sunt Fotinus episcopus, Vetius epagarus, Zacharias presbyter, Attalus, sancta Blandina virgo et quidam dyaconus nomine Sanctus et Alexander medicus.

Hieron. 173. Anno 182. Comodus imperat annis 12[80].

Theodocion[w] interpres tertiam fecit editionem.

Alexandrie Iulianus prefuit annis 10.

Beda H. e. I, 4. §. 12. Anno Domini 184.[81] Rex Britannie Lucius cum gente sua baptizatur sub Eleutherio papa.

Rufin. H. e. V, 10. 11. Anno 186. de Pantheno[x] philosopho et theologo, qui primus rexit de theologia in Alexandria, et de Clemente Alexandrino eius successore.

Hieron. 175. Rufin. H. e. V, 21. Anno 188.[y] Anthiochie post Maximum Serapion fuit episcopus. Rome martir effectus est Apollonius.

Anno 190. obiit rex Britannie Lucius christianus.

Cat. p. R. Anno 191. Rome Victor natione Affer[z] prefuit annis 10.

Hieron 175. Anno 192. Alexandrie prefuit Demetrius annis 43.

Rufin. H. e. V, 12–16. Anno 193. Ierosolimis episcopi Capito[*], Valens, Dolicianus.

Erant hoc tempore heretici Apelles et hii qui dicuntur Cathafrige, Montanus, Prisca et Maximilla.

Hugo S. Vict. 117. Anno 194. Helius Pertinax imperat annum 1.

Anno 195. Severus imperat annis 17 et[a] dimidio.

Anno 196. Questio de pascha validissima, que in Ecclesiastica continetur Hystoria[82].

Cat. p. R. Anno 201. Rome Zepherius natione Romanus presidet annis 18.

Rufin. H. e. VI, 2. Anno 204. Passio Leonidis[b] martyris, qui fuit pater Origenis.

Chron. S. Benig. 358. Anno 207. Passio sancti Hirenei Lugdunensis episcopi cum sociis suis 18000 martyrum.

Rufin. H. e. VI, 3. Anno 210. Alexandrie scolam theologicam post Clementem tenuit Origenes.

ib. VI, 7–9. Ierosolimis fuit episcopus Narcissus, qui de episcopatu elapsus factus est heremita. Cui successerunt Dius, Germanio, Gordius[c], deinde idem Narcissus inventus restitutus est in sede sua et ita fuit ab apostolis 30 Quem consecutus[d] est Alexander martyr egregius.

Hieron. 175. 179. Anthiochie post Serapionem prefuit Asclepiades, deinde Philetus.

Simmachus interpres quartam fecit editionem.

Hugo S. Vict. 117. Anno 213. Anthoninus Karacalla Severi filius qui et Bassianus[83] imperat annis 7.

Anno 218. Quinta editio Ierosolimis est inventa sine nomine auctoris[e].

Cat. p. R Anno Domini 219. Rome prefuit Calixtus annis 5.

Hieron. 179. Anno 220. Macrinus imperat anno 1.

---

a) Aqueleia 2. b) Potentia 2. c) Alexander 1. 2. *corr. ex Hieronymo.* d) *deest* 1. 2. *add. ex Hieronymo.* e) Theopholus 2. f) *deest* 1; Antyochie 2. *corr. ex Hieronymo.* g) Navit 2. h) apostantibus 2. i) 11 1, *cum gestis p. R. convenit* 2. k) Anthonius 1. 2. l) Maximinum 1. m) Punitus 2. n) Lugdunum 1. o) Fortunus 2. p) Hereneus 2. q) Nundis 1. 2. r) Anno Domini 2. s) Bardenases 1. t) *deest* 2. u) Rome prefuit 2. v) *deest* 2. w) Theodorion 1. x) Panthenori 1; Pathenrio 2. y) CLXXXIIII. 1. 2. *corr.* CLXXXVIII. z) Effer 1. *) Capato 2. a) cum 2. b) Leodinis 1. c) Grordius 1. d) secutus 2. e) actoris 1.

78) Anni Christi et pontificis, a libro pontificali catalogove dissidentes, cum Hieronymo 171 concordant. 79) Rectius: *Nicopoli.* 80) Annus Christi et Commodi imperatoris uno differt ab Hugone S. Victoris 117. 81) Annus est idem atque Hugonis S. Victoris 117. 82) Rufin. H. e. V, 23. 83) Cf. Eutrop. VIII, 10.

Anno 221. Anthoninus[a] Heliogabalus[b] imperat annis 4

Anno 223. Apud Divionem sub Terentio comite passio sancti Benigni presbiteri et martyris, qui per annos 20 floruerat in Burgundia. Et paulo post passa est in eodem castro sancta virgo Paschasia. Chron S Benig 358.

Anno 224. Rome[c] prefuit Urbanus natione Romanus annis 8. Cat p R.

Anno 225. Alexander imperat annis 13. Mater huius Mammea christiana Origenem Anthiochie audivit et honoravit. Hieron 179. Rufin. H e. VI, 16.

De Ypolito compotista et de Affricano hystoriographo. ib. VI, 17. 23.

Anno 232. Rome prefuit Pontianus annis 5 [84]. Cat. p. R.

Anno 233. Anthiochie post Philetum fuit Zebennus episcopus, deinde sanctus Babilas. Hieron. 179. 181.

Alexandrie in scola theologica succedit[d] Heraclas Origeni. Origenes sextam editionem fecit cum asterisco[e] et obelo et septimam sine asterisco[e] et obelo. Rufin. H e. VI, 13.

Anno 237. Rome post Pontianum papam successit ille Ciriacus de Maiore[f] Britannia anno 1 et per 11 ebdomadas, de quo in visionibus Elizabet continetur.

Anno 238. Rome Ciriaco successit Antherius papa natione Grecus ab ipso Ciriaco institutus anno 1, a beato Petro 20. Maximus imperat annis 3. Cat. p. R. 8. Hugo S. Vict. 117'.

Passio sanctarum undecim milium virginum apud Coloniam mirabiliter facta, et quorundam aliorum, qui in eadem societate fuerunt, episcoporum et militum et ipsius pape Cyriaci memorati secundum visiones Elizabeth. De quarum sanctarum tempore et de revelatione huius historie omnes usque ad tempus istius Elizabeth errabant hystoriarum scriptores et cronographi. In eisdem etiam visionibus continetur, quis in hoc anno erat Coloniensis episcopus. Hoc modo verba sancte Ursule ad Elizabeth: Fuit, inquit, in Colonia tempore illo quidam sacer pontifex plenus Spiritu sancto, qui quartus post beatum Maternum ecclesiam verbo[g] Dei gubernabat[h], nomine Aquilinus. Huic revelatus est totus ordo passionis nostre, cum reverteremur a Roma; et ipse corpora nostra sepelivit et cetera. Et post hec cito abstractus est ab hac vita mortali. De omnibus igitur aliis episcopis Coloniensibus, qui fuerunt a beato Materno usque ad Effratam, quem sanctus Servatius deposuit, nusquam[i] nomina repperi[85] preter Aquilinum memoratum. Lib. revel. n. 20.

Tungrensi autem ecclesie atque Treverensi post Metropolum prefuit Severinus, non Coloniensis, sed alius, qui ante eum fuit, deinde Florentius et post eum quidam Martinus. Gesta Trev. c. 16.

Anno 239. Rome Fabianus papa natione Romanus annis 13[86]. Cat. p. R. 9.

Alexandrie post Letum[87] Heraclas annis 6. Hieron. 179.

Anno 241. Gordianus imperat annis 6. ibid. 181.

Anno 245. Alexandrie Dyonisius succedit Heracle in theologia, successit eidem in episcopatu annis 22[88]. Rufin. H. e. VI, 22.

Anno 247. imperat Philippus cum filio Philippo, primus christianus, annis 7. Oros. VII, 22.

Anno 249. Anno Philippi 3. millesimus ab urbe Roma completus est annus.

Anno 252.[89] Rome Cornelius papa natione Romanus annis 3. Cat. p. R

Item passio sancti Alexandri episcopi[k] Ierosolimis, cui succedit Mazabenes, et Antiochie passio sancti Babile[l] episcopi, cui succedit Fabianus et huic Demetrianus. Hieron. 181.

Anno 254. Decius imperat cum filio Decio annis 2 et dimidio, quorum uno, vivente Philippo, contra papam Cornelium surrexit Novatianus scismaticus.

Anno 255. Rome Lucius natione Romanus[90] mensibus 8. ibid. 183.

Anno 256. Rome[m] Stephanus natione Romanus annis 2[91]. Cat. p. R

Gallus imperat cum Volusiano annis 2. Hugo S. Vict. 117'.

Sub eodem tamen Decio septem dormientes apud Ephesum inclusi sunt. Greg Tur De glor. mart. c 95.

Et in Sicilia passa est sancta Aghatha.

Moritur Origenes apud Tyrum annorum 70. Rufin. H. e. VII, 1.

Questio famosa in ecclesia[n] de hereticis, si sint rebaptizandi[o]; quod beatus Cyprianus Cartaginensis astruere[p] voluit, sed Stephanus papa contradixit. ibid VII, 2. ibid. VII, 3

Anno 258. Valerianus cum filio Galieno imperat[q] annis 14. Hugo S. Vict 117'.

Rome Sixtus papa natione Grecus et philosophus annis 11 cum dimidio[92]. Cat. p. R.

Anno 262. Ierosolimis post Mazabennem[r] prefuit Ymeneus episcopus. Hieron. 183

In Ponto Gregorius et Athenodorus[s] episcopi florebant, et passio Asterii philosophi apud Cesaream. Rufin. H e. VI, 22 VII, 12.

---

a) Anthonius 2. b) Heliogalulus 1. 2. c) *deest* 1. d) *deest* 2. e) asterico 2. f) *deest* 2. g) *deest* 2. h) gubernavit 2. i) nunquam 1. k) Al. ep. sancti 1. l) Mabile 1. m) *deest* 1. n) ecclesiis 1. o) reprobatizandi 1. p) struere 1; astrue 2. q) *deest* 1. r) Nazabennem 2. s) Anthenodorus 1. 2.

[84] Auctoritate Hieronymi 179. 181 nisus, ordinem libri pontificalis vel catalogi mutavit, Pontiano primum, Anthero secundum locum attribuens; inter utrumque fabulam de Cyriaco papa inseruit.

[85] *Deinde usque ad Eufraten hereticum nullus ecclesie Coloniensi prefuisse invenitur.* Catal. archiep. Colon. ap. Böhmer Font. rer. Germ. II, 271.

[86] Gesta p. R.: *annos* 14. Hieron. 181: *annis* 13.

[87] Rectius: *Demetrium.*

[88] 17 annis sacerdotio functum Dionysium obiisse Rufin. VII, 25 et Hieron. 181 narrant.

[89] Annus idem est atque Hugonis S. Victoris.

[90] Verba: *natione Romanus* noster libro pontificali vel potius catalogo debuit; quod vero ad tempus, eum Hieronymum secutum esse apparet.

[91] Gesta p. R.: *annos quatuor, menses duo*, verba: *quatuor, menses* nostrum effugisse videntur.

[92] Gesta p. R.: *sedit annos duos, menses* 11, *dies sex.*

Hieron 183. Anno 265. Anthiochie post Demetrianum Paulus hereticus.

Anno 267. Alexandrie Maximus episcopus annis 18.

Anno 269. Rome passio beati Sixti pape et beati[a] Laurentii archidyaconi anno post mortem Decii 14.[1] Unde valde mirandum est[a], quomodo in passionario[2] beatus Sixtus et beatus Laurentius legantur fuisse passi sub Decio, cum econtra beatus Stephanus papa antecessor beati Sixti passus sit sub Valeriano et Galieno. Ista contrarietas aliter non potest determinari, nisi propter inmanitatem impietatis et crudelitatis. Interfector beati Laurentii scilicet Valerianus intitulatus est nomine Decii, et alius fuit Valerianus imperator, alius[b] fuit Valerianus prefectus.

ibid. Anno 270. Rome prefuit Dyonisius annis 9, qui fuit monachus[3].

Hugo S. Vict. 117'. Anno 272. Claudius imperat annis 2.

Anno 274. Aurelianus imperat annis 5. Aurelianis civitas cepit.

In hac generatione decima ab incarnatione Domini regnasse invenitur quidam Mercurius in Gotlandia insula, que est inter Daciam et Russiam extra Romanum imperium, a quo Mercurio, qui Woden dictus est, descendit genealogia Anglorum et multorum aliorum[4].

Hieron. 183. Anno 277. Paulo Samosatheno heretico de Anthiochia pulso factus est Domnus episcopus.

Hugo S. Vict. 117'. Anno 279. Tacitus imperat anno dimidio. Eodem anno Probus cepit regnare annis 6.

Cat. p. R. Rome Felix papa natione Romanus annis 5[5].

Rufin. H. e. VII, 27. Anno 281. Manicheorum heresis turpissima in Perside exorta[c] est. Isti sunt, qui nostris diebus vocantur Bulgari, per quam diabolus multos sibi falsos martyres per ignem[d] acquisivit. Et o pro dolor! pessima luxuria, ad quantam cecitatem devenisti[6]!

Cat. p. R. Anno 284. Rome Euticianus papa et martir natione Tuscus de Lunis mensibus 10[7].

Hugo S. Vict. 117'. Anno 285. Carus cum Carino et Numeriano imperat[e] annis 3.

Cat. p. R. Rome Gaius papa et martyr natione Dalmaticus de genere Dyocletiani annis 15[8].

Hieron. 185. Alexandrie Theonas[f] annis 19.

Anno 287. hic est primus annus a consulatu Diocletiani[g] secundum Dyonisium.

Hugo S. Vict. 117'. Anno 288. Diocletianus imperat et Maximianus.

Rufin. H. e. VII, 28. Anno 289. Anthiochie post Domnum Thimeus, Cirillus, Dorotheus, Tyrannius.

ib. VII, 29. Anno 290. post Ymeneum Ierosolimis Zabdas prefuit, qui legionem Thebeam videlicet[h] sanctum Mauritium cum sociis baptizavit.

Anno 292. De passione Sebastiani et ceterorum.

Anno 294. De Daciano in Hyspania, Ricciovaro in Gallia, inpiissimis christianorum persecutoribus. Et sub Daciano quidem passus est beatus[k] Vincentius martyr invictissimus et multi alii. Sub Ricciovaro autem passi sunt gloriosus martyr Quintinus et Suessionensis Crispinus et Crispinianus et multi alii.

Anno 300. Hoc anno dicitur, quod sanctus Grisogonus electus fuit in papam mensibus 2 et dimidio[l], sed martir effectus est, antequam esset[m] ordinatus, et cessavit episcopatus mensibus 7, diebus 25[9].

Cat. p. R. Anno 301. Rome Marcellinus papa natione Romanus annis 6. Iste est qui primo Christum negavit, sed postea resipuit et martyr effectus est.

Rufin. H. e. VII, 29. Anno 304. Alexandrie Petrus annis 12.

Anno 306. persecutio acerrima.

a) *deest* 2. b) et alius 2. c) exaltata 1. d) per ignem *desunt* 1. e) regnat 2. f) Thomas 2. g) Dyonisii 1. 2. h) scilicet 2. i) *deest* 2. k) sanctus 2. l) et dimidio *desunt* 2. m) fuit 2.

---

1) Sixtum Laurentiumque sub Decio passos esse, narrat auctor libri pontificalis. Noster iam supra de Nechaone Aegyptiorum rege disserens, Sixtum papam post mortem Decii ecclesiae Romanae annis 10 praefuisse contenderat. 2) Passionarium Clarevallense Albricus laudat ad annum 835. 3) Dionysium monachum fuisse noster catalogo pontificum edoctus erat, tempus vero, per quod Dionysius summo munere fungebatur, ex Hieronymo descripsit, auctoritate catalogi postposita. 4) Cf. fabulas quas de eadem re profert sub anno 856. 5) Gesta p. R.: *sedit annos* 2. Hieron. 185: *annis* 5. 6) Cf. quae de eadem re ad annum 1239. narrantur. 7) Gesta p. R.: *annos* 8, *menses* 10. Hieron. 185: *mensibus* 8. 8) Gesta p. R.: *annos* 12. Hieron. 185: *annis* 15. Sed iamiam satis annotasse mihi videor, quomodo temporum notae apud Albricum et quos sequebatur auctores inter se et consentiant et dissentiant. Omnes discrepantias si proposuissem, nemini prodessem, quemque taedio affecissem. Nec quovis loco lectorem monebo, tempus a nostro prolatum nullis quos habemus fontibus fulciri. Nam quum aut sua ratione mutaverit aut manuscriptis mendosis usus, ea sane quae mutavit nullius esse pretii elucet. 9) Haec de Grisogono narratio neque in Gestis neque in catalogis pontificum invenitur. Sed animadvertendum est in Gestis et catalogis de tempore sedis vacantis verba nostri similia legi: *cessavit episcopatus annis* 7, *mensibus* 6. *diebus* 25.

Post passionem sancti[a] Mauritii et sociorum passus est in Colonia sanctus Gereon cum sociis suis 318. Apud Bonnam Cassius Florentius cum 7 aliis, et apud Zantum sub Colonia sanctus Victor cum aliis 360.

Anno 307. Maximinus Galerius imperat annis 2. Hugo S.Vict. 117.

Rome Marcellus papa natione Romanus annis 5. Cat. p. R.

Anno Domini 309, ab Urbe condita 1060, Constantinus[b] imperat annis 31. Orosius VII, 26.

Anno 312. Rome Eusebius papa natione Grecus et medicus[10] annis 2. Cat. p. R.

Ierosolimis post Zabdam fuit episcopus Hermon. Rufin H. e. VII, 29.

Anno 313. Rome[a] Melchiades papa et martyr natione Affer annis 3 et dimidio. Cat. p. R

Eodem anno passio sancte Katerine apud Alexandriam sub Maxencio tyranno, qui sequenti anno interiit.

Item ipso[c] anno passio beati Petri Alexandrini episcopi. Hieron. 189.

Anno 316. Alexandrie Achillas[d] episcopus annis 9.

Decimus annus persecutionis.

Anno 317. Rome Silvester papa natione Romanus annis 23, mensibus 10. Cat p. R.

Oritur pax ecclesiis. Hieron. 189.

Anno 318. Constantinus baptizatur.

Invencio sancte crucis.

Anno 319. Hoc anno natus est beatus Martinus in Pannonia, cuius genealogiam Gregorius Turonensis episcopus breviter ita comprehendit: Quidam rex Pannonie dictus est Aumarus, qui genuit Florum regem, avum sancti[e] Martini, et duos alios Martinum et Aumarum. Florus rex duxit Brichildem[f], filiam Chux regis Saxonum, et genuit Florum tribunum, Hilgrinum et Aumarum. Greg. Tur. H. F. I, 34. H. sept. dorm. c. 1.

Florus tribunus de filia sororis Constantini genuit sanctum Martinum, Turonensem[g] postea episcopum, et sororem eius Conches, de qua procedente tempore natus est magnus sanctus Patricius[h]. ibid. c. 2.

Hilgrinus frater Flori tribuni quatuor habuit filios: Clementem, Primum, Lethum, Theodorum. Aumarus frater eius tres[i] habuit: Gaudentem, Ciriacum, Innocencium[k]. ibid. c 1.

Tres isti et quatuor illi, videlicet septem, cognati beati Martini ipsi sunt, qui dicuntur septem dormientes de Turonis[l].

Quando enim, ut postea dicitur, beatus Martinus factus est[m] Turonensium episcopus, isti venerunt ad eum, quia erant[n] valde religiosi. Et peregre profecti sunt[o] usque ad[o] Ierosolimam, et reversi ad beatum Martinum, facti sunt monachi, ita quod vixerunt post mortem eius annis 25. ibid. c. 5.

Et mortui sunt omnes una die dominica in crastino sancti Martini. ibid. c. 6.

Sequitur: Eodem anno quo natus est beatus Martinus, Wandali de Polonia orti, a Gothis expulsi, Pannonias intraverunt, et ibi sub imperatore Romano annis 60 in pace habitaverunt. Sigeb. prol.

Tungrensis et Treverensis[p] simul episcopus quidam Martinus successorem habuit quendam Maximinum, deinde Valentinum. Qui Valentinus circa hunc annum obiit; et positus est Treveri archiepiscopus sanctus Agricius[q]. Gesta Trev. c. 16.

Sanctus Servatius abhinc post septem annos de transmarinis partibus ab angelo evocatus, factus est Tungrensium episcopus a beato Materno decimus. Aeg. Aur. c. 23. 24.

Anno 322. Licinius interiit[r]. Hieron 191.

Anno 324. Alexandrie Alexander episcopus.

Hic incipit Tripertita hystoria.

Anno 325. Hic orta est heresis impiissima[11].

Natus est beatus Ieronimus.

Ierosolymis presidebat[s] Macharius, Quiriacus et post eum Maximus et Maximus[12].

Anno 327. Nicena synodus congregatur 318 episcoporum[t]. ibid. 191.

Anno 328. Alexandrie Athanasius fit episcopus annis 43[13]. ibid 192.

Narratio de Frumencio et Edicio et de gente Iberorum[u] ad fidem conversa. Rufin. H. e. X, 9. 10.

Anno 332. Obiit sancta Helena mater Constantini. Huius discipula fuit sancta Hilda puella, que requiescit in episcopatu Trecensi.

Anno 336. Constantinopolim Alexander alter episcopus. Rufin. X, 12.

Antequam ulterius procedamus, hic attingenda est breviter hystoria Remensis: Legitur quod post martirium[v] Crispini et Crispiniani[w] missi sunt a Roma sancti isti: Sixtus et Sinicius primi Remensium archiepiscopi cum nepote suo[x] Diviciano, qui fuit secundus post Sinicium Suessionensis episcopus; tertius Remensis archiepiscopus Amausius, quartus Betausius, in isto tempore magni Constantini, et interfuit concilio Arelatensi primo, quod per Marinium[y] eiusdem urbis episcopum relatum est ad beatum Silvestrum[z] Volusiano et Aniano consulibus. Isti quatuor primi Remenses episcopi tumulati fuerunt in ecclesia beati Sixti. Flod. H. R I, 3. ibid I, 5.

---

a) *deest* 2. b) Constantius 2. c) eodem 2. d) Archillas 2. e) beati 2. f) Brixildem 2. g) Turonicensem 1. h) Pantricius 1. i) *deest* 2. k) Innocentem 1, *cum Gregorio convenit* 2. l) Turoñ 1. 2. m) *deest* 1. n) fuerant 2. o) *deest* 2. p) Treveris 2. q) Agracius 2. r) Anno — interiit *desunt* 2. s) precedebat 2. t) *deest* 2. u) Hebreorum 1. 2. v) mortem 2. w) Crispiani 1. x) *deest* 2. y) Maurinum 2. z) Silvestrem 1.

[10] Gesta pont. et catalogi: *ex patre medico*. [11] Arii scilicet. [12] Potius Cyrillus. Cf. Guil. Malm. §. 368, quem noster haud scio an hoc iam loco secutus sit. Certe non Hieronymo aut Rufino, ut hucusque, nomina episcoporum Hierosolymae debuit; apud Hieronymum enim Rufinumque Quiriacum s. Ciriacum frustra quaereres. [13] Athanasium 46. anno sacerdotii defunctum esse, tradit Rufin. H. e. XI, 13.

Hieron. 193. Anno 340. Constancius cum fratribus imperat annis 24.

Cat. p. R. Rome prefuit Marcus natione Romanus annis 3.

Mors Arrii turpissima [14].

De obitu beati Nicolai credimus hic annotandum, quia vita illius atque translatio non aliter concordarent, sed contrarietas determinanda est a peritis.

ibid. Anno 343. Rome Iulius papa natione Romanus annis 11 [a]. Iste est qui corpus beati Clementis pape [b] levatum de mari, ab angelo ammonitus Romam retulit.

Hic obiit sanctus Paulus primus heremita 113 annorum.

Rufin. H. e. X, 16. Concilium apud Tyrum contra Athanasium.

Gesta Trev. c. 19. Anno 345. Maximinus sancti Agricii discipulus fit Treverensis episcopus. Ab isto susceptus est sanctus Athanasius episcopus Alexandrinus, quoniam pro fide catholica toto orbe per insidias imperatoris Constancii Arriani agebatur profugus

Vita S. Serv. Anno 347. Factum est concilium apud Coloniam, ubi per beatum Servacium Effrata pseudoepiscopus et hereticus deponitur, et sanctus Severinus in locum [c] eius ordinatur. Hii sunt autem episcopi, qui cum beato Servatio huic concilio interfuerunt; Maximinus [d] Treverensis, Valentinus Arelatensis, Donacianus [e] Cabilonensis, Severinus Senonensis, Ebtacianus Trecassinensis, Gessius Nemetensis [f], id est de Spira, Victor Wangionensis, id est de Wormatia, Valerianus Antisiodorensis, Amandus Argentoratensis, id est de Strasburc [g], Simplicius Augustudunensis [h], Iustinianus [i] Rauraconensis [k], id est de Rouroy Bisuntinensis dyoceseos [l], — iam non est civitas — Eulogius Amneanotensis [m], Discorius Remensis, — Discorius iste vir sanctus archiepiscopus non fuit [n] Remensis, sed solummodo presbyter vel corepiscopus, — Dyapetus Aurelianensis

Beatus autem Severinus in locum predicti Effrate apud Coloniam ordinatus invenitur postea prefuisse ad minus annis 54, id est usque ad obitum beati Martini, secundum illud miraculum, quod de eo refert Gregorius Turonensis [15], id est ad annum Domini 400.

Cat. p. R. Anno 354. Rome Liberius papa natione Romanus annis 9.

Greg. Tur. H. F. I, 35. Anno 357 Obiit sanctus Anthonius monachus 105 [o] annorum.

Rufin. H. e. X. 23. Ierosolimis post Maximum Cirillus episcopus.

ibid. 24. Anthiochie post Eudoxium [p] Melecius de Sebaste Armenie assumptus.

ibid. 25. Heresis Arriana dividitur in Arrianos et Eunomianos [q] et Macedonianos.

Gesta Trev. c. 19. Treverensi ecclesie post beatum [r] Maximinum prefuit beatus Paulinus; qui a Constantino [s] imperatore missus fuit in exilium cum beato Hylario Pictavensi episcopo et sancto Eusebio Vercellensi et quibusdam aliis [16].

Quatuor vel quinque fuerunt episcopi, qui contra imperatorem Romanum et contra totum mundum fidem nostram defensabant, et in illa fide, quam isti tenuerunt, adhuc perseverat ecclesia catholica.

Rufin H. e. X, 27. Anno 361. Lucifer Caralitanus Sardinie episcopus unus hucusque de catholicis Paulinum Anthiochie locavit contra Melecium episcopum.

Cat. p. R. Anno 363. Rome Felix papa natione Romanus anno fere uno, deinde Liberius papa de exilio revocatur et prefuit iterum annis 5 [17].

Hieron. 196. Anno 364. Iulianus apostata imperat annis 2.

Anno 366. Iovinianus vir catholicus imperat anno 1.

Inter Romanos et Persas pax in 29 annos firmata est [t].

Hic dicendum est quod [u] tempore Anthonini [v] Veri et Lucii imperatorum fuit Vologesus rex Parthorum sive Persarum, tempore Alexandri Xerces [w], tempore Valeriani et Galieni Sapor, tempore Dyocletiani Narseus, tempore Constantini Sapor ille [t], cuius filii fuerunt Hormisda [x], regnans in hoc anno, et Sapor qui post eum regnavit.

Hieron. 196. Anno 367. Valentinianus imperat annis 11.

Cat. p. R. Anno 368. Rome Damasus papa natione Hyspanus annis 19 [y].

Ambrosius fit Mediolanensis episcopus.

Gesta ep. Trev. c. 19. Treveris post sanctum Paulinum fit Bonosius archiepiscopus, deinde Britonius, de quo fit mentio in Tripartita hystoria sub Damaso papa.

Flod. H. R. I, 5. Anno 370. Remis post Betausium archiepiscopum quartum sedit episcopus Aper, deinde Maternianus cuius reliquie delate fuerunt in Alemannia, Donacianus qui requiescit apud Brugias in Flandria, ubi in eius honore habetur ecclesia, Vivencius in cuius honore habetur prepositura canonicorum Braquis super Mosam. Quos secutus est Severus usque ad sanctum Nicasium.

Anno 372. Obiit sanctus Hilarion 80 annorum.

---

a) IX 2. b) *deest* 2. c) loco 2. d) Maximus 2. e) Dacianus 2. f) Memetensis 2. g) Straesburch 2. h) Augustidinensis 2. i) Iustianus 1. k) Auroconensis 2. l) dyocesis 2. m) Amneotensis 2. n) non fuit arch. 2. o) CL 2. p) Eudoctium 2. q) Eunenianos 1. r) *deest* 2. s) Constancio 2. t) *deest* 1. u) de 2. v) Anthonii 1. w) Xerses 2. x) Hormilda 2. y) IX 2.

14) Cf. Rufin. H. e. X, 13. Greg. Turon. Prolog. lib. III. 15) De miraculis sancti Martini I, 4. 16) Cf. Rufin. H. e. X, 30. Hieron. 195. 17) Felicem antipapam cum Felice Liberii successore confudit.

Anno 373. Obiit sanctus Athanasius Alexandrinus episcopus, cui successit[a] Petrus, post quem Timotheus, deinde Theophilus. Ierosolymis post Cirillum primum patriarcham[18] Iohannes, Anthiochie pro Melecio Flavianus vivente adhuc Paulino. Rufin. H. e. XI, 13. 21.

Anno 375. Sanctus Martinus ordinatur Turonensis[b] episcopus tertius. Greg. Tur. H. F. IV, 31.

Ierosolymis post Cyrillum prothum Iohannes, Parailius, Iuvenalis, Thomas, Iohannes. G. Malm. 368.

Anno 378. Valens imperat post mortem fratris sui[c] Valentiniani annis 4. Hieron. 198.

Anno 379. Anno 13. Valentis imperii quatuor Scithe gentes Danubium transierunt, eo quod Gothi, qui olim Wandalos vicerant, modo victi sunt ab Hunis. Et Gothi quidem, Yppogothi et Gyppedes, qui hucusque sub uno rege fuerant, duo regna per dissensionem fecerunt[d], ita quod super orientales Gothos, qui dicti sunt Ostrogothi, regnavit Athalicus, et super occidentales Gothos, qui dicti sunt Wisigothi, regnavit Fritigernus[e], Wandali vero per Hunos de Pannonia sunt expulsi[f], qui regem sibi fecerunt Modegisilum[g][19].

Anno 380.[h] Primus consulatus Theodosii. Quo anno Theophilus Alexandrinus ciclum paschalem edidit.

Anno 381. Ultimus annus cronice beati Ieronimi, qui est primus cronice Sigiberti.

Valens imperator 4.[i] anno imperii sui, id est 14, ex quo regnare cepit cum fratre suo, interiit ita, quod conbustus fuit ab Ostrogothis[k], quos in Arriana heresi fecerat baptizari[19].

Abhinc ergo regnavit super Ostrogothos post Athalicum Winitharius anno 1, post quem Hunimundus annis 2, cui successit Horismud annis 2, deinde fuerunt sine rege sub imperio Romano annis 40. Sigeb 386. ib. 388. 390.

Super Wisigothos vero post Fritigernum regnavit Athamaricus annis 2; et post fuerunt sine rege annis 12; deinde Alaricus regnavit super eos annis 18[l]. ib. 383 ib. 384. 398.

Super Wandalos a Pannonia expulsos regnavit Modegisilus annis 32. Huni vero contra omnes istos elevati regnaverunt abhinc per annos 80, sub his regibus Balamber, Mudzuch pater Attile, Octar et Rugila, frater eius, Bleda et Attila frater eius. Et super Persas regnavit Sapor frater Hormisde[m] annis 28. Sigeb. prolog.

Ad papam Damasum beatus Ieronimus mittit textum quatuor ewangeliorum correctum. Sigeb. 382.

Anno 382. Gracianus filius Valentiniani imperat cum Theodosio annis 6. Orosius VII, 34.

Anno 383. Obiit sanctus Basilius episcopus Cesaree Capadochie. Sigeb. 383.

Anno 384. Priscillianus et Apollinaris heretici agnoscuntur. ib. 386. 383.

Anno 385. Et eodem anno Priscillianus Treveris interficitur. Ordinatio sancti Felicis Treverensis in presentia beati Martini, sedit annis 12. Gesta Trev. c. 20. 22.

Anno 386. Secunda synodus Constantinopolitana 150 episcoporum, ubi Credo in unum Deum componitur[n]. Sigeb. 386.

Anno 387. Rome Siricius natione Romanus annis 13. Cat. p. R.

Anno 388. Valentinianus frater Gratiani imperat annis 7[o]. Sigeb. 389. 396.

Anno 389. Priamo duce Francorum a Romanis occiso, Marchomirus filius eius fuit dux super Francos annis 11[p]. Hugo S. Vict. 114.

Hic itaque incipit certa narratio de Francis: Ante istum Marchomirum fuerunt duces: Priamus, Sunno, Genebaldus, Theodemirus[q]. Et dicitur quod fuerunt de reliquiis Troianorum descendentes ab Antenore de Sicambria civitate[20].

De Alanis devictis[r], de decem annis libertatis satis dictum est[s] alibi.

Constantinopolitani patriarche post Eudoxium hereticum Gregorius Nazazenus[t], Charus Macedonius hereticus, contra quem tertia synodus, Nectarius Proculsus[u], Iohannes Chrisostomus[v], Atticus, Flavianus, Anatholius sub quo quarta synodus. Secuntur heretici, Achacius[w], Antimius, Menas, Euthicius per beatum Gregorium correctus, Iohannes[x], Sergius, Pirrus, Paulus, Georgius, Gallinicus, Cyrus, Iohannes. Sanctus Germanus de Zizico[y], Anastasius hereticus, Constantinus hereticus, Nicheta hereticus. Secuntur tres boni, Paulus, Tharasius, Nicephorus.

Anno 391. Augustinus baptizatus est[z] a beato Ambrosio. Sigeb. 389.

Anno 392.[*] Obiit Gregorius Nazianzenus. ibid 391.

Anno 393.[a] Floruit sanctus Severianus episcopus Gavalitanus, id est Mimatensis, qui fecit sermonem de Innocentibus, scilicet[b]: *Zelus quo tendit.*

Anno 394. De primo Patricio Hiberniensi[c]. ibid. 394.

395. Theodosius Magnus post obitum[d] Valentiniani imperat solus annis 4.

---

a) succedit 2. b) Turonensium 2. c) *deest* 2. d) fuerunt 1. e) Friditernus 2. f) de — expulsi *desunt* 1. g) Modegiselum 2. h) CCCVIII. 1. i) *deest* 2. k) Ostragothis 1. l) XIV 1. *cum Sigeberto convenit* 2. m) Hermilde 2. n) *deest* 1. o) Anno 388. — annis 7 *desunt* 1. p) XII 2. q) Theodemerus 2. r) victis 2. s) est dictum 2. t) Nazanzenus 2. u) Proculus 1. v) Crisostimus 2. w) Atharius 2. x) Menas — Iohannes *desunt* 2. y) Zisico 2. z) *deest* 2. *) CCCXCIII. 1. a) CCCXCII. 1. b) *deest* 1. c) Hybernensi 2. d) *deest* 2.

18) Cf. Guil. Malm. §. 368. 19) Cf. Sigeberti prooemium. 20) Cf. Sigeberti prooemium et Hugonem Sancti Victoris 113'. 114.

Sigeb. 396. Anno 397. Obiit Didimus Alexandrinus, vir sanctus et cecus.
Gesta Trev. c. 23. Treveris quidam Mauricius succedit Felici in episcopatu.
Rufin. H. e. XI, 34. Anno 398. Obiit magnus Theodosius. Et hic finit ecclesiastica hystoria Rufini.
Sigeb. 397. Anno 399. Archadius et Honorius filii Theodosii imperant annis 13.
Cat. p. R. Anno 400. Rome Anastasius papa vir sanctus natione Romanus annis 2.

Iste est 81. annus, ex quo nativitatem beati Martini in 11. anno magni Constantini secundum Gregorium Turonensem annotavi; et iste est[a] annus 26, ex quo beatus Martinus vivente adhuc[b] Valentiniano magno secundum dyalogum Severi ordinatus est[a] episcopus; item iste est annus 16, ex quo Priscillianus[c] hereticus Treveris fuit occisus. Dico ergo non per opinionem, sed per affirmationem et certitudinem, quod beatus Martinus obiit hoc anno, et hoc paratus sum probare certis auctoritatibus contra omnes conpotistas et cronographos, si fuerint contradictores. Dicit enim Gregorius Turonensis in primo libro capitulo ultimo hystorie Francorum: Archadio et Honorio anno 2. imperantibus, beatus Martinus Turonorum episcopus 81. etatis sue anno, episcopatus autem 26, transiit ab hoc seculo[d] media nocte, que dominica habebatur Attico Cesarioque consulibus[21]. Item legitur in dyalogo Severi, quod beatus Martinus post mortem Priscilliani heretici 16 vixit annos, in quibus ab omnibus episcoporum conventibus se abstinuit[22]. Et adhuc una optima auctoritas in qua concordant Gregorius Turonensis et beatus Paulinus Nolanus[e] in Vita beati Ambrosii. Dicit enim Gregorius Turonensis, quod adhuc vivebat beatus Ambrosius, quando[f] beatus Martinus decessit[g], et per visionem licet dormiendo eius exequiis deservivit, sed capitellum, clericis suis ipsum excitantibus, non conplevit[23]. Scribit autem beatus Paulinus, quod beatus Ambrosius post mortem Theodosii Magni tantummodo circa triennium supervixit. Unde certissimum habemus, quod mortuo beato Martino in festo beati Martini dominica die beatus Ambrosius anno et dimidio interposito obiit, in festo beati Ambrosii, sexta feria, sancto die parasceues[h], et in sequenti die dominica[a] fuit dies pasche.

Ultima auctoritas Gregorii Turonensis est illa, quod ab obitu beati Martini usque ad obitum Clodovei regis Francorum, quem beatus Remigius baptizavit, anni 112 vite[24]. Item in isto anno Pharamundus primus rex elevatus a Francis regnavit annis 20 secundum cronicam magistri Hugonis[25]. Hec omnia ad hoc ingessi, ut illa auctoritas qua dicitur: *A*[i] *passione Domini usque ad transitum sancti Martini anni* 412 *conputantur*[26], aut corrigatur aut deleatur, cum ibi sit mendacium 45 annorum. Non est autem mirum, si usque ad hec tempora istud non fuit correctum, quia sancti viri, qui sunt in claustris, plus intendunt contemplationi et sermonibus quam cronicis. Et litterati qui sunt in seculo vel[b] ad prebendas tendunt vel ad pecuniam. Unde est illud:

Dat Galienus opes et sanctio Iustiniana.
Ex aliis paleas, ex istis collige grana.

Cum ergo liber iste conputetur a talibus inter paleas vel reputetur pro paleis, non est mirum, si predicta auctoritas huc usque non fuit correcta ab hiis, qui scientiam certam habebant et auctoritate personatus ceteris excellebant. Queris ergo, quomodo debeat corrigi? Ubi scribitur: *A passione Domini*, scribatur: *Ab incarnatione Domini*, et 12 deleantur hoc modo. Ab incarnatione ergo Domini usque ad transitum sancti Martini anni 400 solummodo conputantur.

Sigeb. 403. Anno Domini 402. Obiit beatus Ambrosius, ut iam prelibatum est.
Cat. p. R. Rome prefuit Innocencius natione Albanus annis 14.
Sigeb. 406. Anno 404. Obiit sancta Paula in Bethleem.
ibid. 405. Item obiit sanctus Pachomius monachus 110 annorum.
ibid. 404. Anno 405. De Pelagio heretico.
ibid. 405. Radagaysus in Italia.
Ieronimus scribit in Osee.
ibid. 405. Anno 406. De sancto Alexio.
ibid 408. Anno 409. Rex Persarum Sdigerdis[k] annis 34.
ib. 409. 411. Anno 410. Obiit sanctus Iohannes Crisostomus[l], succedit Atticus.
ibid. 410. Anno 412. Honorius imperat mortuo Archadio annis 15.
ibid. 413. Anno 413. Roma capta est a rege Wisigothorum[m] Alarico, qui paulo post obiit.

---

a) *deest* 1. b) *deest* 2. c) Prisillianus 2. d) transit — seculo *desunt* 1. e) Nolensis 2. f) cum 2. g) discessit 2. h) parassenes 1. i) in 1. k) Digerdis 1. l) Crisostimus 2. m) Wisogothorum 2.

21) Hist. Franc. I, 43. 22) Severii Dialog. III, 13. 23) De mirac. S. Martini I, 6. 24) Hist. Franc. IV, 51. 25) pag. 114 cod. Lips. 26) Hist. Franc. I, 43.

Quedam pars Wandalorum cum Alanis Gallias infestant duce Crosco, qui fuit rex[a] Craconie, sub quo passi referuntur esse sanctus Desiderius Lingonensis episcopus et sanctus Antidius Bisuntinensis. Sigeb. 411.

Super Wandalos, a Pannonia expulsos, post Modegisilum[b], a Gallis oppressum, regnavit Gendericus annis 16. ibid. 413. Qui de Galliis ad Hyspanias transierunt, ubi per 30 annos regnaverunt, Gothis etiam eos propellentibus, quibus, scilicet Gothis, Gallias concesserat Theodosius[c].

Anno 414. Wisigothorum[d] rex Athwlphus regnavit[e] annis 3, qui etiam Romam cepit. ib. 413. 414.

Anno 415. Ex hoc tempore quidam rex Alanorum Replendial[f] dictus est. ibid. 413.

Anno 416. Rome Zozimus papa natione Grecus fere biennio. Cat. p. R.

Anno 417. Quidam pascha celebrant 8. Kalendas Aprilis et errant. Sigeb. 417.

Wisigothorum Sigericus anno 1. ibid. 416.

Beatus Maximus qui fecit sermones, Taurinensis episcopus, claret. ibid. 415.

Anno 418. Rome Bonifacius natione Romanus annis 6. Cat. p. R.

Wisigothorum Wallia annis 22. Sigeb. 417.

Usque ad hunc annum Horosius hystoriam suam perduxit.

Anno 420. Francorum Clodio[g] regnat annis 20. ibid. 430.

Quod bestia Neptuni, Minotauro similis, uxorem eius, scilicet[h] Clodii, apetiit, dum se lavaret in mari, et mox vel[i] a bestia vel a viro conceptum[i] filium nominavit Merovechium. Hist. epit. c. 9.

Inventio sancti Stephani. Sigeb. 418.

Honorius Aquitaniam Wisigothis[k] dedit.

Anno 423. Ieronimus[l] requiescit anno etatis sue 98, Honorii 12. ibid. 421.

Franci legibus uti ceperunt. ibid 422.

Anno 424. Rome Celestinus papa natione Campanus annis 9. Cat. p. R.

Wandali, Alani et Suevi Hyspanias tripharie dividunt. Sigeb. 422.

Anno 426. Ostrogothorum Walamer annis 31, ibid. 430. qui Wandalos in Hyspania debellat, et Wandali Mauritaniam invadunt. ib. 424. 425.

Anno 427. Theodosius imperat annis 26. ibid. 427.

De passione sancti Albani Maguntinensis. ibid. 425.

Episcopi Maguntini: sanctus Crescencius, Martinus, Bocladus, Suffronius, Rotharius, Aureus frater sancte Iustine[m] virginis et martyris, Maximus, Sydonius, Sigimundus, Leugusius, Bezelinus, Lanthwaldus, Lupoaldus anno 626.

Anno 428. Rex Clodio[n] habitavit in Dispargo castello Thoringie. ibid. 431.

Anno 429. Wandalorum Geisericus annis 48[o]. ibid. 429.

Anno 430. Huni a Pannonia fugati. ibid. 428.

Anno 431. Celestinus papa misit ad Scothos Palladium, deinde sanctum Patricium. ibid. 432.

Anno 433. Rome Sixtus II. papa natione Romanus annis 8. Cat. p. R.

Anno 434. Tertia synodus, Ephesina prima, contra Nestorium 200 episcoporum. Sigeb. 433.

In hystoria Britonum de Vortegirno[p] rege et de turri quam edificavit, et de hiis que absconsa erant sub fundamento turris, et quomodo per Merlinum prophetam interpretata sunt[27].

Anno 436. Rex Clodio Tornacum optinuit primo et inde Cameracum et usque ad Summam fluvium[h]. ibid. 445.

Anno 437. Ciclus sancti Cyrilli. ibid. 437.

Obiit beatus Augustinus quando Wandali terram illam occupabant. ibid. 440.

Anno 438. Sanctus Germanus Autisiodorensis[q] episcopus fit[r] [28].

De festo sancti Petri ad vincula. ibid. 438.

Anno 440. Francorum Merovethus regnat annis 17[29]. ibid. 448.

Wisigothorum Theodoricus annis 15. ibid. 439.

Britonum Aurelius Ambrosius annis 2.

Anno 441. Rome Leo I. natione Thuscus annis 21. Cat p. R.

Anno 442. Britonum Uterpandragon[s] annis 17.

De terre motu Constantinopoli. Sanctus Deus, sanctus fortis. Sigeb. 444.

Anno 443. Persarum Gauraranes annis 37. ibid. 442.

Anno 444. Finit hystoria Tripartita in anno secundo 305.[t] olimpiadis, consulatu sedecies imperatoris Theodosii.

Anno 446. Treveris post Mauricium prefuit Legoncius, primo ut dicitur Metensis episcopus. Gesta ep. Trev. c. 23. Usque ad istum Legontium isti fuerunt Metenses[u] episcopi per ordinem: sanctus Clemens, Celestis, Felix, Paciens, Victor I, Victor II, Symeon, Abacius, Rubertus, Adelphus, Firminus, Legoncius duodecimus. Gesta ep. M. c. 1–12.

Remis sanctus Nichasius fuit archiepiscopus decimus, qui beatum Alpinum ordinavit episcopum Cathalaunum. Flod. H. R. I, 6. Isti fuerunt ante eum Cathalaunenses[v] episcopi: sanctus Memmius, sanctus

---

a) dux 2. b) Modogisilum 2. c) Theodozius 2. d) Wisogothorum 2. e) regnat 1, *cum Sigeberto convenit* 2. f) Resplendias 2. g) Cleodius 2. h) *deest* 1. i) *deest* 2. k) Wisigothonis 1. l) beatus Ier. 1, *cum Sigeberto convenit* 2. m) Iustiane 1. n) Cleodius 2. o) XXVIII 2. p) Votegirno 2. q) Antissiod. 2. r) fit ep. 2. s) Uterprandagon 2. t) CCCL. 2. u) Metensium fuerunt 2. v) Cathelaun. 1.

[27] Cf. Galfredi Monemut. Hist. Brit. VI, 17. 19. VII, 3.

[28] *Germanus Autissiodorensis, Lupus Trecassinus* etc. *episcopi in Galliis clarent.* Sigeb. ad an. 435.

[29] — *regnat annis* 10. Sigeb. ad an. 448.

Donacianus, sanctus Domicianus, Amabilis, sanctus quidam Desiderius, Sanctissimus, Provinctus, sanctus Alpinus octavus annis 47.

Gesta ep. T. c. 1—10. Et apud Tullum fuerunt isti episcopi: sanctus Mansuetus, sanctus Amon, sanctus Alcha, sanctus Celsinus, sanctus Aspicius, sanctus Ursus, sanctus Aper, sanctus Albinus, Trisorigus nonus.

Anno 447. Eccharus[a] rex Alanorum, de quo habetur in vita beati Germani[30].

Beda H. e. I, 15. Anno 448. Hic est primus annus Anglorum in Britannia. Woden, huius filius fuit Vecta, cuius fuit Victa[b], huius Vothgisius, huius filius fuit Hengistus. Iste Hengistus hoc anno cepit regnare in Anglia annis 36[31].

Sigeb. 447. Anno 449. Septem dormientes evigilaverunt sub Theodosio.

Falsa synodus Ephesi Idus Iunii.

ib. 450. 449. Anno 451[c]. Obiit sanctus Germanus Antisiodorensis episcopus, et natus est sanctus Remigius.

Gesta Trev. c. 23. Treveris post sanctum Legoncium episcopum fuit sanctus Auctor archiepiscopus et ipse Metensis episcopus; sequitur Severus, Cyrillus, deinde Lannerius, Emerus et Marus.

Flaviano Constantinopolis episcopo succedit Anatholius.

Sigeb. 451. Anno 452. Obiit Placidia regina.

Aurelianis erat Sangibanus rex Alanorum.

ibid. 451. Anno 453. Marcianus imperat annis 7.

ibid. 452. Quarta synodus magna Calcedonensis contra Euthicem 630 episcoporum[d].

Destructio Tungrensium. Eversio Metis.

ibid. 453. Bellum famosissimum in campis Cathalaunicis[e] contra Attilam regem Hunorum.

Passio sancti Nichasii Remensis et aliorum.

Flod. H. R. I, 8. Eo tempore in pago Dulcomensi iuxta Grandem[f] Campum[32] vico Sinduno, id est Semi[33], passus est Oricolus cum duabus sororibus suis Oricola et Basilica

Sigeb. 453. Anno 454. Wisigothorum Thurismundus annis 3.

ib. 458. 469. Anno 456. Francorum[g] Hildericus regnat annis[g] 26. Iste de Basina regina Thoringie genuit Clodoveum.

ibid. 456. Anno 457. Wisigothorum Theodericus[h] frater Thurismundi annis 11.

ibid. 461. Anno 458. Ostrogothorum Theudemer annis 11.

ibid. 457. Huc usque Prosper cronicam suam perduxit[i].

Anno 459. Britonum Arturus famosissimus regnat annis 16.

ibid. 458. Sanctus Symeon in columpna.

ibid. 457. Anno 460. Leo imperat annis 16.

Cat. p. R. Anno 462. Rome Hilarius papa natione Sardus annis 4.

Sigeb. 464. Anno 465. Translatio corporis Helisei prophete de Samaria in Alexandriam.

Cat. p. R. Anno 466. Rome Simplicius papa annis 15, natione Tyburtinus.

Auct. Gemb. 465. Translatio sancti Martini.

Sig. 469. 468. Anno 468. Wisigothorum Eoricus annis 19.

De sancto Mamerto Vienensi episcopo.

ibid. 488 Anno 469. Ostrogothorum Theodericus annis 16.

Flod. H. R. I, 9. Remis post sanctum Nichasium sedit Baruch, inde Barucius[k], quos secutus est Barnabas, deinde Bennadius.

Sigeb. 471. Anno 471. Translatio sancti Marci euangeliste.

Flod. H. R. I, 11. 17. Anno 472. Ordinatio beati[l] Remigii annorum 22, sedit 74 annis.

Sigeb. 474. Anno 474. Odoacer[m] in Ytalia annis 14.

ib. 475. 476. Post Wandalos, Alanos, Gothos et Hunos Franci Gallias occupant. Ceperunt Coloniam et inde Treverim.

Anno 475. Rex Arturus letaliter vulneratus ad insulam Avallonis secessit[34].

ibid. 473. Anno 476. Zenon imperat annis 16.

Britonum Constantinus annis 13.

ibid. 477. Anno 477. Wandalorum Hunericus annis 9.

Anno 479. Britonum Conanus annis 8[o].

ibid. 480. Anno 480. Persarum Chuades annis 41.

Cat. p. R. Anno 481. Rome Felix papa natione Romanus annis 5.

Sigeb. 479. De Longobardis[p] incipiunt 40 anni.

ibid. 481. Anno 483[q]. Francorum rex Clodoveus annis 30.

W. Malm 8. Anno 484. Anglorum Heyso[r] filius Hengisti annis 24. Et[o] post biennium Hengistus interiit.

Chron. S. Benig. 359. Inventio sancti Benigni.

Sig. 488. 491. In Ytalia Theodericus Odoacrum obsedit tribus annis, quibus exactis et interfecto Odoacro Theodericus regnavit cum Ostrogothis in Ytalia annis 36[s].

a) Echardus 2. b) Curta 2. c) CCCCL. 2. d) de 630 episcoporum 1. 2. e) Cathalannicis 1. Cathalaunensibus 2. f) grande 1. g) *deest* 2. h) Theodoricus 2. i) digessit 1, *cum Sigeberto convenit* 2. k) Baricius 1, *ut Flodoardus ita* 2. l) sancti 2. m) Ordeacer 2. n) annis 74 2. o) *deest* 1. p) Longobarbis 1. q) CCCCLXXXII. 2. r) Heisus 2. s) 36 annis 2.

---

30) Herici Vita metrica n. 120.

31) — *anno* 39. *adventus sui Hengistus diem clausit.* Wilh. Malm. §. 8.

32) Grandpré, départ. Ardennes, arrond. Vouziers.

33) Senuc, ibid.

34) Cf. Galfridum Monemut. XI, 2, quocum noster et re et verbis: *letaliter vulneratus* convenit; sed quum ea de causa, quam supra pag. 669 protuli, tum quia Galfridus Arturum anno 542. fatis concessisse refert, alium, quamvis affinem Albrici fontem statuam.

Anno 485. Fulgencius episcopus Ruspensis, Germanus Capuanus, Epiphanius Ticinensis clarent. Sigeb. 486.

Anno 486. Rome Gelasius papa natione Affer annis[a] 5. Cat. p. R.

Wandalorum Gunthamundus annis 9. Sigeb. 485.

Anno 487. Wisigothorum Alaricus annis 22. ibid. 488.

Metenses episcopi fuerunt hii: Eplecius, Urbicius, Bonolius, Terencius[b]. Gesta ep. M. c. 14–17.

Tullenses episcopi post Orisorigum[c]: sanctus Dulticius decimus, sanctus Premon, sanctus Autmundus[d], sanctus Evolanus. Gesta ep. T. c. 11–14.

Anno 489. Revelatio cripte Michaelis[e] archangeli in Monte Gargano.

Anno 490. Floruerunt Avitus de Vienna[35] et frater eius Apollinaris de Valencia episcopi sancti.

Anno 491. Rome Anastasius papa annis 2 natione Romanus. Cat. p. R.

Solempnis episcopus Carnotensis claret. Sig 490.491.

Obiit sanctus Patricius.

Anno 492. Anastasius imperat annis 26. ib. 492. 490.

Hucusque Ydacius et Gennandius.

Anno 493 Rome Symachus papa natione Sardus annis 15, mensibus 9. Cat. p. R.

Achatius Constantinopolis episcopus dampnatus obiit. Sig 491.492.

Anno 495. Regnum Westsaxonum in Anglia incipit post interitum Hengisti anno 8, in quo primus regnavit rex Cerdicius annis 39. W. Mal. 16.

Wandalorum Trasamundus annis 26. Sigeb. 494.

Obiit sanctus Alpinus[36].

Launomarus Carnotensis fundavit Curbionem. ibid. 495.

Sanctus Victonius Virdunensis. Gesta ep. Vird. c. 4.

Anno 497. Rex Clodoveus baptizatus est a beato Remigio. Sigeb. 499.

Anno 500. Sanctus Remigius fecit primum episcopum Genebaudum[f] in Lauduno. ibid. 500.

Anno 502. Clarus habetur Boetius philosophus et catholicus christianus. ibid. 502.

Anno 504. Sanctus Melanius Redonensis et Sydonius episcopus Avernensis, Quintianus Ruthenensis episcopus et Maxencius abbas Pictaviensis[g]. ibid. 506.

Anno 506. Sigismundus regnat[h] in Burgundia. ibid. 509.

Anno 508. Rex Clodoveus vicit Alaricum et eius regnum optinuit. ibid. 509.

Rome Hormisda papa annis 9 et dimidio natione Campanus de Frisione. Cat. p. R.

Anglorum in Cantuaria Octa et filius eius Itinericus annis 53. W. Malm. 8.

Anno 509. Wisigothorum in Hispania Amalricus annis 16. Sig 509.512.

Circa hoc tempus obiit sancta Genovefa Parisius annis 80. ibid. 512.

Anno 511. Prima synodus Francorum, id est Aurelianensis. Secunda[37] celebrata est sub rege Clodoveo et beato Remigio de restauratione ecclesiarum. Aeg. Aur. I, 30.

Dicitur quod ab obitu beati Servacii usque ad hanc[i] synodum Aurelianensem vacavit sedes Tungrensis per annos 80 et amplius. Ab ista ergo synodo missus fuit domnus Agricolus undecimus Tungrensis episcopus, qui sedem suam habuit in Traiecto, ubi humatus erat beatus[k] Servacius. Huius successores fuerunt Ursinus, Designatus, Resignatus, Sulpicius. ibid. I, 31.

Treveris post Marum prefuerunt Volusianus, Miletus et Modestus, deinde Maximianus. Gesta Trev. c. 23.

Metis post Terencium Gonsolinus[l], Fernimius[m], Grammatius. Gesta ep. M. c. 19–21.

Apud Tullum Teufridus[n], pater ecclesie, Leudinus, Eborinus[o]. Gesta ep. T. c. 15–17.

Apud Coloniam post beatum Severinum Evergislus, deinde Solatius[p]. Cat. aep. Col.

Anno 513. Obiit rex Clodoveus et sepultus est Parisius in ecclesia beati Petri, que modo dicitur ad sanctam Genovefam. Greg. Turon. II, 43.

Ab hoc etiam anno incipiunt anni 50 Lotharii.

Regnaverunt autem simul quatuor filii Clodovei et inter se regnum partiti sunt. ibid. III, 1.

Primus de prima uxore[38] Theodericus Remis regnavit et tenuit Metim et Treverim[q] et Tungrim et omnes partes istas usque ad Renum et provinciam Francorum ultra Renum. Tres alii Clodovei filii de Crothilde Burgunda. Cuius talis exstat antiquitas: Rex Burgundie Gundoveus[r] de genere primi Athanarici Gothorum regis procreatus, quatuor habuit filios, Gundebaldum[s], Godegisilum, Chilpericum, patrem huius Crothildis, et Gothmarum. Gundebaldi filii fuerunt sanctus rex Sigismundus et Gothmarus[t] [39]. ibid. IV, 22. ibid. II, 23.

Tres igitur Clodovei filii de ista Crothilde: Clodomiris, pater sancti Clodoaldi presbyteri[u] [40], regnavit Aurelianis, cuius regnum tendebat versus Bituricas et Burgundiam, Childebertus regnavit ibid. IV, 22

a) *deest* 2. b) Terensius 1. c) Crisorigum 2 d) Antmundus 1. e) Michelis 1. f) Genebandum 2. g) Pictaniensis 1. h) regnavit 2. i) *deest* 2. k) sanctus 2. l) Gonsolius 1. m) Firminus 1. 2. n) Reufridus 2. o) Euborinus 2. p) Solanus 1. 2. q) Treverim et Metim 2. r) Burgondie Godoneus 2. s) Gund. et 2. t) et Goth. *desunt* 2. u) ex Radegunde regina nec non et Guntharii pater et Theudoaldi ex eadem Radegunde *add.* 1.

---

[35] Cf. Sigebertum ad annum 490.

[36] Cathalaunensis ep.

[37] Haec illaque una eademque est synodus; neque video cur Albricus Aegidium, qui synodum illam de restauratione ecclesiarum habitam expresse primam vocat, corrigendum esse censuerit.

[38] Cf. Greg. Turon. II, 28.

[39] Cf. Greg. Turon. III, 18.

[40] Cf. Greg. Turon. III, 6.

Fred. c. 42. Parisius, cuius regnum tendebat versus Turonim[a] et Pictavium et Neustriam, que modo Normannia dicitur, Lotharius regnavit Suessionis, cuius regnum tendebat versus Veromandiam et Flandriam et Pontinum.

Greg. Turon. III, 23. Qui supervixit omnibus fratribus et nepotibus suis, et ad ipsum extremo vite sue tempore totum devolutum est regnum. Dicendum igitur est[b] de primogenito Theoderico, quod 23 annis regnavit et[b] multas terras acquisivit.

Flod. H. R. I, 24. Floruit huius tempore sanctus Theodericus, beati Remigii discipulus, et fuit cuiusdam latronis filius, qui ipsum patrem suum postea fecit probatum monachum. Dicto etiam regi Theoderico oculum fere perditum restituit et eius filiam a morte suscitavit, unde rex idem dedit ei villam Gaugiacum, ubi modo est abbacia sancti Theoderici.

Sigeb. 513. Anno 514. Sanctus Arnulfus, quondam Turonensis episcopus, in silva Aquilina sepultus est; dicitur quod primo fuit comes de Reitesta[41].

Anno 517. Ab hoc anno per annos 20 specialiter floruit beatus[c] Benedictus.

ibid 517. Anno 518. Iustinus senior imperat annis 8.

Cat. p R. Rome Iohannes papa annis 3 et dimidio.

Sigeb. 518. Anno 519. Obiit sancta Brigida.

W. Malm 16. Rex Westsaxonum in Anglia Cerdius primus, de quo supra diximus, qui Vectam insulam optinuit[42] et per 24 annos regnaverat, abhinc per 15 annos fortior exstitit.

Tempore quatuor regum Francorum floruit sanctus Veranus episcopus Gavalitanus.

Sig. 519. 521. Anno 520. Langobardorum[d] Waltharich annis 7.

Rex Francorum Clodomiris occiditur.

ib. 521. 520. Anno 521. Persarum Kabades annis 16.

Wandalorum Hildericus annis 9.

Iohannes papa et Symachus patricius a Theoderico rege Ostrogothorum martirizantur[43].

Anno 522. Idem rex Theodericus Ostrogothorum de inferno in inferius[e] sepelitur.

Cat. p. R. Sigeb. 523. Rome Felix papa annis 4, natione Samnius[f]. Hic fuit attavus beati Remigii[44].

ibid. 523. Anno 523. Ostrogothorum Athalaricus[g] annis 7.

Cancellarius eiusdem Theoderici Ostrogothorum regis Cassiodorus senator floruit[45].

ib. 525. 524. Anno Domini[b] 525. Wisogothorum Theudo[h] annis 17.

Theodericus rex Francorum Thoringiam subegit.

ibid. 527. Anno 526. Iustinianus imperat annis 38.

ibid. 526. Anno 527. Longobardorum Audoin annis 17.

Cat. p. R. Anno 528. Rome Iohannes Mercurius natione Romanus annis 5.

Chron. S. Benig. 359. Anno 529. Sanctus Gregorius Lingonensis episcopus fundavit abbatiam sancti Benigni Divionensis. Huius filius Tetricus post eum Lingonensis episcopus.

Sigeb. 528. 531. 534. Anno 530. Wandalorum Gelismerus annis 4.

Ostrogothorum Theodatus annis 3.

ibid. 528. Anno 531. Priscianus gramaticus et Arator[i] poeta clarent.

ibid. 531. Anno 532. Sanctus Vedastus ordinatur primus Atrebatensis episcopus.

ibid. 534. Anno 533. Ostrogothorum Witigis anno 1.

Cat. p. R. Rome Agapitus papa natione Romanus anno 1.

Flod. H. R. I, 24. Obiit beatus Theodericus sancti Remigii discipulus Kalendas Iulii.

Cat. p. R. Anno 534. Rome Silverius papa natione Campanus, filius Hormisde pape, anno 1 et dimidio.

W. Malm. 16. Westsaxonum in Anglia Cenricus annis 24.

Sigeb. 534. Ostrogothorum Eldepadus anno 1.

ibid. 542. Wandalorum Guntharius anno 1; et finitum est regnum Wandalorum.

Cat. p. R. Anno 535. Rome Vigilius papa natione Romanus, filius Iohannis consulis, annis 17.

Fred. c. 30. 40. 46. Obiit rex Francorum Theodericus primus filius Clodovei[k] anno 23. regni sui, cui succedit filius suus Theodebertus[l] annis 14.

Sigeb. 535. Ostrogothorum Erarius anno 1.

ibid. 536. Anno 536. Ostrogothorum Totila annis 11.

ib. 537. 536. Anno 537. Persarum Cosdroe annis 37.

Obiit beatus Benedictus abbas.

ibid. 537. Anno 536. De Theophilo penitente per beatam Mariam reconciliato.

ibid. 538. Anno 539. De iuniore Benedicto in clibano proiecto.

ibid. 542. Anno 542. Theudegilus Wisigothorum[m] annis 2.

ibid. 544. Anno 543. Sanctus Herculanus Perusinus[n] martyrizatur.

ib. 544. 543. Anno 544. Wisigothorum Agilan annis 9.

Longobardorum Alboin[o] annis 24.

---

a) Turonum 1. b) *deest* 2. c) sanctus 2. d) Longob. 2. e) infernum 1. 2. f) Sannius 2. g) Athalarcus 1. h) Cheudo 2. i) Aratus 1. k) Clodevei 2. l) Theodericus 1. m) Wisogothorum 2. n) Perisinus 2. o) Albora 2.

[41] Réthel, départ. Ardennes.

[42] (Cerdicius) *fatum complevit regno toto praeter insulam Wehtam ad filium devoluto.* Wilh. Malm. l. c.

[43] Cf. Sigebertum ad an. 522. 523.

[44] Sigebertus: *Gregorii papae.*

[45] Cf. Sigebertum ad annum 528.

Anno 546. Obiit sanctus Remigius. De episcopis qui testamento eius subscripserunt adhuc vivebant[a] hii: sanctus Vedastus Atrebatensis, Genebaudus Laudunensis, sanctus Medardus Noviomensis et Lupus episcopus Suessionensis, filius fratris beati Remigii, et plures alii. Sigeb. 545. Flod. H. R. I, 18.

Unus discipulus beati Remigii Attolus[b] 12 xenodochia fecit. ibid. I, 23.

Beato Remigio[c] successit in episcopatu Romanus, deinde Flavius. ibid. II, 1.

Treveri post Maximianum sedit Febicius, deinde Abrunculus[d]. Gesta Trev. c. 23.

Tungris post Supplicium Quirillus, Eucherius, Falco, deinde Eucharius. Aeg. Aur. I, 31.

Metis post Gramacium, Agacimber[e], Sperus, Wilicus, Petrus. Gesta ep. Mett. 22-25.

Apud Cathalaunum sancto Alpino successit Amandinus et huic Florendinus et huic Providorus, deinde Predictor, quem sequitur Lupus.

Anno 547. Rege Totila perempto finitum est regnum Ostrogothorum, nisi quod quidam Teias super eorum reliquias biennio tyrannizavit, qui tandem interiit[46]. Sigeb. 546.

Hoc etiam anno in Anglia regnum Nordanimbrorum incipit, in quo primus regnavit Ida rex annis 11. Beda H. e. V, 24.

Anno 548. Floruit sanctus Agericus Virdunensis. Sigeb. 549.

Theodebertus rex in Italiam Bucellinum cum Francis misit. ibid. 548.

Anno 549. Obiit rex Francorum Theodebertus. ibid. 550.

Anno 550 Theodebaldus filius Theodeberti[f] regnat post patrem annis 7[47].

Quinta synodus universalis Constantinopolim tempore pape Virgilii. ibid. 551.

Anno 551. Hucusque hystoria Iordanis episcopi de Gothis pertingit.

Anno 552. Wisigothorum Atanachildus[g] annis 22. ibid. 553.

Anno 553. Rome Pelagius papa natione Romanus annis 2. Cat. p. R.

Anno 554. Obiit regina Crothildis. Sigeb. 554.

Anno 556. Obiit rex Francorum Theodebaldus anno 44. Lotharii[48]. Obiit rex Parisiensis[h] Childebertus et sepelitur apud Sanctum Vincencium Parisius. Greg. Tur. IV, 20.

Rex autem Aurelianensis Clodomirus ante alios iam erat mortuus, et ita Lotharius 6 annis totum regnum tenuit[48].

Item sanctus Medardus episcopus hoc anno decessit, quem rex Lotharius Suessionis sepelivit. Sigeb. 556. Greg. Tur. IV, 19.

Anno 558. Westsaxonum in Anglia Ceaulinus annis 31. W. Malm. 17.

Northdanimbrorum Alla annis 30. ibid. 45.

Anno 561. De sancto Brandano. Sigeb. 561.

Cantuarie Edisbertus annis 56. Beda II, 5.

Anno 563. Obiit rex Francorum Lotharius anno regni 51. Greg. Tur. IV, 21.

Cui successerunt[h] quatuor filii eius. Carembertus Parisius cum Aquitania, Guntramnus Aurelianis cum Burgundia, Sigebertus Remis cum Campania et superiori Francia et inferiori Germania, Celpericus[i] Suessionis, annis 21 cum adiacentibus mari Britannico simul conregnantes. ibid. IV, 22.

Dictus autem Lotharius duxit in uxorem Radegundem, neptem Ermefridi[49], Thoringie regis Bertharii filiam, sed illa de manu sancti Medardi velamen assumpsit et Pictavis congregationem dominarum nobilium instituit. ibid. II, 7. ibid. III, 7.

Anno 564. Rome Iohannes papa natione Romanus annis 12. Cat. p. R.

Anno 565. Iustinus iunior imperat annis 11. Sig. 565. 566.

In Scocia Columba presbyter claret, qui fundaverat Ardemach in Hybernia[50]. Abhinc incipe 150 annos secundum Merlinum.

Anno 566. Sanctus Samson Dolensis floruit. ibid. 566.

Anno 568. Longobardi indictione prima in Ytaliam venerunt, et abhinc Alboin super eos regnavit 6 annis[k]. ibid. 568.

Mahumeth ille maledictus et pseudopropheta nascitur in Arabia patre Abdimeneph ex progenie Ismael.

Anno 570. Obiit sanctus Vedastus. ibid. 570.

Anno 574. Wisigothorum Lemia et Levigildus annis 16. ibid. 575.

Persarum Hormisda annis 18. Longobardorum Cleph annis 2. ibid. 574.

Anno 576. Thyberius imperat annis 7. ibid. 577.

Rome Benedictus papa natione Romanus annis 5. Cat. p. R.

Longobardi super se duces statuerunt per annos 10. Sigeb. 573.

Anno 577. De errore pasche in Hyspania secundum hystoriam Francorum. Greg. Tur. V, 17.

Obiit sanctus Maurus abbas et levita anno 40. ab obitu beati Benedicti. Per hoc quod beatus Maurus non accepit ordinem sacerdotii, per hoc conicio beatum Benedictum non fuisse sacerdotem sed dyaconum.

Treveris Rusticus prefuit episcopus, tempore Sigeberti, qui per beatum Goarem fuit correctus[l], et hoc tempore idem sanctus obiit ante mortem dicti Sigeberti. Gesta Trev. c. 23.

a) viv. adhuc 2. b) *deest* 2. c) Remigii 2. d) Abriniculus 1. e) Agacumber 2. f) Theodebaldi 1. g) pater Brunechildis *add.* 1. h) ex Radegunde nepte Emenfridi Thoringie regis Bertharii filia *add.* 1. i) Olpericus 1. k) annis 6 2. l) correptus 2.

46) Cf. Sigebertum ad an. 548. 47) Cf. Sigebertum ad an. 556. 48) Hosce annos noster ex iis, quae sub 563 sive Gregorio Turon. IV, 21, sive Sigeberto deprompsit, computasse videtur. 49) Cf. Gregor. Turon. III, 4. 50) Cf. Beda H. e. III, 4.

Aeg. Aur. I, 32. Tungris post Eucharium sedit sanctus Domicianus decimus ab Agricolo, a Materno vicesimus.

Cat. aep. Col. Colonie post Solanum sedit Suneveus [a], deinde Remedius.

Gesta ep. M. c. 26. 27. Metis post Petrum nepos Chlodovei ex filia [b] Aigulfus, deinde Arnualdus.

Gesta ep. T. c. 18. 19. Apud Tullum post Eborinum Emerceus, deinde Magnaldus.

Apud Cathaulaunum post Lupum Papio, Eucharius, Theumodus, deinde sanctus Elasius.

Greg. Turon. IV, 25. Rex Sigebertus occiditur inmissu male uxoris sue Brunechildis et sepelitur Suessionis ad Sanctum Medardum cum patre suo Lothario. Succedit filius suus Childebertus per annos 23[51].

Aeg. Aur. I, 32. Sub hoc autem Childeberto celebratum est Aurelianense concilium tertium, cui interfuit sanctus Domicianus Tungrensis episcopus.

Flod. H. R. IV, 38. ibid. IV, 39. ibid. IV, 40. Ex hystoria Remensi: Idem Sigebertus rex alium habuit filium, qui dictus est sanctus Baldricus presbyter et abbas. Hic fecit Remis monasterium puellarum sancti Petri et ibi sancta Bona soror sua prima fuit [c] abbatissa, secunda abbatissa neptis eiusdem sancta Doda. Hic sanctus Baldricus querens postea heremitorium, venit ad locum ubi modo est mons Falconis, et ibi avis que dicitur falco eum conduxit, ibique monachorum abbaciam instituit et multa miracula fecit.

ibid. II, 1. Remis Flavio successit Mapinus, deinde Egidius.

Sigeb. 578. Anno 579. Obiit sanctus Germanus Parisiensis episcopus.

Cat. p. R. Anno 581. Rome Pelagius papa natione Romanus annis 10.

Sigeb. 583. Anno 583. Mauricius imperat annis 20.

ibid. 587. Anno 584. Rex Francorum Suessionis Chilpericus inmissu uxoris Fredegundis occiditur, iacet ad Sanctum [d] Vincencium Parisius[52], id est ad Sanctum Germanum de Pratis, succedit Lotharius filius eius adhuc parvulus annis 44.

Beda H. e. II, 20. Anno 585. Secundum hystoriam Britonum et Anglorum Eduwinus, qui postea rex fuit, nascitur[53].

Sig. 586. 592. Anno 586. Longobardorum Atharith [e] annis 7.

Flod. H. R. II, 2. Anno 587. Archiepiscopus Remensis Egidius [d] a potentissimo rege Guntramno in concilio Metensi fuit depositus et apud Strauburc exiliatus.

W. Malm. 17. Beda H. e. II, 5. Anno 589. In Anglia obiit Ceaulinus [f] Westsaxonum rex, qui secundus supra ceteros regulos infra Humbrum potentior fuit. Nam primus fuerat quidam Ella rex australium Saxonum, tertius fuit rex Edilbertus Cantuariorum.

W. Malm. 17. Ceaulino succedit Celricus filius Eude fratris eius annis 5.

ibid. 46. Nortdanhinbrorum Ethelricus annis 4 Ide filius.

Sig. 591. 589. Anno 590. Wisigothorum Richaredus annis 15.

De Ermigildo a patre occiso.

Cat. p. R. Anno 591. Rome Gregorius magnus natione Romanus papa eligitur annis 14.

Sigeb. 591. Persarum Cosdroe persecutor regnat annis 36.

Gesta Trev. c. 23. Anno 592. Treverensi episcopo Rustico succedit Aponoculus.

Cuius tempore fuit Hildius Avernensis [g].

Apud Cathalaunum [h] sancto Elasio succedit sanctus [d] Leudomirus frater eius.

Flod. H. R. II, 2 ibid II, 4. ibid. II, 1. ibid. II, 3. Remis ut supra dictum est episcopo Egidio deposito, cuius laudem Fortunatus versibus declaravit, succedit Romulfus filius ducis Lupi, frater Iohannis ducis [i]. Tempore autem Remensis episcopi Mapini predecessoris Egidii Suavegotta regina cum filia Theudechilda [k] Viriziacum fundaverat. Vir ergo nobilis sanctus Basolus de Lemovicinia venerat, qui Viriziacum intravit, quando iam erat abbacia monachorum 12, et ibi fontem miraculose fecit, ubi et obiit 6. Kalendas Decembris.

Sigeb. 593. Anno 593. Hucusque Gregorius Turonensis.

ibid. 592. Longobardorum Agilulfus annis 25.

Fred. c. 11. Hoc anno qui est Guntramni regis [l] 30. facta est inventio tunice inconsutilis.

Sigeb. 593. Anno 594. Philtanus rex Hibernie pater sancti Fursei.

Beda H. e. I, 34. Nortdanhinbrorum Edilfridus annis 24.

Aeg. Aur. I, 32. Anno 595. Episcopo Domiciano Tungrensi succedit Monulphus, deinde Gondulphus [m]; Monulphus [m] sedem episcopalem in Traiecto constituit.

Sigeb. 595. Gaugericus episcopus Cameracensis claret.

Fred. c. 14. Anno 596. Obiit Guntramnus rex Francorum anno regni sui 33.

ibid. c. 1. Ipse est qui thesauros suos dedit pauperibus et ecclesiis.

ibid. c. 14. Rex autem Childebertus factus est heres patrui sui Guntramni.

Sigeb. 595. Arriane perfidie renunciant Wisigothi 62 episcopi.

Fred. c. 16. Anno 597. Obiit rex Francorum Childebertus, cui successerunt duo filii eius: Theodericus in Burgundia sedem habens Aurelianis, Theodebertus in Austria [n] sedem habens Metis.

Sigeb. 598. Obiit abbas Columba in Scocia in insula que dicitur Hii[54].

Beda H. e. I, 25. Augustinus [o] a beato Gregorio missus est in Angliam cum sociis 40.

ib. I, 26. 23. Rex Cantuariorum Edilbertus baptizatur cum gente sua, adventus Anglorum in Britanniam anno 150.

Eodem anno fuit destructio monasterii sancti Benedicti in Monte Cassino [p].

Beatus Gregorius scribit dyalogum.

ibid. I, 25. Predictus rex Edelbertus iam habebat uxorem christianam nomine Bertam de gente [q] Francorum, que venerat cum episcopo Leuthardo.

a) Sunemerus 2. b) nepos Chlodophei ex filia *desunt* 2. c) fuit prima 2. d) *deest* 2. e) Anterith 2. f) Ceanlinus 2. g) Arvernensis 2. h) Cauthaulunum 2. i) ducis Iohannis 1, *cum Flodoardo convenit* 2. k) Theudechilla 2. l) *deest* 2. m) Gundulphus 2. n) qui ex concubina procreatus est *add.* 1. o) Agustinus 1. p) Cassiano 1. q) genere 2.

51) Cf. Sigebertum ad an. 600. 52) Ex Greg. Turon. VI, 46. 53) Beda l. c. Aeduinum, quum annorum 48 esset, anno Domini 633. occisum esse refert. 54) Ex Beda H. e. I, 24.

Anno 601. Beatus Gregorius misit Augustino pallii dignitatem, Mellitum, Iustum, Paulinum et alios. Beda H. e. I, 29.

Ordinati sunt Mellitus in [a] Lundonia, Iustus in [a] Roucestria. ibid. II, 3.

Anno 602. Beatus Columbanus veniens a Scocia et Hibernia, fundavit Luxovium in Burgundia. Sigeb. 602.

Anno 604. Focas imperat annis 8. ibid. 604.

Inventio corporis [b] sancti Victoris castro Soladoro. ibid. 608.

Anno 605. Obiit beatus Gregorius Rome. Beda H. e. II, 1.

Ab hoc anno prefuit papa Sabinianus natione Tuscus de civitate Blera anno 1 et dimidio. Cat. p. R.

Wisigothorum Bethericus annis 7. Sigeb. 606.

Anno 606. Augustinus Cantuarie moriens Laurencium pro se instituit. Beda H. e. II, 3. 4.

Anno 607. Rome Bonifacius papa natione Romanus anno 1. Cat. p. R.

Hic est primus annus alhigere secundum Sarracenos, ex quo scilicet Mahumet cepit eos seducere.

Anno 608. Rome Bonifacius papa natione Marsus de civitate Valeria annis 6 [c]. Cat. p. R.

Westsaxonum filius Celrici [d] Cisnegilus annis 31. W. Malm. 18.

Anno 609. De ecclesia Pantheon Rome. Sigeb. 609.

Anno 610. Floruit sanctus Austregisilus [e] Bituriensis et sub eo sanctus Sulpicius frater sancti Austregisili. Fuit sanctus Aregisus [f] primus Nivernensis episcopus. ibid. 627.

Anno 611. Eraclius [g] annis 31. Persecutio sancti Columbani. Sig. 612. 614.

Anno 612. Wisigothorum Sisebutus [h] annis 29. Sanctus Desiderius Viennensis lapidatur. ib. 613. 612.

Anno 613. De pollice sancti Iohannis baptiste. Apud Maurientiam de tribus guttis sanguinis. ibid. 613.

Anno 614. Rome Deusdedit papa natione Romanus sedit annis 3 et dimidio. Cat. p. R.

Pro ducatu Dentiloni Theodericus contra Lotharium. Fred. c. 38.

Anno 615. Annus quintus Eraclii fuit quartus annus [b] Sisebuti [i, 54*].

Sancta Glodesindis [k] Metensis. Sigeb. 615.

Anno 616. Obiit rex Edilbertus Cantuariensis christianus super ceteros regulos potentior tertius in ordine. Quartus in ordine potentior dictus est Redualdus orientalium Anglorum rex, filius Titili, filii Wffa [55]. Ab isto dicta est civitas Uxala, quasi Wffi aula, in Suecia. Quintus potentior ceteris fuit rex Edwinus, sextus sanctus rex Oswaldus, septimus rex Oswi frater eius. Succedit regi Edilberto Eadbaldus filius eius annis 24 [56]. Beda H. e. II, 5.

Sanctus Lupus Senone. Sigeb. 616.

Theodebertus rex Austrie obiit Colonie [57], et frater eius Theodericus rex Burgundie [l] per Brunechildem aviam suam [58] interiit Methis. Et eodem anno iudicio Francorum Brunechildis interiit, sepulta est Edue in Anglia [59]. Fred. c. 38. 39. ibid. c. 42.

Anno 617. Francorum Lotharius annis 11. super totum regnum.

Nortdanimbrorum Edwinus annis [m] 17. Super Britones Cadvallo rex. Beda H. e. II, 20

Circa hoc tempus electus est [n] in ecclesia Treverensi sanctus Gallus sancti Columbani discipulus [60], sed non concessus; et ordinatus est sanctus Nicetius, et post eum discipulus eius Magnericus et huius discipulus Gaugericus fuit episcopus Cameracensis [o, 64]. Huic Magnerico successit in episcopatu [p] Sabaudus, deinde Severinus, qui postea apud Burdegalam Amando successit in episcopatu. Gesta Trev. c. 24.

Tungris post sanctum Gondulfum sanctus Perpetuus, qui apud Dyonantum castrum sepultus, deinde sanctus Ebregisus [q], qui in Trutmonia sepultus fuit [r], postea Coloniam fuit translatus. Aeg. Aur. I, 35. ibid. I, 36.

Anno 618. Rome Bonifacius natione Campanus annis 6. Cat. p. R

Obiit Laurencius Anglorum episcopus, cui [n] succedit Mellitus [62]. Sigeb. 619.

Longobardorum Adaloaldus annis 12. ibid. 617.

Anno 619. Alexandria a Persis capta est. Obiit sanctus Iohannes elemosinarius in Cypro. ibid. 618.

Anno 620. Lotharius rex Dagobertum filium suum commiserat educandum Pippino principi, Karlomanni filio, et Arnulfo illustri cognato suo [63].

De sancto Anastasio martyre. ibid. 620.

Anno 622. Ab hoc anno Eraclius imperator iter arripuit contra Persidem. ibid. 624.

Obiit sanctus Columbanus abbas apud Bobium in Ytalia. Huius discipuli clarent sanctus Gallus, cuius frater sanctus Deicolus, item sanctus Walericus, Eustasius abbas Luxoviensis et Attila Bobiensis. ibid. 622. ibid. 624.

Anno 623. Obiit archiepiscopus Mellitus, succedit Iustus Roucestrie episcopus. Beda H. e. II, 7.

Anno 624. Rome Honorius papa natione Campanus annis 12, filius Petronii consulis. Cat. p. R.

---

a) et 1. b) *deest* 2. c) de — 6 *desunt* 1. d) Celerici 2. e) Austregisilius 1. f) Austregisilus 2. g) Eraclidus 1. h) Sesebutus 2. i) Sesebuti 2. k) filia Lotharii primi *add.* 1. l) rex Burg. Theod. 2. m) annos 1. n) *deest* 1. o) Camaracensis 2. p) Cameracensi *add.* 1. q) Ebrigisus 2. r) *deest* 2.

[54*] Isidorus: *Anno imperii Eraclii secundo Sisebutus post Gundemarum regali fastigio evocatur.* Chron. Gothorum ed. Grotius 728. [55] E Beda H. e. II, 15. [56] Anno 616. Aedilbercti patrem et Aedilberctum ipsum anno 640. obiisse quum Beda H. e. II, 5 et III, 7 narrasset, noster Aedilbrectum annis 24 regnasse effecit. [57] *Exercitu a Tolbiaco usque Coloniam trucidato,* narrat Fredegarus cap. 38 Theudebertum Cabillonum deductum esse. [58] Cf. Fredeg. c. 42. [59] Error. Aedua in Burgundia sita est et apud plerosque medii aevi scriptores Augustodunum nuncupatur, hodie Autun. Ibi sepultam esse Brunichildam affirmat Hugo Flav. M. G. SS. VIII, 337. [60] Cf. Sigeb. ad annum 622. [61] Duce Sigeberto ad annum 594 correxit noster Gesta Trev., quorum auctor Gaugericum ecclesiae Trevirensi praefuisse refert. [62] E Beda H. e. II, 7. [63] Cf. Fredeg. c. 42.

Beda H. e. II, 9. 14. Anno 625. Paulinus ordinatus a Iusto mittitur Eboracum.

G. Malm. 74. Anno 626. regnum Merciorum in Anglia incipit.

Fred. c. 48. Super Windos in Sclavia[a] regnavit primus Samon annis 35.

Fredeg. 54. Warnacharius maior domus[b] obiit.

Cat. aep. Colon. Florebat sanctus Chunibertus Coloniensis episcopus per annos 40.

Cuius etiam tempore floruit sanctus agricola Iohannes, qui dictus est Agnus Tungrensis episcopus, qui per virgam florentem et per verba sancti Memnonis[c] transmarini miraculose ex cive Hoiensi[d] factus est episcopus[64].

Gesta ep. M. c 28. 29. Metis post Arnualdum[e] sedit Papolus, deinde sanctus Arnulfus.

Apud Cathalaunum[f] sancto Leudomiro successerat Felix episcopus.

Flod. H. R. II, 5. Remis episcopo Romulfo successit Sonacius. Iste Sonacius[g] concilium tenuit 40 episcoporum, inter quos nominati sunt Cunibertus Coloniensis, Modoaldus Treverensis, Arnulfus Metensis, Felix Cathalaunensis, Sulpicius Bituricensis, Theodericus Lugdunensis, Sindulfus Viennensis, Modegisilus Turonensis, Richerius Senonensis, Donatus Bisuntinensis, Modoaldus Lingonensis, Bertegesilus Carnotensis, Palladius Antisiodorensis, Gondoaldus Meldensis, Leudebertus Parisiensis, Godo Virdunensis, Ansericus[h] Suessionensis, Berthoaldus Cameracensis, Iohannes Pictavensis, Agomarus Silvanectensis, Lupoaldus Magonciacensis[i].

Ante istum Lupoaldum[k] fuerunt isti per ordinem episcopi[l]: sanctus Crescencius, Martinus, Bocladus, Soffronius, Rotharius, Aureus frater sancte Iustine virginis et martyris, Maximus, Sydonius, Sigimundus, Leugusius, Bezelinus, Lantwaldus[m], Lupoaldus supra dictus[65]. Cui successerunt isti: Sigibertus, Geroldus[n], Gowilip, Bonifacius qui martir occubuit Nonas Iunii.

Anno 627. Cyclus sancti Ysidori era 666.

Beda De sex aet. 195. In Anglia Nortdanimbrorum rex Edwinus baptizatus est, adventus Anglorum anno 180.

Fred. c. 56. Anno 628. Obiit rex Francorum Lotharius qui apud Sanctum Vincencium Parisius sepultus est[o]. Cui successit Dagobertus rex[p] inclitus filius eius[q] ab isto anno per annos 16[66].

Anno 629.

Anno 630. Longobardis Arioaldus annis 2[67].

Sigeb. 630. Obiit sanctus Bavo.

ibid. 631. Exaltatio sancte crucis.

Anno 631. Machometus[r] interiit post 10 annos sue maioris tyrannidis, succedit ei Ebubeber[s], qui et Bochara[t], cognatus eius[t*], annis 3[68].

ibid. 630. Anno 632. Longobardis Rotharith[u] annis 16.

Beda H. e. III, 7. Westsaxonum in Anglia cum rege Chisnegislo baptizati sunt.

ibid. II, 20. Anno 633. In Anglia rex Edwinus christianus 48. anno[v] etatis a Peanda rege Merciorum pagano occisus est.

Liber tertius Bede incipit et liber Elinandi.

Aeg. Aur. I, 44. Anno 634. Filius Dagoberti puer Sigebertus baptizatus est a beato Amando, et idem Amandus factus est Tungrensis episcopus. Tribus annis solummodo prefuit ac[w] deinde predicationem ad exteras gentes aggressus est.

ibid. I, 49. Sanctus vero Landoaldus vices episcopatus sub eo per 9[x] annos amministravit.

ibid. II, 5. Qui beatum Lambertum a puero enutrivit.

Sigeb. 635. Sarracenorum Haumar qui et Himmarus annis 12.

Beda H. e. III, 3. Anno 635. In Anglia sanctus Aidanus fit primus episcopus Lindisfarnensis.

HugoS.Vict. 120. Anno 636. Rome[y] Severinus papa annis 2 et dimidio[69].

Fred. c. 57. Obiit Herbertus frater Dagoberti.

Regnum Navarrorum in Hyspania Sisenandus.

Sigeb. 638. Anno 637. Floruit Romaricus abbas, a quo Romerici Mons[70] dicitur.

ibid. 640. Anno 638. Dagobertus filium suum Sigebertum puerum regem fecit in Austria, sub tutela Pipini et Cuniberti Coloniensis episcopi.

ibid. 637. Sanctus Eligius[z] fundavit Sollempniacum monasterium in dyocesi Lemovicensi, ubi primum abbatem sanctum Remaclum instituit[71].

---

a) Sclavia ubi 1. 2. b) Domnus 1. c) Memnoni 2. d) Honensi 1. e) Aruualdum 1. f) Cathaulaunum 2. g) Sonachius 1. h) Ausericus 2. i) Magoncianensis 1; Maguncciacensis 2. k) Lupoldum 2. l) ep. per ord. 2. m) Lancwaldus 2. n) Gerorldus 2. o) sep. est Par. 1. p) rex Dag. 1. q) cuius mater Bertrudis vocabatur *add.* 1. r) Machomerus 2. s) Ebuleber 2. t) Bochora 2. t*) cognatus eius *deest* 2. u) Rothorath 2. v) *deest* 2. w) ad 2. x) tres 2. y) *deest* 1. z) Egidius 2.

64) Eadem de Iohanne episcopo inveniuntur apud Aegid. Aureavall. I, 37—39. Cuius codex Aureavallensis, quum nota marginalis eundem quoque annum praebeat, adhibitus esse videri potest. Quod vero ne statuamus, nomen vetat sancti illius transmarini ab Aegidio haud traditum. Forte noster, interpolator scilicet, sequitur vitam Iohannis Agni, quam in pervetusto arcis Hoyensis codice contentam Chapeaville I, 72 laudat. 65) Haec episcoporum nomina iam anno 427. occurrerunt; certe Albricus hic illic eodem Moguntinensium catalogo usus est. 66) Non ab isto quo pater mortuus est anno, sed ab anno, quo a patre in regnum ascitus est, Dagobertus 16 annis regnavit. Cf. Fredeg. ad an. 637. 67) *Adaloaldus — regnant annis* 12. Sigeb. 617. 68) Cf. Sigeb. ad an. 632. a quo vero noster rebus et verbis ita differt, ut eum illius chronicon descripsisse negem. 69) Gesta: *menses* 2, *dies* 4. 70) Remiremont. 71) Solempniaci Remaclum, qui adhuc in saeculo deguerat, primo vita monastica ab Eligio fundatore instructum esse,

Sanctus Dado, qui Audoenus dictus est, fundavit Resbacum, ubi fuit primus abbas sanctus Agilus. Sigeb. 637.

Anno 639. Iohannes papa natione Dalmacius anno 1 et dimidio. Cat. p. R.

In Anglia Westsaxonum rex Kenwalkius[a] annis 31. W. Malm. 32.

Anno 640. Eadbaldus rex Cantuariorum moritur, eique succedit filius eius Earcombertus annis 24. Sigeb. 640.

Anno 641. Theodorus papa natione Grecus, filius Theodori patriarche Ierosolimorum, annis 4 et dimidio. Cat. p. R.

Wisigothorum in Hyspania Sentila annis 2. Sigeb. 642.

Sancta Aurea, sancta Reginulfa. ib. 637. 643.

Anno 642. Heraclonas cum matre Martina imperat anno 1. ibid. 642.

Passio sancti Oswaldi regis Nortdanimbrorum. Beda H. e. III, 9.

Anno 643. Constantinus filius Constantini filii Heraclii imperat annis 26. Sigeb. 643.

Anno 644. Haumar Sarracenorum templum cepit edificare in Iherusalem. ibid. 644.

Obiit rex Dagobertus, qui multa bona contulit ecclesie, sepultus est apud Sanctum Dyonisium Parisius. Hic primum conventum monachorum sancti Dyonisii adduxerat ab abbacia sancti Mauricii Agaunensi[b]. ibid. 645. Fred. c. 79.

Successit ei in regno filius eius Clodoveus in Neustria, id est in nova Francia, per annos 17, vivente adhuc Sigeberto in Austria. Sigeb. 645.

Metis sancto Arnulfo successerat sanctus Goericus, post quem fuit Godo episcopus. Gesta ep. M. c. 30. 31.

Hic dicendum est, quod primi[c] filia Lotharii Blithildis, soror Guntranni regis et Chilperici et aliorum, duci Ansberto illustri viro peperit ducem Arnoldum[d] et Ferreolum, qui fuit episcopus in Utra civitate, ubi martyr factus est, et Modericum episcopum in Arisido[e], ubi confessor quievit, et Tharsiam[f] virginem, que Redonis obiit. Dux Arnoldus genuit ducem Arnulfum[g]; dux Arnulfus sanctus, antequam fieret Metensis episcopus, de Doda tres genuit filios, ducem Ansigisum et Clodulfum Metensem episcopum[72] et Walchisum, patrem sancti Wandreggisili Fontenellensis[h. 73]. De sorore natus est sanctus Godo de Oyo filius comitis Virdunensis[74]. Dux Ansigisus, qui et Anchises, duxit sanctam Beggam, sororem sancte Gertrudis de Nivella, filiam scilicet primi Pipini filii Karlomanni, et genuit ducem Pipinum patrem Karoli Martelli. Geneal. dom. Carol. c. 1. ibid. c. 2.

Apud Tullum episcopo Magnaldo successerat Dodo et huic Girbaldus[i] et huic Godo. Tempore huius Girbaldi sanctus Deodatus fuit electus in archiepiscopum Treverensem[k], sed resignavit et factus est heremita. Gesta ep. T. c. 19–21.

Apud Cathalaunum Felici episcopo succedit Rannebaudus[l] et huic Landebertus et huic Aurulfus.

Remis archiepiscopo Sonnancio succedit Leudegisilus, qui fuit frater Attile, Laudunensis[75] episcopi, et tempore regis Dagoberti et episcopi Abbonis Trecensis. Sequitur Angelbertus, cuius tempore fuit Gallus Avernensis[m]; hunc sequitur Lando, qui sepultus apud Sanctum Remigium, tempore regis Sigeberti secundi. Flod. H. R. II, 6.

Filibertus fuit secundus abbas[n] Resbacensis. V. s. Filib. c. 5.

Anno 645. Martinus papa annis 8. Cat. p. R.

Anno 646, Clodovei tertio et Martini pape secundo, ordinantur episcopi Eligius Noviomensis et Audoenus Rothomagensis. Sigeb. 649.

Sarracenis Odmen, qui et Humen[o], annis 10. ibid. 646.

Anno 647. Sanctus Remaclus ordinatur Traiectensis episcopus, vivente adhuc antecessore suo sancto Amando et verbum Dei ubique predicante. Duo isti, sanctus Amandus et sanctus Remaclus, et eiusdem Remacli discipulus sanctus Hadelinus de Cellis, venerunt de Aquitania. Aeg. Aur. I, 49–51.

Post Modoaldum Treverensem episcopum, qui fuit frater[p] Itte[q], matris sancte Gertrudis[76], promotus est[r] apud Treverim Numerianus et post eum vir nobilis, qui fuerat abbas, nomine Basinus. Gesta Trev. c. 24.

Anno 648. Longobardis Rodoaldus annis 3. Sigeb. 646.

Anno 649. Sanctus Autbertus Cameracensis, Landelinus Lobiensis[s], Gislenus[t] Cellensis. ib. 650. 651.

Anno 650. Sanctus Furseus venit de Hibernia. ibid. 648.

Vincencius Altimontis, Aldegundis et Waldetrudis. ibid. 651.

Anno 651. Longobardis Haripert annis 9.

Concilium Martini pape. ibid. 652.

Obiit sanctus Aidanus in Anglia, cui successit Finianus episcopus annis 10. Beda H. e. III, 17. 2.

In Austria rex Sigebertus fundavit 12 monasteria, inter que eminent Stabulaus et Malmundarium et abbacia sancti Martini Metensis[77]. Sigeb. 651.

Primo factum fuit[r] Malmundarium quasi a spurciciis idolorum emundatum, Agrippinensis dyocesis; deinde Stabulaus, sic dictum quia ibi[u] fuit bestiarum silvestrium stabulum, Tungrensis dyocesis. Aeg. Aur. I, 55. 56.

Et beatus Remaclus episcopatu dimisso, in ipso recepit, quem non dimiserat habitum. Cui sanctus Theodardus in episcopatu successit[v]. Sigeb. 651. Auct. Gemb. 651.

In Colonia post sanctum Cunibertum sedit Rothadus, deinde Stephanus et[r] post Aldewinus. Cat. aep. Col.

---

a) Kenwarius 1; Kenwalrius 2. b) Auganensi 2. c) prima 2, *corr. man. post.* primi. d) qui a quibusdam Boggesius nuncupatur 1. e) Arilido 2. f) Charsiam 2. g) ex sancto Oda 1. h) Walch. pat. sancti Wandregisili Font. et Clod. Met. ep. 2. i) Girbauldus 2. k) *Corrige:* episcopum Nevernsem. l) Ranabaudus 2. m) Aliuensis 2. n) abb. sec. 2. o) Human 2. p) mater 2. q) Vitle 1. r) *deest* 2. s) Labiensis 2. t) Gillenus 2. u) ibidem 2. v) successerat 2.

ac deinde Eligio ad res mundanas reverso munus abbatis subiisse constat. [72] Cf. Gesta Trev. c. 24. Gesta ep. Mettens. c. 32. [73] Cf. ea quae ad annum 690. Sigeberto duce de sancto Wandregisilo narrat. [74] Cf. Vitam s. Godonis c. 1. [75] *Laudunensis* addit e cap. 7. [76] Verba: *qui — Gertrudis* e Sigeberto ad 646. addita sunt. [77] Cf. Sigeb. vit. Sigeb. reg. c. 2.

Sigeb. 657. Anno 652. Fundata fuit hoc tempore abbacia Lobiensis[a] et in dyocesi Aurelianensi abbacia sancti Benedicti, que dicitur Floriacensis.

Beda H. e. III, 24. In Anglia Wenda filius Pende christianus occisus est.

ibid. III, 20. Obiit Honorius archiepiscopus, succedit Deusdedit.

Cat. p. R. Anno 653. Eugenius fit papa annis 3.

Quedam hystoria de rege Floovenz[b], Clodovei filio. Huius filia Helvidis data Iustamundo regi Saxonum peperit Brunomundum et heredes Withecindi[c].

Sigeb. 651. Anno 654. Etto[d], Bertuinus, sanctus Trudo et[e] sanctus Agiulfus[f] de Pruvino[g].

ibid. 656. ibid. 653. Anno 655. Rex Sigebertus moritur et Metis sepelitur[77]. Sanctus Iudocus[h] filius regis Britonum claruit.

Cat. p. R. Anno 656. Vitalianus papa ordinatur per annos 14, qui regulam ecclesiasticam atque vigorem omnino conservavit.

Guil. Malm. 75. 77. In Anglia Merciorum Wlfere sub patre suo Penda regnare cepit annis 19.

Sarracenorum Hali annis 3 et dimidio.

Sigeb. 658. Sancto Theodardo episcopo martirizato sanctus Lambertus, Apri comitis filius, factus est Traiectensis episcopus. Prefuit circiter 43 annis, conputatis illis septem annis, quibus in medio tempore fuit depositus[78].

Anno 657. Hysidorus episcopus Hispalensis librum ethimologiarum edidit.

ibid. 658. Anno 658. De sancto Audomaro Tarwanensi[i] episcopo et de cecitate eius.

Anno 659. Sarracenorum Alhacen filius Haly anno[k] dimidio.

Anno 660. Sarracenorum Moawi, qui et Muhamas, annis 18.

ibid. 660. Longobardorum Bertharith et Godipert anno 1.

ibid. 662. Anno 661. Francorum Lotharius Clodovei, id est Ludowici, filius annis 4.

ib. 661. 664. Longobardorum Grimoaldus annis 9.

Wisigothorum Chintilan annis 17.

ibid. 662. Obiit maior domus[k] Erchenoaldus.

ibid. 661. Hic sanctus Amandus obiit episcopus quondam Traiectensis. Quod autem Elnonensis dicitur[79], a loco in quo sepultus est sortitur[80].

V. s. Filib. c. 7. Sanctus Philibertus fundavit Gemeticum[l].

Sigeb. 662. Et Batildis fundavit Corbeiam.

Flod. H. R. II, 7. Anno 662. Fundatio Altivillaris[81] cenobii. Archiepiscopo Remensi Landoni successerat sanctus Nino[m] qui et Nivardus. Hic ad petitionem sancti Bercharii[n] fundavit abbaciam Altivillaris, in qua primum abbatem V. s. Bercharii c. 10. instituit Bercharium[o], filium ducis Lemovicensis, qui discipulus fuit sancti Remacli[82] et postea monachus Luxoviensis, ubi fecit insigne miraculum de vino de dolio dimisso, quod modium exire non potuit, sed in modum columpne crevit in rotundum, per obedientiam, qua citissime ad abbatem cucurrit. Erant in Luxovio 600 monachi.

Flod. H. R. II, 7. Obiit sanctus Nivardus Remensis archiepiscopus apud Altum Villare, reportatus est apud Sanctum Remigium.

ibid. II, 8. ibid. II, 9. ibid. IV, 46. ibid. IV, 47. Corpus beati Policarpi presbyteri sodalis beati Sebastiani et ossa sancti Sindulfi presbyteri apud Altum Villare translata sunt. Frater autem sancti Nivardi[83] domnus Gundebertus fundavit quoddam[p] puellarum monasterium Remis ad portam basilicam. Qui postea cruce signatus ultra mare decollatus est pro Christo. Eius relicta sancta Berta fundavit Avenniacum puellarum et ibi fecit fontem mirabilem. Instinctu quorundam privignorum suorum fuit martirizata. Montia neptis domni Gundeberti retulit corpus eius et iuxta sanctam Bertam sepelivit.

Beda H. e. III, 26. In Anglia Finiano episcopo succedit Colmannus annis 3.

Anno 663.

Beda H. e. III, 24. Anno 664. In Anglia Penda rex paganus Merciorum periit. Abhinc Wlfere per annos 11.

ibid. IV, 4. Colomannus in Hiberniam reversus fecit abbaciam de Magio.

ibid. III, 28. Ordinatus est magnus Wilfridus a Parisiensi Agilberto.

Sig. 666 667. Anno 665. Francorum mortuo Lothario rege, Theodericus frater eius anno 1.

ibid. 665. Cantuariorum Egbertus annis 9.

Britonum Cadualadrus[q] annis 12[84].

ib. 667. 679. Anno 666. Theoderico rege a Francis reprobato, frater eius Hildricus annis 12 regnavit.

V. s. Bercharii c. 22. 24. Qui rex dedit sancto Berchario saltum Dervense et Wasseium, et ita fundata est abbacia monasterii Dervensis.

Sigeb. 664. Obiit sancta Gertrudis Nivellensis[r].

Episcopus Cathalaunensis post Aurulfum erat Berthoindus.

ibid. 667. Item dux Wlfoaldus fundavit monasterium sancti Michaelis super Mosam in dyocesi Virdunensi.

V. s. Rodingi c. 1–4. Et quidam sanctus Crodingus, relicto episcopatu suo in Scocia, venit et habitavit quasi heremita in nemoribus de Argona, et hac occasione fundata est abbacia Belli Loci. Tres[85] iste in partibus istis fundate unius fere antiquitatis.

---

a) Lonbiensis 1. b) ab isto descendunt duces Saxonum *add.* 1. c) Wichetindi 2. d) Otto 1. e) *deest* 2. f) Argiulfus 2. g) Priminio 2. h) *deest* 1. i) Taruanensi 2. k) domnus 1. l) Gemericum 2. m) Nivo 1. n) Bertharii 1. o) Becharium 2. p) quondam 1. q) Cadualarus 2. r) neptis sancte Waldrudis secundum quod in legenda sua habetur 1.

78) Cf. Aegid. Aureavall. II, 7 et codicis Aureavall. annotationem marginalem, quam Chapeaville I, 122 dedit. 79) Elnonensem eum dicit Sigeb. ad annum 661. 80) Cf. Aegid. Aureavall. I, 46. 81) Hautvillers, départ. Marne, arrond. Réthel. 82) Corrige: *Nivardi.* 83) Cf. Flodoard. H. R. II, 10. 84) Cf. Galfredi Monemut. Hist. Brit. XII, 14. 85) Beaulieu-en-Argonne scilicet, Saint-Mihiel et Monstier-en-Der, de quo paulo superius dixit.

Obiit Deusdedit archiepiscopus. Beda H. e. III, 28.

Vighardus[a] etiam electus obiit Rome. ibid. III, 29.

Anno 667. Obiit sanctus Eligius Noviomensis episcopus. Sigeb. 665.

Amatus Senonensis, sanctus Pharo Meldensis et eius successor sanctus Hildevertus.

Anno 668. Ordinatus est Rome archiepiscopus Theodorus Cantwariensis, natus Tharso[b] Cilicie, et cum eo missus est abbas Adrianus. Beda H. e. IV, 1.

Anno 669. Constantinus supradicti filius imperat annis 17. Sigeb. 669.

Anno 670. Adeodatus papa annis 4 et dimidio. Cat. p. R.

In Anglia obiit rex Oswi Nortdanimbrorum, huius filius Egfridus annis 15. Sigeb. 670.

Westsaxonum Sexburga anno 1. Wilh. Malm. 32.

Longobardorum Pertharith annis 18. Sigeb. 670.

Anno 671. Westsaxonum Escwinus[c] annis 2. Wilh. Malm. 33.

De sancto Cedda Coventrensi. Beda H. e. IV, 3.

Anno 672. De sancto Proiecto Arvernensi. Sigeb. 670.

Anno 673. In Anglia primum concilium[d] Theodori[e]. Beda H. e. IV, 5.

Westsaxonum Cedwinus annis 9. W. Malm. 33.

Obiit rex Egberectus[f] Canturariensis. Beda H. e. IV, 5.

Anno 674. Sigebertus monachus, fundato cenobio a Leodebaldo abbate Sancti Aniani Aurelianensis[86], corpus sancti Benedicti — illuc transportatur. Corpus vero sororis — Cenomannis transfertur. Sigeb. 651.

Testimonium Guidonis: Constructo cenobio in agro Floriacensi[87], qui regius erat fiscus, a Montis Cassini monasterio a perfidis Longobardis iam pridem destructo defertur venerabile sanctissimi[g] Benedicti corpus.

Hugo Floriacensis[h]: Translatum est venerabile corpus — Benedicti anni[i] 70. Hugo Flor. 156.

Auctor: Translatio beati Benedicti abbatis et sororis eius[k] sancte Scolastice facta est 5. Idus Iulii iussione Mumuli primi Floriacensis abbatis, qui super hoc divina revelatione premonitus, misit unum de suis monachis Aygulfum nomine ad Montem Cassinum, ut inde sibi deferret corpus sanctissimi Benedicti. Hic autem Aygulfus postea fuit abbas Lirinensis et martyr, et corpus eius translatum iacet[l] in Pruvino[88]. Ipse est enim sanctus Aygulfus de Pruvino. ibid. 154.

Eodem anno secundum Bedam regnat in Anglia super Canthuarios Lothere per annos 11 et menses 7. Beda H. e. IV, 5.

Et archiepiscopus Cantuariensis Theodorus scripsit penitentialem librum, — singularum culparum. Sigeb. 674.

Anno 675. Anno Constantini imperatoris 7, indictione 3, secundum Sigebertum Sarracenorum stolus — dimersi interierunt. ibid. 675.

Item secundum Hugonem dictus Constantinus fuit vir fide catholicus — inesse opinabantur et predicabant. Hugo Flor. 153.

Rome Domnus papa anno 1 et dimidio. Cat. p. R.

In Anglia super regnum Merciorum Ethelredus annis 30. Wilh. Malm. 77.

Anno 676. Sanctus Philibertus construxit abbaciam monialium nomine Pauliacum, 10 milibus a Gemmetico[m] distantem, ubi sancta Austroberta prima fuit abbatissa. V. s. Filiberti n. 16.

Et sanctus Godo nepos sancti Wandregisili fundavit in diocesi Trecensi parvam[n] abbaciam de Oya, in cuius clausura usque hodie rane sunt mute de mandato eiusdem sancti et miraculo. V. s. Godon. n. 7.

In Anglia sanctus Chutbertus[o] multorum miraculorum gloria floruit, antequam esset episcopus. Beda H. e. IV, 27 seqq.

Sigebertus: Hildricus rex levitate — ad maturitatem devenirent. Sigeb. 676.

Anno 677. Agatho papa annis 4 et dimidio. Helin. 679.

Sigebertus: Sarracenis et Arabibus — per tres menses stella — apparebat et maxima mortalitas a parte orientis subsecuta est. Unde alibi[89] scribitur, quod cometa visa esse dicitur. Sigeb. 677.

Wisigothorum in Hyspania Tolgane annis 4. ibid. 680.

Anno 678. Gallinicus architectus — victoria[p] potiti sunt. ibid. 678.

Bodilo Francus — Hildricum in venatione exceptum cum Blithilde uxore eius pregnante interfecit. ibid. 679.

Auctor: Quos beatus Audoenus apud Rothomagum sepelivit. V. s. Audoeni n. 41.

Theodericus regno restitutus, regnavit annis 16[90]. Sigeb. 679.

Leudesius[q] filius Archinoaldi — maior domus restituitur.

Magnus Wilfridus de Anglia pulsus, primus in Frisia predicavit. Beda H. e. IV, 12. V, 19.

Anno 679. Inter Romanos — annuatim solvant. Sigeb. 679.

Sarracenis Gizid annis 3. ibid. 682.

Gens Bulgarum — prebere sit coactus. Ab hinc regnum Bulgarum annotandum est, quorum rex Bathaias erat. ibid. 680.

Ebronius Luxovio egressus — et blanditiis impellit.

Anno 680. Sexta synodus universalis — fuerunt episcopi 289. ibid. 681.

Hugo: Imperator Constantinus sanctam[r] sextam universalem synodum Constantinopolim congregavit, que in uno domino — subscriptione[s] sua corroboravit. Hugo Flor. 153. 154.

Hac preterea tempestate luna — pestis illa quievit. ibid. 156.

---

a) Gihardus 1. 2. b) Marso 1. 2. c) Oswinus 1. 2. d) consilium 2. e) Theodoris 1. f) Egebrectus 2. g) sancti 2. h) Floriancensis 1. i) annis 1. k) suae 2. l) iacet transl. 2. m) Gementico 2. n) primam 2. o) Thubertus 2. p) victoriam 1. 2. q) Leudensius 1; Leudelius 2. r) *deest* 2. s) conscriptione 2.

86) Saint-Aignan d'Orléans. 87) Fleuri. 88) Provins, départ. Seine-et-Marne. 89) Cf. Bedae Hist. eccl. IV, 12 ad annum 678. 90) Cf. Sigibertum ad annum 691.

Beda H. e. IV, 17. Item secundum Bedam archiepiscopus Theodorus Cantuariensis concilium tenuit, secundum in Anglia, per indictionem 8, anno 10.[a] Egfridi Northdanimbrorum regis et 6.[b] Ethelredi Merciorum et 7. Lothere Cantuariorum et 17. Adulfi orientalium Anglorum.

ibid. IV, 23. Eodem anno obiit sancta Hilda abbatissa eiusdem gentis.

Sigeb. 680. Anno 681. Agatho papa suscepit — debeat ordinatio provenire.

Gesta Trev. c. 24. Factus est Treverensis archiepiscopus Liuthwinus, Basini predecessoris sui nepos ex sorore, qui fuerat dux Belgice[c] Gallie et super Saroam fecit monasterium, electus fuit a Laudunensibus et quandoque a Remensibus. Iacet in abbatia Mediolaci.

Flod. H. R. II, 10. 7. Archiepiscopus autem Remensis post sanctum Nivardum fuit sanctus Reolus. Iste primo fuit comes et habuit in uxorem neptem sancti Nivardi[d], filiam Hildrici. Huius filius Gedeon factus est monachus Altivillaris.

Cat. p. R. Anno 682. Leo papa natione Siculus mensibus 2.

Sigeb. 682. Sanctus Leodegarius — post lapidibus obruitur.

In Italia tribus — hominum facta est.

ibid. 685. Sarracenis Marhuan principatur anno 1.

ibid. 684. Wisigothorum in Hyspania Chintasindus annis 20.

Ravennas ecclesia censura[e] — veniat ordinandus.

ibid. 683. Anno 683. Benedictus papa mensibus 6.

In Anglia floret — incorruptum inventum est.

ibid. 684. Rex autem Egfridus innoxiam[f] — depopulatur.

ibid. 686. Sarracenis Habdalan anno 1 principatur.

Beda H. e. IV, 12. Westsaxonum Cedualla annis 2.

Sigeb. 687. Anno 884. Iohannes papa annis 2.

Sarracenis principatur Abdimelech annis 22.

ibid. 685. Theodericus rex Ebroinum — per capitis abscissionem.

Beda H. e. V, 7. Anno 685. Westsaxonum Ynas[g] annis 34.

V. s. Berch. c. 26. Sanctus Bercharius Dervensis monasterii primus abbas hic obiit, a filiolo suo nomine Dagvino cultello martyrizatus.

Beda H. e. IV, 27. Ordinatus est sanctus Cuthbertus episcopus[h].

V. s. Filib. c. 20. Sanctus Philibertus ex dono Ansoaldi Pictavensis episcopi fundavit monasterium situm in Herio insula.

Sigeb. 685. Ansigisus dux qui et Anchises pater Pipini a Gunduino perimitur, quem — ad maximos militie honores provexerat.

Gesta Trev. c. 24. Eiusdem Ansigisi[i] frater dictus[91] Clodulfus qui promotus in archiepiscopum Treverensem post Liuthwinum.

Sigeb. 685. In Anglia secundum Bedam[92] Picti, Scoti et Britones Anglos nimis premunt, et Egfridus rex Nortdanimbrorum a Pictis perimitur, et libertate — recepta, multam Anglorum partem invadunt.

Lothere rex Cantuariorum moritur, succedit Edrich annis 2, Egfrido regi Nortdanimbrorum succedens[k] frater eius Alfridus, regnavit annis 19.

Sanctus Kylianus — claret.

Cat. p. R. Anno 686. Conon papa mensibus 11.

Nicolai vita s. Lamb. c. 6. Apud Traiectum pro beato Lamberto quidam[l] Faramundus Coloniensis clericus episcopatu abutebatur.

Flod. H. R. II, 10. Sanctus Reolus Remensis archiepiscopus construxit e[m] dono Theoderici regis abbatiam, que dicitur Orbaci, in qua[n] tandem decessit[o] et sepultus fuit[p]. In abbacia puellarum, quam Ebroinus fecit Suessionis, posuit sanctus[q] Reolus Odiliam suam filiam[r].

Sigeb. 686. Sigebertus: Begga relicta Ansigisi[s] — monasterium Andanense fundat.

ibid. 687. Wlfoaldo[t] maiore domus — ab Ebroyno perimitur.

ibid. 686. Constantinus imperator moritur. Iustinianus filius eius imperat annis 10, de prosapia Heraclii ultimus.

ibid. 688. Anno 687. Sergius papa annis 13. Hic in sacrario sancti Petri — novitatem sacramenti incendi. Hic etiam inseruit[u] memoriam — sine vino offerri debere decernens. Primus Sixtus papa hymnum *Sanctus sanctus sanctus dominus Deus Sabaoth* primus approbavit. Thelephorus[v] VIII. quadragesime ieiunium — Damasus papa primus *Credo in unum* — episcopis Constantinopoli celebrate.

Auct. Gem. 688. Innocentius papa primus pacis osculum decrevit dari.

Sigeb. 688. Celestinus primus introitus, gradualia, — instituit. Gelasius papa primus prefationes, collectas et tractatus[w] conposuit. Gregorius primus Kyrie eleison — divina revelatione transposuit.

ibid. 687. Beda H. e. IV, 27. Sanctus Cuthbertus Anglorum episcopus obiit; fuit episcopus Lindisfarnensis, cuius sedem modo tenet Dunelmensis episcopus.

ibid. IV, 26. Regnum Cantuarie discindunt externi reges per annos 4.

ibid. V, 19. A secundo anno Alfridi regis Nortdanimbrorum per annos 5 magnus Wilfridus fuit restitutus.

ibid. IV, 29. Et successor sancti Cuthberti dictus est Eadbertus.

Floruit sanctus Bonitus[93], de quo habetur in miraculis beate Marie.

Sigeb. 687. Anno 688. Pertarith Longobardorum rege — regnavit annis 12.

ibid. 688. Hugo Flor. 157. Inter Iustinianum imperatorem et Habdimelech pax convenit, ut solvant Sarraceni Romanis singulis diebus mille numismata et servum et equum, sed paulo post idem imperator pacem solvens mala eis intulit et peiora ab eis pertulit. Unde Hugo: Hic imperator cum esset quasi[x] annorum 17 — vix prevaluit remeare.

---

a) *deest* 2. b) anno *add.* 2. c) Bellice 1. d) sancti Nivardi neptem 2. e) Ravenna ecclesura 2. f) in uxorem 1. g) Yni 1. h) *deest* 2. i) Ansigili 2. k) succedit 2. l) qui 2. m) de 2. n) in qua *desunt* 1. o) discessit 2. p) est 2. q) *deest* 2. r) filiam suam 2. s) Angisili 2. t) Wlfoaldus 1. u) ut ferunt 1. 2. v) Telepherus 2. w) tractus 2. x) *deest* 2.

[91] Supra ad annum 644. Ansigisus et Clodulfus filii Arnulfi occurrunt, Gestorum Trev. auctor Clodulfum sancti Arnulfi filium fuisse dicit.

[92] Bedae Hist. eccl. IV, 26 Sigebertus in suos usus vertit, Sigebertum nec vero Bedam noster sequitur.

[93] Cf. annum 764.

Unde Sigebertus: Iustinianus — vix evasit. Sigeb. 689.

Innocencia et meritum — miraculis declaratur. ibid. 688.

Hugo: Hunc omnipotens et misericors Dominus — adhuc viveret Ebroinus. Hugo Flor. 158.

Sigebertus: Ebroinum maiorem — maior domus statuitur. Sigeb. 688.

Anno 689. Anno secundo Sergii[a] pape scilicet nondum finito, Iustiniani vero quarto, obiit rex Anglorum Cedwalla, qui et Petrus, Rome[b] 12. Kalendas Martii. Beda H. e. V, 7.

Hugo: Hiis diebus Cedwalla — sepultus est in ecclesia beati[c] Petri apostoli. Hugo Flor. 158.

Usque ad hoc tempus vixit sanctus Reolus Remensis archiepiscopus[d]. Flod. H. R. II, 19.

Item usque ad tempora Warathonis invenitur vixisse sanctus Philibertus, qui obiit in Herio insula. V. s. Filib. c. 24. 29.

Anno 690. Inter Pipinum et Gislemarum, Warathonis filium, pugna committitur apud Namucum[e] castrum. Non multo post Gislemarus divinitus punitur, secundum quod in Vita beati Audoeni continetur. Sigeb. 689.

In Anglia Wichredus filius Egberti — annis regnat. ibid. 691.

Superius anno[f] 676. fit mentio de sancto Wandregisilo.

Sanctus igitur Wandregisilus — Fontenellam Deo construxit. ibid. 692.

Obiit archiepiscopus Theodorus Cantuariensis. Beda H. e. V, 8.

Anno 691. Dum Warathonis gener et socius esset Bertharius, Franci Berthario aversi — instigant contra principatum Bertharii. Sigeb. 689. 690.

Theodericus rex cum Berthario, — anno obiisse[g] dicitur. ibid. 691.

Anno 14. regis Theoderici[h] inscribitur privilegium sancti Reoli de fundatione Orbaci[1]. Quod ibi nominatur papa Zagharias, intelligendum quod papa Sergius[i] fuit binomius.

Anno 692. Quidam Alahis dux fugato — claret in Gallia. Sigeb. 692.

Evaldus albus et — in Agripinensi[k] Colonia. ibid. 693.

Bertualdus Canthuariensis archiepiscopus ordinatur. Beda H. e. V, 8.

Anno 693. Anno 16. Theoderici[h] regis beatus Audoenus Rothomagensis episcopus obiit, pontificatus sui anno 48. die dominica, vivente adhuc Warathone subregulo. V. s. Audoeni n. 37.

Pipinus Rabbodum ducem — Adelinus et Wilfridus episcopi clarent in Anglia[l]. Ille est sanctus Adelinus, qui scripsit librum de virginitate[2], et iste est magnus Wilfridus, qui multa passus ab emulis multotiens fuit[m] depositus[3]. Sigeb. 691.

Gens Thessandrorum[n] — ad fidem Christi convertitur. Auct. Gembl. 694.

Anno 695. Iustinianus imperator — frustra molitur. Sigeb. 695.

Constituit preterea Stephanum Persam sacellarium suum[o] — augustalem arripuit dignitatem. Hugo Flor. 157.

Rex Francorum Theodericus mortuus in abbacia sancti Vedasti Attrebatensis, quam ipse fundavit, sepultus est cum regina Doda uxore sua[4]. Quia consenserat impietati Ebroini super interfectione beati Leodegarii, idcirco penitens hanc nobilem abbaciam instituit. 691.

Regnavit filius eius Clodoveus pro eo annis 2. Helin. 693.

Defectio solis — stelle apparerent. Sigeb. 693.

Anno 695. Predictus Leo sive Leoncius patricius[5] 3 annis imperavit. Hugo Flor. 158.

Hugo: Per idem tempus Abdimelech[p] — Mesopothamiam subiugavit. ibid. 157.

Post sanctum Audoenum fuit archiepiscopus Rothomagensis sanctus Ansbertus, cui desponsata fuerat sancta virgo Angadrissina, modo vero erat abbas Fontenelle. Siquidem sanctus Wandregisilus primus abbas prefuit annis 20, cui successit Lantbertus, qui factus est episcopus Lugdunensis post Genesium; et beatus Ansbertus factus tertius abbas Fontenelle, et ex tunc archiepiscopus. Helin. 692.

Reges vero Francie negotia regni per maiores aule regie administrabant, id est per dapiferum, conestabulum ac camerarium.

Quod venerabilis Beda abhinc per annos 40 in Anglia claruit[6].

Anno 696. Sanctus Willibrordus[q] a Sergio — quasi Wltarum oppidum dicitur. Sigeb. 697.

Et apud Wirziburch[r] castrum Ostrofrancie, ubi antiquitus Dyana colebatur, sanctus Kylianus — martirizatur a Gailana uxore Gosberti principis — confessione divulgata est.

Metis Abbo fuit episcopus, deinde Abtadius[s]. Gesta ep. M. c. 33. 34.

Anno 697. Synodus Aquileie facta — ad concordiam reduxit. Sigeb. 698.

Sanctus Ursmarus — ad regendum suscepit.

Prima translatio sancti Audoeni[t] episcopi, indictione 10, anno 4. archiepiscopi Ansberti[7]. Helin. 692.

---

a) secundum Sargii 1. b) *deest* 1. c) sancti 2. d) arch. Rem. 2. e) Namurcum 2. f) *deest* 1. g) subiisse 1. h) Theodorici 2. i) Gersius 2. k) Agripinencia 1. l) in Anglia clarent 1, *cum Sigeberto convenit* 2. m) est 2. n) vel Taxandrorum *add.* 1. o) *deest* 2. p) Abimelech 2. q) Willebrordus 2. r) Wizenburch 2. s) Apthadius 2. t) Aud. sancti 1.

[1] Orbais, départ. Marne, arrond. Epernay.

[2] Auctor huius libri Adhelmus vocatur. Cf. Bedae Hist. eccl. V, 18, quam nostrum prae oculis habuisse putarim. Qua de causa hic, et infra ad annum 709, eum Adelinum dixerit, haud video: hic Beda Sigebertusque, infra Helinandus Adhelmum scribunt.

[3] Cf. Beda Hist. eccl. V, 19.

[4] Cf. Theuderici epitaphium ap. Duchesne I, 687. Bouquet III, 367, quo, quum annus idem sit et erroneus quidem — nam anno 691. Theudericum obiisse constat —, Albricus usus esse videtur.

[5] Cf. Sigebertum ad annum 696.

[6] Cf. Guil. Malm. 54, qui anno 734. Bedam obiisse narrat.

[7] Temporis notae apud Helinandum non ad translationem sancti Audoeni pertinent, sed ad praecedens privilegium monachis Fontanellensibus datum.

Hugo Flor. 159. Hugo: Anno tertio Leoncii imperatoris Arabes Affricam infestabant, — Leoncium exilio relegavit.

Sigeb. 698. Anno 698. Absimarus qui et Tyberius imperavit annis 7.

Hugo Flor. 159. Iste Philippum sive Philippicum, postea imperatorem[8], filium Nichefori, in exilium destinavit, qui asserebat in sompnis se vidisse, quod caput suum obumbraretur ab aquila, eo quod sompnum huiusmodi ipsum regem futurum designare videbatur.

Sigeb. 698. Sanctus Lambertus[a] Traiectensis episcopus Pipinum principem increpare ausus, quod pelicem Alpaidem sue legitime uxori Plictrudi superduxerit, a Dodone fratre ipsius Alpaidis Leodii 15. Kalendas Octobris[b][9] martirizatur et Traiecti tumulatur, eique sanctus Hubertus cum grandi miraculo[10] episcopus subrogatur.

Regnabat in Francia alter filius Theoderici Childebertus rex optimus anno 3. regni sui[11].

ibid. 699. Anno 699. Mortuo Cuniperth Longobardorum rege, Luithperth filius eius puer in regnum succedit anno 1, Ansprandum habens tutorem. Drogo filius Pipini ex Plectrude[c][12], dux Campaniensium moritur — in uxorem despondetur. Dodo interfector — ab altero perimitur.

ibid. 700. Anno 700. Iohannes papa annis 3. Raginbertus dux — Bulgaribus dominatur. Romani pervagantes — Sarracenorum.

ibid. 701. Anno 701. Mortuo Longobardorum rege Raginberto, — annis 9 regnavit. Rex Wisigothorum Chintasindus senio confectus regnum suum dimittit filio suo Flavio Recensuintho, qui post eum regnavit 20 annis[13].

Hugo Flor. 159. Sigeb. 703. Anno 702. Iustinianus supradictus quondam imperator degens[d] in Cersona[e], que est in provincia Licie, cepit manifeste populo predicare[f], — Terbellem Bulgarie regem. Ita dicit Hugo. Sigebertus vero dicit, quod Caganus pecunia corruptus a Tyberio[14] imperatore — ad Terbellem regem Bulgarum fugit.

Cat. p. R. Anno 703. Iohannes V. papa annis 2 et dimidio.

Sigeb. 703. Sanctus Benedictus abbas Anglorum[g] obiit.

Hugo Flor. 158. Hugo: Rex Longobardorum Arripert donationem alpium Cuciarum — sancto Petro apostolo restituit, et hanc refusionem litteris aureis explanavit. Nota quod a quodam Cucio rege dicte sunt alpes Cucie, qui sub Nerone partes illas tenuit.

Sigeb. 704. Anno 704. Rex Nortdanimbrorum Alfridus obiit[h], succedit Osredus[i] filius eius[15] annis 11.

Wilh. Malm. 78. In regno Merciorum regnavit Kenredus annis 5.

Sigeb. 709. Childeberto monarchiam tenente, — frequentari cepit.

Beda H. e. V, 3. Obiit archiepiscopus Bosa[k] Eboracensis, succedit Iohannes Augustaldensis. Magnus Wilfridus tandem positus est in sede Augustaldensi.

Sigeb. 705. Anno 705. Iustinianus auxilio — iugulari preciperet.

ibid. 709. Habdimelech amiras — annis 7 principatur.

Helin. 705. Sisinius papa dies 20.

Hugo Flor. 159. Anno 706. Predictus Iustinianus secunda vice 6 annis imperavit, Cirum abbatem in loco Gallinici patriarche ordinari fecit, innumerabilem denique civium multitudinem interfecit.

Sigeb. 106. Sclavi Italiam infestant.

Helin. 706. Constantinus natione Syrus fit papa annis 7.

Sigeb. 708. Anno 707. Iustinianus imperator — vix evasit.

Hugo Flor. 160. Floruit hoc tempore Petrus — sanctitatis et religionis.

Beda H. e. V, 19. Anno 708. Anno 4. Hosredi Nortdanymbrorum regis Kenredus Merciorum rex fit monachus.

Sigeb. 707. Unde Sigebertus: Kenredus et Opha — regi regum militaverunt.

Wilh. Malm. 79. Anno 709. Rex Celredus Merciorum regnavit annis 8.

Sanctus Hildefonsus ordinatur Toletanus archiepiscopus.

Beda H. e. V, 19. In Anglia obiit magnus Wilfridus episcopatus sui anno 45.

Helin. 710. Obiit etiam sanctus Andelinus.

Sigeb. 710. Anno 710. Constantinum papam Iustinianus imperator Constantinopolim ad se invitat, fidem orthodoxam tandem amplexus, eumque venientem et redeuntem gloria apostolico digna honorat.

Hugo Flor. 159. Hugo: Statuit etiam Cersonam Licie, ubi exulatus degerat, — assumpserunt Philippicum, qui illic exulabatur, de quo superius tetigimus[16], et imperatorem creaverunt.

Sigeb. 710. Eodem anno, scilicet 12.[17] pontificatus sui, sanctus Hubertus celitus ammonitus corpus sancti Lamberti a Traiecto in Leodium — sedemque episcopalem in eandem urbem transfert.

Auct. Gemb. 710. Ex tunc Legia exaltata et in urbem est ampliata.

Sigeb. 710. Anno 711. Supradictus Ansprandus[l] cum Bawariis — regnavit annis 32.

Auct. Gemb. 711. Sancta Oda uxor — que Amanium dicitur.

Sigeb. 712. Anno 712. Philippicus qui et Bardanius Constantinopolim veniens[18] Iustinianum augustum iugulat et Tyberium filium eius pariter interficit[18] et sic duobus annis regnavit.

Hugo Flor. 160. Qui cum esset hereticus, — ad missarum solempnia recitaretur[m].

Sigeb. 713. Anno 713. Sanctus Ursmarus — maior domus statuitur.

ibid. 716. Ulid amiras[n] — Sarracenis principatur.

a) Lantbertus 1. b) *deest* 2. c) Plictrude 2. d) regens 1. e) Cerrisona 1. f) pred. populo 2. g) Angl. abbas 2. h) *deest* 1. i) Olredus 1. k) Bisa 1; Lusa 2. l) Anspradus 2. m) recitarentur 1. n) Amiraz 1.

[8] Cf. Hugonem Flor. 160.

[9] Cf. annotationem codicis Aureavall., quam communicavit Chapeaville Gesta pont. Tungr. I, 122

[10] Cf. Aegid. Aureavall. II, 21.

[11] Secundum codicem Aureavall., quem in nota 9. laudavimus, anno Childeberti secundo Lamberti reliquiae translatae sunt. Childebertum alterum Theoderici filium fuisse noster aut e Sigeberto 697. aut e Fredegarii cont. c. 101. comperit. Qua auctoritate nisus eum *optimum* vocaverit, reperire non potui.

[12] *ex Plectrude* addidit, Hugonem Flor. 158 secutus.

[13] Cf. Sigeb. ad annum 720.

[14] *Leone* Sigeb. l. c.

[15] Verba: *filius eius* ex Guil. Malm. §. 53 addita sunt,

[16] Cf. annum 698.

[17] 13. *anno sui praesulatus* dicit Aegid. Aureavall. II, 22.

[18] *Constantinopolim veniens, et Tyberium — interfecit* ex Hugone Floriac. 160.

Sanctus Hubertus construxit et reditibus ditavit monasterium sancti Petri in Leodio. Qualiter abbacia ista destructa sit a Normannis paganis et postea restituta in canonicos seculares, in sequentibus habetur[19].

Anno 714. Anastasius qui et Arthemius insurrexit contra Philippicum et illum oculis privavit, et ab imperiali dignitate deponens[a], eius sibi vendicavit imperium. Qui cum esset vir catholicus, — predicatorem esse declaravit[b]. Hugo Flor. 160.

Gregorius II. huius nominis papa sedit annis 17. Helin. 714.

Petronax civis Brixianus — Longobardis desolatum fuerat. Sigeb. 714.

Mortuo Childeberto Francorum rege post annos 17[20] et in abbacia sancti Stephani de Cauciaco sepulto[21], quidam filius eius Clodoveus qui et Dagobertus[21] regnat annis 4. ibid. 715.

Zuleimen amiras — triennio obsidet. ibid. 718.

Anno 715. Picti et Scoti catholicum paschalis observantie ritum suscipiunt. ibid. 708.

Quidam enim venerabilis presbyter Ecberctus[c] nomine proposuerat venire causa predicationis in Frisiam, sed retinente eum Domino per visionem[d] ac sibi dicente[e], ut ad Columbe abbatis monasterium in Scociam deberet accedere et fratres corrigere, eo quod[f] aratra eorum non recte incederent, remansit pro causa predicta et beatum Willibrordum[g] superius expressum transmisit. Beda H. e. V, 9. 10.

Per istum ergo Egberctum[h] receperunt fratres Hiienses[i] pascha canonicum hoc anno et per illos omnis illa provincia. ibid. III, 4. V, 22.

Pipinus princeps obiit — principatum regni usurpat. Sigeb. 714.

Franci contra Theodoaldum — Chilpericum regem statuunt. ibid. 715.

Anno 716. Cum Anastasius predictus[k] augustus, classem in Alexandriam contra Sarracenos dirigeret, exercitus idem ad aliud versus consilium, — Theodosium, orthodoxum virum inquirens, imperatorem elegit — Theodosius vero Anastasium — superavit eumque postmodum presbiterum fieri iussit. Post biennium et idem Anastasius imperabat. Hugo Flor. 161.

Karolus Martellus de custodia — damnum consequitur[l]. Sigeb. 715.

Clarebat Benedictus Mediolanensis archiepiscopus.

Egbertus presbiter veniens ab[m] Hibernia sanctitate claret in Gallia. ibid. 716.

Osredo rege Nordanimbrorum perempto Coenredus regnavit annis 4.

Sanctus[n] Germanus cum esset archiepiscopus in Cyzico, id est in Eskisia insula, factus est Constantinopolim patriarcha[22].

Constantinopolitani — Sarracenis fortiter resistunt. ibid. 716.

Bulgares etiam de Sarracenis 32000 perimunt. ibid. 718.

Sarraceni fame — sine numero pereunt. ibid. 719.

Sarracenis Haumar 2 annis principatur.

Anno 717. Dictus Theodosius imperator erat iners et ydiota et publicorum negotiorum inexpertus. ibid. 716.

Unde adversus eum post annum insurrexit Leo — residuum vite transegit in pace. Hugo Flor. 161.

Quo tempore Haumar[o] dux Arabum habebatur. Sigeb. 717.

Ipse vero imperator Leo 24 regnavit annis. Gregorius papa — dies repressa est. Hugo Flor. 161.

Auctor: Hic incipe conputationem 300 annorum secundum propheciam Merlini de regibus Britonum et Anglorum.

Anno 718. Karolus in pago — et eterna morte periit. Sigeb. 718.

Ethelbaldus rex Merciorum annis 41. Wilh. Malm. 79.

Haumar christianos — martires fecit. Sigeb. 720.

Quo mortuo Gizid[p] principatur Sarracenis annis 4. ibid. 721.

Anno 719. Dagobertus iunior Francorum rex a quodam filiolo suo in silva martyrizatus iacet apud Sathanagium[23], quo mortuo Lotharius patruus eius regnavit annis 2[q].

Constantinus filius Leonis — in scandalum. ibid. 719.

Ex hystoria Remensi: Remis sanctus Rigobertus erat archiepiscopus. Hic fuit sancti Nivardi[r. 24] propinquus de Ribuaria versus Coloniam oriundus ex patre. Hunc Pipinus, pater Karoli Martelli, valde dilexit. Flod. H. R. II, 11.

Apud Cathalaunum Betthoindo[s] Felix II. successerat et huic Bladalgus qui et Albinus, cui Scaricus[t], cui Richarius.

Apud Tullum Girbauldo successit Godo, cui sanctus Bodo. G. ep. Tull. c. 21. 22.

Metis Aptadio successit Felix, cui Sigibaldus, cui Urbicius[25]. G. ep. Mett. c. 35. 36.

Obiit sanctus Wlfranus. ibid. 15.

Anno 720. Hugo: Sarraceni a Constantinopoli tandem fugam inefficaces arripiunt, — subitanea tempestate submersi perierunt. Hugo Flor. 162.

Sigebertus[u]: Sarraceni ab obsidione — hominum perierunt. Sigeb. 720.

---

a) depositum 1. 2. b) destinavit 1. c) Egbertus 2. d) per vis. *desunt* 2. e) dicentem 1. f) eoque 1. g) Willebrordum 2. h) Egberctum 2. i) Hienses 2. k) Cum — pred. *desunt* 1. l) exequitur 2. m) de 2. n) Beatus 1. o) *deest* 1. p) Zisid 2. q) sine herede *add.* 1. r) Minardi 2. s) Helchoindo 2. t) Saricus 2. u) Sigibertus 2. v) Rainfredus 1. *Sic saepius; cum Sigeberto convenit* 2.

19) Hac de re me in opere nostri legisse non memini. 20) Cf. Sigebertum ad annum 697. 21) *in abbatia — sepulto, qui et Dagobertus* ex Helinando 715. addidit. 22) Cf. Hugonem Floriac. p. 161. 23) Stenay départ. Meuse, arrond. Montmedy. Cf. supra p. 60 n. 15. 24) Flodoardus l. c. sanctum Rigobertum Reolo archiepiscopo propinquum fuisse dicit, Reolum vero noster lib. II. cap. 8 legerat neptem sancti Nivardi uxorem duxisse. 25) Sigibaldo successit Chrodegangus; Urbitius 15. episcopus Metensis iam ad annum 487. a nostro nominatus est. Nescio quo errore hic repeti potuerit.

Sigeb. 720. Chilpericus et Raginfredus[v] — fide manet inexpugnabile.

ibid. 721. Anno 721. Karolus Chilpericum ab Eudone per legatos recipit eumque regem sibi facit, qui regnavit annis 5[26].

Ossa sancti Augustini — Luithprandus rex Longobardorum dato magno pretio transfert Papiam in abbacia que Cella aurea dicitur[27].

Helin. 719. Nortdanimbrorum Osricus[a] regnavit annis 11.

Sigeb. 722. Anno 722. Leo imperator sepe — de celo cecidit.

Karolus Raginfredum persequens Andegavim obsidet, eamque captam victo[b] Raginfredo ad habitandum concedit, et ita factus est comes Andegavensis[c]. Karolus vero totum regni principatum hoc modo recepit.

Luithprandus[d] rex — captam destruit.

ibid. 724. Iudeus quidam maleficus, — Sarracenis annis 20.

ibid. 723. Anno 723. Karolus Saxones debellat.

Sanctus Rigobertus Remensis archiepiscopus — aperire noluit. Sanctus etiam Eucherius Aurelianensis — consummatus est[e].

Flod. H. R. II, 12. Ex historia Remensi: Archiepiscopatum Remensem dedit Karolus archiepiscopo Treverensi Miloni[f] tonsura tantummodo clerico, Luithwini superius memorati filio, qui utrique civitati tota vita eiusdem Karoli prefuit, non ut pastor, sed ut[g] tyrannus[28]. De quo Milone scripsit postmodum papa Zacharias sancto Bonifacio legato, ut ipsum sua predicatione corrigeret. Unde apparet, quod manus apostolica non potuit eum deponere[h].

Flod. H. R. II, 12. Anno 723. Sanctus Rigobertus fugit in Gasconiam, et ibi miraculose reperit et recepit duas campanas olim sibi furatas, siquidem ad eius introitum nemine pulsante sonaverunt[29]. Interea dictus Milo missus est a Karolo pro quadam legatione ad partes Gasconie, et reperto sancto Rigoberto, suasit ei ut reverteretur, concedens ei unam petitionem, ut semel in ebdomada posset missam suam dicere ad maius altare beate Marie.

Sigeb. 724. Karolus Baioarios armis subiugat.

Fred. cont. c. 108. Victis Alamannis et Suevis usque ad Danubium, inde fines Bawarie occupavit et cum thesauris multis et matrona Belletrude et nepte sua Sunihilde reversus est.

Sigeb. 725. Leo pessimus imperator — in vanum redarguit.

Hugo Flor. 162. Hugo: Leo augustus anno imperii sui 8. — pium venerationis affectum.

Sigeb. 725. Anno 725. Karolus contra Lanfridum — Alemanniam sibi subiugat.

Flod. H. R. II, 12. 14. Sanctus Rigobertus Remensis archiepiscopus[i] a Gasconia reversus obiit in Gernicort 2. Nonas Ianuarii, ibique sepultus multis claruit miraculis.

ibid. II, 15. Unde archiepiscopus Hingmarus, de quo postea dicetur[30], ossa eius in civitatem transtulit.

Sigeb. 726. Anno 726. Mortuo Chilperico Karolus Theodericum Dagoberti filium sibi regem facit, qui annis 15 regnavit. Idem Karolus Saxones debellat acrius.

Cat. aep. Col. In Colonia sedit Gizo episcopus, deinde Anno et post eum Pharamundus.

Usque ad annum 9. Leonis[k] imperatoris Beda minorem cronicam suam[31] perduxit.

Sigeb. 727. Anno 727. Wichredus rex Anglorum Cantwariensis obiit filiumque suum Eadilbertum heredem regni reliquit per annos 23[32].

Cormesius Bulgaribus dominatur.

Karolus Bawarios et Suevos debellabat.

Constantinopolitani — pro hoc martirizantur.

ibid. 728. Anno 728. Karolus Ligeri transito — Aquitaniam graviter devastat. Sarraceni vero, ut supra posuimus[33], iam Hyspanias occupaverant.

ibid. 729. Anno 729. Gregorius papa — vectigalia interdicit.

Beda H. e. V, 7. Obiit rex Westsaxonum Inas anno 30. secundum Bedam, succedit ei[l] Ethelardus.

W. Malm. 381 Sigeb. 730. Eudo dux Aquitanie, iure federis rupto[34], videns se per omnia Karolo inferiorem[m], Sarracenos contra eum invitavit ab Hispania. Qui venerunt cum rege suo Abdirama usque Burdegalam[34] et cum omnibus familiis suis, quasi in Galliis habitaturi, Garumnam transierunt et omnia devastantes, ecclesias Dei concremabant.

Fred. cont. c. 108. Quo tempore ecclesia sancti Hylarii Pictavensis ab ipsis incensa est.

Sigeb. 730. Anno 730. Karolus Dei auxilio fretus bello[l] in Aquitania apud Pictavim[35] Sarracenis concurrit — reliquias eorum contrivit.

Sanctus Germanus — est deiectus[n].

Hugo Flor. 162. Hugo: Qui imperator beato[o] Germano multas ingerebat iniurias — Anastasium heretice pravitatis hominem.

Sigeb. 730. Obiit sanctus Egbertus Anglorum presbiter.

Helin. 731. Anno 731. Mortuo papa Gregorio II. tertius Gregorius sedit annis 11.

Sigeb. 731. Qui et ipse Leonem — ab eo avertit.

In Anglia Beda presbiter et monachus clarebat[36] sanctitate et scientia.

Beda H. e. V, 12. Et hic annus secundum Bedam fuit 36. sancti Willebrordi primi[l] Ultraiectensis episcopi; et usque ad hec tempora non habuit Coloniensis archiepiscopus, nisi unum suffraganeum videlicet[p]

---

a) Afferıcus 1; Offricus 2. b) victoque 2. c) Andeganensis 1. d) Luithbrandus 1. e) *in iis quae omisi ad* apud Sarchinium *add.* 1: i. Serkingem. f) Milioni 1. g) *deest* 1. h) deponi 2. i) episcopus 1. k) *deest* 1. l) *deest* 2. m) inf. Karolo 1, *cum Sigeberto convenit* 2. n) eiectus 2. o) sancto 2. p) scilicet 2.

26) Cf. Sigebertum ad annum 726. 27) — *in abbatia — dicitur* ex Hugone Flor. 162. 28) — *archiep. Trever., Luithwini — tyrannus* e Gest. Trev. c. 24. 29) — *ibidemque duo pulsata signa sonitum nullum reperiuntur dedisse* Flod. H. R. l. c. 30) Cf. a. 853. 31) Chronicon scilicet, quod de sex aetatibus mundi inscriptum est. 32) *per annos* 23 aut ex Helinando ad annum 727. aut ex Guil. Malm. §. 15 addidit. 33) Ad annum 720. in iis, quae e Sigeberto deprompsit. 34) *iure — rupto, cum rege — Burdegalam* e Fredegarii cont. c. 108. 35) *in Aquitania apud Pictavium* verbis Sigeberti inseruit, Hugonem Flor. 161 sequutus. 36) *obiit* Sigeb. l. c.

Leodiensem, et iste Ultraiectensis fuit secundus; alii tres ceperunt sub Karolo Magno: Mindensis[a], Monasteriensis et Osnaburgensis[b].

Obiit Berchvaldus Cantuariensis episcopus. Beda H. e. V, 23.

Rainfredus moritur. Sigeb. 731.

Anno 732. Karolus Burgundiam penetravit, leudes ad resistendum rebellibus statuit, Lugdunum et alias civitates cepit[37] et fidelibus suis custodiendas tradidit. Et interim mortuo Rainfredo civitatem Andegavensem recepit. Fred. cont. c. 109.

Mortuo Osricho Nortdanimbrorum rege, Ceolwlfus regnat annis 8[38]. Sigeb. 730.

Hic aliquando captus est et in clericum attonsus, postea in regnum suum remissus est. ibid. 732. Hic est ad quem Beda historiam suam ecclesiasticam scribit. Beda Prol.

Filius imperatoris Leonis Constantinus ille, de cuius baptismo superius tetigimus[39], filiam Caiani Avarum, id est Hunorum regis, Hyrenen uxorem duxit, — fidem rectam tenuit. Sigeb. 732.

Luithprandus Longobardorum rex — castella tulit.

Tadwinus[c] fit Cantuariensis archiepiscopus[d]. Beda H. e. V, 23.

Anno 733. Gregorius papa III. synodum — sententia anathematizat. Sigeb. 733.

Hugo: Cum secundum morem antiquorum patrum sanctis ymaginibus et virtutiferis sanctorum reliquiis pium venerationis affectum inpendimus, non propter similitudinem[e] amabilium vultuum quamlibet effigiem adoramus, qui Deum adorare et illi soli servire precipimur. Sed cum sanctis ymaginibus cervices[f] inflectimus, — illicitum esse confitemur. Hugo Flor. 162.

Karolus in Gasconia cum Eudone pugnat. Qui tandem tedio affectus vel in bello percussus moritur. Sigeb. 732.

Quo mortuo usque[g] Blaviam castrum Karolus veniens totam regionem sibi subiugavit. Fred. cont. c. 108.

Anno 733. Karolus Gaifero et Hunaldo filiis Eudonis victis Aquitaniam sibi subiugat. Sigeb. 733.

Inde Frisiam[h] aggressus, Popponem ducem Frisonum cum multis perimit. ibid. 734.

Navigio vectus fana[i] conbussit et reversus est cum magnis spoliis. Deinde Burgundiam petivit usque Massiliam. Fred. cont. c. 109.

Anno 734.[k] Hic obiit Beda venerabilis presbiter monachus et doctor in Anglia. G. Malm. 54.

Item obiit sanctus Hubertus Leodiensis episcopus, succedit[l] Florebertus, qui fuit filius eius, ut dicitur[40]. Auct. Gemb. 735.

Karolus Avennionem — ad internecionem[m] delet. Sigeb. 735.

Anno 735. Sarracenorum rege Athinia obsesso intra urbem Gallie Narbonam a Karolo, Sarraceni ex Hispania cum alio rege Amor ei[n] occurrunt subsidio. Qui congressi Karolo — ultimo pene interierunt exterminio, eosque fugientes insequente residui dimersi sunt in profundo fluvio qui dicitur Birra[41]. ibid. 736.

Hugo: Iste Karolus duobus magnis preliis contra Sarracenos gestis primo apud Pictavim, secundo apud Narbonam, propter assiduitatem bellorum que gessit, res ecclesiasticas, scilicet decimas, militibus et laycis tradidit, licet non esset rex Francorum, sed tantummodo aule prepositus regie. Hugo Flor. 161.

Guido quoque nititur Karolum excusare hoc modo: Non cupiditate tractus, sed necessitate coactus possessiones, quas vidit ecclesiasticis superfluere, distribuit militibus, viris tam destitutis armorum apparatu, quam noviter institutis. Unde nimirum superne dispositioni, cum ad regimen Francorum sancti progeniem Arnulfi elegisset, placuisse creditur[o], extulisse potius hunc quam alium eiusdem generis ad huius apicem dignitatis, scilicet ut per ipsum, quia callidior, resecaret quod superfluebat ecclesiis et ex eorum habundantia suppleret aliorum inopiam, quos[p] redderet defensores, et quia bellicosior erat, super inimicos christiani nominis evaginaret gladium ultionis.

Anno 737. Karolus Nemausum — solotenus destruxit. Sanctus Erminus — obiit. Sigeb. 737.

Causa predicandi ad exteras gentes, non causa loci[q], quidam abbates Lobienses fuerunt[r] in episcopos consecrati[42].

Anno 738. Arelato[s] urbe Galliarum — invadendi Galliam abstulit. ibid. 738.

Guido: Predictus rex Longobardorum Luithprandus tante fuisse fertur audacie, quod cum duobus armigeris suis, cognito quod eum occidere cogitarent, in profundam silvam solus[r] ingressus, malum illis quod cogitabant inproperans hortatus sit eos facere, si auderent. Sed mox eis provolutis ad pedes suos et supplicantibus hoc remisit. Pauli Gesta Lang. VI, 38. Hic donationem alpium Cuciarum iam superius factam[43] ecclesie sancti Petri confirmavit. ibid. VI, 43.

Trasamundus[t] dux — ad Romanos confugit. Sigeb. 738.

Anno 739. Luithprandus rex — graviter vexat. ibid. 739.

Karolus Maruncium Provincie ducem, qui invitaverat Sarracenos, debellat et Provinciam sibi subiugat, totam regionem usque ad littus maris sue ditioni restituit et nullo resistente revertitur. Fred. cont. c. 109.

Anno 740. Nortdanimbrorum in Anglia Celwlfus rex factus est monachus, et Egbertus regnavit annis 20[u]. Helin. 735.

Karolus Saxones — et stellis apparent. Sigeb. 740.

Apud Rothomagum Ranilandi successori Hugoni substitutus erat Robertus.

---

a) Mindenensis 2. b) Osburgensis 2. c) Tadwicus 2. d) episcopus 2. e) similitudines 1. f) cervicem 2. g) ad *add.* 2. h) Fresiam 1. i) Rana 2. k) 735. 1. 2. l) ei *add.* 1. m) internitionem 1. n) Amorrei 1. o) et *add.* 1. p) quas 1. q) non — loci *desunt* 2. r) *deest* 2. s) Areliato 2. t) Trasimundus 2. u) 30 2.

37) Cf. Sigebertum an. 731.

38) Cf. Guil. Malm. §. 64.

39) in iis, quae sub anno 719. e Sigeberto deprompsit.

40) Cf. Aegid. Aureavall. II, 30.

41) — *fluvio qui dicitur Birra* e Fredeg. cont. c. 109.

42) Cf. Folcuini Gesta abb. Lobb. c. 3. M. G. SS. IV, 57.

43) Cf. annum 703.

Moritur rex Francorum Theodericus [a], filius Dagoberti iunioris.

Sigeb. 741. Anno 741. Regnat [b] in Francia Hildricus, dictus quondam Daniel clericus [44], annis 10.

Hugo Flor. 136. Hugo: Interea Constantinopolim factus terre motus magnus — Constantinus filius eius per annos 36.

Sigeb. 741. Pacato et dilatato regno Francorum Karolus bellicosus princeps obiit, et apud Sanctum Dyonisium sepelitur [45]. Qui filios suos — successores reliquit.

Quo tempore paschalis cycli ordo turbatus fuit.

Helin. 741. Gregorius papa III. obiit Rome.

ibid. 742. Anno 742. Zacharias papa annis 10.

Gesta p. R. 110. Guido: Papam Zachariam quantum diligeret Deus, evidenter ostendit, dum in via qua ambulabat [c] ad Luitprandum Longobardorum regem, ne solis ureretur calore per diem, nubem in protectionem eius [d] extendit.

Ab isto anno 27 anni ascribuntur principi Pipino.

Sigeb. 744. Sarracenis principatur Gizid anno 1, postquam Elvelith mortuus fuit.

ibid. 741. Papa [e] Zacharias quia rem publicam — pacem firmavit.

ibid. 742. Anno 743. Sanctus Bonefacius factus — Constantinum imperium arripit.

ibid. 745. Sarracenis principatur Hisces anno 1.

ibid. 743. Anno 744. Ogdilo dux Bawarie — pacis obsidem accipit.

ibid. 746. Sarracenis principatur Maruthan annis 6.

Helin. 754. Westsaxonum in Anglia Cuthredus annis 18.

Anno 745. Constantinus Arthabaldum capit, — oculos eruit.

Hugo Flor. 164. Hugo: Iste Constantinus impius habebat sibi consentientem in omnibus propter amorem principatus terreni quendam Anastasium Constantinopoleos falsi nominis patriarcham. Venit indignatio Dei in cives urbis; sed ille ut Pharao quondam inemendatus permansit. Sed mors pestilens incipiens a Sicilia [f] et Calabria devastavit regiam urbem, et plures domus clause sunt, eo quod decsset habitator.

Sigeb. 744. Cinis de celo cecidit.

Fred. Cont. c. 111. Pipinus et Karlomannus contra Hunaldum Bithuricas vastant et incendunt.

Sigeb. 745. Anno 746. Pipinus Theodealdum filium Godefridi ducis in obsidione Alpium [46] debellat. Civitas Aquensis, metropolis in Provincia, a Sarracenis fuit desolata. Hic dicitur, quod persecutione post lapidationem Stephani prothomartiris [g] mota Maximinus unus [g] de 70 discipulis Christi ad Gallias transiens, Mariam Magdalenam secum adduxit, eam etiam apud Aquensem urbem, cui presidebat, defunctam sepelivit. Unde post istam desolationem dicte civitatis corpus ipsius Marie Magdalene a Gyrardo comite Burgundie, sicut postea [h] suo loco dicetur [47], ad cenobium Vizeliacum a se constructum est [i] translatum. Quod vero aliqui scribunt, quod hec apud Ephesum quiescat nullum super se tegmen habens, omnino est apocrifum et falsum.

Petrus Damascenus — martirizantur a Sarracenis.

Sigeb. 746. Anno 747. Quidam presbiter Athalongus [k], cum esset cecus, ammonitus est — sanctum Buchardum ordinavit. Karolomannus frater — laudabili vita enituit.

Otto Fris. V, 20. Episcopi Ottonis recapitulatio: Anno principatus sui 2. [48] Pipinus et Karlomannus [l] primo in Aquitaniam — Neustriam, Provinciam sortito. Deinde multis preliis commissis anno principatus sui 5. [49] cum iam Fuldense monasterium a sancto Bonifacio [50] fundari ceperat, Karlomannus aperit fratri suo Pippino se seculo renunciare velle. Quod sequenti anno ad effectum perducens, et ad Zachariam Romanum pontificem veniens, inspiratione divina tactus [m], ab eo clericus factus est.

Et factus [n] mundane contemptor glorie, efficitur in monte Soracte [o], monasterio constructo, monachus in latibulo beati Silvestri [51].

Guido: Sed ob frequentiam ad ipsum et [p] propter ipsum convenientium et impedientium eius institutum clam cum quodam, qui fideliter olim militaverat ei, transmigrat ad Montem Cassinum. Exemplum patientie et humilitatis viri nobilissimi Karlomanni, qui in Monte Cassino susceptus a loci fratribus patientie simul et humilitatis memorabile satis ostendit exemplum. Nam occultandi quis esset et unde studio, cum se moribus inconditum et sensus inopem exhiberet, et iniuncto sibi parande refectionis officio propter levis ignorantie culpam a nequissimo quodam inquilino graviter et contumeliose tractari se, cum [q] multa patientia sustineret: memoratus ille, miles olim, tunc sub regula commilito suus, zelo debite fidelitatis armatus et animositate militari in eo regerminante maleficum eundem valido prosternit ictu seminecem. Statimque pariter ambo capiuntur et rapiuntur ad Hor. I, 1. penam. Ac regibus atavis editus, licet absconditus, Christi servus eiusque mandati servator cum disponeret, ut poneret animam pro amico seque retento ligatum solveret a tormento: se tanti mali causam prebuisse, penam meruisse, fuisse socium, clamat, innoxium. Alter e contrario non illum seditionem incepisse, sed suscepisse lesionem, et quod illatam illi [r]

[a] qui et Clodoveus dictus fuit *add.* 1.
[b] regnavit 2.
[c] ambulat 1.
[d] eius prot. 2.
[e] porro 2.
[f] Cecilia 2.
[g] *deest* 2.
[h] post 2.
[i] et 1.
[k] Archalongus 2.
[l] princip. Pippini sec. et Karlomanni 2.
[m] et *add.* 2.
[n] clericus factus factus est 2.
[o] Serapte 1. 2.
[p] *deest* 1.
[q] secum 1. 2.
[r] sibi 2.

[44] — *dictus quondam Daniel clericus* e Fredeg. cont. c. 105.
[45] *et — sepelitur* aut e Fredeg. cont. c. 110 aut ex Hugone Flor. p. 162, aut e Guidone ad an. 750, aut ex Helinando 741 addita sunt.
[46] — *in obsidione Alpium* e Fredeg. cont. c. 113.
[47] Cf. an. 866.
[48] Cf. Fredegar. cont. c. 112.
[49] Cf. Fredegar. cont. c. 113.
[50] Cf. Sigebertum ad annum 742. 54.
[51] Iam haec sicut ea quae sequuntur ex Guidone deprompta esse mihi videntur.

iure fuisset iniuriam ultus [a], cum suus esset comes et domnus, Francie quondam princeps et principum Pipini frater et filius Karoli. Quibus dictis non adhibentibus fidem monasterii fratres [b], huius rei veritatem ab eodem Karlomanno constricto vinculis obedientie vix extorquent. Et stupefacti non minus patientia, quam reverentia tanti viri suppliciter ad pedes eius veniunt et veniam petunt, quod non fuit labor impetrare difficilis apud nobilem et humilem Karlomanni animum [52].

Anno 748. Sarraceni intestino bello colliduntur. Sigeb. 747.

Pipinus Griffonem [c] — in Saxoniam persequitur. Helin. 748. Quatuor habuit filios Karolus Martellus, Pipinum principem et Karlomannum monachum et Remigium virum sanctum, Rothomagensem postea archiepiscopum, et istum Griffonem [53].

Episcopus Otto: Hic Griffo qui minor natu erat, — custodie manciparunt. Otto Fris. V, 19.

Auctor: Postea contigerunt que premissa sunt de conversione Karlomanni et de iterata rebellione dicti [d] Griffonis. Unde sequitur [e].

Anno 749. Pipinus Griffonem in Saxonia — quasi oleo designate. Sigeb. 748.

Apud Leodium post domnum Florebertum fuit episcopus Fulchricus, deinde Agilfridus. Aegid. Aur. II, 31. 32.

Sanctus Bonifacius scribit pape Zacharie, quod ipse tres eligi fecit [f] archiepiscopos, Grimonem Rothomagi, Hardbertum [g] Senonis et Abel Remis. Flod. H. R. II, 16. Qui archiepiscopus Abel apud Lobias se contulit, ubi et obiit [54].

Anno 750. Hic recapitulamus ex dictis Ottonis episcopi, Hugonis et Sigeberti, quod imperator Constantinus impius, Leonis impiissimi imperatoris filius, patrem per omnia malitia supergressus — tam crudelis ac impius fuit, ut iusto Dei iudicio, sicut [h] dicit episcopus Otto, tam ob eius quam ob patris scelera regnum illud nobilissimum videatur imminutum; Otto Fris. V, 19. ita quod ecclesia Romana Romam et totam Ytaliam, ut supra dictum est [55], ab eorum dominio subtraxerit et imperium Romanum, ut postea dicetur [56], regno Francorum coniungeretur. Siquidem dictum est superius [55], quod Gregorius II, quia Leonem imperatorem incorrigibilem vidit, Romam et Italiam et Hesperiam [i] totam ab eius iure descire fecit et vectigalia interdixit, Sigeb. 729. quod nullus pontificum antea fecerat. Tertius autem Gregorius non solum vectigalia interdixit, sed etiam, ut [d] Guido, Karolo Martello Francorum principi missis reliquiis et muneribus pretiosis, salutavit eum apostolicis scriptis, quibus ei significavit quod Romanus eum clerus et populus elegissent Romane patricium urbis et ecclesie defensorem [57].

Auctor: Itaque Karolus Martellus fuit patricius Romanus, Pipinus filius eius [k] fuit patricius [l] Romanus, Karolus Magnus filius eius fuit patricius Romanus, donec factus est [m] imperator, quod maius est.

Sequitur Guido: Dictus Karolus Martellus super Ysaram fluvium obiit in Karisiaco et apud sancti Dyonisii monasterium sepultus est, quod ditaverat Fred. Cont. c. 110. prediis et donariis ornaverat pretiosis. Qui Karolus significantibus sibi, cum regnum tam nobile possideret, quod insignire dyademate regio se deberet, fertur elegans dedisse responsum, quod scilicet [n] ei sufficeret, cum si nomen regis assumeret [o], esset possibile maiorem se vel parem sibi [p] regem alicubi [q] inveniri, nusquam vero ducem vel principem posse sibi parem repperiri.

Cetera omnia que de eodem et de morte eius dicuntur pretermittimus [p] et de pena illius post mortem, unde satis dictum est in Vita sancti Eucherii Aurelianensis episcopi [58] ab eodem exiliati.

Ex libello qui Canterellus dicitur: Apud Leodium hoc anno [r] corpus sancti Huberti episcopi [o] de ecclesia sancti Petri translatum est 16. anno sue migrationis et humatum in ecclesia sancti Lamberti. Chron. S. Hub. c. 2.

Hic igitur annus Pipini principis 9. fuit 10. regni Hildrici, ultimi Francorum regis de prosapia Clodovei.

Eodem anno rex Longobardorum [s] Rachis, — monachus efficitur. Cui frater eius Haystulphus succedens 7 annis regnavit, Sigeb. 749. quorum primus hoc anno annectitur.

In Anglia hoc tempore 4 fuerunt regna, quorum et maius et tunc ceteris potentius dicebatur Merciorum, quorum rex Ethelbaldus erat in anno regni sui 32. et postea 9 annis

---

a) ultus iniur. 2. b) frater mon. 2. c) Pippinus fratrem suum Grifonem 2. d) *deest* 2. e) Unde sequitur *desunt* 2. f) fecit eligi tres 2. g) Hadbertum 2. h) ut 2. i) Hesperiem 2. k) filius eius *desunt* 1. l) eius *add.* 1. m) fuit 2. n) sc. quod 2. o) *deest* 1. p) *deest* 2. q) alicubi regem 2. r) hoc anno *desunt* 2. s) nomine *add.* 1.

52) Idem humilitatis exemplum, sed aliis verbis profert auctor Annal. Mettens. 53) Quae hic de Caroli filiis dicit, nescio an ea ex Ottone Fris. V, 19 et Sigeberto ad an. 751. composuerit. 54) Cf. Folcuini Gesta abb. Lobb. c. 7, M. G. SS. IV, 58. 55) in iis scilicet quae ad annum 729, quia Sigeberto deprompta erant, prelo non subiecimus. 56) Cf. an. 800. 57) Cf. Fredeg. cont. c. 110, cuius verba nescio an Guido — sicut in iis quae proxime sequuntur — sua ratione mutaverit. 58) ap. Surium I, 1028.

regnavit[59], Westsaxonum rex Cuthredus erat in anno regni 7, et postea similiter 9 annis regnavit[60]. Nortdanimbrorum quoque rex Egbertus erat in anno regni sui 11, qui et ipse Wilh. Malm. 15. postea 9 annis regnavit[61]. Rex autem Cantuarie Edbertus hoc anno, regni sui 33, fuit mortuus. Cuius successores ab hinc obmittendos iudicamus. Ista quatuor regna qualiter ad unum pervenerint, habetur in sequentibus.

Hugo Flor. 164. Apud Sarracenos moti sunt in exterioribus partibus Orientis Turci Maurophili — Hispaniam usque in presens tempus. Et hic igitur Abubabas[a] erat in anno regni sui 2, et postea 3 annis regnavit. Super Bulgaros[b] vero ante paucos annos de Scitia egressos, qui partem imperii Constantinopolitani invaserant, iam erat tertius rex[c] nomine Cormesius. Consuetudo namque est ecclesiastice hystorie, non solum amicos ecclesie seriatim in ordine suo collocare, sed etiam inimicos illius tetro colore depingere.

Otto Fris. V, 21. Anno 751. Misit princeps Pippinus sanctum Buchardum episcopum de Wirceburg[d], que Herbipolis dicitur, et Fulradum capellanum suum, ad Zachariam papam sciscitandi gratia[e]. Pontifex ergo melius esse, ut ille, qui curam omnium haberet, rex diceretur, quam qui solum nomen regis gereret, remandavit. Eo tempore Hildricus memoratus inane regium nomen tenebat[f].

Hugo Flor. 163. Hugo: De quo cum esset vir inutilis — rem gereret publicam.

ibid. 165. Cassinenses interea monachi sumentes secum Karolomannum monachum, cuius supra meminimus, Romam venerunt, rogantes Zachariam Romanum pontificem, ut litteras Pipino principi dirigeret, quatinus corpus beatissimi Benedicti, quod Floriacenses monachi furtim sibi vendicarunt, avito restituat loco. Quibus Romanus pontifex annuens per eundem Karlomannum episcopis Francie studuit scribere dicens: *Zacharias episcopus servus servorum Dei* et cetera usque: *permoti valete*. Quam epistolam Karlomannus episcopis Gallie coram fratre suo Pipino in magno conventu presentavit. Tunc pius princeps hec audiens fratrem suum[62] Remigium Rothomagensem episcopum cum tribus episcopis Floriacum potestative direxit, ut maxima cura partem non modicam corporis sancti Benedicti Cassinensibus monachis redderent, partemque solacio loci reservarent; pertractans prudenti consilio, ut nec fratrem contristaret, nec tamen regnum Francorum tanto honore privaret. Quid inde factum sit, continetur in capitulo, quod sequitur.

Inter hec autem et ista sanctus Bonifacius Germanie legatus, qui sedem archiepiscopatus, que[g] erat in Wormacia, posuit in Moguncia, misit in Anglia epistolam regi Merciorum Ethelbaldo, que scripta est in corpore canonum[63]. In qua epistola regem eundem castigat et redarguit in multis, maxime super violatione[h] monialium et sacrarum virginum.

Helin. 754. Quod quam sit, inquit, ab honestate peregrinum, — tuo[i] pereuntis exemplo[64].

Otto Fris. V, 22. Anno 752. Reversis a Roma — ad regnum[k] eligitur.

Sigeb. 750. Unde Sigebertus: Hildricus rex Francorum — sub regibus Francorum.

Quod autem Suessionis coronatus sit, testatur etiam Guido hystoriographus.

Cuius coronationi dux Herninus pater Garini Lothoringhi et Beggonis interfuit.

Sed iam de corpore beati[l] Benedicti, quod supra distulimus, prosequamur. Scribit ibid. 753. Sigebertus[m]: Karlomannus monachus ossa sancti Benedicti abbatis ab ecclesia Floriacensi, ubi olim translata fuerant, tollere nititur, ut ea ad castrum Cassinum referret[n], sed miraculis a Deo ostensis et Francis obsistentibus ab incepto prohibetur. Que autem fuerint illa miracula, Guido hystoriographus et Hugo monachus de Sancto Benedicto super Ligerim[65] breviter declarant.

ibid. 751. Pipinus rex contra Saxones pugnat, qui etiam Galliarum ecclesias — melioravit. Frater eiusdem[o] Remigius Rothomagensis archiepiscopus in Gallia claret; Griffo vero frater eorum, cui Pipinus 12 comitatus dederat in Alemannia, sed neque sic in pace esse poterat[66], a fidelibus regis, eo tamen ignorante perimitur, Fred. cont. c. 118. a Theodoeno Viennensi et Frederico Ultraiurano comitibus in Mauriana civitate, sed et illi comites in eodem bello mortui sunt.

Helin. 752. Anno 753. Zacharias[p] papa moritur Idus Martii et cessavit episcopatus diebus 12. Quidam presbiter Stephanus electus tertio die obmutuit[q] et obiit, et ideo non computatur. Cui succedit venerabilis vir Stephanus II. et sedit annis 5, diebus 29. Qui mox Rome restauravit quatuor[r] zenodochia et alia quinque fundavit. Haystulphus vero Longobardorum rex ceperat Romanos vehementer affligere, — et sibi Romam subdere. Pontifex vero misit Constantinopolin pro auxilio, sed nihil profecit, quia imperator erat hereticus.

Interim ille[s] opprimebat eos valde, — posito in omnium capitibus cinere.

Inde Stephanus papa misit ad Pipinum regem Francorum et patricium Romanorum[67] pro auxilio contra Haistulphum[t]. Qui Pipinus misit Crodegangum, sororis sue filium[68], prius abbatem, post Metensem episcopum,

---

a) Abulabas 2. b) Bulgres 2. c) *deest* 2. d) Wisceburch 2. e) quis debeat rex esse *add.* 1, *desunt et* 2 *et Ottoni ipsi.* f) tenuit 1, *cum Ottone convenit* 2. g) qui 1. h) violationem 1. i) tui 1. k) imperium 2. l) sancti 2. m) Sigibertus 2. n) transferret 2. o) eius 1. p) *deest* 1. q) optinuit 1. 2. r) duo 2. s) *deest* 2. t) Haydulfum 2.

59) Cf. Wilh. Malm. §. 79. 60) Ibid. §. 40. 61) Ibid. §. 65. 62) Cf. Sigeb. 751. 63) Has Bonifacii litteras, quae licet in corpore canonum exstiterint, attamen ex Helinandi chronico depromptas esse, facile intelligitur, si quae differunt conveniuntque inter Albricum, Guilelmum Malmesberiensem et qui hunc descripsit Helinandum comparantur. 64) In iis quae omisi id tantum Albrici est, quod ad verba *Windi quoque* adiecerit: *id est Sclavi.* 65) ed. Rottendorff p. 167. 66) *Griphoni vero in Neustria* 12 *comitatus concedit. Quod illi non sufficit.* Sigeb. 748. 67) Cf. Guidonem ad an. 750. 68) Cf. Sigebertum 758.

et Auctarium ducem, qui in cantilena vocatur Lotharius superbus, ut papam adducerent in Franciam. Qui dum veniret, — in partes Longobardorum.

Unde Sigebertus: Haystulpho Longobardorum rege — in partes Longobardorum. Sigeb. 752.

Haystulphus vero Karlomanno monacho Cassinensi quedam dederat in mandatis ad Pipinum regem, volens sibi conciliare gratiam ipsius ad perturbandam [a] apostolicam petitionem. ibid. 752.

Qui nichil profecit, quia Karlomannus non est ultra reversus in Ytaliam, sed remansit in Francia [b] de voluntate pape et factus est ibi monachus. Helin. 752.

Anchelmus vir illustris — transfert corpus sancti Silvestri pape ad cenobium Nonantulam a se fundatum. Est autem Nonantula in Lombardia inter Mutinam et Parmam. Sigeb. 752.

Episcopus Otto: Pipino interea ab expeditione Saxonum revertenti, — in villa que Carisiacus dicitur nuncius occurrit nuncians papam advenire[69]. Otto Fris. V, 22.

Elinandus [c]: Pontifex vero venit ad monasterium sancti Mauritii, Pipinus properavit ei occurrere cum uxore et filiis, premittens filium suum Karolum, qui postea dictus est Magnus, qui iam erat 12 annorum. Ipse vero Pipinus in palatio suo — sellarem properavit [d]. Helin. 752.

Quod etiam Guido sic attestatur: Papa deducitur ad Pontigonense[70] palatium, aliquantum vie per spatium ipso rege vice stratoris equum regente per frenum[71].

Et quoniam hyemps — eum hyemare fecit. ibid. 752.

Anno 754. Episcopus Otto: Pipinus a Stephano — absolvitur ac Hilderico detonso et in monasterium truso postmodum in regem ungitur. Qui Hildricus, ut dicitur, iacet in abbatia Maurimontis. Otto Fris. V, 23.

Sigebertus: Pipinus a Stephano — anathemate interdicitur. Sigeb. 752.

Episcopus Otto: Ex hoc Romani — Francorum gubernavit. Otto Fris. V, 23.

Hugo Floriacensis: Dum venerabilis papa — precibus convalueral, consecravit. Hugo Flor. 168.

Visio pulcherrima[72], quam vidit, ipsius pape verbis est recitanda: Ego Stephanus episcopus servus servorum Dei ad domnum Pipinum christianissimum regem et sancti Petri fidelem in Franciam veni, ubi egrotavi usque ad mortem, et mansi aliquo tempore apud pagum Parisiacum [e] in venerabili monasterio sancti martiris Christi Dyonisii. Quo cum iam medici de me desperarent, fui [f], sicut in oratione, in ecclesia eiusdem beati martiris [g] subtus campanas, et vidi ante altare bonum pastorem domnum Petrum et magistrum gentium domnum Paulum, et devota [h] mente illos recognovi de illorum furcariis, et ter beatum domnum Dyonisium ad dexteram Domini, subtilem et longiorem, pulchra facie, capillis candidis, colobio indutum candidissimo, purpura [i] clavato, pallio toto purpureo, auro interstellato. Et sermocinabantur inter se letantes, dixitque bonus pastor domnus Petrus: *Hic frater noster postulat sanitatem*, et beatus domnus Paulus dixit [k]: *Modo sanabitur;* et appropinquans misit manum suam ad pectus domni Dyonisii amicabiliter, respexitque ad domnum Petrum, et dixit domnus Petrus ad domnum Dyonisium hilariter: *Tua gratia est sanitas eius;* et statim beatus Dyonisius thuribulum incensi et palmam in manu tenens cum presbitero et dyacono, qui in parte stabant, venit ad me, et dixit michi: *Pax tecum, frater, noli timere, non morieris donec ad tuam sedem prospere revertaris. Surge sanus et hoc altare in honore Dei et apostolorum Petri et Pauli, quos vides, dedica, missas et gratias agens.* Erat enim ibi [l] inestimabilis claritas et suavitas, moxque sanus factus volebam implere, quod michi preceptum erat, et dicebant qui ibi aderant quod dementabam. Quapropter retuli ex ordine illis et regi suisque optimatibus que videram, et quomodo sanus fuerim, et implevi que iussa sunt mihi omnia [m]. Benedictus Deus.

Qui papa postquam Romuleam — consummare non potuit. ibid. 168.

Iste Stephanus cum adhuc esset in Francia, Chrodegangum in episcopum Metensem electum, fecit archiepiscopum et ei pallium tribuit, quod ad vitam tantum constat ei fuisse collatum. Helin. 756.

Elinandus: Pipinus rex rogatu Stephani pape Ytaliam aggressurus[73] partem exercitus iam premiserat versus Ravennam. ibid. 752.

---

a) perturbandum 1. b) Franciam 2. c) Elimandus 2. d) preparavit 2. e) Parisiense 2. f) rui 2. g) martiris beati 2. h) denota 1; nota 2. i) purpure 1. k) dix. dom. beat. Paul. 2. l) *deest* 2. m) que michi sunt omnia 2.

69) Carisiaco Pipinum nuntium de Griphonis morte accepisse illoque pontificem adhuc in Italia degentem auxilium petituros misisse, auctor quem Albricus secutus est, Otto Frisingensis narrat. Regi autem in Theodonis Villa residenti adventum Stephani annuntiatum esse e Fredegarii cont. c. 119 constat. 70) Ponthion, départ. Marne, arrond. Vitry-le-François. 71) Cf. Gesta pont. Rom. p. 121, quae Guido hoc quoque loco usibus suis adaptasse videtur. 72) Sequentem visionem auctor quoque Hist. reg. Franc. mon. s. Dionysii c. 16, M. G. SS. IX, 390, prae oculis habuit, quippe qui pontificem *visitatione et allocutione sancti Dionisii* pristinam salutem recepisse narraverit necnon verba *ubi egrotavi ad mortem* ex ipsa visione descripserit. 73) Cf. Ottonem Fris. V, 25: *Pippinus rex rogatu Stephani papae — Italiam ingredi disponit.*

regnavit [59], Westsaxonum rex Cuthredus erat in anno regni 7, et postea similiter 9 annis regnavit [60]. Nortdanimbrorum quoque rex Egbertus erat in anno regni sui 11, qui et ipse Wilh. Malm. 15. postea 9 annis regnavit [61]. Rex autem Cantuarie Edbertus hoc anno, regni sui 33, fuit mortuus. Cuius successores ab hinc obmittendos iudicamus. Ista quatuor regna qualiter ad unum pervenerint, habetur in sequentibus.

Hugo Flor. 164. Apud Sarracenos moti sunt in exterioribus partibus Orientis Turci Maurophili — Hispaniam usque in presens tempus. Et hic igitur Abubabas [a] erat in anno regni sui 2, et postea 3 annis regnavit. Super Bulgaros [b] vero ante paucos annos de Scitia egressos, qui partem imperii Constantinopolitani invaserant, iam erat tertius rex [c] nomine Cormesius. Consuetudo namque est ecclesiastice hystorie, non solum amicos ecclesie seriatim in ordine suo collocare, sed etiam inimicos illius tetro colore depingere.

Otto Fris. V, 21. Anno 751. Misit princeps Pippinus sanctum Buchardum episcopum de Wirceburg [d], que Herbipolis dicitur, et Fulradum capellanum suum, ad Zachariam papam sciscitandi gratia [e]. Pontifex ergo melius esse, ut ille, qui curam omnium haberet, rex diceretur, quam qui solum nomen regis gereret, remandavit. Eo tempore Hildricus memoratus inane regium nomen tenebat [f].

Hugo Flor. 163. Hugo: De quo cum esset vir inutilis — rem gereret publicam.

ibid. 165. Cassinenses interea monachi sumentes secum Karolomannum monachum, cuius supra meminimus, Romam venerunt, rogantes Zachariam Romanum pontificem, ut litteras Pipino principi dirigeret, quatinus corpus beatissimi Benedicti, quod Floriacenses monachi furtim sibi vendicarunt, avito restituat loco. Quibus Romanus pontifex annuens per eundem Karlomannum episcopis Francie studuit scribere dicens: *Zacharias episcopus servus servorum Dei* et cetera usque: *permoti valete.* Quam epistolam Karlomannus episcopis Gallie coram fratre suo Pipino in magno conventu presentavit. Tunc pius princeps hec audiens fratrem suum [62] Remigium Rothomagensem episcopum cum tribus episcopis Floriacum potestative direxit, ut maxima cura partem non modicam corporis sancti Benedicti Cassinensibus monachis redderent, partemque solacio loci reservarent; pertractans prudenti consilio, ut nec fratrem contristaret, nec tamen regnum Francorum tanto honore privaret. Quid inde factum sit, continetur in capitulo, quod sequitur.

Inter hec autem et ista sanctus Bonifacius Germanie legatus, qui sedem archiepiscopatus, que [g] erat in Wormacia, posuit in Moguncia, misit in Anglia epistolam regi Merciorum Ethelbaldo, que scripta est in corpore canonum [63]. In qua epistola regem eundem castigat et redarguit in multis, maxime super violatione [h] monialium et sacrarum virginum.

Helin. 754. Quod quam sit, inquit, ab honestate peregrinum, — tuo [i] pereuntis exemplo [64].

Otto Fris. V, 22. Anno 752. Reversis a Roma — ad regnum [k] eligitur.

Sigeb. 750. Unde Sigebertus: Hildricus rex Francorum — sub regibus Francorum.

Quod autem Suessionis coronatus sit, testatur etiam Guido hystoriographus.

Cuius coronationi dux Herninus pater Garini Lothoringhi et Beggonis interfuit.

Sed iam de corpore beati [l] Benedicti, quod supra distulimus, prosequamur. Scribit ibid. 753. Sigebertus [m]: Karlomannus monachus ossa sancti Benedicti abbatis ab ecclesia Floriacensi, ubi olim translata fuerant, tollere nititur, ut ea ad castrum Cassinum referret [n], sed miraculis a Deo ostensis et Francis obsistentibus ab incepto prohibetur. Que autem fuerint illa miracula, Guido hystoriographus et Hugo monachus de Sancto Benedicto super Ligerim [65] breviter declarant.

ibid. 751. Pipinus rex contra Saxones pugnat, qui etiam Galliarum ecclesias — melioravit. Frater eiusdem [o] Remigius Rothomagensis archiepiscopus in Gallia claret; Griffo vero frater eorum, cui Pipinus 12 comitatus dederat in Alemannia, sed neque sic in pace esse poterat [66], a fidelibus regis, eo tamen ignorante peri- Fred. cont. c. 118. mitur, a Theodoeno Viennensi et Frederico Ultraiurano comitibus in Mauriana civitate, sed et illi comites in eodem bello mortui sunt.

Helin. 752. Anno 753. Zacharias [p] papa moritur Idus Martii et cessavit episcopatus diebus 12. Quidam presbiter Stephanus electus tertio die obmutuit [q] et obiit, et ideo non computatur. Cui succedit venerabilis vir Stephanus II. et sedit annis 5, diebus 29. Qui mox Rome restauravit quatuor [r] zenodochia et alia quinque fundavit. Haystulphus vero Longobardorum rex ceperat Romanos vehementer affligere, — et sibi Romam subdere. Pontifex vero misit Constantinopolin pro auxilio, sed nihil profecit, quia imperator erat hereticus.

Interim ille [s] opprimebat eos valde, — posito in omnium capitibus cinere.

Inde Stephanus papa misit ad Pipinum regem Francorum et patricium Romanorum [67] pro auxilio contra Haistulphum [t]. Qui Pipinus misit Crodegangum, sororis sue filium [68], prius abbatem, post Metensem episcopum,

a) Abulabas 2. b) Bulgres 2. c) *deest* 2. d) Wisceburch 2. e) quis debeat rex esse *add.* 1, *desunt et* 2 *et Ottoni ipsi.* f) tenuit 1, *cum Ottone convenit* 2. g) qui 1. h) violationem 1. i) tui 1. k) imperium 2. l) sancti 2. m) Sigibertus 2. n) transferret 2. o) eius 1. p) *deest* 1. q) optinuit 1. 2. r) duo 2. s) *deest* 2. t) Haydulfum 2.

---

59) Cf. Wilh. Malm. §. 79. 60) Ibid. §. 40. 61) Ibid. §. 65. 62) Cf. Sigeb. 751. 63) Has Bonifacii litteras, quae licet in corpore canonum exstiterint, attamen ex Helinandi chronico depromptas esse, facile intelligitur, si quae differunt conveniuntque inter Albricum, Guilelmum Malmesberiensem et qui hunc descripsit Helinandum comparantur. 64) In iis quae omisi id tantum Albrici est, quod ad verba *Windi quoque* adiecerit: *id est Sclavi.* 65) ed. Rottendorff p. 167. 66) *Griphoni vero in Neustria* 12 *comitatus concedit. Quod illi non sufficit.* Sigeb. 748. 67) Cf. Guidonem ad an. 750. 68) Cf. Sigebertum 758.

et Auctarium ducem, qui in cantilena vocatur Lotharius superbus, ut papam adducerent in Franciam. Qui dum veniret, — in partes Longobardorum.

Unde Sigebertus: Haystulpho Longobardorum rege — in partes Longobardorum. Sigeb. 752.

Haystulphus vero Karlomanno monacho Cassinensi quedam dederat in mandatis ad Pipinum regem, volens sibi conciliare gratiam ipsius ad perturbandam[a] apostolicam petitionem. ibid. 752.

Qui nichil profecit, quia Karlomannus non est ultra reversus in Ytaliam, sed remansit in Francia[b] de voluntate pape et factus est ibi monachus. Helin. 752.

Anchelmus vir illustris — transfert corpus sancti Silvestri pape ad cenobium Nonantulam a se fundatum. Est autem Nonantula in Lombardia inter Mutinam et Parmam. Sigeb. 752.

Episcopus Otto: Pipino interea ab expeditione Saxonum revertenti, — in villa que Carisiacus dicitur nuncius occurrit nuncians papam advenire[69]. Otto Fris. V, 22.

Elinandus[c]: Pontifex vero venit ad monasterium sancti Mauritii, Pipinus properavit ei occurrere cum uxore et filiis, premittens filium suum Karolum, qui postea dictus est Magnus, qui iam erat 12 annorum. Ipse vero Pipinus in palatio suo — sellarem properavit[d]. Helin. 752.

Quod etiam Guido sic attestatur: Papa deducitur ad Pontigonense[70] palatium, aliquantum vie per spatium ipso rege vice stratoris equum regente per frenum[71].

Et quoniam hyemps — eum hyemare fecit. ibid. 752.

Anno 754. Episcopus Otto: Pipinus a Stephano — absolvitur ac Hilderico detonso et in monasterium truso postmodum in regem ungitur. Qui Hildricus, ut dicitur, iacet in abbatia Maurimontis. Otto Fris. V, 23.

Sigebertus: Pipinus a Stephano — anathemate interdicitur. Sigeb. 752.

Episcopus Otto: Ex hoc Romani — Francorum gubernavit. Otto Fris. V, 23.

Hugo Floriacensis: Dum venerabilis papa — precibus convaluerat, consecravit. Hugo Flor. 168.

Visio pulcherrima[72], quam vidit, ipsius pape verbis est recitanda: Ego Stephanus episcopus servus servorum Dei ad domnum Pipinum christianissimum regem et sancti Petri fidelem in Franciam veni, ubi egrotavi usque ad mortem, et mansi aliquo tempore apud pagum Parisiacum[e] in venerabili monasterio sancti martiris Christi Dyonisii. Quo cum iam medici de me desperarent, fui[f], sicut in oratione, in ecclesia eiusdem beati martiris[g] subtus campanas, et vidi ante altare bonum pastorem domnum Petrum et magistrum gentium domnum Paulum, et devota[h] mente illos recognovi de illorum furcariis, et ter beatum domnum Dyonisium ad dexteram Domini, subtilem et longiorem, pulchra facie, capillis candidis, colobio indutum candidissimo, purpura[i] clavato, pallio toto purpureo, auro interstellato. Et sermocinabantur inter se letantes, dixitque bonus pastor domnus Petrus: *Hic frater noster postulat sanitatem*, et beatus domnus Paulus dixit[k]: *Modo sanabitur;* et appropinquans misit manum suam ad pectus domni Dyonisii amicabiliter, respexitque ad domnum Petrum, et dixit domnus Petrus ad domnum Dyonisium hilariter: *Tua gratia est sanitas eius;* et statim beatus Dyonisius thuribulum incensi et palmam in manu tenens cum presbitero et dyacono, qui in parte stabant, venit ad me, et dixit michi: *Pax tecum, frater, noli timere, non morieris donec ad tuam sedem prospere revertaris. Surge sanus et hoc altare in honore Dei et apostolorum Petri et Pauli, quos vides, dedica, missas et gratias agens.* Erat enim ibi[l] inestimabilis claritas et suavitas, moxque sanus factus volebam implere, quod michi preceptum erat, et dicebant qui ibi aderant quod dementabam. Quapropter retuli ex ordine illis et regi suisque optimatibus que videram, et quomodo sanus fuerim, et implevi que iussa sunt mihi omnia[m]. Benedictus Deus.

Qui papa postquam Romuleam — consummare non potuit. ibid. 168.

Iste Stephanus cum adhuc esset in Francia, Chrodegangum in episcopum Metensem electum, fecit archiepiscopum et ei pallium tribuit, quod ad vitam tantum constat ei fuisse collatum. Helin. 756.

Elinandus: Pipinus rex rogatu Stephani pape Ytaliam aggressurus[73] partem exercitus iam premiserat versus Ravennam. ibid. 752.

---

a) perturbandum 1. b) Franciam 2. c) Elimandus 2. d) preparavit 2. e) Parisiense 2. f) rui 2. g) martiris beati 2. h) denota 1; nota 2. i) purpure 1. k) dix. dom. beat. Paul. 2. l) *deest* 2. m) que michi sunt omnia 2.

69) Carisiaco Pipinum nuntium de Griphonis morte accepisse illoque pontificem adhuc in Italia degentem auxilium petituros misisse, auctor quem Albricus secutus est, Otto Frisingensis narrat. Regi autem in Theodonis Villa residenti adventum Stephani annuntiatum esse e Fredegarii cont. c. 119 constat.

70) Ponthion, départ. Marne, arrond. Vitry-le-François.

71) Cf. Gesta pont. Rom. p. 121, quae Guido hoc quoque loco usibus suis adaptasse videtur.

72) Sequentem visionem auctor quoque Hist. reg. Franc. mon. s. Dionysii c. 16, M. G. SS. IX, 390, prae oculis habuit, quippe qui pontificem *visitatione et allocutione sancti Dionisii* pristinam salutem recepisse narraverit necnon verba *ubi egrotavi ad mortem* ex ipsa visione descripserit.

73) Cf. Ottonem Fris. V, 25: *Pippinus rex rogatu Stephani papae — Italiam ingredi disponit.*

Otto Fris. V, 25. Episcopus Otto: Pipinus rex Ytaliam aggreditur, cui dum Longobardi — in plano resedit.

Sigeb. 753. Sigebertus: Exercitus Haistulphi — ad nutum Francorum compellitur.

Hugo Flor. 168. Hugo: Pipinus copiosum a Gallia movens exercitum ingressus Italiam regem Haistulphum obsedit, qui victus fedus iniit et scripto confirmavit[74], quod Petro beato apostolo et sancto pape Stephano omnia predia, que contra ius et fas eripuerat[75] et sibi retinebat, restitueret, quodque nunquam amplius Romanam ecclesiam inquietare presumeret.

Helin. 752. Elinandus: Sed remeante Pipino fedus dirupit[a] — extra cimiteria[b] proiecit.

Hugo Flor. 164. Hugo: Anastasius hereticus falsus patriarcha Constantinopolis passione nimia fatigatus, — consummationem seculi instare putarent.

Sigeb. 753. Sigebertus: Hoc tempore ultra Constantinopolim terre motus terribilis — heremo adversus Arabes.

Hugo Flor. 164. Sequitur Hugo: Et eodem tempore mortuus est Abubalas[c] — commune sterquilinium esse precepit.

Sigeb. 757. Habdalas iste ab hoc anno regnavit annis 21.

ibid. 754. Anno 755. Sanctus Bonefacius Moguntie — honorifice tumulatur.

Otto Fris. V, 25. Episcopus Otto: Qui Bonifacius verbum vite predicans martirio coronatus est. Hic, ut aiunt, — quam in[d] Germania patravit.

Guil. Malm. 85. Guillelmus: Successit ei quidam sanctus nomine Lullus, de quo sunt hii versus:

Antistes Lullus — predicat orbis.

Post quem fit episcopus Moguntinus Ricolfus, qui Montem sancti Iacobi construxit.

Otto Fris. V, 23. Episcopus Otto: Floruerunt in eisdem diebus clarissimi regni Christi principes: Robertus Iuvaviensium presul, ibid. V, 24. Buchardus Herbipolensis[e. 76] et sanctus[77] Corbinianus primus[77] Frisingensis[f] episcopus. Hic Waldegiso patre — accepturus erat prelibavit. Cum vero fide — ad gentes destinatur. Eo ingresso Bawariam — montem Frisitigis accepit, ubi cenobium monachorum construxit. Fertur de eo — primus irradiavit antistes.

Sigeb. 754. Karolomannus monachus frater Pipini regis Vienne moritur.

ibid. 755. Anno 756. Haystulphus rex Longobardorum rupto pacis federe Romam, ut supra tetigimus[78], obsedit.

Pipinus rex Italiam repetens eum Papie inclusum obsidet et circumdat, donec 40 obsidibus receptis[79] invitum ad fedus pacis repetendum compellit et sancto Petro, quicquid sui iuris erat, restitui fecit.

Otto Fris. V, 25. Insuper etiam Ravennam cum aliis plurimis Italie urbibus beato Petro resignavit, et ita Pipinus prospere Sigeb. 755. in Gallias revertitur; et Fulradus[g] abbas Sancti Dyonisii Parisiensis corpus sancti Viti martiris a Roma Parisius transtulit.

Constantinus imperator impius Constantinopoli sinodum 330 episcoporum congregat, — contra orthodoxos tyrannizat.

Qualiter Haistulphus rex Longobardorum uxorem propriam interfecerit, habetur in epistola Stephani pape in libro[h], qui canones inscribitur.

Otto Fris. V, 25. Anno 757. Cum Francorum regno crescente, iam Romanum imo Constantinopolitanum decresceret, — Conpendium veniunt.

Hugo Flor. 168. Unde Hugo: Pipinus rex Francorum rediens ab Ytalia Constantini imperatoris magna munera recepit.

Inter que secundum Elinandum fuit mirabile organum[80].

Otto Fris. V, 25. Tassilio quoque Baioariorum dux apud Conpendium cum maioribus gentis sue veniens, avunculo suo Pipino[i] reconciliatur[81], regi filiisque suis fidelitatem sacramento promittens.

Haystulphus Longobardorum rex, iterum rebellare attemptans et pacem violare, Helin. 756. iudicio Dei percussus moritur. Cui Desiderius qui erat dux in partibus Tuscie substituitur, sed non regnasset, nisi papa Stephanus eum[i] advocasset[k] sub hac conditione, ut quod abstulerat, beato Petro redderet. Qui 19 annis ab hoc anno regnavit.

ibid. 757. Anno 758. 5. Kalendas Maii Stephanus papa moritur, eique successit Paulus, frater eiusdem Stephani[82], seditque annis 10[l], mense 1.

ibid. 756. Huc usque pertingit liber de gestis pontificum Romanorum, et abhinc de Romanis pontificibus sparsim et varie tractant diversi auctores.

Hugo Flor. 168. Paulus papa Rome illud monasterium, quod frater suus[82] Stephanus papa[i] antea inchoaverat, sed quia morte preventus, consummare non potuit, nobiliter consummavit, — appellari precepit.

Sigeb. 757. Pipinus fortiter — sub tributo redigit.

Otto Fris. V, 25. Unde episcopus Otto: Gravi ac laborioso — tributarios fecit.

Cat. aep. Col. Colonie post sanctum Agilolfum prefuit Regenfridus, deinde Hildegerus.

Flod. H. R. II, 17. Anno 759. Tilpinus vir nobilis et monachus sancti Dyonisii Parisiensis in archiepiscopum Remensem eligitur, rexitque episcopatum abhinc annis 47.

Sigeb. 758. Corpus sancte Petronille — in Metensi parochia.

Wayferus dux Aquitanie, Eudonis filius, frater Hunaldi[m], res Francorum iniuste vexando iram Pipini incurrit, eoque Aquitaniam aggresso, fedus ficte pacis iniit.

Otto Fris. V, 25. Episcopus Otto: Eo quod ecclesias — migravit ad Dominum.

---

a) disrupit 2. b) cimiterium 2. c) Abubabas 2. d) *deest* 2. e) Harbipolensis 1. f) Frisuiensis 1. g) Furaldus 2. h) in libro *desunt* 2. i) *deest* 2. k) adiuvisset 1; adiuvasset 2. l) et *add.* 1. m) Hunandi 1.

74) *Victus pepigit fedus*, dicit Helinandus de Haistulpho qui prima Pippini expeditione superatur; *et scripto confirmavit*, de Haistulpho secunda expeditione fuso fugatoque. 75) — *quae abstulerat* Helin. l. c. 76) Cf. Sigebertum ad annum 746. et Albricum ipsum supra ad annum 751. 77) Cf. Ottonem Fris. V, 24. 78) Ad annum 754 de Roma obsessa narrat, duce Helinando, cuius verba non dedimus. 79) *Papiam tamdiu circumdedit*, *donec receptis* 40 *obsidibus* etc. Otto Fris. V, 25. 80) De hoc organo neque apud Helinandum neque in aliis nostri fontibus quidquam inveni. 81) *avunculo — reconciliatur* ex Helinando 756. addidit. 82) Cf. Gesta p. R. 127.

Elinandus[a] ex dictis Guillelmi: In Anglia moritur Ethelbaldus rex Merciorum[b], succedit rex Offa, cognatus eius, per annos 39. Guil.Mal.86.

Qui reliquias beati Albani martiris obscure usque ad hoc tempus reconditas[c] — monachis adunatis. Helin. 754.

In regno Westsaxonum prefuit Kinewlfus 24 annis, in regno Nortdanimbrorum[d] Sigebertus anno 1[83]. Guil.Mal. 42.

Anno 760. In partibus transmarinis Habdala persequente, ecclesia Dei graviter perturbatur. Wayfero a pacis — cum multis abducit. Sigeb. 759.

Hugo: Pipinus contra Waiferum — Lemonicas usque pervenit. Hugo Flor. 168.

Sequitur Sygebertus[e]: Comites duo Chilpingus Avernensis et Amingus Pictavensis — perimuntur cum 760. Sigeb. 761.

Sanctus Gengulphus claret in Burgundia. De hoc plenius habetur in anno 766. ibid. 759.

Anno 761. Rediens Pipinus ab Aquitania[84] Bituricas urbem capit et captam munit. Telezas Bulgaribus dominatur post Cormesium[f, 85]. ibid. 760.

In Anglia rex Nortdanimbrorum Molo 11 annis regnavit. Helin. 736.

Hugo: Interea Constantinus Constantinopoleos falsi nominis patriarcha — et imagines deposuit. Sed et eodem anno Constantinus imperator Hyrenem speciosissimam puellam ab Athenis evocavit et Leoni filio suo copulavit. Hugo Flor. 164.

Maior vero Hyrene, uxor eiusdem Constantini, fuit filia Cagani Avarum regis, que viro suo apostatante fidem rectam tenuit[86]. Sigeb. 732.

Anno 762. Per idem tempus Tracensium pretor, — omnes voluntates meas. H. Flor. 165.

Caput Iohannis baptiste — regiis magnifice ditavit. Idem rex fecit — Agelis[g] vocatur. Auct. Gemb. 771.

Anno 763. Apud Virdunum post mortem Maldenei episcopi viri sancti Amalbertus fuit corepiscopus per annos 12. Gesta ep. Vird. c. 13.

A Constantino imperatore — ab eis perimitur. Sigeb. 762.

Sabinus Bulgaribus dominatur.

Thassilo dux a rege Pipino omnino avertitur.

Episcopus Otto: Thassilo Baioariorum dux postposita fide avunculo suo Pipino rebellare attemptat. Difficilia et periculosa hec tempora duobus fortissimis Aquitanie ac Bawarie ducibus regi rebellantibus. Nam Waifarum adhuc rebellantem Pipinus multis ac gravibus bellis pressit. Otto Fris. V, 25.

Hugo: Pipinus Aquitaniam perambulavit — sibi presidium[h] collocavit. Hugo Flor. 169.

Wayferus diffidens suis rebus[i] muros urbium Aquitanie subvertit solotenus, quas restaurans Pipinus ad suorum tutelam fidis commisit principibus. Fred. cont. c. 129.

Hic annotandum est de duce Provincie Reymundo et filio eius Belino, sed et de duobus bastardis filiis Pipini, Holdrico et Raginfredo, si vera sunt ea, que dicuntur; et de[k] fuga Karoli Magni ad Galafrum admiraldum Toleti hic est annotandum. Erant pro Karolo Milo de Angleris[87] et Garnerus de Divione[l, 88], pater alterius Milonis. Cuius Garneri[m] fuit frater Samson de Valencia[89], pater Reneri. Iste dux Garnerus fundavit abbaciam monialium de Balmis[90], ubi et positus fuit et adhuc nobilissimam habet ibi sepulturam.

Episcopus Otto: Turci a Caspiis — profligatis conflixere. Otto Fris. V, 25.

Sigebertus: Turci a Caspiis portis erumpentes — ritum tondendi tenuerunt. Abhinc nulla fit mentio de Turcis in hoc opere usque ad annum 1059. Sigeb. 762.

Anno 764. Gelu magnum — ad Februarium fuit. ibid. 763.

Apud Tullum sanctus Bodo prefuit episcopus et post eum sanctus Iacob[n]. Qui rediens a[o] Roma[91] sepultus est in cenobio sancti Benigni Divionensis. Gesta ep. Tull. c. 22. 23

Civitati autem Avernis sanctus Bonitus[92] vir nobilis prefuit. De hoc Petrus Damianus in epistola sua meminit, quod hac occasione cathedram contempsit atque ad remotioris vite custodiam se contulit, quoniam de manu regis, layci videlicet hominis, episcopatum suscepisse eum contigerat[p]. Ep. I, 9.

De eodem sancto Bonito habetur illa narratio rithmica in miraculis beate Marie, que sic incipit:

Presul erat Deo gratus
Ex Francorum gente[q] *natus,*
Bonus[r] *erat ei nomen,*
Quod designat bonum omen et cetera.

Pipinus rex Lemoviacam[s] — Bulgaribus dominatur. Sigeb. 763.

Stelle subito vise de celo cecidisse, de hoc habetur supra in anno 754.

Anno 765. Chrodegangus[t] episcopus Metensis corpora — priori anno tradiderat. ibid. 764.

Milo Remensis et Treverensis simul archiepiscopus, ante 40 annos a Karolo Martello tyrannica invasione constitutus, hoc anno moritur. Gesta Trev. c. 25.

a) Elimandus 2. b) Eth. rex Merc. mor. 2. c) absconditas 2. d) Nardanimbrorum 2. e) Sigibertus 2. f) Cormensium 1. g) Agilis 2. h) presidium sibi 2. i) viribus 2. k) *deest* 2. l) Dinione 2. m) Garnei 1. n) Iacobus 1; *cum* 2 *conveniunt ipsa ep. Tull. gesta*. o) *deest* 1. p) contingerat 1. q) genere 2. r) Bonum 1. s) Lemoniacam 1. t) Crodegangus 2.

83) Sigebertus ab Helin. 754. et Guil. Malm. §. 74 et 97 rex orientalium Anglorum dicitur, nec vero hic neque ille eum uno anno regnasse narrat. 84) Cf. Fredeg. cont. c. 124. 85) Cf. Sigebertum ad an. 727, cuius e chronico verba: *post Cormesium* addidit. 86) Eadem iam ad an. 732 narrata sunt. 87) Anglure, départ. Marne, arrondiss. Epernay. 88) Dijon. 89) Valence. 90) Baume-les-dames, départ. Doubs. 91) E chron. S. Benig. 386. 92) Cf. annum 687.

Anno 766. Tylpinus vir nobilis, qui et Turpinus dicitur, iam erat presul Remensis[93], Gesta Trev. c. 25. et sanctus Hildolfus ordinatus est Treverensis archiepiscopus.

Sigeb. 765. Pipinus rex Agennum — sibi subiugat.

Helin. 767. Sanctus Gengulfus fontem — experiri dignatus est[a][94]. Clericus vero in quadam latrina cecidit usque ad latrinam inferni.

Sigeb. 765. Anno 767. Tempore Constantini imperatoris — passio dominice imaginis.

Floruit hiis diebus[b] Ambrosius Aupertus, qui prolixam expositionem super Apocalipsin edidit. Quis iste fuerit Ambrosius, ipse de se testatur in fine libri sui[c] dicens: Ambrosius qui et Aupertus, ex Galliarum provincia ortus, intra Samnii vero[c] regionem apud monasterium martiris Christi Vincentii maxima ex parte divinis rebus inbutus — hoc opus confeci[d] atque conplevi, quodque propter facilitatem intelligendi Speculum parvulorum vocavi. Samnii vero regio ultra Romam sita est. Scripsit autem prologum suum ad Stephanum Romanum pontificem, de quo post[c] sequens capitulum suo loco annotabimus[95].

ibid. 766. Anno 768. Constantinus imperator — egre ferens gloriam sanctorum — lipsana eorum ubique iubet effodi et iactari in profundum. De hoc superius dictum est in anno 762.[96]

In presentia Pipini — amicitiam Pipini regis.

ibid. 768. Anno 769. Pipinus ultimo exterminio — secum abducit.

Hugo Flor. 168. Hugo: Tertia expeditione Pipinus Aquitaniam intrans — Wayferum interfecit.

Otto Fris. V, 25. Episcopus Otto: Pipinus multis ac variis[e] — deportatus diem obiit.

Guido: Cum Pipinus ecclesiis restituisset ex illis multa, multa pro illis, que patrem suum metuebat[f] ab ecclesiis ad ecclesiarum transtulisse[g] minus legitime defensores, apud Sanctum Dyonisium committit animam Deo, corpus terre, regnum filiis.

Sigeb. 768. Sygebertus hunc locum ita prosequitur: Longa contentio inter — idem Pipinus moritur.

Unde magister Hugo de Sancto Victore[97]: Hic obiit Pipinus rex Francorum[h] et patricius Romanorum anno 15, ex quo a papa Stephano fuerat inunctus, a morte vero patris sui anno 27.

Fred. cont. c. 136. Sepultus est in abbacia beati Dyonisii.

Sigeb. 768. Karolus filius eius — compartito cum fratre suo Karlomanno regno regnavit annis[i] 46, de quibus tres fecit cum eodem Karlomanno, reliquos vero solus.

Hugo Flor. 169. Hugo Floriacensis: Karolus in Noviomensi urbe regiam suscepit coronam, et frater eius Karolomannus Suessionis. De anno autem ab incarnatione[k] Domini omnes concordant, de die autem invenitur Fred. cont. c. 137. auctoritas, que dicit: 14 Kalendas Octobris die dominica. Revolvendo autem compotum, invenio hec omnia in hoc anno concurrere.

Hugo S. Vict. 122. Et secundum magistrum Hugonem eodem anno Constantinus fuit papa anno[i] 1.

Sigeb. 767. De quo Sigebertus ita: Rome Paulo papa — multo post deponitur.

Helin. 768. Constantino autem tandem per zelum fidelium — diebus 28.

Sigeb. 768. Hic tam a Gallia — Deo[i] canatur.

Hugo Flor. 169. Anno 770. Karolus primo regni sui anno Aquitaniam ingressus, ducem Hunaldum fratrem Wayferii, qui post mortem eius ipsam sibi provinciam retinere parabat, est aggressus, quem etiam Guasconiam petere conpulit; sed Karolus Lupo duci Guasconensi mandavit, ut perfugam reddat[l], et nisi hoc mature faciat, bello se eum expetiturum. Lupus vero leonis audacia territus et saniori consilio usus non solum Hunaldum reddidit, verum etiam se ipsum cum provincia[m] cui preerat eius[n] potestati permisit.

Sigeb. 769. Sygebertus ita dicit: Hunaldo rebellionem — captos[o] excecavit.

Chr. Moiss. 295. Berta regina mater fuit in Lombardia ad placitum.

Einhard. c. 18. Sequitur secundum Alcuinum[p][98]: Cum matris hortatu filiam Desiderii Longobardorum regis Karolus Magnus duxisset uxorem, incertum qua de causa, eam[o] post annum repudiavit, et Hildegardem Alemannam duxit de gente[q] Suevorum, precipue nobilitatis feminam, de qua tres[r] filios genuit, Karolum, Pipinum et[s] Ludovicum et filias tres.

Super repudiatione dicte[t] regine, que dicta est Sibilia, a cantoribus Gallicis pulcherrima contexta est fabula: de quodam nano turpissimo, cuius occasione dicta regina fuit

a) voluit 2. b) *deest* 1. c) *deest* 2. d) feci 2. e) Episcopus — variis *et quae sequuntur verba:* bellis patratis ad ultimum Waiferum interfecit *desunt* 1. f) metuebant 1. g) transtulisset 1. 2. h) Franc. rex 2. i) *deest* 2. k) autem incarnationis 2. l) per fugam recedat 1. 2, *corr. secundum Hugonem Flor.* m) provincia et 1. 2. n) ipsius 2. o) *deest* 2. p) Alcwinum 2. q) genere 2. r) filios tres 1; 2 *convenit cum Einhardo ipso.* s) *deest* 1; *nec vero* 2, *nec Einhardo ipsi.* t) predicte 2.

---

93) Cf. Flodoard. Hist. Rem. II, 17. 94) Tota quae praecedit narratio nihil ab Helinando differt, nisi quod Albricus domum illam, in qua sanctus vir a clerico quodam occisus est, iuxta Wandreluez sitam esse et clericum illum postea ad latrinam inferni cecidisse dicit. Haec vero verba coniicio, in Helinandi tantum editione deesse quippe quae mendis scateat. 95) in iis sc., quae ad annum 769. Sigeberto et Helinando deprompsit. 96) ex Hugonis sc. Floriacensis verbis, quorum initium tantum finemque dedimus. 97) Quae sequuntur, ea in Hugonis de S. Victore exemplari Lipsiensi frustra quaesivi. Folio 114, Pippino 16 anni tribuuntur. 98) Quae sequuntur Einhardi sunt, cuius opere Albricum non ipsum usum esse verba testantur, quae eundem Einhardi locum repetiturus ad annum 776 praefatur: *Hoc capitulum reperitur in libro, qui canones inscribitur* etc.

expulsa; de Albrico milite Montis Desiderii [1], qui eam debuit conducere a Machario proditore occiso; de cane venatico eiusdem Albrici, qui dictum Macharium in presentia Karoli Parisius duello mirabili devicit; de Gallerano de Bacaire [a. 2] et eodem Machario, tractis turpiter et patibulo affixis; de rustico asinario Warothero nomine, qui dictam reginam mirabiliter reduxit in terram suam; de latrone famoso Grimoaldo [b] in itinere invento; de heremita et [c] fratre eius Richero Constantinopolitano imperatore dicte regine patre; de expeditione in Franciam eiusdem imperatoris cum Grecis; et de filio eiusdem Sibilie Ludovico nomine, cui dux Naaman filiam suam Blanchafloram in uxorem dedit, et de Karolo Magno in Monte Widomari [3] a dicto Ludovico et Grecis obsesso; de reconsiliatione eiusdem regine cum Karolo, quod omnino falsum est; de sex proditoribus de genere Ganalonis occisis, quorum duo supradicti Macharius et Galerannus perierunt Parisius, duo ante portam Montis Wimari, quorum unus fuit Almagius, et duo in ipso castro, et cetera isti fabule annexa ex magna parte [d] falsissima. Que omnia quamvis delectent et ad risum moveant audientes vel etiam ad lacrimas, tamen a veritate hystorie nimis conprobantur [e] recedere, lucri gratia ita conposita.

Anno 771. Constantinus imperator — Bulgaribus dominatur. Sigeb. 770.

Episcopus Otto: Karolus in Wormacia generalem curiam celebrans, orationis causa limina apostolorum visitare disponit [f], quod eodem anno devote complevit. Otto Fris. VI, 25.

Anno 772. Karolomannus rex frater Karoli Magni obiit apud Salmonciacum Laudunensis [g] pagi palatium. Helin. 771. In Salmonciaco [4] est modo grangia sancti Martini Laudunensis.

Pars autem regni Karolomanni defuncti partibus Karoli Magni se unit, — confugit. Sigeb. 771.

Hunaldus dux Aquitanie — ad Longobardos fugiens apostatavit, ibi non multo post maligna eis adhortans lapidibus obrutus male periit.

Constantinus imperator — amisit exercitum.

In Anglia rex Nortdanimbrorum Alredus annis 10. Guil. Malm. 72.

Rex vero Merciorum Offa Karoli amicitias frequentibus legationibus expetit. Iste rex Offa sedem archiepiscopatus olim Cantuarie fundatam in Linchisfelda, ubi tunc erat sedes [h] episcopatus Conventrensis, transferre [i] voluit, tempore archiepiscopi Lambrithi. Helin. 773.

Huic successit Ethelardus, quo a rege Offa deposito, successit quidam Chuthbertus [k. 5].

Hic dicitur de Alcuino, quod [l] post sanctum Adelinum et Bedam omnium Anglorum doctissimus [m], qui [n] ab archiepiscopo Eboracensi Egberto enutritus, venit in Franciam liberalitate Karoli provocatus. De eodem Alcuino habetur in anno 794. [o] Guil. Malm. 66. ibid. 65.

Anno 773. Adrianus Romane ecclesie presidet annis 23, mensibus 10, diebus 28 [6]. Hic ad reprimendam rabiem — accepit a Saxonibus. Bellum hoc Saxonicum hic inchoatum per 33 annos duravit. Sigeb. 772.

Anno 774. Adriano papa — clausum obsidet. ibid. 773.

Recapitulatio Guidonis de Karolo et triumphis eius: Karolus igitur, cum paternum ascendisset solus ad solium, pro singularis excellentie titulo, velud olim Alexander et Pompeius, Magnus accepit cognomentum. Tunc tantum studium operibus magnificentie regalis impendit, tantum, ut upud Deum et homines gratiam inveniret; intendit, quod pia contendit emulatione virtutum, esse precessoribus suis ad gloriam, successoribus in [p] exemplum. Primum fuit ei [q] victorie decus decussus ab arce ducatus Aquitanie, Gaiferi principatus heres et rebellionis Hunaldus, de quo dictum est; secundum Ytalia Karolo dat triumphum, dum Adriano summo pontifici, tanquam antecessorio iure Romane patricius urbis ecclesieque defensor, inploratum et desideratum contra Desiderium regem Longobardorum prebet auxilium et Alpes cum armipotentibus Francis exuperans infra [r] Papiam per obsidionem ad [s] deditionem coactum et captum Desiderium trahit in Franciam, fugat in Greciam eius filium Adalgisum.

Quoniam Amicus et Amelius hoc anno passi sunt 4. Idus Octobris, videndum est, si de hystoria illorum aliqua [t] reperiri possit concordia. Primo itaque dicitur, quod temporibus

---

a) Bachare 2. b) Girimardo 2. c) de *add.* 1. d) parte magna 2. e) nimis conprobantur 2. f) disposuit 1, *sed ut* 2, *ita Otto Fris. ipse.* g) Lugdunensis 2. h) *deest* 2. i) transferre Conventrensis 2. k) quo — Chuthbertus *desunt* 2. *Cf. notam* m. l) qui 2. m) *hoc loco ponit* 2 *ea quae de archiepiscopis Cantuariae paulo superius omisit:* Rex Offa deposito Ethlardo instituit quendam Euthbertum. n) Alcwinus 2. o) De — anno 794. *desunt* 2. p) ad 2. q) *deest* 2. r) in 2. s) et 2. t) *deest* 1.

[1] Montdidier, départ. Somme? [2] Bayarne, départ. Marne, arrond. Vitry-le-François. [3] Mont-Aimé, départ. Marne, arrond. Châlons-sur-Marne. [4] Samoussy, départ. Aisne, arrond Laon. [5] Hic verba Guil. Malm. §. 87 et 94 Albricus confudisse videtur. [6] Cf. Helinandum ad 772, qui magistrum Hugonem allegat auctorem.

Anno 766. Tylpinus vir nobilis, qui et Turpinus dicitur, iam erat presul Remensis[93],
Gesta Trev. c. 25. et sanctus Hildolfus ordinatus est Treverensis archiepiscopus.

Sigeb. 765. Pipinus rex Agennum — sibi subiugat.

Helin. 767. Sanctus Gengulfus fontem — experiri dignatus est[a][94]. Clericus vero in quadam latrina cecidit usque ad latrinam inferni.

Sigeb. 765. Anno 767. Tempore Constantini imperatoris — passio dominice imaginis.

Floruit hiis diebus[b] Ambrosius Aupertus, qui prolixam expositionem super Apocalipsin edidit. Quis iste fuerit Ambrosius, ipse de se testatur in fine libri sui[c] dicens: Ambrosius qui et Aupertus, ex Galliarum provincia ortus, intra Samnii vero[c] regionem apud monasterium martiris Christi Vincentii maxima ex parte divinis rebus inbutus — hoc opus confeci[d] atque conplevi, quodque propter facilitatem intelligendi Speculum parvulorum vocavi. Samnii vero regio ultra Romam sita est. Scripsit autem prologum suum ad Stephanum Romanum pontificem, de quo post[c] sequens capitulum suo loco annotabimus[95].

ibid. 766. Anno 768. Constantinus imperator — egre ferens gloriam sanctorum — lipsana eorum ubique iubet effodi et iactari in profundum. De hoc superius dictum est in anno 762.[96]

In presentia Pipini — amicitiam Pipini regis.

ibid. 768. Anno 769. Pipinus ultimo exterminio — secum abducit.

Hugo Flor. 168. **Hugo**: Tertia expeditione Pipinus Aquitaniam intrans — Wayferum interfecit.

Otto Fris. V, 25. **Episcopus Otto**: Pipinus multis ac variis[e] — deportatus diem obiit.

Guido: Cum Pipinus ecclesiis restituisset ex illis multa, multa pro illis, que patrem suum metuebat[f] ab ecclesiis ad ecclesiarum transtulisse[g] minus legitime defensores, apud Sanctum Dyonisium committit animam Deo, corpus terre, regnum filiis.

Sigeb. 768. **Sygebertus hunc locum ita prosequitur**: Longa contentio inter — idem Pipinus moritur.

Unde magister Hugo de Sancto Victore[97]: Hic obiit Pipinus rex Francorum[h] et patricius Romanorum anno 15, ex quo a papa Stephano fuerat inunctus, a morte vero patris sui anno 27.

Fred. cont. c. 136. Sepultus est in abbacia beati Dyonisii.

Sigeb. 768. Karolus filius eius — compartito cum fratre suo Karlomanno regno regnavit annis[i] 46, de quibus tres fecit cum eodem Karlomanno, reliquos vero solus.

Hugo Flor. 169. **Hugo Floriacensis**: Karolus in Noviomensi urbe regiam suscepit coronam, et frater eius Karolomannus Suessionis. De anno autem ab incarnatione[k] Domini omnes concordant, de die autem invenitur
Fred. cont. c. 137. auctoritas, que dicit: 14 Kalendas Octobris die dominica. Revolvendo autem compotum, invenio hec omnia in hoc anno concurrere.

Hugo S.Vict. 122. **Et secundum magistrum Hugonem** eodem anno Constantinus fuit papa anno[i] 1.

Sigeb. 767. **De quo Sigebertus ita**: Rome Paulo papa — multo post deponitur.

Helin. 768. Constantino autem tandem per zelum fidelium — diebus 28.

Sigeb. 768. Hic tam a Gallia — Deo[i] canatur.

Hugo Flor. 169. Anno 770. Karolus primo regni sui anno Aquitaniam ingressus, ducem Hunaldum fratrem Wayferii, qui post mortem eius ipsam sibi provinciam retinere parabat, est aggressus, quem etiam Guasconiam petere conpulit; sed Karolus Lupo duci Guasconensi mandavit, ut perfugam reddat[l], et nisi hoc mature faciat, bello se eum expetiturum. Lupus vero leonis audacia territus et saniori consilio usus non solum Hunaldum reddidit, verum etiam se ipsum cum provincia[m] cui preerat eius[n] potestati permisit.

Sigeb. 769. **Sygebertus ita dicit**: Hunaldo rebellionem — captos[o] excecavit.

Chr. Moiss. 295. Berta regina mater fuit in Lombardia ad placitum.

Einhard. c. 18. **Sequitur secundum Alcuinum**[p][98]: Cum matris hortatu filiam Desiderii Longobardorum regis **Karolus Magnus** duxisset uxorem, incertum qua de causa, eam[o] post annum repudiavit, et Hildegardem **Alemannam** duxit de gente[q] Suevorum, precipue nobilitatis feminam, de qua tres[r] filios genuit, Karolum, Pipinum et[s] Ludovicum et filias tres.

Super repudiatione dicte[t] regine, que dicta est Sibilia, a cantoribus Gallicis pulcherrima contexta est fabula: de quodam nano turpissimo, cuius occasione dicta regina fuit

a) voluit 2. b) *deest* 1. c) *deest* 2. d) feci 2. e) Episcopus — variis *et quae sequuntur verba:* bellis patratis ad ultimum Waiferum interfecit *desunt* 1. f) metuebant 1. g) transtulisset 1. 2. h) Franc. rex 2. i) *deest* 2. k) autem incarnationis 2. l) per fugam recedat 1. 2, *corr. secundum Hugonem Flor.* m) provincia et 1. 2. n) ipsius 2. o) *deest* 2. p) Alcwinum 2. q) genere 2. r) filios tres 1; 2 *convenit cum Einhardo ipso.* s) *deest* 1; *nec vero* 2, *nec Einhardo ipsi.* t) predicte 2.

---

[93] Cf. Flodoard. Hist. Rem. II, 17.

[94] Tota quae praecedit narratio nihil ab Helinando differt, nisi quod Albricus domum illam, in qua sanctus vir a clerico quodam occisus est, iuxta Wandreluez sitam esse et clericum illum postea ad latrinam inferni cecidisse dicit. Haec vero verba coniicio, in Helinandi tantum editione deesse quippe quae mendis scateat.

[95] in iis sc., quae ad annum 769. Sigeberto et Helinando deprompsit.

[96] ex Hugonis sc. Floriacensis verbis, quorum initium tantum finemque dedimus.

[97] Quae sequuntur, ea in Hugonis de S. Victore exemplari Lipsiensi frustra quaesivi. Folio 114, Pippino 16 anni tribuuntur.

[98] Quae sequuntur Einhardi sunt, cuius opere Albricum non ipsum usum esse verba testantur, quae eundem Einhardi locum repetiturus ad annum 776 praefatur: *Hoc capitulum reperitur in libro, qui canones inscribitur* etc.

expulsa; de Albrico milite Montis Desiderii[1], qui eam debuit conducere a Machario proditore occiso; de cane venatico eiusdem Albrici, qui dictum Macharium in presentia Karoli Parisius duello mirabili devicit; de Gallerano de Bacaire[a][2] et eodem Machario, tractis turpiter et patibulo affixis; de rustico asinario Warothero nomine, qui dictam reginam mirabiliter reduxit in terram suam; de latrone famoso Grimoaldo[b] in itinere invento; de heremita et[c] fratre eius Richero Constantinopolitano imperatore dicte regine patre; de expeditione in Franciam eiusdem imperatoris cum Grecis; et de filio eiusdem Sibilie Ludovico nomine, cui dux Naaman filiam suam Blanchafloram in uxorem dedit, et de Karolo Magno in Monte Widomari[3] a dicto Ludovico et Grecis obsesso; de reconsiliatione eiusdem regine cum Karolo, quod omnino falsum est; de sex proditoribus de genere Ganalonis occisis, quorum duo supradicti Macharius et Galerannus perierunt Parisius, duo ante portam Montis Wimari, quorum unus fuit Almagius, et duo in ipso castro, et cetera isti fabule annexa ex magna parte[d] falsissima. Que omnia quamvis delectent et ad risum moveant audientes vel etiam ad lacrimas, tamen a veritate hystorie nimis conprobantur[e] recedere, lucri gratia ita conposita.

Anno 771. Constantinus imperator — Bulgaribus dominatur. Sigeb. 770.

Episcopus Otto: Karolus in Wormacia generalem curiam celebrans, orationis causa limina apostolorum visitare disponit[f], quod eodem anno devote complevit. Otto Fris. VI, 25.

Anno 772. Karolomannus rex frater Karoli Magni obiit apud Salmonciacum Laudunensis[g] pagi palatium. Helin. 771. In Salmonciaco[4] est modo grangia sancti Martini Laudunensis.

Pars autem regni Karolomanni defuncti partibus Karoli Magni se unit, — confugit. Sigeb. 771.

Hunaldus dux Aquitanie — ad Longobardos fugiens apostatavit, ibi non multo post maligna eis adhortans lapidibus obrutus male periit.

Constantinus imperator — amisit exercitum.

In Anglia rex Nortdanimbrorum Alredus annis 10. Guil. Malm. 72.

Rex vero Merciorum Offa Karoli amicitias frequentibus legationibus expetit. Iste rex Offa sedem archiepiscopatus olim Cantuarie fundatam in Linchisfelda, ubi tunc erat sedes[h] episcopatus Conventrensis, transferre[i] voluit, tempore archiepiscopi Lambrithi. Helin. 773.

Huic successit Ethelardus, quo a rege Offa deposito, successit quidam Chuthbertus[k][5].

Hic dicitur de Alcuino, quod[l] post sanctum Adelinum et Bedam omnium Anglorum doctissimus[m], qui[n] ab archiepiscopo Eboracensi Egberto enutritus, venit in Franciam liberalitate Karoli provocatus. De eodem Alcuino habetur in anno 794.[o] Guil. Malm. 66. ibid. 65.

Anno 773. Adrianus Romane ecclesie presidet annis 23, mensibus 10, diebus 28[6]. Hic ad reprimendam rabiem — accepit a Saxonibus. Bellum hoc Saxonicum hic inchoatum per 33 annos duravit. Sigeb. 772.

Anno 774. Adriano papa — clausum obsidet. ibid. 773.

Recapitulatio Guidonis de Karolo et triumphis eius: Karolus igitur, cum paternum ascendisset solus ad solium, pro singularis excellentie titulo, velud olim Alexander et Pompeius, Magnus accepit cognomentum. Tunc tantum studium operibus magnificentie regalis impendit, tantum, ut upud Deum et homines gratiam inveniret; intendit, quod pia contendit emulatione virtutum, esse precessoribus suis ad gloriam, successoribus in[p] exemplum. Primum fuit ei[q] victorie decus decussus ab arce ducatus Aquitanie, Gaiferi principatus heres et rebellionis Hunaldus, de quo dictum est; secundum Ytalia Karolo dat triumphum, dum Adriano summo pontifici, tanquam antecessorio iure Romane patricius urbis ecclesieque defensor, inploratum et desideratum contra Desiderium regem Longobardorum prebet auxilium et Alpes cum armipotentibus Francis exuperans infra[r] Papiam per obsidionem ad[s] deditionem coactum et captum Desiderium trahit in Franciam, fugat in Greciam eius filium Adalgisum.

Quoniam Amicus et Amelius hoc anno passi sunt 4. Idus Octobris, videndum est, si de hystoria illorum aliqua[t] reperiri possit concordia. Primo itaque dicitur, quod temporibus

---

a) Bachare 2. b) Girimardo 2. c) de *add.* 1. d) parte magna 2. e) nimis conprobantur 2. f) disposuit 1, *sed ut* 2, *ita Otto Fris. ipse.* g) Lugdunensis 2. h) *deest* 2. i) transferre Conventrensis 2. k) quo — Chuthbertus *desunt* 2. *Cf. notam* m. l) qui 2. m) *hoc loco ponit* 2 *ea quae de archiepiscopis Cantuariae paulo superius omisit:* Rex Offa deposito Ethlardo instituit quendam Euthbertum. n) Alcwinus 2. o) De — anno 794. *desunt* 2. p) ad 2. q) *deest* 2. r) in 2. s) et 2. t) *deest* 1.

[1] Montdidier, départ. Somme? [2] Bayarne, départ. Marne, arrond. Vitry-le-François. [3] Mont-Aimé, départ. Marne, arrond. Châlons-sur-Marne. [4] Samoussy, départ. Aisne, arrond Laon. [5] Hic verba Guil. Malm. §. 87 et 94 Albricus confudisse videtur. [6] Cf. Helinandum ad 772, qui magistrum Hugonem allegat auctorem.

Pipini regis nati sunt. Quod si ita est, eodem anno, quo Pipinus principari cepit post mortem patris vel potius ante triennio, concedamus, ut nati sint. Amicus fuit filius viri nobilis de castro Bericano[7], natione Teuthonici, sed possessione Franci. Hoc castrum dicitur esse prope Cluniacum. Amelius vero filius comitis Alvernensis. Papa, qui eos baptizavit, Deusdedit dictus est. Quod nullo modo stare potest, nisi papa binomius[a] sit. Cum essent ambo annorum 30, pater Amici mortuus est, et ipse iuvenis a castro suo expulsus est. Et ivit querere comitem Amelium, in quo itinere filiam cuiusdam nobilis duxit in[b] uxorem, manens cum ea per annum et dimidium. Et comes Amelius querebat eum iam per biennium; euntes autem Parisius iuxta Sequanam se recognoverunt. Quid multa? venientes ad regem Karolum, Amicus factus est thesaurarius regis et Amelius dapifer. Triennio transacto, Amicus dedit mandata socio dicens, quod uxorem suam vellet invisere ac citius redire; Amelius comes mandata socii neglexit, super filiam regis oculos iniecit et eam, quam cito potuit, indecenter oppressit. Ne multis morer, per Hardericum accusatus et in periculo constitutus, per Amicum liberatus est, qui eidem Harderico in duello caput amputasse legitur.

Hardericus iste senior hic occisus pater Fromundi senioris et Haymonis de Burdegala notatur fuisse; et isti duo fratres habuerunt de matre, non de patre, Guillelmum de Monclin et quendam alium Fromundum comitem Burdegalensem. Qui Fromundus comes genuit Fromondinum et Ludiam uxorem Ernaldi. Guilelmus de Monclin[8] genuit Fromondum, quem Gerbertus interfecit.

Igitur ut ad superiora redeamus: Amelio filia regis predicta Belissendis nomine in uxorem data est, cui rex dedit quandam iuxta mare civitatem. Amicus ad uxorem reversus,
Hebr. 12, 6. Dei disponente clementia, factus est leprosus, iuxta illud: *Flagellat Deus omnem filium, quem recipit.* Amicus autem fugiens uxorem, assumpsit duos servos suos, Ozonem[c] et Ozatum, qui eum perduxerunt ad limina apostolorum tempore Constantini pape, qui pontifex cum Romanis humanitatis ei auxilia prebuerunt.

Hic dicendum est: si ille fuit Constantinus neophitus, qui depositus est anno Domini 769, oportet, ut tota hystoria duorum, quam premisimus[d], ante mortem Pipini facta sit. Quod si ita est, videtur, quod Karolus vivente patre curiam suam per se tenuerit, quod non legimus.

Sequitur: Post triennium, urgente fame, a Roma reversi venerunt ad curiam comitis Amelii. Amicus itaque per cyphum recognitus, receptus est et mansit ibi cum duobus servis suis. Sequitur quod Raphael angelus preceperit[e] Amico, ut diceret comiti Amelio, quatinus duobus filiis occisis in sanguinem illorum Amicum abluat sanitatem recepturum. Factum est quod iussit, et secutum est quod promisit. Erant infantes etatis[f] trium annorum, qui hora prandii viventes inventi sunt et in collo cicatrices, quasi rubei fili, pro signo invente sunt[g]. Exinde auxilio Amelii Amicus Berichanum castrum recuperavit.

Licet igitur predicta narratio videatur[h] esse[i] in aliquibus apocrifa, ea tamen, que
Chron. Moissiac. 295. secuntur, autentica sunt. Erat Karolus in Theodonis villa dyocesis Metensis, ubi venit ad eum nuncius Adriani pape Petrus nomine, rogans, ut succurreret[k] sancte[i] Romane ecclesie, Karolus autem ad occupandas cunctas[l] clusas, ex[m] suo exercitu[n] quosdam direxit, inter quos venerabilis Albinus fuit Andegavensis urbis episcopus, cuius vita et meritum iam seculo valde floruerat[9]. Ipse quoque rex cum pluribus bellatoribus Francis per montem Sinensem ad easdem appropinquavit clusas et per montem Iovis Bernardum avunculum suum cum ceteris fidelibus Italiam intrare precepit. In hoc exercitu Karoli fuerunt Amicus et Amelius priora agentes officia in curia regis. Ubi Desiderius habebat sacerdotem, Karolus episcopum; si ille monachum, iste abbatem; si ille militem, iste principem; si ille peditem, iste ducem et comitem; et tamen per tres dies Longobardi contra exercitum Karoli fortiter pugnaverunt in loco, qui Mortalis[10] dicitur, eo quod ibi ex utraque parte multi occisi sunt. Et ibi ceciderunt Amicus et Amelius, quos Deus sicut[o] unanimi concordia et

---

[a] binominis 2. [b] *deest* 2. [c] Ozontem 2. [d] promisimus 1. [e] preceperat 2. [f] *deest* 2. [g] et in — sunt *desunt* 1. [h] videtur 2. [i] *deest* 2. [k] succurrat 2. [l] cunctans 1. [m] de 2. [n] exercitu suo 2. [o] sic 2.

[7] Beire-le-châtel, départ. Côte-d'Or, arrond. Dijon? Castrum sane non ita *prope Cluniacum* situm.

[8] Monclin, départ. Ardennes, arrond. Réthel.

[9] Albinum Andegavensem episcopum iam medio saeculi sexti obiisse constat. Gravissime ergo erravit Leibniz Annal. imp. I, 40, qui Albinum illum, anno 773. Romam missum, nostrum fuisse coniecit.

[10] Mortara. Cf. Vinc. Bellov. XXIII, 169. Iacobi Aquensis chron. imag. mundi in Mon. patr. Taur. SS. III, 1491.

dilectione in vita coniunxit, ita[a] et in morte eos separari noluit. Postea Desiderius in Papiam fugit et Karolus civitatem obsedit. Karolus mittens in Franciam fecit venire Hildegardim reginam[11]. Sanctus Albinus episcopus dedit consilium regi et regine, ut corpora interfectorum sepeliri[b] et ibi ecclesiam construi iuberent. Karolus fecit ecclesiam in honore beati Eusebii Vercellensis et regina ecclesiam beati Petri. Rex duas archas lapideas de Mediolano fecit afferri, in una conditus est Amelius in ecclesia beati Petri, in altera Amicus apud ecclesiam beati[c] Eusebii. Mane autem facta, dispositione divina inventum est corpus Amelii cum sarcofago iuxta sarcofagum Amici in regali ecclesia. Super quod miraculum rex et regina gavisi sunt et maximas dotes eidem ecclesie contulerunt. Et beatus Albinus, qui multa iam miracula[d] fecerat, presbiteros, dyaconos et clericos in ipsa ordinavit ecclesia, et adhuc monachi regulares de Mortaria magne religionis esse dicuntur et opinionis. Gesta p. R. 153. 154.

Anno 775. Decem mensibus a Karolo fuit obsessa[f] civitas Papia[12] ibique, ut scribit episcopus Otto, dimisso exercitu Karolus Romam — captivum abduxit. Otto Fris. V, 26.

Guido: Inter hec Karolus visitare festinat urbium urbem causa devotionis et orationis ecclesiarum caput ecclesiam. Ad quod Dei templum, ad humilitatis exemplum sigillatim[g] universos osculando gradus, ascendit ibique mox ab Adriano papa, Stephani successore, cleri simul et plebis favorabili tanquam cesar et consul acclamatione susceptus, ecclesie privilegia, que sacrilegia temeraverant perversorum[h], antiqua[i] renovat et nova concedit[13].

Sigebertus ita: Inter obsidendum — regnare ceperunt. Sigeb. 774.

Elinandus[k] autem ad supra dicta quedam addidit. Dicit enim quod Karolus relicto in obsidione Papie exercitu[l] Romam venit et pascha ibi fecit, rediens Papiam cepit eam. Helin. 773.

Que vero secuntur, quere in Gratiano distinctione 63. Iterumque[m] Romam rediens — publicari iussit.

Petrus vir Ytalicus, donatus vero[n] a Karolo Magno episcopatu Virdunensi, qui per annos 25 prefuit. Gesta ep. Vird. c. 14.

Habdalas Amiraz[o] mala morte moritur, — principatur. Sigeb. 776.

Episcopus Otto: Inter hec Saxones — loca populantur. Otto Fris. V, 26.

Unde Sygebertus: Saxones rupto — esse predixit. Karolus rex Saxoniam repetens — eique provenit victoria in omnibus. Sigeb. 774.

Unde sequitur episcopus Otto: Rex subacta Italia — obsides accepit. Otto Fris. V, 26.

Anno 776. Ab hoc anno per annos 25 Karolus fuit simul rex Francorum et rex[p] Longobardorum et patritius Romanorum, antequam fieret imperator.

Italia vero, ut ait Einardus, — longitudine porrigitur. Helin. 774.

Hoc capitulum reperitur in libro, qui Canones inscribitur: Ex gestis Karoli iuxta Alcuinum[14]: Cum matris hortatu filiam Desiderii regis Longobardorum, nomine Sibillam, Karolus duxisset[q] uxorem, incertum est qua de causa post annum eam repudiavit et Hildegardem de gente[r] Suevorum, precipue nobilitatis feminam in matrimonium accepit. De qua tres filios totidemque filias genuit. Einhard. c. 18.

Unde certissime possumus[s] dicere, quod illa Belissendis, que data est comiti Amelio, non fuit filia huius Hildegardis.

Karolus rex Sigeburch — ab eis accepit. Sigeb. 775.

Constantinus imperator contra Bulgares vadit, — ex eis triumphavit.

In reditu autem horribilem infirmitatem incurrit, qua et defunctus est, non minus quam Dyoclecianus martirum sanguine plenus. Hugo Flor. 168. 169.

Unde sequitur Sigebertus: Constantinus imperator[t] — miserabiliter moritur. Sigeb. 776.

Anno 777. Leo, filius Constantini, cognomento Cazarus[15], imperavit annis 5. ibid 776.

In Italia quibusdam[u] — terrorem incutit. Saxonibus Heresburch castrum, quod Karolus ante 4 annos contra eos acquisierat, obsidentibus, gloria Dei super ecclesiam apparuit — christianos se futuros spondeant.

Waldricus pontifex Lingonensis claret.

Qualiter Karolus perrexerit usque ad Regium[v] Calabrie civitatem[16] et qualiter Rothlandus, nondum miles, Eadmundum Sarracenum interfecerit, ac deinde Karolus patrem eiusdem Eadmundi, Aigolandum nomine, in ipsa Regensi civitate comprehenderit et occiderit, et qualiter Gerardus de Frado per se exercitum suum[w] habuerit, nusquam habetur nisi in cantilenis.

---

a) concordia in una coniunxit tumba ita 2. b) sepelirent 1. c) in eccl. sancti 2. d) iam miracula 2. f) fuit ob. a Kar. 2. g) singillatim 2. h) pervasorum 1. i) *deest* 2. k) Elimandus 2. l) cum exercitu 1. m) que *deest* 2. n) *deest* 1. o) Amiras 2. p) *deest* 2. q) duxit 2. r) genere 2. s) possimus 1. t) *deest* 1. u) quibus 2. v) perrexit usque Regium 2. w) exercitum suum per se 2.

11) Hunc libri pontificalis locum haud dubito quin Albricus Guidoni debuerit. 12) Sex menses secundum Gesta p. R. 154, quibus Guidonem in hac Caroli expeditione narranda usum esse proxima annotatio probat. 13) Locus e Gestis pont. Rom. defluxit, verbis sane valde mutatis. Ea solum verbotenus concordant quae de regis ad ecclesiam sancti Petri ascensu narrantur. Cf. Gesta 155: *omnes gradus sigillatim — deosculatus est*. 14) Cf. quae de hoc loco supra ad annum 770. annotavi. 15) *cognomento Cazarus* ex Hugone Floriac. addidit. 16) Reggio di Calabria.

Otto Fris. V, 27. Anno 778. Per idem tempus secundum episcopum Ottonem Saxones more suo — accipere persuasit.

Guido: Iam totiens in sua dampna regerminans velud ydra, rebellio mentite fidei Saxonum pariebat Karolo triumphum tertium, sed primum ex eis, quibus perfidia cervicosa victoriosa Francorum sic animositate calcatur, quod totius gentis excidium aliter evadere desperarent, nisi Christi iugum et Karoli suscipere, communi confugio prepararent.

Sygebertus: Guithicindus dux — regis desistant.

Hic nota, quod Normannia illa, ad quam fugit Guithicindus, non fuit Normannia ultra Parisius, quia necdum hoc nomine vocabatur, sed dicebatur Neustria. Ista vero antiqua Normannia ultra Daciam versus Norwegiam sita est.

Hugo Floriac. 170. Hugo: Interim tamen dum adhuc bellum Saxonicum protraheretur, dispositis per loca congrua presidiis, Hispaniam est ingressus, saltuque Pirinei superato, omnia que adivit oppida atque castella in deditionem suscepit[a].

Turpin. Prol. Turpinus Remensis archiepiscopus Luithprando Aquisgrani[b] decano: Laudanda trophea que propriis oculis intuitus sum 14 annis perambulans Hispaniam et Galiciam una cum Karolo et exercitibus suis tibi pro certo scribere non ambigo.
c. 1. Gloriosissimus apostolus Iacobus in visione apparens Karolo, ostendit ei quendam caminum stellarum, — tunc temporis[c]
c. 2. latebat incognitum. Tunc Karolus cum exercitibus suis Hispaniam ingressus est. Primo circa Panpilonam sedit tribus mensibus, tandem ad eius precem muri ceciderunt.

Sigeb. 778. Unde Sigebertus: Karolus in Hispania — in deditionem accipit.

Turpin. c. 2. Sequitur Turpinus: Inde venit Karolus ad Petronium beati Iacobi et infixit in mari lanceam suam, dicens, quod in antea ire non poterat. Galecianos vero qui baptizati non erant per manus Turpini archiepiscopi regeneravit, deinde ivit per totam Hispaniam. Hic subiciuntur nomina urbium Hispanie, que causa brevitatis omisi.
c. 3. Nomina provinciarum tellus Alandaluf maritima, terra Portugallorum, Parthorum, id est Sarracenorum, Castellorum[d], Maurorum, Navarrorum, Alavarum, Biscaiorum, Basclorum, Palargorum, Luzernam que est in valle viridi. Karolus maledixit Ventosam, Kaparcam[e] et Adaniam.

c. 4. Et omnia ydola destruxit, preter illud quod est in terra Alandaluf maritima et vocatur Salayn Cadis. Cadis dicitur locus ille; Salayn arabice[f] Deus dicitur. In hoc est legio demoniaca sigillata.

c. 5. Karolus in Hispania per tres annos commorans beati Iacobi ecclesiam augmentavit.

Circa finem huius anni natum esse Ludovicum Karoli filium sequentia manifestant.

Hugo Flor. 170. Unde Hugo: Karolus ab Hispania reversus reperit coniugem suam — geminam edidisse prolem, quorum unus antequam nasceretur interiit, alter vero baptizatus nominatus[g] est Ludovicus.

Anno 779. Karolus rex subiugatis Narbonensibus in Franciam est regressus. Hanc civitatem Narbonam petivit a Karolo Arnaldus de Bellanda pro filio suo Nemerico et optinuit. Unde in hoc loco genus Nemerici, quod fuit nominatissimum, ex aliqua parte declarandum est. Garinus de Montglane versus Tolosam quatuor habuit filios, exercitio militari nominatissimos: Arnaldum de Bellanda, que[h] fuit in Lombardia, Gerardum de Viena, Renerum Gebennensem et Milonem de Apulia. Gerardus de Viena filios habuit Savericum[i] et Bovonem, quorum fuit vel frater vel nepos[k] ille Gerardus, qui inscribitur de Novo Vico. De[l] Renero Oliverus et Alda nati sunt; de Milone Symon de Apulia et quedam soror illius. Nemericus vero Arnaldi filius 7 filios habuit: Bernardum patrem Bertranni, Bovonem de Commarceio, cuius fuerunt tres filii: Guido, Guielinus et Gerardus, Guillelmum Arausicensem[m], Arnaldum Aureliacensem et Garinum de Anseona, Aimerum[n] captivum, patrem Rogonis[o] Venetiani, et Guibelinum. Horum fuerunt sorores uxor imperatoris Ludovici Ermengardis, mater Viviani martiris, qui sororem habuit matrem Fulconis, mater Richardi Normanni, mater Helie de Provincia. Uxor vero Guillelmi domna Giuburgis[p] fratres habuit, quorum fuit unus Renuardus[q] vir nominatissimus. De horum omnium cognatione dicitur fuisse archiepiscopus Remensis Turpinus, filius scilicet Gerardi de Frado. De una sorore Guillelmi Iulianus de Provincia genuit Heliam et sororem eius Olivam. Qui Helias multa contra Sarracenos gessit tempore Machabrei[r] et de sorore Ludovici genuit Adulphum[s] Aiol, de quo canitur a multis. Item mater Gaudini[t] Bruni fuit soror Guillelmi[u] [17]. Item sub Karolo Magno quedam historia contigit de innocentia et venditione Ursonis Belvacensis ducis et de incarceratione eius in Colimbria sub Ysoredo et de liberatione eius per Milonem filium eius[v], et de traditore Ugone Bituricenensi, qui Belissendem uxorem Ursonis et terram saisivit, sed ad malum exitum pervenit.

Gesta ep. Mett. c. 38. Angerrannus fit Metensis episcopus annis 23.

Sigeb. 778. Saxones suasu Guithecindi — Bulgaribus dominatur.

Multas feroces et barbaras nationes, que ad septemtrionalem occeanum a Danubio distenduntur, Karolus adeo potenti virtute perdomat, quod inde quibus hostili direptione

---

a) accepit 2. b) Aquisgrano 2. c) *deest* 2. d) Castalorum 2. e) Rapartam 2. f) hebrayce 1; *cum Turpino convenit* 2. g) vocatus 2. h) qui 2. i) Sanericum 2. k) frater fuit vel nepos 2. l) De quo 1. m) Aurasicensem 2. n) Annerum 2. o) Rogoni 1. p) Guibursis 2. q) Remiardus 2. r) Machrabei 2. s) *deest* 2. t) Gandini 2. u) Guilermi 2. v) suum 2.

[17] Cf. stemma quod ex iis, quae hoc loco Albricus de Garini genere tradidit, v. cl. Gaston Paris Hist. poétique de Charlemagne 469 composuit.

Germaniam, Galliam Ytaliamque nudaverant, spolia revehit et thesauros, distribuens cuncta victoribus, erogans, pauperibus ecclesiisque restaurans, multo magis Euergetes dignus appellari, quam Tholomeus, filius Philadelfi.

Anno 780. Leo imperator Siriam incursat. Sigeb. 779.

Iste Leo, ut dicit episcopus Otto, primo visus est — postulant. Otto Fris. V, 27.

Hilterannus dux — muneribus redimit. Sigeb. 779.

Karolus rex in Saxonia Westfalos sibi subiugat.

Anno 781. Karolus rex Albiam fluvium transgreditur, ibique in eius gratiam Bardogavenses [a] et Norduite baptizantur. Ab istis cepit episcopatus Verdensis [b]. ibid 780.

Tassilo dux Bawarie — abbas Fuldensis.

Ultimo imperii anno Leonis Cazari, ut Hugo scribit, mortuo Niceta Constantinopoleos patriarcha heretico, Paulus genere Ciprius, — consecratus est in eadem sede. Hugo Flor. 169

Predictus Leo imperator cum insaniret cupiditate — captus a [c] febre, mortuus est. Sigeb. 781.

Anno 782. Hyrene uxor Leonis cum filio suo — Karolus rex orationis causa vadit Romam, ibique filii eius unguntur in reges, Pipinus, ab Adriano papa [d] baptizatus, super Italiam, Ludovicus cum esset quatuor annorum [18] super Aquitaniam.

Episcopus Otto: Anno primo Constantini et Hyrene, Karolus rex Romam veniens — patricius Romanus, quod iam erat, appellatur. Misit etiam Adrianus — regis monerent. Otto Fris. V, 28.

Sigebertus: Thassilo dux [e] — regi reconciliatnr. Sigeb. 781.

Hugo: Constantinus imperator facta pace cum Arabibus per Stauracium [f] patricium de Sclavis triumphavit. Huic filia Karoli Rotrudis desponsata a matre et promissa alii copulatur. Hugo Flor. 171.

Unde Hugo: Hyrene direxit sacellarium suum ad Karolum — irritum fecit.

Et hoc anno filia Karoli Gisla baptizata est Mediolani ab archiepiscopo Thoma, et eodem anno Alfunoldus in Anglia super Nortdanimbrorum 11 annis regnavit [g]. Helin. 781. ibid. 736.

Anno 783. Constantinopoli quidam lapideam auream invenit et in ea virum iacentem cum hac scriptura: *Christus nascetur ex Maria virgine, et credo in eum. Sub Constantino et Hyrene imperatoribus, o sol, iterum me videbis.* Ista fuit [h] prophecia cuiusdam [i] antiqui et [i], ut dicit abbas [19] de Valle sancti Petri [20], Platonis, longo tempore ante incarnationem Domini, ut credimus, ibi sepulti. Sigeb. 782.

Obiit regina Hildegardis 2. Kalendas Maii vigilia ascensionis, et cum [i] magno honore sepelitur apud Sanctum Arnulphum Metis. Sequente mense Iulio 4, videlicet Idus ipsius, mensis Bertrada sive Berta regina mater Karoli regis [i] mortua est, que in magno apud eum honore consenuit. Helin. 781. Hugo Flor. 176.

Saxones rebellant — obsides ei tribuunt. Sigeb. 782.

Aliter: Saxones rebellant — ad internecionem delentur. ibid. 783.

Anno 784. In Anglia Westsaxonum Bithricus regnavit annis 16 [21]. Guil. Malm. 43.

Saxones et Frisones — filio debellantur. Sigeb. 784.

Anno imperii Constantini et Hirene 4. Mady, qui et Mahumez dicebatur, dux Arabum mortuus est, et successit ei Moyses filius eius annis 2 [22]. Hugo Flor. 171.

De obsessione Karoli in Wormacia, scilicet in quadam vetusta turri ultra Renum, quam fecerant antiquitus gygantes, non longe a Wormacia, et de Rothlando Granopolim obsidente hic est annotandum [23].

Post sanctum Hildulphum Treverensem archiepiscopum prefuit Weomaclus abbas Sancti Maximini. Gesta Trev. c. 25.

Anno 785. Post Agilfridum Leodiensem episcopum fit episcopus Gerbaldus. Aeg Aur. II. 33.

Karolus Saxoniam — Saxonum reprimuntur. Sigeb. 785.

Patriarcha Constantinopolitanus Paulus infirmatus reliquit thronum suum — receptus est ab Adriano papa. A Karolo vero rege bellum Sclavis illatum est. Dani vero — quam rebellare. Hugo Flor. 171. ibid. 170.

Anno 786. Moyses amiras moritur — 24 annis principatur. Sigeb. 787.

Karolus Adulfum — eorum capit. ibid. 786.

Totam Frisiam atque Britanniam Karolus suo dominatui subiugavit. Hugo Flor. 170.

Signum crucis in vestibus hominum apparebat. Sigeb. 786.

Offa rex Merciorum moriturus regem pro se constituit Egfertum filium suum, quo post quatuor menses mortuo factus est rex Merciorum Kenewlfus per annos 24, cuius fuit filius sanctus martir Kinelinus. Helin. 786. ibid 808.

Anno 787. Karolus ad Capuam Campanie urbem — ei pro servanda fidelitate permisit. Hugo Flor. 170.

Sigebertus: Karolus rex contra Aragisum — et terra [k] profluxit. Sigeb. 787.

Anno 788. Tassilo dux Bawarie — in monasterio relegatur.

Episcopus Otto: Circa idem tempus — agere permisit. Otto Fris. V, 28.

In Italia inter Grecos — Coniuratio valida facta est ab Austrasiis contra Karolum regem auctore [l] Harderico, qua detecta multi aut membris truncantur aut exiliantur. Itaque aut duo fuerunt Harderici, aut mendacium est, quod Amicus scribitur supra interfecisse Hardericum. Et, ut in cantilena dicitur, ad istam conspirationem cognoscendam Karolus Magnus monitu angeli ivit de nocte furari. Sigeb. 788.

Anno 789. Karolus Colonie super Renum — sibi subiugat. ibid. 789.

Item Karolus in Saxoniam — castellum ligneum. Helin. 789.

---

a) Bardoganenses 1. b) Virdensis 1. c) correptus febre 2. d) *deest* 2. e) rex 2. f) Stauratum 2. g) annis 11 regnat 2. h) erat 2. i) *deest* 2. k) in terram 2. l) auctoritate 1, *sed ut* 2, *ita Sigeb. ipse.*

18) *ab Adriano papa baptizatus* et *cum esset quatuor annorum* ex Helin. ad annum 781. addita sunt. 19) Henricus. Cf. annum 1218. 20) Heisterbach. 21) Cf. Helinandum ad annum 717. 22) — *annis* 2 e Sigeberto ad annum 785. 23) Cf. Helinandum ad annum 795.

Sigeb. 789. Adalgisus filius Desiderii — morte peremptus est.

Karolus recepit in sua ditione reges Sclavorum et Winidorum[24].

Anno 790. Karolus rex in Wormacia conventum habuit et exercitum contra Hunos misit[25].

ibid. 790. Karolus rex honestati — esset relevatio.

Hugo Flor. 176. **Hugo**: Karolus religionem christianam summa pietate semper excoluit, — sed etiam surgendo interrumperet.

Turpin. c. 21. **Turpinus de forma et fortitudine Karoli**: Longitudo eius octo pedum suorum erat, facies palmum et dimidium habebat, et barba unum palmum, frons unius pedis erat, oculi eius ut carbunculus; quatuor ferra equorum simul manibus facile extendebat, militem armatum stantem super palmam suam a terra usque ad caput suum[a] levabat, lectum eius 120 fortes orthodoxi per tres quadregenarios in tres vigilias divisi custodiebant. Quemadmodum Galafrus admiraldus Toleti illum in pueritia exulatum ornavit habitu militie in palatio Toleti, et quomodo occidit Braymantum regem Sarracenorum Galafri inimicum et qualiter terras et urbes acquisivit et abbacias multas et ecclesias[b] instituit et multorum sanctorum corpora et reliquias in auro et argento collocavit, scribere nequeo.

Sigeb. 790. Alcuinus de Britannia oriundus, — hystoriam correxit.

Hugo Flor. 176. **Hugo**: In discenda grammatica[c] rex Karolus Petrum Pisanum — cognomento Alcuinum.

ibid. 171. Anno imperii Constantini et Hyrene 10. excitavit dyabolus livorem discordie inter ipsam Hyrenem et filium eius imperatorem et sepsit eum custodia imperavitque sola annis 2.

Sigeb. 791. Anno 791. Karolus rex regnum Avarum — evadendi reliquit.

Hugo Flor. 171. Constantinus Armeniorum auxilio fretus — pecunias multas[d] absconderat.

Sigeb. 791. **Unde Sigebertus**: Constantinus matrem — annis 6 imperat.

ibid 792. Anno 792. Constantinus imperator congressus — apparatu ditatur.

Hugo Flor. 171. **Hugo**: Movit exercitum Constantinus adversus Bulgares, — suam coronavit augustam.

Sigeb 794. **Super hunc locum dicit Sygebertus in sequentibus**: Constantinus imperator multos — oculis privat.

ibid. 792. Pipinus Karoli regis — in Prumia cenobio retrusus — pauci perimuntur.

Predictum cenobium Prumiense fundatum fuisse dicitur sub Pipino rege[e] Karoli Magni patre in dyocesi Treverensi.

ibid. 793. Anno 793. Feliciana heresis in **Ratisbona**[26] condempnatur, — regis vacillant.

Helin. 793. **Elinandus**: Pons de navigiis — dissolvi posset[f].

Hugo Flor. 175. **Hugo**: Precipue sacras edes Karolus ubicunque in toto regno — dicitur in Rubine[27]. Item monasterium Caunas — patrociniis insignivit. Cum alia innumerabilia[g] cenobia sub Karolo[h] reparata sint, ista specialiter in solo regno Aquitanie, quod tenuit Ludovicus vivente patre, reparata fuerunt.

Guil. Malm. 72. In Anglia super Nortdaninbros rex Ethelbertus, qui et Alredus[i], regnavit annis quinque.

Sigeb. 794. Anno 794. Karolus rex non solum — tantum cardinales in illa lingua nominarentur.

Hugo Flor. 176. **Hugo**: Nec patrio sermone contentus erat Karolus, — quam pronunciare; temptabat etiam scribere — ac sero inchoatus.

Helin. 794. Iterum condempnata est Feliciana heresis secundo in oppido quod Vrankenvort[k] dicitur. Ibi mortua est Vastrada regina uxor Karoli et in Sancto Albano tumulata. Et facta fuit questio de septima synodo Grecorum, utrum esset recipienda; sed tandem reiecta[l] est ab Adriano papa.

Sigeb. 795. Anno 795. Saxones virtute Karoli — in ecclesia ministrare.

In Westfalia vero Karolus rex quatuor episcopatus: Padeburnensem, Monasteriensem, Osnaburgensem et Mindensem; quatuor similiter fecit in Saxonia: Hildenesemensem[m], cuius primus conventus exivit a Remensi ecclesia, Halverstatensem, cuius primus conventus a Cathalauno fuit missus, Verdensem quoque et Bremensem.

ibid. 795. Extruxit etiam Aquisgrani basilicam[n] plurime pulchritudinis, ad cuius structuram a Roma et Ravenna columpnas et marmora devehi fecit.

Helin. 795. Hanc extruxit in honore beate[o] Virginis, fecit ibi balnea calida, aqua frigida temperata, vel potius reparavit, quia iam ibi erant; et palatium iuxta ecclesiam. Ipsam vero ecclesiam depingi fecit veteris[p] et nove[q] legis hystoriis, palatium vero septem liberalibus disciplinis et bellis Hispanicis.

Turpin. c. 5. **Turpinus**: Karolus, **inquit**, fecit ecclesiam beate Marie Aquisgrani et ecclesiam beati Iacobi in eadem villa, item sancti Iacobi apud urbem Biterrensium et sancti Iacobi apud Tolosam — et ecclesiam sancti Iacobi Parisius inter Sequanam fluvium et Montem Martirum, et abbacias innumeras per mundum.

ibid. c. 6. Interea quidam rex Affricanus nomine Aygolandus terram Hyspanorum acquisivit. Contra hunc Karolus profectus est[r] cum Milone de Angleris, **qui fuit pater Rolandi**[28]. Nota quod duo fuerunt Aygolandi, iste et alter rex de Calabria.

ibid. c. 7. In hoc itinere cum apud Baionam urbem Basclorum esset Karolus, miles quidam de exercitu eius nomine Romaricus accepta penitentia et viatico obiit, qui equum suum cuidam consanguineo suo commisit, et ut pretium eius clericis

a) *deest* 1. b) abb. et eccl. mult. 2. c) discendo grammaticam 2. d) *deest* 1. e) *deest* 2. f) possent 2. g) innumera 2. h) sub Karolo *desunt* 1. i) Alredis 1. k) Franckevort 2. l) recepta 1. 2. m) Hildendensem 1. n) ecclesiam 2. o) Marie *add.* 2. p) ex veteris 1. q) noveque 1. r) *deest* 2.

---

24) Haec forte e Chron. Moissiac. M. G. SS. I, 298. 25) Cf. Chron. Moissiac. ad a. 789. 790. 26) Cf. Helinandum ad a. 792, qui similiter verbis Sigeberto depromptis addidit: *in Regnanesburch*. 27) Ea quae oppressi satis conveniunt cum Hugonis narratione, excepto quod in enumeratione monasteriorum, quae Karolo regnante aut reparata aut aedificata sunt, noster vocem *monasterium* ab Hugone persaepe repetitam omisit. 28) Genitorem Rolandi eum dicit Turpinus c. 8.

et egenis daret precepit. Sed ille aliter egit et totum in proprios usus expendit. Post 30 dies dictus[a] mortuus eidem apparuit dicens, se esse in gloria, illum in crastino futurum esse[b] in pena; cum hec ille exercitui referret a demonibus vivus ac sanus rapitur, et post 12 dies ultra deserta[c] Navarrorum et Alavarrum[d] reperitur corpus eius confractum[e] in cuiusdam silicis fastigio, cuius ascensus tribus leugis habebatur supra mare, distans a prefata urbe quatuor dietis.

Aygolandus autem inventus est in terra de Campis super[f] flumen de[g] Coyam, in loco quo[h] postea beatorum martirum Facundi et Primitivi[i] basilica iussu Karoli fabricatur et in monachorum abbaciam construitur. Mandat Aygolandus Karolo bellum secundum velle suum. Inde missis 100 christianis contra 100 Sarracenos, occisi sunt Sarraceni. Inde 2000 contra 2000 venerunt. Pars Sarracenorum occisa fuit, pars altera fugam iniit. Aygolandus tertia die sortes iecit et vidit Karoli detrimentum in pugna plenaria in crastinum; quidam autem ex christianis hastas suas mane corticibus et frondibus decoratas invenerunt, de quibus creverunt magna arbusta, que adhuc in illo loco apparent. Die illa occisi sunt 40000[k] christianorum, et ibi occisus est[l] dux Milo de Angleris pater Rolandi et Gundeboef de Wandoilh dux Laudunensis[m]. Karolus cum 2000[n], qui remanserant, evaginavit spatam suam nomine Gaudiosam et multos Sarracenos[o] secuit per medium. Altera die quatuor marchisi de Ytalia cum 4000 venerunt Karolo in auxilium: sed Aygolandus fugit Legionem, et Karolus revertitur in Gallias. Turpin. c. 8.

Hic etiam inserit Elinandus[29] ex dictis Turpini de obsessione Karoli in Wormacia et de Rothlando Granopolim obsidente et de Navarris, qui non sunt de vera progenie.

Anno 796. Adrianus papa moritur, — filium amisisset. Helin. 795.

Leo III. sedit annis 20 — Karolo regi misit. ibid. 796.

Hugo: Obeunte beate memorie papa Adriano Rome consecratur in eadem sede Leo vir per omnia venerandus. Coloniensis archiepiscopus dictus est[p] Bertennius, et post eum Richolfus. Hugo Flor. 172.

Treveri Ricbodus[q] [30], Metis post Angelramnum[r] sedit Gundulfus[31]; apud Tullum sancto Iacobo successit Borno, deinde Wavincus[32]; apud Cathalaunum Richoarius fuit episcopus, et post eum Willeboldus.

Winthan rex — perimitur. Sigeb. 796.

Anno 797. Henricus dux Foroiulianorum — gratiam percepit. ibid. 797.

Interea Hyrene, que fuerit[s] imperatrix, muneribus et possessionibus - uno fere[t] quinquennio. Hugo Flor. 171.

Sigebertus: Hyrene imperatrix — suum oculis privat et sola annis quatuor imperat. Sigeb. 798.

In Anglia regnum Nortdaninbrorum finitur; in regno Merciorum adhuc regnabat Kenulfus, et super Westsaxones Bithricus. Guil. Malm. 73. 95. 43.

Aldefonsus rex Galicie — mire pulchritudinis. Helin. 798.

Anno 798. Karolus rex Saxones gravi prelio[u] vicit. Sigeb. 798.

Turpinus: Aygolandus inter hec cum decem regibus reversus est, quorum hec sunt nomina: scilicet Therephius rex Arabie, Burrabellus rex Alexandrie, Avitus Bugie, Hospinellus Agabibe, Fatimus Barbarie, Aylis de Maroch, Aphinorgius Maiorice, Maymon Mecce, Hebrayn Sibilie, Altumaior Cordube Et venit Aygolandus usque ad urbem Gasconie Agenni et cepit eam, quam obsedit Karolus quinque mensibus, et septimo fugit Aygolandus per fluvium Garunne, qui fluit iuxta urbem; 10000 Sarraceni occisi sunt. Turpin. c. 9.

Inde Aygolandus usque ad[v] Sanctonas venit, bellum factum est in pratis inter urbem et castrum Talaburgum iuxta fluvium Charantam. 4000 christiani, quorum similiter hic haste floruerunt, occisi sunt, et equus Karoli in hoc bello fuit occisus. Nocte fugit per fluvium Aygolandus, rex Agrabie et rex Bugie occisi sunt. ibid. c. 10.

Tunc Aygolandus transmeavit portus Cysereos et venit Pampilonam, et Karolus rediit in Galliam. ibid. c. 11.

Adelfonsus rex Galicie — munera mittit[w]. Sigeb. 798.

Elinandus: Adelfonsns rex Galicie[x] et Asturie depredata Ulixibona — illo desciverat, reddidit. Helin. 798

Sol obtenebratus est per dies 17. Sigeb. 798.

Elinandus: Hoc anno[y] sydus — videri potuit. Helin. 798.

Constantinus imperator moritur. Sigeb. 799.

Guido: Hec circa tempora, post[z] Constantini sexti quartum Leonem, qui Leo Cazarus dictus est, filius eiusdem septimus Constantinus et Hyrene dicta mater ipsius, cum una per decennium unanimiter imperassent, irruente subito turbine dissentionis inter eos[*] primo mater filium, secundo filius matrem, tertio filium mater turpi nimis et inpia reciprocatione custodie se concludunt. Sed ultima conclusione filio consiliarii matris oculos eruunt hostiliter adeo, quod ab eo lucem et vitam simul excludunt[a]. Ipsa postea per quadriennium sola gubernavit imperium[33].

Episcopus Otto: Digna, cuius diebus — transfertur ad Francos. Otto Fris. V, 29.

Elinandus: Hec legatos misit — Theophilum presbiterum. Helin. 798.

Anno 799. In Hispania civitas Barcinona Sarracenis — est obsessa. Baleares autem insule Karolo se — in quadragesima. Egbyrtus rex Cantuariorum cognomine Pren a Kenulfo rege Merciorum[34] victus abductus est, — facile princeps. Defuncto vero Bithrico[b] Westsaxonum rege hoc anno Britanniam reversus est et regnare cepit anno sequenti, qui fuit annus Karoli 24. ibid. 799

a) predictus 2. b) *deest* 2. c) ultra deserta *desunt* 1. d) Alvarrum 2. e) fractum 1. f) ut 1. g) *deest* 2. h) qui 2. i) Primiti 1. k) milia *desunt* 1. l) *deest* 2. m) Laudonensis 2. n) cum duobus militibus 1; 2 *cum Turpino convenit.* o) Sarracenorum 2. p) *deest* 2. q) Richoldus 1. r) Agelrandum 2. s) fuit 2. t) vero 1. u) bello 2. v) *deest* 2. w) — munera mittit *desunt* 2. x) Elinandus — Galicie *desunt* 2. y) *deest* 2. z) *deest* 1. *) inter eos *desunt* 2. a) excluderunt 1. b) vero Bithrico *desunt* 2.

[29] Cf. Helinandum ad annum 795.

[30] Gesta Trev. c. 25.

[31] Gesta ep. Mett. c. 38. 39.

[32] Gesta ep. Tull. c. 24. 25.

[33] Haec ex Historia miscella XXV, 24 seqq. desumpta esse videntur.

[34] Helinandi *Westsaxonum* correxit noster ex Helinandi fonte, Guilelmo scilicet Malmesb. §. 95.

Sigeb. 799. Leonem papam celebritatem — ad Karolum fugit quam citius.

Helin. 799. Elinandus: Isti Romani[35] fuerunt Adriani pape consanguinei.

Hugo Flor. 177. Hugo: Prefati Adriani pape cognati — lumen ei penitus extinguere potuerunt.

Guido: Post hec regis Karoli[a] virtus invicta Romam invitata contendit ad facinus vindicandum, supra facinora iudicandum, quod commiserat in venerabilem papam Leonem III. quorundam execrabilis inpietas Romanorum; quem die letanie maioris ad celebranda missarum solempnia cum multa cleri populique frequentia procedentem, captum et raptum, laceratum vestibus, ictibus maceratum, linguam truncaverant, oculis cecaverant et pene necaverant vinculatum. Sed idem vir venerabilis in tanta miseria non est a Dei misericordia destitutus, quia per eum[b] est officio lingue restitutus et oculis et vinculis absolutus[36].

Otto Fris. V, 30. Episcopus Otto: Qui cum ad Karolum regem venisset, eventum rerum deplorans, Karolus dignus qui altius proveheretur, papam ulturus ad Urbem tendebat.

Sigeb. 799. Henricus dux Foroiulianorum a suis perimitur.

Guil. Malm. 107. Anno 800. Regnat in Anglia Egbyrtus Westsaxonum rex per annos 28. Iste est qui diversas regni portiones ad unam reduxit et revocavit.

Helin. 800. In mense Iulio — omnes Romanorum motus sedat et ibi tota hyeme residet.

Otto Fris. V, 30. Episcopus Otto: Cui pridie quam Urbem intraret — se purgavit.

Helin. 801. Elinandus: Cum enim rex vellet audire — se purgavit.

Sigeb 800. Gens Avarum a fide — annumeratus sit.

Gesta ep. Vird. c. 15. Apud Virdunum Anstrannus cantor Karoli Magni factus est episcopus et[c] per annos 5 prefuit.

Sigeb. 801. Anno 801. Romani, qui ab imperatore[d] — cesarem augustumque[e] appellant.

Helin. 801. Nam in die natalis — vita et victoria.

Guido: Sicque primus de regum Francorum genere Karolus Magnus Romanorum imperator ex consule de cesare fit augustus.

ibid. 801. Sequitur Elinandus: Et post laudes acclamatas — augustus appellatus. Post paucos dies — alii Romani nobiles.

Guido: At[f] gloriosus imperator iustitie cultor, ultor iniurie, habita de eis[g, 37] questione, ad eiusdem pii pontificis interventum redonat[h] eis vitam cum integritate membrorum. Pro tanti tamen enormitate flagitii suis eos ut reos arceri iubet a rebus et exilio coarceri[i].

Otto Fris. V, 33. Episcopus Otto: Anno ab incarnatione Domini 801, ab Urbe condita 1052, Karolus 33. regni sui anno[k] Rome in imperatorem coronatur. Porro Hyrene Constantinopolitana — muneribus imperatorem honoravit.

Sigeb. 801. Sygebertus: Item Romani Pipinum filium Karoli — collaudant.

Sequitur idem: Inmutato ordine regnorum — Ex quo Bizancium — in regiam urbem exaltata Constantinopolis dicta est, et translata[l] in illam omnis Romane dignitatis gloria, in sedem Romani imperii dedicata[m] et nova Roma appellata est. Ex tunc evolutis annis circiter 468 diviso a Constantinopoli Romano imperio Karolus de genere Francorum primus imperavit Romanis fere annis 14.

Hugo Flor. 173. 174. Hugo: Octavo Kalendas Ianuarii anno 4. Hyrene, que imperabat Constantinopoli, Karolus Magnus[n] recepit imperium, et dum imperaret Rome, eo tempore quo apud[o] Byzantium Nichephorus patricius adversus Hyrenem rebellavit augustam, — statim eam exilio relegavit in insulam Lesbon, ubi et sequenti anno[38] defuncta est.

Sigeb. 802. Unde Sigebertus: Hyrenem imperio depositam — 9 annis imperat[p].

ibid. 800. Sanctus Salvius episcopus[q] — divinitus tertio ammonitus — ultio Dei cessavit.

Helin. 802. Amimurlylin qui et Aaron — temporis facta est.

Gesta ep. Mett. c. 39. Gundulphus fit Metensis episcopus per annos 23[39].

Sigeb. 802. Anno 802. Legati imperatoris Karoli — in Franciam afferunt.

Hugo Flor. 173. Hugo: Circa hoc tempus delata sunt ossa beati[q] martiris Cypriani[q] — in civitate Lugdunensi.

Interea Ludowicus imperatoris filius Hyspanias est ingressus et Barcinonam, que contra patrem suum rebellaverat, iterum sibi subiugavit.

Sigeb. 801. Unde Sigebertus: Barcinona capitur.

Helin. 802. Et Elinandus: Barcinona capta est — Sarraceni comprehensi sunt.

Abhinc super Aquitaniam certius et manifestius regnavit Ludowicus. Quod comes Aurelianensis Arnais voluit regnare et esse tutor Ludowici, sed Guillelmus Aurasicensis[40] fortiter restitit. Qui Arnais fuit pater Samsonet de una sorore Karoli[41].

Sigeb. 801. In Italia quoque Theate civitas a Francis capitur.

Helin. 802. Elinandus: Theate civitas Ytalie — missus est in exilium.

Sigeb. 802. Civitates[r] Italie Ostona[s] et Luceria — capitula 23 instituit.

ibid. 803. Hyrene imperatrix in exilio moritur.

Elinandus: Patriarcha Iherosolimitanus pro benedictione — Karolo misit.

a) *deest* 2. b) eum 2. c) *deest* 1. d) ab imp. Const. 1; a Const. 2. e) que *deest* 2. f) ac 2. g) *deest* 2. h) et redonat 1. i) coerceri 2. k) anno regni sui 2. l) translata est 2. m) dedicata est 1. n) *deest* 2. o) *deest* 1. 2. p) novem imperat annis 1, *sed 2 convenit cum Sigeberto.* q) *deest* 2. r) Civitas 2. s) Ostana 1.

---

[35] ii scilicet qui Adrianum papam ceperunt eique oculos et linguam evellerunt.

[36] Cf. Gesta p. R. 179 seqq.

[37] eis scilicet, qui pontificem anno praeterito sede privarunt.

[38] Cf. Sigebertum ad annum 803.

[39] Gundulphum 6 annis, eius antecessorem Angerannum 23 annis episcopatui praefuisse, narrat auctor Gestor. epp. Mett. l. c.

[40] Orange.

[41] Corrige: *Ludovici*.

Deinde sequitur Elinandus: Legitur quod eo tempore, quo Karolo datum est imperium Romanum, patriarcha Helin. 802. Ierosolimitanus de civitate expulsus a paganis venit Constantinopolim ad imperatorem Constantinum et filium eius Leonem — sic loquentes in illa terra [42]. Huc usque Elinandus, et sicut ipse dicit, de nomine imperatoris Constantini et filii eius Leonis habetur discordia [43], nisi forte fuerit uterque binomius [a].

Guido autem noster se liberat omni questione et ita prosequitur: Nichephorus hic, inquit, [b] primus dictus imperator Grecorum, ad Romanorum imperatorem et Francorum regem Karolum Magnum missis legatis honorabilibus et dignis, imperatore tam mittente, quam suscipiente, muneribus eum salutat, magnificat atque significat, quod ad terram promissionis et civitatem sanctam [c] Ierusalem a Sarracenorum dominatione tyrannica liberandam cum paratus esset, nec inferiores tam arduo negotio terra marique copias instruxisset, divinitus accepisset non sibi, sed [d] imperatori [e] Romanorum Karolo Magno [f] titulum tante victorie et virtutis munus a Deo concessum. Ideoque sollicite monet, ut vocationi superne respondens, dextre sibi porrecte de celo celer assurgat; suppliciter rogat, ut ad restituendum Deo ius suum et relevandas fidelium miserias captivorum, alacritate regie se magnanimitatis accingat; obsecrat affectuose, ne super hoc ulla fatiget eum [f] adversitas, cum suorum triumphorum universos una victoria titulos hac fastiget; promittit se promptum et protinus obviare, se viam seu vie necessaria preparare, se totis opibus [g] et viribus adiuvare. Hiis Karolus imperator auditis et super desolatione sanctorum et oppressione populorum pariter et locorum [h] cum multo fluore fletuum in celebri principum et optimatum concilio [i] recitatis, animatis omnibus ad tante virtutis opus, cum invincibili robore bellatorum ardue contra christiani nominis inimicos iter aggreditur expeditionis. Et dum in Grecia forte deficeret exercitus eius in invio, gravi labore simul ac tedio, clementiamque super hoc supernam devotus inplorat et orat, horam diei psallendo tertiam et dicendo: *Deduc me, Domine, in semita* [k] *mandatorum tuorum,* avem pictam colore vario nature studio Psalm. 118. videt et audit: *France dic,* voce sibi gratissima concinentem et crebra repetitione vocis eiusdem tam ad iterandum predictum psalmi versiculum, quam ad sequendum se, volatu reciproco devios invitantem. Hoc imperator ut cernit, animo sagax, pro se suisque perpendens evenisse miraculum, avem sequendam et nuncium pronunciat esse certum eius, qui traduxit populum suum per desertum: moxque secutus alitem redit ad limitem et avem previam prius [l] incognitam primus instituit ab eo, quod fuerat elocuta, Francidicum appellari [44]. Deinde properat Constantinopolin, cuius ab imperatore suscipitur cum honore. Nec mora, Karolus in ulteriora progressus multis subiugatis regionibus, versis in fugam aut cesis hostibus, captis urbibus aut subversis, cum sanctum a tyrannide Sarracenica locum liberasset [m] et gentem, et orans in templo preputium carnis dominice sacrosanctum suscepisset ab angelo, regreditur Constantinopolin inestimabili cum triumpho. Huc usque verba Guidonis.

Meminit autem facti huius magister Petrus Manducator in Scolastica historia, videlicet quod angelus attulit preputium Domini Karolo Magno [n], dum oraret in templo, et quod Karolus illud attulerat Aquis- Hist. evang. c. 6. grani, sed post a Karolo Calvo delatum est inde et positum est apud abbaciam sancti Salvatoris de Caroffio, que sita est in Aquitania.

Item Turpinus archiepiscopus, tangens [o] illa gesta breviter, que de Karolo Magno scribere omittebat, inter cetera dicit: Qualiter dominicum sepulchrum adiit — scribere nequeo. Turpin. c. 21.

---

a) binominis 2. b) inquit hic 2. c) sanctam civitatem 2. d) nec 1. e) imperatoris 1. 2. f) *deest* 2. g) operibus 1. h) locorum pariter et populorum 2. i) consilio 2. k) semitas 1. l) primus 1. 2. m) liberasset locum 2. n) *deest* 2. o) tam 1. 2.

[42] Longam Helinandi narrationem noster repetivit, haec sola omittens verba: *et cum sua epistola manu ipsius Constantini scripta.* [43] Non de imperatorum nominibus, sed de rerum gestarum tempore. Constantino enim et Leone viventibus, ait Helinandus, Carolum nondum factum esse imperatorem. Itaque quae narraverit, ea si Carolo iam imperatore facta esse dicantur, veritati historiae repugnare. Quem scrupulum ut removeat: *Potest tamen intelligi,* inquit, *imperium Romanum illorum tempore datum Carolo, id est oblatum.* Interpretatio sane haud felicior quam Albrici, qui solita arte sua usus imperatores *binomios* fuisse coniecit. Cf. an. 691. 774. 886. [44] Fabula huic simillima habetur in iis, quae Albricus ex Helinandi chronico praemisit; eadem invenies in Vinc. Bellov. Spec. hist. XXIV, 4. Hi multique alii in libello: *Descriptio qualiter Carolus Magnus clavum et coronam Domini a Constantinopoli Aquisgrani attulerit qualiterque Carolus Calvus haec ad Sanctum Dionysium retulerit* innituntur. Libelli textus originalis adhuc prelo datus non est; versio Gallica exstat ap. Moland Origines littéraires de la France 109 seqq. 386 seqq. Cf. G. Paris Hist. poétique de Charlemagne 55. 339.

Hugo Flor. 177. Anno 803. Anno secundo imperii sui Nichephorus, ut scribit Hugo, coronavit Stauracium filium suum imperatorem — Aaron quoque dux Arabum cum eo dimicans illum exsuperavit, unde ei Nicephorus persolvebat tricenalia[45] numismata et tria specialiter in tributum capitis sui.

Sigeb 803. Sygebertus ita: Aaron amiras cum 300000[a] contra Nichephorum imperatorem ascendit, quem non ferens Nichephorus, turpe fedus iniit, pactus se ei[b] daturum annuatim 300000 numismatum et tria numismata in tributum capitis imperatoris et tria pro capite filii sui. Hoc infortunium totum credimus accidisse Nichephoro, antequam Karolus adveniret vel terram sanctam visitaret.

Guido: Grecus[c] imperator regressu Romanorum imperatoris superatoris infidelium et terre sancte recuperatoris[d] audito, iubet infra civitatem suam et extra, dextra levaque per viam qua[e] venturus erat, in longum aromaticarum frondium et herbarum aspersam odore, virore vestitam, offerri conspectibus pretereuntis[f] exercitus eius omnimode cupiditatis incentiva, rerum quarumlibet speciosa, pretiosa mercium, desiderabilia thesaurorum, et sic adventantis properat in occursum. Quod Karoli Magni virtus maxima nec minus vitiis invicta quam bellis ubi percipit, precipit Francis, ut contempnerent patrie magnanimitatis nobilitate divitias, nisi triumphaliter acquisitas. Et ita, vociferante licet precone Greci imperatoris edictum, ut Francis quidquid tollere libitum esset et licitum, indignantibus oculis ad oblata, pertranseunt, castitate manuum illibata. Tunc imperator alteri miranti querentique causam ab altero, tamquam contrariorum in eodem, huius obedientie pariter et contemptus in exercitu suo, respondet[g] Greco Romanus, non venisse se[h] pro lucro, sed pro sepulchro Domini liberando, non christianos sed spoliare paganos, nec propria Grecis auferre, sed perdita restaurare, divitias tamen illas, quibus solis[i] indigeret, appetere suppliciterque petere, de ligno videlicet vite, clavis et spinis dominico sanguine purpuratis. Quibus per sacerdotum reverendas manus oblatis, cum ad eas adorandas et honorandas osculo debite devotionis imperator Karolus accessisset; omnipotens pietas, ut ex humanis cordibus omnem scrupulum dubitationis auferret, utrumne vera nostre pignora redemptionis[k] hec essent, in corona Domini spinea iocundam florum mollitiem et gratiose delicias venustatis ex rigore spinarum et siccitate cum odoris longe plus quam aromatica suavitate produxit. Nimirum in tam mira celestis exhibitione virtutis, si per carnales oculos lacrimarum, ex habundantia fidei, pre gaudio fons erupit, quos inundabat tante dulcedinis affluentia de thesauro glorie spiritalis, genua ponens ingenua Romanorum imperatoris humilitas. Cum de eadem corona pars incideretur, ut[l] ei daretur, loculum, quo de parte particulas exceperat excidentes, astanti propter uni de suis episcopo servandum extendit, et revocata manu, dum rebus intendit uterque divinis, alterum neuter attendit[m], superna virtus in aëre[n] loculum[o] illum et intuentium oculos in illo suspendit. Sic ergo pependit, quousque respiciens[p] eorum alter ad alterum, recipiens illud alter[q] ab altero reposuit perferendum, ad tam corpori quam anime remedia conferendum.

Elinandus hoc modo: Fugatis paganis et recuperata terra — ibi sedit Karolus 6 mensibus et 1 die. Huc usque Elinandus.

Que omnia breviter Guido[r] transilit[s] dicens: Hiis et aliis quod pluribus[t] pignoribus sacrosanctis a Grecorum imperatore[u] susceptis, vix tandem mutuis amplexibus, osculi separatoria coniunctione disiunctis, cum multa prosecutione benedictionis imperator Karolus per Dei gratiam retransit Greciam, redit[v] in Franciam, non minus gratiosus reliquiarum in Gallias invectione sanctarum, quam victoriis gloriosus. Tunc reponit Aquisgrani celestem cum debita veneratione thesaurum, quem locum in principale palatium sibi dicaverat, a nonnullis Aquile Capellam[w] vocatum, ab aquila deaurata radiante super capelle regalis ibi fastigium tamquam insigne dignitatis imperialis et signum. Et in memoriale perpetuum, tam adventus sanctuarii pretiosi, quam sui reditus triumphalis, ex tunc annuatim ibidem fieri generalem imperiali proponit edicto conventum.

Helin. 802. Sequitur Elinandus: Veniente autem eo Aquisgranum — suscitatus est mortuus.

Sigeb 804. 803. Sygebertus: Leo papa ad Karolum imperatorem in Franciam venit. Karolus imperator per omne imperium iustitias pacis et legis capitula 29 instituit, omnesque Saxones trans Albiam morantes in Franciam transtulit et pagos eorum Abroditis dedit.

---

a) milia *desunt* 1. b) *deest* 2. c) Grecorum 2. d) superatoris — recuperatoris *desunt* 1. e) viam per quam 2. f) pretereuntibus 2. g) respondit 2. h) *deest* 2. i) solus 2. k) redemptionis pignora 2. l) et ut 1. m) intendit 1. n) aera 2. o) locum 2. p) recipiens 2. q) ad alterum — alter *desunt* 1. r) Guido breviter 2. s) transibit 1. t) quod pluribus *desunt* 1. u) imperio 1. v) rediit 1. w) capella 2.

45) Hugo: *triginta milia*.

Unde Hugo: Saxones ita virtute Karoli sunt perdomiti, ut — divisione distribuerit. Hugo Flor. 170.

Elinandus: In Mantua civitate dicitur sanguis Christi fuisse[a] repertus. Helin. 803.

Abhinc electio Walpharii Remensis archiepiscopi. Flod. H. R. II, 18.

Anno 804. Nichephorus imperator federe — Francia ditata fuit[b]. Sigeb. 804.

Elinandus: Tantum auri et argenti — iniuste eripuerant. Helin. 804.

Hugo: Bellis igitur supra dictis feliciter consummatis — ripa appositam Daciam. Hugo Flor. 172.

Primum itaque bellum Karoli magni et orthodoxi imperatoris contra Aquitanos fuit, secundum contra Longobardos[c], tertium contra Saxones, quartum contra Hispanos Sarracenos, quintum contra Britones, sextum contra Bawarios, septimum contra Sclavos, octavum contra Hunos.

Omnesque preterea barbaras nationes — eorum erga illum indicatur. ibid.

De amicitia regis Persarum et muneribus eius habetur postea in anno 807.

Anno 805. Karolus imperator indignantibus — federe conciliabat[d]. Sigeb. 805.

Romanis et Grecis — kexis giton loy kexis. Helin. 805.

Avares non ferentes — Karolus filius imperatoris Karoli Behemanos rebellantes devicit et Lethonem eorum ducem perimit. Hi sunt, qui Boemi dicuntur, et ista est prima mentio, que fit in hoc libro de ipsis. Sigeb. 805.

Apud Virdunum Herilandus factus episcopus prefuit annis 23. Gesta ep. Vird. c. 16.

Turpin. c. 11. Sequitur bellum Hyspanicum et mors baronum in Runcia Valle secundum Turpinum: Karolus contra Aygolandum novissime iturus omnes exercitus suos mandavit, amicos et inimicos, omnes[a] sibi sociavit. ibid. c. 12. Et hec sunt baronum et virorum fortium nomina, qui cum eo fuerunt atque nobilium habentes[e] secum 100000 bellatores et 24000. Ego Turpinus archiepiscopus, qui populum ad bellandum fortem et animatum et a peccatis absolutum reddebam et Sarracenos propriis armis sepe expugnabam, Rothlandus comes[f] Cenomanensis et Blavii dominus, filius Milonis de Angliers ex Berta sorore Karoli, cum 4000[g]: alius tamen Rolandus fuit, de quo nobis nunc silendum est; Oliverus comes[h] Gebenarum[i], filius Raineri[k] comitis cum 3000, hic erat miles acerrimus, bello doctissimus, brachio et mucrone potentissimus; Estultus[l] comes[m] Lingonensis, filius comitis Odonis, cum 3000; Arastagnus rex Britannie cum 7000: alius tamen rex tempore istius[n] fuit in Britannia; Anglerus dux Aquitanie cum 4000: tempore istius fuit alius comes in Aquitania scilicet Pictaviensis: hic vero Angelerus[o] genere Gasconus, dux urbis Aquitanie, que scilicet urbs sita est inter Lemovicas[p] et Bituricas et Pictavum, quam etiam Cesar Augustus primum in illis horis fecit et Aquitaniam nominavit, cui etiam urbi Bituricas et Lemovicas et Pictavum et Sanctonas et Engolismam subiugavit, unde tota provincia illa[q] Aquitania vocatur. Hec post Angleri[r] obitum in vastitatem vertitur, eo quod cives ipsius omnes in Runcia Valle gladio obierunt. Huius etiam Angeleri[r] sororem, Hugonis filiam habuit Guido de Nantolio[s], filius Aye de Avennione, cuius Guidonis pater dictus est Garnerus, Dodonis filius de genere Gerardi de Rossilione, et quatuor filiorum Haymonis. Pater Aye Antonius tenuit Valentiam et Avennionem, Aye scilicet[t], que post mortem Garneri mariti sui nupsit regi Ganori Sarraceno, qui per eam baptizatus est, de qua genuit Antonium et Richerum. Gayferus rex Burdegalensis cum 3000, Gayferus fuit Angeleri[u] et Ayglentine avunculus; Galerus, Gelinus, Salomon, socius Estulti, Balduinus frater Rothlandi, Gandeboldus rex Frisie[v] cum 7000; Oellus comes de Nantas cum 7000; Arnaldus de Bellanda cum 2000: hic fuit[w] pater Nemerici de Narbona; Naaman dux Bawarie cum 10000. Non est iste dux Haymo, qui quatuor habuit filios, Renaldum, Alardum, Richardum et[x] Guichardum, qui dicuntur fuisse de una sorore Karoli, de quibus quedam fortia gesta referuntur. Horum maior natu sanctus Rainaldus[y] tandem fuit monachus apud Sanctum Panthaleonem Colonie et martirizatus a cementariis translatus est in Trummonia[46], et cum honore sepultus. Ogerus rex Dacie cum 10000: de hoc canitur in cantilena, quod innumera fecit mirabilia; Lambertus princeps Bituricensis cum 2000; Sanson dux Burgundie cum 10000; Constantinus prefectus Romanus[z] cum 20000; Raynaldus de Albaspina, Galtherus de Thermis, Guielinus, Garinus Lotharingie dux cum 4000; Beggo de Beliin[*]. Fuit iste Bego[a] frater eiusdem Garini; dux namque Hervinus duos habuit filios, Garinum et Beggonem; de Garrino natus est Gebertus, de Beggone Arnaldus[b] et Gerinus. Iste Gerinus comes multa fecit et vixit ultra 300 annos[c] post obitum Karoli Magni[47]. Berrardus[d] de Nublis, Albricus Burgundio, cuius patrem dicunt fuisse Basinum, Bernardus de Monte Desiderii, Guinardus[e], Esturmitus, Tedricus, Ynorius[f], Berrengarius, Hatto, Ganalonus traditor. Dicitur quod iste Ganalo natus fuit apud Ramerut[48] Trecensis dyocesis. Proprius exercitus Karoli 40000 militum, peditum non erat numerus. In Landis Burdegalensibus coadunantur, cooperiebant terram longitudine et latitudine duabus dietis; spatio 12 milium in latitudine audiebatur sonitus. Arnaldus de Bellanda per portus Cisereos venit Pampilonam, quem secuntur Estultus et Arastagnus, Angelerus et Gandeboldus, rex Ogerus et Constantinus et novissime Karolus. Cooperuerunt terram a flumine Rime usque ad montem, qui distat ab urbe tribus leugis via Iacobitana, c. 13. que dividebat exercitum nostrorum et Sarracenorum. Didicerat autem Arabicum Karolus iuvenis apud Toletum. Post multam igitur inter eos disputationem dixit

---

a) *deest* 2. b) ditate sit 2. c) Lombardos 1. d) conciliavit 1; *cum Sigeberto convenit* 2. e) nobentes 2. f) consul 1; cō 2. g) milia *hic et in sequentibus omisit* 1. h) cosul 1; cō 2. i) Gebenarer 1; Gebenar̄ 2. k) Rameri 2. l) Estulcius 2. m) cō 1. 2. n) temporibus suis 2. o) Agelerus 2. p) Semonicas 2. q) illa provincia 2. r) Angleri 2. s) Nantalio 2. t) Aye scilicet *desunt* 2. u) Ageliri 2. v) Frarigie 2. w) *deest* 2. x) Richardum et *desunt* 1. y) Renaldus 2. z) *deest* 1. *) Belin 2. a) Bengo 1. b) Arnoldus 2. *sic semper*. c) *deest* 2. d) Bernardus 2. e) Guimardus 2. f) Ynorinus 2.

[46] Dortmund. [47] Cf. an. 945. [48] Ramerupt, départ. Aube, arrond. Arcis-sur-Aube.

Aygolandus, quod si gens sua vinceretur, ipse baptizaretur. Venientibus itaque 20 Sarracenis contra 20 christianos,
occisi sunt Sarraceni. Inde 40 contra 40 similiter Sarraceni, et 100 contra 100, similiter 200 contra 200 chri-
Turpin. c. 14. stianos occiduntur, 1000 contra 1000 adunatis occisi sunt Sarraceni. Postea venit Aygolandus per conductum videre
Karolum, qui videns ordines ducum, clericorum et monachorum in convivio Karoli, tandem de 13 pauperibus, quos
c. 15. seorsum vidit, scandalum sumpsit et baptizari rennuit Facta igitur plenaria pugna in crastinum, in exercitu Karoli erant
134000, in exercitu Aygolandi 100000. Christiani quatuor acies fecerunt, Sarraceni quinque, de quibus due in bello
ceciderunt, et Arnaldus de Bellanda Aygolandum peremit [a]. Deinde occisi sunt omnes [b] Sarraceni preter regem [c] Sibilie
c. 16. et Altumaiorem Cordube cum paucis turmis, 1000 autem de christianis ad spolia retro redierunt [d] et ab eis occisi sunt.
c. 17. Altera autem die [c] apud montem Garizim princeps Navarrorum [e] Furre cum 3000 fuit occisus, sed cum signum [c] crucis
fuisset [f] visum in vestibus 150 christianorum, significans imminere passionem eorum. Karolus humana providentia ductus
c. 18. iussit eos recludi et inventi sunt mortui. Venerunt nostri apud Nageram contra Ferracutum gygantem, qui de genere
Goliath venerat de Syria cum 20000 a Babilonis admiraldo missus. Hic vim 40 fortium possidebat. Statura eius cubitos
habebat 12, facies erat unius cubitus, nasus unius palmi, brachia vel crura quatuor cubitorum, digiti trium palmorum.
Qui Rogerium Dacum, Raynaldum de Albaspina, Constantinum Oellum misit in carcerem. Contra hunc Rothlandus
cum venisset ad singulare certamen, occidit equum eius gladio, et gygas equum illius pugno; exinde usque ad nonam
pugnis et lapidibus debellarunt; gygas impetravit treugas usque in crastinum, in mane satis pugnaverunt, inde sedentes
ceperunt questionari, unus [g] contra alium [h]. Ibi Rothlandus optime de fide nostra disputavit. Tandem post luctam Roth-
landus punxit eum mucrone in umbilico, et ille moritur exclamando; et nostri a carcere capto castro eripiuntur. Inde
c. 19. Ebinus rex Sibilie et Altumaior Cordube et viri de septem urbibus contra nostros venerunt, id est de Sibilia, Granada,
Satina, Manbeda, Abula, Baecia et Corduba, ab hac tribus milibus prope simul convenerunt. Sarraceni 10000 et chri-
stiani 6000 ubi fuit bellum quod dicitur larvarum, ante singulos equos illorum veniebant pedites habentes larvas barbaras
cornutas, demonibus consimiles, et tenentes tympana, quorum visu et sonitu equi nostrorum retro fugere ceperunt. Per-
venimus ad montem ab urbe duobus milibus proximum, in crastino Karolus precepit, ut oculos equorum linteis velarent
et aures obturarent, et hoc facto multos Sarracenorum occiderunt. Karolus acies iniquorum penetrans propria spata
perticam supra [i] plaustrum que vexillum sustentabat abscidit. Ilico 7000 Sarracenorum cum rege Sibilie interfecti sunt.
Altumaior cum 2000 evasit, qui tandem baptizatus civitatem Cordubam a Karolo recepit.

V. s. Guil. n. 9. Anno 806. Sanctus Guillelmus invictus triumphator et domator [k] Sarracenorum ex duce Aquitano relicto seculo
ibid. n. 1. factus est monachus in desertis dyocesis Lotevensis [l]; pater eius Theodericus, mater Algana dicta est.

De Guidone, filio Samsonis ducis Burgundie, in regem a iuvenibus in Francia elevato, dum Karolus Magnus esset in Hispania, et de gestis eiusdem Guidonis satis pulchra decantatur sive fabula sive hystoria.

Turpin. c. 19. Karolus in Hyspania divisit terram Navarrorum et Basclorum Britannis, terram Castellanorum Francis, terram
c. 20. Nagere et [m] Cesarauguste [n] Grecis et Apulis, terram Arragonum Pictavis, Alandaluf maritimam Theutonicis. Deinde tenuit
in Compostella concilium et instituit profectionem ad Sanctum Iacobum. Yrtam, ubi fuerat ab antiquo episcopatus, pre-
cepit esse subiectam sedi Compostellanensi et archiepiscopatum Emerite in Compostellam [n] transtulit. Tunc in eodem
consilio ego Turpinus cum 60 episcopis basilicam et altare sancti Iacobi Kalendis Iunii dedicavi, et sicut beatus Iohannes [m]
requiescit in Epheso in orientali parte ad dexteram Christi, ita beatus Iacobus in Compostella in occidente secundum
eiusdem Domini nostri dispositionem quasi ad sinistram eius videtur esse locatus.

c. 22. Sequitur de proditione Ganaloni et de bello Runcie Vallis et de passione pugnatorum Karoli. Karolus rediens
ab Hispania Pampilonam cum exercitibus venit. Erant tunc temporis apud Cesaraugustam Marisirius et Beligandus duo
reges Sarracenorum ab amiraldo Babilonis de Perside missi, quibus Karolus per Ganalonum mandavit, ut baptismum
subirent aut tributum mitterent. Qui miserunt 30 equos onustos auro et argento et 400 oneratos vino et 1000 Sarra-
cenas formosas, Ganaloni vero 20 equos oneratos dederunt. Qui reversus dixit Karolo per proditionem, quod Marsirius,
volens effici christianus, preparabat iter suum, ut in Galliam veniret [o]. Karolus credens ei, Rothlando et Olivero cum
ceteris principibus commisit ultimam custodiam in Runcia Valle cum 20000, ut ipse cum aliis exercitibus portus Cysereos
transiret. Quidam autem christiani predicto vino ebrii cum Sarracenicis [p] et christianis feminis fornicati sunt. Marsirius
interea et Beligandus frater eius cum 50000 supervenerunt, quorum 20000 nostri occiderunt, statim alia 30000 Sarra-
cenorum lassos aggressi sunt et omnes nostros videlicet 20000 percusserunt preter Rothlandum et Balduinum et Theode-
c. 23. ricum. Rothlandus insonuit tuba eburnea et redierunt ad eum 100 christiani, qui Marsirium insecutus peremit [q] eum; et
ibi passi sunt 100 predicti christiani, Rothlandus etiam cum quatuor lanceis vulneratus et lapidibus attritus evasit. Qui
fatigatus usque ad pedem portus Ciserce [r] pervenit et sub arbore quadam iuxta marmoreum lapidem consedit. Ibi spatam
suam Durenda, id est *Durum ictum cum ea da*, deflere cepit; et timens ne in manus Sarracenorum veniret, in [s] mar-
c. 24. moreum lapidem ter percussit, et ita lapis in duo dividitur, gladius tamen illesus educitur. Tunc tanta virtute tuba
insonuit, quod tuba per medium scissa est, et vene colli eius et nervi rupti fuisse feruntur, vox usque ad Karolum octo
milia versus Gasconiam angelico ductu [t] pervenit. Balduinus etiam superveniens equum eius ascendit et Karolum inse-
cutus est, ilico etiam advenit Theodericus, in cuius presentia devotissimam orationem fecit idem [u] sanctus martir Roth-
c. 25. landus [v]: *Domine Iesu Christe, pro cuius fide et amore patriam meam dimisi*, et cetera. Ego Turpinus eram cum
Karolo 16. Kalendis Iulii [w] missam celebrando, ubi raptus in [x] extasi audivi choros in celestibus et vidi demones trans-
euntes, quorum uni dixi: *Quid fertis? Nos*, inquit, *Marsirium portamus ad inferna, tubicinem vestrum cum multis fert
Michael* [u] *ad superna.* Dum hec Karolo referrem, ecce Balduinus supervenit, et que facta fuerant, intimavit. Et statim
Karolus cum exercitu retro rediit. Invenit igitur Karolus Rothlandum qui decesserat brachiis supra pectus in effigie
c. 26. crucis positis. Obiit anno etatis sue 38. Oliverum etiam a Sarracenis excoriatum invenit. Crastina die Karolo per-
sequente Sarracenos tale factum est miraculum, quod sol visus est stetisse inmobilis [y] spatio trium horarum. Et invenit
eos supra [z] fluvium Ebro iuxta Cesaraugustam, et interfectis ex eis quatuor milibus ita reversus est. Deinde cepit
inquirere, si verum esset de proditione Ganaloni; et facto super hoc duello coram eo, Theodericus Pinabellum peremit,
et sic Ganalonus captus et quatuor equis ferocissimis [*] agitatus contra quatuor plagas celi discerptus interiit.

---

a) perimit 1; *sed ut 2, ita Turpinus ipse.* b) omnes occisi sunt 1; *sed 2 convenit magis cum Turpini:* occiderunt illos omnes. c) *deest* 2. d) abierunt 2. e) Narvarorum 2. f) fuit 2. l) Latavenensis 2. m) *deest* 2. n) Cesaris Auguste 2. o) venirent 1. p) Sarracenis 2. q) perimit 1; *cum Turpino convenit* 2. r) ad portus Cisere pedem 2. s) et in 1. t) ductu angelico 2. u) *deest* 2. v) Rolandus 2. w) Iunii 2. x) et in 2. y) inmobilis stetisse 1; *sed ut 2, ita Turpinus.* z) super 2. *) fortissimis 2.

Iste Ganalonus traditor olim quandam fundaverat abbatiam que dicitur Nigella [49] in dyocesi Trecensi, et idcirco fratres loci collegerunt menbra eius et in eadem abbatia tamquam fundatorem suum sepelierunt; de sorore autem eius Teiberga fuerunt Pinabellus et Griffonellus.

Sequitur de corporibus mortuorum aromatibus et sale conditorum, de duobus cimiteriis sacrosanctis, uno apud Arelatem, altero aqud Burdegalam, que Dominus per manus septem episcoporum sanctorum benedixit, Maximini Aquensis, Trophini Arelatensis, Pauli Narbonensis, Saturnini Tolosani, Frontonis Petragoricensis, Martialis Lemovicensis, Eutropii Sanctonensis. In hiis sepulti sunt, qui ceciderunt in monte Garizim; Rothlandus in ecclesia sancti Romani Blavie sepultus est, mucro ad capud illius [a], tuba ad pedes, que postea Burdegalam in ecclesia sancti Severini translata sunt. Apud Belinum Oliverus, Gandeboldus, Ogerus, Arastagnus, Garinus et alii multi positi sunt, modo vero Ogerus dicitur esse in abbatia sancti [b] Pharonis Meldis et Garinus Metis. Et sicut isti, ita etiam plures ex aliis ad loca sua potuerunt referri, apud Burdegalam Gayferus, Engelerus, Lambertus, Gelerus et Gelinus, Rainaldus, Galterus, Guilelmus, Beggo cum quinque milibus aliorum, Oellus apud Nantas reportatus est; apud Arelatem in aliis campis per Gasconiam et Tolosam deportati sunt Estultus, Salomon, Samson, Arnaldus, Albricus, Guinardus, Esturmitus, Hatto [c], Theodericus, Yvorius, Bernardus, Berengarius [b], Naaman cum 10000 aliorum et ibi sepulti sunt [b]. Ibi rediit ad nos exercitus, qui a nobis in Hoste Valle discesserat et per Morlanum et Tolosam venerat. Constantinus vero Romam per mare relatus est. Turpin. c. 27. c. 28. c. 29. c. 30.

De Turpino archiepiscopo multis vulneribus debilitato colligimus ex dictis Calixti pape, quod apud Viennam remansit et sibi successorem fecit institui, de quo ita invenitur in annalibus: Tulpino [d] archiepiscopo Remensi Wlfarius succedit per annos 10, sed ante ordinationem suam iam diu rexerat ecclesiam Remensem sub Turpino. Qui tamen Tilpinus [e] vixerit [f] usque post obitum Karoli Magni, sicut habetur in sequentibus.

Et notandum quod Hugo scribit, duos principes cecidisse cum Rothlando, quorum nomina non continentur in Turpini cathalogo, videlicet Egibardum regie mense prepositum et comitem palatii Ancelmum. Hugo Flor. 170.

Karolus ab Hyspaniis rediens concilium tenuit apud Beatum Dyonisium et postea Aquisgranum versus Leodium perrexit. Turpin. c. 31.

Hic inter filios suos — fortiter debellantur. Sigeb. 806.

4. Nonas Septembris [g] — in 16. parte piscium. Helin. 806.

Pridie Nonas Iunii, luna 13, feria 5, prima aurora incipiente, signum crucis mirabili modo in luna apparuit, quasi hoc modo [50]. Dehinc 3. Kalendas Septembris, luna 12, die dominica, hora 4. corona mirabilis in circuitu solis apparuit. Annal. S. Columb. Senon. 806.

Anno 807. Pridie Kalendas Februarii – et sol semel. Hucusque Elinandus ex quibusdam annalibus [51]. Helin. 807.

Chudmeid amireus missus — classem amisit totam. Predictus autem Aaron rex Persarum Karolum — legatos honorat. Sigeb. 807.

Hugo: Cum Aaron [h] rege Persarum — totidem fenestras aperiebant. Hugo Flor. 173.

Elinandus: Et alia multa erant in horologio illo. Legatus vero missus a rege Persarum dicebatur Abdella, qui detulit imperatori Karolo papilonem — unguenta et balsamum. Fuerunt etiam inter munera — magnitudinis et proceritatis. Helin. 807.

Chruninus Bulgaribus dominatur. Sarraceni Sardiniam — filio superantur. Sigeb. 807.

Hugo: Sarraceni Sardinia pulsi — amissis 14 navibus suis. Hugo Flor. 173.

Karolus imperator per manus Pauli dyaconi decerpens — conpilari fecit. Sigeb. 807.

Hugo de eodem Paulo: Claruit hiis temporibus Paulus — Karoli precellentissimi imperatoris; fertur idem Paulus composuisse hymnum de beato [i] Iohanne baptista. Hugo Flor. 177.

Anno 808. In Britannia, immo in Anglia, secundum Elinandum et Guilelmum [k], mortuo rege Merciorum Kenulpho, qui 24 annis regnaverat et cuius filius Kynelinus puer, a sorore Quendrida innocue cesus, martyr effectus est, regnavit Theonulphus frater eius in regno Merciorum anno 1, qui a Sygeberto [52] vocatur Cardulfus. Altero autem anno a Bertulfo [53] patria et regno pellitur, sed ad Karolum imperatorem veniens per eum patrie et regno restituitur [54]. Helin. 808. Sigeb. 808.

Nec multo post rex Westsaxonum et Cantuariorum Egbirtus, de quo supra diximus, totum regnum Merciorum suo regno copulavit. Guil. Malm. 96 et 107.

Hugo: Eodem quoque [l] tempore floruit sanctus Egidius — heremiticam duxit vitam. Huius quidem meminit Sigebertus, sed non in tempore quo debuit. Sanctus, inquit, Egidius veniens a Grecia sanctitate claret in Provincia. Quod [m] enim tempore Karoli Magni floruerit, satis est autenticum, et ille ponit eum sub tempore Karoli Martelli [n]. Hugo Flor. 177. Sigeb. 715.

Item Hugo de liberis Karoli Magni: Habuit de regina Hildegarde Karolus tres filios, Karolum, Pipinum et Ludowicum, habuit et tres filias de eadem Rothrudam [o], Bergam [p] et Gislam. De Fastrada quoque regina secunda uxore duas alias habuit filias. Fastrada vero mortua — reginam, que peperit Drogonem et Hugonem. Hugo Flor. 176.

Drogo iste fuit postea Metensis episcopus, Hugo frater eius fuit abbas in Francia venerabilis et [q] longo tempore fratribus omnibus supervixit. Hic Hugo, ut dicitur, hodie

---

a) eius 2. b) *deest* 2. c) Hacco 2. d) Turpino 2. e) Turpinus 2. f) vixit 1. g) Septembri 1. h) Aaron 2. i) sancto 2. k) Wilelmum 2. l) Eodemque 2. m) Quot 2. n) sub Karolo Martello 2. o) Rothrudea 1. p) Bertam 1; *cum* 2 *convenit Hugo.* q) *deest* 2.

49) Nesle-la-reposte, départ. Marne, arrond. Epernay.

50) Modus ipse, pictura scilicet, in utroque codice desideratur.

51) Ex annalibus scilicet, quos Einhardo attribuimus.

52) Ad annum 808.

53) Hucusque non Guilelmum §. 95. 96, sed Helinandum fere ad verbum descripsit, ex Guilelmo solum Quendridae nomen adiciens.

54) Eardulfus a Sigeberto ad annum 808 rex Northumbriae dicitur, non vero Merciae. Hoc igitur illudque noster unum atque idem habuit regnum, in errorem forte eo seductus quod Helinandus quem sequitur ad Sigebertum provocat.

Hugo Flor. 176. quiescit in cenobio Elnonense [a] apud Sanctum Amandum de Papula [b] [55]. Liberos suos Karolus ita censuit instituendos — ex hiis omnibus duos tantum filios ac filiam, priusquam moreretur, amisit, quod suo loco declarabimus [56].

Helin. 808. Leo papa III. — de Sancto Othmaro.

ibid. 807. Hyemps mollissima et pestilens huius anni fuit.

Sigeb. 809. Anno 809. Aaron amiraz moritur — principatur.

Helin. 809. In Thuscia Populonium — ad Leonem papam missi sunt.

Et eclipsis lune fuit.

Sigeb. 809. Pipinus rex Italie — non multo post obiit.

Hugo Flor. 177. Imperator denique Nichephorus — spontanea donavit.

Sigeb. 809. Qui Nichephorus imperator — in se exaggeravit.

Hugo Flor. 177. De quo dicit Hugo: Hic fuit vir crudelis — simulans decipiebat.

Sigeb. 809. Sygebertus: Godefrido Danorum rege — ab imperatore Karolo.

Apud Leodium mortuo Gerbaldo episcopo Walcaudus [c] episcopatum suscipit, qui in Ardenna Andagium cenobium construxit. Hec est abbatia sancti Huberti de Ardenna.

Chron. S. Hub. c. 1—4. Andagium fundavit quidam sanctus Beregisus sub Pipino principe et eius uxore Plictrude per litteras celitus destinatas et ab ipsa Plictrude repertas. In quo loco fuit castrum Ambra caput Amberlaci fisci. Quod castrum fuerat [d] ab Hunis ex toto [e] destructum ante 337 annos, et ecclesia sancti Petri in eodem castro omnino diruta. Quam ecclesiam dictus Beregisus per Pipinum restituit, et ordinem canonicorum ibi statuit. Ille [f] vero episcopus Leodiensis Walcaudus [c] ordinem monachorum ibi posuit per papam Leonem et Hildeboldum Coloniensem archiepiscopum qui Richolfo successerat.

Sigeb. 810. Anno 810. Karolus in tres partes — sibi victoria provenit.

Helin. 810. 8. autem Idus Iunii obiit Rothrudis maior natu filia imperatoris, sed et Pipinus rex Italie, de quo in anno precedenti dictum est, obiit [g] octavo Idus Iulii.

Hugo Flor. 177. Qui Pipinus unum filium Bernardum — inter filias suas educari fecisset.

Ab isto Pipino et a [d] Bernardo filio eius antiquitas comitum Campani descendit.

Mortuus est etiam hoc anno Sewinus dux Burdegalensis, cuius [h] fratres fuerunt Alelinus et Ancerus [i]. Huius Sewini filii, Gerardus et Hugo, qui Karolum filium Karoli [k] casu interfecit, Almaricum proditorem in duello vicit, exul de patria ad mandatum regis fugit, Alberonem virum mirabilem et fortunatum reperit, et cetera sive fabulosa sive historica annexa.

Sigeb. 810. Karolus imperator rerum suarum — suffraganeos episcopos [l] divideret. Et hec sunt nomina archiepiscopalium civitatum — Burdegala, Turonis, Bituricas.

Helin. 811. Unamquamque partem — cui mittenda erat.

H. Flor. 175. Has omnes idem potentissimus — suis opibus [m] exornabat.

Gesta Trev. c. 25. Wasco abbas Mediolaci [n] fuit archiepiscopus Treverensis et post eum Amalarius Fortunatus cardinalis, qui librum officiorum ecclesiasticorum composuit.

Helin. 810. Sol et luna bis defecerunt, sol 7. Idus Iunii et pridie Kalendas Decembris, luna 11. Kalendas Iulii [o] et 17. Kalendas Ianuarii.

ibid 811. Pridie Kalendas Decembris Karolus rex filius imperatoris maior natu obiit.

ibid 810. Magna quoque fuit boum mortalitas per omnes provincias imperatori subiectas.

Sigeb. 810. Nichephorus imperator Bulgariam ingreditur — Stauracius filius eius post eum parvo tempore imperat. Hec Sygebertus.

Hugo Flor. 178. Hugo vero ita: Nichephorus imperator perrexit cum Stauracio — Stauracius quoque filius eius — imperavit post obitum patris sui mensibus 2 et diebus 6.

Helin. 811. Karolus imperator per quatuor annos — aquarum naturaliter calentium.

ibid. 812. Anno 811. Constantinopoli Stauracio Nichephori filio [57] deposito Michael Curopalates [58], sororius eius, gener videlicet Nicephori, imperavit annis 2.

Otto Fris. V, 32. Hic nuncios Karoli — cum eo renovavit.

Hugo Flor. 178. Ab hoc Michaele exegit reverendus patriarcha Nichephorus — Muhamath cessit fratri invitus et optinuit Baldach opulentissimam urbem. Ante ista tempora nulla mentio in omnibus antiquis hystoriis de Baldach civitate invenitur.

Sigeb. 813. Sigebertus sic: Muhamath [p] amiras fratri suo — aliquot annos descinditur.

Hugo Flor. 178. Contigit etiam hoc eodem tempore loca sancta, — erat iners et remissus.

Sigeb. 811. Hemingus rex Danorum — super aquam remaneret.

Hugo Flor. 175. Hugo: Pons quem fecit Karolus apud Moguntiacum in Reno 500 passuum longitudinis, nam tanta est ibi fluminis latitudo, uno anno vel duobus antequam decederet, ita incendio conflagravit, quod refici non potuit propter festinatum illius decessum, quanquam in ea meditatione esset ut pro ligneo lapideum restitueret. Inchoavit autem Karolus et palatia operis egregii unum [q] haud longe a Moguntia — et alterum Noviomagi vel Neomagi super Wahalam fluvium, qui de Reno fertur in Mosam et Bathavorum insulam in parte meridiana preterfluit.

Otto Fris. V, 32. Episcopus Otto: Ceterum actus Karoli et bella — a multis descripta.

a) Elnonensi 2. b) Padua 2. c) Walcandus 2. d) *deest* 2. e) toto fuit 2. f) Iste 2. g) obiit in 2. h) cui 2. i) Adelmus et Ancherus 2. k) filium Karoli *desunt* 2. l) *deest* 1. m) operibus 1. n) Mediolani 1. o) Iunii 2. p) Muhameth 1. q) *deest* 2.

55) Saint-Amand-en-Pevèle vel Amand-les-Eaux, départ. Nord, arrond. Valenciennes. 56) Cf. annum 810. 57) Cf. Hugonem Flor. 178. 58) Cf. Hugonem Flor. l. c.

Anno 812. Karolus imperator Ludowico — regem Italie facit. Sigeb. 812.

In Francia apud cenobium Elnonense sanctus Amandus a Lothario custode sive Lanthario[a][59] elevatur — posterorum adhuc servatur.

Corpus sancti Salvii episcopi et martiris, de quo Karolus Magnus ter fuerat[b] ammonitus, inventum est[60]; facta est eius elevatio 12. Kalendas Octobris apud Valencianas[61] in Hainaco[c], ubi multi variis infirmitatibus detenti pristine redditi sunt sanitati.

Legati Michaelis venientes Aquis dixerunt laudes imperatori Karolo Greca lingua. Helin. 812.

Idus Marcii post meridiem facta est eclipsis solis.

Anno 813. Hugo[d]: Anno secundo imperatoris Constantinopolitani Michaelis 3. Nonas Marcii sol defecit — inter se divisere. Hugo Flor. 179.

Karolus imperator per totas Gallias — quintum Arelati. Sigeb. 813.

Regni vero Karoli terminus fuit a Bulgaris[e] usque ad Hyspanos et a Danis usque ad Kalabros exceptis adiacentibus quibusdam regionibus, Polonia, Boemia, Dalmacia, Histria, Venecia et Britannia, et quidquid tenuit Karolus: adhuc duo regna sunt Romanorum et Francorum, sola Pannonia excepta. Erat autem Karolus corpore amplo — sed in potu temperantior. Otto Fris. V, 32.

Mauri Centumcellas — vastaverunt. Helin. 813.

Anno 814. Wlfarius[f] Remensis archiepiscopus apud Noviomum synodum celebrat, pro eo quod Wendilmarus Noviomensis et Rothardus Suessionensis episcopi contendebant de quibusdam terminis suorum episcopatuum. Que loca ultra Ysaram sunt de Noviomensi dyocesi Varinne, Urscampus, Turpiacus, Ierusalem et cetera. Qui Wlfarius ante episcopatum fuit iudex per totam Campaniam. Flod H. R. II, 18.

Karolus imperator gloriosus[g] regno et imperio suo ampliato et pacato, statu quoque ecclesie sancte ordinato, qui pro magnitudine operum agnominatus est Magnus, anno etatis sue 72. moritur, 5. Kalendas Februarii[62], et sepelitur in ecclesia beate Marie[62] Aquis indictione 7.[62] Sigeb. 814.

Guido: Cum late culturam christiane fidei propagasset, multas fundasset aut renovasset[h], honorasset beneficiis, donariis ornasset ecclesias, preciosa[i] in conspectu Domini[d] calice mortis invitatur ad vite coronam, quam preparavit Deus diligentibus se. Qui apud Aquisgrani palatium in ecclesia sancte Dei genitricis, sol alter in terris[k] occidens, subit, sepulchrum quam pulchrum habere nulli de predecessoribus[l] est concessum. O quantus orbi Romano tanto sibi sublato principe dolor! qui non tantum suis decus fuerat et tutela subiectis, sed magnum prestabat remedium consolationis[m] tributariis etiam sub dominatione Sarracenica christianis! O quanta precipue lamenta Francorum, quorum genus opibus, sed plus operibus, non moribus curiosis, sed curialibus, non auro, sed ferro gentibus ceteris anteferri, dulcemque Franciam moderamine regiminis sui meruerat appellari! Magna tamen est consolatio regno Francorum imperioque Romano, quod eius ubique viget in flore suo memoria, mundique totius auditum terrore concutit et recreat blandimento gestorum eius altisona tuba.

Eram ego Turpinus apud Viennam et cum precibus insisterem in ecclesia, Karoli mors mihi[n] fuit demonstrata. Vidi demonum agmina versus Lothoringiam tendere, et uni eorum dixi: *Quo tenditis? Aquisgranum ad Karolum. Adiuro te*, dixi, *per nomen Domini, ut ad me revertaris.* Et vix expleto psalmo: *Deus in adiutorium meum intende*, eisdem reversis dixi illi[o] primo: *Quid egistis*[p]*?* *Galecianus*, inquit, *sine capite tot ac tantos lapides et ligna*[q] *innumera basilicarum suarum in statera suspendit, quod magis appenderunt bona eius quam mala.* Post 15 dies per nuncium didici usque ad diem mortis illum egrotasse, et 16. Kalendas Iulii 12 uncias argenti totidemque talenta aurea, vestes etiam et cibaria annuatim in omni vita sua pro illis, qui mortui fuerant in Runcia Valle pauperibus erogasse, et eadem die et[r] hora, qua visionem ego videram, scilicet 5. Kalendas Februarii, illum ab hac vita migrasse, et apud Aquisgranum horis Leodii in beate Marie basilica honorifice fuisse sepultum. In predicto exemplo datur intelligi, quod, qui ecclesiam edificat, regnum Dei sibi preparat. Turpin. c. 32.

Vitam Karoli Einardus descripsit. Sigeb. 814.

De eodem Einardo habetur in sequentibus in anno 826.

Post Karolum imperatorem Ludovicus Pius imperat annis 26.

Guido: Ludovicus rex Aquitanie adhuc vernanti venustus etate, iam paternis instructus monitis de imperii gubernatione, debellatione rebellium, humilium exaltatione, promotione nobilium, deiectione superborum, de morum disciplina, pacis securitate, iuris equitate, dilectione[s] divini cultus, ecclesiarum veneratione; monitis inquam instructus, precibus invitatus, incitatus exemplis[t], precepto patris et assensu communi principum, imperialem nanciscitur thronum. Quem ad imperii regnum superna providentia reservavit, quod non solum ex piis actibus eius[u] innotuit, sed etiam Alcuino, secretario Karoli imperatoris

a) lantharius 1. 2. *corr. ex Helinando.* b) fuit 2. c) Hainiaco 2. d) *deest* 2. e) Bulgaribus 2. f) Vulfarius 2. g) gloriosus imp. 2. h) aut renovasset, multas fundasset 1. i) preciose 1. k) terram 2. l) prioribus 2. m) consolationis remedium 2. n) *deest* 2. o) illi primo dixi 2. p) existis 2. q) lingua 1. r) in 1; *cum Turpino ipso 2 convenit.* s) delectione 1. t) exemplis incitatus 2. u) eius actibus 2.

[59] Verba: *custode sive Lanthario* ex Helinando ad an. 812. addidit. [60] Cf. Helinandum ad an. 812. [61] Valenciennes. [62] Cf. Hugonem Floriac. 177.

et sancti Martini Thuronensis archiclavo reverentissimo litterisque tam secularibus eruditissimo, quam divinis, a Deo legitur et ab eo revelatum Karolo patri, dum eo fundente preces in ecclesia Thuronensi notasset instinctu celico, ceteros[a] eius filios[b] oculos per ecclesiam iactare sublimes et incedere pectorosos, hunc videlicet Ludovicum humilem incessu, simplicem vultu, moderatum cultu, sacra venerantem et considerantem, sacras vel legendo scripturas vel intuendo picturas.

Otto Fris. V, 33. Ludowicus morte patris comperta — consensu omnium, sicut pater ordinaverat, rex creatur.
Anno 815. Anno regni sui primo Ludowicus delatione quorundam — se expurgavit[c].
Sigeb. 815. Inter Ludowicum et Leonem Constantinopolitanum imperatores pax firmatur.
Helin. 816. Constantinopoli factus est — ultra solitum exundavit.
Sigeb. 815. Harioldus rex Danorum — vagatur crebris incursibus.

Miraculum quod factum est in Hispania post mortem Karoli Magni hic annotandum censemus. Quidam Altumaior Cordube terram Galecianam subiugando beati Iacobi urbem et basilicam devastavit, sed mox factus cecus, fluxu intestinorum interibat. Qui ad consilium cuiusdam captivi sacerdotis Deum invocavit, dicens: *O Deus christianorum, Deus Iacobi, Deus Marie, Deus Petri, Deus Martini, Deus omnium christianorum, si ventri meo et oculis sanitatem dederis, quidquid, o Iacobe, a domo tua abstuli restituam.* Et omnibus dupliciter restitutis, ad sanitatem revocatus est. Qui pervenit ad villam, que dicitur Oniz, in qua sita est beati Romani basilica, ubi dum[d] quidam dux eius in columpnas ecclesie cuneum ferreum infigeret, idem dux in lapidem versus est. Quod[e] ut Altumaior vidit, ait suis: *Iacobus lumen oculorum meorum abstulit, Romanus de homine lapidem fecit, sed Iacobus clementior est quam iste Romanus, fugiamus ergo ab hiis horis.* Et confusi abscedunt.

Helin. 817. Anno 816. Leo papa moritur — post quem sedit Stephanus IIII. mensibus 7.
Sigeb 816. Hic mox in Franciam — coronavit in[f] imperatorem.
Otto Fris. V, 33. Episcopus Otto: Cui imperator Remis — pronunciavit Ludowicum.

Guido: Ludowicus evocato precibus in Franciam[g] papa Romano Stephano IIII., tam ut imperialis eius promotio benedictionis apostolice sumeret incrementum, quam ut detrimentum ordinis[f] ecclesiastici viteque clericalis in multiformes excessus eo tempore vacillantis aufferret summi pontificis solertia pastoralis; in planicie Campanie preiacenti urbi Remensium cum optimatum tam imperii quam regni multa frequentia non minus festivus quam festinus occurrit. Quem ubi[h] appropinquantem[i] attendit, equo descendit, humiliatur ad genua, sublevatur ad osculum et apostolicum equum apprehensa regens habena, non parvo pedes itinere precedere gloriatur eumque sic ad urbem, ecclesiam et palatium usque cum favorabili processione producit. Ibi cum imperiale dyadema die solempni, reverenda caterva pontificum et optimatum nobili circumstante conventu, cum infusione benedictionis apostolice suscepisset, cum fuisset de fidei iuris et pacis observantia diu diligenterque tractatum, regia largitate distribuit ecclesiis donaria, dona populo, militibus donativa[63].

Flod. H. R. II, 19 Wlfario archiepiscopo Remensi Ebbo succedit per annos[k] 19.
Sigeb. 816. Ludovicus imperator — obsides accipit.
Helin. 817. Stephanus papa — 8. Kalendas Februarii.
Anno 817. Paschalis papa primus huius nominis[l] sedit annis 7 — signo agitatoris[m] apparuit.
Sigeb. 817. Guascones ab imperatore — cito resipiscunt.
Ibid. 818. Scloamir[n] rex — ad Danos transit.

Guido: Inter hec studio dilectionis, qua fervebat[o] gratia Dei erga[p] cultus[q], honorem et decorem domus Dei, imperator Ludowicus humilitatem ecclesiastici status exaltat et rigorem clericalis discipline temperat admixtione glorie secularis, ut merediante gratia, quam amicitia familiaritatis apud principes ordo meretur ecclesiasticus, regnum et sacerdotium iungerentur fibula pacis et commoditatis alterno[r] solatio fruerentur. Tantum etiam delectabatur amplificare servitium Dei, quod et Pipinum, qui filiorum tertius erat[64], illius adhuc evo tenerum, quia ceteris prestare cerneret elegantia[s] forme, decerneret in clericali gradu divino cultui mancipandum. Idque complesset nisi Lotharius, qui maior ipsius existebat in natis et plerumque piis eius actibus obsistebat, abstractum vi patris e manibus et oculis absentasset. Propter hec et hiis similia, videlicet[q] ob devotionem erga Deum et ecclesiam eius, miserationem super afflictionem miserorum, elemosinarum in pauperes

---

a) ceteris 1. 2. b) filiis 2. c) purgavit 1. d) *deest* 2. e) quot 1. f) *deest* 1. g) in Franciam evocato 2. h) ibi 2. i) propinquantem 1. k) per annos 1; annis 2. l) huius nominis primus 1; *sed* 2 *cum Helinando convenit.* m) sagitarii 2. n) Sclomir 1. o) fruebat 1. p) erga *addidi.* q) *deest* 2. r) alterne 2. s) elegantior 2.

63) Cf. Thegani Vitam Ludovici c. 16. 17, quod opus si Guido non in ipso scribendo prae oculis habuit, tamen antea legerat. 64) Pipinus alter fuit Ludovici filius.

largitatem, tantam apud Deum et homines invenit gratiam, quod agnomen est a pietate[a] sortitus et in cathalogo regum Francie vel imperatorum mereretur inscribi Pius, ob[b] pietatis opera, Ludovicus. Dehinc adipiscendis operam dare[c] virtutibus et plus animum studet ornare quam corpus, tametsi in eius ornatu, non ut placeret, sed ne displiceret, tantam diligentiam adhiberet, quod ut magnorum plerisque solet evenire, ridenti[d] nunquam contingeret, eis dentes ostendere, quamvis decentissimos, indecenter[65].

Distinctione 63. legitur, quod imperator Ludowicus dedit Paschali pape privilegium, in quo videtur renunciasse privilegio, quod Adrianus papa[e] dederat Karolo patri suo.

Anno 818. Ludowicus imperator — ab eis perimitur. Harioldus — remittitur[f]. Sigeb. 819.

Guido: Ludowicus iustitie cultor effectus equitatem iniquitati preponit, iuri supponit iniuriam, imperium pace componit, humiliat armis colla rebellium et Affricanos multis gravibus preliis ab Hispanie deturbat invasione paganos.

Hugo: Ludowicus pius fuit vir clementissime nature, — crudeliter impugnatus. H. Flor. 179.

Elinandus: Coniuratio facta est — Theodulfus Aurelianensis episcopi. Helin. 817.

Episcopus Otto: Imperator generalem curiam — coniurasse conperit. Otto Fris. V, 33.

Eclipsis solis fuit 8. Idus Iulii.

Et Ermengardis Andegavis obiit 5. Nonas Octobris. Helin. 819.

Anno 819. Dum imperator contra Bernardum procinctum movet, — orbari fecit. Otto Fris. V, 33.

Elinandus: Episcopi in coniuratione — sunt oculis privari. Helin. 819.

Sigebertus: Aquisgrani generali conventu — regule constitute sunt. Sigeb. 820.

Elinandus: Idem Ludowicus cum adhuc[g] esset — secularis glorie ornamentum. Helin. 820.

Hugo: Fuit semper Ludovicus preceptorum Domini — legibus pernecessaria capitula. Hugo Flor. 179.

Monachos precipue dilexit, qui etiam monachus fieret, nisi pater prohibuisset. Helin. 820.

Hic dicitur, quod etiam pellicias nigris monachis auctoritate pape concessit, item de novem lectionibus in tribus noctibus tenebrarum, quas receperunt et adhuc observant nigri monachi.

Scloamir rex — Ludovico exiliantur. Sigeb. 820.

Deficiente historiarum — et Sarracenorum.

Albricus erat episcopus Lingonensis. Chron. S. Benig. 375.

Anno 820. Paschalis papa corpus — imperavit annis 9. Sigeb. 821.

Secundum quedam cronica — 8. Kalendas Decembris[h] hora noctis secunda. Anno quoque presenti scribunt quidam Bernardum reconciliatum fuisse avunculo suo imperatori, sed non multo post mortuus est. Helin. 821.

Hugo de supradicto episcopo Theodulfo Aurelianensi: Floruit hiis temporibus Theodulfus — sicut fertur extinguitur. Hugo Flor. 180.

De morte vero supradicti regis Bernardi Guido ita dicit: Cum nepotem suum Bernardum Ludovicus regni privasset honore[i] paterni, primo recompensatione principatus alterius mitigatum, post de secunde coniugis Iudith imperatricis amoribus accusatum iubet orbari luminibus[66]. Quibus amissis ille statim extinguitur, in luce quam videre non poterat vivere dedignatus.

Istam causam ponens Guido nullam omnino mentionem fecit de causa conspirationis, que verior fuit et de qua idem Bernardus publice convictus fuit.

Autumpnalis satio — magnum damnum intulit. Helin. 821.

Anno 821. Concilio habito Attiniaci[k] — invitos[l] fecit attonderi. Helin. 822.

In Thoringia cespes[m] — leuge intumuit. Sigeb. 822.

Elinandus: In parte orientali Saxonie — instar calli surrexit. Helin. 822.

Aurelianensi episcopo supradicto Theodulfo successit in episcopatu Ionas — illo suo respondit libello. Hugo Flor. 181

Iste Ionas vitam sancti Huberti edidit ad Walcaudum[n] Leodiensem episcopum, alter vero Ionas fuit antiquior isto, qui vitam sancti Columbani et discipulorum eius edidisse invenitur et ex monacho Flaviniacensi factus fuit episcopus Augustudunensis[o].

Drogo frater Ludovici imperatoris fit post **Gundulfum**[67] Metensium episcopus **per annos 32**[67]. Sigeb 8 3.

Anno 822. Ludovicus imperator filium suum — augusti nomen sortitur. Otto Fris. V, 34

Sigibertus: Ita Lotharius filius imperatoris[p] — augusti nomen accepit. Rome quidam nobilium perimuntur pro eo quod proniores iusto esse viderentur ad fidelitatem Lotharii imperatoris. Quod crimen cum etiam in ipsum papam retorqueretur Paschalem — se iureiurando expurgat. Sigeb. 823.

Et hac de causa Theodorus Romane ecclesie primicerius et quidam Leo gener eius in patriarchio Lateranensi primo excecati sunt, deinde decollati. Tunc missi sunt Romam Adalungus — multos ex eis baptizavit. Helin. 823.

Elevatio sancti Usmari confessoris Lobiensis celebratur. Sigeb. 823.

a) a pietate est 2. b) ac 1. c) *deest* 2. d) ridendi 1. 2. e) *deest* 1. f) mittitur 2. g) *deest* 2. h) septembris 2. i) privasset honore regni 2. k) Atteniaci 2. l) invitus 1. m) cespis 1. n) Walcandus 2. o) Augustudinensis 2. p) imp. filius 2.

---

[65] Cf. Thegani Vitam Ludovici c. 19: *ille nunquam nec dentes candidos suos in risu ostendit.*

[66] Guido ea quae Theganus c. 22 de Bernhardo Italiae rege et quae c. 36 de Bernhardo duce quodam narrat, memoria vacillante confudisse videtur.

[67] Haec e Gest. ep. Mett. c. 39. 40 addita sunt.

Tempore Hetti Trevirensis, Ebonis Remensis, Haistolphi Moguntinensis[a] episcoporum concilium fuit apud Theodonisvillam[68].

Gesta ep. Tull. c. 27. Apud Tullum post Wavincum fuit episcopus quidam sanctus Arnulfus[69], et apud Cathalaunum post Willeboldum prefuit Hildegrinus[b, 70].

Helin. 823. Terre motus factus est — pulchritudine vincere videretur.

Sigeb. 823. In territorio Tullense — vitam hominum rediit.

Helin. 824. Anno 823. Hyems secundum Elinandum asperrima facta est — frigoris extinxit.

Sigeb. 824. In Gallia territorio Eduensi paucis diebus[71]: ante solstitium — nocte ibi sanatis.

Anno 824. Walcaudus[c] Leodiensis episcopus corpus sancti Huberti a Leodio ad Andagium monasterium transfert, post annos circiter 75, ex quo in ecclesia beati Lamberti[d] fuit transpositum[72].

Helin. 824. Paschalis papa obiit, post quem sedit Eugenius I. annis 3, — Sancte Sabine.

Sigeb. 824. Corpora sanctorum Severi Ravennatum episcopi et uxoris eius Vincentie et filie Innocentie ab Othgario Moguntiam translata sunt et in Bopardia[73] posita.

Rabanus sophista — scripturis disseruit.

Helin. 824. Luna defecit[e] – noctis secunda.

Sigeb. 825. Anno 825. Harioldus rex Danorum — sibi data honoratur.

Hic dicitur quod imperator Karolus civitatem Bremam super mare inter Frisiam et Daciam fundavit, et Ludovicus filius suus ultra Albiam opidum de Hamborch, quod adhuc cernitur inter Bremam et Daciam. Portus autem Stada situs est ad hostium Albie inter Bremam et Hamborch. Huius primus episcopus sanctus Anscharius, qui multos convertit, licet postea ex magna parte resilierint, ante fuit archiepiscopus in Hamborch, quam in Brema.

Helin. 826. Ad Eugenium papam misit Hilduinus abbas Sancti Dyonisii Sanctique Medardi, postulans ab eo sibi transmitti ossa venerabilis martiris Sebastiani, quod et impetravit.

Sigeb. 825. Sigebertus: Hilduinus abbas Sancti Dyonisii — omnia facere posse.

Hugo Flor. 180. Anno 826. Eodem etiam tempore, ut scribit Hugo, sanctorum martirum Ypoliti — sunt tumulata.

Sigeb. 826. Corpora etiam Marcellini et Petri martirum a Roma sublata et in Francia translata multis signis clarificata sunt, que per Einardum quondam Karoli Magni clericum, sui temporis doctissimum, in dyocesi Moguntina locati sunt, ubi abbaciam in suo territorio propriis sumptibus condidit, et ibi etiam sepultus est et filia Karoli Magni Emma nomine.

Corpus etiam sancti Gregorii — esse dicitur.

Helin. 826. Anno 827. Vise sunt — in aëre discurrentes.

Sigeb. 827. Obiit abbas Fulradus Lobiensis, succedit Ansigisus qui et Anso[74]. Hic edicta imperatoris Karoli – libellis digessit.

Rabanus abbas — archiepiscopum edidit.

Helin. 827. Eugenius papa obiit a papa Petro centesimus[75], succedit Valentinus dyaconus qui post 40 dies obiit. Post quem Gregorius IIII. presbyter tituli Sancti Marci sedit annis 16, qui etiam Leo IIII. dictus est.

Sigeb. 828. Anno 828. Italicus imperatoris Ludovici — Corpora sanctorum Valentini et Genesii in Augiam monasterium translata sunt. Augia, quam fecit sanctus Pirminius[f], est in lacu Lemanno iuxta civitatem Constantiam.

Luna defecit Kalendas Iulii primo diluculo; similiter 8. Kalendas Ianuarii media nocte obscurata est[76].

Helin 828. Anno 829. Facta est coniuratio contra imperatorem a filiis.

Sigeb. 829. Unde Sigebertus: Contra Ludovicum — optimatum exoritur.

Guil. Malm. 108. In Anglia regnat Ethewlfus Egbirthi filius per annos 29[77].

Gesta ep. Vird. c. 17. Apud Virdunum Hildinus fuit episcopus per annos 24.

Sigeb. 829. Secundum quosdam finitur novies magna tabula Dyonisii, que est annorum 532, hoc anno ab initio mundi.

ibid. 830. Anno 830. Apud Constantinopolim — fabricam cepit[g] [78]

ibid. 831. Anno 831. Sarraceni Siciliam incursitantes etiam Lipparim insulam vastant, ubi corpus beati Bartholomei quiescebat, quod olim — ab India vel ab Albana civitate Armenie maioris usque ad hanc insulam ultro delatum fuerat. Cuius ossa — Beneventum transferuntur. Ludovicus imperator — suos contra se magis exacerbavit.

a) Maguntinensis 2. b) Wildegrinus 2. c) Walcandus 2. d) sancti Huberti 2. e) deficit 2. f) Priminius 2. g) ceperit 1; *cum Sigeberto convenit* 2.

---

68) Diedenhofen.

69) Frotarium episcopum omisit.

70) Willeboldo successit Bovo, Hildegrinus Bovoni.

71) Verba: *territorio Eduensi paucis diebus* ex Helinando ad annum 824. addita sunt.

72) Cf. ea quae ad annum 750. e chron. Sancti Huberti deprompsit.

73) Boppard

74) Fulradum post, non ante Ansonem Lobiensium abbatem anno 826. obiisse e Folcuini Gestis abb. Lob. c. 11. M. G. SS. IV, 60 edocemur.

75) Tertium Eugenii successorem 103. a Petro papam fuisse quum Helinandus notaverit, Albricus Eugenium 100. dicere potuit.

76) Haec iisdem verbis in Einhardi annalibus ad hunc annum occurrunt, quibus tamen Albricum usum esse, nequaquam concedendum erit. Nec dubito quin Helinandum sequatur. Cuius in editione si verba frustra quaeris, eam mendis lacunisque scatere consideres. Helinandum vero persaepe Einhardi annales descripsisse fere quaevis pagina probat, et hoc ipso loco *Hucusque* inquit *inveni chronicon cuiusdam sine titulo ab anno Domini* 746 *usque ad hunc annum.*

77) Guil. Malm. l. c. Egbirhto 20 annos et 5 menses tribuit.

78) Huic loco, ubi Romam a Sarracenis *vexari* Sigebertus narravit, Noster verba: *et vastari* ex Helinando ad annum 830. addidit.

Anno 832. Gregorius papa[a] — malorum abdicavit. Sigeb. 832.

Apud Leodium post Walcaudum[b] episcopum prefuit Pirardus. Aegid. Aur. II, 35.

Colonie prefuit supradictus Hildeboldus, qui et Atheboldus[79].

Anno 833. Ludovicus imperator a suis — inclusus est. Sigeb 833.

Hugo: Annuente papa Gregorio IIII. Lotharius patrem suum — castro Pruvino commendavit Hugo Flor. 180.

Guido: Consilio nequam inspirante[c] conspirant in Ludovicum tres eius filii, Lotharius scilicet et cum Ludovico Pipinus ex Ermengarde progeniti nobilissima coniuge sua, filia Nemerici, sorore sancti Guillelmi[80], qui dux Narbonensis provincie decus erat et tutela cultoribus[a] christiani nominis et terror fulmineus[d] inimicis. Serpente quoque veneno serpentis in eos antiqui prorumpunt in tantum facinus, quod circumventum fraude suum capiunt genitorem et cum parvulo filio, qui postea Karolus Calvus dictus est et ex Iudith alia coniuge genitus, Suessionico sancti Medardi retrudunt in[a] monasterio, Iudith vero predictam concludunt ambitus habitatione claustralis, et sub iugo gravis custodie spoliatos suis insignibus monachis indumentis includunt. Ibi tunc perfidus Ebo, quem de generis humili conditione sustulerat ad Remensis ecclesie[80*] imperator, servilem non potuit non redolere naturam, sed primus inter alios fidem imperatori mentitus eidem inpudentia temeritatis, o nimis ausa! non timuit baltheum rapere militarem et gladio viduare latus ablato[81].

Sol et luna per eclipsin deficiunt. Sigeb. 833.

Anno 834. Non multo post, ut dicit **Hugo**, Francie principes — Lotharium reconciliaverunt. Hugo Flor. 180.

Guido: Cum aliquanto tempore tante procella malignitatis in[e] regno serenum pacis imperioque turbasset, nubilam[f] confusionis istius iustitie sol, luce magne miserationis infusa, detersit et filiorum imperatoris animos saniore consilio mitigatos, precipue per Gerardum nobilissimum Burgundie ducem[82] ac potentissimum, paternos revocans ad amplexus[g] priores restituit illos ad gratiam, illum ad gloriam et honorem.

Unde **Sigebertus**: Ludovicus imperator — redire cogit. Sigeb 834.

Anno 835. Monente Gregorio — pape celebrabant. ibid. 835.

Primum sermonem, scilicet: *Legimus in ecclesiasticis historiis*, videlicet precedentes lectiones, que sunt usque: *Hodie dilectissimi*, fecit Rabanus, qui, ut habetur in sequentibus, factus est Moguntinus archiepiscopus; secundum vero sermonem scilicet: *Hodie dilectissimi*, videlicet extremas lectiones fecit domnus Albinus doctor, qui et Alcuinus, eiusdem Rabani magister. Quamvis enim hii duo sermones absque differentia in passionario Clarevallensi inscribantur sub nomine Rabani, tamen non videtur esse unus stilus amborum, et in quodam antiquo libro de Bulencuria[h][83] scriptum invenitur super: *Hodie dilectissimi: Sermo domni Albini doctoris.*

Hoc tempore reliquie — et exiliantur. ibid. 835.

Hugo frater imperatoris factus est abbas Sancti Quintini.

Anno 836, anno imperatoris Ludovici[i] 22, abbatis Hugonis fratris eiusdem anno secundo elevatum est corpus sancti Quintini 8. Kalendas Novembris et optimo loco repositum in presentia Eychardi Noviomensis et Symonis Laudunensis episcoporum. Siquidem abbas Fulradus, qui fuit ante dictum Hugonem, ecclesiam illam in melius renovando dilataverat.

Gregorius papa — Leo IIII. dictus est. ibid. 836.

Anno 837. Prima Northmannorum incursio.

De qua **Sygebertus**: Northmanni[k] Gallias — tributum accipiunt. ibid. 837.

Hic notandum quod primo concurrerunt Wandali[l] per Gallias cum duce suo Crosco, a quibus martirizati sunt Desiderius Lingonensis, Antidius Bisuntinensis, Privatus Mimatensis episcopi et plures alii sancti[84]. Alani, etiam Wisigothi Wandalos secuti sunt, sed Alani erant pro Wandalis, Wisigothi vero erant eorum inimici. Post istos fuit generalis

---

a) *deest* 2. b) Walcandum 2. c) conspirante 1. d) fulminens 1. e) *deest* 1. f) nubila 1. g) amplexos 2. h) Bullencuria 2. i) Lud. imp. 2. k) Normanni 1. l) *deest* 2.

[79] Attabaldum Hildebaldo successisse constat necnon ab eodem auctore, cuius ex catalogo noster aliis locis nomina praesulum Coloniensium deprompsit, traditur.

[80] Genealogia fabulosa.

[80*] Verbum: *presulatum* vel simile quid supplendum est.

[81] Cf. Thegani Vitam Lud. c. 44: *Ebo Remensis episcopus, qui erat ex originalium servorum stirpe — Abstulerunt ei gladium a femore suo.*

[82] Cf. Thegani Vitam Lud. c. 47: *misit — Gebaardum nobilissimum atque fidelissimum ducem* et c. 54: *misit — Gerhardum nobilissimum ac fidissimum ducem.* Hunc vero ducem Lahngoviae fuisse docuit Dümmler Ostfr. Reich I, 92.

[83] Boulancourt, départ. Seine-et-Marne, arrond. Fontainebleau.

[84] Cf. Sigebertum ad annum 411.

impetus Hunorum sub Attila rege eorum, tempore beatorum episcoporum Germani Autisiodorensis[a], Lupi Trecensis, Nichasii Remensis, Alpini Cathalaunensis et Aniani Aurelianensis[b] et quorundam aliorum. Tertia autem generalis discursio fuit ista Normannorum et Danorum, que ab anno presenti duravit per annos ad minus 60, modo vehementior, modo tollerabilior, secundum quod habetur in sequentibus. Quartus generalis fuit impetus Ungarorum Normannis post illos 60 annos succedentium, qui duravit per annos ad minus 50, de quibus in sequentibus suo loco multa invenies.

Translatio sancti Philiberti abbatis ab Herio insula Pictavie[85] apud castrum de Tornu[86] Burgundie timore Normannorum.

Gesta Trev. c. 25. Hetti archiepiscopus Treverensis corpus sancti Castoris in Confluentia posuit.

Sigeb. 837. Gregorius papa, ut Sigebertus dicit, plures Italie urbes — victos delent.

Hic inserenda est etiam historia de Aymero captivo, Nemerici de Narbona penultimo filio, qualiter auxilium Romanis et pape prestitit contra Sarracenos et captus et vulneratus ibi fuit et in Venetiam ductus, et multa alia que secuntur. De nomine pape, qui a cantoribus dicitur Milo, non est curandum, quia ita solent nomina mutare vel per ignorantiam vel curiose.

Sigeb 838. Anno 838. Cometes in signo — tributum exigunt.

Hugo Flor. 180. Clementissimus imperator Ludovicus inter filios suos — subiacere tenptavit.

Helin. 840. Elinandus ex dictis Guilelmi: Lotharius etiam vivente patre nomen imperatoris usurpans regnavit in partem Austrie[87], que nunc Lothoringia — crebrius exosculabatur. Ludovicus alter filius Ludovici — tenuit Alemanniam, Thoringiam, orientalem Franciam et Avarorum regnum, id est Hunorum. Pipinus tertius filius Ludovici regnavit in Aquitania et[c] Gasconia. Karolus vero medietatem Francie ab occidente et totam Neustriam, maximam partem Burgundie et Gothiam tenuit et totum postea regnum Pipini, secundum quod dicetur in sequentibus.

Et quia per unum auctorem alius intelligitur, secuntur verba Guidonis: Recuperato Ludovicus Pius[d] imperio, quo contentionem a filiis prorsus eliminet, regnorum sibi subditorum partitionem facit in eosdem et regendam, se facto de medio, solempni constitutione designat eorum cuique propriam[d] portionem. Et iste fuit tenor paterne dispositionis: quod[e] eorum maior natu[d] Lotharius imperiale decus Italiamque sortitur et cum ea Provincie atque Burgundie partem et regnum inferioris Germanie, quod Austria tunc dicebatur, nunc vero Lothoringia[f]. Que terrarum partes ab Alpibus secus flumina Rodanum, Ararim qui et Sagona, Mosam et Scaldum Reni precingentibus undis ad septentrionalem occeanum extenduntur. Secundus ab eo trans Renum obtinet regnum in superiora Germanie Ludovicus et inferioris Scithie partes ab occeano septemtrionali per transversum ad usque Danubium et ultra Danubium pertingentes. Tertius fit Aquitanie rex Pipinus, quod regnum a cursu Rodani fluminis ad nubiferum Pireneum a littore Narbonici maris ad ripas Ligeris est extensum. Quartus eorum de patre, non de matre Karolus Francie solio sublimatur, que terris aliis multimoda commoditate precellens inter flumina Ligerim, Ararim, Mosam et Scaldum et illum includitur occeani sinum, qui maiorem dividit a minori Britanniam, inter noctem mediam et occasum. Verum Karolus, cum esset inter fratres suos iunior et non uterinus, ditionis paterne portionem optinuerat potiorem multimodis[g] nature commodis, videlicet salubris aëris, ameni situs et uberis glebe, morum ornatus et exercitii prestantioris armorum[h], cultioris habitus et eloquentie dulcioris.

Sigeb. 839. Anno 839. Ludovicus imperator filio — discurrere videntur.

Helin. 840. Item cometes sidus — porrexerat, terminavit.

Anno 840. Ludovicus imperator ad mortem infirmatur. Cuius cibus per 40 dies — significat *foras*, *foras*[i]. Obiit 17. Kalendas Iulii, anno etatis sue 60[k], regni Aquitanie 37, imperii vero 26.[88]

Hugo Flor 180. Cuius corpus a fratre suo Drogone episcopo Metis delatum et in ecclesia sancti Arnulphi episcopi et confessoris est tumulatum.

Guido: Imperator cum opera multa pietatis et meritoria perpetue quietis egisset et ad restinguendum refumigantis inter se et filios suos ignem discordie prepararet, super-

---

a) Antisiodorensis 2. b) Arelianensis 2. c) et in 1. d) *deest* 2 e) quia 2 f) nunc — Lothoringia *desunt* 2.
g) multimodum 1. h) armarum 2. i) *deest* 1. k) 40. 2.

85) Corrigendum est: *Provinciae.* 86) Tournus, départ. Saône-et-Loire, arrond. Macon. 87) Helinandus: *Germaniae* et recte quidem; ut *Austriae* scripserit, Albricus sequente Guidonis relatione commotus est. Quo duce ordinem quoque filiorum Ludovici permutavit, ita ut Ludovicum, quem Helinandus tertium vocat, secundo Pipino anteponat. 88) *Aquitaniae praefuerat per annos* 37; *obiit anno vitae suae* 64, *imperii* 27, 12. *Kal. Iulii.* Qui Helinandi locus, quum verborum tenore longe a nostro diversus sit et cum eo ne numeris quidem concordet, haud mihi dubium, quin Albricus Helinandum hic non descripserit.

venit hora dormitionis eius in Domino, cui[a] precibus et meritis animam suam commendat et corpus ecclesie sancti episcopi Arnulfi Metensis[b], proavi sui, spectate quondam nobilitatis et consummate iustitie viri.

Gregorium presbyterum — susceperat gaudio. Helin. 840.

Lotharius solus imperium usurpans annis 15 imperat[c]. Sigeb. 840.

Anno 841. Karolus et Ludovicus — insurgere parant. ibid 841.

Normanni prima vice vastaverunt Rothomagum, sicut scriptum est in vita sancti Audoeni. V.s.Audoeni n. 46.

Elinandus: Lotharius ante obitum patris — Aquitanorum[d] populo.

Episcopus Otto: Dum Lotharius reversus — bellum fratri indicunt. Otto Fris. V, 35

Lothario[e] autem venienti Ebo apud Wormaciam occurrit, cui Lotharius archiepiscopatum Remensem reddidit de assensu Drogonis Metensis episcopi, Othogarii Moguntini, Hetti[f] Treverensis et aliorum duorum archiepiscoporum et 15 episcoporum, quorum unus Samuel, et ita per unum circiter annum Remis prefuit et ordines fecit, sed iterum per synodum Karoli expulsus est. Postea etiam Lotharii gratiam amisit, et ad Ludovicum veniens quodam episcopatu in Saxonia donatus est usque ad obitum. Flod H R. II, 20.

Sequitur: Cum regnum Francorum, ad quod post innumeras mutationes — imminui permisit. Otto Fris. V, 35.

Anno 842. Cometes in signo aquarii apparuit. Sigeb. 842.

Audradus dicit ita: Mense tertio, 25. die, ebdomadis autem 4, dum annua consuetudine letaniarum festa ab ecclesiis generaliter agerentur, sol conversus est in tenebras, et factum est verbum Domini super Audradum sacerdotem dicens: *Tu, vir doloris, quia posuisti cor tuum, ut assidue pro salute fratrum tuorum periclitantium te affligeres coram me, ecce ego constitui te hodie, ut sis michi servus fidelis in omnibus que ostendam tibi* et cetera que ibi dicuntur. *Dedi hoc signum in sole*[g] *volens adhuc parcere filiis stultis, si tamen gratie materne se cito restituere non timuerint*[h].

Tribus fratribus — externis tueri possint. ibid. 842.

Guilelmus: Ibi Franci cum nationibus — prostraverunt. Helin. 842.

Hugo: Apud Fontanidum[i] campum atrociter inter se dimicaverunt — victoriam tamen Karolus Calvus et Ludovicus obtinuerunt. Hugo Flor. 180.

Guido autem more suo Gallicano coturno[88*] incedit ita dicens, quod tres fratres contra Karolum fuerunt: Reges, ait, et fratres tres adversus quartum, ut eum aut cedere regno conpellerent aut vita pellerent, coactis undique copiis, apud Fontanicum Antisiodorensis pagi locum[k.89] conveniunt, sed eundem Karolum non sicut inperitum inveniunt inparatum nec confusum ideo, sed in Deo plus quam in suis viris viribusque confisum. Cumque sollempnis illuxisset ascensionis dominice[l] dies[90], existimantes, ut erat in vero, tres reges Karoli fratres, quod ob reverentiam tante sollempnitatis ea die neque Karolus neque Franci forent arma sumpturi, sed arbitrarentur, quod nec hostes id possent facere presumpturi; coactis cunctis copiis armatorum clam prorumpere properant et irrumpere castra Francorum. Sed opinione longe decepti mox Francorum gente non negligenter agente, verum quasi torrente vehementius occurrente, haud segniter accepti[m], migrante favore divine virtutis ad Francos, ordinibus dissipatis, agminibus laceratis non solum fuge presidium implorare compulsi sunt, sed ex eorum regno potenter expulsi. Propter cuius eventum prelii regum fratrum reversus est alter ab altero.

Episcopus Otto, qui semper maturius incedit, sic ait: Contractis undecunque[n] — et Ludovico cessit. Otto Fris. V, 35.

Audradus vero dicit, quod anno isto, mense primo, secunda die mensis rapuit eum spiritus ante Dominum. Et ecce dominus noster Iesus Christus sedebat in excelsis et beata Dei genetrix Maria[o] a dextris eius et in parte illius omnes episcopi ordinate, a sinistris autem sancti martires stabant; et ecce duo demones advenientes genus humanum in multis accusare ceperunt. Domino nichil super hoc innuente demones ad ordines[p] sanctorum martirum se verterunt et eorum interfectores in memoriam reduxerunt, sed beatus Martinus de choro episcoporum processit et contra demones proposuit et alios Dei sacerdotes in partem suam advocavit, beata quoque Dei genitrix eius petitionem promovit et unam cucullam ei dedit, quam cum beatus Martinus induisset, angeli facto impetu

---

a) qui 1. b) *deest* 2, c) imperavit 1. d) Aquitanie 2. e) Lotharius 2. f) Hecci 2. g) celo 2. h) timuerunt 2. i) Fontiniacum 2. k) Antissiodorensem locum pagi 1. 2. l) dom. ascensionis 2. m) excepti 2. n) undecimque 2. o) *deest* 2. p) ordinem 2.

[88*] *Gallicano coturno exercitatum* Sugerius, Vita Ludovici VI. c. 9 vocat Brunonem archiep. Trevirensem, et laudando quidem.

[89] Cf. Guil. Malm. §. 110.

[90] Omnes huius narrationis errores: bellum trium fratrum contra unum Karolum gestum, dies proelii, quod non die dominica, sed sabbati, non die ascensionis, tunc 26. Maii, sed 25. Iulii commissum est, denique ea quae ex falsa die conclusa esse videntur, scilicet *quod ob reverentiam tantae sollempnitatis ea die neque Karolus neque Franci forent arma sumpturi* etc. – omnes hii errores in Hist. Franc. mon. S. Dion. c. 21. M. G. SS. IX, 401 occurrunt. Qua re haud dubito, quin Guido aut ipsa Hist. Franc. aut eius fonte usus sit.

demones illos precipitaverunt. Quibus cadentibus facta est letitia in excelsis qua maior non fuit, ex quo Dominus ascendit. Post hec succrescentibus malis ad nullam penitentiam populis convertentibus[a], tres simul fratres reges Francorum cunctis exercitibus christianorum gravissimo et plus quam civili bello in pago Autisiodorense[b] circa locum qui dicitur Fontanetus invicem se debilitarunt, ibique pater filium, filius patrem, frater fratrem, consanguinei[c] propinquos pro scelere in ecclesiis admisso et violatione fraterne caritatis scelestissime perdurante mutua se cede interfecerunt, et nisi beati Martini oratio intervenisset, nullus regum illorum mortem illam effugeret. Huc usque Audradus.

Sigeb. 843. Anno 843. Fratribus nondum — sententia dampnatis.

Guido: Karolus ad agendas Deo gratias, Lotharius ad irrogandas est conversus, ad ulciscendum[d] in res divinas precio suos impunitatis invitans, quod impium[e] tyrannice dominationis edictum subiecte Lothario regionis illius homines, que tunc Austria vel Austrasia dicebatur, arcius amplectentes, concessionis inique gratiam a nomine Domini tam pernitiose munifici patrie sue dominatione compensant. Unde Lothariani seu Lotharienses seu regnum Lotharii nuncupatur, et nunc quoque predones existunt et variis dissensionum tumultibus bellorumque turbinibus agitantur.

Unde Audradus: Illi vero qui a cede fraterna de prelio trium fratrum superstites remanserunt inde reversi non Deo ereptori suo per penitentiam se subdiderunt, sed more suo ad predationes ecclesiarum et miserorum, omnem vim sue superbie contulerunt. Tunc ecclesias que adhuc stabant de suo ordine subverterunt easque ad votum suum suis questibus publicarunt, tunc omnis ordo ecclesiasticus cepit ventilari et super hoc doluit Deus et dixit, quod novem eos plagis flagellaret.

Otto Fris. V, 36. Episcopus Otto: Considerare Dei — volvi cernimus.

Helin. 844. Anno 844. Obiit papa Gregorius IV, succedit Sergius II. annis 3.

Sigeb. 844. Ad huius electionem — unctus est.

Transl s. Calixti n. 1. 2. Ab hoc Sergio papa Notingus episcopus Brixie corpus Kalixti pape impetravit et ad suam dyocesim transferens in Cella Aurea ad tempus reposuit. Qui Calixtus ieiunia quatuor temporum instituit.

Rabanus librum de laude sancte crucis figurarum varietate distinctum difficili et mirando poemate conposuit et Sergio pape sancto Petro offerendum misit.

Hugo Flor. 181. Hugo: Hoc tempore vir quidam Rabanus nomine de laude sancte crucis librum metrice conposuit diversis scematibus decoratum.

Sigeb. 844. Mauri Beneventum — denominatur Lotharingia.

Otto Fris. V 35. Ex hinc diviso regno regna modo duo orientale ac occidentale inveniuntur. Quorum alterum — Karoli tenet et Pipini.

Sigeb. 844. Post factam ergo divisionem Karolus Calvus regnat — in Germania annis 33.

ibid. 845. Anno 845. Apud Constantinopolim mortuo Theophilo[f] filius eius Michael cum matre Theodora imperat annis 11.

Liber sextus episcopi Ottonis ab hoc anno incipit.

Flod. H. R. III, 1. 30. Hingmarus ordinatur Remensium archiepiscopus, rexit ecclesiam annis 37, mensibus 7; fuerat enim monachus Sancti Dyonisii sub abbate Hilduino.

Mense primo vicesima die mensis, aurora diei eram orans, ait Audradus[g], pro salute ecclesiarum ut daret Deus cor penitens omnibus et misereretur illis, et cecidit[h] super me mentis excessus[i] et rapuit me spiritus Domini in excelsum et ait angelus ad me: *Scias Normannos Parisius*[k] *esse venturos et inde reversuros, et huic genti decem annos ad penitentiam dari.* Factum est autem, ut ascendentibus Normannis per Sequanam fluvium, occurreret eis Karolus rex cum exercitu equitum et peditum[l], et non potuerunt prohibere eos, quin Parisius, sicut Dominus dixerat[m], intrarent vigilia pasche 5. Kal. Aprilis, et Karolus apud monasterium sancti Dyonisii resedit, et dederunt rex et populus Normannis pecuniam multam, et reversi sunt in terram suam.

Sigeb. 846. Unde Sigebertus: Normanni regnum graviter — victores existunt.

ibid. 845. Ludovicus rex Germanie — duces ordinavit.

Primus annus induciarum secundum Audradum[n].

Chr S. Benig. 375. Theuthaldus Lingonensis episcopus claret.

Sigeb. 846. Anno 846. Ludovicus rex Germanie 14 duces — baptizari fecit.

Otto Fris. VI, 1. Episcopus Otto: Eo tempore Karolus rex Francorum Pipinum — Medardi fecit.

Helin. 840. Elinandus ex dictis Guilelmi: Karolus regnum Aquitanie optinuit submoto inde Pipino et in monasterio sancti Medardi truso.

Legitur quod hoc anno angelus Domini femur sinistrum Audradi[o] maceravit et illusiones nocturnas ab eo abstulit et a dolore epatis sanavit.

---

a) concurrentibus 2. b) Antissiodorense 2. c) sanguinei 1. d) ulciscendas 2. e) imperium 2. f) *deest* 2.
g) Andradus 2. h) *deest* 1. i) excelsus 1. k) Parisios 2. l) ped. et eq. 2. m) dix. Dom. 2. n) Andradum 2.
o) Adradi 1; Andradi 2.

Anno 847. Sergius papa moritur, post quem sedit Leo IIII. annis 8, diebus 5[91]. Helin. 840.

Hic decrevit, ut dum missarum sollempnia — ante non fiebat. Sigeb. 847.

Apud Senonas Wavilo archiepiscopus elevavit corpora sanctorum Saviniani[a], Potenciani et aliorum et reposuit in ecclesia sancti Petri[91].

In Anglia rex Ethwlfus filius Egbirti Westsaxonum, regno avito contentus — Iudith filiam Karoli Calvi in coniugium duxit. Helin. 843.

De ista Iudith dicemus in anno 872.

Anno induciarum tertio secundum Audradum evocavit ipsum archiepiscopus Wavilo Senonem[b] et habita synodo eundem per electionem corepiscopum Senonensem consecravit. Et modium tritici quatuor denariis vendebatur.

Anno 848. Rabanus abbas Fuldensis — causa hoc fecisse. Sigeb. 848.

Anno 849. Godescalcus hereticus — in suo perseveravit errore. Contra quem etiam Hingmarus Remensis archiepiscopus multa conscripsit[92]. ibid. 849.

Sancta Helena imperatrix — Rome in ecclesia sanctorum Marcellini et Petri martirum, de quibus supra diximus[93], in mausoleo purpureo sepulta ad Franciam a Theogiso monacho transfertur — in cenobio sancti Petri quod Altum Villare dicitur. ibid. 841.

Audradus corepiscopus Senonensis de mandato beati Petri, qui ei in visione apparuit, et de licentia archiepiscopi sui Romam profectus est anno induciarum quinto, et libros suos obtulit quarto Leoni pape, qui reverenter eos excepit. Inde Senonas reversus Parisius ad concilium evocatus est, et non solum ipse, sed etiam[c] omnes alii corepiscopi qui erant in Francia[d] in eodem concilio depositi sunt.

Anno 850. Franci a Boemanis[e] — terga verterent. ibid. 850.

Floruit in Lombardia archiepiscopus Landulfus Mediolanensis, qui primus, ut dicitur, milites illos nobiles, qui capitanei dicuntur, instituit et sex abbacias episcopales sive mitratas[f] fundavit et 15 canonicas plebales.

Reliquie sancti Hermetis — benevolentiam exhibuit. ibid. 851.

Ebo quondam archiepiscopus Remensis exul moritur. Flod. H. R. III, 2

Hic tangenda est visio Bertholdi[94] de eodem Ebone quod misericordiam consecutus sit. ibid. III, 3.

Sub eodem etiam Ebone collectus est et conpilatus per Halithgarium Cameracensem episcopum liber qui intitulatur De vita sacerdotum[95].

Anno induciarum sexto Audradus vidit raptus in spiritu duos demones ad accusandum genus humanum ante Deum venientes et econtra sanctos omnes populum Dei[g] defendentes. Eodem anno mense sexto iterum raptus vidit, quod Dominus arrepto pugione preparaverit se ad vindictam de inimicis suis. Contra beata Virgo ita precibus institit, quod iram eius avertit et sanctus Petrus et sanctus Paulus et sanctus Martinus et Michael archangelus. Horum proprie singulorum orationes in libro Audradi continentur, deinde secuntur ibi verba patris ad filium, deinde ordinati sunt principes et dedit Dominus unicuique principi horum trium partem unam: beato Petro Ytaliam, Greciam et Asie atque Affrice partes; beato Paulo Germaniam totam, superiorem scilicet et inferiorem, beato Martino Gallias et Hyspanias. Sequitur ibi quod tribus continuis diebus sol obscuratus est et luna similiter, de culpa regum dissidentium, et quod iussit Dominus ante se adduci Ludovicum Pium et dixit ad eum: *Quare posuisti inter filios tuos discordiam, omnes simul reges constituendo?* Respondit: *Putans quod filius meus Lotharius tibi vellet obedire secundum tuam voluntatem et ecclesiam tuam regere, constitui illum loco meo ad regendum populum tuum; sed postea videns eum in superbia contra te erectum et nolle acquiescere, ut secundum te gubernaret plebem tuam, submovi eum. Et parvulum Karolum videns humilem et obedientem, intellexi dona misericordie tue in eo esse, et ideo*[h] *constitui eum*[i] *esse loco maioris, ut humilis semper et obediens secundum tuam voluntatem serviret tibi in ministerio gubernationis populi tui.* Respondit Dominus: *Certe verum dicit, Lotharius propter superbiam decipiatur, Karolus propter obedientiam et humilitatem stabiliatur.* Dixerunt sancti: *Domine, quid de tertio qui arma movit*[k] *contra patrem?* Et alii responderunt: *Domine, opus bonum inventum est in eo;*

---

a) Saniniani 2. b) Senonensem 2. c) et 1. d) qui etiam in Francia erant 1. e) Boemannis 1, *sed* 2 *cum Sigeberto convenit.* f) mitrales 2. g) sanctos Dei populum Dei 2. h) *deest* 1. i) *deest* 2. k) movet 2.

[91] Cf. Chron. Sancti Petri Vivi Senonens. ap. Duru Bibliothèque de l'Yonne II, 473.

[92] Cf. Flodoardi Hist. Rem. III, 14. 15.

[93] Cf. a. 826.

[94] Flodoardus: *Bernoldi.*

[95] Huius operis dedicationem capitumque inscriptiones iuris publici fecerunt Martène et Durand Coll. amp. I, 70, qui ad Albrici verba provocant de auctore disserentes. De eodem opere, sed aliis titulis edito, haud scio an Flodoardus H. R. II, 19 dixerit: *Huius praesulis*, scilicet Ebonis, *hortatu Alitgarius Cameracensis episcopus sex libellos de remediis et ordine vel iudiciis poenitentiae conscripsit.*

nam licet eius causa multi de tuo sint[a] *absumpti servitio, tamen ille studet, ut de alienigenis loco eorum tibi alios acquirens subroget. Et iste*[b], ait Dominus, *stabiliatur.* Et constituit Dominus Karolo sceptrum regni et coronam, et ut inter eum et fratrem suum Ludovicum pax firmaretur et alium Ludovicum Lotharii filium. *Ecce do tibi, Karole, ut Hyspanias duce Martino iterum ab infidelibus liberes et tuo regno associes, propter illa tamen que fecisti scias te sequenti anno Britanniam venturum et ita dehonestandum*[c], *ut vix vivus evadas, et ibi morietur perfidus Vivianus maioris monasterii falsus abbas*[96].

Sigeb. 852. Anno 851. Karolus rex Francorum cum Britonibus infeliciter pugnat et filios fratris sui Pipini, quondam regis — in monasterium trudit.

Helin. 840. Elinandus: Quorum Pipinus de monasterio sancti Medardi per fugam elapsus, — est detrusus.

Gesta Trev. c. 26. Obiit Hetti Treverensis archiepiscopus, succedit Tyegaudus.

Cat. aep. Col. Colonie erat episcopus Hatheboldus[d], et post eum fuit ibi Guntharius.

Sigeb. 853. Anno 852. Normanni per mare Britannicum ostia Ligeris ingressi — templum etiam sancti Martini incendunt. Et hoc totum episcopus Otto verbis suis attestatur[97].

Gesta ep. Vird. c. 19. Apud Virdunum Hatto[e] episcopus prefuit annis 23.

Flod. H. R. III, 30. Translatio sancti Remigii episcopi[f].

Sigeb. 854. Anno 853. Hingmarus Remorum — Remigii scripsit.

Gesta ep. Mett. c. 41. Adventius fit Metensis episcopus.

Helin. 854. Leo papa obiit, succedit Benedictus III, qui a quibusdam vocatur Bonifacius[g].

Sigeb. 854. Quo conspiratione quorundam — Benedictus honorifice relocatur.

Helin. 854. Sedit annis 2, mensibus 6, diebus 10.

Chr. S. Benig. 377. Apud Lingonas Ysaac fit episcopus per annos 25.

Sigeb. 854. Normanni illi, qui per 20 annos Franciam attriverant — puer remaneret.

ibid. 855. Anno 854. Terre motus, aeris insolita commotio — illesa manente.

Otto Fris. VI, 1. Episcopus Otto: Lotharius imperator tribus — tertia pars fuerit.

Guido: Pro sue temeritatis excessu, nimia feritate presumpto, quia non est desperatus Lotharius imperator, pia multarum largitione elemosinarum, vultus confusione, cordis et corporis contritione, veniam meruisse speratur, apud Prumiam eiusdem patrie Lotharingie monasterium habitu monachice religionis assumpto. Reliquit autem tres filios, primum ultime, secundum prime sue conversationis in seculo simul et dominationis heredes; nam maior eorum Italie prelatus et imperio Ludovicus, quantum vite sue tempus extendit, expendit in extirpandis ab Italia paganis Affricanis, qui Romanam[h] graviter opprimebant urbem et ecclesiam; at Lotharius Lotharii filius alius Austrie rex datus est, que dicta, sicut predictum est, Lothariana sive Lotharii regnum, inter flumina Mosam et Renum, pertingit a Burgundia[i] ad septemtrionalis occeani sinum; tertius filius Lotharii Karolus est rex Provincie constitutus. 855.

Transl. s. Calixti c. 4–8. Hoc anno comes Everardus cognomento Radulfus, dux Foroiulii a Lothario constitutus, corpus Kalixti pape ab episcopo Brixie Notingo impetravit et in predio suo apud Cizonium Tornacensis dyocesis attulit.

Otto Fris. VI, 2. Anno 855. Secundum episcopum Ottonem imperatore Lothario supradicto deponente militie cingulum — filius suus serenissimus imperium suscepit.

Sigeb. 855. Unde Sigebertus: Lotharius imperator — dormivit in Domino. Ludovicus filius eius — imperat annis 19. Lotharius vero frater eius Lotharingiam tenet. De tertio autem fratre istorum Karolo nullam facit mentionem Sigebertus. Horum trium regum[k] mater fuit secunda Ermengardis filia cuiusdam Hugonis Provincie ducis vel comitis[l][98].

ibid. 856. Rabanus egregie vite et scientie Maguntinus archiepiscopus obiit, cuius discipulus fuit Strabus, qui supra penthateucum quoddam opus laudabile edidit. Karolus Pipini filius fit archiepiscopus Moguntinus. Maginradus heremita — imperat annis 12.

Usque ad hunc annum Minor Ecclesiastica Hystoria Hugonis monachi pertingit, quem etiam magister Richardus in Excerptionibus suis non transit. Unde quoniam tales viri, qui multa et bona et bene dicere potuissent, in medio itinere nos relinquunt, de domini nostri Iesu Christi gratia confisi, prout melius poterimus, que ab istis quasi despecta[m] conculcata sunt, colligere et secundum prescriptam formulam ordinare conabimur.

Aeg. Aur. II, 37. Apud Leodium Franco fit episcopus annis 48, qui primus episcoporum Leodiensium contra Normannos paganos ecclesias destruentes arma tulit et, ut suo loco annotabimus[99], Lobias et Fossas acquisivit.

Sigeb. 857. Anno 856. Colonie orta tempestate — semivivos reliquit.

Helin. 857. Elinandus ex dictis Guilelmi[n]: Obiit rex Anglorum Ethewlfus. Ab hoc in cronica Anglorum texitur

---

a) sunt de tuo 2. b) *deest* 1. c) dehonestandam 1. d) Colonie — Hatheboldus *desunt* 1. e) Hacco 2. f) *deest* 1. h) Romam 1. i) Burgondia 2. k) *deest* 2. l) vel comitis *desunt* 2. m) prospecta 1. n) Wilhelmi 2.

[96] Turonensis scilicet. [97] De hac Normannorum expeditione agit lib. VI, cap. 1. [98] Hugonis comitis Turonensis. [99] Cf. annum 890.

linea generationis regum Anglorum sursum versus usque ad Adam hoc modo — ab eodem Beldegio [a] fuerunt reges Westsaxonum et reges Nordanimbrorum, a Withlegio reges Merciorum, a Weldegio reges Cantuariorum. Tres isti fuerunt filii Woden, qui Mercurius dictus est [b] et in Gothlandia insula habitavit, que est in illo mari mediterraneo, quod [c] inter Daciam et Poloniam situm vergit ad orientalem septemtrionem. Ibi in illa insula dabat responsa quasi divinus.

Unde legitur in hystoria Longobardorum [1], quod cum Ybor et Agion primi duces eorum ad istum Woden venissent, predixit eis quod fortunati esse deberent, et ita quasi deus habitus est, licet etiam post incarnationem Christi extiterit.

Sequitur. Woden iste fuit filius Fridewaldi — qui Sterefii, qui ut dicitur fuit filius Noe et post diluvium fuit natus. Helin. l. c. Quod magis credendum videtur, quam quod in archa fuerit natus, ut alibi [d] dicitur [e]. Utrum iste sit quartus filius Noe, quem Methodius Ionithum appellat in sua prophetia, ignoramus [2].

Rome post Benedictum papam III. Nicholaus I. ordinatur, cuius ordinationem Ludovicus imperator sua presentia roboravit, sedit annis 9, mensibus 2, diebus 20. Helin. 857.

Anno 857. In Anglia regnant simul duo filii Ethvulfi, qui regnum ita partiti sunt, quod Ethelbaldus regnavit in Westsaxonia, Ethelbricus in Cantia.

Sigebertus: Franci super crudelitate — alienis excessit finibus. Sigeb. 858.

Hoc factum episcopus Otto ita prosequitur: Per idem tempus Ludovicus — illos egredi conpelluntur. Otto Fris. VI, 3.

In parochia Moguntina — incendio consumeret. Sigeb. 858.

Anno 858. Probus presbiter obiit — Ludovicus rex Germanie plurima prelia contra Sclavos strenue gessit et ibid. 859 capto principe eorum Rastriz nomine, propter violatam fidem oculos eruere iussit. Quod etiam episcopus Otto non tacuit [3].

Sequitur: Principibus Karoli regis [b] — in cede grassantur.

Episcopus Otto: Hiis diebus in regno Karoli — spoliis ablatis revertuntur. Ac Karolus Roberto viro forti ob hanc molestiam inter Ligerim et Sequanam ducatum ad domandos Britones dedit. Otto Fris. VI, 2.

Guido dicit: Fecit eum Andegavensium comitem et adiacentis patrie defensorem.

Hunc Robertum fuisse de nobili genere Saxonum, Ivo Carnotensis episcopus in quadam epistola testatur [4].

Ab hoc autem Roberto descendit genealogia regis Francorum Philippi [5] et antecessorum eius, sicut invenire poteris in sequentibus.

Anno 859. Numeneus rex Britonum — morte persensit. Sigeb. 859.

Episcopus Otto: Hiis diebus Neometicius — in regnum successit [f]. Otto Fris. VI. 2.

Hic etiam inserendum est de sancto Ciriaco, qui apparuit Karolo Calvo in visione et aprum sibi periculose imminentem, licet puer et nudus videretur, interfecit et paupertatem sue civitatis, scilicet Nivernensis, Karolo intimavit. Ibi erat episcopus quidam Ieronimus nomine [g], qui asinum equitabat causa paupertatis, et Karolus castrum de Primeriaco [6] cum appendiciis et multa alia ei dedit.

Hoc tempore Leuthulphus dux Saxonum, pater Brunonis et Ottonis ducum, avus Henrici regis primi Romanorum, corpus Innocentii primi pape a Roma in Saxoniam transtulit. Sigeb. 860. Ab isto Leuthulpho descendit tota [h] nobilitas Saxonie, Germanie, Gallie, Normannie, Bawarie, Suevie, Ungarie, Ruscie et Polonie [7].

Anno 860. Karolus rursum, ut scribit Otto, adversum Britones — ad propria remisit. Otto Fris. VI, 2.

Unde Sigebertus: Herispous filius Numenei — eius se [i] subdit [k] dominationi. Sigeb. 861.

Metis post Drogonem prefuit Adventius. Gesta ep. Mett. c. 41.

Et apud Tullum post sanctum Arnulfum Arnualdus. Gesta ep. Tull. c. 28.

Apud Cathalaunum vero post Hildegrinum Elchanradus.

Anno 861. Lotharius rex Lotharingie — sibi calamitatem paravit. Sigeb. 862.

Episcopus Otto: Ea tempestate — versute decepit. Otto Fris. VI, 3

Guido: Lotharius vanitati [l] dedicatus et luxuriam amplexatus est in tantum quod, Thieberga regina legitima relicta uxore, non erubuit [m] Bosonis comitis [8], consilio cuius

---

a) Weldegius 1. b) *deest* 2. c) et 1. d) *correxi*; ibi 1. e) quod — dicitur *desunt* 2. f) succedit 1. g) *deest* 1. h) omnis 2. i) se eius 2. k) subdidit 1. l) vanitate 1. m) *verbum quoddam quo cognationis gradum statuatur deesse videtur.*

1) Pauli Diac. De gest. Langob. I, 7. 8. 2) Praecedentem genealogiam omisit Helinandi editor. Quare discerni non licet, utrum haec de filio Noe, ut ita dicam, disquisitio critica Helinandi sit an nostri. Certe omnia, quae prelo non dedi aut litteris minimis imprimi feci, Albricus Helinando debuit, quippe quae in Helinandi fonte Guil. Malm. §. 45. 115 et 116 inveniantur. 3) Cf. VI, 2. 4) Ep. 189. ed. Iuretus pag. 330. 5) Philippi I. 1060 — 1108. Cf. Ivon. ep. l. c. 6) Prémery, départ. Nièvre, arrondiss. Cosne. 7) Eadem ad annum 921 occurrunt. 8) De hoc Bosonis consilio nihil compertum habemus. Sed *exequente Bosone filio Bucini quondam comitis* refert Hincmarus in Annalibus ad annum 869, Carolus Calvus Richildam *sibi adduci fecit et in concubinam accepit,* atque hunc Bosonem postea apud Carolum plurimum valuisse constat. Quod factum nescio an Guido de Carolo in Lotharium transtulerit. Cf. quoque

862. innitebatur, Waldradam nomine fedo sibi federe copulare uxorem ac propter hoc apostolice gladio districtionis [a] a communione fidelium separari.

863. Eodem anno obiit rex Burgundie iunior Karolus eiusdem Lotharii germanus, qui apud Lugdunum sepultus est, et eius regnum rex Francorum Karolus Calvus optinuit.

Sigeb. 863. Anno 862. Hugbertus abbas — contra Lotharium insurgit.

De isto Hugberto in quadam notula reperitur, quod abbatiam Lobiensem invasit fugato Hardberto abbate; et de eodem dicit episcopus Otto, quod antequam hec fierent, Otto Fris. VI, 2. dum [b] adhuc haberet Lotharii gratiam, idem Lotharius eidem Hugberto [c] ducatum inter Iurum et montem Iovis commisit.

Sigeb. 863. Guntharius et Thiegaudus — communio concessa est.

Otto Fris. VI, 3. Qualiter hoc factum sit, episcopus Otto ita prosequitur: Dum ad notitiam domni Nicolai pape hec, que fecerat Lotharius, venissent — laicali communione moriuntur.

Helin. 862. Obiit in Anglia rex Cantie Ethelbertus et totum regnum tenuit Ethelbaldus frater eius.

Anno 863. Per istos septem annos fuit Colonia sine archiepiscopo.

Sigeb. 864. Excommunicata pelice — separari potuit.

Otto Fris. VI, 3. Episcopus Otto: Lotharius post crebras — etiam reges iudicet.

Obiit Adremarus abbas fundator monasterii Arremarrensis[9]. De isto Adremaro dicitur, quod ipse fuit unus de septem gemellis fratribus, quos domina de Triangulo[10] uno partu pepererit.

Item per episcopum Cathalaunensem [d] Elchanradum corpus sancti Urbani allatum est a Roma et abbatia que dicitur sancti Urbani[11] fundata.

Sigeb. 865. Anno 864. Corpora sanctorum — tumulantur.

Rex Bulgarum ad christianismum cum sua gente conversus — in eo usque ad finem vite perseveravit.

De hac nova christianitate Bulgarorum testes sunt ille epistole, que totiens inveniuntur in libro Canonum, quarum titulus est: *Nicholaus papa ad consulta Bulgarorum.*

Gesta ep. Trev. c. 27. Bertholfus abbas Mediolaci fit archiepiscopus Treverensis. Huius erat [e] consanguineus Adventius episcopus [f] Metensis.

Sub Nicolao papa floruit Rome Anastasius bibliothecarius, qui vitam sancti [f] Iohannis elemosinarii, passionem decem milium martirum, et quedam alia de Greco in Latinum transtulit[12], qui etiam Romanam hystoriam et multa alia scripsit.

Sigeb. 866. Anno 865. Herispoo [g] a suis — acervatim sternuntur.

Otto Fris. VI, 3. Episcopus Otto de eodem: Eodem tempore Normanni — Robertum ducem occurrentem sibi occidunt.

866. Guido: Hic Robertus post egregios de Normannis multiplicesque triumphos, cum eos die quadam in prelio victos infra [h] quandam ecclesiam fugere conpulisset et [i] variis armorum machinarumque tormentis viriliter expugnare niteretur inclusos; exarmato capite pro mitigando fervore solis lenioris aure blandimento, propius ut suos animaret accedens et sagitta vulneratus, vitam et victoriam simul [k] amisit et dimisit christiani nominis inimicos non minus [l] exultantes, quam insultantes, quod salvati forent inde pagani, ab ecclesia videlicet, unde confusi fuerant christiani[13].

Otto Fris. VI, 3. Hiis diebus Hugbertus [m] — comite necatur.

Nicholaus papa Rothardum episcopum Suessionensem a sinodo sub Karolo condempnatum[14] restituit.

Inveniuntur eiusdem pape littere ad Karolum Moguntinum archiepiscopum.

Helin. 865. Ludovicus rex Noricorum, id est Bawariorum, filius Ludovici Pii, anno ante mortem suam circiter 12, post festivitatem pascalem regnum suum inter filios suos divisit et Karolo [n] dedit Noricam, id est Baioariam, Pannoniam, Carentanum, Boemiam, Moraviam[15] et marchas contra Sclavos et Longobardos, Ludovico Thuringiam et Austrasios Francos et Saxoniam, Fresiam et Lotharingiam[15], Karolo alteri Alemanniam et quasdam civitates Lotharingie, propter vini copiam[15]. Nichil tamen in Lothoringia tenuerunt, quamdiu vixit Lotharius eorum consobrinus.

Sigeb. 867. Anno 866. Sarracenis Beneventanam — suorum dispendio [o] rediit.

Otto Fris. VI, 4. Episcopus Otto[p]: Hiisdem [q] diebus Sarraceni — exercitu suo perdidit.

Guido per recapitulationem, qualiter Karolus Calvus rex Francorum regnum Aquitanie et regnum Burgundie suo coniunxerit regno [r]: Frater eius Aquitanie rex Pipinus, cum

---

a) destructionis 1. b) cum 1. c) Huberto 1. d) Cathaunensem 2. e) fuit 2. f) *deest* 2. g) Herispuo 1. h) in 2. i) ut 2. k) simul et victoriam 2. l) non minus *desunt* 2. m) Hubertus 1. n) Karlomanno 1. o) dispendio suorum 2. p) Ep. Otto *desunt* 1. q) deinde 1; dein 2. *Otto:* dem. r) *deest* 1.

quae anno 877. Guido de Bosone narrat iisdem quibus supra verbis usus: *cuius innitebatur consilio.* Alterius Bosonis cuiusdam filiam reginam Thietbergam fuisse constat. 9) Moustier-Ramey, départ. Aube, arrond. Troyes. 10) Trainel, départ. Aube, arrond. Nogent-sur-Seine. 11) Saint-Urbain, départ. Haute-Marne, arrond. Vassy. 12) Cf. Flodoardi Hist. Rem. III, 18. 13) Huic narrationi asstipulatur Regino ad annum 867. SS. I, 578. 14) Cf. Flodoardi Hist. Rem. III, 13. 15) Verba: *Pannoniam — Moraviam, Fresiam et Lotharingiam, et quasdam — vini copiam* ex Ott. Fris. VI, 6 addita sunt.

prius ne voto paterno tonderetur in clericum impediente fratre Lothario, post hortatu seductus adulatorio per corruptores mentium, ebrietati luxurieque vacando de numero factus est amentium; Pipinum filium suum tam regni sui, quam prave sue reliquit institutionis heredem. Cuius ob similia deiecti solio, vinculis iniecti nec ab hiis nisi de corpore simul eiecti principatum Karolus regno suo coniunxit. Sed et alterius Karoli nepotis sui, qui tertius imperatoris Lotharii filius regnabat in Provincia, cum per idem tempus obisset, regno prefecit se violenter et de tribus unum effecit. 838. 852. 863.

Episcopus Otto: Karolo, qui Provinciam in divisione regni[a] acceperat, mortuo, inter Lotharium fratrem patruumque Karolum controversia orta est, sed inde Lotharius tam pro excommunicatione sua pro adulterio, quam pro expeditione, quam fecit ad Ytaliam, ita fuit occupatus, quod non potuit ad altiora aspirare. Otto Fris. VI, 2.

Sequitur Guido: Quod regnum Burgundie quia spectare constabat ad imperatorem, fratrem defuncti Karoli, Ludovicum, qui tunc expellendis adhuc ab Italia Sarracenis instabat, tante presumptionis invasionem et cupiditatis[b] a Karolo rege factam Gerardus Viennensis, utriusque Burgundie dux potentissimus, adeo tulisse graviter et ob hoc tam diu distulisse, subiectus eidem Karolo fieri, et tot et tanta detrimenta rerum et hominum alter intulisse creditur alteri, quousque nimia fatigatione per semet ipsam tam longa concertatio se consumpsit. 870.

Regi tamen Karolo cessisse Gerardum et victoriam ei concessisse[c] perhibent heroice cantilene.

Hic est ille Gerardus quem supra diximus[16] pacis extitisse mediatorem inter imperatorem Ludovicum Pium et filios eius. Cuius etiam Gerardi inter plura preclara[d] suorum et religiosa gestorum magnificum fertur et precipuum, fecisse transferri gloriose Marie Magdalene pretiosam corporis glebam ab Aquensi metropoli Provincie, Sarracenica depopulatione vastata iam pridem, ad eum Burgundie locum, ubi super fluvium Choram[17] et rupem Decoram in eius honore ecclesia sublimis eminet et munitissimum ac nobile castrum, quod Vizeliacum[18] dicitur. Eiusdem quoque Magdalene fratrem beatum Lazarum, quatriduanum a Domino resuscitatum[e], Massiliensem[f] post episcopum et martirem gloriosum, ab eadem civitate destructa similiter fecit idem Gerardus ad proprium[g] apportari Avalonense castrum. Hic est Gerardus, qui plures abbatias fundavit, quarum fuit precipua Vizeliacum[18], et una de illis fuit abbatia Pultariensis[19], nam et in anno 860, id est ante presentem annum anno sexto, reperitur[h] annotatum: Dedicatio ecclesie Pultariensis.

Item in hystoria Remensi: Quando rex Karolus Calvus contra Gerardum comitem qui a se desciverat ad Viennam profectus est, archiepiscopo Hingmaro litteras misit, ut cohiberet et cohiberi faceret filium eius Karlomannum clericum. Flod. Hist. Rem. III, 18

Anno 867. Obiit papa Nicolaus, vir magnificus et religiosus, succedit papa Adrianus[i] II. annis 5. Helin. 867.

De electione et de hiis, que proposuerunt legati imperatoris, continetur distinctione 63.

Sinodus habita est Trecis sex provinciarum Remensis, Rothomagensis, Turonensis, Senonensis, Bituricensis et Burdegalensis, 8. Kalendas Novembris contra quendam Wlfaudum. Flod. Hist. Rem. III, 17.

Hingmarus archiepiscopus Remensis multos libros fecit et unum librum epistolarum[k]. ibid. III, 15. 16. 18—29.

Hic dicitur, quod passionem sancti Dionisii quidam Methodius Constantinopolitanus grece conscripsit. ibid. III, 18.

Cometes manifestissime — sibi presentari exigebat. Sigeb. 868.

Elinandus ex dictis Guilelmi: Regnat in Anglia Ethelredus quartus[20] Ethewlfi filius annis 5[21]. Hic anno uno novies de Danis triumphavit, in quo novem comites Danorum occisi et rex unus. Helin. 867.

Eo tempore, id est infra istos 5 annos, rex orientalium Anglorum sanctus Eadmundus vir Deo[l] devotus, cum aliquot annis regnum suum religiose et pacifice tenuisset, a sacrilego duce Danorum Hinguar[m] armis proiectis[n], solo pronus et orans pro populo suo captus et post nonnulla tormenta decapitatus temporanee mortis compendio regnum emit eternum. Caput eius a corpore lictoris sevitia divisum et inter dumeta proiectum dum cives quererent exanimati capitis expressa voce convocantur et invitantur ad reperiendum quod lupus custodiebat brachiis amplexum. Guil. Malm. 213.

Anno 868. Basilius quem Michael — imperavit annis 17. Sigeb. 869.

Episcopatum Metensem[o] post Adventium vir venerabilis Wallo nomine suscepit annis 7[21*].

---

a) in div. reg. Prov. 2. b) et cupid. invas. 2. c) consessisse 2. d) *deest* 2. e) suscitatum 1. f) Massilensem 2. g) propria 2. h) reperitur anno sexto 2. i) Adrianus papa 2. k) Hingmarus — epistolarum *desunt* 2. l) adeo 1. 2. m) *deest* 2. n) proiectus 2. o) Metensium 2.

[16] Cf. ad annum 834.

[17] La Cure fluvius, qui in pago Nivernensi ortus in Icaunam influit.

[18] Vezelay, départ. Yonne, arrond. Avallon.

[19] Pothières, départ. Côte-d'Or, arrond. Châtillon-sur-Seine.

[20] Secundum Guil. Malm. §. 118 erat tertius Ethelwulfi filius.

[21] Cf. Guil. Malm. §. 118.

[21*] Cf. a. 877.

Sigeb. 869. Anno 869. Corpus sancti Mauri abbatis qui fuit discipulus sancti Benedicti, asportatum a Glanafolio in Burgundiam propter timorem Normannorum, transfertur ad Fossatense cenobium, quod construxit sanctus Babolenus sancti Columbani discipulus.

Et Karolus Calvus isto anno[a] regressus a Burgundia visitavit ipsam abbatiam sancti Petri de Fossatis[22]. Glanafolium[23] vero a tempore Ludovici Pii per annos fere 300 fuit sub iure Fossatensis cenobii usque ad 1095.

Indictione 2, anno 30. regis Karoli, sicut habetur in privilegio, facta est restauratio abbatie[b] sancti Beningni Divionensis[c] ad instantiam venerabilis Ysaac Lingonensis.

Liut. Ant. I, 10. Luithprandus[d] Ticinensis: Basilius Grecorum imperator vidit in sompnis dominum nostrum Iesum Christum se interpellantem pro morte Michaelis imperatoris domini sui, et super hoc ipsum corripientem. Qui expergefactus — grece archistrangos appellatur.

Otto Fris. VI, 4. Anno 870. Post hec, ut scribit episcopus Otto, Lotharius Romam veniens — Placentie diem obiit.

Sigeb. 870. Sigebertus[e] ita: Lotharius rex Romam — Placentie defuncto.

Cat. aep. Col. Factus est Coloniensis archiepiscopus nomine Wilibertus[f]

Sigeb. 871. Anno 871. Karolus Calvus rex Francorum — fratruelis[g] dividerent.

Guido: Regnum Lotharii, quod fratri suo iure successorio debebatur imperatori Ludovico, cui paganis ab Italia propellendis intento regredi non licebat sine populi christiani detrimento, Francorum rex Karolus Calvus occupavit; sed dissidentibus ab eo terre potentibus et insurgente magnis viribus adversus eum, suo Germanorum rege germano Ludovico pro regno nepoti restituendo, relicto quod invaserat, vix evasit.

Otto Fris. VI, 4. Episcopus Otto: Karolus audiens — palatium Aquis sortiente.

870. Guido: Regrediens tamen inde Karolus imperialem spoliat Aquisgrani vel Aquile Capellam hiis, que Karolus Magnus avus eius a Constantinopoli detulerat et ibidem optulerat, pretiosis thesauris et pignoribus sacrosanctis. Quibus in Franciam ad ecclesiam sancti Dyonisii celebri cum honore translatis ad recurrentem annuatim diem translationis istius quot[h] annis[i] ibidem populos de subiectis undique partibus convenire[k] precepit edicto regali, quemadmodum avus eius Karolus Magnus olim fieri constituerat Aquisgrani.

Sigeb. 871. Sigebertus: Colonie celebrata — debere expelli. Ab exercitu Ludovici — contra Slavos[l] geruntur.

Helin. 872. Elinandus: Secundum quosdam octava sinodus celebrata est hoc anno. Quere in Gratiano distinctione 63. Sine dubio ista octava sinodus congregata fuit in urbe Constantinopoli et in auctoritatem recipitur, sed post istam nulla Greca sinodus a Latinis recipitur.

Anno 872. Guido: Karolus Calvus rex Francorum cum tot regnorum habenas haberet ad manum, per opera magnifica triumphorum[b] in bellis, largitatis in milites, pietatis in pauperes, beneficiorum in ecclesias, devotionis erga cultum divinum et aliorum insignium multiplices gestorum titulos circumquaque famosum et formidabile nomen adeptus est et a nuditate frontis agnomen. Sed quantum per successus exteriores ad superiora prosperitatis ascendit, tantum per varias clades in domesticis malis in adversitatis inferiora descendit; nam de fructu ventris sui multa doloris anxiatus est amaritudine, dum primogenitum in[m] filiis Karolum viro ferocitatis et fortitudinis gygantee congressum excessu temeritatis amisit.

Sigeb. 872. Sygebertus ita: Karolum regem — filiis suis afflixit. Nam filius eius Karolus — peremptus est. Karlomannum vero in clericatu[n] — Iulianus effectus erat.

Guido: Eo quod per corruptores morum Karlomannus[o] per abrupta vitiorum ferretur effrenis, cum ad refrenandam eius insolentiam vite clericalis officio mancipasset invitum et ad usque[p] dyaconii gradum promoveri fecisset ingratum, nec tamen revocare posset ab impetu quo rapiebatur in preceps, oculis eum orbari precepit; sed cum nec tunc ab illicitis abstineret, regni finibus expulit et conpulit ad patruum confugere regem Germanie Ludovicum. Iste fuit natu tertius. Secundum quoque scilicet[q] Ludovicum Balbum, qui post ipsum venit ad solium, irritantem paternos animos in multis invenit et in eo maxime, quod contra voluntatem suam vel preparato nimis vel minus splendidiori coniugio se coniunxit. Sed nec in filia Iudith lesionem indignationis animus eius evasit, dum eam relictam Ethewlphi, qui Egbirthi filius, Elfridi pater, avus Edwardi primi regum Anglorum, inconsulto patre rapuit, abduxit et duxit uxorem princeps Flandrie Balduinus, qui primus et[r] ob fortitudinem exercitiumque bellandi Brachium Ferreum est vocatus. Super cuius presumptionis excessu vindicte modum indignationis paterne gladius excessisset, si non

a) *deest* 1. 2. b) *deest* 2. c) Divinensis 1. d) Vithprandus 1; Luithprardus 2. e) Segebertus 1. f) Williberius 2. g) sui *add.* 2. h) quod 1. i) annos 2. k) concurrere 2. l) Slavo 1. m) cum 2. n) clericatum 2. o) Karlomannum 2. p) usque ad 2. q) *deest* 1. r) *deest* 2.

[22] Hodie S. Maur-des Fossez. [23] Glanfeuil vel S. Maur-sur-Loire.

intercessisset pro supplice Balduino papa Romanus, ut in Decretis habetur, ne propter hoc prepotens idem princeps Galliarum partes occiduas iam incipientibus infestare Normannis auxilio iungeretur.

In Anglia regnat Elfredus, quintus et ultimus frater supradictorum [a] [24], per annos 28 et dimidium. Helin. 872.

Basilius imperator — modica sancte crucis. Sigeb. 872.

Anno 873. Rome Iohannes papa VIII. sedit annis 10, diebus 2. Helin. 872.

Iste scripsit quasdam interpretationes sive decreta super librum Gothice legis [25], sicut invenitur in libro, qui Canones inscribitur.

Ad hunc Iohannem Iohannes — laudabiliter editam. Sigeb. 873.

Episcopus Otto: Adalgisus Beneventorum dux — causam suam exponit. O. Fris. VI, 4.

Sigebertus ita [a]: Adalgisus dux Beneventanorum — in Corsico fugit. Sigeb. 873.

Unde sequitur episcopus Otto: Adalgisus a senatu — iram principis declinavit. O. Fris. VI, 4.

Karolus iunior — facere moliebatur [b]. Sigeb. 873.

Boso comes [26] dedit ecclesie Dervensi [27] Sanctum Desiderium [28], quod Karolus Calvus rex Francorum confirmavit.

Anno 874. In Italia Brixe — cesi vincuntur. Sigeb. 774.

Episcopus Otto de locustis: Locusta innumerabilis — fetore regiones corrumpere. O. Fris. VI, 4.

Hugo [29] scribit ita: Locuste Galliam depopulantur — consumpta sit. Sigeb. 874.

Episcopus Otto: Anno 874. Ludovicus — anno imperii 19. O. Fris. VI, 6.

Sigebertus: Ludovico imperatore in Italia mortuo Karolus patruus eius Romam ire disponit. Sigeb. 876.

Anno 875. Hyemps solito — faciendi locum dedit. ibid. 875.

Episcopus Otto: Ea tempestate Karolus — orientale semper infestabant [c]. O. Fris. VI, 5.

Eodem anno Leodium et Stabulaus Normanni depopulati sunt [d].

Sigebertus: Karolus ergo Romam veniens, Iohanne papa et Romanis per munera sibi conciliatis [e]. 8. Kalendas Ianuarii [30] imperator creatur et imperavit annis 3. Sigeb. 876.

Episcopus Otto: Karolus rex Romam — ut dicitur, optinuit. O. Fris. VI, 6.

Guido: Cum rex Karolus imperio iure successorio appropinquaret [f] et in operum magnificentia, tenenda iustitia [g], potentia militari principibus aliis crederetur [h] esse precellens [i], in imperatorem electus et profectus Romam regaliter ad culmen est [k] imperiale provectus. Ubi tunc Sarracenis solo magnanimitatis eius auditu turbatis, adventu fugatis, pacatis Italie rebus ecclesieque Romane, ad Gallias revertitur.

Apud Virdunum sanctus Berchaldus fit episcopus per annos 10. Gesta ep. Vird. c. 19.

Anno 876. Cometes solito rutilantior — remanserit vestigium. Sigeb. 876.

Britones rege suo — a Gallie exterminio.

Karolo imperatori a Ludovico [l] fratre suo — imperium fratris usurpavit. Karolus vero post adeptum — regnum intraret.

Ludovicus interea rex Germanorum moritur, Karlomannum [m] relinquens patrem Arnulphi imperatoris, Ludovicum iuniorem et Karolum etiam iuniorem [n] qui non multo post etiam imperavit. Karolus imperator — Ludovici alias occupatis. Sigeb. 877.

Episcopus Otto: Ludovicus senior orientalis rex apud Vrankenenvort [o] diem obiit, tres filios relinquens. Porro Karolus — terga vertere conpellitur. O. Fris. VI, 6.

Unde Sigebertus: Ludovicus iunior — fugere conpulit. Sigeb. 877.

Rollo dux cum suis Normanniam penetravit — genti Anglorum. Auct. Gemb. 876.

Nota, quod indictio anni sequentis incipit a [p] fine Octobris, scilicet Kalendis Octobris huius anni et sic de singulis. Indictione ergo 10, anno 37. regni sui et in [q] successione Lotharii 7, imperii vero 2, fecit Karolus Calvus privilegium Bertiloni [r] abbati Sancti Benigni Divionensis et corepiscopo.

Anno 877. Wallo fit Metensis episcopus [31] per annos 7. Gesta ep. M. c. 42.

Quidam Henricus monachus — Karolo imperatori optulit. Helin. 877.

Ingruente in Germania — mortui reperirentur. Sigeb. 877.

Guido: Karolus imperator nepotis sui Ludovici imperatoris filiam [s] Ermengardem Bosoni de suorum sublimioribus et cuius innitebatur consilio, dedit uxorem et Burgundie trans Rodanum atque Provincie constituit eum regem. 878.

Unde Sigebertus: Karolus imperator — imperare videretur. Sigeb. 878.

Episcopus Otto: Qui Boso etiam in regem Burgundie coronatus est a pontifice Lugdunensi. Karolus imperator Romam secundo [t] petiit — anno imperii tertio vitam finivit. O. Fris. VI, 6.

Sygebertus: Audiens Karolus fratrueles suos — Mantue moritur. Sigeb. 878.

a) *deest* 1. b) moliebat 1. c) infestant 2. d) Eodem — sunt *desunt* 2. e) consiliatis 2. f) propinquaret 1. g) tenendo iustitiam 2. h) videretur 2. i) excellens 2. k) est ad culmen 2. l) fratre suo Lud. 2. m) Karolum 1. n) et — iuniorem *desunt* 1. o) Frankevoert 2. p) in 2. q) *deest* 2. r) Bertoloni 2. s) filiam imp. 1. t) secundo Romam 2.

24) Vide annum 867. 25) Wilmans in Archiv X, 245 *codicis legis* legendum esse coniecit. 26) De quo cf. an. 861. et 877. 27) Monstier-en-Der, départ. Haute-Marne, arrond. Vassy. 28) Saint-Dizier, ibid. 29) Potius Sigebertus. 30) Diem hunc ex Helinando 878. addidit. 31) Cf. annum 868.

Helin. 878. Obiit itaque imperator Karolus Calvus 6. Idus Octobris[32] anno imperii sui 3, regni vero 38. Tamen apud Sanctum[a] Benignum scribitur pridie Nonas Octobris[33], id est quinque diebus citius.

Helin. 878. Elinandus: Karolus iste Calvus monasterium sancti Cornelii apud Conpendium fundavit et perfecit. Hoc castrum cogitaverat ipse facere ad instar Constantinopolis et de nomine suo illud Karnopolim appellavit. Hic indictum diem[34], quem Karolus Magnus avus eius apud Aquisgrani, id est Aquile Capellam suam[35], instituerat, instituit apud abbatiam sancti Dyonisii. Et quia in ecclesia — postea cessavit.

Quod cum Karolus Calvus postea[b] attulisset a Roma beati pape Cornelii corpus, in 876. imperatorem de novo coronatus[c], venit apud villam suam Pontigonem[36], que tunc erat fiscus regius, et ibidem cum corpore sancti quievit. Cum autem vellet[d] recedere, non potuit corpus sanctum moveri, donec eidem sancto Cornelio[37] daret rex in pago de Perteto, id est Pertois[38], silvam de Liur[e. 39] inter Sauz fluvium et Maternam et quedam alia inclusa.

Sigeb. 878. Qui imperator Karolus cum mortuus esset Mantue[40] secundum Sigebertum[f] in secundo suo reditu a Roma, et corpus eius allatum esset Vercellis, persuasum est quibusdam eum mor- 877. tuum fuisse Vercellis[41]. Relatum est autem corpus eius usque Lugdunum et ibi in quodam monasterio sepultum[42].

Helin. 878. Elinandus: Post non multum tempus — ut eum referrent.

Flod. Hist. Rem. III, 18. In hystoria Remensi fit mentio de visione cuiusdam Bernoldi redivivi, quod viderit Karolum hunc iacere in luto in loco tenebroso, sed postea per subsidia que illi inpendit ad eiusdem regis petitionem et mandatum archiepiscopus[g] Hingmarus, vidit ipsum regem in loco lucido sanum corpore et[h] regiis vestibus indutum.

Sigeb. 878. Anno 878. Regnat in Francia Ludovicus cognomento Balbus Karoli Calvi filius annis fere 2.

Guido: Ludovicus iste Francie rex paternum corpus a predicta civitate transferri fecit in Franciam et apud ecclesiam sancti Dyonisii quam excoluerat et exaltaverat pre ceteris, quas[h] devotione magna dilexerat, multo cum honore more regio sepeliri in medio choro sub abbate eiusdem loci Walthero[43].

ibid. 878. Sygebertus: Ad hunc Ludovicum Iohannes papa transferre satagebat imperium, quod adeptus est[h] iunior Karolus Ludovici Germanorum regis filius, quibusdam Romanorum nobilium eidem Karolo contra voluntatem pape annitentibus[i].

ibid. 879. Iohannes vero papa a Romanis iniuriatus — pro eo quod electioni dicti Karoli non favebat, veniens in Franciam cum rege[h] Ludovico Balbo pene annum moratus est.

Guido: Predictus Ludovicus, cognomento Balbus, Francorum solio sublimatus, dum ad optinendum imperium pro copiis instruendis[k], contrahendis auxiliis consiliis prolixioribus uteretur, longos cunctationis eius[h] anfractus[l] sagaci celeritate prevenit filius patrui sui Ludovici Karolus, qui post ipsum et fratres suos Karlomannum et Ludovicum regno 881. Germanie presidens, barbarice gentis irruptione subegit Ytaliam et a Romanis per violentiam ut fieret imperator exegit.

Predictus vero papa Iohannes, dum esset in Francia pontificatus sui anno sexto, Metensium episcopo Waloni nomine, qui successerat Adventio, pallium archiepiscopale concessit, cui concessioni archiepiscopus[m] Treverensis viriliter se opposuit et post multas altercationes palmam victorie reportavit[44]. Idem papa Iohannes patriarcham Constantinopolitanum nomine Phocium neophitum a papa Nicolao quondam depositum in sede sua restituit, interventu Basilii imperatoris et filiorum eius Leonis et Alexandri, sicut in libro qui Canones inscribitur plenius continetur. Idem Iohannes papa regi Bulgarorum Michaeli nomine scripsisse in eodem libro invenitur.

Helin. 878. Hoc tempore claruit Iohannes Scotus — e verbo transtulit; composuit etiam librum, quem peri fison merinnoy[45], id est de nature divisione, titulavit — acriter oculos intendit

---

a) secundum 1. b) postea *deest* 2. c) creatus 2. d) Et cum vellet 2. e) Hur 2. f) Sigibertum 2. g) Remensis *add.* 1. h) *deest* 2. i) annuentibus 2. k) inst. cop. 2. l) confractus 1. m) archiepiscopo 1.

32) Cf. Helinandum: *moritur anno imperii* 3. *inchoante, regni autem* 38, 3. *Non. Octob.* 33) Hic obitus dies non in Chron. S. Benigni, quo plerumque utitur, sed in annalibus eiusdem monasterii M. G. SS. V, 39 occurrit. 34) Verba: *et de nomine suo illud*, castrum scilicet Compendium, *Karnopolim appellavit. Hic indictum diem* in Helinandi editione omissa neque a nostro addita esse cuique Helinandum inspecturo elucebit. 35) Verbis: *id est Aquile Capellam suam* Albricus textum Helinandi ampliasse videtur, ad Guidonis relationem, quam rebus anno 871. gestis inseruerat, recurrens. 36) Ponthion, départ. Marne, arrond. Vitry-le-François. 37) i. e. monasterio Compiègne. 38) Perthois. 39) Luiz inter fluvios Saulx et Marne. 40) In viculo Brios Carolum mortuum et in monasterio Nantuano, non urbe Mantuana sepultum esse constat. 41) Cf. Hist. Franc. Senon. M. G. SS. IX, 365. 42) Cf. Helinandum ad an. 878: *in itinere obiit et sepultus est apud Lugdunum in monasterio Mantonay.* 43) Cf. Hist. reg. Franc. c. 23. M. G. SS. IX, 402. 44) Cf. Gesta Trev. c. 27. 45) Πεϱὶ φύσεων μεϱισμοῦ. Haec verba nisi in Helinandi editione incuria quadam omissa sunt, noster ex Helinandi fonte, Guil. Malm. §. 122 addidit.

Hic succedentibus annis munificentia regis Anglorum Elfridi allectus[a] venit in Angliam — martir estimatus est. Hoc autem fuit eius epitaphium — lima carentes. Helin. 878.

Qualiter predictus[b] liber per 300 circiter annos auctoritatem optinuerit et tandem dampnationem incurrerit, habetur inferius in anno Domini 1225, quando idem liber iussus est conburi.

Anno Domini 879. Normannorum plus quam — modulatione conposuit. Sigeb. 879.

Obiit rex Francorum Ludovicus[c] Balbus 6 Idus Aprilis. Helin. 880.

Unde sequitur Sigebertus: Rex Francorum[d] Ludovicus Balbus moritur — de regno eius Francis varie sentientibus, aliis illud filiis[e] eiusdem Ludovici Balbi ex concubina, Ludovico et Karlomanno, deberi iudicantibus — nascitur interim ex legitima uxore Ludovici Balbi filius, qui ex nomine Karolus nominatus est. Sigeb. 880.

Guido: Ludovicus Balbus post biennium sepultus est apud Conpendium[46], relinquens duos ex priori coniuge[f] filios, Ludovicum scilicet et Karlomannum, tertium ex secunda, qui Karolus postea Simplex dictus est et in matris utero derelictus. 879.

Sigebertus: Qui Ludovicus et Karlomannus interim regnum Francorum inter se dividentes regnaverunt simul annis circiter quatuor, et Bosonem semper persecuti sunt. Sigeb. 880.

Episcopus Otto: Qui Boso Lugdunum veniens a pontifice — et Karlomanno arcetur. O. Fris. VI, 6.

Guido: Quorum Ludovicus natu maior regnum assecutus odiis est persecutus et armis Bosonem, de quo prediximus, quia detrimento regni sui rex fuerat ab avo suo Karolo Calvo constitutus, eumque bellis[g] et dampnis, quoad vixit, afflixit; et si moras egisset in presenti luce maiores, Provincie regnum in subiectam sibi provinciam redegisset.

Qui Ludovicus apud abbatiam de Ferrariis Senonensis dyocesis nullo presente metropolitano per quosdam episcopos et abbatem Hugonem coronatus est cum uxore, sicut habetur in epistola Yvonis. Yvon. ep. 189.

Mater Ludovici Balbi uxor Karoli Calvi Ermentrudis apud Sanctum Dyonisium sepulta est. 869.

Anno 880. Sol hora diei — in celo parerent. In silva Francie — a Francis ceduntur. Sigeb. 880.

Guido ex dictis Guilelmi[48] de barbarico per Angliam et Franciam furore Danorum: Eo tempore rex Danamarchie Lotrocus filium suum Bier, etate florentem, virtute strenuum, qui maternisque venenis infectus offerre nudum ferreo latus acumini non timebat, Costa Ferrea dicebatur, cum Hastingo principe militie sue multaque manu iuventutis electe multitudinis indigene pene se conprimentis onere levare patriam et exteras sedes armis acquirere iubet, more septemtrionalium nationum. Que licet earum singule propriis nominibus[h] censeantur, Scithe tamen generaliter[i] appellantur. Quos a continenti profectos et[k] in Angliam per mare devectos et abradentes cedibus et incendiis habitatores cum habitaculis, rege magnifico resistente potenter Elfredo, nunc prevalendo, nunc subcumbendo, nunc occumbendo, nunc perimendo varius[l] alterne conflictationis eventus excepit. Sed rex Elfredus quibus erat inferior aliquando Marte, factus est arte superior, dum speciem ioculatoris indutus introductus principalibus tentoriis et consiliis eorum ad plenum inbutus, cum pervidisset ea que libuerat et muneratus ab eis abiisset, repentinus aggressor abegit ab insula profligatos et redire coegit ad naves. Guil. Gemmet. I, 5.

Elinandus ex dictis Guilelmi et ex translatione sancti Cuthberti: Rex Elfredus novem continuis annis — ab Anglia discederent. Rex unius partis eorum Gudrum — cum Hastingo mare transfretaverunt. Helin. 872.

Episcopus Otto: Anno Domini 880. — castro Moseburch tradidit. O. Fris. VI, 7.

Anno 881. Karolus, qui in divisione — augusti nomen sortitur. ibid. VI, 8.

Unde Sigebertus: Karolus Rome — benedicitur. Sigeb. 882.

Item Karolus imperator — regnum Germanie optinuit. ibid. 881.

Normanni adiunctis sibi — et igne devastant. ibid. 882.

Rex Ludovicus de Francia frater Karlomanni bellum gerens contra Normannos in pago Veriminiaco ex eis 8000 fundit[49] et victoriam adeptus est et non multo post obiit pridie[m] Nonas Augusti et apud Sanctum Dyonisium sepultus est. Regnavit annos 2, menses 3, dies 24. Et quia tam cito subtractus est, quasi nichil fecisse dictus est; unde et in quibusdam annalibus inscribitur: Ludovicus Nichilfecit[n. 50]. Helin. 881.

Guido de eodem: Sed ut fertur Ysembardus iuvenis egregie probitatis atque militie[51], nepos eius, fuit occasio, per quam ante meridiem etatis et magnificentie sue[o] vite est 882.

---

a) electus 2. b) dictus 2. c) Franc. Lud. rex 2. d) Ludovicus — Francorum *desunt* 1. e) *deest* 1. 2. f) coniuge Adelheide 1. g) bello 2. h) *deest* 1. i) naturaliter 1. k) *deest* 2. l) variis 2. m) secundo 1; *cum Helinando convenit* 2. n) unde — fecit *desunt* 2. o) sue et magnificentie 2.

46) Cf. Guil. Malm. §. 110. 47) ed. Iuretus p. 330. 48) Quae de Bier narrantur, e Guil. Gemmet. Hist. Norm. deprompta sunt, cetera in Gemmet. opere prorsus desiderantur, in Guil. Malm. §. 121 inveniuntur, sed verbis multo diversis. Tota haec de Elfredi dolo relatio Guidonem sapit, verbis ludentem: *profectos — devectos, inferior arte — Marte superior, indutus — inbutus, abegit — coegit.* 50) Verba: *ex eis* 8000 *fudit* ex Ottone Fris. VI, 8, addita sunt. 50) Hoc cognomen non Ludovici III. 879—882, sed Ludovici V. 986—987. fuisse notissimum est. 51) Cf. de hoc loco Dümmler Ostfr. Reich II, 153 n. 19.

subire coactus occasum. Hic enim cum per[a] adulatorum[b] iniqua consilia regis avunculi, quam non meruerat, incurrisset offensam, non iure sed per iniuriam regno pulsus et ad regem Gvormundum[c], quando[d] adhuc erat paganus, fugere compulsus, tam arto familiaritatis et amicitie vinculo colligatus est ei, quod ob eius dilectionem ad ultionem de avunculo reposcendam cum innumerabilibus armatorum milibus coniunctisque sibi Normannis et Danis adhuc gentilibus depopulatus[e] Angliam, transfretavit in Franciam et devastavit adiacentem[f] mari Britannico regionem ibique cum multis aliis Centulum regium vicum[g] et antiquum ac nobile monasterium sancti Richarii[52] concremavit. Quo comperto rex Francie magnanimus[h] Ludovicus cum armipotenti virtute Francorum haud segniter occurrit furentibus impiis et concurrit, magnam eorum multitudinem abrasit, ceteros fugere conpulit. In quo conflictu, quia rotando fulmineos ictus graviter est afflictus per nimium laborem, vigorem perdidit et incidit in languorem, quo quasi fructus in novitate a vita est preruptus. Et regnavit Karlomannus frater eius.

Sigeb. 882. Anno 882. Normanni Wal fluvium ingressi — tutioribus locis absconderant.

O. Fris. VI, 8. Episcopus Otto: Ea tempestate Normanni regnum Ludovici regis Germanie per Wal fluvium ingressi — Aquis cum adiacentibus regionibus, castellis et vicis devastant.

Sigeb. 882. Sequitur Sigebertus: Ad hec mala — in Burgundia tirannizabant.

Elinandus: Hastingus vero fugatus ab Anglia — mare grassatus est.

Helin. 880. Item Elinandus ex dictis sancti[i] Odonis abbatis Cluniacensis, qualiter corpus beati Martini a civitate Turonensi translatum est usque Autisiodorum[k]: Hic Hastingus supradictus, vastatis superioribus — incendio invitus assurrexit[l]. Non multo post[m] hanc fugam Hastingi venit ab eisdem finibus Rollo — in ecclesia beati[n] Benedicti[53].

Odon. Revers. b. Mart. c. 5. Unde Guido: Beati Martini venerabile corpus a Turonis apud Autisiodorum[k] in sancti Germani monasterio debita cum honorificentia collocatum, cum signis et miraculis procul et prope[o] positos[p] invitaret, inter sanctorum Martini ministros atque Germani super oblationum commodo contentio fieri cepit et finem accepit hoc modo: decernitur horrendum lepre contagione medius inter corpora sacrosancta ponendus, ut ad cuius partem leprosi mundatio perveniret[q], c. 6. ad eius ministros oblatio pertineret. A parte Martini facta mundatio perhibet, hospitali pro reverentia Germanum cessisse Martino; et ut fierent de miraculo certiores, alterum Martino latus obiciunt et mox curatum illud aspiciunt et oblata sui recipiunt in Martino[r]. In Martino miraculorum gloria predicatur, hospitalitatis in Germano benevolentia commendatur[54].

O. Fris. VI, 8. Episcopus Otto: Inter hec Ludovicus Germanie rex apud Frankenenvoert[s] diem obiit et in monasterio Laureacensi iuxta patrem humatur. Cuius frater tertius Karolus imperator factus in Ytalia morabatur.

Flod. H. R. III, 30. Translatio sancti Remigii apud Sparnacum timore Normannorum, et eodem anno apud abbatiam Orbaci[55]. Mortuus est archiepiscopus Remensis Hingmarus apud Sparnacum, cuius corpus relatum est apud Sanctum Remigium.

ibid. IV, 1. Succedit Fulco vir nobilis, cognatus regis Ytalie Guidonis, de quo habetur in sequentibus[56].

ibid. IV, 10. Rexit ecclesiam annis 27 et menses 3.

O. Fris. VI, 8. Anno 883. Otto episcopus: Normanni morte regis Germanie Ludovici comperta securi facti nobilissimam urbem Galliarum[t] Treverim[u], a Iulio Cesare quondam subversam, in ipsa cena Domini Nonas Aprilis[57] irrumpunt, — igne consumunt.

Sigeb. 883. Unde Sigebertus: Normanni — Metim usque pertendunt, ibique conserto prelio Wallo Metensium episcopus Gesta Trev. c. 28. cesus est. Berthulfus Treverensis vero archiepiscopus sauciatus[58] de prelio fugit, qui eodem anno decessit.

O. Fris. VI, 8. Normanni vero preda Francorum onusti ad classem revertuntur.

Transl. s. Cuth. c. 11. In Anglia vero, secundum quod in hystoria translationis sancti Cuthberti continetur, translatum est corpus eiusdem sancti in villa de Cunkacestre et ibi facta est sedes episcopatus quondam Lindisfarnensis.

Helin. 886. Rome mortuo papa Iohanne VIII. Marinus[v] sedit anno 1, mensibus 5.

Flod. H. R. IV, 8. Fulco Remensis archiepiscopus corpus beati Remigii de Orbaco reduxit[w] ad ecclesiam sancte Marie Remis.

Gesta ep. Mett. c. 43. Metis post Wallonem preficitur episcopus domnus Robertus reformator cenobiorum et murorum per annos 41, qui pallium a domno papa promeruit.

Sigeb. 884. Anno 884. Karolus imperator a Gallis — Normannos obsedit.

O. Fris. VI, 8. Unde episcopus Otto: Principes tam Gallie quam Germanie omnes Karolum precibus pulsant, — Itaque Godefridum Normannorum regem — finibus regni cum suis cedere persuasit.

Sigeb. 884. Sigifrido[x] quoque altero rege eorum nimis munerato — mare repetunt.

---

a) *deest* 2. b) adultorum 2. c) Gvormundum 2. d) cum 2. e) depopulatis 2. f) adiacenti 2. g) regium vicum 2. h) magnanimis 2. i) *deest* 2. k) Antisiodorum 2. l) surrexit 2. m) *deest* 2. n) sancti 2. o) prope et procul 2. p) positis 1. q) proveniret 2. r) et — Martino *desunt* 2. s) Frankevoert 1. t) Gallie 2. u) *deest* 2. v) Martinus 2. w) red. de Orb. 2. x) Sifrido 2.

[52] Saint-Riquier-en-Pontieu, départ. Somme, arrond. Abbeville.

[53] In iis quae omisi minutiae non desunt, quae in Helinandi editione frustra quaerantur, sed quum narratione arctissime inhaereant, eas incuria aut editoris aut scriptoris deesse facile concedas.

[54] Cf. quae his simillima Guil. Malm. §. 121 narrat.

[55] Orbais, départ. Marne, arrond. Epernay.

[56] Cf. annos 883. 892. 893. 900.

[57] Cf. Gesta Trev. c. 28.

[58] Ottone Fris. l. c. teste Bertholfus *bello conserto vita privatur* et auctor Gest. Trev. l. c. eum paulo post proelium commissum obiisse dicit. Inter utramque relationem noster quasi medium tenens Bertholfum *sauciatum* fuisse statuit.

Unde Guido: Karlomannus rex Francorum tam ferro, quam auro propulsata rabie Normannorum paulo post in silva que dicitur Evelina, monte qui vocatur Aericus, a singulari fero ferociter est peremptus 8. Idus Decembris. G. Malm. 110.

Quod episcopus Otto sic testatur: Karlomannus in venatu ab[a] apro percussus diem obiit. O. Fris. VI, 8.

Treveri abbas Mediolaci nomine Rothodus factus est archiepiscopus, qui Robertum Metis et apud Virdunum Dadonem consecravit episcopos. Gesta Trev. c. 28.

Anno 885. Karlomanno Francorum rege[b] — pepigisse[c] pactum. Sigeb. 885.

Guido: Audita Francie desolatione Normanni, tum quia rege carebant, tum quod heres regni puerulus erat, ideoque[d] dissidentium[e] inter se principum tumultu multiplici quateretur, dant arma navibus[f] et naves fluctibus et vela flatibus, pulsando remis pectora, secantes[g] equora, Sequane littora subeunt et quas[h] pertranseunt pessundant undique regiones. Hinc compulsi Franci Karolum imperatorem ad auxiliandum sibi invitantes, Franciam ei subiciunt.

Episcopus Otto: Occidentales Franci principibus — Normannis gessit bella. O. Fris. VI, 8.

Sygebertus: Contra quos apud Lovanium castra metatos, semel et bis exercitum misit, sed parum ibi profecit. Regnavit ergo Karolus imperator etiam in Francia annis 4. Sigeb. 886.

Hic annus fuit Karoli in Italia 5.[i], in orientali Francia 4.[k] et in Gallia 1, secundum privilegium Sancti Benigni. Chr. S. Benig. 378.

Guido: Eo quod mortuorum regum fratre Karolo puero, qui rex futurus, etsi supergresso vagitus infantie, vaginam tamen pueritie nondum egresso, cum simultates quoque bellorum et tumultus multiplicarentur[l] in regno, prudentibus usi consiliis imperatori predicto regnum puerumque committunt.

Anno 886. Quidam Agapitus fuit papa secundum Sigebertum, licet eum duobus annis tardius ponat, quem in aliis libris non habetur, et post annum, id est ab hinc anno tertio ponit Adrianum, quem puto eundem fuisse binomium. Hic est Adrianus III, qui secundum magistrum Hugonem sedit anno 1 et mensibus 3. Sigeb. 888. Helin. 887. Hugo S. Vict. 123.

Hugo filius Lotharii — Prumie attondetur[m]. Apud Constantinopolin Basilio imperatore mortuo imperant simul Leo et Alexander filii eius annis 18. Huius Leonis duo preclara facta habentur in sequentibus[59]. Sigeb. 886.

Anno 887. Normanni a Lovanio — lapsus trucidatur. ibid. 887.

Guido: Dum Normanni Parisius obsidione circumdant, imploratus a[n] Francis, tanquam regni gubernator, imperator Karolus ex precipuis amicum ducem Henricum cum valido mittit exercitu defensare Francos et debellare Normannos. Qui cum suis appropinquans et obsidentibus et obsessis, cum in hostes prior irruisset et equo ruisset rumpente fragilem operturam super terre defossam ab hostibus aperturam, dum a suis quasi lente 886. succurritur et ad ipsum cito recurritur, a[o] Normannis interficitur, unus a multis, ceteris suorum vix fuge subsidio evadentibus invadentes.

Hugo dux et abbas mire potestatis et prudentie moritur[p], cuius consilio regnum Francorum per septem annos[q], ex quo Ludovicus Balbus obierat, fuerat commissum. Sigeb. 887.

Apud Tullum post Arnaudum Ludelinus fuit episcopus. Gesta ep. Tull. c. 29.

Anno 888. Teudebaldus[r] episcopus Lingonensis. Chr S. Benig. 387.

Karolus imperator cum — nunc est, dilata. Sigeb. 888.

Guido: Karolus imperator lenis[s] animoque remissus cum ad gubernandum regnum simul et[t] imperium se non sufficere[u] metiretur, tutelam pueri, videlicet Karoli Simplicis, cum regni procuratione committit Odoni filio supradicti Roberti Andegavensium[v] comitis, quia virtute militari prestare ceteris regni principibus morum et corporis elegantia videretur.

Quedam[w] notula dicit ita: Normanni fugati a civitate Parisius Senonas venerunt, quorum timore Walterus Senonensis archiepiscopus unxit Odonem in regem[60], ut exiret contra eos.

Fuit enim iste Odo frater ex matre supradicti Hugonis abbatis[61], filii Karoli Magni ex Regina; unde aliqua erat ratio, quod ei in tutela regni successit. Potuit igitur fieri, ut

---

a) *deest* 1. b) rege Franc. 1; *cum Sigeberto convenit* 2. c) pepegisse 2. d) ideo 1. e) dissidentibus 1. f) manibus 2. g) sectantes 2. h) aquas 1. i) in Italia Karoli 1. k) in orient. — 4. *desunt* 2. l) multiplicentur 2. m) totonditur 2. n) in 1. o) et a 2. p) apud Haspram sepultus *add.* 1. q) per septem annos ad reg. Franc. 2. r) Genebaldus 1. 2. s) levis 2. t) simulque 2. u) sufficere non 2. v) Andeganensium 2. w) Quem 1.

59) Cf. a. 900. 60) Ex Annalibus Senon. 886, quales M. G. SS. I, 104 exstant, haec desumpta non sunt.
61) Sane non illius, cuius anno praecedenti mentio fit; iste Hugo iam anno 844. obierat.

primo ungeretur ab archiepiscopo, postea confirmaretur, quod factum erat a memorato imperatore Karolo[62].

Item Guido: Videntes Normanni civitatem Parisius armis situque munitam et recenti fultam auxilio, sibique laborem obsidionis incassum cedere, parant recedere totumque per terram, quia non poterant per arta pontium, incredibili suum arte navigium transferunt[a] in superiora fluminis ultra Parisium et percurrentes alveos tam Sequane quam Materne[b] desolatis adusque[c] Campaniam regionibus atque Burgundiam itinere quo venerant versus occeanum revertuntur. Inde remigando circa Britanniam sue non sinunt eam infestationis immunem et ingredientes, hostia Ligeris pretersecantes, hinc Francie latus, hinc Aquitanie[d] quocunque tendunt, cedunt, incendunt, diripiunt spolia, diruunt menia, destruunt urbes, castra subvertunt, dissipant villas, predantur agros, exterminant vineas, ortos excidunt, abscindunt[e] de ovili pecus et armentum in presepibus non relinquunt.

Sigeb. 889. Anno 889. Secundum Sigebertum Karolus imperator zelatus uxorem suam, pro eo quod plus iusto familiarius ageret cum Luithwardo Vercellensi episcopo, protestatur in concione se nunquam cum ea coisse. Unde illa se virginem esse gloriata accepto repudio monasterium petiit. Videtur autem quod Karolus fecerit hoc ex zelo christiane religionis.

Sequitur enim mirabilis visio que facta est hoc anno eidem Karolo. Secundum Guilelmum Malmesburiensem[f] ita incipit: Helin. 888. *In nomine Dei summi regis regum: Ego Karolus imperator gratuito Dei dono rex Germanorum[g] et[h] patricius Romanorum atque imperator Francorum sacra nocte diei[i] dominice post celebratum nocturnarum horarum divinum officium, dum irem repausare et vellem sompnum capere, venit vox ad me terribiliter dicens: Karole, exiet a te modo[k] spiritus tuus hora non modica*[63]. *Et mox ab astante mihi quodam aspectu splendido, vultu candido, iussus ut surgerem et iter agerem, filum lucidissimum quod manu tenebat et quo[l] pollicem meum ligaverat sequendo post eum, hospitio carnis eductus sum et deductus ab eo, videre loca penis debita reproborum et gaudia debita beatorum. Intravi igitur precedente meo ductore valles apertas in abyssum et caligine mortis opertas, in quibus fornaces ignivomas, puteos bullientes atque sulphureos et tartareos spiritus volentes me arripere nec[m] valentes — ductor enim meus filum lucidissimum super me triplicaverat — ardores sempiternos tamen et multiformes expavesco tormentorum horrores; recognosco in eis quosdam seculi principes et ecclesiarum prelatos, eiulando[n] michi protestantes propter actus perversos et que dederant domnis et regibus suis iniqua consilia, se pati talia. Vidi et dolia duo, unum aque glacialis, alterum vero aque bullientis, patremque meum nunc in uno nunc in alio stantem dolio Ludovicum michique dicentem, quod ab huius calamitatis onere levaretur, si per orationum et eleemosinarum suffragia iuvaretur*[o]. *Super quo contremiscens et ingemiscens, educor a ductore meo locis illis et introducor in amenissimos vallis deliciose sinus et paradisiace voluptatis; ibique conspicio sedentes super tronos ex lapidibus pretiosis Lotharium cum filio Ludovico, simul et quibusdam aliis regibus gloriosis, a quibus blande vocatus admonitus sum, quod ob morum correctionem meorum illuc missus et que videram fueram videre permissus*[p], *paulo post rediturus*[q] *ad corpus et animam iterum redditurus. Unde precipientibus ipsis videbatur michi quod imperialem redderem potestatem velut in presentiarum astanti puero Ludovico, cui iure debebatur hereditario, quia fuerat genitus ex imperatoris Ludovici filia Ermengarde et Bosone regulo. Cum hec vidissem in spiritu ego Karolus imperator, statim reversus est spiritus meus, et corpus meum valde fessum fuit et contritum.* G. Malm. 111.
Huc usque visio.

Sequitur episcopus Otto: Karolus imperator cum corpore et animo super hiis que viderat egrotare cepisset, principes regni apud Triburias circa transitum sancti Martini conveniunt et Arnulphum filium Karolomanni ad regnum trahunt — nos provocare posset.

a) transfretant 2. b) Matrone 2. c) odiisque 2. d) Campanie 2. e) *deest* 2. f) Malmesberiensem 2. g) Romanorum 1. 2. h) *deest* 2. i) una sacra diei 2. k) modo a te 2. l) *deest* 2. m) et non 2. n) evigilando 1. o) vitaretur 2. p) permissus videre 2. q) reducturus 2.

---

62) Carolo mortuo Odo rex unctus est. 63) Hucusque Albricus non Guilelmum §. 111. descripsit, sed Helinandum, qui sua sane Guilelmo debet; quae sequuntur usque ad: *reversus est spiritus* etsi non rebus, tamen verbis ab utriusque, Helinandi scilicet ac Guilelmi, narratione valde differunt. Nec mihi dubium, quin ea Guido Cathalaunensis composuerit, quippe qui more solito verbis ludat. An alius talia dicendi genera fingere potuerit qualia: *eductus — deductus, apertas — opertas, volentes — valentes, contremiscens — ingemiscens, missus — permissus?* Guidonem vero Guilelmi relationem prae oculis habuisse praecipue finis demonstrat. Cetera quae quum adeo mutaverit hic decurtando illic ampliando, ut potius sui quam alieni habenda sint, litteris maioribus dedimus.

Anno Domini 890. Basilius fuit papa secundum Sigebertum, licet eum ponat uno anno[a] tardius et dicat ipse, quod hic in aliquibus libris non invenitur. Unde Stephanus V, quem ipse postea ponit, ponendus est in[a] hoc anno ut melius magistro Hugoni concordare possimus: Sedit hic Stephanus annis 3, diebus 8. Sigeb. 891. Hugo S. Vict. 123.

Cuius invenitur decretalis ad Robertum Metensem episcopum.

Karolus imperator corpore et animo deficiens ab optimatibus regni, quod iam premisimus, repudiatur et Arnulphus — regnavit annis 12 sive 13. Hic Arnulphus patruo suo Karolo — fiscos in Alemannia delegavit, qui eodem[64] anno obiit. Sigeb. 890.

Episcopus Otto: Fertur de hoc Karolo, — pars maxima cessit. O. Fris. VI, 9.

Unde sequitur[a] Sigebertus: Romanum imperium — occisum supra diximus. Sigeb. 890.

Episcopus Otto: Occidentales Franci Odonem — viriliter gessit. Otto Fris. VI, 10.

Sequitur Sigebertus: Rodulfus autem corona sibi imposita rex Burgundionum statuitur, quod regnum multo tempore duravit, id est 130 annis. Sigeb. 890.

Hic notandum quod in collectaneo Sancti Benigni Divionensis legitur, quod dux Burgundie tres habuit filios, regem de quo nunc agitur[65] Rodulphum et Hugonem inferioris Burgundie ducem, Capito cognominatum, et Bosonem Vitriaci[66] comitem; fuerunt autem hii nepotes superioris Bosonis[67]. Rex vero occidentalis Francie Odo et Robertus fratres, filii Roberti ducis Andegavensis, fuerunt fratres ex matre abbatis Hugonis supramemorati, ut ibi dicitur[68]. Chr. S. Benig. 379. ibid. 377.

Franco episcopus Leodiensis adquisivit episcopatui suo abbatiam Lobiensem et preposituram Fossensem cum appendiciis suis. Auct. Gemb. 890.

Ab hoc tempore Luitprandus Ticinensis ecclesie dyaconus hystoriam suam de regibus et principibus partis[a] Europe ad quendam episcopum Libertane ecclesie de Hyspania Regemundum nomine orditur. In prologo meminit illius comici[68*]: *Nichil dicetur quod non fuerit*[b] *dictum prius.* Sed sepius philosophi ydropicorum more, qui quo amplius bibunt, eo ardentius sitiunt, quo sepius legunt, eo avidius nova queque[a] perquirunt, et nisi fallor mens achademicorum, peripateticorum stoycorumque iugi meditatione infirmatur, si non aut utili comediarum risu aut heroum delectabili historia refocillatur. Ad hoc autem tam ignavorum recitantur exempla quam proborum, ut agnoscatur Deus et iuste quosdam pro suis sceleribus comprimere et alios iuste dignis meritis exigentibus extollere. Sigeb. 891. Liudp. Ant. I, 1.

Anno 891. In Ytalia Sarraceni — Italie esse ceperunt. Sigeb. 891.

De hoc castello et situ eius ita incipit memoratus Liuthprandus: Hoc oppidum vocabulo Fraxinetum[c] in Italicorum Provincialium confinio stare manifestum est. Liudp. Ant. I, 1.

Cuius ut cunctis liquido pateat situs, mari uno ex latere scinditur, — habeat facultatem. I, 2.

Hunc locum Sarraceni hoc modo adepti sunt: Occulto et quoniam secus — gentes circumquaque perlustrant. Inde plures in Hyspaniam nuncios dirigunt, locum laudant, vicinasque[d] gentes nichil virium habere[e] promittunt, centum denique Sarracenos secum mox reducunt, qui veram rei huius caperent assertionem. I, 3.

Interea dum Provincialium christianorum unus contra alium ex invidia cepisset guerram habere et quicquid mali excogitari poterat, hos quos prediximus Sarracenos non minus callidos quam perfidos, pars contra partem cepit in auxilium advocare; et ita per Sarracenos ceperunt proximus proximum non solum conterere et trucidare, verum terram fructiferam in solitudinem reddere. Sarraceni igitur cum hoc suis viribus minime possent — modis omnibus insecuntur. I, 4.

Hac itaque tempestate Leo Porphirogenitus Basilii imperatoris filius, Constantinopolitane civitatis regebat imperium. I, 5.

Qui undique pace habita sancte et iuste Grecorum regebat imperium. Porphirogenitum autem non in purpura, sed in domo, que Porphiria dicitur, natum appello. I, 6.

Quam domum, ut audivimus[69], Constantinus Magnus edificari iussit voluitque successuram nobilitatis sue sobolem istic in lucem prodire; quatinus qui suo ex[f] stemate nascerentur, luculenta hac appellatione Porphirogeniti appellarentur. I, 7.

Unde quia iste Leo in ea fuit natus, Porphirogenitus est dictus. I, 6.

Sigebertus: Normanni Burgundiam aggressi Senonis urbem oppugnaverant, sed non expugnaverant. Sigeb. 891.

Anno 892. Normanni a Senonis — repulsi per Matronam et per[g] Sequanam fluvium, Trecas urbem incendunt — cuncta depopulantur. ibid. 892.

Secundum Remensem hystoriam, cui[h] magister Hugo concordat[70], ponendus est hic Formosus papa, qui hoc anno, indictione 10. consilium adunari fecit. Et archiepiscopus Fulco suum consilium tenuit[i] Remis[71]. Et eodem anno Guido cognatus eiusdem archiepiscopi in Ytalia regnare incipit. Flod. H. R. IV, 2.

Unde episcopus Otto: Igitur Itali duos — Spoletanum ducem. Otto Fris. VI, 10.

Luithprandus: Isti duo potentes principes Karolo Calvo dum adhuc viveret serviebant, tanto amicitiarum federe ad invicem conglutinati, ut sibi hoc iureiurando promitterent — scilicet ut Guido quem Romanam dicunt seu occi- Liudp. Ant. I, 14.

---

a) *deest* 2. b) fuit 1. c) Fraxinicum 2. d) vicinas 2. e) habentes 2. f) suo ex 2. g) *deest* 2. h) *deest* 1. i) ten. con. 2.

64) Sigebertus: *sequenti;* uterque errat, nam neque anno 891. neque 890, sed iam 880. Carolus III. obiit. 65) Rudolphus Richardi ducis filius inde ab 923. usque ad 936. rex Francorum erat, ille vero Rudolphus, anno 888. rex Burgundiae creatus, de quo Albricus agit, filius Conradi erat, fratris Hugonis abbatis. 66) Vitry-le-Brulé vel Vitry-en-Perthois, départ. Marne, arrond. Vitry-le-François. 67) De quo conferas a. 861. 873. 877. 68) Cf. a. 888. 68*) Terentii scilicet, qui in Eunuch. prol. 41: *Nullum est iam dictum, quod non dictum sit prius. GR.* 69) *ut audivimus* e cap. 6. supplevit. 70) fol. 123 cod. Lips. 71) Consilii mentionem fecit Flod. H. R. IV, 7.

dentalem Franciam, Berengarius optineret Italiam. Quam amicitiam non observaverunt, quia vera amicitia nisi inter emendatos mores eiusdemque virtutis et propositi viros stare non potest.

Liudp. Ant. I, 15. Igitur Guido, ut audivit mortem Karoli, Romam profectus est et absque Francorum consilio totius Francie unctionem suscepit imperii; Franci interea Odonem super se regem statuerunt. Berengarius vero — Franciam petit.

I, 16. Cumque Burgundionum regna transiens Franciam quam Romanam dicunt, non a Roma sed a lingua Romana, ingredi vellet — Odonem autem eligerent.

I, 17. Francorum igitur — Berengario bellum parat.

I, 18. Copiis denique utraque — Guido optinuit [72].

I, 19. Nec mora — Berengarius liberavit.

Sigeb. 892. Et hoc totum Sigebertus ita comprehendit: Guido Berengarium — bello vicit.

Chr. S. Benig. 379. Argrinus [a] fit episcopus Lingonensis.

Flod. H. R. IV, 3. Legitur in hystoria Remensi, quod quidam potentes malitiosi Richardus, Manasses et Rampo Lingonensi episcopo Theubaldo oculos eruerunt et archiepiscopum Senonensem Walterum [b] captivaverunt, unde ab archiepiscopo Remensi Fulcone [c] excommunicati sunt [d].

Chr. S. Benig 379. Anno 893. Argrinus fit episcopus Lingonensis.

Otto Fris. VI, 11. Porro Arnulfus totam — auctoritate habuit.

VI, 10. Nota de Hungariis: Hiis diebus gens Hungarorum sub primo duce suo nomine Alino ex Scithia egressa — Pannoniam inhabitare cepit. Hec eo tempore — isti sagittis nocent

Liud. Ant. I, 5. Sequitur Luithprandus: Ungarorum gens cuius omnes [c] pene nationes experte sunt sevitiam, nobis omnibus — habuerit facultatem.

I, 13. Arnulfus ergo, earum que sub arcturo — imo excidium fuit. Zuendebaldus vincitur, subiugatur et ita [e] unius homuncii deiectio fit totius Europe contritio. Quo devicto Arnulphus pace habita regno potitur. Ungari interim — machinabantur.

Otto Fris. VI, 11. Episcopus Otto: Eidem Zuendebaldo [f] concesserat Arnulfus rex [c] ducatum Boemie — vocaverat.

Sigeb. 893 Dicit ergo Sigebertus: Arnulfus Zuendebaldo duci — in Baioaria nascitur.

Annal. S. Benig. 899. Richardus [g] comes Burgundie pugnavit cum Normannis et occidit plures ex eis 5. Kalendas Ianuarii [73].

Flod. H. R. IV, 8. De archiepiscopo Fulcone scribitur, quod urbem Remensem novo muro circumdedit, castrum Altimontem [h] de novo instituit et in Sparnaco castrum fecit. Corpus sancti Remigii ab abbatia Orbaci retulit et corpus Calixti pape IV, 1. a Cisonio [i]. [74] Remis deduci fecit et post altare beate Marie decenter collocavit. Marchionis Eurardi [k] filius fuit abbas Rodulfus, qui moriturus illud Remensi ecclesie delegavit, et huius sororius Hucboldus [l] de Hainaco contradicebat. IV, 8. Eodem tempore monachi Sancti Dyonisii timore Normannorum Remis venerunt cum corpore beati [m] Dyonisii.

Sigeb. 892. Anno 893. Normanni iterum — suorum peremptis.

888. Guido: Ad reprimendam quorundam insolentiam superborum et retundendam late bachantium rabiem Normannorum de consensu principum consensus ad regalis corone gestamen est concessus Odoni, quousque spatia regius puer nondum [n] ad regnandum ydonee percurrisset etatis. Sed Odo cum quod optaverat optinuisset et regium puerum non satis regaliter et minus fideliter adoptasset, videns et invidens ob eiusdem pueri gratiam et debitam ei fidelitatem separatos ab amicitiis suis et a dominio [o] suo regni principes, exuere se paratos et in regem inungere [p] puerum adultum; fisci detrimento, regni dispendio, cepit augmentare sibi [q] vires, illi minuere, distribuendo suis civitates, castra, provincias, regiones. Quod attendentes, Karoli profectibus intendentes, raptum desub ala tutoris, solio regali sublimant.

Sigeb. 894. Sygebertus: Odone rege — eum et Odonem.

893. Unde sequitur Guido: Qui rex effectus armis et odiis insectatur Odonem, et tam longa fuit contricatio inter utrumque bellorum, donec amicorum mediante consilio cessit Odo Karolo Franciam, Aquitaniam Odoni Karolus conditione post ipsum recipiendi concessit.

Elinandus [75]: Hoc igitur anno fuit initium regni Karoli pueri, cuius miles fuit Haganus.

Chr. S. Benig. 379. Contigit corpus sancti [r] Benigni ad civitatem Lingonensem timore Normannorum deferri.

Annal. S. Benig. 895. Anno 895. Tullus civitas conbusta est pridie Nonas Aprilis.

Guido: At Danorum seva barbaries sive Normannorum, debachando [s] per Gallias, ab ipso occeani [t] littore tota ora maritima usque ad mare Tirrenum grassata, multas nobiles Guil. Gemmet. I, 8. urbes delevit. Nullum fere fuit oppidum, vicus aut civitas, que non strage ferali conciderit horum. Tunc nimia I, 9. tempestate exorta ad urbem Lunis devolvuntur. Hastingus princeps eorum, quam armis non poterat, dolo temptat invadere; mandat civibus non sua sponte, sed violentia tempestatis illic appulisse [u], pacificos se esse, pacem querere, patriam velle repetere, se letale [v] pressum languore ab eis christianum velle fieri supplici prece deposcere. Hiis I, 10. cives auditis pacem cum nephandissimo pacis inimico firmant, fit communis utrique populo urbis [c] ingressus, tandem scelestus ad ecclesiam fertur Hastingus, baptizatur ad sui perniciem, suorum manibus refertur ad navem. Post hec

---

a) Argrimus 1; Arginus 2. b) Walcherum 2. c) *deest* 2. d) *hic quum archiepiscopi nomen antea omiserit adiecit* 2: scilicet Fulcone. e) sic 2. f) Suendabaldo 1. g) Ricardus 1. h) Altmontem 1. i) Cisonico 1. k) Eurardi 1. l) Hutboldus 1. m) sancti 2. n) nundum 2. o) domino 1. 2. p) ungere 2. q) dispendio sibi augmentare sibi 2. r) beati 2. s) debacando 1. t) ab Occeano littore 2. u) applicuisse 2. v) letali 2.

72) In iis quae omisi Albricus eo tantum a Liudprando discrepat, quod Trebiam fluvium non quinque, sed duobus a Placentia miliaribus distare dicit. 73) Quod ad annum attinet, vide p. 659 n. 60. 74) Cf. Translationem sancti Calixti, quam ad annum 854. secutus corpus sancti Cisonnii repositum esse refert. 75) Quae sequuntur non Helinandi sunt, sed fere ad verbum cum Annal. S. Benigni 893. conveniunt.

intempeste noctis medio loricatus locatur in feretro innuens ceteris, ut suas induerent loricas sub tunicis; proinde fit intollerabilis luctus per exercitum Hastingum obiisse neophitum; resonat maris litus tanti ducis[a] excessu; dehinc navi effertur, ad ecclesiam baiulatur[b]; fit commendatio anime, ut corpus scelerum et[c] perditionis in baratro iam sepultum tradatur sepulture. Sed ecce prosilit de feretro, episcopum cum clericis obtruncat gladio, lupina rabie grassatur cum suis in plebe, iugulantur iuvenes, trucidantur senes, civitas vastatur, menia diruuntur. Patratis tot malis, inito consilio, unde venerant revertuntur. Bier totius excidii signifer et exercituum rex, iterum Gallias infestans ad extremum ab Arnulfo imperatore et Francis multis preliis victus in Angliam, oportunum sue tyrannidis suffragium, est expulsus, sed ab[d] Anglis iterum victus indeque Frisiam petens mortuus est ibidem. Guil. Gemmet. I, 11.

Huic narrationi concordat Sigebertus ita: Normanni Lotharingiam — Wormatie martirizatur. Sigeb. 895.

Episcopus Otto: Arnulfo[d] in Baioaria — victor Baioariam revertitur. Otto Fris. VI, 11.

Unde sequitur Sigebertus: Arnulfus rex audita — trans mare recedunt. Sigeb. 895.

Sequitur Guilelmus de eisdem: Eo tempore Dani, qui per annos 13 Gallias infestaverant, tandem ab Arnulfo imperatore et Britannis[76] multis preliis victi in Angliam refugerunt — qui post se regnavit. Helin. 880.

Fuit eo tempore comes in Flandria nomine Balduinus Calvus, natus de Iudith filia Karoli Calvi, cuius pater Balduinus Brachium Ferreum fuit cognominatus[77]. Huic ergo comiti Balduino Calvo dedit rex Anglorum Elfredus filiam filie sue[78], predictam Ethelswidam, de qua ille genuit comitem Flandrie Arnulfum et comitem Bolonie[e] Adolphum. Helin. l. c.

Iste rex Elfredus quando erat duodennis — aviditate siticulosa combibit.

Item Guido ex dictis Guilelmi: Rex Elfredus liberalibus artibus adeo fuit imbutus, ut nullus Anglorum regum fuerit eo vel intelligendo acutior vel interpretando elegantior. Adeo fuit religiosus, ut 24 horas diei et noctis ita divideret, quod octo in scribendo et legendo et orando, octo in cura corporis, octo in explenda regni negotia transigeret. Semper in sinu gestabat libellum, in quo diurni cursus psalmi continebantur, ut si quando vacaret, arriperet et vigilanti oculo percurreret. Ita vitam egit cum magna subditorum gratia. Guil. Malm. 123.

Item[f] de eodem secundum Guilelmum: Quosdam libros de Latino in Anglicam linguam convertit, scilicet Orosium[g], Pastoralem sancti Gregorii, Gesta Anglorum Bede, et Boetium De consolatione.

Sigebertus: Hoc tempore claruit in Burgundia sanctus Berno — et humanis studiosus. Sigeb. 895.

Anno 896. Formosus Portuensis episcopus factus papa, Rome sedit annis 5, mensibus 6. Contra voluntatem quorundam — a sacramenti periurio. ibid. 900.

Contra istum Formosum Sergius dyaconus ab una parte Romanorum fuerat electus, sed tandem pars Formosi prevaluit. Qui Formosus scientia litterarum fuit imbutus et satis religiosus, ut testatur Luithprandus. Que tamen religio testatur[h] sophistica fuisse per ea, que de fine eiusdem Formosi habentur in sequentibus[79]. Liud. Ant. I, 29.

Arnulfus rex — regem Lothariensium[i]. Karolus Simplex rex Francie opem Arnulfi — parum commodi tulit. Sigeb. 896.

Episcopus Otto: Ea tempestate in regno occidentali — poscere conpellit. Arnulfus vero pre ceteris regni sui locis — monasterium beati Emmeranni — largis possessionibus locupletavit. Tradunt ibi scriptumque monstrant, quod predictus rex Arnulfus sanctum Dyonisium a Gallis ad prefatum monasterium transtulerit, quod utrum ita sit, ipsi viderint. Otto Fris. VI, 11. Rex tamen Francie potuit illi dare qualemcunque sanctum sub nomine sancti Dyonisii.

Sequitur Sigebertus: Karolus rex Hundeum regem Normannorum — de sacro fonte suscepit.

Quis iste fuit Hundeus ex aliis libris non habemus, sed de Hastingo testantur Guido et Guilelmus, quod eundem regem Karolum adiit, pacem petiit et ab ipso stipendium munere urbem Carnotensem accepit[80]. Guil. Gemmet. I, 11.

Item Guido: Nec dum ex toto detonuerat bellorum fragor in Francia[81], cum Normanni furoris in eam violentus[k] turbo invehitur Rollone duce, qui de nobili sed per vetustatem obsoleta[l] prosapia Noricorum editus, regis precepto patria pulsus multos, quos vel es alienum vel conscientia scelerum exagitabat[m], magnis speciebus sollicitans ditatos secum abduxit. Guil. Malm. 127. Hic ferocitate gentilitatis et gentis Hastingo nichil inferior cum terribili multitudine barbarice iuventutis patriam, ut Franciam aggrediatur[n], egressus, inmensitate maris emensa, Scaldi fluminis alveum involat[82] et circumiacentes hinc inde ferro devastat et incendio regiones. 876. Quem contra Rainerus Hainonensium comes et Hasbanii dux cum militie multa virtute clipeum defensionis obvertit, sed suorum qui-

---

a) principis 2. b) defertur 2. c) corpusculum 1. 2 *pro* corpus scelerum et. d) *deest* 2. e) Bononie 2. f) Ita 1. g) et *add.* 1. h) putatur 2. i) Lothariensem 1; *cum Sigeberto convenit* 2. k) violentius 2. l) absoleta 2. m) excogitabat 1. n) aggreditur 1. 2.

76) *et Britannis* — haec, nisi in editione tantum Helinandi omissa sunt, ex eiusdem fonte, Guil. Malm. §. 121, noster addidit. 77) Quae supra ad a. 872. Guido de Balduino et Iudita narravit, ad ea Albricus hic recurrisse videtur. 78) Errant Helinandus et quem descripsit Guilelmus §. 123; nec vero Albricus verbis *filiae suae* additis errorem correxit, nam Balduini uxor neque Ethelswinda regis filia, ut Guil. et Helin. affirmant, neque Ethelswinda regis neptis fuit, sed altera eiusdem filia Elfreda. 79) Cf. a. 901: *Unde Petrus Damianus* etc. 80) Hac de re apud Guilelmum Malmesberiensem nihil invenitur; sed fere ad verbum narratio cum Guilelmo Gemmeticensi convenit, cuius opere nostrum usum esse perperam statueres. Qua re Guidonem ad Guilelmum hoc loco provocasse putarim huncque Guilelmum ab Albrico non Gemmeticensem monachum, sed Malmesberiensem habitum esse. 81) *Francia ab his tumultuum fragoribus paulisper sopita*, his verbis incipit Guil. Gemmet. historiae suae librum secundum. 82) Haec et ea quae de Rollonis expeditione Flandrica sequuntur Guido ex Guil. Gemmet. Hist. Norm II, 8 deprompsit, verbis valde mutatis.

busdam cesis, aliis captis, reliquis capientibus fugam, relictus, victus et vinctus custodie mancipatur, quousque 12 nobilibus ex Normannis, qui capti fuerant a Raineri militia, redditis est redemptus.

Liud. Ant I, 20. Anno 897. Secundum Luithprandum: In Italia cum Berengarius Guidoni resistere copiarum paucitate nequiret, potentissimum Arnulfum regem in auxilium rogat — rex Arnulfus filium suum Zuentebaldum valido cum exercitu huius in auxilium dirigit, venerunt pariter omni sub densitate Papiam. Sed Guido fluviolum qui Papiam alluit, Vernavolum nomine, tam sudibus quam exercitu ita munierat, quatinus altera alteram ipso medio discurrente pars partem oppugnare nequiret.

I, 21. At vero post 21. diem Hubaldus Bonefacii pater, qui post Camerinorum et Spoletinorum extitit marchio, quendam Baioaricum Italis exprobrantem in medio fluvio interfecit. Quod factum Baioariis terrorem — in propria remeavit.

Sigeb. 897. Unde Sigebertus: Arnulfus rex a Berengario — redire fecit.

Liud. Ant I, 22. Sequitur Luithprandus: Igitur Berengarius dum[a] Guidoni nisi prospera sibi adversari prospiceret, — clipeum portat.

I, 23. Susceptus itaque — Pergamum proficiscitur.

Sigeb. 898. Sigebertus: Arnulfus rex Longobardiam — omnes adduxit.

Liud. Ant. I, 24. Luithprandus: Mediolanenses atque Ticinenses — se obtemperaturos esse promittunt. Ottonem itaque Saxonum potentissimum ducem gloriosissimi atque invictissimi Ottonis avum, Mediolanum dirigit gratia defensionis et ipse recta via Ticinum petit.

I, 25. Guido denique — fugere cepit.

Otto Fris. VI, 12. Episcopus Otto: Rex quoque Arnulfus Placentiam usque — montana concessit.

Guil. Malm. 129. In his diebus[83] fuit Pleimundus archiepiscopus Cantuariensis, cui papa Formosus, ut scribit Guilelmus, super restitutione dyocesum et episcopatuum Anglie litteras comminatorias transmisit.

Flod. H. R. IV, 9. Hic nota quod sanctus Gibrianus Scotus in Cosla Cathalaunensis dyocesis requieverat et frater eius apud Matugam nomine sanctus Veranus. Itaque tempore archiepiscopi Fulconis Remensis religiosus comes Haydericus ab episcopo Cathalaunensi Rodoardo impetravit, ut illud corpus sancti Gibriani ferret ad ecclesiam sancti Remigii Remis, et prope in eadem ecclesia idem comes sepultus est. Alii fratres sancti Gibriani fuerunt Tesanus, Tresanus[b], Germanus, Abranus, Petranus, et horum septem fuerunt tres sorores, Fraucla, Promtia, Possenna.

Otto Fris. VI, 12. Anno 898. Arnulfus rex rursum conventum Wormatie celebrans, Zuendebaldum filium suum cum voluntate principum in regno Lotharingie confirmavit[84]. Odo quoque rex — revertitur.

ibid. VI, 13. Et eodem anno[85] Arnulfus rex victoriosus — ad Urbem usque progreditur, — hic eos qui adversus pontificem seditionem moverant decollari precepit.

Liud. Ant. I, 27. Luithprandus: Plurima bellorum paraverant — vi capiunt.

Sigeb. 900. Sigebertus etiam: Lepusculo forte, inquit, versus Urbem — in imperatorem benedicitur.

ibid. 898. Odo musicus ex clero Turonensi monachum profitetur sub Bernone abbate Gigniacensi[c. 86]

Annal. S. Columb. 899. Anno 899. Normanni duce Rollone obsederunt Sanctum Florentinum.

Sigeb. 899. Et Odo rex Francorum — in regno reciperent.

Otto Fris. VI, 13. Qui Odo, ut scribit episcopus Otto, in monasterio sancti Dyonisii humatus est.

Sigeb. 899. Karolus ergo regno Francorum toto recepto[d] regnavit annis 26. Apud Triburias celebrata synodo — plura super statu ecclesie decreta sunt. Unde in libro, qui Canones inscribitur, inter cetera scriptum invenitur: Ex consilio Triburiensi, cui interfuit Arnulfus rex.

Liud. Ant. I, 23. Luithprandus: Rex Arnulfus desiderii — in incertis latuit locis.

Sigeb. 901. Sigebertus: Guido rex Arnulfum — repedare coegit.

Liud Ant. I, 32. Cuius iusto Dei iudicio, ut dicit Luithprandus, hoc contigit, cum homines eius multa mala fecerint in Italorum[e] ecclesiis, neque enim confugientibus poterant esse asilum.

I, 33. Denique redeuntem Arnulfum cum magna multitudine paulatim rex Guido persequitur[f].

I, 35. Qui Arnulfus dum per Bardum et montem Iovis repedare disponeret, Eporegiam venit, sed Anscharius marchio I, 37. iuxta murum in cavernis petrarum latuit, et ita licite cives iuraverunt regi Anscharium in urbe non esse. Iustus interea Deus uxori Guidonis parat viduitatis dolorem; nam dum Arnulfum persequeretur, iuxta fluvium Karum defunctus est.

Otto Fris. VI, 13. Episcopus Otto de imperio Arnulfi: Reperi in quibusdam Romanorum — non imperatores et augustos appellare consueverunt.

De sorore autem huius Arnulfi natus fuisse scribitur sanctus Maingaudus martir de Hoio, cuius pater fuit Hugo rex Anglorum, originem trahens a sancto et antiquo rege Oswaldo Nordanimbrorum.

Sigeb. 900. Fulco Remorum archiepiscopus 15. Kalendas Iulii[g. 87] perimitur — concedente invaserat.

Flod. H. R. IV, 10. Succedit ei Herveius in archiepiscopatu Remensi, nepos ex sorore Hucbaldi comitis per annos 22[88].

a) cum 1; *cum Liudprando convenit* 2. b) Cresanus 2. c) Gingniacensi 1. d) accepto 2. e) Italiorum 1. f) prosequitur 1; *cum Liudprando convenit* 2. g) *deest* 2.

83) Anno 904. secundum Guilelmum, qui non expresse archiepiscopum a summo pontifice commonitum esse narrat, sed universe epistolas excommunicationis in Angliam missas esse. 84) Otto Fris. l. c.: — *Zuendebaldo filio* etc. *regnum Lotharii tradidit.* Noster quum iam ad annum 896, Arnulfum Zuendebaldum filium Lotharingiae regem creasse, Sigeberto duce narraverit, facere non potuit, quin Ottonis verba, quae huic anno — quoniam temporis nota carent, nescio qua causa — attribuenda esse censuit, eo quo fecit similive modo mutaret. 85) Otto Fris. l. c.: *Anno ab inc. dom.* 894, *anno vero regni sui* 7. Utrumque falsum est; Arnulfus mense Octob. 895. Italiam ingressus est. 86) Cf. Sigeb. 895. 87) Diem obitus noster ex epitaphio deprompsit, quod Flod. Hist. Rem. IV, 10 nobiscum communicavit. 88) Hoc regiminis tempus ap. Flod. H. R. IV, 17 invenies.

Qui archiepiscopus Herveius Mosonium reparavit et ossa beati Victoris nuper inventa ibi reposuit. Flod. H. R. IV, 13.

Florebant hoc tempore episcopi Mantio Cathalaunensis, Richulfus Suessionensis, Dodilio[a] Cameracensis, Othgarius Ambianensis, Rodulfus Laudunensis, Otfridus Silvanectensis[89]. IV, 11.

Hic nota quod Almiarus comes abbatiam sancti Medardi iure hereditario possidebat, pro qua archiepiscopus Fulco commutaverat ei abbaciam sancti Vedasti[b]. IV, 11.

Anno 900. In Anglia vir christianissimus rex Elfredus hoc anno mortuus est. Qui dimidiam portionem — quarta transmarinis ecclesiis. Semper autem aliqua valitudine adversa aut aliquo morbo agitatus est — ligni dominici a Roma. Monasterium unum construxit in Helingia, ubi olim latuerat. Ista Helingia non longe est a Glastonia; alterum in Wintonia, quod dicitur Novum Monasterium; item Senestoniense[c] monasterium — filiam suam Elfginam. Hic itaque rex qui tanta fecit, hoc anno mortuus, sepultus est Wintonie — pondere publico pensavit. G. Malm. 124. Helin. 880. ibid. 891. G. Malm. 124.

Luithprandus: In Italia Berengarius post obitum Guidonis festinus Papiam venit, — isticque securus deguit. Liud. Ant. I, 37.

Lambertus deinde, qui Magnifredum Mediolanensem comitem capitali sententia dampnavit, principibus gravis visus est, expulsus a quibusdam et Berengarius revocatus. Adelbertus etiam illustris Tuscorum marchio cognomento dives, cuius uxor fuit Berta, mater comitis Hugonis postea regis, et comes prepotens Hildebrandus collecto exercitu contra Lambertum Papiam tendebant. Contra quos Lambertus cum 100 militibus Placentiam venerat, cum iuxta fluvium Sesterrionem ad burgum sancti martiris Domnini castra illos metasse audivit, super quos nocte irruens Hildebrandum fugavit, Adalbertum intra animalium presepe latitantem cepit et cum multis custodie mancipavit. I, 38. 37. I, 39. I, 40. 41.

Deinde, ut scribit episcopus Otto, Lambertus idem Romam veniens imperatorem se vocari faciebat. Otto Fris. VI, 12.

Item secundum Luithprandum imperator Leo Constantinopolitanus rem fecit dignam memoria, quam in hoc loco depingimus: Constantinopolis civitas inter ferocissimas gentes est constituta; habet quippe ab aquilone Ungaras, Pinzenatos, Chazaros, Russios atque Bulgaros nimium sibi vicinos — producendus servetur. Liud. Ant. I, 11.

Leo ergo imperator predictus hoc modo vigilum fidem probavit: Solus e[d] palatio descendit, quasi unus esset e turba et lupanar illa nocte ingressurus, primi ergo vigiles 12 aureis ab eo acceptis abeuntem dimiserunt, et a secundis custodibus pro 20 aureis est demissus, tertie autem custodes pugnis et flagris verberatum conpedibusque constrictum custodie usque in crastinum producendum mancipaverunt. Quibus recedentibus custodem carceris ad se imperator vocans: *Amice*, inquit, *Leonem imperatorem nosti? Quomodo*, inquit, *noscere possum, quem vidisse me non meminerim, sed quid ad te, non eque vos*[e] *fortuna fovet*[f], *te in carcere posito et illum in aureo triclinio. Desine*, inquit, *desine, imperator ipse sum Leo augustus qui de palatii dignitate non bono omine prodii.* Carceris autem custos: *Quoniam*, inquit, *quem temet ipsum neglexisti, pro te ego dispiciam*[g] *mathesim. Mars trigonus est, Saturnus Venerem respicit, Iupiter quadratus, Mercurius tibi iratus, Sol rotundus, Luna in saltu, mala fortuna te premit.* Imperator autem: *Mecum*, ait, *palatium potiori quam ego descenderim omine venito, si me ut imperatorem non*[h] *istic recipi videris, occidito; hec faciat*[i] *michi Deus et hec addat, si non potius premium, quam pro hac re sumes supplicium.* Igitur custos dato signo ad palatium usque comitatur. Ubi imperator mirabiliter susceptus eundem custodem fere exanimatum nimia admiratione reddidit, qui dum omnes dignitates huic occurrere contemplaretur, emori ei tunc satius[k] esse plus quam vivere. Cui imperator: *Contemplare*, inquit nunc[l], *mathesim, et si vere quo huc adveneris*[m] *omine dixeris, veram de augurandi scientiam habere probabis.* Quo respondente animam se amisisse: *Recipe*, inquit, *animam, recipe et cum hac bis binas aureorum libras assume.* Deinde imperator custodibus et qui eum dimiserant et qui eum cesum[n] carceri mancipaverant, coram se evocatis primos et secundos usque ad mortem fere[o] verberatos urbe expelli iussit, tertios autem et[n] illorum substantiis et multis aliis divitiis donavit. Et ex tunc ceteri imperatorem etiam absentem quasi presentem sperare et civitatem diligentissime ceperunt custodire.

Anno 901. In Anglia regnat Edwardus per annos 23 natus de Egelfleda regis Elfredi filia[90]. Hic filiam suam Edgitam sive Ogivam[p] nomine Karolo Simplici Francorum regi in uxorem dedit. Filias suas[n] instituit — regni gubernacula addiscere, et licet litterarum multum fuerit avo inferior, regni[q] tamen potestate incomparabiliter fuit gloriosior. Helin. 891. cf. 901. G. Malm. 125.

De Formoso papa in quodam libello scriptum reperitur, quod balsamum, quod quidam orientales beato Petro solvebant pro tributo, idem Formosus pecunia condonavit.

Unde Petrus Damianus retulit[91]: In partibus Babylonie habebat[r] — et paulo post obiit. Helin. 1078.

Sequitur Bonefacius VI, sedit Rome diebus 25. Deinde Stephanus VI. anno 1, mensibus 3. Hugo S. Vict. 123.

Episcopus Otto: In Italia Lambertus, qui imperium invaserat, moritur. O. Fris. VI, 13

Luithprandus: Aiunt eum[s] quidam, dum venationi insisteret, equo cecidisse collumque fregisse; alii dicunt eum ab Hugone filio Maginfridi[t] comitis Mediolanensis in eadem venatione fuisse occisum, quia idem Lambertus eundem Maginfridum[u] patrem Hugonis interfecerat, et ipsum Hugonem militem sibi sociaverat. Liud. Ant. I, 42.

Quibus gestis Berengarius ampliori[v] dignitate regia honoratur. Adelbertus marchio et ceteri, quos Lambertus ceperat, ad propria destinantur. I, 43.

Constantinopolitani imperatoris Leonis, de quo supra diximus, quidam ludus non est tegendus silentio: Palatium Constantinopolitanum ob imperatoris salutem multorum presidiis militum custoditur. Contigit itaque ex eis 12 I, 12.

a) Dolio 1. b) confessoris *add.* 2; *deest quum in* 1, *tum in Flod. ipso.* c) Scenesconiense 2. d) de 2, *sed super rasuram.* e) nos 1. f) favet 1; *cum* 2 *convenit Liudp.* g) despiciam 1. 2. h) non ut imp. 2. i) faciet 1. k) satius tunc 2. l) nunc inquit 2. m) hic veneris 2. n) *deest* 1. o) pene usque ad mortem 2. p) Oginam 2. q) regnique 1. r) Babilonis habuit 2. s) enim 2. t) Magnifridi 1. u) Magnifridum 2. v) amplior 1.

89) Sunt nomina eorum quos Flodoardus IV, 11 novum archiepiscopum consecrasse dicit. 90) Eduardus I. filius Elfredi fuit; Eduardum II. ex Egelfleda natum esse, Albricus apud Guil. Malm. §. 159 legerat, et quum Helin. ad annum 902. Eduardum I, haud secus perperam, filiae Elfredi filium dicat, noster utramque relationem confundens, Egelfledam filiam Elfredi et Eduardum I. Egelfledae filium effecit. 91) Ep. I, 20. ed. Caietan. p. 106. Sed magis cum Helinando p. 158^b convenit.

post corporis refectionem in ipso fervore diei una in domo quiescere; et dum imperator solus deambularet per palatium, ligno modico, non incallidus, illis quiescentibus, ostii pessulo proiecto, ingrediendi sibi aditum prebuit, 11 vero dormientibus duodecimus contractis in faciem brachiis quasi dormiens totum, quod imperator faceret, diligentissime considerabat. Imperator igitur dum[a] obdormire cunctos prospiceret, aureorum numismatum libram pectori uniuscuiusque apposuit, moxque clam egressus ostium ut prius fuerat clausit, quatinus excitati et de lucro gratularentur ac qualiter hoc accideret admirarentur. Denique discedente imperatore, qui vigil solus extiterat, surrexit dormientiumque nummos aureos sibi assumpsit atque reposuit, postea vero quieti se reddidit. Imperator igitur de hoc ludo sollicitus post nonam predictis 12 ad se evocatis quesivit, si quempiam illorum aliqua sompnii visio aut deterruit aut hilarem reddidit. Ceteris qui nichil viderant tacentibus duodecimus ille voce humillima respondit: *Humanissime imperator, hii quid viderint nescio, ego tamen delectabile atque utinam quod prospere contingeret vidi sompnium.* Deinde recitavit que dicta sunt et quod ipse fecerit, et addit[b]: *Visio hec, pater auguste, bonum sit, nescio, usque modo me non deterruit sed hilarem reddidit, atque utinam grata*[c] *tibi sit hec interpretatio, nam et me divinum et sompnii venditorem esse liquido pateat.* Hiis auditis magno est cachinno imperator inflatus et prudentiam huius atque sollicitudinem admiratus infit: *Ante hac neque divinum neque sompnii venditorem esse te audivi, hanc vero rem nunc ita aperte dixisti, ut circuitionis usus esses; quidquid tamen videris, quidquid inveneris tuum sit.* Quibus auditis quanta ceteri sint[d] confusione repleti quantoque is sit[e] gaudio plenus, eorum quisque in se personas suscipiens animadvertere poterit.

Sigeb. 902. Anno 902. Arnulfus imperator, ut scribit Sigebertus, longa egritudine dissolutus — in Baioaria moritur.

Otto Fris. VI, 13. Episcopus Otto: Arnulfus 12. regni sui anno — huc postmodum transferretur.

VI, 14. Filius eius Ludovicus — in regnum Belgice invitatur.

VI, 13. Alter quoque Ludovicus Bosonis filius ad imperium a Longobardis invitatur.

Sigeb. 902. Sigebertus de papa Stephano VI: Hic primum, inquit, a Formoso papa episcopus Anagnine[f] ecclesie ordinatus — quedam horribilia dictu in eum fecit. Legitur enim quod ipse, non Sergius, de quo suo loco dicemus[92], corpus Formosi a sepulchro in concilio protractum et papali veste exutum, laycali induit, et abcisis duobus digitis dextre manus eius in Tyberim precipitari fecit. Sive iste Stephanus sive Sergius idcirco Formosum etiam post mortem persecuti sunt, ut nobis videtur, quia inter cetera etiam redditum balsami, sicut supra notavimus, pecunia condonavit.

Hugo S. Vict. 123. Post eundem Stephanum Romanus papa sedit mensibus 3, diebus 22.

Liud. Ant. II, 2. Luithprandus: Ungarii[g] statim post mortem Arnulfi, primo anno Ludovici collecto exercitu permagno, — sese sanguine potant.

Hugo S. Vict. 123. Anno 903. Theodorus papa sedit Rome diebus 20.

Sigeb. 903. Hic contra Stephanum — igni cremari precepit.

Hugo S. Vict. 123. Post quem Iohannes IX. sedit annis 2, diebus 15.

Sigeb. 903. Hic etiam ad confirmandam — Formosi fecerat.

Ungarorum gens — tempestas diffunditur.

Liud. Ant. II, 3. Luithprandus: Ludovicus itaque[h] rex — regno eius potitur[i].

Otto Fris. VI, 14. Episcopus Otto: Zuendebaldus dum multa — bello necatur.

Sigeb. 903. Sygebertus: Zuendebaldus rex — sanari potuit.

Hugo S Vict. 123. Ab hoc anno Ludovicus filius Bosonis[93] 4 annis imperavit secundum annotationem magistri Hugonis.

Sigeb. 903. Francone Leodiensium episcopo mortuo Stephanus episcopus subrogatur vir sanctitate et scientia clarus, qui vitam sancti Lamberti martiris et passionem ad Hermannum archiepiscopum Coloniensem urbanius edidit. Idem[k] Stephanus fecit cantum de eodem martire beato Lamberto, cantumque de sancta Trinitate et de inventione prothomartiris Stephani dulci et regulari modulatione conposuit; fuerat siquidem de clero Sancti Stephani Metensis[94].

ibid. 903. Conradus comes — a comite Alberto.

Otto Fris. VI, 15. Episcopus Otto: Circa idem tempus Albertus nobilissimus Francorum comes, Ottonis Saxonum ducis ex filia nepos, Conradum qui a quibusdam Ludovici regis frater fuisse creditur occidit. Unde rex Ludovicus predictum Albertum in castro Babenberg[l] bello petiit et per septennium obsedit[95].

Lindp. Ant. II, 3. Anno 904. Iamiam rex Ludovicus contra Ungaros collecta multitudine Augustam venerat — utreque acies convenere. Post multam stragem Ungari positis insidiis Ludovici milites vincunt.

Sigeb. 904. Unde Sigebertus: Ludovicus rex — imperavit anno 1.

Hist. Senon. 365. Normanni cum Rollone[96] in Burgundiam venerunt, quibus Richardus dux cum suo exercitu occurrit, irruensque in eos percussit multitudinem ex eis[m] in ore gladii et reliqui fugerunt.

Guil. Malm. 127. Guido ex dictis Guilelmi: Rollo cum suis cum ubique libera debacharetur insania, Carnoti tandem hesit, siquidem cives nec muris nec armis confisi, beate Marie suffragium implorantes, camisiam eiusdem quam Karolus Calvus rex Francorum a Constantinopoli cum aliis reliquiis advehi fecerat, super propugnacula ventis exponunt. Hostes visam[n] irrident et in eam per inane sagittas dirigunt, non impune; nam mox oculis obnubilatis nec retro regredi nec procedere divinitus sunt permissi. Quod oppidani cernentes egressi multa eos cede prosternunt, evasit tamen Rollo quem Deus sue fidei reservavit. Rothomagum vero et fines eius iam a longo tempore armis optinebat.

Guil. Gem. II, 11. De Hastingo vero dicitur, quod cum esset ei persuasum, quod ob suspicionem favendi Normannis Karolo regi foret[o] invisus, pre timore vendita civitate Carnoto Turonensi comiti Theobaldo, clam discessit et post in Francia[p] non est visus.

Et exinde a comitibus Turonensibus pervenit civitas Carnotensis per matrimonium ad comites Campanienses.

---

a) cum 1; *cum Liudprando convenit* 2. b) Deinde — addidit *desunt* 2. c) rata 1. d) sunt 2. e) fit 2. f) Anagine 1. h) Ungari 2. h) atque 1. i) regno eius potitur *et quae praecedunt verba:* sicque Ludovicus libere *desunt* 2. k) Item 2. l) Lambegerch 1; Babengerg 2. m) mult. ex eis *desunt* 1. 2; *addidi ex Hist. Sen. l. c.* n) insani 2. o) fuit 2. p) Franciam 1.

[92] Cf. a. 907.
[93] Cf. Liudpr. Ant. I, 32. Otto Fris. VI, 15.
[94] Cf. Aeg. Aureavall. II, 39.
[95] *et — obsedit* e Liudp. Ant. II, 6.
[96] Cf. Guil. Gemmet. Hist. Norm. II, 14. 15.

Benedictus IV. annis 3, mensibus 2. Hugo S. Vict 122.

Anno 905. Ungari superioris — sub tributo redigunt. Sigeb. 905.

Hic dicit episcopus Otto: quod Ungari commisso — Thoringiam percurrunt. O. Fr. VI, 15.

Qui etiam Longobardiam pervagantes — propria revertuntur. VI, 14.

Ludovicus autem Bosonis filius — Berengarium expulerat. VI, 15.

Treveri Tukerus erat archiepiscopus, qui fecit et compilavit quendam librum decretorum ad episcopum Virdunensem Dadonem. Gesta ep. Trev. c. 29.

Apud Tullum post Ludelmum[a] prefuit Drogo episcopus. Gesta ep. Tull. c. 30.

Apud Stabulaus Adelardus comes de Rupe in Ardenna[1] preerat vice abbatis.

Apud Constantinopolin Alexandro imperatore mortuo Constantinus, nepos eius, Leonis imperatoris filius[2], imperat annis 39. Sigeb. 905.

Focas domesticus maior fuit dux terrestris exercitus, Romanus autem princeps navalis exercitus. Symeon fortis bellator Bulgaris[b] preerat, christianus quidem, sed vicinis Grecis valde inimicus. Contra quem Focas prefatus copias exercituum duxit, eique Constantinopolim venienti viriliter repugnavit. L. Ant. II, 26. I, 5. II, 26.

Anno 906. Ungari victos Grecos sub tributo redigunt. Romanus autem predictus princeps humilis quidem genere — oculis privatur. Sigeb. 906.

Luithprandus: Romanus vero sue parti parentes in urbe collocat: rectorem, magistros, — prothospatharios et spatarios. Qui etiam — cum Porphirogeniti Constantini matre Zoy nomine matrimonium contraxit. Tota mox civitas coronatur[c], et Romanus pater Basileos appellatur. Liudp. Ant. III, 26.

Rollo autem 14. Kalendas Augusti Carnotum obsedit cum suis, qui remanserant, sed Anselmus[3] episcopus Richardum ducem Burgundie et Robertum principem cum suis exercitibus festinus adduxit, ut civitas ab obsidione liberetur. Qui irruentes in eos peremerunt ex eis 6800, a paucis qui remanserant obsides accipientes. Hist. Senon. 365. 905. ibid.

Uxor huius ducis Richardi[d] Burgundie dicta est Alaydis mater regis Rodulfi; et sub eodem Richardo fuit Madegaudus[e] vicecomes, comes vero Manasses Divionensis, cuius erant filii Walo et alter Manasses comes iunior[f]. Chr. S. Benig. 379.

Ademarus etiam illustris senator in pago Senonico et Turonico multa contulit ecclesiis, et cuius uxor Lampaia dicta est. Horum memoria fit in Divionensi ecclesia.

Anno 907. Leo V. presbiter forensis Romane ecclesie prefuit diebus 40. Cat. p. R.

Quem Christoforus[g] presbiter suus capiens et in carcerem trudens per invasionem fit papa mensibus 7. Sigeb. 905. Quo zelo fidelium deposito et facto monacho, Sergius III. tandem factus est papa, qui sedit annis 7[h], diebus 15. Cat. p. R.

Sigebertus: Iste est Sergius dyaconus propter Formosum a papatu reprobatus, qui ab eodem Formoso episcopus factus ad Francos tamen se contulit, et eorum auxilio Christoforum invasorem capiens et in carcerem trudens latenter Romam ingressus per Adelbertum[4] papatum invasit et Romanos minis et terroribus perpulit, ut omnes ordinationes Formosi irritas haberent et in ultionem sue repulse Formosum sepulchro extractum[i] decollari precepit et in Tyberim iactari, cunctosque, quos ipse ordinaverat, gradu proprio depositos[5] iterum reordinavit. Cuius corpus a piscatoribus inventum in ecclesia beati Petri in loculo repositum est et ab imaginibus sanctorum, ut dicit Luithprandus, salutatum est. Sigeb. 907. Liud. Ant. I, 31.

Hec posuit Sigebertus secundum opinionem Luithprandi, sed in ecclesia Lateranensi Rome multo aliter sentitur de eodem Formoso, cuius lucernam beatus Petrus extinxit, eo quod ipse eius lucernam extinxerat. Aliter etiam sentitur de isto Sergio. Iste enim, sicut ibi legitur, Lateranensem ecclesiam ab invasoribus predecessoribus suis destructam renovavit[k] et ornavit et multa bona fecit in ea.

Sigebertus: Apud Grecos Romanus pater Basileos factus et, ut securius ageret, matre Constantini in uxorem accepta, suam quoque filiam ipsi Constantino Porphirogenito despondit. Sigeb. 907.

Unde Luithprandus: Eodem, quo pater — coniugem dedit. Liud. Ant. III, 30.

Ungari Bulgares victos tributarios sibi faciunt. Sigeb. 907.

Unde Luithprandus: Cum nullus esset qui in orientali ac australi plaga Ungaris resisteret, Grecorum gentem atque Bulgarorum tributariam sibi fecerunt. Liudp Ant. II, 7.

Anno 908. Apud Grecos Romanus impetrato a principibus[6], ut communi eorum decreto rubricatarum pellium caligis, ut istic imperatorum moris est, uteretur. Anno etiam sequenti omnium iudicio coronam accepit et caligarum decorem minime perdidit. Sigeb. 908. Liudp Ant. III, 35.

Unde Sigebertus: Romanus impetrato a principibus — in procedendo preferebat. Sigeb. 908.

Luithprandus: Post imperii sui ordinationem uxor sua peperit ei filium nomine Stephanum, et rursum[l] concepto fetu peperit alium nomine Constantinum. Quos omnes imperatores constituit, et cum ad publicum, id est ad Sanctam Sophiam vel ad Blakernas vel ad Sanctos apostolos Romanus cum Christoforo primogenito procederent[m], Constantinus Porphirogenitus et duo ceteri sequebantur. Liudp. Ant. III, 38. Italienses interea Ludovicum Bosonis filium ad se de Burgundia invitaverant et contra Berengarium, ut supra dictum est, regem statuerant[n]. II, 32. Adelbertus quidam marchio Eporegie II, 33.

---

a) Lundelinum 2. b) Bulgaribus 2. c) eum coronat 2. d) Richardi ducis 2. e) Madelgaudus 2. f) maior 2. g) Christoferus 1. h) Quo — annis 7 *desunt* 1. i) *deest* 1. k) revocavit 1. l) rursus 1; *cum Liud. convenit* 2. m) procederet 2. n) statuerunt 2.

[1] La Roche. [2] *Nepos — filius*, addit aut Sigebertum ad a. 904, aut quem hoc loco Sigebertus descripsit, Liudpr. Ant. II, 26 sequutus. [3] *Antelmum* vocat episcopum Guil. Gemmet. II, 15 et *Wantelinum* Hugo Flor. Modern. reg. Franc. act. M. G. SS. IX, 380. Hic solus inter scriptores, qui de obsesso Carnoto narrant, nostro asstipulans episcopum Richardum et Robertum auxilio vocasse tradit. [4] *per Adelbertum* ex Liud. Ant. I, 30 addidit. [5] *gradu proprio depositos*, quae verba Sigeb. omisit, noster ex eiusdem fonte Liud. Ant. I, 30 recepit. [6] Hucusque Sigeberto descripto, quum noster ea quae sequuntur Liud. Ant. deprompserit, a verborum ordine coniunctioneque regressus est.

Berengarii predicti filiam nomine Gisilam coniugio sibi copulaverat, ex qua[a] Berengarium iuniorem genuerat. Qui
Liud. Ant. II, 34. Adelbertus primo fuit bonus, sed postea perfidus, unde proverbium dicebatur, longo eum uti ense et[b] minima fide.
II, 35. Predictum ergo Ludovicum rex Berengarius bello excipiens iurare illum conpulit, ut si redire permitteretur, non ultra in Italiam veniret.

Abhinc ergo per 6 annos Berengarius idem imperavit.

Liud. Ant. II, 7. 8. Anno 909. Ungari collecto innumerabili exercitu Italiam petentes exploratores ante se dirigunt. Ungari territi ab
II, 9. Italie ingressu per consilium exploratorum reparato exercitu venerunt et Italici eis occurrerunt. Rex Berengarius Italorum, Tuscorum, Volscorum[c], Camerinorum, Spoletinorum, alios epistolis, alios nunciis in unum venire precepit, et
II, 10. fuit exercitus eius triplo validior quam Ungarorum. Quod videntes Ungari fugere ceperunt, persequentibusque christianis,
II, 11. Adduam fluvium natando, ita ut nimia festinatione plurimi nece[d] submergerentur, transeunt[d]. Fugientes pagani a christianis pacem per internuncios petunt, quod christiani contempnunt. Ungari qui usque Papiam processerant
II, 12. fugiendo in Veronenses campos perveniunt. Ibi factum est quoddam preludium pugne, in quo Ungari vicerunt. Inde[e]
II, 13. 14. fugientes iuxta fluvium Brentam propter equos defatigatos quieverunt, pacem requirentes quam non habuerunt. Ungari
II, 15. propter desperationem rerum se invicem adhortantes[f], viriliter eos receperunt, in tres partes insidias disponentes,
II, 16. super christianos irruunt et vincunt, quam victoriam non pro sua fortitudine, sed pro christianorum peccato habuerunt,
Sigeb. 909. et hoc est quod dicit Sigebertus: Ungaris Italiam depopulantibus — federe mitigavit.

Liud. Ant. III, 38. Luithprandus: Filia, inquit[d], Christoferi filii sui nuper defuncti[7] Romanus filio Symeonis Petro uxore data, ab incepto eum furore conpescuit sibique federé placido sociavit. Unde et puella Pax est vocata, eo quod per eam inter Bulgares et Grecos pax sit firmissima[g] constituta.

De cas. coen. Derv. c. 5. In Burgundia circa ripas Araris[h] fluminis[h] sub regno Rodulfi translatum est corpus sancti[i] Bercharii et sancti Mauri Fossatensis cenobii timore Ungarorum et Normannorum.

Liud. Ant. II, 45. Anno 910. Eo tempore quo Romanus Constantinopolitanum susceperat imperium, nonnulle ei gentes presertim orientales vise sunt rebellare; — rogavit primo ut ad sui fidelitatem pristinam sponte redirent. Quod cum se minime facturos dicerent, ad Affricanum mox imperator dirigit regem Sarracenorum[k], eum pretio rogans, — vi ceperunt.

Sigeb. 910. Et hoc est quod Sigebertus dicit: Sarraceni ex Affrica a rege suo[l] missi in Italiam, ut Apuliam et Calabriam[m] contra Romanum imperatorem Constantinopolitanum rebellantes — annum perduxit.

Abbacia Cluniacensis fundata est; Guilelmus pius dux Aquitanie et comes Matisconensis in fundatione Cluniacensi multa bona contulit.

Sigeb. 910. Albertus comes supra nominatus ex primoribus Austrasiorum — decollatur.

Otto Fris. VI, 15. Episcopus Otto: Cum rex Ludovicus viribus se non posse — arbitror episcopum.

Elinandus[n. 8]: Eclipsis solis accidit in diebus letaniarum 6. Nonas Maii quarta feria circa horam diei octavam et permansit hora fere dimidia adeo obscura, ut stelle in celo clarissime vise sint[o].

Obiit Hugobardus Lugdunensis episcopus, cui succedit Amelo.

Sigeb. 911. Anno 911. Ungari Germaniam vastant.

Liud. Ant. II, 5. Luithprandus: Qui ut rabiem perfidie sue satiarent — prestolaretur in locis.

Eo tempore mulier quedam Theodora nobilis quidem genere, dives dote, sed meretrix
II, 48. opere, mortuo marito, quod dictu fedum est, Romane civitatis[p] principatum tenebat. Que duas filias habebat matri similes actibus nefariis, Maroziam atque Theodoram. Per idem tempus Petrus Ravennate[q] sedis pontificatum tenebat. Qui dum clericum suum Iohannem nomine Romam[r] sepius et iterum domno dirigeret pape, Theodora que principatum tenebat Rome, in huius speciei decorem vehementer exarsit et secum scortari conpulit. Interea Bononiensis episcopus moritur et Iohannes iste loco eius eligitur. Paulo post ante eius diem[s] consecrationis nominatus Petrus Ravennas archiepiscopus mortem obiit, locumque eius Iohannes idem Theodore instinctu Bononiense ecclesia[t] derelicta sibi usurpavit. Romam quippe adveniens mox Ravennate[q] ecclesie ordinatur episcopus[u]. Hic est Iohannes qui post, ut in sequentibus dicetur, fuit papa et dictus est Iohannes X. Marozia vero Theodore filia Sergio pape per adulterium peperit illum Iohannem qui duobus interpositis post predictum Iohannem Ravennatem fuit papa et dictus est Iohannes XI. Ex Alberico marchione marito suo eadem Marozia peperit Albericum qui postea Romane urbis principatum tenuit[v].

Hic possumus animadvertere, quam alieni fuerint a religione temporis huius pontifices.

Chr. S. Benig. 380. Guarnerus fit episcopus Lingonensis, Agrimo predecessore suo facto monacho.

Sigeb. 912. Anno 912. Ludovicus rex Germanie moritur 12.[w] Kalendas Iulii[9], qui propter — imperialem benedictionem.

Otto Fris. VI, 15. Episcopus Otto: Quo defuncto Otto Saxonum dux avus magni Ottonis ab omnibus petitur, — rex fieri recusabat.

VI, 16. Conradus[x] ergo Conradi quem Albertus — Karolorum ponunt.

Liud. Ant. II, 17. Luithprandus: Conradus[y] iste Francorum ex genere oriundus vir erat strennuus bellorumque exercitio doctus.

Sigeb. 912. Regnavit annis 7, qui et ipse caruit — censum 12 denariorum.

Memorabile atque insigne opus quod forum vetus vocabatur Lugduni cecidit.

Hic primum dicitur dux Rollo fuisse baptizatus.

---

a) qua 1. b) sed 2. c) Wlscorum 1; Wecorum 2. d) *deest* 2. e) Unde 1. f) exhortantes 2. g) firmissima sit 2. h) id est Sagonnem *add.* 1. i) *deest* 1. k) regem Sarracenorum *desunt* 2. l) suo rege 2. m) Calab. et Apul. 2. n) Elimandus 2. o) vise sint clar. 2. p) Rom. civit. quod dictu fedum est 1; *sed* 2 *convenit cum Liudprando.* q) Ravenne 2. r) *deest* 2. s) diem eius 2. t) ecclesie 2. u) archiepiscopus 1; *cum Liud. convenit* 2. v) tenuit principatum 2. w) Lud. — 12 *desunt* 1. x) Conrardus 2, *sic fere semper.* y) *deest* 2.

[7] Verba: *nuper defuncti* ex praecedenti Liudprandi capite addita sunt. [8] Haec in Helinandi editione frustra quaeris. [9] Quo die Ludovicus obierit, diversi diversa referunt; sed 12. Kal. Iul. nullo adhuc superstite libro traditur. Cf. Dümmler Ostfränk. Reich II, 556.

De quo dicit Guido: Karolus rex cum magnatibus librato consilio ita fedus iniit cum Rollone[a] Normannorum duce, ut ille baptismum[b] Christi susciperet et filiam regis Gisilam[c] nomine duceret in uxorem et cum ea terram maritimam ab Epta[d] flumine usque ad limites Britannicos de rege sicut de domno suo cognosceret[10]. Inter Karolum regem et Rollonem pacis huiusmodi pacto, regis Odonis fratre duce Roberto mediante, contracto baptizatur Rollo, suscipitur a Roberto, cuius sibi nomen imponi voluit, nomine Rollonis abiecto; baptizantur et reliqui Normannorum, gentilitatis errore relicto. Guil. Malm. 127. Guil. Gemmet. II, 17. II, 18. 19.

Guilelmus: Tunc illi qui astabant consulentibus Rolloni ut pedem — provincie sue morem. Helin. 896.

Huius Rollonis, qui et Robertus[e], fuit filius Guilelmus, sed non fuit de supradicta Gisla filia regis, sed de quadam puella quam ceperat Rollo apud Baiocas; Gisla vero absque liberis obiit[11].

Archiepiscopus Remensis Herveius[f] corpus beati Remigii ad abbatiam suam retulit. Flod. H. R. IV, 12.

Anno gratie 913. Anno primo Conradi, ut dicit episcopus Otto, Ungari — iuxta Enum fluvium sive Danubium prosternuntur. Otto Fris. VI, 16.

Sigebertus: Ludovicus ab Italiensibus ad regnandum reinvitatus, oblitus iuramenti, — regnum Italie iterum usurpat. Sigeb. 913.

Luithprandus: Per Adelbertum[g] Tuschie marchionem et Bertam uxorem eius, quibus Berengarius rex intolerabilis visus est, ceteri principes Italienses propter eundem Ludovicum, ut adveniret, transmiserunt. Berengario Veronam profecto Ludovicus cum Italiensibus eum persequi non desistens, Verona illum expulit, totumque regnum sibi viriliter subiugavit. Inde Ludovicus Tusciam videre voluit et Luccam proficiscitur, ubi a predicto Adelberto decenter suscipitur. Ludovicus autem ob Adelberti potentiam invidia tangitur, ob quam rem ab eius fidelitate Adelbertus[f] separatur. Liud. Ant. II, 36. II, 37. II, 38. II, 39.

Sequitur de relatione corporis beati[h] Martini ab Antisiodoro ex dictis sancti Odonis Cluniacensis abbatis: Interea quidam vir inclitus comes Gastinensis, Ingelerius nomine, Hugonis ducis Burgundie nepos, Lochie[i] et Ambazie domnus, factus est consul Andegavensium a rege Francie. Rollone ergo baptizato[12], per huius comitis industriam relatum est corpus beati Martini Turonum ab Antisiodoro[12] anno a transvectione eius 31, Idus Decembris. Odon. Revers. c. 7-10.

In cuius reditu quicunque qualicumque incommodo detenti, etiam non aportati, etiam non rogantes, etiam non volentes sanati sunt. Nam duo paralitici de morbo suo victum querentes, audientes[f] que fiebant communicato consilio, aptatis baculis sub asella[k] repere magis, quam fugere temptabant fugientesque inviti sanati sunt. Quod ipsi postea confessi sunt non audentes celare. Ingresso autem Martino fines parochie sue tempore brumali omnia fructeta vestita sunt foliis et floribus, et tam cerei quam lampades accendebantur igne divinitus misso, maxime in duabus basilicis in eius nomine consecratis, in Maiori Monasterio et in ecclesia Castri Novi, in qua nunc usque servatur; et dextra levaque in omnibus ecclesiis campane pulsabantur nemine tangente. Helin. 896.

Adalaudus Turonensis archiepiscopus[l] et conprovinciales sui festum hoc singulis annis sinodali auctoritate instituerunt agi. Et hii sunt episcopi qui interfuerunt: Ranno Aurelianensis, frater eiusdem Adalaudi[m], Mammolus Cenomanensis, sanctus Lupus Andegavenensis[n], Siagrius Eduensis et Domulus Trecensis; Abmarius autem[o] comes erat Antisiodorensis. Odon. Revers. l. c.

Anno 914. Contra Conradum regem anno secundo regni eius[13] potentiores regni principes rebellionem meditati sunt, scilicet Arnoldus de Baioaria, Buchardus de Suevia, Everardus comes[o] potentissimus[14] de Francia, Gislebertus dux de Lothoringia, et horum omnium excellentior Henricus dux, supradicti Ottonis filius, de Saxonia et Thoringia; qui omnes tam sapientia quam fortitudine regis ad gratiam eius reducuntur. Solus Arnoldus ad Ungares cum uxore et filiis fugiens usque ad mortem ibi mansit. Sigeb. 914.

Episcopus Otto: Dum toti[o] Italico regno Ludovicus pro arbitrii sui motu — se contulit. Otto Fris. VI, 15.

Luithprandus: Fluvius Athesis — Ludovicus manebat. L. Ant. II, 40.

Anno 915. Berengarius qui in[p] Baioaria exulabat[15] dato pretio custodes civitatis Veronensis corrupit, collectisque viris fortissimis in ipso noctis conticinio civitatem ingressus Ludovicum qui ad ecclesiam confugerat cepit. II, 39. II, 41.

Unde Sigebertus: Ludovicus Verone captus — graviter ceduntur. Sigeb. 915.

Ungarorum rabies quia — non mediocriter effecerat. L. Ant. II, 42.

Anastasius III. sedit Rome annis 2, mensibus 2. H. S. Vic. 123.

Et abhinc Berengarius regnum Italie cum Romano imperio 4 annis[16] tenuit. O. Fr. VI, 15.

Anno 916. Karolus rex Francorum regnum Lothoringie recepit. Sigeb. 916.

Luithprandus: Sarraceni qui Fraxinetum — prestolaretur in locis. Liud. Ant. II, 43.

Sigebertus: Sarraceni a Fraxineto exeuntes Italiam gravissime premebant. Sigeb. 916.

Anno 917. Eodem tempore secundum Luithprandum Sarraceni ab Affrica — pretio dato dimitteretur. Et ita misera Italia ab una parte Ungarorum, ab alia Africanorum et item Sarracenorum de[q] Fraxineto cladibus premebatur. Liud. Ant. II, 44.

Ungari Alemanniam — Fuldam perveniunt. Sigeb. 917.

Rome Lando[r] factus est papa, sedit mensibus 6[17]. Helin. 916.

Anno 918. Sigebertus[p]: Romanus Grecorum imperator filios suos Stephanum et Constantinum cum domno Sigeb. 918.

---

a) Rollo 2. b) baptisma 1. c) Gislam 2. d) adepto 1. 2. e) Roberti 2. f) *deest* 2. g) Albertum 1. h) sancti 2. i) Lozie 2. k) assella 1. l) episcopus 2. m) Adalandi 2. n) Andegavanensis 2. o) *deest* 2. p) *deest* 1. q) a 2. r) Laudo 2.

10) Verba: *de rege — cognosceret* sunt Guilelmi Malm. §. 127. 11) Haec si a Guidone e Guil. Gemmet. Hist. Norm. II, 12. 22 excerpta, valde decurtata sunt. 12) *Rollone — baptizato, relatum — Antisiodoro* ex Helin. 896. 13) Hic efficitur annus ex ipso Sigeberto, qui anno 912. Conradum regnum iniisse narravit. 14) *Comes potentissimus* et paulo post: *dux* ex Ant. Liud. II, 18 addita sunt. 15) *Berengarium in Baioaria exulasse* Otto Fris. VI, 15 refert. 16) Secundum Hugon. S. Vict. 123. 17) Ex Hugone S. Victor. 123.

Liud. Ant. III, 37. Sigeb. 918. suo Constantino imperatore[a] imperare constituit, ipso Constantino imperatore tum orationi, tum lectioni vacando, totum se Domino commendante et opere manuum picturam scilicet[b] pulchre exercendo victum sibi querente — a duce elimati sunt.

Post Hattonem fit episcopus Moguntinus Herigerus[c] per annos 8.

Misso autem exercitu — Lothoringiam perveniunt.

Helin. 919. Iohannes Ravennas archiepiscopus huius nominis decimus[18] in numero pontificum 124. sedit Rome annis 13, mensibus 2, diebus 3[19].

Flod. H. R. IV, 16. Anno 919. Remensis archiepiscopus Herveius excommunicavit comitem Erlebandum[d] pagi Castricensis, pro eo quod Macerias firmavit et Altmontem irrupit.

Liud. Ant. II, 20. Conradus rex moriens[19], 7. anno regni sui, presentibus regni principibus preter Saxonum ducem Henricum, qui suus fuerat adversarius, omnes ad concordiam invitans coronam, sceptrum et cuncta regalia eidem Henrico transmisit, rogans omnes et obtestans, ut eum eligerent et suum domnum[e] constituerent. Qui, ut dicit Luithprandus, regie dignitatis culmen — nationibus imperaret.

Guido: Per idem tempus Arnulfo in regnum Germanie successit filius eius Ludovicus, Ludovico[f] iste[g] Conrardus, Conrardo Saxonie dux Henricus, ad regnum quidem eorum quisque, sed nullus ad imperium prevaluit optinendum. Principes enim imperii, dum imperare singuli cupiunt, sicut de civitatibus Grecie legitur, imperium omnes pariter amiserunt; ita quod Berengarius, Guido, Lambertus, Hugo, Rodulfus et alter Berengarius et Hugonis filius Lotharius, de quibus postea dicemus, et alii plures in suis quisque provinciis lacerato reges imperiose fecerunt.

Sigeb. 919. Anno Domini 920. Henricus primus, dux Saxonum, regnavit secundum Sigebertum annis 17. ibid. 920. Henricus rex[f] contra — totius Bawarie.

Otto Fris. VI, 18. Episcopus Otto: Hic est Arnoldus — et iustitia esse.

Sigeb. 920. Burcardum etiam ducem — ad se inflexit.

Robertus dux frater Odonis quondam regis Francie appetens regnum Francorum contra Karolum Simplicem inquietabat Franciam[h] eiusque instinctu omnes pene primores Francie adversabantur Karolo.

Annal. S. Col. Senon. 922. Walterus autem Senonensis archiepiscopus contra Karolum unxit eundem Robertum in regem.

Guido: Karolum Simplicem regem Francorum, cum post Aquitanie regis Odonis excessum regnum Aquitanie excepisset, sicut inter eos fuerat ante constitutum, et annos iam aliquot[i] transcurrisset in sceptris, sed propter nimiam simplicitatem subiectorum sibi 922. nobilium odium incurrisset, Robertus predicti Odonis regis frater magne potentie dux amicorum suorum, scilicet Rodulphi tunc Burgundie ducis, et Veromandensium simul et Campanie comitis Heriberti[l], qui gener fuit ipsius Roberti, fultus auxilio regnique fere totius consilio, deturbavit avito solio, quod ipse rex factus ascendit.

Chr. S. Benig. 380. Primo anno Roberti regis invasoris Gotselinus fit episcopus Lingonensis, post mortem Garneri predecessoris sui, qui apud Sanctum Benignum obiit.

Flod. H. R. IV, 17. Archiepiscopus Remensis Herveius[m] obiit.

Sigeb. 921. Anno 921. Stephano Leodiensium episcopo mortuo et apud Sanctum Lambertum sub altare sancte Trinitatis tumulato[20], Richarius vir catholicus abbas Prumiensis[21] a Karolo per auctoritatem pape Rome ordinatur episcopus, repudiato Hilduino qui pecunia data duci Gisleberto, ambiebat sibi ab eo dari episcopatum.

Quo tempore factus est Treverensis archiepiscopus Rupertus filius Theoderici Saxonie ducis, frater Mathildis regine Alemannie. Qui dux Theodericus fuit de genere Guithecindi, et habuit tres fratres, Guithecin, Immit[n] et Reginben; et ex hac serie istorum quatuor fratrum descendit nobilitas totius Saxonie, Italie, Germanie, Gallie et Normannie, Bawarie, Suevie, Hungarie, Boemie, Ruscie[o] et Polonie[22].

Apud Coloniam prefuit Wicfridus[23], Metis Wigerius[p] [24], apud Virdunum Barnonius[25] et apud Tullum Gauzlinus annis 44[26].

Sigeb. 921. Sigebertus: Hoc tempore clarebat — nimis adversabatur.

Abbas Stabulensis domnus Leuthbertus, episcopus et abbas, deinde Luithfredus comes et abbas locum eundem in manu sua tenuit.

ibid. 922. Anno 922. Ungaris Franciam — ad internecionem pene delevit.

Liud. Ant. II, 31. Et hunc triumphum tam laude quam memoria dignum in superiori cenaculo domus sue de Meresburch, que et Marcinopolis dicitur[27] notari et depingi precepit.

a) *deest* 1. b) secundo 1. 2; *corr. secundum Sigeb.* c) Herierus 1. d) Erlebaudum 1. e) domnum eum 2. f) *deest* 2. g) iste 2 *prima manus, corr. posterior:* isti. h) regnum Francorum 2. i) aliquot iam 2. l) Herisberti 2. m) Her. Rem. 2. n) Innuit 1. o) Ruschie 1. p) Apud — Wigerius *desunt* 2.

---

18) Ex Hugone S. Victor. 123. 19) E Sigeb. 918. 20) Hunc sepulturae locum noster ex Aegid. Aur. II, 41 addidisse videtur. 21) Cf. Aeg. Aur. II, 42. 22) Eadem iisdem fere verbis ad annum 859 occurrunt. 23) Catal. aep. Col. 24) Gesta ep. Mett. c. 44. 25) Gesta ep. Virdun. II, 1. 26) Gesta ep. Tull. c. 31. Cf. quoque Annal. S. Benig. 921 et 962, e quibus Gauzelinum 41 annis praesulatus munere functum esse efficias. Quo loco noster annos 44 invenerit aut qua computatione inierit haud video. Forte id, quod auctor Gest. Mett. l. c. dicit: *Wigericus* 44. *successit* in Tullensem eiusque regiminis tempus transtulit. 27) Cf. Otto Fris. VI, 18.

Item princeps quidam Rodulfus et Hugo comes Vienne Ungaros hoc anno vicerunt.

Rex Henricus quoscunque — cum multis peremit. Sigeb. 922.

Guido: Auxilio Lothariensium recuperante regnum et irruente Karolo super Robertum in planitie preiacente civitati Suessionensium et castro Sancti Medardi, non sicut imbellis, sed belli victor Robertus in bello cecidit; nam Franci victores cum eius filio[a] Hugone repulerunt et conpulerunt agmine lacerato trans Mosam fugere Karolum; prefatum vero Rodulfum ducem Burgundie[b] pro parte sua in regem Francie creaverunt[28]. 923.

At Roberto regi non in regnum, sed in ducatum successit filius eius Hugo, qui Magnus est et Cappatus a cappa Domini, quam de terra promissionis transvexisse fertur in Franciam, appellatus. Huius mater filia fuit ducis Hugonis[c] Burgundie[d], unde et heredes eius adhuc ducatum retinent[29].

Sigebertus: Karolus autem se et Franciam — gemmisque inclusam. Sigeb. 922.

Waltherus autem Senonensis archiepiscopus permittente[30] Karolo unxit predictum Rodulphum ducem Burgundie patrinum[e] ipsius Karoli in regem Francorum[f] 3. Idus Iulii. Qui Waltherus eodem anno obiit. Annal. S. Columb. 922.

Anno 923. Cum Treverensis ecclesia cum suffraganeis suis[g] fuisset hucusque sub regibus Francie[31], mediante archiepiscopo[h] Ruperto pertractata pace, reddita est regibus Alemannie[i].

Unde Sigebertus: Reges[k] Henricus et Karolus — rem confirmantibus. Sigeb. 923.

Episcopus Otto: Dum Henricus cis Renum regnaret et de Belgica cum Karolo discreparet[l], die Bonne constituta — parte Francie perdidit. Otto Fris. VI, 18.

Rodulfus rex Burgundionum — 3 annis tenuit. Sigeb. 924.

Luithprandus de Longobardis: Mortuo Adelberto Tuscorum marchione filius eius Guido cum Berta matre Liudp. Ant. II, 55.
principatum[m] tenebat. Que Berta eidem Adelberto Guidonem genuerat predictum et Lambertum et Emengardam[n], de II, 56.
qua marchio Eporegie alter Adelbertus pater iunioris Berengarii genuit Anscarium[o]. Qui Adelbertus[p] Eporegie et II, 57.
Odelricus palatii comes de Suevorum sanguine et Gislebertus predives comes et Lambertus Mediolanensis archiepiscopus
et quidam alii Berengario rebellabant. Predictum itaque Rodulfum venire et Berengarium expellere petierunt. Cui II, 60.
Rodulfo in augmentum potentie hoc accessit, ut potentissimi Suevorum ducis Buchardi filiam nomine Bertam sibi coniugio copularet. Habuerat antea uxorem aliam Emmam nomine, de qua tulit filium Ludovicum,
qui vivente patre decessit. Duo interea Ungarorum reges Dursac et Busac Veronam venerunt ad II, 61.
ferendum Berengario auxilium. Rodulphus autem nil Berengario preter Veronam dimisit. II, 64.

Sanguis Domini crucifixi — priora pateretur. Sigeb. 923.

Luithprandus: Quidam Affricanus a suis iniuriis lacessitus ad papam Iohannem Romam venit, eique quomodo Liudp. Ant. II, 49.
cum Affricanis pugnare posset consilium dedit; et idem Affricanus insidiis positis ductor christianorum factus, omnes II, 50.
Sarracenos preter illos, qui in Garelianum montem fugerant, interfecit. Landulfus Beneventorum princeps pape consuluit, II, 51.
ut auxilium peteret a Romano imperatore Constantinopolitano, cuius etiam provincias Apuliam et Calabriam
Sarraceni depopulabantur. Imperator Deum timens copias absque mora classibus advectas direxit. II, 52.

Sequitur ergo Sigebertus: Affricani, qui per munitionem — ad auxilium christianorum. Sigeb. 923.

Anno 924. Sewlfus Remensis archiepiscopus concilium tenuit in villa Troslegio. Ibi comes Ysaak satisfecit Flod. H. R. IV, 19.
episcopo Stephano Cameracensi pro castro, quod ei succenderat. In hoc concilio comes Erlebandus[q] etiam post mortem IV, 16.
fuit absolutus.

In Anglia regnat Ethelstanus annis 15, Edwardi filius de concubina, ut fertur, procreatus. Guil. Malm. 131.

Sed hoc dedecus maximis virtutibus supergressus, vix in tota Anglia fuit ullum vetustum monasterium, Helin. 924.
quod non — benignitate insigniebat. Sigeb. 924.

Rex Henricus pacem — ab eo perempti.

Guido: Heribertus Campanie comes et Veromandensis, qui filius[32] Pipini comitis, qui Bernardi, qui Pipini regis Italie, qui Karoli Magni imperatoris, ob gratiam Rodulfi Francorum regis de novo creati et Hugonis ducis, cuius sororem[33] habebat uxorem, Karolum regem sub sacramento pacis ad colloquium fraudis invitat. Ad quod venire Karolus[r] non evitat specie consanguinitatis et spe regni recuperandi delusus. Quem cum venisset, insidiis comes Heribertus exceptum et deceptum recludens Karolum, cum Rodulfum haberet amicum et eum infensum, ita per eum alternis inter regem Rodulfum et se fortune ludis illudens, quod regaliter exhiberet in publicum, custodiam tamen adhiberet, sub

a) Hugone filio 1. b) Burgundie ducem 2. c) Hug. fil. fuit duc. 2. d) qui dictus fuit Capito secundum Morandum *add.* 1. e) paternum 1. f) Francie 2. g) suis suff. 2. h) episcopo 2. i) Alamannie 2. k) rex 1. l) disceptaret 2. m) tenuit — principatum *desunt* 1. n) Emergardam 2. o) Anscharium 2. p) Adalbertus 2. q) Edelbandus 2. r) Karolus venire 2.

---

28) Cf. Flodoardi annal. ad an. 923 M. G. SS. III, 371, quos Guido secutus esse videtur.

29) Huius Hugonis filius Capetus dicitur ac mater Beatrix non ducis Burgundiae, sed Heriberti I. comitis Viromandensis filia fuit.

30) Invito Karolo Rudolfus unctus est. Noster fortasse ab Ivone Carnotensi in errorem seductus est. Qui *Robertum* inquit ep. 189, ed. Iureto pag. 330, *Carolus in regnum sublimavit*. Qua cum coniectura convenit quod Albricus Robertum *patrinum ipsius Caroli* dicit et Ivo Robertum a Carolo de sacro fonte susceptum esse narrat.

31) Cf. Gesta Trev. c. 29.

32) *Filius Heriberti, qui* addendum esse monuit Bouquet.

33) Hildebrantam.

qua post biennium[34] idem Karolus apud Peronam[35] castrum Heriberti[a] diem clausit extremum.

Sigeb. 925. Sigebertus: Berengarius rex ab Italiensibus impie perimitur.

Liudp. Ant. II, 66. Luithprandus: Dederat rex Rodulfus Waldradam sororem suam honestam matronam[b] Bonefacio comiti potentissimo
Camerinorum ac Spoletinorum[c] marchioni[d] in uxorem. Qui Bonefacius cum comite Gariardo collecta multitudine
II, 67. in auxilium venerant[e] et Berengarium fugaverant, Rodulfum exaltantes. Qui confirmatus in regno
II, 65. Papiensibus regnum commisit et Burgundiam revertitur. Episcopus autem Guido de Placentia favebat Berengario. Veronenses
II, 68. interea de morte Berengarii ceperunt tractare auctore quodam Flantberto, cuius filium rex Berengarius ex sacro
fonte susceperat et compatrem suum effecerat. Berengarius pridie quam interficeretur prudenter Flantbertum alloquitur,
II, 69. 70. monens de sua fidelitate, dans ei ciphum aureum vino plenum dicens: *Pro amore meo quod continetur*[f]
II, 71. *bibito, quod continet habeto.* Et post potum introivit in illum Sathanas. Eadem nocte rex, quasi securus non se observavit[g],
sed hora matutinali rex ecclesiam petit et laudes Domino canit. Cum armata manu Flantbertus advolat. Audiens
autem[h] rex strepitum, properatus citu[i] in occursum, a tergo ferit hunc impius rumphea, cadit heu pius felicemque
suum Deo commendat pie spiritum. De eius sanguine in quodam lapide usque in presens tempus
II, 72. 73. permanente sequitur: Quam innocentem denique sanguinem fuderint — liquore discedit[k]. Milo miles probus
regem vindicavit et tertia die Flantbertum et eius complices vitam finire suspendio coegit.

Sigeb. 925. Ungari Salardo duce Italiam pervagantes Papiam obsident et incendunt; defuncto scilicet Berengario et
Liudp. Ant. III, 2. absente Rodulfo.

III, 3. Conbusta est autem Papia anno dominice incarnationis 924, 4. Idus Martii, feria sexta, indictione 12, et plures christiani fuerunt in ea conbusti.

Anno 925. Anno regni sui 34. Berengarius rex Italie fuit occisus.

III, 7. Quo tempore mortuo Adelberto marchione Eporegie uxor eius Ermengarda per suam incontinentiam auxit sibi
III, 8. potentiam. Rex autem Rodulfus Italiam reversus aliquantis diebus regnum potenter optinuit, et archiepiscopus Mediolanensis
III, 9. 11. Lambertus erat[l] in parte eius. Sed occasione dicte Ermengardis[m] idem rex Italos offendit; et predictus
III, 12. 13. archiepiscopus de consensu omnium comitem Hugonem Arelatensem ad regnum Italie optinendum invitavit. Rodulfus
autem in Burgundia profectus ducem Buchardum socerum suum ad auxilium suum adducit.

III, 14. Buchardus Mediolanum profectus cum vidisset muros civitatis, dixit suis teutonice: *Si non fecero omnes Italienses
uno uti tantummodo*[n] *calcare informesque equas caballicare, non sum Buchardus.* Intellexit hoc quidam pannosus, qui
III, 15. verbum archiepiscopo retulit. Paulo post idem Buchardus Novariam venit, ubi absque misericordia interficitur cum suis.
III, 16. 17. Et Rodulfus fugiens in Burgundiam rediit, et Hugo per Tirrenum mare in Italiam venit. Italienses ei apud Pisam
occurrunt, ubi affuerunt et Iohannis pape nuncii, quorum hortatu Papiam pergens rex efficitur. Et[o] ab hoc anno 6 annis imperavit.

Annus iste fuit 4. annus in Francia regis Rodulfi secundum cartas Sancti Benigni Divionensis[36].

Sigeb. 925. Rex Henricus urbem — viris plene essent.

Flod. H. R. IV, 19. 20. Obiit archiepiscopus Remensis Seulfus[p], et nominatus est per electionem in archiepiscopum futurum filius
comitis Heriberti[q] Hugo, adhuc quinquennalis, cooperantibus episcopis Abbone Suessionensi et Bovone[r] Cathalaunensi,
IV, 22. dato ei vicario Odelrico episcopo Aquensi, qui a Sarracenis de sua sede expulsus Remis habitabat.

Predictus vero comes Heribertus reddidit ecclesie monasterii Dervensis[s. 37] Sanctum Desiderium[38] et confirmavit.

Sigeb. 926. Anno 926. Karolus rex Francorum — exul moritur.

Chr. S. Benig. 381. Ex libro collectaneo monasterii sancti Benigni: Qui Karolus Simplex dictus, sanctus recte — Anglorum filia susceptum.

Sigeb. 926. Exinde secundum Sigebertum: Rodulfus regnabat adhuc in Francia duobus annis.

Chr. S. Benig. 380. Qui rex Rodulfus, mortuo in Burgundia fratre suo Hugone, apud Divionem causas tenuit, presentibus Roberto comite palatii et comite Burgundie Gisleberto. Qui Gislebertus fuit pater comitis[o] Milonis. Huius Milonis erat uxor Atilia, cuius filia Retrudis fuit uxor comitis Girbaldi[39]. Horum fit memoria in Divionensi ecclesia sancti Benigni.

Sigeb. 926. Symeon Bulgar — facto federe mitigavit.

Aegid. Aur. II, 42. 41. Leodiensis episcopus Richarius fecit in ecclesia sancti Lamberti altare in honore sancte Trinitatis, et per
cartam unam, quam sigillatam reliquit, testatur quod antecessor eius domnus Stephanus episcopus cantum de Trinitate
II, 42. fecerit. Idem episcopus Richarius abbaciam sancti Petri Leodiensis a Normannis destructam reparavit in ecclesiam et
canonicos ibi posuit, ubi et sepulturam postmodum accepit.

Sigeb. 927. Anno 927. Post mortem Karoli — Ludovicus filius Karoli regis, insidiantes[t] sibi fugiens per mare transit in Angliam, mater enim eius fuerat[u] soror Ethelstani, filia regis Anglorum.

Guido ex dictis Guilelmi Malmesberiensis[v]: Ludovicus adhuc adolescens ad Anglie

---

a) Hereberti 2. b) hon. mat. *desunt* 2. c) Spoletanorum 2. d) com. pot. Cam. ac Spol. march. Bonef. 2. e) convenerat 1; *cum Liud. convenit* 2. f) tenetur 2. g) observans 2. h) *deest* 1. i) cito 2. k) discendit 1. l) fuit 2. m) Emengardis 2. n) tant. uti 2. o) *deest* 2. p) Sculphus 1; *ut* 2 *ita Flod. ipse.* q) Hereberti 2. r) Bonone 2. s) Devensis 1. t) insidiatores 1; *ut* 2 *ita Sigeb. ipse.* u) fuit 1; *cum Sigeb. convenit* 2. v) Malmesberensis 2.

[34] Anno demum 929 Karolum obiisse constat.

[35] Cf. Flod. annal. 929 M. G. SS. III, 378 et Guil. Gemmet. Hist. Norm. II, 21. Ex alio opere hunc obitus locum depromptum esse putarim.

[36] Huiusce quod allegat noster diplomatis excerptum invenitur in Chron. S. Benigni 380.

[37] Monstier-en-Der, départ. Haute-Marne, arrondissem. Vassy.

[38] Saint-Dizier, ibid.

[39] Horum genealogiam in Chron. S. Benig. frustra quaesivi. De eadem cf. ad annum 958.

regem Ethelstanum, filium Edwardi, avunculum suum, confugit. Qui rex Ethelstanus cum[a] omnes antecessores suos devotione mentis erga Deum, omnes eorum adoreas triumphorum amplitudine superaret, unum fuit, quod fame eius splendorem non parum obnubilavit. Fratrem enim suum Edwinum insidiarum insimulatum, licet se sacramento purgantem, oblitus consanguinee necessitudinis[b], expulit inaudito crudelitatis modo, ut solus cum armigero navem conscendere iuberetur, remige et remigio vacuam, preterea[c] vetustate quassatam. Diu laboravit fortuna, ut insontem terre restitueret. Sed cum tandem furorem ventorum vela non sustinerent, ille vite in talibus pertesus voluntario in aquam precipitio mortem sibi conscivit. Armiger saniori usus consilio manibus et pedibus subremigavit ad terram. Sed rex postquam ira deferbuit factum exhorruit, animose ultus in dilatorem fratris, pincernam scilicet suum, quem forte pede lapsum in triclinio effusoque poculo altero pede se recolligentem et subclamantem: *Sic frater fratrem*[d] *adiuvat,* obtruncari precepit. Propter hoc carcerem fertur subiisse spontaneum sub penitentia septenni. Guil. Malm. 131. ibid. 139.

Sigebertus: Rodulfus rex ab Italiensibus repudiatur et[e] Hugo comes Arelatensium subrogatur in regnum; tamen hoc supra ante duos annos prescriptos[f] positum est.

Sequitur Luithprandus: Quo tempore Berta matre regis[a] Hugonis mortua, Guido filius eius, quem ex Adelberto genuerat, sicut supra diximus, Tuschie marchiam[g] tenebat; qui Maroziam Romanam uxorem acceperat. Que fuit predicta Marozia, dictum est supra in anno Domini 911. Fuit autem rex Hugo — illecebris eas fedabat. Liudp. Ant. III, 18. III, 19.

Hic ex Francorum Theutonicorum genere uxorem Aldam habuit, que Lotharium ei peperit, et ex quodam nobili Wandelmoda Hubertum Tuschie principem habuit. II, 21.

Qui rex Hugo regem Alemannie Henricum sibi amicum effecit et nuncium suum Romano imperatori Constantinopolitano direxit. II, 22. 23.

Anno 928. Guido: Cum summus pontifex[40] amore antiqui progenie[h] Karoli Magni, generi regio[41] super eius expulsione de regno condolens, principibus Francie sub excommunicationis interminatione mandasset, quatinus revocato filio Karoli Ludovico ius suum restituerent et constituerent eum regem; super hoc generale colloquium inter se convocant et revocant ab Anglia Ludovicum. Quem regressum et apud Bolonie maritime portum inter amplexus[i] et oscula de navi suscipientes, egressum in ipsis littoreis harenis manibus suis manus eius ipsi se committendo subeunt[42]. 936. Flod. ann. 936.

Rex Hugo quosdam — sibi frustravit. Sigeb. 928.

Luithprandus: Isti erant duo potentes de Papia[k], Walbertus pater episcopi Petri Cumani et Gesso[l] prenomine Everardus, qui seditionem contra regem Hugonem fecerunt. Sed humili sunt a rege legatione decepti, donec Samson prepotens comes advenit, qui tale consilium dedit, per quod Walbertus capite truncatur et Gesso[l] lumine privatur. Leo tunc temporis erat episcopus Papiensis. Liudp. Ant. III, 39. III, 40. 41.

Sigebertus: Ratherius Lobiensis monachus — Verone episcopus ab Hugone constituitur, ubi Milo comes erat. Hilduino[m] Mediolani post Lambertum archiepiscopo ordinato, siquidem regi Hugoni Hilduinus idem affinitatis linea iungebatur. In presentia Iohannis pape Petrus frater eius in Lateranensi palatio interficitur. Sigeb. 928. Liudp. Ant. III, 42. III, 43.

Deinde idem papa Iohannes a militibus Guidonis marchionis capitur et in custodiam[n] trusus, sicut aiunt, cervicali super os posito, pessime strangulatur. Sigeb. 930.

Leo VI. factus papa sedit mensibus 7. Helin. 930.

Comes Heribertus Trecensis filius Pipini comitis hos habuit filios: Odonem, Heribertum et Hugonem, qui electus fuerat in archiepiscopum Remensem.

Comitatum autem Laudunensem hic Heribertus petebat dari Odoni filio suo a rege Francorum Rodulfo; sed rex concessit Rogerio filio comitis Rogerii. Flod. H. R. IV, 21.

Contra quem comes Heribertus Victoriacum[o] castrum Bosonis fratris regis Rodulphi capit et contra Herluinum comitem Monasteriolum super mare obsidet. IV, 22.

Postea Heribertus Bosoni Victoriacum castrum reddidit. Hic dicitur, quod Hugo Branam castrum super Vidulam tulit ab episcopo Rotomagensi. IV, 23.

Rex Henricus — tributum inponit. Sigeb. 928.

Obiit dux Normannie Rollo qui et Robertus et apud Rothomagum sepelitur[43], succedit ei Guilelmus filius suus[p], dictus Longa-spata.

Anno 929. Rodulfus rex Francorum capit Remim[q], expulsoque Hugone Artoldum monachum Sancti Remigii ordinari facit in archiepiscopum Remensem, cui Iohannes papa filius Marosie misit pallium. Idem rex Rodulphus castrum Theoderici[r], quod erat[s] Heriberti, obsedit. Flod. H. R. IV, 24.

Lanceam mirandi operis — donatam a Sampsone comite[t] Italie Rodulfo regi Burgundionum et Italie, rex Henricus precibus, minis et muneribus ab eodem Rodulfo extorquet, cui partem provincie Suevorum non minimam dedit; et hanc ad[u] insigne et tutamen imperii posteris reliquit. Sigeb. 929. Liudp. Ant. IV, 24. Sigeb. 929.

Erat, ut dicit Luithprandus, excepta[v] ceterarum — medium lancee extendebantur. Que media in spina — cruces habet. Liudp. Ant. IV, 24.

---

a) *deest* 2. b) necessitatis 2. c) postea 1. 2. d) fratrem frater 2. e) ut 1. f) scriptos 1. g) marchiam Tuschie 2. h) privilegii 1. 2. i) amplexum 1. k) papa 1. l) Geszlo 1. m) Hildewino 2. n) custodia 2. o) Victoriam 1. p) filius eius Guil. 2. q) Renum 2. r) Theodorici 2. s) comitis *add.* 1; *deest ut* 2 *ita historiae Rem.* t) comite Samsone 2. u) *deest* 1.

[40] Leo VII.

[41] Ethelstano regi Angliae.

[42] Haec in Flodoardi quoque hist. Rem. IV, 26 inveniuntur; quia vero noster ea Guidoni deprompsit atque Guidonem annales Flodoardi adhibuisse constat, locus annalibus adiudicandus est.

[43] Cf. Guil. Malm. §. 127.

O. Fr. VI, 18. Et hanc lanceam, ut dicit episcopus Otto, reges nostri hactenus in magna veneratione habent.

Flod. H. R. IV, 24. Hildegarius Beluacensis et Fulbertus Cameracensis ordinantur episcopi.

Helin. 966. In Anglia Anchelmus erat Cantuariensis archiepiscopus. Huius nepos ex fratre fuit iuvenis inclitus Dunstanus, in cuius cithara memorandum miraculum hoc tempore contigit, videlicet quod cum affixa esset parieti nemine tangente antiphonam istam per se ipsam: *Gaudent in celis anime sanctorum*, sensibiliter decantavit.

ibid. 933. Stephanus VII. factus papa sedit annis 2, mense 1.

Obiit rex Francorum Rodulfus senior, alter Rodulfus abhinc per 7 annos super Burgundiones regnavit.

Sigeb. 928. Anno 930. Ludovicus ab Anglia reversus in Franciam — regnavit annis 27.

Guido: Cum summus pontifex et cetera usque subeunt[a][44].

936. Apud Laudunum confirmatus est in regem Francorum Ludovicus, et, ut testatur Yvo Carnotensis episcopus in epistolis suis, in Laudunensi civitate unctus in regem Francorum 13. Kalendas Flod. H. R. IV, 26. Iulii per archiepiscopum Guilelmum Senonensem[45], sed et Artholdus Remensis archiepiscopus ibidem eundem IV, 27. Ludovicum propriis manibus coronam capiti imposuit et quendam Rodulfum ibi fecit episcopum et comitem Heribertum excommunicavit. Ibi Ludovicus rex dedit predicto Artholdo[b] monetam Remensis urbis.

Ludovicus itaque veniens ad regnum, tribulationem, ut dicit Guido, et dolorem invenit, quanto rexit tempore Franciam: nam adversus eum Hugo Magnus dux potentissimus et Roberti regis occisi filius, adiunctis sibi Normannis et quibusdam aliis principibus insurrexit. Dissensionis inter ipsos et alias causas occasio precipua fuit electio cuiusdam Hugonis in Remensem archiepiscopum, cuius etas infra metas adhuc pueritie tenebatur[46]. Qui Campanie comitis et Veromandensis Heriberti[c] filius Hugonis Magni ducis ex sorore nepos habebatur. Quam electionem quia prohibitam, irritam fecit auctoritate papali Ludovicus rex, pariter et regali.

Sigeb. 930. Wencezlaus[d] princeps — urbem regi dedit

Usque ad hec tempora regula beati Columbani tam in Francia quam in Burgundia observabatur a nigris monachis, sed sanctus Odo abbas Cluniacensis regulam beati Benedicti primus[e] in Cluniaco et in Sancto Benedicto super Ligerim fecit observari, et exinde precedente tempore cepit ubique recipi.

ibid. 931. Anno 931. Henricus rex reges Normannorum — a rebellione deterrentur.

ibid. 930. Iohannes XI. fit papa, frater Alberici Romam expulso Hugone regentis.

Liudp. Ant. III, 48. Luithprandus: Fuit iste Iohannes filius Marozie supradicte quem ex Sergio papa[e] per adulterium genuerat; III, 43. predictum vero Albericum genuerat[f] ipsa Marozia ex marchione Alberico primo marito. Non multo post igitur Guido marchio, frater regis Hugonis, maritus secundus eiusdem Marozie moritur, et Lambertus frater eiusdem III, 44. Guidonis marchio Tuscie constituitur. Mandat Marozia regi Hugoni, ut ad se veniat et Romam obtineat, et hoc ita posse fieri, si eam in coniugium sumat. Tamen, ut dictum est, maritus eiusdem Marozie, Guido nuper mortuus, fuerat[g] frater regis Hugonis de matre uterinus. Itaque in ingressu Romane urbis quedam est miri operis mireque fortitudinis munitio, ante cuius ianuam pons est super Tiberim fabricatus. Et hec est via ingrediendi et egrediendi. Munitio ipsa tante altitudinis est, ut ecclesia que in eius vertice videtur in honore summi et celestis militie principis archangeli Michaelis fabricata, dicatur ecclesia sancti Angeli usque ad celos. Per hanc munitionem rex Hugo ingressus et Marozia abusus, et ita factus securus filio Marozie Alberico tanquam vitricus palmam in faciem dedit, eo quod non moderate et prudenter III, 45. aquam ei[h] daret. Albericus concione facta ad Romanos, ab eisdem domnus eligitur, et ita[i] rex Hugo expellitur.

Sigeb. 930. Et hoc est, quod supra dicitur de papa Iohanne, quod fuerit frater Alberici Romam expulso Hugone regentis.

Helin. 934. Sedit iste papa Iohannes annis 4 et mensibus 10[k].

Liudp. Ant. III, 46. Quidam volentes excusare regis Hugonis incestum dicunt, quod Berta mater eius marchioni Adelberto nullum peperit filium, sed ab aliis mulieribus clam acceptos simulato partu Guidonem et Lambertum sibi III, 47 supposuit, ut sub eorum nomine viri sui possideret potentiam[l]. Interea rex Hugo predictum Lambertum habens[m] suspectum, ei comminando denunciat, ne se fratrem suum amplius dicere audeat. Lambertus super hoc se ipsum ad duellum optulit, et rex Hugo Teudinum iuvenem opposuit, qui Dei iudicio citissime cecidit, et Lambertus victoriam optinuit. Rex autem confusus eundem Lambertum fratrem suum tenuit et custodie tradidit, et Bosoni, qui erat frater ipsius regis ex eodem patre, marchiam Tuscie tradidit ac deinceps Lambertum lumine privavit. Super quibus indignati Lombardi in Burgundiam ad regem Rodulfum secundum mittunt ut adveniat[n]. Quod Hugo rex ut agnovit nunciis ad eundem directis — iusiurandum ne aliquando in Italiam veniret accepit. Henricum etiam regem rex Hugo amicum sibi muneribus facit.

Auct. Affl. 921. Sigebertus: Arnulfus comes Flandrie cepit castellum Sancti Vedasti.

---

a) subvenit 1. b) Archoldo 2. c) Hereberti 2. d) Wenzelaus 2. e) *deest* 2. f) predictum — genuerat *desunt* 2. g) fuit 2. h) ei aquam 2. i) *deest* 2. k) Sedit — mensibus 10 *omisit* 2, *paulo post recepit.* l) Sedit autem iste papa *etc.* 2 *hic adiecit, quum antea neglexerit.* m) habens pred. Lamb. 2. n) adveniant 1.

[44] Eadem iam ad annum 928. descripsit.

[45] Ivo in ep. 189 ed. Iuretus p. 330. Ludovicum 4. Kal. Iul. unctum esse narrat; diem 13. Kal. Iul. in alio nostri fonte invenies, Annal. S. Columb. Senon. M. G. SS. I, 105.

[46] Cf. Flod. annal. 925 M. G. SS. III, 276, quos quin Guido hoc quoque loco sequatur haud dubito.

Anno 932. Arnoldus dux Bawariorum et Carentanorum[a] Milonis comitis et Ratherii episcopi hortatu in Italiam properat, cui et rex Hugo festinus obviat. Liudp. Ant. III, 48.

Unde Sigebertus: Arnoldus dux Baioariorum — multa legentibus utilia. Sigeb. 932.

Rex Hugo filium suum Lotharium regem constituit[b], et Romam cum exercitu pergit[47]. Deinde filiam suam Aldam Lotharii germanam Alberico coniugem dat, ut eum per ipsam decipiat[48]. Liudp. Ant. IV, 2. 3.

Sarraceni de Fraxineto duce quodam Sagico veniunt Aquas, ubi tam ipse predux quam ceteri pereunt. IV, 4.

Manasses Arelatensis episcopus regis Hugonis consanguineus propriam ecclesiam deseruit et Italiam venit, cui rex Veronensem, Tridentinam et Mantuanam ecclesiam in escam dedit. Qui etiam Tridentinam marcham[c] ut miles adeptus est, et episcopatum Veronensem cuidam vendidit. IV, 6.

Berengarius iunior, Berengarii regis ex Gisla filia nepos[49], ab hoc anno secundum annotationem magistri Hugonis per annos 8 imperavit. Hugo S. Vict. 123.

De quo Luithprandus: Berengarius Eporegie civitatis marchio — audacia potentiaque clarebat. L. Ant. IV, 7.

Anno 933. Beneventani — eunuchizabant. Sigeb. 933.

Unde Luitprandus: Theobaldus heros, qui proxima — oppresserant, abiit. L. Ant. IV, 8.

Elinandus[d] ex historia Guilelmi[e]: In Anglia rex Ethelstanus cum unam ex suis sororibus[f] Sirico Nordanimbrorum regi dedisset in uxorem, eodem post annum[g] mortuo — Postremo Adalanus Sitrici filius contra regem progrediens eum imparatum offendit — conservati sunt. Haroldus autem rex quidam — aurea rostra habentem. Misit ad eundem[h] Ethelstanum — facile venum[i] patebant. Helin. 924.

Anno 934. Ungari tributum — Otto filius regis[h] Henrici uxorem ducit filiam Edwardi, sororem Ethelstani, regis Anglorum. Sigeb. 934.

Ex dictis Guilelmi: Ad regem Ethelstanum misit Henricus rex Teuthonicorum, sororem eius Ottoni filio suo expostulans; alteram eius sororem habuit Ludovicus princeps Aquitanorum de genere Karoli Magni superstes Helin. 924.

Luithprandus ita: Duxit Otto ante susceptionem regni ex Anglorum gente nobilissimam regis[h] Ethelstani fratris filiam sibi uxorem nomine Otgith, ex qua et filium genuit Liedulfum. Isti magis videtur esse credendum, quod fuerit[k] filia fratris et non soror Ethelstani[50], sicut et de matre regis Francorum Roberti, de qua postea tractabimus[51]. Liudp. Ant. IV, 16.

Anno 935. In Ianuensi urbe — in Affricam sunt reversi. IV, 5.

Rex Hugo fratrem suum Bosonem, qui ei consilio uxoris sue perfidus extiterat, cepit et custodie tradidit. Qui Boso de eadem uxore sua quatuor filias habuit: Bertam, quam habuit alter Boso comes Arelatensis[52], Willam uxorem Berengarii iunioris, Gislam et Richildam. Harum matrem, seniorem Willam, Hugo rex ab Italia eiecit, baltheo, de quo hic causa honestatis pretermittimus, turpi in loco invento. IV, 10. IV, 11.

Rex Henricus Danos — baptizari fecit. Sigeb. 935.

Rex Hugo interea contra Albericum generum suum[53] Romam graviter opprimebat. Qui etiam Anscharium sororis sue filium fratrem Berengarii marchionem in Camerino et Spoleto mortuo Theobaldo constituit. Deinde suspectum eum habens, quendam Sarlionem Burgundum cum exercitu contra eum misit. Pugna inter Sarlionem et Anscharium, in qua Wibertus antesignanus Anscharii occisus est. Alia inter eos pugna, in qua Anscharius quendam Hattonem comitem[l] per fugam hasta occidit, et ipse Anscharius de equo cadens ab hostibus occisus est. Quo mortuo — gaudio immenso afficitur. Liudp. Ant. V, 3. 4. V, 5. 7. V, 8.

Adalbero I. fit Metensis episcopus per annos 30, menses 9. Gesta ep. Mett. c. 45.

Anno 936. Leo VII. fit papa annis 3, mensibus 6, diebus 10. Helin. 936.

Luithprandus: Burgundionum preterea rex Rodulfus mortem obiit, cuius viduam nomine Bertam rex Hugo — coniugem tulit. Predictus tamen rex Hugo eandem uxorem suam ob concubinas odio habebat, quod Deus postea iuste punivit in eodem. Habuit autem concubinam nomine Bezolam, de qua genuit Bosonem episcopum Placentinum, secundam Razam filiam Walberti Papiensis[54], que ei pulchram peperit filiam, tertiam Stephaniam, de qua natus est Theobaldus Mediolanensis archidiaconus. L. Ant. IV, 12. IV, 13.

Sigebertus: Inger rex Russorum — captivos decollari iussit. Sigeb. 935.

Anno gratie 937. Hoc anno prodigia — loco coniunctionis notabat. ibid. 937.

Luithprandus: Eo in tempore rex Henricus — venerabilis eius coniux regnique consors ex eadem gente nomine Mathildis — Deo hostiam offerre non desinit. Que fuerit ista Mathildis vel quis dux Theodericus pater eius, dictum est supra in anno 921. Hec habuit filios tres, Ottonem, Henricum et Brunonem et filias duas Gerbergam et Hawidem, que facte sunt in gentem magnam. Liudp. Ant. IV, 14.

Guido: Henricus Germanorum rex cum subegisset in bello Sarmatas et Ungaros, cesis eorum 36000, refugere coegisset a suis finibus viteque tempora peregisset, Ottoni filio suo regnum reliquit.

Sigebertus: Qui rex Henricus licet in vincendis inimicis gloriosus fuerit, quia tamen nimis pacificus — benedictionem imperialem non accepit. Sigeb. 937.

Episcopus Otto: Oblatam quippe sibi a summo pontifice dignitatem renuisse perhibetur[m]. Tandem mortuus est, dum ad optinendum imperium Romam tendere disponeret. Filius eius Otto I. coronatus est in palatio Aquis a Hildeberto archiepiscopo Moguntino et regnavit annis 36. Otto Fris. VI, 17. 18. VI, 19. Sigeb. 937.

Guido: Qui subiectis Romanis dyadema corone reiunxit[n] imperiale regali, et ita ter a patre transit in filium idem nomen, regnum et imperium.

---

a) Carentinorum 2. b) const. reg. 2. c) marchiam 2. d) Elimandus 2. e) Wilhelmi 2. f) sororibus suis 2. g) anno 1. h) *deest* 2. i) nemī 2. k) fuit 2. l) com. Hatt. 2. m) prohibetur 1. n) coniunxit 2.

47) Sunt verba inscriptionis, capiti praemissae. 48) *ut — decipiat* item ex capitis inscriptione noster deprompsit. 49) Cf. Liudpr. Ant. II, 56. V, 4. 50) Attamen eam sororem regis fuisse constat. 51) Ad annum 987. 52) Haec ex Ant. V, 31, ubi Berta neptis Hugonis regis, Bosonis Arelatensis comitis vidua dicitur, Albricus addidit. 53) Cf. Ant. III, 3. 54) Cf. Ant. III, 39.

Otto Fris. VI, 17. **Episcopus Otto**: Ex hinc ergo quidam post Francorum regnum supputant Theutonicorum. Unde hunc Ottonem in decretis — beatitudinis statum nos mittunt.

Sigeb. 937. **Sigebertus**: Obiit sanctus Odo primus abbas Cluniacensis, succedit ei Ademarus, qui et Sinardus inscribitur.

Helin. 966. In Anglia Dunstanus presbyter ordinatur ab Elfego episcopo Wintonensi[a].

Sigeb. 938. Anno 938. Contra Ottonem regem rebellant — Gallias vastant.

Hic annotanda est translatio sancti Agili Resbacensis[55], cuius textus talis est in parte: Sub Ludovico Karoli Simplicis filio, Ungaris Franciam depopulantibus, omnia circumquaque ferro, flamme et incendio submittebant. Resbacensis ecclesie fratres imminentis exitii finem metuentes corpus beatissimi Agili et eius baiuli Brandolini secum tutos fuge comites asportarunt et se cum ipsis reliquiis in quandam villam Marcilliacum[56] nomine, habentem beati Georgii ecclesiam, in primo Normannie confinio sitam transtulerunt. Quo in loco Dominus per sanctorum pignora suo sepissime populo dignatus est ostendere. Francorum autem imperio reparato et revocatis viribus in rigorem reparantur munimina civitatum, restaurantur ecclesie muneribus erogatis, reparatur Respacensis abbacia, dolent tamen fratres omnes adunati beati Agili se carere presentia. Fuit autem in predicta villa Marciliaco[b] corpus beati Agili per annos circiter 260, qua occasione vero et quo ingeni ad suum tandem fuerit reportatum[c] cenobium, habetur infra in anno Domini 1197[57].

ibid 938. **Sigebertus**: Princeps Boemie Wencezlaus[d] — per annos 14 protracta[e] est.

Chr. S. Benig. 381. Anno 939. Quod autem in Francia Ludovicus rex a Theobaldo Carnotensi comite fuerit captus, in collectaneo Sancti Benigni invenitur.

Flod. H. R. IV, 28. Et in aliis annalibus habetur[57*], quod tumultu principum exorto per Hugonem et Heribertum et ducem Guilelmum Remensis archiepiscopus Artholdus eiicitur post annos 8[f] et menses 7, et Hugo restituitur. Expletis enim annis 15 ab electione sua Hugo per Suessionensem episcopum Guidonem presbyter ordinatur, quibus annis occupatus erat litteris apud alterum Guidonem episcopum Antisiodorensem.

Sigeb 939. Everardus et Gislebertus — graviter ceduntur. Rex Otto construit — et scriptis reclamabat.

Chr. S. Benig 381. Apud Lingonas mortuo Gotselino episcopo succedit Lethericus, deinde Aericus, Achardus[g], Widricus, qui per annos 40 circiter ecclesie prefuerunt.

Apud Stabulaus prefuit Raginerus comes et abbas, deinde Everardus comes et abbas.

O. Fr. VI, 19. Anno 940. Otto imperator Belgas, id est Lotharienses, transitum Reni consilio Gisleberti ducis prohibere Sigeb. 940. nitentes, in fugam vertit[h] ac tota terra ferro flammaque vastata, in Lothoringiam usque ad Capre Montem iuxta O. Fr. VI, 19. Leodium venit et ipsum castrum obsidione cinxit.

Sigeb. 940. In Italia Berengarius iunior, Berengarii senioris ex filia nepos, timens regem Hugonem se persequentem, pro eo quod contra eum regnum Italie affectaret[i] et quandam partem iam teneret, ad Hermannum fugit Suevorum ducem et per eum ad regem Ottonem.

Liudp. Ant. V, 11. **Dicit Luithprandus** quod rex Hugo Berengarium excecare voluit, sed non potuit, quia Lotharius Hugonis[k] V, 13 filius, non sibi precavens, hoc Berengario nunciavit et ita Berengarius cum uxore fugit. Rex Hugo nuncios suos regi Ottoni dirigit, pollicens pecuniam, si Berengarium non recipiat, quod omnino impetrare non valuit, sed rex Otto reman- V, 14. davit Hugoni se potius velle dare pecuniam, ut fieret reconciliatio Berengarii. Romanus interea Grecorum imperator Hugonem rogat, ut filiam suam det coniugem suo ex filia[l][58] nepoti filio Constantini. Rex Hugo directis nunciis respondit, non se habere filiam ex legitimo coniugio natam, sed si vellet, ex concubina posset habere forma egregiam. Greci autem in nobilitate non querunt que mater, sed quis pater fuerit, et idcirco imperator hiis verbis libenter annuit.

Helin. 940. In Anglia Edmundus frater Ethelstani hoc anno mortui annorum 18 regnavit annis 6 et dimidio. Hic Glastoniensem ecclesiam — eidem ecclesie dedit. Ista Glastoniensis ecclesia vocatur vulgariter Glastenberia et dicitur esse sita in insula Avalonis Bathoniensis[m] dyocesis, et in hac factus est abbas sanctus[n] Dunstanus, ex eodem loco natus, sicut habetur in Vita ipsius[59].

ibid. 939. Stephanus VIII. Rome papa ordinatus sedit annis 3, mensibus 4, diebus 15.

Huius diebus sol[o] obscuratus est.

Flod. H. R. IV, 29. Qui papa Hugoni iam Remis consecrato pallium misit.

Otto Fris. VI, 19. Anno 941. Ludovicus rex, Karoli Simplicis filius, Belgicam quam pater suus perdiderat contra Ottonem recipere gestiens, Alsatiam ingreditur.

Sigeb. 941. **Unde Sigebertus**: Ludovicus rex — Everardi[p] et Gisleberti.

---

a) Wiconensi 2. b) Marcelliaco 2. c) reparatum 1. d) Wenzelaus 2. e) facta 2. f) *deest* 2. g) Archardus 2. h) convertit 2. i) affectaverat 2. k) *deest* 1. l) filio 2. m) Bothoniensis 2. n) *deest* 2. o) *deest* 1. p) Everrardi 1.

55) Rebais, départ. Seine-et Marne, arrond. Coulommiers. 56) Marcilly-sur-Eure, départ. Eure, arrond. Evreux. 57) Auctores A. SS. Aug. VI, 570 Rebaci festum *translationis* annuatim celebratum esse docuerunt; sed quum de translatione, de qua noster agit, nihil compertum habuerint, Mabillonio duce legendum esse *elevatio* coniecerunt. Quod quam perversum fuerit, ex Translationis fragmentis penes Albricum asservatis iamiam intellexisti. 57*) De hoc loco supra pag. 664 disserui. 58) *ex filia* ex Ant. V, 20 addidit noster. 59) Auctor quum omnia, quae de Dunstano retulit, in Helinandi chronico repererit, aliisque locis quam manifestissime Helinandi chronicon, non Dunstani vitam prae oculis habuerit, haud dubito quin hic quoque Helinandum 966 secutus sit.

Rex Hugo contra Fraxinetum pugnaturus, nuncios suos Constantinopolim dirigit propter naves et Grecum ignem. L. Ant. V, 9.
Imperator naves continuo[a] cum Greco igne preparavit et munera maxima misit. V, 14.

Unde Sigebertus: Rex Hugo misso sibi — inde eos fugat. Sigeb. 941.

Circa hoc tempus defunctus est comes Heribertus Trecensis, pater Hugonis, Odonis, 943.
Heriberti. Sororem autem istorum[b] habuit in uxorem Arnulfus Flandrie comes, et eorum amitam habuit Wido[c] Flod. H. R. IV, 33.
frater Hermanni Suevorum ducis. Sepultus est comes Heribertus in abbatia Walciodorensi[60]
iuxta Dinantum[61], quam ipse fundavit. Et in Hasteriis[62], que iam erat fundata, monachos
posuit et dominium earum dedit episcopo Metensi, et hoc duravit usque ad[d] annum
Domini 1231.[63], quando episcopus Hugo Leodiensis fecit commutationem cum episcopo
Metensi de Sancto Trudone, procurante domno Conrado cardinali Romano. Et rex Ludovicus IV, 30.
predicti Heriberti comitis defuncti filium Hugonem recepit in archiepiscopum Remensem, mediantibus Ottone qui
post fuit dux Lothariensium et episcopo Alberone Metensium. Et deinde ceteri filii Heriberti recipiuntur a rege.

Tangmarus[e] frater Ottonis — confossus periit. De isto nullam mentionem facit Luithprandus. Sigeb. 941.

In occisione Radulfi[f] Cameracensis multe strages et occisiones facte sunt. 943.

Unde Guido: Inter Radulfum Cameracensem comitem, qui Vermandensem invaserat comitatum et comitis Heriberti[g] iam defuncti filios, armorum Francie tota fere mutuo sibi[h] concurrente superbia, non debiliter sed flebiliter decertatur. In quo certamine grandi tam peditum strage quam equitum gravi facta cede, nobilium militie fulmen, hostium terror cecidit idem[i] comes Radulfus, cum multo partis utriusque dolore, regis precipue Ludovici[64], cuius nepos fuerat ex sorore.

Anno 942. Gislebertus dux et Everardus — cum patribus hereditare. Sigeb. 942.

Luithprandus: Rex Hugo Fraxinetum ingressus Sarracenos omnes in montem Maurum fugere conpulit, quos L. Ant. V, 16.
circumsedendo capere potuisset, sed sinistro usus consilio Grecos ad propria remisit et cum Sarracenis ita fedus iniit, V, 17.
ut in montibus, qui Sueviam atque Italiam dividunt, starent et transitum Berengario prohiberent. Et hac occasione predicti
Sarraceni multos ex christiano populo peregrinos orationis gratia Romam tendentes ibi interfecerunt. Rex Hugo V, 20.
interea Bertam filiam suam ex Bezola, sororem scilicet episcopi Bozonis Placentini[65], per Sigifridum Parmensem
episcopum Constantinopolim dirigit, que data est parvulo Romano Constantini Porphirogeniti et Helene filie
magni Romani filio, et hanc Greci mutato nomine Eudoxiam dixerunt. Idem rex Hugo hoc tempore, datis decem nummorum V, 19.
modiis pacem cum Ungaris fecit, quos ab Italia acceptis obsidibus expulit atque in Hispaniam dato eis preduce
direxit, sed eodem preduce occiso ad Hispanias non pervenerunt. Quidam interea miles Berengarii socius, Amedeus[k], V, 18.
mutato diversis modis habitu Italiam occulte intravit, principes convenit, et quid de Berengario in corde haberent, didicit
et per quedam invia rediit.

Anno 943. Otto rex obsedit Brisagam oppidum Alsatie, quod Ludovicus rex per milites Everardi et Gisleberti Sigeb. 943.
tenebat.

Hoc castellum Brisag Renus in modum insule cingit et naturalis ipsa loci asperitas munit. L. Ant. IV, 26.

Sequitur: In qua obsidione — rex imperterritus manet. Interim fideles regis, Udo frater Hermanni Suevorum Sigeb. 943.
ducis et Conrardus Sapiens, quanquam Everardo affinitatis linea iungeretur[66], Everardum et Gislebertum
predando regno secure intentos, iuxta Renum prope Andernacum[l] [67] inopinate aggressi, acerrime debellant — cum
ipso gratulantur.

Luithprandus: Uxorem Gisleberti Gerbergam[68], que erat in castro Capremontis, non solum ingeniis Liudp. Ant. IV, 33.
hominum, verum natura ipsa munito, Henricus frater suus adiit et castrum regis iram declinando ingredi voluit.
Quod Gerberga sapienter prohibuit, et ille alias divertit. Berthaldus[m] Bawariorum dux, frater Arnoldi ducis, regis IV, 30.
Ottonis favebat partibus. Cui rex obtulit, ut vel eandem Gerbergam duceret uxorem vel eius filiam ex[n] Gisleberto
genitam. Bertoldus elegit filiam nondum nubilem potius expectare, quam matrem que iam nupserat tollere.

Sigebertus: Dictam ergo Gerbergam[o] sororem scilicet Ottonis imperatoris Ludovicus rex Francorum duxit in uxorem.

Unde Guido: Rex Ludovicus, ut illatas sibi ducis Hugonis propulsaret iniurias, imperatoris 939.
Ottonis sororem Gerbergam duxit in uxorem. Quod Hugo dux intuens et metuens ex huius imminere coniugii coniunctione periculum, ut quasi clavo clavum retunderet et dimidiaret sibi gratiam, quam Ludovicus apud Ottonem fuerat assecutus, alteram eius sororem matrimonio sibi copulat, Hadewidem[p] [69].

---

a) continuo naves 2. b) Adelam *add.* 1 *in marg.* c) Udo 1, *sed ut* 2, *ita Flod. ipse.* d) in 2. e) Tagmarus 2. f) Rodulfi 1. g) Hereberti 2. h) se 2. i) id est 1. k) Amedius 2. l) Andrenacum 1. m) Bertholdus 2. n) *deest* 1. o) nomine *add.* 1. p) Hadwidem 2.

60) Waussore. 61) Apud Sanctum Quintum a filiis eum sepultum esse, narrat Flodoardus in Annal. ad annum 943. M. G. SS. III, 389. 62) Hastière. 63) Potius 1227, sub quo anno quum Aegid. Aur. III, 125 et Rein. Leod. M. G. SS. XVI, 680 rem narrant, tum Albricus ipse, de singulis optime instructus. 64) Cf. Flod. Annal. ad annum 943. l. c. 65) Cf. Liut. Ant. IV, 13. 66) Verbis inde a *Sapiens* usque ad *iungeretur*, ex Ant. IV, 22 depromptis, noster Sigeberti textum ampliavit. 67) Cf. Ant. IV, 28. 68) *Uxorem Gisleberti Gerbergam* haec verba sunt adhuc Sigeberti, cuius in opere describendo pergere voluit. Consilio vero mutato aliqua ex Ant. intercalare sibi placuit, postea ad Sigebertum rediturus. 69) Quum Hugonem uno anno, antequam Ludovico Gerberga nupsit, Hadwidem in matrimonium duxisse constet, argumentatio Guidonis quam vana sit nemo non videt.

938. Quibus ex sororibus tam Germanorum imperialis, quam Francie simul et Anglie postea regalis origo processit.

Sigeb. 943. Ducatum vero ducis Gisleberti dedit rex Otto cuidam fideli suo Ottoni. Ademarus sive[a] Eunardus abbas Cluniacensis substituit[b] sibi abbatem[c] Maiolum.

ibid. 944. Anno 944. Apud Constantinopolim Stephanus et Constantinus — philosophabantur transmittunt.

Otto dux Lothariensium post annum obiit; Conrardus Wormacensis[70], gener regis[d] Ottonis, ei succedit.

L. Ant. V, 1. Dux Suevorum Hermannus filiam suam unicam nomine Idam[71] filio parvulo Ottonis imperatoris Ludulpho[d] dedit.

Sigeb. 944. Hoc in tempore[72] sol horribilem passus est eclipsim — bello superatus est.

L. Ant. V, 2. Sed et[d] in Italia octo continuis diebus cometa mire magnitudinis apparuit, nimie proceritatis igneo ex se radios
Sigeb. 944. fundens, portendens famem que secuta est[73].

Rex Otto corpus — transfert.

Helin. 944. Marinus[e] II. sedit Rome annis 3, mensibus 6, diebus 14. Ad hunc sanctus Uldalricus — factum est.

Sigeb. 945. Anno 945. Otto imperator totam — fratre ducis Friderici.

Liudp. Ant. IV, 31. Moguntinus autem Fredericus archiepiscopus Metis venerat, volens ibi cum Henrico fratre regis exercitum congregare.

IV, 32. Qui archiepiscopus fugiens imperatorem et veniens Moguntiam a civibus suis urbe excluditur[74]. Unde factum est — dignitati pristine restitutus.

Hic archiepiscopus Fredericus claustrum sancti Petri Moguntie construxit.

Otto Fris. VI, 19. Episcopus Otto: Rex vero Otto Belgicam id est Lotharingiam ingressus, totam in deditionem accepit, et exhinc provincia illa a regibus Theutonicorum possidetur.

Sigeb. 946. Henricus autem frater imperatoris — custodia includitur.

Liudp. Ant. IV, 34 Luithprandus: Apud palatium Ingliheim iussus est custodiri, quoad[f] quid de eo facere deberet, rex sopita ira consilio sapientium diffiniret.

Sigeb. 945. Stephanus et Constantinus imperatores Constantinopolitani videntes post patris sui depulsionem Constantinum fratrem suum filium Leonis imperatoris ab omnibus sibi preferri, et se iam vix in secundis haberi cum deliberarent, hoc[d] quod de patre fecerant, etiam de Constantino facere, publicato eorum consilio per quendam nomine Diabolinum incentorem huius consilii, cum ad convivium ex condicto consedissent et de prioratu sedendi inter se consulto decertarent, dato signo a viris Constantini, percusso scilicet clypeo, ambo fratres solio deturbantur et tonsis capitibus ad idem monasterium, ad quod patrem transmiserant, et ipsi ad philosophandum cum monachis transmittuntur. Ita evacuato palatio — imperavit annis 15.

Sequitur de ironica patris susceptione et locutione, quando filii ad monasterium
Liudp. Ant. IV, 23. venerunt: *Festivum*, inquit, *tempus quod humilitatem nostram imperium vestrum visitare coegit. Caritas puto, que me de palatio expulit, filiationem vestram*[g] *non ibi diu permanere permisit.* Ad hec illi terram pudibundo contuentes lumine, quam inviti monasterium peterent, non est percunctari necesse. Expansis autem manibus ad altare Romanus oravit
IV, 24. 25. et egit gratias[h] Deo pro filiis. Interea predicti fratres Stephanus et Constantinus custodia iugi observantur, patre ea que acciderant equanimiter perferente.

Sigeb. 945. Barbaros intestini belli occasione undique irruentes Gero comes fortiter ac frequenter[i] debellat. Iste[k] Gero est comes Gerinus, qui vixit, ut postea compertum est, plus quam annis 300[75].

Helin. 943. Dux Normannie Guilelmus est occisus hoc anno.

De quo sic ait Guido: Regnante Ludovico filius Roberti Rollonis primi Normannorum ducis et ipse dux, Guilelmus, ab Arnulfo Flandrensi comite filio Balduini Calvi, de quo
Guil. Malm. 145. prediximus, ad colloquium evocatus, cum post amplexus et oscula pacifice fuisset utrimque discessum, revocatus a quibusdam proditoribus lacrimabiliter periit, eorum gladiis obtruncatus[76].

Helin. 943. Elinandus ex dictis Guilelmi: Ab Alzone cognomento Curto fuit occisus. Clavis ad eius cingulum — Huius filius fuit primus Richardus dux potentissimus.

Apud Leodium iuxta cartam Gemblacensem Hugo fuit episcopus per annos 2 et dimidium[77].

Per reginam Francie Gerbergam, que multa contulit ecclesie beati Remigii Remensi[l], regula beati Benedicti ibi[d] cepit hoc anno observari, ubi iam dudum defecerat; et hoc factum est per archiepiscopum Hugonem et abbatem Sancti Benedicti Erkenbaldum[m], et abbas ibi positus est nomine Hingmarus[78].

a) seu 2. b) sustinuit 1. c) sanctum *add.* 2. d) *deest* 2. e) Martinus 2. f) donec 1, *cum* 2 *convenit Liudp.* g) nostram 1. h) gratias egit 2. i) *deest* 1. k) ipse 2. l) Rem. beati Rem. 2. m) et Kenbaldum 1.

---

[70] *Wormaciensis* addidit noster ex Ottonis Fris. lib. VI. cap. 20. [71] *nomine Idam* e capitis inscriptione deprompsit. [72] *Hoc in tempore]* Haec verba etiam Liudprandi sunt, cf. V, 2. [73] Verba: *portendens — est* e Sigeb. 944 addita sunt. [74] Verba: *a civibus excluditur* cum Sigeberto ad annum 946. conveniunt. [75] Cf. annum 805. [76] Cf. Guill. Gemmet. IV, 11. 12. [77] Cf. Aeg. Aur. II, 43. [78] Quae ad hunc locum Bouquet affert ea nos repetere iuvat: *In veteri codice Remigiano legitur: Anno ab incarnatione Domini* 945. *regula sancti Benedicti, quae dudum defecerat, restituta est in monasterio sancti Remigii, iubente Hugone Heriberti filio, cum consilio Erchamboldi abbatis Sancti Benedicti, ordinato ibi Hincmaro Sancti Remigii monacho.* Cf. quae de hoc loco supra pag. 664. 665. dixi.

Anno 946. Rex Otto Burgundiam sibi subiugat. Qui etiam multos — capit aut occidit. Mortuo interea Berthaldo[a] — reprimit a rebellione. Sigeb. 945. ibid 946.

Rex Ludovicus et Artholdus et comes de Retest[79] Bernardus et Theodericus nepos eius civitatem Remensem obsederant. Regi Ludovico Francorum, mortuo ut supra[80] dictum est nepote suo comite Radulfo Cameracense et duce Normannie Guilelmo[b], Hugo dux Magnus, qui et comes Parisiensis, nimis[c] adversabatur. Qui Hugo filius Roberti fuit regni invasoris, in bello Suessonico a Karolo patre istius Ludovici perempti. Flod. H. R. IV, 31.

Rex ergo Ludovicus a ducibus suis — Rothomagi moritur. Sigeb. 948.

Elinandus ex relatione Guilelmi: In Anglia rex[d] Edmundus a latrone quodam nomine Leof[e] ad convivium ascito in festo sancti Augustini Cantuariensis sica occiditur. Previderat hunc regis finem — in Glastoniensi ecclesia. Helin. 940.

Cui successit frater eius Ethredus, tertius ex filiis[f] Edwardi, qui 9 annis et dimidio regnavit. ibid. 946.

Bononi episcopo Cathalaunensi succedit Gibuinus; sed[g] quis vel unde fuerit iste Gibuinus, invenies in anno 958[h].

Luithprandus: Berengarius igitur desideratus iam advenerat in[i] Italiam, ita quod Manasses Tridentine, Veronensis atque Mantuane sedis invasor, de quo supra diximus, eius promissionibus illectus, munitionem vocabulo Formicariam ei concessit et Italos omnes in eius auxilium invitavit. Primus ergo Milo prepotens comes Hugonem deseruit et Berengarium in Verona suscepit. Quem sequitur Guido Mutinensis episcopus propter abbaciam quam tunc acquisivit Nonantulam animatus; et hic episcopus multorum multitudinem secum adduxit. Et rex Hugo castrum Vineolam[k] oppugnavit. Berengarius ab archiepiscopo[l] Harderico accitus Mediolanum concitus venit[m]. Rex igitur Hugo filium suum Mediolanum mittit ad misericordiam omnium Italorum. Liudp. Ant. V, 26. V, 27. V, 28.

Anno 947. Berengarium, ut dictum est, a Suevia in Italiam reversum — unde venerat, reversurus. Sigeb. 947.

Ioseph[n] interea vir bonus propter morum probitatem ab episcopatu Brixiano a Berengario depulsus est et quidam Antonius substitutus. Waldonem Cumis ordinavit, Adhelhardum[o] Regensi[p] ecclesie prefecit. Bosonem Placentinum et Luithfredum episcopos expellere cogitavit, sed intercedente pretio dimisit. Horum scriptor factus est Berengarii cancellarius. Rex igitur Hugo, relicto Lothario et simulata pace Berengarii fidei tradito, in[q] Provinciam omni cum pecunia properavit[r]. Quo audito Raymundus Aquitanorum princeps eum[s] adiit et ei pro minis mille se in militem dedit. Et rex Hugo in brevi viam universe carnis ingressus, Berte nepti sue Bosonis[t] Arelatensis comitis vidue pecunias dereliquit, quam memoratus Raymundus sibi coniugio copulavit. L. Ant. V, 29. V, 30. V, 31.

Rex Otto per Gerbergam reginam sororem suam imploratus, cum rege Conrado Cisalpino[81] et cum legionibus 32 Franciam ad liberandum Ludovicum aggreditur — Ludovico reddidit. Sigeb. 949.

Annotatio: Remis itaque pulso secunda vice Hugone Artholdus archiepiscopus iterum intronizatur. Flod. H. R. IV, 33.

Anno 948. Agapitus qui et Benedictus papa sedit Rome annis 10, mensibus 6, diebus 10. Helin. 946.

Rege Hugone — per Italiam tirannizat. Sigeb. 948.

Duobus annis imperasse annotatur iste[u] Lotharius Hugonis filius. Helin. 947.

Dux Bawarie Henricus — manubiis redit. Immunitas nostre scilicet Gemblacensis ecclesie, dicit Sigebertus, hoc anno — corroboratur. Sigeb. 948.

Farabertus abbas Prumiensis fit episcopus Leodiensis. Aeg. Aur. II, 44.

Otto imperator dedit abbatiam sancti Gaugerici Cameracensis Fuberto episcopo.

Sigebertus: Rege Ottone secundam — manus ei dedit. Sigeb. 950

Anno 949. Taxis rex Ungarorum in Italiam veniens 10 modios nummorum a Berengario pro reditu accepit. ibid. 949.

Luithprandus: Non ex propria Berengarii pecunia, sed ex ecclesiarum et pauperum collectione. Quo tempore Willa uxor eius passa est crimen incesti, de quo nobis melius est silere quam loqui. Constantinopolis autem imperator Constantinus Porphirogenitus nuncium Berengario dirigit, religiosam habens sollicitudinem pro Lothario, cuius soror erat nurus[v] eius, uxor Romani filii sui, et Berengarii nuncium se velle videre affirmans. Berengarius mira calliditate Luithprandum Constantinopolim dirigit, cui tamen nichil dedit. Luithprandus Kalendas Augusti Papia exiens per Padum triduo navigando Venetiam venit, inde cum Luithfredo nuncio imperatoris Ottonis ab 8. Kalendas Septembris usque 15. Kalendas Octobris de Venetia per mare Constantinopolim venit. Sequitur de admirabili domo, que dicitur Magnaura, quasi magna aura, palatio contigua, quam imperator ob nunciorum adventum parari iussit. Erea quedam arbor sed deaurata ante imperatoris oculos stabat, cuius ramos diversi generis deaurate volucres[w] replebant — Imperatoris vero solium — immense magnitudinis leones deaurati quasi custodiebant et per artem qua aves cantabant leones isti rugitum emittebant. Luithprandus tertio imperatorem pronus adorans, caput sustulit et quem prius moderata mensura a terra elevatum sedere vidit, mox indutum aliis vestibus penes domus laquearia sedere prospexit, eo subvectum ingenio quo torcularium arbores subvehuntur. Per logothetam igitur de vita et sospitate Berengarii nuncium percunctatum in datum remisit hospitium. Liudp. Ant. V, 33. 32. VI, 2. VI, 3. VI, 4. VI, 5.

Sequenti die imperator nuncios ad mensam invitavit. VI, 7.

Anno 950. Constantinopoli in nativitate Domini in domo que dicitur Decaninia[x] 19 mense ante imperatorem apponuntur, in quibus imperator et convive – recumbendo epulantur; quibus in diebus — tantum aureis ministratur. Post cibum, ut scribit Luithprandus, ante imperatorem tribus aureis sunt poma delata, que vasa ob immensum pondus non hominum manibus, sed vehiculis purpura tectis sunt allata. Per foramina autem laquearis tres funes pellibus deauratis tecti cum anulis aureis deponuntur, qui ansis huius scutilis imponuntur, et adiuvantibus inferius quatuor hominibus per vertibile, quod supra laquearium est, poma in mensam vehuntur. VI, 8.

a) Bertholdo 2. b) Guilhelmo Norm. 2. c) minis 1. d) In — rex *desunt* 2. e) Leaf 2. f) regis *add.* 1, *deest et* 2 *et Helinando ipsi*. g) *deest* 2. h) 918. 2. i) venerat in 2. k) Viveolam 2. l) episcopo 2. m) advenit 2. n) Iosep 1. o) Ahelhardum 2. p) regem si 2. q) *deest* 2. r) preparavit 2. s) ad eum 2. t) Bosoni 1. u) *deest* 2. v) nurus erat soror 2. w) volucres deaurate 2. x) Decannia 2.

79) Réthel. 80) Cf. annum 943. 81) *per Gerbergam* etc. addita sunt e Flod. H. R. IV, 32.

Liudp Ant. VI, 9. Sequitur de admirabili ludo ad mensam[a] facto: Quidam veniens ante imperatorem in fronte sine manuum adminiculis gerebat lignum 24 pedum longitudinis, quod cubito a summitate inferius bicubitum transversum in fronte habuerat. Adducti sunt duo pueri nudi cum succinctoriis, qui per lignum ascendentes ita servaverunt immobile, ac si radicitus terre esset affixum, et quoquo modo quo adusque luserant lignum per quod ascenderant gubernabant. Denique post unius descensum[b], alter remansit eodemque[c] solus lusit, qui in ligni summitate remanens ita se equaliter ponderavit, ut et luserit ac sanus descenderit. Questio, quid admirabilius, puer, qui se adeo moderate rexit, ut immobile esset lignum, an is qui in fronte tanto argumento se tenuerat, ut puerorum nec pondus, nec ludus eum vel modicum flecteret.

Otto Fris. VI, 19. Episcopus Otto: Quo tempore in Alemannia dyocesi Moguntina apud Ingliheim sinodus — in presentia amborum regum Ottonis Alemannie et Ludovici Francie celebratur.

Flod. H. R. IV, 35. Ibi facta est discussio de duobus archiepiscopis Remensium, Hugone scilicet[d] et Artoldo.

IV, 37. Sequitur excommunicatio Hugonis Magni.

Hucusque Flohardus Remensem historiam deduxit.

Sigeb 950. Anno 951. Per loca Gallie — fideliter subicitur.

ibid 951. Rex Otto filium suum[e] Liedulfum natum ex filia[f] regis Anglorum testamento post se[g] regem designat.

Comes Raynaldus castrum de Roceio[82] firmavit in parte Ludovici contra Hugonem.

Dein de[*] annis, quibus Berengarius secundo cum filio[g] Adalberto, secundum magistrum Hugonem[83] imperavit, iste est annus secundus.

ibid. 952. Anno 952. Liedulfus filius — inclusum obsidet[h].

ibid 953. Anno 953. Bellum fuit super Mosam inter Conrardum ducem Lotharingie et Raginerum Hainoniensem comitem. Mortuo Wichfrido Coloniensium archiepiscopatum suscepit vir gloriosus Bruno — Huius studio translata[i] sunt a Roma Coloniam corpora sanctorum Elifii, Patrocli, Privati, Gregorii cum baculo sancti Petri. De isto baculo sancti Petri habetur plena narratio, quod per eundem beatus[g] Maternus fuerit resuscitatus ac processu temporis de Treveri Metis translatus et in magna veneratione habitus. Per istum tandem Brunonem de Metis fuit Coloniam translatus; deinde ut habetur in sequentibus[84] Warinus Coloniensis archiepiscopus partem eiusdem baculi Ecberto[k] Treverensi episcopo reddidit.

ibid 954. Anno 954. Ratherius bis — post Farabertum.

Sigebertus: Immunitas nostre Gemblacensis ecclesie — pontificii eius.

Otto Fris. VI, 19. Episcopus Otto: Verum Otto rex post multos triumphos Italiam quoque — regno adicere parat. Hec eo tempore a Berengario tiranno multipliciter premebatur; a quo et Adelheida[l] Lotharii imperatoris antecessoris sui vidua, regis Rodulphi filia[85], in[m] captivitate tenebatur. Rex ergo — ibidem reliquit.

Sigeb. 954. Hunc locum Sigebertus ita tangit: Rex Otto — Papiam accipit.

Flod. Annal. 954. Obiit rex Francorum Ludovicus, de quo ait Guido: Rex Ludovicus, Remis a Lauduno descendens, dum secus littora fluminis Axone cum iunioribus e suis, visum de prope lupum, ut animal insectatur invisum, equo currente sub ipso, moxque ruente cum ipso, graviter attritus, militari Remis in feretro devehitur ibique defungitur et apud Sanctum Remigium sepelitur. Uxor quoque eius regina Gerberga sepulta est postmodum in eadem ecclesia, ubi multa bona de suis contulit, videlicet[n] prioriam de Condes Lingonensis dyocesis[o], prioriam de Martia dyocesis Leodiensis iuxta Traiectum et multas alias per diversa loca.

Helin. 946. Eodem anno mortuus est etiam in Anglia rex Ethredus, cuius egrotantis nuncio sanctus Dunstanus[p] audito cum illuc acceleraret vocem desuper tonantem audivit: *Rex Ethredus modo obdormivit in Domino.* Sepultus est Wintonie[q] in episcopatu.

Sigeb. 955. Anno 955. Post mortem Ludovici Francorum regis regnavit Lotharius filius eius ex Gerberga sorore[r] Ottonis imperatoris annis 31. Cuius uxor regina Emma dicta est.

Liedulfo ad gratiam patris sui reducto Conradus dux, Dei et imperatoris transfuga, ad Ungaros se conferens, eos in Lotharingiam usque ad Carbonariam silvam perduxit, et virtute Dei apud Lobias contra eos ostensa ultra prodire prohibiti impune redeunt.

ibid. 953. Auctor: Hoc capitulum, quod ponit Sigebertus, debuit poni supra post bellum, quod fuit super Mosam inter Conradum ducem et Raginerum Hainonensem et cetera. Et sic postea eodem Conrado imperatori reconciliato verum erit[s], quod ait episcopus Otto, quod imperator postea ipsum O. Fr. VI, 19. reliquit Conrardum ducem in Italia ad persequendum Berengarium[t].

Helin. 955. In Anglia vero regnavit Edwinus filius[r] Edmundi quatuor annis, iuvenis petulans etiam libidinosus, qui sanctum Dunstanum in Flandriam expulit.

Floruit sanctus Odo Cantuariensis archiepiscopus.

Iste rex Edwinus Malmesberiense[u] monasterium — inhumanus fuit.

Sigeb. 955. Berengarius rex Italie — se ei committit

O. Fr. VI, 19. Episcopus Otto sic dicit: Consilio ducis Conrardi Berengarius in Saxoniam[v] — et Aquileiensium suscepit.

a) in mensa 2. b) decessum 1. c) modo *add.* 2. d) sc. Hugo 2. e) *deest* 1. f) Othgith nomine *add.* 1, *deest quum* 2, *tum Sigeberto.* g) *deest* 2. *) *deest* 1. 2. h) obsedit 2. i) allata 2. k) Erberto 2. l) Adalheida 1. m) *deest* 1. n) licet 2. o) in terra domni de Falconis Monte 1. p) abbas *addit* 1; *deest* 2, *necnon Helinando.* q) Witonie 2. r) *deest* 2. s) erat 2. t) Ber. perseq. 2. u) Malmesburiense 1; *cum Helinando convenit* 2. v) Saxonia 2.

---

[82] Rouci, départ. Aisne, arrond. Laon. [83] Cod. Lips. p. 123. [84] Cf. annum 972. [85] Cf. Liudp. Ant. IV, 12.

Sigebertus: A Baioariis contra Sclavos prospere pugnatur. Sigeb. 955.

Eodem anno natus est[a] imperatori Ottoni secundus Otto ex supradicta regina Adhalheida, regis Burgundie Rodulfi filia.

Anno 956. In Italia — episcopus substituitur[86]. ibid. 956.

Anno 957. Liedulfus filius Ottonis — ibi occubuit. ibid. 957.

Episcopus Otto hoc factum ita attestatur: Ungarorum gens sevissima — dedicata fuisse traditur. Otto Fris. VI, 20.

Sigebertus: Tres autem reguli Ungarorum in bello capti suspendio perierunt. Et de illis septem Ungaris, qui remanserunt, unus ab eis factus est rex. Hii venientes in terram suam totum populum, qui non exierat cum eis ad bellum, in servitutem redegerunt[b]; qui autem de istis septem nati sunt, ipsi sunt modo viri nobiles in terra Ungarie[c], quamvis eorum nobilitas magne servituti subiaceat[d]. Sigeb. 957.

Bruno archiepiscopus[e] ducatum — Colonie construxit. Henricus dux Bawarie frater regis Ottonis moritur, filius eius alter Henricus[f] ei succedit. ibid.

In Anglia Dunstanus vir sanctus ad locum suum revocatus, factus est Wingoniensis episcopus. Helin. 966.

Anno 958. Hugo Magnus dux Francorum[g] moritur, qui dicebatur Capito sive Cappatus[87], et in Sigeberto[88] vocatur comes Parisiensis. Iste de Hawide sorore imperatoris tres habuit filios: ducem Hugonem in Francia, qui postmodum[89] regnum optinuit, et alios duos, Ottonem et Henricum. Otto factus est dux Burgundie et habuit uxorem[90] filiam Gisleberti, qui post primum Hugonem Capito, fratrem Rodulfi regis, ducatum Burgundie tenuit; sed eo in adolescentia absque[h] liberis defuncto successit ei Henricus frater suus, bonis moribus et mansuetudine adornatus. Tres isti sororem habuerunt Beatricem, de qua Fridericus dux Mosellanorum genuit ducem Theodericum et fratrem eius Alberonem episcopum[91]. 956.

Item apud Sanctum Benignum Manasse vices abbatis agente Hugo comes Divionensis veniens ad obitum petiit se tumulari in atrio Sancti Benigni. Huius uxor dicta est Adalburgis[i], et eorum filii Gibuinus Cathalaunensis episcopus, Richardus comes Divionensis et Hugo comes Atoariorum[k]. Chron. S. Benig. 381.

Filius autem supra dicti ducis Gisleberti dictus est comes Milo, de quo habetur supra in anno 926.

Bruno archiepiscopus Coloniensis plures — captivis capite cesis. Sigeb. 958.

Unde episcopus Otto: Rex ab occisione Ungarorum digrediens — patrie appellatus est. Otto Fris. VI, 20.

Berengarius autem, de quo supra dictum est, in Italiam reversus multa sicut — omnium concitavit. VI, 19.

Iohannes de via lata, huius nominis XII, factus papa sedit annis 7. Cat. p. R.

Anno 959. Bruno archiepiscopus — quasi lepra sordentibus[92]. Sigeb. 959.

Obiit sanctus Gerardus abbas Broniensis cenobii[l].

In Anglia regnare incipit Edgarus frater Edwii[m] filius Edmundi, iuvenis annorum 16, et 16[n] annis regnavit. Isto nascente sanctus Dunstanus — noster vixerit. Nullum fere — non fundaverit. Helin. 959.

Anno 960. Hoc tempore fuit archiepiscopus Treverensis Henricus, et episcopus Virdunensis dictus est[o] Berengarius, qui monachos pro clericis apud Virdunum in ecclesia sancti Vitonii posuit. G. Trev. c. 29. G. Vird. II, 2.

Hoc tempore per industriam Ottonis meliorato imperii et ecclesie statu multa monasteria et cenobia ad laudem Dei et honorem sanctorum aut restaurantur aut ampliantur aut edificantur. Inter quos et Euraclus Bonne prepositus[93], post Baldricum episcopus Leodiensium factus, duo in urbe monasteria construxit, unum[p] ad titulum Sancti Pauli et alterum ad titulum Sancti Martini episcopi Turonensis. Hac occasione fundavit ecclesiam beati[q] Martini in monte Leodii, ubi ipse domnus episcopus Euraclus requiescit, eo quod beatus Martinus Turonensis ipsum a morbo lupo, qui gallinas comedit, miraculose sanaverit. Sigeb. 960. A. Aur. I, 48. I, 49.

Dum rex rursum contra Sclavos — regem supplices veniunt. Otto Fris. VI, 21.

Luithprandus: Inter quos[94] et illustris marchio Othbertus cum apostolicis venit a sanctissimo[r] Ottone tunc rege, post augusto cesare, consilium auxiliumque expetentes. Horum itaque rex piissimus lacrimosis questibus inclinatus, non que sua, sed que Iesu Christi sunt[s] cogitans, ad liberandam Italiam atque Romam iter suum mature disponit[t]. Hist. Otton. 1. ibid. c. 2.

Anno 961. Apud Constantinopolim Constantino imperatore Porphirogenito et post eum filio suo Romano[95], patre Basilii, mortuis Nichephorus annis 10 imperat. Sigeb. 961.

Sanctus Ulricus — Gallia et Germania. Germania et Gallia iam bene pacata, intendens imperator Otto etiam Italiam pacare, — Ottonem puerum septennem Aquisgrani die sancto pentecostes in regem ungi fecit, eoque commendato archiepiscopis, fratri Brunoni et filio Guilelmo Moguntino episcopo, ad Italiam tendit.

Luithprandus: Filium suum equivocum — in Saxonia dereliquit. Hist. Otton. 2.

Episcopus Otto: Rex natale Domini Ratisbone celebrato — Italiam armatus intravit. Otto Fris. VI, 21.

---

a) *deest* 2. b) redigerunt 2. c) Ungarorum 2. d) subiacet 2. e) Coloniensis *add.* 1. f) qui et Hescelo *add.* 1. g) Francorum dux 2. h) sine 2. i) Adelburgis 2. k) Atariorum 2. l) Boronensis cen. abb. 2. m) Edwigii 1. n) et 16 *desunt* 1. o) *deest* 1. p) *deest* 1. 2. q) sancti 2. r) papa *add.* 2. s) *deest* 2. t) disposuit 2.

86) Huiusce anni omnia verbotenus e Sigeberto deprompta sunt, duo tantum verba apud eundem non inveniuntur. In nostri enim opere Guilelmus, novus Moguntinensium antistes, *frater Liedulfi filius Ottonis*, in Sigeberti *filius Ottonis* audit. 87) Iste Hugo Niger, filius eius Capetus dicitur. 88) Ad annum 945. 89) A. 987—996. 90) Leutgardem. 91) Alberonem II. Mettensem ep. 984 – 1005. 92) Quae omisi omnia conveniunt cum Sigeberto, excepto quod reginam Gerbergam noster non solum imperatoris sororem vocat, sed etiam: *et eiusdem Brunonis*, archiepiscopi scilicet Coloniensis. 93) *Bonne prepositus* ex Aeg. Aur. I, 47 addidit. 94) inter Italos scilicet, qui auxilium contra Berengarium tyrannum petituri regem adeunt. 95) Cf. Liudp. Antap. V, 20.

Remis obiit archiepiscopus Artholdus, cui successit Oldericus per annos 7.

Helin. 959. Anno 962. Fama regis Anglie Edgari exciti[a] — a Danis potationem.

Quo tempore sanctus Dunstanus Wigorniensis episcopus et Lundoniensis de novo per regem Edgarum institutus[96], multe fuit in seculo potentie magneque apud Deum gratie, Martham in se ipso exhibens et Mariam[97], excitator etiam mirificus artium liberalium — vel appetere cogeret.

Sigeb. 962. Sanctus Guibertus fundator Gemblacensis cenobii — in Christo dormivit Corpus vero — relatum est.

Otto Fris. VI, 21. Rex magnificus Otto, tota[b] terra Italie subacta — reedificari iussit.

Hist. Ott. c. 2. Luithprandus: Qui tanto celerius Berengarium — facturus adiit.

Sigeb. 963. Anno 963. Otto imperator Italia pervagata — in imperatorem benedicitur.

O. Fr. VI, 22. Episcopus Otto: Otto gloriosus — nomen sortitur.

H. Ott. c. 3. 4. Luithprandus: Miro ornatu miroque apparatu — repedavit. Interea — fidei commendaret.

Sigeb. 963. Sigebertus: In presentia imperatoris tyranni[98] a papa Iohanne et a Romanis abiurantur — redeunte refugit.

Otto Fris. VI, 22. Episcopus Otto: Imperator ab Urbe rediens — fugiens latitavit. Ex hinc regnum Romanorum — fuisse dixerunt.

Hist. Ott. c. 4. Anno 964. Secundum Luithprandum imperator quibusdam familiaribus accersitis Romam dirigit percunctatum,
cur papa Iohannes Adalbertum, quem prius vehementer[b] oderat, nunc diligeret. Qui nuntii non a quibuslibet, sed
a multis civibus Romanis hec suscipiunt: *Quia imperator que Dei sunt sapit, operatur et diligit, papa vero Iohannes hiis
omnibus adversatur. Viduam Ragineri sui militis ceco captus igne diligens, sacrosanctis beati*[c] *Petri crucibus aureis
donavit atque calicibus. Stephana eius amica in effusione, quod ex eo conceperat, recens hominem exivit. Palatium Latera-
nense, sanctorum quondam hospitium, nunc prostibulum factum est meretricum. Caste matrone limina apostolorum timent
invisere, cum eum audierint, ante paucos dies coniugatas, viduas, virgines vi oppressisse, et ut hec illi impune liceant*[d],
c. 5. *Adalbertum sibi tutorem et defensorem parat.* Hec dum a redeuntibus nuntiis imperator audiret: *Puer*, inquit, *est; facile
bonorum immutabitur exemplo virorum, obiurgatione honesta, suasione liberali, ut dicere possimus: „Hec mutatio dextre
excelsi“. Quod prius rerum ordo deposcit, Berengarium resistentem propulsemus, deinde paterne domnum papam con-
c. 6. veniamus.* Hiis expletis Papie navem conscendit ac per fluvium Ravennam usque pervenit, inde progrediens montem
Feretratum[e], qui[f] Sancti Leonis dicitur, in quo Berengarius et Willa erant, obsedit. Interea papa misit imperatori
nuntios Leonem prothoscriniarium et Demetrium illustriorem Romanorum super quibusdam se excusans, et quod imperator
c. 7. promissionis sue fidem violaret, ei mandans. Imperator Landohardum Mindensem et Luithprandum Cremonensem[g]
episcopos cum prefatis nuntiis Romam dirigit, domno pape se inculpabilem esse satisfacturum, et si non crederet, duello
verum esse, milites nuntiorum coram papa approbarent. Papa non iuramento, non duello satisfactionem recipere voluit.
Cum istis tamen Iohannem episcopum Narniensem et Benedictum dyaconum cardinalem item imperatori destinavit. Ante
c. 8. quorum reditum — est susceptus. Hec dum aguntur sol fuit in cancro, et imperator collectis copiis, clam Romanis
invitantibus, cum sol esset in virgine, Romam advenit. Qui dum iuxta Urbem castra metatur, papa simul atque Adal-
bertus Roma[h] aufugiunt; cives vero sanctum imperatorem — ipsius regis Ottonis.

Otto Fris. VI, 23. Supradicta vero episcopus Otto ita tangit. Dum imperator pascha Domini Papie celebrasset — augusto subduntur.

Hist. Ott. c. 9. Sequitur Luithprandus: Post triduum, scilicet 8. Idus Novembris[99], rogantibus tam Romanis episcopis
quam plebe, magnus in sancti Petri ecclesia fit conventus: pro Engelfrido Aquileie patriarcha, qui infirmabatur in Urbe,
affuit Rodulfus dyaconus eius; Walbertus Mediolanensis, Petrus Ravennensis, Adeltac de Saxonia archiepiscopi: episcopi
vero Landohardus Mindensis, Otgerius Spirensis[i] et post[k] eos alii novem de Italia, post quos 6 episcopi cardinales
Romani, videlicet Gregorius Albanensis, Sico Hostiensis, Benedictus Portuensis, Lucidus Gavensis[l], Guido Silve Candide,
Theophilactus Prenestinus. Et post istos alii 20, qui erant[k] circa Romam episcopi. Inde Stephanus archipresbyter
cardinalis et post eum 12 cardinales presbyteri, inde Benedictus archidyaconus cardinalis et post eum[m] alii dyaconi.
Deinde primicerius, secundicerius, adminiculator, archarius. Defensor item primicerius, sacellarius, scriniarius, sub-
dyaconi, scola cantorum, acoliti et regionarii. Et post istos 12 viri magni ex primatibus[n] civitatis cum omni Roma-
c. 10. norum militia. Quibus residentibus ita sanctus[o] imperator est exorsus: *Quam decorum esset tam claro sanctoque concilio
domnum papam interesse Iohannem! verum cur tantum celum declinaverit, vos, o sancti patres, consulimus.* Tunc Romani
pontifices et cardinales presbyteri ac dyaconi cum universa plebe ceperunt una voce papam[p] de multis infamare. Imperator
respondit: *Iustum nobis videtur, ut accusationes nominatim exprimantur, deinde, quid agendum sit, cum concilio pertractetur.*
Tunc consurgens Petrus cardinalis presbyter dixit, se vidisse illum missam celebrasse et non communicasse. Iohannes
episcopus Narniensis — sunt professi. Benedictus cum ceteris dyaconis et presbyteris dixit, se scire — civitate ordinasset.
De sacrilegio non est necesse percunctari, dixit, *plus videndo, quam audiendo scire potuissemus.* De adulterio dixerunt,
quod oculis non viderent viduam Ragineri — incendia fecisse; dyaboli in amorem vinum bibisse. Omnes tam clerici —
auxilium poposcisse dixerunt. Horas non celebrasse, nec[o] signo crucis se[q] munivisse.

c. 11. Post hec[r] adiuravit imperator totum concilium per Deum et per[s] gloriosam Virginem et omnes sanctos et per pretiosum corpus principis apostolorum, ut nulla in domnum papam iaculentur vitia, nisi ab eo patrata et a viris probatissimis visa. Tunc episcopi et omnes alii clerici et layci quasi vir unus dixerunt: *Si non ista et adhuc turpiora commisit, nunquam absolvat nos a peccatis princeps apostolorum, et simus anathematis vinculo innodati in die novissima.*

c. 12. Tunc de communi consilio scripserunt cum reverentia domno pape, ut ad concilium veniret et ex his
c. 13. omnibus se ipsum purgare non dissimularet. Qui rescripsit eis in hec verba: *Nos audivimus dicere — missam celebrare.*

c. 14. Cum hec epistola legeretur, advenerunt de novo viri religiosi Henricus archiepiscopus[t] Treverensis, Guido Mutinensis[u], Gezo Tertonensis[v], Sigulfus Placentinus episcopi, de quorum consilio rescripta sunt hec: *Si ad synodum veneritis*

a) excitati 2. b) *deest* 2. c) sancti 2. d) liceat 1. 2. e) Feretracum 2. f) quod 1. 2. g) Cremonensium 1; Cremonensem 2 *et Liudpr. ipse.* h) Romam 2. i) Spirenensis 1. k) *deest* 1. l) Gavennensis 1. m) 12 — eum *desunt* 2. n) primoribus 2. o) *deest* 2. p) papam una voce 2. q) *deest* 1; se non 2. r) *deest* 1. s) *deest* 2. t) episcopus 2. u) Muniensis 1. v) Triconensis 2.

---

[96] *et — institutus* ex iis, quae Helinandus sub a. 966 narrat, Albricus addidisse videtur.

[97] *Martham — Mariam* quum in Helinandi editione non inveniantur, dubitare licet, utrum verba in eius manuscriptis adsint an Albricus ea ex Guil. Malmesb. II, 149, quem hoc loco exscripsit Helinandus, addiderit.

[98] Berengarius scilicet et Adalbertus.

[99] Diem e cap. 12 addidit.

et obiecta purgaveritis, auctoritati vestre procul dubio obediemus; sed si, quod absit, venire et obiecta vobis capitalia crimina purgare dissimulatis, cum nec navigatio[a] *nec egritudo nec itineris longitudo impediat, excommunicationem vestram in vos retorquebimus, quoniam Iudas, qui quamdiu fuit apostolus, potestatem habuit ligandi atque*[b] *solvendi, postquam vitam occidere voluit, neminem nisi se ipsum ligare potuit et laqueo strangulare.* Data 10. Kalendas — Pharetratus enim sagittis, in campestria — sunt reversi. Mox imperator cepit exponere qualiter a papa Iohanne primo accersitus, ecclesiam Romanam et totam Italiam de manu Berengarii atque Adalberti liberaverit[c] et qualiter papa oblitus iuramenti et fidelitatis eundem Adalbertum Romam venire fecerit et contra imperatorem defendens seditionem fecerit, et quid super hoc sancta synodus discernat, edicat. Ad hec pontifices Romani, clerus et populus dixerunt: *Inauditum vulnus inaudito est cauterio exurendum. Petimus, ut monstrum illud, nulla virtute redemptum a vitiis, a sancta ecclesia Romana pellatur aliusque, qui dignus sit, loco eius constituatur*[d]. Et imperator: *Placet quod dicitis, si talis, quem poscitis, possit inveniri.* Hist. Otton. c. 15. His dictis, omnes una voce dixerunt: *Leonem venerabilem sancte*[e] *Romane ecclesie prothoscriniarium, virum approbatum, ad summum sacerdotii gradum nobis in pastorem eligimus apostata Iohanne reprobato.* Cum hoc omnes tertio dixissent, annuente imperatore ad Lateranense palatium deducitur et certo tempore ad summum sacerdotium consecratur, et fidelitas iureiurando promittitur.

Episcopus Otto breviter: Imperator missa legatione papam Iohannem revocat — in Corsicam fugit. O. Fr. VI, 23.

Imperator natale Domini — exilio relegavit. VI, 24.

Sigebertus ita: Collecto a tota — erant apostolica. Sigeb. 963.

Anno 965. Nec longum — ad imperatorem fugit. ibid. 963.

Quod factum Luithprandus ita prosequitur: Hist. Otton. c. 16. Sperans sanctissimus imperator — eosque inpiissime trucidarent. Romani pecunie promissione animati — super imperatorem, ut eum occidant, festinare contendunt. Quibus imperator super pontem Tyberis — occurrit. Cuius fortes milites — eos inter prosiliunt et — nullo resistente proterunt. Itaque omnibus devictis imperator sanctus suos adhuc reliquos interficientes retrahebat et revocabat[1]; c. 17. et ab hiis qui supererant obsididibus acceptis, venerabilis papa Leo pedibus imperatoris provolutus erat, ut Romanos obsides reddat, seque eorum fidei commendet. Cuius rogatu Romanis obsides reddit et eundem papam eorum fidei quasi lupis agnum commisit. c. 18. Dein[f] Roma exiens Camerinum — properavit. Interea mulieres non ignobiles, cum quibus Iohannes, qui dictus est papa, voluptatis ludibrium exercebat, conciverunt Romanos, ut Leonem perderent et[e] Iohannem susciperent. Quod cum fecissent, miserante Deo, ex eorum manibus venerabilis papa Leo liberatus, ad piissimi imperatoris misericordiam est profectus. c. 19. Imperator sanctus tantum dedecus egre ferens, reparato exercitu Romam redire disponit.

Episcopus Otto breviter: Manente in Urbe — Benedictus quintus[2] a Romanis subrogatur. O. Fr. VI, 24.

Luithprandus de morte Iohannis. Hist. Otton. c. 19. Priusquam imperatoris copie essent congregate, volens Deus ostendere, quam iuste idem Iohannes esset repudiatus et quam iniuste postea receptus, quadam nocte extra Romam, dum se cum cuiusdam viri uxore oblectaret, in timporibus a dyabolo percussus et infra dies 8 eodem vulnere mortuus. Itaque eucharistie viaticum non accepit, quemadmodum a suis cognatis sub attestatione audivi. c. 20. Quo mortuo Romani Benedictum cardinalem dyaconem papam constituunt, et contra imperatoris potentiam se eum defensuros iuramento promittunt.

Episcopus Otto: Otto Fris. VI, 24. Augustus tam pro expulsione Leonis, quam subrogatione Benedicti inflammatus — exercitum contra Urbem movet, quam obsidione clausam et incredibili fame et cede fatigatam tandem ad deditionem coegit — Benedictum ei traderent.

Sequitur Luithprandus: Hist. Otton. c. 21. Residente in Lateranensi ecclesia imperatore et episcopis cardinalibus, adductus est Benedictus pontificalibus indutus. Cumque argueretur super invasione, respondit: *Si quid peccavi, miseremini mei.* Tunc imperator effusis lacrimis rogavit synodum, ne Benedicto fieret preiudicium. Quo audito Benedictus ad domni Leonis et imperatoris pedes procidit, et se peccasse acclamavit. Post hec pallium sibi abstulit, quod simul cum pontificali ferula Leoni pape reddidit. Leo papa ferulam fregit, Benedictum insignibus spoliatum in terra sedere precepit et omnibus episcopis dixit: *Benedictum — in exilium destinamus.* Huc usque pertingit historia Luithprandi.

Predictus autem Benedictus huius nominis quintus, qui et Octonianus[g], sedit mensibus 2, et abhinc Hugo S. Vict. 123'. predictus Leo ita restitutus huius nominis octavus, qui et Prothus, sedit anno 1 et 4 mensibus.

Sequitur episcopus Otto: O. Fr. VI, 24. Imperator Leone restituto celebravit Rome sancti Iohannis nativitatem — ad Cisalpina revertitur, Benedictum secum ducens. VI, 23. Utrum autem hec omnia licite aut secus acta sint dicere presentis non est operis. Res enim gestas scribere, non rerum gestarum rationem reddere proposuimus. Quod vero dicitur, prefatum Iohannem ita reprehensibiliter vixisse et frequenter super hoc ab episcopis aliis cum subditis suis conventum fuisse et ita male mortuum esse, huic[h] rei fidem accommodare durum videtur, quia Romana ecclesia hoc speciale privilegium sacerdotibus suis ascribere solet, quod meritis beati Petri supra petram firmam fundati, nulla eos inferorum porta vel tempestatum turbo ad exitialem ruinam involvat.

Auctor: Hec dicta sunt ab isto episcopo pro reverentia sancte sedis, sed aliter sentit Petrus Damianus[4], et ipsa etiam[i] antecedentia gestorum et subsequentia aliter iudicant. De eo autem, quod iste Leo papa renovaverit privilegium imperatori Ottoni de ordinatione apostolice sedis et de investitura[k] episcoporum, sicut fecerat papa Adrianus Karolo Magno, in decretis invenies.

Anno 966. Adalberone Metensium episcopo — urbis insula. Sigeb. 964.

Arnulfo sene seu vetulo[5] Flandrensium comite mortuo, Lotharius rex Francorum graviter Flandrias infestat

---

a) navigium 1; navigio 2, *quo ex verbo depravato secundum Liudprandum restitui:* navigatio. b) et 1; atque *ut Liudpr. ipse ita* 2. c) liberavit 1; liberaret 2. d) instituatur 2. e) *deest* 2. f) deinde 1; dein *ut Liudpr. ipse ita* 2. g) Octavianus 2. h) hinc 1. i) etiam *deest* 2. k) vestitura 1.

[1] Cf. quae de hoc loco supra p. 659 annot. 61. n. disserui. [2] *quintus* ex Helinandi aut Hugonis chronico Albricus addidit. [3] Cf. Sigeb. ad annum 963. [4] Cf. eius epist. I, 9 ed. Caietan. p. 20. [5] *seu vetulo* ex eodem quo utebatur scriptor Flandriae generosae c. 3 fonte noster addidisse videtur.

et vastat. Eiusdem Arnulfi filius fuit Balduinus iuvenis de Athela filia Heriberti comitis Viromandensis. Qui Balduinus iuvenis duxit uxorem Mathildem, filiam Hermanni ducis Saxonum, genuitque ex ea Arnulfum iuniorem. Alia littera habet [6], quod ista Mathildis soror fuit Lotharii regis Francorum.

Sigeb. 965. Otto imperator Aquisgrani pentecosten celebravit — imperator Italiam repetit.

Otto Fris. VI, 24. Episcopus Otto: Imperator Otto, deficientibus a se — rei fuerant, suspendit.

Sigeb. 965. Bruno dux et archiepiscopus [a] in Franciam pergens — febre correptus Remos rediit; ubi quidquid iure mancipi habuit, per testamentum ecclesiis sanctorum delegans, mortuus est, corpusque eius — Coloniam refertur.

Col. aep. cat. Succedit ei Colonie Folmarus.

Helin. 966. Circa hoc tempus obiit sanctus Odo Cantuariensis episcopus, et electus est Elginus episcopus Wintoniensis, qui in via Romana decessit. Succedit Hircelinus episcopus Dorcii et paulo post amovetur; et ita demum sanctus Dunstanus factus est archiepiscopus.

Gesta Trev. c. 29. Treviris [c] vero prefuit Theodericus prepositus Moguntinus, qui Rome cellam quatuor coronatorum, cum omnibus appenditiis adquisivit.

Hugo S Vict. 123'. Anno 967. Iohannes huius nominis 13. factus papa sedit Rome annis 7, mensibus 11.

Sigeb. 966. Guillelmus archiepiscopus Moguntinus filius imperatoris moritur, eique Hatto succedit.

Sigeb. 967. Hoc tempore Danis — promotus est. Guicmannus diu contra imperatorem — fera fieri videretur.

Sigeb. 968. Anno 968. Otto minor [d] — in imperatorem benedicitur.

Otto Fris. VI, 24. Quod episcopus Otto ita attestatur [e]: Vocato ad se — fecit et augustum vocari.

Helin. 966. Eiusdem pape Iohannis [f] auctoritate sanctus Dunstanus in Anglia monachos in plerisque cathedralibus ecclesiis pulsis clericis posuit. Duo autem erant venerabiles episcopi in Anglia cooperatores sancti Dunstani, Helin. 959. Ethelwodus ex monacho Glastoniensi abbas Abbedoniensis et post episcopus Wintoniensis — clericos expulit de Wintonia et pro eis monachos posuit; Oswaldus etiam, nepos archiepiscopi Ottonis — monachos regulares.

Sigeb. 968. Otto imperator Beneventanos — sui inflexit.

O. Fr. VI, 24. Hic est imperator qui primus — in Saxonia [g] invenit.

Sigeb. 968. Unde Sigebertus: Otto imperator — industria sua aperuit.

Col aep. cat. Obiit Oldericus archiepiscopus Remensis, cui Adelbero succedit; in Colonia post Folmarum fit archiepiscopus Gero.

Sigeb. 969. Anno 969. Quidam comes Ottonis — tributum exigunt.

O. Fr. VI, 24. Et hoc est, quod dicit episcopus Otto: Quia imperator Grecos in Apulia et Calabria superavit, Constantinopolitani audientes a suis male pugnatum in Calabria, contra imperatorem suum Nichephorum insurgunt [7].

Sigeb. 970. Anno 970. Theodericus Metensium episcopus — corpora et pignora sanctorum de diversis Italie locis, quocunque potuit modo, collegit. — A [h] Corfinio Luciam Siracusanam virginem et martirem, a duce Spoletinorum Faroaldo olim a Siracusanis illuc translatam; Venetiani tamen contradicunt, et dicunt pro certo corpus beate [i] Lucie se habere, quod in multis serris et portis incluserunt; et hoc testatur qui propriis oculis vidit. Quod quid verius sit Deus novit. Forte habent Venetiani illam Luciam, de qua legitur: *Lucie et Geminiani.*

Sigeb. 970. A Sabinis partes — constructa locavit.

Gesta Trev. c. 29. Cum isto Metensi episcopo Theoderico fuit in Italia Ekbertus Treverensis archiepiscopus, filius cuiusdam comitis Theoderici de Britannia, qui et ipse plures reliquias ecclesie sue attulerit.

Helin. 168. Hoc anno quidam Bernardus monachus Ierosolimam sub patriarcha Theodosio venit, et vidit [k] in vigilia pasche lumen ignis celestis, qui quotannis in eadem vigilia lampadibus repente serenus infulget. Quod miraculum — cognoscitur. Hospitatus est autem idem Bernardus in xenodochio — intacta reperturus. Hunc autem Theodosium dicit idem Bernardus raptum fuisse — Alexandrie in Babilonem.

Sigeb. 971. Anno 971. Apud Constantinopolim — Iohannes — occiso Nichephoro imperavit cum Basilio et Constantino pueris.

HugoS. Vict. 113'. Qui Iohannes secundum annotationem magistri Hugonis, Symbois cognominabatur.

Guil. Malm. 160. Ex historia Guilelmi [l]: In Anglia rex Edgarus cum iam diu regnasset, hoc anno [8] primum a beato Dunstano apud Bathoniam coronatus est.

cf. ib. II, 156. In Scotia post Constantinum rex erat Kinnadius. Rex vero Edgarus Vidualoni regi Walensium indixit, ut sibi ibid. II, 155. quotannis tributum 300 luporum solveret. Quod cum ille tribus annis fecisset, quarto destitit, nullum se posse ulterius invenire professus.

Petr. Dam. ep. I, 9. Petrus Ravennatum episcopatum dimisit, post quem Honestus preficitur.

Sigeb. 972. Anno 972. Otto imperator Rome Ottoni filio et coimperatori [m] — matrimonio sociavit [n].

Nothgerus vir sanctus Leodiensium ordinatus episcopus 36 annis prefuit [9]. Hic urbem muro circumcinxit, edificiis honestavit — renovavit; partem quoque fluminis Mose circa insulam venire fecit [10], castrum famosum Capremontis, urbi nimis contrarium, ex toto cum ecclesiis suis destruxit

---

a) archiep. Coloniensis 1; *quae vero verba ut in* 2. *ita in Albrici fonte desunt.* c) Treveri 2. d) Ottoni iunior 2. e) testatur 2. f) Ioh. pape 2. g) in Saxonia *desunt* 1, *nec vero apud Ottonem ipsum.* h) *in praecedenti reliquiarum enumeratione omisit* 2*:* A Perusio Asclepiodatum mart. *et* A Florencia Muniatem mart. 1 *omisit:* A Vicentia Leontium ep. et mart. i) sancti 2. k) et vidit *desunt* 2. l) Ex hist. Guil. *desunt* 2. m) imperatori 1. 2. n) copulavit 2.

[6] Cf. quae de hoc loco p. 665 dixi.

[7] Verba: *Constantinopolitani — insurgunt* e Sigeb. 969.

[8] Edgarum regem demum an. 973 coronatum esse constat.

[9] 36 annis eum praefuisse Aeg. Aureavall. c. 58 confirmat, quem vero nostrum descripsisse verisimile non est, nam et inferius nonnulla occurrunt quae quamquam ad res Leodienses spectant ex Aegidii chronico derivata non sunt.

[10] Cf. Aeg. Aur. c. 53.

et inhabitabile esse precepit, et cum ibi[a] esset ecclesia quedam sancti Iohannis euangeliste, quam non poterat destruere, vovit beato Iohanni, quod[a] si permitteret illam corruere, se ei pulchriorem reedificaturum[b] in civitate et honestiorem; quod et factum est[11]. Unde sequitur Sigebertus: Ecclesiam sancti Iohannis euangeliste in insula fundavit, ubi[a] 30 canonicos posuit[12].

Abbates Sancti Remacli Gislebertus comes et abbas et post eum Gundradus similiter comes et abbas de Rupe in Ardenna[13] fuerunt.

Coloniensis archiepiscopus dicebatur Warinus, qui partem baculi sancti Petri Ekeberto Treverensi archiepiscopo reddidit.

Anno 973. Episcopus Otto: Otto senior imperator omnibus bene compositis reversus ex Italia pascha Domini Quintiliburg celebrans ac inde Marcianopoli ascensionem Domini ex more ferians — imperii 12. diem ultimum clausit, regni vero 36. Qui metropolim Magdeburgensem — ornamentis decoravit. Otto Fris. VI, 24.

Berengarius vero et eius uxor Willa exules Bavenberch moriuntur eodem anno, quo beatus Ulricus Augustinensis episcopus migravit ad Dominum. Sancti autem Udalrici[c], id est Ulrici, vita qualis fuerit, mox post mortem eius miraculorum gloria[d] patefecit. Sigeb. 976.

Eiusdem imperatoris Ottonis vitam[e] Guithichindus monachus — conscripsit[f]. ibid. 973.

Anno gracie 974. Otto II. imperat annis 10.

Benedictus VI. papa, qui et Stephanus[14], sedit Rome anno 1, mensibus 6. Helin. 973.

Raginerus et Lambertus — miraculis illustrat. Sigeb. 973.

Anno 975. Moritur in Anglia rex Edgarus et apud Glastoniam sepelitur. Regnavit Edwardus filius eius 3 annis et dimidio. Tunc cometes visa est. Helin. 975.

Archiepiscopus Remensis Adalbero abbatiam sancti Theoderici restituit et corpus eius de terra levavit post annos 442 ab eius obitu.

Ratherius, de quo est hoc[a] monostichum — a rebellione desistit. Sigeb. 977.

Wigifridus fit episcopus Virdunensis, qui monachos posuit in ecclesia sancti Pauli episcopi, que prius sancti[a] Saturnini dicebatur. Gesta Vird. II, 3.

Anno 976. Apud Winthoniam[15] in Anglia congregatis ad disceptandum contra sanctum Dunstanum clericis, cecidit solarium, in quo consistebant, ruentibus ipsis, ita quod pars ubi erat Dunstanus cum suis intacta mansit. Helin. 967.

Rome presidebat papa Domnus nomine anno 1 et mensibus 6. Helin. 974.

Gelu magnum — subiugat. Sigeb. 975.

Maiolus abbas Cluniacensis sanctitate et religione claret. Huius fertur esse narratio de duce Sardinie Eusebio et duce Sicilie Ostorgio. Erat Eusebio summum circa defunctos studium in celebrationibus missarum, in largitionibus elemosinarum, in decimis omnium rerum suarum solvendis; et unam civitatum suarum, quam habundantiorem habebat, pro liberandis fidelium animabus constituit, ad quam decimas totius regni conduci faciebat et ibi pauperes alebat et vestiebat[g]. Dux autem Sicilie Ostorgius Eusebio ditior, sed virtute nimis inferior, civitatem predictam[h] Deo et curis animarum deputatam obsedit et cepit. Quod ut audivit Eusebius dicebat, se malle dimidium regni sui, quam illam civitatem Dei amisisse, et convocato exercitu hostem insequitur, cum ecce albatorum facies militum ei a longe et suis apparuit, in niveis equis, cum niveis vexillorum signis et armatura tota candida; mittit in occursum quatuor milites causa percunctandi, qui sint et quo tendant. Et illi candidati, obviam quatuor de suis[*], salutatione premissa, remittunt illos ad domnum suum Eusebium dicentes, se venire contra hostes suos in eius fidele auxilium, et ut securus veniat ad eorum colloquium. Qui cum ad eos concitus venisset, dicunt ei: *Ne te sollicitum longius protrahamus, iam nos omne ius tuum ab hoste dupliciter exigemus, et insuper aut subiicietur tibi, aut vinctus tradetur tue potestati.* Dux igitur se committens eorum fidei et voluntati, cum una tantum legione contra 60 milia securus ad bellum procedit. Ostorgius terrore compulsus rogat pacem, et quidquid uspiam tulerat, dupliciter restituit atque insuper cum suis omnibus sese[i] illi subdidit. Quo facto candidatus exercitus Eusebium familiariter alloquitur, et an ei sufficiat, percunctatur. Ille regratiando, tunc primum qui essent subtilius perquirit. *Nos,* inquit, *sumus defunctorum anime, quas tuis beneficiis et ele-*

---

a) *deest* 2. b) edificaturum 2. c) Waldarici 2. d) gesta 1. 2, *corr. e Sigeberto* gloria. e) imperatoris vitam Ottonis 1. f) descripsit 1; conscripsit *ut Sigeb., ita* 2. g) et — vestiebat *desunt* 2. h) *deest* 2. *) *suppl.* mittentes. i) sese cum omnibus suis 2.

11) Eadem fere Aeg. Aur. c. 50 narrat, sed quum eius et nostri verba ne semel quidem consonent neque omnia, quae supra legimus, apud Aegidium inveniantur, nostrum hoc loco Aegidium secutum non esse putarim. 12) Neque apud Sigebertum a Nothgero canonicos institutos esse neque apud Aegidium eorum numerum legis. 13) La Roche. 14) Cf. Sigeb. ad annum 973. 15) Winthoniae, narrat Helinandus, qui Guilelmum Malm. exscripsit, imaginem Domini contra Dunstani inimicos locutam esse, Caluae solarium corruisse.

mosinis gratia divina in eterna requie a purgatorio liberatas collocavit; age ergo[a] *quod agis, et gratiam eterni iudicis in perpetuum*[b] *obtinebis.* Sequitur ibi[c], quod predictus sanctus[c] abbas Maiolus in contentione horum duorum principum, dum circa abbatias, quas in illis curabat finibus, disponendas esset occupatus, captivus fuit[d] abductus, antequam candidatorum venisset[e] exercitus.

Sigeb. 976. Anno 977. Otto imperator proficiscitur contra Sclavos.

Sigebertus: Filii Ragineri Longicolli — tamen palma comitibus.

Helin. 975. Rome Bonefacius VII. sedit anno 1, mense 1; cum quo fuit electus quidam Petrus; sed idem Bonefacius a Constantinopoli reversus[16] et dans pecuniam, factus papa, paulo post, ut dicitur, veneno vitam finivit.

Sigeb. 977. Anno 978. Sanctus Adalbertus Pragensis episcopus cognomento Guichet[f] sanctitate et doctrina apud Winidos claret. Gens Leuticiorum ad idololatriam revolvitur.

Sigebertus: Ducatus Lotharingie datur — relocati sunt.

Helin. 976. Benedictus papa VII, qui in Sigeberto[17] vocatur Stephanus, sedit Rome annis 9 et mensibus 6.

Sigeb. 978. Anno 979. Pacato undique regno — vastationem repatriavit.

978. Unde Guido: Francorum rex Lotharius, contractis undique viribus Lotharingiam ingressus et Aquisgrani imperatorem[g] Ottonem II. reperiens, inter imperatorias mense delicias exhibentem suis splendorem letitie, quasi triumphalis eventus, castrum ingreditur, palatium aggreditur, insperatus apparatus invadit, imperiales turbat et diripit. Otto se per fugam eripit cesisque suorum et captis pluribus vix evadit. Qui tamen viribus reparatis Franciam cum multis milibus armatorum Teutonico furore prorumpit, depopulatur, incendit, sed quesita, quia non acquisita, metu refugiens, citius quam venerat ad Franciam, in patriam est regressus.

Sigeb. 978. Sigebertus ita: Lotharium cum inestimabili exercitu — ante septennium morerentur.

Filius Lotharii Ludovicus rex Aquitanorum efficitur et abhinc 9 annis regnavit.

Guil. Malm. 168. Guido de martirio regis Anglie Edwardi: Hunc noverca eius lassum de venatione et amissis sociis revertentem alliciens, blanditia muliebri sibi fecit intendere et post libata basia porrectum poculum haurientem sica[h]
ibid. 164. transfodi per satellitem[i]. Post quem Etelredus frater eius, filius eiusdem male mulieris, per annos 37 regnum potius obsedit, quam rexit.

Sigeb. 980. Anno 980. Otto imperator — Lotharingiam abiurat.

ibid. 979. Ignee acies — 5. Kalendas Novembris.

ibid. 980. Otto imperator — miraculorum gloria.

Chron. S. Benig. 381'. Bruno clericus Remensis, regis[k] Lotharii propinquus, in episcopum Lingonensem eligitur et annuente
ibid. 389'. rege[18] ordinatur, cum esset annorum 24, per manus Buchardi Lugdunensis archiepiscopi. Per annos 35 et amplius
ibid. 381'. prefuit. Iste Bruno omni nisu exemplum sequi studuit pastoris boni[l], et multa et magna bona fecit in abbatia sancti Benigni Divionensis in spiritualibus religioni consulendo, in temporalibus necessaria providendo.

Sigeb. 981. Anno 981. Otto imperator Apuliam — Grecorum habebat.

Ep. I, 9. Relatio Petri Damiani: Desiderius, inquit, abbas et cetera.

Sigeb. 982. Anno 982. Greci infensi — exosa haberi.

Sigeb. 983. Anno 983. Otto — animi Rome moritur.

Otto Fris. VI, 25. 26. Episcopus Otto: Qui ante beati Petri ecclesiam — ibidem remansisse. Hic est qui Pallida mors Sarracenorum seu Sanguinarius dictus est.

Sigeb. 983. De imperatore substituendo — imperavit annis 18.

ibid. 984. Anno Domini 984. Otto III. imperat Romanis.

Lotharius rex Francorum — urbem Virdunum Godefridumque ipsius urbis comitem capit.

Gesta ep. Vird. II, 47. Apud eandem civitatem Virdunum Hugo quidam clericus[m] in episcopum electus, videns ibi paucas et sibi minus[n] sufficientes expensas, resignavit, et electus est pro eo filius Frederici Albero, frater Theoderici ducis de Beatrice natus, que fuit soror Hugonis de Francia, qui post Lotharium regnum optinuit.

Sigeb. 984. Theodericus Metensium episcopus — diu supervixit.

Gesta ep. Vird. II, 6. Episcopatum Metensem suscepit Adalbero, vir sanctus et nobilis, filius Frederici ducis[o]. Iste est, qui iam erat, ut premisimus, episcopus Virdunensis; et factus est episcopus Virdunensis alter Adalbero, filius comitis Godefridi, de quo premittitur, quod ipse erat comes Virdunensis; et ante eundem Godefridum fuit comes Virdunensis quidam, qui dictus est Sigebertus[19].

Sigeb. 985. Anno 985. Lotharius rex[p] — comitem reddit.

---

a) *deest* 1. b) eternum 2. c) *deest* 2. d) esset 2. e) advenisset 2. f) Wicihet 2. g) regem 1. h) sicca 2. i) scatellitem 2. k) Francorum *add.* 1. l) boni pastoris 2. m) clericus quidam 2. n) sibi unus 1; minus sibi 2. o) comitis 2. p) Loth. rex *desunt* 1.

16) Verba: *a Constantinopoli reversus* cum catalogis conveniunt, a quibus cetera valde differunt. 17) Ad annum 981. 18) Monachus Sancti Benigni regem Brunoni episcopatum dedisse narrat; virum vero tantae sanctitatis ex sola regis manu dignitatem spiritualem accepisse itaque, ut dici solebat, non per ostium intrasse, quum Albrico nostro longe a vero abhorrere videretur, Brunonem ait a clero esse electum. Ne autem omnem regis in constituendo episcopo auctoritatem tolleret, ordinationem annuente rege factam esse addidit. 19) Cf. Gesta ep. Virdun. II, 3.

Regis Dacie Haraldi [a] filius Sueno [b] christianitatem reiecit, sed multis malis expositus eam recepit.

Anno 986. Regnat in Burgundia hoc tempore [c] [19*] quidam rex nomine Conradus, nepos ex filio sive ex filia superioris regis Rodulfi [20]. Huic ergo Conrado rex Francorum Lotharius dederat sororem suam Mathildem et cum ea civitatem Lugdunensem in matrimonium. De qua Mathilde Conradus iste genuit Rodulfum II. et sororem suam [d] Gepam matrem imperatricis Gisile, de qua postea dicturi sumus [20*].

Lotharius rex Francorum moritur, qui humatus est in monasterio sancti Remigii Remensis [21], ubi requiescunt pater et mater illius.

Quo mortuo Ludovicus filius eius, rex Aquitanorum, regnat in Francia anno 1. Sigeb. 986.

Anno 987. Filius Lotharii Ludovicus rex Francorum moritur et apud Conpendium sepelitur [21].

Guido sic: Post Francorum regem Lotharium et eius filium, quintum et ultimum de Karoli Magni progenie, Ludovicum, frater eiusdem Ludovici Karolus, quia videbatur quod Hugonis Magni filium, Hugonem ducem, a regni vellet alienare negotiis, — nam etiam uxorem eo duxerat inconsulto, scilicet filiam [22] Heriberti comitis [e] Trecensis —, ab eodem Hugone, priusquam coronaretur in regem, obsessus apud Laudunum [f] et suorum magis fraude, quam hostium virtute captus est et apud urbem Aurelianensem carceri iniectus, de quo non nisi mortuus est eiectus.

Sigebertus: Francis regnum transferre volentibus ad Carolum ducem — regnum Francorum usurpat Hugo, filius Hugonis Parisiensis ex Hadwide, sorore primi Ottonis imperatoris. Sigeb. 987.

Sequitur Guido [g]: Iste dux Hugo annitente primo Richardo Normannorum duce [23] ceterisque regni principibus electus est et provectus [h] in regem, contradicente licet Arnulfo Remorum archiepiscopo, qui frater fuerat regis Lotharii, sed non uterinus.

Videtur tamen velle Sigebertus, quod fuerit [i] idem Arnulfus regis Lotharii filius, id est nepos Karoli ducis, qui fuit frater ipsius Lotharii [24].

Quod vero Guilelmus Anglicus dicit, regem Hugonem filium fuisse comitis Roberti de Monte Desiderii, non est ita; sed pater eiusdem regis dux Hugo Cappatus fuit filius regis Roberti, qui fuit occisus Suessionis. Qui Robertus sine dubio fuit comes et dux, antequam regnare attentaret et fuit filius alterius comitis Roberti Andegavensis a Normannis occisi. Item de uxore eiusdem Hugonis, quod fuerit una de quatuor sororibus regis [k] Anglie Ethelstani, quomodo possit [l] stare, viderit ille, qui scripsit. Rex enim Ethelstanus mortuus fuit in anno Domini 940, et nondum iste rex Hugo fuit natus, quia nondum pater eius fuerat uxoratus. Unde magis credibile est, quod uxor huius regis Hugonis fuerit filia unius fratrum regis Ethelstani, qui post eum regnaverunt.

Item scribit idem Guilelmus, quod rex Hugo miserit patri pro illa munera amplissima, aromata [m] et [k] gemmas pretiosas et precipue smaragdos, equos curraces plurimos cum faleris, et vas quoddam ex onichino ita celatum, ut in eo et fluctuare segetes et germinare vites et hominum moveri ymagines viderentur, et multa alia incredibilia, ensem Constantini Magni, cum uno [n] de quatuor clavis Domini, lanceam Karoli Magni, que ferebatur esse lancea, que lateri Christi fuit infixa. G.Malm.135.

De ista lancea bene probatur, quod non fuerit illa lancea Longini militis, quia tempore expeditionis magne sub duce Godefrido illa lancea, a tempore apostolorum non est visa; primum in Anthiocia [p] per Domini misericordiam [q] et pietatem [r] revelante beato Petro fuit inventa.

Sequitur [s]: Vexillum sancti Mauritii et pretiosum dyadema et particulam ligni dominici, similiter et spinee corone particulam. Mirum, si ita est, pro una muliere hec omnia a Francia fuisse alienata.

De Ysenbardo quoque, qui ad paganismum conversus fidem lusit et contra regem Ludovicum paganos adduxit, decipitur nimis in temporis circumstantia predictus Guilelmus, quia Ludovicus ille, quem irritavit Ysembardus, non fuit filius Lotharii nuper defuncti nec pater eiusdem Lotharii, quos pro uno, ut inscius hystorie, conputare invenitur; sed fuit ille Ludovicus frater Karlomanni et Karoli Simplicis, de quo Ludovico supra in anno 881. sufficienter est expressum. ibid. 128.

Iohannes papa huius nominis XIV. sedit Rome mensibus 9. Helin. 984.

---

a) Heraldi 2. b) Suevo 1. c) hoc tempore *desunt* 2. d) eius *correxisse videtur* 1. e) comitis Herib. 2. f) in Laudunum 2. g) Hugo *superscriptum est in* 2 *manu recenti*. h) est *add.* 2. i) fuerat 2. k) *deest* 2. l) posset 2. m) ornamenta 2. n) una 1. p) Antiochia 2. q) misericordia Domini 2. r) pietate 1. s) *deest* 2.

[19*] 937—993. [20] Conradi pater erat Rodulfus II, Rodulfi I. filius. [20*] Cf. annum 1024. [21] Cf. Hist. Franc. Senon. M. G. SS. IX, 367. [22] Agnetem. [23] Cf. Guil. Gemmet. Hist. Norm. IV, 19. [24] Cf. Sigebertum ad annum 992.

Aeg Aur. II, 52. diximus [36]. Deinde ecclesia sancte crucis per Robertum maioris ecclesie prepositum, auctoritate domni episcopi inchoata est contra voluntatem domni [a] defensoris, qui castrum ibi facere voluit, sed non prevaluit. Ibi primo ibid. II, 53. 15 canonici positi sunt, sed postea Deo dante 30 fuerunt. Per Nisonem [b] maioris ecclesie custodem, qui Nithardus dictus est, ecclesia beati Dyonisii condita est et fundata, ubi primo viginti canonici positi sunt, sed postea 30 fuerunt.

Sigeb. 993. Anno 993. Otto III. in imperatorem benedicitur secundum Sygebertum, et Gerbertus factus Ravenne ibid. 992. archiepiscopus. Unde imperator Gerbertum [c] receptum primo Ravenne archiepiscopum et postea instituit papam Romanorum. Unde est illud monostichum: *Scandit ab R. Gerbertus ad R. post papa vigens R.* Sed de papatu postea dicemus [37].

Cat. aep. Col. G. ep. T. c. 30. Colonie vero presidebant [d] Evergerus, Treveri Liudolfus [e].

Apud Sanctum Remaclum prefuit Richardus episcopus et abbas et post eum sanctus Odilo [f].

Sigeb. 993. In Burgundia Odilo [f] Averne oriundus, monachus professus Cluniacensis post sanctum Maiolum preficitur ipsi cenobio — *Si dampnandus sum,* inquit, *malo dampnari pro misericordia, quam pro avaritia sive duritia.*

Sigeb. 994. Anno 994. Florebat hoc tempore sanctus Fulbertus Carnotensis episcopus in scientia litterarum, Abbo abbas Floriacensis, qui super calculum Victorini commentatus est, in Lothoringia Adelboldus episcopus Wltraiectensis et Herigerus [g] abbas [a] Lobiensis

Ad sanctum Fulbertum episcopum Carnotensem Bernardus scolasticus Andegavensis edidit libellum [38] miraculorum sancte Fidis de Conchis [39], que passa est in civitate Aginno [40] sub impio Daciano cum beato Caprasio. Super eorum corpora sanctus Dulcius episcopus basilicam edificavit [h], sanctam Fidem seorsum in suburbio recondidit [41], ubi innumera et ingentia miracula facta sunt precibus ipsius et meritis.

Aegid. c. 56. Item de schola Notgeri [i] episcopi Leodiensis fuerunt Guntherus archiepiscopus Salzeburgensis, Haymo, de quo premisimus [42], Virdunensis episcopus, Rothardus et Erluinus Cameracenses episcopi, Adelboldus supradictus episcopus Wltraiectensis, Hescelo Tullensis, Durandus et Wazo Leodienses postmodum episcopi. Idem etiam Durandus docuit Bavembergensem ecclesiam et duo socii eius, Obertus Aquensem, Huboldus Parisius, qui postea cepit predicare apud Pragam.

Cat. p. R. Rome fuit Iohannes XVI. papa et sedit mensibus 10.

Anno 995. Bruno, qui et Gregorius, huius nominis V. factus papa sedit Rome annis 2.

Transl. s. Cuth. c. 20. 21. In Anglia facta est translatio sancti Cuthberti [k] gloriosissimi confessoris et episcopi et inchoatio civitatis Dunelmensis.

Chron. S. Benig. 382'. Henricus autem dux Burgundie, frater regis Francie Hugonis, abbati Guilelmo Divionensi commisit abbatiam Verziacensem pene ad nichilum redactam, ut ab eo restitueretur. Episcopus Bruno Lingonensis delegavit eius providentie [l] plurimas abbatias quas omnes in pristinum statum [m] reformavit.

Sigeb. 997. Anno 996. Sicut ait Sigebertus [n], clarebat hoc tempore inter Gallos Ansfridus — ut ordinaretur Wltraiectensis ecclesie episcopus. Dicitur quod iste est Ansfridus, qui comitatum de Hoio dedit beato Lamberto [o].

Obiit rex Francorum Hugo et apud Sanctum Dyonisium sepelitur [43] et tota fere eiusdem [p] successio.

Anno 997. Rex Francorum Robertus ab hoc anno per annos 35 regnavit et coronatus Helin. 995. est Aurelianis [44]. Fuit autem in litteratura discipulus Gerberti [45] et in ecclesiasticis cantibus non mediocriter doctus [q]. Fecit duas sequentias: *Sancti Spiritus assit nobis gratia* et *Rex omnipotens,* responsorium: *O Iuda et Ierusalem,* responsorium [r]: *O constantia martirum.* *Alleluia, Eripe me,* antiphonas versificatas: *Pro fidei meritis* et cetera, *Kyrie eleyson, Cunctipotens genitor* [46]. Et cum quadam die in vigilia apostolorum esset Rome, optulit super altare in scedula [s] responsorium: *Cornelius centurio,* quod ipse conposuerat.

Sigeb. 995. Sanctus Heribertus ordinatur Coloniensis archiepiscopus, multa sanctitate [t] claret per annos 25 [47].

Apud Cathalaunum obiit Gibuinus episcopus senior, succedit alter Gibuinus nepos eius.

Rome Iohannes XVII. fit papa mensibus 2; hic secundum Sigebertum vocatur Agapitus [48].

Sigeb. 998. Hoc tempore quidam religiosus — fecit solempnizari memoriam.

---

a) *deest* 2. b) Nizonem 2. c) Gerbertum imperator 2. d) presidebat 2. e) Ludofus 1. f) Odilio 2. g) Erierus 1; *ut* 2 *ita Sigeb.* h) fabricavit 2. i) episcopi Not. 2. k) Cuchberti 2. l) prudentie 2. m) gradum 1. n) Sicut ait Sigebertus *desunt* 2; 1 *haec verba fini anni prioris adiecit.* o) *manus posterior in margine cod.* 1 *add.:* At hic construxit monasterium in monte sancto apud Amerforde ordinis sancti Benedicti Qui obiit anno Domini 1004. Quod postea domnus Bernoldus eiusdem civitatis transtulit in eandem civitatem, videlicet monasterium sancti Pauli ordinis predicti. p) eius 2. q) edoctus 1; *sed ut* 2 *ita Helinandus ipse.* r) ℞ 2. s) cedula 2. t) claritate 2.

36) Vide supra ad a. 972. 37) Anno 998. 38) Libellus exstat in A. SS. Octob. III, 300—324. 39) Conches, départ. Eure, arrond. Evreux. 40) Agen, départ. Lot-et-Garonne. 41) Haec ad Transl. metric. c. 2 auctore anonymo recedunt. 42) Anno 988. 43) Ex Hist. Franc. Senon. M. G. SS. IX, 368? 44) Ex Ivonis Carnot. ep. 189 ap. Bouquet XV, 145? 45) Cf. annum 997. 46) Helinandus in dubio reliquit, num sequentiam *Rex omnipotens* Robertus rex composuerit, an Hermannus Contractus, cui et *Sancti Spiritus adsit nobis gratia* attribui dicit; noster utramque sequentiam ad Robertum refert, nescio quo iure, crediderim vero alio auctore eum nisum esse, et eodem quidem, ex cuius libro *antiphonas versificatas* et cetera deprompserit. 47) Sedit annis 21. Cat. aep. Col. 48) Ad annum 998

Anno 998. Gerbertus Rome factus papa, Silvester II. appellatus est, sedit annis 4, mense 1, diebus 9. Qui et ipse inter scientia litterarum claros egregie claruit. Hic sequentiam: *Ad celebres rex celice* in laudem celestium angelorum conposuit. Hugo S. Vict. 123'. Sigeb. 995.

Quidam transito Silvestro — vel lecta scribo. ibid.

Obiit dux Normannie primus Richardus anno 52.[49] sui ducatus, cuius uxor Gunnor dicta est[50], cui succedit Richardus filius eius.

Predictus vero dux Richardus audita fama venerabilis Guilelmi abbatis Divionensis, ipsum ad se venire fecit, et ei[a] reformanda cenobia commisit, Fiscanense videlicet, Gemmeticum, monasterium sancti Audoeni et Montem sancti Michaelis, in quibus plures discipulos habuit religiosos, quorum unus Clemens nomine, multis bonis adornatus, tante fuit humilitatis, ut cum gradu sacerdotii fungeretur, nunquam in omni vita sua, nisi semel ad hoc ministerium[b] venire presumpserit[c]. Commisit etiam ipsi Guilelmo rex Robertus Sanctum Germanum Parisius, et comes Odo Campaniensis abbatiam sancti Pharonis Meldensis, et episcopus[d] Theodericus Metensis abbatiam Gorziensem. Chr. S. Benigni 386.

Abbatia Coziaci[51] fundata est, ubi translata sunt corpora Felicis et Adaucti.

Comes Raginerus[52] abstulit Montem Castri comiti Godefrido.

Anno 999. In Italia — rebellat. Sigeb. 999.

Guido ex dictis Guilelmi de Gerberto: Urgebat Gerbertus fortunas suas fautore dyabolo, ut quidquid excogitasset impleret. Denique thesauros multos a gentilibus olim defossos[e] arte nigromantie molibus eruderatis[f] invenit. G. Malm. 168.

Erat iuxta Romam in campo Martio statua, aurea an erea incertum, dextre manus indicem digitum extentum[g] habens, scriptum quoque in capite: *Hic percute.* Unde plures rati, quod ibi thesaurum invenirent, multis ictibus statue caput perforaverunt; sed Gerbertus longe aliter ambiguitatem absolvit[h]. Namque sole in meridie posito, notans quo protenderet umbra digiti, nocte solitis artibus terram dehiscens, incomparabilem thesaurum invenit, ingentem scilicet regiam, aureos parietes[i], aurea lacunaria, omnia aurea, milites aureos tesseris aureis ludentes, regem aureum cum regina aurea discumbentem, apposita obsonia, astantes ministros, pateras multi ponderis et pretii, in quibus materiam superabat opus. In interiori parte domus lucebat carbunculus, in contrario angulo puer quidam stabat[k] arcu extento. Quod videns Gerbertus nichil arripere attemptavit, sed cubicularius eius cultellum aureum secreto rapuit, et omnia versa sunt in tumultum, donec exclamante Gerberto cultellum proiecit, et infecto negotio ductu laterne[l] regressi sunt. ibid. 169.

Hoc in loco prosequitur in narratione sua Guilelmus, quod quidam monachus de Barcinona natus, filius cuiusdam pauperis, cum adhuc septem esset[m] annorum, venit in Italiam querens panem. Adultus autem multa illius terre miracula inspexit, inter que montem perforatum, ultra quem[n] accole[o] dicebant thesauros Octaviani reconditos, ferebanturque multi[p] periisse querendo illos per subterraneos anfractus. Hic autem adolescens studio videndi et predandi 12 socios habuit, qui secum pergerent, portantes ingens glomus[q] fili, sequentes ingenium Dedali, qui Theseum de laberintho per filum eduxit. Igitur paxillum in ingressu fixerunt, principio fili ad eum ligato, accensis laternis[r] intro perspexerunt. Vespertiliones autem de cavernis egredientes oculos eorum et ora infestabant, semita erat arcta[s], a leva precipitium et subterlabens fluvius. Viderunt tramitem plenum cadaveribus eorum, qui thesauros ibi querendo perierant. Tandem ad egressum ulteriorem pervenientes[t] viderunt stagnum placidum et pontem ereum, et ultra pontem videbantur mire magnitudinis equi aurei cum sessoribus aureis et cetera, que de Gerberto dicta sunt. Unus ex predictis sociis, dum pontem transire parat, mox[u] pontis pede depresso alter elevatus produxit rusticum ereum cum ereo malleo, quo ille undas verberans ita obnubilavit[v] aera, ut diem celumque subtexeret[w]; retracto pede pax fuit. Temptatum est idem a pluribus, idemque expertum. Desperantes solo visu libabant aurum: tunc per vestigia glomeris[x] egressi pateram argenteam repperunt, quam inter se partiti sunt. Postero die collato consilio magistrum quemdam adierunt, qui dicebatur nomen Domini ineffabile scire. Erat autem tale nomen, quale et Zambri, de quo legitur in vita beati Silvestri[53], dixit in aure tauri ferocissimi. Hunc ieiunum duxerunt secum, sed ea vice exitum ulteriorem non invenerunt. Audiens hoc quidam Iudeus nigromanticus ait ad adolescentem, qui hoc totum fecerat factitari: *Videbis quantum possit ars mea.* Qui incunctanter montem introiens non multo post regressus[y] est, multa[z] afferens ad indicium sui transitus, que ille ultra montem notaverat, inter que pulverem locupletissimum, quo quidquid contingeret[*] in aurum vertebat; non quod ita pro vero esset, sed quia ita videretur quoadusque aqua dilueretur. Nichil enim quod per nigromantiam fit, potest in aqua[a] fallere intuentem, quod postea manifeste exemplo probabitur. ibid. 170.

Anno Domini 1000. Secundum computationem Dyonisii — ceruleis pedibus. Sigeb. 1000.

In Burgundia mortuo rege Conrado Rodulfus filius eius regnavit[b] annis 35.

Anno 1001. Otto imperator Rome — ante Urbem suspenditur. ibid. 1001.

Abbas Guilelmus Divionensis multa corpora sanctorum ibidem levavit, inter que sancta Radegundis regina scribitur fuisse inventa. Chr. S. Benigni 383.

Anno 1002. Otto imperator degens Rome — sibi viam parant. Sigeb. 1002.

Episcopus Otto dicit, quod iste Otto dictus est Mirabilia mundi, et sepultus est Aquis in ecclesia beate Marie, ubi et Karolus Magnus requiescit. Otto Fris. VI, 26.

Et cum iam[z] res in tuto esse putaretur, dux Bawarie Henricus iniuriato Heriberto Coloniensi archiepiscopo, a cuius ore omnes pendebant, insignia regni ab eo violenter extorsit quasi hereditario iure sibi conpetentia[c]. Erat quippe filius Henrici ducis, qui secundum Ottonem episcopum[d] Heiscelo dictus est[54]. Qui Henricus sive Hei- Sigeb. 1002.

---

a) reformanda cenobia ei 2. b) monasterium 1. c) presumpserat 1. d) *deest* 2. e) effossis 1. 2. f) eruderaris 2. g) extentum digitum 2; extensum 1; *sed* extentum *ut* 2 *ita Guil. ipse.* h) solvit 2. i) parietes aures 1, *sed ut* 2 *ita Guil. ipse.* k) *deest* 1. 2. l) latrine 2; lanterne 1, *cf. notam* r. m) septem annorum 2. n) quod 1. o) dicebant accole 2. p) multo 2. q) glomum 1. 2. r) lahternis 1; *sed ut Guil. ipse ita* 2. s) arta 1. 2. t) provenientes 1. 2. u) *addendum est:* altero margine. v) obnubilaverat 1; *sed ut* 2 *ita Guil. ipse.* w) subtexexat 2. x) glomis 1. y) ingressus 1. z) *deest* 2. *) contingebat 2. a) aquam 2. b) regnat 2. c) copetentia 2. d) cronographum *add.* 1.

[49] Cf. Guil. Malm. §. 165. Helin. 998.

[50] Cf. Ivonis Carnot. ep. 261, ed. Iureto p. 460, quam ad annum 1116. sequutus Richardi uxorem Gunnorem vocavit.

[51] Choisi-au-Bac, départ. Oise, arrond. Compiègne.

[52] Montensis.

[53] apud Surium VI, 1064.

[54] Cf. Ottonis Fris. chron. VI, 27.

Chron. S. Benig. 382'. Anno 988. Hugo filius Hugonis Cappet[a] in civitate Novion rex elevatus a Francis, 9 annis regnavit. Iste rex Hugo, quod iam tetigimus[25], fratres habuit Ottonem et Henricum duces Burgundie et sororem Beatricem, de qua Fredericus dux Mosellanorum, id est de Nanceio, frater episcopi Alberonis Metensis, genuit ducem Theodericum et fratrem eius Alberonem episcopum Virdunensem[b], qui translatus est ad episcopatum Metensem post Theodericum. Mater vero eiusdem Hugonis dicta est Hadwidis, et fuit soror primi Ottonis imperatoris. Pater autem eiusdem regis Hugonis dux Hugo Cappatus iam ante 30 annos obierat. Qui sororem habuit, de qua nati sunt quatuor filii comitis Heriberti de Perona, Campanie simul et Veromandie[c] comitis. Avus autem huius regis Hugonis rex et regni invasor Robertus in bello Suessonico fuerat[d] occisus. Cuius frater rex Odo dictus est, qui cum Karolus Simplex adhuc puer esset, tanquam tutor pueri regnum Francie gubernavit et maxime in Aquitania regnavit. Et horum pater dictus est comes Robertus Fortis, marchio de genere Saxonum extractus, cui Karolus Calvus comitatum Andegavensem dederat in beneficium, tamquam viro forti contra Britones et Normannos pugnaturo et regnum ex illa parte defensuro, et iste Robertus a Normannis[e] paganis fuit occisus.

Ulterius de eius genere hystoriographi nescierunt dicere[f]. Avia autem huius regis Hugonis, mater videlicet Hugonis Cappet fuit per consequentiam filia illius Hugonis Capito, qui erat dux Burgundie inferioris, et fuit frater regis Rodulphi et comitis Vitriaci Bosonis. Matrem vero regis Odonis et ducis Roberti, uxorem videlicet Roberti[g] Fortis marchionis, credimus fuisse illam que dicta est proprio[h] nomine Regina, que cum esset iuvencula, fuit concubina Karoli Magni iam senioris, cui peperit episcopum Drogonem Metensem et abbatem Hugonem, et hanc opinionem habemus ex collectaneo Sancti Benigni, ubi dicitur, Chron. S. Benig. 377. quod rex Odo et Robertus fratres fuerunt abbatis Hugonis. Et hec est ratio quare isti fuerunt in curia regum Francie ita magnifici. Quia vero regis Hugonis[g] genealogiam[i] ita subtiliter indagavimus, ad narrationem hystorie revertamur.

Guido: Bis igitur in regno Francie iam mutata regali serie, fit regum tertio[k] nova successio de Hugonis Magni progenie. Nam Clodovei primo Pipinus Karoli Magni[l] pater a sceptris amovit heredes. Secundo dux Hugo Karoli Magni sobolem extirpavit a regni solio, quod sibi suoque generi confirmavit. Venerat et gratiam magnam apud ipsum Guil. Malm. 167. invenerat ille peritus artium et famosus ingenii subtilitate Gerbertus, qui in Gallia Remis ut dicitur natus[m], monachus a puero apud Floriacum adolevit, mox in Hyspaniam profugiens, ut astrologiam a Sarracenis disceret, et desiderio satisfecit. Ibi liberales artes ita ebibit, quod eas industria magna revocaret in Galliam, omnino ibidem pridem obsoletas. Abbacum certe primus a Sarracenis rapuit, et regulas dedit, que a sudantibus abbacistis vix intelliguntur. Ibi quid cantus et volatus avium portendat[n] edidicit, ibi etiam excire[o] tenues ex inferno figuras, ibi quidquid noxium vel salubre curiositas humana scrutabatur, deprehendit. Unus erat codex magistri sui totius artis conscius, quem sub eius cervicali positum nocte rapuit et aufugit. Profugus ergo respiciens eadem peritia[26], qua persequebatur eum magister suus, sub ponte ligneo, qui proximus erat, se pendulus occulit, pontem amplectens, ut nec aquam, nec terram tangeret. Ita querentis aviditate frustrata devenit[p] ad mare. Ibi per incantationem dyabolo accersito perpetuum illi paciscitur hominium, si se a persequente[27] ultra pelagus eveheret defensatum; et ita factum est. Inde cum redisset in Franciam et arcem in doctrina teneret artium, quia regis Hugonis filium Robertum liberalibus disciplinis instruxit; idem rex eum in sedem Remensis ecclesie irreverenter, ut postea dicetur[28], intrusit.

Helin. 988. Hoc etiam anno mortuus est vir sanctissimus in Anglia Dunstanus Cantuariensis archiepiscopus[q], 10. videlicet anno regis Anglorum Ethelredi, qui 37 annis regnavit[29]. Huius sancti vitam descripsit Osbernus Cantuarie cantor, vir et in eloquentia et in arte musica valde peritus, de qua vita in precedentibus per annos 58 multa tetigimus[30].

Gesta ep. V. II, 6. 7. 9. Apud Virdunum post mortem episcopi Alberonis filii comitis Godefridi, qui 3 annis et dimidio prefuit, factus est Aeg. Aur. c. 56. domnus Haymo episcopus[r] per 36 annos, natione Theutonicus[s]. Iste fuit discipulus Notgeri Leodiensis episcopi.

Sigeb. 988. Inundatio aquarum frequens — et fruges minorate sunt.

---

[a] Cappeti 2. [b] Verdunensem 2. [c] Vermandie 2. [d] fuit 2. [e] paganis Normannis 2. [f] nescierunt historiographi dicere 2. [g] *deest* 1. [h] *deest* 2. [i] geneologiam 2. [k] tertio regum 2. [l] magni Karoli 2. [m] est *add.* 2. [n] portendant 2; portendat 1 *et Guil. Malm. ipse.* [o] exscire 1. 2. [p] advenit 2. [q] episcopus 2. [r] *deest* 2. [s] Teuthonicus 2.

[25] Ad annum 958. [26] Stellarum scilicet indicio, qua peritus erat arte. [27] id est: a magistro, qui denuo Gerbertum insequebatur. [28] Cf. ad an. 991, ubi cum de Gerberto referat Guidonem secutus, hic quoque Guidonem descripsisse videtur. [29] Has temporis notas ex iis, quae ap. Helin. 979 inveniuntur, additas esse putarim. [30] Cf. annos 929. 937. 940. 962. 968. 988. Nec vero vitam ipsam, sed Helinandi chronicon descripsit.

Rome Iohannes XV. fit papa, qui a Sigeberto vocatur Marinus[31], sedit secundum annotationem magistri Hugonis annis 6, mensibus 7. Hugo S. Vict. 123'.

Anno 989. Karolus dux regnum — fugiens vix evasit. Inde Karolus dux montem Acutum — cum multa preda revertitur. Sigeb. 988. 989.

Siccitas magna vernalis — de celo pluisse dicebant. Nix nimia — omnino demergeret.

Post mortem sancti[a] Dunstani Dani infestaverunt Angliam et interfecerunt sanctum archiepiscopum Elfegum, cuius corpus post decem annos inventum est incorruptum. Cuius successor Luingus dictus est[32]. Helin. 988.

Circa hoc tempus comes Trecensis qui dicebatur Heribertus II, cognomento Vetulus, fuit mortuus et apud abbatiam Latiniaci[33], quam ipse restituit, est sepultus. Cui succedit Odo Campaniensis comes potentissimus.

Comes vero de Arceis et de Ramerut[34] erat Hilduinus frater episcopi Manasse Trecensis, de genere, ut dicitur Ganalonis; quere 1063.

Anno 990. Episcopus Bruno Lingonensis Guilelmum, monachum Cluniacensem, virum[a] probatissimum, in ecclesia sancti Benigni Divionensi abbatem instituit, Italia oriundum, alto[b] satis germine et nobili prosapia editum ac ferventissimum sui ordinis executorem. Hunc sanctus Maiolus Roma veniens in Lauceio monasterio invenerat et deprecantem secum deduxerat. Qui abbas Guilelmus hoc anno ordinatus 42 annis prefuit et, ut dicunt, 50 circiter abbatias in manu sua tenuit, in quibus religionis fervorem renovavit. Erat corpore castus — mansuetus, caritate et bonorum omnium gratia plenus. Chron. S. Benig. 381'. ibid. 382 et 390'. ibid. 382.

Herigerus fit abbas Lobiensis septimus, litterarum scientia[c] clarus, cuius habentur regule numerorum super abbacum Gerberti. In multis namque studebant antiqui, que hodie[d] habentur derisui.

Karolus dux Remim — et Lauduno relegat. Et paulo post idem dux moritur; cui Otto filius suus in ducatu Lothoringie[e] succedit[f]. Sigeb. 990. 991.

Anno 991. Remis sinodo totius Francie congregata Arnulfus nepos Karoli ducis[g], quem ipse Karolus episcopum Remis[h] substituerat, imo potius restituerat, omnium iudicio exordinatus dampnatur et Adelgarius presbyter, qui urbem prodidit et portas Karolo aperuit, insolubiliter excommunicatur. Gerbertus quoque a rege Hugone archiepiscopus substituitur. ibid. 992.

Unde Guido: Rex Hugo congregat apud urbem Remensem episcoporum et optimatum grande concilium, in quo violenter exegit ab episcopis et principibus, ut memoratus a sede Remensi deponeretur Arnulfus, quo tam terrore minarum, quam sub optentu non cause, sed occasionis obtento, quod idem ferebatur Arnulfus de thoro non legitimo procreatus, captum et raptum, iniuriose tractum, contumeliose tractatum et ab ecclesia manibus violenter iniectis eiectum, apud Aurelianis iuxta nepotem eius Karolum sub arcta fecit custodia detineri, et in sedem Remensis ecclesie, de qua eiecerat violenter Arnulfum, Gerbertum irreverenter intrusit.

Filium quoque suum, ut habetur ex cartis Sancti Benigni, consecrari fecit[i] in regem et coronari Robertum ad conregnandum secum. Chron. S. Benig. 382'.

Anno 992. Quibusdam Remensis ecclesie causam ventilantibus, non potuisse degradari Arnulfum absque scientia et auctoritate Romani[k] pontificis, Gerbertus deponitur et Arnulfus restituitur. Qui Gerbertus ad imperatorem Ottonem se contulit. Sigeb. 992.

Unde Guido: Apostolice districtione censure rex Hugo Arnulfum liberum revocare conpulsus est, et a sede Remensi Gerbertus expulsus[l]. Hoc pudore confusus et opinione delusus illusor, idem Gerbertus ad imperatorem venit Ottonem, qui primo Ravenne fecit eum archiepiscopum et mox papam, ut habetur in sequentibus.

Sanctus Gerardus tunc florebat Tullensis episcopus; dicitur quod ecclesiam Barri Ducis in honore sancti Stephani de[m] novo fundatam ipse benedixit.

Abbas Adzo Deruensis monasterii vir religiosus, qui scripsit vitam sancti Mansueti Tullensis ad eundem episcopum[n] Gerardum, vitam sancti Bercharii, vitam sancti[n] Basoli et multa alia et vitam sancti Frodoberti primi abbatis celle Bobini insule Sequanice[o] [35] et in[p] suburbio Trecorum Auguste. Qui hoc anno idem Adzo[q] in peregrinatione transmarina obiit, in qua duxerat secum comitem Hilduinum de Arceis[r]. Mirac. s. Berch. c. 11.

In Leodio sub episcopo Notgero tres prebendales ecclesie fuerunt institute, videlicet ecclesia sancti Iohannis in insula, que ab ipso episcopo fundata est, de qua iam supra

---

a) *deest* 2. b) altus 1. c) scientia literarum 2. d) *deest* 1. e) succedit Lotharingie 2. f) heredem non habens 1; *quae vero verba quum nec in* 2, *nec in Albrici fonte legantur, haud dubium videtur, quin a scriptore cod.* 1 *addita sint.* g) Karoli ducis nepos 2. h) Remis episcopum 2. i) fecit consecrari 2. k) summi 2. l) est *add.* 2. m) a 2. n) *deest* 2. o) Sequanice insule 2. p) *deest* 1. q) Gazo 2. r) Archeis 2.

[31] Ad annum 989.

[32] Haec in editione Helinandi desunt; num Albricus ex Helinandi fonte, Guilelmi scilicet Malmesb. chronico §. 176, ea addiderit, an quae forte incuria tantum editoris sive scriptoris omissa sunt in integro Helinandi chronico invenerit, dubitari licet.

[33] Lagni, départ. Seine-et-Marne, arrond. Meaux.

[34] Arcis sur Aube et Ramerupt, départ. Aube, arrond. Arcis.

[35] potius Germanicae insulae, ut in Mirac. s. Bercharii cap. 9 legis.

Aeg. Aur. II, 52. diximus [36]. Deinde ecclesia sancte crucis per Robertum maioris ecclesie prepositum, auctoritate domni episcopi inchoata est contra voluntatem domni [a] defensoris, qui castrum ibi facere voluit, sed non prevaluit. Ibi primo ibid. II, 53. 15 canonici positi sunt, sed postea Deo dante 30 fuerunt. Per Nisonem [b] maioris ecclesie custodem, qui Nithardus dictus est, ecclesia beati Dyonisii condita est et fundata, ubi primo viginti canonici positi sunt, sed postea 30 fuerunt.

Sigeb. 993. Anno 993. Otto III. in imperatorem benedicitur secundum Sygebertum, et Gerbertus factus Ravenne ibid. 992. archiepiscopus. Unde imperator Gerbertum [c] receptum primo Ravenne archiepiscopum et postea instituit papam Romanorum. Unde est illud monostichum: *Scandit ab R. Gerbertus ad R. post papa vigens R.* Sed de papatu postea dicemus [37].

Cat. aep. Col. G. ep. T. c. 30. Colonie vero presidebant [d] Evergerus, Treveri Liudolfus [e].

Apud Sanctum Remaclum prefuit Richardus episcopus et abbas et post eum sanctus Odilo [f].

Sigeb. 993. In Burgundia Odilo [f] Averne oriundus, monachus professus Cluniacensis post sanctum Maiolum preficitur ipsi cenobio — *Si dampnandus sum,* inquit, *malo dampnari pro misericordia, quam pro avaritia sive duritia.*

Sigeb. 994. Anno 994. Florebat hoc tempore sanctus Fulbertus Carnotensis episcopus in scientia litterarum, Abbo abbas Floriacensis, qui super calculum Victorini commentatus est, in Lothoringia Adelboldus episcopus Wltraiectensis et Herigerus [g] abbas [a] Lobiensis

Ad sanctum Fulbertum episcopum Carnotensem Bernardus scolasticus Andegavensis edidit libellum [38] miraculorum sancte Fidis de Conchis [39], que passa est in civitate Aginno [40] sub impio Daciano cum beato Caprasio. Super eorum corpora sanctus Dulcius episcopus basilicam edificavit [h], sanctam Fidem seorsum in suburbio recondidit [41], ubi innumera et ingentia miracula facta sunt precibus ipsius et meritis.

Aegid. c. 56. Item de schola Notgeri [i] episcopi Leodiensis fuerunt Guntherus archiepiscopus Salzeburgensis, Haymo, de quo premisimus [42], Virdunensis episcopus, Rothardus et Erluinus Cameracenses episcopi, Adelboldus supradictus episcopus Wltraiectensis, Hescelo Tullensis, Durandus et Wazo Leodienses postmodum episcopi. Idem etiam Durandus docuit Bavembergensem ecclesiam et duo socii eius, Obertus Aquensem, Huboldus Parisius, qui postea cepit predicare apud Pragam.

Cat. p. R. Rome fuit Iohannes XVI. papa et sedit mensibus 10.

Anno 995. Bruno, qui et Gregorius, huius nominis V. factus papa sedit Rome annis 2.

Transl. s. Cuth. c. 20. 21. In Anglia facta est translatio sancti Cuthberti [k] gloriosissimi confessoris et episcopi et inchoatio civitatis Dunelmensis.

Chron. S. Benig. 382'. Henricus autem dux Burgundie, frater regis Francie Hugonis, abbati Guilelmo Divionensi commisit abbatiam Verziacensem pene ad nichilum redactam, ut ab eo restitueretur. Episcopus Bruno Lingonensis delegavit eius providentie [l] plurimas abbatias quas omnes in pristinum statum [m] reformavit.

Sigeb. 997. Anno 996. Sicut ait Sigebertus [n], clarebat hoc tempore inter Gallos Ansfridus — ut ordinaretur Wltraiectensis ecclesie episcopus. Dicitur quod iste est Ansfridus, qui comitatum de Hoio dedit beato Lamberto [o].

Obiit rex Francorum Hugo et apud Sanctum Dyonisium sepelitur [43] et tota fere eiusdem [p] successio.

Anno 997. Rex Francorum Robertus ab hoc anno per annos 35 regnavit et coronatus Helin. 995. est Aurelianis [44]. Fuit autem in litteratura discipulus Gerberti [45] et in ecclesiasticis cantibus non mediocriter doctus [q]. Fecit duas sequentias: *Sancti Spiritus assit nobis gratia* et *Rex omnipotens,* responsorium: *O Iuda et Ierusalem,* responsorium [r]: *O constantia martirum.* *Alleluia, Eripe me,* antiphonas versificatas: *Pro fidei meritis* et cetera, *Kyrie eleyson, Cunctipotens genitor* [46]. Et cum quadam die in vigilia apostolorum esset Rome, optulit super altare in scedula [s] responsorium: *Cornelius centurio,* quod ipse conposuerat.

Sigeb. 995. Sanctus Heribertus ordinatur Coloniensis archiepiscopus, multa sanctitate [t] claret per annos 25 [47].

Apud Cathalaunum obiit Gibuinus episcopus senior, succedit alter Gibuinus nepos eius.

Rome Iohannes XVII. fit papa mensibus 2; hic secundum Sigebertum vocatur Agapitus [48].

Sigeb. 998. Hoc tempore quidam religiosus — fecit solempnizari memoriam.

---

a) *deest* 2. b) Nizonem 2. c) Gerbertum imperator 2. d) presidebat 2. e) Ludofus 1. f) Odilio 2. g) Erierus 1; *ut* 2 *ita Sigeb.* h) fabricavit 2. i) episcopi Not. 2. k) Cuchberti 2. l) prudentie 2. m) gradum 1. n) Sicut ait Sigebertus *desunt* 2; 1 *haec verba fini anni prioris adiecit.* o) *manus posterior in margine cod.* 1 *add.:* At hic construxit monasterium in monte sancto apud Amerforde ordinis sancti Benedicti Qui obiit anno Domini 1004. Quod postea domnus Bernoldus eiusdem civitatis transtulit in eandem civitatem, videlicet monasterium sancti Pauli ordinis predicti. p) eius 2. q) edoctus 1; *sed ut* 2 *ita Helinandus ipse.* r) ℞ 2. s) cedula 2. t) claritate 2.

36) Vide supra ad a. 972. 37) Anno 998. 38) Libellus exstat in A. SS. Octob. III, 300–324. 39) Conches, départ. Eure, arrond. Evreux. 40) Agen, départ. Lot-et-Garonne. 41) Haec ad Transl. metric. c. 2 auctore anonymo recedunt. 42) Anno 988. 43) Ex Hist. Franc. Senon. M. G. SS. IX, 368? 44) Ex Ivonis Carnot. ep. 189 ap. Bouquet XV, 145? 45) Cf. annum 997. 46) Helinandus in dubio reliquit, num sequentiam *Rex omnipotens* Robertus rex composuerit, an Hermannus Contractus, cui et *Sancti Spiritus adsit nobis gratia* attribui dicit; noster utramque sequentiam ad Robertum refert, nescio quo iure, crediderim vero alio auctore eum nisum esse, et eodem quidem, ex cuius libro *antiphonas versificatas* et cetera deprompserit. 47) Sedit annis 21. Cat. aep. Col. 48) Ad annum 998

Anno 998. Gerbertus Rome factus papa, Silvester II. appellatus est, sedit annis 4, mense 1, diebus 9. Hugo S.Vict. 123'.

Qui et ipse inter scientia litterarum claros egregie claruit. Hic sequentiam: *Ad celebres rex celice* in laudem celestium angelorum conposuit. Sigeb. 995.

Quidam transito Silvestro — vel lecta scribo. ibid.

Obiit dux Normannie primus Richardus anno 52.[49] sui ducatus, cuius uxor Gunnor dicta est[50], cui succedit Richardus filius eius.

Predictus vero dux Richardus audita fama venerabilis Guilelmi abbatis Divionensis, ipsum ad se venire fecit, et ei[a] reformanda cenobia commisit, Fiscanense videlicet, Gemmeticum, monasterium sancti Audoeni et Montem sancti Michaelis, in quibus plures discipulos habuit religiosos, quorum unus Clemens nomine, multis bonis adornatus, tante fuit humilitatis, ut cum gradu sacerdotii fungeretur, nunquam in omni vita sua, nisi semel ad hoc ministerium[b] venire presumpserit[c]. Commisit etiam ipsi Guilelmo rex Robertus Sanctum Germanum Parisius, et comes Odo Campaniensis abbatiam sancti Pharonis Meldensis, et episcopus[d] Theodericus Metensis abbatiam Gorziensem. Chr. S. Benigni 386.

Abbatia Coziaci[51] fundata est, ubi translata sunt corpora Felicis et Adaucti.

Comes Raginerus[52] abstulit Montem Castri comiti Godefrido.

Anno 999. In Italia — rebellat. Sigeb. 999.

Guido ex dictis Guilelmi de Gerberto: Urgebat Gerbertus fortunas suas fautore dyabolo, ut quidquid excogitasset impleret. Denique thesauros multos a gentilibus olim defossos[e] arte nigromantie molibus eruderatis[f] invenit. G.Malm.168.

Erat iuxta Romam in campo Martio statua, aurea an erea incertum, dextre manus indicem digitum extentum[g] habens, scriptum quoque in capite: *Hic percute.* Unde plures rati, quod ibi thesaurum invenirent, multis ictibus statue caput perforaverunt; sed Gerbertus longe aliter ambiguitatem absolvit[h]. Namque sole in meridie posito, notans quo protenderet umbra digiti, nocte solitis artibus terram dehiscens, incomparabilem thesaurum invenit, ingentem scilicet regiam, aureos parietes[i], aurea lacunaria, omnia aurea, milites aureos tesseris aureis ludentes, regem aureum cum regina aurea discumbentem, apposita obsonia, astantes ministros, pateras multi ponderis et pretii, in quibus materiam superabat opus. In interiori parte domus lucebat carbunculus, in contrario angulo puer quidam stabat[k] arcu extento. Quod videns Gerbertus nichil arripere attemptavit, sed cubicularius eius cultellum aureum secreto rapuit, et omnia versa sunt in tumultum, donec exclamante Gerberto cultellum proiecit, et infecto negotio ductu laterne[l] regressi sunt. ibid. 169.

Hoc in loco prosequitur in narratione sua Guilelmus, quod quidam monachus de Barcinona natus, filius cuiusdam pauperis, cum adhuc septem esset[m] annorum, venit in Italiam querens panem. Adultus autem multa illius terre miracula inspexit, inter que montem perforatum, ultra quem[n] accole[o] dicebant thesauros Octaviani reconditos, ferebanturque multi[p] periisse querendo illos per subterraneos anfractus. Hic autem adolescens studio videndi et predandi 12 socios habuit, qui secum pergerent, portantes ingens glomus[q] fili, sequentes ingenium Dedali, qui Theseum de laberintho per filum eduxit. Igitur paxillum in ingressu fixerunt, principio fili ad eum ligato, accensis laternis[r] intro perspexerunt. Vespertiliones adte de cavernis egredientes oculos eorum et ora infestabant, semita erat arcta[s], a leva precipitium et subterlabens fluvius. Viderunt tramitem plenum cadaveribus eorum, qui thesauros ibi querendo perierant. Tandem ad egressum ulteriorem pervenientes[t] viderunt stagnum placidum et pontem ereum, et ultra pontem videbantur mire magnitudinis equi aurei cum sessoribus aureis et cetera, que de Gerberto dicta sunt. Unus ex predictis sociis, dum pontem transire parat, mox[u] pontis pede depresso alter elevatus produxit rusticum ereum cum ereo malleo, quo ille undas verberans ita obnubilavit[v] aera, ut diem celumque subtexeret[w]; retracto pede pax fuit. Temptatum est idem a pluribus, idemque expertum. Desperantes solo visu libabant aurum: tunc per vestigia glomeris[x] egressi pateram argenteam reppererunt, quam inter se partiti sunt. Postero die collato consilio magistrum quemdam adierunt, qui dicebatur nomen Domini ineffabile scire. Erat autem tale nomen, quale et Zambri, de quo legitur in vita beati Silvestri[53], dixit in aure tauri ferocissimi. Hunc ieiunum duxerunt secum, sed ea vice exitum ulteriorem non invenerunt. Audiens hoc quidam Iudeus nigromanticus ait ad adolescentem, qui hoc totum fecerat factitari: *Videbis quantum possit ars mea.* Qui incunctanter montem introiens non multo post regressus[y] est, multa[z] afferens ad indicium sui transitus, que ille ultra montem notaverat, inter que pulverem locupletissimum, quo quidquid contingeret[*] in aurum vertebat; non quod ita pro vero esset, sed quia ita videretur quoadusque aqua dilueretur. Nichil enim quod per nigromantiam fit, potest in aqua[a] fallere intuentem, quod postea manifeste exemplo probabitur. ibid. 170.

Anno Domini 1000. Secundum computationem Dyonisii — ceruleis pedibus. Sigeb. 1000.

In Burgundia mortuo rege Conrado Rodulfus filius eius regnavit[b] annis 35.

Anno 1001. Otto imperator Rome — ante Urbem suspenditur. ibid. 1001.

Abbas Guilelmus Divionensis multa corpora sanctorum ibidem levavit, inter que sancta Radegundis regina scribitur fuisse inventa. Chr. S. Benigni 383.

Anno 1002. Otto imperator degens Rome — sibi viam parant. Sigeb. 1002.

Episcopus Otto dicit, quod iste Otto dictus est Mirabilia mundi, et sepultus est Aquis in ecclesia beate Marie, ubi et Karolus Magnus requiescit. Otto Fris. VI, 26.

Et cum iam[z] res in tuto esse putaretur, dux Bawarie Henricus iniuriato Heriberto Coloniensi archiepiscopo, a cuius ore omnes pendebant, insignia regni ab eo violenter extorsit quasi hereditario iure sibi conpetentia[c]. Erat quippe filius Henrici ducis, qui secundum Ottonem episcopum[d] Heiscelo dictus est[54]. Qui Henricus sive Hei- Sigeb. 1002.

---

a) reformanda cenobia ei 2. b) monasterium 1. c) presumpserat 1. d) *deest* 2. e) effossis 1. 2. f) eruderaris 2. g) extentum digitum 2; extensum 1; *sed* extentum *ut* 2 *ita Guil. ipse.* h) solvit 2. i) parietes aures 1, *sed ut* 2 *ita Guil. ipse.* k) *deest* 1. 2. l) latrine 2; lanterne 1, *cf. notam* r. m) septem annorum 2. n) quod 1. o) dicebant accole 2. p) multo 2. q) glomum 1. 2. r) lahternis 1; *sed ut Guil. ipse ita* 2. s) arta 1. 2. t) provenientes 1. 2. u) *addendum est:* altero margine. v) obnubilaverat 1; *sed ut* 2 *ita Guil. ipse.* w) subtexexat 2. x) glomis 1. y) ingressus 1. z) *deest* 2. *) contingebat 2. a) aquam 2. b) regnat 2. c) copetentia 2. d) cronographum *add.* 1.

[49] Cf. Guil. Malm. §. 165. Helin. 998.

[50] Cf. Ivonis Carnot. ep. 261, ed. Iureto p. 460, quam ad annum 1116. sequutus Richardi uxorem Gunnorem vocavit.

[51] Choisi-au-Bac, départ. Oise, arrond. Compiègne.

[52] Montensis.

[53] apud Surium VI, 1064.

[54] Cf. Ottonis Fris. chron. VI, 27.

scelo genitus fuit de Henrico fratre primi imperatoris Ottonis. Predictus igitur dux Henricus conciliatis sibi animis quorumdam principum regni ungitur in regem a Wiligiso Moguntie archiepiscopo et imperavit annis 22.

Predictus autem Wiligisus archiepiscopus[a] fuit filius cuiusdam aurige, et construxit Montem sancti Stephani, in quo sepultus est.

Guil. Malm. 172. Ex relatione Guidonis et Guilelmi: Gerbertus, qui et Silvester papa, de quo premisimus, fuderat sibi caput certa inspectione siderum, quod non nisi interrogatum loqueretur, sed verum vel affirmative vel negative. Verbi gratia diceret Gerbertus: *Ero apostolicus*[b]*?* responderet statua: *Etiam. Moriar, antequam cantem missam in Ierusalem? Non.* Quo illum ambiguo deceptum ferunt[c]. Nec enim providit, quod est Rome ecclesia Ierusalem dicta, ad quam quicumque reus criminis confugerit[d], subsidium pacis invenit. Hanc ferunt fuisse[e] Romuli asilum. In hac ergo cum ex more cantasset, invaletudinis ictus ingemuit consultaque statua deceptionem et mortem suam cognovit. Advocatis[f] igitur cardinalibus, cum facinora sua deplorasset, dilaniari se membratim et foras proiici iussit: *Habeat* inquiens *membrorum officium, qui eorum quesivit hominium.*

De hoc ergo in quodam libello, ubi agitur de sanctuario Lateranensis ecclesie, ita scriptum reperitur[g]: In dextro latere ecclesie Lateranensis prope altare sanctorum Vincentii et Anastasii martirum iacet Gerbertus Remorum archiepiscopus, qui papa effectus Silvester fuit appellatus. Quod autem tumba eius guttas quasi lacrimarum emittat, quando aliquis papa vel aliquis cardinalis[h] magnus mortuus[i] est, satis probatum est et satis vulgatum. Dicitur etiam, quod quicumque tumbam eius visitaverit et *Pater noster* ibi dixerit, quotiens hoc fecerit, indulgentiam obtineat aliquot dierum a summis pontificibus statutam.

Chr. S. Benig. 387. Dux Burgundie Henricus, patruus regis Francorum Roberti, moritur. Qui dux Henricus Guilelmum Ottonem loco[k] filii adoptavit et eius matrem Gerbergam uxorem habuit. Hic autem Guilelmus Otto multa bona pro anima Henrici ducis predecessoris sui contulit ecclesiis. Eiusdem principis uxor dicebatur Ermentrudis.

Ecclesia sancti Gengulfi in Florinis[55] cepit per Arnulfum nobilem de Ruminiaco[56], qui fuit Alpaidis et Godefridi filius. Idem Arnulfus filios habuit Godefridum nobilem et Gerardum episcopum Cameracensem.

Cat. p. R. Rome Iohannes papa XVIII. cognomento Sico, et secundum Sigebertum dicitur Octavianus[57]; et[l] sedit mense 1, post quem Iohannes XIX. cognomento Fasanus in numero pontificum 147.[58] sedit annis 5.

Gesta Trev. c. 30. Anno gratie 1003. Dictus rex Henricus[m] Alemannie Meingaudo preposito ecclesie Moguntine, Treverensem[l] archiepiscopatum dedit, contra quem Adalbero de Lucelenburch, frater uxoris eiusdem Henrici, prepositus Sancti Paulini, episcopatum[n] invadit; et hec[l] dissensio diu ibi fuit, et Meingaudus semper apud Confluenciam mansit.

Sigeb. 1003. Henricus imperator — celeriter devincit et reges gentilium in interiori Germania commorantes, qui Winidi dicuntur,
Helin. 1040. tributarios sibi facit. Licet Guillelmus[l] sequenti Henrico Conradi filio hec adscribat: Henricus hic Windelicos subegit, populos Suevis[o] conterminos. Qui Windelici fortunam adorabant — ad coquinam vectitarent.

Sigeb. 1004. Anno 1004. Gerardus Cameracensis — in palatio habentur. Henricus imperator Bavenbergensem ecclesiam episcopalis sedis honore sublimat, et quia liberis carebat, eam omnium suarum rerum heredem facit. Unde Theodericus Metensis episcopus natus de Lucelenburch[60], dolens dotem et patrimonium[p] sororis sue Kunegundis imperatricis delegari ab imperatore ecclesie Bavenburgensi, rebellat.

Super hoc quod hic dicitur, quia liberis carebat, scriptum est de ipso et de sancta ipsius coniuge Kunegunde, quod ambo virgines in tota[q] vita sua permanserunt[60*], et super hoc multa argumenta in predicta ecclesia de Bavenberch, ubi requiescunt, haberi dicuntur.

Apud Cathalaunum mortuo Gibuino II. Guido episcopus succedit.

ibid. 1005. Anno 1005. Cometes — visus est.

Mortuo[r] duce Ottone, filio ducis Karoli, ducatus Lothoringie datur ab imperatore comiti Godefrido Virdunensi, filio Godefridi Ardennensis. Huius Godefridi Ardenensis fuit uxor Mathildis comitissa Saxonie, que peperit ei episcopum Virdunensem Alberonem, de quo supra diximus[61], comitem Fredericum, Sancti Vitonii monachum, comitem de Daburc[61*] Hermannum, cuius fuit filius Gregorius Leodiensis archidyaconus, et duos duces prosapia inclitos, Godefridum istum et Gothelonem.

ibid 1005. Hilpericus librum — annos Christi 1005.

Facta est hoc anno Turonis maioris monasterii restauratio per Odonem Campaniensem comitem et eius uxorem[s] comitissam Turonensem Ermengardem.

---

a) *deest* 1. b) apostolus 1. c) ferens 2. d) confugerat 1; 2 *cum Guilelmo ipso* confugerit. e) Romuli fuisse 2. f) Convocatis 1, *quod vero* 2 *et Guilielmo ipsi repugnat.* g) repperitur 2. h) magnus cardinalis 2. i) moriturus 2. k) loci 1. l) *deest* 2. m) secundus *add.* 1. n) archiepiscopatum 1, *cum Gestis Trev. convenit* 2. o) *deest* 1. p) matrimonium 1. 2. q) *deest* 1. r) absque herede 1; *quae verba quum in* 2. *et in Albrici fonte desint, a scriptore cod.* 1 *addita videntur.* s) uxorem eius 2.

55) Florennes. 56) Rumigny, départ. Ardennes, arrond. Mezières. 57) Sigeb. ad annum 1001. 58) Cf. Helin. 1003. 59) Nec tamen quae sequuntur ex Guilelmo ipso deprompsit, sed ex Helinandi chronico, hoc loco ex Guilelmi opere derivato; cum Helinando noster multo accuratius convenit, quam cum Guilelmo. Duo tantum vocabula apud Guilelmum et nostrum inveniuntur quae in Helinandi editione desiderantur. Quae vero quin scriptoris cuiusdam aut editoris incuria omissa sint, mihi haud dubium est. 60) *natus de Lucelenburg* ex Gestor. Trev. cap. 30. 60*) Cf. Vitae S. Heinrici addit. c. 1, SS. IV, 817. 61) Cf. annum 988. 61*) Dachsburg in saltu Vosago.

Item ad petitionem imperatoris Henrici summus pontifex Iohannes XIX. privilegium mirabile dedit sancto abbati Cluniacensi Odiloni.

Odo vicecomes Belnensis, filius Henrici ducis Burgundie supradicti, frater autem ex matre Guilelmi Ottonis, multa contulit ecclesiis, que Galterus episcopus Eduensis et comes Otto Guilelmus predictus et rex Francorum Robertus confirmaverunt. Chr. S. Benig. 387. 388. Qui Otto Guilelmus filios habuit ex Ermentrude Guidonem et Rainaldum[62]. Quorum Guido vivente patre mortuus filium reliquit alium Ottonem. ibid. 389.

Erat hoc tempore Tullensis episcopus Bertholdus et quidam comes Ulricus. Gesta ep. Tull. c. 36.

Anno 1006. Stephanus rex in Ungaria regnat per annos 35.

Fames et mortalitas — cum mortuis. Sigeb. 1006.

Castrum Valentianas situm in marchia[a] Francie et Lotharingie, quod Balduinus Barbatus[63] comes Flandrensium invaserat, imperator Henricus obsidet — duce Northmannorum.

Gerardus comes Metensis plurima contulit ecclesiis.

Anno 1007. Henricus imperator — Walachras dedit. ibid. 1007.

Obiit abbas Herigerus Lobiensis litterarum scientia clarus.

Rome fit[b] papa Sergius IV, Os porci dictus, qui secundum Sigebertum Leo intitulatur[64], sedit annis 2, mensibus 9. Catal. p. R.

Poppo fit Treverensis archiepiscopus per annos 30 et dimidium[c].

Anno 1008. Baldricus vir nobilis[65] Leodiensium ordinatur episcopus. Sigeb. 1008.

Buchardus quoque — undecunque doctissimo.

Haymo Virdunensis episcopus fuit fundator ecclesie sancti Mauri monialium et ecclesie sancte Marie Magdalene clericorum. Eidem episcopo Henricus imperator Iopiliam[d] dedit iuxta Leodium. Gesta ep. Vird. II, 7.

Anno 1009. Ecclipsis solis — pax convenit. Sigeb. 1009.

Rogerus I. factus est Cathalaunensium episcopus[66].

Anno 1010. Gens Ungarorum hactenus ydolatrie dedita, hoc tempore ad fidem Christi convertitur per Gislam sororem imperatoris[e], que nupta Ungarorum regi ad hoc sua instantia regem adduxit, ut se et totam Ungarorum gentem baptizari expeteret. Qui in baptismo Stephanus est[f] vocatus, cuius merita per Ungariam multa miraculorum gloria[g] commendat. ibid. 1010. Tamen dicunt Ungari, quod sanctus Adalbertus Pragensis episcopus regem Stephanum ad fidem convertit et baptizavit, et ipse rex sua predicatione Ungaros convertit et maiorem ecclesiam Strigonii[67] in honorem[h] sancti[i] Adalberti instituit; sed illa Gisla regina, ut dicunt, multas malitias in terra illa fecit et ad[i] extremum post mortem sancti regis meritis exigentibus interfecta fuit.

Northmanni Fresiam — incensum est. ibid. 1010.

Anno 1011. Guido de oppressione fidelium in Ierosolimis sub dominatione Sarracenorum infra tempus, ab imperatoris Karoli Magni diebus dies istos adusque[k] transactum: Cum per idem tempus inter Persas et Egiptios pertinax esset de monarchia contentio, tandem Egiptiorum regnum prevaluit et usque ad Antiochiam ab Egipto provincias occupavit et sanctam civitatem[i] cum aliis subiugavit. Will. Tyr. I, 4. Post hec Egiptiorum Achim soldanus et califas, — quod interpretatur heres Mahumet, scilicet eorum maximi seductoris, dictus[l] etiam Mulene, quod interpretatur apud ipsos dominus noster, que nomina non propria, sed appellativa sunt — predecessores suos sicut potentia, sic et malitia[m] superare conatus est. Etenim dominice resurrectionis ecclesiam, que per venerabilem virum, Maximum eiusdem loci episcopum, precipiente Constantino primo gloriosissimo augusto fuerat constructa, post eversa per Cosdroe tyrannum Persarum[68], per imperatorem vero Eraclium[n] et Modestum patriarcham reparata, solo coequari mandavit. Horestem insuper patriarcham maternum avunculum suum privatum oculis et captivatum in Babilonem abduxit. Hoc totum factum est in anno sequenti.

Sigebertus: In Lothoringia — multis sanguinolentam. Sigeb. 1011.

Anno 1012. Ecclesia Ierosolimorum destructa est et patriarcha Horestes oculis privatus captivus abductus[o] est.

Unde sequitur Guido: Ab ea die cepit fidelium in ea civitate multo deterior esse conditio, quod hoc uno de[p] tot milibus probatur exemplo. Will. Tyr. I, 5. Quidam ex[q] infidelibus, nostros persequens odio insatiabili, ut aliquid eis moliretur ad mortem, proiecit in atrium templi mortuum canem, in cuius munditia conservanda tam custodes quam civitas universa de mandato calife non minimam sollicitudinem impendebant. Imputatur hoc piaculum de cane mortuo christianis,

---

a) marchia 1. b) fuit 1. c) cum dimidio 2. d) Iopeliam 2. e) imperatricis 1. 2. f) est *deest* 2. g) gracia 1; grā 2. h) honore 2. i) *deest* 2. k) adusque ad 1. 2. l) ductus 1. m) eos *add.* 2. n) Heraclium 2. o) adductus 1. p) die 1. q) ab 2.

62) In iis, quae praemissa sunt Albricus verba chronici S. Benigni minime retinuit; abhinc ea — non dico — mutavit, immo liberrime interpretatus est. Nam quum S. Benigni monachus Higelbertum militem anno 1007. *coram Brunone episcopo, Willelmo comite, Rainaldo comite ipsius filio, Ottone comite filii eius Widonis filio* ecclesiae mansum dedisse narrasset, noster Guidonem patre superstite obiisse filiumque Ottonem reliquisse coniecit. 63) *Barbatum* vocant Balduinum continuator genealogiae Bertin. M. G. SS. IX, 307 et Lambertus ibid. 309; teste Fland. gen., quacum supra ad annum 966. Albricus convenit, Balduino erat cognomen *Pulchra barba*. 64) Sigeb. ad annum 1009. 65) Cf. Aegid. Aur. II, 59. 66) Cf. Annal. S. Petri Catal. M. G. SS. XVI, 488. 67) Gran. 68) Will. Tyr. I, 1.

decernitur interitus universis, cumque spiculatorum gladii christianorum cervicibus imminerent, egregius quidam adolescens fide et spiritu plenus, annua memoria pie recordationis anime sue petita suppliciter unanimiterque concessa, coram[a] primatibus et populo civitatis se reum et alios asserens innocentes, pro fratribus ponitur et exponitur gladiis, aliis absolutis.

Guil Malm 368. Hic notandum est quod supra in anno 970, ubi agitur de Bernardo quodam monacho, Theodosius patriarcha erat[b] Ierosolimitanus. Ex tunc usque ad annum hunc isti fuerunt patriarche: Ylia, Sergius, Leonthos, Anastasius, Christodolus, Thomas, Ioseph[c], Orestes. Hic est, qui a soldano Achim nepote suo excecatus, hoc anno ductus fuit in Babilonem et ibidem occisus. Post hunc fuit patriarcha Theophilus, deinde Nichephorus, de quo dicemus abhinc per annos 37, quando facta est ecclesie Ierosolimitane restauratio.

Sigeb. 1012. Sigebertus: Henricus imperator — inefficax rediit.

Anno 1013. Fuit annus regis Francorum Roberti 23, ex quo videlicet vivente patre[d] fuit coronatus. Huius uxor regina Constantia — sicut habetur in epistolis Yvonis[69] — filia fuit Blanche comitisse[e] Arelatensis. Que Blancha fuit soror Gaufridi Grisagonelli, patris Fulconis Andegavorum comitis.

Hugo S. Vict. 124. Rome Benedictus papa VIII, qui sedit annis 12, tertium iam habebat annum in pontificatu. In Haynaco, mortuo comite Raginero Montense, filius eius iunior Ragynerus eidem successerat.

Sygebertus: Baldricus episcopus Leodiensis — 14. Kal. Decembris.

Henricus imperator — Troiam civitatem in Apulia capit.

Sigeb. 1014. Anno 1014. Henricus rex in imperatorem benedicitur. Baldricus Leodiensis episcopus in Insula cenobium sancti Iacobi apostoli fundavit.

Aeg. Aur. II, 49. Sub eodem episcopo Godescalcus maioris ecclesie prepositus ecclesiam sancti Bartholomei in Leodio fundavit, ubi 12 canonicos posuit.

Sigeb. 1014. Dux Godefridus — eius deterruit.

Guil Malm. 177. Rex Danorum Suanus in sanguinem pronus, navibus paratis transitum maturavit in Angliam, ultioni sororis, mariti filiorumque eius intendens. Hec non illepide forme virago Angliam cum marito potenti comite venerat, et accepta christianitate, obsidem se Danice pacis fecerat. Sed eam cum marito et filio et ceteris Danis, iam pacifice cum Anglis habitantibus, iusserat interfici sub una die per totam Angliam[70] furor infaustus[f] regis Ethelredi. Tunc Suanus armis[g] omnem Angliam pervagatus, eam sue ditioni subegit. Rex Ethelredus clandestinis itineribus cum uxore et filiis urbe profugiens et navigans in Normanniam hospitali serenitate secundi Richardi Normannorum ducis miserias suas ibi consolatus est. Nam sororem illius Emmam nomine habebat uxorem et ex ea filium Eduardum postmodum regem Anglie gloriosum. Erat ille Richardus filius primi Richardi Normannorum ducis, qui felicitate et probitate sua patrem equavit. At Suanus rex Danorum, dum in Anglia non regem exhiberet se, sed tyrannum, eo quod terram sancti depopularetur Edmundi, ab eodem sancto martire per visum ei apparente in capite percussus est et in proximo vitam finivit. Dani Cnutonem[h] sive Canuthum suum filium[i] in regem eligunt. Angli vero regem Ethelredum a Normannia tamquam dominum revocant naturalem, qui, filiis Edwardo et Alredo cum avunculo eorum Richardo duce dimissis[71], ad suum regnum letus regreditur.

ibid. 178. ibid. 177. ibid. 196. ibid. 178. ibid. 179.

Anno 1015. Moritur rex Anglie Ethelredus, succedit ei filius eius Edmundus[k] uno anno et dimidio.

Civitas Senonum a Roberto rege Francorum capitur[72].

Quibus diebus clarebant in Francia: Hugo episcopus et comes Autisiodorensis, Azelinus Laudunensis episcopus, Goffredus Cabilonensis[l] episcopus, Beraldus Suessionensis episcopus, Bruno Lingonensis episcopus, qui eodem anno obiit, cui succedit Lambertus, — cuius diebus factus est episcopus Parisiensis quidam nomine Himbertus; filius regis Roberti Henricus erat institutus dux Burgundie, — Odo comes Campaniensis, Otto comes Matisconensis et comes Raynaldus Nivernensis[73].

Chr. S. Benig 389. 390.

Auct. Bellov. 1015. 1024. Rogerius[m] episcopus Bellvacensis ab Odone Campaniensi comite adquisivit comitatum Belvacensem pro castro Sincerrio, quod erat sui patrimonii in dyocesi Bituricensi[n].

---

a) eorum 1. 2. b) erat patr. 2. c) Iosep 1. d) patre vivente 2. e) cuius maritus Guilelmus comes *intercalavit* 1. f) infuscatus 1. g) *deest* 1. h) Cnotonem 2. i) filium suum 2. k) *deest* 2. l) Cabolonensis 2. m) Rogerus 2. m) Rogerus 2. n) Bituricenēn. 2.

69) Ep. 211. ed. Iureto p. 369.

70) Verba: *sub una die per totam Angliam* invenies in Guilelm. §. 165; et quod Danos iam pacifice cum Anglis habitasse dicit, id noster ex eiusdem Guilelmi verbis: *ubi fuit videre miseriam, dum quisque carissimos hospites, quos etiam arctissima necessitudo dulciores effecerat* etc., mutasse videtur.

71) *filiis Edwardo — duce dimissis* haec quia cum Guil. Gemmet. V, 8 conveniunt, ex Guidone addita esse videntur; nec vero tibi repugnabo, si locum integrum Guidoni adiudicaveris.

72) *capta est civitas Senonum ab archiepiscopo Leotherico — et regi tradita Roberto.* Hist. Franc. Senon. M. G. SS. IX, 369.

73) Quum in chronico S. Benigni, nostri fonte, pag. 391 diploma inveniatur, quod hi subscripserunt testes: *Lambertus Lingonensis episcopus, Hugo Autissiodorensis episcopus, Azelinus episcopus Laudunensis, Gofredus episcopus Cabillonum, Beraldus episcopus Suessionum; comites vero Willelmus Nivernensis, Otto Matisconensis,* — quumque eodem fere ordine Albricus hos viros in Francia claros laudet, cum hoc quoque loco S. Benigni chronicon usibus suis adaptasse facile credas.

Henricus imperator fecit Popponem archiepiscopum Treverensem contra Alberonem[a] mortuo Menigaudo, cui Popponi Albero se reddidit et ita in monasterio sancti Paulini permansit. Qui Poppo adhuc clericus Danos ad fidem Christi convertit. G.Trev. c.31. c. 32.

Hoc tempore sanctus Adalbertus Pragensis episcopus cognomento Guiciheth apud Bructios, id est Prucios, martirizatur. Godefridus dux[b] comitatum Montensem depopulatur, quem Raginerus comes cum patruo suo Lamberto Lovaniense insecutus apud Florinas pugnam conserunt, ubi plus quam 400 viri occisi sunt, et ipse Lambertus occubuit. Ubi res mira contigit. Cum Lambertus spem victorie iam haberet, — habebat[c] quippe filacterium a collo usque ad[d] pectus pendens sanctorum reliquiis refertum quorum patrocinio se in periculis tutum fore credebat, — instante ei termino vite filacterium illud a collo eius exiens super tumulum campi exilivit; et mox comes antea invictus perimitur. Iste comes rebellabat[e] ecclesie beati[f] Lamberti et episcopo Leodiensi[74], et idcirco sancti contra sanctos ei ferre patrocinium denegati sunt. Quidam militum filacterium accipiens[g] in caliga abscondit, sed coxa eius et crure intumescente, rem prodidit et filacterium domno suo Gotheloni fratri ducis dedit. Sigeb. 1015.

Anno 1016. Rex Dacie Contho Suani filius compositis rebus in Danemarchia et federata cum finitimis regibus amicitia, cum magnis armatorum copiis revenit in Angliam, eo animo, ut aut vincendum aut moriendum sibi proponeret. Cui cum suis egredienti de navibus occurrens maior ex filiis Ethelredi regis Edmundus et congressus cum Danis magnam eorum multitudinem victoriosa strage delevit; sed tandem ad Conthonem viribus prevalentem pars maior regni defecit. Unde cum iterum infestis signis consistissent[h], pax inter eos amicis mediantibus intercessit; ita ut ambo, quia non indebite[i] regnum efflagitarent[k], quod amborum patres tenuerant, Angliam partirentur. Ita fedus inter utrumque percussum est. Sed paulo post idem Edmundus extinctus est, dum ad nature requisita resideret, per loca secretiora a proditoribus unco ferreo transforatus. Ita Contho regnum optinuit, iniuste quidem ingressus, sed magna civilitate vitam conponens. Hic proditori, qui ei improperabat[l], quod propter eum regem Edmundum deseruisset et extinxisset, probe respondit: *Merito ergo et tu morere, cum sis lese maiestatis reus in Deum et in me, qui dominum proprium et regem occideris michi federatum. Sanguis tuus super caput tuum, quia os tuum contra te locutum est, quod miseris manum in christum Domini.* Mox proditorem faucibus elisis per fenestram precipitari precepit in flumen. G.Malm. 180. ibid. 181.

Baldricus Leodiensis episcopus Florinensem[m] abbatiam adquisivit episcopatui, quam Gerardus Cameracensis episcopus et frater eius Godefridus, qui eam fundaverant[75], post supradictam ibi factam victoriam beato Lamberto tradiderunt. Auct. Gembl. 1015.

Symeon Siracusis — gloria declaravit. Sigeb. 1016.

Anno 1017. Cometes — apparuit. ibid. 1017.

Rex Contho sive Canutus, de quo premisimus, regnavit in Anglia per annos 20. Hic relictam regis Ethelredi, sororem iam dictam secundi Normannorum ducis Richardi, Emmam nomine, matrimonio sibi copulavit, ut ob[n] huius facti gratiam Richardus de filiis Ethelredi nepotibus suis parum curaret, qui alios se suscepturum ex Conthone viro meliore speraret. G.Malm. 181.

Supradictus autem rex Edmundus non fuit[o] de ista Emma, sed de alia, quam obscura fama recondidit, et habuit fratrem uterinum nomine Edwinum, qui sepultus iacet apud Chanistocium[p]. Huius Edwini fuerunt filii duo Edwinus et Edwardus, qui missi sunt ad regem Suecorum[q], ut perimerentur, sed miseratione eius conservati sunt et regem Hunnorum petierunt, ubi maior diem obiit; minor, scilicet Edwardus, Agatham regine sororem uxorem accepit, et inde nata est sancta Margareta de Scotia, quod[r] postea suo loco[s] assignabimus[76]. Helin. 1021.

Anno 1018. Wolbodo monachus religiosus Henrici imperatoris capellanus in episcopatu Leodiensium Baldrico succedit, qui ecclesiam sancti Laurentii in Monte incepit. Aegid. Aur. II, 65. ibid. c. 70.

In Fresonia Theoderico comite filio Arnulfi Hollandensis debellante Fresones in vindictam patris sui ab eis occisi, Godefridus dux ad eum debellandum ab imperatore mittitur, et conserto[t] prelio repente voce, nescitur unde, emissa *Fugite, Fugite,* cunctis fugientibus multi a paucis Fresonibus perimuntur, dux vero capitur. Sigeb. 1018.

Anno 1019. Godefridus dux — substituitur. ibid. 1019.

De imperatore[u] Henrico narratur et scriptum invenitur[76*], quod abbati Richardo Virdunensi professionem fecerit et eius consilio se totum submiserit, volens apud Sanctum Vitonem monachus fieri, sed sanctus abbas Richardus in virtute obedientie ei iniunxit, ne imperium dimitteret, quamdiu viveret, et ita eum ad imperandum remisit.

Anno 1020. Rodulfus rex Burgundie — Burgundionum satisfactio. Eiusdem Rodulfi uxor regina Ermengardis dicta est. Benedictus — venit. ibid. 1020.

Secunda incursio — Nonis Augusti. Auct. Affl. 1020.

Dux Normannie Richardus II. fuit vir largus et religiosus; hic cenobium Fiscanense, quod pater suus[v] inchoaverat, devote consummavit. Iste dux noctibus custodias famulorum fallens, dum maneret apud Fiscanum ad matutinas monachorum genua flectens in oratione usque ad lucem: quadam nocte sic faciens, ostium monasterii obseratum invenit, qui excusso viriliter pessulo soporem sacriste turbavit, qui surgens a sompno et videns ducem plebeio amictu vestitum in capillos involat et multos illi colaphos ingerit. Dux incredibili patientia nec responsum dedit. Postero die dux in capitulo querelam deposuit, et monachum illum ad vicum Argentias sibi precepit occurrere, minitans se sic vindicare, quod tota de hoc Gallia loqueretur. Die[w] dicto monachus a iudicibus abiudicatus est, quem ille mox absolvit, et vicum eundem, qui Helin. 1021.

---

a) de Lucelenborg *add.* 1. b) Lothoringie *add.* 1. c) habuit 2. d) ad *deest* 1. e) rebellat 1. f) sancti 2. g) arripiens 2. h) conticissent 2. i) debite 1. k) afflagitarent 1. l) imperabat 1. m) Floriensem 1. n) ab 1. o) erat 2. p) Canisthocium 2. q) Suevorum 1. 2. r) et 1. s) suo loco *desunt* 2. t) apud Flerdenges 1; *quod quum in* 2 *et Sigeberto ipso frustra quaeratur, a scriptore cod.* 1 *additum esse elucet.* u) Henrico imperatore 2. v) *deest* 2. w) De 1.

[74] Cf. Aegid. Aureavall. II, 60. [75] Cf. annum 1002. [76] Cf. annum 1100. [76*] Cf. Mirac. Richardi abb. S. Vitonis Virdun. c. 8. SS. XI, 280.

optimi vini ferax, officio sacriste addixit, pronuntians eum optimum esse monachum, qui bene custodiens munus iniunctum nec iratus fregit silentium[77].

Sigeb. 1021. Anno 1021. Henricus imperator Colonie — in episcopatu succedit.

Helin. 1021. Super hunc locum dicunt[a] Elinandus et Guillelmus: Colonia prius dicta est — fecit eum episcopum.

Sigeb. 1021. Durandus imperatoris cancellarius[78] fit Leodiensium episcopus. Quod quasi fabula in theatro mundi fuit, quod vir ex humillimo et pauperrimo servilis conditionis genere dominis suis dominatur carnalibus, maxime supradicto Godescalco fundatori Sancti Bartholomei.

Aegid. Aur. II, 71. Qui filius castellani de Morelmeiz electus fuerat — longe satis expeditus[b].

Sigeb. 1020. Anno 1022. Aquisgrani conventu — a nescientibus.

Helin. 1030. Rex Anglie Contho, de quo supra diximus, monitu venerabilis Cantuarie archiepiscopi Egelnothi ad transmarinas ecclesias multas misit pecunias et maxime ad ecclesiam Carnotensem, ubi tunc adhuc florebat Fulbertus — Inter cetera eius opuscula extat epistolarum volumen, in quarum una gratias agit Conthoni, quod largitatis sue viscera in expensas Carnotensis ecclesie effuderit, item epistola ad ducem Aquitanie Guilelmum de forma fidelitatis in decretis commendatur.

Sigeb. 1023. Anno 1023. In pascha eclipsis facta est. Henricus imperator — imperatoris munificentia.

Obiit Arnulfus Remorum archiepiscopus, de quo superius suo loco quedam premisimus[79], succedit ei archiepiscopus Ebalus annis 12, qui fuit comes de Roseio[80], qui comitatum Remensem per industriam suam, sicut de eo vulgatum est, adquisivit. De duabus filiabus huius Ebali quere in anno 1031.

Cat. p. R. Mortuo Benedicto papa Theophilus frater eius Portuensis episcopus, qui et Iohannes XX, factus papa sedit annis 9, mensibus 9[c].

Sigeb. 1024. Huic Iohanni Benedictus papa[d], frater suus apparens — illo exauditum esse.

Helin. 1045. De eodem Benedicto Petrus Damianus sic refert: Episcopus, inquit[e], quidam Capuanus — monachum induit eoque modo salutem sibi ex aliena calamitate providit[81].

Auct. Affl. 1023. Obiit Godefridus dux.

Sigeb. 1024. Anno 1024. Henricus imperator — Ultraiectensis scripsit.

Otto Fris. VI, 27. Episcopus Otto: Iste vir, scilicet Henricus[f] piissimus, sepultus est in ecclesia de Bavemberg[g], quam sublimaverat, et sepulchrum eius crebris miraculis celebre usque hodie habetur.

Sigebertus: Cono dux — annis 15.

Hic inserendum, quod filia primi imperatoris Ottonis, soror vero secundi, nomine Dudica[82] duci Wormatie Conrado, qui etiam fuit dux Bullonii[h] sicut habetur in superioribus[83], peperit ducem Ottonem. De quo Ottone nati sunt Cono dux memoratus et Henricus pater huius imperatoris[i] Conradi. Fuit autem iste Conradus ex parte matris de genere Francorum, et fuit nepos Odonis Campaniensis comitis. Eiusdem Conradi fuerunt nepotes comes Letardus de Longui[84], pater Manegaudi, et Gislebertus comes de Luscelenburch, pater comitis Conradi. Item comes Hugo de Daburg[85], pater sancti Leonis pape, de quo suo loco dicetur[86], et imperator iste Conradus fuerunt consobrini.

Otto Fris. VI, 28. Episcopus Otto: Uxor autem eiusdem Conradi Gisila nomine, de antiquo et glorioso Karolorum sanguine oriunda fuit, sicut quidam hiis versibus attestatur: *Quando — Gisila prudens.*

Soror autem ultimi[k] Lotharii Francorum regis et ducis Karoli nomine Mathildis post mortem primi mariti, tertii Balduini Flandrensis comitis, regi Burgundie cuidam Conrado peperit regem Rodulfum et sororem eius Gepam, que fuit mater huius Gisile.

ibid. Episcopus Otto: Hec Gisila primum Ernusto duci Suevorum, fratri Alberti superioris Pannonie marchionis et archiepiscopi Treverensis Popponis[87], nupta fuit — decebat, adornatus.

Helin. 1021. Rogerius inclitus Belvacensis episcopus obiit.

G. ep. Vird. II, 10. Apud Virdunum Raimbertus factus est episcopus, qui abbatiam sancti Agerici fundavit.

Anno gracie 1025. Conradus II. imperat.

Filius regis Francorum Roberti, Hugo nomine, primogenitus obiit, qui apud Compendium[88] sub patre fuit in regem coronatus; habebat autem rex adhuc alios duos filios, Robertum et Henricum, quorum iunior Henricus iam erat dux Burgundie, sed instante

---

a) ducunt 1. b) expetitus 2. c) mensibus 9 *desunt* 1. d) *deest* 2. e) *deest* 2. f) Iste Henricus vir piissimus 2. g) Bavenborch 2. h) seu Lothoringie 1. i) *deest* 2. k) *deest* 1.

77) Hoc loco duae in Helinandi editione lacunae sanari possunt, inde ab *ad vicum* usque ad *loqueretur* et inde ab *abiudicatus* usque ad *vicum eundem*. 78) Durandum cancellarium fuisse, nec quisquam illius temporis auctorum tradit neque imperatorum diplomata comprobant. 79) An. 991. 992. 80) Rouci, départ. Aisne, arrond. Laon. 81) Verba: *eoque modo — providit* aut ex fonte Helinandi addita sunt aut in nostra Helinandi editione incuria quadam omissa sunt. Certo cetera magis cum Helinando quam cum Petri Dam. Ep. I, 9 concordant. 82) Liutgardis. 83) Cf. annum 944. 84) Longwy, départ. Moselle. 85) Dachsburg in saltu Vosago. 86) Cf. annum 1048. 87) *et archiepiscopi Treverensis Poponis* Albricus ex Ottonis chronici lib. VI. cap. 32, ubi Alberti filius Leopoldus marchio *a patruo suo Popione Treverorum archiepiscopo* sepultus esse narratur, adiecisse videtur. 88) Cf. Ivonis Carnot. ep. 70.

matre regina Constantia iunior institutus est ad regnum ordine transmutato, et Robertus optinuit Burgundie ducatum. Istum Robertum vocat Guilelmus Anglicus[89] Odonem, sed Odo fuit Roberti filius.

Rainardus Bonne prepositus Leodiensium ordinatur episcopus, qui Leodii in Monte publico[90] cenobium beati Laurentii a Wolbodone predecessore suo inchoatum[91] consummavit. Fuit autem collateralis sancti Heriberti Coloniensis archiepiscopi et etiam ecclesie sancti Bartholomei octo canonicos addidit[a], pontem magnum super Mosam fecit et pauperes tempore famis aluit. Aegid. Aur. II, 72.

Sigebertus: Rainardus Leodiensium — primum prefecit. Sigeb. 1028.

Episcopus Otto: In primordio regni Conradi Bolizlaus Polimiorum dux — procinctum movet. Otto Fris. VI, 28.

Anno 1026. Mesico dux Polimie, regis impetum Conradi ferre non valens — servire cognoscitur.

Sigebertus: Robertus rex — accrevit tranquillitas. Sigeb. 1026.

Moritur dux Normannie Richardus II. anno 28. sui ducatus, qui se iussit sepeliri — altare locavit. Helin. 1021. Huius fuit frater Robertus archiepiscopus Rothomagensis, et horum soror Emma Anglorum regina, de qua premisimus[92]; tres autem fuerunt filii eiusdem Richardi: Richardus III, qui nonnisi 1 anno ducatum tenuit, et dux Robertus, qui per 7 annos illi succedit[b], et Malgerius Rothomagensis archiepiscopus et unus monachus[c] Fiscanii[d. 93] Guillelmus ibid. 1066. et una Burgundie comitissa[93*], quorum mater[94] filia fuit Gaufridi de Britannia.

Anno 1027. In[e] Norweia[f], que est ultra Daciam, rex eiusdem terre primus christianus sanctus Olavus a quibusdam perfidis martirizatur. Succedit ei in regnum Magnus filius eius.

In Burgundia moritur vir magnificus comes Otto Guillelmus et in claustro sancti Benigni Divionensis sepelitur. Chr S. Benig. 391. Filius eius comes Rainaldus et filius alterius filii eius Guidonis, alter comes Otto, terram ultra Sagonnam cum appenditiis inter se partiti sunt.

Regina et virgo Chunegundis pro anima viri sui imperatoris plurima ecclesiis dedit[94*].

Conradus rex — sublimavit Aquis. Sigeb. 1027.

Episcopus Otto: Circa id tempus consanguineus — iter tendit. O. Fr. VI, 28.

Anno 1028. Conradus in pascha Rome — motus compescit. Sigeb. 1027.

Episcopus Otto: Conradus Romam veniens — suspendio peremit. O. Fr. VI, 29.

Contho rex Anglie — talento auri comparatum apud Conventreiam dedit. Helin. 1030.

Post ducem Richardum III, qui anno 1 Normannie prefuit, suscepit ducatum Robertus[g] frater eius 7 annis. ibid. 1021.

Sigebertus: Claruit hoc tempore in Italia — sex vocum. Sigeb. 1027.

Anno 1029. Imperator Conradus per Pireneum in Franciam rediens — frater eius suscepit. O. Fr. VI, 28.

Conradus — debellandum proficiscitur. Sigeb. 10 9.

Cum archiepiscopus Treverensis Poppo quandam abbatiam monialium de Palatiolo pro caliga veneficiis amatoriis infecta, quam quicunque induisset statim libidinis incentivis agitabatur intolerabiliter, monialibus expulsis, in[h] canonicorum ecclesiam commutasset; Gesta Trev. cont. I, 2. Ierosolimam abiit et sanctum Simeonem Sancte Katerine de monte Sinay monachum, qui missus per obedientiam ab abbate suo venerat pro recipienda pecunia, que de terra ducis Normannie Richardi debebatur monasterio suo, et nichil profecerat, quia ducem mortuum invenerat; hunc, inquam, virum sanctum archiepiscopus inventum secum Ierosolimam duxit et reduxit. Qui sanctus Simeon cum eodem archiepiscopo de via transmarina reversus, abhinc[i] post 7 annos[95] apud Treverim obiit. Cuius vita multis claruit miraculis. Vita S. Simeonis.

Anno 1030. Conradus — debellandos proficiscitur. Sigeb. 1030.

Hoc tempore iussu Conradi — antiquorum consuetudinem ibid. 1031.

Comes Haimo[96] et filius eius comes Otto multa dederunt ecclesiis.

Abbatia de Letiis[97] restituta est per Theodericum de Avesnis et Aldam uxorem eius.

Anno 1031. Roberto — annis 27. ibid. 1031.

Ex historia Divionensi: Obiit rex[k] Robertus anno 41, ex quo inunctus fuit. Chr. S. Benig. 391.

Elinandus et Guillelmus: Anno 15. Conthonis Anglorum regis moritur rex Francorum Robertus vir eleemosinis deditus — petentes arcerent. G. Malm. 187. Mater eius superiorum regum Anglie soror fuit. Soror autem regis Roberti Hadwidis Rainero comiti de Hainaco, fratri Lamberti comitis de Lovanio, peperit Beatricem, de qua comes Ebalus de Roceio[98] duas genuit filias Aelidem et Hadewidem. De Aelide sunt omnes comites de Roceio et de Arceis sive de Ramerut vel de Brena super Albam[99], et per istos multi alii. De Hadewide vero, quam habuit Godefridus frater episcopi Gerardi Cameracensis processit tota progenies de Ruminiaco[99*] cum appendiciis suis. Item supradicta Beatrix comitissa de Roceio de secundo marito filium habuit Manassem,

a) addit 1. b) sucessit 2. c) monachus ad Fiscanii 1. d) Fuscanni 2. e) *deest* 2. f) Norwegia 2. g) frater eius Robertus 2. h) et 1. i) dehinc 2. k) *deest* 2.

---

89) §. 187. 90) *in Montepublico* ex sequenti Sigeberti narratione addita esse videntur. 91) Cf. Aeg. Aur. II, 70. 92) Cf. annum 1014. 93) Fécamp, départ. Seine-Inférieure, arrond. Havre. 93*) Adeliza uxor Reginaldi comitis. 94) Iuditha. 94*) Pro requie animae mariti imperatricem monasterio S. Benigni duas libras auri dedisse, in Chron. S. Benigni 391 legimus; et quum noster saepius benefactores unius ecclesiae omnium ecclesiarum benefactores celebret, hoc quoque loco eum Chron. S. Benigni innisum esse credas. 95) Continuator gest. Trev. necnon auctor Vitae S. Simeonis virum sanctum a. 1035. obiisse narrant. 96) Aymonem comitem Saxonisfontis — Sexfontaines, départ. Haut-Marne, arrond. Chaumont, — abbatiam S. Mariae Guilelmo abbati S. Benigni dedisse, in Chron. S. Benigni 390 invenies. 97) Liessies prope Avesnes. 98) Rouci, départ. Aisne, arrond. Laon. 99) Arcis, Ramerupt et Brienne. 99*) Rumigny, départ. Ardennes, arrond. Mezières.

archiepiscopum postmodum Remensem, de quo evidentius suo loco declarabimus[1]. Comes autem Reinerus iunior de Haynaco, frater huius Beatricis de Roceio, non fuit de matre eius Hadewide, sed de alia, alioquin filiam huius Raineri Richildem non potuisset comes Flandrensis Balduinus[a] habere uxorem. Et hec de sorore regis Roberti Hadwide breviter dicta sunt. Filiam vero Aldam nomine rex Robertus habuit, quam dedit Flandrie comiti Balduino Insulano Balduini Barbati filio, et eius forti tutele prudentique consilio filium suum Henricum commisit[2], et per ipsum multe rebellionis supercilium eidem regi fuit submissum. Habuit namque dictus[b] rex Robertus[c] filios tres: Hugonem qui vivente patre decessit, Robertum ducem Burgundie, patrem ducis Odonis, et regem Henricum.

Quod autem minor et non maior regnum optinuit, per industriam matris sue Constantie[d] hoc contigit, que magis illum promovere studuit. Nam alter eam scandalizaverat in quibusdam, quod frequenter contingit.

Chr. S. Benig. 390. Obiit episcopus Lingonensis Lambertus, cui Richardus succedit mensibus 5, post quem Hugo annis 28.[3]

Abbas Guilelmus Divionensis post multam iustitiam per 42 annos consummatam, palmam reportando apud Fiscanum obdormivit.

Sigeb. 1032. Sanctus Bardo ordinatur Moguntie archiepiscopus, qui summum[d*] monasterium construxit, in quo sepultus est.

Robertus et Richardus — viam parant.

ibid. 1033. Anno 1032. Decretum istiusmodi datum est a Francie episcopis servari subiectis — penitentie modum.

Hugo factus est Bisuntinensis[e] archiepiscopus, qui fuit de stirpe comitum Burgundie, et habuit fratrem nomine[f] Raymundum, in Hispania comitem.

Hugo S. Vict. 124. Anno 1033. Rome Benedictus papa huius nominis IX. sedit annis 14, secundum annotationem magistri Hugonis. Nepos fuit duorum pontificum precedentium, et, ut dicitur, per symoniam intravit et male se habuit secundum ea que inferius habentur[4].

Chron. S. Huberti c. 5. Castrum de Mirualt in Ardenna quidam comes Stephanus firmaverat in ecclesiastica sancti Huberti possessione.

Sigeb. 1034. Frederico Mosellanorum duce — potentius principatur. Heredes huius Frederici dicuntur fuisse alienati omnino per imperatorem, sed filia Sigefridi[g] fratris huius Frederici, cui adiudicatum fuit tenere allodia patris, non feoda, fuit illa comitissa Barri Ducis Sophia, que comiti Montionis[5] Ludovico peperit Theodericum, et iste per uxorem suam Ermentrudem, fuit etiam comes Montis Beliardi[6], et eiusdem Sophie fuit soror Beatrix marchisa.

Helin. 1095. Fulco fuit antiquus comes Andegavorum Gaufridi Grisagonelli filius[7], qui Fulco iam senex Ierosolimam adiit. — Domum tamen contra desiderium suum regressus filium habuit nomine Gaufridum cognomento Martellum et filiam unam Varinensem[8] comitissam. Iste Martellus multa fecit sub Francorum rege Henrico.

Anno 1034. Obiit archiepiscopus Ebalus Remensis, de quo supra notavimus[9], quod a comite Odone comitatum Remensem acquisivit. Archiepiscopus Guido succedit per annos 22.

Sigeb. 1035. Sigebertus: Burgundionibus non desistentibus — in provinciam.

Otto Fris. VI, 30. ibid. VI, 31. Episcopus Otto: Rodulfus Burgundie seu Gallie Lugdunensis rex moriens Henrico nepoti suo, imperatoris Conradi filio, regnum cum diademate aliisque insignibus sub testamento reliquit. Unde Odo Celtice comes, eo quod sororis filius eiusdem Rodulfi esset, prefatum regnum ad se pertinere calumpnians iure hereditatis, armata manu ingreditur Burgundiam.

Sigeb. 1036. Anno 1035. Odo Campaniensis — Burgundiam efflagitat.

Helin. 1021. ibid. 1066. Dux Normannie Robertus moritur apud Nicheam Bithinie peregrinus et cruce signatus. Filius eius Guillelmus Nothus adhuc erat infantulus septem videlicet[h] annorum; matrem ipsius dux Robertus unice dilexit et aliquandiu iuste[i] coniugis loco habuit. Unde ista fuit nata, de cuius semine tantorum regum progenies descendit, qui infra describuntur, quesitum est a quibusdam. Sciant igitur quibus scire placet, quod in dyocesi Leodiensi iuxta abbatiam de Florines[10] est quedam villa, que Calvusmons appellatur. In hac ergo natus quidam Herbertus pelliparius cum uxore et filia, nescio qua de causa, Normanniam abiit et apud oppidum de Falesia[k. 11] mansit; et cum dux Robertus quadam die vidisset filiam prepositi sui de Falesia in chorea saltantem[l] et preposito precepisset, ut illam sibi nocte coniungeret, ista filia Herberti pelliparii supposita[a] fuit loco filie[b] prepositi ex industria, que de eo concepit et peperit Guillelmum Nothum, postmodum regem Anglie. Alii dicunt, et maxime antiqui Hoynenses[c], quod ille Herbertus pelliparius et uxor eius Doda sive Duwa burgenses fuerunt Hoinenses, manentes ad veteres cambias in foro Hoinensi, quando cum filia et tota supellectile iverunt in Normanniam, ubi, sicut prelibatum est, contigit de eorum filia et duce Roberto. Et ut satis querentibus faciamus, forte Herbertus pelliparius uxorem suam Duam[d] natione Hoinensem[e] accepit et causa amoris eius et prolis apud Hoium morabatur.

---

[a] Fland. Bald. *desunt* 1.
[b] predictus 2.
[c] *deest* 2.
[d] *deest* 2.
[d*] Suniam 1. 2.
[e] Bisuntrensis 1.
[f] Raymundum nomine 2.
[g] Fefridi 2.
[h] *deest* 2.
[i] iusto 1.
[k] Valesia 2.
[l] saltantis 1. 2.

[1] Cf. annum 1070.

[2] Non Henricum, sed Henrici filium Philippum, Balduinus comes, quem auctor Fland. gen. M. G. SS. IX, 318 cum nostro conveniens et Insulanum appellat et ob prudentiam et fortitudinem commendat, nutriendum suscepit.

[3] Annis tantum 18 eum sedisse, Chronici S. Benigni auctor dicit.

[4] Cf. Sigeb. ad annum 1045.

[5] Mousson, départ. Meurthe, arrond. Nancy.

[6] Montbéliard sive Mömpelgard, départ. Doubs.

[7] Cf. annum 1013.

[8] Legendum est *Vastinensem*, Le Gâtinais.

[9] Cf. annum 1023.

[10] Florennes.

[11] Falaise.

Sequitur Elinandus et Guilelmus: Que mox, ut concepit, sompnio previdit intestina sua per totam Angliam et Normanniam extendi et dilatari. Ipso quoque — regem futurum. Helin. 1066.

Quando igitur pater eius dux Robertus Ierosolimitanum iter — insignia accepit. Et mater eius, ante patris obitum cuidam nobili Herlewino[f] de Vado Comitis data in uxorem, peperit Odonem episcopum Baiocensem, qui fuit comes Cantie, et Robertum comitem Moretonii, patrem cuiusdam Guilelmi. Guil. Malm. 277.

Guilelmus igitur Nothus mortuo patre per annos 30 hoc modo ducatum tenuit ac postea regnum Anglorum adquisivit. Helin. 1066.

Obiit sanctus Symeon Treverensis et facta sunt ea que continentur in vita illius. Vita s. Sim.

Anno 1036. In Anglia post mortem regis Conthonis, qui Winthonie sepultus est, regnaverunt duo filii eius, Haroldus quidem in Anglia 4 annis, de prima uxore procreatus, Hardecnutus[g] vero in[h] Dacia, qui sororem suam Gunhildim, ex Emma matre sancti Edwardi genitam, dedit filio imperatoris Conradi Henrico. Guil. Malm. 188.

Unde Sigebertus: Henricus rex — regis Anglorum. Sigeb. 1036.

Obiit Raginardus Leodiensis episcopus, fundator abbatie sancti Laurentii; succedit Nizo custos, qui et Nithardus, de quo supra dictum est[12], quod ecclesiam sancti Dyonisii fundavit. Aeg. Aur. II, 82. 83.

Odo Campaniensis contra — furori suo. Sigeb. 1036.

Episcopus Otto: Augustus contumacia Odonis audita Gallias ingressus est — imperator revertitur. Ac Burgundiam ingressus — in pace repedavit. Otto Fris. VI, 31.

Hoc anno — hora diei. Auct. Affl. 1036[13].

Bruno episcopus Tullensis, Albertus comes Metensis et dux Gerardus filius eius multa contulerunt ecclesiis[14].

Anno 1037. Hermannus Mathildis, sororis tertii Ottonis, filius Colonie ordinatur archiepiscopus. Sedit annis 18[15] et habuit fratres Ludolphum et Ottonem ducem Suevie, de cuius linea descendit ille Lotharius dux Saxonum, qui fuit imperator tempore secundi Innocentii pape.

Conradus imperator Italiam — se ageret. Sigeb. 1039.

Episcopus Otto: Ad sedandam ignobilis vulgi contumaciam — elapsus aufugit. Odo comes interea sacramento rupto — Italiam mittitur. Otto Fris. VI, 31.

Sigebertus ita: Odo Barrum castrum — fugere compellitur. Eidem Odoni[16] rex Henricus Gornacum[17] abstulit. Quidam etiam Stephanus fuit filius Odonis, frater comitis Theobaldi. De hoc Odone legitur[17*], quod per beatum Martinum Turonensem, cuius abbatiam de Maiori Monasterio restauraverat, anima eius de penis liberata sit. Eiusdem Odonis tres fuerunt filii: Hugo archiepiscopus Bituricensis[18], comes Theobaldus antiquior et comes Stephanus. Iste comes Theobaldus antiquior diu terram tenuit, civitatem Turonensem, quam antecessores eius habuerant, perdidit, Carnotum vero, quam Hastingus vendiderat atavo suo comiti Turonensi Theobaldo, non amisit. Dives fuit satis et inclytus et apud Spernacum[19] sepultus est[i]. Sigeb. 1037.

Anno 1038. Henricus comes Lovaniensis — qui et Lambertus[k]. Sigeb. 1038.

Hoc anno — luna 28. Auct. Affl. 1039[20].

Normanni in Apulia — nominis incutiunt. Sigeb. 1038.

Secundum magistrum Hugonem isti fuerunt principes Normannorum in Apulia: Turstinus, Kitellus, Ramminulfus[l] et Richardus, Drogo Constantinniensis, Unfredus frater eius, qui primus Apuliam subiugavit, Hugo S. Vict. 114.

---

[a] imposita 1. [b] filii 1. [c] Hoienses 2; *sic quoque infra.* [d] Duam *deest* 2. [e] nomine Duam 2. [f] Harwelino 2. [g] Hardecunttus 1. [h] de 1. [i] *deest* 2. [k] *ut iam in iis, quae oppressi, Lamberti patruus a* 1 secundus *vocatur, ita Lambertus quoque; quae vero numeratio cum neque in* 2 *neque in Sigeberto ipso inveniatur, quin a scriptore* 1 *addita sit, dubitari non licet.* [l] Ramnulfus 2.

[12] Conf. annum 992.

[13] Annal. Bland. 1037.

[14] Ex iis, quae scriptor codicis 3 gestis Tullensium M. G. SS. VIII, 643 inseruit, noster Brunonem multa ecclesiae Tullensi dedisse compererat; de Alberto comite eiusque filio Gerhardo duce in alio fonte, chron. S. Benigni 395', legerat: *Simili modo Albertus comes Metensis dedit villam quam dicunt Wlfere curtem cum mancipiis utriusque sexus. Ipse quidem in vita sua dare disposuit, sed eo mortuo Gerardus dux filius eius adimplevit.*

[15] *Sedit annis* 20. Cat. aep. Colon.

[16] Campaniensi.

[17] Gournai-sur-Marne, départ. Seine-et-Oise, arrond. Pontoise.

[17*] In libello *De restructione Maioris Monasterii* ap. Bochel Greg. Turon. Hist. II, 172—193.

[18] Inter archipraesules Bituricenses huius aetatis nullum Hugonem recenseri Bouquet docet atque Albricum tempora confundentem Hugonem Theobaldi I. Carnotensis, Blesensis ac Turonensis filium male obtrusisse opinatur.

[19] Epernay.

[20] Annal. Bland. 1039.

Robertus cognomento Wiscardus, qui Calabriam et Siciliam adiecit. Huius fuerunt filii Rogerus dux et princeps Boemundus.

Otto Fris. VI, 31. Imperator Conradus pascha Domini Ravenne celebrato — in deditionem accepit.

Sigeb. 1039. Sigebertus: Quia episcopus Mediolanensis — indignando comminantem.

Otto Fris. VI, 31. Inde Cremonam veniens — loca subiit.

Ea tempestate Placentinus [a], Vercellensis et Cremonensis episcopi, dubium utrum licite an secus maiestatis rei iudicati, in exilium deportantur. Et huius facti meminit Sigebertus, quod causa coniurationis preterite

Sigeb. 1039. quosdam episcopos in vincula iecit.

Hugo archiepiscopus Bisuntiensis [b], Rogerus de Vangionis Rivo [21], Guidonis filius, cum uxore sua Mathilde et filiis, Renaldus domnus Castellionis [22] et eius uxor Elizabet cum filio [c] Hunberto, comes etiam Buchardus multa dederunt ecclesiis [23].

Gesta ep. Vird. II, 11. Richardus fit episcopus Virdunensis.

O. Fr. VI, 31. Anno 1039. Imperatore Conrado natale Domini Papie celebrante — hanc cantilenam [d].

Sigeb. 1039. Sigebertus: In mense Aprili — videri potuerunt. Imperator Italia — imperator obiit.

O. Fr. VI, 31. Unde sequitur episcopus Otto: Reverso ab Italia — beate Marie humatur.

Sigeb. 1039. Post quem Henricus filius eius imperavit annis 17.

ibid. 1040. Qui ad debellandum Odelricum Boemanorum ducem vadit, sed Boemanis viriliter resistentibus, prima vice inefficax redit.

In Anglia regnavit Hardecnutus [e] rex Dacie memoratus fere biennio.

Otto Fris. VI, 32. Anno gracie 1040. Henricus imperatricis Gisele [f] filius — ipso mortuo solus regnavit. In ipso quoque dignitas imperialis — in deditionem accepit.

Sigeb. 1041. Unde Sigebertus: Henricus imperator per orationes — Boemie subiugat.

Helin. 1095. Andegavensis comes Gaufridus Martellus, hoc cognomen sibi usurpaverat — in tutelam suscipiens. Mox Theobaldi filii Odonis Campaniensis ingressus limites, urbem Turonicam obsedit — in perpetuum abiuravit. Et ista de Martello isto [g] contigerunt sub rege Francorum Henrico.

Obiit sanctus rex Stephanus de Ungaria post annos 30, ex quo recepta fuit ibi christianitas.

Anno 1041. Ungaris regnavit Petrus annis 12.

Sanctus rex de Ungaria Stephanus primus christianus Ieche filius et a primo duce Almo septimus, filium habuit unicum virum sanctum nomine Hemericum [h], qui vivente patre decessit. Unde rex iste Petrus, de quo hic agitur, frater dicitur fuisse illius regine Gisle, de qua superius [i] diximus [24]. Et quia non erat de semine Ungarorum, contra eum promovere curaverunt quendam Abbonem, qui erat unus ex ipsis, de magnis principibus.

Helin. 1042. Sanctus rex Edwardus ad regnum Anglie revocatus, annis 24 regnavit. Die sancto pasche apud Londoniam magna pompa coronatus est ab Esidio Cantuariensi archiepiscopo [k]. Erat autem Ethelredi superius memorati ex Emma filius [25]. Adeo mansuetus erat — qui nesciret irasci. Egitham filiam Godwini comitis habuit uxorem, in quam omnes pene liberales artes confluxerant. Quam ita tractavit, ut nec amoveret, nec virili more cognosceret.

Sigeb. 1042. Gwatho [l] ex clero [m] — ordinatur Leodiensis episcopus. Hic instituit cotidianam refectionem 12 clericorum, qui dicuntur retro ostium [n], quia in presentia domnorum iuxta ostium refectorii comedunt. Huius sancti pontificis frater fuit domnus Wenzo abbas de Florinis [26].

Chron. S. Benig. 392'. Ulricus fit archiepiscopus Lugdunensis et sedit annis 5 [o].

Auct Afll. 1041 [27] Hoc anno — crucifixi Domini.

Sigeb. 1043. Anno 1042. Apud Constantinopolim Constantinus Monachus sive Monomachus imperat. Super [p] anno

ibid. 971. Domini 971. Iohannes Symbois Nicephorum imperatorem interfecit et regnavit cum Basilio et Constantino pueris.

Sequitur magister Hugo sic: Iohanne defuncto regnaverunt predicti Basilius et Constantinus, deinde Constantinus frater Basilii solus. Hic habuit duas filias Zoi et Theodoram. Itaque post ipsum imperavit Romanus gener eius cum uxore Zoi, Michael Etheriarchis cum Zoy, Michael Arconropanthin cum Zoy [q]; omnes isti per annos 70. Deinde hoc anno Constantinus iste Monomachus cum Zoy, Michael senex, Ysachus Comnenus [r. 27*].

a) *deest* 2. b) Bisuntinens. 2. c) filio suo 2. d) proferat hanc cantilenam *desunt* 2; *cuius versus loco habet cod.* et cetera. e) Hardecunttus 1. f) insule 1. g) ita 2. h) Henricum 2. i) supra 2. k) episcopo 2. l) Wazo 2. m) clerico 2. n) hostium 2. o) Ulricus — annis 5 *desunt* 2. p) superius 2. q) Zoi 2; *sic quoque infra.* r) cum eano 1. 2.

---

[21] Vignory, départ. Haute-Marne, arrond. Chaumont. [22] Châtillon-sur-Marne, départ. Marne, arrond. Reims. [23] Auctor chron. S. Benig. Divion. 394. eosdem quos Albricus, non vero ecclesiarum, sed unius tantum, S Benigni scilicet ecclesiae nominat benefactores: *Hugonem Chrysopolitanae sedis archiepiscopum, Burchardum comitem, Rotgerium dominum castri, quod vocatur Wangionem Rivus, qui ecclesiam a patre suo Widone in honorem S. Stephani constructam dederit, Reinaldum etiam possessorem castri, quod Castellioni dicitur.* Qua convenientia commotus, praesertim quum similia quae antecedunt conferre velis, hoc quoque loco nostrum chronicon illud in usus suos vertisse, facile credas. [24] Cf. annum 1010. [25] Guil. Malm. 180. [26] Florennes. [27] Annal. Bland. 1043. [27*] Haec in Hugonis codice Lipsiensi non leguntur.

Apud Cathalaunum mortuus est primus Rogerus episcopus, succedit ei Rogerus II.[28]

Inter Ungaros — Ungariam devastat. Sigeb. 1042.

Adalbero III. fit Metensis episcopus per annos 30[29]. Gesta ep. Mett. c. 48.

Anno 1043. Fames valida — rebellat. Sigeb. 1044.

Iste Henricus imperator tempore Conradi patris sui[a] — invadibilem fluvium evexit. Helin. 1040.

Obbo Ungaris regnat annis 2.

Anno 1044. Godefridus hortatu — grassatur. Sigeb. 1045.

Circa idem tempus pudenda confusio ecclesie Dei in urbe Roma fuit, tribus ibi invasoribus, quorum unus Benedictus dicebatur, sedem illam simul occupantibus atque ad maioris miserie cumulum divisis simul cum reditibus patriarchiis, predicto Benedicto in Lateranensi palatio sedente, qui flagitiosam et[b] turpem vitam ducebat, cuius socius Silvester erat ad Sanctam Mariam maiorem. Hunc miserrimum ecclesie statum religiosus quidam archipresbiter Sancti Iohannis ante portam Latinam, Gracianus nomine, videns — prefatos viros adiit eisque a sancta sede cedere persuasit. — Ob ea cives presbyterum prefatum — elegerunt et mutato nomine Gregorium sextum vocaverunt. Otto Fris. VI, 32.

Sigebertus: Benedictus symoniace papatu Romano invaso, cum esset rudis litterarum, alterum ad vices ecclesiastici officii exequendas secum papam consecrari fecit. Quod cum multis non placeret, tertius superducitur, qui solus vices duorum impleret. Itaque Sabiniensis episcopus a Benedicto in papam fuit consecratus, qui Sylvester III. est appellatus; huic asscribuntur dies 56, quibus sedit, postquam Benedictus mediante Graciano cessit; deinde idem Gracianus, qui et Gregorius VI, sedit annis 2. Unde ex consequentia hystorie liquet, quod predictus Benedictus iam non erat papa, quando fuit mortuus. Vixit autem ultra[c] duos annos istos, quibus sedit Gracianus, sicut Petrus Damianus in epistola de dimittendo episcopatu, ita meminit: Iunior Benedictus papa apostolici se culminis — est qui deseruit. Sigeb. 1045. Helin. 1045. Petr. Dam. I, 9.

Quando[d] autem iste Benedictus mortuus fuit, de anima eius monstrosa fit quedam mentio in illo libro, qui Elucidarius dicitur.

Quam terribilem visionem, ut scribit domnus Elinandus, Petrus Damianus in alia epistola ita refert: Humbertus, inquit, archiepiscopus mihi narravit, quod iste Benedictus post mortem apparuit cuidam vasso iuxta molendinum — melius illi fuerat, si episcopatum nunquam ascendisset. Helin. 1045.

Anno 1045. Sigebertus: Henricus imperator iterum — tributariam fecit. Sigeb. 1043.

Episcopus Otto: Ungaros rex Henricus variis ac diversis preliis premens — multitudinem Ungarorum fudit, Petrumque regno restituit. Unde rursus est ille rithmus Hermanni Contracti de prefato triumpho conpositus: *Vox hec melos pangat*[e]. Igitur ab hinc Petrus iterum regnavit Ungaris annis 2. Otto Fris. VI, 32.

Instinctu Godefridi comes Flandrensium Balduinus Insulanus contra imperatorem rebellat. Sigeb. 1046.

Ecclesia sancte Gertrudis — presente Henrico imperatore.

Theoderico Metensium episcopo defuncto succedit Adalbero fratruelis eius, vir magne prudentie et sanctitatis, per annos 31[30].

Uxor imperatoris Henrici Gunhildis imperatrix de Anglia adulterii accusata, unum ex clientela sua statura pusillum delatori gygantee molis homini ad monomachiam apposuit; itaque conserto duello — enervatus et victus est; illa autem post victoriam viro suo repudium dedit, et — sanctimonialis habitum sumens, in servitio Dei permansit. Imperator autem aliam duxit Agnetem nomine, de qua tulit filium, quem vocavit Henricum. Helin. 1035.

Episcopus Otto: Ista Agnes fuit soror nobilissimi Galliarum principis Guilelmi Pictavie ac[f] Aquitanie ducis. Cumque ex more regio — cum paucis funditus delevit. Otto Fris. VI, 32.

Ex vita sancti Edwardi: In quadam pentecoste rex Anglie[g] Edwardus sedens ad mensam risit[h] et vidit in spiritu regem Dacie, cui nomen erat Sueno iunior, submersum[i] qui navem conscendebat ad invadendam Angliam. Post quem regnavit Suanus nobilis in Dacia, qui pacem eius expetiit, et 14 filios habuit, et contra hunc Magnus Norwegie rex pugnasse dicitur. Vita s. Edwardi c. 11.

Anno 1046. Rome uno contra duos — censura deponit. Sigeb. 1046.

Episcopus Otto ita dicit: Rex Henricus supradictis auditis procinctum in Italiam movet. Porro Gratianus — eique Suidegerum Bavembergensem episcopum, qui et Clemens, consensu ecclesie Romane substituit, qui sedit mensibus 9 diebus 7[31]. Hunc Gracianum Alpes transcendentem — constantissimus fuit. Exhinc Romana ecclesia — inveniuntur. Otto Fris. VI, 32.

Godefridus palatium — incendit. Sigeb. 1047.

Eodem tempore abbas Halinardus Sancti Benigni Divionensis factus est archiepiscopus Lugdunensis, et quia secundum ea, que supra posita sunt[32], civitas Lugdunensis tunc erat sub imperatore, domnus Halinardus curiam imperatoris adiit pro regalibus suis accipiendis. Imperator iam erat in procinctu Romani itineris et voluit, ut archiepiscopus secundum morem iuraret ei fidelitatem; ille dixit se esse monachum nec debere facere iuramentum. Dictum est, ut vel ad minus se offerret ad iuramentum. Respondit non se debere simulationem facere. Tandem mediantibus episcopis Theoderico, antequam moreretur Metensi, Brunone Tullensi, Chron. S. Benig. 392'. ibid. 393.

a) *deest* 2. b) ac 2. c) ul. 1. d) quandocunque 2. e) Uxor ekmeles pangat 1; Vox ekineles pugnat 2. f) atque 2. g) rex Anglie rex 2. h) sedit ad mensam et risit 2. i) *deest* 2.

---

[28] Cf. Annal. S. Petri Catal. M. G. SS. XVI, 488.

[29] Adalberonis antecessorem Theodericum per 30 annos episcopatui praefuisse narrat auctor Gestor. Mett., de Adalberonis tempore 1046—1072 mentionem non fecit.

[30] Anno 1044 eidem Adalberoni annos 30 attribuit.

[31] Cf. Hugonem S. Victor. Helin. 1046.

[32] Cf. annum 1034.

Richardo Virdunensi, imperator pro sua religione iuramentum ei quitavit, deinde secundum antecedentia Romam abiit.

Sigeb. 1046. Anno 1047. Rex Henricus a Clemente papa in imperatorem — electuros.

Otto Fris. VI, 33. Episcopus Otto: Henricus rex victoriosus — augusti nomen suscepit; inde per Apuliam — revertitur.

Eodem anno papa Clemente mortuo, cuius corpus, ut dicitur, ad ecclesiam Bavenbergensem occulte a suis relatum est, Poppo Aquileiensis patriarcha, quondam Brixianus, qui et Damasus dictus est[33], in loco eius subrogatur; sedit diebus 23[33].

Non multo post Petrus Ungarorum rex — regno privatur. Cui successit in regno Ungarorum Andreas annis 24.

L. de Leod. c. 1 et 9. Theodericus Theutonicus fit episcopus Virdunensis per annos 43.

Sigeb. 1048. Viri religiosi et illustres sanctitate in Christo dormiunt: Poppo archiepiscopus Treverensis 16. Kalendas Iulii[34], Wazo Leodiensis episcopus 8. Idus Iulii[35], Odilo abbas Cluniacensis, qui monachorum archangelus vocabatur[36], Poppo abbas Stabulensis.

Gesta Trev. Cont. 8. Archiepiscopo Popponi succedit Everardus.

Aegid III,1. Episcopo Wazoni Theodunus natione Noricus, id est[a] de Bavaria, consanguineus imperatoris, qui in ecclesia beate Marie de Hoio, in qua venerabilis Boso archidyaconus contemporaneus et abbas Leodiensis 15 canonicos posuerat, alios 15 addidit.

Sancto Odiloni abbati Cluniacensi succedit sanctus abbas Hugo per annos 36.

Floruit hoc tempore sanctus abbas Robertus de Casa Dei[37], qui magne extitit opinionis et multos et magnos viros ad servitium Dei aggregavit.

Sigeb. 1047. Sigebertus: Franco scolasticus — frangeret.

Chron S. Benig 393'. Anno 1048. Cum de summi pontificis electione inter imperatorem et Romanos ageretur, postulatus est in papam ab una parte[b] domnus Halinardus Lugdunensis archiepiscopus, sed dissimulavit ad curiam ire, donec electus est Bruno Tullensis episcopus, vir nobilis et sanctus, filius comitis Hugonis[c] Daburgensis[38].

Otto Fris. VI, 33. Episcopus Otto: Hic ex nobili Francorum — ubi forte tunc venerat predictus Hildebrandus. Is Brunonem adiens — iter capit.

Sigeb. 1048. Sigebertus: Qui cum ad capessendam — suscepisse obstupuit.

Auct. Affl. 1048[39]. Hoc anno facta est elevatio sancti Floreberti.

O. Fr. VI, 33. Episcopus Otto: Igitur ad Urbem — informatur.

Sigeb. 1048. Sigebertus: Hic Leo nonus[d] dictus est, qui de multis sanctis et cetera ut supra[e. 40].

Will Tyr. I, 6. Guido de ecclesia sancti[f] sepulchri in[g] Ierosolimis ab imperatore Constantinopolitano[h] reedificata: Supradicto principe nequam Achim soldano rebus humanis exempto, filius eius Daher nomine regnum optinens, ad petitionem imperatoris Constantinopolitani, domni Romani Heliopolitani vel potius Constantini, qui post Ysacum Comnenum[i] imperavit, cum quo, fedus quod pater eius Achim perfidus violaverat resarciens[k], contraxerat amicitiam, reedificandi predictam ecclesiam fidelibus dedit licentiam. Quam Nichephorus patriarcha[g] Ierosolimitanus, qualis nunc veneratur in Ierosolimis, reparavit sumptibus de predicti imperatoris erario[l] ministratis. Factum est hoc anno ab incarnatione Domini[m] 1048, 51.[n] ante urbis liberationem, 37. post eius ecclesie destructionem.

Sigeb. 1048. Sigebertus: Albertus qui ducatum — Fredericus optinet.

Guil. Malm. 189. Elinandus et Guilelmus: Erat[o] imperator Henricus multis et magnis virtutibus preclarus et omnium pene ante se bellicosissimus, utpote qui multas feroces et indomitas imperio subiugaverat nationes.

Helin. 1040. Idem imperator celebrabat aliquando pentecostem apud Moguntiam, paulo ante missam cum sedilia pararentur in ecclesia, ortum est iurgium inter cubicularios archiepiscopi et abbatis Fuldensis cenobii, utrorum domnus iuxta[p] imperatorem sedere deberet. Nam Fuldense cenobium in Thoringia,[q] sancti Bonefacii[41] corpore insigne, prediis est ditatum permagnificis, cuius loci abbas habet privilegium ex antiquo, ut in magnis festivitatibus ad dextram sedeat[r] imperatoris. Itaque ventum est ad pugnam — ciborum abstergens.

Sigeb. 1049. Anno 1049. Sigebertus: Leo papa — imperatori satisfecit.

O. Fr. VI, 33. Episcopus Otto: Imperator Belgicam — ad deditionem coegit.

Post hec sinodus Moguntie celebratur in presentia summi pontificis Leonis et imperatoris. Ibi proposuit imperator questionem de legenda sancti Servacii et de gestis eius, et ibi canonizata fuit vita eius.

a) id est *desunt* 2. b) ab una parte in papam 2. c) Hug. com. 2. d) novus 1. e) ut supra *desunt* 1. f) *deest* 1. g) *deest* 2. h) Constantinopolitana 1. i) cum eano 1. 2. k) resarcians 2. l) aerario 2. m) ab incarnatione Domini *desunt* 2. n) 51. *deest* 1. o) autem 1; *deest in 2 et apud Helinandum.* p) circa 2. q) Lothoringia 1. r) sed. ad dexteram 2.

[33] Cf. Hugonem S. Victor. Helin. 1047.

[34] *Poppo — 16 Kal. Iulii* ex Gestorum Trever. cont. cap. 7 deprompta sunt.

[35] Secundum Aegid. Aureavall. II, 110. Wazo Id. Iul. obiit; cum die obitus, quem noster praebet, convenit liber ecclesiae Leodiensis, ex quo leguntur commemorationes fratrum et omnium fidelium defunctorum ap. Chapeavilli Gesta ep. Leod. I, 370.

[36] *qui — vocabatur* ex Helinandi chron. 1048 Albricus addidit.

[37] La Chaise-Dieu. départ. Puy-de-Dôme.

[38] Dachsburg in saltu Vosago.

[39] Annal. Bland. 1049.

[40] Proximo scilicet Sigeberti loco, cuius initium tantum et finem dedi.

[41] Helin. l. c.: *in Saxonia sancti Galli* et cetera.

Sigebertus: Leo papa[a] — meliorabat. Eo tempore Remis translatum est corpus beati Remigii, et Leo papa benedixit ecclesiam beati[b] Remigii. Post triduum tenuit ibi concilium 66 episcoporum. Sigeb. 1049.

In quo concilio interrogatus sanctus Hugo abbas[c] Cluniacensis de sua promotione, fertur respondisse: *Caro voluit, spiritus repugnavit.* Ibi vero simoniaci tam populares, quam clerici presbiterique uxorati persuasione sancti Hugonis a catholicorum communione et ab ecclesiis eliminati sunt. Affuerunt ibi archiepiscopi: Guido Remensis, Halinardus Lugdunensis, Hugo Bisunciensis[d], Everhardus Treverensis, Mainardus Suessionensis[e][42], et quidam alii cum suffraganeis suis. Helin. 1049.

Episcopus Hugo Lingonensis depositus fuit[f], pro quo factus est episcopus Arduinus. Chr. S. Ben 390' 393'.

Sigebertus: Sanctus Theobaldus inter nobiles — meruerunt. Sigeb. 1050.

Bardo episcopus Moguntie obiit, cuius sanctitas per multam miraculorum gratiam patuit, succedit[g] Lupoldus qui Montem sancti Iacobi reparavit.

Elinandus et Guilelmus de homine in asinum mutato: Eo tempore erant due anicule — Hinc apparet quod nihil quod per nigromantiam fit, potest in aqua fallere intuentem; sicut de pulvere quodam invento superius refertur, qui[h] in aurum vertebat quidquid contingebat; id est, ita videri faciebat, donec aqua dilueretur. Helin. 1051.

Anno 1050. Balduinus Flandrensis invaso Haynonensium[i] comitatu contra imperatorem rebellat. Ex quo coniicimus, quod Raynerus iunior comes Haynonii iam erat mortuus.[42*] Cuius filiam unicam Richildem nomine comes Balduinus Insulanus filio suo dedit uxorem. Sigeb. 1050.

Sigebertus: Leo papa — etiam relaxatis. Sigeb 1050.

Episcopus Otto: Ea tempestate Normannorum gens — ab indigenis illic[k] monstratur. Otto Fris. VI, 33.

Illud[l] ergo a quibusdam reprehenditur in beato Leone, quod Normannos illos voluit a finibus Apulie et Calabrie exterminare, ignorans utilitatem, que postea secuta est, in cohercendo in partibus illis Saracenos.

Sigebertus: Francia turbatur per Berengarium Turonensem — Unde contra eum et pro eo multum a multis et verbis et scriptis disputatum est. Sigeb. 1051

De isto Berengario quedam vulgo narrantur, quod fuerit in adolescentia potens nigromanticus, quod a Turonis usque Romam diabolus eum una nocte detulerit[m], quod quidam puer clericus nobilis genere ei commendatus, magistro absente dum libros nigromanticos legeret[n], a dyabolo occisus sit, et quod idem demon coactus a Berengario in corpus pueri mortui intravit et per aliquod tempus huc et illuc deambulare[o] fecit et cum ceteris cantare et in choro stare, donec ab alio nigromantico falsitate deprehensa puer, ut erat pro vero, mortuus esse deprehenderetur, et quod idem Berengarius morti adiudicatus, fugiens ad ecclesiam, *Iuste iudex* ibi fecerit et cum lamentatione decantaverit et ita[p] liberatus sit[q].

Ubi autem supra dicitur, quod a multis contra eum et verbis et scriptis disputatum est, addit Elinandus ex dictis Guillelmi: Inter quos domnus Guido — edidit librum. Responderunt etiam eidem Berengario: magister Lamfrancus monachus de Becco[r] Herluini[43], paulo post abbas Cadoniensis[44], post archiepiscopus Cantuariensis, Guimundus prius monachus — eloquentissimus. Helin. 1052.

Item Leo papa Vercellis contra eum celebravit concilium, sed post Leonis obitum Hildebrandus archidyaconus cum esset Turonis sub papa Nicholao, et deinde sub ipso, cum esset papa Rome, conciliis eum conpulit ad sui dogmatis anathema.

Berengarius autem in fine ita resipuit, ut sine retractatione a quibusdam habeatur — Unde ipse Berengarius dum in quadam die epyphanie moritur, dixit: *Hodie apparebit — ad penam.*

Anno 1051. Rex Ungarorum — id frustra fuit. Sigeb. 1052.

Episcopus Otto: Rex iterum — revertitur. Otto Fris. VI, 33.

Obiit Gerardus Cameracensis episcopus, succedit Liebertus.

Apud Tullum post episcopum sanctum Gerardum prefuit Stephanus et post eum Bertoldus, quem secutus est Hermannus, deinde Bruno. Ipse est Leo papa sanctissimus. Gesta ep. Tul. c.35-39.

Sigebertus: Leo papa — habendum. Sigeb. 1051.

Planetam beati Petri apostoli apud Antiochiam gestatam habebat sanctus Hugo abbas Cluniacensis secum, de qua Robertum virum illustrem paraliticum Parisius sanavit et sanum a lecto surgere fecit. Helin. 145'. Idem sanctus Hugo per totam quadragesimam singulis diebus psalterium decantare consuevit. ibid. 146.

Quadam die dum dormiret vidit sub capite suo — in pace requievit. ibid. 145'.

Rome obiit Halinardus Lugdunensis archiepiscopus, eique succedit Philippus[45] antiquior, id est[s] primus. Chr. S. Ben. 394.

Anno 1052. Natus est rex futurus regis Francorum Henrici filius ex Anna filia Georgii regis Sclavonum.

In Anglia corpus Edgari regis[t] Glastonie sepulti ab abbate Adilpardo inventum est incorruptum. Sunt autem in Anglia quinque sanctorum corpora omnino incorrupta, id est: sancta Edeltrudis et sancta Wiburga virgines, sanctus Helin. 1052.

---

a) *deest* 1. b) sancti 1. c) *deest* 2. d) Besuntinensis 2. e) Everh. — Suession. *desunt* 1. f) suis 2. g) successit 2. h) quod 1. 2. i) Haionensium 2. k) illo 2. l) istud 2. m) detulit 2. n) ei commendatus *hic repetit* 1. o) ambulare 2. p) sic 2. q) est 2. r) Becce 1. s) sive 2. t) Edgari regis corpus 2.

42) Iidem Suessionensi praesule excepto in chron. S. Benig. 390'. concilio Remensi affuisse dicuntur. 42*) Reinerus IV. anno 1013 obiit. 43) Le Bec-Hellouin, départ. Eure, arrond. Bernai. 44) Caen. 45) Secundum Annal. S. Benig. 1052: *Humbertus.*

rex et martir Eadmundus, sanctus archiepiscopus et martir Elfegus et antiquus pater sanctus Cuthbertus. Eiusdem Edgardi filia, soror Ethelredi, amica sancti Edwardi, fuit Egita virgo sancta, cuius corpus miraculose inventum est in cineres resolutum preter dextrum pollicem et alvum et alvo subiecta, eo scilicet quod immunis fuerat et a tactu et a crapula et a carnali copula.

Otto Fris. VI, 33. Henricus imperator denuo Pannonias — secum duxit.

Sigeb. 1053. Sigebertus: Balduinus comes — incendit.

Godefridus iterum rebellat, quia ducta uxore Bonifacii marchionis a Longobardia excluditur. Qui Bonefacius erat Romane urbis patricius et prefectus Anchonitanus et Pisanus marchio et totius interiacentis Tuschie et Italie dominator [a]. Has omnes dignitates, cum interfectus fuisset dictus Bonifacius, per eius relictam Beatricem iste Godefridus accepit cognomento Barbatus. Que Beatrix filia fuit [b] Sigifridi de Brie [46], filii ducis Theoderici. Soror huius Sigifridi Adela comitissa Arelune [47] peperit Fulconem et Waleranum, a quibus duces de Lemborc descendunt.

Sigeb. 1053. Sigebertus: Grecis in heresim — sacerdotum.

Anno 1053, 13. [c] imperatoris Henrici filii Conradi Papias librum suum, scilicet [d] elementarium doctrine rudimentum, edidit, quod probatur per numerum annorum, ubi agit [e] de etatibus seculi in prima littera et enumerando pertingit usque ad hunc annum.

ibid. 1054. Sigebertus: Leo papa — recepta sunt.

Vita s. Edw. c. 7 sqq. Rex Anglie sanctus Edwardus cum peregrinationem Romam vellet aggredi, non permiserunt sui. Unde legatos suos ad sanctum Leonem papam misit, qui papa eundem regem absolvit a voto peregrinationis et novum monasterium in honore sanctorum [f] Petri et Pauli edificare mandavit, vel potius vetus reedificare, et hac de causa Westmonasterium ad occidentalem partem Lundonie situm in statum et decus dignioris excellentie fuit reformatum.

Sigeb 1054. Anno 1054. Henricus imperator filio — obsessos capit.

ibid. 1055. Leo papa moritur, qui, cuius meriti fuerit apud Deum, cunctis patuit — Deus eum glorificavit.

O. Fr. VI, 33. Unde episcopus Otto: Leo papa in ecclesia — habetur.

Helin. 1053. Elinandus ex dictis Guillelmi: Eo tempore corpus — nervisque fluentibus.

ibid. 1047. Anno 1055. Post sanctum Leonem papam, qui sedit annis 5, mensibus 2, diebus 6, Gebehardus Eystenensis
ibid. 1055. episcopus, qui Victor II. dictus est, sedit Rome annis 2, mensibus 4, diebus 13 [g].

Rex Francorum Henricus apud Parisius fundavit ecclesiam beati Martini, ubi sanctus Martinus leprosum curavit.

Sigeb. 1055. Sanctus Anno Coloniе ordinatur archiepiscopus, sedit [h] annis 21 [47*].

Imperatore in Italia — ab oppugnatione desistit.

In Dacia ab anno primo sancti regis Anglie Edwardi Sueno iunior regnabat, qui paulo post fuit submersus. Post quem regnavit Suanus, ille nobilis qui 14 filios habuit, contra quem pugnavit rex Norwegie Magnus, Olani [i] martyris filius. Post hunc Magnum regnat in Norwegia Suanus quidam ignobilis. Deinde alter Olanus et ipse sanctus, patruelis Magni. Post quem Haroldus frater eius [k].

Helin. 1055. Petrus Damianus de legatione Hildebrandi: Hildebrando, inquit, archidyacono referente didici, quod — sex episcopos pro diversis criminibus deposuit Inter quos quidam erat episcopus simoniace factus, qui hoc modo examinatus est. Iussus dicere: *Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto*, Spiritum sanctum verbis exprimere non valebat, quamvis Patrem et Filium libere et expedite pronunciaret. Qua [l] difficultate convictus, ab episcopatu depositus est.

Bellum fuisse apud Mare Mortuum [48], in quibusdam cronicis annotatur [49].

Item Bolonie bellum, captio Gaufridi, mors Holdoini filii eius.

Hoc tempore fuit comes de Brena super Albam [50] Engelbertus, qui comitissam Ioviniaci [51] viduam de primo marito suo, filiam habentem unicam, duxit uxorem. Que filia per industriam eiusdem comitis [m] Engelberti data est in uxorem [n] cuidam militi strenuo Stephano nomine de Vallibus iuxta abbatiam sancti Urbani [52]. Qui Stephanus erat de mensa dicti comitis Engelberti, et iste Stephanus post mortem dicte comitisse fuit comes Ioviniaci ex parte uxoris et ipse primus castrum de Ionevilla [53] inchoavit, auxilium ferente comite Engelberto. Qui Stephanus filium habuit Gaufridum nomine, qui fuit comes Ioviniaci et [h] secundus dominus Ioneville. Iste est igitur de quo hic annotatur: *Captio Gaufridi*. Qui liber dimissus, invenitur abhinc vixisse per annos 26. Et ista est brevis narratio de antiquitate Ioneville.

Item hoc tempore [54] per quosdam heremitas fundatus fuisse dicitur locus abbatie Molismensis, que est mater Cisterciensis ordinis.

---

a) dominatur 1. b) *deest* 1. c) Anno 1053. Anno 13. 2. d) videlicet 2. e) ait 1. f) sancti 1. g) XIX 2. h) *deest* 2. i) Olavi 1, *sed infra* Olanus. k) Post — eius *desunt* 2. l) Qui sine 1; qui 2. m) eiusdem comitis *desunt* 2. n) in uxorem *desunt* 2.

46) Briey. 47) Arlon. 47*) Cat. aep. Colon: *Sedit in episcopatu viginti annis et semis.* 48) Mortemar inter Rothomagum et Gisors. 49) Auct. Mortui Maris M. G. SS. VI, 463 et Helin. 1055. 50) Brienne sur Aube. 51) Joigni, départ. Yonne. 52) Saint-Urbain, départ. Haute-Marne, arrond. Vassy. 53) Joinville, départ. Haute-Marne, arrond. Vassy. 54) Cf. auct. Mortui Maris l. c. ad 1056.

Anno 1056. Victor papa — Henricus moritur. Sigeb. 1056.

Episcopus Otto: Imperator Italiam ingressus Beatricem Mathildis matrem consanguineam suam defuncto marito suo Bonifacio marchione secum reduxit. Otto Fris. VI, 33. Supra ante quatuor annos, videlicet in anno Domini 1052, dicitur quod Godefridus duxit uxorem Bonefacii marchionis et iussu imperatoris a Longobardia excluditur; hic autem dicitur quod imperator eam ab Italia secum reduxit et quod ipsa fuit Beatrix mater Mathildis scilicet marchise. Et habemus ab antiquis, quod ista Beatrix fuit heres et comitissa de castro, quod dicitur Brie[55], Metensis dyocesis.

Ipse vero imperator non multo post — in libello quodam satis luculenter disseruit. ibid.

Elinandus et Guilelmus: Apud Spiram conditus est, quam ipse ex antiquissima et diruta Nemeto renovatam[a] Spiram nominavit. Huius fuit epitaphium illud famosum: *Cesar tantus* — *antro* et cetera. Guil. Malm. 194.

Et post eum regnavit filius eius Henricus, cui ascribuntur anni 50. Helin. 1056.

Cluniacensem ecclesiam sanctus abbas Hugo ita reparavit[b], ut sit — circumscribende quantitati. ibid. 1048.

Obiit Remensis archiepiscopus Guido, eique succedit Gervasius per annos 12, qui ut dicitur primo fuit episcopus Cenomanensis. Hic posuit canonicos regulares in Sancto Dyonisio Remensi et ipse fecit cervum ereum in curia Remensi.

Anno gracie 1057. Henricus IV.[c] filius Henrici imperat annis 50. Helin. 1056.

Colonie generali conventu habito Balduinus et Godefridus mediante Victore papa ad gratiam regis et pacem reducuntur et omnes motus bellorum sedantur, Sigeb. 1057. et eidem Godefrido duci reddita est uxor sua Beatrix Italie marchisa. Tempore autem predicte guerre castrum de Mirval[56] iussu imperatoris fuit dirutum[57].

Obiit Arnulfus comes; quis iste fuerit, ignoratur; sed tamen quidam dicunt, quod iacet apud Sanctum Arnulfum Metis. Et fuit terra eius Chaumontotz ultra Esnianciam[58], et castrum de Laio dedit[58] Sancto Arnulfo et comites de Salmis ei ex una parte succedunt.

Sigebertus: Balduinus iunior — suscepit. Auct. Affl. 1057.

Rabbodo comes interfectus est.

Anno 1058. Sigebertus: In[d] Fresonia — passus est. Sigeb. 1058.

Elinandus. Eidem recluso secundum Petrum Damianum revelatum erat quia nisi — cum sua cellula. Helin. 1058.

Philippus rex regis Henrici filius cum esset 7 annorum unctus est Remis presente patre 10. Kalendas Iunii.

Sigebertus: Fredericus filius Gothelonis — Romane ecclesie 144. presidet alteratus nomine Stephani. Sigeb. 1059. Qui Stephanus IX. dictus est et sedit 9 mensibus. Helin. 1058.

Isti itaque 5 summi pontifices precedentes, Clemens, Damasus, Leo, Victor et iste Stephanus, et unus tempore tertii Ottonis, scilicet Gregorius Bruno, 6 isti[e] fuerunt de nobili genere Theutonicorum.

Anno 1059. Ab hoc anno rex Francorum primus Philippus per annos 50 regnavit.

Stephanus papa in civitate — accedere. Helin. 1059.

Sigebertus: In pago Brachatensi — concremate sunt. Sigeb. 1059.

Rome Zencius Bellitervensis episcopus factus papa, dictus est Benedictus X. et sedit mensibus 10. Iste non habetur in Sigeberto. Helin. 1060.

In Anglia visio[f] sancti regis Edwardi de septem dormientibus. Unde Guido: Rex Anglie Edwardus apertissime miraculis et prophetie spiritu claruit. Die sancti[g] pasche ad mensam[h] apud Westmonasterium optimatum gloria circumvallatus mentes convivantium permovit, subitum resolutus in risum. Guil. Malm. 225. Cur riserit percunctatus, se vidisse mira respondit, videlicet septem dormientes in Celio monte[i] ab antiquis temporibus in dextro requiescentes latere, tunc in ipsa hora risus sui latus invertisse sinistrum; futurum, ut 74 annis ita iacerent, dirum nimirum miseris mortalibus omen. Hiis auditis comes militem, episcopus clericum, abbas monachum ad veritatem verborum exculpandam Manicheti Constantinopolitano imperatori misere, adiectis regis sui litteris et muneribus, ut huius inquirerent miraculi veritatem. Qui missi cum veritatem agnovissent, ab imperatore cum honore remissi renunciaverunt regi suo, sicut viderat in cordis occulto, sic evenisse pro certo.

Secundum magistrum Hugonem Constantinopoli imperavit Eclodia uxor Constantini et Maniches. Deinde Romanus Dyogenes cum filiis suis Michaele, Andronico et Constantino, qui postea extincto Romano per triennium regnaverunt.

Guido de origine et potentia Turcorum: At postquam Turcorum cepit evanescere potestas super Will. Tyr. Hist. I, 6.

---

a) revocatam 1. b) renovavit 2. c) *deest* 2. d) imperator 1. e) 6 isti *desunt* 2. f) *deest* 1. g) sancto 2. h) ad mensam *desunt* 2. i) monte Celio 2.

55) Briey. 56) Mirwart ad flumen Lomme. 57) Ex chron. S. Huberti c. 5. M. G. SS.VIII, 571? 58) Leibniz imprimi fecit et Bouquet recepit: *Esmatiam*, locum vel fluvium, a me in chartis frustra quaesitum. Forte legendum est: *Ementia*=Amance, départ. Meurthe, arrond. Nancy. Qua a villa castrum Lay, de quo in sequentibus agitur, haud longe distat. 59) Si diplomati ap. Calmet Hist. de Lorraine II. Pr. 196 ed. II. fides tribuenda esset, iam anno 950 Eva comitissa pro requie mariti Hugonis atque filii Arnulfi, *ab inimicis ecclesiae in primaevo iuventutis flore trucidati*, sancto Arnulfo Mettensi villam Layum sitam in comitatu Calvomontensi dedisset. Sed gravibus argumentis, quibus hunc Albrici locum addere licet, diploma spurium esse Calmetius docuit.

Persas et Egiptios, et sancta civitas sub iugum devenit eorum per annos 38, quibus eam detinuerunt, maioribus molestiis cepit fidelium populus fatigari, ita ut leve ducerent iugum Persarum et Egiptiorum, comparatione Turcorum. Will. Tyr. Hist. I, 7. Gens autem Turcorum sive Turcomannorum — nam ab eodem trahunt originem et dicuntur militares Turci, Turcomani vero vulgares, — post excidium Troie se contulerunt ad yperboreas regiones, Turco quodam duce, a quo Turci dicuntur nunc usque. Accidit autem, ut illius populi maxima multitudo ab aliis seorsum incedens et Persarum fines ingrediens, ibi per aliquot annos moram faciens sub tributo, tantum acceperit incrementum, quod habita suspicione de ipsis[a] consilium inierit rex Persarum multiplicatis angariis et consuetis pensionibus novis superadditis eos fatigandi, quo usque sponte et communicato consilio, rege permittente, discedunt ab illis finibus universi. Dumque circa fluvium Chobar, qui regnum Persarum ex ea parte limitat, cum infinita multitudine potentiaque vigerent, intuitu quanto propiore[b] tanto liberiore considerant incipiuntque mirari, quomodo servire sustinerent[c], quibus poterant dominari; nihilque sibi deesse prospiciunt nisi regis imperium ad dominium super alios obtinendum. Creare sibi regem hoc modo disponunt. De centum familiis nobilioribus inter ipsos et earum singulis singulas afferentibus[d] ex precepto sagittas, nominibus singularum familiarum inscriptas, iudicio sagittarum, unius illarum elevate[e] de fasciculo per manum innocentis pueri et ignorantis hoc ipsum eligunt digniorem; iterum de centum eiusdem familie nobilioribus eiusdem sortis genere[f] virum Selduc nomine splendidiorem aliis elevant[g] sibi regem. Sub hoc ne de cetero conpellantur regiones exteras circuire, non solum Persarum, sed universa fere regna violenter occupaverant[h] orientalium nationum, annis vix 40 prius quam iter aggrederentur Ierosolimitane peregrinationis christiani principes Occidentis.

Wilh Malm. 368. Tunc erat patriarcha Ierosolimitanus post Nicephorum Sophronius. In huius ergo tempore venerunt Turci Ierusalem et pugnaverunt cum Sarracenis et occiderunt omnes in civitate inventos et optinuerunt civitatem. Christiani autem remanserunt in civitate subiecti.

Will. Tyr. Hist. I, 8. Et tunc temporis in Oriente non solum fideles ab impiis opprimebantur, verum ubique fere terrarum; maxime tamen inter eos qui dicebantur fideles defecerat fides: permittente, quin potius immittente domino Belphetoch Persarum soldanus quanto potentior, tanto violentior suscitatur christiano nomini persecutor. ibid. I, 9. Qui cum Romano, qui cognominatus est Dyogenes, imperatore Constantinopolitano congressus, eoque devicto simul et capto, et in contumeliam christiane fidei faciens ascensorium sibi de captivo, a Laodicia Syrie usque ad Hellespontum, qui Constantinopolim perlabitur, regiones occupat universas itinere 30 dierum in longitudinem et 15 in latitudinem, populo captivato. A quo tamen tyranno prefatus imperator pro turpis huius obsequi retributione liber abire dimissus et indignus augustali solio iudicatus est a suis, amissis oculis vix vivere permissus.

Helin. 1061. Anno 1060. Gerardus Florentie episcopus Rome electus in papam, dictus est Nicholaus secundus, sedit annis duobus, mensibus sex. Fuit in numero pontificum 160. Qui statim mense Aprili indictione 12. vel potius 13. concilium celebravit de electione Romani pontificis, cuius tenor in decretis invenitur.

Sub eo autem floruit archiepiscopatus Radulfus Bituricensis, vir sanctus, frater regis Francie Henrici. Qui papa exemit episcopum Podiensem, dicto archiepiscopo contradicente et ad iudicium divinum appellante.

Tempore archiepiscopi Rothomagensis sancti Maurilii, sub abbate Herluino et priore Lamfranco, Anselmus annorum 27 factus est Becci[i. 60] monachus, de Augusta[60*] in Lombardia natus.

Guil Malm. 234. Henricus vero rex Francorum moriens Balduino comiti Flandrie, qui dictus est Insulanus, tutelam admodum parvuli Philippi filii delegavit. Is erat fide et virtute et sapientia eque mirandus, cuius filia Mathildis Guilelmo[k] Normannorum duci, necdum Anglorum regi[l], nupserat, femina suo tempore pudicitie specimen, pudoris culmen.

Helin. 1060. Fuit rex Henricus miles strenuus et bonus, qui potionis, ut dicitur, haustu male fuit potionatus. Tres habuit filios Philippum, Robertum et Hugonem Magnum Veromandie comitem. Ex quibus Robertus iuvenis mortuus est. Soror autem eiusdem regis Henrici Adela predicto Balduino Insulano peperit Balduinum huius nominis sextum, Robertum cognomento Fresonem, Philippum patrem Guilelmi de Ypra et filias duas, Iudith, quam duxit Tostinus comes Nortdanimbrorum in Anglia, et Mathildem predictam Normannorum ducissam. Balduinus VI. duxit Richildem filiam unicam Rayneri comitis Hayniaci, de qua genuit Arnulfum exheredatum et Balduinum VII, a quo Hayniaci comites descendunt. Robertus autem Friso Gertrudem Fresonum comitissam duxit in uxorem, relictam videlicet comitis Florentii, matrem comitis Theoderici, et genuit ex ea comitem Robertum, qui in expeditione Ierosolimitana memoratur, et duas sorores eius, Adalam matrem comitis Caroli, et Gertrudem ducissam de Nanceio, que peperit Theoderico filio Gerardi[m] ducem Symonem et Theodericum nobilem Flandriarum comitem et principem. Que omnia diligentius suis in locis prosequemur. Sororem vero istarum duarum, scilicet Adele et Gertrudis,[n] natu maiorem, videlicet filiam

---

a) de ipsis *desunt* 1. b) vigerent — propiore *desunt* 1; propriore 2. c) sustinuerent 2. d) offerentibus 1. e) elevato 1. f) *deest* 2. g) elevat 1. h) occupant 2. i) Bocci 2. k) Guilelmus 1. l) duci 2. m) Theod. — Gerardi *desunt* 2. n) scilicet — Gertrudis *desunt* 2.

60) Le Bec-Hellouin, départ. Eure, arrond. Bernai. 60*) Augusta Taurinorum.

comitis Florentii de Frisia, hoc est filiastram suam, dedit Robertus Friso regi Philippo, de qua natus est rex[a] Ludovicus Grossus et illa Constantia, que[b] fuit uxor Boemundi.

Non multo post mortem regis Henrici mortuus est Gaufridus Martellus comes Andegavensis, qui moriens Gaufrido sororis sue, comitisse Varinensis[61], filio comitatum dedit. Qui Gaufridus simplex fuit et imbellis. Huius frater Fulco comitatum corripuit, qui cognominatur Rechin, quia germani simplicitati[c] crebro infrendens, ad ultimum honore spoliatum perpetua tenuit in custodia. Hic Fulco habuit uxorem Bertredam, de qua genuit Gaufridum iuniorem Martellum et Fulconem et sororem eius, comitissam Redonensem[61*]. Hec Bertreda[d], relicto eodem marito suo, nupsit regi Francorum Philippo, qui legitimam uxorem supradictam dimiserat. Et inde multe facte sunt excommunicationes, sicut in epistolis Yvonis continetur. Et de hiis huc usque. Helin. 1095.

Sicut superius habetur, qualiter monarchia mundi ab Assiriis per diversa regna ad orientales Francos, id est Teutonicos, pervenerit; ita philosophia, id est sapientia, a Chaldeis per diversos populos ad Gallos, id est occidentales Francos, devenit hoc modo[62]: Abraham namque veniens a Chaldea primus in Egypto docuit astrologiam et arithmeticam. A Chaldeis autem plantata in Egypto, inde pervenit ad Grecos, maxime Athenis tempore philosophorum, inde ad Romanos sub Scipionibus, Cato et Tullius eam tenuerunt; inde sub cesaribus tempore poetarum, quando Virgilius, Horatius, Ovidius, Seneca et Lucanus floruerunt. Inde ad Hispanias, nuperrime ad Gallias a diebus illustrium virorum, Berengarii, Managaldi, Lamfranci, Anselmi. Otto Fris. praef. lib. V.

Anno 1061. In Ungaria regnavit Bela Pugil annis 4.

Marianus chronographus — reclusus est. Sigeb. 1061.

Balduinus marchisus regni Francorum magistratus efficitur. Auct. Affl. 1061.

Traditio Vitriaci, et abhinc anno 15. invenitur annotatum[63]: Redditio Vitriaci[64].

Hic dicendum[e] est, quod Hugo vir nobilis cognomento Bardol fuit domnus Brecarum[65], id est de Brois, et erat ex una parte heres legitimus[f] comitis Veromandie[66] Rodolfi. Quo Rodulfo mortuo[67] dictus Hugo Bardol Vitriacum invasit et Barrum super Albam[68] et Firmitatem[69]: et hoc de assensu regis Philippi, qui cetera que fuerunt[g] comitis Rodulfi invadebat. Reliquerat autem comes Rodulfus ex uxore sua, que dicta est Adala[h], filium bone indolis nomine Symonem et filiam nomine Alaidem[i]. Hic est Symon vir sanctus, qui primo consul et regis Francorum primipilus, postea monachus probatissimus effectus. V. s. Simon. I, 1. Cum Mellentinus[70] comes Robertus ducere voluisset filiam Hugonis Crispeiensis[71] comitis, natam de sorore huius Symonis, Yvo in epistolis suis contra proponit, dicens etc.: Gauterus Albus de Albemarla[73] genuit matrem Waleranni comitis, qui genuit matrem Roberti comitis Mellentini. Idem Gauterus Albus genuit Rodulfum, patrem Rodulfi, qui genuit Veromandensem comitissam, scilicet Adalam, ex qua nata est Alais, uxor comitis Hugonis, cuius filiam ducere vult[k] comes Robertus Mellentinus[l]. Ep. Iv. 45.[72] Sed sciendum, quod comitissa Alaydis, soror sancti Symonis, comiti Campanie Theobaldo peperit duos filios, Philippum episcopum Cathalaunensem et Hugonem Campanie comitem, et post mortem comitis Theobaldi eadem Alaydis Hugoni, fratri regis Philippi, peperit liberos utriusque sexus, et per illam Hugo Magnus Veromandie comitatum optinuit.

Anno 1062. Sigebertus: Anno episcopus — miraculo fuit. Sigeb. 1062.

Episcopus Otto hoc modo: Henricus primo sub — sepulta est. O. Fr. VI, 34.

Eo tempore in confinio Normannie et Britannie portentum visum est: in una, vel potius duabus mulieribus duo erant capita et brachia quatuor, cetera gemina, omnia usque ad umbilicum, inferius singula omnia — Putatum est a quibusdam et literis traditum, quod he mulieres Normanniam et Angliam significarent, que diverse licet fuerint, tamen sub uno domino sunt unite, ut habetur in sequentibus. He quidquid pecuniarum — violentia succumbat. Helin. 1062.

Anno 1063. Sigebertus: Hoc anno finitur — inefficax revertitur. Sigeb. 1063.

Robertus Balduini — Fresiam subintrat.

Quo tempore rex fuit in Galicia Sanctius sive Fernandus nomine, qui tres habuit filios, primogenitum Sanctium, qui aliam matrem habuit, quam reliqui fratres[m], Petrum cognomento Alfunsum sive Hildefonsum et Fernandum. Horum duo ultimi fuerunt ex

---

a) *deest* 2. b) *deest* 1. c) simplicitatem 2. d) relicta *add.* 2. e) dicendo 2. f) finitimus 1. 2. g) erant 2. h) Adela 2. i) Alaidam 2. k) *deest* 2. l) Metellinus 1. m) qui — fratres *desunt* 2.

[61] Vide annum 1033.

[61*] Martelli et Fulconis soror, Adela vel Elisabetha, Bodoni comiti Nivernensi nupserat.

[62] Cf. Ottonis ad cancellarium epistolam et ad Isingrinum prologum. Hic monarchiam ait ad Teutonicos pervenisse, illic primum inter principalia regna Assyrium fuisse. Sequentem vero monarchiae cum sapientia comparationem in Ottonis libro frustra quaeris, eaque Albrici ipsius esse videtur.

[63] In annalibus scilicet Sancti Petri Catalaun. M. G. SS. XVI, 488.

[64] Vitry-en-Perthois seu Vitry-le-Brûlé, départ. Marne, arrond. Vitry-le-François.

[65] Broyes, départ. Marne, arrond. Epernay.

[66] Vermandois.

[67] Anno 1074.

[68] Bar sur Aube.

[69] Ferté sur Aube.

[70] Meulan, départ. Seine-et-Oise, arrond. Versailles.

[71] Crespi-en-Valois, départ. Oise, arrond. Senlis.

[72] ed. Iureto 83.

[73] Aumale, départ. Seine-Inférieure, arrond. Neufchatel.

matre de genere Francorum, quod ita probatur. Dictum superius est in anno Domini 1031, quod neptis ex sorore regis Francorum Roberti, Beatrix nomine, comiti Ebalo[a] de Roceio[74] peperit Aleydem[b] et Hadewidem[c]. Istam Aeleidem duxit comes Hilduinus de Ramerut[75] et per eam factus est comes de Roceio, et genuit ex ea duos filios et septem filias. Duo filii fuerunt Ebalus alter de Roceio et Andreas de Ramerut et Arceis[76] comites. De septem filiabus, Ebali et Andree sororibus, prima predicto regi Galicie Sanctio[77], qui se imperatorem nominabat Hispanie, peperit duos fratres predictos[d], Petrum Hildefunsum sive Alfunsum, regem Galicie et Castelle potentissimum, et fratrem eius Fernandum, qui post eum totum regnum tenuit. Secunda soror Beatrix nomine Rotroldo comiti de Pertico[78] peperit comitem Rotroldum et Margaretam de Novoburgo[79] in Normannia, cuius filia Iuliana de Aquila[80] fuit mater regine Navarrorum[81]. Tertia soror Margareta comiti Hugoni de Claromonte[82] Baluacensi peperit comitem Renaldum et sorores eius, de quarum una fuerunt comites Bellimontis[83]. De isto autem comite Renaldo plures fuerunt filii et filie, quos breviandi ratione necesse est pretermittere. Quarta soror nomine Ermentrudis Theobaldo comiti de Rimnello[84] peperit Hugonem et Hildegardem, matrem Ebali de Buxi et de Monteforti et aliorum multorum. Quinta soror Aeliz de Sarrata[85] in Burgundia peperit Ebalum et venerabilem episcopum Laudunensem Bartholomeum et eorum sorores, quarum una Henrico comiti de Grandiprato[86], Hescelini filio[87], peperit illum Henricum, qui sepultus est in Fusneio[88]. Qui Hescelinus comes de Grandiprato fratrem habuit Rogerum comitem Porcensem[89], cuius filia fuit Sibilia. Sexta soror supradictarum, Ada nomine, de Guisia[90] honestissima domina, de cuius progenie sunt illi de Ruez et de Audenarde[e. 91]. Septima soror Adele Arnulfo comiti de Chisneio[92] peperit comitem Ottonem patrem comitis Alberti, et ita in infinitum.

Et quia occasione regum Hispanie genealogiam hanc in medium attulimus[f], sequitur
Helin. 1048. in Vita sancti Hugonis Cluniacensis abbatis de eisdem regibus: **Hildefunsus rex Hyspaniarum plus omnibus sanctum Hugonem excolebat, quia precibus eius de captione fratris emerserat. Qui frater eius nomine Sanctius ille primogenitus per quemdam episcopum admonitus est ex parte beati Petri — celebrem eis reliquit.**

ibid. 1063. **Alexander Lucensis episcopus qui dicebatur Anselmus Rome factus papa sedit annis 11, mensibus 6, diebus 25.**
Sigeb. 1064. **Contra quem Cadelo — homicidia prorupit.**

Otto Fris. VI, 34. **Episcopus Otto: His diebus Alexander — ecclesiam Dei in pristinam libertatem reduxit — Cadolus cadit et superatur.**

Chr. s. Hub. c. 19. Anno 1064. Dictum est supra in anno 1052, **quod Adala comitissa Arelune[g. 93] vel Areleonis,** id est: ad castrum de Erlons[94], quod tempore paganorum fuit civitas, **soror Sigifridi fuit, filia scilicet ducis[h] Theoderici. Hec autem Adala comitissa duos habuit filios, Fulconem et Galeranum.** Fulco vero genuit comitem Fredericum et Beatricem, qui ambo mortui sine liberis, et iacent apud Sanctum Hubertum in Ardenna, Galeranus vero per uxorem suam[95] cepit habere dominium ultra Mosam prope Leodium et inchoavit edificare castrum de Lemborch.

Sigeb. 1064. **Ciclus magnus annorum 532 bis a Christi nativitate exactus tertio incipit.** Super hunc locum male de ciclo paschali dixit Elinandus, non attendens, quod primus annus nativitatis Christi ascribatur secundo anno tabule Dyonisii, non primo, sicut venerabilis Beda et alii doctores opinatissimi[i] sentiunt.

ibid. 1064. **Dominus Hermannus — castitate integerrimus.**
G. e. V. II, 11. G. e. T. c. 41. **Apud Virdunum Theodericus erat episcopus, et apud Tullum[k] Udo erat episcopus[l].**
Sigeb. 1065. **Anno 1065. Frederico duce mortuo Godefridus ducatum suum recepit.**

---

a) primo mariti suo 1. b) Aelidem 2. c) De ista Hadewide dictum est supra 1. d) pred. duos frat. 2. e) Ada nom. de cuius prog. sunt illi de Ruez et de Aud. et fuit de Gavisa hon. dom. 2. f) medio tulimus 2. g) Areleone 1. h) *deest* 2. i) operi latissimi 1. 2; doctores opinatissimi *legendum esse, loco anni* 1222, *ubi Petrus de Corbolio* doctor opinatissimus *laudatur, plane mihi probari videtur.* k) *deest* 1. l) erat episcopus *desunt* 2.

74) Roucy, départ. Aisne, arrond. Laon. 75) Ramerupt, départ. Aube, arrond. Arcis. 76) Arcis sur Aube. 77) Ferdinandus I. rex Castiliae, Leonis et Galliciae, quem Albricus Sanctium vel Ferdinandum vocat, ex Sanctia uxore, filia Bermundi III. Leonensis, tres filios genuit, Alfonsum VI, Sanctium II. et Garcium. Felicitas vero, Hilduini Ramerutensis filia, cuius genealogiam auctor prosequitur, non illi de quo dixi Ferdinando nupserat, sed Sanctio I. Aragoniae regi, cui tres filios peperit, Petrum I, Alfonsum I. et Ramirum II, Aragoniae reges. 78) Le Perche. 79) Le Neufbourg, départ. Mauche, arrond. Mortain. 80) L'Aigle, départ. Orne, arrond. Argentan. 81) Margarethae uxoris Garcii Ramiri IV. 82) Clermont-en-Beauvaisis, départ. Oise. 83) Beaumont-sur-Oise. 84) Resnel. 85) La Sarraz. 86) Grandpré, départ. Ardennes, arrond. Vouziers. 87) Uxor Henrici II, qui Balduini, non Hescelini filius erat, Hermentrudis dicta est. 88) Foigny, départ. Aisne, arrond. Vervins? 89) Porcien, départ. Ardennes, arrond. Rethel. 90) Guise, départ. Aisne, arrond. Vervins. 91) Roeulx et Oudenarde. 92) Chiny. 93) Cf. Gesta Trev. II, 16. 94) Arlon. 95) Iuttam.

Huius Frederici[a] relictam nomine Raelendem[96] duxit comes Namurcensis Albertus et genuit[b] comitem[c] Godefridum.

Sanctus Edwardus Anglorum rex obiit, eique Haroldus per annum succedit. In Anglia sub sancto Edwardo rege isti fuerunt Cantuarie archiepiscopi: Dictum est superius, quod ab Edisio fuit coronatus. Post hunc Edisium tres isti sequuntur[d]: Sywardus, Robertus, Stigandus, qui paulo post fuit depositus. Cum rex Edwardus pronus esset in senium, quia liberos non susceperat, Guilelmo duci Normannie Roberti filio qui Richardi, quem fuisse fratrem Emme matris Edwardi prediximus, tanquam proxime sibi consanguineo successionem Anglie dedit: Quapropter Haroldum ad eum[e] in Normanniam misit, qui eidem Guilelmo regni successionem Anglici post mortem Edwardi sacramento firmavit, unde et filie eius necdum nubilis desponsione donatus familiarium partium habebatur. Sed defuncto rege Edwardo Haroldus sacramento[f] contempto, extorta a principibus fide, arripuit Anglie diadema. Haroldus iste frater fuit Egite regine, filius Godwini comitis. Iste Godwinus necem cuiusdam fratris sancti[g] Edwardi regis[h] procuraverat in occulto. Cum igitur sanctus Edwardus suspectum eum haberet de nece germani sui, ille purgare se volens, dum iuxta regem quadam die in convivio resideret, ait: *Non patiatur Deus, ut istum cibum transglutiam, si fui conscius mortis illius.* Hoc dicto, cibo quem in os immiserat suffocatus ad mortem oculos invertit. Haroldus etiam iste filius eius, quamvis non paucis preditus esset virtutibus, fertur parum adversus perfidiam sibi consuluisse. Unde sepe conventus a Guilelmo per nuntios super tribus, ut vel regno secundum consuetudines discederet[i] vel sub eo regnaturus teneret vel certe spectante utroque exercitu gladio rem ventilarent[k. 97], legationes Guilelmi quibusdam responsionum prestigiis eludebat[l], dicens se sacramento liberatum, quod filia Guilelmi quam desponderat citra nubiles annos obierat, et quia inconsulte absque generali consensu Anglorum et edicto alienam hereditatem ei iuraverat, proinde stultum sacramentum esse frangendum.

G. Malm. 228. ibid. 197. ibid. 269. ibid. 228. ibid. 197. ibid. 238. ibid. 240. ibid. 238.

In Ungaria post Belam pugilem regnavit Salomon annis 11.

Sigebertus: Multi usque ad septem — reversi sint[m]. Sigeb. 1065.

Quidam Gozilo comes Bohanie moritur procuranteque[n] uxore sua Ermentrude in abbatia S. Huberti sepelitur. Horum erant quatuor filii Cono, Rodulfus, Guido, Henricus. Chr. s. Hug. c. 118.

Anno 1066. Cometes apparuit tota paschali ebdomada, Guilemus: longos et flammeos crines per mane ducens, de qua quidam monachus Malesberie Elmerus nomine: *Venisti*, inquit, *venisti multis matribus lugende; dudum est quod te vidi, sed nunc multo terribiliorem intueor patrie huius excidium minantem.* Is erat litteris bene inbutus, evo maturus, qui inmanem audaciam in iuventute conatus fuerat. Nam pennas manibus suis et pedibus nescio qua arte innexuit, ut Dedali more volaret, fabulam pro vero amplexus; collectaque e summo turris aura spatio stadii[o] unius et plus volavit, sed venti et turbinis violentia, simul et temerarii facti conscientia tremulus cecidit. Perpetuo hoc debilis crura effractus. Ipse vero ferebat causam ruine sue, quod caudam in posteriori parte oblitus fuerat adaptare.

Sigeb. 1066. G. Malm. 225.

Sigebertus: Harvich rex Norwegie — de Anglis occidit. Sigeb. 1066.

Iste Harvich seu Harvagra, dictus alio nomine Haroldus, pulchre crinitus, rex Noricorum, frater Olavi, imperatori Constantinopolitano in iuventute militavit, cuius iussu, quia vim intulerat illustri femine, leoni obiectus est, qui belluam nudo lacertorum nisu suffocavit. Hic igitur rex factus duos genuit filios qui post se fuerunt reges Noricorum, Olavum et Magnum. Olavi filius alter Magnus, cuius filii Hasten et Smardus. G. Malm. 260.

Super hunc locum habetur in Vita sancti Edwardi, quod ipse sanctus rex post mortem suam apparuit in visu[p] abbati Ramesie Helsino, et misit eum ad regem Anglie Haroldum, mandans, ut contra regem Noricorum exiret intrepidus et de victoria securus. V. s. Eduardi c. 40.

Unde sequitur Sigebertus: Haroldus ergo rex — occidit. Sigeb. 1068.

Alia autem narratio habuit[q] quedam vulgaris, quod rex Guilelmus eundem abbatem Helsinum ad se accersitum ad regem Dacie miserit et quod idem abbas in reditu in mari periclitatus, de sollempnitate conceptionis beate Marie facienda sit commonitus et edoctus.

Sigebertus: Interim Guilelmus dux Normannorum — annis 26. ibid. 1066.

Episcopus Otto: Stella que cometes dicitur visa effectu[r] non caruit. Eodem anno Guilelmus Normannie dux Britanniam maiorem, que nunc Anglia dicitur, occiso rege eius Haroldo expugnavit totaque in servitutem redacta provincia ac Normannis ibi positis tempore illo regnavit. Hoc qualiter factum sit, latius est persequendum. Otto Fris. VI, 35.

Guido: Dux Guilelmus, ne iustam causam videretur decolorare temeritas, ad Alexandrum apostolicum[s] misit, iustitiam belli suscipiendi, quantis poterat facundie verbis allegans. Quod quia Haroldus facere supersedit, papa partibus, apud se utrinque perpensis, vexillum in omen regni Guilelmo condradidit. Quo ille accepto belli necessaria largis sumptibus[t] expediens, cum magno et forti exercitu apud Sanctum devenit Walericum. Ubi multis diebus eos remorante vento, dux habito consilio corpus sancti Walerici pro vento deprecando sub divo iussit exponi. Nec mora intercessit, quin prosper flatus carbasa impleret, duce primum in altum provecto, ceteris ad pretorie puppis vermiculatum[u] velum convolantibus, placido cursu Hastingas appulerunt. In egressu navis pede lapsus est dux acclamante sibi proximo milite: Tene dux Angliam, in proximo rex futurus. Interea rex Haroldus de pugna contra Noricos victor revertebatur, allatoque ad se nuntio adventus Normannici[v] Hastingas pertendit. Igitur utrinque duces animosi disponunt acies, patrio quisque ritu. Angli totam noctem insomnem cantibus potibusque ducentes, mane incunctanter in hostem procedunt; contra Normanni tota nocte confessioni peccatorum vacantes, mane dominico corpori communicarunt. Dux vultu serenus et clara voce, sue parti utpote iustiori Deum pronuntians affuturum, arma poposcit, moxque ministrorum tumultu loricam inversam indutus, casum risu correxit. *Vertetur*, inquit, *fortitudo ducatus mei in regnum.* Tunc cantilena Rolandi inchoata, ut martium viri exemplum pugnaturos accenderet, inclamatoque Dei auxilio, prelium consertum bellatumque acriter, neutris in multam diei horam cedentibus. Valuit hec vicissitudo, quantum Haroldi vita moram fecit; at ubi iactu sagitte violato cerebro procubuit, fuga Anglorum perennis in nocte fuit. Iacentis femur unus militum gladio

G. Malm. 239. ibid. 239. ibid. 241. ibid. 242. ibid. 243.

---

a) Godefridi 1. b) genuite 2. c) *deest* 2. d) secuntur 2. e) ad eum *desunt* 2. f) sacramentum 2. g) *deest* 2. h) *deest* 1. i) cederet 2. k) ventilaret 2. l) illudebat 2. m) sunt 1. n) procuratoque 1. 2. o) stadio 1. p) in visu *desunt* 2. q) habet 2. r) effectum 1. s) *deest* 1. t) sumptis 2. u) vemiculatum 2. v) Normanni 1, *sed ut 2 ita Guil. ipse.*

[96] Auctor chron. sancti Huberti Andag. c. 17 et 58 Alberti uxorem, quae prius fuerat uxor ducis Friderici, Idam nominat.

[97] Has pacis conditiones non saepe, sed semel tantum, ante proelium Hastingis commissum, a Guilelmi nuntiis regi allatas esse, narrat Guilelmus §. 240.

G. Malm. 241. proscidit, unde a Guilelmo ignominie notatus, quod rem ignavam et pudendam fecisset, militia pulsus est. Vexillum Haroldi post victoriam misit apostolico Guilelmus, quod erat in hominis pugnantis figura, auro et lapidibus arte sumptuosa
ibid. 247. contextum. Ille ubi perfecta[a] victoria potitus est, suos sepeliendos mirifice curavit, hostibus quoque, si vellent exequendi licentiam dedit. Corpus Haroldi sine pretio matri repetenti misit, licet illa multum[b] per legatos[c] obtulisset. Quod acceptum sepelivit infra ecclesiam quam ex proprio ipse constructam in honore sancte crucis apud Watem canonicis impleverat, ad 12 leucas de Lundonia. Sensim ergo Guilelmus, ut triumphatorem decebat cum exercitu, non hostili, sed regali modo progrediens[d], urbem regni maximam Lundoniam petit, moxque cum[e] gratulatione cives omnes effusi obviam vadunt. Prorupit omnibus portis turba salutantium. Tunc ille haud dubie rex clamatus est die natalis Domini, coronatus ab Alredo Eboracensi episcopo, nolens hoc munus suscipere[f] a Stigando Cantuariensi, quia non legitime factus erat episcopus.

Helin. 1067. Guido decanus — consecratur.

L. d. Leod. c. 6 Contra Manassem comitem de Retest episcopus Theodericus Virdunensis castrum sancte Manehildis cepit et castrum
c. 5. 6. de Setunia subvertit, Alonem etiam de Duno et Dudonem de Claromonte perdomuit, sed comes Rodulfus de Crespeio
c. 5. vitricus regis Philippi iterum Virdunum incendit.

Aegid. Aur. III, 1. Ecclesia Hoyensis consecratur a Theoduino Leodiensi episcopo presente Lieberto Cameracensi[g] episcopo.

Sigeb. 1066. Obiit sanctus Theobaldus in Vincentia Venetie[h] urbe reclusus, qui quam accepte servierit Deo, post mortem eius miraculorum prodidit magnitudo. Ossa eius in Gallias translata, multam multis in locis venerationem meruerunt.

Apud Cathalaunum episcopo Rogero huius nominis secundo Rogerus III. succedit.

Anno 1067. Sigebertus: Cono qui et Conradus — a Deo glorificatur.

Auct. Affl. 1067 Sigebertus: Obiit Balduinus potentissimus marchisus, Insule sepultus. Elevatio sancti Macharii.

G. Trev. c. 33. Udo fit archiepiscopus Treverensis.

Archiepiscopus Rhemensis Gervasius obiit.

O. Fr. VI, 35. Eodem anno rex Henricus Bertham — celebravit.

G. Malm. 267. Rex Anglie Guilelmus in[i] subiectos lenis, in rebelles inexorabilis fuit; religionem christianam, quantum secularis poterat, ita frequentabat, ut cotidie misse assisteret, vespertinos et matutinos hymnos audiret, elemosine curam habuit, transmarinis ecclesiis multas possessiones in Anglia largitus est, nec ullum pene[k] monasterium, presertim in Normannia, fuit quod eius munificentia pertransiret.

Sigeb. 1068. Anno 1068. Sigebertus: Theodericus comes Treverorum — adhuc nescitur.

Helin. 1066. Guido[1]: Quia inter regem Anglie Guilelmum et eius uxorem Matildem fuerat consanguinitas, pro huius facti expiatione ipse edificavit monasterium sancti Stephani Cadomis[i], et magnifice dotavit, ubi Lamfrancum preficit abbatem; et illa fecit monasterium monialium sancte trinitatis.

ibid. 1068. Idem rex Guilelmus — mirificum videretur, referrent.

Chr. s. Hub. c. 17. Miles quidam cum in presentia regis Guilelmi non haberet quid offerret ad altare in quodam die pasche, dedit ei rex in instanti 4 solidos[2], quos in pallio suscipiens statim optulit omnes sacerdoti ad altare, nichil ex eis sibi retinens. Quod videns rex Guilelmus, dedit illi militi omnia dona et exenia que sibi data et presentata fuerunt in illo festo[l].

Arnulfus comes[m] Chisniaci[3] et uxor eius Adala[n] de Roceio[o, 4] quedam contulerunt ecclesiis[5]. Fuit etiam idem Arnulfus comes de Givel et de Warc[6], et eius uxor Adala soror fuit comitis Ebali de Roceio[7], et uxor eiusdem Ebali dicta est Sybilla. Quere 1063.

Sigeb. 1069. Anno 1069. Sigebertus: Fluminibus — depopulatur.

ibid. 1068. Hinc Francis — vescuntur.

Helin. 1066. Archiepiscopus Rothomagensis post Malgerium fuit Maurilius Fiscanensis — elevatum est.

ibid. 1069. Guido Beluacensis — 4. Nonas Octobris.

G. Malm. 368. Ierosolimis post Nichephorum patriarcham — prefuit Euthimius, deinde Symeon.

Anno 1070. Manasses ordinatur Remensium archiepiscopus per annos 16. De matre huius dictum est superius in anno 1031, quod ipsa fuit Beatrix de Roceio, neptis regis Roberti; pater vero eiusdem archiepiscopi dictus est Manasses Calua-asina, et fuit frater comitis Hilduini[p] de Rameruit[q] sive de Roceio[8]. Horum etiam duorum frater fuit comes Suessionensis nomine Guilelmus[r], qui genuit Renaldum et Iohannem comites et Manassem episcopum Suessionensem. Horum soror Yvoni de Nigella[s, 9] peperit comitem Radulfum, qui genuit comitem Yvonem et Radulfum castellanum de Bruges[10] et Theodericum archidiaconum Cameracensem. De Radulfo castellano nati sunt comes Cono, Iohannes pater Iohannis[t] de Nigella, et iste qui adhuc[11] vivit comes Radulfus Suessionensis.

Sigeb. 1079. Sigebertus[u]: Gerardus de Alsatia dux Mosellanorum moritur hoc anno, cui succedit[v] Theodericus filius eius. Predictus dux[w] Gerardus de Alsatia cum isto duce filio suo Theoderico habuit etiam alterum

---

a) profecta 1. b) militum 1. c) per legatos multum 2. d) proveniens 1. e) con 1; cum congratulatione 2. f) accipere 2. g) Cameracensium 2. h) Venetia 1. i) *deest* 1. k) nullum fere 2. l) *deest* 1. m) *deest* 2. n) Adela 2 *sic et infra.* o) de Roceio *desunt* 2. p) Hildewini 2. q) Rameruet 2. r) Guilelmus nomine 2. s) Vigella 1. t) pater Iohannes *repetit* 2. u) *deest* 2. v) de Alsatia *add.* 1. w) *deest* 1.

1) Non Guido, sed Helinandus. 2) Guilelmum centum libras denariorum militi dedisse, narrat auctor chron. sancti Huberti l. c. 3) Chiny. 4) De Arnulfo ecclesiae sancti Huberti benefactore vide chron. sancti Huberti c. 15. 5) Rouci, départ. Aisne, arrond. Laon. 6) Givet et Warcq. 7) Cf. chron. sancti Huberti c. 16. 8) Ramerupt-sur-Aube et Rouci. 9) Nesle, départ. Somme, arrond. Péronne. 10) Brügge. 11) Comes Radulfus Albrico ipso teste anno 1235 obiit.

filium nomine Gerardum, qui fuit primus comes Wandani Montis[12]. Iste comes Gerardus duxit filiam comitis de Daburc[13], neptem sancti Leonis pape, de qua genuit comitem Wandani Montis Hugonem et sororem eius scilicet[a] Gislam, que fuit comitissa Barri[14], ut inferius dicetur.

Sigebertus[a]: Moritur etiam dux Bullonii Godefridus Magnus, qui dictus est Barbatus, et apud Virdunum requiescit[15], cui succedit[b] filius eius Godefridus Gibbosus, etsi corpore exiguus, tamen animo eximius. Sigeb. 1070.

Sigebertus: Ungari — refrenantur. ibid.

Obiit Balduinus marchisus, qui Hasnonii sepultus est.

Episcopus Laudunensis dicebatur Elinandus et episcopus Parisiensis Ioffridus. Chr. s. Hub. c. 13

Anno 1071. Sigebertus: Robertus[c] frater Balduini consensu Flandrensium contra Arnulfum fratruelem suum Flandriam occupat. Arnulfus cum Philippo Francorum rege occurrit patruo suo Roberto, et pugna conserta Arnulfus perimitur. Philippus rex fuga liberatur, et multis occisis, hinc Richildis, Arnulfi mater, illinc Robertus capitur, et altero pro altero relaxato, bellum inter eos vario eventu protrahitur. Hoc 11. Kalendas Marcii actum est. Sigeb. 1072.

Treveris in ecclesia sancti Paulini — ad internecionem delet. ibid. 1071.

Alexander papa venienti Romam Lamfranco archiepiscopo dignanter assurrexit, professus se illud insigne reverentie detulisse, non honore archiepiscopi sed amore magistri. Helin. 1073.

Item de conflictu cause, quam habuit idem Lamfrancus contra Baiocensem episcopum Odonem, habetur in Miraculis sancti Dunstani[16], et de sancto Wlstano Wigornensi episcopo, quem deponere voluit idem Lamfrancus, habetur in Vita sancti regis[17] Edwardi.

Predictus autem Wlstanus Wigornensis episcopus, cum de parva litterarum scientia pulsatus foras concilium exisset, ut strictiori concilio responsum comeret suum, remoto animo a tumultibus[d] ait ad socios: *Credite mihi, nondum cantavimus horam sextam.* Sociis autem referentibus, prius ad[a] quod venerant expedirent, quia satis superque sufficeret cantibus tempus, regem et proceres, si hoc audierint, risui se haberi opinaturos, ait: *Credite mihi, primo*[e] *faciemus Dei servitium et post agitabimus hominum litigium* Hora igitur cantata et nulla tergiversatione excogitata, nullo commentato splendore veri, confestim aulam intrare perrexit. Suis eum retinere temptantibus persuaderi non potuit, quin potius illis cause sue timentibus *Pro certo*, ait, *noveritis me visibiliter videre hic beatos*[f] *archiepiscopos Dunstanum Cantuariensem et Oswaldum Eboracensem, qui hodie suis me precibus*[g] *tuentes*[h] *falsiloquorum acumen hebetabunt.* Itaque data benedictione monacho minime facundie viro, sed tamen Normannice lingue sciolo, rem perorans obtinuit. Guil. Malm. §. 303.

Anno 1072. Sigebertus: Balduino iuniore Flandrensi comite defuncto[a] etc. ibid 256.

Guido sic refert: Balduinus insulanus comes Flandrie, pater Mathildis Anglorum regine, duos filios habuit Balduinum et Robertum. Qui Balduinus iunior post patrem Flandrie comes inmature fato functus est, superstitibus duobus liberis Arnulpho et Balduino de Richilde uxore, comitissa Haynonensi, quorum tutelam Philippo regi Francorum, cuius amite[i] filius erat, commisit. Robertus vero, patre superstite comitissam Frisie uxorem nactus, Frisonis nomen accepit. Qui Robertus Friso, occultatis insidiis inopinum nepotem suum Arnulfum nequidquam fortiter agentem excepit et Flandrie comes effectus est. Pacem cum Philippo Francorum rege[k] comparavit, data sibi in uxorem privigna etc. ibid. 257.

Richildis vero comitissa ad Theodwinum episcopum se contulit et ei Montense castrum cum omni honore de Haynaco illi subiecto sancte Marie sanctoque Lamberto emendum optulit et venditum castrum cum suis appenditiis ab eodem episcopo in feodum recepit[l]. Chr. s. Hub. c. 24.

Episcopus Otto: Itaque cum, ut sepe dixi — fecerat, dissipant. O. Fr. VI, 34.

Anno 1073. In hoc anno — in 6. feria. Sigeb. 1073.

Sigebertus: Duobus fratribus Russorum — instanter intendit.

Herimannus Leodiensis clericus fit Metensium[m] episcopus.

Guilelmus: Hildebrandus archidyaconus, qui post papa Gregorius VII., ut audivi a quodam — ascensis mulis diffugerunt. Helin. 1074.

Alexander papa huius nominis II. vita et sacerdotio perfunctus decessit sedemque Hildebrando supradicto archidyacono suo, qui Gregorius VII. dictus est, reliquit. O. Fr. VI, 34.

Unde Sigebertus: Hildebrandus archidyaconus Romanorum, qui et Gregorius, fit papa. Sigeb. 1073.

Magister Hugo: Sedit annis 12, mense 1, diebus 3. Hugo S. Vict.

Episcopus Otto: Facto igitur Hildebrando papa, ex hinc scisma gravissimum — plurimum desudabat. O. Fr. VI, 34.

Beatrix marchisa et eius filia Mathildis apud Fraxinetum fundaverunt abbatiam in alpibus Appenninis. Chr. s. Hub. c. 25.

Et Hermannus episcopus Metensis Romam abiit hoc anno.

Anno 1074. Sigebertus: Gregorius papa celebrata sinodo — disciplina avertunt[n].

Episcopus Otto: Denique papa non solum — orbe Romano cohibuit[o]. O Fr. VI, 34.

Comes Symon Romam abiit, consilium et penitentiam requirit, dum regio per guerram inter ipsum et regem Philippum devastatur. Papa Gregorius iussit, ut arma redderet, et sic penitentiam ei indixit. De qua penitentia papa partem super se retinuit, partem duobus religiosis distribuit, et sic absolutum eum ad propria remisit, arma reddidit et terram gubernandam, donec cum rege pacem reformaret, commendavit, adhibens etiam ei custodiam Hugonem episcopum Diensem tunc in Francia cardinalem et Hugonem abbatem Cluniacensem. V. s. Sim. I, 6.

Anno 1075. Henricus imperator — custodia excruciant.

a) *deest* 2. b) successit 2. c) Rodulfus 1. d) tumultu 2. e) prius 2. f) sanctos 2. g) precibus suis me 2. h) tuentibus 1. i) Balduinus scilicet ille cuius 1. k) rege Francorum 2. l) hac de causa ut per quem resistere posset invasioni Roberti Frisonis violente 1. *Quae quum in codice* 2 *desint nec tam verbotenus cum chron. sancti Huberti conveniant, quam ea, quae antecedunt, immo verborum tenore prorsus ab illo nostri fonte discrepant, re autem satis concordent, dubitari potest, utrum Albrico ipsi an codicis* 1 *scriptori tribuenda sint.* m) Metensium 1, *sed ut* 2 *ita Sigeb. ipse.* n) 2 *omnia inde a* audire interdixit *usque ad finem omisit.* o) prohibuit 2.

12) Vaudemont, départ. Meurthe, arrond. Nancy. 13) Dachsburg in saltu Vosago. 14) Bar-le-duc. 15) Godefridum Virduni sepultum esse, inter eos quos sequitur Albricus auctores Laur. Leod. c. 2 narrat. 16) nr. 14 seqq. pag. 380. 17) Qua in vita nomen Lanfranci frustra quaesivi.

In Ungaria post Salomonem regnavit rex Magnus nomine annis 3.

Aeg. Aureav. III, 9. III, 10. Theoduwinus Leodiensis episcopus 9. Kalendas Iulii obiit et Hoii in ecclesia beate Marie sepelitur; cui Henricus Virdunensis archidyaconus, qui dictus est Pacificus, eo quod pacem acquisierit, vita et genere nobilis succedit.

Laur. de Leod. c. 3. Fredericus comes Tullensis, qui in nemore sui iuris de Argona dedit usuarium ecclesie Virdunensi, fuit pater Leodiensis episcopi Henrici Pacifici et comitis Frederici. Cuius filii Rainardus comes et Petrus in expeditione Ierosolimitana probabiliter se gesserunt. Fuit enim predictus Henricus episcopus ex una parte cognatus ducis Godefridi.

Aeg. Aureav. III, 11? Chr. s. Hub. c. 29? Idem Leodiensis episcopus Henricus suam confirmationem et consecrationem a domno Annone Coloniensi archiepiscopo recepit.

V. s. Simon. I, 7. Comes Symon a Roma reversus regem Philippum aggreditur, nec a bello destitit, donec ipsum devicit. Fit conventus nobilium, pax reformatur, hereditas Symoni redditur. Unde super hunc annum scribitur in annalibus[18]: Redditio Vitriaci[19].

Sigeb. 1075. Anno archiepiscopus Coloniensis obiit — cenobium Sigebergense[a]. Succedit ei Hildolfus annis 3.[20]

V. s. Simon I, 7. I, 8. 9. I, 11. I, 12. II, 1. Anno 1076. Comes Symon cum ad instantiam baronum filiam comitis Hildeberti de Alvernia sortiretur in coniugium, ad primum colloquium ita convertit eam, quod illa de nocte ignorante patre fugit ad monasterium de Casa Dei, ubi facta est sanctimonialis, et cum ea duo nobiles, quorum unus postea fuit archiepiscopus Bituricensis. Et ecce rex Anglorum Guilelmus Notus qui eum nutrierat, mandat Symoni, ut ad suum colloquium Normanniam festinus occurrat. Qui cum venisset ad regem, ait illi: *Nutrimentum meum quod in te est, augmentare cupiens, neglectis nuntiis regis Hyspanniarum Alfunsi et Roberti principis Apulie, tibi filiam meam quam querebant tradere in uxorem preelegi.* Ad hec reverenter Simon respondit: *Domina mea*, ait, *regina uxor tua et ego cognatione iungimur parentali et generis propinquitate; sed volo, si placet, domni apostolici super hoc consilium et auxilium flagitare.* Rege prebente assensum, cum Symon Romam pro predicta causa debuit properare, se monachum devovens Sanctum Eugenium cum quibusdam viris nobilibus adivit. Igitur[b] de conversione tanti viri fama volante, factum est, ut Hugo Burgundie dux, comesque Matisconensis et alii eiusdem ordinis quamplures illius amoris dulcedine inflammati arma deponerent seculum relinquentes.

Helin. 1076. Balduinus puer[c] — pugnando devicit.

O. Fr. VI, 34. Gregorius papa qui et Hildebrandus, forma gregis factus — ponere[d] non timuit.

Sigeb. 1076. Sigebertus: Gregorius papa — ab eo alienat.

Laur. de Leod. c. 7. Chr. s. Hub. c. 32. Sicarius quidam, per quosdam Roberti necessarios transmissus[21], in Fresonia Godefredum ducem perimit. Iste fuit Godefredus Gibbosus, cuius relicta Mathildis marchisa terram suam viriliter rexit et abbatiam canonicorum sancti Petri ad Montes iuxta Brie[d][22] in dyocesi Metensi fundavit. Eiusdem Godefridi corpus relatum est apud Virdunum et ibi iuxta[e] patrem suum traditur sepulture. Henricus vero Leodiensis episcopus fuit tutor iuvenis Godefridi, nepotis ex[f] sorore[23] Gibbosi. Qui Godefridus iuvenis, frater Balduini et Eustachii[23], per matrem suam Idam factus est heres Bullonii. Comes vero Namucensis Albertus per aliam Idam[g] uxorem suam dictum Bullonium reclamabat. Iste due Ide et earum successio hoc est genus, quod dicitur Helie militis, quem cignus adduxit et reduxit, si creditur.

Sigeb. 1076. Sigebertus: Hoc anno qui est — usque in medio Aprilis.

ibid. 1077. Anno 1077. Sigebertus: Henricus imperator coacto — regi contradicant.

O. Fr. VI, 35. Episcopus Otto: Lego et relego — sequestratus est.

Sigeb. 1077. Sequitur Sigebertus: Dominica palmarum — dyadema Rodulfo.

O. Fr. VI, 35. Episcopus Otto: Romanus pontifex — rex creatur.

Sigeb. 1077. Sigebertus: Hunc Sigifridus archiepiscopus Moguntie in regem benedixit — noctu aufugit. Gregorius papa — Sueviam depopulatur.

Iste Sigifridus claustrum sancte Marie ad gradus Colonie[23*] construxit.

Helin. 1078. Anno 1078. Ab hoc tempore, ut dicit Elinandus, cepit reflorere — episcopo Carnotensi.

Sigeb. 1077. Sigebertus: Hermannus episcopus Gregorio pape — expellitur. Item Henricus imperator Sueviam — ad se retrahit[h].

Laur. de Leod. c. 7. Episcopus Theodericus Virdunensis comiti Alberto de Namurco comitatum Virdunensem contra heredes Bullonii commisit.

In Ungaria regnavit sanctus rex Logescelaus Bele pugilis filius annis 18. Hic in Ungaria fundavit nobilissimam abbatiam de Semigis, in qua non solent recipi nisi Franci.

Helin. 1078. Item secundum Elinandum quedam de Petro Damiano occurrunt hic annotanda. Qui Petrus Damianus in epistola, quam scripsit[i] Agneti imperatrici, inter cetera dicit: Triginta duo anni sunt ex quo clericalem cicladem cuculla mutavi. Hic igitur cum esset monachus in religione et sapientia nominatissimus, in partibus Campanie ultra Romam, promotus fuit[k] in ipsa[k] Roma in episcopum cardinalem sub papa Stephano, et quia regimen ecclesiasticum refutavit sub papa

---

a) bergense 1. b) Itaque 2. c) *deest* 2. d) Brixie 2. e) apud 2. f) et 1. g) scilicet Raelendem 1. h) trahit 2. i) scribit 2. k) *deest* 2.

18) Sancti Petri scilicet Catalaun. M. G. SS. XVI, 488.

19) Vitry-en-Perthois seu Vitry-le-Brûlé, départ. Marne, arrond. Vitry-le-Français. Cf. annum 1061.

20) Cat. aep. Colon.: *Sedit annis vix* 5.

21) Verba *per quosdam — transmissus* ex Chron. sancti Huberti c. 31.

22) Briey.

23) Cf. Laur. de Leod. c. 7.

23*) Potius Maguntiae.

Nicholao[a], cum videretur idoneus, scribens ad eundem papam magnam epistolam de dimittendo episcopatu, centum illi annorum, ut alibi dicit, penitentia iniuncta est secundum remedia regule monastice, quia per regulam monasticam potest aliquis ita carnem suam affligere, ut plures anni, pro penitentia iniuncti, possint ad paucos devenire. Cur autem fugiat Romam, etiam hanc pro sulute tuenda[b] corporali reddit rationem:

Roma ferax[c] febrium necis est uberrima frugum, Ep. I, 9.
Romane febres stabili sunt iure fideles;
Quem semel invadunt vix a vivente recedunt.

Hic ergo[d] in libro epistolarum suarum quosdam casus mirabiles inserit, de quibus iam aliquos suis in locis assignavimus. De reliquis videamus que sequuntur in eodem libro. Huc usque Petrus Damianus.

Anno 1079. Sigebertus: Hoc tempore in oriente — papam designat. Sigeb. 1079.

Elinandus: Hoc anno inceptum est — et Galthero. Helin. 1079.

Et hoc tempore primus comes Arnulfus de Chisneio[24] a Mathilde marchisa fuerat[e] institutus.

Constantinopolim Nichephorus Buthanioth tribus imperatoribus fratribus, Michaële, Andronico et Constantino epulsis[f], 3 annis regnavit. Nichephorum expulit Alexius nepos Ysachi, et sibi regnum confirmavit.

Anno 1080. Sigebertus[g]: Gregorius papa qui et Hildebrandus, quasi divinitus — principibus extinguitur. Sigeb. 1080.

Rodulfo in publico bello occiso Hermannus quidam Lotharingie princeps ei substituitur.

Obiit Gaufridus II. domnus Ioveville[25] et comes Ioviniaci[26], cui succedit Gaufridus filius eius.

Comes de Brena[27] post Engelbertum dicebatur Galterus.

Moguntia terre motum persensit Kalendis Decembris. ibid.

Anno 1081. Moguntia — non recipit. ibid. 1081.

Fuit hoc tempore Robertus[g] Guiscardus mediocri parentela in Normannia ortus. Qui stupendo Dei munere totam fere terram Italie ultra Romam potestati sue subiiciens ita profecit, ut partim viribus, partim ingenio totam Apuliam et Calabriam et Siciliam possideret. Postremo a Nichephoro quondam imperatore Constantinopolitano, quem Alexius expulerat, animatus cum filiorum altero nobilissimo Boemundo pelagus Adriaticum transiit, statimque Durachio capto[h], super Alexium imperatorem Constantinopolitanum ulterius progrediebatur, sed per nuntios Hildebrandi pape regressus Romam contra Henricum imperatorem properavit. Guil. Malm. 262.

De Durachio: Cum oppidani Durachii iactitarent urbem illam ideo Durachium nominatam, quod contra omnes obsidiones imperterrita duraret, *Et ego,* inquit Guiscardus, *vocor Durandus!* — Cuius responsi constantia pavefacti mox ei portas aperuerunt[28]. Helin. 1103.

Symon igitur vir sanctus a papa accersitus, et ad eundem Apulie principem transmissus, ipsum ad domnum papam adduxit, et in eodem itinere 60 milites a seculo ad Deum convertit. Qui reversus gratanter a papa receptus est. V. s. Simon. II, 24

Quidam comes Theodericus filius Gerardi Flammensis apud sanctum Hubertum sepultus est. Huius Theoderici fuerunt filii Gerardus et Gosuinus. Cum autem comes Albertus Namucensis contra Godefridum castrum de Mirewalt intenderet edificare, episcopus Leodiensis Henricus preveniens eundem totum montem cum pertinentiis a Richilde comitissa emit et castrum reedificavit. Tunc temporis Mathildis marchisa addiderat episcopo Virdunensi Guinensem abbatiam monialium. Episcopus Theodericus Virdunensis et abbas Theodericus sancti Huberti invenerunt in scrinio sanctuarii caput Scolastice virginis cum parte capitis sancti Benedicti. Chr. s. Hug. c 42. c. 43. c. 44.

Anno 1082. Sigebertus: Henricus imperator — Leoninam obsedit. Sigeb. 1082.

Quo audito Guiscardus supradictus pater Boemundi Romam tetendit, cuius fama territus Henricus cum falso electo suo in papam Guiberto retrocessit. Guil. Malm. 262.

Cum Symon vir sanctus licentiam remeandi ad monasterium suum postularet, summus pontifex ait illi: *Non est in mea potestate, ut revertaris, sed vade in oratorium beati Petri, et quid de hoc in voluntate habeat in orationibus percunctare.* Abiit, et una nocte oravit, et exinde statim infirmitate detentus ad lectum suum rediit. Summus pontifex affuit, a peccatis absolvit, benedixit, et ut inter apostolicos sepeliretur precepit[29], qui sacramentis dominicis roboratus pridie Kalendas Octobris spiritum Deo reddidit. Affuerunt eius obsequiis de mandato pape 30 congregationes cum Romanorum turbis. Supradicta Anglorum regina Mathildis auri et argenti plurimum Romam transmisit ad conponendam eius sepulturam. V. s, Simon. II, 25.

Sigebertus: In Gallia Herimannus — veritatem ewangelii. Sigeb. 1082.

Anno 1083. Sigebertus: Henricus imperator Roma Leonina capta Romam obsedit — et multi Italie episcopi a papa desciscunt. Qui fugiens ad Normannos se contulit, id est ad principem Apulie Robertum, qui fuit genere Normannus, et terram illam subiecerat. ibid. 1083.

Episcopus Otto: Hic solvendum puto — in locum eius subtruditur. O. Fr. VI, 36.

---

a) Nicolao *del.* 1 *et* Stephano *scr.* b) pro tuenda pro salute corporali 2. c) *deest* 1. d) igitur 2. e) erat 2. f) pulsis 2. g) *deest* 2.

24) Chiny. 25) Joinville, départ. Haute-Marne, arrond. Vassy. 26) Joingy, départem. Yonne. 27) Brienne, départ. Aube, arrond. Bar-sur-Aube. 28) Hic locus verbotenus cum Helinandi narratione convenit, unum solum verbum *nominatam* non in Helinandi chronico, qui *nuncupatum* scripsit sed in Guil. Malm. §. 387 invenitur. Cum vero caetera hic illic a Guilelmo, nunquam ab Helinando discrepent, illa nostri cum Guilelmo convenientia fortuita esse videtur. 29) Cf. II, 26.

Guil. Malm. 289. Guido: Erat tamen hic imperator laudandus in multis, quod esset ore facundus, acer ingenio, multa eruditus lectione, impiger in elemosinis multis, preclarus corporis et animi bonis, promptus ad arma, utpote qui sexagies et bis ibid. 290. acie collata dimicaverit. Feruntur plures inimicorum eius vitam exitu miserabili conclusisse, sicut ille, qui dum resupinatis cervicibus in convivio de ipso [a] male loqueretur, ita a muribus circumvallatus est, ut nusquam esset refugium. Et quamvis a pluribus repellerentur, nulli tamen vicariam referebant [b] noxam, illum solum dentibus, illum terribili quodam concentu persequebantur. Quapropter a famulis ultra iactum sagitte in pelagus provectus, cum iam murium multitudo subsequens navis tabulata corroderet, et naufragium indubitatum aqua per rimulas ingrediens minaretur, retorta a puppi ad littus, muribus iuxta carinam adnavigantibus, ille miser in aridam expositus, moxque totus dilaceratus, horrendam murium famem explevit.

Mortuo in Dacia rege Suano, qui 14 filios habuit, primus filius eius Haroldus 3 annis regnavit.

Auct. Affl. 1083 Affligemense cenobium tale — exstruere aggreditur.

Sigeb. 1084. Anno 1084. Romani Henricum — in imperatorem benedicitur.

Laur. de Leod. c. 9. Ecclesia et abbatia sancti Michaelis super Mosam per Theodericum Virdunensem episcopum conbusta est, pro eo quod illa ecclesia se a Virdunensi ad Tullensem episcopatum transferre vellet tempore scismatis.

Helin. 1084. Comes Montensis Balduinus uxorem duxit Idam filiam Henrici Lovaniensis.

Floruit in Burgundia dyocesi Bisuntiensi magister Gerlandus, cuius opusculum Candela vocatur.

Sigeb 1085. Anno 1085. Henricus imperator Moguntie — imperatoris consanguineo.

Walcherus ex clero [c] sancti Lamberti in Anglia episcopus Anglorum odiis innocens impetitur et in [d] celebrando missam ab eis quasi alter Stephanus papa martirizatur. Huius fit mentio in Historia translationis [d] sancti Cuthberti [30].

ibid. 1085. Hildebrandus — moritur.

O Fr. VI, 36. Episcopus Otto: Qui appropinquante vocationis sue — in exilio.

Helin. 1085. Guilelmus: Fuit iste papa vir apud Deum felicis gratie, sed apud homines austeritatis nimie — admiserit. Que [e] repulsa — causa fuit.

Registrum huius septimi Gregorii, id est Hildebrandi, apud Clarevallem [f] invenitur.

Sigeb. 1085. Sigebertus: De hoc Hildebrando ita scriptum reperi: — imperatoris ascendere.

Remis adhuc vivente papa Gregorio deposito Manasse succedit Raynoldus archiepiscopus per annos 11, menses 4.

Guil. Malm. 262. Interea Robertus Guiscardus iterum transfretans mare, magnam Grecie partem acquisivit. Sustulit imperator Alexius maleficio quem virtute nequibat, uxori eius connubium augustale promittendo mentitus. Cuius insidiis elaboratum virus hauriens interiit. Successerunt ei duo filii eius Rogerus dux Sicilie, Boemundus princeps Apulie.

Archiepiscopus Moguntie post Sigifridum fuit Erkenbaldus, qui claustrum sancte Marie ex Campis construxit; hunc secutus est Wezellus, deinde Rothardus.

Sigeb. 1086. Anno 1086. Sigebertus: Saxones urbem — tantum occisis.

O. Fr. VI, 34. Episcopus Otto: Rex vero ex omnibus — et alii innumerabiles. Quia vero regnum in principe suo ab ibid. VI, 36. ecclesia — sexto huic libro finem imponimus.

Prolog. VII. Idem in prologo libri septimi: Regnorum mutationes — de regibus posuimus.

ibid. VII, 1. Defuncto igitur Salerni — in brevi excessit.

Sigeb. 1086. Sigebertus: Cassinensium abbas — non multo post moritur.

Helin. 1086. Elinandus et Guilelmus: Ad missam, ut dicitur, exagitatus nescio quo discrimine cecidit, calice si dignum est credere veneno infecto: Sedit mensibus 2. Tale quid invenies anno [d] 1134.

Sigeb. 1086. Sigebertus: Anselmus [g] Lucensis — declarata est.

Nimia aquarum — villas exterminarent. Domestice aves — fiunt silvatice.

Helin. 1086. Elinandus: Simile quid [h] narrat contigisse in Italia beatus Augustinus tertio de Civitate Dei, antequam se adversus Romam Latium commovit.

Ordo Carthusie cepit, ubi sunt priores, et ordo Calatensis [30*], ubi [i] abbates. Anno 6. pontificatus sancti Hugonis Gratianopolitani [k] episcopi, qui pontifex annis 42 [l] fuit episcopus [m], septem fuerunt fratres, quorum unus dictus est Bruno, qui de canonicis regularibus Sancti Rufi de Valentia exierunt, et duos istos ordines mediante dicto episcopo Hugone inchoaverunt. Habent Carthusienses 42 priorias.

In Dacia regi Haroldo succedit frater eius Kanutus biennio. Hic est qui duxit filiam comitis Flandrie Roberti Frisonis, nomine Adelam, de qua filium genuit nomine Karolum.

Auct. Affl. 1086. Sigebertus: Robertus iunior — Roberto asciscitur Affligemensis cenobii — nutu sepelitur.

G. Malm. 279. Anno 1087. Rex Anglorum Guilelmus exercitiis nemorum adeo deditus fuit, quod spatia multa [n] terrarum, ibid. 275. desertis villis, subrutis ecclesiis per triginta et eo amplius milliaria [o] silvescere iusserit [31] et in saltus et ferarum

---

a) de ipso *deest* 2. b) replebant 1. c) clerico 2. d) *deest* 1. e) Qua 1. 2. f) Clarum Vallem 2. g) Alexander sive Anselmus 1, *quae vero verba quum et in Alberici fonte et in* 2 *desint, quin scriptor cod.* 1 *addiderit haud dubium videtur.* h) quod 1. i) ubi sunt 2. k) Granapolitani 2. Gratiopolitani 1 *secundum Pabst, Granopolitanus secundum Turles.* l) LII 2. m) *deest* 2. n) multarum 2. o) *deest* 1.

[30] nr. 26. [30*] Chalais prope Voreppe, départ. Isère, arrond. Grenoble. [31] Verba: *silvescere iussit* ex Guil. Malm. §. 279 noster inseruit.

lustra redegerit, in quibus a ceteris negotiis avocatus animum recrearet, infando prorsus spectaculo, ut ubi ante vel humana conversatio vel divina veneratio fervebat, tunc ibi cervi et capreoli et cetere illud genus bestie petulanter discurrerent, nec ille quidem mortalium usibus communiter exposite. Unde pro vero asseritur, quod in eadem silva filius eius Guilelmus et Richardus, filius filii eius Roberti, mortem offenderint severo iudicio, ille sagitta pectus, iste arboris ramusculo collum traiectus. Extremo tamen vite tempore rex Anglie Guilelmus, dum in Normannia [a] habitaret, contraxit inimicitias cum Philippo rege Francorum, cuius amite filiam uxorem duxerat [31*]. Guil. Malm. 281. Eius abutens patientia rex Philippus, iocatus in eius ventrem, quem alleviarat [b] potione, more parturientium Rothomagi dixerat eum fovere cubile. Quo perstrictus nuntio respondit: *Cum ad missam post venero, centum milia candelarum ei libabo.* Nec multo post eo cum ibid. 282. hostili exercitu Franciam ingresso et depopulanti nihil erat, quod furentis animum mitigaret, ut iniuriam insolenter acceptam multorum dispendio ulcisceretur. Inde Rothomagum regressus est.

Inter imperatorem — simplici pugnatur. Sigeb. 1087.

Odo ex monacho — fit papa et Urbanus II. nominatur. ibid. 1088.

Magister Hugo: Sedit annis 8, mensibus vero 11, natus de Castellione super Maternam [32], filius domni de Lageri [33]. Hugo S. Vict. Habuit fratrem Norbertum [c], cui dedit corporale pro reliquiis. Qui vilipendente corporale incidit et sanguis inde exivit, qui adhuc reservatur apud Lageri [d]. Habuit alium fratrem Radulfum, patrem Gerardi, cuius filius alter Gerardus genuit Odonem, patrem Egidii de Lageri, monachi Remensis, cuius soror Hersendis fuit mater Balduini monachi Igniaci [34].

Guido de eodem: Hic Odo natione Gallus, primum [e] Remensis archidyaconus, inde prior Cluniaci, mox Guil. Malm. 268. episcopus Hostie, post in apostolicum consecratur, nomine Urbanus [f].

Tunc imperator Henricus nisus est Urbanum expellere et Rome Guibertum inferre. Vigebat tunc in Italia ibid. 289. prepotens marchisa Mathidis [g], relicta Godefridi cognomento Gibbosi, provincie, que nunc [h] Lotharii regnum seu Lothariana dicitur, egregii quondam ducis. Hec, eodem [i] viro sibi sublato quorumdam insidiis, ad viscerum interiora per inferiora ferro dum ad nature secreta sederet illato, sexus oblita nec dispar antiquis amazonibus, ferrata virorum agmina ducebat in bellum Guil. Malm. 289. et mariti defuncti ducatum impigre retentabat, maxime suum infra Italiam, contra imperatorem Henricum. ibid. 373. Potentibus eius auxiliis Urbanus apostolicum optinuit thronum, ibid. 289. frequentibus conciliis excommunicans cum imperatore Guibertum.

Hinc in ecclesia scandala, ut dicit Sigebertus [k], et in regno [l] — periurii absolvatur. Sigeb. 1088.

De translatione sancti Nicolai: In Italia Venetianis — depositione beati Nicolai. ibid. 1087.

Translationem eius — ecclesie archiepiscopo. Helin. 1087.

Eodem anno incipit ordo beati Nicholai de Arroasi [35], quod nos dicimus de Trunco Berengarii; sub prepositis fuerunt [m] usque ad tempora beati Bernardi Clarevallensis et tunc abbates instituti sunt.

Pisces in aquis moriuntur. Sigeb. 1087.

Anno 1088. In Hispania — in ea dilatat. ibid. 1088.

Monasterium sancti Iohannis baptiste in Florinis concrematur anno 62. sue consecrationis. Auct. Gemb. 1088.

Rex Dacie Kanutus hoc anno occisus et martirizatus est, cui succedit Olavus frater eius per annos 8. Relictam eiusdem Kanuti Adelam, matrem Karoli, duxit dux Sicilie Rogerus, frater Boemundi, et genuit ex ea Guilelmum.

Primogenitus Guilelmi Nothi regis Anglie Robertus vivente adhuc patre — vix retenta. Helin. 1091.

Fuit autem rex Guilelmus singularis censure et severitatis, ibid. 1092. qui cum mense Augusto contra regem Philippum ibid. 1091. exasperatus Medantum oppidum iniectis ignibus concremaret, ipse dum propius flammas succenderet, calore foci et autumpni inequalitate morbum nactus est. 8. igitur Idus Septembris apud Rothomagum decessit, qui lecto [n] exceptus et mortem Guil. Malm. 282. sibi previdens imminere, que christiani sunt executus, Roberto licet invitus Normanniam, Angliam Guilelmo, Henrico possessiones alias delegavit. Corpus eius per Sequanam — centum libras argenti accepit. Helin. 1092. Robertus primogenitus — in Angliam navigaverat.

Rogerus comes Porcensis, frater Hoscelini de Grandiprato [36], cum fuisset captus et dehonestatus [o], Chron. S. Hub. c. 65. malorum pertesus, filiam suam Sibillam cum comitatu suo dedit filio comitis Alberti Godefrido Namucensi.

Anno 1089. Colonie post Sigewinum — tormentantur. Sigeb. 1089.

Guilelmum filium — utilitatibus nundinans. Helin. 1092.

Erant, ut dictum est, tres fratres, dux Normannie Robertus, rex iste Guilelmus Rufus et Henricus. ibid. 1091. Tres isti quinque sorores habuerunt. Prima fuit Cecilia monialis et abbatissa Cadoniensis. Secunda Constantia Britannie comitissa, quam habuit comes Alanus [37]. Ista austeritate iustitie provinciales in mortiferam sibi potionem exacuit. Tertia fuit Adela Campanie comitissa, que comiti Stephano Carnotensi sive

---

a) in Anglia 2. b) allevierat 1. 2. c) *Secundum Turles habet* 1: Ioibertum. d) Habuit — Lageri *desunt* 2. e) primum 2. f) nomine Urbanus *desunt* 2. g) *deest* 1. h) tunc 1. i) eadem 2. k) ut — Sigeb. *desunt* 1. l) in regno et cetera 2, *desunt reliqua.* m) erant 2. n) leto 1. o) honestatus 1.

[31*] Guilelmi uxor Mathildis erat filia Balduini comitis Flandrensis et Athelae, filiae Roberti Francorum regis. [32] Châtillon sur Marne, départ. Marne, arrond. Reims. [33] Lagery, ibidem. [34] Igny-l'abbaye, ibidem. [35] Arrouaise, dép. Pas-de-Calais, arrond. Arras. [36] Grandpré, départ. Ardennes, arrond. Vouziers. [37] Dubitari licet, utrum illud: *quam habuit comes Alanus* ex Helinandi fonte, Guil. Malm. §. 267, a nostro additum an in editione tantum Helinandi incuria quadam omissum sit.

Blesensi[38] peperit tres filios, comitem Theobaldum et regem Stephanum et episcopum Wintoniensem Henricum. Quartus maior natu Odo de Soilliaco[39] in Bituria non habuit in se probitatem, nisi quod reliquit filiam nobilem et sanctam. Ista tamen comitissa Adela Marcenniacum Cluniacensis ordinis sanctimonialis habitum sumpsit[a]. Quarta soror Haroldo — ex crebra oratione crevisse.

Guil Malm. 312. Eodem anno mortuus est venerabilis Cantuarie archiepiscopus Lamfrancus, quo vivente rex Guilelmus iste Rufus minus malum se exhibuit. Exinde per quatuor fere annos Cantuaria vacuit[b], quibus annis rex ecclesiam immaniter oppressit.

Sigeb 1090. Anno 1090. Henricus imperator — inventum levatur.

Chron. S. Hub c. 71. Herimannus episcopus permissu imperatoris a Metensibus urbe receptus, dum post prandium liberaliter celebratum in lecto se reclinasset, mortuus invenitur. Succedit ei Buchardus prepositus Treverensis, et huic quidam episcopus, qui Poppo dictus est[40].

Gesta Trev. II, 18. Archiepiscopus Treverensis post Engelbertum Bruno dictus est.

Laur. de Leodio c.13. Electus est in episcopum Virdunensem decanus Metensis Richerus per annos 18[40], frater Alberti de Brie[41], Bezelini et Iohannis.

Gesta ep. T. c. 35. 49. Et apud Tullum post Udonem Pibo monachus sancti Benigni Divionensis erat episcopus.

Sigeb. 1090. Sigebertus: In Saxonia — paulatim irrepit.

Helin. 1092. In Anglia sub rege Guilelmo Rufo ista acciderunt: Secundo anno regni eius — messes reconderentur. Rex autem Guilelmus tandem exhaustus — ad summum.

Sigeb. 1091. Anno 1091. Sigebertus: Henricus imperator — et[c] capit.

Aegid. Aur. III, 12. 13. Bone memorie Henricus Leodiensis episcopus, amator pacis et religionis, obit et Hoi in ecclesia beate Marie ante altare sancti Iohannis baptiste tumulatur, eique Obertus ex clero eiusdem ecclesie succedit[41*]. Qui Obertus fuerat[c] prepositus ecclesie[d] sancte crucis in Leodio et per episcopum Henricum eiectus servivit fideliter imperatori Henrico in parte Guiberti Ravennatis[e], et ita donatus est ei episcopatus sub illius temporis statu.

Guil Malm. 287. Guillelmus: Eo tempore sepulchrum Galwaini, qui fuit nepos Arturi inventum est in provincia Walliarum super ora maris 14 pedes longum. Hic regnavit in ea parte Britannie, que adhuc Wallia vocatur.

Helin. 1092. Quarto anno regis Anglie Guilelmi fit tumultus — erui nequirent.

Auct. Affl. 1091. Sigebertus: Nobilis vir — patrimonia transtulerunt.

Sigeb. 1092. Anno 1092. Sigebertus: Westfali[f] Frisoniam — perimuntur. Incentoribus Saxonici — motu bellorum.

Helin. 1092. Yvo prepositus sancti Quintini Belluacensis fit episcopus Carnotensis, Gaufredo tamen antecessore eius, causa dilapidationis rerum ecclesie per papam deposito.

Richerus erat archiepiscopus Senonensis; Fulco Beluacensis, Petrus Pictavensis, Hugo Suessionensis, Waltherus Meldensis, Lambertus Atrebatensis episcopi et Guilelmus electus Parisiensis episcopus[g], Rainaldus adhuc erat archiepiscopus Remensis, Hugo, qui[g] fuit legatus sub papa Hildebrando, archiepiscopus Lugdunensis.

ibid. 1092. Quinto anno regis Anglie Guilelmi violentia[h] fulminis — memorie episcopus.

Sigeb. 1093. Anno 1093. Sigebertus: Conradus filius — hora noctis.

Auct. Affl. 1093. Ecclipsis solis facta est 9. Kal. Octobris. Eodem anno 3. Idus Octobris obiit Robertus primus huius nominis Flandrie marchisus cognomento Friso; succedit filius eius Robertus Ierosolimitanus[g].

Helin. 1093. Sexto anno regis Anglie Guilelmi tantum fuit — pontes effracti.

Prima dominica quadragesime pridie Nonas Martii eligitur tandem in archiepiscopum Cantuarie sanctus Anselmus abbas de Becco Herluini[42] et per annos 16[i] prefuit. Qui inter ecclesiasticos doctores sui temporis precipuus enituit et multa laude digna scripsit et sub predicto rege Guilelmo multas persecutiones sustinuit. ibid. 1092. Nam audita morte cuiuslibet episcopi vel abbatis, confestim clericus regis eo mittebatur, qui omnia inventa — fisco regio inferret. Hec et alia quedam intolerabilia sanctus Anselmus corrigere conatus est, sed societate suffraganeorum destitutus, sponte discessit, nequitie temporis cedens. Rex enim Guilelmus audita discordia — et Anselmum.

Idem rex Guilelmus Iudeos — ausus est ad conflictum contra christianos animare, per vultum de Luca[43] pronuncians, quia si vicissent, in eorum sectam transiret — confusionem retulerunt.

Obiit Rogerus III. Cathalaunensis episcopus, cui succedit Philippus frater comitis

---

[a] assumpsit 1, *sed sicut* 2, *ita Helinandus.*
[b] vacavit 2.
[c] fuit 2.
[d] *deest* 1.
[e] Ravennensis 2.
[f] Saxoniam vel Frisoniam 1; *verba vero* Saxoniam vel, *quum neque in Alberici fonte neque in codice* 2 *inveniantur, a codicis* 1 *scriptore addita esse elucet.*
[g] *deest* 2.
[h] violentiam 1. 2.
[i] 18 *habet* 2.

[38] Chartres et Blois.

[39] Sulli, départ. Loiret, arrond. Gien.

[40] Manifestissimus error nostri. Qui quum in chron. S. Hub. c. 71. Hermanno mortuo Burchardum, in ceteris vero ex quibus hauriebat fontibus Popponem electum esse inveniret, hunc illi sucessisse coniecit, neque unum eundemque esse agnovit, quem monachus S. Huberti Burchardum, Hugo Flav. M. G. SS. VIII, 473 et auctor gestor. Metens. c. 51 Popponem vocant. Cf. S. S. VIII, 604 annot. 55.

[41] Briey.

[41*] Verba: *eique — succedit* e Sigeberto 1091 addita sunt.

[42] Le Bec-Hellouin, départ. Eure, arrond. Bernai.

[43] Verba: *Per vultum de Luca*, nisi in Helinandi editione ommissa sunt, Albericus ex Helinandi fonte Guil. Malm. §. 317 addidit.

Hugonis Campaniensis, natus de Alaide, sorore sancti Symonis, filius illius Theobaldi, qui apud Sparnacum[44] obiit.

Anno 1094. Guido de Petro heremita[45]: Dum sancta Ierusalem civitas sub Turcorum dominio multis et gravissimis[a] esset oppressa miseriis, inter eos qui causa devotionis et orationis ad eum veniebant, nec tamen intrabant, nisi dato prius auro[b] pro tributo, Petrus quidam sacerdos de regno Francorum et pago Ambianensi, vere cognominatus heremita quantitate contemptibili, venerabili sanctitate pervenit. Hic in ecclesia dominice resurrectionis dum pernoctat in orationibus et vigiliis, ab apparente sibi Domino confortatus et iussus, ut pro populo eius et sancta civitate legatione fungatur ad domnum papam et principes occidentis, confidenter regreditur et legationem eius fideliter exequitur et prudenter. Veniens igitur ad domnum papam et exulantem eum adhuc inveniens propter controversiam, que erat inter ipsum et imperatorem Henricum super investitura baculi pastoralis, pontificalis annuli facienda, pro qua predecessor eius fuit[d] Gregorius VII. a propria sede per eundem imperatorem expulsus, eidem pape Ierosolimitani patriarche Symeonis[e] apices, indices magne fidelium calamitatis, ostendit. A quo predicator electus et ad principes directus et plebes[f], virtute multa Dei verbum ewangelizans, domni pape qui eum in Franciam subsequebatur necessarius fuit precursor.

Elinandus: Quidam venerabilis abbas et cetera usque dilataverunt.

Episcopus Otto: Ea tempestate et cetera usque profectus est.

Sigebertus: In Gallia — contra eum muniunt. Sigeb. 1094.

Inundatio magna — Kalendas Aprilis. Auct. Affl. 1094.

Gerardus[g] Cameracensis episcopus obiit — Manasses ordinatur episcopus. Helin. 1094.

Yvo Carnotensis episcopus, captus a vicecomite Carnotensi et quibusdam militibus et in carcere detentus, prohibuit suis, ne eum armis liberarent[46]. Scribit Hoello Cenomanensi episcopo, conquerens super hoc, quod non potuit interesse translationi sancti Iuliani[47], que facta est hoc anno. Item scribit Hugoni Lugdunensi archiepiscopo, quod papa Urbanus disponat per Franciam legatum constituere, sicut fecerat papa Gregorius Hildebrandus[48]. Item scribit plures epistolas contra illicitas nuptias regis Philippi contractas cum Bertrade[h] comitissa Andegavensi.

Septimo anno regis Anglie Guilelmi Wallenses in Normannos — armis optinuerunt. Helin. 1092.

Et eodem anno propter tributa — mortuis sepultura.

Anno 1095. Fames diu — magis stupuit. Sigeb. 1095.

Baldricus ita retulit: Pridie Nonas Aprilis feria quarta — interpretati sunt. Anno enim hoc eodem subsequente et sinodus Arviernis[i] habita est et via Ierosolimitana inchoata est. Porro ante hanc sinodum generale concilium idem papa Urbanus apud Placentiam celebraverat. Helin. 1097. ibid. 1097.

Sigebertus: Henricus comes Lovaniensis — infectum vidimus. Auct. Affl. 1095.

Sanctus Logescelaus rex Hungarorum moritur, cui succedit[k] Colomannus annis 16.

In Dacia regi Olavo succedit frater eius rex Henricus per annos 29.

Sequitur Sigebertus: Urbanus papa per[l] Burgundiam et Franciam habitis conciliis, Hildebrandi, id est Gregorii, decreta renovat et confirmat. Sigeb. 1095. Ubi dicit Sigebertus: *Habitis conciliis* de illo concilio, cuius per orbem fama clarius[m] enituit, specialiter meminisse debuit.

In mense itaque Novembri huius anni ante festum sancti Andree, generale concilium, ut scribit Guilelmus, apud Clarummontem Alvernie civitatem a summo pontifice Urbano congregatur. Numerus congregatorum episcoporum et abbatum fuit 310, Guil. Malm. 344. et sedit a die lune 14. Kalendas Decembris per dies 10, ubi aliquot diebus primum de fide catholica et eorum qui inter se dissidebant pace prolixe tractatum est.

Guido: Ibi domnus apostolicus excommunicavit Guibertum Ravennatem, qui se papam appellabat, et Henricum imperatorem Romanorum, qui eum manutenebat, Philippum quoque regem Francorum et eius concubinam, comitis Andegavorum uxorem, et omnes qui eum regem vel domnum suum[e] vocarent et[n] ei obedirent, quousque veniret ad emendationem, ut alter ab altero discedat. ibid. 345.

Unde sequitur Sigebertus: Philippum regem Francorum, qui vivente[o] uxore sua superduxerat alterius viventis uxorem, papa Urbanus excommunicat. Sigeb. 1095. Auctor: Alterius viventis, id est comitis Andegavorum Fulconis.

Iste Fulco duos habebat filios Gaufridum iuniorem, Martellum, et Fulconem, et unam filiam comitissam Redonensem[49], quorum Gaufridus insidiis suorum necatus est. Helin. 1095.

a) gravibus 2. b) aureo 1. d) fuerat 2. e) *deest* 2. f) plebs 2. g) secundus *add.* 1. h) Bertranda 2. i) Armviernis 2. k) successit 2. l) in 1. m) clarior 2. n) vel 2. o) adhuc *add.* 1; *verbum neque apud Sigebertum neque in cod.* 2 *invenitur.*

---

[44] Epernay.

[45] Quae de Petro sequuntur ea omnia Guido e Willermi Tyr. Hist. I, 9. 10 deprompsit, verba multo magis mutans, quam caetero solet.

[46] Ep. 20 ed. Iureto 39.

[47] Ep. 21. ibid. 40.

[48] Ep. 24. ibid. 43.

[49] Cf. p. 793 annot. 61*.

Amore autem predicte mulieris, ut scribit Guilelmus, ita rex Philippus captus est — passus est.

Capitula vero canonum ecclesiasticorum huius concilii secundum Guilelmum ista sunt. Primum: Ut episcopi vel abbates — non accipiat. Secundum: Ut clerici in duabus — non[a] habeant. Tertium: Ut nemo simul sit abbas et episcopus. Quartum: Ut ecclesiastica dignitas a nullo ematur vel vendatur. Quintum: Ut nullus — commercio utatur. Sextum: Ut eis auferantur — emptas habuerint. Septimum: Ut eis ignoscatur — prohibitum. Octavum: Ut nemo laycorum — comedat. Nonum: Ut in sabbato — celebretur. Decimum[b]: Ut ab adventu — Dei custodiatur. Undecimum: Ut qui episcopum ceperit omnino exlex habeatur. Duodecimum[c]: Ut qui sacri — anathema sit. Decimum tertium: Ut qui episcoporum — anathema sit. Decimum quartum: Ut nemo in episcopum — licentia pape. Decimum quintum: Ut filii presbiterorum — vitam transierint. Decimum sextum: Ut qui ad ecclesiam — innocentes liberentur[d]. Decimum septimum: Ut unaqueque ecclesia — alteram transeant. Decimum octavum: Ut laycus — nec retineat. Decimum nonum: Ut pro sepultura — non exigatur.

Guil. Malm. 346. Sequitur Guido de institutione peregrinationis Ierosolimitane: Posteris diebus sermo pape ibid. 347. processit ad populum, sane luculentus et efficax, in quo relaxatis penitentiis peccatorum presentes exortatur et absentes exortari iubet in Domino ad liberandum populum christianum et loca nostre redemptionis de manibus impiorum. Tunc a domno papa precipitur, ut signum crucis vestibus super peregrinantium Ierosolimam humeros inprimatur. ibid. 348. Auditores apostolica exortatione succensi, iudicium animi clamore testantur, exortationi faventes et peregrinatione, statimque in concilio proceres nonnulli pape genibus acclives se suaque Dei militie[e] consecrarunt. E quibus fuit Aimarus insignis potentie, Podiensis episcopus, qui postea christianum exercitum prudentia rexit[f] et eloquentia sua.

Auctor: Quod iste episcopus antiphonam *Salve regina* fecerit, audiisse me recolo. Qualiter autem beatus Bernardus eam[g] ab angelis audierit decantari, ubi oportunum invenero, assignabo[50].

ibid. 388. Sequitur: Raimondus comes Tolosanus primus omnium laycorum crucem accepit, qui plura dedit in itinere ibid. 348. indicia fortitudinis et patientie sue. Continuo fama boni tanti totum[h] perlapsa per orbem, dulci christianorum animos infecit aura, qua circumquaque spirante nulla christianorum natio fuit tam remota, tam abdita que partem sui non mitteret ad hoc servitium Dei.

Otto Fris. VII, 2. Episcopus Otto: Papa Urbanus habito in Gallia concilio — coadunavit.

Helin. 164b. Baldricus: Excessit et medicina modum — voluntatis ostentatione.

Sigeb. 1096. Anno 1096. Eclipsis lune — facta est.

Chron. S. Hub c. 82. Episcopo Leodiensi Otberto dux Godefridus castrum Bullonium venale exposuit, vivente adhuc matre sua Ida ibid. c. 83. ducissa[g] et consentiente, pro mille et quingentis marcis argenti. Facta fuit hec distractio et ita castrum oblatum est in elemosinam beato Lamberto. L. de Leod. c. 12. Idem dux Sathanacum et Mosacum sancte Marie Virdunensi in perpetuum tradidit et comitatum urbis quitavit; sed et castrum Falconii Montis quod erexerat amore episcopi diruit; et episcopus Richerus ei[g] multam summam argenti dedit, similiter Mathildi marchise pro reclamatione. Idem episcopus Richerus comitatum predictum contulit comiti Barrensi Theoderico, donis et obsequiis delinitus.

Sigeb. 1096. Sigebertus: Occidentales populi — urbibus eliminant.

Auct. Acq. 1096. Aliqui Iudeorum — revolvuntur.

Sigeb. 1096. Eminebant in hoc Dei hostico: dux Lotharingie Godefridus — Boemundus dux Apulie. Cum istis fuerunt: Rotroldus comes de Pertico[51], Arpinus comes Bituricensis, Ludovicus comes de Montione[52], Renardus comes Tullensis, Cono comes de Monteacuto[53] Leodiensis dyocesis et Lambertus filius suus, comes de Claromonte[54], Hescellinus comes de Grandi Prato[55], frater comitis Rogeri Porcensis[56], Anselmus de Ribodi Monte[57] et Thomas de Coci[58] et plures alii.

O. Fr. VII, 2. Episcopus Otto: Hec fama commovit diversos populos et ignotos, non solum terram — iter in orientem aggrediuntur. Verum orientales Francos — ad propria idem Emicho et sui redire coguntur.

Guido vero expeditionem istam Francorum in Turcos vocat secundam, quia Karolus Magnus fecit primam. Guil. Malm. 349. Iam, inquit, advenerat mensis Martius, quando senecta brumali deposita mundus[i] vernali iuventa vestitus in plagam orientis ituros invitabat[k]. Exercitus autem peregrinorum quem predictus Petrus heremita de imperio conflarat[l] et regno, priusquam coniungi valeret magnis principibus Francorum, qui cum infinitis agminibus et armorum apparatu multiplici properabant post eos ad debellandos crucis Christi inimicos, pene deletur, primum perfidia Bulgarorum, post ante Nicheam urbem, trans Hellespontum maximam[m] et hostilem, a Turcorum potentissimo principe Solimanno[59].

Bald. 88. 89. Baldricus et Robertus: Primum sustinuerunt detrimentum in festo sancti Michaelis 3. Kalendas Octobris apud castrum Exerogorga[n], ubi quidam princeps[o] eorum quem sibi prefecerant, Renaldus[p] apostatavit. Aliud dampnum habuerunt apud castrum Civitoth prope Nicheam mense Octobri, ubi occisus est Galterus Sine-habere[q], qui erat primicerius et signifer agminis[p] heremite. Petrus vero iam Constantinopolim redierat[r], quoniam illi adquiescere gens litigiosa nolebat.

a) *deest* 1. b) decimo 1. c) undecimo 1. d) innocens liberetur 1. e) militie Dei 2. f) rexit prudentia 2. g) *deest* 2. h) totam 1. 2. i) mundum 1. 2. k) invocabat 1. l) conflagat 2. m) maximum 1. n) Exerrogorga 1. o) principes 2. p) *deest* 2. q) sive-habere 1. r) redigerat 2.

---

50) Cf. annum 1130. 51) Le Perche. 52) Mousson, départ. Meurthe, arrond. Nancy. 53) Montaigu. 54) Clermont, prov. Lüttich, arrond. Verviers. 55) Grand-Pré, départ. Ardennes, arrond. Vouziers. 56) Porcien, départ. Ardennes, arrond. Réthel. 57) Ribemont, départ. Aisne, arrond. Saint-Quentin. 58) Couci, départ. Aisne, arrond. Laon. 59) Haec e Guil. Tyr. I, 21—24 contracta esse videntur.

Interea Hugo Magnus et comes Flandrensis Robertus — in Apuliam devenerunt. Audiens autem Boemundus famam adventus [a] eorum, singulorum probitatibus signisque perscrutatis, duo pallia [60] optima sibi precepit afferri, dum esset in obsidione Malfe super litus Caphardi, et ipsa pallia per particulas conscisa, crucem unicuique suorum distribuit, unam quoque sibi retinuit. Helin. 165^{a}.

Itaque Hugo Magnus et Guilelmus marchisus filius eius per portum Barrensem mare [a] intrantes [b] navigando Duracium venerunt. Qui capti a duce regionis illius Constantinopolitano imperatori missi sunt. Robert. 36 et Bald. 91.

Guido: Post hunc heremite Petri lamentabilem exercitus casum dux Lotharingie Godefridus, vir virtutum titulis eminentior inter alios principes occidentis, cum nobilissimis comitibus Balduino et Eustachio fratribus suis et Balduino comite Montensi, id est [c] de Hainaco, multisque aliis [d] clarissimis viris et viribus copiosis ante Constantinopolim urbem et sedem imperialem castra metatus est [61], duobus diebus ante natale Domini, tam imperatorem, quam urbem terrore concutit incutitque stuporem [61]. Imperator Alexius hic erat, qui subdolus et nequam munificum sibi domnum suum imperatorem Nichephorum a propria sede sine causa depulerat et tamquam invasor imperium tunc tenebat, homo tergiversatione famosus et nihil unquam nisi dolo machinatus: ipse nobilem illum et victoriosum ducem Robertum Guiscardum veneno et uxorem eius auro corruperat [e], fidem ei coniugalem falso per nuntios pactus. Ipse christianum exercitum in insidias Turcorum inductum fraude circumveniens et notis artibus, toxica vel fluminibus vel cibis vel vestibus infundens, pro magna parte dedit interemptioni. Hic enim Hugonem Magnum fratrem Philippi regis Francorum cum multis aliis de eodem regno nobilibus captos tenebat in vinculis. Mandat ei dux, ut eos libere abire permittat. Quod dum ille precise renuit, dux regionem precipit depopulari. Imperator rogat, ut desistat et coactus reddit [f] liberos, quos custodie manciparat. Qui ad ducem conveniunt et amplexus et copias simul iungunt. Imperator ad se ducem invitat, qui suspectum habens eius colloquium, ad eum venire recusat. Indignatus imperator forum eis venalium rerum interdixit. Dux iterum regionem incendiis et predis exponit; pugna committitur inter exercitus imperatoris et ducis; strages maxima fit Grecorum. Will. Tyr. II, 5. Guil. Malm. 349. Will. Tyr. II, 4. II, 5. II, 6.

Episcopus Otto dicit ita: Godefridus cum suis Deo propitio — destruxerunt. O. Fr. VII, 2.

Sequitur Guido: Interim imperator ducem sollicitat [g] per legatos, ut eum veniat pacis in osculum visitare, timens ne, si convenirent qui venturi erant principes peregrini, priusquam placabilem redderet sibi [h] ducem, in eius ruinam unanimiter consentirent. Dux placatus ad imperatorem ingreditur, accepto filio eius Iohanne Prophirio adhuc adolescentulo obside, et cum adhibita, de more, quadam sollempnitate vestitus imperialibus in filium imperatorium adoptatur muneribusque pretiosissimis honoratur. Will. Tyr. II, 11.

Robertus: Dum hec aguntur venerabilis Podiensis episcopus et comes Raimundus per Sclavariam [i] gradientes, Constantinopolim cum suis devenerunt. Porro Boemundus cum Tancredo nepote suo marchisi filio et Richardo de Principatu et singulorum exercitibus per Bulgariam Andrinopolim [k] venientes transfretaverunt, et venientes usque Castoriam, natale Domini ibidem celebraverunt, et inde per castrum Palagoniam venerunt usque ad flumen Bardarum. Bald. 91. ibid. 92.

Baldricus: Erat Palagonia castrum munitissimum hereticorum, omnibus bonis refertum. Quo radicitus diruto ventum est ad flumen Bardarum, ubi Tancredus cum suis imperatoris satellites fugavit, quos imperator sibi conduxerat de paganis et barbaris ad inferenda nocumenta Boemundo et eius sociis. De his ergo Tancredus cum suis triumphavit et quosdam peremit, quosdam vinctos [l] Boemundo presentavit. Et de isto anno satis dictum est. ibid. 92.

Ida Boloniensium — augmentum concessit. Auct. Affl. 1096.

Remis obiit Rainoldus archiepiscopus et abbas sancti Remigii Henricus, Adenarius, Odo frater Ludovici Grossi de alia matre [m], Hugo, Petrus; Manasses eligitur in archiepiscopum Remensem.

Anno 1097. Sigebertus: Cometes in occidente — terre sequitur. Sigeb. 1097.

Anno decimo regis Anglie Guilelmi apparuit — Romam ivit. Helin. 164^{b}.

Sigebertus: Exercitus Dei aggressus terminos paganorum viriliter agit. Primum fuit illis bellum ad pontem fluminis Bardarum 9. Kal. Martii, ubi multi Turcorum occisi sunt. Sigeb. 1097.

Auctor: Hoc est illud bellum, quod anticipando iam diximus, quod Baldricus scribit actum fuisse quarta feria in capite ieiunii. Conferantur singula singulis, et sicubi mendacium deprehenditur, corrigatur.

Baldericus: Tandem imperator dissimulando quod factum fuerat misit obviam Boemundo mandans, ut in suo conductu Constantinopolim venire non recusaret. Robert. 37.

Interea Boemundus cum suis venerat in civitatem Serram ubi sufficiens habuere mercatum. Ibi Boemundus cum duobus Corpalatiis amicitias iniit. Helin. 165^{a}.

Itaque ad Serram dimisso exercitu cum Tancredo, ipse Boemundus cum paucis Constantinopolim venit, ubi supradictas nostrorum acies invenit. Baldr. 93.

Guido: Dux igitur Godefridus cum suis transiens Hellespontum sive Bosphorum in Bithinia, que prima de Afianis provinciis occurrit, in pago Calcedonensi castra metatur. In Calcedone fuit quondam quarta sinodus generalis. Civitas est Constantinopoli proxima et sola Bosphori interpositione distincta. Will. Tyr. II, 12.

---

a) *deest* 1. 2. b) venientes 2. c) id. 1. d) et aliis multis 2. e) corrumperat 1. f) reddidit 2. g) sollicitat ducem 2. h) sibi redderet 2. i) Slavariam 2 k) Andrepolim 2. l) iuratos 1. 2, *corr. secundum Baldricum.* m) uxore 2.

60) Non duo, sed unum tantum ut sibi afferreretur Boemundum ministris mandasse narrat et Helinandus et quem hic exscripsit Baldricus. 61) Cf. Willerm. Tyr. II, 5.

Will. Tyr. II, 15. Boemundus ab imperatore magnifice[a] muneratus post ducem Godefridum iter accelerat, et exacto maris brachio[b] precedentibus copulatur.

II, 21. Robertus quoque Flandrensis comes nobiliter ab imperatore susceptus et pretiosis muneribus cumulatus, mari transito predictis principibus sociatur.

II, 22. Robertus etiam dux Normannorum illustris et Stephanus Carnotensis comes sororius eius cum multis aliis potentibus viris, ab imperatore variis donariis honorantur[c] et transfretantes aliis coniunguntur. Raimundus vero dux provincie Narbonensis et comes Tolosanus, adiuncto sibi episcopo Podiensi et multis
II, 16. nobilibus illarum partium et immensis tam equestrium, quam pedestrium turmis per Dalmatiam,
II, 19–21. que est inter Ungariam[d] et Adriaticum mare, subsecuntur. Comes iste Tolosanus ad imperatorem ingressus, sed ab eo pro fidelitate dissentiens, imperatoris insidiis impugnatur. Comes indignatus accingitur ad ultionem, sed per revocatos ab imperatore predicto principes reconciliatur et pretiosis ab imperatore donariis honoratur[c]. Quo facto pariter transfretant et ad suas se conferunt legiones. Ibique iuxta Nichomediam, maximam Bithinie metropolim, Petrus heremita cum paucis de comitatu suo residuis eis coniungitur, et ita multiplicatis copiis perveniunt ad Nicheam, clarissimam Bithinie civitatem.

Baldr. 93. **Baldricus:** Exercitus interea Boemundi pervenerat ad civitatem Rusa, quam Robertus vocat Susam, quarta feria ante Cenam Domini, venerunt ergo Niceam 3. Nonas Maii.

Will. Tyr. II, 23. **Guido:** Adiunxerat[e] etiam se nostrorum castris Tatinus quidam Grecie princeps et[a] imperatori familiaris, vir dolis instructus et[f] arte Pelasga[61*] et in signum perverse mentis naribus mutilatus. In hoc loco legionum suarum numerum recensentes, inventi sunt cum centum milibus equitum habere plusquam 500 peditum milia, qui pariter predictam urbem obsident, laborum suorum primitias Domino consecrantes.

O. Fr. VII, 2. **Episcopus Otto:** Recensitis absque parvulis — turrem devenere.

Helin. 164ª. **Guilelmus ita:** Nunquam tot gentes — Ierosolimam pergebant.

Auctor: Secundum Guidonem fuerunt ibi 100 milia milites, secundum episcopum Ottonem 300 milia pugnatores, secundum Guilelmum, qui comprehendit omnes divites et pauperes, iuvenes et senes, parvulos et mulieres, potuerunt estimari ad sexagies centum milia. Ita potest fieri diversarum sententiarum concordantia.

Will. Tyr. III, 1. Nicea[62] vero civitas a Constantino seniore augusto emancipata fuit a iurisdictione Nichomedie sue metropolis ad reverentiam sancte sinodi prime, que in ea convenerat adversus impietatem dogmatis Arriani. Ad hanc cum nostri primitus accesserunt, munitissimam eam valde victualibus, viris, armis, muris et turribus invenerunt. Urbem hanc et universas ab Hellesponto usque ad[g] Siriam itinere dierum 30 provincias, temporibus imperatoris Constantinopolitani[h] Romani, qui cognominatus est Dyogenes, qui ante de quo prediximus Alexium fuerat tertius, maximus ille Persarum soldanus Belphetot, sicut predictum est, violenter occupaverat et nepoti suo tradiderat ex parte plurima Solimanno.

III, 4. Solimannus autem cum milibus 50[i] Turcorum in nostros irruit; vincitur et prosternitur a nostris eius exercitus[k]. Occisorum capita machinis iaculatoriis proiiciuntur in urbem. Ad imperatorem signa victorie diriguntur, ille remunerat[l] exercitum victualium plenitudine et principes inmensitate donorum.

III, 5. 6. Civitas oppugnatur, quidam nobiles ibi procumbunt, multi sub machina conteruntur.

III, 7. Nostri naves a mari deferunt in plaustris, lacum occupant qui pene circumfluebat urbem; cives mirantur et desperant.

III, 8. 11. Turris in urbe validior ceteris et eminentior suffossa diruitur, de qua uxor Solimanni per lacum fugiens[m] capitur, civitas redditur imperatori, consilio Tatini[n] principis Greci, receptis tamen quos Solimannus ceperat ante captivis.

Helin. 165ª. **Baldricus:** Obsessa fuit Nicea a die ascensionis Domini per septem hebdomadas — in pace susceperat.

Sigeb. 1098. **Sigebertus hunc locum breviter ita tangit:** Secundum christianis — victi sunt.

Will. Tyr. III, 13. **Guido:** Obsidione Nicee soluta, nostri susceptum iter arripiunt; dux Boemundus, Stephanus comes et Tancredus marchio cum aliis quibusdam principibus ab exercitu dividuntur. Quibus Solimannus cum milibus Tur-
III, 14. corum 300 occurrit; pugna committitur, in qua Guilelmus Tancredi frater occumbit, Tancredus pene capitur, graviter
III, 15. arctatur exercitus Boemundi. Reliqui principes succurrunt oppressis, vertitur in fugam Solimannus, perit eius exercitus, nostri spolia reportant insignia et rediguntur in unum.

Helin. 1097. **Baldericus hunc locum ita tangit:** De Nicea noster exercitus ad quendam pontem pervenit. Tertia die — Turci autem iactitant se de Francorum stirpe genitos, nullosque naturaliter — copiosa supellex.

O. Fr. VII, 2. **Episcopus Otto:** Postquam Niceam fugato principe — tradidere, progredientes maritima Ruthenorum attingunt.

Helin. 165ᵇ. **Baldricus:** Solimannus autem — his auditis christiani eos insecuti sunt.

Will. Tyr. III, 16. **Guido:** De Bithinia Phisidam ingressi laborant aque penuria, plusquam quingenti deficiunt siti, sed tandem
III, 17. invento flumine iuxta minorem Antiochiam, que Phiside metropolis est[o], recurantur. De pugna inter Godefridum ducem et ursum: Dux Godefridus indulgens ibi[p] venationi occurrit urso persequenti pauperem ligna portantem et clamore periculum protestantem. At belua videns astantem sibi ducem gladio, spreto eo[q] quem persequebatur, eum aggreditur. Quam dux, audacter cum ea diuque[r] colluctans, et vulnus ab ea satis periculosum excipiens[s], capulo tenus
III, 18. emisso gladio transfodit et prosternit. Transcursa Phisida Licaniam[t] ingressi, Yconium regionis eiusdem metropolim pervenerunt, quam quia vacuam reperiunt, patiuntur alimentorum penuriam ibi magnam, Turcis, exspoliatis urbibus et regione vastata, cum uxoribus, filiis et omni substantia ad montana versis in fugam.

Helin. 165ᵇ. **Baldricus:** De Yconio venerunt ad civitatem Eracliam, que Turcis abiectis — civitates Azora et Mamistra et castra plurima.

Will. Tyr. III, 19. **Guido ita refert:** Tancredus marchio nobilem Cilicie metropolim Tharsum[o] obsidet, sed subveniente ducis fratre comite Balduino, dum se reputant hostes, concursus invicem sibi parant hostiles, sed post mutuam redeunt ad

---

a) *deest* 2. b) dracho 1. 2. c) honeratur 1. d) Hungariam 2. e) advinxerat 1. f) et in 2. g) in 2. h) Const. imp. 2. i) 50 millibus 2. k) exercitus eius 2. l) renumerat 1. m) per lacum fugiens *desunt* 2. n) Taniti 1. o) *deest* 2. p) sibi 2. q) et 1. 2. r) diu 2. s) accipiens 2. t) Nichaoniam 2.

[61*] Ovid. Met. XIII, 268. [62] Quae sequuntur, Guidoni deprompta sunt, Albrico enim Guilelmi Tyrii opus praesto non erat.

obsidionem. Tancredi vexillum, elevatum super arcem in signum deditionis, Balduinus comes deici facit et suum ibidem collocari. Tancredus cum indignatione recedit. Guelpho Burgundio Turcis eiectis capit Adamam civitatem, multiplici commoditatis genere redundantem. Tancredus Mamistram occupat, Turcis interemptis in muris et turribus, et amenitate precipua commendabilem urbem. Balduinus comes predictus occupata Tharso, trecentis de exercitu Boemundi propter Tancredum interdicit urbis introitum, quos ibi pernoctantes Turci de civitate clam effugientes interficiunt universos. Balduinus predictus Mamistram venit et comperiens a Tancredo possessam extra metatur. Pugna gravis committitur inter eos, et mox ducti penitudine reconciliantur. Balduinus ad maiorem revertitur exercitum, Tancredus Ciliciam armis optinet universam; finitimi principes Turcorum oblatis muneribus ei se conciliare festinant. Will. Tyr. III, 20. III, 21. III, 22. III, 24. III, 25.

Baldricus: Aliis optimatibus reddita est civitas Alphia in Armenia quam petiit — Deinde ventum est ad Coxam, sive Chorsos, nobilem et copiosam civitatem — que est Sirie metropolis. Helin. 165b.

Sigebertus: Et cum essent — nummis venderetur.

Episcopus Otto: Tanta usi sunt — plurimum[a] humiliantur. O. Fr. VII, 2.

Guido: Balduinus interea frater ducis Godefridi apud Edissam a Siriis christianis possidentibus eam, sub dominatione tamen Turcorum, cum honore et letitia recipitur[b] et efficitur[c] dominator eiusdem. In hac regnavit Abgarus secundum ecclesiastice historie librum, et pro inplendo eius desiderio fertur ei Dominus misisse epistolam et sui vultus inpressionem in panno. Huius urbis cives in ea, quam per Thadeum apostolum susceperant, sinceritate fidei perseverantes, quamvis Turcis subiecti tributa penderent, optinebant tamen absque cohabitatione infidelium civitatem. Will. Tyr. IV, 2.

Idem quoque Balduinus comes Samosatam et Sororgiam munitissimas subiugat civitates. Robertus Flandrensis comes Artesiam capit civitatem, et nepos eius ex amita, dux Normannorum[d] Robertus, fugatis Turcis occupat super fluvium Orrontem[e] lapideum pontem. IV, 4–7. IV, 8.

De obsidione Antiochie[f] Robertus: Primus Antiochiam obsedit Boemundus 13.[g] Kalendas Novembris, 4. feria a tribus portis; ceteri venientes de quadam civitate, que dicta est Marasim, sequenti die obsederunt. Helin. 165b. Robert. 44.

Guilelmus: Fluvius Farnus 12. ab urbe miliario pelago influens — illibate manserunt. Helin. 165b.

Baldricus: Infra civitatem Antiochiam — a quo denominata est. Helin. 167a.

Guido: In hac urbe primus conventus fidelium est habitus et christianorum nomen dedicatum. Montem habet ab austro dictum Orrontem[e], sicut et fluvium. Mons iste iuxta Sollinum[h] Cassius appellatur, cuius e vertice circa quartam noctis vigiliam globus solis et[f] illinc nox et illinc dies conspici potest. Dominatum tam egregie civitatis potentissimus Persarum ille[i] soldanus, de quo prediximus, qui tot provincias suo subiugaverat imperio, Belphetot, cuidam suorum dederat Anxiano[k] sive Cassiano, sicut et Solimanno nepoti suo Niceam, Dudac vero principi Damascum, alteri quoque Halafiam, qui dictus est Asungur[l]. Hic est pater Sanguini, patris Noradini. Nam ab Egipto usque ad Laodiciam Sirie regiones alias Egipticus Califas possidebat. Will. Tyr. IV, 9. IV, 10. IV, 11.

Robertus: Erant autem in civitate Armenii — nocuit christianis. Helin. 165b.

Guido: Uno miliario ab urbe in pascuis late virentibus nostri castra locaverunt. Obsessa vero civitate pontem nostri erigunt ligneum, distantem aliquantulum a ponte lapideo civitatis, ut hos arceant et liberius exeant pabulatum. Porta vero civitatis, per quam nocturne fiebant irruptiones et ab hostibus nonnunquam assultus, obiectis molibus obturantur. Will. Tyr. IV, 8. IV, 14.

Auctor: Dum quidam de nostris irent pabulatum inter Antiochiam et Hared[m] capti sunt ex eis 12 nobilissimi ab illis de Hareth[m] et in Perside transmissi, quorum fuit unus[n] Arpinus comes Bituricensis et unus Richardus de Caluomonte[62*], qui postea fecit duellum in presentia Soldani Persidis contra duos Turcos pro Corbaranno et ita seipsum et socios suos liberavit. Predictus autem comes Arpinus in reditu Rome obiit. Idem comes Arpinus cruce signatus comitatum suum vendiderat et ex tunc reges Francie tenent immediate civitatem Bituricas et castrum de Duno[63].

Robertus: Boemundus et comes Flandrensis abierunt cum 30 milibus in terram Sarracenorum, et obviantes Turcis qui venerant ab Ierusalem et Damasco et Haleph, ibi[o] multum lucrati sunt. In quo spatio Podiensis episcopus ab illis de civitate[p] suum perdidit dapiferum. Robert. 46. ibid. 47.

Anno 1098. Post natale Domini supervenit tempus famis.

Unde Sigebertus: Obsessa vero Antiochia — invenirentur. Sigeb. 1098.

Baldricus: Ibi in castris tanta fames facta est, quod Aselli onus[q] de frumento vendebatur octo puratis, qui valent denariorum 120 solidos, nux vendebatur denario uno[r] et ovum 12 denariis. Helin. 165b. ibid. 166b.

Guilelmus Carpentarius[s] et Petrus heremita latenter aufugerunt, quos inventos Tancredus apprehendit et inhoneste conviciatos et coactos redire conpulit. Guilelmus iste fuit vicecomes Meleduni consanguineus Hugonis Magni. Conpulsus est ergo iurare coram principibus, quod non recederet, et tamen post iuramentum clanculo recessit. ibid. 165b. Robert. 48.

Guido[t]: Exercitus et pluviis et fame laborat et peste. Tatinus Grecus princeps qui et Tetigus tanquam victualium commercia missurus et[u] imperatorem rogaturus ut subveniat[v], discedit ab exercitu, non rediturus, relinquens aliis periculosum exemplum. Will. Tyr. IV, 21.

Conpescitur hostilium importunitas exploratorum assatis quibusdam Turcis et quasi ad opus cene diligentius preparatis. IV, 23.

Robertus: Quintum bellum christianorum factum est ante Antiochiam Idibus Februarii, 3. feria ante caput ieiunii, in qua multi Turci occisi sunt — Centum capita peremptorum missa sunt legatis admirabilis Babylonii. Et Helin. 165b. 166a.

a) plurium 1. b) suscipitur 2. c) efficiatur 2. d) Normannie 2. e) Orontem 2. f) *deest* 1. g) decimo nono 2. h) Solinum 1. i) ille Persarum 2. k) Axiano 2. l) Asimgor 2. m) Harech 2. n) unus fuit 2. o) ubi 2. p) ab — civitate *desunt* 2. q) Asellionus 1. 2. r) *deest* 2. s) sic agnominatus propter ictus quos dabat cum ense, *quum in* 2 *et Alberici fonte desint, a scriptore cod.* 1. *addita esse elucet.* t) *deest* 1. u) ad 2. v) ut subveniat rogat. 2.

62*) Chaumont-en-Bassingy. 63) Dun-le-roi, départ. Cher, arrond. Saint-Amand.

occupatum est a nostris castrum Hareth, id est civitas Harenc, ubi Abana et Farfar fluvii Damasci simul conveniunt.

Will. Tyr. V, 2. **Guido**: Factum est divinitus, ut multis Turcorum milibus clam venientibus et super nostros occupatos circa civitatis assultum irruentibus ex improviso, ut nostri principes, qui contra processerant vix cum militibus 700, viderentur occurrere cum milibus infinitis. Sed Turcis victis et in fugam versis et pene deletis, victores occupant V, 3. oppidum ipsorum Harenc et in victorie signum et ad doloris hostilis incrementum machinis iaculatoriis contorqueri faciunt in urbem capita 300 captorum.

Helin. 166a. **Robertus**: Postea Turci in alio bello — christianos.

Inde sequitur memorabile factum ducis Godefridi et militia singularis.

Will. Tyr. V, 5. Unde **Guido**: Post christianorum, in magna multitudine properantium ad castra, in portu maris fit strages maxima, Turcorum irruentibus in eos insidiis, sed egressis, ut opem ferrent illis pereuntibus, christianis principibus et V, 6. legionibus ordinatis, Turci versus pontem civitatis vertuntur[a] in fugam. Axianus princeps civitatis ad auxiliandum eis electam manum precipit extra portam occurrere bellatorum, quos ut fugiendi tollat occasionem, ab eis obserratis portis excludit: sed christianorum attriti viribus pecudum more ceduntur vel fugiendo conprimentes in fluvium devolvuntur, residui portis sero reclusis miserabiliter illabuntur. Ibi dux Godefridus singularis sue virtutis memorabile dat argumentum, dum ictu fulmineo per medium dividit[b] loricatum, cuius superior pars ad terram labitur, inferior equo cui supersedebat infertur. Cesis ad milia Turcis, 12 de maioribus eorum satrapis ibi[c] memorantur extincti. Fluvius pre magnitudine cedis sanguineus in mare descendit.

Helin. 166a. **Baldricus**: In hoc ergo sexto bello mortui sunt principes Turcorum duodecim, quos admiralios vocant, et mille quingenti milites fortissimi defensores civitatis. Christiani burdones quatuor cesorum capitibus onustos miserunt ad portum, ubi erant legati de Babylonia. Septem quoque milia Sarracenorum capti fuerunt. Armenianos et Surianos qui necessaria in civitatem habundanter deferebant, Tancredus cepit et omnia eis abstulit, facta est ergo fames in civitate.

Will. Tyr. V, 10. **Guido**: Nunciatur in castris christianorum, quod potentissimus soldanus Persarum eminentiorem inter principes suos et a se secundum ad christianos debellandos et ad[d] solvendam urbis obsidionem cum innumerabili suorum multitudine et Turcorum copiis dirigeret infinitis. Pro quo Carnotensium comes Stephanus non rediturus, simulata vero[e] valetudine, descendit ad mare.

Robert. 52. 53. **Robertus**: Sequitur luctuosa mors Walonis militis tempore trebarum, cuius uxor erat soror Everardi.

Sequitur qualiter civitas fuit reddita.

Helin. 166a. **Baldricus**: Erat in obsessa Antiochia quidam admiratus Turcorum nomine Pirrus, qui fedus amicitie per fideles internuntios cum Boemundo inierat, fama eius allectus. Hic Boemundo filium suum misit obsidem et reddidit ei tres turres quas tenebat, et hec fuit causa, qua postea capta fuit civitas.

Will. Tyr. V, 12 seqq. **Guido**: Boemundus in concilio pactum reserat secretum, quod super urbe[e] tradenda christianis contraxerat cum quodam potentiore ceteris urbis habitatoribus, qui fide media se obligaverat ei reddere civitatem, si optineret eam a principibus iure hereditario possidendam. Gavisi principes hoc ei, solo Tolosano resistente, concedunt. Boemundus amicum suum de promisso conplendo convenit. Ille consentit tanto libentius et promptius, quanto de violata coniuge sua gravius erat offensus et sollicitus de suspicione civium. De qua se prudenter reddiderat absolutum, ammonendo diligentiores urbi[f] custodias adhibendas et easdem crebro mutandas. Unde sollicitior factus fratrem, quia sentit eum a suo proposito dissentire, perimit et christianos per scalam[g] ascendentes in turrim propriam recipit. Boemundus dux cunctantibus ceteris prior ascendit, et adhuc videns reliquos dubitantes regrediens, dat eis securitatis certius argumentum. Unde post eum prior Robertus Flandrensium comes et Tancredus et post ipsos innumeri mox ascendunt intromissi. Cesis custodibus occupantur turres et menia, portas aperiunt, exercitus in urbem irruit, civitas expugnatur. Axianus qui et Cassianus extra urbem fugiens occiditur.

Helin. 166a. De quo **Baldricus**: Cassianus, inquit, domnus Turcorum — Boemundo detulerunt.

Robertus: Pars civium fuge subsidio liberatur, pars vero maxima gladiis ceditur et aut vinculis mancipatur. Facta est christianorum ista exultatio et letitia circa quintam diem mensis Iunii, siquidem per 8 menses et 15 dies civitas fuit obsessa[64].

Sigeb. 1098. **Sigebertus**: Et quamvis ex desperatione rerum multi se substraxerint — capta est a christianis Antiochia. Deinde versa vice christiani a paganis obsessi sunt in ea.

Baldricus et Robertus: Capta civitate per tres ebdomadas obsessi sunt christiani. Helin. 166a. 166b. Corbarannus sive Corbagath princeps eorum — superandus esset ab illis.

Will. Tyr. VI, 2. **Guido**: Corbagath magni soldani princeps urbem obsidione cingit ingenti. Trecenti de infinito Persarum exercitu, qui obsidionem Antiochie solvere properabant et magno principi Corbagath commissi erant, ignorantiam ex industria pretendentes, ante urbem discurrunt. A quibus Rogerus de Barnavilla, Normannorum ducis miles egregius, dum eorum properat in occursum more suo aliquid insigne gesturus, sagitta confossus interiit suis perpetuo vir lugendus.

VI, 6. Corbagath dux Persarum quosdam e nostris captivos, inopes et egenos[h] conpeditos cum armis suis ad domnum suum dirigit, mandans his verbis: *Ecce populi qui regna vestra sollicitant, ecce arma quibus ingenuitatem nostram subiugare se sperant.* Quod postea retorsit Deus in eius confusionem.

VI, 7. Infra urbem invalescente fame, vix ulla continet historia tot et tantos principes tantumque exercitum tantas alibi sine defectu molestias pertulisse.

VI, 8. Nostris pre inedia et labore fatigatis et remissius se habentibus, hostes unam pene de turribus occupant. Henricus VI, 9. de Ascha viriliter resistit et arcem optinet. Et hostibus interemptis turri descendentes ad mare, succensis ex parte

---

a) vertunt 1. b) dividit per medium 2. c) *deest* 2. d) *deest* 1. e) *deest* 2. f) urbis 2. g) scalas 2. h) famosos 1. 2.

[64] His Robertus nec verbis convenit, nec rebus, quippequi Antiochiam 4. Non. Iun. captam esse narret. Neque in aliis quos habemus auctoribus, ab Alberico descriptis, locus noster inveniri potest.

navibus et nautis nostrorum pluribus interfectis, reliquis versis in fugam et aliis deterritis, rerum venalium cessante commercio augent nostris periculum famis.

Sigebertus et episcopus Otto: Tanta fame — se abstinerent. Sigeb. 1098.

Baldricus: Panis paximacius — continuam tulerunt diebus circiter 23. Helin. 166ᵇ.

Metu Sarracenorum auffugebant quidam de exercitu christianorum funibus demissi — perpetuo obprobrio deinceps funerantur.

De pusillanimitate et obprobrio comitis Stephani. Fame ita prevalescente in civitate, Stephanus interim comes Blesensis — sic omnibus satisfecit.

Guido de eodem: Stephanus Carnotensis princeps Constantinopolitanum imperatorem paratum nostris subvenire pernitiosa fidelibus oratione deterret. Quam infamiam postea Deus magna misericordie sue gratia eidem Stephano proprii sanguinis pretio delere concessit. Will. Tyr. VI, 10 seqq. Cognito imperatoris recessu, hostes amplius instant et nostri desperant, obsequia negant. Boemundus urbem incendit, ut latentes eliciat. VI, 13.

De inventione lancee Domini: Petro cuidam religioso clerico revelata lancea per beatum principem apostolorum, qua latus Domini fuerat patefactum, in eiusdem apostoli reperitur ecclesia consonantibus ad hoc factis ad quosdam apparitionibus angelorum. Populus confortatur, et principes se obligant iuramento, quod indulta sibi victoria a Domino non separabuntur [a], nisi prius sepulchro Domini restituto pristine libertati. VI, 14.

Baldricus: Cuidam sacerdoti apparuit — decantent hoc responsorium: Congregati sunt inimici nostri [b] et cetera cum versu: Disperge illos et cetera. Cuidam etiam peregrino — in castra Sarracenorum nocte. Tredecim homines — lanceam Domini nimis alte infixam. Helin. 166ᵇ.

Sigebertus: Confortati sunt a Deo per inventam ipsius lanceam, a tempore apostolorum non visam. Sigeb. 1098.

Auctor: Hanc auctoritatem Sigeberti prefert domnus Elinandus opinioni Guilelmi [c] Anglici de lancea Domini a tempore apostolorum non visa. Habet autem quorundam relatio et domnus Radulfus [65] Clarevallensis michi retulit, quod cum lancea ista quoddam vasculum plumbeum fuit inventum, de quo non meminit hystoria. Et illud vasculum domnus Podiensis episcopus sibi appropriavit. Et erat in eodem vasculo sudarium Domini nostri Iesu Christi diligentissime locatum, non illud sudarium, quod est apud Conpendium, sed aliud. Utrum autem istud sudarium fuerit capitis aut corporis, non affirmo, quia plura fuerunt linteamina [d] circa corpus Iesu secundum ewangelium. Quodcumque autem horum istud sit, satis est reverendum ubicumque sit. Qualiter autem vasculum illud plumbeum cum sudario de manu in manum et [b] usque ad quamdam nostri ordinis abbatiam pervenerit, suo loco dicemus [66], ne hic aliud pro alio dicere videamur.

Sequitur Guido: De communi consilio principum mittitur Petrus heremita et quidam cum eo vir egregius Herlewinus ad Corbagath principem hostilis exercitus. Petrus intrepidus peragit legationem, cuius erat hic [e] tenor: *Ut in eiusdem principis esset optione utrum super civitatis dominio perpetuo possidendo singulariter cum uno nostrorum principum mallet gladii* [f] *subire iudicium an sub certo numero pugnaturi an concurrentibus ad invicem legionibus experiri.* Ille vero spreta eiusdem legatione dicitur respondisse: *Quod optiones* [g] *sibi proponere non deberent, quos pro eius arbitrio oporteret sumere vel deponere voluntatem, seque pro certo scirent, sanioribus ad vincula reservatis, ultore gladio feriendos.* Will. Tyr. VI, 15.

Petrus revertitur, bellum indicitur, et ordinatis aciebus urbem egrediuntur. VI, 16. 17.

Urbis custodia comiti Tolosano committitur. Duodecim acies hoc ordine disponuntur. Franci sub Hugone Magno fratre Philippi regis Francorum, videlicet comite Veromandensium, duce et signifero, in prima et nona et decima sunt acie constituti. Secundam educit aciem Flandrensium comes Robertus. Item Robertus dux [b] Normannorum tertiam. Quartam episcopus Podiensis Ademarus. Quintam, sextam et septimam magnificus Lotharingie dux Godefridus et frater eius. Octavam Tancredus. Undecimam Provinciales. Duodecimam dux illustris Apulie Boemundus. Comes Tolosanus custodie preficitur civitatis.

Baldricus: Dum autem christiani — et sanctus Mercurius [h]. Helin. 167ᵃ.

Auctor: Quid in hoc bello Godefridus et frater eius, quid Hugo Magnus, quid uterque Robertus, quid Boemundus et Tancredus fecerint, longum esset prosequi.

Sigebertus: Lancea Domini eos precedente — victoriam adepti sunt. Amodo et usque in sempiternum sit nomen Domini benedictum. Occisi ex paganis secundum Robertum 100000 equitum, peditum non fuit numerus. Sigeb. 1098.

Guido: Corbagat princeps hostium premissis suorum duobus milibus, exitum paraverat impedire nostrorum, quibus partim prostratis, partim adactis in fugam nostri violenter eruperunt. Will. Tyr. VI, 18.

Corbagath suas instruxit acies; pugnatur cominus, et Solimannus a tergo irruens aciem ducis Boemundi graviter premit. Subveniunt principes. Turci deficientes [i] ignem subiiciunt et ut fumi caligine nostros involvant. Vertitur tamen Solimannus cum suis in fugam et conpellitur [k] ad Corbagath recurrere stationem. VI, 20.

Christiani tandem auctore Christo victoriam potiti, Turcorum exercitum universum nostrorum sustinere constantiam non valentem prostratis ex eo milibus multis, fugam inire conpellunt [l]. VI, 21.

Baldricus: Victi ergo Turci — in civitatem reducte. Helin. 167ᵃ.

Robertus: Quindecim millia fuerunt ibi inventa camelorum et multa alia. De nostris non memoratur ibi [m] Robert. 65.

a) separabant 1. b) *deest* 2. c) Wilhelmi 2. d) lintheamina 2. e) hic erat 2. f) gladiis 2. g) optioni 2. h) et sanctus Mauritius *add.* 1*; desunt quum in* 2*, tum in Albrici fonte, Helin. chron.* i) deficientes Turci 2. k) repellitur 2. l) compelluntur 2. m) *deest* 2.

---

[65] Cf. ad hunc locum, coniectura restitutum, ea quae supra p. 637 n. 71 disserui. [66] Anno 1119.

Rob. 64. 65. occubuisse nisi Odo Belgenciacus et Gerardus senex de Milione. Ibi autem fit[a] mentio de Beniensi Guilelmo, de Evrardo de Puteolo, Pagano Belvacensi, Drogone, Thoma, Clarebaldo, qui erant cum Hugone et fortiter occurrerunt. Factum est — Petri et Pauli.

Will. Tyr. VI, 22. Guido: Consummato prelio christiani victores regrediuntur cum[b] spoliis infinitis et divitiis, referendo laudes et
VI,23 VII,1. gratias Christo victorie largitori. Conposita civitate reparant ecclesias et clerum ordinant studiose. Nuntii diriguntur ad Alexium Constantinopolitanum imperatorem, quatinus secundum pactorum, precedentium formam civitatem Antiochiam recipiat et in manu forti et in persona propria properet ad Ierusalem, a Turcorum dominio liberandam. Funguntur hac legatione nobilissimi principes Hugo Magnus et comes Haynacorum Balduinus, cuius nunc usque dubius est exitus[c], aliis dicentibus eum in acie cecidisse, aliis captum ab hostibus et in vinculis in orientis interiori deductum. Hugo vero Magnus clarissimis visus est derogasse gestorum suorum titulis, dum expleta legatione nec responsum ab imperatore hiis, qui eum miserant, significare nec redire curavit. Et[d] victoria consummata statim in Antiochia lues oritur. In qua moritur episcopus Podiensis Kalendis Augusti[67].

Sigeb. 1098. Sigebertus: Aliud fuit bellum — victi sunt.

Robert. 66. Robertus: Inde Raymundus Piletus subegit castrum de Calamannia, et comes sancti Egidii subegit sibi
Helin. 167a. Rugiam et Albariam[e] civitatem Sarracenorum non ignobilem, et in ea factus est novus episcopus.

Robert. 67. Auctor: Ad ea que inde dicta sunt quedam nova addenda sunt secundum episcopum
Otto Fris. VII, 2. 3. Ottonem. Dominus, inquit, afflictionem — manibus nostrorum tradidit. Circa idem tempus — in dolo promittunt. Quid sit Baldach. Est enim antique — prelatum fuisse invenimus.

VII, 4. Itaque prefati regis legatis — Sarracenos ibi locavit. Inter hec a christianis, capta[f] ut dictum est Antiochia post intolerabilem famem gratia Dei et misericordia lanceam sacram — Christi virtute fuderunt.

Sigeb. 1098. Sigebertus: Commissa[g] Antiochia duci Boemundo[h] christiani — profisciscuntur in Siriam, ubi Marram et Ubarram urbes Sarracenorum expugnaverunt.

Helin. 167a. Robertus: Postquam in Antiochia requieverunt christiani 5 mensibus et 9 diebus, ventum ad Marram civitatem
Robert. 69. opulentam quam ceperunt hora vespertina die sabbati 3. Idus Decembris, ubi Guilelmus de Monte Pislerio et Guilelmus
ibid. 70. de Daturra Lemovicensis dyocesis mirabiles innotuerunt. Facta est hec maceratio Turcorum 12. Decembris, die
Helin. 167a. dominica. Morati sunt in Marra Franci — episcopus Orientis.

ibid. Baldricus: Cum essent in Marra christiani mense Decembri, famem validam — comederent.

O.Fr.VIII,4. Episcopus Otto: In Siriam profecti — comederent.

Sigeb. 1098. Sigebertus etiam hoc testatur: Expugnatis multis regionum — compulsi sint.

Auctor: Que vero letitia tantam tristitiam secuta sit, sequentis anni narratio declarabit. Sed iam ad alia nova stilus vertendus est.

Auct. Mort. Mar. 1056. Hoc anno ordo Cisterciensis cepit hoc modo per quendam Robertum abbatem et quosdam alios monachos qui exierant a Molismo. Qui invenientes locum salinosum[68] cuiusdam horroris et vaste solitudinis resederunt et ipsum locum Cistertium vocaverunt. Venerabilis itaque Hugonis Lugdunensis ecclesie archiepiscopi, sedis apostolice tunc legati et religiosi viri[i] Walterii[k] Cabilonensis episcopi nec non et clarissimi principis Odonis Burgundie ducis freti consilio, auctoritate roborati, inventam heremum in[l] abbatiam construere ceperunt, 12. Kalendas Aprilis, videlicet in festo beati Benedicti, prefato abbate Roberto ab illius dyocesis episcopo, videlicet Cabilonense, suscipiente curam virgamque pastoralem, ceteris sub ipso in eodem loco firmantibus stabilitatem.

Sigeb. 1098. Sigebertus: Conradus Ultraiectensis — corrupte sunt.

Hel. 167a. b. Anno gratie[l] 1099. Raymundus comes inclitus, spreta contentione quam habebat cum Boemundo
Robert. 71. de Antiochia civitate, exivit[m] de Marra cum peregrinis hominibus nudis pedibus Idus Ianuarii, et post eum[n] dux Normannus et quidam principes alii.

Helin 167b. Rex Cesarie fecit pacem cum illis, post hec — castellum invenerunt vacuum hominibus, plenum frumento, vino et oleo, farina et hordeo, ubi purificationem beate Marie fecerunt. Ibi venerunt nuncii duorum regum ad eos, videlicet regis Camele et regis Tripolis, cuius dona refutaverunt.

Inde venerunt ad oppidum Arche iis Ierusalem octo mansionibus situm. Ibi 14 milites christiani — deinde Tortosa.

Robert. 73. Post hec rex Tripolis dedit eis 15 milia[o] Bisantiorum et 15 equos magni pretii, et reddidit eis trecentos peregrinos et mercatum eis prestitit[68*]. Ibi fecerunt pascha 4. Idus Aprilis. Hic obiit Anselinus de Ribodimonte qui multa bona fecerat, inter cetera Novo Monasterio Aquiscincti. Mortui etiam sunt Pontius Balonensis, Guilelmus Piccardus et Warinus de Petra Mora. Exierunt de Tripoli die 4. Maii ad castrum Bethelen[p]. Sequitur civitas Zebaris et flumen Braim. Ibi celebrata est ascensio Domini.

Helin. 167b. Post hec venerunt ad civitatem Baruth et inde ad Sidonem, id est Sagittam et inde ad Tyrum, id est Sur.

Sigeb. 1099. Sigebertus ita: Exercitus Dei — et indicto urbibus tributo Ierusalem tendebant, interim etiam multis — recurrentibus.

Helin. 167b. Sequitur Baldricus: De Sur venerunt ad Acram et inde[q] ad castellum Cayphas et iuxta Cesariam, ubi die pentocostes 4. Kalendas Iunii quieverunt. Et inde ventum est ad Ramulam, iuxta quam civitatulam[r] — eam obsederunt.

Guido per recapitulationem, ac deinde prosecutio: Nobilissima civitate Antiochia capta et reparata simul et patrata victoria memorabili, cesis, captis et fugatis Turcorum milibus infinitis, potitus auxilio Domini noster exercitus, multis etiam subactis tam civitatibus circumquaque, quam castris, cum ad sanctam appropinquasset[s] civitatem, nudis pro maxima parte vestigiis accedit[t] ad eam, et desideranter intuens loca venerabilia, pro quorum

---

a) *deest* 2. b) *deest* 1. c) exercitus 1. d) Sed 2. e) Albriam 1. f) *deest* 2. g) Commitissa 1. h) duci Boem. *desunt* 1. i) viri tunc 1. k) Gualterii 2. l) *deest* 1. m) *deest* 2. n) et post eum *desunt* 2. o) *deest* 1. p) Betholon 2. q) *deest* 1. r) civitatem 2. s) appropinquassent 2. t) pedibus accesserunt 2.

67) Diem Guido e Guil. Malm. §. 365 addidit. 68) *Locum salinosum* noster ex Helinandi chron. 166a addidit, Helinandus vero Guil. Malm. §. 335 depravavit, *salinosum* loco *saltuosum* ponens. 68*) Verba: *et reddit — prestitit* ex Helinandi chronico addita sunt.

amore et reverentia[a] tertio iam anno sustinebat[b] tot labores, tot pericula, lacrimis et suspiriis pre gaudio fusis, Dominum suppliciter deprecatur[c], ut mereatur[d] clausulam se tam longe peregrinationis invenisse felicem, et ordinata cingit[e] obsidione civitatem. Princeps Egiptius quanto poterat menibus, victualibus et virorum viribus munierat eam, quam eodem anno sue reddiderat potestati, per[f] annos 38 a Turcis sibi ablatam, quorum iam Deus in tantum potentiam humiliaverat et virtutem, ut in omni fere conflictu deteriorem Will. Tyr. VIII, 2. calculum reportarent. Est autem Ierusalem Iudee metropolis dicta prius Solima a rege suo Melchisedech, post Iebus a Iebusi, a Ieber et Salem tempore David Ierusalem, Ierosolima sub Salomone, sed a Tito imperatore Romano funditus eversa et ab Helio Adriano, qui fuit imperator quartus ab eo[g], denuo restituta, Helia est nuncupata, et eum a principio situs sui ad austrum vergeret, ab eodem imperatore tota translata est in montis verticem, ita ut Dominice passionis et resurrectionis locus nunc murorum eius ambitu sit conclusus. Vehementer VIII, 6. igitur a christiano exercitu civitas inpugnatur. Eriguntur diversa genera machinarum, quarum ictibus de muro[h] precipitantur exanimes venefice, que machinas easdem venerant fascinare. Pro celebrandis VIII, 11. ex more letaniis nudis pedibus in montem Oliveti in spiritu humilitatis et animo contrito populus christianus ascendit.

Sigebertus hunc locum ita retulit: Venientes Ierusalem peregrini christiani, ea obsessa cum Sigeb. 1099. laborarent pro victualibus et maxime — capta est Ierusalem.

Episcopus Otto: Cum nostri Ierusalem obsidione clausam capere non possent — attingeret equorum. Otto Fris. VII, 4.

Guido: Factum est hoc dato nostris victorie signo de monte Oliveti[i] per militem, qui nec ante visus Will. Tyr. VIII, 17. fuerat nec postea apparuit, qui refulgentem ventilando clipeum, fatigato et delabenti populo christiano signum dabat reiterandi conflictum. Plurimi sunt animati tam ex hoc indicio, quam cuiusdam servi Dei solatio, qui in monte Oliveti habitabat. Godefridus et sui a castello ligneo pontem super muros, de ponte suos immittunt[69]. VIII, 18. Primo ascendunt duo milites ducis, Letardus de Duris et Wikkerius, interfector leonis, et post eos prior ingreditur Godefridus dux; post eum Flandrensium comes Robertus, item Robertus[k] Normannorum dux et Tancredus. Urbs capitur, porta reseratur et introducitur exercitus christianus[70].

Venerabilis episcopus Podiensis, qui iam in Antiochia in Domino dormitionem acceperat, ipsa[l] die prior omnium VIII, 22. murum ascendisse visus est a multis et fide dignis hoc testantibus viris.

Auctor: Verbum mirabile interserendum hoc, quod idem episcopus Podiensis fertur illa die dixisse suis. Qui cum ei dicerent: *Domne, nonne vos estis qui anno preterito fuistis*[m] *mortuus?* respondit: *Non solum ego, sed et omnes cruce signati qui, ex quo iter arripuimus ab hospitiis nostris, in*[n] *itinere isto sunt mortui, hodie mecum pre gaudio surrexerunt et ad auxilium vestrum huc advenerunt.* Et hiis dictis evanuit.

Sequitur Guido: Dies illa celebris habenda[n] decernitur in eternum. Est igitur divinitus procreatum[o], ut qua VII, 24. 18. die primus homo conditus, qua hora de paradiso fuit expulsus, qua die et hora pro lapsu primi hominis et totius humani generis passus est Dominus, de hostibus eadem die fideli populo datus est triumphus. Dux cum suis per VIII, 19. civitatem discurrens, dant innumerabilem de hostibus stragem. Tolosanus ab australi parte legiones suas inducit. Civium pars se recipit in presidium civitatis, pars plurima civium in templi se confert atrium. Tancredus illuc eos per- VIII, 20. sequitur, ibidem sanguis hostium funditur infinitus.

Sigebertus: In templo Salomonis — genua equorum. Sigeb. 1099.

Auctor: Hic interseritur quedam miraculosa narratio tradita a maioribus de domno de Coci[71], qui ad sepulchrum Domini ante alios[p] omnes cucurrit, et de equo illius Morello nomine solo ante ianuam relicto.

Episcopus Otto: Et nota quod sancta que[q] a gentibus conculcata fuerant[r], a nostris obtinentur. Sicut enim Otto VII, 7. — sepulchrum a nostris possidetur.

Guilelmus: Mons Sion intra Ierusalem — ignis celestis, qui quotannis in vigilia pasche in lampadibus serenus Helin. 168a. refulget. Quere supra in anno Domini 970.

15. die Iulii, idus eiusdem capta est Ierusalem.

Sigebertus: Cum ordinatum esset — armis fugerunt. Sigeb 1099.

Episcopus Otto: Porro[q] Menphorum — obruti feruntur. Otto Fris. VII, 4.

Sigebertus: In hoc bello — numerus nescitur. Capta est autem Ierusalem post annos circiter 460 ex quo sub Sigeb. 1099. Eraclio imperatore secunda vice capta, possessa est a[s] Saracenis.

Auctor: Christianis tamen sub tributo manentibus in ea.

Sequitur de aliis huius anni contingentibus: Episcopus Leodiensis Obertus castrum de Mirevalt Aegid. Aur. II, 19. refirmavit et Bovonem de Wahart fecit castellanum eiusdem loci. Qui Bovo genuit Ingonem castellanum,

a) et reverentia *desunt* 2. b) sustinebant 2. c) deprecantur 2. d) mereantur 2. e) cingunt 2. f) *deest* 1. g) qui fuit quartus post eum ab eo 2. h) precipitantur de muro 2. i) de monte Oliveti victorie signo 2. k) item Robertus *desunt* 1. l) ipso 2. m) fuisti 2. n) *deest* 2. o) procuratum 2. p) omnes alios 2. q) *deest* 1. r) fuerant a gentibus conculcata 2. s) ab 2.

---

[69] Hic ut saepius capitum tantum inscriptiones Guido legit et narrationi suae verbis fere immutatis inseruit. [71] Couci, départ. Aisne, arrond. Laon.

patrem Theobaldi, Iulianum de Esmevulla, Bovonem canonicum sancti Lamberti, Iohannem abbatem sancti Huberti et decanum Symonem Metensem et Leodiensem.

Nata est in Alemannia quedam virgo mirabilis, que dicta est sancta Hildegardis, de cuius libris et prophetia mirabili quedam Deo dante intendimus declarare[72].

Obiit Anselmus de Ribodimonte[73], cuius filia Agnes Gossuino peperit[a] Galterum de Avennis[74], qui de Ida genuit Nicolaum, Yvonem, Fastradum et episcopum Everardum Tornacensem[b]. Nicolaus de Mathilde genuit Iacobum. Yvo genuit Petronillam de Cison[75], cuius filia Ysabella de Nigella[c. 76].

Helin. 168b. Guilelmus: Hoc anno qui fuit Guilelmi regis Anglie 12. annus, fluvius marinus — hominibus mersit.

Sigeb. 1099. Sigebertus: Colonie post Hermannum Fredericus ordinatur archiepiscopus — 33 annis prefuit[77]. Sanctus Wibertus — clarescit miraculis.

Will. Tyr. VIII, 21. Civitate[d] Ierusalem sue libertati deletis invasoribus restituta[78], sedato tumultu, armis depositis, loca venerabilia circumeunt nostri orationis gratia, diem agentes solempnem. Sic inimicis vere fidei triumphatis et fugatis a civitate sancta Ierusalem infidelibus et ab eius territorio profligatis, post tot inmensos labores emensos, christianus exercitus[e], devota Deo militia, metam
IX, 1. a Deo optinuit tam gravis et tam[f] longe peregrinationis optatam. Octava vero die post urbem
IX, 2. captam principes conveniunt, ut urbi sancte et terre promissionis regem preficiant. Clerus indiscretus nititur contraire. Principes, ut in electione procedant secundum merita personarum, a familiaribus unius cuiusque magnorum principum[f] prestito iureiurando[g] de moribus inquirunt et conversatione domnorum. Inter quos ducis Godefridi familiares interrogati respondent: quod in omnibus actibus eius[h] domesticis suis[i] magis videbatur absonum, quod ab ecclesia etiam post sacra misteria vix poterat separari, detentus desiderio contemplandi sacras ymagines, et de ipsis rationem a peritioribus agnoscendi. Quod audientes qui eligendi gerebant officium, beatum dixerunt virum, cui[k] hec sunt et cui inter defectus reputatur hoc solum quod alius sibi adscriberet ad virtutem[79]. Unde principes neglecta cleri contradictione ducem in regem eligunt et electum cum ymnis et canticis sepulchro Domini representant.

Sigeb. 1099. Sigebertus: Duce Godefrido — principes repatriant.

O. Fr. VII, 5. Episcopus Otto: Reversis ad propria primoribus — multis modis reformavit.

W. Tyr. IX, 2. Guido: Per idem tempus pars dominice crucis ibi reperitur.

Helin. 168b. Elinandus: Partem ligni dominici — custoditam reddidit.

Guilemus et Baldricus: Dux Godefridus in regem electus filius fuit comitis Eustachii Boloniensis — habuit fratrem Godefridum gybbosum cuius fuit uxor Mathildis marchisia. Godefridus autem[i] Ide filius — bestiam evisceravit.

Will. Tyr. IX, 4. Idem Guido de moribus et origine et actibus gloriosi ducis Godefridi: Fuit autem domnus[l] Godefridus dux religiosus vir et in omni vita sua commendabilis et Deo placens, virtute vero et exercitio militari omnium iudicio singularis, ab utroque parente de antiqua Karoli Magni linea trahens originem,
Cf. Will. Tyr. IX, 5. et cui vere plurimus inerat Karolus tam sanguine quam mente. Pater eius dictus est Eustachius comes magnificus Bolonie civitatis, que posita est super mare, quod a Francia noscitur Angliam separare. Mater eius Ida nomine, nobilissima ducissa provincie, que nunc Lotharii regnum seu Lothariana[m] vocatur, filia Godefridi, eiusdem patrie ducis antiqui, fratrem habuit similiter ducem et nomine Godefridum[n], cognomento Gibbosum. Cui successit defuncto sine liberis in ducatum frater eius, scilicet Balduinus, primo comes Edissanus et post eum regni successor. Tertius frater Eustachius Boloniensis comes. Horum maiori, Godefrido[o] scilicet, antequam peregrinationis iter arriperet et electus esset in
IX, 6. 7. regem, inter[i] cetera que more suo gessit eximie, hoc etiam dignum memoria dicitur accidisse. In singulari quodam certamine quod invitus subiit, sed salva opinionis integritate aliter declinare non potuit, dum vibrato in adversarii clipeum[p] ictu, gladius eius esset per medium fractus, impetratam propter hoc ab amicis suis conpositionem indignans repulit, et capulo quod tenebat caput adversarii solita magnanimitate et virtute percutiens, ab eo prostrato gladium tulit, et ad quas
IX, 8. voluit conditiones, eum adduxit. Nec inferioris glorie fuit fere sub eodem tempore hoc eius aliud factum, frequenti memorie commendatum, quod scilicet contra imperatorem Henricum rebellantium Saxonum pseudoregem Rodulfum, imperatoris eiusdem vexillo, ad quod gestandum fuerat pre ceteris electus, in medio congresso transforatis vitalibus, exanimem proiecit ad terram. Hoc etiam ceteris insignibus suis gestis adiecit, quod castrum suum dictum Bullione, quod caput erat sui ducatus, cum iam haberet peregrinandi propositum, in perpetuam elemosinam beato Lamberto et ecclesie Leodiensi concessit habendum.

Auctor: Hoc ita factum est per industriam episcopi Otberti Leodiensis, quod ipse dux castrum illud et vendidit et super altare optulit, et quia cruce signatus indigebat pecunia, ipsa pecunia[q] posita fuit super altare, videlicet quantum maius[r] altare tenere potuit ad

a) peperit Gosuino 2. b) Tornacenensem 2. c) Nisella 2. d) Civitati 1. e) et *add.* 2. f) *deest* 1. g) iuramento 2. h) suis 2. i) *deest* 2. k) cuius 1. l) idem 2. m) Lotharia 2. n) habuit sili't' ducem Godefridum nomine 2. o) maior Godefridus 1. 2. p) clipeo 2. q) ipsa pecunia *desunt* 1. r) magis altare 1; altare maius 2.

[72] Cf. ad annos 1141. 1153. 1155. 1170.
[73] Ribemont, départem. Aisne, arrondissem. Saint-Quentin.
[74] Avesnes, départ. Nord.
[75] Utrum Sissonne, départ. Aisne, arrond. Laon an Cysoing, départ. Nord, arrond. Lille?
[76] Nesle, départ. Somme, arrond. Péronne.
[77] Catal. aep. Colon.
[78] Cf. Will. Tyr. VIII, 24.
[79] Haec ex ipso capite 2 desumpta; quae sequuntur, capiti inscripta sunt.

cumulum de denariis argenteis, id est mille et[a] 50[80] marcas. Et quando dux castrum suum detulit, denarios recepit. Tamen ne videretur[b] suos posteros exhereditare, tres heredes sibi proximiores prescripsit[c] hoc modo: Quod si possent in vita sua castrum redimere, illud rehaberent, videlicet alter, quicumque tamen illorum alteri iure hereditario succederet, et si hoc modo non esset redemptum tribus illis heredibus mortuis, in perpetuum beato Lamberto castrum[d] remaneret.

Episcopus Otto: Verum etiam Urbanus papa a concilio — libere urbe tota est potitus. O. Fr. VII, 6.

Anno 1100. Urbanus papa moritur. Hugo S. Vict.

Sigebertus: Guibertus et Urbanus de papatu Romano contendentes, moriendo uterque finem faciunt sue contentionis. Sigeb. 1100.

Auctor: Indiscrete loquitur et confuse. Guibertus mortuus est scismaticus, et ut dicit episcopus Otto: horribili scismati, tanquam densissimis Egipti tenebris, moriendo finem imposuit. Dico autem quod Urbanus mortuus est ut catholicus et in multis laudandus, cui tantum honorem contulerit Dominus, ut in eius diebus recuperaretur Antiochia cum ipsa Ierosolima et fierent omnia illa que supra memoravimus. Otto Fris. VII, 7.

Auctor Albricus[e]: Insuper et[f] de principio nostri ordinis[g] Cisterciensis idem Urbanus[h] memoriale in[i] perpetuum semper habebit.

Sigebertus: Raynerus qui et Paschalis ei succedit, Romane ecclesie — 150. presidet. Sigeb. 1001.

Magister Hugo: Sedit annis 18, mensibus 5, diebus 7. Hugo S. Vict.

Guido: Rex Godefridus regnum Ierosolimorum adeptus, pia et pura[k] liberalitate erga ecclesias que sunt Ierosolimis habundavit[l]. Et humilitatis intuitu[m] et pro reverentia eius, qui spineam ibi coronam pro mundi salute portaverat, regio dyademate noluit insigniri. Primus etiam secundum Gallicane morem[n] ecclesie in ecclesia[o] sepulchri Domini[p] et templo[q] Domini canonicos instituit regulares et monachos in Valle[r] Iosaphat in[s] ecclesia Dei genitricis et virginis Marie. Will. Tyr. IX, 9.

Idem rex Godefridus dum esset in quadam expeditione, Turcis quibusdam ei munera[t] deferentibus, nimium plus explorandi, quam honorandi gratia, et mirari se dicentibus, quod tam honoratus, nominatus et[u] formidatus princeps absque tapetibus vel olosericis[v] et honore satellitum[w] armatorum super saccum plenum stramine dignaretur tanquam inglorius sedere; fertur laudabiliter et Deo amabiliter respondisse: quod scilicet homini mortali debeat esse terra sufficiens, cui domicilium est perpetuum prestatura post mortem. Quod illi audientes, admirantes redeunt et dicentes, quod[x] vere hic est qui regiones universas debebat[y] subiugare et de iure et merito populis et nationibus principari. IX, 20.

Rex autem Godefridus dum victor de partibus Arabie cum[z] ingenti preda gregum et armentorum et mancipiis revertitur infinitis, quidam Arabie princeps cupidus eum videndi, inpetrata licentia venit ad eum et inplorata confidentia rogat, ut virtutem eius possit[*] agnoscere et de ipsa etiam[a] aliis testimonium perhibere, quatinus dignaretur hoc in percussione maximi[b] suorum camelorum[c] per gladii officium exhibere. Quo iocose concesso, sed plusquam viriliter adimpleto[d], cum Arabs id adscribere videretur hoc multum ensis acumini, subridens rex, postulato principis eiusdem gladio et accepto, alterius cameli sibi presentati uno caput ictu et sine dificultate cum dubitatione principis amputavit. Qui quidem quod[e] de virtute regis audierat verum esse cognoscens et vehementer admirans, datis[f] regi muneribus pretiosis, et eius sibi conciliata gratia, mox ad propria, rex vero Ierusalem est reversus. IX. 22.

Tancredus autem vir inclitus Tyberiadensis civitatis, que sita est super lacum Genezar et universe Galilee comitatus, sed et urbis Cayphe maritime munificentia[81] dominus est effectus. Dux vero Normannorum, et comes Flandrensis[g] repatriant. IX, 13.

Sigebertus: Robertus comes Flandrie — remanentibus. A. Afn. 1101.

Elinandus: Iste comes Flandrensis a Ierosolimis repatrians — Aquiscincti transmisit. Helin. 1101.

Guido: Dux vero Tolosanus ab imperatore Constantinopolitano cum honore magno susceptus, cum donis ingentibus et ampla munificentia, ad uxorem et propriam familiam in Siriam reversus sive remissus. Will. Tyr. IX, 13.

Guilelmus Anglicus de eodem: Raymundus comes Tolosanus fuit filius Guilelmi antiquissimi Tolose comitis, cuius uxor Alymodis multinuba nupsit Arelatensi comiti, mox huic Guilelmo, cui cum duos peperisset[h] filios, Guilelmum et hunc Raymundum, Barcinonensem comitem post hoc elegit[i]. Guilelmus iste senior moriens Guilelmo filio suo dedit comitatum Tolosanum, Raymundo Carducensem. Cui idem Raymundus postea adiecit virtutibns suis, Arelatensem et Narbonensem et Provincialem[k] et Lemonicensem; Tolosam quoque a germano suo postea emit. Qui Raymundus filium habuit notum nomine Bertramnum, quem heredem sibi constituit, et ei neptem Mathildis marchise coniunxit[82]; et ipse in ultima etate sua uxorem duxit filiam regis Terraconensis. Helin. 164[a].

Pontius et Raymundus erant Bertramni filii ex Longobarda, Guilelmus vero Raymundi filius ex Hispana[l], Pontius comes Tolose, Guilelmus comes Tripolis. G. Malm. 388.

Sigebertus: Godefridus dux — ei succedit. Sigeb. 1106.

Guido: Eodem mense et anno, quo regnare ceperat, idem regni Ierosolimorum egregius moderator, Will. Tyr. IX, 22.

---

[a] mille et 300 tamen in gestis pontificum cum Leodiensium 50. 1. [b] videret 1. [c] scripsit 2. [d] castrum beato Lamberto 2. [e] Auctor Albricus *desunt* 2. [f] *deest* 1. [g] Cyster. ordinis 2. [i] *deest* 1. [h] *deest* 2. [k] plura 2. [l] habundant 1. [m] intime 2. [n] morem Gallicane 2. [o] ecclesiis 1. [p] dominice 1. [q] templum 1. 2. [r] Vallis 1. [s] *deest* 1. [t] *deest* 1. 2. [u] *deest* 2. [v] olosertis 1. [w] scatellitum 2. [x] quia 2. [y] debet 2. [z] *deest* 1. [*] posset 2. [a] *deest* 1. [b] maxime 2. [c] camelorum maxime suorum 2. [d] completo 2. [e] *deest* 1. 2. [f] *deest* 2. [g] Flandrensium 2. [h] peperit 2. [i] post — elegit *desunt* 2. [k] et Provincialem *desunt* 2. [l] Hispania 1.

[80] Aegid. Aureavall. III, 13 episcopum 1300 *argenti purissimi et* 3 *auri marcis* castellum Bullonicum emisse, chron. s. Huberti c. 83 Otbertum duci 1500 *auri libras condixisse* narrat.

[81] Godefridi scilicet.

[82] *et ei — coniunxit* e Guil. Malm. §. 388 addidit.

post tot labores pro Christo susceptos et sibi titulos triumphales, ad celeste regnum superna vocatione facit transitum de terreno; sepultus autem[a] est in ecclesia dominici sepulchri sub ipso Calvarie loco, ubi passus est Dominus, et successoribus eius usque in presentem diem sepulture deputatus est locus.

Helin. 1100. Guilelmus: Fertur otii desuetudine[b] antiquam febrem quartanam revocasse. Interrogatus de successore — capellanus eiusdem.

Sigeb. 1100. Sigebertus: Guilelmus rex — eius Henricus.

Helin. 1100. Guilelmus: Obiit rex Guilelmus Rufus 4. Nonas Augusti. Hoc autem anno qui fuit ultimus annus vite illius, diabolus — allocutus, et in villa Andeste — vadum inficeret.

Anselmus autem Cantuariensis archiepiscopus — et adiudicandum dampnationi.

G.Malm.333. De eodem: Idem rex pridie quam periret, vidit per quietem se flebothomi ictu sanguinem emittere, radiumque cruoris in celum usque protentum lucem[c] obnubilare. Ita, inclamata sancta Maria, sompno excussus, lumen inferri precepit et[d] horis antelucanis cubicularios a se discedere[e] vetuit. Sompnium[f] aliud vidit eadem nocte quidam religiosus transmarinus monachus: quod idem rex in quandam ecclesiam veniret[g] superbo et insolenti, ut solebat, vultu, circum- Helin. 1100. stantes despiciens, tunc crucifixum mordicus apprehendens, brachia illi corrosit, crura bene truncavit, crucifixum diu tolerasse, sed tandem pede regem ita propulisse, ut supinus caderet. Ex cuius iacentis ore tantam flammam exisse, ut G.Malm.333. sydera contingere videretur. Hoc sompnium[h] quidam a secretis eius non negligendum arbitratus, cum ei retulisset, ille cachinnos ingeminans: *Monachus*, inquit, *est, causa et nummorum monachaliter*[i] *sompniat, date ei centum solidos.* Multum tamen motus diu cunctatus est, an silvam, sicut contenderat, adiret, suadentibus amicis ne suo dispendio veritatem sompniorum experiretur; ita tamen quod ante cibum venatu abstinuit, seriis negotiis cruditatem indomite mentis eructans. Ferunt ea die largiter epulatum crebrioribus quam consueverat poculis frontem[k] serenasse. Mox igitur post cibum in saltum contendit paucis comitatus, quorum familiarissimus erat[l] Galterus cognomento Tiriaus, qui de Francia liberalitate regis adductus venerat, is ceteris per moram venationis quo quemque[m] casus detulerat[n] dispersis, solus cum eo remanserat. Itaque Phebo in oceanum proclivi rex cervum ante se transeuntem extento[o] nervo et emissa sagitta percussit et adhuc fugitantem opposita contra violentiam solarium radiorum manu persecutus est. Tunc Galterus rege alias interim intento, alterum cervum qui forte prope transibat prosternere cupiens, regium lethali traiecit harundine pectus; saucius ille nullum verbum emisit, sed ligno sagitte quantum corpus extabat effracto, moxque supra[p] vulnus cadens mortem acceleravit. Accurrit Galtherus, sed quia nec sensum nec vocem hausit[q], perniciter equum insiliens, probe evasit. Corpus regis in reda cabellaria Wintoniam in episcopatum devehitur et terre traditur, infra ambitum turris, multorum procerum comitatu, Will. Tyr. IX, 13. paucorum planctu. At Normannorum dux, cum regnum Anglie, quod ei mortuo fratre Guilelmo conpetebat[r], ab Henrico minore fratre fraude reperisset invasum, cum eo dimicans ab eo captus est et perpetue custodie mancipatus[83].

Hugo[s] et Guido secundum dicta Guilelmi.

Helin. 1100. Item Guilelmus et Elinandus: Robertus Normannus genus — tulit filium Guilelmum. Postremo idem Robertus — in vinculis positus est.

ibid. Rex autem Guilelmus qui eo modo, ut prediximus, hoc anno fuit mortuus nullum suo tempore conventum ecclesiasticum fieri permisit, et 3 episcopatus et 12 abbatias in manu sua tenebat. Cui successit in regno frater suus[t] Henricus. Huius Henrici uxor dicta est regina Mathildis, et per eam ad genus antiquorum regum Anglie revertitur regnum. Filia fuit sancte Margarete de Scotia de qua superius mentio incidit in anno 1017. Ibi dicitur quod fuerit[u] quidam frater[v] sancti regis[w] Edwardi, non tamen uterinus, sed ex patre, nomine Edwinus, cuius filius Edwardus privatus duxit Agatham regine Hunorum sororem et genuit cum aliis Margaretham istam, que nomen sanctitatis optinuit. Hec autem regina Scotorum Malcolino peperit tres filios reges Edgarum, Alexandrum et David, patrem Henrici, et duas sorores eorum, Mathildem predictam Anglorum reginam et Mariam, quam habuit comes Bolonie[x] frater ducis Godefridi Eustacius.

Obiit Philippus Cathalaunensis episcopus, cui Hugo succedit.

G.Trev. c.33. Treveri Bruno erat archiepiscopus.

Ierosolimis post Arnulphum primum patriarcham Latinum, Dainbertus archipresul Pisanus factus est patriarcha[y], post quem Guilelmus Arelatensis[z] archiepiscopus.

V.s.Edwardi n. 41. Anno 1101. Translatio corporis sancti regis[*] Edwardi celebratur in Anglia anno post eius obitum 36.

Will. Tyr. X, 5. 6. Guido: Ierosolimis Balduinus comes Edessanus frater regis Godefridi nuper defuncti, dum ad regnum properat optinendum, potitus triumpho celebri, cum honore et letitia est receptus.

Helin. 1101. 169b. Guilelmus: Coronatus Ierusalem[a] est apud Bethleem a Dainberto patriarcha die Natalis Domini. Vix tunc erant — bisanceos absconderant.

Will. Tyr. X, 14. 15. 16. Guido ita: Balduinus rex capta prius Antipatrida civitate, que nunc dicitur Assur, Cesaream ei vicinam obsidet, que prius Turris Stratonis dicebatur. Civitate violenter effracta, cives in quoddam oratorium suum confugiunt; ibi[b] tanta fuit strages eorum, quod columpnarum bases sanguis tingeret occisorum. Ubi participes illius victorie Ianuenses, vas viridissimi coloris repertum, et in modum paraxidis formatum pro multa summa pecunie recipientes in sortem pro excellenti obtulerunt ornatu ecclesie sue.

---

a) est autem 2. b) de consuetudine 1. c) *deest* 1. 2; *ex Guil. Malm. adieci.* d) precepitque 1. 2. e) discere 1. f) sompnum 1. g) venerit 2. h) sompnum 1. 2. i) monachiliter 2. k) fontem 1. 2. l) fuit 2. m) quamque 1. n) tulerat 1. o) extenso 1. p) super 2. q) sensit 2. r) competebat et 1. 2. s) Hugoque 1. t) eius 2. u) fuit 2. v) *deest* 1. w) *deest* 2. x) Bononie 2. y) factus est patriarcha *desunt* 2. z) Arelatatensis 1. *) Edwardi regis 2. a) *deest* 2. b) ubi 2.

[83] Haec quia e Will. Tyr. descripta sunt non Albrici qui Willelmi opus, ipsi ignotum, usibus suis aptare nequivit sed Guidonis esse elucet.

Guilelmus: Subiecit idem rex postea Sydonem et alias urbes maritimas. Helin. 1101.

Guido: Tancredus veteris memor iniurie quam passus fuerat ab eodem rege, nolens ei vinculo fidelitatis alligari, Tyberiadem et Caypham civitates suas ei resignat, quarum rex Tyberiadem Hugoni cuidam Flandrensi nobili et armis strenuo dedit. Will. Tyr. X, 10.

Cono comes de Monte acuto[84] et Lambertus filius suus comes de Claromonte[85] Leodiensis dyocesis cum aliis etiam viris nobilibus et ignobilibus, inter quos et venerabilis sacerdos Petrus[a] heremita, primus huius sancte peregrinationis predicator et auctor, cum quibusdam burgensibus Hoyensibus revertuntur ad natale solum; et cum essent in mari in maximo[b] periculo positi, ita ut de sua salute fere omnes desperarent, communi assensu parique voto ac[c] humili prece voverunt Deo, et Domino nostro Iesu Christo construere ecclesiam, si eos Dominus liberaverit ab hiis inminentibus periculis. Statimque voto completo sequitur tanta maris tranquillitas, aeris serenitas, ut celum posset comparari saphiro purissimo. Cumque ad Galliam Belgicam[d] predicti peregrini Dei devenissent, volentes suo voto satisfacere, Petrum exhortantes ac plurima munera largientes, quatenus Deo adimpleat quod promiserunt, qui zelo Dei accinctus, instinctu predictorum hominum veniens ad orientalem plagam ipsius oppidi, in loco ubi choreas soliti erant burgenses ducere, fundavit ecclesiam in honore sancti sepulchri Domini et beati Iohannis Baptiste, ob venerationem et recordationem ecclesie Ierosolimitane, que ecclesia in honore predictorum patronorum dicitur esse fundata.

Sigebertus: Conradus filius — in Italia moritur[e]. Sigeb. 1101.

Episcopus Otto: Conrardus filius imperatoris Henrici christianissimus — honorifice sepultus. O. Fr. VII, 7.

Sigebertus: Henricus imperator Henricum Lemburgensem — ad deditionem coegit; sed imperator ei — ducatum Lotharingie donat. Iste Henricus Lemburgensis filius fuit illius Guallerani, de quo supra 1064. Sigeb. 1101.

Anno 1102. Sigebertus: Roberto Flandrensium — redire compellitur. ibid. 1102.

Baldricus: Dum Boemundus Antiochie — et detentus est. Helin. 1102.

Unde Guido: Boemundus princeps urbem Melitanam conditionibus interpositis a quodam Gabriele Armeniorum satrapa recepturus, ante predictam urbem ab irruentibus Turcorum infidiis capitur. Civitas Balduino comiti[f] redditur Edessano. Tancredus ab Antiochenis accitus fit principatus administrator, tanquam nepos ex sorore, pro principe Boemundo. Will. Tyr. IX, 21. X, 10.

Expeditio: Guilelmus interea Pictaviensium comes et Aquitanie dux, Hugo Magnus, Stephanus Carnotensis et Stephanus princeps magnus de Burgundia, cum multis aliis nobilissimis viris, et peditum ingentibus turmis Ierosolimitanum iter arripiunt. X, 12.

Episcopus Otto: Cum predictis Themo Iuvaniensis archiepiscopus — Greciam pergunt. O. Fr. VII, 7.

Baldricus: His associatus est apud Constantinopolim Raymundus, qui Romanie fines ingressi sunt, et per terram meantes, urbes et castra subigendo, Ierosolimam tendebant. Helin. 1103.

Episcopus Otto: Quos Alexius — presentatis. O. Fr. VII, 7.

Guido: Imperator Alexius per Turcos eis molitur insidias, a quibus plusquam 50000 pereunt, ex peregrinis residui Tarsum Cilicie pervenerunt. Will. Tyr. X, 13.

Baldricus: Solimannus admiratus, cui per primos peregrinos[g] et duces itineris Nicea sublata fuerat, istis obstitit peregrinis, et cum innumera manu — compedibus mancipati. Helin. 1103.

Episcopus Otto: Quam hystoriam — ut tradunt, angariabatur. O. Fr. VII, 7.

Anno 1103. Sigebertus: Henricus imperator — constituit. Sigeb 1103.

Episcopus Otto: Imperator[h] Henricus nativitatem Domini — ad idem accendit. O. Fr. VII, 7.

Sigebertus: Eodem anno Legie — recipitur. Sigeb. 1103.

Boemundus in Gallias veniens uxorem duxit Constantiam filiam regis Francorum. Hanc Constantiam duxerat comes Hugo Trecensis sive Campaniensis in uxorem, sed causa parentele factum fuit[i] inter eos divortium, secundum[k] quod in quadam Yvonis epistola ad archiepiscopum Hugonem Lugdunensem[86] est expressum. Cum episcopus Yvo rogasset per epistolam, ut archiepiscopo Hugoni Lugdunensi vel alteri ydoneo committeretur iterum per Franciam legatio[87], missus est legatus domnus Richardus Albanensis episcopus, qui primo tenuit concilium apud Belgenciacum[88] Aurelianensis dyocesis[89], deinde Trecis de absolutione regis Philippi[90], iam fere per decennium propter Bertradam excommunicati. Helin. 1103.

Gualo Belvacensis episcopus translatus est ad episcopatum Parisiensem, et quidam Gaufridus factus est Belvacensis episcopus.

---

a) Iohannes 2, *a manu posteriore deletum, et in margine scriptum est:* Petrus. b) magno 2. c) *deest* 2. d) bellicam 1. e) Sigebertus — moritur *desunt* 2. f) redditur comiti 2. g) duces et peregrinos 2. h) Henricus imp. 2. i) fuerat 2. k) sed 1.

[84] Montaigu, prov. Brabant, arrond. Löwen. [85] Clermont, prov. Lüttich, arrond. Verviers. [86] Ep. 158. ed. Iureto p. 274. [87] Ep. 109 ibid. p. 207. [88] Beaugeney, départ. Loiret, arrond. Orleans. [89] Cf. Ivonis ep. 144 ed. Iureto p. 250. [90] Cf. Ivonis ep. 141 ibid. p. 246.

O. Fr. VII, 7. Anno 1104. Henricus imperator natale Domini Ratisbone egit, ubi orta seditione Sigehardus — occisus est.

Will. Tyr. X, 28 26. Rex Ierosolimorum Balduinus capit Ptolomaydem, id est Acram, habentem tranquillam infra menia navibus stationem et latifundium inter mare et montes optimum, que a duobus Ptolomeo et Acone fratribus et a domnis suis Ptolomas et Acon traditur appellari.

Helin. 1103. Capta fuit Acra auxilio Ianuensium et Pisanorum.

Sigeb. 1104. Sigebertus: Ierosolimite Acram urbem capiunt, sed quam acquisierunt per industriam, perdiderunt per negligentiam.

Tr. s. Cuthb. c. 14. 10. 11. In Anglia apud Dunellmum[a] facta est hoc anno translatio gloriosissimi confessoris Christi sancti Cuthberti, Lindifarnensis episcopi, et eius corpus post annos 418 et dimidio mirabiliter inventum est incorruptum, anno 5. regis Henrici, 4. Kalendas Septembris, ubi affuerunt Radulfus Sagiensis abbas et Guillelmus clericus episcopi Dumelmensis[b], qui duo postea fuerunt Cantuarienses archiepiscopi.

Sigeb. 1105. Anno 1105. Sigebertus: Filius Henrici — in eum insurgit.

O. Fr. VII, 8. Episcopus Otto: Imperatore Henrico natale Domini Moguntie celebrante — per Boemos vastavit.

VII, 9. Igitur Regno in se ipso miserabiliter diviso — regni primoribis indicitur.

Sigeb. 1105. Sigebertus: Ierosolimite — victoria conterunt.

Helin. 1106. Baldricus: Hoc factum fuit inter Ioppen et Ramulam, ibi rex Balduinus cum Hugone de Tyberiade optimo milite, qui ei in auxilium venerat, multos Sarracenos interfecit[91].

O. Fr. VII, 10. Episcopus Otto: Circa idem tempus — occidentis Deo[c] contrariis.

Chr. S. Huberti c. 98. Obiit hic[d] comes Arnulfus de Cisneio, et apud sanctum Hubertum sepultus est.

ibid. c. 76. Comes Cono de Monteacuto pater comitis Lamberti, qui prospere reversus fuerat a[e] partibus transmarinis sepelitur apud sanctum Hubertum[92], cuius uxor fuit Ida filia senioris Lamberti.

Aegid. Aur. III, 15. Floruit apud sanctum Iacobum in Leodio abbas Stephanus in musica valde peritus, qui fecit novum cantum de beato Benedicto, et multa alia, scilicet Florem mundi[f].

Sigeb. 1105. Excerptum[g] epistole directe — fama nominis eius evanuit.

A. Affl 1105. Immunitas ecclesie — pontificii eius.

Sigeb. 1106. Anno 1106. Sigebertus[h]: Quarto nonas Februarii — cometes apparuit.

O. Fr. VII, 11. Episcopus Otto: In nativitate Domini maximus principum conventus — regem creant anno Domini 1106. VII, 12. Huc usque, inquit[i] episcopus Otto, ex aliorum libris lecta posuimus. Ceterum que secuntur — et omnium in quibus etc.

Sigeb. 1106. Sigebertus: Henricus rex filius imperatoris — sibi venienti obstraret.

Aegid. Aur. III, 15. Episcopus Otbertus Leodiensis multorum corda ad auxilium patris contra filium sollicitavit et ei semper pro posse adhesit[k].

O. Fr. VII, 12. Episcopus Otto: Filius itaque iam rex — cedere compellitur.

Sigeb. 1106. Unde Sigebertus: Militibus patris — occisus est.

Ibi etiam mortuus fuit iuvenis quidam petulans et stolidus, qui erat unicus heres Warennie[l][93] comitatus matre sua adhuc vivente. Predictum vero comitatum comitissa licet vidua propter defectum et stultitiam filii sui, quam de die in diem crescere cernebat, iam contulerat in elemosinam beato Lamberto, et sic illo interfecto possedit ecclesia pacifice quod minus iuste collatum fuerat.

ibid. 1106. Sic filius ut supra dictum est contra patrem veniens — tamen expugnatur. Interim Henricus imperator Leodii moritur, 7. Idus Augusti.

O. Fr. VII, 12. Episcopus Otto: Filio ad superiores Reni — negotia tractantur.

Aegid. Aur. III, 15. Auctor: Sepultus est imperator extra Leodium in monte Cornelii, ubi erat quedam domus religiosorum, et modo abbatia Premonstrati et post duos annos relatum est corpus eius de licentia pape et sepultus apud Spiram.

Sigeb. 1106. Sigebertus: Dux Henricus — comiti Lovaniensi.

Mense Februario in occidente oritur cometa[m] admodum gracilis sed ignea, cui radii miro modo lactei visi sunt dyatim crescere atque sub orione ad orientem protendere. Visus est globus etiam igneus tertia quidem nocte ab eadem stella in terram cadere.

Auct. Affl. 1106. Mense autem Septembri Robertus — carceri includitur.

Hoc anno Petrus Alfonsus de Hyspania, cum esset Iudeus, baptizatus est ab episcopo Stephano in civitate Osca in presentia regis Alfunsi et ab eo cognominatus est Petrus Alfunsus, qui prius in Iudaismo dicebatur Moyses. Iste est Petrus Alfunsus qui librum optimum contra Iudeos edidit.

Will. Tyr. IX, 26. Anno Domini 1107. Guido: In partibus transmarinis rex Balduinus captis civitatibus maritimis IX, 30. Tripoli, Beritho, Sydone, castrum edificat trans Iordanem quod montem appellat regalem, et ad cohercendam Tyrum, antiquissimam et munitissimam civitatem, proximum illi renovat Alexandrium castrum, fundatum olim ab Alexandro Macedone propter Tyri cohercendam insolentiam et vocatum; nunc autem appellatione vulgari dicitur Scandalum, pro eo quod Scandar vocant Arabes Alexandrum.

Sigeb. 1107. Sigebertus: Henricus[n] exdux — ad fidelitatem suam adduxit. Iste Henricus Lembergensis[o], qui

---

a) Dunelminum 2. b) Dunelmiensis 2. c) ideo 1. d) autem 2. e) fuerit de 2. f) mundum 1. g) Scriptum 2. h) *deest* 1. i) *deest* 2. k) et — adhesit *desunt* 2. l) Warcinnie 2. m) cometa oritur 2. n) Lemburgensis *add.* 1. o) Lemborgensis 2.

[91] Vide hac de re inter Albrici fontes Guil. Malm. §. 384 et inter Guidonis fontes Will. Tyr. X. 22.

[92] Secundum chron. Sancti Huberti c. 98, quod Albricus, quamquam prae oculis habebat, nescio qua causa, sequi respuit, comes Dinantii sepultus est.

[93] Waremme prope Leodium.

ducatum perdidit, filius fuit antiqui Walerani[a] filiumque[b] habuit Paganum nomine, qui similiter pro ducatu[c] contra Lovanienses decertavit. Similiter filius eiusdem Pagani Henricus, qui tandem filiam[1] suam dedit tertio Godefrido de Lovanio, et ita discordia temporum quievit.

Elinandus: Bellum fuit apud Thenethebrai — regem Anglie Henricum. Helin. 1107.

Episcopus Otto: Henricus V. patre mortuo — missus est. O.Fr.VII,13.

Obiit Richerus episcopus Virdunensis. L. de Leod. c. 13.

Anno 1108. Paschalis papa concilium tenuit Trecis. Ibi cassavit electionem Gervasii filii comitis Hugonis[d] Reitestensis[2] et Radulfum prepositum ordinavit in Remensem archiepiscopum. 1107.

In eodem concilio secundum epistolas Yvonis[3] Vulgrinus cancellarius Carnotensis electus fuit in archiepiscopum Dolensem.

Hoc tempore Leodegarius erat archiepiscopus Bituricensis.

Guido: Rex Ierosolimitarum Balduinus Pharimiam antiquam Egypti civitatem expugnat et exercitui suo dat in predam. Will. Tyr. XI, 31.

Sigebertus: Henricus imperator contra secundum Robertum Flandrensem vadit — pene inefficax redit. Boemundus Sigeb. 1108 dux Apulie contracto undique exercitu accingitur ad invadendum Constantinopolitanum imperium. Unde colligimus[e] imperatorem Constantinopolitanum Alexium hoc anno fuisse[d] de novo mortuum. Cuius filius Ioannes Porphyrogenitus dictus est.

Quod filius regis Francorum Philippi Ludovicus Grossus non fuerit Remis inunctus, habetur in epistola Yvonis, que sic incipit: Noverit sancta Romana ecclesia, noverint omnes ecclesie, ad Ep. 183[4] quas murmur Remensis cleri pervenerit, nos in consecratione Ludovici regis Francorum nichil nostrum quesisse, sed pro communi utilitate regni et sacerdotii consulte vigilasse etc. Postea scribit Radulfo archiepiscopo Remensi, ubi in fine ait: Sciat dilectio vestra, quia pro pace Remensis ecclesie et vestra regem humiliter et fideliter inter- Ep. 188[5] pellavimus. Item Paschali pape: Audientes Remensis ecclesie mirabilem et miserabilem desolationem regem inter- Ep. 190.[6] pellavimus, quatinus predicte ecclesie expulso invasore Gervasio pacem restitueret et domnum Radulfum eiusdem ecclesie metropolitanum in gratiam suam receptum eidem ecclesie preesse concederet.

Richardus Virdunensis archidyaconus comitatum Virdunensem[7] regebat, qui ante Gervasium de Retest L. de Leod. c 15–22. electus fuit[f] in archiepiscopum Remensem, sed recusavit, electus est in Virdunensem, ubi multa mala fecit et fuit de parte schismatici per annos 7.

Lifiardus erat[g] episcopus Suessionensis.

Anno 1109. Contra Ungaros Henricus imperator vadit, sed facto pacto redit[h]. Sigeb. 1109.

Episcopus Otto: Eo tempore Colomannus — ad propria rediit. Otto Fris. VII, 13.

Philippus rex Francorum obiit, Ludovicus filius ei succedit. De huius coronatione diximus in anno Sigeb. 1109. precedenti. Annos 27 ei asscribere possumus. In parochia Legiensi — gallinae quadrupes.

Hoc anno multi — carbonis nigrescentibus. Elinandus: Tres plage — datum asserunt. Helin. 1109.

Obiit sanctus Anselmus Cantuariensis archiepiscopus, scriptor librorum famosissimus et vita sanctissimus, pontificatus sui anno 16, cui succedit Rodulfus episcopus Roffensis, cuius electio diu protracta fuit.

Obiit sanctus Hugo abbas Cluniacensis anno 63, ex quo fuit in abbatem promotus. Huius vitam scripsit Gilo ibid. 1109. monachus. Eadem nocte qua pater beatus — uno tempore decesserunt.

Versus de quinque sanctis abbatibus Cluniacensibus: *Ordine Bruno prius — utilitate prior.*

Anno 1110. Erant hoc tempore in Aquitania quatuor heremite, quorum unus, videlicet sanctus Vitalis[i], fundavit abbatiam de Savigneio in Normannia[8], alter domum monialium excellentissimam Fontis Ebraldi in Andegavia[9], tertius domum que dicitur sancti Sulpitii in Britannia[10], quartus abbatiam de Tyron[11] Carnotensis dyocesis sub comitibus de Pertico[12]. Unde Yvo Carnotensis episcopus in ea epistola, que sic incipit: Cum ea que religiosis locis devotio Ep. 283.[13] fidelium etc. Quod Rotrochus nobilis et strenuus Mauritanie comes humilitatis nostre presentiam adierit, postulans, ut consecraremus cuiusdam cenobii cemeterium, quod situm est[d] super fluvium, qui Tyron vocatur, ad usus quorundam religiosorum virorum[k].

Et hoc anno Richardus Albanensis episcopus fuit secunda vice[l] per Franciam legatus, qui ad instantiam comitis Hugonis Campaniensis oratorium beati Nicholai de Chiminum[m][14] dedicavit et sua auctoritate privilegiavit[15].

---

a) Walerami 2. b) et filium 2. c) comitatum 2. d) *deest* 2. e) eligimus 1. f) fuerat 2. g) fuit 2. h) sed — redit *desunt* 1. i) Vitalus 1. k) virorum religiosorum 2. l) secunda vice fuit 2. m) Schiminum 2.

1) Margaretham. 2) Réthel, départ. Ardennes. 3) Epp. 176. 178. ed. Iureto p. 301. 304. 4) ibid. p. 328. 5) ibid. 328. 6) ibid. 334. 7) *comitatum Grandis Prati.* Laur. de Leod. 8) Savigni, départ. Manche, arrond. Mortain. 9) Fontevraud, départ. Maine et Loire, arrond. Saumur. 10) Saint-Sulpice, départ. Ille et Vilaine, arrond. Rennes. 11) Saint-Sauveur de Tiron, départ. Eure-et-Loire, arrond. Nogent-le-Rotrou. 12) Le Perche. 13) ed. Iureto 491. 14) Cheminon, départ. Marne, arrond. Vitry-le-François. 15) Vide instrumentum in Gallia Chr. X. Pr. 160.

Helin. 1107. Hoc anno Stephanus, qui et Hardingus, natione Anglus, fit abbas Cisterciensis. De quo magister Petrus cantor Parisiensis meminit in Verbo abbreviato, qualiter elemosinam presbiteri symoniaci reiecit de sacculo conversi sui, nolens eam deferri monachis suis esurientibus, sed pastoribus quos invenit illam distribuit.

A. Affl. 1110 Sigebertus: Henricus V, regis Anglorum filiam — sortitur.

Sigeb. 1110. In mense Iunio — Kalendas Octobris.

Erardus vir nobilis fuit hoc tempore comes Brenensis[16], qui duxit unam filiarum comitis Andree de Archeis et de Ramerut[17], de qua genuit comitem Brenensem Galterum et sororem eius Felicitatem, quam duxit Symon de Brois[18], qui iacet in Baia[19], filius Hugonis[a] Bardol, et genuit ex ea Hugonem de Brois, qui iacet in Claravalle, et Symonem de Belloforti[20]. De altera vero filia comitis Andree de Ramerut orti sunt illi de Plaierra[21] et de Montemirabili[22] et illi[b] de Monteregali[23] et de Arceis. Habuit autem idem comes[b] Andreas filium unum Ebalum nomine, de quo suo loco dicemus[24], quod fuerit episcopus Cathalaunensis.

Item hoc tempore apud Iovevillam[25] fuit Gaufridus huius nominis secundus, tertius autem eiusdem loci domnus, et habuit duos filios, Renardum qui fuit comes Ioviniaci[26], pater comitis Guillelmi, et Rogerum Ioveville domnum et filiam Hadewidem de Asperomonte[27] domnam, que facta est in gentem magnam. Ipse Gaufridus predictus Ioveville domnus fratrem habuit Holdoinum nomine, qui in iuventute mortuus, tres parvulos reliquit, Galtherum videlicet et Wicherum, qui sine liberis sunt mortui[c], et Hescelinam domnam de Mulleio[28], quam quidam nobilis de Acromonte[29] duxit Guido nomine, Fulconis filius de Sarcellis[30], et genuit Werricum, patrem Galteri de Mulleio. Iste Guido de Acromonte fuit ex parte matris frater Tescelini[d] Sori[31] de Fontanis[32], qui fuit pater beati Bernardi Clarevallensis abbatis, et habuerunt alios fratres, Holdoinum qui fuit avus Albrici de Esmanciis[33] et Hainonem de Columbeio[34], patrem Abelini. Item Guido de Acromonte fuit ex alia parte frater Ulrici, sub quo fundata est abbatia Morimundi[e]. Rogerus de Iovevilla[f] Gaufridi filius duxit Guidonis sororem de Vangionis rivo[35], et genuit Gaufridum Grossum, Robertum et Guidonem episcopum Cathalaunensem et Beatricem comitissam de Grandiprato[36], cuius progenies multiplicata est absque numero. Gaufridus Grossus de Iovevilla[f] duxit supradictam Felicitatem relictam Symonis de Brois, et genuit Gaufridum, Vaslerum et Gertrudem matrem comitis Hugonis Wandanimontis[37].

Nulli sit onerosum quod personas istas hic annotavimus, quarum nomina frequenter in cartis abbatiarum inveniuntur.

Anno 1111. In Ungaria regnavit Stephanus annis 15.

Sigeb. 1111. A. Affl. 1111. Sigebertus: Henricus quintus huius nominis — potenter eos proterebat. Robertus secundus — eius Balduinus.

O. Fr. VII, 14. Episcopus Otto: Rex Henricus ex omnibus — cum maximo tripudio suscipitur.

Sigeb. 1111. Sigebertus: Quid vel[g] quomodo inter — sub hoc negotio.

Otto Fris. VII, 14. Episcopus Otto ita dicit: Rege Romam tendente — custodie mancipatur. Rex namque prefatum pontificem — versum est gaudium. Videns hoc venerabilis Iuvavensis — augusti nomen sortitur, regni eius post resignata a patre imperialia anno quinto.

Sigeb. 1111. Hunc locum Sigebertus ita prosequitur: In reconciliatione autem — Idibus Aprilis indictione 4. Qualiter hoc totum[38] revocatum fuerit in irritum sequentia manifestant.

Ep. 236.[39] Unde Yvo Carnotensis in quadam epistola: Iohanni Dei gratia Lugdunensis prime sedis archiepiscopo, Daibertus eadem gratia Senonensis[h] archiepiscopus, Yvo Carnotensis, Iohannes Aurelianensis cum ceteris coepiscopis Senonensis provincie salutem. Iure primatus vestri invitastis nos ad concilium apud Ansam celebrandum; mandatum non[i] contempnimus, sed contra consuetudinem patrum extra provinciam nostram[k] ire recusamus, nolentes ecclesiarum

---

a) de *add.* 1. b) *deest* 2. c) mortui sunt 2. d) Rescellini 1. 2. e) Moumundi 1. f) Ionevilla 2. g) et 1, *sed ut* 2 *ita Sigeb. ipse.* h) provincie *add.* 2. i) vero 1. k) nostram provinciam 2.

16) Brienne, départ. Aube, arrond. Bar-sur-Aube. 17) Arcis et Ramerupt sur Aube. 18) Broyes, départ. Marne, arrond. Epernay. 19) Baye, ibid. 20) Beaufort, hodie Montmorency, départ. Aube, arrond. Arcis-sur-Aube. 21) Pleurre, départ. Marne, arrond. Epernay. 22) Montmirail, départ. Marne, arrond. Epernay. 23) Montréal, départ. Yonne, arrond. Avallon. 24) Vide annum 1121. 25) Joinville, départ. Haute-Marne, arrond. Vassy. 26) Joigni, départ. Yonne. 27) Apremont, départ. Meuse, arrond Commercy. 28) Milly, départ. Seine-et-Oise, arrond. Etampes? 29) Aigremont, départ. Haute-Marne, arrond. Langres? 30) Sarcelles, départ. Seine-et-Oise, arrond. Pontoise? 31) Sorem esse seniorem seu dominum Leibnitius coniecit; sorem vero agnomen esse, diploma ap. Chifflet S. Bernardi genus ill. 425 plane docet. Secundum Chiffletium idem est atque subruffum. 32) Fontaine-les-Dijon, départ. Cote d'Or, arrond. Dijon. 33) Amance, départ. Meurthe, arrond. Nancy? 34) Colombey, départ. Meurthe, arrond. Toul. 35) Vignory, départ. Haute-Marne, arrond. Chaumont-en-Bassigny. 36) Grand-Pré, départ. Ardennes, arrond. Vouziers. 37) Vaudemont, départ. Meurthe, arrond. Nancy. 38) Privilegium scilicet quod Paschalis papa Henrico V. imperatori indulsit. 39) ed. Iureto p. 409.

nostrarum statum permutare. Deinde ibi[a] dicitur: Summus pontifex postquam evasit periculum, sicut ipse quibusdam nostrum scripsit, quod iusserat iussit, quod prohibuerat prohibuit, quamvis quibusdam nefandis urgente periculo quedam nefanda scripta permiserit[b]; sic Petrus timore negavit, sic Marcellinus sacrificavit, sic Aaron vitulum fabricavit, sic Moyses titubavit, sic Paulus Thimotheum circumcidit.

Idem Yvo Paschali pape: Quoniam paternitatem vestram a civibus Babilonie audivimus plus quam mille passus angariatam[c], intimo[d] dolore congemimus etc. Ep. 227.

Episcopus Otto: Hoc ergo privilegium — pravilegium reprobavit. Otto Fris. VII, 14.

Auctor: Cuidam monacho Sancti Laurentii Leodii[e] extra muros cogitanti de resurrectione Domini etc. dictum est hoc anno: *Sic potuit clauso Christus prodire[f] sepulchro.*

Eiusdem monachi discipulus fuit prior eiusdem loci nomine Robertus, qui scripsit librum famosum de officiis divinis per annum et multa alia.

Illi qui erant in castro de Vlowart ex parte Richardi Virdunensis electi civem quendam Metensem ceperunt; Metenses vero indignati castrum captum everterunt, Richardus electus Raynaldum comitem filium Theoderici Barrensis in ius vocavit, quod castrum non defendisset, et castrum reedificavit. Comes Raynaldus ad audientiam non venit. Richardus coram nobilibus comitatum urbis Virdunensis Rainaldo abiudicatum comiti Guilelmo de Lusceleborch dedit, et insuper pro 200 libris Mosacum et Sathanagium ei oppignoravit[g], que usque hodie ecclesia perdidit. Laur. de Leod. c. 22.

Anno 1112. Sigebertus: Deo peccatis — deterrere possit exemplum. Sigeb. 1112.

Elinandus: Huic tribulationi Laudunensium — super hoc mirarentur. Ante supradictum episcopum Laudunensem Gaudricum, ita interfectum, fuit episcopus Laudunensis Ingelrandus nomine et ante eum Elinandus, sub quo quoddam beate Marie[h] contigit[i] miraculum[40]. Helin. 1112.

Sigebertus: Mense Maio — et mortalitate. Ans. Gemb. 1112.

Huc usque Sigebertus, sequitur abbas Anselmus Gemblacensis. Domnus Sigebertus — monumenta suis reliquit. ibid.

Episcopus Otto: Imperator Henricus ab Urbe — cunctos ad imperium et suam[k] voluntatem inclinavit. O.Fr.VII,15

Comite Barri Raynaldo comitatum Virdunensem armis sibi vendicante[l] Richardus cum comite[m] Guilelmo Lusceburgensi ipsum graviter urgebant, ita ut[n] primo impetu belli amisit vicum Sancti Michaelis et castrum incensum est et eversum. Deinde tota terra cepit esse in ruinam preter castella et quedam loca munita. Ad que expugnanda imperatorem Richardus evocavit, qui capto castro Barri et incenso comitem Raynaldum abduxit. Laur. de Leod. c. 22.

Anno 1113. Imperator Henricus Belgas ingressus Rainaldum comitem hostem iudicans bello petiit. Quem in castro Barro in termino regni sito obsidione clauso, ad ultimum expugnato castro, in deditionem accepit et captivum abduxit. Ante vero predictum Raynaldum fuit comes Barri[41] et Montionis[42] frater eius Theodericus, qui, cum esset intollerabilis subiectis, expulsus fuit et comitatum Montis Beliardi[43] tantum sibi retinuit. Horum autem pater fuit antiquus comes Barri Theodericus, cuius uxor, mater eorum, Ermentrudis est nuncupata. Otto Fris. VII, 15.

Abbas Anselmus: Feria tertia — silvas fregerit. Ans. Gemb. 1113.

Hoc anno electus est in episcopum Laudunensem[o] Bartholomeus — et a Rodolpho Rhemensi archiepiscopo consecratur. Quis autem vel de quo genere fuerit[p] iste Bartholomeus, habetur superius[q] in anno Domini 1063. Helin. 1113.

Anno a fundatione Cistercii 15. beatus Bernardus, cum esset annorum 22[r] etatis, venit ad ordinem cum sociis ferme[44] 30. Helin. 1111.

Obiit Hugo Cathalaunensis episcopus, succedit magister Guilelmus de Campellis[45], qui moralia beati Gregorii pape abbreviavit et quedam alia fecit.

Abbas Anselmus: Mense Augusto — Iunio mense. Ans. Gemb. 1113.

Guillelmus: Rex Ierusalem Balduinus uxorem ducit relictam[45*] Rogerii ducis Sicilie. Venit Ierusalem ad illius impetrandum connubium ducissa Sicilie, infinitas gazas secum afferens, quam tunc quidem duxit, sed post dimisit, quia — ut aiunt, — genitalia eius cancri morbus exederat. Guil. Malm. 385.

Guido: Sub eodem rege Balduino ordo militie Templi de novo institutus est[46].

Alter autem ordo magne domus elemosinarie, que dicitur Hospitale, iam institutus erat hoc modo. Viri quidam Italici de Malfa civitate, que posita est inter Neapolim Virgilianam et Salernum, maritimas civitates, cum propter[s] mercimonia, que deferebant in Ierosolimam, apud infideles gratiam invenissent, dum adhuc caliphas Egyptius in civitate dominaretur eadem, de constituendo[t] sibi in ea domicilio calyphe predicti mandatum[u] impetrant et secus ecclesiam dominice resurrectionis erigunt habitationem et monasterium monachorum in honore Dei genitricis et virginis Marie; similiter in honore beate Marie Magdalene monasterium feminarum sub predictorum providentia monachorum. Ab hiis

---

a) ubi 2. b) promiserit 1. c) angaritam 1. d) immo 2; immoti 1. e) Leodii immo Rome 1. f) de *add.* 2. g) oppugnaverit 1. 2. h) *deest* 2; mcorie 1. i) contingit 1. k) *deest* 2. l) vendicavit 2. m) Richardus cum comite *desunt* 1. n) quod 2. o) est in episcopum Laudunensem electus 1, *sed ut* 2 *ita Helin. ipse.* p) fuit 2. q) habetur superius *desunt* 2. r) 23 *habet* 1; *sed convenit cum Helin.* 2. s) preter 2. t) construendo 2. u) *deest* 2.

[40] Cf. auct. Laud. SS. VI, 445 et auct. Ursicamp. SS. VI, 471.

[41] Bar-le-duc.

[42] Mousson, départ. Meurthe, arrond. Nancy.

[43] Mömpelgard.

[44] Helinandus dicit: *plus quam* 30.

[45] Champeaux, départ. Seine-et-Marne, arrond. Melun.

[45*] Adelam.

[46] Cf. Will. Tyr. XII, 7.

etiam edificatum est xenodochium propter confluentiam ad sancta loca pauperum peregrinorum et in eodem altare beati[a] Iohannis Alexandrini patriarche, qui quia misericordie visceribus affluebat, dicitur Eleymon, id est misericors, in honore. Hoc est initium magne domus elemosinarie in Ierosolimis, que dicitur Hospitale. Dicitur quod ordo iste fratrum Hospitalis Ierosolimitani circa annum Domini 1240. usque ad 3500 habebat capellas, preter granginas sine capellis.

Will. Tyr. XII, 7. Guido: Ordo vero[b] militie Templi novem annis in seculari habitu more canonicorum regularium Deo servit, sed postea concilio in Francia apud Trecas habito, instituta est ei regula beati Augustini et albus habitus assignatus concilio prelatorum et de domni pape mandato et beati Bernardi consilio.

Dicitur quod ordo militie Templi circa annum Domini 1240.[c] habebat domos usque 7050[d], licet de novo multas perdidisse videantur sub imperatore Frederico de Apulia. Illud autem est mirabile, quod ordo militie Templi cepit de elemosina fratrum Hospitalis. Ordo vero fratrum Barbatorum, qui etiam circa hoc tempus, circa supra scriptum annum habebat domos usque ad 160.

Laur. de Leod. c. 22. Intervenientibus pro comite Barri Raynaldo de toto regno nobilissimis consanguineis imperator eum custodia solvit cum omnibus suis, ut sibi cognatum ad propria remisit, tantummodo hominium sibi ab eo suscepit. Richardus episcopus omnia sibi contraria videns, ecclesiam infensam, imperatorem non fidum, qui hostem eius dimiserat, et ipsum contra se nova moliri, crucem accepit, ultra Romam in itinere obiit, nondum a papa absolutus.

O.Fr.VII,15. Anno 1114. **Episcopus Otto**: Henricus imperator Maguntie regio apparatu — nuptias celebravit.

Ans. Gemb. 1114. **Anselmus**: Henricus imperator — uxorem ducit filiam Henrici regis Anglorum. Ista Mathildis imperatrix, quam post mortem huius imperatoris Henrici duxit Gaufridus, comes post Fulconem fratrem Andegavensem, ut in sequentibus[47] habetur, et genuit ex ea Henricum huius nominis secundum, postmodum regem Anglorum.

O.Fr.VII,15. **Sequitur episcopus Otto**: In ipsa nuptiarum solempnitate — intra se colliditur.

L. de Leod. c. 22. 24. Sedes Virdunensis per 4 annos vacavit. Inde occasione supradictarum iniuriarum imperator Henricus Henricum c. 22. archidyaconum Wintoniensem[d'] factus est Virdunensis episcopus[d'], postquam malus Richardus Virdunensis electus obiit c. 23. in Apulia. Comes Guilelmus de Luscelenborch[e] comitatum Virdunensem reddidit comiti Raynaldo. Cives eum non receperunt, sed factum est prelium ante Virdunum, et inde comes Raynaldus saucius reportatur.

Helin. 175a. Anno 1115. **Elinandus**: Electi sunt de canonicis Laudunensibus septem, quibus traditum est feretrum sancte Marie, cum aliis pluribus sanctorum reliquiis, inter quas eminebat forma et dignitate unum philacterium, in quo scriptum legitur: *Spongia — virgo capilli.* Cum hiis reliquiis profecti sunt in Angliam, in qua insula multa facta sunt miracula in ibid. 176b. diversis locis per beatam virginem. Tandem post multos dies de Salesberia vix ad tria miliaria venerunt ad abbatiam sanctimonialium que dicitur Wiltonia, ubi ostensa est eis sepultura venerabilis Bede presbiteri.

Hic oritur questio, unde querendum[f] est, quid sit verius de sepultura venerabilis Bede, vel si utrumque stare potest et quod hic dicitur et quod in legenda translationis beati Cuthberti[48] de corpore eiusdem venerabilis Bede scribitur. Sed dicunt quidam, quod ibid. fuerunt duo Bede, primus qui fecit omelias, et iste de Wiltonia, iuxta quem sepulta est mulier illa versificatrix inclita. Non dicitur hic, que fuerit ista, sed hanc dicunt fuisse Egitam, que dicitur Idith, de qua superius in anno Domini 1052. expressimus.

ibid. 177b. Hoc tempore, ut ait **Elinandus**, florebant in Francia apud Laudunum nominatissimus ille magister Anselmus, qui glossaturam interlinearem seu marginalem interruptam primus exhibuit, et frater eius Radulfus, et ipse magister theologus, et Cathalaunensis episcopus magister Guilelmus. ibid. 1105. Floruit et Hildebertus Cenomanensis episcopus, qui factus est Turonensis archiepiscopus. Berengarii Turonensis discipulus, versificator et dictator egregius, ut apparet ex paucis que fecit; qui epitaphium quoque eiusdem Berengarii scripsit magnifice in versibus 52, sed in eius laudem modum excessit; qui etiam canonem metrice exposuit. Insuper de urbe Romana distichon composuit: *Urbs felix — carere fide.*

ibid. 177b. Hoc anno fundatum est cenobium Clarevallis sub primo abbate beato Bernardo, qui uno anno fuit novitius et uno anno claustralis monachus et annis 38, id est usque ad obitum suum, fuit in abbatis officio et tam in exterioribus quam interioribus sancte ecclesie negotiis officialiter occupatus. Erat autem, quando factus est abbas, 25 annorum. Mortuo Lingonensi episcopo Iosceranno, successore Roberti, vacabat sedes Lingonensis, antequam domnus Guilelmus esset electus. ibid. Unde ab episcopo Guilelmo Cathalaunensi benedictionem suam beatus Bernardus accepit.

Ans. Gemb. 1115. **Anselmus**: Idibus Novembris — in quo erat.

Helin. 1116. **Unde addit Elinandus**: Credibile est quod cum aliquo — quin etiam tremat.

Ans. Gemb. 1115. Henricus imperator dum quidquid libet — et igni vastat.

Secundum epistolas Yvonis fuit hoc tempore legatus in Francia[g] Cono cardinalis episcopus Prenestinus[49]. Qui concilium suum apud Belvacum tenuit et postea Remis in

---

a) sancti 2. b) *deest* 2. c) templi MCCXL 2. d) septem quinquaginta 1; septem milia 2. d') *sic uterque codex.* e) Lucelburg 2. f) utrum requirendum 2. g) in Francia legatus 2.

[47] Cf. annum 1145. [48] nr. 23. [49] Epp. 266. 267. 273. 275. ed. Iureto p. 467 seqq. ad Cononem scriptae sunt.

concilio Henricum imperatorem excommunicavit. Iste Cono de quodam novo ordine beati Nicholai de Arrosia[50] hoc tempore inchoato, id est de Trunco Berengarii, fuit assumptus.

Henricus imperator promiserat — et principum discordia. Ans. Gemb. 1116.

Episcopus Otto: Hinc iam publica bella — committente peraguntur. O. Fr. VII, 15.

Henricus imperator in Italiam — competebat, obtinendam. Ans Gemb. 1116.

Anno 1116. Obiit Yvo Carnotensis episcopus, vir multarum virtutum, ut dicit Elinandus, simul et litterarum, qui Decreta abbreviavit et multa alia utilia scripsit. Huius volumen epistolarum de boni et equi commendatione malique et iniusti dissuasione habetur a multis. Hic est qui Philippum seniorem regem Francorum ausus fuit excommunicare pro pellice Bertrada sue coniugi superinducta. Contra comitem suum Stephanum Carnotensem et eius relictam Adalam et eorum filium comitem Theobaldum et contra vicecomitem similiter, domnum[50*] scilicet de Puisato[51], in diversis causarum conflictibus pro ecclesia sua viriliter stetit. Cum Henricus rex Anglie quandam filiam suam cuidam nobili in dyocesi Carnotensi vellet dare, idem Yvo matrimonium illud[a] dissuadendo consanguinitatem in sexto gradu ita conputavit[52]. Mater sancti Richardi Normannie ducis nomine Gunnor, sororem habuit Seufriam nomine, de qua Ioscelina nata peperit Rogerum de Montegommeri[53]. Huius filia Mabilia soror[54] Roberti Belimensis[55] peperit[b] alteram Mabiliam, uxorem Gervasii, cuius filius Hugo de Castro novo[56] debuit habere filiam predicti Henrici, sed non habuit. Pater autem huius Henrici Guilelmus Notus fuit filius ducis Roberti, qui filius secundi Richardi memorati. Helin. 1116.

De obitu et fine comitis Flandrie Roberti Guido ita dicit: Robertus qui in expeditione Asiaca, quam Europa contra Turcos movit, mirandus innotuit[c], gratie quam meruerat apud Deum et apud homines laudis et glorie magne partum studio virtutis et elaboratum multa militaris exercitii lima splendorem letifero decoloravit eventu, quo vitam, dum[d] usu temerario lascivie militaris arma tractaret, amisit.

In hystoria comitis Karoli de eodem Roberto dicitur: Meldis egrotans obiit, et apud Sanctum Vedastum Atrebatis sepultus est. Genuerat ex Clementia filium nomine Balduinum, qui circa biennium Flandrie nobiliter tenuit comitatum[57]. Hist. Karoli c. 4.

Anselmus: Mense Ianuario — subruisse dicatur. Ans. Gemb. 1117.

Elinandus: Non dicit quarum urbium — qui sic annotantur. Helin. 1118.

Sed et episcopus Otto ita dicit: Circa idem tempus — subvertit. O. Fr. VII, 15.

Anselmus: Mosa etiam fluvius — vehementer terruit. 3. Idus Decembris — et stupori fuerunt. Ans. Gemb. 1117.

Monstrum quoddam Namurci natum est, videlicet biceps infantulus. Qui hoc vidit testis est. Pupulus hic tam sexu duplex, quam ceteris membris simplex erat conpage corporis.

In Hyspania civitas Colimbria a rege Fernando christianissimo per beatum Iacobum de manu Sarracenorum fuit recuperata.

Post Arnulfum patriarcham Ierosolimitanum, qui privilegium cruce signatorum ad opus ecclesie Novi monasterii Hoyensis, procurante venerabili sacerdote Petro heremita, qui in eadem[e] ecclesia[f], transmisit Otberto tunc temporis Leodiensi episcopo[58], fuit patriarcha Guermundus, cui successit Stephanus, deinde Guilelmus.

Anno 1117. Balduinus secundus — comitis de Reitesta. Henricus imperator ab Italia — ad pacem invitat. ibid. 1118.

Guido: Ierosolimis die festo qui dicitur In ramis palmarum, cum populus universus in vallem Iosaphat cum processione tante solempnitati debita convenisset, Balduini regis qui rediens ab Egypto in via decesserat, multa prosequente militia, ab una parte funus infertur, ab altera cum ingenti comitatu Balduinus de Burgo in Francia comes ingreditur Edessanus. Qui defuncti regis consanguineus, rege iuxta fratrem suum nobilissimum ducem et regem Ierosolime domnum Godefridum sepulture regie tradito, fit successor illius in regno. Will. Tyr. XII, 2. XII, 3.

Elinandus: Hec civitas Edessa distat — Syri Rothasiam. Helin. 1117.

Sequitur Guido: Comes autem Boloniensis Eustacius, defunctorum ducis et regis germanus, ad regni Ierosolimitani moderamen per quosdam eiusdem regni nobiles citatus[g], cum usque ad[h] Apuliam iam venisset, audito quod in regno hereditario iure sibi debito comes Edessanus consanguineus suus[i] successisset utrique germano, persuadentibus ei celeriter transfretare, et quod factum erat in irritum revocare, digna tanto principe voce respondit, quod numquam illi terre moveret scandalum, in qua Christus nos Deo reconciliaverat per sanguinem suum. Will. Tyr. l. c.

---

a) illud matrimonium 2. b) Rogerum — peperit *desunt* 1. c) mirandus innotuit *desunt* 1. d) vitandum 1. 2. e) in eadem tunc 2. f) *aliqua omissa esse videntur; forte supplendum est:* edificanda laborabat. g) *deest* 1. 2. *addidi secundum Will. Tyr.* h) in 2. i) *deest* 2.

50) Arrouaise. 50*) Hugonem. 51) Puiset, départ. Eure-et-Loire, arrond. Chartres. 52) Cf. ep. 261 ed. Iureto 460. 53) Montgommery, départ. Calvados, arrond. Lisieux. 54) Ep. l. c. habet: *uxor*, sed cum Albrico legendum esse: *soror*, docuit Bouquet XV, 168, nota f. 55) Chateauneuf-en-Timerais. 56) Bellême, départ. Orne, arrond. Mortagne. 57) Inde ab a. 1111 usque ad a. 1119 comitatum Flandriae regebat. 58) Vide de eadem re Aeg. Aureavall. III, 16.

Frater autem[a] iam dicti Balduini de Burgo[59] Gervasius, ab archiepiscopatu cassatus Remensi[a], clericatum dimisit et comitatum de Reitest[60] sibi hereditarium arripuit, ducens in uxorem Elizabeth filiam comitis Godefridi Namucensis, natam ex Sibilla filia comitis Rogeri Porcensis[61]. Isto Gervasio mortuo, qui filiam unicam reliquit, duxit eamdem Elizabeth Clarembaldus de Roseto[62], et genuit ex ea Raynaldum et illum Rogerum, qui postea[63] fuit episcopus Laudunensis et sorores eius. Una fuit Aeliz de Cimaco[64], altera Alfelisia[65], que ex nobili viro Philippo de Altaripa[b] genuit Mathildem[66], quam habuit Windus Doiscenus[c][67] et de Erpens[d][68], de quo nostris temporibus dicemus[69]. Clarenbaldus vero supradictus de Roseto filiastram suam Gervasii filiam alienavit a terra, dans eam cuidam nobili Roberto Marmioni de Normannia. Dictus vero Gervasius et fratres eius sorores habebant, quarum una Mathildis Odoni castellano Vitriaci[70] peperit castellanum Guitherum et sorores eius; et iste Guitherus castellanus Vitriaci factus est ex parte matris comes Reitestensis et duxit unam filiarum supradicti comitis Namucensis Beatricem nomine, de qua liberos utriusque sexus genuit, de quibus postea declarabimus anno 1168[e].

Ans. Gemb. 1118. Anselmus: Paschalis papa — agit sinodales causas.

Balduinus comes Flandrie Roberti iunioris et Clementie filius, 26. etatis sue anno monachus effectus absque herede moritur et apud Sanctum Bertinum[f] sepelitur. Cui succedit consobrinus eius Karolus, filius scilicet amite illius Athele nomine, quem suscepit de Civito rege Dacie.

Vita Kar. c. 6. Ex vita comitis Karoli: Comes Flandrie Balduinus, iuvenis egregie probitatis scuto ipsius fronti suo per infortunium parum illiso[g] egrotare cepit, et in villa Rophilaria monachi sumens habitum 15. Kalendas Iulii moritur et
c. 7. apud Sanctum Bertinum sepelitur. Guillelmus de Ypra Philippi, filius fratris[71] Roberti Frisonis, neptem comitisse matris huius Balduini duxerat, ideo comitissa hunc succedere volebat, sed Balduinus Karolum consobrinum suum designaverat, cui Margaretam filiam comitis Raynaldi de[h] Claromonte iunxerat, et comitatum Ambianensium cum castello Ierensi
c. 8. donaverat; sed comitissa Clementia nomine nupsit duci Lovanii. Qui dux et comes Hainonii[i] et Hugo Campus Avene
c. 9. comes Sancti Pauli et ipse rex[k] erant contra Karolum. Sed Karolus Hugonem vicit et Galtherum Hisdinii comitem patria expulit. Comitem quoque Hainonii et Thomam de Coci devicit. Unde Clementia tandem victa de 12 oppidis pro dote sua sibi assignatis, ei quatuor guerpivit, Dikemuam, Bragium, Ariam et Sanctum Venantium.

Guido: Comes Flandrie Balduinus iuvenis moriens consanguineo suo Karolo Danorum regis filio Flandrie tradidit principatum, qui Karolus Roberti comitis, patris Balduini, ex sorore nepos fuit.

Ans. Gemb. 1119. Anno 1118. Anselmus: Ioannes Gaietanus[l] qui et Gelasius papa Cluniaci moritur et sepelitur. Consensu omnium episcoporum tam Germanie quam et Gallie cum Romanis habito, domnus Guido Viennensis archiepiscopus in papam eligitur et Calixtus vocatur, et designatus Cluniaci benedicitur. Quia in illa dissensione, in qua Henricus imperator Paschalem papam Rome ceperat, iste fortiter et probe pro ecclesia stetit, quod iam innotuerat omnibus; idcirco in eius electione citius[k] transit[m] communis omnium consensus.

Anselm. 1119. Anselmus: Postea mediante Octobri — episcopos consecrat, inter quos etiam domnus Fredericus Otberto iam mortuo Leodiensis episcopus[n] ungitur. Interim Henricus — cum sibi faventibus excommunicatur.

O. Fr. VII, 15. Unde episcopus Otto: Sententia anathematis a Calixto — custodie mancipatur.

Ans. Gemb. 1120. Unde Anselmus: Burdinus pseudopapa — attondetur.

Auct. Gemb. 1121. Anselmus[k]: Henricus rex Anglorum — ecclesias ditavit.

L. Leod. c. 26. In concilio Remensi Henricus in episcopum Virdunensem confirmatur, sed a Virdunensibus non recipitur. Ille ad gratiam comitis Raynaldi se inflexit et cum eo violenter urbem cepit, ignem inmiserunt, et quedam ecclesie exuste sunt. Comes ad suum votum cives cepit, et ad redemptionem pecuniariam[o] coegit.

Ans. Gemb. 1120. Anselmus: Domnus Calixtus papa Romam proficiscens — confirmatur.

Quia ad hunc locum ventum est, miracula beati Iacobi, que iste scripsit papa Calixtus, breviter secundum Elinandum tangenda sunt.

Calixtus episcopus servus servorum Dei sanctissimo conventui Cluniacensi basilice sedis apostolice sue electionis, heroibusque famosissimis Guilelmo patriarche Ierosolimitano et Didaco Conpostellanensi archiepiscopo salutem et cetera. Deinde litteris hiis premissis dicit in prologo translationis: Beatus Iacobus 12 speciales discipulos habuit, quorum

a) *deest* 1. b) Alteraripa 1. c) Doicen 1. d) et de Erpens *desunt* 2. e) anno 1168 *desunt* 2. f) apud sancti Bertini 1. g) illeso 1. h) et 1. i) nomine Balduinus, *quum in* 2 *et ipsa Karoli historia desint*, *a* 1 *addita esse elucet*. k) *deest* 2. l) Graietanus 1; Graitanus 2. m) transivit 2. n) Leod. ep. Ot. iam mortuo 2. o) pecuniarum 2.

---

[59] Brügge. [60] Réthel, départ. Ardennes. [61] Porcien, dép. Ardennes, arrond. Réthel. [62] Rozoi-sur-Serre, dép. Aisne, arrond. Laon. [63] 1175—1201. [64] Chimay. [65] Anchelisa secundum Gisleb. M. G. SS. XXI, 508. [66] Cf. Gisleb. l. c. [67] Doische, prov. Namur, arrond. Philippeville? [68] Erpent, prov. et arrond. Namur? [69] Huiusce nobilis inantea ne verbo quidem mentio fit, nec caetero quidquam reperire potui familiam viri resque ab eo gestas illustrans. [70] Vitry-en Perthois vel Vitry-le-brulé, départ. Marne, arrond. Vitry-le-François. [71] Potius: *filii*. Cf. Vitam Karoli l. c.

Hermogenes et Philetus apud Antiochiam quieverunt. Iosias Herodis dapifer cum eo fuit occisus [a]. Septem alii: Torquatus Acci, Tysefons Vergy, Secundus Abule, Iudalecius Ursci, Cecilius Heliberi, Esicius Carcese, Eufasius Eliurgi quieverunt scilicet Idus Maii; alii duo Athanasius et Theodorus, qui corpus beati Iacobi retulerunt, et iuxta ipsum sepulti sunt.

Helin. 1124.

Libellum de miraculis beati Iacobi numquam perdere potuit, — ut dicit domnus Guido, qui et papa Calixtus, — cum a latronibus omnibus aliis rebus aliquando spoliatus sit, et domus in qua hospitatus erat cum omni supellectili sua arserit, et cum ipse in mari naufragium passus sit, libellus eius semper evasit omne periculum ignis, aque et latronum. In epistola Leonis pape scriptum est, quod beatus Iacobus anno undecimo a passione Domini passus est tempore azimorum cum Iosia discipulo suo, qui Iosias fuisse dicitur dapifer Herodis. Cum autem diu ignota esset dies passionis apostoli, cuidam — ut ait [b] papa Calixtus — fideli mihi noto [c] in sompno visus est in nocte annunciationis beate Marie, quod dum beatus Iacobus in aula Herodis dicitur iudicandus, facta est altercatio magna inter gentes et Iudeos pro apostolo. Tandem ab Herode iudicatur, extra urbem ducitur et decollatur, statimque inclitus quidam qui quasi prelatus erat, lacrimabiliter sic de eo locutus est ad plebem: *In aula regia circa tertiam est iudicatus, et circa nonam, ut Christus passus est, patitur et discipulus.* Hieronymus tamen in martyrologio, quod ad sanctos episcopos Chromatium et Heliodorum scripsit, 9. Kalendas Augusti passionem eius celebrandam innotuit. Quod et Alexander papa faciendum innotuit. Translatio sancti Iacobi, que est 3. Kalendas Ianuarii, facta est hoc modo: Peracta passione beati Iacobi duo predicti discipuli Athanasius et Theodorus corpus eius assumunt, ad littus devehunt, navim sibi paratam inveniunt, quam ascendentes alto pelago committunt atque die septima ad portum Hyrie, qui est in Galetia perveniunt. Domina loci Luparia nomine nolens eos recipere, misit eos ad regem Indugio, qui rex volens eos occidere, cum recessissent ab eo, misit post eos persecutores. Hii cuiusdam fluminis subeunt pontem, pons dissolvitur et insecutores demerguntur. Reversis ad Lupariam duobus predictis [d] discipulis, misit eos ad [e] montem, ubi boves habebat [f] indomitos. Qui euntes draconem inveniunt. Draco signum crucis ferre non valens, ventris medio crepuit, inde boves [g] indomiti submissis colla sanctorum manibus cornua deponunt. Qui iugatis bobus regine palatium interim cum plaustro intraverunt. Illa hiis tribus miraculis excitata, Christi nominis efficitur credula cum sibi subiectis. Item in epistola beati Leonis: Ab Hyria octo milibus habetur prediolum liberum donum, ubi ydolum invenerunt, quo destructo ibi corpus apostoli sepulture tradiderunt. Item Calixtus papa de tribus sollempnitatibus beati Iacobi: Beatus Iacobus 8. Kalendas Aprilis patitur, 8. Kalendas Augusti ab Hyria ad Conpostellam defertur, 3. Kalendas Ianuarii sepulture traditur. Materia enim et opus sepulture eius ab Augusto mense usque ad Ianuarium ad faciendum perduravit. Festum miraculorum beati Iacobi 5. Nonas Octobris, quando beatus apostolus hominem qui se occiderat suscitavit et alia miracula fecit, beatus Anselmus primus colere cepit. Tertio vero Kalendas Ianuarii quando sepulture traditus est, inclitus imperator Hildefonsus sive Alfunsus nomine, bona memoria dignus ita observabat celebritatem, quod propter honorem 12 apostolorum offerebat super altare sancti [h] Iacobi annuatim 12 marchas argenti et 12 talenta auri et novos milites faciebat, et convivium generale, ad quod convocabantur omnes [i] per preconem et tubam. Item in argumento Calixti. Ex hiis miraculis quedam in Galecia, Gallia, Theuthonia, Italia, Ungaria, Dacia, quedam etiam ultra tria maria vel scripta repperi vel audivi.

Ep. Leon.

Vita Norb. c. 12.

Anno 1119. Ordo Premonstratensis cepit hoc tempore per virum mirabilem domnum Norbertum natione Theutonicum et fundata est ecclesia sub episcopo Bartholomeo in dyocesi Laudunensi in presentia viri nobilis Thome de Cocy et filii eius Ingelranni. Habet hic ordo 350 abbatias. Et quia istorum heredes nobilium, sub quibus fundata est domus illa, adhuc valde nobiles sunt, annotanda est breviter eorum antiquitas. Duo fuerunt fratres Ebalus comes de Roceio [72] et Letardus domnus de Marla [73], quorum fuit soror comitissa de Reitest [74], uxor comitis Manesserii, Iutta, mater comitis Hugonis, qui fuit pater regis Ierusalem Balduini. De filia vero comitis Ebali Elide dictum est in anno 1063, quod ipsa peperit duos comites, Ebalum et Andream et septem eorum sorores, de quibus ibi satis dictum est. Ebalus autem iste secundus de Sibilia genuit comitem Wichardum [k] de Rocheio et comitem Hugonem Cholet et Thomam de Bosco et duas eorum sorores. Una Hugoni de Puisato [75] peperit alterum Hugonem, et inde exit illa progenies de Barro super Sequanam. Altera post mortem mariti sui de Ribodimonte [76] domno de Claromonte in Basigneio [77] peperit Wichardum et cetera. Comes Hugo Cholez de sorore, ut dicitur, imperatoris Conradi genuit Wichardum [k] novissimum et Hugonem patrem Ebali de Bosco, cuius mater de Curia Landonis [78], et duas eorum sorores. Una

---

a) eo occisus est 2. b) apostolici cui ait 1. c) toto 1. 2. d) predictis duobus 2. e) in 2. f) habebant 1. g) bovis 2. h) beati 2. i) *deest* 2. k) Richardum 2.

72) Rouci, départ. Aisne, arrond. Laon. 73) Marle, départ. Aisne, arrond. Laon. 74) Réthel. 75) Puiset, départ. Eure-et-Loire, arrond. Chartres. 76) Ribemont, dép. Aisne, arrond. Saint-Quentin. 77) Clarummontem in Bassigneio tabulae nostrae non indicant. Forte legendum est: *Calcusmons* = Chaumont-en-Bassigny, départ. Haute-Marne. 78) Courlandon, départ. Marne, arrond. Reims.

Galthero de Monteiai[79] peperit Guidonem patrem comitis Galtheri de Sancto Paulo[80] et Galtherum patrem Galtheri de Nantholio[a][81]. Altera fuit mater Wormundi de Castellione[82]. Wichardus novissimus de relicta Roberti de Monteacuto[83], que fuit filia Iohannis vicecomitis de Marvellis[b][84], genuit Iohannem et Rodulfum et tres eorum sorores. Unam Eustachiam habuit Robertus de Petraponte[c][85] et per illam fuit comes filius eius Iohannes. Filia vero Letardi domni[d] de Marla nomine Ada Albrico peperit supradictum Thomam de Cocy[86], qui de sorore[87] comitis Hainiaci[e][88] duas habuit filias, quarum Basilia Alardo de Cimay[89] peperit virum nominatissimum Gilonem, et Hadwidem, quam habuit Cono de Vilers et de Han[90], et post Bernardo de Urbais[91] peperit Ingelrannum. Alteram habuit Everardus de Bretulio[92]. Idem quoque Thomas de Coci de secunda uxore domna de Bovis[93] genuit Ingelrannum superius memoratum, patrem Radulfi de Marla, et Robertum Bovensem, virum crudelem, et illam[f] que data est Hugoni de Gornaio[94]. Et de hiis omnibus sufficiat hec tetigisse in hoc loco.

Ans. Gemb. 1120. **Domnus papa Calixtus Romam proficiscens — confirmatur.**

Sudarium Domini, de quo superius tetigimus in hystoria Antiochena[95], modo est in abbatia de Cadunio Petragoricensis[g] dyocesis[96]. Domnus episcopus Ademarus[h] Podiensis moriens in Antiochia vasculum plumbeum cum sudario commisit cuidam vicecapellano suo deferendum ecclesie beate Marie de Podio cum litteris suis, in quibus precipiebatur, ut idem vicecapellanus esset canonicus Podiensis. Qui cum litteras presentasset et de sudario prelibasset, spreverunt eum[i] canonici de Podio, qui erant magni et nobiles domni, tanquam ista confinxisset, et ita vicecapellanus iste, qui erat de Petragoricensi dyocesi natus, ad parochiam illam[k] cum sudario illo revertitur, et vasculum plumbeum in quadam trabe in ecclesia sua[96*] non longe ab altari latenter et decenter collocavit. Contigit paulo post ecclesiolam[l] illam conburi, et vasculum plumbeum cum sanctuario[m] miraculo divino incolume evasit. Deinde procedente tempore presbiter idem in abbatia Caduinii, que erat vicina, se reddidit et sanctuarium illud ibidem dedit.

ibid. 1120. **Anselmus: Maior ecclesia episcopii Monasteriensis in Westvalia — exuritur.**

Gesta ep. Mett. II, 1. **Stephanus fit episcopus Metensis per annos 43, natus ex sorore pape Calixti.**

O. Fr. VII, 15. **Anno 1120. Episcopus Otto: Ea tempestate Stephanus — ad propria revertitur.**

Helin. 179b. **Elinandus: Hoc anno dicitur pugnasse — victoria cesserit.**

Ans Gemb. 1120. **Anselmus: Domnus Fredericus Leodiensium episcopus obit — Balduinus filius eius[97].**

ibid. 1120. **Anno 1121. Anselmus: Optimates regni — penitus est combusta.**

Obiit Guilelmus[n] venerabilis episcopus Cathalaunensis, succedit domnus Ebalus, vir nobilis, filius comitis Andree de Arceis[98], de quo habetur superius in anno 1110.

ibid. 1122. **Anno 1122. Anselmus: Domnus apostolicus visa et recepta legatione imperatoris** sibi genere propinqui, **pertesus et ipse — sedis apostolice.**

O. Fr. VII, 15. **Episcopus Otto: Igitur Romano imperio — de hoc ecclesie scribitur.**

Ans. Gemb. 1122. **Unde sequitur Anselmus: Diu, ut fit — consensus talis est:** ***Ego Henricus — fideliter iuvabo.***

O. Fr. VII, 15. **Episcopus Otto: Rursum imperatori, ut electi — scripto confirmatur.**

Ans. Gemb. 1122. **Unde sequitur Anselmus:** ***Ego Calixtus episcopus — tempore huius discordie.***

O. Fr. VII, 16. **Episcopus Otto: Hoc pro bono pacis — pacemque reformat.**

Will. Tyr. XII, 8. Guido: Per idem tempus inter Calixtum papam et imperatorem Henricum IV. pax reformata est **et scisma sopitum, quod a tempore Gregorii VII. usque ad tempora domni pape Urbani, Paschalis quoque et Gelasii, successorum eius, quasi per 30 annos ecclesiam fatigaverat incessanter.**

Sequitur ex gestis eiusdem Calixti: Anno quarto Calixti pape patriarcha Indorum Iohannes Constantinopolim ad suscipiendum pallium venit, unius anni spatio in itinere

---

a) qui ex filia comitis de Maruel genuit Rodulfum, Iohannem et Eustachiam, ex qua Robertus de Petraponte genuit Iohannem, qui per matrem factus est comes 1. b) Marvelli 2. c) Petramonte 2. d) domnus 2. e) Hainam 2. f) illa 1. g) Petragonicensis 1. h) Naimerus 1. 2. i) *deest* 2. k) suam 2. l) ecclesiam 2. m) sudario 2. n) *deest* 1. 2.

79) Montjai, départ. Seine-et-Marne, arrond. Coulommiers. 80) Saint-Paul, départ. Pas-de-Calais. 81) Nanteuil, départ. Oise, arrond. Senlis. 82) Châtillon-sur-Marne, départ. Marne, arrond. Reims. 83) Montaigut, départ. Puy-de-Dôme, arrond. Issoire. 84) Mareuil-sur-Ay, départ. Marne, arrond. Reims. 85) Pierrepont, dép. Aisne, arrond. Laon. 86) Coucy, ibidem 87) Ida. 88) Balduini III. 89) Chimay. 90) Hans et Villers, départ. Marne, arrond. Sainte-Ménéhould? 91) Orbais, départ. Marne, arrond. Epernay? 92) Breteuil, départ. Oise, arrond. Clermont. 93) Boves, départ. Somme, arrond. Amiens. 94) Gournai-en-Brai, départ. Seine-Inférieure, arrond. Neufchâtel. 95) Anno 1098. 96) Cadouin, départ. Dordogne, arrond. Bergerac. 96*) in oppidulo Brunet. Cf. Le comte de Riant Le saint Suaire p. 9. Quo loco vir cl. etiam diploma quoddam, in abbatia Cadunensi quondam asservatum, Albrici fontem indicavit. Ego diploma illud non vidi. 97) *Comes Hainoniensium — Balduinus filius eius*, haec verba deprompta sunt ex interpolato Anselmi codice, aut F 1. aut F 2. Cf. Bethmanni notam a. SS. VI, 378. 98) Arcis-sur-Aube.

consummato, illius scilicet Indie patriarcha que ultima finem facit. Papa Calixtus pro concordia Romani et Graii regis Constantinopolim legatos miserat, quibus patriarcha Iohannes [a] per interpretem qui a Grecis dragomannus dicitur collocutus [b], intellexit totius orbis Romam caput esse, et cum eis [c] Romam venit. Qui de patria sua requisitus in presentia pape et cardinalium per interpretem dixit: *Civitas cui Domino dante presidemus Ulna* [d] *vocatur, que quidem totius regni Indici caput est atque dominatrix, cuius magnitudo quatuor dierum itinere per circuitum lata extenditur. Meniorum vero, intra que sita est, talis extat grossitudo, quod super eam Romanorum curruum duo pariter iuncti largiter irent. Altitudinis etiam* [e] *tanta est proceritas, ut ad conparationem cellarum Romanarum turrium* [f] *diffusa videatur. Per medium cuius Fison unus de paradisi fluminibus limpidissimus emanat, aquis aurum pretiosissimum atque gemmas foras emittens. A fidelissimis autem christianis universa interius plenissime est* [g] *inhabitata* [h]. *Paululum* [i] *vero extra urbis menia mons separatus est, profundissimi lacus aquis undique septus, in cuius summitate beatissimi apostoli Thome mater ecclesia posita* [k] *constat. In circuitu lacus deforis* 12 *apostolorum monasteria condita sunt. Predictus vero mons nulli homini infra annum accessibilis est. Patriarcha vero semel in anno ingreditur, quia octo diebus ante festum apostoli, totidem post illud abundantia aquarum evanescit. In ciborio ecclesie argentea concha argenteis dependet catenis, ubi sacrum apostoli corpus plenum* [l], *integrum et illesum conservatur, stans super eam etiam tamquam vivens cernitur erectus, ante cuius presentiam aurea lampas accensa balsamo plena ab anno in annum integra* [m] *reperitur. Dividitur fidelibus illud balsamum, et inde fiunt sanitates plurimorum. Patriarcha cum episcopis dependunt cum sacro corpore concham, et sacrum illud corpus in aurea iuxta altare collocant sede. Per voluntatem creatoris primam adhuc retinet formam, cum vestibus suis illesis. Post missam patriarcha in aurea patena conponit hostias, et inclinatis genibus eas apostolo offert, qui per dispensationem creatoris extensa manu dextera provide suscipit eas, et omnis populus unus post alterum accedens, singuli singulas de manu eius sumunt hostias. Si quis infidelis vel erroneus seu peccati macula infectus accesserit, videntibus cunctis apostolus manum retrahit et claudit, nec quandiu presens fuerit aperit. Ille vero aut statim resipiscit aut statim moritur. His expletis sacrum apostoli corpus in dicta concha reponunt. Populus ad sua regreditur; et aqua celerrime in pristinum statum recurrit.* Hec patriarcha in Lateranensi curia recitavit.

Anno 1123. Domnus Adalbero ex clero — ordinatur episcopus. Translatio sancti Guiberti Gemblacensis patroni. Ans. Gemb. 1123.

Guido: In partibus transmarinis Gazi quidam Turcorum satrapa potentissimus partibus Antiochenis multis nocumentis gravissimus oppressor incumbit, quem rex Balduinus cum suis copiis in fugam convertit, suorum innumeris captis et interemptis. Will. Tyr. XII, 9 seqq.

Post Boemundum, Tancredum et Rogerum Balduinus rex principatum Antiochie administravit.

Anselmus: Balduinus Ierosolimorum — *Deo in excelsis.* Ans. Gemb. 1123

Guido: Exercitum mirabilem Egyptii caliphe mirabili virtute prosternunt Ierosolimite, dum rex a Balac [n] Turcorum potentissimo [o] per insidias captus detinetur. Will. Tyr. XII, 21. 19.

Querimonia Virdunensium ad imperatorem delata contra comitem Rainaldum imperator Henrico de Grandiprato comitatum civitatis dedit, qui inprovisus civitatem intravit, et episcopus ad comitem Raynaldum [p] fugit. Pugnatum est acriter ab utraque parte, ita quod pars illius de Grandiprato facta est superior. L. de Leod. c. 26.

Anno 1124. Anselmus: Henricus imperator Aquisgrani natale Domini celebrat. Ans. Gemb. 1124.

Episcopus Otto: Post hoc imperator in Celticam — imperatoris redierunt. O. Fr. VII, 16.

Anselmus: Hiemps solito acerbior — sacro igne aduruntur. Ans. Gemb. 1124.

Anselmus: Tirus Hebrea — Christi imperio subiugatur.

Guido: Ierosolimite initis pactionibus cum Venetianis, qui iam de [q] Egyptiorum classe triumphaverant, gloriose Tyrum urbem maritimam obsessam capiunt, posito adhuc sub Turcorum custodia Balduino rege [1]. Est autem Tyrus urbs antiquissima et munitissima, marinis fluctibus antiquitus circumclusa [2].

Hec a Salmanasar Assiriorum rege prius, cum [r] in ea regnaret quidam Heliseus, obsessa; rex Assiriorum vehementer afflixit cum [r] 12 suorum navibus, 140 naves submersit hostium aut dispersit. Postea Nabugodonosor rex [s] Babilonis, obsidens eam annis 3 et mensibus 10 [t], cum regnaret in ea Iotabalus, cepit eam continuare solo sed non consummavit. Magnus autem [u] Alexander in eius obsidione 7 mensibus perseverans, solo continuatam [v] reddidit et vastavit. Will. Tyr. XIII, 4.

---

a) *deest* 2. b) allocutus 2. c) ei 2. d) Ultima 2. e) enim 1. 2. f) *deest* 1. g) et 2. h) habitata 2. i) paulum 2. k) *deest* 2. l) *deest* 1. m) plena 2. n) Abalac 1. 2. o) potentissimus 2. p) Raynaldum comitem 2. q) cum 1. r) dum 2. s) *deest* 2. t) tribus 2. u) *deest* 2. v) perseverans continentem reddidit 1. 2. *corr. secundum Will. Tyr.*

[1] Locus e Will. Tyr. XII, 25. 22. XIII, 13—16 concinnatus est. [2] Cf. Will. Tyr. XIII, 1—3.

Will. Tyr. XIII, 1 In ea quoque olim[a] legitur regnasse Agenor, cuius filii Cathmus et Fenix, quorum Cathmus Grecas Thebas et litteras primus fecisse[b] scribitur, Fenix Thebas Egyptias et litteras puniceas a se dictas. Unde Lucanus:

Fenices primi, fame si creditur, ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.

Ab ea pretiosum purpure genus et colorem traxit et[c] nomen, unde Tyria diceretur. Ex hac Dido processisse legitur et Carthaginem in Africa fundasse, unde et[c] regnum illud[d] dicitur Punicum, tamquam a Fenice Fenicum. Super hanc Ezechiel propheta iubente Domino planctum assumpsit, ita dicens: *O Tyre, tu dixisti: Perfecti decoris ego sum.* In hac regnavit Iram Salomonis amicus, et ex hac sub eodem fuit Abdemonis cuiusdam filius Abdimus adolescens, qui ea subtiliter evincebat, que Salomon Iram predicto gratia familiaritatis mutue cum pena solvende pecunie sub enigmate proponebat. Hic forsitan ille, qui vulgo Marculus appellatur. Huius etiam urbis Appolonius perhibetur[e] fuisse domnus, cuius late gesta vulgantur. Secundum etiam ewangelium mulier Cananea obviam Domino de finibus illis est egressa[3]. Hec eadem civitas teste Ieronimo corpus Origenis egregii sacre scripture doctoris occultat, quod nunc usque fide cernitur oculata.

Ans Gemb. 1124. Anselmus: Calixtus papa — Hostiensis episcopus.

Mortuus est etiam archiepiscopus Remensis Radulfus et apud Sanctum Remigium[f] honorifice sepultus.

G.Trev. c.26. Godefridus fit Treverensis archiepiscopus.

L. de Leod. c. 26 Mediante Frederico Tullensi comite[g] comes Rainaldus et comes Henricus de Grandiprato apud Caladiam causa pacis convenerunt, et Henricus comitatum Virdunensem illi reddidit. Episcopus vero Henricus dedit eidem Raynaldo Dunum castrum et quatuor villas proximas.

In Dacia post regem Herricum[h] regnavit Nicholaus frater eius. Iste Hericus[i] iacet in Cypro, et eius filius dictus est Canutus[k], a quo descendunt reges moderni.

Huc usque pertingere videtur historia Guilelmi Anglici monachi Malmesberiensis[l].

Anno Domini 1125. Remensium ordinatur Raynaldus archiepiscopus per annos 13.

Ans Gemb. 1115. Anselmus: Hyemps asperrima — uno partu.

Helin. 1125. Secundum Elinandum hyemps asperrima facta et fames valida; et in Hasbania monstrum nascitur ante homo et retro canis.

Ans Gemb. 1125. De hiis duobus capitulis consonat abbas Anselmus et addit: In Gemblacensi parochia — thesauro et armario.

O.Fr.VII,16. Episcopus Otto: Henricus imperator, omnibus bene[m] compositis — morbo corripitur.

Ans. Gemb. 1125. Anselmus ita: Henricus imperator Leodii — Spire relatum est.

O.Fr.VII,16. Episcopus Otto: Anno regni sui 19. diem ultimum clausit — imperatoris cultu sepelitur.

Ans. Gemb. 1125. Anselmus: Mense Augusto in festo beati Bartholomei — de substituendo rege.

Otto Fris. VII, 17. Episcopus Otto: Quia rex Henricus defunctus est absque herede, principes Maguntie conveniunt, ibique tractatu habito de successore, quatuor regni optimates, Lotharius dux Saxonum, Fredericus dux Suevorum, nepos ex sorore[3*] defuncti Henrici, Leopaldus marchio Orientalis, qui sororem iam dicti Henrici, matrem scilicet dicti Frederici, habebat uxorem, et Karolus comes Flandrie ad regnum designantur. Tandem Lotharius — sub presentia sedis apostolice legati confirmatur.

Ans. Gemb. 1125. Anselmus: Lotharius dux Saxonum — epinichion acclamantibus.

Anselmus: Rex Ierusalem — dimittitur.

Guido: Rex data pecunia solutus a vinculis Turcorum satrapam Bursequium, multis eorum prostratis milibus fugat, et Damascenum principem Doldequinum[4].

Hugo comes Campanie factus est Templarius, et Theobaldus nepos eius, comes Carnotensis, fit etiam comes Campaniensis; et abhinc dissensiones multe ceperunt oriri, siquidem comes Hugo duxerat in uxorem Elizabeth sororem comitis Raynaldi de Burgundia et comitis Guilelmi de Ultrasagonnam; et illa peperit filium Odonem nomine de Canlita[5], et dictum est[n] a phisicis comiti Hugoni, quod ipse non habebat possibilitatem generandi, et idcirco consequens erat, eundem Odonem non esse suum filium, sed alterius. Et hec[n] fuit causa, qua comes Hugo dictum Odonem non constituit sibi successorem.

Anno 1126. In Ungaria regnat Lodislaus II. anno uno.

Obiit episcopus Ebalus Cathalaunensis, succedit quidam magister Albricus.

Apud Tullum post episcopum Richuinum fuit Henricus episcopus, frater ducis Simonis de Nanceio et illius Theoderici, qui postea[6] fuit comes Flandrensis.

V.Norb.c.17. c 15. c. 18. Domnus Norbertus Premonstratensis ordinis institutor missus est ad partes Alemannorum a comite Campanie Theobaldo[o] ad accipiendam et deducendam sibi uxorem, filiam cuiusdam Ingelberti nobilis marchionis Foroiuliensis; et fratres eiusdem Ingelberti erant episcopus Ratisbonensis et archiepiscopus Coloniensis Fredericus. Et[p] hac occasione contigit ipsum Norbertum venire ad curiam Lotharii, in imperatorem electi, qui venerat[q] Spiram; et ibi

---

a) *deest* 1. b) fuisse 1. c) in 1. d) *deest* 2. e) prohibetur 1. f) Dyonisium 2. g) comite Frederico Tullensi 1, *sed ut* 2, *ita Laurentius.* h) Henricum 1. i) Henricus 1. k) Tanuchus 2. l) Malbesberiensi 2. m) pene 1. 2. n) *deest* 2. o) Theobaldo Campanie 2. p) Ex 2. q) venerant 1. 2.

3) Matth. 15, 22. 3*) Agnete. 4) Cf. Will. Tyr. XIII, 15—17. 5) Champlitte, départ. Haute-Saône, arrond. Gray. 6) Anno 1128.

cum venissent illi de Madeburc ad postulandum sibi archiepiscopum, annuente Metensi primicerio Alberone post episcopo Leodiensi, electus est in archiepiscopum de Maideburc domnus Norbertus et statim a Lothario investitus.

Anselmus: Hyemps acerrima — fructu arborum[a] acerrime. Ans. Gemb. 1126

Obiit in Hibernia archiepiscopus Celsus de Ardinaacha et metropolitanus totius Hibernie, qui sibi sanctum Mala- V. s. Malach. p. 95.
chiam constituit successorem[b], volens abolere detestabilem consuetudinem, que inoleverat per hereditariam quorundam[a]
successionem.

Anno 1127. In Ungaria regnat Stephanus anno 1.

Anselmus: Rex Lotharius natale Domini etc. usque labuntur. Ans. Gemb. 1127.

Episcopo Otto: Lotharius per omnia progeniem — excommunicantur. O. Fr. VII, 16.

Anselmus: Anathema in medio — proditoris Iude. Quidam Flandrensium proceres domnum suum Karolum Ans. Gemb. 1127.
comitem Morinorum Brugis[c] in templo sancti Donatiani psalmos canentem iugulant.

Ex vita eiusdem Karoli: Iste Karolus erga egenos clementissimus, apud Ypram una die 7800 panes pauperibus Vita Karoli c. 11. 12.
erogavit; clericorum et monachorum causas in curia ante omnes alias[d] sua expediebat. Prepositus quidam non laicus, c. 14.
sed clericus erat Brugensis[e] nomine Bertulfus archicapellanus et cancellarius totius curie Flandrensis, vir ditissimus et
parentum multitudine stipatus. Cuius consanguineam quidam nobilis habuit, et huic in curia comitis alius nobilis respondere c. 15.
ut libero refutavit, eo quod haberet consanguineam prepositi. Hec redundare videbatur calumpnia. Unde non solum
contra predictum militem, sed etiam contra Karolum tota parentela[f] prepositi exarsit in iram. Quidam quoque Buchardus c. 16.
nepos ex fratre dicti prepositi contra virum nobilem Tagmarum castellanum de Brugis[7] inimicitias graves c. 17. 19.
exercebat; a dicto Buchardo et suis treuge infracte et rapine facte sunt in absentia comitis. Reverso comite per iustam c. 20. 21.
sententiam munitio Buchardi destructa est, nepotis prepositi. Facta ergo coniuratione a parentela illa, comes Karolus in c. 24. 25.
ecclesia sancti Donatiani hora tertia cum psalmos septem[g] penitentiales decantaret, et ad *Miserere mei Deus* venisset, a
Buchardo et sociis eius occisus est. Ideo occisus est, quia a rectitudine non declinavit. Tagmarus quoque Brugensis c. 27 28.
castellanus ibi occiditur, et filii eius. Arnulfus abbas Blandinensis corpus comitis in monasterio suo[h] voluit sepelire, sed c. 29.
Brugenses tam clerici quam laici cives non permiserunt. Puer contractus eodem tempore ibi sanatus est. Quarta feria c. 30 31.
occisus, sexta feria sepultus est in eodem loco, in quo fuit occisus[i]. In altera vero ecclesia obsequium celebratum est. c. 32.

Anselmus: Unus atque idem sathanas — satis fine perierunt. Ans Gemb. 1127.

Ex vita Karoli: Primus in Flandria cepit vindictam Gervasius cum 30 equitibus, vicinus[k] Brugis[l]. Deinde V. K. c. 33. 35.
Arnulfus advocatus Tarwanensis. Balduinus Gandensis et Daniel Tenremondensis, Galtherus Lilariensis, Riquardus Wlnensis[m] c. 36.
et Theodericus de Dikemua Gervasio adiuncti[n]. Guilelmus de Ypra venit Tarwanam[o]. Prepositus Bertulfus fugit ad c. 35 37.
Alardum[p] de Warnestim, qui tandem iussu Guilelmi de Ypra comprehensus, Brugis patibulo appensus[q] confessionem c. 38.
fecit et penitens obiit. Buchardus autem apud Insulam fuit appensus. c. 42.

Guido: Rex Francorum Ludovicus, militie gestis et regia magnanimitate preclarus, quanta regem decuit, exercuit indignatione vindictam in quosdam Flandrensium nobilium proditores, qui domnum suum comitem Flandrie Karolum, quem quia malefactores extirpare nitebatur et raptores e suis finibus oderant, confoderant gladiis Deum orantem in ecclesia et crucis ad instar expansis in terra manibus adorantem.

Elinandus: In auctores sceleris — in Franciam aufugerunt. Helin. 1127.

Guillelmus de Ypra comitatum Flandrie sibi vindicavit. Aream, Sanctum Venantium, Casletum, Bellulam, Ypram, V. Kar. c. 43.
Bergensem et Furnensem terram sibi subiecit et pacem servari[r] mandavit. Rex vero venit Atrebatum et invasionem c. 44.
Guilelmi egre tulit. Guillelmum vero Normannum ducis Roberti filium mandavit, qui regine sororem nuper duxerat.
Isti ergo volebant esse comites: Guilelmus de Ypra Arnulfus nepos Karoli et Balduinus Montensis, sed consilium
regine prevaluit, et Guilelmus Normannus fit comes 10. Kalendas Aprilis. Rex Anglie Henricus Flandrias reclamabat c. 45.
et misit nepotem suum Stephanum Bolonie et Merothonii comitem ad multorum animos promissis et muneribus sollicitandos. Ducem Lovanii socerum suum, Balduinum Montensem et Thomam de Coci et Guilelmum de Ypra in parte sua
habuit. Comes tamen Guilelmus Normannus per presentiam regis prevaluit.

Unde Anselmus: Comitatus Morinorum a Ludovico rege Francorum datur Guilelmo filio Roberti comitis Nor- Ans. Gemb. 1127.
mannie, fratris Guilelmi[s] regis Anglorum. Hunc Robertum olim ab Ierosolimis redeuntem — idem frater suus Guilelmus[r] rex Anglorum Normannia expulerat et eam sibi subiugaverat fratremque in Anglia in custodia libera redegerat, sed per Balduinum Flandrie comitem, Karoli antecessorem, Guilelmus iste Roberti filius Normanniam contra regem Anglie recuperavit, et idcirco rex Anglie[t] dolebat de illius promotione.

De reliquis qui se absconderant proditoribus in munitione Brugis, quod nullum saporem sentiebant in alimentis. Post Vita Karoli c. 46. 47.
53 dies effosso tumulo inventum est corpus comitis incorruptum et sine fetore, quasi ea die fuisset occisus. Per Symonem Tornacensem episcopum ecclesia reconciliata, corpus deportatur ad tumulum.

Rege Ypram tendente, supradictus Guilelmus stulte se illi opposuit, Guilelmus capitur, Ypra inceditur, Flandria c. 48. 49.
subiugatur, et vindicta exercetur. Hec omnia infra[u] duos menses post mortem comitis sunt facta. Frater autem Karoli[v] c. 52. 2.

---

a) *deest* 2. b) uxorem 2. c) Burgis 2, *et ita semper; cum auctore vitae ipso* 1 *scripsisse videtur:* Brugis, *uno tantum — si viro docto Turles fidem attribuere licet, — loco excepto. Cf. infra not.* l. d) ante om. al. in cur. 2. e) Burgensis 2, *et ita semper; cf. notam* c. f) prepositi parentela 2. g) septem psalmos 2. h) in mon. suo corpus comitis 2. i) loco quo occisus est 2. k) vicinis 1, *sed cum Vita Karoli, in qua Gervasius* vicinus sceleratorum *appellatur, cod.* 2. *consentit.* l) vicinis Burgis 1, *ut Turles legit; sed Pabst neque hoc, neque alio loco* 1 Burgis *scripsisse annotavit. Cf. supra not.* c. m) Walnensis 2. n) advincti 1, *sed ut* 2 *ita auctor vitae Karoli.* o) Terwanam 2. p) Bernardum 1, *in marg.* Alardum. q) Brugis patibulo appensus *desunt* 1. r) *deest* 2. s) Henrici 2. t) recuperavit — Anglie *desunt* 1. u) per 2. v) ex matre et patre *add.* 1, *cum vero haec in* 2 *desint et auctor vitae Guilelmum ab alio patre oriundum esse expressis narret verbis, quin a scriptore cod.* 1 *addita sint haud dubitari licet.*

7) Tagmarus de Straten officio castellani Brugensis functus non est; auctor eum confudit cum Brugburgensi castellano Teinardo, quem scriptor cod. I. vitae Karoli Tangmarum vocat.

Guilelmus post patrem defunctum dux Apulie, audita morte fratris sui Karoli[a] cepit lethaliter languere et quidquid habebat sancto Petro et pape Honorio delegavit in presentia archiepiscopi Salernitani et Troiani episcopi, et ita obiit.

Ans. Gemb. 1127. Anselmus: Rex Lotharius apud Bavenberch — et aquam elicuit.

Apud Cathalaunum Herbertus fit episcopus.

Comes Raynaldus Barri fit vitricus comitis Frederici Tullensis et fratrum suorum Theoderici et Wedrici.

Anno 1128. In Hungaria regnat Stephanus annis 8.

ibid. 1128. Domnus Adalbero Leodiensis episcopus etc. usque redit. Dominica die — horam nonam. Cum intrante Martio — tandem inefficax rediit.

O. Fr. VII, 17. Episcopus Otto: Conradus namque a fratre Frederico ac quibusdam aliis — eius subrogatur.

Helin. 1128. Post Gaufridum Rothomagensem episcopum fit archiepiscopus Hugo Cluniacensis monachus. Iste Hugo — de Cluniaco fuerat assumptus.

L. de Leod. c. 26. Henricus Virdunensis episcopus accusabatur a suis de incontinentia, de symonia, de rerum ecclesie dilapidatione. c. 27. Qui Romam profectus remissus[b] est ad Matheum Albanensem qui erat in Francia legatus.

Helin. 1129. Magister Hugo Farsitus[c]: Anno Domini 1128. in pago Suessionensi — ecclesiam persequendo effugasse.

Ans. Gemb. 1129. Anno 1129. Cum intrante Ianuario — Augusti feria quarta.

Anselmus: Hoc anno plaga ignis — ad hoc sufficere posset.

Anselmus: Remis hoc anno — prima luna, quinta feria. Balduinus rex Ierusalem moritur.

Domus sancti Victoris Parisiensis, que erat prioria nigrorum monachorum sancti Victoris de Massilia, eiectis predictis monachis adductus est conventus regularium de Sancto Rufo de Valentia per magistrum Hugonem, qui dictus est de Sancto Victore, et de regis auctoritate, et ita multiplicata religione, habet ordo iste bene 30 abbatias et plus quam 80 priorias.

L. de Leod. c. 27. Matheus Albanensis legatus ex ordine Cluniacensi concilium tenuit apud Cathalaunum in purificatione beate Marie virginis, ubi de consilio beati Bernardi abbatis Henricus Virdunensis episcopus episcopatum dimisit, c. 28. et factus est episcopus Virdunensis per biennium quidam Droinus abbas Sancti Dyonisii[d] Remensis; et comes Barri Raynaldus infra hoc biennium fecit sibi turrim in civitate Virdunensi et multa mala fecit[e].

Eodem tempore Sybodoni comiti de Hocstaden sive de Are[f] [9] diabolus in specie armigeri multo tempore servivit, castrumque ei edificavit. Cumque die quadam comes propter suam necessitatem staret ad[g] cameram necessariam, vidensque lunam stantem in superiori parte circuli sui, dixit predicto servienti: *Quid tibi videtur de luna?* Qui respondit: *In eius creatione presens fui.* Insuper et de etate lune a prima sua[h] creatione et mundi origine ei manifestavit. Tandem licentiatus a comite cum sua confusione per foramen ipsius camere coactus est discedere.

Anno 1130. Cum beatus Bernardus quadam die venisset apud Divionem et hospitatus fuisset[i] de nocte in abbatia sancti Benigni quam semper dilexit, eo quod mater eius ibi sepulta est, audivit ante orologium circa altare ab angelis antiphonam *Salve regina* etc. dulci modulatione decantari. Primo credidit fuisse conventum et dixit abbati die sequenti: *Optime decantastis hac nocte[k] antiphonam de Podio circa altare beate Virginis.* Dicebatur autem antiphona de Podio, eo quod Naymerus[10] Podiensis episcopus eam fecerit[l], et inventum est, quod illa hora, quando antiphona audita est, adhuc conventus[m] dormiebat; et extunc cum frequenter ad memoriam antiphonam illam reduceret, audivit eam etiam, ut vulgatum est, circa altare beate Virginis in Claravalle decantari. Unde in quodam generali capitulo[n] Cisterciensi veniam suam accepit, quatenus hec antiphona ab omni ordine reciperetur, quod et factum est.

Ans. Gemb. 1130. Anselmus: Lotharius rex urbem Spiram alternis[o] annis obsessam — immunitate concessa.

Lambertus qui et Honorius papa moritur.

Hugo S. Vict. 126. Sedit annis 5, mensibus 2.

Huc usque magister Hugo de Sancto Victore cronicam suam de Romanis pontificibus et imperatoribus digessit[p]. Unde manifestum est[q] ipsum hoc tempore floruisse. Hic multa scripsit laude digna, que in armariis habentur. In quibus hec sunt: Hugo de sacramentis. Hugo super hierarchiam Dyonisii. Didascalicon Hugonis. Hugo de tribus virtutibus, fide, spe et karitate. Exponit etiam luculento sermone regulam beati patris nostri Augustini[10*], et multa alia scripsisse dicitur. Sed et quandam epistolam prolixam scribit ad beatum

---

a) *deest* 2. b) missus 1. c) Forsitus 1. d) beati Remigii 2. e) fecit mala 2. f) de Are *desunt* 2. g) in 1. h) sui 1. i) fuit 2. k) ant. de Pod. hac nocte 2. l) *in marg.* 1 *manu saec. XV:* Nota quod Naymerus episcopus Podiensis fecit antiphonam Salve regina. m) conventus adhuc 2. n) capitulo generali 2. o) a tribus 1 *manu saec. XV. corr.* p) *in marg. manu saec. XV. habet* 1: Nota de fine Hugonis de Sancto Victore. q) *deest* 1.

9) Inter comites de Hochstaden et Ahr Sybodo non recensetur. 10) Legendum est: *Ademarus*, 1087—1100. 10*) De hoc loco cf. supra p. 642.

Bernardum. Dicunt eum natum fuisse de Saxonia. Hugo vero, qui scripsit de avium natura moraliter et allegorice et de claustro anime et de medicina anime, fuit de ordine Premonstratensium[a], ut dicitur, canonicus[11]. Tertius Hugo[b], qui scripsit Minorem Ecclesiasticam Hystoriam ad comitissam Campanie Adalam matrem comitis Theobaldi, fuit niger monachus Floriacensis, id est de Sancto Benedicto super Ligerim in dyocesi Aurelianensi.

Anselmus: Romane ecclesie pax interpolatur — Gregorius privilegium electionis — sibi usurpat. Petrus altitudine sanguinis glorians — incendiis grassatur. Hoc qualiter factum sit in Vita beati Bernardi plenius continetur[12]. Ans. Gemb. 1130.

Sequitur Anselmus: Gregorius veritus — Francorum celebratur. ibid 1130.

Episcopus Otto: Honorio papa mortuo cum schisma gravissimum in ecclesia Dei esset ortum Innocentio canonice — obvios habuit. Otto Fris. VII, 18.

Unde sequitur Anselmus: Lotharius rex Alemannie ab episcopis suis persuasus legationem a Francis de Gregorio benigne honoravit et in eius electione manum dedit. Ecclesia sancti Petri — cum toto oppido. Perone[c] ecclesia — comburitur. Ans. Gemb. 1130.

Fulco comes Andegavensis fit rex Ierusalem, ducta in uxore Melissende filia regis Balduini nuper defuncti. Frater huius Fulconis dictus est Gaufridus, post illum comes Andegavensis, qui duxit in uxorem relictam imperatoris Henrici Mathildem imperatricem, filiam regis Anglorum Henrici.

Rex Dacie Nicholaus cum filio suo Magno filium[d] fratris sui Herici cognomento Semperboni[13], in Cypro defuncti[14], Kanutum videlicet, cuius tutor ad regnandum esse debuerat, interfecit[15]. Quod audiens rex Lotharius, qui Kanutum exaltaverat, contra Daciam tendit, sed Nicholaus cum filio suo Magno ipsum pecunia placaverunt et pacem cum eo fecerunt. Quod ut vidit frater Kanuti, Hericus nomine, scilicet[e] ex alia matre natus, ad vindictam fratris animum intendit et congregatis omnibus, qui in parte eius esse voluerunt, fugit ad archiepiscopum Accerum et optinuit Scaniam insulam[16] et civitatem nomine Londam. Et rex Nicholaus et filius eius Magnus congregatis principibus suis et episcopis et copiosa multitudine ibi[f] eum insequitur. Unde sequitur Anselmus: Apud Scanthiam insulam Dacie quinque episcopi cum regis sui filio nomine Magno ac multis populis secunda feria pentecostes publica congressione perierunt prelii. Auct.Gembl. 1131. Sive dicatur Scanthia sive Scania seu[g] Scandinavia, ipsa est[h] eadem una[i] insula, in qua continetur civitas Lunda, que est Dacie metropolis. De hac autem congressione et morte Magni filii regis Nicolay et quinque episcoporum et relique multitudinis dicitur a quodam abbate ordinis Cisterciensis de Suecia, quod ipsa die, qua mutuo se interfecerunt, vise sunt a pastoribus in Hysselandia anime eorum avolantes in similitudine nigrorum corvorum et aliarum avium diversi generis et clamantes: *Ve, ve, nobis, quid est quod fecimus? ve ve nobis*[k], *quid nobis contigit?* Et alie immanissime aves quasi griphes istas inpellebant, et ipsis pastoribus videntibus omnes in infernum Hysselandie ceciderunt; et unus ex illis qui vidit fuit postea monachus Cisterciensis ordinis, qui omnia que vidit per ordinem sepissime referebat. Sed et abbates de Dacia in generali capitulo apud Cistercium per omnia vera esse protestati sunt.

Rex vero Nicholaus fugiendo apud civitatem Slesvic occiditur[17].

De eodem quoque inferno Hysselandie sito in monte qui vocatur Eclafeld[18] plena continetur narratio domni Herberti in libro miraculorum Clarevallis. In parte, inquit, aquilonari insula grandis esse cognoscitur Hysselandia vocitata christiane fidei subdita atque devota. Est autem in ea mons quidam arduus et enormis magnamque occupans ipsius regionis partem[l], sub quo et in quo homines loci maximum arbitrantur esse infernum. Iste ergo mons undique cavernosus vel potius concavus totus ardens atque flammivomus igne perpetuo semper exestuat, qui eum[m] foris et intus usque ad fundamenta, imo vero ultra fundamenta penetrat atque devastat; siquidem ille ignis terribilis non modo sub fundamento montis, verum etiam sub fundo maris vivere ac sevire certis indiciis comprobatur. Et quidem illa famosissima olla[h] Vulcani de Sicilia que gehenne spiraculum dicitur et ad quam morientium anime damnatorum ad comburendum, ut sepe probatum

---

a) Premonstratensi 2. b) *deest* 2. c) Ecclesia sancti Fursei Perone 2. d) filio 1. 2. e) licet 2. f) *deest* 2. g) sive 2. h) *deest* 1. i) una eademque 2. k) ve ve — nobis *desunt* 1. l) partem ipsius regionis 2. m) cum 1. 2.

[11] Num idem est atque ille quem Helinandus et Helinandum sequens noster Hugonem Farsitum dicit? De quo cf. supra ad a. 1128.

[12] lib. II, cap. 1.

[13] Id est Ejegod.

[14] Anno 1103. die 10. Iulii.

[15] Anno 1131. die 6. Ianuarii.

[16] Schonen.

[17] Anno 1134. die 25. Iunii.

[18] Hecla; Leibnitio ad hunc locum monente *feld* significat montem.

est, cotidie protrahuntur, respectu inmensi barathri huius, ut asserunt, quasi fornacula reputatur. Tanta vero est in illa horrenda montis voragine interiori conflagratio ignium, ut exurgentes undique flammarum multiplices atque inmense piramides ad nubes usque pertingant, ipsisque recidentibus alie atque alie insurgant; prout illas sevientis incendii, alias evomendo alias resorbendo vehementer mons exagitatus[a] est, adeo ut illa pars celi semper ardere videatur. Preterea quedam saxee moles ad instar montium prominentes hiisdem flammeis globis inesse cernuntur[b], que de inferiori[c] ventre flammarum vehementia violenter evulse cum impetu magno ad superiora rapiuntur, rursumque pondere suo deiecte ad yma baratri revolvuntur. Nec silendum existimo, quod ignis iste tartareus quandoque — licet raro — excedere soleat limites suos. Denique temporibus nostris quadam vice tam vehementer erupisse visus est, ut maximam regionis illius partem circumquaque disperderet[d], qui non solum villas et edificia queque combussit, verum etiam herbas arboresque radicitus exurens, ipsam quoque humum cum suis ossibus conflagravit. Et quidem[e] montes saxei seu etiam[f] metallini a facie ignis huius[g] — quod dictu[h] mirabile est — sicut cera penitus defluxerunt et defluendo terram operuerunt, ita ut undique ipsorum liquamine valles replerentur et montana campestribus equarentur. At vero saxa liquefacta et super totam humum circumquaque diffusa cum recedente igne postmodum duruissent, apparuit superficies terre quasi marmorea ac veluti pavimenta lapidea strata, et redactum est[g] in solitudinem solum[i], quod prius habitabile fuerat atque fructiferum. Cum igitur ignis iste sevissimus terram illam et universa que in ea erant insatiabili voracitate depastus fuisset, adiecit etiam terribiliore miraculo, ut et mare vicinum invaderet, ingressusque altitudinem pelagi cepit inaudita sevitia usque ad[k] abissum comburere atque consumere aquas. Preterea vero ingentes montium et collium moles, quam relinquendo voracissima flamma subverterat[l], tanto secum impetu traxit, ut recedentibus aquis loco earum terra succederet, et transferrentur montes in cor maris, qui cum equora longe lateque cumulo tenus replevissent, et abyssi magne voraginem salso littori coequassent, conversum est mare in aridam, ita ut in eodem loco, in quo penitus aque extiterant, ibi postmodum per 12 milliaria terra solida haberetur. Porro in illa conflagratione disperiit villa quedam nobilis atque populosa habens in introitu maris portum egregium, quem et ipsum sublato equore constat fuisse deletum. Huc usque relatio domni Herberti.

Ecclesia Novi Monasterii Hoiensis dedicatur[19].

L. de Leod. c. 29. Anno 1131. Apud Virdunum factus est episcopus Albero de Chisneo frater comitis Ottonis, non tamen
c. 30. uterinus, filius comitis Arnulfi. Qui illico turrim, quam comes Barri in Virduno erexerat, deiecit. Comes Otto
de Cisneio[20] frater eius iam decesserat, cuius erat filius comes Albertus de Alaide, sorore
c. 31. comitis Godefridi Namucensis. Postea fecit pacem episcopus cum comite Barri pro quadam summa[m]
et dedit ei feodum Clarimontis[21] et feodum de Hans[22] et de Vienna[23], et ita comes civitatem ei quietavit[n].

G. Tr. c. 29. Albero fit archiepiscopus Treverensis.

Ans. Gemb. 1131. Anselmus: Gregorius qui et Innocentius, multo comitatu — Leodium venit; — estimati sunt a quibusdam
A. A. III, 27. 32 episcopi affuisse et abbates 53. Inter quos fuisse dignoscitur sanctus abbas Bernardus Clarevallensis.

O. Fr. VII, 18. Episcopus Otto: Papa Innocentius profectus apud Leodium — Romane ecclesie promittit.

A. A. III, 27. Rediens a Leodio summus pontifex Claramvallem divertit.

Ans. G. 1131. Anselmus: Gregorius qui et — archiepiscopus obiit.

Helin 1131. Idem papa Innocentius monasterium — dedicavit.

Cum beatus Bernardus in episcopum Cathalaunensem fuisset electus recusavit, et per ipsum Gaufridus abbas Sancti Medardi Suessionensis fit episcopus Cathalaunensis.

Ans. Gemb. 1131. Anselmus: Civitas Ultraiectum — sancte Marie.

Hugo comes Sancti Pauli qui dictus est Canna avene, exortis inimicitiis contra oppidanos Sancti Richarii in pago Pontivo, totum oppidum cum ecclesia sancti Richarii penitus combussit. In qua ecclesia aliquanti monachi et inestimabilis multitudo utriusque sexus — quod dictu nefas — simul concremata periit.

In Lunbardia fundatur abbatia sancti Andree Ianuensis[24]. Ibi habetur maior pars corporis sancte Barbare virginis, que passa fuit in Tuscia.

Abbatia Aureevallis Treverensis dyocesis 7. Idus Martii fundatur.

---

a) vehemens exagitatus 1. 2. b) videantur 2. c) inferi 2. d) disperderent 1. e) quidam 2. f) *deest* 1. g) *deest* 2. h) mirabile dictu 2. i) stratum 1. 2. k) in 2. l) subliterat 2. m) *deest* 1. n) quitavit 1.

19) Cf. Aegid. Aureavall. III, 26. 20) Chiny. 21) Clermont-en-Argonne? 22) Hans, départ. Marne, arrond. Sainte-Ménéhould? 23) Vienne-le-chateau, ibidem? 24) Andrea di Sesto.

Anno 1132. Anselmus: Rex Lotharius natale — in eundo patitur. Ans. G. 1132.

Episcopus Otto: Reverso in Italiam — ad patriam repedaverat [a]. O. Fr. VII, 18.

Cum eodem Lothario Romam abiit Bruno electus archiepiscopus Coloniensis. Hic est Bruno, qui de electione et promotione sua beatum Bernardum per epistolam consuluit [25]. Cat. aep. Col.

Obiit sanctus Hugo Gratianopolitanus episcopus anno 52. sui pontificatus, qui multum fuit familiaris beato Bernardo.

Sanctus igitur Bernardus in Francia et Burgundia et sanctus Malachias in Hibernia clarent sanctitate et doctrina et multa [b] miraculorum gloria. Qui Malachias anno etatis sue 38, videlicet hoc anno, civitatem Ardinacha, in metropolitanum [c] confirmatus, pulsis incubatoribus intravit. Helin. 1133. et V. s. Mal. p. 97.

Synodus magna apud [d] Pisas celebratur ab Innocentio papa, et facta sunt ea, que de statu huius temporis in Vita beati [d] Bernardi [26] continentur. Helin. 1133.

Circa hoc tempus mortuus est Symon domnus de Brois [27], cuius relictam, Felicitatem nomine, duxit Gaufridus Grossus de Iovevilla [28], ac per hoc domnus Hugo de Brois, filius huius Symonis, terram circiter per annos 80 tenuit.

Anno 1133. Anselmus: Quarto nonas Augusti — in imperatorem benedicitur. Ans. G. 1133.

Episcopus Otto: Rex Lotharius plus mente — augusti nomen assequitur. O. Fr. VII, 18.

Anselmus: Sed Romanorum avaritiam — sunt ementita. Ans. G. 1133.

Rex Anglorum Henricus obiit mense Decembrio. Vir pauperibus et ecclesie Dei multe benignitatis, qui honorifice apud Radinges [29] sepelitur, titulo istiusmodi supposito: Auct. Gemb. 1133.

Orbis honor patrieque pater, rex regula legum [e],
Iuris apex, tumulo clauditur ecce brevi.

Factus est abbas Stabulensis vir eminentissimus Wibaldus per annos 27, qui etiam Corbeie [f] prefuit.

Anno 1134. Henricus primus abbas Vallisclare [30] Laudunensis dyocesis factus fuit archiepiscopus Eboracensis in Anglia, amoto quodam sancto Guilelmo per papam. Et post 7 annos mortuo domno Henrico, restitutus est idem vir sanctus Guilelmus, sed paulo post decessit veneno in calice ad missam infecto. Cui oblata fuit tyriaca, sed ob reverentiam sacramenti noluit recipere; et modo fiunt ad tumbam eius miracula, oleo, ut dicitur, inde [g] emanante.

Sanctus abbas Wasleus [g] de Mailros [31] araneam in calice lapsam cum sacramento absorbuit, et nichil ei nocuit, sed per minimum digitum de corpore eius exivit.

Comes Raynaldus Barri mediante fratre suo Stephano Metensi episcopo tandem fecit pacem cum episcopo Virdunensi Alberone et [h] eodem anno idem Raynaldus per proditionem Bullonicum castrum sancti Lamberti obtinuit [32]. L. de Leod. c. 31.

Obiit domnus Norbertus archiepiscopus de Medeburch 8. anno sui pontificatus. V. Norb. c. 22.

Anselmus: Congregatio Malisnensis ecclesie — nimis sunt ementita [i]. Kalendis — penitus exterminaret. Ans. Gemb. 1134.

Anselmus [k]: Theobaldus comes Blesensis [l] — eminet in Francia.

Hoc anno cepit edificari heremus Montis Dei [l] 10. Kalendas Iunii per abbatem Odonem Sancti Remigii Remensis ex oblationibus offerentium ad miracula sancti Gibriani.

Anno 1135. Ludovicus Grossus rex Francorum obiit, filius eius equivocus ei succedit.

In civitate Tornaco — Suevorum paciscuntur. A. Gem. 1135.

Episcopus Otto: Imperator ab Urbe regressus — magnifica munera suscepit. Otto Fris. VII, 19.

Cum regnasset Hericus aliquanto tempore in Dacia, qui fratrem suum Canutum vindicavit, moritur filio ex ancilla Suenone relicto. Canutus vero rex et martyr, a Magno occisus, filium legitimum Waldemarum et duas filias dereliquit, et ipse Magnus, qui male periit, filium Canutum et filiam unam dereliquit. Unde omnes isti cum adhuc essent pueri, quemdam Hericum de regio genere barones Dacie regem sibi prefecerunt.

Pannonia vero mortuo rege suo — solventes, occubuerunt. ibid. VII, 21.

Herbertus in libro miraculorum Clarevallensis de solitario, qui erat in Alemannia per 14 annos sine tecto et sine indumento, contentus etiam victu porcino: Ego Achardus dum aliquando conversarer in episcopatu Treverensi pro construendo cenobio, quod Claustrum nominatur, vidi beatissimum heremitam nomine Scothelinum [m], cuius vitam admirari possumus, non imitari. Qui annis 14 solivagus ac toto corpore nudus Herbert. I, 6.

---

a) *in iis quae oppressi* 2 *omisit:* Domnus Bruno — fit archiepiscopus. b) multorum 2. c) Ard. metropolitanam 2. d) *deest* 2. e) regum 1. f) Corbie 1. g) *deest* 1. h) et in 2. i) Iste annus — nimis sunt ementita *desunt* 2. k) *deest* 2. l) *quae post verbum* Blesensis *sequuntur usque* Montis Dei *desunt* 2. m) Stochelinum 2.

[25] Cf. S. Bernardi opera.
[26] lib. II, cap. 8.
[27] Broyes, départ. Marne, arrond. Epernay.
[28] Joinville, départ. Haute-Marne, arrond. Vassy.
[29] Reading.
[30] Vauclère, départ. Aisne, arrond. Laon.
[31] Melrose in Scotia meridionali.
[32] Cf. Aegid. Aureavall. III, 25.

montibus et silvis pro Christi amore oberrans ac latitans perduravit, celum habens pro tecto, aerem pro vestimento, pecorinum victum pro cibo humano, videlicet herbas agrestes et crudas radices, faginam et glandem pro magnis petantiis et deliciis. Talis rigorem propositi per decennium custodivit. Deinde 4 annis ante suam dormitionem necessitate coactus hiemis ad proximas villulas, non tamen nisi nocte descendebat, et accepto fragmine panis ordeacei vel furfurei aliquoties crustulam[a] ruminabat, hora autem lucana recedens. Cuius audita virtute beatus Bernardus ei pro signo caritatis tunicam misit et caligas, rogans ut pro eius amore indueret ipsas[b]. Tandem post fugam nobis videndum se prebuit et ait: *Benedictus Deus qui dedit in corde apostolici viri, ut peccatoris et miseri hominis memoriam habere dignetur, et nunc pro amore ipsius vestimenta transmissa obedienter accepi et indui, diutius tamen ea portare non valeo, quia nec opus est mihi, nec ipse mandavit.* Et cum quereremus ab eo edificationis gratia de suis tentationibus, inter alia tale exemplum retulit: *Quadam die cum iacerem nudus in terra et nix operuisset omnia, de ipsa nive magnum habebam opertorium et amplum, atque ad unius cubiti mensuram fere condensum, ita ut de corpore meo nichil penitus appareret, tantummodo circa faciem virgula fumantis anhelitus modicam fecerat[c] aperturam, cum lepusculus fugitans casu venit ad ipsum foramen, qui suavitate caloris illectus illico substitit, et super caput meum ibidem[d] accubavit; tunc ipsa[e] novitate rei subrisi, et deiectus est animus a statu solite gravitatis, et incidit temptatio bestiolam capiendi et contrectandi, sed donante Domino superari. En istud unum de maioribus temptamentis, que a multis retro diebus tolerasse me memini.* Tunc beatum Bernardum humillime resalutavit et sese orationibus eius[f] commendavit et liberis saltibus a nobis avolavit. Qui appropinquante die dormitionis sue revelante Domino ad propinquiorem villulam accessit, ubi percepto dominici sacramenti viatico letantibus angelis animam reddidit. Ad cuius exequias populi innumerabiles convenientes[g], novam ecclesiam super ipsum construxerunt; postea corpus eius translatum est apud Luscelburgum, et in ecclesia beate Marie honorifice tumulatum, ubi sanitates et miracula fiunt. Acardus autem qui hec retulit in senectute bona in Clarevalle obiit.

In Ungaria regnabat Bela cecus per annos 10.

Cont. Gemb. 1136. Anselmus: Rex Anglorum — multe liberalitatis.

Anno 1136. Anselmus: Cenobium sancti Vedasti — esse referuntur. Anselmus octavus abbas — notitie dereliquit.

Godefridus dux Lovaniensis et comes Namucensis rupto pacis federe hostiliter inter se concertarunt multo tempore. Erat autem cernere — ecclesiastice persone.

Domnus Albero[h] ex clero Metensi assumptus datur Leodiensium episcopus.

A. A. III, 28. Legitur[i], hunc fuisse de prosapia Namurcensi, et quod filius sororis sue[k] fuerit[l] dux Lovanii.

C. Gem. 1136. Rex Lotharius multo — revocare concordiam.

Otto Fris. VII, 19. Episcopus Otto: Imperator Lotharius exercitum non ut prius — ante expugnaverat et destruxerat.

C. Gem. 1136. Angli diu[m] habita deliberatione, quem sublimarent regio nomine et honore, sine liberis defuncto Henrico rege, Stephanum nepotem eius ex sorore constituerunt pro eo regnare. Hic Stephanus fuit frater comitis Theobaldi Campaniensis, et erat comes Bolonie ex parte Ide uxoris sue, que fuit filia comitis Eustachii fratris ducis Godefridi.

Ex prophetia Merlini sic de istis duobus fratribus legitur: Nitentur posteri transvolare superna, sed favor novorum sublimabitur.

Posteros regis Henrici[33] nepotes eius ex sorore sua[n] Adela, Theobaldum videlicet comitem Blesensem et fratrem eius Stephanum comitem Moritonii[34] et Bolonie. Quorum Theobaldus divulgata morte avunculi sui regis[o] Henrici, cum iam in procinctu itineris[o] esset, transfretare paratus in Angliam, ut se hereditarie successionis iure regali diademate insigniret, audito et pro veritate comperto, quod eadem intentione frater eius[p], prefatus videlicet[q] Stephanus, iam transisset[r], cepto destitit, regni dignitatem fratri, sicut erat sanctus et integer, germano sine invidia cedens.

ibid. VII, 21. Episcopus Otto: Mortuo rege Henrico principes Anglie Stephanum sororis sue filium — affligere non desistit. Et exhinc Anglie — finiisse tradantur. Francia quoque occidentalis — deleta putaretur. Hec mala[s] nostris diebus — suffragiis staret mundus.

Cont. Gembl. 1136. Mons Castrilocus cum templo — oppido concrematur.

ibid. 1137. Anno 1137. Rex Lotharius anno 1 et mensibus 5 cum expeditione militari in Italia commoratus, ab ingressu abstinuit urbis Rome, quia Petri Leonis de sede apostolica contendentis prelia et seditiones nequivit conpescere. Rogerum Sicilie ducem — non conpulit.

Otto Fris VII, 20. Episcopus Otto: Morante in Apulia — visere cogitabant, revocatur. Rogerio ergo hoste iudicato, Raynaldo qui Ramnulfus dicitur[35], viro forti ac nobili, ducatus Apulie relicta sibi parte militum traditur et princeps victor de reditu disponit — honorifice sepelitur.

Cont. Gemb. 1137. Rex Lotharius morte preventus bellum cum vita finivit et a suis relatus in Saxonia est tumulatus. Bruno Coloniensis archiepiscopus obiit in Italia 6. anno sui presulatus.

Otto Fris. VII, 21. Episcopus Otto: Circa illa tempora multi ex claris optimatibus mortem sui principis precesserunt et secuti sunt. Bruno Coloniensis archiepiscopus venerabilis, adprime eruditus, in Apulia decedens sexto anno sui presulatus in ecclesia sancti Nicolay apud Barrum honorifice humatus est. Ex hiis vero qui remanserant, Albertus Moguntinus — Henricus Frisingensis episcopus et abbas Arnulfus Fuldensis, Leopaldus Orientalis marchio, vir christianissimus ac clericorum et pauperum pater cum[t] aliis plurimis ac illustribus viris vivendi finem fecerunt.

---

a) crusta 1. b) eas 2. c) fecit 2. d) ibi 2. e) ipse 2. f) suis 2. g) venientes 2. h) huius nominis secundus *add.* 1. i) in gestis pontificum *add.* 1. k) eius 1. l) fuit 2. m) dum 2. n) eius 2. o) *deest* 2. p) suus 2. q) scilicet 2. r) transiret 2. s) nostra *add.* 2. t) et 2.

[33] Subintelligendum est: *vocat* vel aliud eiusdem notionis verbum. Quid novorum favor sibi velit, Albricus hic docere neglexit, sed neglectum anno 1139. supplevit, vaticinio Merlini repetito.

[34] Mortain, départ. Manche.

[35] *qui Ramnulfus dicitur* e Vita s. Bernardi III, 43.

Remorum quoque archiepiscopus Renaldus, comes quoque Pictaviensis Guilelmus eodem tempore obierunt.

Petrus quoque Leonis moriens pessimum scisma terminavit. Unde legitur: Petrus Leonis[a] discessit — cum violentia. Ecclesie Dei et pape Innocentio pax est reddita, et cessaverunt seditiones et prelia. Cont. Gemb. 1137.

Episcopus Otto: Porro post egressum imperatoris Lotharii, Rogerus Apuliam recipere gestiens, congressu[b] cum Raynaldo duce habito in fugam versus est. Hoc in Vita beati Bernardi tangitur[35*], ubi Raynaldus Ramnulfus appellatur. Otto Fris. VII, 22.

Anno Domini[c] 1138. Rex Danorum — imperatoris huius nominis. Cont. Gemb. 1138.

Episcopus Otto: Defuncto in autumpno sine filiis imperatore Lothario — Conradum imperatoris Henrici sororium — Theoduino episcopo cardinali ac sancte ecclesie legato — assensum[d] promittente, regem creant. Qui mox ad palatium Aquis veniens a predicto cardinale — nam Coloniensis Hugo, qui id iure facere debuerat, noviter intronizatus pallio carebat — cooperantibus ipso Coloniense et Trevirense — ungitur. Proximum dehinc pascha — Bavenberch indicitur. Otto Fris. VII, 22. Itaque Conrardus rex — sine gratia eius recessit. ibid. VII, 23.

Henricus dux Boioariorum — et fidelitate avertebat. Cont. Gemb. 1138.

Episcopus Otto: Cumque multis modis — in Saxoniam veniret. O. Fr. VII, 23.

Hugo post Brunonem datus Coloniensium archiepiscopus, dum Romam adiret[e] consecrandus, peregre est defunctus, infra duos menses vita et sacerdotio functus in Apulia apud Melpham[36] quievit, eique successit Arnulfus. Cont. Gemb. 1138.

Godefridus Barbatus Lovaniensis dux Lothariensium moritur et apud Affligem[f. 37], abbatiam nigrorum monachorum, ubi multa bona contulit, sepelitur. Vir suo tempore et tempori et honori sciens se decenter conformare.

Anno 1139. Conradus tertius — ad extrema vite. ibid. 1139.

Et Conrardus rex Boioariam ingressus — subiacere cepit. Ea tempestate in Apulia Raynaldo mortuo — eum sectari dicunt. Proxima media quadragesima — faverant, dampnantur. O. Fr. VII, 23.

Considerare hoc loco — quam armis inclinantur. ibid. VII, 24.

Leopaldus vero marchio suscepto — fortiter rexit. ibid. VII, 25.

Paludes et fontes — aquas emittere. Cont. Gemb. 1139.

Gentis Anglorum principes a rege suo dissentientes, dum alter alteri varie assentitur, gens tota per eos affligitur, eo deterius quo cives ut hostes, sed interius, non exterius, patitur. Unde in Merlino dicitur: Nitentur posteri scandere superna, hoc est regni coronam capiti suo imponere, sed favor novorum sublimabitur. Novos appellat Gaufridum comitem[38] et filios eius ex Mathilda[g] filia regis Henrici, in quos maior hominum numerus tamquam in naturales domnos sese affectuosius ac familiarius inclinabat. Unde et Henricus primogenitus fratrum post dira prelia et diutina bella, tandem inito federe pacis cum Stephano rege successor regni ab illo designatus est futurus post obitum suum. De quo Stephano subditur: Nocebit possidenti ex impiis pietas, donec se genitore induerit. Cui sensus est iste: Iam Stephanus regio diademate insignitus erat et regni possessor, homo mansuetus et pius, sed impii homines eius pietate abusi numquam eum infestare quieverunt, donec sese genitore induit, Henricum videlicet[h] iuvenem affiliando, id est in filium adoptando et regie dignitatis successorem post excessum vite, ut iam diximus, designando.

Circa hunc locum[i] annotandus est obitus sancti Octonis Bavenbergensis episcopi, qui Pomeraneam[k] convertit.

Anno 1140. Episcopus Otto: Rex Rogerius Innocentium — ac principatu Capuae. O. Fr. VII, 24.

Leopaldus dum in obsidione castri Faleia — e prelio fugit. ibid. VII, 25.

Ecclipsis solis facta est — eminentiora erant, destruxit. Cont. Gemb. 1140.

Henricus comes Lemburgensis dolens se privatum honore ducatus quem pater suus dux Paganus et avus dux Henricus aliquando habuerant, Godefrido duci rebellis erat — potentie sue deterruit.

Henricus comes — vocatus a Deo migravit.

Anno 1141. Conradus rex — oppugnando aut expugnando[l]. Auct. Affl. 1140.

Hoc anno sancta Hildegardis cum esset annorum 42 et 7 mensium, librum Scivias per Spiritum sanctum mirabiliter[m] visitata incepit et per 10 annos consummavit, in diebus Henrici Maguntini archiepiscopi et Conradi Romanorum regis. Que fuerit ista Hildegardis et quante auctoritatis insinuant epistole magnatum terre ad eam transmisse, trium apostolicorum Eugenii, Anastasii et Adriani, imperatorum[n] Conradi et Frederici, patriarche Ierosolimitani, archiepiscoporum, episcoporum, abbatum et prepositorum et una specialis epistola beati Bernardi Clarevallensis. Venit hoc anno super eam maxime[o] coruscationis

---

a) Leo 2. b) congresso 1. 2. c) gratie 2. d) assensu 1. 2. e) iret 2. f) Haflengin 1. g) Mathilde 2. h) scilicet 2. i) hunc locum *desunt* 1. k) Pomeraniam 2. l) expugnando aut oppugnando 1; oppugnando et expugnando 2. *Ut imprimi feci, ita Anselmi continuator, quem Albricus descripsit.* m) *deest* 2. n) imperatoris 2, *sed super rasura.* o) magne 2.

35*) Cf. annotationem praecedentem. 36) Secundum annales et catalogos Coloniensium, qui in annalibus Patherb. nituntur, Hugo Bari obiit, sed cum nostro convenit auctor adhuc deperditus, quem annales Magdeb. et annalista Saxo sequuntur. 37) Affighem inter Gandavum et Bruxellas. 38) Andegavensem scilicet.

igneum lumen aperto celo, quod totum cerebrum eius transfudit et totum cor totumque pectus eius velut flamma non tamen ardens sed calens ita inflammavit, ut sol rem aliquam calefacit, super quam radios suos ponit, et repente intellectum expositionis librorum, videlicet psalterium, ewangeliorum[b] et aliorum catholicorum, tam veteris quam novi testamenti voluminum, sapiebat. Non autem interpretationem verborum textus eorum nec divisionem sillabarum nec cognitionem casuum aut temporum habebat; solum psalterium legere didicerat more nobilium puellarum a quadam inclusa in Monte sancti[c] Desibodi[38*], quod est claustrum nigrorum monachorum. Visiones autem quas vidit, non in sompniis[d] nec dormiens nec in frenesi nec corporeis oculis aut auribus exterioris hominis nec in abditis locis percepit, sed eas vigilans et circumspecta in pura mente, oculis et auribus interioris hominis in apertis locis secundum voluntatem Dei accepit, quod quomodo factum sit, carnali homini perquirere nimis esset difficile[39].

Otto Fris. VII, 25.

Episcopus Otto: Duce Leopaldo in urbe Ratisbona civilia iura disponente, ex palatini comitis Ottonis importunitate seditio oritur. — Ipse vero non multo post — diem obiit et in monasterio Sancte Crucis Cisterciensis ordinis[e], quod a patre suo fundatum ipse plurimum dilataverat, humatur, eique in marchia successit frater suus[f] Henricus.

Filius supradicti Ottonis comitis[g] palatini, Marchualdus nomine[39*], de Beatrice genuit Ottonem de Witelebac. Dux autem Otto[h] de Merania filius fuit Marchualdi fratris vel sororii supradicti Ottonis.

Episcopus Otto[40]: Leopaldus marchio et Henricus, qui post fratrem fuit marchio Orientalis, filii fuerunt Leopaldi senioris et habuerunt sororem germanam nomine Agnetem, que similiter fuit soror imperatoris[i] Conradi ex matre, et hanc duxit dux Vergescelaus de Polonia et genuit ex ea Bolislaum, patrem ducis Vrescelavie[41] Henrici, et filiam unam nomine Rikissam, que facta est in gentem magnam. Primo namque fuit regina Suecie et post regi Russie nomine Musuch duas peperit filias, Sophiam reginam Dacie, que multam prolem habuit, et Rikissam, que imperatori Castelle Alfunso peperit Sanctiam; et hec peperit reges Aragonum et sorores eorum et illas de Tolosa et Constantiam, que primo fuit regina Hungarie, et postea duxit eam Fredericus rex Apulie et imperator Romanus, et genuit ex ea Henricum regem Alemannie. Ista secunda Rikissa mortuo imperatore Alfunso nupsit cuidam comiti Aragonensi, et post comiti Alberto de Everstein[k][42] ultra Coloniam peperit Albertum et fratres eius. Qui Albertus duxit neptem archiepiscopi Moguntini[43], que fuerat[l] comitissa Silvestris, sororem scilicet illius comitis Ottonis de Withhelebac, qui interfecit Philippum de Suavia, ut inferius habetur[44]. De qua ipse Albertus septem genuit filios, quorum maior natu Otto ipse est[44*] prepositus Aquensis. Et hec per anticipationem dicta sunt.

ibid. VII, 26.
Cont. Gemb. 1141.

Episcopus Otto: Eo tempore Conradus Maraviensis[m] comes[n] — parteque provincie vastata regreditur. Rex Anglorum Stephanus — custodie mancipatur.

Sub hoc rege Anglie Stephano quidam miles in Hibernia purgatorium sancti Patricii adiit, de quo narratio talis habetur. Dicitur magnus sanctus Patricius, qui a primo est secundus. Hic cum predicaret in Hibernia missus a Celestino papa invenit homines valde rudes et bestiales, qui penas inferni esse non credebant et cetera invisibilia, que illis anunciabat[o]. Cum vir sanctus super hoc tristis[p] consuleret Dominum, apparuit ei Christus, dans ei textum ewangeliorum et baculum, et hec sunt insignia, que habentur in magna reverentia apud archiepiscopos de Ardinacha[45], sicut in Vita sancti[q] Malachie legitur[45*]. Eundem ergo sanctum Patricium duxit Christus in locum desertum, fossam rotundam et intus obscuram ostendit, dicens quod quisquis veraciter penitens[r] penas que intus habentur unius diei ac noctis spatio sustinuerit, ab omnibus peccatis suis erit omnino purgatus. Sanctus igitur Patricius fossam illam muro circumdedit, ecclesiam canonicorum regularium ibi ad partem occidentalem fecit, sera et ianuis locum illum firmavit, clavem priori eiusdem

---

b) ewangelium 1. c) *deest* 2. d) sompnis 1. e) Cist. ord. dictum sancte crucis 2. f) eius 2. g) comitis Ottonis 2. h) *deest* 2. i) Conradi imp. 2. k) Aluresten 2. l) erat 2. m) Maramensis 1. n) *deest* 2. o) nunciabat 2. p) tristis super hoc 2. q) *deest* 1. r) quis veraciter penitens *desunt* 1.

38*) Disibodenberg ad flumen Nahe. 39) Quae praecedunt, ex eodem libro desumpta sunt, quem Albertus Stadensis M. G. SS. XVI, 303 usibus suis adaptavit. 39*) Marcualdus inter palatinos Bavariae non recensetur; pater illius Ottonis, qui Philippum regem interfecit, Otto dictus est. 40) Haec non Ottonis sunt, sed Albrici ipsius. 41) Breslau. 42) Eberstein ad Visurgim. 43) Conradi. 44) Anno 1208. 44*) Inter praepositos Aquenses alterum Ottonem inde ab a. 1220–31, alterum inde ab a. 1248—64 repperi. Lacomblet U.-B. II, 47—91. II, 175—325. Ad a. 1231 Henricus occurrit. Lac. l. c. II, 138. 45) Armagh. 45*) ap. Surium VI, 97.

ecclesie commendavit, et ut neminem intrare permitteret absque litteris suis vel episcopi dyocesani firmiter inhibuit. Quo tempore et aliis postea temporibus usque ad hec tempora beati Bernardi per multa annorum curricula plures fuerunt, qui fossam illam intraverunt, quorum alii reversi sunt, alii perierunt. Locus ecclesie Reglis dicitur. Tempore ergo [a] quo supradictus rex Stephanus in Anglia regnavit, erat in Hibernia miles quidam nomine Owem multis irretitus criminibus et qui multa mala fecerat in terra. Qui cum confessionis gratia ad episcopum suum veniret, cepit episcopus idem ipsum [b] durius pro malis que fecerat arguere et increpare. Miles corde compunctus statim ab episcopo litteras petivit, quibus intrare purgatorium sancti Patricii permitteretur. Quod audiens episcopus cepit dissuadere, sciens ibi esse periculum, et timens ne deficeret, dixit, quod alio modo penitentiam minus periculosam iniungeret eidem. Ipso perseverante in petitione litteras impetravit, ad priorem loci [c] venit, fossam intravit. Qui primo per quandam concavitatem sub terra aliquantulum ivit, et ecce ex alia parte locus aliquantulum clarus apparuit. Ibi erat campus magnus et in [d] medio campi quedam aula quasi palatium regis. Aulam intravit, facturam et opus admirans circumspexit, resedit, et ecce ex parte Dei 15 viri religiosi coronas habentes, quasi de novo rasi. Quorum unus aliis tacentibus salutavit et confortavit et confirmavit eundem [e] dicens: *In omnibus penis quas passurus es, invoca dominum Iesum Christum et liberaberis, et ne credas blanditiis demonum, quia ex necessitate viriliter agere compelleris, aut — quod absit — anima et corpore peribis.* Illis recedentibus audivit tumultum et tonitruum et terrores per circuitum, leonum, ursorum, luporum et aliarum bestiarum rugitus, latratus et quidquid terrere potest cor humanum. Advenientes demones ceperunt ei dicere deridendo et subsannando: *Alii homines qui nobis serviunt post mortem ad nos veniunt, tu qui ante mortem venisti, maiori premio donaberis. Veruntamen de hiis in* [d] *quibus habundamus satis habebis, tormenta, dolores et miserias, ignem, frigus et vermes et cetera huiusmodi.* Illo nil penitus respondente statim fecerunt in eadem domo rogum magnum, et ligatis manibus et pedibus eundem in ignem proiecerunt. Primo quidem sensit tormentum, deinde invocavit dominum Iesum Christum, et totus ignis extinctus est. Inde ut sibi videbatur, traxerunt eundem per vastam regionem nigram et gelidam ad eam mundi partem, ubi sol oritur media estate, et exinde contra austrum venerunt in vallem ubi erat campus. In illo campo erat ingens multitudo hominum qui omnes nudi, ventre verso in terram, per manus et pedes clavis candentibus erant confixi, et pre dolore videbantur terram comedere, cum illis fuit confixus, et cum invocasset dominum Iesum Christum, liberatus est. Venerunt in alium campum ubi quos [f] invenerunt dorsa clavis igne candentibus habebant terre confixa, ita quod demones, serpentes et bufones ascendebant super ventrem eorum, super pectus et super faciem et molestiam inferebant gravissimam. Et dixerunt illi demones: *Certe vides quod hec sustinere non posses, sed quia in nostro servitio diu fuisti, si nobis assenseris ut* [g] *reverti velis, nos te conducemus, et tu illesus ad propria remeabis.* Ille nichil dicens, in tali cruciatu memor domini nostri Iesu Christi tandem evasit. Exinde ducitur ad tertium campum adhuc doloribus maioribus plenum, in quo ita erant omnes confixi, ut pre multitudine clavorum locus vacuus non inveniretur in eorum corporibus. Inde quartus ostenditur campus, in quo erant omnium tormentorum genera, in omnibus invocavit dominum nostrum [d] Iesum Christum et liberatus est. Inde quedam apparuit ignea rota, cuius radii uncis igneis erant pleni; erat autem una medietas rote in aere et alia medietas in terra. Tanta facilitate volvebatur quod humanus oculus non posset intueri, et in ea pendentes miro modo torquebantur de flamma que ascendebat de terra. Inde in quadam domo vidit balnea formidanda, videlicet quasdam fossas metallis ferventibus plenas, et cum invocaret dominum nostrum [h] Iesum Christum, liberatus est. Ductus est ille [h] deinde intra montem unum, ubi erat multitudo quedam curvata super digitos pedum, et cum illis curvatus est, et ecce ventus turbinis omnes rapuit, et eundem [i] militem et ipsos demones in flumen fetidum proiecit; invocavit dominum Iesum Christum et in alia parte se reperit. Exinde trahitur in flammam teterrimam. Tamen frequenter dicebant demones: *Si nobis assenseris, ad propria illesus remeabis.* Omnes supradicti, ut ibi [k] dicitur, adhuc salutem expectant; ceteri vero qui sunt in inferno inferiori, omnino dampnati sunt. Venerunt tandem ad puteum inferni, ubi [h] cum iniectus

---

a) igitur 2. b) *deest* 2. c) locum 1. d) *deest* 1. e) salutavit eundem, confortavit et confirmavit 2. f) dam *add. manus saec. XV.* 1. g) consenseris et 2. h) *deest* 2. i) illum 2. k) ubi 2.

fuisset, memor domini nostri[a] Iesu Christi de puteo per flammam eiectus est. Inde pons unus apparuit super flumen latissimum et fetidum. Tria erant difficilia huius pontis, lubricus fuit, strictus et gracilis et contra aerem protensus. Iterum ergo atque iterum dicebant demones: *Vides et satis perpendis quod hic transire non potes, sed adhuc si nobis assenseris, ad propria illesus remeabis.* Cepit pedetentim[b] super pontem figere pedem, et ecce crevit latitudo pontis, et sublate sunt omnes difficultates. Illo transeunte clamabant demones: *Prohibe eum, prohibe, retine eum, retine!* Et uncos ferreos post eum iaciebant. Liberatus est[b*] ab eis. Vidit ante se murum inconparabilis decoris; porta aperta est, et egressa est contra eum processio. Ibi erant anime gaudentes in requie et deliciis, hic erat paradisus terrestris. Ibi duo archiepiscopi ostenderunt ei aliam portam[c] superne letitie auro similem, vidit et gustavit de quotidiana eorum refectione, que per lucem mirabilem a supernis descendit, et dictum est ei, quod hec patria in qua erant, nondum erat superna letitia quam expectabant; qui accepta benedictione, eadem qua venerat via absque[d] difficultate revertitur. Alia die summo mane inventus et receptus est cum processione in ecclesia canonicorum, ubi detentus in infirmitorium 15 diebus, et quecumque vidit et que[e] passus est fideliter enarravit, vigiliis extunc et orationibus intentus. Quod ergo infernus vel subtus terram vel in terre concavitate sit, et quod paradisus terrestris in oriente et etiam[f] in terra sit, concordat ad hoc[g] ista narratio. Et quod item infernus super terram in aliqua parte mundi sit, concordat narratio, que superius[46] posita est de inferno Hisselandie, concordat[h] etiam olla[i] Vulcani et Ethna de Sicilia.

Cont. Gemb. 1141. **Plaga ignis divini — Dei misericordia subvenit.**

In partibus transmarinis rex Ierosolimitanorum — castra propinquiora expugnat.

ibid. 1141. **Anno 1142. Adalbero huius nominis secundus Leodicensium episcopus, dolens fraudulenta invasione comitis Barri Raynaldi — retineri castrum Bullonium — castrum obsedit — recepit cum Dei et sancti Lamberti auxilio — Quanta ibi contigerint — prudentioribus relinquimus estimanda vel, si eis placuerit, describenda.**

Non est tamen silentio pretereundum, quod predictus comes Barrensis Raynaldus ita papam per Haymericum cancellarium[47], et imperatorem per domesticos suos ad suam partem[k] attraxerat, quod[l] ab omni iure[m] humano, tam seculari quam ecclesiastico, causa Leodiensis ecclesie fuerat[n] destituta. Sed[o] ita miraculose in adventu beati Lamberti castrum[48] recepit episcopus, quod unus de duobus filiis Hugo nomine qui erat in castro, in insaniam versus, mortuus est, alter vero Raynaldus minor Deo permittente evasit incolumis.

Helin. 1142. **Hoc tempore fuit magister Petrus Abaelardus in scientia celeberrimus, cuius scripta** de theologia **incendio et ipsum scriptorem silentio condemnavit papa Innocentius II. Capitula reprehensibilia habentur in quadam beati Bernardi epistola ad predictum[p] papam. Libri tamen eiusdem magistri diu in abscondito servati sunt ab eius discipulis.**

Elinandus: Ego ipse in eisdem libris multa reprehensibilia inveni, et domnus Gaufridus Antissiodorensis, per annos 13 beati Bernardi monachus, qui fuerat eiusdem Petri discipulus, **de eo sic ait: Ego michi aliquando magistrum fuisse recordor, qui pretium nostre redemptionis evacuans, nichil aliud nobis in sacrificio passionis dominice[h] commendabat nisi virtutis exemplum et amoris incentivum. Et quod scripture perhibent, humanum genus pretioso illo sanguine de potestate dyaboli esse redemptum, in eo solo constare dicebat, quod exemplum nobis exhibitum est usque ad mortem pro veritate et iustitia certandi, et adhibitum est velut quoddam incentivum amoris[q], cum ex inpenso amore occasio data est redamandi[r]; sed beatus Bernardus sic imitandum predicabat[s] Dominum patientem et redamandum amantem, ut principalem huius sacrificii causam velut agni caput, redemptionem in eo profiteretur et adoraret humanam. Tria namque specialia nobis in sua passione Christus exhibuit, exemplum virtutis, incentivum amoris, redemptionis sacramentum. Quod tertium si evacuatur secundum magistrum Petrum, nil prodesse cetera poterunt, et cum dicatur: *Caput agni cum pedibus eius et intestinis vorabitis,*** magister Petrus caput omittens, pedes et intestina vorabat tantummodo.

O.Fr.VII,26. **Episcopus Otto: Dux Austrie Henricus contra Guelphonem inflammatus — ac igne succendit.**

VII, 27. **Circa idem tempus Veronenses — cruentissima potiuntur victoria.**

VII, 29. **Quibus etiam diebus propter absentiam — Florentinos hostes pronuntiant[t].**

Cont. Gemb. 1142. **Anno 1143. Rex Anglorum Stephanus quibusdam pacis conditionibus solutus[u] a captione qua tenebatur, iterum Anglice genti principatur.** Erat enim homo mansuetus et pius, sed impii homines eius pietate[v] abusi numquam eum infestare quieverunt, donec sese genitore induit, Henricum videlicet[w] iuvenem affiliando, id est in filium adoptando et regie dignitatis successorem post excessum vite designando[50]. Fuit hic Henricus Gaufridi comitis Andegavensis filius, ex Mathilda filia Henrici Anglorum regis[x].

---

a) *deest* 2. b) pedentim 2. b*) *deest* 1. c) partem 2. d) sine 2. e) *deest* 1. f) iam 2. g) ad hoc *desunt* 2. h) *deest* 2. i) os 1. k) partem suam 2. l) ut 2. m) genere 2. n) fuerit 2. o) et 1. 2. p) eundem 2. q) amoris incentivum 2. r) reamandi 2. s) predicat 1. t) denuntiant 2; pronuntiat 1. u) solutis 1. v) pietatem 1; impietate 2. w) scilicet 2. x) regis Angl. Henr. filia 2.

[46] Anno 1130.

[47] Cf. Aeg. Aureavall. III, 28.

[48] Bullonium scilicet, de cuius obsidione locus Anselmi praecedens agit.

[50] Quum haec verba iam ad annum 1139 invenerimus neque nostrum ex ipsa sua mente rem quandam bis iisdem verbis narrasse verisimile sit, cum in libro scripto nisum

Rex Francorum Ludovicus frequenter ammonens — et contrectatione. Cont. Gemb. 1142.

In parochia Gemblacensi — se aspicientibus fuit, sed post modicum — agens etatis annum. Auct. Gemb. 1142.

Conradus rex in oppido — ad deditionem conpulit. Cont. Gemb. 1142.

Episcopus Otto: Kaloiohannes Constantinopolitanus imperator — filio regnum reliquit. O.Fr.VII,28.

Unde Guido: Iohannes imperator Constantinopolitanus, Alexii imperatoris filius, cum infinitis copiis Ciliciam occupavit universam, Antiochiam obsidet, principem cogit ad fidelitatem, et dum in Cicilia[a] venationi indulget, toxicata sagitta se ipsum letali vulnere figit. Remedium querit et invenit, sed mira magnanimitate contempnit, quod scilicet priusquam partem reliquam veneno contingeret infici, sibi lesam manum pateretur precidi, ad quod ei datum[b] consilium[c] respondisse fertur, indignum sibi videri quod Romanum imperium una manu regatur. Et subrogato sibi in imperium filio Manuele a presenti luce subtrahitur cum nimio suorum planctu pariter et merore. Will. Tyr. XIV, 24. XV, 5. 22 XV, 23.

Episcopus Otto: At Manuel ad regnum sublimatus — facta est federatio. O.Fr.VII,28.

In Tuscia Florentini Pisanis adiuncti, Lucenses non solum bello attemptant, sed et castella, oppida et agros comitis Guidonis qui dictus est Guerra, eorum adiutoris, incendio et rapina devastant. Senenses etiam, qui ad vastandos agros eorum egressi fuerant et erant Lucensibus associati, insidiis a tergo positis vix paucis fuga elapsis captivant — in se spectaculum prebent.

In Hispania rex Aldefonsus, imperator dictus, Choriam civitatem cepit.

Quo anno per industriam abbatis Petri[d] Cluniacensis, liber qui dicitur Alcoranus cum tota secta impii et pseudoprophete Mahumet de Arabico in Latinum translatus est, hac ratione ut sciat catholica ecclesia, quam vilis et quam frivola et quam apertis mendaciis plena sit ista seductoris illius doctrina, que a tempore beati Gregorii paulo post, id est a tempore imperatoris Heraclii, Sarracenorum populos infecit, et hic erat annus alhigere 537. Alhigera autem dicitur sublimatio in prophetam, id est annus[e] ille, in[f] quo primum creditus est sive ab omnibus elevatus est Maghometus in prophetam. Et ab illo anno Sarraceni conputant annos suos, sicut nos ab incarnatione Domini conputamus.

Rex autem Aldefonsus Hispanie imperator, qui hoc anno Choriam cepit civitatem et Sarracenos inde fugavit, fuit filius comitis Raymundi, fratris comitis Pontii de Tolosa, natus ex Waracta[g] filia imperatoris Fernandi, qui civitatem Colimbriam recuperavit, et habuit iste Aldefonsus sororem Sanctiam nomine, ad quam extat una beati Bernardi epistola[50*].

Filius autem predicti imperatoris Aldefonsi[h], qui Choriam cepit, dictus est rex Sanctius, de quo natus est Aldefonsus rex Castelle et Toleti, qui parvus rex appellatus est. De fratre huius Sanctii Fernando natus est Aldefonsus rex[i] Legionis; et de sorore huius Sanctii Waieca[k] nata est Blancha Campanie comitissa; et de filio eiusdem Sanctii rege parvo nata est Blancha Francie[l] regina. Et hec breviter per anticipationem tetigisse sufficiat.

Apud Cathalaunum mortuo episcopo Gaufrido succedit Guido de Monteacuto[51].

Anno 1144. Aldefonsus rex Portugallie mirabiliter et miraculose de Sarracenis triumphat. Huius uxor fuit filia comitis Sabaudie.

Regnum Francorum magnam — susceperunt ab eis. Cont. Gemb. 1143

Dum hec aguntur — unanimitate electus successit. O.Fr.VII,27.

Unde scribitur: Gregorius papa, qui et Innocentius obiit. Guido, qui et Celestinus dicitur, succedit. De isto Guidone in epistolis beati Bernardi memoratur, quod fuerit[m] magistri Petri Abaelardi discipulus, sed non est magistrum in errore secutus. Qui non plenarie sex mensibus sedit, et ei Gerardus, qui et Lucius successit, qui pro mansuetudine et humilitate sui, officio sacerdotali dignus, gravem a civibus persecutionem passus humiles ad regem Conradum litteras mittit — in hunc modum: *Lucius episcopus servus servorum Dei karissimo filio Conrado Romanorum regi illustri salutem et apostolicam benedictionem. Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a patre luminum* etc. Populus enim — affligere non timuerunt. Cont. Gemb. 1143. O.Fr.VII,31.

Anno 1145. Ventus vehementissimus arbores et turres et domos magnas subvertit; fames quoque valida invalescit in Francia, sed precipue in Anglia. Unde quidam famis gladio perurgente coacti sunt alias emigrare, ut malum inopie vel evitare possent vel alleviare, et messis per mensem tardavit propter inundationem pluvie. Helin. 1144.

Rex Ierusalem Fulco moritur regni sui anno 15, cui successit filius eius annorum 13, tertius Balduinus.

Guido: Hic in virilem evadens[n] etatem, sicut elegantia forme ceteris eminebat, sic et in vivacitate mentis et eloquentie flore ceteros anteibat. Huius mater regina Melissendis in Bethania monasterium edificat puellarum, prediis et divitiis regaliter[o] ampliatum. Will. Tyr. XVI, 1. XV, 26.

Predictus rex Fulco, antequam esset electus in regem, fuit comes Andegavensium, Turonensium et Cenomanensium; cui frater fuit Gaufridus successor eius, qui duxit Mathildem imperatricem, de qua supra diximus[52].

---

a) Cilicia 1 *in rasura*. b) datum ei 2. c) concilium 2. d) Petri abbatis 2. e) *deest* 1. f) *deest* 2. g) Waraca 2. h) secundum Morandum ex Rikissa, filia Musuch regis Russie *add.* 1. i) Castelle — rex *desunt* 2. k) Wariece 2. l) Francorum 2. m) fuit 2. n) vadens 2. o) regulariter 1. 2.

esse putarim. Quo in exscribendo se iam ad annum 1139 eadem exscripsisse oblitus est. 50*) Ep. nr. 301. 51) Montaigu. 52) Anno 1139.

Helin. 1143. Civitas Rothomagi, dedignata subesse regi Anglorum Stephano, reddita est cum Normannia huic comiti Gaufrido. De morte et superbia eiusdem Gaufridi fit mentio quedam in Vita beati Bernardi[53].

Cont. Gemb. 1144. Rex Francorum Ludovicus intelligens quia perturbatio capitis perturbatio est membrorum — adquievit confederari Theobaldo Blesensium comiti. Sed mediante beato Bernardo pacificati sunt.

Conrardus rex sciens per se, sciens[a] per religiosorum virorum ammonitionem — decenter satisfacere.

O. Fr. VII, 29. Godefridus comes, frater Balduini moritur.

Lucius papa obiit, qui quotidianis crucibus ac tedio vite propter Romanorum insolentiam affectus, infra anni spatium pontificatus sui diem obiit.

Cont. Gemb. 1145. Bernardus qui et Eugenius ei successit.

O. Fr. VII, 31. Iste fuit monachus Clarevallis sub beato Bernardo abbate et fuit primus abbas Sancti Anastasii Rome. Cum vero cardinales primam eius electionem vellent irritari et adnichilari, dixit coram omnibus: *Ego excommunico omnes illos qui tractaturi sunt de electione pape me vivente.*

O. Fr. VII, 31. Episcopus Otto: Eugenius vir sanctitate et religione perspicuus communi voto cleri et populi electus est. Hic in principio — tandemque pacem petere coegit, de qua suo loco dicetur.

Cont. Gemb. 1145. Civitas Edessa — et ancillas venundantur.

O. Fr. VII, 30. VII, 32. VII, 33. Episcopus Otto: Hoc anno incipiente in ipsa sacrosancte — ibi ad habitandum locavit. Ea tempestate Armeniorum — item Romanam ecclesiam consuluerunt. Vidimus etiam ibi tunc — Sed hec hactenus.

Anno 1146. In Ungaria regnat Boricius per annos 6.

VII, 34. Episcopus Otto: Eugenius papa cum Romanis — valida expectatur commotio.

In Polonia inter tres fratres terre principes miserabilis auditur tumultuatio. Horum fratrum hec sunt nomina Vergescelaus, avus ducis Henrici, Mesico et Casemerus. De isto Mesicone nati sunt duces Guenesie[54], Odoiscius pater secundi Logeslai, Logeslaus et sorores eorum[a], quarum una Virgotslavia fuit mater ducis[55] de Nanceio. De Casemero nati sunt duces Cracovie Listec et Conrardus.

VII, 34. In Belgica quoque Gallia virorum potentum — desevire non pertimescant.

Beatus Bernardus abbas Clarevallensis cum audisset Bernardum abbatem Sancti Anastasii Rome, quondam monachum suum in Claravalle, electum in papam et consecratum dictumque Eugenium, scribit ad eum epistolam verbis consolatoriis et mellifluis plenam in hunc modum: Ep. 238. *Amantissimo patri ac domino Dei gratia summo pontifici Eugenio Bernardus Clarevallis vocatus abbas. Modicum id quod est. Auditum est in terra nostra — ad radicem arboris posita est.*

Otto Fris. VIII, 1. Episcopus Otto de quadrifaria ecclesie persecutione: Civitas Christi primo violentiam pertulit a civitate mundi et regibus infidelibus. Secundo pertulit hereticorum fraudulentiam. Tertio fictionem perfidam ypocritarum; ultimo et violentiam et fraudulentiam et fictam sub Antichristo passura est persecutionem.

VIII, 2. De discessione, que Antichristi adventum precedet, hec est expositio: Nisi venerit discessio primum, id est, vel nisi omnes discedant a subiectione Romani[b] imperatoris vel nisi recedant ab obedientia Romani pontificis.

VIII, 3. De ipso eius adventu ac persecutione, que sub ipso fiet[c], he sunt auctoritates: *Ego veni in nomine
patris mei* etc. Et beatus Paulus: *Mittet illis Deus operationem erroris.* Ipse autem in ypocrisi veniens non faciet
VIII, 4. tormenta exteriora, sed aliquis potens, forte Romanus imperator pro eo. Et hec est bestia in apocalipsi. Vita et doctrina
VIII, 5. eius utraque Christo contraria, quia ille humilis, iste superbus etc. Quod precedent eum Enoch et Helias, et quod
VIII, 6. 7. tempus tyrannidis eius in tribus annis et dimidio abbreviabitur, et quod percusso eo ista adventum Domini signa[b] pre-
VIII, 8. cedant: Iudei ad fidem venient. Signa inusitata in sole et luna et stellis apparebunt. *Cum videritis hec fieri, scitote
quia prope est[d] regnum Dei.* De exterminatione seculi per ignem concordant prophetis Plato, Sibilla et Iosephus.
VIII, 9. 10. Celum et terra transibunt, id est de hoc statu ad alium pulchriorem. Bifaria predicatur resurrectio mortuorum, quia
VIII, 11. alii ad vitam, alii ad mortem perpetuum resurgunt. Auctoritatibus multis et ratione probari potest resurrectio mortuorum.
VIII, 12. Qua etate, sexu, forma resurgent mortui. Non est vitium sexus femineus, sed natura; corporibus vitia detrahentur[e],
VIII, 15. 20. natura servabitur. Forma omni macula et labe carebit. De monstruosis et abortivis sufficiat quod dicit Augustinus. De
iudicio et interitu reprobe civitatis.

VIII, 26. 29.* De gloria et exaltatione civitatis Dei. De diversis in celesti curia mansionibus, satis disputatum est in sanctorum libris.

Huc usque pertingit narratio episcopi Ottonis, qui fuit vir nobilis et monachus Morimundi[f], et una die electus in abbatem eiusdem loci, sequenti die factus est in Bavaria episcopus Frisingensis, cum esset frater imperatoris Conradi[g] ex matre, filius videlicet Leopoldi ducis Austrie.

Helin. 1146. Relatio domni Elinandi de visione penarum inferni sequitur sic incipiens: Guilelmus puer in Anglia crucifigitur a Iudeis in urbe Norwico in die[g] parasceues, de quo talis visio legitur: Puer quidam nomine Guilelmus annorum 15 etc. que in annali inveniuntur.

Cont. Gemb. 1146. Remis in cenobio — concursu populi frequentatur. Adalbero Leodiensis episcopus in via Romana vita decessit 6. Kalendas Aprilis[56]. Henricus assumptus ex clero sancti Lamberti, eiusdem ecclesie prepositus, secundus huius nominis presul ei succedit.

Apud Laudunum post Bartholomeum Galterus per annos fere 30 fit episcopus.

---

a) *deest* 1. b) *deest* 2. c) fient 2. d) *deest* 1. e) detrahentem 2. f) Mormundi 1. g) *deest* 2.

[53] lib. IV. cap. 13. [54] Gnesen. [55] Friderici II. 1206—1213, cuius mater Ludomilla dicta est. [56] Hunc diem ex Aeg. Aur. III, 40 addidit.

Guido: Sanguinus[a] autem filius Axungur sceleratissimus Alapie princeps capta Edessa civitate, dum in obsidione cuiusdam civitatis super Eufratem site et dicte Calogembar perseveraret, suorum gladiis confossus interiit, vino tamen ante sepultus et oppressus, nocturna crapula quasi occisus. Quo nuntiato quidam satis eleganter exclamat[b] ex nostris: *Quod bonus eventus Fit vino sanguinolentus Rex homicida reus, Nomine Sanguineus.* Will. Tyr. XVI, 7

Anno 1147. Beatus Bernardus abbas Clarevallis in Alemannia de mandato pape crucem predicando virtutes multas et magnas fecit, inter quas et mortuum unum resuscitavit. Chr. Clar. 1147.

Cum autem esset in veniendo apud urbem Spiram[c], tantus beato viro venit obviam cursus, ut Conradus imperator deposita clamide, cum populus eum comprimeret, in proprias ulnas suscipiens, de basilica ipsum asportarit[d]. Qui de Spira per Coloniam venit Leodium; in qua via multi nobiles per manus[e] illius se Domino mancipaverunt. Apud Leodium vero iuxta ecclesiam beati Lamberti in prato quod dicitur Episcopi publice predicavit et in ipso palatio in presentia Henrici episcopi tria miracula fecit. Qua occasione episcopus Henricus compunctus abbatiam de Alna fundavit. Helin. 1145. Aegid. Aur. III, 42.

Conrardus rex apud Anthernacum in vicinia Treverorum pentecosten celebrat, et quosdam sibi rebelles oppugnat et eos expugnando ad deditionem subiugat. Cont. Gemb. 1145.

In partibus transmarinis nobilis quidam ex Damascenis de Bostro quadam civitate tradenda cum rege paciscitur Balduino, rex cum exercitu Bostrum properat. Eynardus Damascenorum procurator cum multis Turcorum millibus obsistit. Procedens exercitus christianus infinita sustinet[f] pericula sitis, ardoris et incursionis hostilis, civitatem reperit ab hostibus occupatam rediens infecto negotio supra modum artatur tam hostium periculis quam locorum. Mittitur ad hostes pro pace legatus, qui ut se reddat minus suspectum, si male cogitat super hoc, imprecatur se non rediturum, quod, dum ab hiis ad quos mittitur interficitur, adimpletur. Quodam hostium nobili prostrato hostes accurrunt[g] et plangendo moram faciunt, unde liberius proficiscitur exercitus christianus. Hostes locis herbosis, per que transibant fideles, ignem immittunt. Involvuntur obviante vento tetra fuligine fideles, quem contra victoriose crucis vexillo elevato, retorquetur ventus in adversarios. Will. Tyr. XVI, 8. XVI, 9. 10 XVI, 11. 12. XVI, 11.

Ignorantibus viam fidelibus fit ductor previus albi quidam[h] equi sessor ignotus et rubei vexilli baiulus. Edessam[i] civitatem per quosdam cives christianos recipiunt christiani. Noradinus Sanguini filius Alapie princeps obsidet eos in illa et miserabiliter obtruncat eiectos. Fideles excitantur occidentales ad subveniendum orientalibus Eugenii pape et viri venerabilis Bernardi Clarevallensis abbatis hortatu. XVI, 12. 14. XVI, 18.

Occidentales ergo christiani dolentes — expeditionem sese accingerent. Cont. Gemb. 1146.

Obiit Guido Cathalaunensis episcopus, succedit Bartholomeus.

Renaldus comes magnus Burgundie circa hoc tempus obiit.

Anno 1148. Heresis Eunitarum intra Britannias pullulat, imo ut verius dicatur maxima heresis Popelitanorum Henrici apostate pessimi quondam nigri monachi in terra Albigensium[k] pullulavit. Qui cum esset ydiota et ipsos apices litterarum vix cognosceret, tamen polluto ore de divinis libris tractabat et disputabat. Hic nefario ausu absque sacris ordinibus episcopos et archiepiscopos ad errorem et subversionem perditorum hominum hiis qui sibi adherebant ordinabat, multa quoque alia faciebat scelerata et divine legi contraria. Ad postremum[l] diabolico spiritu completus in tantam prorupit insaniam, ut diceret et credi cogeret se esse filium Dei. Quanta turpia et execrabilia agunt in abscondito heretici isti, bonum est silentio tegere, ne horrorem incutiant vel etiam errorem generent infirmis auditoribus. Contra tam pestiferam heresim missi sunt a domno papa Hostiensis episcopus et legatus, vir venerabilis Albricus et Carontensis episcopus Gaufridus vir religiosus et abbas Clarevallensis beatus Bernardus. Post hec predictus hereticus Henricus diu latuit, sed tandem a quodam episcopo captus et Remis ad papam Eugenium ductus. ibid. 1146.

Fames gravissima — ad mendicitatem deduxit. ibid. 1146.

Malachias vir sanctus Hibernensis archiepiscopus et legatus secundum desiderium suum, quod in mente habebat sub obtentu, quasi ad papam iturus Dei nutu, cum iam papa recessisset a Francia, Clarevallem venit, et ibi in[m] hoc anno in crastino omnium sanctorum vitam felicissimam consummavit. V. s. Malach. p. 111.

Apud civitatem Tornacum cum per 400 annos circiter fuisset ipsa civitas sub episcopis Noviomensibus, tandem sancto mediante abbate[m] Bernardo positus est per Eugenium papam ibi[m] novus episcopus, et recepit ecclesia privilegium antiquum. Primus episcopus dictus est Anselmus, secundus Geraldus, tertius Galterus.

Ludovicus rex Francie et imperator Conradus ad predicationem beati Bernardi cruce signati, iter arripiunt, et facta est maxima in Turcos expeditio que tertia dicitur, quia primam fecit Karolus, et secunda dicitur Antiochena.

Anno 1149. Conrardus rex recessurus Henricum filium suum Aquisgrani in regem sublimat — Multi christianorum — pervenerunt ad urbem Sarracenorum potentissimam, que ex nomine conditoris Ulixibona dicitur — urbem ipsam et omnem in circuitu viciniam quiete possederunt, et ex tunc usque hodie civitas Ulixibona possidetur a christianis[n]. Cont. Gemb. 1147.

Quando autem fit aliqua mentio istius expeditionis christianorum et regis Norgvegie, qui erat cum eis, expeditio de Setelia vulgariter appellatur propter civitatem Seteliam sub

---

a) *ita* 1. 2; *in* 1 *correctum manu saec. XV:* Sanguineus. b) exclamant 1. c) Spiram urbem 2. d) asportavit 1. 2. e) manum 2. f) sustinuit 2. g) occurrunt 2. h) quidem 2. i) Edissam 2. k) Albiginensium 2. l) extremum 2. m) *deest* 2. n) a chr. possidetur 2.

soldano Ychonii, ad quam per mare delapsi sunt, et ibi alios, qui per Constantinopolim abierunt, expectabant.

Visio Tugdali: Facta est in Hibernia hoc anno quedam[a] mirabilis visio de penis inferni et gaudiis paradisi que Tugdali visio appellatur. Hanc si quis plane scire desiderat, in multis abbatiis poterit reperire[b].

Cont. Gemb. 1147. In natali Domini — ex magna parte confregit.

ibid. 1148. Eugenius papa collecta — evacuamus et irritas esse censemus.

In hac sinodo adductus est supradictus hereticus Henricus[c] et presentatus pape. Hic igitur in audientia — temporis mortuus est.

Magister Petrus Cantor in Verbo abbreviato mentionem de isto Henrico heretico facit, et quod Remis in carcere Samsonis solus missus sit usque ad mortem, ne alios corrumperet.

ibid. 1148. In hac synodo Remensi archiepiscopi, episcopi et abbates usque ad 1100 resedisse dicuntur.

Episcopus Aurelianensis ibi depositus est et Hatto Trecensis; cui Hattoni ad preces comitisse Campaniensis succedit[a] domnus Henricus; in eodem concilio beatus Bernardus contra Pictavensem episcopum magistrum Gislebertum Porrata[a] de fide sancte Trinitatis duobus diebus disputavit. Meminit ipse huius loci in sermone super Cantica canticorum 80. ita dicens: *Si quid de Deo proprie dici possit, rectius congruentiusque diceretur, Deus est magnitudo, bonitas, iustitia, sapientia, quam Deus est magnus, iustus, bonus aut[a] sapiens. Unde non immerito nuper in concilio[d] quod papa Eugenius Remis celebravit, tam ipsi, quam ceteris episcopis perversa visa est et omnino suspecta expositio illa in libro Gisleberti Pictavensis episcopi quo super verbo Boetii de Trinitate sanctissima quidem[a] atque catholica commentabatur hoc modo: Pater est veritas, id est verus, Filius est veritas, id est verus, Spiritus sanctus est veritas, id est verus. Et hii tres simul non tres veritates, sed una veritas, id est unus verus; — obscuram perversamque explanationem, quoniam verius saniusque per contrarium dixisset: Pater est verus id est veritas, Filius est verus id est veritas, Spiritus sanctus est verus id est veritas, et hi tres unus verus, id est et[a] una veritas. Quod quidem fecisset[e], si sanctum[f] Fulgentium dignaretur imitari, qui ait: Una quippe veritas unius Dei, immo una veritas unus Deus non patitur servitium atque culturam creature creatorisque coniungi.*

Helin. 1148. Horum duorum, id est Petri Abelardi et magistri Gisleberti, quidam discipuli nimium zelantes pro ipsis beato Bernardo detrahere ceperunt, quorum unus magister Stephanus de Alvierra[g] dixit, se ipsum interfuisse illi Remensi concilio, et Bernardum nostrum nichil adversus Gislebertum suum prevaluisse.

In magistro tamen Gisleberto illud commendatur, quod correctus est et quod fecit minorem glossaturam continuam in psalterium et epistolas Pauli, secutus dicta beati Augustini, et quedam alia que recipiuntur.

Cont. Gemb. 1148. Anno 1150. Conrardus imperator — vix pauci repatriaverint.

Guido: Detrimentum, inquit Guido, grave nimis incurrunt, tam proditione Grecorum, quam incursione Turcorum. Guil. Tyr. XVII, 5. Obsessi Damasceni ab imperatore[h] et rege Francorum simul et rege Ierosolimorum dum desperantes de fuga cogitant, animantur iterum fortius pecuniaria corruptione quorumdam nostrorum. Regressis[i] tamen tam imperatore, quam rege Francorum ad propria, ingens multitudo Turcorum sub duobus fratribus et ducibus eorum cum matre sua Ierusalem iure reclamantibus hereditario obsident eam, quos per Dei clementiam christiani magna virtute prosternunt.

Cont. Gemb. 1148. Apud Laudunum in abbatia sancti Vincentii ex ictu fulminis duos monachos mortuos fuisse in choro, et multa alia accidisse hoc anno in illa ecclesia referuntur. Et apud Cameracum conflagravit incendio principalis ecclesia, cum abbatia sancti Autberti et palatio episcopi et cenobio sancti sepulchri in eadem urbe.

Auct. Gemb. 1148. Daci et Westfali ac Saxonum duces consenserunt in hoc ut aliis euntibus Ierosolimam contra Sarracenos, ipsi vicinam sibi Sclavorum gentem, usque ad hec tempora paganam[k], aut omnino delerent aut cogerent christianam fieri. Et cum iam ad arma ex utraque parte ventum fuisset, quidam ex Teutonicis accepta pecunia vendiderunt[l] Dacos, ceptoque prelio se subtrahentes, multa millia Dacorum Sclavorum occiderunt gladii[m].

Caes. Heist. Dial. II, 3. Frater Cesarius: Hic annotandum est miraculum beati Bernardi de monacho sacerdote qui apostatavit et multos filios et filias in[n] seculo generavit, ex quibus primogenitus mutus fuit, qualiter huic reddidit loquelam et, patre iam defuncto in habitu seculari, habitus monachalis inventus est.

Nobilis comitissa Mathildis Campaniensis et uxor Renaldi comitis[57] Nivernensis et comitissa Montis Veteris[58] iuxta Coloniam et mater illorum Romanorum, qui Froiepain[o.][59] dicuntur, sorores fuerunt superioris archiepiscopi Coloniensis Frederici[60].

---

a) *deest* 2. b) invenire 2. c) evacuamus — Henricus *desunt* 1. d) concilium 2. e) dixisset 1. f) beatum 2. g) de Alvierra *desunt* 2. h) ab imperatore *desunt* 1. i) Regressus 2. k) pagani 2. l) vendiderant 1. m) gladiis 1. 2. n) *deest* 2. o) Frigii penates 1.

[57] Ida uxor Guilelmi comitis, cuius filius erat Reinaldus. [58] Berg. [59] Frangipani. [60] Cf. supra a. 1126.

Occasione cervi venientis quolibet anno ad ecclesiam sancti Cornelii Conpendiensis, quem interfecerunt Conpendienses canonici, amovit rex canonicos, et posuit ibi monachos de abbatia sancti Dyonisii, et ita cepit abbatia Conpendiensis.

Anno 1151. In Hungaria regnat Gizza vel Gecha per annos 20, ab isto descenderunt isti moderni reges Hungarie.

Moritur apud Virdunum Hostiensis episcopus cardinalis et legatus domnus Albricus, ad cuius tumulum beatus Bernardus missam pro eo[a] celebrans, cum venisset ad postcommunionem, collectam pro mortuo dimisit et collectam[b] de uno sancto confessore dixit.

Episcopus Cathalaunensis Bartholomeus mortuus fuit in peregrinatione Ierosolimitana, et electus est in episcopum Haymo archidyaconus vir nobilis et religiosus de Basochiis[61], qui fecit Enchyridion in decretis secundum Pannormiam Yvonis Carnotensis.

Tunc erant in Dacia per contentionem tres reges, quorum erat maior natu Sueno de ancilla natus, Herici nothi filius, Kanutus Magni filius et Waldemarus filius secundi Kanuti martiris, filii Herici Semperboni. Iste Waldemarus causa pacis faciende[c] sororem accepit tertii Kanuti filiam Magni, tertio gradu sibi consanguineam, et genuit ex ea Waldemarum II, qui duxit Sophiam de Russia.

Orta est contentio — victoria potitus est Auct. Affl. 1150.

Apud Treverim celebratur concilium papa Eugenio presente. 1147/8.

Anno 1152. Mortuus est Conradus in reditu sue peregrinationis, qui filium suum Henricum nomine in regem Aquis, cum esset iturus Ierosolimam, sublimaverat.

Ludovicus de Norenbergis[62] qui erat tutor, audita morte imperatoris, cruce signatus est et ipsum[d] puerum commisit avunculo suo duci Frederico, a partibus transmarinis regresso. Quomodo eiusdem Frederici filius a maiori parte baronum electus Romam abiit, infantem secum duxit, benedictionem a papa violenter extorsit, et quod papa post benedictionem dedit ei maledictionem, nisi infanti regnum redderet, cum ad etatem pervenisset, sed eodem infante qui dicebatur infans de Rodeburc[63] similiter mortuo, regnum sibi retinuit idem magnus Fredericus filius ducis Frederici, fratris eiusdem Conradi, et imperavit annis 39.

Obiit Albero Treverensium archiepiscopus, qui fuit primicerius Metensis, cui successit Hillinus.

Item moritur comes Campanie Theobaldus 6. Idus Ianuarii et apud Latiniacum[64] sepelitur. Quatuor habuit filios hoc ordine annotandos: Henricum comitem Trecensem palatinum, largitate et liberalitate famosum, Theobaldum comitem Blesensem, qui tenuit Carnotum, Stephanum comitem de Sancerra, quod Sacrum Cesaris est dictum, et Guilelmum, qui fuit archiepiscopus Senonensis et postea[65] Rhemensis, ad quem magister Petrus Comestor scripsit Scolasticam Hystoriam. Habuit etiam predictus Campanie comes Theobaldus filias sex: prima fuit Maria Burgundie ducissa; secunda Agnes Barri Ducis comitissa; tertia[66] quedam ducissa in partibus remotis. Hanc postea duxit Guilelmus Goez in dyocesi Carnotensi, et genuit duas filias, matrem Gaufridi de Dunzei[67] et Agnetam[e] domnam de Monteforti[68] in Cenomania. Quarta comitissa Mathildis Pertici[69]; quinta[70] monialis Fontis Ebraldi[71]; sexta fuit Adela Francorum regina.

Elinandus: Relictam Ludovici Francorum regis vel ut verius dicatur, repudiatam duxit in uxorem Helin. 1152. comes Andegavensis et dux Normannie Henricus, rex Anglie mox futurus. Unde guerra orta est inter eos. Hanc reliquit rex Ludovicus propter incontinentiam ipsius mulieris, que non sicut regina se habebat, sed fere communem se exhibebat.

Fuit autem Alienor dicta Guilelmi filia comitis Pictavorum[f] et Aquitanie ducis, que cum regi Francie Ludovico filias duas[g] peperisset, Mariam comitissam Trecensem et Aelidem[h] comitissam Blesensem, que peperit Ludovicum Blesensem[i], postea predicto regi Henrico quatuor peperit filios et filias tres. Fertur etiam regina Alienor duas habuisse sorores, quarum unam Radulfus habuit comes Perone et Veromandie.

---

a) pro eo missam 2. b) pro — collectam *desunt* 2. c) faciende pacis 2. d) *deest* 2. e) Agnetem 2. f) Pictavensis comitis 2. g) duas filias 2. h) Aeleidem 2. i) que — Blesensem *desunt* 2.

61) Bazoches, départ. Aisne, arrond. Soissons. 62) De Ludovico Norenbergensi nihil compertum habemus; quin omnia haec de Ludovici munere tutoris et de Friderici I. fraude fabulosa sint, nemo huius temporis gnarus dubitabit. 63) Rotenburg an der Tauber. 64) Langi, départ. Seine et Marne, arrond. Meaux. 65) Inde ab anno 1176. 66) Elisabetha uxor Rogeri ducis Apuliae. 67) Donzy, départ. Nièvre, arrond. Cosne. 68) Montfort, départ. Sarthe, arrond. Mamers. 69) Le Perche. 70) Margaretha. 71) Fontevraud, départ. Maine-et-Loire, arrond. Saumur.

fuisset, memor domini nostri [a] Iesu Christi de puteo per flammam eiectus est. Inde pons unus apparuit super flumen latissimum et fetidum. Tria erant difficilia huius pontis, lubricus fuit, strictus et gracilis et contra aerem protensus. Iterum ergo atque iterum dicebant demones: *Vides et satis perpendis quod hic transire non potes, sed adhuc si nobis assenseris, ad propria illesus remeabis.* Cepit pedetentim [b] super pontem figere pedem, et ecce crevit latitudo pontis, et sublate sunt omnes difficultates. Illo transeunte clamabant demones: *Prohibe eum, prohibe, retine eum, retine!* Et uncos ferreos post eum iaciebant. Liberatus est [b*] ab eis. Vidit ante se murum inconparabilis decoris; porta aperta est, et egressa est contra eum processio. Ibi erant anime gaudentes in requie et deliciis, hic erat paradisus terrestris. Ibi duo archiepiscopi ostenderunt ei aliam portam [c] superne letitie auro similem, vidit et gustavit de quotidiana eorum refectione, que per lucem mirabilem a supernis descendit, et dictum est ei, quod hec patria in qua erant, nondum erat superna letitia quam expectabant; qui accepta benedictione, eadem qua venerat via absque [d] difficultate revertitur. Alia die summo mane inventus et receptus est cum processione in ecclesia canonicorum, ubi detentus in infirmitorium 15 diebus, et quecumque vidit et que [e] passus est fideliter enarravit, vigiliis extunc et orationibus intentus. Quod ergo infernus vel subtus terram vel in terre concavitate sit, et quod paradisus terrestris in oriente et etiam [f] in terra sit, concordat ad hoc [g] ista narratio. Et quod item infernus super terram in aliqua parte mundi sit, concordat narratio, que superius [46] posita est de inferno Hisselandie, concordat [h] etiam olla [i] Vulcani et Ethna de Sicilia.

Cont. Gemb. 1141. Plaga ignis divini — Dei misericordia subvenit.

In partibus transmarinis rex Ierosolimitanorum — castra propinquiora expugnat.

ibid. 1141. Anno 1142. Adalbero huius nominis secundus Leodicensium episcopus, dolens fraudulenta invasione comitis Barri Raynaldi — retineri castrum Bullonium — castrum obsedit — recepit cum Dei et sancti Lamberti auxilio — Quanta ibi contigerint — prudentioribus relinquimus estimanda vel, si eis placuerit, describenda.

Non est tamen silentio pretereundum, quod predictus comes Barrensis Raynaldus ita papam per Haymericum cancellarium [47], et imperatorem per domesticos suos ad suam partem [k] attraxerat, quod [l] ab omni iure [m] humano, tam seculari quam ecclesiastico, causa Leodiensis ecclesie fuerat [n] destituta. Sed [o] ita miraculose in adventu beati Lamberti castrum [48] recepit episcopus, quod unus de duobus filiis Hugo nomine qui erat in castro, in insaniam versus, mortuus est, alter vero Raynaldus minor Deo permittente evasit incolumis.

Helin. 1142. Hoc tempore fuit magister Petrus Abaelardus in scientia celeberrimus, cuius scripta de theologia incendio et ipsum scriptorem silentio condemnavit papa Innocentius II. Capitula reprehensibilia habentur in quadam beati Bernardi epistola ad predictum [p] papam. Libri tamen eiusdem magistri diu in abscondito servati sunt ab eius discipulis.

Elinandus: Ego ipse in eisdem libris multa reprehensibilia inveni, et domnus Gaufridus Antissiodorensis, per annos 13 beati Bernardi monachus, qui fuerat eiusdem Petri discipulus, de eo sic ait: Ego michi aliquando magistrum fuisse recordor, qui pretium nostre redemptionis evacuans, nichil aliud nobis in sacrificio passionis dominice [h] commendabat nisi virtutis exemplum et amoris incentivum. Et quod scripture perhibent, humanum genus pretioso illo sanguine de potestate dyaboli esse redemptum, in eo solo constare dicebat, quod exemplum nobis exhibitum est usque ad mortem pro veritate et iustitia certandi, et adhibitum est velut quoddam incentivum amoris [q], cum ex inpenso amore occasio data est redamandi [r]; sed beatus Bernardus sic imitandum predicabat [s] Dominum patientem et redamandum amantem, ut principalem huius sacrificii causam velut agni caput, redemptionem in eo profiteretur et adoraret humanam. Tria namque specialia nobis in sua passione Christus exhibuit, exemplum virtutis, incentivum amoris, redemptionis sacramentum. Quod tertium si evacuatur secundum magistrum Petrum, nil prodesse cetera poterunt, et cum dicatur: *Caput agni cum pedibus eius et intestinis vorabitis,* magister Petrus caput omittens, pedes et intestina vorabat tantummodo.

O.Fr.VII,26. **Episcopus Otto**: Dux Austrie Henricus contra Guelphonem inflammatus — ac igne succendit.

VII, 27. Circa idem tempus Veronenses — cruentissima potiuntur victoria.

VII, 29. Quibus etiam diebus propter absentiam — Florentinos hostes pronuntiant [t].

Cont. Gemb. 1142. Anno 1143. Rex Anglorum **Stephanus** quibusdam pacis conditionibus solutus [u] a captione qūa tenebatur, iterum Anglice genti principatur. Erat enim homo mansuetus et pius, sed impii homines eius pietate [v] abusi numquam eum infestare quieverunt, donec sese genitore induit, Henricum videlicet [w] iuvenem affiliando, id est in filium adoptando et regie dignitatis successorem post excessum vite designando [50]. Fuit hic Henricus Gaufridi comitis Andegavensis filius, ex Mathilda filia Henrici Anglorum regis [x].

[a] *deest* 2. [b] pedentim 2. [b*] *deest* 1. [c] partem 2. [d] sine 2. [e] *deest* 1. [f] iam 2. [g] ad hoc *desunt* 2. [h] *deest* 2. [i] os 1. [k] partem suam 2. [l] ut 2. [m] genere 2. [n] fuerit 2. [o] et 1. 2. [p] eundem 2. [q] amoris incentivum 2. [r] reamandi 2. [s] predicat 1. [t] denuntiant 2; pronuntiat 1. [u] solutis 1. [v] pietatem 1; impietate 2. [w] scilicet 2. [x] regis Angl. Henr. filia 2.

[46] Anno 1130.

[47] Cf. Aeg. Aureavall. III, 28.

[48] Bullonium scilicet, de cuius obsidione locus Anselmi praecedens agit.

[50] Quum haec verba iam ad annum 1139 invenerimus neque nostrum ex ipsa sua mente rem quandam bis iisdem verbis narrasse verisimile sit, eum in libro scripto nisum

Rex Francorum Ludovicus frequenter ammonens — et contrectatione. Cont. Gemb. 1142.

In parochia Gemblacensi — se aspicientibus fuit, sed post modicum — agens etatis annum. Auct. Gemb. 1142.

Conradus rex in oppido — ad deditionem conpulit. Cont. Gemb. 1142.

Episcopus Otto: Kaloiohannes Constantinopolitanus imperator — filio regnum reliquit. O.Fr.VII,28.

Unde Guido: Iohannes imperator Constantinopolitanus, Alexii imperatoris filius, cum infinitis copiis Ciliciam occupavit universam, Antiochiam obsidet, principem cogit ad fidelitatem, et dum in Cicilia [a] venationi indulget, toxicata sagitta se ipsum letali vulnere figit. Remedium querit et invenit, sed mira magnanimitate contempnit, quod scilicet priusquam partem reliquam veneno contingeret infici, sibi lesam manum pateretur precidi, ad quod ei datum [b] consilium [c] respondisse fertur, indignum sibi videri quod Romanum imperium una manu regatur. Et subrogato sibi in imperium filio Manuele a presenti luce subtrahitur cum nimio suorum planctu pariter et merore. Will. Tyr. XIV, 24. XV, 5. 22 XV, 23.

Episcopus Otto: At Manuel ad regnum sublimatus — facta est federatio. O.Fr.VII,28.

In Tuscia Florentini Pisanis adiuncti, Lucenses non solum bello attemptant, sed et castella, oppida et agros comitis Guidonis qui dictus est Guerra, eorum adiutoris, incendio et rapina devastant. Senenses etiam, qui ad vastandos agros eorum egressi fuerant et erant Lucensibus associati, insidiis a tergo positis vix paucis fuga elapsis captivant — in se spectaculum prebent.

In Hispania rex Aldefonsus, imperator dictus, Choriam civitatem cepit.

Quo anno per industriam abbatis Petri [d] Cluniacensis, liber qui dicitur Alcoranus cum tota secta impii et pseudoprophete Mahumet de Arabico in Latinum translatus est, hac ratione ut sciat catholica ecclesia, quam vilis et quam frivola et quam apertis mendaciis plena sit ista seductoris illius doctrina, que a tempore beati Gregorii paulo post, id est a tempore imperatoris Heraclii, Sarracenorum populos infecit, et hic erat annus alhigere 537. Alhigera autem dicitur sublimatio in prophetam, id est annus [e] ille, in [f] quo primum creditus est sive ab omnibus elevatus est Maghometus in prophetam. Et ab illo anno Sarraceni conputant annos suos, sicut nos ab incarnatione Domini conputamus.

Rex autem Aldefonsus Hispanie imperator, qui hoc anno Choriam cepit civitatem et Sarracenos inde fugavit, fuit filius comitis Raymundi, fratris comitis Pontii de Tolosa, natus ex Waracta [g] filia imperatoris Fernandi, qui civitatem Colimbriam recuperavit, et habuit iste Aldefonsus sororem Sanctiam nomine, ad quam extat una beati Bernardi epistola [50*].

Filius autem predicti imperatoris Aldefonsi [h], qui Choriam cepit, dictus est rex Sanctius, de quo natus est Aldefonsus rex Castelle et Toleti, qui parvus rex appellatus est. De fratre huius Sanctii Fernando natus est Aldefonsus rex [i] Legionis; et de sorore huius Sanctii Waieca [k] nata est Blancha Campanie comitissa; et de filio eiusdem Sanctii rege parvo nata est Blancha Francie [l] regina. Et hec breviter per anticipationem tetigisse sufficiat.

Apud Cathalaunum mortuo episcopo Gaufrido succedit Guido de Monteacuto [51].

Anno 1144. Aldefonsus rex Portugallie mirabiliter et miraculose de Sarracenis triumphat. Huius uxor fuit filia comitis Sabaudie.

Regnum Francorum magnam — susceperunt ab eis. Cont. Gemb. 1143

Dum hec aguntur — unanimitate electus successit. O.Fr.VII,27.

Unde scribitur: Gregorius papa, qui et Innocentius obiit. Guido, qui et Celestinus dicitur, succedit. De isto Guidone in epistolis beati Bernardi memoratur, quod fuerit [m] magistri Petri Abaelardi discipulus, sed non est magistrum in errore secutus. Qui non plenarie sex mensibus sedit, et ei Gerardus, qui et Lucius successit, qui pro mansuetudine et humilitate sui, officio sacerdotali dignus, gravem a civibus persecutionem passus humiles ad regem Conradum litteras mittit — in hunc modum: *Lucius episcopus servus servorum Dei karissimo filio Conrado Romanorum regi illustri salutem et apostolicam benedictionem. Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a patre luminum* etc. Populus enim — affligere non timuerunt. Cont. Gemb. 1143. O.Fr.VII,31.

Anno 1145. Ventus vehementissimus arbores et turres et domos magnas subvertit; fames quoque valida invalescit in Francia, sed precipue in Anglia. Unde quidam famis gladio perurgente coacti sunt alias emigrare, ut malum inopie vel evitare possent vel alleviare, et messis per mensem tardavit propter inundationem pluvie. Helin. 1144.

Rex Ierusalem Fulco moritur regni sui anno 15, cui successit filius eius annorum 13, tertius Balduinus.

Guido: Hic in virilem evadens [n] etatem, sicut elegantia forme ceteris eminebat, sic et in vivacitate mentis et eloquentie flore ceteros anteibat. Huius mater regina Melissendis in Bethania monasterium edificat puellarum, prediis et divitiis regaliter [o] ampliatum. Will. Tyr. XVI, 1. XV, 26.

Predictus rex Fulco, antequam esset electus in regem, fuit comes Andegavensium, Turonensium et Cenomanensium; cui frater fuit Gaufridus successor eius, qui duxit Mathildem imperatricem, de qua supra diximus [52].

---

a) Cilicia 1 *in rasura*. b) datum ei 2. c) concilium 2. d) Petri abbatis 2. e) *deest* 1. f) *deest* 2. g) Waraca 2. h) secundum Morandum ex Rikissa, filia Musuch regis Russie *add.* 1. i) Castelle — rex *desunt* 2. k) Wariece 2. l) Francorum 2. m) fuit 2. n) vadens 2. o) regulariter 1. 2.

esse putarim. Quo in exscribendo se iam ad annum 1139 eadem exscripsisse oblitus est. 50*) Ep. nr. 301. 51) Montaigu. 52) Anno 1139.

Helin. 1143. Civitas Rothomagi, dedignata subesse regi Anglorum Stephano, reddita est cum Normannia huic comiti Gaufrido. De morte et superbia eiusdem Gaufridi fit mentio quedam in Vita beati Bernardi [53].

Cont. Gemb. 1144. Rex Francorum Ludovicus intelligens quia perturbatio capitis perturbatio est membrorum — adquievit confederari Theobaldo Blesensium comiti. Sed mediante beato Bernardo pacificati sunt.

Conrardus rex sciens per se, sciens [a] per religiosorum virorum ammonitionem — decenter satisfacere.

O. Fr. VII, 29. Godefridus comes, frater Balduini moritur.

Lucius papa obiit, qui quotidianis crucibus ac tedio vite propter Romanorum insolentiam affectus, infra anni spatium pontificatus sui diem obiit.

Cont. Gemb. 1145. Bernardus qui et Eugenius ei successit.

O. Fr. VII, 31. Iste fuit monachus Clarevallis sub beato Bernardo abbate et fuit primus abbas Sancti Anastasii Rome. Cum vero cardinales primam eius electionem vellent irritari et adnichilari, dixit coram omnibus: *Ego excommunico omnes illos qui tractaturi sunt de electione pape me vivente.*

O. Fr. VII, 31. Episcopus Otto: Eugenius vir sanctitate et religione perspicuus communi voto cleri et populi electus est. Hic in principio — tandemque pacem petere coegit, de qua suo loco dicetur.

Cont. Gemb. 1145. Civitas Edessa — et ancillas venundantur.

O. Fr. VII, 30. VII, 32. VII, 33. Episcopus Otto: Hoc anno incipiente in ipsa sacrosancte — ibi ad habitandum locavit. Ea tempestate Armeniorum — item Romanam ecclesiam consuluerunt. Vidimus etiam ibi tunc — Sed hec hactenus.

Anno 1146. In Ungaria regnat Boricius per annos 6.

VII, 34. Episcopus Otto: Eugenius papa cum Romanis — valida expectatur commotio.

In Polonia inter tres fratres terre principes miserabilis auditur tumultuatio. Horum fratrum hec sunt nomina Vergescelaus, avus ducis Henrici, Mesico et Casemerus. De isto Mesicone nati sunt duces Guenesie [54], Odoiscius pater secundi Logeslai, Logeslaus et sorores eorum [a], quarum una Virgotslavia fuit mater ducis [55] de Nanceio. De Casemero nati sunt duces Cracovie Listec et Conrardus.

VII, 34. In Belgica quoque Gallia virorum potentum — desevire non pertimescant.

Beatus Bernardus abbas Clarevallensis cum audisset Bernardum abbatem Sancti Anastasii Rome, quondam monachum suum in Claravalle, electum in papam et consecratum dictumque Eugenium, scribit ad eum epistolam verbis consolatoriis et mellifluis plenam
Ep. 238. in hunc modum: *Amantissimo patri ac domino Dei gratia summo pontifici Eugenio Bernardus Clarevallis vocatus abbas. Modicum id quod est. Auditum est in terra nostra — ad radicem arboris posita est.*

Otto Fris. VIII, 1. Episcopus Otto de quadrifaria ecclesie persecutione: Civitas Christi primo violentiam pertulit a civitate mundi et regibus infidelibus. Secundo pertulit hereticorum fraudulentiam. Tertio fictionem perfidam ypocritarum; ultimo et violentiam et fraudulentiam et fictam sub Antichristo passura est persecutionem.

VIII, 2. De discessione, que Antichristi adventum precedet, hec est expositio: Nisi venerit discessio primum, id est, vel nisi omnes discedant a subiectione Romani [b] imperatoris vel nisi recedant ab obedientia Romani pontificis.

VIII, 3. De ipso eius adventu ac persecutione, que sub ipso fiet [c], he sunt auctoritates: *Ego veni in nomine patris mei* etc. Et beatus Paulus: *Mittet illis Deus operationem erroris.* Ipse autem in ypocrisi veniens non faciet
VIII, 4. tormenta exteriora, sed aliquis potens, forte Romanus imperator pro eo. Et hec est bestia in apocalipsi. Vita et doctrina
VIII, 5. eius utraque Christo contraria, quia ille humilis, iste superbus etc. Quod precedent eum Enoch et Helias, et quod
VIII, 6. 7. tempus tyrannidis eius in tribus annis et dimidio abbreviabitur, et quod percusso eo ista adventum Domini signa [b] pre-
VIII, 8. cedant: Iudei ad fidem venient. Signa inusitata in sole et luna et stellis apparebunt. *Cum videritis hec fieri, scitote quia prope est* [d] *regnum Dei.* De exterminatione seculi per ignem concordant prophetis Plato, Sibilla et Iosephus.
VIII, 9. 10. Celum et terra transibunt, id est de hoc statu ad alium pulchriorem. Bifaria predicatur resurrectio mortuorum, quia
VIII, 11. alii ad vitam, alii ad mortem perpetuum resurgunt. Auctoritatibus multis et ratione probari potest resurrectio mortuorum.
VIII, 12. Qua etate, sexu, forma resurgent mortui. Non est vitium sexus femineus, sed natura; corporibus vitia detrahentur [e],
VIII, 15. 20. natura servabitur. Forma omni macula et labe carebit. De monstruosis et abortivis sufficiat quod dicit Augustinus. De iudicio et interitu reprobe civitatis.

VIII, 26. 29. De gloria et exaltatione civitatis Dei. De diversis in celesti curia mansionibus, satis disputatum est in sanctorum libris.

Huc usque pertingit narratio episcopi Ottonis, qui fuit vir nobilis et monachus Morimundi [f], et una die electus in abbatem eiusdem loci, sequenti die factus est in Bavaria episcopus Frisingensis, cum esset frater imperatoris Conradi [g] ex matre, filius videlicet Leopoldi ducis Austrie.

Helin. 1146. Relatio domni Elinandi de visione penarum inferni sequitur sic incipiens: Guilelmus puer in Anglia crucifigitur a Iudeis in urbe Norwico in die [g] parasceues, de quo talis visio legitur: Puer quidam nomine Guilelmus annorum 15 etc. que in annali inveniuntur.

Cont. Gemb. 1146. Remis in cenobio — concursu populi frequentatur. Adalbero Leodiensis episcopus in via Romana vita decessit 6. Kalendas Aprilis [56]. Henricus assumptus ex clero sancti Lamberti, eiusdem ecclesie prepositus, secundus huius nominis presul ei succedit.

Apud Laudunum post Bartholomeum Galterus per annos fere 30 fit episcopus.

---

a) *deest* 1. b) *deest* 2. c) fient 2. d) *deest* 1. e) detrahentem 2. f) Mormundi 1. g) *deest* 2.

[53] lib. IV. cap. 13. [54] Gnesen. [55] Friderici II. 1206—1213, cuius mater Ludomilla dicta est.
[56] Hunc diem ex Aeg. Aur. III, 40 addidit.

Guido: Sanguinus[a] autem filius Axungur sceleratissimus Alapie princeps capta Edessa civitate, dum in obsidione cuiusdam civitatis super Eufratem site et dicte Calogembar perseveraret, suorum gladiis confossus interiit, vino tamen ante sepultus et oppressus, nocturna crapula quasi occisus. Quo nuntiato quidam satis eleganter exclamat[b] ex nostris: *Quod bonus eventus Fit vino sanguinolentus Rex homicida reus, Nomine Sanguineus.* Will. Tyr. XVI, 7.

Anno 1147. Beatus Bernardus abbas Clarevallis in Alemannia de mandato pape crucem predicando virtutes multas et magnas fecit, inter quas et mortuum unum resuscitavit. Chr. Clar. 1147.

Cum autem esset in veniendo apud urbem Spiram[c], tantus beato viro venit obviam cursus, ut Conradus imperator deposita clamide, cum populus eum comprimeret, in proprias ulnas suscipiens, de basilica ipsum asportarit[d]. Qui de Spira per Coloniam venit Leodium; in qua via multi nobiles per manus[e] illius se Domino mancipaverunt. Apud Leodium vero iuxta ecclesiam beati Lamberti in prato quod dicitur Episcopi publice predicavit et in ipso palatio in presentia Henrici episcopi tria miracula fecit. Qua occasione episcopus Henricus compunctus abbatiam de Alna fundavit. Helm. 1145. Aegid. Aur. III, 42.

Conrardus rex apud Anthernacum in vicinia Treverorum pentecosten celebrat, et quosdam sibi rebelles oppugnat et eos expugnando ad deditionem subiugat. Cont. Gemb. 1145.

In partibus transmarinis nobilis quidam ex Damascenis de Bostro quadam civitate tradenda cum rege paciscitur Balduino, rex cum exercitu Bostrum properat. Eynardus Damascenorum procurator cum multis Turcorum millibus obsistit. Procedens exercitus christianus infinita sustinet[f] pericula sitis, ardoris et incursionis hostilis, civitatem reperit ab hostibus occupatam rediens infecto negotio supra modum artatur tam hostium periculis quam locorum. Mittitur ad hostes pro pace legatus, qui ut se reddat minus suspectum, si male cogitat super hoc, imprecatur se non rediturum, quod, dum ab hiis ad quos mittitur interficitur, adimpletur. Quodam hostium nobili prostrato hostes accurrunt[g] et plangendo moram faciunt, unde liberius proficiscitur exercitus christianus. Hostes locis herbosis, per que transibant fideles, ignem immittunt. Involvuntur obviante vento tetra fuligine fideles, quem contra victoriose crucis vexillo elevato, retorquetur ventus in adversarios. Will. Tyr. XVI, 8. XVI, 9. 10. XVI, 11. 12. XVI, 11.

Ignorantibus viam fidelibus fit ductor previus albi quidam[h] equi sessor ignotus et rubei vexilli baiulus. Edessam[i] civitatem per quosdam cives christianos recipiunt christiani. Noradinus Sanguini filius Alapie princeps obsidet eos in illa et miserabiliter obtruncat eiectos. Fideles excitantur occidentales ad subveniendum orientalibus Eugenii pape et viri venerabilis Bernardi Clarevallensis abbatis hortatu. XVI, 12. 14. XVI, 18.

Occidentales ergo christiani dolentes — expeditionem sese accingerent. Cont. Gemb. 1146.

Obiit Guido Cathalaunensis episcopus, succedit Bartholomeus.

Renaldus comes magnus Burgundie circa hoc tempus obiit.

Anno 1148. Heresis Eunitarum intra Britannias pullulat, imo ut verius dicatur maxima heresis Popelitanorum Henrici apostate pessimi quondam nigri monachi in terra Albigensium[k] pullulavit. Qui cum esset ydiota et ipsos apices litterarum vix cognosceret, tamen polluto ore de divinis libris tractabat et disputabat. Hic nefario ausu absque sacris ordinibus episcopos et archiepiscopos ad errorem et subversionem perditorum hominum hiis qui sibi adherebant ordinabat, multa quoque alia faciebat scelerata et divine legi contraria. Ad postremum[l] diabolico spiritu completus in tantam prorupit insaniam, ut diceret et credi cogeret se esse filium Dei. Quanta turpia et execrabilia agunt in abscondito heretici isti, bonum est silentio tegere, ne horrorem incutiant vel etiam errorem generent infirmis auditoribus. Contra tam pestiferam heresim missi sunt a domno papa Hostiensis episcopus et legatus, vir venerabilis Albricus et Carontensis episcopus Gaufridus vir religiosus et abbas Clarevallensis beatus Bernardus. Post hec predictus hereticus Henricus diu latuit, sed tandem a quodam episcopo captus et Remis ad papam Eugenium ductus. ibid. 1146.

Fames gravissima — ad mendicitatem deduxit. ibid. 1146.

Malachias vir sanctus Hibernensis archiepiscopus et legatus secundum desiderium suum, quod in mente habebat sub obtentu, quasi ad papam iturus Dei nutu, cum iam papa recessisset a Francia, Clarevallem venit, et ibi in[m] hoc anno in crastino omnium sanctorum vitam felicissimam consummavit. V. s. Malach. p. 111.

Apud civitatem Tornacum cum per 400 annos circiter fuisset ipsa civitas sub episcopis Noviomensibus, tandem sancto mediante abbate[m] Bernardo positus est per Eugenium papam ibi[m] novus episcopus, et recepit ecclesia privilegium antiquum. Primus episcopus dictus est Anselmus, secundus Geraldus, tertius Galterus.

Ludovicus rex Francie et imperator Conradus ad predicationem beati Bernardi cruce signati, iter arripiunt, et facta est maxima in Turcos expeditio que tertia dicitur, quia primam fecit Karolus, et secunda dicitur Antiochena.

Anno 1149. Conrardus rex recessurus Henricum filium suum Aquisgrani in regem sublimat — Multi christianorum — pervenerunt ad urbem Sarracenorum potentissimam, que ex nomine conditoris Ulixibona dicitur — urbem ipsam et omnem in circuitu viciniam quiete possederunt, et ex tunc usque hodie civitas Ulixibona possidetur a christianis[n]. Cont. Gemb. 1147.

Quando autem fit aliqua mentio istius expeditionis christianorum et regis Norgvegie, qui erat cum eis, expeditio de Setelia vulgariter appellatur propter civitatem Seteliam sub soldano Ychonii, ad quam per mare delapsi sunt, et ibi alios, qui per Constantinopolim abierunt, expectabant.

---

[a] *ita* 1. 2; *in* 1 *correctum manu saec. XV:* Sanguineus. [b] exclamant 1. [c] Spiram urbem 2. [d] asportavit 1. 2. [e] manum 2. [f] sustinuit 2. [g] occurrunt 2. [h] quidem 2. [i] Edissam 2. [k] Albiginensium 2. [l] extremum 2. [m] *deest* 2. [n] a chr. possidetur 2.

Visio Tugdali: Facta est in Hibernia hoc anno quedam [a] mirabilis visio de penis inferni et gaudiis paradisi que Tugdali visio appellatur. Hanc si quis plane scire desiderat, in multis abbatiis poterit reperire [b].

Cont. Gemb. 1147. In natali Domini — ex magna parte confregit.

ibid. 1148. Eugenius papa collecta — evacuamus et irritas esse censemus.

In hac sinodo adductus est supradictus hereticus Henricus [c] et presentatus pape. Hic igitur in audientia — temporis mortuus est.

Magister Petrus Cantor in Verbo abbreviato mentionem de isto Henrico heretico facit, et quod Remis in carcere Samsonis solus missus sit usque ad mortem, ne alios corrumperet.

ibid. 1148. In hac synodo Remensi archiepiscopi, episcopi et abbates usque ad 1100 resedisse dicuntur.

Episcopus Aurelianensis ibi depositus est et Hatto Trecensis; cui Hattoni ad preces comitisse Campaniensis succedit [a] domnus Henricus; in eodem concilio beatus Bernardus contra Pictavensem episcopum magistrum Gislebertum Porrata [a] de fide sancte Trinitatis duobus diebus disputavit. Meminit ipse huius loci in sermone super Cantica canticorum 80. ita dicens: *Si quid de Deo proprie dici possit, rectius congruentiusque diceretur, Deus est magnitudo, bonitas, iustitia, sapientia, quam Deus est magnus, iustus, bonus aut* [a] *sapiens. Unde non immerito nuper in concilio* [d] *quod papa Eugenius Remis celebravit, tam ipsi, quam ceteris episcopis perversa visa est et omnino suspecta expositio illa in libro Gisleberti Pictavensis episcopi quo super verbo Boetii de Trinitate sanctissima quidem* [a] *atque catholica commentabatur hoc modo: Pater est veritas, id est verus, Filius est veritas, id est verus, Spiritus sanctus est veritas, id est verus. Et hii tres simul non tres veritates, sed una veritas, id est unus verus; — obscuram perversamque explanationem, quoniam verius saniusque per contrarium dixisset: Pater est verus id est veritas, Filius est verus id est veritas, Spiritus sanctus est verus id est veritas, et hi tres unus verus, id est et* [a] *una veritas. Quod quidem fecisset* [e], *si sanctum* [f] *Fulgentium dignaretur imitari, qui ait: Una quippe veritas unius Dei, immo una veritas unus Deus non patitur servitium atque culturam creature creatorisque coniungi.*

Helin. 1148. Horum duorum, id est Petri Abelardi et magistri Gisleberti, quidam discipuli nimium zelantes pro ipsis beato Bernardo detrahere ceperunt, quorum unus magister Stephanus de Alvierra [g] dixit, se ipsum interfuisse illi Remensi concilio, et Bernardum nostrum nichil adversus Gislebertum suum prevaluisse.

In magistro tamen Gisleberto illud commendatur, quod correctus est et quod fecit minorem glossaturam continuam in psalterium et epistolas Pauli, secutus dicta beati Augustini, et quedam alia que recipiuntur.

Cont. Gemb. 1148. Anno 1150. Conrardus imperator — vix pauci repatriaverint.

Guido: Detrimentum, inquit Guido, grave nimis incurrunt, tam proditione Grecorum, Guil. Tyr. XVII, 5. quam incursione Turcorum. Obsessi Damasceni ab imperatore [h] et rege Francorum simul et rege Ierosolimorum dum desperantes de fuga cogitant, animantur iterum fortius pecuniaria corruptione quorumdam nostrorum. Regressis [i] tamen tam imperatore, quam rege Francorum ad propria, ingens multitudo Turcorum sub duobus fratribus et ducibus eorum cum matre sua Ierusalem iure reclamantibus hereditario obsident eam, quos per Dei clementiam christiani magna virtute prosternunt.

Cont. Gemb. 1148. Apud Laudunum in abbatia sancti Vincentii ex ictu fulminis duos monachos mortuos fuisse in choro, et multa alia accidisse hoc anno in illa ecclesia referuntur. Et apud Cameracum conflagravit incendio principalis ecclesia, cum abbatia sancti Autberti et palatio episcopi et cenobio sancti sepulchri in eadem urbe.

Auct. Gemb. 1148. Daci et Westfali ac Saxonum duces consenserunt in hoc ut aliis euntibus Ierosolimam contra Sarracenos, ipsi vicinam sibi Sclavorum gentem, usque ad hec tempora paganam [k], aut omnino delerent aut cogerent christianam fieri. Et cum iam ad arma ex utraque parte ventum fuisset, quidam ex Teutonicis accepta pecunia vendiderunt [l] Dacos, ceptoque prelio se subtrahentes, multa millia Dacorum Sclavorum occiderunt gladii [m].

Caes. Heist. Dial. II, 3. Frater Cesarius: Hic annotandum est miraculum beati Bernardi de monacho sacerdote qui apostatavit et multos filios et filias in [n] seculo generavit, ex quibus primogenitus mutus fuit, qualiter huic reddidit loquelam et, patre iam defuncto in habitu seculari, habitus monachalis inventus est.

Nobilis comitissa Mathildis Campaniensis et uxor Renaldi comitis [57] Nivernensis et comitissa Montis Veteris [58] iuxta Coloniam et mater illorum Romanorum, qui Froiepain [o] [59] dicuntur, sorores fuerunt superioris archiepiscopi Coloniensis Frederici [60].

---

a) *deest* 2. b) invenire 2. c) evacuamus — Henricus *desunt* 1. d) concilium 2. e) dixisset 1. f) beatum 2. g) de Alvierra *desunt* 2. h) ab imperatore *desunt* 1. i) Regressus 2. k) pagani 2. l) vendiderant 1. m) gladiis 1. 2. n) *deest* 2. o) Frigii penates 1.

57) Ida uxor Guilelmi comitis, cuius filius erat Reinaldus. 58) Berg. 59) Frangipani. 60) Cf. supra a. 1126.

Occasione cervi venientis quolibet anno ad ecclesiam sancti Cornelii Conpendiensis, quem interfecerunt Conpendienses canonici, amovit rex canonicos, et posuit ibi monachos de abbatia sancti Dyonisii, et ita cepit abbatia Conpendiensis.

Anno 1151. In Hungaria regnat Gizza vel Gecha per annos 20, ab isto descenderunt isti moderni reges Hungarie.

Moritur apud Virdunum Hostiensis episcopus cardinalis et legatus domnus Albricus, ad cuius tumulum beatus Bernardus missam pro eo[a] celebrans, cum venisset ad postcommunionem, collectam pro mortuo dimisit et collectam[b] de uno sancto confessore dixit.

Episcopus Cathalaunensis Bartholomeus mortuus fuit in peregrinatione Ierosolimitana, et electus est in episcopum Haymo archidyaconus vir nobilis et religiosus de Basochiis[61], qui fecit Enchyridion in decretis secundum Pannormiam Yvonis Carnotensis.

Tunc erant in Dacia per contentionem tres reges, quorum erat maior natu Sueno de ancilla natus, Herici nothi filius, Kanutus Magni filius et Waldemarus filius secundi Kanuti martiris, filii Herici Semperboni. Iste Waldemarus causa pacis faciende[c] sororem accepit tertii Kanuti filiam Magni, tertio gradu sibi consanguineam, et genuit ex ea Waldemarum II, qui duxit Sophiam de Russia.

Orta est contentio — victoria potitus est Auct. Affl. 1150.

Apud Treverim celebratur concilium papa Eugenio presente. 1147/8.

Anno 1152. Mortuus est Conradus in reditu sue peregrinationis, qui filium suum Henricum nomine in regem Aquis, cum esset iturus Ierosolimam, sublimaverat.

Ludovicus de Norenbergis[62] qui erat tutor, audita morte imperatoris, cruce signatus est et ipsum[d] puerum commisit avunculo suo duci Frederico, a partibus transmarinis regresso. Quomodo eiusdem Frederici filius a maiori parte baronum electus Romam abiit, infantem secum duxit, benedictionem a papa violenter extorsit, et quod papa post benedictionem dedit ei maledictionem, nisi infanti regnum redderet, cum ad etatem pervenisset, sed eodem infante qui dicebatur infans de Rodeburc[63] similiter mortuo, regnum sibi retinuit idem magnus Fredericus filius ducis Frederici, fratris eiusdem Conrardi, et imperavit annis 39.

Obiit Albero Treverensium archiepiscopus, qui fuit primicerius Metensis, cui successit Hillinus.

Item moritur comes Campanie Theobaldus 6. Idus Ianuarii et apud Latiniacum[64] sepelitur. Quatuor habuit filios hoc ordine annotandos: Henricum comitem Trecensem palatinum, largitate et liberalitate famosum, Theobaldum comitem Blesensem, qui tenuit Carnotum, Stephanum comitem de Sancerra, quod Sacrum Cesaris est dictum, et Guilelmum, qui fuit archiepiscopus Senonensis et postea[65] Rhemensis, ad quem magister Petrus Comestor scripsit Scolasticam Hystoriam. Habuit etiam predictus Campanie comes Theobaldus filias sex: prima fuit Maria Burgundie ducissa; secunda Agnes Barri Ducis comitissa; tertia[66] quedam ducissa in partibus remotis. Hanc postea duxit Guilelmus Goez in dyocesi Carnotensi, et genuit duas filias, matrem Gaufridi de Dunzei[67] et Agnetam[e] domnam de Monteforti[68] in Cenomania. Quarta comitissa Mathildis Pertici[69]; quinta[70] monialis Fontis Ebraldi[71]; sexta fuit Adela Francorum regina.

Elinandus: Relictam Ludovici Francorum regis vel ut verius dicatur, repudiatam duxit in uxorem comes Andegavensis et dux Normannie Henricus, rex Anglie mox futurus. Unde guerra orta est inter eos. Hanc reliquit rex Ludovicus propter incontinentiam ipsius mulieris, que non sicut regina se habebat, sed fere communem se exhibebat. Helin. 1152.

Fuit autem Alienor dicta Guilelmi filia comitis Pictavorum[f] et Aquitanie ducis, que cum regi Francie Ludovico filias duas[g] peperisset, Mariam comitissam Trecensem et Aelidem[h] comitissam Blesensem, que peperit Ludovicum Blesensem[i], postea predicto regi Henrico quatuor peperit filios et filias tres. Fertur etiam regina Alienor duas habuisse sorores, quarum unam Radulfus habuit comes Perone et Veromandie.

---

a) pro eo missam 2. b) pro — collectam *desunt* 2. c) faciende pacis 2. d) *deest* 2. e) Agnetem 2. f) Pictavensis comitis 2. g) duas filias 2. h) Aeleidem 2. i) que — Blesensem *desunt* 2.

[61] Bazoches, départ. Aisne, arrond. Soissons.

[62] De Ludovico Norenbergensi nihil compertum habemus; quin omnia haec de Ludovici munere tutoris et de Friderici I. fraude fabulosa sint, nemo huius temporis gnarus dubitabit.

[63] Rotenburg an der Tauber.

[64] Langi, départ. Seine et Marne, arrond. Meaux.

[65] Inde ab anno 1176.

[66] Elisabetha uxor Rogeri ducis Apuliae.

[67] Donzy, départ. Nièvre, arrond. Cosne.

[68] Montfort, départ. Sarthe, arrond. Mamers.

[69] Le Perche.

[70] Margaretha.

[71] Fontevraud, départ. Maine-et-Loire, arrond. Saumur.

Petrus vir religiosus factus est Tharentasiensis archiepiscopus, et abbas Alanus de Ripatorio[72] fit Autisiodorensis episcopus.

Anno gracie 1153. Fredericus Magnus, Frederici ducis filius, fratris imperatoris Conradi, imperat Romanis, qui aliquantulum de anno superiori imperaverat.

Papa Eugenius moritur, qui fuit Clarevallis monachus, a quo quedam facta fuisse[a] miracula certissimum est. Huius epitaphium tale reperitur.

Hic habet Eugenius defunctus carne sepulchrum
Cui[b] *pia cum Christo vivere vita fuit.*
Pisa virum genuit, quem[a] *Clarevallis alumpnum*
Exhibuit sacre religionis opus;
Hinc[c] *ad Anastasii translatus martyris edem*[d]
Ex abbate pater summus in orbe fuit.
Eripuit solempne iubar mundique decorem
Iulius octavam sole ferente diem.

Succedit ei Anastasius huius nominis quartus anno 1.

V. s. Bern. V, 16. Moritur beatissimus abbas Bernardus 13. Kalendas Septembris 160 monasteriorum[e] pater.

Eodem anno quedam virgo Christi Hildegardis de Alemannia, cum esset valde[a] magni nominis, Spiritu sancto debriata, per capitulum et seniores Cistercienses, qui litteras suas ei miserant, sciscitata et rogata, ut secundum quod Deus ei manifestaret, rescriberet eis[f], si quid esset in ordine quod Deo displiceret; rescripsit epistolam istam in persona Domini nostri Iesu Christi Cisterciensi capitulo generali in hec verba: *Ego fons vivus dico ad illos, qui propter nomen meum tunica mea induti peregrini sunt in venatione mundi. O quam plangendum et lugendum est, quod celum ruptum est, et quod dies obscurus est. Nunc ergo denarius revocandus est in atrium vocis laudis. O filii Israel, quare corrumpitis dulcissimam charitatem?* etc. que in eadem epistola continentur.

Hec autem Hildegardis cum neque litteras neque Latinum didicerit, fecit librum epistolarum egregium, in quo[f] multa de temporibus[g] novissimis continentur, et alium librum qui Scivias, id est sciens vias, intitulatur, et tertium qui inscribitur Divinorum operum expositio.

Circa finem mensis Augusti huius anni rex Ierosolimorum Balduinus cum diu obsedisset Ascalonem, post varios et periculosos obsidionis eventus de illa triumphavit, Ascalonitis ad deditionem inclinatis[h]. Quibus diebus Fulcherius erat patriarcha Ierosolimitanus, post quem Heraclius, qui fuit archiepiscopus Cesarie Palestine, deinde Monachus Tuscus.

Anno 1154. Mortuus est rex Sicilie Rogerius, cui successit in regno filius eius Guilelmus.

Obiit sanctus Wolvericus heremita, cuius vitam scribit Iohannes abbas[i] de Forda.

Obiit rex Anglorum Stephanus, qui fuit frater comitis Theobaldi, et erat comes Boloniensis. Duos filios habuit, Eustacium[k] et Guilelmum, qui eodem fere anno interierunt. De eodem Eustacio invenitur, quod sanctus Edmundus eum percusserit, eo quod terram eius depopulatus sit. Et factus est rex comes Andegavensis et dux Normannie Henricus, filius Mathildis imperatricis, que fuit filia primi Henrici Anglorum regis.

Huius tempore magister Guilelmus de Concis[74] philosophus magni nominis habitus est.

Rome mortuo papa Anastasio fit papa Nicholaus natione Anglicus, qui dictus est Adrianus huius nominis quartus, qui primo fuit abbas canonicorum regularium Sancti Rufi de Valentia, et exinde factus cardinalis ad papam ascendit.

Helin. 1154. **Elinandus**: Fuit huic Adriano pape[l] familiaris Iohannes Saleberiensis — aut expontifex aut Exromanus[m].

ibid. 1155. Anno 1155. Florebat hoc tempore Theobaldus Cantuariensis archiepiscopus vir per omnia — experientissimus.

Rex autem Anglie Henricus apud Sanctum Eadmundum fuit coronatus.

In Colonia post Arnoldum primum, quem nos Arnulfum dicimus, Arnoldus de Weda[75] fuit archiepiscopus.

---

a) *deest* 2. b) Quem 1. 2. c) Hic 1. 2. d) idem 2. e) monachorum 1. 2. f) quibus 2. g) operibus 1. h) inclinavit 1. i) *deest* 1. k) et Iohannem *add.* 2, *nec vero* duos filios *mutavit.* l) papa Adriano 2. m) Romanus 1.

72) L'Arivour, départ. Aube, arrond. Troyes. 73) Fulcherio successit anno 1157. Amalricus; Amalrico anno 1180. Heraclius, Heraclio anno 1191. Albertus, cui anno demum 1194. Monachus, natione Florentinus. 74) Conches, départ. Eure, arrond. Evreux. 75) Wied.

Elizabeth ancilla Christi de Sconaugia[76] Treverensis dyocesis Librum Viarum Dei hoc anno inchoavit, qui erat quintus annus, ex quo visitata fuit a Spiritu sancto et visiones videre cepit, et in sequenti anno librum ipsum consummavit. Sunt ibi decem sermones secundum decem fidelium distinctiones quasi per decem vias ad unum montem ascendentes, via contemplativorum prima, deinde via activorum, via martirum, via coniugatorum, via continentium, via prelatorum, via viduarum, via heremitarum et solitariorum, via adolescentium, via infantium. Cenobite sunt in via contemplativorum et in via continentium. *In anno priore,* inquit[a], *cum essem in spiritu, duxerat me angelus ductor meus die quadam quasi in pratum quoddam, in quo fixum erat tentorium, et introivimus illuc, et ostendit mihi congeriem magnam librorum illic repositorum, et ait: „Vides libros istos? omnes adhuc ante diem iudicii dictandi sunt*[a]*." Elevans autem unum ex eis dixit: „Hic liber viarum Dei, qui per te revelandus est, quando visitaveris sororem Hildegardim et audieris eam." Et ita quidem impleri cepi, continuo cum ab ea rediissem.* Hec est Hildegardis illa sancta domna, de qua superius satis dictum est. Ista vero Elizabet sermonem unum de assumptione gloriose virginis Marie satis brevem edidit[b], dicens sibi revelatum, quod ab assumptione eiusdem domine nostre die 40, hoc est 9. Kalendas Octobris, veraciter corpus eius[a] resurrexit et cum gloria qua decuit angelis obsequentibus celos penetravit, et extunc certissimum esse, et corpore et anima eam in celestibus regnare. Dixit eidem Elizabet Domina nostra, ab ea sciscitata, quod post ascensionem Domini uno anno tantum super terram vixit et quantum temporis est ab ascensione Domini usque ad eiusdem Domine nostre[a] assumptionem.

Floruit sanctus Milo Tervanensis episcopus, in quo resplenduit humilitas. Unde dicitur: *In Norberto fides, in Bernardo karitas, in Milone refloruit humilitas.*

Chron. Clar. 1155.

Imperator Fredericus — sublimis attollitur. Godefridus iunior — in Tyberim proiciuntur.

Auct. Affl. 1155.

Anno 1156. De undecim millibus virginibus et de societate earum vel de tempore passionis[c] earum, de quo errabant omnes cronographi, facta est hoc anno supradicte Elizabeth revelatio talis. Ad domum monialium de Sconaugia misit abbas de Tuicio corpus unius illarum virginum cum corpore unius martiris inter illas inventi. Titulus erat virginis: Sancta Verena virgo et martir, que ipsa die eidem apparuit Elizabet et dixit, quod idem martir dicebatur Cesarius et addidit, quomodo et quibus temporibus iverunt Romam, et quod papa et multi episcopi et alii ecclesiarum prelati[d] multique alii viri nobiles facti sunt usque ad earum mortem socii et participes. Si quis plane hanc revelationem legere desiderat, inveniet eam in Sconaugiensi[e] cenobio, et in multis aliis tam Gallie, quam Alemanie.

Lib. revel. n. 2

Item eodem anno, id est Frederici imperatoris 5, quidam magister egregius Omnibonus nomine librum De concordia discordantium canonum diligentissime ordinavit in duas partes, primam partem in 26 distinctiones, secundam in causas 37 per questiones diversas satis artificiose propositas. Et hic liber a nomine auctoris Omnebonum appellatur; et hunc secutus est tempore Alexandri pape Gratianus cardinalis, qui multa addidit, ita quod de 26 distinctionibus centum distinctiones fecit; et per ipsum ista doctrina magis facta est[f] autentica[g].

Circa hoc tempus magister Petrus Lombardus fuit Parisiensis episcopus fere per triennium et apud Sanctum Marcellum est sepultus. Qui tria fecit opuscula egregia, videlicet Librum sententiarum, quod est opus excellentissimum, Glossaturam continuam super beati Pauli epistolas, et opus satis grande super psalterium. Et hec est in scolis illa, que dicitur Maior Glossatura.

Magister quoque Richardus de Sancto Victore natione Anglicus multa est laude prosequendus, ubi agit subtile opus De contemplatione et librum qui vocatur Excerptionum[76*], et De visionibus Ezechielis ad litteram et De mistico sompnio Nabugodonosor et cetera alia, que suis locis inveniuntur.

Et magister Herveius Dolensis[77] in Byturia de nigro ordine monachus nobile opus super Ysayam et multa alia edidit.

Elinandus: Signum crucis apparuit in luna.

Helin. 1156.

Fredericus imperator iudicio — intolerabiliter grassari.

Auct. Affl. 1156.

Anno 1157. Florebant hoc tempore quidam viri nominabiles, quorum unus Zacharias Crisopolitanus de ordine Premonstratensi apud Sanctum Martinum Laudunensem fecit

---

a) *deest* 1. b) Elizabet de assumptione sancte Marie gloriose virginis satis brevem edidit sermonem unum 2. c) passionis tempore 2. d) et multi et alii ecclesiastici prelati 2. e) Sconaugense 1. f) facta est magis 2. g) *in margine superiori addita sunt manu saec. XV:* Petrus Lombardus scripsit librum sententiarum.

[76] Schönau. [76*] Cf. supra pag. 658 annot. 54. [77] Déols, départ. Indre, arrond. Châteauroux.

volumen illud egregium super quatuor ewangelia, quod unum ex quatuor appellatur, et Radulfus ille niger monachus Flaicensis[78] in territorio Belvacensi fecit opus super Leviticum per 20 libros dispositum, quod predicatur et probatur magnificum.

Helin 1157. **Elinandus**: Tres lune — signum crucis. Thomas archidyaconus Cantuarensis per industriam archiepiscopi Theobaldi factus est regis Henrici cancellarius, ad quem Iohannes Salesberiensis scripsit librum famosum Policraticon intitulatum, de nugis vel contra nugas curialium.

Auct. Affl. 1156. Theodoricus comes Flandrie — et ceteris regni principibus[a].

Anno 1158. Rex Waldemarus Dacie, postquam devicit Suenonem, facto voto[b] domino celi fundavit abbatiam Vitescolam[79] in Dacia. Qui Sueno tertium Kanutum Magni filium occidit et ipse a Waldemaro victus et absque liberis mortuus male periit. De predicto vero Kanuto natus est Waldemarus Selvicensis episcopus et frater eius Nicholaus.

Guido: Inter regem Francorum Ludovicum et Henricum Anglorum regem gravis discordia ferebatur, indignante rege Francorum, quod pro diversis regni eius dignitatibus, quas ab eo tenebat idem Henricus, hoc est ducatum Normannie, comitatum Pictavie cum ducatu Aquitanie, comitatum Andegavensium et quedam alia, cum eius dominio astrictus esset idem Henricus fidelitatis hominio, non ei deferebat, sed inferebat iniurias et in multis adversus eum presumebat. Huius occasione discordie multa inter illos[c] contracta dispendia, commissa prelia, vastate regiones, eversa castra, depopulate sunt urbes et strages hominum facta, quantam[d] se vidisse non meminit etas a tempore longo ante transacta.

Helin. 1159. **Elinandus**[e]: Sed ut pax inter eos firmaretur, filia regis Francorum nomine Margareta data est filio regis Anglorum Henrico, videlicet[e] primogenito eius, quod tamen parum profuit in hac parte.

Colonie post Arnoldum II. prefuit[f] quidam Fredericus huius nominis secundus, de sorore superioris Frederici, frater comitis Engelberti[80], deinde archiepiscopus Renaldus[81].

Treveris post Hillinum fuit archiepiscopus Arnoldus de Bawaria, ut dicunt, oriundus.

Gesta ep. Mett. II, 2. Metis post episcopum Stephanum electus est Theodericus nepos eius, frater comitis Barri[82], qui erat primicerius. Hic nota quod episcopus Stephanus memoratus tres habuit fratres comites, Theodoricum de Monte Beliardi[83], Fredericum de Ferretes[84], patrem comitis Ludovici, et Renaldum Strabum comitem de Barro Ducis, patrem predicti episcopi Theoderici et comitis Raynaldi. Quatuor isti fratres sororem habuerunt, que[g] comiti Hermanno de Salmis[85] peperit Henricum de Salmis et fratrem eius Theodericum abbatem Sancti Pauli Virdunensis. Theodericus comes Montis Beliardi duas habuit filias, quarum unam Richardus[86] de Monte Falconis[h][87] accipiens genuit comitem Amedeum Montis Beliardi et archiepiscopum Theodericum Bisuntinensem. De altera comitis Theoderici filia natus est comes Ludovicus de Salvernia[i][88].

Apud Virdunum post Albertum Richardus fit episcopus.

Auct. Affl. 1158. Frederico imperatore in Italia posito civitatibus et urbibus eius dominio subiectis, duces — renovavit et munivit.

Anno 1159. Rome papa Adriano mortuo eligitur a saniori parte cardinalium Rollandus cancellarius natione Senensis et vocatur Alexander III. Qui cum se protestaretur indignum causa humilitatis, prosiliit in medium Octavianus vir ambitiosus et ait quibusdam sibi faventibus cardinalibus: *Iste non est cogendus.* Et mox ab illa parte, de qua presumebat se faciens elegi, Victorem se nominare — quamvis victoria careat — presumpsit et veniens ad imperatorem Fredericum, qui Mediolanum in Lombardia obsidebat, ipsum ad se traxit, et generale scisma in sancta[k] ecclesia fabricavit, quod[l] per annos fere 19 innumera hominum milia ad inferos transmisit. Papa vero[k] Alexander immobilis fide stetit, qui habuit in partem suam regem Francie et regem Anglie et multos alios.

Helin. 1160. **Elinandus**: Huius tempore sunt miracula beate Marie de Rupe amatoris.

Abbas Corbeie et Sancti Remacli Wibaldus, qui decorem domus Dei dilexit, hoc anno decessit, cui frater eius Ellebaldus per annos circiter 32 apud Sanctum Remaclum successit.

---

a) *in iis quae oppressi post verba:* terram possidendam relinqui *addidit* 1 *de Philippo Flandrensi:* Mater huius Philippi fuit Sibilia, Fulconis regis Ierusalem filia vivente patre, qui supervixit usque ad annum Domini 1170. et sepultus est in ecclesia de Wacenes, quam ipse construxit, non longe ab oppido sancti Audomari, quasi ad duas leucas. *Addita vero haec esse eo elucet, quod quum in* 2. *tum in ipso Albrici fonte desunt.* b) voto facto 2. c) illa 2. d) quanta 2. e) *deest* 2. f) quidam Fred. huius nom. sec. prefuit 2. g) qui 2. h) fulconis 1. i) De — Salvernia *desunt* 2. k) *deest* 2. l) et 2.

78) Saint-Germer de Flaix. 79) Wiaskild in praefectura Viborg. 80) de Monte = Altenberg. 81) Cf. Cat. archiep. Colon. 82) Bar-le-duc. 83) Mömpelgard = Montbéliard, départ. Doubs. 84) Pfirt = Ferrete a Basel inter meridiem et occidentem. 85) Salm a Stablo ad meridiem. 86) Gerardus. 87) Falkenberg = Fauquemont a Mastricht ad orientem. 88) Saarwerden.

Bellum gravissimum ortum — circumquaque vastari precepit. Auct. Affl. 1159.

Anno 1160. Prodiit in Almannia occasione supradicti scismatis[a] quedam heresis retro inaudita seculis. Creditum est fuisse demones vel animas malorum hominum inter demones conversantium. Apparebat visibiliter quidam exercitus quasi multorum milium, habentium[b] papiliones et castra et ubique predicatores suos dirigentium. Nemini volebant loqui nisi prius gustasset de convivio eorum. Episcopi vero catholici premittebant nuntios mandantes aliis: *Precavete! precavete!* Princeps, in cuius terra resederant, consilium ab episcopo loci requisivit, qui dedit ei[c] partem ligni dominici ut ferret[d] super se et ait: *Cum te ad prandium isti invitaverint, cave ex omnibus que tibi apponuntur, ne aliquid contingas donec omnia videris ante te posita. Et postea extracto ligno dominico dicens: „In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti“, facies signaculum crucis, et si quid postea inveneris, securus[e] comedere poteris.* Fecit secundum quod audivit. Inferebantur ergo diversa fercula carnium, volatilium, piscium, pastillorum et huiusmodi, sed cum ille fecisset signaculum crucis, inventa sunt omnia fuisse stercora diversa hominum, porcorum, asinorum et aliarum immunditiarum, et pretiosa vina versa sunt in fetentes urinas, et sic fuit detecta predicta demonum fraudulentia. Cum ergo princeps ille catholicus cum suis fere omnes detruncasset, ita adnichilati sunt, quod ex tunc latuerunt; sed ex eorum reliquiis creditur excrevisse ista nova heresis, que nostris diebus[1] graviter Alamanniam[f] infecit. Omisi autem dicere, quod faciebant quasi miracula, et videbantur quidam ex eis ambulare super aquam quasi super aridam, et multa alia, sed inventa sunt omnia fuisse mendacia et a patre mendacii procedentia. Qui autem semel deceptus gustasset de illorum[g] convivio, vix postea vel nunquam reverti poterat ad mentis integritatem et fidem.

Henricus rex Anglorum filiam Stephani neptem suam sanctimonialem et abbatissam[h] in claustro consecratam — Henricum[i] ducem Saxonie. ibid. 1160.

Anno 1161. Apud Lingones[2] post Godefridum factus est episcopus Galterus quondam archiepiscopus Lugdunensis et episcopus Eduensis[3]. Fuit hic Galtherus frater Odonis Burgundie ducis, et habuit alium fratrem episcopum Eduensem nomine Henricum. Horum etiam fuerunt fratres Remundus, pater Mathildis comitisse Nivernensis[4], et Hugo Rufus, pater domne de Monteregali[k][5]; et de sororibus eorum una mater Guilelmi de Montepessulano[6] domni[l], et una mater comitis Gerardi, filii Hugonis de Wandanimonte[7]. Et horum omnium pater, dux Hugo, filius fuit illius ducis Odonis, sub quo cepit ordo Cisterciensis. Mater vero Aaliz filia Mosellanorum ducis Mathei et Berte, sororis imperatoris Frederici[m].

Item hoc anno decesserunt domnus Boso Cathalaunensis episcopus et venerabilis Samson Remorum archiepiscopus, qui obiit 11. Kalendas Octobris.

Convenerat exercitus — militum posse vincere. ibid. 1161.

Anno 1162. Henricus episcopus Belvacensis, frater regis Francie, in archiepiscopum Remensem promotus 14 annis prefuit.

Hic dicendum est, quod rex Ludovicus cognomento Grossus istos habuit filios: Philippum coronatum in regem, qui a porco — ut dicunt — occisus vivente patre decessit, Ludovicum Pium regem, qui post eum regnavit, predictum Henricum hoc anno in archiepiscopum Remensem assumptum et alios duos milites, de quibus extat maxima progenies, scilicet Petrum de Cortenaio[8], comitem de Brana[9] Robertum domnum, qui[n] duas habuit comitissas, matrem videlicet[o] comitis Rotroldi[p] de Pertico[10] natam de Salesberia, de qua filiam Alaydam nomine[q] genuit, unde nobilitas eorum[r] de Torota[11] et modernorum[12] comitum de Sancto Paulo[13] processit. Hec Alaydis de primo marito Gallerano de Bertuilh[14] tres genuit filias, comitissam Clarimontis Belvacensis[15] et uxorem Symonis Clarimontis et

---

a) scismatis supradicti 2. b) habentes 2. c) *deest* 2. d) ferretur 2. e) secure 2. f) Alamaniam graviter 2. g) eorum 2. h) Cantuariensem de monasteriolo super mare non longe a Bolonia *add.* 1. i) *deest* 1. k) et alium fratrem addit Morandus Alexandrum *add.* 1. l) domni de Montep. 2. m) Mater — Frederici *desunt* 2. n) progenies, comitem Robertum de Brana qui 2. o) scilicet 2. p) Rotoldi 1. q) *deest* 2. r) illorum 2.

1) Cf. annum 1233. 2) Langres. 3) Autun. 4) Nevres. 5) Monteréal, départ. Yonne, arrond. Avallon. 6) Montpellier. 7) Vaudemont, départ. Meurthe, arrond. Nancy. 8) Courtenai, départ. Loiret, arrond. Montargis. 9) Braine, départ. Aisne, arrond. Soissons. 10) Le Perche. 11) Thourotte, départ. Oise, arrond. Compiègne? 12) Anno 1196. Elisabetha heres comitatus nupserat Gauthero nobili de Castellione super Maternam. Inde comites moderni. 13) Saint-Pol, départ. Pas-de-Calais. 14) Breteuil, départ. Oise, arrond. Clermont. 15) Clermont, départ. Oise.

Emiciam. De secundo marito Guidone de Castellione[16] genuit Guidonem et comitem Galterum et Alaydem uxorem Guilelmi Noblet. De tertio Iohanne castellano Noviomensi genuit[a] Guidonem et Iohannem de Torota, patrem Iohannis[b] et Rodulfi Virdunensis et Roberti Leodiensis episcoporum[c]. De quarto comite Suessionensi genuit duas filias, uxorem comitis Iohannis Bellimontis[17], de qua Matheus de Montinorenci[18] liberos habuit, et uxorem Stephani de Sancerra[19]. Secunda uxor comitis[d] Roberti de Brana supradicti[e] fuit Agnes nobilis de Barro super Sequanam, mater comitisse Petronille, de qua genuit duos episcopos et comitem Robertum II. de Brana et sorores duas eorum. Ultimus fratrum predictorum Petrus de Cortenaio, vir probissimus de domna de Montargis[20] genuit Petrum Autisiodorensem et fratres et sorores illius. Et[f] eorumdem fratrum fuit una soror dicta Constantia, que fuit mater heretici comitis de Tolosa Reymundi et illius cognationis. Uxor autem Ludovici Grossi mater omnium predictorum, regina Alaydis, fuit soror Amedei comitis Sabaudie, de cuius altera sorore marchiones Montisferrati procedunt; de tertia reges Portugallie; et istarum mater comitissa Sabaudie fuit filia eius, qui tunc erat dux Venetie[21].

In episcopatu Belvacensi predicto Henrico successit Bartholomeus natus de Montcornet[22] in Ardenna.

Guil Tyr. XV II, 9. Guido: In partibus transmarinis sub rege Ierusalem Balduino tumultus excitatur gravissimus, in Egipto interfecto califa a procuratore suo soldano. Qui dum fugerat a christianis sibi supervenientibus interficitur, filius eius Nosceradinus cum multis hominibus et thesauris captus, cum inter victores fratrum militie Templi venisset in sortem, data eis pro magna summa pecunie, suis inimicis ad puniendum traditus est ab eisdem. Cum autem Ierosolimorum rex Balduinus predictus huius nominis tertius migrasset a seculo et irremediabiliter ab universo XVIII, 34. populo fidelium plangeretur[g], Noradinus[h] Turcorum princeps, persuadentibus sibi quod, cum[i] fideles exequiis regalibus essent intenti[k], fines depopularetur eorum, respondisse fertur moderatissimi principis verbum et perpetua memoria dignum: *Compatiendum est,* inquit, *et humaniter*[l] *indulgendum iusto eorum dolori, eo quod principem amiserunt, qualem totus hodie non habet mundus.* Succedit eidem frater eius Almaricus in regno. Rex Ierosolimitanus Fulco de Melissende Balduini regis filia genuit Balduinum et Almaricum reges et Sibillam matrem nobilissimi Flandrie comitis Philippi.

Cont. Gemb. 1162. Mediolanenses obsidione, fame, inopia et — quod gravius est — seditione coartati — ad pedes imperatoris in modum crucis se prosternunt. Ille ut[m] pius et misericors lacrimis profusus, qui proposuerat eos ad terrorem aliorum diversis suppliciis interimere, vita donatos, rebusque necessariis, quantum secum ferre poterant, concessis, per regiones dispersit — pax plena inter eos convenit.

Anno 1163. In Cameraco post Nicholaum Alardus fuit episcopus.

Per archiepiscopum Raynoldum Coloniensem, qui erat in Lombardia cum exercitu imperatoris Frederici Mediolanum obsidentis, civitate tandem capta translata sunt Coloniam trium, qui in ewangelio leguntur[23], magorum corpora[n]. Siquidem translata fuerant antiquitus a Constantinopoli Mediolanum per quemdam sanctum episcopum nomine Eustorgium, et posita extra fossata civitatis in uno sacrofago in quadam ecclesia[o] propter hereticos, quia dicti magi non possent[p] morari in civitate aliqua, ubi essent heretici. De Perside vero qualiter predicta corpora Constantinopolim fuissent translata huc usque non repperi.

Sancta Hildegardis, cuius superius[24] memini, ab hoc anno, cum esset annorum 65, librum scripsit divinorum operum per simplicem hominem a vivente luce prolatorum, in quo opere septem annos expendit, et dividitur totum opus in tres partes.

Apud Cathalaunum electus fuit in episcopum quidam Guido de Dampetra[25] frater Anserici, Guilelmi, Andree et Milonis virorum nobilium; sed divino, ut creditur, iudicio,

---

a) genuit ex Oda uxore 1. b) etc. 2. c) et — episcoporum *desunt* 2. d) *deest* 2. e) supradicti de Brana 2. f) *deest* 1. g) deplangeretur 2. h) Noradius 1. i) *deest* 1. 2. k) intenti essent 2. l) humanitus 1. m) *deest* 2. n) *in margine addita sunt manu saec. XV:* Nota. Anno 1260. corpora magorum translata sunt Coloniam de Medoilano destructo per imperatorem Fredericum. Fuerunt enim antea in Constantinopoli. o) ecclesiola 2. p) possunt 2.

16) Châtillon-sur-Marne, départ. Marne, arrond. Reims. 17) Beaumont-sur-Oise, départ. Seine-et-Oise, arrond. Pontoise. 18) Montmorenci, ibidem. 19) Sancerre, départ. Cher. 20) Montargis, départ. Loire. 21) Huiusce genealogiae posterior pars, ad familiam Sabaudicam spectans, erroribus scatet. Gisla filia Guilelmi Magni Burgundiae ducis primo nupserat Humberto Sabaudiae comiti, cui Amadeum et Alaïdem peperit, deinde Reinero marchioni Montisferrati. Neptis vero Gislae, filia scilicet Amadei, Mathildis, uxor Alfonsi Portugalliae regis erat. 22) Montcornet, départ. Ardennes, arrond. Charleville. 23) Quibus verbis cum verba Aegidii Aur. II, 44: *corpora trium magorum, qui ut in euangelio legitur* etc. satis conveniant, haud scio utrum Albricus Aegidium secutus an uterque in communi quodam fonte nisus sit. 24) Anno 1152. 25) Dampierre-Saint-Dizier, départ. Haute-Marne, arrond. Vassy.

cum esset indignus, obiit ipsa die qua erat in crastino consecrandus. Et electus est et consecratus alter Guido de Iovevilla[26], frater Gaufridi, filius Rogeri, qui per annos 28 prefuit.

Apud Tullum post episcopum Henricum Petrus per annos 27 vel circiter prefuit.

Rex Anglorum Henricus subiugare cepit Hiberniam circa hec tempora per quosdam principes suos et barones. Wallia vero iam a tempore primi Henrici regis Anglie[a], qui fuit avus istius regis, erat[b] subacta, et ex tunc episcopi Meneveie[27], ubi quondam fuit archiepiscopus, consecrationem suam suscipiebant[c] Cantuarie, videlicet tempore primi Henrici episcopus Bernardus, tempore regis Stephani episcopus David, tempore huius Henrici episcopus Petrus.

Guido: Florebat in Francia palatinus Campanie comes Henricus, quin potius Francia per illum; vir de quo dubium genere nobilior esset an[d] animo, cui Francie regina soror et filia regis uxor, et in quo constabat regnum sibi[e] constituisse virtutes et reginam plus quam regalis munificentie largitatem. Novum et iocundum in eo spectaculi[f] genus exhibebat invidie pia contentio, laudis certamen inter famam et meritum eius, quod scilicet peragrando circum niterentur invicem prevenire[g], merito fama tamen vincebatur. Nam quod precedente merito premebatur, a comite preciosis gestorum titulis et sparsis longe lateque beneficiorum radiis emebatur[h]. Inter insignia[i] suorum operum illud iubare splendidiore refulsit, quod ecclesiam palatio suo contiguam in honore gloriosi prothomartiris Stephani — prout instruxit eum quem erga Deum habebat amor — extruxit, ditavit prediis, ornavit olosericis, honoravit thesauris, clero laudes exultatione divinas spiritali decantante[k] celebriter honoravit. Fateor me non vidisse, legisse non memini tante liberalitatis principem extitisse[l].

Albricus[m] monachus: Sed o exclamatio! pre dolore quid nos ad hec dicemus, quod tantam in dicto principe laudem per famam publicam denigravit, que adhuc resonat, quedam lues inportuna, lues pestifera, et licet ipse[n] penituerit, ut postea dicemus[28], tamen multi ex illis non penituerunt, qui per eius exemplum et opus a via deviaverunt. Et hoc testatur causa Trecensis episcopi Mathei, quam apud papam contra dictum principem habuit. Sed non est a memoria excidendum, quod cum ipse princeps in visione vidisset se in puteum quendam[o] cecidisse et per quandam virginem sanctam[p] nomine Hildam se a periculo liberari, quesivit diligenter, que esset sancta Hilda, nec destitit, donec corpus eiusdem sancte per quendam armigerum nobilem inventum, corio cervino diligenter insutum ab antiquo, Trecas transtulit et decenter non in auro et argento, sed in vase eburneo collocavit in predicta quam fundaverat sancti Stephani ecclesia. Fuit hec sancta virgo Hilda sancte Helene Constantini matris ancilla. Quere supra anno 333.

Circa hunc annum obiit comes Albertus de Chinesio[29].

Anno 1164. Apud Cantuariam post archiepiscopum[q] Theobaldum electus fuit hoc anno et consecratus regis Anglie cancellarius Thomas, qui statim indutus virtute ex alto murum pro domo Domini contra regem fortiter se opposuit, et reliquerunt eum episcopi suffraganei sui, et eodem anno exul ab Anglia aufugit in Franciam et venit Senonas ad papam Alexandrum[r] III, tenens in manu sua causam[s] scriptam propter quam exulabat, et recitata sunt in conspectu pape 16 capitula in quibus rex libertatem ecclesiasticam in Anglia conabatur opprimere. Archiepiscopo ad singula capitula stando disserente, cardinales quidam, sed precipue Papiensis Guilelmus[t], qui pecuniam acceperant a rege, multas vexationes[u] sancto viro ingerebant. Admirans autem papa sapientiam viri, magnificentiam atque prestantiam, vocavit eum ad se et iussit[v] sedere iuxta se. *Bene*, ait, *veneris, frater karissime, qui tantum onus, tamque arduum negotium pro ecclesia Dei suscepisti.* Vir igitur Domini aliquanto tempore in curia domoratus; tandem cum licentia et consilio domni[w] pape Pontiniacum se contulit. Interea rex in Anglia in totam cognationem illius inaudito crudelitatis genere cepit desevire. Helin. 1165.

Obiit Hugo archiepiscopus Rothomagensis, eique succedit Rothroldus episcopus Ebroycensis[x], cognatus comitum Pertici[30]. ibid. 1164.

Theodericus frater comitis Barri[31] per annos 10 fuit Metensis electus. G. ep. Mett. II, 2.

Guido: Ea igitur tempestate tempestas scismatice procelle vehementi Romanam impulsu vexabat ecclesiam, cuius illa turbulentis fluctibus agitabatur, velut inter duos

a) regis Anglie Henrici 2. b) fuit 2. c) accipiebat 2. d) in 2. e) sibi regnum 2. f) spectaculum 1. 2. g) pervenire 2. h) enitebatur 2. i) signia 1. k) decantate 1. 2. l) extitisse principem 2. m) Albericus 2. n) *deest* 1. o) quoddam 2. p) *deest* 2. q) episcopum 2. r) Alaxandrum 1. s) *deest* 2. t) *deest* 1. u) multa vexatione 1. v) fecit 2. w) *deest* 2. x) Ebroycensis ep. 2.

---

[26] Joinville, départ. Haute-Marne, arrond. Vassy. [27] St. Davids in insula Man. [28] Cf. annos 1178 et 1181. [29] Chiny. [30] Le Perche. [31] Reinaldi.

scopulos ad culmen aeree sublimitatis evectos, id est inter electos ad summi pontificatus apicem Alexandrum et Victorem vel etiam[a] eius successorem Paschalem. Alexander vite meritis et scientie precellentis; alter titulo glorie secularis innitebatur; uterque tamen magnis consiliis et auxiliis iuvabatur. Diu sustinuit istud periculum navis ecclesie lacerata tantorum gravi concertatione ventorum; et sicut legitur uno rege Asa super Iudam regnante reges in Israel multos[b] mutuis cedibus interisse, sic uno, scilicet Alexandro se supervigente, pluresque supervivente pseudopontifices, ut unitas commendaretur ecclesie, postmodum licet sero, regnum et sacerdotium, ut postea dicetur, in pacis osculo convenerunt.

Hiis diebus Leodiensis episcopus Henricus erat in Lombardia cum imperatoris exercitu. Hunc igitur episcopum, Octaviano mortuo qui se Victorem nominabat, imperator papam facere voluit, sed episcopus recusavit. Licet enim lateri eius adesset ex necessitate, tamen recusabat esse princeps in tam generali scismate. Cum itaque papatum illius partis suscepisset quidam Iohannes Strumensis qui dictus est Paschalis, ab eodem Leodiensi episcopo de mandato imperatoris consecratus est[c]. Ipse vero post consecrationem suam eidem episcopo pallii dignitatem contulit, et regem Sardinie Barrasonam ab imperatore coronatum[32] idem Leodiensis episcopus in regem benedixit.

Comes Flandrie Philippus comitis Theoderici filius cum per Constantinopolim reverteretur a transmarinis partibus, habuit cum eo colloquium imperator Manuel nobilissimus et pertractavit cum eo tale matrimonium, ut filio suo iuveni nomine[d] Alexio transmitteretur[e] una filiarum regis Ludovici Francorum per ipsius comitis industriam et colloquium seu consilium. Iam habebat rex de filia comitis Theobaldi, quam novissime duxerat, regina scilicet Adala, filiam iuvenculam nondum nubilem, et firmate sunt ad invicem pactiones, et factum est, quam citius fieri potuit, ut dicta puella Constantinopolim transmitteretur. Imperator vero Manuel in proximo moriturus filium suum Alexium cuidam principi commisit, qui erat cognatus suus, nomine Andronicus, cum cura totius imperii. Proditor autem ille nefandissimus mortuo imperatore imperium ad se traxit et iuvenem fidei commissum interfecit et multa alia commisit, de quibus in sequentibus suo loco dicetur.

Helin. 1165. Anno 1165. Elinandus: Beatus Petrus Tharentasiensis archiepiscopus — apud Mortuum mare.

Episcopus Leodiensis Henricus cum reditus sue ecclesie et episcopii valde ampliasset et palatium episcopi apud Leodium fecisset[f], hoc anno[g] decessit pridie Nonas Octobris et apud Sanctum Lambertum tumulatur. Cui Alexander eiusdem ecclesie prepositus in regimine episcopatus succedit[33].

De nativitate filii regis Ludovici Pii dicturi primo repetere debemus, quod rex iste Ludovicus de prima uxore sua Alienor, quam dimisit, duas habuit filias, comitissam Mariam Campaniensem et comitissam Aelidem Blesensem. De secunda quoque uxore[34], que fuit Hyspana, duas similiter habuit filias, primo reginam Margaretam Anglie[h] et comitissam Aaliz, quam duxit Guilelmus comes[i] de Pontivo[35]. De tertia vero uxore regina Adala, comitis Theobaldi[36] filia, duos etiam habuit liberos, imperatricem Grecorum[37], quam duxit Alexius filius Manuelis[k.38], et illum de quo intendimus dicere regem post futurum.

Guil. Arm. 65. Ex cronica Sancti Dyonisii: Rex igitur Ludovicus Pius cum predictas omnes haberet filias et nullum adhuc filium, genuit in senectute sua quasi per miraculum Philippum Magnanimum qui a Deo datus dictus est[l], pro eo quod pater eius vir sanctus semper postulabat a Deo prolem masculinam[m] et supplicabat omnibus viris religiosis, ut super hoc pro eo orarent ad[n] Dominum. Insuper cum omnes abbates Cistercienses iuxta consuetudinem suam[n] convenissent apud Cistercium sicut solent singulis annis facere, prostravit se rex Ludovicus in oratione manibus expansis in capitulo in medio eorum, et cum clamaretur ei, ut surgeret, numquam voluit corpus de terra levare, quousque illi oratione fusa ad Deum, ex parte Dei omnipotentis certificaverunt eum, quod in brevi prolem esset habiturus masculinam. Et sic tandem exaudite sunt preces eius, et datus est ei filius a Deo Philippus Magnanimus, natus mense Augusto in octavis assumptionis sancte Dei genitricis anni presentis.

Albricus monachus: Et[o] hoc tempore presbiter Iohannes[p] Indorum rex litteras suas multa admiratione plenas misit[n] ad diversos reges christianitatis, specialiter autem imperatori Manueli Constantinopolitano et Romanorum imperatori Frederico, ex quibus litteris

---

a) *deest* 1. b) multos reges in Israel 2. c) benedicitur et consecratur 2. d) *deest* 1. e) una filiarum regis Lud Franc. transmitteretur 2. f) fuisset 1. g) 1164. secundum gesta pontificum Leodiensium *add.* 1. h) *deest* 2. i) quam — comes *desunt* 2. k) quam — Manuelis *desunt* 2. l) est dictus 2. m) masculinam prolem 2. n) *deest* 2. o) Ex 2. p) Iohannes presbiter 2.

32) Cf. Aeg. Aur. III, 44. 33) Cf. Aeg. Aur. III, 41. 44. 46. 34) Constantia. 35) Pontieu. 36) Campaniae. 37) Agnetem 38) Hic locus, ad quem Guidonem anno 1166. recurrere si iure coniicio, Guidonis est.

quedam hic annotamus[a]: *Presbiter Iohannes potentia et virtute Dei et domini nostri Iesu Christi rex regum et* Ep.Ioh.pres. *domnus domnorum terrenorum Emanueli Remeon*[39] *gubernatori, salutem* etc. *Precello virtute et potentia*[b] *omnes reges universe terre; 72 reges nobis tributarii existunt. Quia plures sunt christiani* etc. que secuntur usque: *habemus et*[c] *palatium aliud quod factum per revelationem*[d] *patri meo qui vocabatur Quasi-Deus*[40].

Anno 1166. Per ducem Saxonie Henricum, filium illius Henrici[e] ducis Bavariorum de quo supra dictum est[41], qui fuit gener imperatoris Lotharii, Sclavi ante Daciam consistentes, qui alio nomine dicebantur Luticiani, ad christianitatem ceperunt converti, cum idem dux terram illam sue subiugasset ditioni.

In libro miraculorum Clarevallensium[41*] indicante abbate Gerardo de Alna[42] cognovimus, quia comes Losensis[43] Philippus, qui ante annos paucos defunctus est, biennio postquam obierat, uni de militibus suis sedens in caballo et amictus cappa apparuit et cepit ambulare cum eo et ita sermocinari, quod miles vocem eius recognovit. Cumque[f] de statu eius miles requireret, dixit quod in locis penalibus deputatus multis afficiebatur cruciamentis, et mandavit uxori, ut pauperum hospitale, quod ipse facere disposuerat, ipsa in instanti perficeret et isto et aliis remediis ei subveniret, et mandavit ei quedam intersignia de summa quadam pecunie, quam obtulerat olim in Ierosolima. Dixit insuper militi, quod die octavo ad eundem locum reverteretur. Cum hec audisset uxor, voluit octavo die ad locum venire cum milite[g], sed dissuadentibus amicis non venit, tamen capellanum suum, Christianum nomine, cum milite transmittit in huius rei testimonium et argumentum. Cumque die octavo secundum quod inter se condixerant[h] in eodem loco militi et capellano idem comes apparuisset, inter cetera dicebat: *Cavete ne propius accedatis, quia ignis iste, quo totus ardeo, citius incenderet et vos.* Et cum eis diutius colloquendo equitavit, etiam per frutecta[i] spinarum et veprium, si[k] occurrissent, et de construendo pauperum hospitali petitionem sepius inculcavit.

Elinandus: Hoc anno in Ruthenensi pago quedam tempestas gravi flagello castigavit populum Dei. Nam lupi Helin. 1166. feroces ab uberibus matrum parvulos rapiebant et diris morsibus devorabant. Hec pestilentia sedata est, et multa alia miracula per beatam Mariam virginem de Rupe Amatoris[44], id est Rochemador[l].

Cronica Aquensis: Hoc anno Reynaldus archiepiscopus Coloniensis et Gerardus[m] prepositus Bonnensis beatissimos martires et patronos ecclesie Bonnensis ipsorum frequenti ammonitione, Cassium videlicet, Florentium et Malusium cum eorum sociis, 6. Nonas Maii 2. Mai. cum enarrabili cleri devotione ac multitudine populi transtulerunt, invento sicco, sed evidenti sanguine ipsorum, cum antea 973 anni fluxerant a passione ipsorum.

Anno 1167. Apud Coloniam post supradictum Reynoldum sive Reynaldum factus est archiepiscopus Philippus vir inclitus, filius Gossuini de Heynesberch[n. 45], qui talem se exhibuit, Cat.aep.Col. quod 40 marcarum milibus emit predia, castella redditus ecclesie; sedit annis 17[46].

Herbertus Clarevallensis[41*]: Henricus Saxonie dux, de quo in precedenti anno[o] continetur, in Sclavia quoddam oppidum obsedit. Unus comes de sociis eius cum omni gente sua procul a castris tentoria fixit. Irruentes nocte pagani de oppido eumdem comitem cum suis peremerunt. Quod audiens dux adversariis occurrit et a parvo usque ad maximum omnes quos invenit interemit. Et in[p] illo quidem campo, ubi christiani occubuerunt, tale usque hodie cernitur miraculum, quod in singulis fere capitibus signum crucis evidens et pulchrum in medio frontis atque calvarie patet divinitus impressum, nescio an innatum cerebris foraminibus conterebratum intus et foras[q]; cum in alio campo, ubi facta est cedes paganorum, nil tale prorsus apparet.

In Hungaria post regem Iheta regnavit filius eius Bela per annos, ut dicunt, 30. In primis adversabatur ei[r] quidam frater suus nomine Guithardus, sed tandem victus fuit et conclusus.

In hiis quoque diebus quidam nobilis de Francia Raynaldus de Castellione[47] super Wainum fluviolum ortus, multis probitatibus famosus, cum venisset Antiochiam et in bellis clarus existeret, duxit in uxorem domnam[48] civitatis, relictam principis Raymundi, et factus est princeps Antiochie. De qua domna tres genuit filias, quarum primam habuit imperator

---

a) annotabimus 2. b) potentia et virtute 2. c) *deest* 1. d) relationem 2. e) *deest* 2. f) Cum 2. g) cum mil. ad loc. ven. 2. h) condixerant 2. i) fructecta 2. k) sic 2. l) Rachemador 2. m) Gehardus 2. n) Heynesbech 2. o) *deest* 2. p) *deest* 1. q) foris 1. r) *deest* 2.

[39] ῾Ρωμαίων. [40] Litteras edidit G. Oppert Der Presbyter Iohannes p. 167—179. [41] Anno 1138 in iis, quae omisi. [41*] Cf. de hoc loco supra p. 667 annot. 72. [42] Aulne-sur-Sambre. [43] Looz a Leodio inter septentrionem et occidentem. [44] Rocamadour, départ. Lot, arrond. Gourdon. [45] Heinsberg ab Aquis ad septentrionem. [46] Sedit annis 23. Cat. archiep. Colon. [47] Châtillon-sur-Marne, départ. Marne, arrond. Reims. [48] Constantiam.

Constantinopolitanus Manuel, et ex ea genuit Alexium, de quo premisimus[48*]; secundam Agnetem nomine[a] duxit rex Bela predictus de Hungaria[b], et genuit Haymericum et Andream fratres et[c] reges et duas reginas, Constantiam de Boemia et Margaretam de Grecia. Tertiam principis Raynaldi filiam, nomine Alaydem, duxit marchisius Eystensis[d][49] in Italia.

Guido: Apud Constantinopolim vir iniquus Andronicus et palatii comes Alexium, a patre decedente cum imperio sibi commissum, circumventum dolis et arte Pelasga, quamvis consanguineus esset illius, coegit a vita disiungi sibique coniungi[e] coniugem eius invitam de qua premisimus[49], occupatoque palatio cum thesauris, proh scelus exitiale, solium imperiale conscendit. Sed cum videretur ei quod propter hec flagitia odiosus et abominabilis haberetur, et quasi digito notaretur a cunctis[f], ut per extraneos atrocius ulcisceretur in suos, paganorum copiis in regiam urbem repente traiectis, efferatus in cives, alios iugulat, alios vinculat, illos exilio trudit, istos exitio trucidat et excidio[g].

Albricus: Iacit sortes[h], reperitur in sortibus, quod quidam Ysaacus ipsum de imperio amoveret et perditioni traderet. Queritur in circuitu civitatis et per totam Greciam, quis vocetur Ysaacus. Inveniuntur tantum duo, rex qui tunc erat in Cypro, et unus miles iuvenis, qui tunc erat scriba[i] cancellarii vel senescaldi in curia imperatoris. De neutro tamen istorum habetur suspicio. Iecit iterum sortes, invenit sicut prius invenerat. Ad consilium cancellarii mandat, ut adducatur Ysaacus ille notarius et[k] ut eius effodiantur oculi. Cum Ysacus venire tardaret, et iam premunitus sederet in hospitio matris sue, armatus sub veste, et gladium iuxta se haberet, indignatus cancellarius ille, cuius consilio cuncta agebat Andronicus, ad hospitium Ysaaci accessit, ipsum per capillos arripuit, et cur ad eius imperium non venisset quantocius cum indignationis impetu requisivit. Ysaacus cum esset iuvenis probissimus, gladium arripuit, caput eiusdem cancellarii celeriter amputatum ense suspendit, per civitatem clamitando circuivit[l]: *Venite ad me*, dicens, *venite ad me! ego dyabolum interfeci.* Crediderunt omnes hec audientes, quod Andronicum interfecisset. Illico Ysaccum rapuerunt et ad Sanctam Sophiam perduxerunt, in imperatorem cum acclamatione sollempni coronaverunt. Andronicus hoc audito in palatio munito se recipit. Totius populi consilio fultus et auxilio adest Ysaacus, palatium armatus irrumpit, Andronicus arcum semel, secundo et tertio[m] tetendit, semper tamen cordam ruptam non sine ammiratione attendit; victum se fatetur; per naves aufugit; mittuntur illico post eum, qui invitum reducunt.

Guido: Ita perfidum solio perturbatum et precipitem prosternit Ysaacus ad solum, mox ad imperium acclamationibus totius populi evectus cunctorum pro desiderio, pulsum imperio trahi per publicum iubet Andronicum. Qui dedecorose tractatus et tractus, ictibus[n] maceratus et dilaceratus, ex plenis odiis tot et tantis quamvis multipartitus insufficiens fuit nec sitim sanguinis sui, licet totus effunderetur, extinxit.

Will. Tyr. XIX, 12-31. Anno 1168[49*]. Ierosolimorum rex Almaricus Syracuinum Turcorum potentem et in procuratione regni Damasceni successorem Aynardi, cum universis Turcorum copiis irruentem super Egyptum, vocatus in auxilium a Sawarc soldano qui sub califa preerat, tunc super Nilum vi ponte constructo persequitur et cum Saladino nepote ipsius infra Alexandriam obsidione concludit. Pace tandem facta, regi Almarico subditur Alexandria sub tributo. Rex ad propria regreditur cum XX, 6–12. triumpho. Item[o] rex Almaricus civitatem que dicitur Berbais in Egypto obsidet et expugnat. Sawarc soldanus[k] regem promissione pecunie decipit infinite, et interea contra ipsum auxilium Siracuini[p] Damascenorum procuratoris invitat, qui veniens cum valida manu Turcorum soldanum interficit predictum proditione. Ipse quoque Siracuinus non multo post a principatu morte preruptus invaso, Saladinum nepotem tam potestatis quam impietatis reliquit heredem. Uno tantum anno, ut dicitur, rex Almaricus tributum habuit Alexandrie et Egypti, secundo anno loco auri transmiserunt es[q] deauratum, tertio anno nichil.

Aeg. Aur. III, 47. Apud Leodium hoc anno electus est[r] in episcopum Rodulfus frater Bertoldi Cyringie ducis et Conrardi et Alberti, mediante avunculo suo comite Namucensi Henrico. Qui Rodulfus apud Maguntiam post Henricum et Arnulfum extiterat archiepiscopus. Sed quia Bennonem destruxit, id est quandam statuam auream in ecclesia Maguntina[s] sic appellatam confregit et aurum expendit et consanguineis suis divisit, idcirco ab archiepiscopatu ipsum cedere oportuit.

Et quoniam ventum est in[t] hunc locum occasione predicti episcopi Leodiensis et occasione avunculi eius comitis Namucensis tangenda est breviter prosapia Namurcensis. Albertus comes senior Namucensis genuit Godefridum comitem de Namuco et comitem

---

a) nomine quam 2. b) pred. Hungarie 2. c) fratres et *desunt* 1. d) Eystetensis 1. e) sibique coniungi *desunt* 2. f) omnibus 2. g) illos exilio trudit, istos exitio trucidat, illos exilio trudit, istos exitio tradit et excidio 1. h) sortes *repetit* 2. i) *deest* 1. k) *deest* 2. l) circuit 2. m) semel, semel et secundo 2. n) dedecorose tractus et ictibus 2. o) Iterum 1. p) Siracuinus 2. q) ei 2. r) *deest* 1; electus est hoc anno 2. s) *deest* 1. t) ad 2.

48*) Cf. annum 1165. 49) Azzo VI. 49*) Quae sequuntur, quum e Will. Tyr. historia deprompta sint, ea Albricus Guidoni Cathalaunensi debet.

Albertum de Rupe[50] et sorores eorum. Una dicta est Aaliz vel Alaydis[a], que comiti Ottoni de Chisneio[51] comitem Albertum peperit. Huius fuerunt filii: comes Ludovicus, Theodericus de Marleriis[52], episcopus Arnulphus Virdunensis, domna de Hirges[53] et Ida domna de Asperomonte[54] et mater Rogerii de Walehem[b]. Item quoque episcopus Albero Leodiensis, qui Bullonium per beatum Lambertum recuperavit, et soror eius comitissa Lovaniensis, que comiti Lovanii peperit primum Godefridum comitem, fuerunt de prosapia Namucensi[55].

Alibi scriptum reperitur: Quedam autem nobilis comitissa de Longui[56] et de Castris[c][57], Ermensendis nomine, Conrado comiti de Luscelenburch[d] peperit comitem Guilelmum de Luscelenburg, patrem Conrardi, cuius mater Lutgardis[e][58], et Ermensendem comitissam Namucensem, uxorem comitis Godefridi, et Mathildem comitissam de Longui et de Homborc[59] et de Castris. Hec autem Mathildis comiti[f] de Castris peperit comitem Folmerum et sorores eius Helvidem, quam habuit comes[g] Gerardus de Reneke dyocesis Herbipolensis et illam de qua dux[g][60] de Bronsviic genuit filiam, que in Sclavia hereditavit. De comite Folmero nati sunt episcopus Virdunensis[61], Hugo comes de Lignenvilla[62] et Folmarus comes de[h] Castris. De quo nati sunt[h*] comes Henricus, qui de sorore comitis Sennensis[63] genuit filias, quarum una coniuncta fuit cuidam Raynaldo[i]. Hugo comes filius Folmari comitis genuit Folmarum et Conrardum de Rista[64] et Hugonem fratrem eius. De comite autem Gerardo et Helvide de Reneke nati sunt Conradus primicerius Metensis et comitissa Ermensendis, que Ludovico comiti de Loz, comitis Philippi filio, peperit comitem Gerardum et sorores eius, quarum una Ymania uxor secunda tercii ducis Brabantie[65], alia nupsit Wouterobertolt Machlinorum[k][66], una mater[67] ducis Bawarie[68] et matris[68*] lantgravii Ludovici, mariti sancte Elizabet, et Henrici electi in regem Romanorum, et una abbatissa[l], alia Loreta Theobaldo de Brie[69] peperit Agnetem ducissam Lotharingie, matrem videlicet Theobaldi et Mathei ducum, Raynaldi et Iacobi[m] primicerii Metensis et sororum. Comes Gerardus de Loz de sorore[70] comitis[71] de Gelra quatuor habuit filios: comitem Ludovicum, Gerardum de Reneke, Arnulfum et Henricum. De Gerardo de Reneka nati sunt de Renek Ludovicus et iste comes Arnulfus de Loz et de Chineio, et soror una comitum de Loz Mathildis peperit Ymaginam, cuius filie[n] Elizabet aliqua fuit proles.

Nunc ad superiora redeamus. Comes Godefridus de Namuco et comes Albertus de Rupe fratres fuerunt, filii senioris Alberti. Qui comes Godefridus duxit Sibiliam filiam comitis Rogerii Porcensis[72], qui fuit frater Hescelini de Grandiprato[73]. De qua Sibilia fuerunt due filie, Ysabella et Flandrina[o]. De Ysabella dictum est supra in anno 1117. De Flandrina minus nobiliter nupta fuit Hugo de Spineto[74], Gerardus abbas de Claromaresco[75] et fratres eorum et sorores. Predictus comes Godefridus Namucensis duxit secundam uxorem genere nobiliorem et vita sanctiorem, videlicet Ermensendem sororem comitis Guilelmi de Luscelenburg, et genuit ex ea iam prelibatum comitem Henricum Namucensem, et tres sorores germanas eiusdem. Prima[76] fuit ducissa Cyringie, que peperit Radulphum Leodiensem episcopum, ducem Bertoldum et Conradum et Albertum[p] fratres eorum. Dux iste Bertholdus duxit filiam comitis Hermanni de Frieburch[77], et genuit ducem Bertoldum alterum et duas sorores. Prima[78] comiti Huguenoni de Eura[79] in[q] Suavia peperit Conradum

---

a) vel Alaydis *desunt* 2. b) Walchen 2. c) et de Castris *desunt* 2. d) Conrado — Luscelenburch *desunt* 2. e) cuius — Lutgardis *desunt* 2. f) comitem 1. g) *deest* 2. h) *deest* 1. h*) *sic uterque codex. Haud scio an post verba* cuidam Raynaldo *supplendum sit* et Folmarus archiepiscopus Treverensis. i) coniuncta comiti Raynaldo fuit 2. k) quarum — Machlinorum *desunt* 2. l) Ludovici — abbatissa *desunt* 2. m) Raynaldem et Iacobum 1. n) filia 1. o) Ysabella sive Elizabeth de Flandria 1. p) Con. et Alb. *desunt* 2. q) et 1.

50) La Roche ad flumen Ourthe in provincia Luxemburg. 51) Chiny. 52) Marlière. 53) Hierges, départ. Ardenne, arrond. Rocroi. 54) Apremont, départ. Meuse, arrond. Commercy. 55) Albero II. e Namurcensium prosapia ortus, inde ab anno 1136 usque ad 1145 episcopatui praeerat; mater Godefridi I, cuius pater iam anno 1068 obierat, Adela nobilis cuiusdam Thuringici filia fuisse traditur. Neque Godefridi II. et III. mater genere Namurca erat. 56) Longwy. 57) Bliescastel a Zweibrücken ad occid. 58) Rectius: Mathildis filia Cunonis comitis de Beichlingen. 59) Homburg a Zweibrücken ad septentr. 60) Henricus Leo, cuius filia adulterina Mathilda Henrico Borwino Megapolitano nupsit. 61) Henricus II. 1181-1186. 62) Lüneville. 63) Sain. 64) Riche, départ. Meurthe, arrond. Château-Salins. 65) Godefridi III. 66) Mecheln. 67) Agnes. 68) Ludovici III. 68*) Sophiae. 69) Legendum est: *de Barro* = Bar-le-duc. 70) Maria. 71) Gerhardi 1172—1181 et Ottonis 1182—1207. 72) Château-Porcien, départ. Ardennes, arrond. Réthel. 73) Grand-Pré, départ. Ardennes, arrond. Vouziers. 74) Espinoy, départ. Pas-de-Calais, arrond. Arras. 75) Clairmarais, dép. Pas-de-Calais, arrond. Saint-Omer. 76) Clementia. 77) Rectius: Froburch. 78) Agnes. 79) Urach a Tübingen ad orientem.

canonicum Sancti Lamberti[1], qui postea fuit abbas Clarevallis et Cistercii, deinde cardinalis et post in Franciam et Alemanniam legatus, et abbatem Bertoldum de Salem[2] et fratres eorum[a] et sorores. Secunda[2*] ducis Bertoldi filia fuit comitissa Kiburgensis et plures liberos habuit. Secunda soror de tribus supradictis comitis de Namuco Henrici, nomine Beatrix, comiti Guithero Reytestensi[3] peperit Albertum Sancti Lamberti Leodiensis prepositum, comitem de Reytest Manasserum, castellanum Vitriaci[4] Henricum et Hugonem et Balduinum, qui sine liberis mortui sunt, et tres sorores. Una regina Sicilie, Beatrix nomine, peperit Rogerio regi Sicilie Constantiam imperatricem, matrem Frederici moderni imperatoris. Altera fuit mater Hugonis vicedomini Cathalaunensis. Tertia nomine Clementia — alii dicunt Agatha — viro nobili Hugoni de Wasnou peperit Robertum de Petraponte[b][5], patrem comitis Iohannis de Rocheio[6], Galterum de Wasnou[6*], episcopum Hugonem Leodiensem et Margaretam domnam de Eppa[7], matrem alterius episcopi Leodiensis, nomine Iohannis. Item comes Guitherus, pater regine Beatricis, quatuor sorores habuit. Una Stephano Straboni de Novocastello[8] super Axonam familiam multam peperit. Alia peperit Hugonem, Balduinum et matrem illorum de Hamalmont[8*]. Hugo vero horum primogenitus genuit Reinaldum de Iuncherio[9], patrem Lucie, que fuit mater Isabelle castellane Barri. Tertia Yvecta Miloni peperit Odonem Pesel et post Villano de Arzilliis[10] peperit Adelinam matrem Odoardi Marscalci, qui habet multam familiam, et habuit quatuor sorores, de quibus extat progenies. Quarta soror comitis Guitheri[c] de matre, non de patre, filia videlicet comitis Grandiprati[d], peperit comitissam matrem Radulfi de Claromonte[11] et vetule domne de Stirpeio[12]. Henricus castellanus Vitriaci filius Guitheri comitis Reytestensis fuit pater Beatricis domne Sancti Carauni[13]. Tertia soror de tribus supradictis comitis Namucensis[e], Alidis[f] nomine, comiti Balduino de Haynaco, cuius mater Yolendis, de Gelra[14] soror[g], peperit comitem Balduinum, Henricum de Seburgo[15], et quatuor sorores eorum. Una dicta est Agnes, que Rodulfo de Marla[16] duas peperit filias[h]. Una mater fuit comitis de Grandiprato, altera Hyolenz comiti de Brana[i][17] Roberto peperit Henricum archiepiscopum Remensem et tres comites, Robertum de Brana, Petrum de Britannia, Iohannem Masticonesem[18] et eorum sorores numero septem. Unam habuit filius Gervasii ex sorore Herveii Nivernensis comitis: pater Gervasii vocatus fuit Hugo; aliam habuit comes Iohannes de Roceio et dimisit eam, quia erant in quarto gradu coniuncti, et unam habuit Raynaldus de Casseblo[19]; una est[20] comitissa Philippa Barrensis uxor comitis Henrici; et una Agnes in Burgundia nupsit comiti Stephano, patri Iohannis Cabilonensis[21]; sextam duxit comes Radulfus de Augo[22]; septima monialis fuit in Fonte Ebraldi[23]. Altera soror comitis Balduini de Haynaco et Henrici de Seburgo primo fuit comitissa Suessionensis Hyolenz, que postea comiti Hugoni de Sancto Paulo[24] peperit Ysabellam uxorem comitis Galtheri de Castellione[25], qui per uxorem factus est comes de Sancto Paulo[k], et Eustaciam uxorem Iohannis de Nigella[26]. Tertia soror comitis Balduini Loreta Buchardo de Montinorencei[27] peperit Matheum in curia Francie nominatissimum et comitissam Montisfortis[28] matrem comitis Almarici. Quarta soror, nomine Berta, Egidio de Sancto Auberto[29] Cameracensis dyocesis peperit Gerardum et sororem illius. De comite Balduino de Haynaco, de[l] tribus filiis eius et tribus filiabus multa dicenda erunt in sequentibus.

---

a) eius 2. b) Petramonte 2. c) Rocheri 2. d) Grandisprati 2. e) comitis Namurcensis supradictis 2. f) Ermensendis 2. g) cuius mater, ut dicitur, fuit de Pontivo 2. h) Una — filias *desunt* 2. i) de Brana *desunt* 2. k) de — Paulo *desunt* 2. l) et 2.

1) Leodii. 2) Salmansweiler ab Überlingen ad orientem. 2*) Anna. 3) Réthel. 4) Vitry-en-Perthois sive Vitry-le-Brûlé. 5) Pierrepont, départ. Aisne, arrond. Laon. 6) Roucy, ibid. 6*) Vasnad. 7) Aps. 8) Neufchâtel, départ. Aisne, arrond. Laon. 8*) Aumont, départ. Somme, arrond. Amiens? 9) Juvignies, départ. Oise, arrond. Beauvais. 10) Arzillières, départ. Marne, arrond. Vitry-le-Français. 11) Clermont, départ. Oise. 12) Etrepy, départ. Marne, arrond. Vitry-le-Français. 13) Saint-Chéron, ibidem. 14) Heinrici I. 1117—1182. 15) Sebourg, départ. Nord, arrond. Valenciennes. 16) Marle, départ. Aisne, arrond. Laon. 17) Braine, départ. Aisne, arrond. Soissons. 18) Mâcon. 19) An legendum: *Castellione* = Châtillon-sur-Marne, départ. Marne, arrond. Reims? 20) Philippa Barri Ducis comitissa teste diplomate ap. Du Chesne Histoire de la maison de Bar-le-duc p. 26. a. 1240 adhuc vivebat. 21) Châlon-sur-Saône. 22) Eu, départ. Seine-Inférieure, arrond. Dieppe. 23) Fontevraud, départ. Maine-et-Loire, arrond. Saumur. 24) Saint-Paul, départ. Pas-de-Calais. 25) Châtillon-sur-Marne. 26) Nesle, dép. Somme, arrond. Péronne. 27) Montmorenci, départ. Seine-et-Oise, arrond. Pontoise. 28) Montfort-l'Amaury, départ. Seine-et-Oise, arrond. Rambouillet. 29) Saint-Aubert, départ. Nord, arrond. Cambray.

De fratre comitis Godefridi Namucensis, qui dictus est comes Albertus de Rupe, natus est Fredericus archidyaconus Sancti Lamberti Leodiensis, qui postea [a] [29*] factus archiepiscopus de Tyro, id est de Sur in partibus transmarinis, et soror eius Mathildis, que Theodorico de Walecurt [30] peperit Werricum de Rupeforti [31] et matrem Theoderici de Hufalize [32], cuius filius Henricus de Hufalize [b], et post mortuo Theoderico [c] de Walecurt Nicolao de Avenes [32*] peperit nobilem virum Iacobum et Idam castellanam Sancti Audomari [33]. De Werrico quatuor fuerunt filii et quedam filie. De Iacobo quinque filii, quorum unus domnus Galtherus factus est comes Blesensis et habuit quatuor sorores comitissas.

Deposito igitur apud Maguntiam memorato Radulfo, factus est archiepiscopus domnus 1164.
Conrardus vir honestus et magnanimus, contra quem imperator scismaticum archiepiscopum intrusit, non re, sed nomine Christianum. Eidem quoque Conrardo papa Alexander dedit
cardinaliam Sabinensem et archiepiscopatum de Salzeburch eius providentie commisit. 1177.
Treveri quoque fuerunt duo archiepiscopi Folmarus ex parte summi pontificis et Rodulfus 1184.
de Weda [34] maior prepositus ex parte imperatoris.

Anno 1169. Parisius post magistrum Petrum Manducatorem magister Petrus Pictavinus cathedram tenuit theologicam. Qui Manducator cum esset Trecensis decanus, Scolasticam hystoriam edidit ad Senonensem archiepiscopum Guilelmum, qui postea [34*] fuit Remensis archiepiscopus. Cuius etiam Manducatoris habetur liber qui dicitur Pancrisis, et liber sermonum eius De solempnitatibus per anni circulum. Predictus vero Pictavinus fecit librum de theologicis sententiis ad eumdem archiepiscopum Guilelmum.

Elinandus: Henricus rex Anglie maiorem filium suum Henricum, generum regis Ludovici Pii, fecit in odium Helin. 1169.
et preiudicium sancti Thome Cantuariensis consecrari in regem a Rogero Eboracensi archiepiscopo, quod solum ad [d] Cantuariensem pertinebat archiepiscopum.

Anno 1170. Post falsum papam Paschalem Octaviani [e] successorem in parte scismatica fuit falsus papa ex parte imperatoris Guido quidam [f] Cremonensis [35], ut [g] vocabulo alludamus, igne cremandus, qui se Calixtum appellavit.

Guido: In partibus transmarinis Saladinus soldanus effectus, ingressus ad califam domnum suum et pro solita Will. Tyr. XX, 12.
reverentia que ab antiquo a soldanis ei exhiberi debebatur, clava prostratum occidit et per omnem progeniem eius suum transire fecit [h] gladium, califam se constituens et soldanum. Hic ergo christianos [i] per annos 25 quibus regnavit, vehementer afflixit.

Elinandus: Henricus rex Anglie pacem sicut domno pape et regi Francorum promiserat facturus cum archi- Helin. 1171.
episcopo Cantuariensi, fecit missam cantari pro fidelibus defunctis, sciens quod ad eam pax non daretur, nolens pacem sumere ab archiepiscopo. Unde et idem archiepiscopus eodem anno, ut dicturi sumus, in ecclesia et pro ecclesia martirium passus est.

In lecto egritudinis sue diu iacens sancta Hildegardis, vidit hoc anno [k] vigilans corpore et animo pulcherrimam ymaginem, sanctam videlicet ecclesiam mirabiliter adornatam, sed facies eius pulvere aspersa erat, et vestis ipsius [l] in dextro latere scissa fuit [m], et pallium eius suam elegantem pulchritudinem amiserat, et calciamenta ipsius superius denigrata erant, et ipsa voce magna et lugubri de suis — mirabiliter! — sacerdotibus conquerebatur, et cetera que ibi habentur.

In festo sancti Laurentii mortuus est comes Barri [k] iunior Raynaldus. Quibus diebus Aug. 10.
erat episcopus Virdunensis Arnulfus de Cisneio [35*], de Agnete sorore eiusdem comitis progenitus. De una quoque sorore eiusdem comitis fuerunt comites de Claromonte [36] Belvacensi. De tertia fuerunt comites, qui dicuntur Silvestres in Allemannia; et de ista fuerunt filie, una Mathildis uxor comitis Manasseri Reytestensis [37], altera Cunegundis domna [k] de [n] Rista [38]. De quarta fuit Symon de Commarceio [39] et due sorores illius. Uxor eiusdem comitis Raynaldi comitissa Agnes diu terram tenuit eo mortuo, donec ad incrementum venerunt filii eius. Quatuor fuerunt, scilicet comes Henricus [o] et comes Theobaldus et quidam Hugo et episcopus Carnotensis Reynaldus.

Inveniuntur quedam pape Alexandri littere, quas misit presbitero Iohanni superius

---

a) *deest* 2. b) cuius — Hufalize *desunt* 2. c) Henrico 2. d) ad solum 1; *cum* 2 *convenit Helin. ipse.* e) Octoviani 1. f) *deest* 1. g) et 2. h) fecit transire 2. i) soldanos 1. k) *deest* 2. l) eius 2. m) fuerat 2. n) *deest* 1. o) scilicet — Henricus *desunt* 1; comes Hen. 2 *in rasura.*

29*) 1163—1173. 30) Walcourt a Charleroi ad meridiem. 31) Rochefort ad flumen L'Homme in provincia Namurcensi. 32) Houffalize ad flumen Ourthe in provincia Luxemburg. 32*) Avesnes, départ. Nord. 33) Saint-Omer, départ. Pas-de-Calais. 34) Wied. 34*) 1176—1202. 35) Corrige: *Cremensis.* 35*) Chiny. 36) Clermont, départ. Oise. 37) Réthel. 38) Riche, départ. Meurthe, arrond. Château-Salins. 39) Commercy, départ. Meuse.

memorato [40], per [a] quendam episcopum Philippum [41] ab eodem papa ordinatum et de fide et de [b] moribus sancte Romane ecclesie diligenter instructum. Qui Philippus ab eodem presbitero Iohanne transmissus [c] fuerat ad papam Romanum.

Anno 1171. Beatus Thomas Cantuariensis archiepiscopus martirizatur in ecclesia sua 29. Dec. 4. Kalendas Ianuarii, tempore vespertinali, hora 11, a quatuor militibus quinque plagis occisus pro tuenda ecclesie sue libertate. Militum nomina fuerunt hec: Richardus Brito, Hugo de Morevilla, Renaldus Ursus et Guilelmus de Traci. Qui postea ferro ligati penitentiam, ut credimus, condignam provincias peragrando compleverunt. Meritis autem sancti [b] huius martiris ceci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, locuntur muti, pauperes ewangelizantur, paralitici convalescunt, detumescunt ydropici, sensui redonantur amentes, curantur epileptici, febricitantes evadunt. De quibus miraculis a multis multi facti sunt libri.

Ex cronica Sancti Dyonisii: Cum beatus Thomas Cantuariensis archiepiscopus pro iure et libertate ecclesie sue a sede sua per violentiam Henrici regis Anglie eiectus et a Ludovico Pio Francorum rege [d] honorabiliter esset receptus, tandem ad propria reversus, Guil. Arm. 769. passus est [e] martirium anno sexto etatis Philippi filii Ludowici Pii. Ad cuius sepulcrum idem Ludovicus Pius accessit orationis gratia, et cum esset inde recessurus orationem suam ante [f] sepulcrum gloriosi martiris sic conplevit: *Hospes sancte — protege filium meum Philippum.*

In episcopatu Dunelmensi [42] in Anglia in loco qui dicitur Fincale sanctus Gundricus mirabilis heremita hoc anno requievit, qui erat 60. sue conversionis annus. De cuius vita et magnis [b] miraculis liber habetur a nonnullis [43].

Floruit hoc tempore in Hungaria vir sanctus archiepiscopus Lucas Strigonii [44], et abhinc rex Bela regnavit annis 25.

Chron. Clar. 1172. Anno 1172. Gislebertus monachus et abbas quondam de Hoilanda in Anglia, qui fecit in morem beati Bernardi sermones super Cantica canticorum, hoc anno obiit.

Helin. 1172. Robertus prepositus de Arca in Flandria episcopatus duos regebat, Atrebatensem et Cameracensem [45], filius fabri cuiusdam [b] — ad tantos honores venerat.

Anno 1173. Apud Laudam civitatem in Lombardia per consilium abbatis Clarevallensis [46] Ambrosii de ordine Cisterciensi [g] quedam mulier demoniaca mirabiliter est curata, per cuius os demon, qui erat in ea, mirabilem de passione Christi predicationem audientibus inculcabat. Sed superveniente [h] altera a Mediolano demoniaca, demon sevissimus qui erat in ea cepit fortiter per os mulieris increpare demonem illum [b] de Lauda, eo quod ille de passione Christi et laude eius astantibus predicaret. Mirabilis prorsus narratio, quam qui plenius scire voluerit, apud Clarevallem inveniet.

De eadem civitate Lauda alibi scriptum invenitur, quod imperator Fredericus eam mutaverit [i], et in loco ubi nunc [k] est, posuerit.

Item fundabatur hoc tempore nova Alexandria in Lombardia sub nomine pape Alexandri appellata, imperatore Frederico reluctante diu, ut Cesarea diceretur, sed non potuit prevalere. Hec est Alexandria in Aquensi diocesi, et cognominatur Palea.

Aegid. Aur. III, 51. Hoc anno 17. Kalendas Iulii corpus sancti Domitiani episcopi et confessoris honorabiliter a domno Rodulfo Leodiensi episcopo, presentibus quamplurimis personis religiosis, secularibus et ecclesiasticis, transfertur atque in feretro argenteo deaurato decenter locatur.

In dyocesi Suessionensi super Axonam fluvium villa, que dicitur Bicerei, hoc anno contigit, quod quedam puella porcam pregnantem secuta est in quamdam caveam hominibus ignotam et reperit ibi quendam senem ignotum et multos thesauros et reversa ad domnam suam que erat eius noverca, cum cepisset ei et aliis ad se venientibus multa ventura predicere, ceperunt ad illam undique concurrere qui nova audire cupiebant. Quo cognito episcopus sub excommunicatione interdixit ne quis ulterius ad illam sciscitandi gratia accederet, quia varie sunt et multiplices et fantastice demonum illusiones, quibus credere non debemus.

Helin. 1173. Anno 1174. Elinandus: Civitas Rothomagi obsessa est a Ludovico Pio rege Francorum et Henrico novo rege et Philippo comite Flandrensi [l] contra regem Anglie Henricum.

---

a) et per 1. 2. b) *deest* 2. c) missus 2. d) rege Francie 2. e) est passus 2. f) ad 1. g) Cisterciensis 1. h) perveniente 2. i) mutavit 2. k) *deest* 1. l) Flandrensium 1, *sed ut* 2 *Helin. ipse.*

[40] Cf. annum 1165.

[41] Philippus in litteris anno 1177. datis non episcopus, sed magister et pontificis medicus dicitur. Cf. Oppert Der Presbyter Iohann p. 51.

[42] Durham.

[43] Cf. chron. Clarevall. an. 1171.

[44] Gran.

[45] *et Tornacensem.* Helin. l. c.

[46] Chiaravalle prope Mediolanum.

Obiit sanctus Petrus — sui pontificatus. Facta est hoc anno dedicatio — Lugdunensis archiepiscopus. Et sequenti anno — cantum de [a] Trinitate. Chron. Clar. 1174.

In terra regis Portugalensis in Hyspania facta est per menses duos anno isto nimia procellarum sevitia et magna sono terribili tonitrua, ita quod demon iuxta ipsam urbem in aere discurrens visibiliter apparuit domos evertens et villas destruens. Duas quoque non modicas naves in proximo littore oceani partes adverse sublimius a terra levaverunt et suspensas in aere diutius ad invicem pugnare fecerunt, ita ut frusta ambe comminuerentur, et tabule huc illucque a vento dispergerentur. Desierant agricole pre timore arare [b] et seminare [c], et secuta est maxima famis inopia, ita quod per itinera aves et fere comedebant insepulta cadavera, quorum carnibus lupi assueti ceperunt multo tempore viventes homines invadere, pecora fastidientes et pastores devorantes [d].

Anno 1175. Post prepositum de Area [47], de quo supra tetigimus [48], electus est apud Cameracum Petrus frater comitis Flandrie Philippi et comitis Mathei Boloniensis, sed consentire noluit et clericatum dimisit et comitissam Nivernensem [49] in uxorem duxit, et parvo postea tempore in hac vita permansit.

Mortuo archiepiscopo Remensi Henrico 18. Kalendas Novembris [49*], Senonensis archiepiscopus Guilelmus factus est Remensis archiepiscopus.

In Anglia quidam prior Sancte Trinitatis Londoniensis fecit de omnibus divine scripture libris quoddam opus mirabile et vocatur Pantheologia.

Anno 1176. Remensis archiepiscopus Guilelmus ad introitum suum 5. Idus Augusti 9. Aug. episcopos consecravit Nevelonem Suessionensem, Rogerum Laudunensem et Rogerum, ut puto, Cameracensem [50].

Guido: In partibus transmarinis post mortem Noradini strenui Damascenorum principis [e] Saladinus Will. Tyr. XXI, 6. primo de sibi subiectis minus nobilis unus, tunc autem Egyptiorum domnus, proditione civium Damascum occupat, exheredato filio domni sui Noradini. Balduinus rex huius nominis quartus, XXI, 11. regis Almarici filius, Damascenorum regnum et vallem Bachar depopulatur, cum Saladino committit pugnam XXI, 23. et eum cum summo periculo et ignominia [f] vertit [g] in fugam.

Anno 1177. Apud Cabilonem Engelbertus ordinatur episcopus, qui post annos tres episcopatum dimisit, sed tamen ordines et benedictiones celebrabat.

Magister Lambertus Leodiensis de Sancto Christophoro obiit, nove religionis que fervet in Aegid. Aur. III, 52. Leodio [h] et circa partes illas ferventissimus predicator. Iste Antigraphum scripsit, et tabulam que Lamberti intitulatur edidit, sed et [i] multos libros et maxime vitas sanctorum et actus apostolorum de Latino vertit in Romanum.

Anno 1178. Abbas Clarevallis Henricus regem Anglorum Henricum, Cantuariensi ecclesie reconciliatum, ad hoc induxit, ut tectum ecclesie Clarevallensis, quod erat latericium, faceret esse plumbeum. Henricum vero Campanie comitem liberalitate nominatissimum ad hoc induxit idem abbas, ut pro peccatis suis cruce signatus iter arriperet Ierosolimitanum; et cum eodem comite quidam nobiles transfretaverunt. Ex quibus fuit unus Henricus [k] comes de Grandiprato [51] et Waflardus et Gaufridus de Balaham [52] frater eius.

Eclipsis solis facta est mense Septembri vigilia sancte crucis 4. feria hora 6. 13. Sept.

Anno 1179. Mediantibus episcopo Alvernensi Pontio et sancto abbate Hugone Bonevallis Viennensis [l] facta est reconciliatio inter papam Alexandrum et imperatorem Fredericum. Chron. Clar. 1179. Que reconciliatio facta fuit in Venetia. Et idem papa concilium magnum tenuit eodem anno Rome in palatio Lateranensi. Ibi de statu sancte ecclesie multa tractata sunt et contra hereticos et contra Coterellos sive Ruptarios quedam capitula diffinita. In eodem concilio mitram pastoralem quidam nigri abbates acquisiverunt, ex quibus fuerunt duo Parisienses, abbas Guilelmus de Sancto Dyonisio in Francia et abbas de Sancto Vincentio, id est de Sancto Germano de Pratis. In eodem insuper concilio domnus abbas Henricus [k] Clarevallensis factus est cardinalis episcopus Albanensis. Item etiam in eodem concilio cruce signatus est imperator Fredericus et pro peccatis suis mare transivit [53].

---

a) sancta *add.* 2. b) arrare 2. c) et seminare *desunt* 2. d) invadentes 2. e) principis Dam. 2. f) ignomineo 1. g) vertitur 1. h) que vocatur religio Begginarum 1. i) *deest* 1. k) *deest* 2. l) Vionensis 2.

[47] Aire. [48] Cf. annum 1172. [49] Mathildem. [49*] Diplomate ap. Marlot Metrop. Remens. III, 767 teste Henricus Id. Novemb. obiit. [50] Rogerus episcopus Cameracensis anno demum 1178 electus est, cf. Cont. Aquic. M. G. SS. VI, 417. Gisleb. chron. Hanon. ib. XXI, 526. [51] Grand-Pré, départ. Ardennes, arrond. Vouziers. [52] Balham, départ. Ardennes, arrond. Réthel. [53] Fridericum anno demum 1187 cruce signatum esse constat.

Mortuo vero Iohanne archiepiscopo de Salzeburch[a] papa commisit archiepiscopatum domno Conrado Moguntino[54] et fecit ipsum Sabinensem cardinalem.

Alibi[55]: Anno ab incarnatione 1179. presidente sancte Romane ecclesie reverendissimo domno Alexandro papa III, pontificatus eius 20. anno, mense Martio, indictione 12, quinto die mensis, presidente eodem summo pontifice venerabili, convenit sancta et universalis sinodus in basilica Lateranensi, que appellatur Constantiniana, 396 episcoporum exceptis cardinalibus et abbatibus, quorum pre nimia multitudine titulos vel numerum colligere non potuimus.

Rigord. 5. Eodem anno in festo omnium sanctorum coronatus est Remis Philippus rex Francorum et regnavit annis 44[56].
ibid. Erat autem 15 annorum, et archiepiscopus Guilelmus qui eum coronavit avunculus erat illius. Pater vero
Guil. Arm. 62. eius[b] rex Ludovicus Pius vixit post istam coronationem fere per biennium. Huius itaque regis Philippi actus magnifici ad laudem satis[c] sibi sufficiunt si fuerint simpliciter et veraciter enarrati, et stilum tantum veridicum sibi volunt, cum ad sui extollentiam nullo indigeant adminiculo falsitatis. Sepe enim fit ut scriptor dum placere querit, gestorum seriem partim[d] mendacii decoloret, quod in enarrandis tam preclari viri gestis modis omnibus[e] devitandum censemus. Itaque que de eo habentur in cronica ecclesie[e] beati Dyonisii annotata secundum magistrum Rignotum et secundum Guilelmum Britannicum presbiterum, vitam ipsius regis et omnia preclara gesta, sicut sunt veraciter digesta, in hoc opusculo
Guil. Arm. 66. nostro annotare decrevimus. Nunc igitur ad ipsius Philippi gesta veniamus. Idem Philippus Magnanimus audierat a coequevis et consodalibus[f] suis, dum sepius in palatio cum eis luderet, quod Iudei singulis annis unum christianum occulte occiderent ad sanguinem eius habendum[g], et imo[h] eius corde communicabant. Et ideo concepto ex hac occasione rancore contra eos, omnes proposuit eicere de regno suo. In diebus illis sanctus Richardus — miracula usque in hodiernum diem.

In Sicilia post regem Guilelmum regnavit Guilelmus filius eius.

Helin. 1180. Anno 1180. Elinandus: Philippus filius comitis Roberti de Brana, nepos Ludovici regis per industriam patrui sui archiepiscopi Henrici Remensis in episcopum Belvacensem post Bartholomeum electus, rediens hoc anno a via Ierosolimitana. Post annos quatuor sue electionis Remis consecratus est. Habuit iste Philippus episcopus[i] fratrem nomine Henricum, qui fuit Aurelianensium episcopus[k].

Guil. Arm. 66. Eodem vero anno quo Philippus Magnanimus coronatus est[l], Hebo de Charentone[57] in pago Byturicensi, Ymbertus in pago Lugdunensi et comes Guilelmus Cabilonensis ceperunt ecclesias opprimere — libertates ecclesiis reformavit. Eodem anno multi principes regni sui contra ipsum conspirationem machinati sunt; sed ipsos omnes spe citius bello confectos et humiliatos in suam recepit gratiam, inter quos specialiter Stephanus comes de Sancerra[58], id est de Sacro Cesaris, licet esse ipsius regis avunculus — imperio colla submittit. Sancerra tempore Iulii Cesaris dicebatur Avaricon.

ibid. Anno 1181. Ex historia regum[m] Francorum: Anno regni Philippi Magnanimi secundo in ascensione Domini imposuit sibi iterum Philippus Magnanimus coronam in ecclesia beati Dionysii, et inuncta fuit ibidem Elizabeth venerabilis uxor eius, filia comitis Balduini de Haynaco de Margareta procreata, sorore comitis Philippi Flandrensis.

Guido: Philippus in regni Francorum solio, novella quamvis adhuc plantatio, nec pusillus, nec pusillanimis, plus animis quam lacertis, non otium sed negotium amplexus armorum, non thalamos sed tela voluit, non calamos[n] sed castra coluit, pacem facere per bella studuit, et subiugando rebelles, nomen et regnum gestis triumphalibus exaltare. Consilio procerum Francie, comitum Flandrie pariter et Haynonii, filiam decimi, sororem[o] undecimi Balduini Elizabeth nomine, cum largo patrimonio sibi matrimonio copulavit.

Helin. 1181. Elinandus: Summus pontifex Alexander obiit. Hic cum aliquando — *penitentiam dare.* Et factus est summus pontifex Hubaldus Hostiensis episcopus, et dictus est Lucius papa[l] tertius.

Comes Henricus Trecensis[59] a transmarinis partibus reversus, statim ut terram suam attigisset, viribus corporis cepit[p] repente destitui, et veniens Trecas in confessione christiana decessit, cuius terram uxor eius comitissa Maria regebat, donec filii eius Henricus et Theobaldus ad virilem pervenissent etatem.

Item eodem anno rex Ludovicus Pius apud abbatiam Cisterciensis ordinis de Sancto
18. Sept. Portu, que vulgariter dicitur Barbel[60], obiit 15. Kalendas Octobris feria 5.[61], cum esset

---

a) Mortuo vero episcopo de Salzburch 2. b) illius 2. c) sibi satis 1, *sed:* sibi sufficiunt, *ut in* 2, *ita quoque apud Guil.* d) pane 1. 2. e) *deest* 2. f) sodalibus 2. g) occiderent — habendum *desunt* 1. h) imo et 2. i) *deest* 1. k) Henricum Aurelianensium episcopum 2. l) *deest* 2. m) regis 2. n) sed — calamos *desunt* 1. o) filiam 2. p) diligenter *add.* 1.

[54] Pace Veneta inita quum Adalbertus archiepiscopus e sede cedere iussus esset, Conradus, qui iam dudum Sabinensi cardinalatu fungebatur, archiepiscopus Salisburgensis factus est. [55] In actis scilicet concilii, paullulum diversis ab illis, quae ap. Mansi XXII, 213 invenies. [56] Cf. Chron. Clarevall. 1179. [57] Charenton, départ. Cher, arrond. Saint-Amand. [58] Sancerre, départ. Cher. [59] Troyes. [60] Barbeaux a Fontaine-le-Port, départ. Seine-et-Marne, arrond. Melun. [61] Secundum Rigordum pag. 7

annorum circiter 71, et in ipsa abbatia, quam ipse fundaverat, honorifice 13. Kalendas Octobris[a] sepelitur[62].

Venerabilis Eskilus archiepiscopus Danorum moritur, et substitutus est in Dacia archiepiscopus, Absolon nomine, qui fuerat[b] episcopus Roskildensis. Chron. Clar. 1181.

In Dacia quoque circa hoc tempus mortuus est rex Waldemarus huius nominis secundus, qui de Sophia regina genuit Kanutum et Waldemarum et plures filias. Primo ergo regnavit Kanutus per annos circiter 25.

Albanensis episcopus Henricus missus in Burgundiam legatus — castrum hereticorum quod Vallis dicitur per miraculum cepit, et anno sequenti sub papa Lucio ad curiam revertitur. ibid.

Episcopus Arnulfus Virdunensis fuit hoc anno apud Sanctam Manehildem[63] occisus.

Anno 1182. Philippus rex Magnanimus — summe fisco retenta. Et eodem anno omnes de regno eiecit, datis prius induciis eisdem Iudeis vendendi supellectiles suas et parandi ea, que necessaria erant egressui — possessiones retinuit fisco. Guil. Arm. 66.

Floruit magister Iohannes Belet in ecclesia Ambianensi, qui scripsit Librum de divinis officiis per annum.

Anno 1183. Hoc anno fecit rex Philippus[c] Magnanimus ecclesias in nomine Iesu Christi et sanctorum eius edificare ubique per civitates et castella in terra sua in locis[d], in quibus erant synagoge Iudeorum. Idem rex de ampliatione regni — sine labore et tumultu. Nemus etiam Vianarum circumcinxit rex muro fortissimo et delectabili, et inclusit ibi non solum maximam multitudinem caprarum, damarum et cervorum, sed et unum conventum fratrum barbatorum Grandismontis[e. 64]. ibid.

Eodem anno mortuus est[f] iunior Henricus rex Anglorum 13. Kalendas Iunii in castro quod vocatur Martellum versus Gerundam[65], cuius cor de mandato eius ibi sepultum fuit; corpus vero delatum est Rothomagum et honorifice tumulatum. De cuius morte fama ferebat, fratrem illius Richardum comitem Pictavorum et ipsum patrem eius Henricum seniorem culpabilem extitisse. Relicta illius Margareta, soror erat regis magnanimi Philippi, de qua suo loco postea[g] dicetur[66].

Erant in pago Bituricensi Coterelli, qui vulgo dicuntur Ruptarii, qui invaserunt fines regni nemini parcentes — quin omnes occiderent aut diversis tormentis ad refundendam eis pro redemptione sua pecuniam conpellerent. Quo audito a rege, misso exercitu in adiutorium hominum et proborum virorum illius provincie, omnes a summo usque ad minimum Deo dante uno solo die 7000[h] iuxta castrum de Duno[67] trucidati sunt.

Petrus abbas Cisterciensis factus est episcopus Attrebatensis[i].

Ianuensis civitas in Lombardia[k], huc usque suffraganea archiepiscopi Mediolanensis, cepit hoc tempore auctoritate pape esse nova metropolis. Quibus diebus Algisus vir bonus erat et simplex[l] Mediolanensis[m] archiepiscopus, quo mortuo succedit Crivellus[68].

Elinandus: Obiit archiepiscopus Rotoldus Rothomagensis[n], cui Galterus de Constantia successit. Helin. 1183. Isti sunt archiepiscopi Rothomagenses de quibus in hoc libro fit mentio: Robertus, Malgerus, Maurilius, Iohannes, Guilelmus, Gaufridus, Hugo, Rothroldus et iste Galterus.

Versus de eisdem per ordinem[68*].

Insignis presul claris natalibus ortus,
Robertus felix, devoto fine quievit.
Malgerus iuvenis sedem suscepit honoris
Natali[o] *clarus, sed nullo nobilis actu*[69].
Pervigil antistes in eadem sede Iohannes,
Legis apostolice studuit documenta tenere.
Post hunc Guilelmus vir nobilis atque benignus
Catholice plebem tractavit Rothomagensem.
Catholico more Gaufridus functus honore
Ecclesie multa bona contulit intus et extra.

---

a) 13. Kal. Oct. honorifice 2. b) fuit 2. c) Philippus rex 2. d) in locis *desunt* 2. e) Nemus etiam — Grandismontis *desunt* 2. f) *deest* 1. g) postea suo loco 2. h) septingenti 2. i) episcopus At. *desunt* 1. k) in Lomb. *desunt* 2. l) et simplex erat 2. m) Mediolanensis 2. n) Romagensis 2. o) Natalis 2.

Ludovicus rex non Barbelii, sed Parisiis mortuus est, nec 15. Kal. Oct., sed 14. Kal. Oct. Quod ad diem attinet, certe Albrico consentiendum est, 5. enim feria, qua uterque regem obiisse narrat, cum 15. Kal. Oct. = 18. die Septembris convenit. 62) Cf. Guil. Arm., a quo noster hic discrepat, cum quo illic consentit; quin etiam semel verborum tenor consonat, nam illud *quam ipse fundaverat* apud Guilelmum quoque occurrit. 63) Sainte-Ménehould, départ. Marne. 64) Grammont prope Rothomagum. 65) Martel, départ. Lot, arrond. Gourdon. 66) Cf. annum 1185. 67) Dun-le-Roi, départ. Cher, arrond. Saint-Amand. 68) Humbertus e Crivellorum gente ortus anno 1184. Mediolanensis archiepiscopus, anno 1185. nomine mutato Urbanus papa factus est. 68*) Versus nuper editi sunt in Append. ad opera Angeli Mai p. 67. 69) Duo de Maurilio versus omissi sunt:

Praesul Maurilius doctrinae luce refertus,
Moribus eximius praefulsit et actibus almis.

Huic successit amor plebis, tremor[a] *Hugo potentum*
Clarus avis, clarus studiis, recreator egentum.
Presul Rothrocus sequitur sanctos pietate,
Prefulgens generis et mentis nobilitate[69*].
In specula[b] *cleri speculum prudens speculator*
Surgit Galtherus, decus urbis presule dignus.

Guil. Arm. 67. Anno 1184. Fuit orta dissensio inter Philippum Magnanimum regem et Philippum comitem Flandrie patruum suum, qui nolebat ei reddere Viromanniam, que comitisse Alienordis erat de iure[c], mortua Elizabet sorore eiusdem Alienordis, uxore comitis Philippi, que fuerat filia comitis[d] Viromannie Radulfi. Mortua vero fuit absque liberis. Comes igitur Philippus in magna superbia duxit[e] cursum suum cum immenso exercitu per terram regis — sed infra paucos dies mediantibus bonis viris pacificatus est regi, Viromanniam eidem regi restituens, et eius voluntati iuramento prestito per omnia se conmittens. Rex reddidit Viromanniam Alienordi comitisse, et illa quittavit ei civitatem Ambianensem.

Tempus erat quo messis — nulla spica potuit inveniri.

Factum est post[f] aliquot dierum curriculum, et Hugo dux Burgundie obsedit Vergiacum, et cum ammonitus a rege numquam vellet[g] obsidionem dimittere, rex collecto exercitu ad supplicationem Guidonis domni eiusdem castri, misit cum ipso exercitu Hugonem de Brois[70], qui habuit super isto negotio consilium senum et iuvenum, sed consilio iuvenum[h] quod melius in hoc[i] casu fuit, ducem ab obsidione removit et fugavit. Nec multo post Castellionem castrum nobilissimum ducis super fluvium Sequanam situm obsedit rex et per vim cepit et coegit ducem vellet nollet restituere ecclesiis et clero 30000 librarum, quas ei abstulerat violenter, secundum quod dampna ab eo illata estimata fuerunt. Eodem anno mortuo Albrico Tailhefer comite Sancti Egidii[71] dux dimisit et remisit uxorem suam Aaliz, de qua genuit Odonem[k] et Alexandrum, et duxit relictam[72] illius Albrici, que erat filia senioris Dalfini, de qua genuit iuniorem Dalfinum. Cupiditate magne terre quam ista tenebat facta sunt ea, que facta sunt. Postea idem dux combussit terram de Brois.

Chron. Clar. 1184. Erat hoc tempore beata Ascelina[l] virgo consanguinea beati Bernardi; huius matri sancta Glodesindis Metensis apparuit et dixit: *Filia tua mihi procul dubio conparata equabitur in meritis.*

Anno 1185. Guido: In Alemannia filius imperatoris Frederici Henricus, dotibus insignitus scientie litteralis et floribus eloquentie redimitus et eruditus apostolicis institutis et legibus imperatorie maiestatis, adhuc in adolescentia duxit in uxorem, patris industria, filiam Rogeri Sicilie regis Constantiam, natam ex Beatrice filia comitis Francie de Reyteste[73] Guitheri.

Guil. Arm. 67. Ex hystoria regis Philippi: Nupsit hoc anno Margareta nobilis Anglie regina, relicta iunioris Henrici, soror Philippi regis, illustri Hungarorum regi Bela nomine, eodem rege pro ea habenda per solempnes nuntios plurimum supplicante.

ibid. 769. Circa eadem tempora Philippus Magnanimus pia et regali indignatione super intolerantia luti vicorum Parysiace civitatis motus, fecit omnes vicos eius quadratis lapidibus pavimentari, et tunc recte primo amisit civitas proprietatem antiqui vocabuli quo Lutetia vocabatur, ad cuius exemplum alie civitates et castella, vicos et plateas, pontes, introitus et exitus universos et stratas publicas straverunt lapidibus durissimis et quadratis.

Guil. Arm. 63. Hector filius Priami genuit Francionem, Troilus frater eius genuit Turcum. Iste in Sithiam[m] inferiorem versus septemtrionem descendit, et ab eo Turci necnon[n] et Gothi, Ostrogothi, Yppogothi, Wandali et Normanni descendunt. Francio autem Sycambriam venit. Post 230 annos recessit ab eis dux Ybor[o] et cum eo 23000, qui venientes in Gallias fundaverunt et edificaverunt Parisius, anno ante incarnationem Christi 825, quam vocabant Lutetiam a lutositate loci[p], et se vocabant Parisios a Paride filio Priami, et fuerunt ibi[q] antequam Franci venirent[r] annis 1270, sine rege ad morem Romanorum se habentes. Francio autem et eius posteri fuerunt in Sycambria annis 1507, usque ad mortem regis Austrie Priami, cuius filius fuit dux Marchomirus pater regis Pharamundi. Cetera suis in locis inveniuntur.

Hoc tempore filius comitis Hugonis de Marcha Pictavie, cum militem quemdam Bertrannum nomine interfecisset, ut dicitur, iniuste, spiritus eiusdem militis reversus est ad predictum comitis filium usque tertio de nocte conquerendo de ipso et citando eum ad audientiam maiorem. Et ecce quadam die idem filius comitis, cum esset in magna turba militum, subito raptus est a dyabolo, et ex tunc non comparuit. Unde cum comitatus de Marca remaneret sine herede, comes Richardus Pictavensis, qui postea[73*] fuit rex Anglie, ipsum comitatum sibi vendicavit et quamdiu vixit obtinuit. Qualiter autem[s] mortuo Richardo Hugo[t] Brunus fuit comes de Marcha, suo loco dicetur[74].

---

a) *deest* 2. b) speculo 2. c) *deest* 1. d) Philippi — comitis *desunt* 2. e) *deest* 2. f) quod 2. g) voluit 2. h) sed — iuvenum *desunt* 1. i) *deest* 2. k) uxorem 1. l) Anscelina 1. m) Siciam 2. n) *deest* 2. o) dux Ybor *desunt* 2. p) a lutositate dictam 1. q) *deest* 1. r) venerunt 2. s) ante 1. t) *deest* 2.

69*) Usque ad hunc locum textus Maii et Nostri satis concordant, dein apud Maium legimus:
Hunc sequitur dignus Walterus Lincolniensis,
Rothomagi summus flos et de praesule praesul.

70) Broyes, départ. Marne, arrondissement Epernay. 71) Saint-Gilles. 72) Beatricem. 73) Réthel. 73*) 1189—1199. 74) Cf. annum 1199.

Anno 1186. Philippus rex Magnanimus — fecit cymeterium publicum et amenissime amplitudinis in loco qui Campellus dicitur muro lapideo circumcingi et ornari ad monitionem cuiusdam vetule vidue, que dicebat sibi[a] hoc in visione revelatum fuisse. Guil. Arm. 67. 769.

Eodem anno in civitate Parisius[b] mortuus est[c] 14. Kalendas Septembris Gaufridus nobilis dux Britannie comes Richemontis, filius Henrici regis Anglie[d] natu tertius, quem cum Philippus[e] rex Magnanimus dilectione amplecteretur[f], fecit condiri aromatibus et in choro beate Marie Parisius honorifice corpus tumulari, et in signum dilectionis quatuor prebendas sacerdotales in ecclesia Parisiaca de bonis propriis iustituit, ad usum quatuor sacerdotum, qui ibidem[g] perpetuo pro defunctis debent celebrare. Iste comes Gaufridus duxerat Constantiam comitis Conani filiam unicam, et per eam fuit comes Britannie. De qua genuit Arturum iuvenem[h] et filiam unam Alienordem. Eandem Constantiam duxit postmodum Guido[i] frater vicecomitum de Tuart[75], et genuit unam filiam nomine Mabiliam[76], ad quam novissime[77] reversa est hereditas. Comes autem Conanus predictus fuit de genere Alani et idem Alanus fuit de genere antiquorum[k] regum Britannie et de genere antiqui Arturi.

Guido: In partibus transmarinis populi qui dicitur Hassacinus numerus esse 60 milibus amplior perhibetur; habitat in Syria et provincia Tyrensi, non habet hereditarium dominum, sed quem vocat senem propter prerogativam meriti preceptorem, cui tanta virtute obedientie dicitur obligari, quod nichil tam durum tam arduum tamque periculosum subditis ei suis placet iniungere, quod incunctanter non aggrediantur implere. Hii cum annis[l] fere 400 Sarracenorum obscenas traditiones tanto zelo fuissent amplexi, quod eorum respectu prevaricatores possent alii iudicari; contigit diebus nostris quod magistrum sibi prefecerunt, per quem instituta Mahumeth seductoris impia reliquerunt. Et cum votis ardentibus appeterent[m] suscipere[n] legem Christi, petunt a rege Ierosolimorum Balduino IV. regis Almarici filio, ut remissis duobus milibus aureorum, quos quasi pro tributo quidam suorum solvebant fratribus Templi, conferretur eis ecclesiastici gratia sacramenti. Cuius petitionis nuntium pro consummando negotio tali a rege digressum et tam de regio ducatu quam de nostre sinceritatis fide[o] presumentem, interficiunt quidam de Templi fratribus strictis gladiis irruentes in eum. Hic autem inpunitatem non invenisset excessus, et quod ille predictus populus cum rege pie inceperat pervenisset ad debitum effectum, nisi perfectionem migratio predicti regis a seculo prevenisset[p].

Rex Sicilie Guilelmus guerram habens contra Ysaccum imperatorem Grecorum, omnibus christianis peregrinis cruce signatis portus Apulie interdixit. Et ista fuit una de specialibus causis vel occasionibus, quare postea perdita fuit Ierusalem.

Anno 1187. Henricus filius imperatoris Frederici primi[q] fecit nuptias suas apud Mediolanum in natali Domini.

Vernabat facies occidentis speciositate multiplici gaudiorum, cum ecce tempestas ab oriente consurgens christiani[r] splendidum orbis magne minis[s] diversitatis[t] et tristitie tenebris involvit aspectum. Ecce enim Saladinus terram Ierosolimitanam ut invasor invadit, regem Guidonem de novo constitutum capit et abducit et cum christianorum cede maxima patriarcham quoque interficit[u]; Thechidinus autem nepos eius crucem Domini asportavit. Princeps Antiochie Reinaldus vir christianissimus de manu Saladini fuit occisus et Templarii decollati sunt plus quam ducenti.

Causam tante calamitatis Guido breviter ita comprehendit: Quarto, inquit, Balduino Ierosolimorum rege defuncto, soror eius Sibilia[v] comitissa Ioppensis[w], ad quam moderamina regni redierant, cum haberet virum militem satis strenuum et nobilem Guidonem de Lisignon, et ei persuasum esset atque concessum ut eum dimitteret, quia regio culmine minor et nomine videretur, et novum aliquem potentie maioris admitteret virum; illa respondit se nolle alium quam eum, quem[x] Deus ei coniunxerat, quia non liceret ei, quam ille ferre debebat, coronam conferre alteri quam illi, cui semel promiserat fidem et corporis commiserat proprii potestatem. Igitur pro voluntate iudicioque regine cum eadem coronato in regem comite Ioppensi Guidone, Tripolitanus comes[78], qui quia consiliis fultus erat auxiliisque multorum et quia videbatur robore corporis et decore precellere principibus

---

a) se 2. b) Parasius 2. c) *deest* 1. d) Henrici regis Anglie filius 2. e) rex Philippus 2. f) amplecteretur dilectione 2. g) ibi 2. h) *deest* 2. i) Guido postmodum 2. k) de antiquo genere 2. l) armis 2. m) *deest* 1. n) accipere 2. o) fidei 1. 2. p) pervenisset 1. 2. q) primo 1. 2. r) christianum 1. s) nimis 2. t) adversitatis 2. u) interfecit 2. v) *deest* 2. w) Ioppinensis 2. x) eum quem *desunt* 2.

75) Thouars, départ. Deux-Sèvres, arrond. Bressuire. 76) Aliciam, non Mabiliam. 77) Anno 1211. 78) Raimundus.

aliis, quodque regina nullum esset ei prelatura sperabat, aspirabat ad regnum, cum hoc vidisset, invidit tantumque inde concepit dolorem et peperit iniquitatem, quod properans ad Saladinum potentissimum Egypti Sirieque soldanum et Orientis totius fere monarcham[a]; pepigit[b] cum eo traditionem Ierosolimitani regis et regni, et ut[c] super hoc alter alteri faceret[d] fidem, alter alterius bibendo sanguinem fedo federe sunt coniuncti. Ita die condicta, qua Saladinus terram promissionis invaderet, et ad resistendum ei regem Ierosolimitanum cum suis comes Tripolitanus offerret, fidelium acies occurrerunt infinitis Turcorum milibus, sed impares longe viris et viribus, et ab utraque sibi parte gravi prelio occurrerunt.

Albricus: De isto comite Tripolis multo aliter sentire videntur quam[e] plurimi, qui excusare eum volunt in multis et dicunt, quod in isto prelio non fecit antegardiam nec ante alios tulit vexillum, sed fecit retrogardiam, et quando vidit, quod nostri erant confecti et capti, tunc fugit in terram suam et castra sua munivit. Et ita[e] civitas Tripolis et fortia castra eius evaserunt.

Sequitur Guido: Elevato autem vexillo miles ille, cui illud gestandum commiserat populus christianus, prior impetu vehemente cum suis quasi Turcos aggressurus erumpit sed cum appropinquasset ad illos, reiecto vexillo sibi commisso, Turcis transfugium eius comperientibus et ob hoc aperientibus eis viam, in eorum interiora pertendit seque salutantium inter amplexus detecta facie proditos abscondit.

Quod factum christianos ita perterruit, tanta mox irruit in eos desperatio, quod versis in fugam eorum pro maiori parte cohortibus, rex ipse capitur, manu crux[f] hostili rapitur[g], et cesis equitibus aut in vincula coniectis vix de reliquis evadit aliquis. Quod armis vacuum fere reperiunt, Turcorum milia regnum operiunt, hostibus portas aperiunt metu perculsi[h] tam oppidani quam cives, tota Saladino terra subicitur, incolarum aliis aut in exilium pulsis, aut sub tributo remanentibus et conditione servili civitatibus maritimis[i] tribus exceptis videlicet Antiochia, Tripoli et Tyro. Ascalona quoque christianis remanserat, sed rex Guido[k] dedit eam pro redemptione sua, et ita dimissus est a Sarracenis.

Guido: O! quantus dolor et planctus Christi cultoribus quod iugo gentilium subiciuntur colla fidelium; tirannis Turcorum, virtus olim victoriosa Francorum[l]. Dicuntur enim Franci quicunque gentium ibi degentium christiani. O! Ierosolimitani regni destructio digna lamentabili Ieremie similia plangentis antiquitus alphabeto. Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius. Pelluntur extra cardines suos ordines clericorum, equorum stabula fiunt ecclesie, conculcantur sacre reliquie, deseviunt tela puncturis in[m] sacris imaginibus et picturis. In medio tot dolorum unicum christiane plebi remedium divinitus est concessum, quod illud honorandum omnimoda devotione sepulchrum, de quo morte victa vita surrexit, dextra protexit Omnipotens a spurcitiis et sacrilegiis perfidorum, custodiri faciens illud diligentia ingenti, principum[n] gentis illius edicto fidelibus Siris officium ibi divinum more permissis agere christiano.

Guil. Arm. 67. Ex hystoria regum Francorum: Fuerunt autem quidam ante istos septem annos astrologi, tam in Francia quam in Hyspania, qui audacissime prophetare presumerent, ventum vehementissime futurum in Septembri ibid. 68. huius anni ab aquilone venturum et omnia edificia deleturum cum immensa hominum clade et animalium. Quod ad litteram falsum fuit, mistice autem potuit intelligi de rumoribus istis persecutionis Saladini et de motu christianitatis. Eo enim tempore instante, quo ventus ille dicebatur futurus esse, Saladinus, ut premissum est, fere omnes christianos in orientali ecclesia delevit, crucem dominicam asportavit, civitatem sanctam Ierusalem infra octavas apostolorum Petri et Pauli cepit et omnes alias[o] civitates terre promissionis preter Tyrum, Tripolim et Antiochiam et pauca castra munitissima, que numquam habere potuerunt.

Albricus: Interea curia Romana venerat de Verona Ferrarias, que est civitas ad introitum Venetie super Adriaticum mare, et super littus maximi fluminis Padi. Ibi in festo sancti[o] Luce[p] 79) mortuus est papa Urbanus auditis predictis[q] rumoribus et tactus dolore cordis intrinsecus. Ibidem sanior pars cardinalium voluit domnum Henricum Albanensem, quondam Clarevallis abbatem, in papam eligere, sed qui[o] timens et precavens dissensionis

---

a) monarchum 1. 2. b) peperit 2. c) *deest* 2. d) facerent 2. e) *deest* 1. f) rux 2. g) manu — rapitur *desunt* 1. h) perpulsi 1. i) *deest* 2. k) Guido rex 2. l) Nota quod anno 1187. regnum Ierosolimitanum fuit ablatum a christianis per Saladinum soldanum 1 *man. saec. XV. in superiori marg. add.* m) et 1. n) principium 1. o) *deest* 2. p) Lucie 2. q) supradictis 2.

79) 18. Oct., sed die 20. Oct. Urbanum obiisse constat.

periculum prosiliit in medium, dicens se crucis Christi servum, ad predicandam crucem per gentes et regna preparatum. Electus est itaque in papam magister Albertus cancellarius et vocatus est Gregorius VIII, a quo dictus Henricus Albanensis per Franciam et Alemanniam constitutus est legatus.

Ex historia regis Philippi: Eodem anno, scilicet septimo Philippi Magnanimi — usque ad castrum Radulfi. Sed et Henricus — in omnibus submiserunt. Eodem anno Nonis Septembris — uxore sua castissima.

Guil. Arm. 68.

Et interim Treverensis archiepiscopus Folmarus fugiens a facie imperatoris Frederici Turonim[a] venit, ubi sub rege Francie[80] latuit et ubi postmodum obiit.

Henricus etiam de Castris[81] hac occasione a Virdunensi episcopatu se deposuit et Leodium venit[b], ubi post aliquot annos moriens, in ecclesia beati Lamberti sepultus fuit[82], et factus est Virdunensis episcopus Albertus de Hirgis[83], nepos ex sorore episcopi Arnulfi et comitis de Cisneio[84] Ludovici et Theoderici de Marleriis[85]. Fratrem quoque habuit hic episcopus Albertus, nomine Ludovicum, qui longo tempore fuit abbas Sancti Vitoni Virdunensis.

Anno 1188. Ex historia regum: Mense Ianuario in octava epiphanie celebratum est colloquium apud Gisortium inter Philippum Magnanimum et Henricum regem Anglie, in quo colloquio uterque eorum Domino inspirante crucem assumpsit, et fere omnes proceres et prelati ecclesiarum cruce signati sunt, et paulo post celebratum est concilium generale Parisius a Philippo Magnanimo, in quo infinita hominum multitudo cruce signata est.

ibid.

Gregorius vero papa tertio mense sue electionis portui Pisano applicuit, ubi et[c] obiit; et electus est in papam Prenestinus episcopus Paulus[d], qui dictus est Clemens III.

Henricus autem Albanensis, de quo premisimus, a papa Gregorio constitutus legatus, cum omnimoda[e] diligentia officium peragebat sibi iniunctum; et primo quidem secundum mandatum sibi datum instituit, ut a presenti anno in quinquennium per omnes sextas ferias esset fidelium[f] populus in cibo quadragesimali et ut quarta feria et sabbatho abstinerent a carnibus omnes illi qui essent incolumes. Dominus vero papa sibi et fratribus suis cardinalibus et famulis etiam secunda feria per eosdem annos usum carnium interdixit. Venit autem idem legatus cum archiepiscopo de Tyro[86], id est de Sur, apud Yvodium ad colloquium regis et imperatoris, qui imperator contra[g] Coloniensem archiepiscopum[87] habebat[h] discordiam, quibus apud Maguntiam mediante legato pacificatis, cruce signatus est imperator idem cum 68 magnis principibus. Inde Leodium venit legatus, ubi receptus est cum maxima[i] devotione et veneratione. Ubi cum plures symoniacos clericos invenisset, per episcopum Radulfum institutos, eundem episcopum cruce signavit, et 66 clericos, qui omnes in manu sua prebendas suas resignaverant, ita de una ecclesia in aliam commutavit per suam providentiam[k], ut et symoniam evaderent et prebendas non amitterent; id est, illos qui erant symoniaci in ecclesia sancti Martini posuit in ecclesia sancti Pauli in Insula, et illos de ecclesia sancti Pauli fecit venire ad ecclesiam sancti Martini, et sic de aliis ecclesiis.

Chron Clar. 1187.

De novo libello miraculorum fratris Cesarii: Cardinalis iste domnus[l] Henricus cum equitaret hoc anno[m] cum quibusdam monachis ordinis Cisterciensis, dixit in generali — sermonem commendavit. Erat autem vir iustus — quam exemplo multos edificans.

Caes. Heist. Dial. IV, 79.

Apud Trevirim Iohannes fit archiepiscopus[n].

Ex libello descriptionis Wallie: Apud Cantuariam in Anglia[o] post Richardum presidebat archiepiscopus Balduinus apostolice sedis legatus, qui ad predicandum crucem hoc anno Wallias intravit et ibi tria circiter hominum milia cruce signavit, sed ante ipsum nullus Cantuariensis archiepiscopus terram illam intraverat. Habet autem Wallia 200 milia[p] in longum, id est octo dietas, et 100 milia in latum. Occurrit ei rex Sudwallie Resus cum tribus filiis, Griphino, Mailone[q], qui cruce signatus est, et Kenewreic. Pater eiusdem vero[r] Resi, maior Griphinus, tempore Henrici primi Anglorum regis oravit ad Deum et oratione sua ranes[s] in lacu de Brechenanc cantare fecit miraculose. Pater huius Griphini antiquus Resus, cuius pater Theodorus, cuius pater Cadelh, cuius pater Eneas, cuius pater Oenus, cuius pater Hoelus, cuius pater Cadelh, cuius pater Rothericus magnus. Iste Rothericus tres habuit filios, videlicet predictum Cadelh qui fuit princeps Sudwallie, id est australis Wallie, hec est Demetia; Mervinum qui tenuit Norwalliam, id est borealem, hec est Venedotia; Anaraut qui tenuit Powisiam, id est mediam et orientalem. Tres insule adiacent Anglie eiusdem fere quantitatis, id est ab austro Vecta Wintoniensis dyocesis, a zephiro Monia que est in Wallia, a Circio Mannia que habet proprium regulum et episcopum. Monia vero sita est in ea parte que dicitur Norwallia, ita quod inter Moniam et montes ereos[a] est parva civitas que vocatur Bangoz. Montes autem erei alio nomine Senaudune appellati sunt. In eadem Norwallia est alia parva civitas[a*] Laneluensis, id est de Sancto Asaph, qui ibi fuit episcopus, cui subiacet Powisia, ubi est oppidum Solemberia. De montanis autem Elennith in Sudwallia oriuntur Waya et Sabrina, et multa alia flumina. Que Waya fluit per Herefordiam et per abbatiam de Tinterna usque ad castrum Strigulense, ubi fertur in mare. Osca vero oritur de montanis de[b] Canterbochan, fluit per Karlion, fertur in mare Sabrinum. Item in Sudwallia due sunt[c] civitates, Landanensis et Meneveiensis, id est ad Sanctum David, ubi archiepiscopatus est[d] de Karlion translatus. Hec omnia hic inserta sunt occasione legationis archiepiscopi Balduini, de qua legatione proprius apud Clarevallem libellus invenitur, continens illius terre[e] descriptionem, et in quibus gens illa laudanda sit seu vituperanda.

---

[a] Turonum 2. [b] *deest* 2. [c] et ibi 2. [d] Paulus Pren. ep. 2. [e] omni 2. [f] fidelis 2. [g] *deest* 2. [h] episcopum habuit 2. [i] magna 2. [k] industriam 2. [l] *deest* 2. [m] hoc anno *desunt* 2. [n] Apud — archiepiscopus *desunt* 1. [o] Gallia 1. 2. [p] *deest* 1. [q] Mailgone 2. [r] vero eiusdem 2. [s] aves 1. 2.

[80] Non Franciae, sed Angliae.

[81] Bliescastel a Zweibrücken ad occidentem.

[82] His cum rebus conveniunt ea, quae Chapeavillius II, 131 ex cod. Aur. communicavit: *Henricus de Castris Virdunensis episcopus, resignato episcopatu, excepto quod auctoritate apostolica episcopalia sacramenta, ordinationes et benedictiones scilicet, retineret, Leodium venit ibique post aliquot annos in bona senectute vitam finirit, sepultusque est ante altare sancti Stephani in ecclesia sancti Lamberti, ubi prius canonicus fuerat.*

[83] Hierges, départ Ardennes, arrond. Rocroi.

[84] Chiny.

[85] Marlière.

[86] Guillelmo.

[87] Philippum.

Guil. Arm. 68. Richardus autem comes Pictavie contra pactiones — cepit nobile Castrum Rodulphi, Buzanzacum et Argentonem et Leurosium, quod in Vita sancti Martini vocatur Leprosium vel Leprosus. Dum autem ibi esset — divino miraculo superabundavit aquis.

Febr. 2. Anno 1189. Eclipsis lune fuit universalis 4. Nonas Februarii, feria 5, hora noctis 4, et duravit per 3 horas.

ibid. 69. Ex hystoria regis: Philippus Magnanimus congregato exercitu apud Nonentum — vi cepit. Urbe ergo Turonica capta — obiit Henricus rex Anglie in castro Kinonis. Fuerunt quidam qui dicerent ipsum regem Henricum ex impatientia atque tedio mortem sibi accelerasse.

Unde Guido super premissis: Philippus Francorum rex vigore regie maiestatis ac[f] magnanimitatis, instructo contra christiani nominis adversarios apparatu, cum esset egredi iam paratus, differre propositum suum et referre coactus est in eius, quo[g] fuerat lacescente retractus, Henrici regis Anglie detrimentum. Nam inter eos invidia serpentis antiqui resuscitante discordiam, quam idem Henricus adversus illius exercuerat patrem, ut eos terre promissionis auxilium ferre non sineret, cum aliquandiu decertassent, tandem Francorum rex[h] causa meliore fultus et exercitu fortiore, regem Anglorum de civitate in civitatem, de castro in castrum fugere conpulit, quousque resistendi defectus iniecit eum in pudorem, pudor in dolorem, dolor in languorem, de quo resurgere non adiecit.

Helin. 1187. Elinandus: Obiit rex Henricus apud castrum Kinonis[88] versus Cenomannum pridie Nonas Iulii et sepultus est in abbatia Fontis Ebraldi[89]; uxor quoque eius regina Alienordis diu postea[90] vixit et tandem in eadem abbatia nobili monialium Fontis Ebraldi similiter sepulta fuit. Filius eius Richardus rex coronatus est 3. Nonas Septembris.

Sept. 3. Guido[i]: Richardus filius regis Anglie Henrici Pictavensis comes, Anglie regnum et odium suscepit hereditarium adversus Philippum regem Francorum, sed sub signaculo crucis, quod assumpserat, et fidelitatis, quam regi Philippo fecerat, et federe societatis, quod cum eo pepigerat, occultatum.

Guil. Arm. 69. Ex hystoria regis[k]: Mortuo itaque rege Henrico, et facto rege Richardo firmata est pax — retinere rex Philippus. Eodem anno obiit Elizabeth regina — redditu 15 libras Parisiensium. Ad pedes quoque predicte regine iacet primogenita filia sua titulo istiusmodi suprascripto:

Regis eram proles et gaudia prima parentum,
Cum mihi lux vite prima suprema fuit.

Genuerat sepedictus rex Anglie Henricus nuper defunctus de regina Alienorde filios quatuor, regem Henricum iuniorem, Richardum regem, Gaufridum comitem sive ducem Britannie[l] et Iohannem Sineterra. Ex hiis Henricus et Gaufridus vivente patre decesserunt; et cum istis quatuor filiis tres filias habuit, Mathildem matrem comitis Pictavorum Ottonis, qui fuit imperator, Alienordem reginam Castelle et Toleti, quam habuit rex parvus de Hispania, nomine Alfunsus, de qua quinque filie nate fuerunt, et Iohannam quam habuit rex Sicilie Guilemus.

Nov. 11. Isto rege Guillelmo hoc eodem anno circa festum sancti Martini[90*] mortuo sine liberis[m] duxit eandem Iohannam comes Tholosanus, nomine Reymundus hereticus, de qua genuit iuniorem comitem Reymundum.

---

[a] erei 1. 2. [a*] civitas parva 2. [b] et 1. [c] sunt due 2. [d] *deest* 1. [e] *deest* 2. [f] maiestatis ac *desunt* 1. [g] qui 1. 2. [h] *deest* 2. [i] Guido 2 *eadem manu in marg. scr.* [k] regum 2. [l] sive — Britannie *desunt* 2. [m] sine liberis *desunt* 2.

[88] Chinon, départ. Indre-et-Loire. [89] Fontevraud, départ. Maine-et-Loire, arrond. Saumur. [90] usque ad annum 1204. [90*] Guillelmus die 18. Novembris obiit.

Chron. Clar. 1189.

Apud Attrebatum Kalendis Ianuarii moritur vir venerabilis Henricus Albanensis episcopus et cardinalis apostoliceque sedis legatus, qui multa necessaria in ecclesiis fieri instituit. Cuius corpus Clarevallem cum gloria relatum, tumulatum est in medio duorum sanctorum retro maius altare, inter sanctum videlicet Malachiam et sanctum Bernardum.

Aegid. Aur. III, 56

24. Iunii.

Anno 1190. Romanorum imperator Fredericus Magnus, ut supra posuimus cruce signatus, movit iter suum in festo sancti Iohannis[91] anni precedentis et cum multo apparatu transivit Hungariam, Bulgariam[a] et Trachiam atque Constantinopolim, et ita Turcos reprimens, qui Greciam infestabant et Armeniam, regem unum coronavit in Armenia, nomine Gedeonem. Exinde accelerando iter, sicut[b] placuit Altissimo, submersus est in aqua mense Augusto[92], dominica die[c], non longe ab Antiochia, ubi casu miserabili moritur et mirabili.

Guido: Cum de christianorum malis orientalium occidentalium animos fama turbasset, prior expeditionis in Turcos imperator iter accelerans, per Trachias imperiumque Grecorum trans Hellespontum traicit innumerabiles copias armatorum vexilla ferentium crucis, sed superatis locorum difficultatibus multis insidiisque Turcorum, cum iam Antiochie propinquasset ad fines, prout iustus iudex[d] iuste permisit, vitam amisit equo lapsus sive sponte descendens[e] in flumine. O in flumine lumen extinctum! Certe quod inimicos christiane fidei[f] contrivisset, nisi mors eum preripiens tantum terre promissionis amisse[g] solatium invidisset. Filius vero eiusdem imperatoris Fredericus dux Suavie cum paucis ante Acram venit, ubi barones Campanie, qui iam per mare venerant, invenit.

Mortuo ergo imperatore Frederico, archiepiscopus Conradus, Sabinensis[h] episcopus et Salzeburg minister, Maguntiam revertitur, et in sede sua post Marcualdum Christiani successorem cum honore restituitur, quod nunquam vivente imperatore fieri potuisset[93], et in Salzeburg institutus est archiepiscopus Albertus.

Maior autem imperatoris filius imperator Henricus bellis erat occupatus in Apulia, Sicilia, Calabria, contra Tancredum in regem de novo elevatum, cum ipse imperator regnum illud ex parte uxoris sue Constantie iure hereditario vellet sibi[i] vindicare. Erat autem ipsa Constantia amita regis Guilelmi nuper defuncti, filia regis Rogerii, nata de Beatrice filia[k] comitis Guitheri Reytestensis[94], qui fuit castellanus Vitriaci[94*].

Primus itaque imperatoris Frederici filius fuit imperator Henricus; alii duo Fredericus et Conradus duces Suevie, qui decesserunt sine herede. Quartus dictus est Otto comes Alemannus de Burgundia, qui de comitissa Blesensi Margareta genuit filiam unicam Beatricem, quam habuit Otto dux Meranie et per eam factus est comes Burgundie. Quintus imperatoris filius nomine Philippus post alios fuit dux Suevie[k] et rex Alemannie. Habuerunt isti etiam[l] sororem unam, que puella decessit. Horum omnium mater regina Beatrix unica fuit filia[m] comitis Renaldi de Burgundia, qui comes Renaldus fratrem habuit comitem Guilelmum, quem demones vivum asportaverunt in equo nigro quadam die pentecostes dum ad mensam sederet, nec postea visus est in terris. Qui de Aleyde comitissa, que fuit unica heres de Treva[95], relicta Theobaldi de Rogemont[96], duos genuit comites, Stephanum de Ultrasagonam[96*] et Gerardum Viennensem. De Stephano comite natus est alter Stephanus, pater Iohannis Cabilonensis[97]. Comes autem Gerardus duxit filiam[97*] Galteri de Salins[98], de qua genuit comitem Guilelmum Matisconensem[99] sive Viennensem et Galterum de Salins et quemdam Gerardum et Stephanum Bisuntinensem electum et sorores eorum, de quarum una[99*] natus est comes Thomas de Sabaudia.

Guido de quarta expeditione: Inter hec igitur multi Francorum proceres[k] morarum pertesi, quia iam plus quam per annum baiuli crucis extiterant et propter hoc ab armorum usu diu destiterant, cum multis aliis Germanis, Anglis, Burgundionibus, Italis, scilicet Ianuensibus et Pisanis, sed et de cunctis christiani partibus orbis innumerabiles, prout necessarium erat[n] instructi, properant succurrere paucis in Syria, videlicet Antiochia, Tripoli, Tyro degentibus et indigentibus auxilio christianis. Qui prospero flatu ventorum,

---

a) *deest* 1. b) suum 1. c) die dominica 2. d) *deest* 2. e) sive — descendens *desunt* 2. f) christiani nominis 2. g) amisisse 1. h) Sambiensis 1. i) sibi vellet 2. k) *deest* 1. l) etiam isti 2. m) fuit filia unica 2. n) fuit 2.

91) Iam 11. die Maii Fridericum iter movisse constat. 92) Potius 10. die Iunii. 93) Conradus vivente adhuc imperatore Christiano successit, Marcualdus inter archiepiscopos Moguntinos non recensetur. 94) Réthel. 94*) Vitry-le-brûlé, départ. Marne, arrond. Vitry-le-Français. 95) Trevoux, départ. Aine. 96) Rougemont, départ. Doubs, arrond. Baume-les-Dames. 96*) Auxonne. 97) Châlon-sur-Saône. 97*) Guigona, quae etiam Mauretia dicta est. 98) Salins, départ. Jura, arrond. Poligny. 99) Mâcon. 99*) Non de Beatrice Viennensi, tertia Humberti III. uxore, sed de Gertrude Flandrensi comes Thomas natus est.

imo prosperante cursum eorum sacro flamine transfretantes, cum optinuissent[a] littus optatum, primo Ptolemaidam que nunc Acon et in ea Turcorum electissimos obsidione concludunt. Erant in exercitu christianorum eminentiores: Bisuntinus Theodericus et Pysanus[1] archiepiscopi, Philippus episcopus Belvacensis et Robertus frater eius comes[b] Dorcassinus[2] id est de Drowes, Erardus comes Brienensis[c][3] et Andreas frater eius titulis militie nulli[d] secundus, comes Cabilonensis Guilelmus, Iacobus de Avennis[4] vir illustrissimus, Gaufridus de Iovevilla[5] cognomento Vaslettus, Guido de Domno Petro[6], vir in secularibus astutissimus, Ansericus de Monteregali[7] cognatus illius, Manasses de Garlande[8] qui fuit de matre domni de Catenay[e][9], frater autem veteris Anselmi de Possessa[10], Guido de Castellione[11] cum fratre Galtero[f], et plures alii quos enumerare longum est. Erat etiam cum eis iam liber a captione Guido rex Ierosolimorum et Gaufridus de Lisegnon[12] frater eius, quem ferebant[g] gestis militie ceteris preferendum. Marchio quoque Conradus de Monteferrato, qui nuper Tyrum liberaverat[h] ab obsidione Turcorum. Hos autem parvo post tempore palatinus Campanie comes Henricus iunior, memorati superius[13] celebrique laude memorandi semper Henrici filius, postquam castrum de Brois[14] deiecit; comites quoque Theobaldus Carnotensis et Sanctodorensis[i][15] Stephanus frater ipsius et de Claromonte[16] Rodulfus frater abbatis Cluniacensis[17] et multi Francorum nobiles[k] subsequuntur; cum quibus et pusillitas mea, pusillanimitate procul abiecta peregrinationis huius onus assumpsit; quod iter sicut videre datum est, placuit et referre. Nos igitur florenti Francie vale dicto, Burgundiam ingressi, post Rhodani superbiam precipitis, impetum Ysare litigiosi, Druentie minas, post aspera denique iuga Burgundie[l], post saxose claustra Provincie, tandem attingimus[m] urbem Massiliam, et in ea portum navigiis oportunum sub amplexu rupium, violentiam excludente ventorum, dictam Massiliam tamquam super mare sitam vel maris situlam, quam Greci Focenses, id est de civitate que Phocis dicitur advenientes, quondam extruxisse leguntur. Apud Massiliam igitur constitutos multis detinuit nos diebus armorum, escarum et navium necessarius apparatus, spectantes ab alto rupium faciem maris incertam et lubricum eius statum et auram velis accommodam expectantes. Tandem favente[n] mari navigiis, cum pepigissent federa venti cum pelago, vix sumus egressi portus angustias scopulosi, blande tamen ventorum flatibus fluctibus statim inflatis et lene tumentibus velis nobis se rugosa facies maris aperuit, et apparuit vitrea[o] latitudo. Surgente tertia iam[p] aurora, insularum prima videnda se nobis optulit a sinistro latere Corsica multis et variis anfractibus et preminentiis[q] angulosa. Proxima quoque die Sardiniam que vicina est illi, propinquiorem habuimus, similiter a sinistris, quam Sardus filius Herculis primus fertur habitator intrasse suoque de nomine Sardiniam appellasse. Invenimus et venimus inde Siciliam, quam a continenti Calabrico propter difficultatem angusti transitus, coherentibus utrinque scopulis, torrentis et procellosi pelagi separat impetus violentus. Insulam hanc plenam discordiarum et magne commotionis offendimus, quia iam a primo tertius in ea rex Guilelmus regnum in se divisum desolatumque reliquerat ab ea morte divisus. Pars enim in eodem regno degentium Henrico Romanorum imperatori, quia predicti regis amitam habebat uxorem, iuramento, prout fertur, astricta consentit, pars altera Tancredum quemdam de sublimibus regni constituit sibi regem.

Albricus: Tancredus iste et rex Guilelmus, nuper mortuus, erant de duobus fratribus, filiis videlicet regis Rogerii, et dicitur a quibusdam, quod pater[19] Tancredi fuit maior natu, sed quia contra voluntatem regis Rogerii patris sui duxerat in uxorem ancillam palatii, idcirco abalienavit eum a corona regni.

---

a) optinuisset 1. b) *deest* 2. c) Briennensis 2. d) *deest* 1. e) Cachenay 1 *secundum Turles;* Chacenay 2. f) Galchero 2. g) ferebat 1. h) liberavit 2. i) Scondorensis 1. 2. k) *deest* 2. l) Burgundie iuga 2. m) attigimus 2. n) fervente 1. 2. o) interia 1. p) iam tertia 2. q) prominentiis 2.

1) Ubaldus. 2) Dreux, départ. Eure-et-Loire. 3) Brienne, départ. Aube, arrond. Bar-sur-Aube. 4) Avesnes, départ. Nord. 5) Joinville, départ Haute-Marne, arrond. Vassy. 6) Dampierre-Saint-Diziers, départ. Haute-Marne, arrond. Vassy. 7) Montréal, départ. Yonne, arrond. Avallon. 8) Garlande, départ. Seine-et-Marne, arrond. Melun. 9) Chassenay, départ. Aube, arrond. Bar-sur-Aube. 10) Possesse, départ. Haute-Marne, arrond. Vitry-le-Français. 11) Châtillon-sur-Marne. 12) Lusignan, départ. Vienne, arrond. Poitiers. 13) Anno 1181. 14) Broyes, départ. Marne, arrond. Epernay. 15) Chartres et Sancerre. 16) Clermont, départ. Oise. 17) Hugonis IV. 18) 1189. die 16. Novembris. 19) Rogerius.

Sequitur Guido: Sed et pagani regionis illius, antea subditi christianis, servilia contra christianos arma commoverant. Quibus ex causis totam occupaverat discordia socialis et intestina dissensio regionem. Tandem 35. die, postquam reliquimus portum Massilie, Syrie desiderate [a] promontoria nostris e longinquo visibus occurrunt. Qua parte possedere maritimam olim pentapolim Philistei, Gazam videlicet et Geth, Azotum et Aceron [b] et Ascalonem. 1190.

Albricus: Ista Accaron [b] non fuit nec intelligi debet, quod sit Acra, imo ad tres fere dietas remota fuit ab illa, et est una de quinque civitatibus Philistinorum.

Sequitur Guido: O! quantis [c] et quibus inplorata precibus, adquisita fletibus, empta suspiriis, expectata desideriis, laudibus exaltata dies illa nobis illuxit, que pre gaudio flentibus nobis ostendit terram lacte et melle manantem, terram celestem et celicolis habitatam [d], terram sanctam et sanctis promissam, nostre fontem regenerationis et locum redemptionis, matrem sanctorum patrum et patriam Salvatoris! Applicantibus igitur nobis apud famosam illam Sirie civitatem Aconem antiquitus dictam, postea Ptolomaidem, iterum nunc Aconem, possessam ab hostibus, sed a nostratibus [e] iam [f] obsessam, tam armis quam armatis navibus [g] coronatis, liberatis e suarum clausulis capsularum rutilabat fulgor in galeis, fulmen in ensibus, ardor in clipeis, reverberantium undas ludebat in gremio maris splendor armorum et in sericis lasciviebat aura vexillis. Quam blanda nobis, quam terribilis hostibus apparet exercitus christiani bellipotens acies, facies nostrorum ordinata [h] castrorum ad instar non unius de magnis, sed de maioribus urbium trium! Non tamen erat eis inventus ad votum bellandi cum Turcis primus et secundus eventus, sed forte bis eis ictus adversitatis, inflictus eorum tam arduo proposito, perseverantie titulum abstulisset, nisi principio flebili fortune prosecutio melioris triumphale solatium attulisset. Nam cum obsidere Ptolomaidem incepissent, Salahadinum cum exercitu gravi supervenientem, ut suis subveniret obsessis, aggressi satis audacter, comperto quod de civitate fecissent impetum et iam sua dissiparent castra resque diriperent, solliciti quisque de proprio, indecenti fuga de prelio, multis suorum amissis, ad tentoria sunt regressi, nec multo post assumpti sed in cassum consumti laboris affecta tedio nostrorum plebs [i] a nobilitate [k] dissentit [l], causata negligentiam [m] principum causam existere more longioris et inefficacis in obsidione. Propter quod contra principale consilium et edictum unanimiter impetu facto, temeritate [n] cum insolentia ducentibus eos, non principibus nostris aut ducibus, cum prorupissent in hostes, eorum castra referta quidem dapibus et opibus infinitis plena defendendis sed vacua defendentibus offenderunt, super quo plurimum ammirati, sed rati metu fugisse, qui dolo fugerant ut fugarent, diripiendis eorum castris insistunt, properant [o] evacuare scyphos et patinas, ut ventres impleant, armis exonerare manus, ut tollendis sarcinis colla subiciant et male securas, quia non procul a securi, cervices. Sed ecce luctus occupat extrema gaudii! Nostri quippe dum se distendunt epulis, involvunt poculis, volvunt patinas, revolvunt sarcinas, revolant Turci miserosque sine consilio repertos et auxilio militari — nam universi pedites erant — invadunt, prosternunt, proterunt perimuntque, persequendo fugientes et gladiis, donec vetuerunt castra, cedentes [20]. Quod audientes principes exercitus nostri, quamvis essent adversus eos indignatione iusta commoti, quia prohibitione sua contemta tante temeritatis opus attemptare presumpserant, super tanto tamen gentis sue detrimento conpassi, non sunt ulterius passi [p] eos fugere vel fugari, sed electe virtutem militie producentes, occurrunt perimentibus pereuntibusque succurrunt. Erat autem civitas munita copioso nimis armorum et victualium apparatu, maris adiacentia, firmitate murorum, turrium celsitudine, viribus etiam numeroque virorum. De quibus ferebatur a nostris, ab ipsis quoque paganis, quod Salahadinus princeps eorum, — princeps quidem, nisi foret extra fidelium gregem, egregius, — quamvis crebris revocaretur et urgentibus causis, tamen irrefragabiliter obsidentes, qui erant interius, exterius cum infinitis milibus obsidebat [q], non solum ut solatium ferret obsessis sed quia tantos ac tales viros in tanto ac tali periculo deserere non audebat. Hoc etiam asserebatur a multis, quod cum essent animis et nobilitate preclari, si favente Christo nostris eos viribus contingeret expugnari, totam terram que a mediterraneo mari inter Eufratem porrigitur et Egyptum

---

a) desiderata 2. b) Acoron 2. c) quanta 2. d) habitandam 2. e) nostratis 2. f) *deest* 1. g) manibus 1. 2. h) ordinata nostrorum 2. i) spes 1. 2. k) nobili 1. l) dissensit 2. m) negligentia 1. 2. n) temeritatem 1. 2. o) properat 1. 2. p) *deest* 2. q) obfidebant 1.

[20] 1190. die 25. Iulii.

1190. de facili subici nobis, nec posse de cetero paganos ceteros impetum nostre sustinere virtutis. Sic erat dispositus noster exercitus: ab exteriore parte vallo precingente munitus, circa quem lata planicies et assiduis dedicata conflictibus, extra quam secus radices montium, qui terram promissionis a partibus Tyri dividunt et Sidonis, in gyrum longe lateque castra diffuderant innumerabilia milia[a] paganorum, et erant sub montibus illis; quotiens interiores hostes aggrediebantur, vallum nostrum exteriores invadebant. Quotiens ad istos foris egrediebamur[b] oppugnandos, illi de intus nos expugnabant[c]. Nos pugnabamus lanceis et gladiis eos fugando, illi fugiendo pugnabant missilibus et sagittis. Incepti negotii sic incertus erat eventus. Regis Francie diu desideratus expectabatur adventus. Defuncti filius imperatoris Frederici respectu suorum qui laborum pertesi domos redierant seu perierant in bellis vel infirmitate inbelles, vix cum paucis ad nos evaserat comitatus. Paulo post timor hostium tam de foris nos obsidentium, quam a nobis de intus[d] obsessorum, cum duabus ex se genitis filiabus, fame videlicet et pestilentia, graviter nimis exercitum quasi flagello triplici cepit affligere christianos: nam pre timore quia victualium ad nos, nobis ad victualia rarus aut nullus erat accessus, nec aliquis alicui patebat e castris absque periculo mortis egressus, hinc fames urgebat populum, hinc ex corruptione se conprimentium pestilentia consurgebat talis et[e] tanta, quod per eam duabus exercitus nostri partibus vel decumbentibus vel occumbentibus tertia vix remansit. Huc usque Guido.

Guil. Arm. 69. Ex hystoria regis[f]: In festo sancti Iohannis baptiste huius anni arripuit Philippus rex iter eundi in partes transmarinas in obsequium sancte crucis, cura regni commissa Adele matri sue et Guilelmo Remorum archipresuli avunculo suo et venit Ianuam civitatem Italie, ubi intravit mare, testamento ipsius condito prius et omnibus rite peractis.

ibid. 70. Tempore eodem Richardus — ubi[g] mare intravit. Eodem tempore de mandato — decentissime aptatis.

Episcopus Cathalaunensis Guido moritur, et electus est[h] in episcopum Rotrocus de Pertico[21], regis Francorum consobrinus.

Anno dominice incarnationis 1191. Henricus sextus[i], filius imperatoris Frederici defuncti, imperavit Romanis annis 7.

ibid. Ex hystoria regum: Venerat uterque rex Philippus videlicet et Richardus navigio cum exercitu suo Messanam Sicilie civitatem, et rege Philippo mediante reformata est pax inter regem Sicilie Tancredum et Richardum regem Anglie super dotalitio sororis[21*] ipsius regis Anglie, que fuerat uxor regis Sicilie Guilelmi nuper defuncti.

Ibidem distribuit rex Philippus plurima donaria proceribus et militibus suis propter rerum suarum iacturam, quam in mari orta tempestate passi fuerant.

Revolutis igitur paucis diebus, rex Anglie submonitus a rege Philippo, utrum sororem suam Alaydem, sicut tenebatur iuramento astrictus, desponsaret et ut in medio Martii ad transfretandum paratus esset, neutrum facere volebat, sed iter suum differre proponebat usque in sequentem Augustum. Philippus autem rex — venit Acram, ubi applicuit in vigilia pasche, rex autem Richardus postea navigans venit Cyprum.

Guido super hunc locum: Duo reges, Francorum Philippus, Richardus rex Anglorum, ut videbatur armis et animis properantes et imperantes silvescere classibus equor[k], a Gallico vel Ligustico littore copias armatorum transferunt in Siciliam ibique circumtonantis inter inminentem hyemem et mare litigii minas, arridente[k*] sibi tempore poli soli fecunditate, derident, sed ubi veris egressum navibus ingressus attulit, et transitus se liber obtulit ab indignatione maris et contradictione ventorum, memorati reges vela versus orientis faciem erigunt et iter dirigunt per pelagus iteratum. Quorum Francorum rex preterfretans Tiriam urbem et Syriam, exercitui christiano quasi sedentibus in tenebris emissus repente radius solari de sydere desideratus advenit et invenit eum adhuc in obsidione Ptolomaidis inter adversorum durissima perdurantem. Applicantibus itaque rege cum suis ad littus — nam portum, quia muro civitatis erat inclusus, obtinere non erat licitum — factus est pre dolore metus ingens atque silentium Turcorum eos ex alto menium et fenestris circumspectantium, sed exspectantium excepti piis amplexibus valde letati sunt ad invicem et suos inter cognatos et notos quisque metati. Anglorum vero rex invectus Cypro cum instructissima classe, tyrannum insule domni sui Constantinopoleos imperatoris invaso iure periurum, quia Saladino federatum audierat et inferentem nocumenta gravia christianis, acie superatum perditioni tradit et sue subdit insulam ditioni.

Ex hystoria regum: Richardus igitur Cyprum cum rege suo, qui se imperatorem vocabat, optinuit et filiam ipsius imperatoris et universos eius thesauros asportavit[l].

---

[a] *deest* 2. [b] egrediebantur 2. [c] impugnabant 2. [d] de nobis intus 2. [e] ac 2. [f] regum 2. [g] ibi 2. [h] *deest* 1. [i] *deest* 2. [k] equori 2. [k*] arridentes 1. 2. [l] et thesauros eius asportavit 2.

[21] Le Perche. [21*] Iohannae.

Sequitur Guido: Interim Francorum rex, instructis ad deicienda menia pluribus instrumentis et eorum crebra iaculatione concussis urbis obsesse propugnaculis evisceratisque[a] murorum arte fossoria fundamentis, ut converteret aut everteret eam, summo opere nitebatur. Iam[b] deditionem tremefacta civitas offerebat, sed differebat eam recipere rex Francorum, ne velle videretur totum vendicare tante sibi victorie decus et eius titulo defraudare regem Anglorum, cui vinculo societatis erat astrictus. Unde cum per legatos invitasset eum, ut ad eventum huius rei pro tante laudis materia maturaret adventum, ille cum multis et magnis copiis sulcaret equora, cursu velivolo viam, obviam sibi navim Alexandrinam, obsessis in Ptolomaide Turcis opes, escas, arma[c], bellatores et alia multa subsidia deferentem, comperto quod esset hostium, consertoque prelio cum eis, expugnatam capit, et rapit[d] inestimabiles gazas omnibus cesis hostibus aut submersis. Hinc ovans gemino terra marique triumpho, Syrie littus glorianter adeptus est et exultanter exceptus a rege Francorum et exercitu christiano. 1191.

Unde in hystoria regis[e]: Tandem Richardus venit Acram, et invenit muros civitatis iam fractos et viriliter a Philippo rege et Francis expugnatos. Guil. Arm. 70.

Cum rege Richardo fuit unus rex de Hibernia, unus de Wallia et cum eis comes Hollandie[f] Florentius, qui ibi obiit. Cum archiepiscopo Thessalonice fuit unus regulus de Grecia Laufaius[g]. Per omnia fuerunt 11 reges et 54 comites et episcopi cum archiepiscopis 28. Item totus exercitus estimatus est ad 300000 hominum, soli milites 30000; vix reversi sunt[c] 6000.

Est autem apud Acram cymeterium quoddam, quod dicitur sancti Nicholai, in quo sepeliuntur absque numero homines et mulieres parvi et magni et post novem dies nihil nisi terra et pulvis invenitur.

Hiisdem diebus fuit eclipsis solis universalis in vigilia sancti Iohannis baptiste dominica die, septimo gradu cancri, luna existente in sexto gradu eiusdem signi et cauda draconis in duodecimo, circa meridiem, et duravit per quatuor horas antequam civitas Acra caperetur. Iul. 24.

Sequitur narratio Guidonis: Tunc quia Salahadinus, quanto sui qui erant in civitate fortius artabantur a nostris, tanto nostra circumstabat castra propinquius et vehementius, et ut nos provocaret ad bellum et ab assultu revocaret instabat. Nostri reges obsidionis onus inter se partiti sunt, et Anglorum rex ab impetu gentis dire vallum custodire, Francorum autem[h] urbem expugnare sortiti. Videntes autem Turci, qui de intus, suos, qui de foris erant, liberationi sue non posse sufficere, proficere christianos seque deficere, certi quod cum[i] civitate sua perirent, nisi portas victoribus aperirent, civitatem seque cum suis[k] victualibus, armis et opibus christianis submittunt regibus, deditione supplici, sed duplici conditione. Pro sua scilicet redemptione reddendum[k*] dominice crucis lignum cum milium aureis ducentorum, aut hoc si non possent cedendos gladiis se esse nossent.

In hystoria regis: Interim virtus Francorum indefessa civitatem Acram cepit 4. Idus Iulii, illis qui ibidem erant Saracenis vita sola tantum concessa — eo amplius. Iul. 12.

Guido: Reddita itaque civitate vexilla regia[l] diriguntur in eam et super principalis eminentie fastigium eriguntur in christiane fidei gaudium et honorem, Turcorum vero dedecus et dolorem. Unde Salahadinus hoc videre non sustinens sua versus illico fugam arripit[m] et eius exercitus universus. Domine Deus! tam saluti quam honori christiane gentis et fidei[n] quam utile fuisset et decens, si nostri, dum victoria recens et eorum gladii Turcorum cede calentes, fugientes exanimes pre timore fuissent unanimes persecuti! profecto non tantum abegissent eos a finibus suis, sed eorum sibi provincias pro parte maxima subegissent, maiora votis et plus quam speraverant assecuti; sed invidus insopiti draconis oculus[o] et in nocumenta populi christiani perpetuo vigilantis attendens, quod, dum reges nostri vinculo pacis essent[k] adstricti, christiani paganis insistere non cessarent nec possent pagani resistere christianis, spiritum inter reges dissensionis immisit et ire, nec permisit ad finem debitum leta principia pervenire. Regum siquidem indignatus alter adversus alterum, quod unus imperaret, alius non pareret, ille superiorem, iste nollet habere parem, iura federate societatis abiurant.

Ex hystoria regis: Interea Richardus rex Anglie frequenter mittebat nuncios ad Salahadinum et mutua dona recipiebat ab eo, et ideo Philippus rex eundem Richardum regem[p] suspectum habebat. Preterea idem Philippus rex morbo gravissimo detinebatur. Nam ut quidam dicunt venenum incaute a proditoribus porrectum hauserat, unde et

a) eius ceratisque 1; evisseratisque 2. b) Namque 1. c) *deest* 2. d) capit 2. e) regum 2. f) de Hollandia 2. g) Lanfagius 2. h) rex 2. i) *deest* 1. 2. k) *deest* 2. k*) reddendi 1. 2. l) regis 2. m) arripuit 2. n) et fidei *desunt* 2. o) oculis 1. p) regem Richardum 2.

1191. tanta infirmitate gravatus est, quod et ungues manuum et pedum, capillos et fere omnem cutis superficiem amisit. Unde de consilio suorum fidelium commissa captivorum cura et totius rei summa duci Burgundie Hugoni et aliis, quos ad hoc sufficere presumebat, quingentis militibus[a] et[b] sufficienti sumptu trium annorum de fisco eis ministrato ad defensionem terre sancte dimissis repatriare disponens Romam venit.

Eodem anno mense Augusto egrotavit — integerrime sanitati.

Aegid. Aur. III, 56. Episcopus Radulfus Leodiensis[c] a sancta terra revertitur et antequam fines episcopatus sui[d] attingeret, in terra sua infirmitate gravi diem clausit extremum, sepultus in quadam ecclesia proprietatis sue; sed et Petrus episcopus Tullensis et quidam alii in eodem itinere mortui fuerunt.

Guil. Arm. 70. 71. Et in autumpno — non provocaret. Mense Novembris vigesima die mensis[c] — per duas horas.

Mortuus fuit ante Acram Balduinus archiepiscopus Cantuariensis et plures alii episcopi et archiepiscopi.

Chron. Clar. 1191. Mortuus fuit ibi Philippus nobilis comes Flandrie, cuius ossa apud Clarevallem relata sunt.

Nobilis etiam dux Burgundie Hugo ex parte regis ibi dimissus, non multo post mortuus est[c] et apud Templarios sepultus.

Item mortui sunt ibidem alii quidam viri magni nominis, comes de Barro Ducis Hen-
Guil. Arm. 70. ricus et Francorum dapifer comes Blesensis Theobaldus, comes Clarimontis Radulfus, comes Perticensis Rotroldus, comes Albemarne[22] Gaufridus, et alius Gaufridus de Augo[23], comes Losensis[24] Gerardus et Ludovicus comes de Cineio[25], Radulfus de Marla[26], Bartholomeus de Wangionis Rivo[27] cum Guidone filio suo, Erardus de Cacenaio[28] et plures alii.

Mortua fuit etiam in Acra Sibilia regis Guidonis uxor cum duabus filiabus. Habebat autem dicta regina sororem, que erat non longe ab Acra, Isabella nomine, uxor Ymfridi Tolosensis, qui cum esset minus potens et minus habilis[e] ad regnum regendum quod ad eius devenerat uxorem, ipsam tulerunt ab eo, quam dederunt marchioni Montisferrati Conrado. Hic antequam nostri peregrini[f] advenissent, civitatem Tyrum ingressus, eam ab impetu Salahadini nobiliter defendit. Habuit etiam iste Conradus fratrem, nomine Guilelmum, qui ante regem Guidonem fuit comes Ioppensis, et aliquanto tempore tenuit regnum.

Aegid. Aur. III, 57. Apud Leodium electus est in episcopum Albertus archidyaconus[g], frater Henrici ducis Lovaniensis, contra quem comes Balduinus[h] cum suis nominavit Albertum prepositum, consobrinum suum, fratrem comitis Manasseri Reytestensis.
III, 59. Sed Albertus prepositus cum esset illitteratus, cessit Alberto Lovaniensi; et veneruntque ambo ad Henricum imperatorem. Imperator noluit Lovaniensi regalia dare, dicens quod electio devenisset ad manum ipsius ex quo habuerant in electione discordiam. Et cum esset ibi comes Theodericus de Hoestadem[i] coram imperatore, rogavit eum pro preposito Bonnensi Lothario fratre suo. Cui statim imperator annuit et donum concessit mediante pecunia trium milium[k] marcarum.

Interea Coloniensis archiepiscopus Philippus[k] mortuus fuit[l] in Apulia, et electus est in archiepiscopum frater Frederici II. archiepiscopi et comitis Engelberti de Monte Veteri[29], Bruno, qui erat consanguineus Alberti Lovaniensis, a quo tanquam a metropolitano con-
III, 60. firmationem suam idem Albertus contra votum imperatoris optinuit. Lotharius vero Leodium
III, 59. venit et se intronizari fecit et ea que spectabant ad regalia continuo saisivit. Albertus vero timore imperatoris, facta appellatione, cum suis repatriavit.

Guil. Arm. 71. Ex hystoria regis: Rex Philippus Rome visitatis apostolorum liminibus — aliquantulum restitutus.

Aegid. Aur. III, 57. Quia vero comes Flandrie Philippus mortuus fuit ante Acram absque proprii corporis herede, soror vero ipsius, Margaretha nomine, comiti de Haynaco Balduino nupserat, idem Balduinus pedetentim saysire cepit comitatum et optinere. Contra quem dux Lovanii Henricus aliquamdiu decertavit et ei, prout potuit, restitit, eo quod haberet Mathildem, filiam comitis Mathei Boloniensis, qui fuit frater comitis Philippi, in uxorem; sed comes Balduinus causa meliore fultus regi Francie regresso dedit quinque milia marcas argenti et quedam alia, et ita Flandrias optinuit. Idem quoque Balduinus ex parte matris sue[29*] Namucensis castri comitatum invasit, avunculo suo comite Henrico iam pre senectute ceco facto. Qui Balduinus de predicta domna tres habuit filios, Balduinum Flandrensem et Haynonensem comitem, Philippum comitem Namucensem et Henricum, qui dictus est de Andegavio, et filias tres, Elizabeth Francie reginam, matrem domni Ludovici, Hyolenz uxorem Petri Autisiodorensis et Sibiliam domnam Belliioci[30], uxorem Wichardi[m].

Apud Sanctum Remaclum post Ellebaldum abbatem Gerardus frater comitis Sefridi[n] Wiennensis[31] 18 prefuit annis.

Anno 1192. Rome post Clementem III. Celestinus III. fit papa, dictus antea Iacinctus,

---

a) milibus 1. b) cum 2. c) *deest* 2. d) sui episcopatus 2. e) nobilis 1. 2. f) peregrini nostri 2. g) archidyaconus Albertus 2. h) Balduinus comes 2. i) Horstal 2. k) *deest* 1. l) *deest* 2. m) Richardi 2. n) Sifridi 2.

22) Aumale, départ. Seine-Inférieure, arrond. Neufchâtel. 23) Eu, départ. Seine-Inférieure, arrond. Dieppe. 24) Loos prope Mastricht. 25) Chiny. 26) Marle, départ. Aisne, arrond. Laon. 27) Vignory, départ. Haute-Marne, arrond. Chaumont-en-Bassigny. 28) Chassenay, départ. Aube, arrond. Bar-sur-Aube. 29) Altenberg a Colonia ad septentrionem. 29*) Alisiae. 30) Beaujeu, départ. Rhone, arrond. Villefranche. 31) Vianden a Treveris inter septentrionem et occidentem.

senex et emeritus venerabilis, dyaconus cardinalis Sancte Marie in Cosmedin. In die pasche fuit consecratus, et in[a] die sequenti Henricum imperatorem ordinavit[b] et consecravit[32]. 1192 April. 5.

Apud Tullum institutus fuit Odo episcopus frater comitis Gerardi de Wandanimonte[33].

Lingonensis autem episcopus Manasses a partibus transmarinis cum rege reversus eodem anno moritur et ei Garnerus abbas substituitur. Chr. Clar. 1192.

Rex Anglorum Richardus in partibus transmarinis aliquamdiu demoratus multorum odia incurrit, civitatem Ascalonam Sarracenis funditus evertendam reliquit, marchisum Conradum ab octo Hassacinis interfici vel permisit vel persuasit. Huius marchisi relictam, tanquam regni[c] Ierosolimitani heredem, Ysabellam, comiti Campanie Henrico de mandato regis Philippi ibi demoranti[d] in uxorem dederunt, et custodem regni sibi prefecerunt. Rex autem Richardus per mare fugiens mutato habitu venit Ungariam, et exinde occulte ingressus Austriam, a quibusdam cognitus[e] et duci Austrie proditus capitur apud Wines circa natale Domini et imperatori Henrico presentatur.

In hystoria regis ita dicitur: Richardus rex Anglie cum in partibus transmarinis summam rei Henrico comiti[f] Campanie commisisset, repatriavit — eminentiam regalem etc. Guil. Arm. 71.

Guido de eodem: Anglorum rex Richardus postquam dominium[g] solus optinuit christiane gentis in Siria remanentis, militiam que remanserat ibi[f] Francorum, quorum virtute victor extiterat in bello, quod nuper contra Turcos habuerat, contemptui dedit, contumeliose tractavit, iniuriose vexavit[f]. Qui superbiam eius intollerabilem non ferentes et indignantes, quod hostium esset ad munera flexus, amplexus eorum federa, relicta Siria statim ad propria redierunt. Ipse quoque paulo post repetens mare, terram illam deseruit et desertoribus eam exposuit et in hoc Turcos animavit, nostros[h] animos exarmavit, cunctosque fugavit a causa meliore deos[33*]. Tunc astutia qua pollebat hinc Affricanum latus expectato reditu suo defraudans, hinc Siculum et Italicum littus, nimirum quia quos offenderat metuebat, per maris Adriatici linguam, Germanie superioris et inferioris Scithie commercia pertingentem, illis in locis portum optinuit quem non oportuit; nam qui pelagi minas evaserat et paganos, in terra periclitatus est, et in hostes incidit christianos. Ibi captus et imperatori Romanorum Henrico Frederici filio presentatus, in custodia quousque redimeretur est detentus.

Hee sunt probitates que in laudem regis Richardi memorantur: primo quod per Siciliam transiens farum de Meschines optinuit; deinde quod Ciprum insulam acquisivit, quam adhuc christiani Latini retinent; quod dromonem Alexandrinum navali prelio cepit; quod Cariniannam retinuit; quod Iafie subvenit.

Interea rex Francorum Philippus Normanniam de die in diem sibi pedetentim subiugando occupabat, et primo quidem cepit Gisortium — et iniuste detinebat. Guil. Arm. 71.

Imperator Henricus Leodium venit et domos illorum, qui repugnabant Lothario quem prefecerat, iussit everti. Lamb. parvi ann. 1192. In cuius etiam presentia dux Lovanii Henricus fratrem suum Albertum Leodiensem electum[i] coactus[k] abiuravit[34]. Interim Albertus Romam in habitu mimi peregrini latenter ingressus et a Celestino Romano pontifice auditus et in causa sua confirmatus[35], in reditu cum non posset adire Coloniam[36], archiepiscopo Remensi Guilelmo transmittitur consecrandus, qui eum consecravit in vigilia sancti Mathei in dominico die[37]. Sept. 20. Quod cum divulgatum esset in curia imperatoris, transmisit proditores[38], qui eum interfecerunt extra civitatem Remensem in vigilia beate[m] Katerine virginis feria tertia hora vesperarum. Nov. 24. Attulerat a Roma mitram abbati Lobiensi annulum[39] ab antiquo iam habenti.

In hystoria regis ita dicitur: Remis metropoli Francorum occiditur sanctissimus Leodicensis[n] episcopus Albertus missis apparitoribus ab Henrico imperatore fingentibus se eiectos ab ipso imperatore. Guil. Arm. 70. Qui eundem sanctum episcopum — extra muros civitatis eductum[l] occiderunt 8. Kalendas Decembris[40]. Nov. 24. Lotharius autem Bonne prepositus cuius occasione hec facta sunt nunquam postea Leodium intravit, sed paulo post divino iudicio mortuus interiit.

Dominica die Idus Septembris Guilelmus Remensis archiepiscopus Iohannem consecravit in episcopum Cameracensem; de hoc Iohanne dicitur quod virgo decesserit[o]. Sept. 13.

Anno 1193. In Martio Iudei quendam christianum permittente comitissa Campanie, apud castrum quod Braiam super Sequanam vocant — fecit comburi. ibid. 71. Postmodum crescente iniquitate et malitia hominum intimatum est regi

a) *deest* 2. b) coronavit 2. c) *deest* 1. d) demorati 1. e) cognitis 1. f) *deest* 2. g) domnam 2. h) nostrorum 2. i) clericum 2. k) *deest* 2. l) *deest* 1. m) sancte 2. n) Leodiensis 2. o) discesserit 2.

---

32) E Lamberti parvi annal. 1191?

33) Vaudemont, départ. Meurthe, arrond. Nancy.

33*) Lucan. VIII, 93.

34) Cf. Aeg. Aureavall. III, 65.

35) ibid. III, 61.

36) ibid. III, 63.

37) ibid. III, 64.

38) ibid. III, 67.

39) ibid. III, 62.

40) ibid. III, 86.

Philippo, quod ad suggestionem Richardi regis Anglie missi erant de populo Hassacinorum sive Arsacidarum quidam — in hodiernum diem. Apud Arsacidas opinio — se salvari.

Helin. 1194. Elinandus de liberatione Richardi regis Anglie: Rex Anglorum Richardus per ministros et fideles suos spoliatis ecclesiis — redimit se a[a] captivitate, plus quam ducenties mille marcis[b] imperatori et ceteris baronibus Alemannie partim datis, partim sub obsidibus promissis.

Albricus: Ducenta quidem milia promissa fuerunt, sed tandem laxatus fuit per centum milia.

Guil. Arm. 72. Unde in hystoria regis dicitur: Rex Richardus datis demum pro redemptione sua — est traiectus.

Guido: Rex Anglie Richardus argenteis centies mille talentis est sibi redditus et inde reditus suos fecit in Angliam, de qua transiens in Normanniam cum rege Francorum, qui iam terras eius late pervaserat, inimicitias graves exercuit longa concertatione bellorum.

Erat imperator Ysaccus sive Ysachius Constantinopolim, de quo qualiter ad culmen ascenderit superius in anno 1167. declaravimus. Hic igitur fratrem habuit, qui dictus est Kyralexius, cognomento Andronicus, quem tertio captum redemerat a paganis, senescaldum quoque eundem suum[c] fecerat, munitionemque Buccam-leonis vocatam cum tributo portus sibi reddendo ei dederat, unde ad imperialem mensam cotidie quatuor milia libras argenti reddebat. Qui ita exaltatus contra fratrem imperatorem[d] cogitavit in corde suo[e] mala, promissisque et muneribus principes Grecorum ad hoc animavit et fortiter illexit, ut ei faverent ad imperium optinendum contra fratrem; fuerunt autem hii Livernas et Laufage, Nicholaus, Morcuflus et Constantinus, Acharias, Petrus de Navares et Synagun[f] Kartaginensis. Mandatum Ysaacum per proditionem, quasi de consilio magno tractaturi, ligaverunt et oculis eius excecatis incarceraverunt, similiter in alio carcere cuiusdam senescalli posuerunt filium eius, nomine[g] Alexium, quem cum vellet Andronicus interficere, senescallus ille misit eum ad Philippum ducem Suevie, qui eiusdem Alexii sororem habebat[h] uxorem[41], et ita Andronicus iste per novem annos[i] imperium usurpavit. Livernas autem prenominatus sororem regis Francorum, imperatricem illam[42], quam habere debuit Alexius Manuelis filius, dote sua utentem tenebat loco uxoris, non tamen sibi coniuncta erat sollempnibus nuptiis, quia secundum morem gentis dotem primam perdidisset. Qualiter vero postea illam legitime duxerit, et de filia quam ex ea genuit suo loco dicemus[43].

1195. Mortuus est dux Saxonie Henricus[44] pater Ottonis comitis Pictavorum, postea imperatoris; mortuus est autem apud Brunswic. Iste dux Henricus cum contra imperatorem Fredericum, cognatum suum, arma attulisset[k] et eius coronationi contrarius extitisset[l], imperator tandem concione contra[m] facta, tres ducatus una die illi abstulit, quia dux erat Bavarie ex parte patris[44*], dux Saxonie ex parte matris[45], que fuit filia Lotharii imperatoris, et ducatum Westfalie debuit tenere de archiepiscopo Coloniensi. Factus est itaque dux Bavarie quidam comes Otto palatinus cognatus illius, dux Saxonie factus est comes[g] Bernardus, ducatum Westphalie recepit archiepiscopus Coloniensis. Allodium suum de Brunswic et de Rodeburch[n, 45*], et ea que in Slavia acquisierat retinuit dux Henricus. Qui de Mathilde sorore regis Anglie Richardi tres filios habuit, Henricum palatinum Reni[o], Guilelmum et Ottonem, et de quadam concubina[46] nobili filiam habuit, que in Sclavia hereditavit[47]. Henricus palatinus Reni[p] duxit filiam[47*] Conrardi palatini, qui fuit frater imperatoris Frederici. Guilelmus vero de sorore regis Dacie[48] genuit istum Ottonem, qui tenet[q] ducatum de Brunswik, patrem[r] Ysabelle, uxoris Guilelmi Romanorum regis[48*].

1197. Theobaldus comes Barrensis ante castrum de Namuco duxit exercitum satis copiosum, quia filiam Henrici comitis ceci unicam in eius senectute de Agnete sorore comitis de Gelra[49] quodam accidenti natam, duxerat in uxorem nomine Ermensendem[50], per quam hereditare volebat, quamvis filie non soleant in imperio hereditare. Tria tamen castra cum appendiciis, ab imperatore data comiti Alemanno Ottoni de Burgundia, comes Barri ab ipso
1199. comite Ottone redemit, et ita cum uxore ea habuit: videlicet[s] Lusceleburch[t], Drebuium et Rupem in Ardenna[51]. Pro reclamatione quoque Namuci facta pax[52] est inter eum et

---

[a] *deest* 1. [b] marcas 2. [c] suum eundem 2. [d] suum 2. [e] in corde suo cogitavit 2. [f] Synagim 2. [g] *deest* 2. [h] habuit 2. [i] annos novem 2. [k] tulisset 2. [l] et — extitissent *desunt* 1. [m] eum 1, *additum manu posteriori*. [n] Rodenburch 2. [o] Reni palatinum 2. [p] Reni palatinus 2. [q] tenuit 2. [r] pater 2. [s] scilicet 2. [t] Lusceburch 2.

[41] Mariam. [42] Agnetem. [43] Cf. annum 1205. [44] 1195. Aug. 26. [44*] Heinrici Superbi. [45] Gertrudis. [45*] Lüneburg. [46] Filia scilicet comitis de Castris. [47] Cf. de eadem annum 1168. [47*] Agnetem. [48] Helena. [48*] Cf. ea, quae de hoc loco supra pag. 647 disserui. [49] Ottonis. [50] Patre anno 1196 mortuo Ermensindis anno 1197 comiti Barrensi nupserat. [51] Luxemburg, Durbuy, la Roche. [52] Cf. pacis tabulas d. d. 26. Iul. 1199 ap. Bouquet XVIII, 628.

1193. filios comitis[a] Balduini per quandam summam argenti, que dabatur comiti Barri per annos singulos. Per eiusdem quoque industriam gener ipsius Fredericus, filius Frederici de Betes[53], ducatum optinuit patrui sui ducis Symonis. Dux iste Symon et Fredericus de Bites et comes Matheus Tullensis et Theodericus, qui fuit electus Metensis ante episcopum Bertrannum, — quatuor isti filii fuerunt[b] ducis Lotharingie Mathei, qui dux Mosellanorum dicebatur, nati ex Berta[54] sorore imperatoris Frederici. Quorum fuerunt sorores, huius Berte filie: Aaliz mater ducis Burgundie Odonis, uxor scilicet Hugonis[c], et Iutta[d], mater comitis Stephani, avia scilicet Iohannis Cabilonensis[55]. Soror quoque una[56] predicte Berthe lantgravio[e] Thuringie Ludovico peperit Hermannum lantgravium. Idem dux Matheus Mosellanorum et Robertus, pater[f] Philippi de Florehenges[57], filii fuerunt illius ducis Symonis, qui fuit frater comitis Theoderici Flandrensis; soror quoque istius comitis Theoderici et ducis Symonis et episcopi Henrici Tullensis cuidam forti castellano de Burgundia Bernardo peperit Iosceranum et sorores[g] eius, qui de sorore comitis Cabilonensis genuit Henricum, patrem Iosceranni Grossi[58].

De corpore Arturi Magni dicitur, quod circa hunc annum sit inventum in Anglia in insula Avalonis, ubi est abbatia sancti Dunstani, Glastonia vulgariter dicta, ad Sanctum Petrum de Glastenberia Bathoniensis dyocesis; et hoc factum est per industriam cuiusdam monachi eiusdem ecclesie novi abbatis, qui totum cimiterium loci[h] diligenter excavando fecit investigari, animatus verbis que olim adhuc monachus audierat ab ore regis[i] Henrici patris Richardi. Et inventa est tumba lapidea in profundo terre defossa, super quam lamina plumbea quibusdam versibus erat insignita:

Hic iacet Arturus flos regum, gloria regni
Quem probitas morum commendat laude perenni
Hic iacet Arturus Britonum rex ultor inultus etc.

G. Arm. 71. 1193. Anno 1194. Philippus Magnanimus duxit in uxorem Indeburgim sororem Canuthi, filiam Waldemari, regis de Dacia in civitate Ambiana, que eodem die quo benedicta et coronata, per sortiarias ut dicunt maleficiata, ab ipso rege cepit minus diligi et iure thori et carnis debito privari et demum ab ipso separata est consanguinitate probata. Tamen a Francia non recessit necessaria vite a fisco recipiens. Qualiter autem post annos 17 rex eam receperit in perfectam gratiam, suo loco dicetur. Mense Februario Philippus Magnanimus cepit civitatem Ebroicas — et Rothomagum obsedit, sed tunc non cepit. Deinde obsedit Vernolium — Guilelmum comitem Licestrie virum strenuissimum in quodam nemore cum multis militibus deprehensum bello confecit et cepit et custodie mancipavit cum multis aliis. De sorore huius Guilelmi nati sunt comes Symon Montisfortis[59] et Guido frater eius. ibid. 72. Interea Richardus rex Anglie nuper reversus congregato exercitu Bellum Montem, castrum videlicet munitissimum super fluvium Ridulam situm dyocesis Ebroicensis, recuperavit, et quasdam alias munitiones, et dum rex Philippus per terram comitis Blesensis transiret, idem Richardus positis insidiis sarcinariis eos cum denariis et varia suppellectili potenter abduxit — Interea Iohannes Sine-terra — obsedit vallem Rodolii. Quo audito rex Philippus Magnanimus a Bituria ubi erat, maxima cum paucis armatis itinera tribus diebus[60] peregit et ex inproviso[k] superveniens castra eorum irrupit, et omnes in nemore propinquo fugavit, multis dum fugerent captis et interfectis.

Eodem anno Henricus — bello[i] sibi subiugavit. In fine Iulii huius anni ecclesia beate Marie Carnotensis — tabulatu lapideo reparata est. ibid. 71. Magister Michael decanus Parisiensis vir theologus et religiosus — factus est Senonensis archiepiscopus.

Apud Leodium Symon ducis Henrici de Lemborgh filius, frater[k'] Galleranni, consobrinus episcopi Alberti nuper defuncti, eligitur in episcopum. Contra quem ex alia parte favente Balduino comite eligitur apud Namucum quidam archidyaconus Albertus de Cuic[61], qui per quosdam sibi adherentes castrum de Hoio optinuit, sed Leodium non intravit fere per biennium[62]. Appellantibus partibus ad papam et causas ventilantibus ambo Romam profecti sunt. Symon autem a quibusdam perfidis veneno accepto Rome moritur Kalendis Augusti et in ecclesia Lateranensi sepelitur. Mortui sunt etiam cum eo multi sue ecclesie canonici[63]. Quo audito pars canonicorum in ecclesia beati Lamberti residentium, voluit[i] alium substituere electum per commune capitulum, et deliberato consilio nominabant et eligebant archidyaconum Ottonem virum religiosum, fratrem Gosuini de Monte Falconis[64], primo in prepositum et post in episcopum. Cui precipue adversabatur[l] archidyaconus

---

[a] *deest* 2. [b] fuerunt filii 2. [c] uxor — Hugonis *desunt* 2. [d] Iuecta 2. [e] lanagravio 1. [f] *deest* 1. [g] sororem 2. [h] *deest* 1. [i] *deest* 2. [k] proviso 1. [k'] fratris 1. 2. [l] adversatur 2.

[53] Bitsch. [54] sive Iuditha. [55] Châlon-sur-Saône. [56] Iutta. [57] Fleurange. [58] Nisi fallor: Iocerand de Brancion, départ. Saône-et-Loire, arrond. Macon. [59] Montfort-l'Amaury, départ. Seine-et-Oise, arrond. Rambouillet. [60] Cf. Recueil XVII, 770. [61] Kuik a Gennep inter septentrionem et occidentem. [62] Cf. Aeg. Aur. III, 91. [63] Cf. Aeg. Aur. III, 92. [64] Falkenburg = Fauquemont a Mastricht ad orientem.

1194. Hugo, nepos prepositi defuncti, frater Roberti de Petraponte[65] domni. Qui Otto venerabilis non multo post mortuus est. Albertus autem diu Rome perseveravit, pecuniam multam mutuo a Romanis[a] accepit, et cum non esset qui ei resisteret, consecrationem suam antequam reverteretur obtinuit. Fuit enim in secularibus satis prevalens et astutus.

Memorabile quiddam contigit hoc anno in Hungaria, quia in autumpno quadam die[b] fuit inter Dravum et Savum pluvia locustarum densissima.

Hiis diebus in Livonia, que est inter Sueciam et Pruciam et Poloniam, quidam abbas venerabilis, Bertoldus nomine, Cisterciensis ordinis Christum predicabat paganis[c] cum omni instantia; qui etiam secundus factus episcopus post Maynardum, qui fuit ex regularibus et primus predicaverat[d] in illa provincia, diu perseveravit et postmodum[65*] interfectus martirium promeruit.

Anno 1195. In partibus transmarinis mortuus esse scribitur circa hec tempora[66] nominatissimus ille Salahadinus cui per annos 25 populum christianum affligere et tandem terram sanctam invadere permissum fuerat divinitus.

Helin. 1193. Elinandus: Qui Salahadinus cum moriturus esset signiferum suum vocavit dicens: *Tu qui soles deferre vexilla mea per bella, fer vexillum mortis quoddam mee scilicet panniculum vilem* et croceum *per totum Damascum super lanceam clamitando: „Ecce rex Orientis moriens non fert secum* de omni substantia sua *nisi hunc vilem pannum“.*

Albricus[e]: Et sic mortuus est facto prius testamento rerum mobilium suarum[f], in tres partes distributo, videlicet pauperibus Sarracenis, pauperibus Iudeis et pauperibus christianis per terram suam captis, ea intentione, ut si due partes quecunque essent ille nichil valerent anime sue, tertia pars posset ei aliquid proficere. Et in hoc ostendit, quod non ex toto fiduciam habuit in lege sua[g] Sarracenica. Contra filios eius frater ipsius Saffadinus bellum habuit et principatum optinuit et soldanus est appellatus. Sanguinus tamen Salahadini filius Halapiam sibi et heredibus suis semper retinuit[h], et unus frater eius factus est califas, id est apostolicus in Baldach, qui per 23 annos mutato habitu Parisius studuit, tertius ut dicunt fuit Milomammelinus rex potentissimus in Marroch.

Guil. Arm. 72. Ex hystoria regis: Richardus rex remisit regi Philippo sororem suam Alaydem[i], quam in uxorem ducere debuerat, que statim data est in uxorem comiti Pontivorum Guilelmo comitis Iohannis filio. Et treugis redditis — et pauperum sublevabant egestatem.

Tempore illo Hildefunsus[k] rex Castelle qui rex parvus de Hispania dictus est, opprimebat nobiles — rusticos armis induebat et militibus preferebat. Unde eo tempore Hemmamelinus rex Mauritanie Hispaniam intrans pugnavit cum eodem rege — Eodem anno Richardus rex obsedit — extremi agminis viri. Marcaderus, qui preerat Ruptariis sive Coterellis, Essoldunum capit et munit ad opus Richardi regis.

In Austria oppidum de Winis circa pentecosten casu combustum fuit, et intrante hyeme[66] mortuus est dux Austrie Leopaldus eiusdem oppidi domnus, qui de sorore[67] regis Bele Hungarie duos habuit filios, duces sibi vicissim succedentes, Henricum et Leopaldum.

In Burgundia mortuo Bisuntinensi electo Stephano, qui successerat archiepiscopo Theoderico, Amedeus[l] in archiepiscopum electus 25 prefuit annis.

Apud Bullencuriam[68] virgo Christi Ascelina, de qua superius mentionem fecimus[69], 15. Iunii. obitum suum circiter anno uno prescivit, feria sexta post pentecostem obiit. Hec in vita sua et post multa fecit, ut scribit domnus Gossuinus, miracula.

Apud Leodium fuit quidam magister Iohannes predicator, cognomento Dalith, qui fecit sermones per anni circulum: *Ad te levavi animam meam* etc.

Aegid. Aur. III, 93. Anno 1196. Epiphanie die festo in ecclesia Coloniensi ab episcopo eiusdem civitatis in episcopum Leodiensem Albertus de Cuik solempniter consecratur.

Guil. Arm. 72. Collecto iterum exercitu — reformata et iurata. Intollerabilis eris intemperies — ut in anno precedenti fecerat; facta est subita[m] aquarum et fluminum inundatio — cessavit illa illuvies.

Eodem anno Balduinus comes Flandrie apud Compendium domno suo Philippo regi[n] fecit hominium. Idem vero Philippus paucis diebus interiectis duxit in uxorem Mariam filiam ducis Meranie et marchionis Histrie, de qua genuit filium unum[o], Philippum nomine, et filiam unam Mariam. Et hac occasione tota terra regis interdicto aliquamdiu[p] subiacuit auctoritate domni pape, donec ventilata causa facta est reconciliatio, que continetur in sequentibus.

---

a) a Romanis mutuo 2. b) die quadam 2. c) *deest* 2. d) predicavit 2. e) Albericus 2. f) et *add.* 1; *quae sequuntur paullulum corrupta esse videntur.* g) *deest* 1. h) optinuit 2. i) Alaydem *ponit* 2 *post* debuerat. k) qui et Alfunsus *add.* 2. l) Amedius 2. m) subita facta est 2. n) regi Philippo 2. o) *deest* 2. p) aliquamdiu interdicto 2.

65) Pierrepont, départ. Aisne, arrond. Laon. 65*) 1198. Iul. 24. 66) 1193. Mart. 4. 66*) 1194. Dec. 31. 67) Helena. 68) Boulencourt, départ. Seine-et-Marne, arrond. Fontainebleau. 69) Cf. annum 1184.

1196. De genealogia huius regine Marie ista est brevis narratio: Marchio Conrardus Missinensis[a] in Saxonia versus Poloniam quatuor genuit filios, Ottonem, Theodericum, Tetonem et Henricum. De Ottone sufficit dicere, quod ipse fuit pater Theoderici marchionis Missinensis; Teto autem tertius frater[b] duxit sororem[70] archiepiscopi Philippi Coloniensis, de qua genuit marchionem de Lanzberch, nomine Conradum, et sororem eius Aaliz[71], que duci Ottoni[72] Meranie quatuor peperit filios, ducem videlicet Meranie Ottonem et Henricum Histrie marchionem, episcopum de Bavenbergis[c] Engelbertum[73] et unum archiepiscopum Colohensem[74] in Hungaria Bertoldum, qui fuit patriarcha Aquileie post Wolferum Pataviensem, Leopoldi[74*] successorem. Similiter peperit quatuor filias, istorum videlicet germanas, quarum una fuit abbatissa[75], relique tres ita terram partite sunt, quod una fuit predicta Maria[d] Francie regina, secunda fuit Gertrudis uxor Andree regis Hungarie, tertia[76] ducissa in Polonia, quam habuit Henricus dux Vrescelavie[77]. Mater autem ducis Ottonis Meranie[77*], patris istorum predictorum, fuit de regibus Dacie.

Ex hystoria regis: Brevi exinde elapso tempore — regem Philippum. Idem Philippus obsedit Albam Marnam castrum munitissimum septem ebdomadibus dierum et amplius; et Richardus Nonnancort optinuit data custodibus pecunia. Inde congressus cum exercitu regis[d] Philippi plures de suis amisit, et captus fuit Guido frater Reymundi vicecomitis Thoarcensis. Iste Guido postea comes Britannie factus est, accipiens in uxorem matrem Arturi inioris Constantiam, relictam videlicet Gaufridi, de quo superius diximus. Capta est deinde a Philippo rege Alba Marna atque diruta, et ipse Nonancuriam recuperavit. Guil. Arm. 73.

Balduinus de Bethunia[78] tenebat a rege Anglie comitatum Albe Marnie[79].

Albricus[e]: Apud Leodium Albertus de Cuik a Roma regressus consecratus episcopus Leodium intravit, et licet prima illius electio non fuerit canonica, vellent nollent qui ei contradicebant, modo eum[d] receperunt, febribus quartanis et aliis languoribus conquassatum, et ita qualicunque modo prefuit ab hinc quadriennio.

Rex Hungarie Bela moritur in cena Domini, de cuius potionatione contra quendam episcopum Calanum[79*] orta fuit suspicio. Post quem regnavit Hemericus[f] filius eius pro eo annis 8[g]. Huius Hemerici uxor fuit Constantia regina que, eo defuncto, nupsit Frederico imperatori et peperit ei filium Henricum regem Alemannie. April. 18.

Hildefonsus quoque rex Arragonum hoc anno decessit et sepelitur in abbatia de Populeto[80].

Episcopus Odo Tullensis moritur in itinere Ierosolimitano.

In hystoria regis: Obiit episcopus Parisiensis magister Mauritius in Septembri vir sancte recordationis, plenus operibus bonis et elemosinis — quatuor abbatias fundavit, dotavit et ditavit. Guil. Arm. 73.

Ex libro fratris Cesarii de obitu magistri[h] Mauritii Parisiensis episcopi refertur, quod ante mortem suam tam graviter infirmatus est — et sensum ad Dei gloriam substractum perfecte recepit. Isti duo versus et plures alii ex verbis eius editi sunt: Caes. Heist. Dial. II, 43.

Ecce salus mundi verbum patris hostia vera
Viva caro, Deitas integra, verus homo.

Sicque in bona confessione — migravit ad Dominum.

In[i] civitate Bituricas post archiepiscopum Petrum[k], Garini successorem, erat archiepiscopus vir nobilis et religiosus Henricus. Huius itaque frater Odo, cantor Bituricensis, in episcopum Parisiensem post magistrum[l] Mauritium eligitur. Erant isti duo fratres Egidii de Solleiro[81], nepotes magni Theobaldi comitis[82], quorum soror Radulfo, filio Ebonis, de oppido de Dolis[83] peperit matrem Guilelmi de Cavingni[84], qui per eam factus est domnus de Castro Radulfi[85]. Egidius de Soilleio de sorore Ebonis de Charenton[86] genuit archiepiscopum unum nomine[l] Symonem et Erchenbaldum, patrem Henrici de Soilleio.

1197. Anno 1197. Rex Richardus contra regem Francie varios habens conflictus, terram Normannie de die in diem recuperabat ex parte, et tam in muneribus, quam in[l] promissis omnes fere proceres Gallie sibi obligans, omne robur militie regi Philippo substraxit.

Unde in hystoria regis dicitur: Comes Balduinus Flandrie spreto hominio — comitatum cum ea. Guil. Arm. 73.

---

a) Missenensis 2. b) filius 2. c) Bavenberg 2. d) *deest* 2. e) Albericus 2. f) Henricus 1; Hemecus 2. g) 8 annis 2. h) *deest* 1. i) *deest* 1. 2. k) Petrum episcopum 2. l) *deest* 2.

70) Mathildem. 71) Agnetem. 72) Bertholdo. 73) Ecgbertum. 74) Colocza. 74*) Diepoldi, qui 1172—1190. ecclesiae Pataviensi praeerat. 75) Mathildis. 76) Hedwigis. 77) Breslau. 77*) Bertholdi. Eius mater Ludgardis erat filia Suenonis, regis Danorum. 78) Béthune, dép. Pas-de-Calais. 79) Aumale, dép. Seine-Inférieure, arr. Neufchâtel. 79*) Calanus inter episcopos Quinqueecclesienses inde ab a. 1188. usque ad 1218. invenitur. 80) Poblete inter Tarragonam et Ilerdam. 81) Sulli, dép. Loiret, arr. Gien. 82) Campaniae. 83) Déols, dép. Indre, arr. Châteauroux. 84) Chauvigni, dép. Vienne, arr. Montmorillon. 85) Châteauroux, dép. Indre. 86) Charenton, dép. Cher, arr. Saint-Amand.

1197. Eodem anno copiosum exercitum duxit dictus comes[a] Balduinus, et recuperavit contra regem Philippum Sanctum Audomarum et Ariam[1], quia rex Philippus ea tenebat, ex quo in Acra comes Philippus decesserat.

Corpus beati Agili Resbacensis[1*], ad suum reportatum fuit cenobium post annos 260, ex quo inde amotum fuerat.

G. Arm. 73. Ex hystoria regis: Hiis etiam diebus miles quidam — fames tamen adhuc durabat.

Reineri annal. 1197. Unde quidam monachus in suis annalibus ita scribit: Anni istius periculum vix audeo scribere, cum multitudo pauperum et fere universorum propter imminentem necessitatem fame moriebantur, et cadavera mortuorum animalium indifferenter ab ea comedebantur. Modius siliginis 18 solidis, modius spelte decem usque ad festum sancti Barnabe apostoli vendebatur. In sequenti autem[a] die modius siliginis 32 solidis, modius spelte 17. Procedente autem tempore cum messis adesse[b] speraretur nec sic evenit. Unde circa festum sancti Iacobi modius siliginis 47 solidis, modius spelte 24 solidis venditus est. Pauperes vero penuria famis per vicos et plateas moriebantur, illud etiam erat malum[c] omnibus, quod vix aliquis comedendo poterat[d] saturari[e].

In Cameraco fuit electus in episcopum Nicholaus de Ruez[2], patruus viri nobilis Eustachii, et post eum Hugo prepositus de Duaco[3].

Abbas Karoliloci[4] Guilelmus factus est archiepiscopus[f] Bituricensis. Erat autem sanctis et piis moribus adornatus et in vita sua, licet occulte, multa fecit miracula, non enim fuit mundo palam cognitus usque post mortem ipsius. Erat etiam nobilis genere, ita quod domna de Monte Argiso[5] fuit soror vel neptis ipsius, que domna Petro de Cortenaio[6], regis Philippi patruo, peperit comitem Petrum Autissiodorensem[7] et Robertum de Cortenaio et quendam Guilelmum et sorores eorum. Una Alaydis comiti Guilelmo Ioviniaci[g, 8] peperit comitem Petrum, et post Engolismensi[9] comiti peperit Isabellam, modernam[10] Anglie reginam, de qua in sequentibus habetur[11]; alia fuit mater Hugonis[h] de Marchia in Hungaria; tertia Clementia, fuit mater Guidonis de Tyero[12] in Alvernia; quarta fuit domna de Charrosio[13] in Bituria; quinta Constantia, cuius filia domna de Marli[14] peperit abbatem Theobaldum de Sarnaio[15].

Cantor Parisiensis magister Petrus doctor theologus, in[i] religione et honestis moribus famosus et clarus apud abbatiam Longipontis[16] obiit. Huius habentur libri multi: Magna Summa de conciliis et rebus ecclesiasticis, Unum ex quatuor innovatum, Verbum abbreviatum, Summa de contrarietatibus theologicis, quedam glosatura super psalterium et multa alia; Summa que dicitur Abel ipsius nomine intitulatur[k].

Apud Acram in partibus transmarinis comes Campaniensis Henricus, cum esset terre sancte princeps, corruit inopinato casu de fenestra cenaculi, ubi incaute fuit appodiatus, et mortuus est. Post quem frater predecessoris sui, regis Guidonis, Heymericus rex Cipri custodiam sortitus est[i] regni Hierosolymitani; comitatum vero Campanie Theobaldus frater eiusdem cum matre sua comitissa Maria[i] tenuit. Hic accepit Blancham sororem regis Navarreorum in coniugium. Que Blancha sororem habuit, nomine Berengariam, quam rex Anglorum Richardus[l] nominatissimus iam[i] in uxorem duxerat. Reliquit autem predictus comes et princeps Henricus[m] in Acra de Isabella uxore sua duas filias, quarum una[17] fuit regina Cipri, uxor videlicet Guidonis[18] filii Heimerici[n]; aliam, nomine Philippam, adduxit Erardus de Ramerut[19] de partibus transmarinis, per quam voluit esse comes Campanie.

Guido de morte imperatoris Henrici: Interea imperator Henricus Romanorum cum Apuliam, Calabriam atque[o] Siciliam provincias ad uxorem suam[20], filiam regis Sicilie Rogeri, Guilelmi sororem, iure pertinentes hereditario subiugasset, subiugatur et ipse mortis imperio, relinquens filium, Fredericum nomine, et filio regnum Sicilie, sed non imperium, quia post mortem ipsius statim dissensione varia fuit et bifaria discissione divisum in Philippum, qui Henrici frater imperatoris et Suevorum dux[p], et Ottonem, qui Pictavorum comes ex sorore[20*] Richardi regis Anglorum.

a) *deest* 2. b) deesse 1. c) malis 2. d) poterat comedendo 2. e) satirari 1. f) episcopus 1. g) Noviniaci 2. h) Odonis 2. i) *deest* 2. k) intitulata 2. l) Rich. Angl. 2. m) Heimericus 2. n) Henrici 1, *sed eadem manu correctum* Hemerici. o) *deest* 2. p) *deest* 1.

1) Saint-Omer et Aire. 1*) Rebais, départ. Seine-et-Marne, arrond. Coulommiers. 2) Roeulx, départ. Nord, arrond. Valenciennes. 3) Douai. 4) Chaalis, départ. Oise, arrond. Senlis. 5) Montargis, départ. Loiret. 6) Courtenai, départ. Loiret, arrond. Montargis. 7) Auxerre. 8) Joigni, départ. Yonne. 9) Angoulême. 10) Cf. de hoc loco supra pag. 644 annot. 27. 11) Cf. annum 1201. 12) Thiers, départ. Puy de-Dôme. 13) Charost, départ. Cher, arrond. Bourges. 14) Marli-le-Roi, départ. Seine-et-Oise, arrond. Versailles. 15) Vaux-de-Sernai, départ. Seine-et-Oise, arrond. Rambouillet. 16) Longpont, départ. Aisne, arrond. Soissons. 17) Alix. 18) Hugonis I. 19) Ramerupt, départ. Aube, arrond. Bar-sur-Aube. 20) Constantiam. 20*) Mathilde.

Ex historia regum: Quoniam quosdam archiepiscopos Henricus imperator trucidaverat — summus pontifex electioni Philippi fratris eius obviavit et comiti Pictavie Ottoni filio ducis Saxonie favit. Guil. Arm. 73.

Albricus: Itaque hoc anno 4. videlicet Kalendas Octobris moritur in Sicilia imperator Henricus ab uxore sua Constantia, ut dicitur, toxicatus. Tamen duos perpetuos[a] sacerdotes in ecclesia beati Lamberti apud Leodium et duo nova[a] altaria instituit pro remedio illius peccati, quo procuraverat mortem episcopi Alberti Lovaniensis. Philippus autem dux Suevie, frater eius, Maguntie coronatus est in regem Alemannie, et ipse Philippus Moguntie coronavit[b] Odoacrum in regem Boemie. Sept. 28. Aegid. Aur. III, 91.

Iste Odoacrus fuit tertius rex Boemie, primus namque dictus est Primitius, secundus Wratislaus, tertius frater eius iste Odoacrus sive Octacrus, et habuit fratrem virum potentissimum episcopum de Praga Henricum[21].

Hic dicendum est[b], quod quidam princeps vir bonus fecit antiquitus testamentum et cartam circumligavit cum iaculo, traxit arcum, voluntati Dei factum suum[a] committens, et ecce ductu[c] angelico carta illa cum iaculo per tres vel quatuor dietas usque ad altare sancti Salvatoris apud Prumiam[21*] pervenit et ibi remansit.

Anno dominice incarnationis 1198. In festo cathedre[22] sancti Petri Innocentius III. fit papa, qui dicebatur Lotharius dyaconus cardinalis ad titulum Sanctorum Sergii et Bachi. Iste fuit valde litteratus et in omnibus, que facere voluit, potens et rigidus. 1198.

Huius anno primo surrexit novus ordo fratrum domus sancte Trinitatis per quendam magistrum Iohannem de Francia cooperante sibi papa, et iste magister apud Cherfroy[23] iuxta Wandeluz in possessione cuiusdam militis Rogeri, miraculose de Halapia liberati, primam domum suam instituit. Isti itaque sub obedientia prelati domus sue, qui minister vocatur, in castitate et sine proprio debent vivere, omnes ecclesie huius ordinis intitulantur nomine sancte Trinitatis, in unaquaque tres erant primo clerici et tres layci, preter suum dispensatorem, qui, ut premisimus, minister est appellatus. Huiusmodi parvas congregationes habent in Francia, Lombardia et Hyspania et etiam ultra mare fere[b] usque ad 600 et sunt alique personis multis iam habundantes. Generale capitulum habent apud Cerfroy dyocesis Meldensis in octavis pentecostes. Omnes res suas undecunque licite veniant, debent in tres partes equales dividere, de quarum duabus debent vivere et supervenientibus pauperibus dividere, tertiam vero partem ad redemptionem captivorum, qui sunt incarcerati pro fide Christi reservare. Redimunt autem non solum christianum a Sarracenis[d], sed et Sarracenum a christianis, ut ipsum pro christiano captivo possint Sarracenum commutare. Ordo quidem commendabilis est, sed multam habet materiam evagandi. Quod asinos et mulos equitant primo fuit institutum causa humilitatis et causa paupertatis.

Ex historia regis: Philippus dux Suevie et rex Alemannie, auxilio regis Francorum innixus — inter se prelia commiserunt. Guil. Arm. 74.

Albricus: Hic itaque Otto comes Pictavorum Leodium venit in quadragesima huius anni, manentibus adhuc reliquiis sterilitatis et famis. In die vero pentecostes[24] sublimatur[a] et coronatur in regem Aquisgrani faventibus ei archiepiscopo Coloniensi Adolfo, duce Lovanii Henrico et avunculo eius duce de Lemborch, sene Henrico, et filio eius Walleranno et quibusdam aliis principibus.

Predictus Coloniensis archiepiscopus filius Evrardi Adolfus de Altenowe[e. 25] erat archiepiscopi Brunonis nepos ex fratre sive consobrinus predecessoris sui, quia fuerunt de duobus fratribus. Et iste quidem Adolfus fratres habuit comitem Fredericum de Altenowe et Arnoldum, patrem Frederici de Ysemburg[f. 26], de quo in sequentibus continetur, videlicet[g] anno Domini 1225.

Ex historia regis: Mense Iulio Philippus Magnanimus cum ducentis militibus — viriliter pugnans per Dei misericordiam sanus evasit. De suis autem capti[b] fuerunt in conflictu illo milites 80. Hoc autem infortunium credimus ei[h] accidisse, quia — quasdam ecclesias contra suam consuetudinem fuerat aliquantulum persecutus. Unde et hoc infortunium quod sequitur ei Dominus immisit. Nam cum[a] quasi se vindicaturus cum infinita multitudine militum et armatorum[i] Neustriam, que Normannia dicitur, intrasset et vastaret, infra paucos dies, cum non haberet voluntatem et iudicium suorum procerum, solvit exercitum et ad propria unumquemque[k] remisit. Et rex Richardus cum Machadero qui preerat Coterellis, cepit Philippum Belvacensem episcopum, cognatum regis, et Guilelmum de Melloto et ibid. 73.

a) *deest* 1. b) *deest* 2. c) dictu 1. d) Sarracenum a christianis *etiam hic ponit* 2. e) Haltenowe 2. f) Ysemberg 1. g) in 2. h) ei credimus 1; *sed ut* 2, *ita Guil. Arm.* i) cum hic *inserit* 1. k) unumq. ad propria 2.

---

21) Haec valde confusa sunt, sed quosvis errores corrigere nostrum non duximus. 21*) Prüm. 22) = 22. die Febr., sed 8. die Ian. Innocentium papam electum esse constat. 23) Cerfroid, départ. Aisne, arrond. Château-Thierry. 24) Non pentecoste = 17. Mai. rex coronatus est, sed 12. die Iulii, nec quadragesimali tempore Leodium venit, sed pentecoste. Cf. Rein. Leod. ad a. 1198. 25) Altena. 26) Isenburg.

Guil. Arm. 74. quosdam viros nobiles et bellatores; et elevatum est cor eius et locutus est[27] in magna superbia, quod etiam vicos Parisiacos suis militibus partiretur. Et quidem vires eius creverant non solum ex defectione comitis Flandrie Balduini et comitis Bolonie Reinaldi, immo et Ludovicus comes Blesensis et omnes fere alii[a] proceres regni defecerant, quidam clam, quidam palam se infideliter a regis obsequio subtrahentes. Propter hoc Innocentius papa — pignore interposito confirmari.

Obiit comitissa Maria Campaniensis; duos habuit filios, Henricum et Theobaldum, de quibus premisimus, duas quoque filias, Colatiam[28] uxorem comitis Guilelmi Matisconensis[29] et Mariam uxorem[b] comitis Balduini Flandrensis.

Florebat hoc tempore vir nominatissimus magister Petrus de Corbolio[30].

1199. Anno 1199. Rex Anglorum Richardus in expugnatione cuiusdam turris[31] in pago Lemovicensi Dei iudicio, iaculo lethaliter vulneratus, occubuit.

ibid. 75. Ex hystoria regum: Turrim illam sive castrum obsederat in passione Domini — quidam autem armiger, de turri emisso quarello, ipsum in scapulis vulneravit, et ita infra paucos dies obiit. De quo[c] quarello sive iaculo teste domno Hugone de Nigella[32], qui fuit abbas de Ursicampo[33] et postmodum de Ripatorio[34] aliquid vulgatum est, quod hic depingere dignum duxi: Faber ille, qui iaculum hoc et multa alia fabricavit, in isto specialiter et non in aliis signum crucis ad recognoscendum idcirco inseruit, quod multus populus in ipsa hora, sparsim et per intervalla ante fornaculam[d] eiusdem transiens, ad quasdam nundinas seu ad dedicationem cuiusdam[e] ecclesie tendens, salutabat eundem fabrum creberrime dicendo[f]: *Deus te adiuvet, Deus te adiuvet.* Unde faber idem[g] salutationes tam crebras illius hore animadvertit esse quoddam prognosticum, et idcirco formavit in dicto iaculo, quo rex iste ita[a] occubuit, signaculum[h] crucis.

Tamen dictus rex Richardus licet multa egerit vituperabilia atque reprehensibilia, egit tamen aliqua commendabilia et laude digna, quia generali capitulo Cisterciensi largos reditus assignavit per annos singulos apud Scadeburch[34*] in Anglia percipiendos, et abbatiam de Bono Portu[35] iuxta Rothomagum ipse fundavit, et sicut ipse erat strennuus in armis, ita etiam dicitur fuisse largus in donis. Cor suum misit Rothomagum, ubi nobilis eius sepultura constructa est; corpus vero illius sepultum est in abbatia Fontis Ebraldi[36], ubi iacent et pater et mater illius. Que mater adhuc vivebat in isto anno, regina videlicet Alienordis, que vitam suam ita correxit, quod in bono statu tandem finivit. Hugo vero Brunus[i] tendens insidias eam cepit et ad hoc eam[k] compulit, quod ipsa quittavit ei comitatum de Marchia Pictavie.

Iste Hugo fratrem natu maiorem habuit Radulfum de Esselduno[l][37], qui fuit comes Augi[38]. Horum pater Hugo de Lisegnen[39] fratres habuit Gaufridum, Henricum[40] regem Cypri et Guidonem regem Ierosolimorum. Pater istorum Hugo Brunus senior sororem habuit, que vicecomites de Thoar[41] peperit; et horum pater Henricus, cuius pater[m] Hugo Lizianensis frater comitis Reymundi ex matre.

ibid. 74. Ex hystoria regis: Rege Richardo mortuo statim Philippus Magnanimus cepit Ebroicas, et munivit municipia circumiacentia.

Comes Namurci Philippus, frater comitis Flandrie, apud Lentium capitur cum duodecim militibus electis et regi Philippo traditur.

Arturus puer dux Britanie Minoris Andegavum[n] et Cenomannum capit et inde fugat Iohannem Sineterra patruum suum. Qui Iohannes in Anglia navigans loco Richardi fratris sui coronatur in regem. Arturus facit hominium regi Philippo de comitatu Cenomanico Andegavico, et Turonico et adducitur Parisius. Postea treuge firmantur inter regem Philippum et regem Iohannem.

In hiis diebus magister Fulco a civitate Parisius consurgens presbiter cuiusdam ville, scilicet de Novilleio[42], non longe ab ipsa civitate, predicator famosissimus iam per biennium habebatur, cui contra presbiteros uxoratos et feneratores publicos spiritus inerat vehemens et in ipsos specialiter eius predicatio invehebatur impetu valido et accerrimo. Dicunt quidam aliqua per eum facta fuisse miracula, maxime ad fontes quos benedixit. Sed in hoc scandalizabantur nonnulli, quod nimiam pecuniam aggregavit quasi ad succursum terre Ierosolimitane, et quod erat ultra mensuram iracundus; sed littere et mandatum

---

a) *deest* 2. b) comitis — uxorem *desunt* 2. c) *deest* 1. d) fornacula 2. e) eiusdem 1. f) dicens 2. g) ille 2. h) signum 2. i) brudens 2. k) *deest* 1. l) Essolduno 2. m) Henricus — pater *desunt* 1. n) Andegavium 1.

[27] Cf. Recueil XVII, 770.

[28] Scholasticam.

[29] Màcon.

[30] Corbeil, départ. Seine-et-Oise.

[31] Chalus, départ. Haute-Vienne, arrond. Saint-Vrieix.

[32] Nesle, départ. Somme, arrond. Péronne.

[33] Ourscamp, départ. Oise, arrond. Compiègne.

[34] L'Arivour, départ. Aube, arrondissement Troyes.

[34*] Scarborough.

[35] Bonport, départ. Eure, arrond. Louviers.

[36] Fontevraud, départ. Maine-et-Loire, arrond. Saumur.

[37] Issoudun, départ. Indre.

[38] Eu, départ. Seine-Inférieure.

[39] Lussignan, départ. Vienne, arrond. Poitiers.

[40] Haimericum.

[41] Thouars, départ. Deux-Sèvres, arrond. Bressuire.

[42] Neuilly.

1199. summi pontificis eum tuebantur. Et multi sine dubio ab usuris exercendis cessaverunt et multe usure restitute fuerunt. Habebat etiam discipulos predicatores, et ut ad compendiosum finem veniam, tam per eum, quam per eius discipulos[a] cruce signati sunt principes, qui dudum rege Richardo vivente a rege Philippo defecerant: Balduinus scilicet comes Flandrensis, Ludovicus comes Blesensis, Gaufridus de Pertico[43] et Hugo de Sancto Paulo[44] comites et quidam alii, et ab istis historia Constantinopolitana cepit. Fundavit etiam magister Fulco de publicis mulierculis, quas a peccato retraxerat, domum monialium sancti Antonii Parisius.

Guil. Arm. 75. Petrus Capuanus apostolice sedis legatus concilium tenuit apud Divionem in festo sancti Nicholai et totum regnum Francie interdixit, pro eo quod rex uxorem suam non exhibebat et superinductam tenebat; sententia tamen dilata fuit usque post natale[b] Domini, et non multo post rex Philippus misit sollempnes nuntios ad papam.

Apud Clarummontem in Alvernia post episcopum Pontium prefuit episcopus Gislebertus, et post eum factus[c] est episcopus Robertus, frater Guilelmi et Guidonis comitum Alvernie, filius comitis Roberti de sorore ducis Burgundie[44*] et de genere comitum Campanie. Mater autem eiusdem comitis Roberti dicta est comitissa Anna, et fuit soror comitis Reinaldi Nivernensis.

Hugo domnus de Broys[45], qui terram suam per 80 annos tenuerat, moritur et sepelitur in Claravalle.

ibid. Anno 1200. Pax firmatur inter duos reges, et Ludovicus filius regis Francie duxit Blancham filiam Alphonsi regis Castelle, neptem ex sorore[45*] regum Anglie Richardi et Iohannis.

Comes Reinaldus Boloniensis contra meritum suum recipitur in gratiam regis.

Eodem anno Octavianus Hostiensis et Velletrensis episcopus cardinalis apostolice sedis legatus — carnis tamen debitum non[d] reddens.

1200. Albricus: Idem Octavianus posuit magistrum Petrum[d] de Corbuilh[46] episcopum in Cameraco, sed non potuit ibi permanere et abiit ad papam qui fecit eum archiepiscopum Senonensem. In Cameraco vero Iohannes de Bethunia[47] positus est episcopus.

Guido abbas Cisterciensis cum quibusdam coabbatibus suis Romam proficiscitur et non multo post papa Innocentius[e] fecit eum episcopum cardinalem Prenestinum, et misit eundem[f] in partes Alemannie legatum maxime pro parte Ottonis in imperatorem electi confirmanda contra partem Philippi Suevorum ducis.

Caes. Heist. Dial. IX, 51. Frater Cesarius: Qui cardinalis veniens apud Coloniam precepisse fertur inter[g] alia, ut in missa ad elevationem hostie salutaris omnis populus ad sonitum nole veniam peteret, sicque usque post calicis benedictionem prostratus iaceret; precepit etiam, ut scolaris sive[h] campanarius ad communicandum infirmum sacerdotem precedens, nolam pulsando deferret, et audientes adorarent[i] vel veniam peterent[k]. Retulit etiam in Francia accidisse, quod quidam miles, in platea nimis lutosa de equo descendens, fide fervidus veniam peteret, et totius luti nec una quidem guttula vestimentis eius adhereret.

Albricus: Invenit idem cardinalis in partibus illis quendam clericum nomine Thare demoniacum. Qui tamen clericus erat religiosus et in singulis dominicis diebus communicabat; et bene poterat discerni, quando idem clericus ex proprio motu loqueretur et quando demon per os eius loquebatur. Dicebat autem idem demon[l] ipsi clerico: *Thare, fuisti ad confessionem? „Etiam.“ Et quare non dixisti illud et illud peccatum*[m]*? Revertere, ut melius confitearis!* Et adhuc adiciebat[n]: *Ego parco tibi, Thare, quia bene est mihi propter te.* Cum ergo venisset clericus ad cardinalem die dominica volens de manu eius communicari, erat cardinalis in dubio utrum deberet eum communicare. Et respondit[o] demon per os illius: *Secure potes eum communicare, domne cardinalis, quia tua communio cibus est anime, non cibus corporis, et ego animam istius non habeo in meam potestatem, sed tantummodo corpus.* Et cum adiurasset eum cardinalis, ut recederet, dixit: *Propter te non recedo*[p]*, quia potestas hec non est tibi concessa.* Tandem clericum communicavit. Faciebat demon per os eiusdem clerici sermonem optimum ad populum teutonice et latine, et cum episcopus in presentia eius sermonem fecisset, permittebat ei totum dicere; et tunc dicebat demon ipsi episcopo: *Non bene prosecutus es, ego melius prosequar.* Et ita faciebat suum sermonem multo meliorem, quam faciebat episcopus, et cum ei diceretur: *Ad quid in istum clericum intrasti?* dicebat:

---

a) discipulos eius 2. b) festum nativitatis 2. c) dictus 2. d) *deest* 1. e) *deest* 2. f) eum 2. g) in 1. h) vel 1, *sed ut* 2, *ita Caes. Heist.* i) adorent 2. k) petent 2. l) demon idem 2. m) pecatum et illud 2. n) dicebat 2. o) respondens 2. p) recedam 2.

43) Le Perche.

44) Saint-Paul, départ. Pas-de-Calais.

44*) Odonis III, cuius soror Mathildis.

45) Broyes, départ. Marne, arrondissement Epernay.

45*) Eleonora.

46) Corbeil, départ. Seine-et-Oise.

47) Béthune, départ. Pas-de-Calais.

1200. *Causa predicandi vobis intravi ad confusionem vestram, ne possitis habere aliquam excusationem in die iudicii. Quod nomen est tibi? Belial nuncupor et semper usque in finem seculi unum corpus possidere debeo. Et quid tibi videtur de monachis qui habent proprietatem?* Respondit[a]: *Monachus, qui habet obolum, non valet obolum.* Hec omnia retulit domnus Petrus[48] abbas de Chaerio[49], qui fuit socius eiusdem cardinalis, prout propriis oculis aspexit et audivit.

Apud civitatem Trecas Popelicani, hoc anno inventi, traditi sunt igni et concremati usque ad 8, videlicet 5 viri et 3 femine, inter quas erant due turpissime vetule, quarum unam proh dolor! vocabant sanctam Ecclesiam, et alteram sanctam Mariam, et ita decipiebant quos decipere poterant, sophistice dicentes: *Ego credo quidquid credit sancta Ecclesia et sancta Maria*[50]. Ab istis Popelicanis captis multi alii nominati fuerunt, sed quidam eorum per confessionem iudicium evaserunt.

Item in urbe Metensi pullulante secta, que dicitur Valdensium, directi sunt ad predicandum quidam abbates[b], qui quosdam libros de Latino in Romanum versos combusserunt et predictam sectam extirpaverunt.

Garnerius episcopatum Lingonensem dimisit, ita quod auctoritatem ordinandi et ecclesias consecrandi retinuit[c] a summo pontifice. Qui aliquos novos libros compilavit[d] et novos tractatus et sermones subtiles satis ipse composuit. Successit ei Hilduinus[e].

Apud Mediolanum Humbertus theologus et cardinalis fuit archiepiscopus per annos 7, qui rexit Parisius 10 annis et scripsit librum De concordia veteris et novi testamenti.

Mortuus est apud Leodium Albertus episcopus, qui dicebatur de Cuic[f][51]. Et magister Fulco predicator Leodium venit, et inde regressus hoc eodem anno decessit.

Diu pertractata fuit electio Leodiensis, cum quidam consentirent in domnum Conrardum monachum adhuc novitium de Villariis[52], qui post fuit abbas Clarevallis et cardinalis[53], quidam in Henricum archidyaconum, qui dicebatur de Iacia[54], quidam vero in
Aeg. Aur. III, 97. Hugonem eiusdem ecclesie prepositum. Qui Hugo filius fuit[g] Hugonis de Wasnadio, frater Roberti de Petraponte et Galtheri de Wasnadino, quorum mater[h] dicta est Clementia filia comitis Guitherii[i][55] Reytestensis de prosapia Namucensi. Hic igitur Hugo factus episcopus sedit 29 annis, et licet in primis fuerit dissolutus, vitam suam correxit, et postea multa bona[k] facta sunt per eum in episcopatu laude digna, et ipse tandem consummatus est[k] fine laudabili.

1201. Mai. 13. Anno 1201. Mortuus est in Campania circa pentecosten comes Theobaldus[l], anno etatis sue 25.[56], cruce signatus, qui comitem Reynaldum de Dampetra[57] misit pro se in partes transmarinas cum sufficientibus expensis. Trecis in ecclesia sancti Stephani iuxta patrem suum magnum Henricum sepultus est. Uxor eius Blancha, relicta gravida, per annos 20 terram tenuit, que viriliter et strenue de adversariis triumphavit, et quedam castra potenter firmavit et munivit.

Guil. Arm. 75. Ex historia regum: Rex Anglie Iohannes Parisius a Philippo rege recipitur honorifice, et multis donariis et donis honoratur. Philippus puer et Maria soror eius — legitimantur. Eodem anno mater eorum eadem superinducta moritur et iuxta Medontam in ecclesia beati Corentini[m] sepelitur, ubi rex fecit abbatiam 120 monialium.

ibid. 770. In territorio Remensi comes Hugo Reteste[n] et Rogerus[o] Renaldi filius de Roseto in ecclesias et in clerum tyrannidem exercebant, et ipsos vellent nollent rex compulit ad satisfactionem.

Mortuus est in Anglia vir venerabilis episcopus Hugo Lincolniensis, qui sanctus et canonizatus est, ut dicitur[p], a summo pontifice.

Eodem anno[58] contigit in dyocesi Treverensi super Renum apud sancti Goaris[59] oppidum, cum Garnerus de Boslande[60], qui erat in parte Philippi regis de Suevia, obsideret ecclesiam

---

a) *deest* 2. b) quidam abb. ad pred. 2. c) optinuit 2. d) copulavit 2. e) Successit — Hilduinus *desunt* 2. f) Cuk 2. g) fuit filius 2. h) frater — mater *desunt*. i) Wicheri 2. k) *deest* 1. l) Theobaldus comes 2. m) sancti Corentinii 2. n) Reytestensis 1. o) Rogerius 1. p) ut dicitur *desunt* 2.

48) Petrus II, qui inde ab anno 1208. usque ad 1214. abbas invenitur. Gall. chr. IX, 309. 49) Chéry. 50) De eodem vetularum quarundam dolo Albricus anno 1239. narrat. 51) Kuik a Gennep inter septentrionem et occidentem. 52) Villers prope Gembloux. 53) De eo cf. Caes. Heist. Dial. III, 33. 54) Jace prope Jemeppe? 55) Secundum Aeg. Aur. III, 97 Clementia fuit comitis Manassis filia. 56) Consentit Guil. Arm. 75, qui Theobaldum, *cum esset* 25 *annorum*, diem supremum obisse narrat, nec vero noster hoc loco Guilelmum, quippe qui praeter illam mortui aetatem nihil aliud atque mortis annum annotaverit, descripsisse mihi videtur. 57) Dampierre-le-château, départ. Marne, arrond. Sainte-Ménéhould. 58) Secundum Winkelmann Philipp von Schwaben 265: anno 1202. 59) Sanct-Goar prope Bingen. 60) Kirchheim-Bolanden.

in ipso castro sitam et munitam, clericis de intus crucifixum locantibus in fenestra, unus de forensibus, spiritu dyabolico[a] repletus, quarellum repente traxit contra crucifixum, et ecce de crucifixo infixo sanguis fluxit largissime, cunctis et foris et intus qui aderant cernentibus, et ipse Garnerus territus obsidionem dimisit et ab eo loco aufugit[61]. 1201.

Galterus comes Briennensis[62], filius Erardi comitis, duxit in uxorem Tancredi filiam regis Sicilie et Sibilie regine Apulie et cum ea perrexit in Apuliam, ubi cum terram sibi competentem ex parte uxoris per annos aliquot acquireret, tandem[63] interficitur a quodam Teutonico Theobaldo, relicto tamen parvulo filio, nomine Gualtero, cuius timore idem Theobaldus in hospitali Alemannorum se reddidit et postea diu vixit. Interim vero Iohannes frater eiusdem comitis comes erat Briennensis. Qui postea[64] regnum Ierosolimorum et imperium Constantinopolitanum assecutus est, quod loco competenti assignabimus[65]. De sororibus istorum fratrum et de sororibus patris eorum nobilis exstat progenies, sed nos ad alia properamus.

Erant apud Ionevillam[66] hoc tempore quinque fratres, Gaufridus, Robertus, Symon et Guido milites et Guilelmus clericus; Andreas autem istorum germanus factus est miles Templarius; Robertus itaque secutus est comitem Galterum et in Apuliam abiit, ubi et obiit; Gaufridus vero maior natu, cognomento Trullardus, titulis militie famosissimus, cruce signatus est, mare transivit et post multas probitates ibi decessit; Symon autem Ionevillam optinuit et Guido factus est domnus de Salleio[67] et Guilelmus fuit Cathalaunensis archidyaconus.

Mortui sunt hoc anno Cathalaunensis Rotroldus et Laudunensis Rogerus episcopi, qui fuit patruus Rogeri de Roseto[68], cui succedit quidam Renaldus.

Ex historia regum: Ad Philippum autem regem Francorum querimonia defertur de Iohanne rege Anglie, quod filiam comitis Engolismensis[b] Elizabeth Hugoni Bruno, qui eam desponsaverat, subduxit, ipsi Hugoni et fratri eius Rudolfo comiti Augi et Gaufrido de Lisinia[c] quedam municipia auferendo. De ducatu quoque Aquitanie, Turonie et Andegavie comitatu submonebatur a rege, mandato curie domni sui stare, et sibi hominium debitum facere. Iohannes quidem diem sibi prefixam retinuit et regi duo castra Tilerias et Botavant assignavit confiscando, si die prefixa non faceret quod deberet. Immemor sui pacti ad prefixam diem nec venit nec responsalem misit. Rex Philippus videns[d], quod esset illusus, munitionem de Botavant obsedit et cepit et funditus evertit, et exinde Arguellum et Mortuummare cepit et Gernacum obsedit. Gernacum vero captum mirabiliter refirmavit et ibi iuvenem Arturum cingulo militie accinxit et filiam suam Mariam ei desponsavit. Qui accepta licentia a rege Aquitaniam ingressus, Mirabellum obsedit[e] et insidias sibi preparatas non precavit. Superveniente namque patruo suo rege Iohanne captus est et alii, qui erant cum eo. Quod audiens rex, qui obsidebat castrum de Arthis, acies versus Aquitaniam direxit, Turonum cepit et concremavit. Rege Philippo recedente rex Iohannes iterum Turonim cepit et ex magna parte cum toto castro destruxit. Guil. Arm. 75.

Albricus: Obiit in Italia versus Romam Ioachim scriptor novus, abbas quondam de Curacio[69] Cisterciensis ordinis, qui super apocalipsim Iohannis et super dicta prophetarum quasdam concordantias edidit, de temporibus preteritis ad conicienda futura tempora; qui multo aliter sentire videtur de adventu Antichristi, quam quidam nostri temporis, qui de die in diem simplicium corda sollicitare temere satis presumpserunt, quod nos loco competenti[70] declarare proponimus, — scripsit idem Ioachim libellum quendam de Trinitate, in quo magistrum Petrum Lombardum in sententiis redarguere presumpsit, pro qua presumptione papa Innocentius in magno concilio postmodum Rome celebrato eundem libellum dampnavit, et sententiam magistri Petri, que obscura videbatur, explanavit. Tamen cetera Ioachim opuscula et vitam eius religiosam et morum institutionem et eruditionem, quam in Florentino[71] monasterio reliquerat idem Ioachim, papa Innocentius III. non improbavit, sed approbando commendavit.

In Livonia martirizato episcopo Bertoldo[72] succedit ei quidam venerabilis clericus, nomine Albertus, qui civitatem novam edificare cepit, que dicta est Riga, et unam abbatiam[73] ordinis Cisterciensis instituit.

---

a) spiritu dyabolico 2. b) Enoglisnensis 2. c) Lisania 2. d) *deest* 2. e) sedit *deest* 2.

61) Simillimam huic fabulam invenies ap. Caes. Heist. Dial. X, 19. Nec vero noster, quum verborum tenore valde a Caesario discrepet et, quod ad res attinet, etsi in multis, non tamen omnibus cum eo conveniat, — nam Caesarius ait Wernerum postea crucem accepisse, Albricus territum obsidionem solvisse — Caesarium descripsisse mihi videtur.

62) Brienne, départ. Aube, arrond. Bar-sur-Aube.

63) Anno 1205.

64) Rex Hierosolymitanus anno 1209, imperator Constantinopolitanus 1231.

65) Quod ad regnum vide annum 1209; Iohannem etiam imperium assecutum verbis expressis noster nusquam dicit, cf. vero annos 1233. 1236. 1237.

66) Joinville, départ. Haute-Marne, arrond. Vassy.

67) Sailly, ibidem.

68) Rozoi-sur-Serre, départ. Aisne, arrond. Laon.

69) Corace in Calabria ulteriore II.

70) Anno 1227.

71) Floris.

72) Anno 1198.

73) Dünamünde.

1202. Anno 1202. Expeditio transmarina principum cruce signatorum, qui a rege Philippo occasione regis Richardi quondam defecerant, et aliorum baronum, quorum ista sunt nomina: Nevelo Suessionensis et Garnerus Trecensis episcopi, comes Flandrie et Hainonie Balduinus et frater eius Henricus[a], de Andegavio cognominatus, comes Hugo de Sancto Paulo[74], comes Ludovicus Blesensis et comes Gaufridus de Pertico[75], Iacobus vir nobilis filius superioris Iacobi, frater[a] Gualteri de Avenis[76], duo Campanienses qui dicuntur de Chanlita[77] Odo et Guilelmus filius Odonis, Gaufridus Campanie marescalcus et Gaufridus nepos eius, de Villa Harduini[78] appellatus, Otto de Rupe[79] natione Burgundus et plures alii de Francia, Flandria et Burgundia et iste qui dictus est comes[a] Renaldus de Dampetra[80]. Eisdem associatus est[a] nobilis marchio de Monteferrato Bonifacius, cuius fratres fuerunt Guilelmus et Conradus, quorum Guilelmus Iafie et Conrardus Tyri principatum tenuerant in partibus transmarinis. Omnes itaque isti venerunt Venetiam, disponentes qualiter per mare usque[a] Constantinopolim irent circumeundo Greciam. Interea dum naves pararentur, Venetiani callide cogitantes, ipsos peregrinos in quandam parvam insulam, que dicta est ad Sanctum Nicholaum, venire fecerunt et ibi concluserunt nec exire permiserunt, donec iidem peregrini civitatem Iazeram[80*], Venetianis a longo tempore inimicam, iurarent se cum ipsis[a] hostiliter expugnandam. Iuraverunt, et cum ipsis navigantes Iazeram obsederunt, ceperunt et Venetianis subegerunt. Apud Constantinopolim in istis diebus[81] Keyralexius, cognomento Andronicus, invasor imperii, fratrem suum Isacum ab imperio depulerat, excecatum incarceraverat et eius filium Alexium interfici iusserat; sed per quendam senescaldum manus eius evadens Alexius ad Suevorum ducem Philippum, regem Alamannie, confugit et apud eum latuit, eo quod uxor[82] eiusdem Philippi fuit soror ipsius Alexii. Cum ergo ad capiendam[b] urbem Iazeram Franci peregrini venissent ductu Venetorum, ut dictum est, Alexius per consilium regis Philippi predicti eis litteras suas misit, qualiter a patruo suo Andronico esset expulsus exposuit et multis precibus et promissis ad hoc animavit, ut per eos in paternum restitueretur imperium, et ipse sufficienter pararet victualia, naves et alia queque necessaria[c] ad terre sancte subsidium. Unde principes nostri cum missis legatis Romam[d] de omnibus istis papam Innocentium consuluerunt. Qui hoc benigne concessit et bene voluit et transgressionem illam, qua pro Venetis urbem Iazeram contra regem Hungarie ceperant, indulsit. Quo rescripto accepto ad se Alexium[e] venire fecerunt, naves paraverunt, et dux Venetie Henricus vir prudentissimus predictis principibus associatus est cum sua gente. Adiuncti sunt insuper eidem episcopus Bethleem et magister Iohannes Aconensis electus et unus episcopus de Saxonia, domnus Conradus Halverstatensis. Itaque simul omnes adunati fuerunt numero circiter 60 milia. Comes autem Renaldus de Dampetra relictis eis in Iazera Romam abiit, mare transivit, sicut in fide promiserat comiti Campanie morienti, ac veniens in terra Sirie bellum habuit contra Sanguinum principem Alapie[f], qui eum cepit, et in illa captivitate fuit per 30 annos. Comes autem Symon de Monteforti[83] et quidam alii nobiles et abbas[84] de Trapa[85] cum eodem Renaldo mare transierunt, sed cum eo non sunt captivati. Omnes autem supra dicti ultra Iazeram prospero cursu transierunt Spaletam in Dalmatia, que Salona civitas antiquissima dicitur, deinde Durachium et Epyrum contra Brundusium, et venerunt ad castrum nomine Corphol, cuius incole promiserunt se reddituros illis, capta ab ipsis civitate Constantinopoli. Et hoc promiserunt plures alii. Inde per marini littoris longitudinem apud Andrevillam et post apud Mischenas venerunt. Ubi notandum, quod a Durachio usque ad portum de Andrevilla a Constantinopoli elongabant se secundum situm terre, licet per viam maris approquinquarent. Ergo secundum ipsam marini recurvationem littoris Moncionis insulam, id est Sicioniam et Achaiam, perlustrando primum civitatem Argos, deinde Corinthum et Athenas et quandam insulam Monovasiam dimiserunt, et apud civitatem Negrepont contra Thebas applicuerunt. A dextris etiam reliquerunt Cretam famosissimam insulam et civitatem

a) *deest* 2. b) ad capiendam *desunt* 1. c) alia que necessaria erunt 2. d) Romam legatis 2. e) Alexium ad se 2. f) Alapie principem 2.

---

[74] Saint-Paul, départ. Pas-de-Calais. [75] Le Perche. [76] Avesnes, départ. Nord. [77] Champlitte, départ. Haute-Saône, arrond. Gray. [78] Villehardouin, départ. Aube, arrond. Troyes. [79] Roche-Aimon. [80] Dampierre-le-château, départ. Marne, arrond. Sainte-Ménéhould. [80*] Zaram. Sed supersedeo loca patriae longe remota explicare. Ea lectori harum rerum studioso ceteroquin nota sunt. [81] Anno 1195. [82] Maria. [83] Montfort-l'Amauri, dép. Seine-et-Oise, arr. Rambouillet. [84] Adam. [85] La Trappe.

Rodum cum reliquis insulis Cicladarum, deinde ad sinistram dimiserunt Thessalonicam, Philippim, Messilopolim[a] et Margueriam, exinde contra Troiam sive Troadam quam a dextris habuerunt ad portum sub Bodekave[b] venerunt, ubi ad edendum sibi victualia providerunt, et exinde brachium sancti Georgii percurrerunt, quod mare Propontis secundum antiquos, eo quod Pontum preveniat, vocabatur. Pontum autem specialiter dicitur illud mare magnum, quod est inter Constantinopolim et Russiam. Quasdam etiam ad sinistram civitates dimiserunt Maditon, Galippam, Rossam, Rodesco, Heracleam, que metropolis est, et Salembriam, et applicuerunt naves ad locum, qui vocatur Speculum. Unde in parte altera, id est contra nos, Constantinopolim speculantes, primo turrim Galatas ceperunt, ubi cathena portus pendebat et ipsam cathenam ruperunt, que postea apud Acram fuit missa. Habebat autem civitas Constantinopolis quatuor miliaria in longum et tria circiter in latum, et erant infra muros urbis 500 circiter abbatie vel ecclesie conventuales. Andronicus, de quo diximus, disposuit octo acies infra civitatem, quaternorum milium pugnatorum singulas, et easdem rexerunt acies[c] Livernas, qui sororem[86] Philippi Francorum regis tenebat, Morchulfus[d], Bocerans, Petrus de Navarris, Constantinus, Acharias, Synagon et Sampson patriarcha. Andronicus item postquam suos misit contra nostros[e] in bellum, dubitans[f] quia non posset virtutem sustinere nostrorum, et quia forte sui traderent eum in manus Francorum, fecit auro et lapidibus pretiosis decem equos onerari, ut ita fugeret ad admiraldum Yconii, sed ut postea conperimus, in via fuit captus et, a Ianuensibus redemptus, genero suo Lascaro tandem fuit redditus. Greci igitur pugnare parati, cognoscentes fugisse Andronicum, in urbem fugerunt et pontem levaverunt; nostri in littore castra posuerunt. Minatores quoque murum suffoderunt, de quo pars magna cecidit, et nostri aditu patefacto intraverunt. Veneti quoque urbem dimidia leuca intraverunt et multos equos lucrati sunt, de quibus dux Venetie misit comiti Flandrie 200. Greci postea aggregati consenserunt, ut cum Francis pacem facerent, Ysacum de carcere eicerent et[c] Alexium coronarent. Ponte igitur summisso et Alexio introducto et coronato cum suo patre, nostri hospitia passim acceperunt in urbe. Reliqua huius historie in anno 1204. et in ceteris locis conpetentibus inserta sunt. 1203.

Apud civitatem Maguntiam mortuo archiepiscopo Conrado venerabili viro, Seffridus, frater Godefridi de Hepestein[87], factus est archiepiscopus per annos uno minus de 30.

Moritur Remensis archiepiscopus Guilelmus, regis avunculus et comitum Campanie patruus, qui per annos 26 et ultra presulatus infulas cum favore et gloria seculari optinuit, licet non ita cum favore Dei; 7. Idus Octobris decessit. Oct. 10.

Ex historia regum: Rex Francorum Philippus congregato exercitu Aquitaniam intravit et multa municipia cepit, et dum inde rediret, Robertus comes Alenzonis se et terram suam ei submisit; et inde transiens rex Conchas et Vallem Redolii cepit. Et rex Iohannes Alenzonis castrum obsedit; rex vero Philippus venit ad castrum Moretonii, ubi erat militum tyrocinium, et exinde eo appropinquante rex Iohannes dimissis papilionibus et machinis et utensilibus[g] variis fuga se salvavit. Inde Brueriolas obsedit, sed Francis supervenientibus[h] non sine rerum suarum dispendio recessit. Idem Iohannes rex Arturum nepotem suum habebat in carcere, quem contra ius nature hoc anno dicitur interfecisse; cepit itaque oppidum Dolum et vastavit Philicherias et totam terram illam. Rex Philippus obsedit Ratispontem, et in tribus septimanis cepit, cum 20 militibus castrum defensantibus. Inde clavem totius Normannie, Gaillardum, a rege Richardo ante paucos annos mirabiliter firmatum obsedit, et insulam que est iuxta Andeliacum. Et primo quidem ex una parte Sequane a plaga meridiana obsedit munitionem sitam in insula, sed cum parum[i] proficeret, proposuit etiam obsidere ex alia parte et fecit de universis portubus adduci[k] naves innumeras — et fixit tentoria ex altera parte Sequane. Guil. Arm. 76. ibid. 77.

Sicque in tribus septimanis post multos assultus cepit rex totum Gaillardum — et sibi retinuit positis municipibus et victualibus copiosis. ibid. 79.

Apud Cistertium mortuus est hoc anno magister Alanus de Insulis[88], doctor ille famosus et[l] scriptor[m] Anticlaudiani, qui in theologia fecit quandam artem predicandi, et contra Albigenses, Valdenses, Iudeos et Sarracenos libellum edidit succinctum ad Guilelmum Montispessulani[89] domnum; et alia quedam ipsius habentur opuscula.

Hic etiam potest annotari obitus domne Humeline Ambianensis[90], cuius vita et visiones haberi dicuntur a nonnullis religiosis. Hec habuit filium, nomine Theobaldum, qui, ut suo loco[91] annotabimus, fuit archiepiscopus Rothomagensis.

Anno 1203. Philippus Magnanimus Normanniam intravit usque ad oppidum de Falesia, cuius oppidani post septem dies se reddiderunt regi, idem fecerunt — municipia circumiacentia. Guido insuper de Thoarchio, dux Britannie, Nor- ibid. ibid. 80.

---

[a] Messinopolim 2. [b] Bodecave 2. [c] *deest* 2. [d] Mortulfus 2. [e] contra nostros misit 2. [f] stans 1. [g] utensibus 1. [h] pervenientibus 1. [i] palam 2. [k] adducere 2. [l] *deest* 1. [m] famosus et scriptor ille 2.

[86] Agnetem. [87] Eppstein. [88] Lille. [89] Montpellier. [90] Amiens. [91] Anno 1221.

manniam ingressus montem Sancti Michaelis obsedit, marinis fluctibus recedentibus Britones in villam ignem miserunt, qui statim omnia corripiens — in cinerem redegit. Hoc facto[a] Abrincas in eodem furore ceperunt — et ita usque Cadomum devenerunt. Ubi rex Philippus communicato cum eis verbo remisit eos ad pontem Ursonis[b] et Moretonium cum comite Bolonie et Guilelmo de Barris et pluribus aliis. Ipse vero Rothomagum reversus cepit forteritiam que Barbacana[c] dicitur, que firmata fuit in capite pontis; tandem cives tradere civitatem sunt compulsi. Et ita[d] rex caput Normannie Rothomagum optinuit[e].

Rex Iohannes in Angliam transfretaverat, summam belli Ruptariis derelinquens. Unde minore sumptu et labore rex Philippus totam Normanniam in brevi optinuit, que a tempore ducis Rollonis per 300 circiter annos a dominio Francorum, non tamen a feodo recesserat[f], reddendo regibus Francorum servitio annuo secundum consuetudinem feodalem. Nunc ab ipso rege tanquam a vero domno possidetur et regitur firma pace. Et sicut reges Anglie sunt vel fuerunt heredes ducis Rollonis, ita et reges Francie probantur esse veri heredes sic ducis Rollonis: de Guilelmo Notho, qui fuit dux Normannie sextus a Rollone et fuit etiam rex Anglie, nati sunt magnus Henricus rex Anglie et soror eius Adela, comitissa Campanie; de magno Henrico nata fuit Mathildis imperatrix, mater illius Henrici[g], qui fuit pater Richardi regis; de Adela comitissa Campanie natus est[h] rex Anglie Stephanus, et magnus Theobaldus comes Campanie, pater illius Adele, que fuit mater Philippi Magnanimi. Item alio modo probatur: de sorore regis Richardi, que dicta est Alienor, nata est domna Blanca regina Francie, mater istius Ludovici, qui regnat in presenti[92]. Unde cum rex iste iam ex duabus lineis sit de genere Rollonis, ulterius rationabiliter non poterunt dicere Normanni, quod verum hereditarium suum perdiderunt.

Guil. Arm. 80. Ex historia regis[i]: Interea Cadocus et qui cum eo a rege missi sunt, civitatem Andegavorum ceperunt, et ipse rex sequenti autumpno cepit florentissimam Pictavorum civitatem, et duo castra munitissima, Kynonem et Lochas, obsedit.

Magister Gerardus de Duaco[93] fit Cathalaunensis episcopus.

Quidam sanctus Drogo apud Seburgum[94] in Hainaco tumulatus cepit hoc anno miraculis innotesci.

Guido cantor Sancti Stephani Cathalaunensis, frater Nicholai viri nobilis de Bazochiis[95] et abbatis Milonis Sancti Medardi Suessionensis, scripsit librum unum apologeticum et usque ad mortem regis Richardi librum historiarum, a mundi principio breviter transcurrendo[i*] usque ad tempus suum, cuius dicta suis in locis in hoc opere annotavimus, et scripsit de mundi regionibus libellum unum, de[k] eodem volumine coartatum, et preter hec volumen aliud satis rhetoricum epistolarum diversarum. Unde et[l] quia ista scripsit et quia[m] in hoc anno decessit, hec de eo diximus, ut sciatur quis fuerit.

Per abbatem Arnaldum Cisterciensium et per fratrem[n] Petrum de Castro Novo[96], ex regulari canonico factum monachum, cepit contra hereticos Albigenses fervens predicatio et hoc de summi pontificis mandato. Qui de historia ista Albigensium plenius cognoscere[o] voluerit, habetur libellus monachi domni Guidonis abbatis de Sarnaio[97] et episcopi Carcassonensis, ubi totum illud negotium diligenter explicatur.

Domnum Gossuinum, primum[p] Clarevallis et postea de Chiminon[98] monachum, usque ad hunc annum vixisse percepimus. Qui scripsit miracula et visiones, de quibus quasdam in superioribus annotavimus.

Obiit Petrus episcopus Attrebatensis.

1204. Anno 1204. In Ungaria obiit rex Hemericus[q]; filius eius Lodislaus[r] puer mortuus regnat in celis. Post Hemericum[s] regnavit super Hungaros Andreas, frater eius.

Civitas magna Constantinopolis acquisita est a Francis, et comes Balduinus Flandrie[t] factus est imperator, unde versus:

Quatuor exemptis et[u] annis mille ducentis
Apr. 13. *Idibus Aprilis Roma secunda ruit.*

De hac itaque historia hec sunt, que referuntur in eiusdem imperatoris Balduini[v] epistola: Sicut, inquit, opera hominum non fuere[w] — nisi deiciatur Alexius.

Ep. Bald. 520. Item unde supra de alia relatione: Interea factum est nostris extra civitatem valde carum tempus, ita quod panis duorum denariorum[x] Parisiensium die tertia 26 valeret, et ecce navis de Brundusio venit onerata victualibus, cuius magister vocabatur Lucarius,

---

a) *deest* 1. 2. b) Meronis 2. c) Barcana 2. d) *deest* 1. e) optinuit Roth. 2. f) recesserant 1. g) Henrici illius 2. h) fuit 2. i) regum 2. i*) aetates *vel aliud similis notionis verbum omissum est.* k) in 2. l) *deest* 1. m) *deest* 2. n) per fratrem *desunt* 2. o) agnoscere 2. p) primo 2. q) Henricus 2. r) Lodizlaus 2. s) Henricum 2. t) Flandrie Bald. 2. u) sex 1. 2. v) Bald. imp. 2. w) *deest* 1. x) *deest* 1. 2.

[92] 1226—1270.

[93] Douai.

[94] Sebourg, départ. Nord, arrond. Valenciennes.

[95] Bazoches, départ. Aisne, arrond. Soissons. De hoc Nicholao cf. a. 1211.

[96] Castelnaudary, départ. Aude.

[97] Vaux-de-Sernai, départ. Seine-et-Oise, arrond. Rambouillet.

[98] Cheminon, dép. Marne, arrond. Vitry-le-Français.

denique omnes escas emerunt et iuste distribuerunt. Morcuflus igitur, Alexii cognatus, 1204. Grecorum meliores convocavit et concionatus est ad[a] eos de redditione palatii Blakerne, addens quod Alexius nichil valeret, et si civitas assiliretur, forte redderet eam Francis, quod, si ipsum vellent facere imperatorem, iuraret se eis terras amplas et pecunias multas donaturum. Talibus itaque illos[b] blanditiis traxit et illexit, ut sibi consentirent et hominium facerent. Nec mora, circiter 15 milia hominum congregavit et expugnare Blakernam ascendit. Nuntius hec Alexio retulit. Qui pavefactus, congregavit tamen quotquot potuit et armatus contra hostes[c] descendit appetiitque Morcuflum lancea, concertantibusque[d] ceteris facta est civium cedes multa; tandem Morcuflus Alexium cepit et incarceravit. Quod audiens Ysacus tristis, eo quod Alexius fidem non servasset Francis, dolore nimio defunctus est. Morcuflus autem convocatis aliis Grecis, qui huc illucque per urbem erant, acceleravit, ut sibi hominia facerent. Sequenti nocte cogitans, ne aliquo casu Alexius eiceretur de carcere, sicut Ysacus antea[e] fuerat eiectus, misit servos suos[f], ut funem imponerent collo illius et sibi funis caput traderent, et ita funis trahens laqueum ipsum crudeliter strangulavit. Iterum factum est nostris valde carum tempus, et multos equos comederunt, facientesque plures assultus, urbem nequaquam intrare potuerunt. Tres preterea ducis Venetie milites uncis ferreis tracti sunt a Grecis, a Morcuflo combusti sunt videntibus nostris, nec prece nec pretio potuerunt redimi a morte tam horribili. Qualiter ycona[g] acquisita fuerat: Rursus mente consternati, profecti sunt ad predam victualium; usque ad mille animas hominum cum Henrico, fratre Balduini, venerunt ad castrum, quod Affileta dicitur. Hoc fortiter assilientes intraverunt ceperuntque intus unde posset[h] vivere exercitus 15 diebus. Qui autem evaserant, venerunt et hec Morcuflo nunciaverunt. Qui nimium[i] ira commotus precepit suis, ut preparentur ad illos qui castrum spoliaverant persequendos, et cum ipso etiam patriarcha Sampson cum ycona[g] veniret. In hac mirabiliter fabrefacta est maiestas Domini et imago beate Marie et apostolorum cum reliquiis in ea repositis. Ibi est dens, quem in pueritia mutavit Iesus, et ibi habetur de lancea, qua in cruce fuit vulneratus, de sindone et de 30 martiribus. Hanc yconam[k] cum in preliis ferre essent soliti, nequaquam antea potuerunt ab hostibus superari. Morcuflus itaque duxit secum de melioribus Grecis, ne forte rediens urbem ingredi non[f] permitteretur a reliquis; decem igitur milia bellatorum cum eo fuerunt[l], et quiete exeuntes in brolio[m] quodam frondoso se absconderunt. Postmodum nostri per centenos sunt distributi, et audierunt eos venientes cum strepitu. A Morcuflo Petro de Navarres tradita fuerat antecustodia. Qui per superbiam incedebat[n] inermis, redimitus circulo aureo, capite nudato. Hunc anticipans Henricus percutere gladio, circulum aureum scidit illi et in profundum duos digitos cranei. Igitur quoque[o] nostrorum[p] deiciente et occidente hostem obvium, dissipata est acies prima Grecorum. Livernas ita percussus fuit cuiusdam machera[q], quod in eius capite impressa est galea. Petrus de Brachvelis[r] Sampsonem patriarcham super galee nasale sic percussit, quod ille cadens[s] ad terram yconam[t] dimisit, quam Petrus descendens de equo audacter arripuit; ad quem nostri festinanter convenerunt Grecosque impetu maximo repulerunt. Morcuflus ita percussus est ibi, quod cecidit super collum equi sui; fugerunt ergo de prelio quam citius potuerunt Greci. In bello illo nullus miles mortuus est de nostris et cum tripudio gaudii ceperunt ad exercitum reverti.

Item de hac victoria sic habetur in supradicta imperatoris epistola: Ad predam victualium — ordini Cisterciensi nostri dedicavere victores. Ep. Bald. 521.

Sequitur narrationis persecutio: Greci vero in urbem[u] reversi[v] dixerunt alter ad alterum, quod per Morcuflum verecundati erant[w], consilioque accepto fecerunt Nicholaum[99] imperatorem, apud Sanctam Sophiam congregati. Morcuflus hec audiens cum armis occurrit illis, factumque est prelium et cedes multa clamorque, quem audierunt nostri. Facta vero nocte Morcuflus illexit Nicholai fautores promissis et muneribus, ita quod mane de hesternis medietatem non habuit Nicholaus; tandemque captus est a Morcuflo et incarceratus et deinde occisus.

Sequitur epistola: Acclamante igitur clero — et firmitatis antique etc., prout habentur in epistola imperatoris Balduini, que sic incipit: Reverendo patri usque dat terga devictus. ibid.

---

a) *deest* 1. b) illis 1. c) hostes contra 2. d) que *deest* 2. e) ante 1. f) *deest* 2. g) yconia 2. h) possent 2. i) nimia 2. k) yconiam 2. l) fuerunt cum eo 2. m) boslio 1; broslio 2. n) incendebat 1. o) quemque 1. 2. p) nostrum 2. q) machea 1. 2. r) Brachnel 2. s) cadere 1. 2. t) yconiam 2. u) urbe 2. v) *deest* 2. w) sunt 2.

[99] Hic in epistola Balduini *Nicolaus quidam*, a Niceta p. 362 *Nicolaus Canabus* vocatur.

1204. Albricus: Fugiendo autem venit[1] ad Andronicum, de quo superius est tractatum, qui, ut audivit que per eum[a] facta sunt, ipsum excecari fecit. Qui eodem anno Constantinopolim reductus saltum fecit de supremo gradu cuiusdam capitolii, et ita confractus et collisus[b] finivit.

Sequitur epistola: De fuga igitur eius comperto Grecorum plebs attonita etc. usque in oculis nostris.

Albricus: Quod hic adiungitur sumptum est ex alia relatione. Itaque Grecorum reliquie consilio accepto venerunt ad nostros inermes, primoque clerici misericordiam petentes, qui eos securos benigne fecerunt, illique ipsis gladios suos humiliter reddiderunt. Quarta[c] Apr. 16. vero subsequente[d] nocte postquam capta est civitas, videlicet 16. Kalendas Maii, celo sereno existente[e], luna 12, facta est eclipsis lune[e] generalis et manifesta. Duodecim electores de communi assensu sunt constituti, videlicet[f] duo episcopi nostri, Nevelo Suessionensis et Garnerius Trecensis, tertius quoque de Saxonia episcopus domnus Conrardus Halverstatensis, episcopus de Bethleem[1*] auctoritate apostolica delegatus, magister Iohannes Aconensis electus et abbas Petrus de Lucedio[g][2] in Lombardia, qui postmodum[2*] fuit Mai. 9. patriarcha Antiochenus, sex isti cum sex Venetorum baronibus dominica Misericordia Domini oratione premissa nominaverunt de concilio ducis Venetie comitem Balduinum Flandrie et elegerunt in imperatorem, qui post dies octo intronizatus est, et vestibus auratis lapidibusque[h] pretiosis intextis nec non et caligis rubeis secundum morem indutus. Civitas ornatur cortinis palliisque et vestibus pretiosis. Comes[3] Sancti Pauli portavit ante illum gladium imperialem et marchio[4] vestem deauratam usque ad Sanctam Sophiam. Consecrato data est vestis imperialis et calige que erant de corio[i] rubeo[k] cum lapidibus pretiosis. Cum imperator Balduinus[l] comitissam[5] Flandrie mandasset et illa ad eum venisset, facta de eo gravida, ad partes transmarinas abiit, ubi cum esset in Acra princeps Antiochie[6] ad eam venit, et ei[m] vice mariti sui tanquam imperatrici Constantinopolitane homagium fecit. Quo recepto illa in Acra[n] obiit.

Anno isto post longam concertationem Theobaldi de Pertico[o][7] contra Philippum Belvacensem episcopum, qui ab una parte fuerat postulatus in Remensem archiepiscopum, sed per dictum Philippum Theobaldus[p] cassatus[q]; devenit electio Remensis ad manus summi pontificis. Iam exierant a Roma litere continentes mandatum pape, ut abbas Guido Trium Fontium fieret[r] archiepiscopus Remensis, cum idem abbas interim vocante se Domino viam universe carnis ingreditur; et alter Guido episcopus cardinalis Prenestinus, Alemannie legatus, factus est archiepiscopus Remensis.

Guil. Arm. 80. Ex historia regum: Rex Francorum Philippus Magnanimus cepit Lochas et tradidit eas nobili viro domno[s] Drogoni de Melloto. Inde Kinonem cepit et sibi retinuit.

Comitissa Campanie Blancha castrum nobile atque fortissimum, quod dicitur Sancte Manehildis[8], firmabat super Axonam fluvium ad tutelam gentis, facta tamen pro loco eodem commutatione quadam apud castellanum Vitriaci[9] et de consensu et voluntate regis Francie. Similiter comes Barri[10] castrum optinuit Clarimontis[11] Virdunensis dyocesis, heredibus tam vi quam muneribus alienatis. Per ista duo refugia spoliabantur pretereuntes; unde gaudium fuit vicinis, quod predones alienati sunt ab eis.

Hic obiit Galterus[t] senior regis Francie camerarius, qui fuit nobilior gestis quam genere.

Dictum est superius in anno 1167 de principe Antiochie Renaldo[u] et de filiabus eius. Qui Renaldus sororem habuit, que peperit Renaldum de Monte Falconis[12] in Bituria et duas sorores illius. Harum una, Avelina de Traci[13], viro nobili Ursoni peperit Herveium et Avelinam, Nemosii domnam, que Galtero[v] predicto camerario regis peperit tres episcopos, Noviomensem, Parisiensem et Meldensem[14], de quibus suo loco dicemus[15], et quatuor milites, Philippum de Nemosio[16], Ursonem, Galterum iuniorem et Iohannem, quorum adhuc in curia vigent heredes. Sed hec ad presens breviter tetigisse sufficiat[w].

---

[a] ipsum 2.
[b] vitam *superscrip.* 1 *man. saec. XV.*
[c] Quarto 1.
[d] sequente 2.
[e] *deest* 2.
[f] scilicet 2.
[g] Ludio 2.
[h] que *deest* 1.
[i] coreo 1. 2.
[k] rubio 2.
[l] imperator repetit 2.
[m] eam 1.
[n] Acram 1.
[o] de Pertico *desunt* 2.
[p] cassatus Theob. 2. *Locus corruptus.*
[q] castus 1.
[r] *deest* 1.
[s] domno viro nobili 2.
[t] Galtherus 2.
[u] superius de Ren. prin. Ant. in anno 1167 2.
[v] Galthero 2.
[w] sufficiant 1.

[1] Morcuflus.
[1*] Petrus.
[2] Lucedio a Vercellis inter meridiem et occidentem.
[2*] 1208—1219.
[3] Hugo.
[4] Bonefacius de Monteferrato.
[5] Mariam.
[6] Boemundus IV.
[7] Le Perche.
[8] Sainte-Ménéhould, départ. Marne.
[9] Vitry-en-Perthois vel Vitry-le-Brûlé.
[10] Theobaldus I.
[11] Clermont en Argonne.
[12] Montfaucon, départ. Cher, arrond. Saint-Amand.
[13] Tracy-le-val, départ. Oise, arrond. Compiègne?
[14] Stephanum, Petrum, Guillelmum.
[15] Anno 1213 et 1228.
[16] Nîmes.

Anno 1205. Hemericus[a] vicecomes Thoartii — regi Philippo federatur, et rex dedit ei quoddam oppidum in Pictavia, Laudunum nomine, cum senescallia totius Pictavie, sed orta postmodum inter eos discordia neutrum potuit in medio tempore possidere. Guil. Arm. 80. 81.

Rex Russie, Romanus nomine, a finibus suis egressus et per Poloniam transire volens 1205. in Saxoniam, et ecclesias destruere volens sicut falsus christianus, a duobus fratribus Polonie ducibus Listec et Conrardo super Wisselam fluvium[17] Dei iudicio percutitur et occiditur, et omnes quos secum aggregaverat aut disperguntur aut interficiuntur.

Apud Constantinopolim uno tantum anno imperator Balduinus imperavit.

Ultra brachium sancti Georgii apud Nicheam, unde dicta est sinodus Nichena, uno similiter anno regnum optinuit comes Ludovicus[18]. Et marchio Montisferrati[19] apud Thessalonicam rex est constitutus.

Otto de Rupe[20], cuiusdam nobilis Pontii de Rupe in Burgundia filius, quodam miraculo fit dux Atheniensium atque Thebanorum.

Gaufridus de Villa Harduini[21], Iohannis filius, nepos Gaufridi Campanie marescalli, Montionis insulam, id est Sicioniam[b] et Achaiam, et civitatem Micenas[c] optinuit.

Lacedemonia et Corinthus, Andrenopolis, Messinopolis et Philippis civitates Grecie, licet a nostris fuerint acquisite, postea tamen fuerunt perdite, similiter quedam insula non longe a Constantinopoli ultra brachium, que[d] vocatur Cizicum sive Kisicum, id est Eskisin; metropolis erat, cuius suffraganea fuit Troia sive Troada; et ad duas dietas continuatur Mitilenensis insula, que archiepiscopum habet.

Livernas autem princeps ad hoc adductus[e] est, ut sororem regis Francorum, imperatricem, quam huc usque tenuerat absque legalibus nuptiis, legitimo sibi coniungeret matrimonio; et filiam eius dederunt viro nobili Nargaldo de Torceio[22], Guidonis de Dampetra[23] consobrino.

Itaque in Bulgaria, que est inter Hungariam et Greciam, apud civitatem Ternoam regnabat quidem Iohannicius[f] Bulgarie et Blackarie domnus, qui sibi nomen assumens imperatoris, imperatori Balduino et Latinis bellum indixit[g] vel eos[h] ad bellum provocavit. Contra quem Balduinus duxit exercitum, sed heu! dum insidias non precavit, captus est ab eo per dolum in paludibus aquosis, de[h] quibus non possent exire nisi terre indigene. Hic ergo ita captus cum sociis apud Ternoam fuit incarceratus. Unde de morte huius Balduini non affirmando, sed simpliciter refero[i] quod a quodam presbitero Flandrensi dicitur. Qui per civitatem Ternoam de Constantinopoli repatriando iter habuit, hec retulit, quod uxor Iohannicii, dum ille alias intendit, misit imperatori ad carcerem verba suasoria, dicens quod si eam in uxorem ducere et Constantinopolim vellet secum deducere[k], ipsum in instanti liberaret a carcere et captivitate. Que promissa dum ab imperatore fuissent repudiata et pro nichilo computata, illa apud[l] maritum suum usa est nova querimonia, dicens quod imperator ei promiserit, quod eam Constantinopolim secum adduceret[m] et in[h] imperatricem coronaret, si eum de illa captivitate liberaret. Ac sic dum Iohannicius esset quodam sero ebrius, imperatorem adduci fecit, et coram se interfici, et ita de mandato eius imperator securi occiditur et canibus relinquitur et per edictum publicum mors eius celari iubetur. Ad hoc etiam, quod in Ternoa fuerit occisus, consentit domnus archiepiscopus Iohannes Mitilenensis, et unus monachus magister Albertus, qui eodem anno ibi per Ternoam transitum habuit; addidit supradictus presbiter[n] Flandrensis, quod quedam mulier de Burgundia manens in Ternoa vidit de nocte quadam micare luminaria ad corpus occisi, et illud in quantum voluit[l] honeste tradidit sepulture. Ubi quedam fuisse miracula facta[o] dictus[p] presbiter, qui in eiusdem mulieris hospitio pernoctavit, sicut ab illa audierat, retulit, et maritum ipsius mulieris ibi sanatum fuisse a dolore dentium et febrium.

Dixerat imperatori Balduino quidam Grecus subdolus, nomine Lascarus, quod si eum cum exercitu mitteret ultra brachium sancti Georgii, totam patriam illam Grecorum eidem[q] subiceret. Qui cum missus fuisset, grece colloquium habuit cum Grecis, et se apud

---

a) Henricus 2. b) Sicionis 2. c) Mecenas 1. d) *deest* 1. 2. e) inductus 2. f) Iohanicus 2. g) induxit 1. h) *deest* 2. i) *addidi.* k) adducere 2. l) *deest* 1. m) deducere 2. n) episcopus 2. o) miracula facta fuisse 2. p) predictus 2. q) illi 2.

17) apud Zawichost. 18) Blesensis. 19) Bonefacius. 20) Roche-Aimon. 21) Villehardouin, départ. Aube, arrond. Troyes. 22) Legendum est: *de Toceio* = Toucy, départ. Yonne, arrond. Auxerre. Cf. annum 1239. 23) Dampierre-Saint-Dizier, départ. Haute-Marne, arrond. Vassy.

1205. Nicheam imperatorem constituit. Similiter quidam Michalis, dum missus fuisset versus Durachium in partibus illis, se ducem fecit de consensu Grecorum. Isti sunt, quos reliquit Dominus in terra, ut in eis experiretur Israel, populum videlicet Latinorum. Factus est autem pro Balduino imperator Constantinopolitanus Henricus frater eius, qui per annos 12 multa bella commisit et frequentes triumphos de adversariis habuit.

Nevelo Suessionensis episcopus a Constantinopoli reversus est[a] in Gallia, plurimas sanctorum secum ferens reliquias. Qui cum esset in itinere positus, obiit in Apulia sepultusque fuit in Barrensi beati[a*] Nicholai ecclesia[24], reliquias vero quas habebat sub testamento designavit ad diversas ecclesias, ecclesie Cathalaunensi dedit cubitum brachii[b] beati Stephani; et episcopus Garnerus misit Trecas caput Philippi apostoli.

In partibus Asie Maioris versus Mesopotamiam et Armeniam quidam Ionas vir venerabilis patriarcha erat in civitate Susis. In huius Ione manibus, dum missam celebraret more sue gentis, hoc est secundum consuetudinem Surianorum, tale fertur accidisse miraculum, quod panis ille magnus fermentatus, unde fiebat sacrificium, in parvam et pulchram convertitur hostiam ad morem sacrificii Latinorum, et calix ligneus adnichilatur cum cochlearibus[c], recepto[d] vero[e] sanguine in argenteo calice; et hoc accidit in festo Iun. 24. beati Iohannis baptiste huius anni, unde plures Surianorum ecclesie, Armenii, Georgiani, Lubiani, Nubiani et Iacobite ad consuetudinem sancte catholice et Romane ecclesie de die in diem per hoc miraculum ceperunt converti. Et iste Ionas patriarcha magno concilio Romano, de quo suo loco[25] tractabitur, interfuit et postmodum[26] in patriarcham Alexandrinum promotus est.

Obiit magister Petrus Pictavinus cancellarius Parisiensis, qui per annos 38 theologiam legerat Parisius[f], cuius habentur sententie et[b] distinctiones sive[g] postille, et qui pauperibus clericis consulens excogitavit arbores historiarum veteris Testamenti in pellibus depingere, et de vitiis et virtutibus similiter compendiose disponere.

1206. Anno 1206. Bellum fuit super Renum inter Ottonem et Philippum iuxta Coloniam[27], et captus est archiepiscopus Bruno de Sena[28], et Otto devictus.

De Iohannicio rege Bulgarie audivimus quod, cum iret contra Thessalonicam, a beato Demetrio fuit interfectus. Cui successit apud Ternoam cognatus eius, nomine Burillus, et imperator est appellatus; et quidam cardinalis a domno papa ad eum fuit transmissus, filiam quoque suam dedit Constantinopolitano imperatori[b] Henrico, et ita pacem ad invicem habuerunt. Tres ergo erant[h], qui se imperatores nominabant, duo isti de quibus hic agitur, Henricus et Burillus[i], et tertius, qui regnabat apud Nicheam, Lascharus nomine.

In Hungaria regnabat Andreas, et in Dacia Waldemarus III. post fratrem suum regem[b] Kanutum regnavit.

Domnus Guido cardinalis Prenestinus, Remorum archiepiscopus et apostolice sedis legatus, moritur.

In Anglia post mortem archiepiscopi Cantuariensis, qui dicebatur Hubertus Galteri, electus est de voluntate regis quidam clericus eius, nomine Iohannes Grait, sed per monachos Cantuarienses coram papa cassata fuit eius electio, et factus est archiepiscopus magister Stephanus de Languetone, nominatissimus doctor theologus[k], cuius habentur libri super prophetas, super psalterium et postille super beati Pauli epistolas; et multa alia[l] dicitur scripsisse. Hic ergo expulsus a rege Iohanne venit in Franciam, et apud Pontiniacum[29] secum habitavit[m], ubi multa scripsit. Monachi quoque de Cantuaria expulsi, nec in Angliam remanere permissi, habitarunt in diversis Francie monasteriis, donec post longum exilium fuerunt revocati. Predictus autem Iohannes fuit postea Norwicensis episcopus.

Guil. Arm. 81. Pridie Nonas Iunii obiit Adela regina Francorum, mater regis Philippi.

Orta autem simultate inter Philippum Francorum regem et Haymericum vicecomitem Thoarcensem et fratrem eius[l] Guidonem Britannie ducem, rex cum exercitu accessit Nannetim civitatem Armoricorum florentissimam, que statim ei reddita fuit, et idem Guido se voluntati regis submisit. Inde rex per Pictaviam et per[n] Normanniam in Francia est reversus. Rex vero Iohannes Rupelle applicuit et cum vicecomite Thoarcensi Andegavium venit et eam optinuit et totum

---

a) *deest* 1. 2. a*) sancti 2. b) *deest* 2. c) coclearibus 2. d) reperto 2. e) *deest* 1. f) qui — Parisius *desunt* 1. g) et 2. h) fuerunt 2. i) Hen. et Bur. *desunt* 2. k) theologicus 2. l) *deest* 1. m) habuit 1. n) *deest* 2.

24) Bari in Terra di Bari. 25) Anno 1215. 26) Huius nominis patriarcha in patriarcharum serie non recensetur. 27) apud Wassenberg. 28) Sain, archiepiscopus Coloniensis. 29) Pontigni, départ. Yonne, arrond. Auxerre.

territorium Andegavense et Nannetense et pagum Credonensem et totam terram que dicitur Meduana devastavit. Rege Philippo Aquitaniam intrante, Iohannes clam recessit et per Rupellam in Angliam repedavit.

Sequenti mense Decembri nimia aquarum inundatio ex[a] insperato erupit, que molendinorum, pontium et domorum vicinarum stragem fecit, plurimos etiam preoccupatos necavit et segetes circa ripas fluminum[b] perdidit. Parisius pons qui Parvus dicitur[c] corruit, per vicos aqua elevabatur usque Guil. Arm. 81. ad secunda domorum tabulata, nec poterat ibi aliquis domum suam intrare vel exire nisi navigio. Sed facta oratione et processione a clero et populo paulatim recesserunt aque.

Obiit Bartholomeus[d] Turonorum archiepiscopus, ad quem scribitur Thobias versificatus, cui succedit Gaufridus vir sanctissimus Parisiensis archidyaconus per annum et dimidium, post quem Iohannes archiepiscopus ordinatur. Bertrannus, qui erat cancellarius Parisiensis post Pictavinum, factus est archiepiscopus Ebredunensis[29*], et magister Prepositinus[e] factus est cancellarius Parisiensis.

Anno 1207. Pridie Kalendas Martii fuit ecclipsis solis particularis in 16. gradu piscium, hora diei 5. Obiit ib. 771. 81. Galterus Rothomagensis archiepiscopus, et vacavit sedes fere per annum. Tandem successit magister Robertus Pulanus, qui fuit theologus.

Philippus rex Francorum iterum collecto — sibi retinuit.

Comes Barri Theobaldus exercitum a Francia, Burgundia et Campania[f] collegit. 1207. Vicum[30] in dyocesi Metensi obsedit, cepit et ex magna parte destruxit, cuius incolas usque ad centum per castra sua sub arta custodia captivatos dimisit. Deinde generum suum ducem[31] Fredericum aggressus, partem terre illius vastavit et castrum de Prinneio[32] subvertit.

Et hic[g] annus pre nimia siccitate veris et etatis satis extitit calamitosus.

Remis interea post longam concertationem Theobaldi de Pertico contra supradictum Belvacensem episcopum[33] et suos auctoritate pape datus est Remensis archiepiscopus magister Albricus[h] Parisiensis archidyaconus, mediante Parisiensi episcopo venerabili Odone. Per eundem quoque episcopum Odonem factus est magister Herveius episcopus Trecensis et Haymo cantor Remensis ordinatur episcopus Suessionensis.

De principio christianitatis in Prutia: Abbas Godefridus de Luckina[i. 34] in Polonia cum monacho suo Philippo Wisselam fluvium, paganos dividentem et christianos, transivit et Pruthenis paulatim predicare incipiens, ducem Phalec ad fidem convertit et postmodum fratrem eius regem Sodrech. Monachus Philippus ibi martirizatus est; et abbas Godefridus primus fuit episcopus regionis illius, et post eum fuit quidam episcopus nomine Christianus.

In Livonia Bertoldus secundus episcopus martirio coronatur[35]; cui succedit in episcopatu clericus quidam Bremensis, vir bonus et Deum timens[k], nomine Albertus, qui civitatem[36] firmavit. Eidem associatus est in predicatione vir mirabilis et nobilis comes Bernardus de Lippa in Westfalia, qui factus est abbas de Dunemunde[l. 37], id est de portu beati Nicholai, secundus; postmodum[38] ordinatur primus Selonensis[39] episcopus. Iste tres filios habuit episcopos, videlicet archiepiscopum Gerardum[m] Bremensem et episcopum Ottonem Ultraiectensem et episcopum Bernardum Padeburnensem.

Occasione autem predicationis, quam fecerunt abbates Cisterciensis ordinis ad Albigenses vel contra sectam Albigensium, cepit hoc anno novus ordo fratrum Predicatorum per duos honestos viros, fratrem Dominicum Hispanum et fratrem Renaldum Aurelianensem, Sancti Aniani cantorem, qui primo apud Tholosam domum habuerunt, sed de illa pulsi apud civitatem Bononiam in Italia coadunari ceperunt, et in quadam nova ecclesia sancti Nicholai, que data est eis, congregationem fecerunt. Similiter Parisius datum est eis quoddam hospitium sancti Iacobi, a quo denominantur Iacobite, ubi fecerunt ecclesiam et claustrum. Exinde autem Romam abierunt et ita per regnum et imperium dispersi sunt. Isti legunt regulam beati Augustini et habent superiorem, qui vocatur prior generalis. Vixit abhinc frater Dominicus annis 14[n]. Cepit insuper hoc eodem tempore alius ordo

---

a) et 1. b) fluvium 1. c) dicitur parvus 2. d) Barthomeus 1; Bertholomeus 2. e) Prepōitinus 1. f) Aquitania 2. g) *deest* 1. h) Albericus 2. i) Lukina 2. k) timens Deum 2. l) Dunomonde 2. m) Bernardum 1. n) *in marg. superiore 1 man. saec. XIV exeunt.:* Nota, anno 1208 incepit ordo Predicatorum in Tholosa. *In marg. sup. secundae seriei eiusdem paginae:* Eodem anno ordo Minorum in Lumbardia Tuscia.

29*) Embrun. 30) Vic, départ. Meurthe, arrond. Château-Salins. 31) Lotharingiae. 32) Prény, départ. Meurthe, arrond. Nancy. 33) Cf. a. 1204. 34) Lekno vel Wongrowitz. 35) 24. Iulii 1198. 36) Riga. 37) Dünamünde, cuius monasterii abbas Bernardus anno 1211 electus est. 38) Anno 1218. 39) Selburg.

novus in Tuscia apud Assisium per quendam virum religiosum, nomine Franciscum, et isti fratres Minores ob humilitatem et abiectionem corporis appellantur. Habent enim propriam regulam et approbatam a papa Innocentio III, quam beatus Franciscus cooperantibus viris religiosis et peritis edidit, sed et morem legendi et psallendi secundum ritum ecclesie Romane eis instituit. Superiorem habent, quem ministrum generalem appellant.

1208. Dec. 25. Anno 1208. Rex Alemannie Philippus, qui contra Ottonem invaluerat, legatis apostolice sedis honorifice susceptis natale Domini Metis celebravit.

Dux de Nanceio Fredericus terram monachorum Gorziensium [40] incendiis aggressus est et rapinis contra comitem Barri eiusdem terre defensorem, memor iniurie anno preterito Feb. 3. a dicto comite sibi illate. Cui comes idem 3. Nonas Februarii tertia feria ex improviso superveniens cepit ipsum ducem cum duobus fratribus suis, quorum unus Theodericus de Inferno dictus est, quos per menses septem et amplius [a] in diligenti custodia in annulis detinuit, quousque pacem fecerunt [41] ad invicem ad comitis voluntatem.

In provincia Albigensium, cum predicatio facta fuisset per septem annos per abbates ordinis Cisterciensis, interfectus est apostolice sedis legatus frater Petrus de Castro Novo [42], a quodam Tholosani comitis satellite pessimo. Qui legatus cum moreretur dixit: *Deus tibi dimittat, et ego tibi dimitto* [43].

Littere apostolice sedis pro cruce signandis contra Albigenses profecturis per Franciam et Burgundiam et vicina loca diriguntur; principes et episcopi multi cruce signantur.

Guil. Arm. 82. Eodem anno Henricus Francie marescalcus, Guilelmus de Rupibus et vicecomes Meleduni cum 300 militibus Francis conflixerunt [b] in Pictavia contra Savericum de Mallione et vicecomitem Thoarcensem; ibi preda excussa capti fuerunt 40 milites Pictavi, inter quos Hugo frater vicecomitis, Henricus Portaclea filius eius. A summo pontifice missus est Gallo cardinalis in Franciam legatus [c].

In illa parte Alemannie, que Franconia dicitur, que est inter Renum et Danubium, civitas habetur Bavembergensis [d], in qua rex Philippus, imperator ut credebatur futurus, in aula sua residens interficitur a comite Ottone de Withelebac, palatino ducis [44] Bawari, Iun. 23. prima die sue minutionis in vigilia sancti Iohannis baptiste. Ante cuius mortem stella cometa visa esse ab aliquibus memoratur. Hoc autem in eodem Philippo reprehenditur, quoniam episcopum Herbipolensem venerabilem Conradum vel iusserat vel dissimulando permiserat interfici. Episcopus autem Bavembergensis Engelbertus [45] huius regis mortem pertractasse dicebatur, unde et Romam abiit et a papa Innocentio III. fuit depositus, eo quod omnes accusarent eum, et tamen non multo post per eundem papam fuit restitutus. Post mortem vero regis regina uxor eius [46] dolore nimio afflicta defungitur mense Septembri [47].

Parisius mortuus est Odo episcopus vir nobilis et religiosus: Huius super tumulum [e] epitaphium tale reperitur:

Quem cathedre decoravit honor, quem sanguis avitus,
Quem morum gravitas, hic iacet Odo situs.
Presulis huius erat quod habent hec tempora raro:
Mens sincera, manus munda, pudica caro.
Lenibus hic lenis, toga nudis, victus egenis,
Vita fuit iuvenis clara, probata senis.
Bis sexcenteno Christi quartoque bis anno
Tredecimo Iulii transiit Odo die.

Cui succedit Petrus thesaurarius Turonensis, filius supradicti Galtheri camerarii regis [48].

Propter senectutem et debilitatem corporis Renerus prior Novi Monasterii Hoyensis [49], hortatu quorundam virorum religiosorum prioratum suum resignavit. Quod cum pervenisset ad aures venerabilis viri Hugonis Leodiensis episcopi [f], statim instinctu virorum religiosorum et magistrorum, Iohanne videlicet de Nivella, Petro scholastico Sancti Lamberti, Iohanne de Liro et aliorum multorum, tum propter ampliationem ville Hoyensis [g], tum propter amenitatem et situm loci et ecclesie exaltationem, prioratum illum mutavit

---

a) et amplius *desunt* 2. b) confluxerunt 2. c) A summo — legatus *desunt* 2. d) Bavenburgensis 2. e) eum 1. 2; *iam Leibniz corr.:* tumulum. f) Leod. ep. Hug. 2. g) Hoyenensis 2.

40) Gorze, départ Moselle, arrond. Metz. 41) Vide pacis tabulas ap. Calmet Hist. de Lorraine II, 375 ed. II. et Bouquet XVIII, 772. 42) Castelnaudary, départ. Aude. 43) Idem verbum teste Petro Vallium Sarneii monacho c. 8 legatus moriturus dixit. 44) Ludovici. 45) Ecbertus. 46) Maria. 47) Die 27. Aug. 48) Anno 1202. 49) Huy.

in abbatiam, ibique Alexandrum prefate ecclesie canonicum, licet non multum litteratum, 1208. tamen corpore castum et decorum, de voluntate quorundam capituli sui et consilio supradictorum virorum instituit in vigilia divisionis apostolorum, et in sequenti assumptione Iul. 14. beate Marie [a] virginis idem pius episcopus predictum Alexandrum benedixit in abbatem in Aug. 15. sua ecclesia, presentibus quam plurimis [b] personis ecclesiasticis et secularibus, evolutis a die fundationis prefate ecclesie 108 annis, in quibus isti subsequentes post Petrum heremitam fuerunt priores sive prepositi secundum morem ecclesie [c] sancti sepulchri in Ierosolimis, in cuius honore et memoria sepe dicta ecclesia fuit fundata: Iohannes ergo primus prefuit annis 30, qui obiit anno Domini 1146; cui succedit Liethardus annis 17, post quem Arnulfus annis 9, deinde Wesselinus per annos 24 tenuit prioratum et eum postmodum resignavit et in Castris [49*] se transtulit, ubi et sepultus iacet; post aliquod intervallum quidam [c] Renerus symoniacus de Cenefia [50] prioratum ab episcopo Alberto mediante pecunia extorsit et menses aliquot [a] tenuit, quibus expletis linguam suam, ut dicitur, comedit; eodem anno circa pascha factus est prior Franco vir nobilis, canonicus Sancti Egidii de Publico Monte [50*], quondam canonicus Sancti Lamberti mensibus 7; deinde electus est [c] magister Renerus phisicus natione Hoyensis, qui annis 12 fere tenuit; cui succedit domnus Alexander primus abbas, de quo in loco opportuno [51] dicemus. Omnes supradicti priores sive prepositi eandem sedem habebant in generali sinodo, quam modo habent abbates, excepto quod baculum pastoralem non tenebant [d].

Episcopus Robertus Lingonensis, qui post Hilduinum prefuit, moritur, eique succedit Guilelmus de Iovevilla [52].

Apud Virdunum inter clericos et laicos grave vertitur [e] discordie scandalum, pro quo et eorum episcopus [f] Albertus de Hirges [53] letaliter vulneratus occubuit. Cui Robertus primicerius patruus comitis de Grandiprato [54], post multas altercationes, sive iuste, sive iniuste, succedit.

In festo sancti Nicholai obiit episcopus Hugo Autisiodorensis. Dec. 6.

Dicit episcopus Cuviniensis [55] de Armenia, quod Tartari hoc anno primum bellum fecerunt in Maiori Armenia et ceciderunt de christianis 27000, et de Tartaris vero 63000. Qui venerant sine uxoribus; unde recedentes non fuerunt postea visi usque ad annos 20.

Dicitur, quod annus iste quinquagesimus sive iubileus et remissionis in curia Romana sit celebratus.

Anno 1209. Sicut in anno Domini 1197. modius siliginis venditus est 40 solidis, ita hoc anno 40 modii siliginis Rein. Leod. 1209. dati sunt pro 40 solidis, modius spelte melioris 15 denariis vendebatur.

Sanctus Guilelmus Bituricensis archiepiscopus hic obiit, cuius sanctitas et meritum miraculis evidentibus declaratur.

In civitate Metensi pro dissensione civium et clericorum per anni dimidium et ultra cessatum est a divinis, sed mediantibus viris religiosis pax rediit.

Remis moritur quidam Sancti Dyonisii canonicus regularis [g], magister Petrus, Riga cognominatus, Bibliothece versificator, apud scolares et studiosos opinione [h] celeberrimus.

In die pentecostes Ludovicus regis filius cingulo militie accingitur de manu patris sui apud Conpendium cum Guil. Arm. 82. maxima sollempnitate et conventu nobilium regni et largiflua victualium et donorum habundantia.

Ex historia regis: Cruce signati contra Albigenses proficiscuntur per turmas suas ad visitandum terram ibid. 82. Provincialem et Albigensium, ad exstirpandum hereses varias, que in partibus illis pullulaverant et fidem catholicam pro posse suo confundebant et enervabant. Fuerunt autem hii, qui erant in pectore signati cruce: Albricus Remensis, ibid. 92. Petrus Senonensis, Robertus Rothomagensis archiepiscopi, Galterus Eduensis [55*], Renaldus Carnotensis, Robertus Baiocensis, Iordanus Luxoviensis episcopi, episcopus Lemovicensis [56] et plures alii episcopi et persone ecclesiastice; Odo Burgundie dux, Herveius comes Nivernensis et multi alii barones et milites et populi [i] infiniti. Venerunt omnes apud Montempessulanum [56*], ubi matrona quedam predixit, civitatem de Bediers [57] ab eis evertendam et quedam alia predixit. Porro illi de Bedieres domnum suum, nomine Trenkevel, vicecomitem civitatis, ante decem annos [58] vel circa hoc super altare Marie [k] Magdalene trucidaverunt. Primo itaque cruce signati civitatem opulentissimam de Bediers ibid. 92.

---

a) *deest* 1. b) pluribus 2. c) *deest* 2. d) tenebat 1. e) fertur 1. f) episcopus eorum 2. g) quidam sanctus canon. reg. sancti Dyon. 2. h) *deest* 2. i) et populi *desunt* 1. k) *deest* 1.

49*) Mons? 50) Seneffe, prov. Hainaut? 50*) Peublemont. 51) Cf. annum 1236. 52) Joinville, départ. Haute-Marne, arrond. Vassy. 53) Hierges, départ. Ardennes, arrond. Rocroi. 54) Grand-Pré, départ. Ardennes, arrond. Vouziers. 55) Episcopatum Cuviniensem in Armenia frustra quaesivi; verbum depravatum esse videtur. 55*) Autun. 56) Limoges. 56*) Montpellier. 57) Beziers, départ. Hérault. 58) Anno 1167.

1209. ceperunt et muros funditus everterunt, 60000 hominum et amplius in ea trucidatis, et inde ad Carcassonam accedentes in brevi eam debellaverunt, indigenis ab ea emmissis[a] et vicinis — per quendam posticum exeuntibus.

Rogerus autem vicecomes de Bediers filius Trenkevel, cum esset hereticus, captus fuit in Carcassona, et in sua captione in custodia mortuus est. Et multa milia Albigensium, secundum quod premisimus, tam gladio quam igne perierunt, sed hec heresis videbatur esse ydra multorum capitum, quam Hercules aggressus est extinguere. Comite Tolosano Reymundo ex parte summi pontificis excommunicato et a principatu suo per iudicium G. Arm. 92. ecclesie abiudicato, barones repatriare volentes omni[b] clero et universitate catholicorum assentiente, invocata Spiritus sancti gratia elegerunt virum nobilem Simonem Montisfortis comitem, qui nuper a partibus transmarinis repatriaverat, iniungentes in fide, ut preesset exercitui christianorum et terre illi universe. Qui privatum commodum utilitati publice postponens — omnes hereticos quos apprehendit seva morte interire coegit — et multas victorias non sine miraculo consecutus est divino.

Vocatus est autem comes Tolosanus et dux Narbonensis provincie, licet nunquam ad plenum Tolose dominio potitus sit, per tres annos tamen[c] Tolosani ex magna parte debellaverunt hereticos cum nostris. Domnus Fulco abbas Floregie[59] in episcopum Tolosanum assumptus iam tertium habebat annum et a civitate Tolosa fuerat exclusus.

In civitate Carcassona positus fuit episcopus domnus Guido[d], abbas de Sarnaio[60], cuius monachus[61] libellum, sicut superius memini[62], de historia Albigensium conscripsit.

In partibus transmarinis Heymerico[e] rege Cipri mortuo, qui fuit regni custos Ierosolimitani post Henricum comitem palatinum[f] Campaniensem, eligitur in regem Iohannes comes Brienensis[62*], frater Galteri comitis, qui in Apulia occubuit[63]. Huic Iohanni data est in uxorem filia marchisi[64] Conrardi Constantia, cum esset heres regni. Cuius mater, antiqui regis Almarici filia, Isabella comiti Campanie Henrico duas illas peperit filias, de quibus iam dictum est[65].

Rein. Annal. 1209. Otto rex Romam adiit et ab Innocentio tertio papa consecratur in imperatorem 4. Nonas Octobris dominico die, sed antequam consecraretur iuravit pape et promisit, quod bona illa non repeteret, que idem apostolicus tempore dissensionis receperat et possederat. Qui consecratione[g] potitus omnia statim repetivit; itaque orta est discordia inter regnum et sacerdotium.

Guil. Arm. 84. Ex historia regis: Otto in imperatorem coronatur a papa[h] contra voluntatem regis Francorum Philippi — magnatibus imperii non assentientibus. Exegit tamen papa — multi de Teutonicis occisi sunt, et plurimi dampnificati, ita quod dictum est postea in illo bello mille centum equos amisisse imperatorem[i], preter homines occisos[k] et alia damna. Et sic imperator occupavit — Montem Flasconis et circa partes illas.

ibid. 82. 83. In diebus illis studium litterarum vigebat Parisius — ferventiori[l] tamen desiderio scolastici sacram paginam et questiones theologicas docebantur[m]. Fuit autem in eadem sacra facultate studens quidam clericus, Amalricus nomine, de territorio Carnotensi villa que Bena[n] dicitur oriundus, qui — transtulit se ad sacram paginam excolendam. Unde et[k] in ipsa theologia ausus est constanter asserere, quod quilibet christianus teneatur credere se esse membrum Christi — vel alios fidei articulos. Cum igitur in hoc ei ab omnibus catholicis universaliter contradiceretur; — nemo enim, sicut Eccles. 9, 1. ait Salomon, scit an sit dignus amore vel[o] odio, et ita sequitur: nemo scit, an sit dignus caritate, et nemo scit an sit membrum Christi, quia si hoc assereres iactantiam incurreres et presumptionem, et sine ista iactantia fuit salus in antiquis patribus et in totali ecclesia, — de necessitate ad summum pontificem accessit, qui — sententiavit contra ipsum. Rediit ergo Parisius et conpellitur ab universitate confiteri ore, quod in contrarium predicte opinioni sue sentiret. Ore dico, quia nunquam corde dissensit et incumbens[p] decessit in brevi. Post mortem eius surrexerunt quidam — et adinventiones dyabolicas confinxerunt. Et quia malum non potest vitari nisi cognitum, et ut sciatur quod iuste dampnati fuerunt, ipsas eorum adinventiones cum execratione in medium proferimus: Inter alios igitur eorum errores — Deum tantummodo bonum et non iustum predicabant. Fama huiusmodi pervenit occulte ad viros venerabiles Petrum Parisiensem episcopum et fratrem Garinum regis Philippi consiliarium, qui misso clam magistro Radulfo de Namurco, qui postea fuit cantor Cameracensis, diligenter exquiri fecerunt huiusmodi secte viros. Idem Radulfus quia astutus et subtilis erat, mirabiliter decepit eos, fingendo se esse de secta eorum et eorum articulos approbando. Et ita huius secte plures — detecti, capti et Parisius adducti, et in concilio ibidem congregato convicti et condempnati, coram magistro Petro archiepiscopo Senonensi et Petro episcopo Parisiensi[66] ab ordinibus in quibus erant degradati, igni ibid. 84. traduntur. Mulieribus autem et aliis simplicibus quos deceperant pepercerunt. Predictus autem heresiarcha Almaricus, quia plane mortuus fuit in illa secta[q], ab universo concilio etiam post mortem excommunicatus fuit et condempnatus et a cymiterio sacro post quatuor annos sue tumulationis eiectus, ac ossa et cines eius per sterquilinia sunt dispersa.

---

a) remissis 2. b) cum 2. c) tamen annos 2. d) domnus Guido ep. 2. e) Hyemerico 2. f) palestinum 2. g) consecrationem 1. 2. h) *deest* 2. i) imperator 1. 2. k) *deest* 1. l) frequentiori 2. m) dicebantur 2. n) Bela 2. o) an 2. p) incombens 1. 2. q) in illa secta mortuus fuit 2.

59) Le Toronet. 60) Vaux-de-Sernai, départ. Seine-et-Oise, arrond. Rambouillet. 61) Petrus. 62) Cf. annum 1203. 62*) Brienne, départ. Aube, arrond. Bar-sur-Aube. 63) Vide annum 1201. 64) de Monteferrato. 65) Anno 1197. 66) Ad verba: *coram — Parisiensi* cf. Recueil XVII, 771.

In diebus illis legebantur — scribere vel legere presumeret. 1209.

Post cancellarium Parisiensem magistrum Prepositinum, virum venerabilem[a], natione Lombardum, qui fecit optimos sermones et quasdam postillas sententiarum, fuit cancellarius quidam magister Iohannes de Candelis[67], et post eum magister[b] Stephanus decanus Remensis.

Comitissa Viromannie Alienordis obiit absque liberis.

Anno 1210. Bertrannus Metensis episcopus anno 33. sui pontificatus moritur, cuius 1210. successor factus Conradus Spirensis[c] episcopus imperatoris cancellarius, qui quamdiu vixit, utrumque episcopatum tenuit, nec uterque tamen illi suffecit ad indiscretas expensas.

Apud Tullum vero depositus est Matheus nec nominandus episcopus, rerum ecclesie dilapidator conprobatus, et substitutus est Reinaldus comitis Barri consanguineus, frater Guidonis buticularii[d] Silvanectensis[67*].

Quo tempore comitissa Campanie[68] contra guerras imminentes supra[e] montem, qui dicitur Widomari[69], castrum edificabat.

Ex historia regis: Ad regem Philippum Francorum venit Iudellus de Maduana conquerens de quibusdam, qui Guil. Arm. 82. ad recipiendos Anglicos firmaverant super mare munitionem Warplic, id est mollem plicam. Rex vero misit exercitum cum comite Sancti Pauli Galtero et predicto Iudello, et per eos expugnavit viriliter castrum — tradidit dicto Iudello custodiendum. Aurelianensis Manasses et Autissiodorensis Guilelmus frater eius dixerunt, se non debere exercitum mittere in expeditionem regis, nisi quando ipse rex personaliter proficiscitur. Non habentibus super hoc privilegium et consuetudine contra eos faciente, rex petiit sibi emendari; nolentibus emendare rex regalia eorum confiscavit, decimas et alia bona[b] spiritualia eis in pace[f] dimittens; illi terram et homines regis interdicunt, et ad curiam Romanam mittunt et in propriis personis accedunt, sed domnus papa consuetudines regni noluit infringere. Unde illi foris facto ibid. 771. suo recognito litteras suas dederunt regi de iure suo sicut petebatur ei fideliter exhibendo. Et rex post duos annos ibid. 82. reddidit eis regalia sua, sed proventus quos inde levaverat in illis duobus annis ei remanserunt, de gratia tamen ibid. 771. 300 libras utrique reddidit.

Exemplum de rege Philippo: Quidam niger monachus iuvenis et nobilis, ad regem Francorum Philippum Caes. Heist. Dial. IV, 12. ab abbate suo et conventu missus, contra quendam militem querimoniam delaturus, cum inter cetera dixisset: *Vere, domne, omnia que habemus rapit, et iam pene nichil nobis*[g] *dimisit;* ad hoc ei respondit[h] rex: *Vere, domne, hoc bene apparet in calciis vestris; si aliquid vobis dimisisset corii, non essent ita stricti; quanto estis ceteris nobilior, tanto esse debetis humilior.* Et adiecit: *Non vos gravare debet correptio mea, quia ad bonum vestrum facta est, revertimini ad claustrum vestrum, et de cetero non molestabit vos nobilis ille.*

Philippus rex Francorum obsedit castrum Rionense[70], quod erat comitis Guidonis Alvernie propter quasdam iniurias, quas faciebat ecclesiis. Quod cum captum fuisset, tradidit illud Guidoni de Dampetra[71] custodiendum et muniendum[72].

De uxore huius Guidonis comitis, que fuit soror abbatis Radulfi, hec est brevis narratio: Filiam cuiusdam nobilis de Alvernia, qui dictus est Guilelmus[i], Dalmatiam nomine, duxit Amelius de Cambonio[73], de qua genuit filiam unicam Camboniam, que dicto Guidoni comiti comitem Guilelmum peperit. Eandem vero Dalmatiam post mortem Amelii duxit Eustorgius de Rupe[74] et ex ea genuit domnum abbatem Radulfum et fratres eius, et hoc modo iunior comes Alvernie Guilelmus filius est[k] sororis domni Radulfi supradicti abbatis Clarevallensis.

Ex historia regis: In Italia imperator Otto, transiens in Apuliam, oppugnavit terram Frederici regis Apulie G. Arm. 84. et cepit civitates et castella in regno Apulie, quod totum est de patrimonio et de feodo beati Petri. Papa communicato ibid. 85. cum fratribus consilio excommunicavit eum, et postea omnes subditos eius ab ipsius fidelitate sub excommunicatione inhibuit[l]; et ita recesserunt ab eo landgravius Thoringie[m] et[n] Moguntinus et Treverensis archiepiscopi, dux Ciringie et dux Bawarie[75] et rex Bohemie et multi alii, tam seculares quam ecclesiastice persone.

A partibus Hispaniarum venit hoc tempore quidam valde senio confectus miles grandevus, qui se dicebat esse Ogerum de Dacia, de quo legitur in Historia Karoli Magni, et quod mater eius fuerit[o] filia Theoderici de Ardenna. Hic itaque obiit hoc anno, ut dicitur[p], in dyocesi Nivernensi, villa que ad Sanctum Patricium dicitur, prout illic[q] tam clerici quam layci qui viderunt retulerunt.

---

a) venerabilem 1, *suprascripsit manus saec. XV:* mirabilem; *idem habet* 2. b) *deest* 1. c) Metensis 2. d) *in* 1 *suprascripsit manus saec. XV:* cubicularii. e) super 2. f) in pace eis 2. g) nobis nichil 2. h) respondit ei 2. i) *deest* 2. k) ex 2. l) imbuit 2. m) *deest* 1. n) *deest* 2. o) fuit 2. p) ut dicitur *desunt* 2. q) illi 1. 2.

67) Chantelle, départ. Allier, arrondissement Gannat? 67*) Senlis. 68) Blanca. 69) Montaimé, départ. Marne, arrond. Châlons. 70) Riom, départ. Puy-de-Dôme. 71) Dampierre-Saint-Diziers, départ. Haute-Marne, arrond. Vassy. 72) Haec num ex Guil. Arm. 771 deprompta sint iure dubitari licet, nam quum Guil. Arm. illam contra comitem Alverniae expeditionem multo fusius narrat neque unquam Albricus cum eo verbis convenit, tum Philippus rex secundum Guil. Arm. totam comitis terram *Guidoni de Donnapetra et heredibus suis perpetuo possidendam* dono dedit, secundum vero Albricum castrum tantum Rionense ei *custodiendum et muniendum* tradidit. 73) Chambon, départ. Puy-de-Dôme, arrond. Issoire? 74) Roche-Aimon. 75) *Dux Ciringie et dux Bawarie* in codice quem secutus est Bouquet 85 desiderantur, adsunt vero in altero quem editione iam parata nactus est; cf. Recueil 772.

1210. In territorio Senonensi loco Quidocensi quedam puella[a], Alpaydis nomine, hoc anno obiit, de qua in libello fratris Cesarii multa digna relatione reperiuntur[75], quam etiam magister Petrus de Corbulh[76] Senonensis archiepiscopus commendavit[a*] ditando ecclesiam, que eius habet sepulturam.

In terra Albigensium hoc anno captum fuit a catholicis in quadragesima castrum, Nov. 23. quod Malaherba[77] vocatur, et inde sessio ad Termas[78], quod captum fuit nocte sancti Clementis, et ita circumcirca acquisiverunt castra et villas[79].

1211. **Anno 1211.** Valida vero facta est iterum predicatio hoc anno de cruce signandis contra Albigenses profecturis, ita quod ex parte summi pontificis domnus abbas Cisterciensis[80] pluribus abbatibus publicam predicationem commisit. Quorum unus Virduni et Metis publice predicavit, quasdam guerras mortales pacificavit, comitem Barri Theobaldum cum filio Henrico et alios innumerabiles cruce signavit. In itinere horum cruce signatorum mortuus est comes Henricus de Grandiprato[81] cruce signatus. Porro in precedenti natali Domini comes Symon Montisfortis[82] apud Albigam[83] curiam tenuit et ibi colloquium habuit cum Reymundo quondam comite Tolosano. Et in illa quadragesima fuit sessio de Vallibus[84] dyocesis Albige et eiusdem castri captio. Vir magnus inter Albigenses Haymericus Ligalz fuit occisus, et soror eius Geralda, domna Vallium, pessima Albigensis[b] necata fuit in puteo et lapidibus obruta[85]. Et ecce Nicholaus de Basochiis[86] et 1500 peregrini veniebant, et iam erant apud[c] Montem Gaudii[87], venturi ad[d] Valles, cum comes Fuexensis[88] cum hereticis eis obvians bene mille interfecit.

V. s. Mariae n. 82. De istis testatur magister Iacobus[89], quod domna Maria de Ognies vidit sanctos angelos gloriantes et interfectorum animas absque aliquo[e] purgatorio ad superna gaudia deferentes.

Christiani ergo deiecto castellulo, quod dicebatur Mons Gaudii, venerunt ad Cassam[90] et inde ad Montem Ferrandi[91], ubi Balduinus fuit, frater Tholosani[92]. Iterum autem comes Symon et Tholosanus colloquium habuerunt et iterum male partiti sunt. Bene nostri iam acquisierant castra 140, quando comes Barri advenit. Savaricus[92*] cum hereticis, qui erant 10000 bellum Castrinovi[93] commisit[f, 93*]; 1500 heretici occisi et fugerunt ceteri.

Et interim[g] abbas Cisterciensis Arnaldus in archiepiscopum eligitur Narbonensem, et abbas Petrus Lucedii[94] factus est episcopus Yvoriensis[94*] et exinde per summum pontificem promotus est in patriarcham apud Antiochiam. Abbatem Geraldum[95] fecit summus pontifex archiepiscopum Regensem in Apulia[95*] et quendam abbatem de Ponte[96] Placentinum fecit[h] episcopum[96*].

In Sardinia Admalbertus monachus in episcopum Gisardensem[97] electus, antequam consecraretur, assumptus est in archiepiscopum Turritanum[97*]; ante eum fuit ibi archiepiscopus Petrus.

De miraculis beati Guilelmi Bituricensis fama ferebatur per Franciam commendabilis.

Ecclesia beate Marie Remensis maior et mater ceterarum huius provincie cum maiori Mai 6. parte civitatis hoc anno in vigilia sancti Domitiani[98] combusta est per negligentiam, sed cum industria maxima per annos 20 mirabili opere restauratur.

Hoc tempore[99] causa ecclesie et archiepiscopi Iohannis[i] Turonensis ventilabatur coram papa de episcopis Britannie, qui habebant archiepiscopatum Dolensem, quos archiepiscopus

---

a) puella que 1. 2. a*) commendans 1. 2. b) *deest* 2. c) *deest* 1. d) ea 1. e) ullo 2. f) *deest* 1. 2. g) iterum 1. 2. h) fecit Plac. 2. i) Iohannis episcopi 2.

75) Dial. mirac. VII, 20. 76) Corbeil, départ. Seine-et-Oise. 77) Legendum est: *Minerbia* = Minerve, départ. Hérault, arrond. Saint-Pons. 78) Termes, départ. Aude, arrond. Carcassonne. 79) E Petri Hist. Albig. c. 37—42? 80) Arnaldus. 81) Grand-Pré, départ. Ardennes, arrond. Vouziers. 82) Montfort-l'Amaury, départ. Seine-et-Oise, arrond. Rambouillet. 83) Alby, départ. Tarn. 84) Lavaur, ibid. 85) Haec de nece Geraldae ad verbum fere cum Petri Hist. Albig. c. 52 conveniunt. 86) Bazoches, départ. Aisne, arrond. Soissons. 87) Montjoie, départ. Haute-Garonne, arrond. Toulouse. 88) Reimundus Rogerii. 89) de Vitriaco. 90) Cassès, départ. Aude, arrond. Castelnaudary? 91) Montferrand, ibid. 92) Cf. Petri Hist. Albig. c. 53. 54. 92*) de Maloleone = Mauléon, hodie Chatillon, départ. Deux-Sèvres, arrond. Bressuire. 93) Castelnaudary, départ. Aude. 93*) Cf. Petri Hist. Albig. c. 56. 94) Lucedio a Vercellis inter meridiem et occidentem. 94*) Ivrea. 95) Inter archiepiscopos Regii, qui hoc tempore vixerunt, Geraldus non recensetur. Spanò-Bolani Storia di Reggio II, 238. 95*) Calabria. 96) Trebiae scilicet = Quartazzola. 96*) Grimelium. 97) Bisarchio. 97*) Torre. 98) E Rein. Leod. annal. ad annum 1210. M. G. SS. XVI, 663? 99) Iam anno 1199. causae, de qua agitur, Innocentium III. finem imposuisse Bouquet ad hunc locum monet, in litteris apud Martène Anecd. III, 942 nisus.

1211. Turonensis dicebat ad se pertinere de iure, et cum processum fuisset usque[a] ad sententiam diffinitivam, procurator Turonensis Gaufridus archidyaconus obtulit archiepiscopo Dolensi[1] coram papa causa pacis, ut si vellet, antequam daretur sententia, mediante pace semper esset archiepiscopus, et semper unum haberet episcopatum. Quo recusante ventum est ad iudicium, et post multas altercationes papa dedit sententiam pro Turonensi, et Dolensi sublatus est archiepiscopatus, dicendo papa: *De Dolo es et in perpetuum dolebis.* Qui se etiam ab episcopatu deposuit, sed papa dedit ei unum[a] postmodum episcopatum in Tuscia. Prosecutor dicte cause archidyaconus Gaufridus electus est post aliquot annos in episcopum Tripolitanum ultra mare. Qui Gaufridus sororem habuit, Flandrinam nomine, sanctam matronam, que etiam narratur quedam fecisse miracula.

Et adhuc hoc anno inter summum pontificem et Ottonem imperatorem durabat discordia, unde et papa misit litteras regi Francorum Philippo, in quibus significabat, se valde dolere, quod talem virum coronasset[1*].

Ex historia regis: Mediante itaque consilio regis Francie[a] barones Alemannie elegerunt supradictum Fredericum de Apulia filium Henrici imperatoris — illam non amabat. Guil. Arm. 88.

Denunciatio excommunicationis Ottonis facta est a plurimis ecclesie filiis de mandato pape Innocentii III.

Obiit Albertus comes Dasburgensis et domnus de Muisal[2] relinquens parvulam filiam et elegantem, Gertrudem nomine, de qua suo loco dicemus[3]. Hic Albertus et Hugo frater suus, qui iacet apud Wangias, filii fuerunt ducis Lovanii Godefridi II. ex secunda uxore, Ermengarda nomine, qui propter eorum nobilitatem et famam ab omnibus nominabantur falcones de Daburc.

Anno 1212. Contra Leodiensem episcopum, imo precipue contra beatum Lambertum, 1212. dux Lovanii Henricus obstinata malicia efferatus[b], auxiliis insuper ipsi ab Ottone missis animatus, Leodium effregit in die ascensionis Domini, que[c] in inventione sancte crucis Mai. 3. hoc anno evenit. Brabantinis suis civitatem in predam exposuit, non solum domos, sed etiam ecclesias tanquam sacrilegus invasor spoliavit, quicquid in re mobili optimum reperit asportavit et multa mala commisit.

Expeditio infantium satis miraculose undique convenientium facta est hoc anno. Primo venerunt a partibus castri Vindocini[4] Parisius. Qui cum essent circiter 30000, Massiliam quasi mare contra Sarracenos transituri pervenerunt. Ribaldi vero ipsis associati et mali homines ita totum exercitum infecerunt, quod quibusdam pereuntibus in mari, quibusdam venundatis, pauci de tanta multitudine sunt reversi. De illis tamen quicunque inde evaserunt dedit papa preceptum, ut cum ad etatem pervenerunt, tanquam cruce signati mare transirent. Itaque traditores istorum infantium dicuntur fuisse Hugo Ferreus et Guilelmus Porcus, mercatores Massilienses. Qui cum essent navium rectores, debebant sicut eis promiserant causa Dei, absque pretio eos conducere ultra mare. Et impleverunt ex eis septem naves magnas; cumque venissent ad duas dietas in mari ad insulam sancti Petri ad rupem, que dicitur Reclusi, orta tempestate due naves perierunt, et omnes infantes de illis duabus[a] navibus submersi sunt, et — ut dicitur — post aliquot annos papa Gregorius IX. ecclesiam novorum Innocentum in eadem insula fecit et 12 prebendarios instituit; et sunt in illa ecclesia corpora infantium, que mare ibi proiecit, et adhuc integra ostenduntur peregrinis. Traditores autem reliquas quinque naves usque Bugiam et Alexandriam perduxerunt, et ibi omnes infantes illos principibus Sarracenorum et mercatoribus vendiderunt. De quibus califas 400 in parte sua[d] emit, omnes[e] clericos, quia ita eos ab aliis segregare voluit, inter quos erant 80 presbiteri, et honestius omnes suo more tractavit. Iste est califas, de quo superius dixi[5], quod in habitu clerici Parisius studuit et ea que nostra sunt ad plenum didicit, et iste iam de novo panem camelinum[f] sacrificare omisit. Eodem itaque anno, quo infantes venundati sunt, congregatis principibus Sarracenorum apud Baldach, 18 infantes in eorum presentia diverso genere martirii interfecerunt, eo quod fidem christianitatis relinquere nullo modo[g] voluerunt, sed reliquos[h] in servitute diligenter nutrierunt. Qui vidit et fuit unus de predictis clericis, quos califas

---

a) *deest* 2. b) Henricus obstinatus 2. c) qui 2. d) in parte sua 400 2. e) *deest* 1. f) carnem camelinam? g) nullo modo relinquere 2. h) *deest* 1. 2.

[1] Iohanni V. [1*] Notices et Extraits des mscr. II, 282. Böhmer Acta imp. 629. [2] Dachsburg et Moha. Cf. annum 1225. [3] Anno 1213. 1222 et 1225. [4] Vendôme, départ. Loire-et-Cher. [5] Anno 1195.

1212. in parte sua emit, fideliter retulit, quod nullum omnino de predictis infantibus audivit a christianitate apostatare. Duo quoque supradicti traditores Hugo Ferreus et Guilelmus Porcus postea venerunt ad principem Sarracenorum Sicilie Mirabellum, et cum eo traditionem imperatoris Frederici facere voluerunt, sed imperator de eis dante Deo triumphavit et Mirabellum cum duobus filiis et istos duos traditores in uno[a] patibulo suspendit, et post annos 18 huius expeditionis[b], — addidit qui hoc retulit, — quod Mascemuch de Alexandria adhuc bene custodiebat 700, non iam infantes, sed fortioris etatis homines[6].

G. Arm. 85. **Ex historia regum**[c]: Anno eodem expeditionis infantium rex Sarracenorum in Hispania, qui dicebatur Mammelinus[d], — aggressus est fines Hispanensium christianorum et locutus est in magna superbia contra christicolas et optulit eis bellum. Qui pugnaverunt contra eum fide et in nomine Iesu Christi et vicerunt eum et fere omnes qui cum eo erant occiderunt. Ipse autem victus et confusus et[e] fere solus ad propria rediit. Huic bello interfuerunt multi[f], boni et fortes viri de regno Francorum ad petitionem regis Alfunsi, qui dictus est rex parvus, pater regine Blanche, et rex Aragonum, miles probissimus — in perpetuum representat.

Qualiter per ordinem factum fuerit sequitur. Bellum istud[g] Hispanicum indixerat Sarracenis et super se receperat Henricus filius regis parvi, novus eo tempore miles; sed mortuus fuit, Deo vocante se, ante diem illum belli; unde pater eius laudabiliter devotionem Mai. 20. filii prosecutus est et efficaciter. Hoc bellum triumphale precessit 13. Kalendas Iunii[h] dominica die tale signum, luna 15, quod ea die cum fierent letanie et preces in Francia pro christianis, qui pugnaturi erant in Hispania, visus est sol circa horam nonam in antea salire et reverti et nunc esse rubeus, nunc hiacinthinus; non fuit eclipsis solis, utpote luna plena, sed lune potius eclipsis poterat dici, si de nocte occurrisset. Et ea quidem die pugnare noluerunt, sed de die in diem inducias dando et accipiendo protelabant eventum suum usque ad repatriationem Francorum. Moventes igitur de Toleto primo ceperunt terram de Malagon, deinde venerunt Kalatrave et istud castrum fortissimum similiter ceperunt, quod fratribus militibus ordinis de[i] Kalatrave reddiderunt. Franci quidem castrum istud[k] ceperunt, et ita miraculose fregerunt[l], quod presbiter quidam primus omnium cum corpore Domini intravit et plus quam 60 sagittas excepit in alba, qua indutus erat, nec tamen fuit lesus. Nocte bellum dirimente venerunt primi de consilio Sarracenorum ad regem parvum occulte rogantes, ut vita eis concessa in camisiis ea nocte nescientibus Francis sineret eos abire. Et ipsi tradebant ei castrum cum omni sua supellectile et victualibus et armis et thesauris, quod rex concessit; et in castro suos collocavit. Hoc cum die sequenti percepissent Franci, archiepiscopus Burdegalensis[7] et episcopus Nannetensis[8] indignati repatriaverunt, et quidam ex eis per Sanctum Iacobum diverterunt. Archiepiscopus Narbonensis[9] remansit ad tempus cum Theobaldo de Belzon et eius sociis; tres vero reges, de Castella[10], de Arragone[11] et de Naverreis[m][12], et domicellus Portugallie[13] venerunt et ceperunt castrum Alarchos et alia tria, Cathaconia[n], Beneventum et Petrambonam. Inde venerunt ad Salvam terram, quam non expugnaverunt, inde ad castrum Ferrat ad pedem montis; ibi vir quidam silvestris[o] ex parte Dei missus — ut dicebat — venit ad eos corio cervino, non tannato vestitus et calceatus, occurrens eis cum iam desperarent de transitu Iul. 20. montis, et ipsos per viam inviam mirabiliter conduxit die sabbati 13. Kalendas Augusti, cum haberet mons ille leugas duas in ascensu, leugam autem et dimidiam in descensu; et fuit vir ille inter eos per dies duos et dimidium. Cum essent ergo ultra montem locati et aquam non haberent, accepit vir ille fossorium et cepit fodere et dixit, ut ante omnia tentoria sua ita[p] facerent, quod cum ita fieret aquam habuerunt miraculose satis et habundanter. Sarraceni quidem, qui propter metum Francorum huc usque pugnare nolebant, post recessum eorum statim regibus bellum indixerunt, reges tamen die dominica pugnare noluerunt. Unde feria secunda fuit ibi bellum maximum, et prima scara[q] nostrorum fuit contrita; in secunda scara[r] cum deficerent Templarii et milites ordinis de Kalatrave, tandem necessitate et periculo imminente vexillum beate Marie de Rochemador[14] miraculose ibi transmissum et huc usque plicatum, tunc primum elevatum est et extensum, et omnibus

---

a) *deest* 2. b) huius exped. *desunt* 2. c) Ex — regum *desunt* 2. d) Mamelinus 1. e) *deest* 2. f) et *add.* 1. g) illud 2. h) Maii 2. i) et 1. k) illud castrum 2. l) ceperunt 2. m) Navareis 2. n) Cathacoma 2. o) vir quidam silv. ibi 2. p) sic 2. q) scala 1. 2. r) scala 1; *deest* 2.

[6] Huic narrationi inesse, quae probatae historiae repugnent, Winkelmann Gesch. Friedrichs II. I, 221 docuit. Si vero ex erroribus, quamvis gravibus, omnia haec de infantium miseria ficta esse collegit, equidem viro cl. consentire nequeo. Eum effugisse videtur Albricum ad testem ocularem provocasse, quippe qui unus de clericis a califa captis fuerit. [7] Guillelmus II. [8] Gaufridus. [9] Arnaldus. [10] Alfonsus III. [11] Petrus II. [12] Sanctius III. [13] Alfonsus II. [14] Rocamadour, départ. Lot, arrond. Gourdon.

1212.
ostensum flectentibus genua per circuitum, et statim salus a Deo et gloriosa virgine[a] Maria de Rocheamador facta est. Hoc vexillum regi parvo beata virgo transmisit hoc modo: Erat in Rocheamador sacrista religiosus, cui per tria sabbata apparuit beata virgo tenens illud vexillum in manu sua[b] plicatum, precipiens et dicens, ut illud ex parte sua deferret regi parvo in Hispanias contra Sarracenos pugnaturo. Sacrista persone sue exiguitatem excusante et dicente, quod nemo sibi crederet, accepit signum sue mortis in diem tertium, ita quod prior suus adimpleret mandatum; et eidem mandato fuit annexum, ne aliquis omnino vexillum illud deplicaret usque ad diem belli et in ipsa die ad necessitatem magis urgentem; et ita monacho illo mortuo postquam ista patefecit in capitulo prior suus de Rocheamador executus est mandatum et bello interfuit. Erat in dicto vexillo beate Marie ymago tenens infantulum et habebat ad pedes illud signum, quod rex Castelle, qui dicitur rex parvus, solet in proprio vexillo habere. Postquam igitur rex Carthaginis Nove, qui dicitur de Maroch[c], cepit fugere, fugerunt et alii. Advenerant ibi milites Sarracenorum 185000, equites vero 925000, peditum non fuit numerus; ceciderunt de illis 100000, de christianis quidem iam plures ceciderant, sed post demonstrationem vexilli vix 30 homines ceciderunt. Per biduum non combusserunt nostri ad omnia, que coxerunt et quibus usi sunt, nisi lanceas et sagittas et vix medietas potuit conburi. Inde venerunt ad duas civitates Biaciam et Ubedam, que erat de maioribus post Cordubam et Sibiliam. Has captas destruxerunt, quia non habebant populos[d], quibus possent eas replere, et similiter ibi 60000 Sarracenorum perierunt. Per omnia benedictus Deus[e], qui tradidit impios.

Sed dum hec aguntur rex Legionensis[15], qui dicitur rex Gallicie, vastabat terram regis Castelle.

Rex Castelle et Toleti Alfunsus ipse dicebatur rex parvus de Hispania, cum tamen maior esset aliis et etate et dignitate et socer aliorum. De quo cum a quodam monacho quereretur, cur parvus rex diceretur, respondit quod a patre Sanctio rege decedente relictus parvulus ab ipsa infantia rex parvus est appellatus, quod cognomen in omni vita sua semper[e] retinuit; sed nostri dicunt, quod a tempore Karoli Magni, qui Hispanias recuperavit, antecessores istius dicebantur parvi ad differentiam magni regis Karoli.

Hic itaque rex parvus de sorore regis Anglie Richardi, que dicta est Alienor et fuit etiam soror ex alio patre[f. 15*] comitisse Marie Campaniensis, genuit Henricum, qui iuvenis obiit, et quinque sorores istius. Prima dicta est Berengaria, que regi Legionensi, id est regi Galicie, peperit Fernandum[f*], successorem regis parvi in Castella et Toleto, et fratrem illius[16] et illam[17] quam rex Ierusalem Iohannes, ut postea dicetur[18], in uxorem novissime accepit; secunda fuit Urraca[g] regina Portugallie[h. 19]; tertia fuit Blanca regina Francie[20]; quarta dicta est Alienor[i] Arragonum regina[e. 21]; quinta Constantia monialis. Et sciendum est, quod dicta Berengaria et maritus eius rex Legionensis[e] Alfunsus in secundo et in tertio gradu fuerunt[i*]. Quod matrimonium licet papa Innocentius III. de necessitate primo concesserit[k], tamen postquam liberos fecerant, illud prohibuit, et ipsius regine incontinentia, de qua multa dicebantur, potuit esse in causa. Que tamen a viro suo dimissa fecit abbatiam monialium Cisterciensis ordinis in civitate Burgensi.

Obiit archiepiscopus Iohannes Treverensis 23. sui pontificatus anno.

Novus ordo Vallis[l] Scolarium[22] cepit in dyocesi Lingonensi per quendam Guilelmum Anglicum et per fratrem Richardum de Narceio[23], cooperante illis et totum disponente domno Guilelmo Lingonensi episcopo, pontificatus sui anno quarto[m]. Qui infra annos[n] 20 priorias fecerunt 16. Isti legunt regulam beati Augustini. Alius ordo eiusdem regule cepit in dyocesi Spirensi et vocatur Mons Dei in Alzoiz, habet priorias 26. Cepit autem in anno Domini 1203. per quendam sanctum Alexandrum quondam archiepiscopum de Maideburg, postea heremitam, et ordo[23*] quidem confirmatus est a papa Innocentio tertio, sanctus vero canonizatus a papa Honorio. Alius ordo novus in eadem dyocesi[24] fratrum de Valle Caulium[25]

---

[a] *deest* 1. [b] in manu sua illud vexillum 2. [c] Marocht 2. [d] populum 1; *deest* 2. [e] *deest* 2. [f] alia parte 1. 2. [f*] cuius uxor filia Philippi regis Alemannie 1. [g] vel Waraca 1. [h] ex qua Sanctius rex genuit Fernandum, comitem Flandrie per uxorem Iohannam, ad hoc et Berengariam, nuptam Waldemaro regi Dacie 1. [i] Alienor dicta est quarta 2. [i*] *supplendum:* cognati. [k] concessit 2. [l] *deest* 1. [m] tertio 2. [n] annorum 1. 2.

[15] Alfonsus IX. [15*] Ludovici VII. Francorum regis. [16] Alfonsum. [17] Berengariam. [18] Anno 1224. [19] Uxor Alphonsi II. [20] Uxor Ludovici VIII. [21] Uxor Iacobi I. [22] Val-des-écoliers. [23] Narcy, départ. Haute-Marne, arrond. Vassy. [23*] De hoc ordine nihil repperi, neque Alexander inter archiepiscopos Magdeburgenses recensetur. [24] Non Spirensi, sed Lingonensi. [25] Val-des-Choux.

1212. circa hec tempora innotesci ceperat, iam ante 15 annos fundatus; sed est vite districtioris[a], unde et habet personas pauciores.

Rex Sicilie Fredericus contra Ottonem in Alemannia regnaturus Tullum venit, cui domnus Ludovicus regis Francie filius apud castrum Valliscoloris[26] occurrit, et colloquium societatis ad invicem habuerunt.

G. Arm. 85. Ex historia regis: Iste Fridericus de consilio regis Francie vocatus a baronibus — sicut fuerant inter eorum ibid. 86. predecessores. Philippus rex Francorum maiorem partem civitatis Parisiensis circumsepivit muro. Orta est autem discordia inter Reynaldum de Domno Martino comitem Bolonie et Philippum episcopum Belvacensem et nepotes ipsius, et idem comes suspectus erat regi, quia Moretonium munierat victualibus et hominibus armatis et quia nuncios suos in regni et regis preiudicium ad Ottonem imperatorem et ad Iohannem regem Anglie mittere dicebatur. Rex igitur petiit ab eo, ut ei traderet munitiones suas, quas cum ei contra ius et consuetudinem patrie denegasset, rex congregato exercitu direxit acies in partes Boloniensium. Comes totum comitatum Boloniensium et omnia castella appendentia dimisit Ludovico a quo id totum feodaliter tenebat. Rex autem occupavit Moretonii et Domni Martini et Albemarne comitatum, Insulambonam, Doinfrontem et omnia eis appendentia[b]; et sic comes a toto regno recedens accessit ad comitem Barri cognatum suum, ibid. 87. et mansit apud eum. Confederatus est Ottoni et Iohanni regi, quorum uterque ab ore summi pontificis erat excommunicatus, Otto pro eo quod patrimonium beati Petri occupabat, Iohannes eo quod Stephanum Cantuariensem[c] archipresulem ad suam cathedram accedere non sinebat, immo plures episcopos abiecerat, res ecclesiarum et clericorum et monachorum beneficia in usus proprios iam per septennium converterat. Dictus tamen comes, missis frequenter nuntiis, restitutionem petebat a rege terre sue et castrorum, rex offerebat sub tali conditione, si vellet stare iudicio regalis aule et baronum, sed ille iudicium repellebat.

In terra Albigensium in anno isto facta sunt hec: Tota terra ultra Tarnum[27] reversa est ad vomitum et apostatavit. Venerunt de Francia milites ad comitem Symonem[28] in satellitium; et captum est castrum Tueilles[29]; et venit comes Guido frater comitis Symonis; ventum est ad Causac[30], et inde inter Causac et Gaillart[31] fuit bellum; inde fugit comes Tholosanus versus Rabestenium[32], unde iterum fugatus est et ita nox insecutionem dirimit[33]. Sessio ante Sanctum Marcellum[34]. Martinus de Olit[35] Hispanus remanserat in Causac, qui cepit predam de Gaillart; egressi sunt contra eum 80 in equis[d] et 500 pedites; cum Martino solummodo erant 18; disconfecit illos in nomine Domini et plures occidit et cepit 140.

Facta est inventio corporis beate Marie Salome[e], que fuit mater beati Iacobi de Hispania et beati Iohannis ewangeliste et fuit soror Domine nostre, in civitate Campanie Verulana[36] prope abbatiam de Casamarii ultra Romam. Quere novam historiam inde factam, miraculis eximiam et in ipsa novitate preclaram.

Anno 1213. Comitatum Flandrie sortitur Fernandus de Hispania regis Portugallie[f] filius, cui data est prima filiarum comitis et imperatoris Balduini, Iohanna nomine, in uxorem, ad petitionem et instantiam veteris comitisse Flandrensis[37], amite istius Fernandi, que fuit uxor magni comitis Philippi ante Acram defuncti et apud Claramvallem quiescentis. Hic ergo Fernandus data regi Francie maxima summa pecunie, Flandriam optinuit 1212. post natale Domini. Et[g] ecce paulo post comes Namurcensis Philippus vir Deo devotus obiit, frater comitis Balduini et Henrici Constantinopolitanorum imperatorum, sub cuius Philippi tutela fuit predicta puella de Flandria Iohanna et soror eius Margareta, antequam Fernandus adveniret.

Dictum est superius in anno 1199, quod iste comes Namurcensis fuit captus et regi Francie presentatus. Itaque mediante pace hoc modo fuit relaxatus, quod filias fratris sui iam dictas Iohannam et Margaretam tradidit in gardiam regis Francie, et ipse filiam ipsius regis Mariam, iuvenis Arturi relictam, duxit in uxorem, et quia quidam dicebant, quod neptes suas regi vendiderat, super isto facto plurimum dolebat.

Caes. Heist. Dial. II, 17. Frater Cesarius: Huic comiti Philippo antequam moreretur tantam in infirmitate sua contritionem Dominus contulit — quin laqueum collo suo iniiceret, rogaretque confessores suos, ut se traherent in platea, dicens: *Sicut canis vixi, dignum est ut sicut canis moriar.*

Albricus: Infirmatus est autem in partibus Haynonii apud castrum de Blaton[38], quod abstulerat castellano de Caudri[38*], unde se fecit per funem collo suo annexum[h] ab eodem

---

a) destrictionis 1. b) appenditia 1. c) Canthariensem 1. d) 80 equites 2. e) id est filie Salome 1. f) Sanctii 1. g) *deest* 1. h) innexum 2.

26) Vaucouleurs, départ. Meuse, arrond. Commercy. 27) Tarn. 28) de Montfort-l'Amaury. 29) Tudelle, départ. Gers, arrond. Miraude? 30) Cahuzac-sur-Vère, départ. Tarn, arrond. Gaillac. 31) Gaillac. 32) Rabastens, dép. Tarn, arrond. Gaillac. 33) Quae praecedunt omnia e Petri Hist. Albig. c. 60 derivata esse facile crederes, dummodo in hoc opere de nocte, causa fugae finitae, verbum quoddam invenires. 34) Saint-Marcel, départ. Tarn, arrond. Gaillac. 35) In Petri Hist. *de Algais* audit; *Algai* eum appellat Albricus ad annum 1213. 36) Veroli a Roma inter meridiem et orientem. 37) Mathildis. 38) Blaton, prov. Hennegau, arrond. Tournay. 38*) Caudry départ. Nord, arrond. Cambrai.

1213. castro extrahi et in domum prepositi sui deportari. Ibi recordatus, quod idem prepositus multa per rapinam abstulisset, eadem hora deportari se fecit in pauperrimam domum capellani sui, in qua pauper spiritu omnia vasa sua argentea et aurea ecclesiis et pauperibus distribuit, ita quod nec unum coclear de argento infirmitati sue necessarium sibi retinuit.

Caes. Heist. l. c. Sequitur frater Cesarius: Postquam ergo migravit ad Dominum, volens pius Dominus tantam remunerare contritionem — secum pro benedictione deportant.

Sequitur in eadem cronica[39]: Predictus itaque comes Fernandus postquam Flandriam optinuit, statim vicinos principes aut muneribus aut promissis ad quidquid agere vellet sibi fortiter devinxit, et supra dictus comes Boloniensis Renaldus regis adversarius eum ad suum consilium inclinavit. Et eodem anno regi Francorum cui fecerat[a] hominium, cepit idem Fernandus adversari; et habuerunt in sua parte isti duo Ottonem, qui dictus est imperator, ducem Lovanii Henricum, Hugonem de Bovis[40] et comitem Hollandie Wilelmum[b].

Guil. Arm. 88. Ex historia regum[b]: Concilium autem regis celebratum est in civitate Suessionis in crastino dominice palmarum. Ibi dux Brabantie desponsavit Mariam filiam regis, dicti Philippi relictam comitis Namurcensis, et statim post octavas pasche solempniter duxit in uxorem. Tractatum[d] fuit de[e] eo concilio de transfretando in Angliam, assenserunt omnes preter Fernandum, qui suum regi negavit auxilium, nisi redderet sibi duo castella, videlicet Sanctum Audomarum[f] et Ariam, que tenebat Ludovicus. Rex optulit excambium, sed ille iam confederatus adversariis non recepit. Navigio ad transfretandum preparato rex recepit Indeburgim reginam in legitimi thori consortium, a qua[g] per 17 annos dissenserat, et facta est letitia magna in clero et populo, qui hoc solum in rege antea culpabant. Venit itaque rex Boloniam et inde Gravelingas in vigilia ascensionis[41]. Ibi debuit Fernandus regi satisfacere, sed nec venit nec misit. ibid. 89. Unde rex Philippus, dimisso proposito eundi in Angliam, divertit in Flandriam et cepit Cassellam[h], Ypram et totam terram usque Burgias. Classis eius secuta est usque Dam, et ipse venit Gandavum et ecce venerunt de Anglia comes Bolonie Renaldus et comes Saleberiensis Guilelmus Longa Spata et Hugo de Bovis et multi alii, quibus occurrit Fernandus cum Ysengrinis et Bloetinis et simul condixerunt, quod occuparent naves regis 1700 numero, quo audito rex premisit[i] contra eos[k] Petrum ducem Britannie cum 800 militibus[42], et ipse secutus est cum universo exercitu. Et ita multis ex iis occisis et submersis usque fere duo millia, multos probos et strenuos captos adduxit cum victoria, et iterum profectus Gandavum, recepit obsides de Gandavo, Ypra, Burgis, Insula et Duaco, et ita in Franciam est reversus.

ibid. 88. Eodem anno factum est bellum maximum in Liguria in territorio Cremonensi. Cum enim anno precedenti secundo Papienses cives producerent Fredericum electum Romanorum usque Cremonam[l], Mediolanite positis insidiis pugnaverunt cum eis iuxta Laudam civitatem novam et fundatam, ubi modo est, 53 annis elapsis a Frederico imperatore magno, avo istius Frederici, sed non sunt[m] ausi aggredi eos, dum esset presens ipse Fridericus, unde et ipso apud Cremonam relicto cum redirent Papiam, prosilierunt de latibulis Mediolanite et adorsi sunt eos ex inproviso et multum dampnificaverunt eos. Unde tam ipsi Papiani quam Cremonenses conceperunt rancorem et odium mortale contra Mediolanitas — et sic bis eodem anno victi sunt Mediolanite Domino vindicante et in eis variarum heresium crimen et favorem illicitum, quem ipsi contra Dei voluntatem Ottoni deposito impendebant, etiam postea maximum sustinuerunt dedecus, quia captum fuit carrochium eorum a Cremonensibus.

Item contigit apud Papiam in abbatia sancti Augustini, quod pro nigris monachis, qui abbatem suum interfecerant, positi sunt per legatum apostolice[n] sedis regulares canonici, ita quod abbas illius ecclesie debet esse prepositus canonicorum de Mortaria[43].

V. s. Mariae n. 107. Apud Ognies[o] super Sambriam Leodiensis dyocesis mortua est quedam sancta mulier, nomine Maria, vigilia sancti Iohannis baptiste dominico die. Huius vitam magister Iacobus Vitriacensis luculento sermone describit.

1212. In terra Albigensium hoc anno facta sunt hec: in quadragesima precedenti captum fuit castrum de Cabara[44], et redditus est vir nobilis Buchardus de Marli[45], qui ibi tenebatur captivus. Eradicatio Sancti Marcelli[46]. Captum castrum Sancti Antonini[47]. Sessio ante Pennas[48] Aginnenses et captio. De rege Arrogonum qui vicerat 15 bella Sarracenorum. Martinus Algai fuit suspensus, capta sunt castra de Mussa[49], de Rabestein[50] et de Montagut[51] iuxta.

Guil. Arm. 92. Ex historia regis: Eodem anno mense Septembri commissum fuit mirabile bellum, quando rex Arrogonensis, comes Tolosanus, qui dicebatur comes Sancti Egidii, comes Fuexensis et alii infiniti obsederunt comitem Montisfortis in castro quod Murellum vocatur; ille autem cum non haberet nisi 220[p] milites et circiter 500

---

a) ferebat 1. b) Willekinum 2. c) regis 2. d) tractum 2. e) in 2. f) Homerum 1. g) quo 1. 2. h) Cassellum 2. i) misit 2. k) *deest* 1. l) Cremonem 1. m) *deest* 2. n) apostolicis 1. o) Ogines 1. p) minus *add.* 2.

39) Ea scilicet chronica, ex qua annum 1213 iniens de Ferrando Flandriae comite retulit. 40) Boves, départ. Somme, arrond. Amiens. 41) Dies: *In vigilia ascensionis* desideratur in cod. Paris. Guillelmi Armorici, adest in Lond.; cf. Recueil 772. 42) Quae de Petro eiusque exercitus numero narrantur, ea in cod. Lond. Guillelmi invenies; cf. Recueil 772. 43) Mortara a Pavia inter occidentem et septentrionem. 44) *Cabaretum* audit castrum in Petri Hist. Albig. c. 61. La-Chabarette. 45) Marli-le-roi, départ. Seine-et-Oise, arrond. Versailles. 46) Saint-Marcel, départ. Tarn, arrond. Gaillac. 47) Saint-Antonin, départ. Tarn-et-Garonne, arrond. Montauban. 48) Penne d'Agénois, départ. Lot-et-Garonne, arrond. Villeneuve-sur-Lot. 49) Castrum Moysiacum in Hist. Albig. c. 63. Moissac, départ. Tarn-et-Garonne. 50) Rabastens, départ. Tarn, arrond. Gaillac. 51) Montaigut, départ. Tarn-et-Garonne, arrond. Moissac.

1213. satellites equites et peregrinos pedites fere 700 inhermes, missa audita, gratia sancti Spiritus[52] invocata data a septem episcopis qui aderant et ab universo clero excommunicationis sententia in hostes, — ipse enim comes supplicavit episcopis et clero, ut eos prius percuterent gladio Domini — exierunt de castro et pugnaverunt cum eis et ipsum regem Arrogonum non sine dolore utriusque exercitus occiderunt et de exercitu illo 17000 percusserunt, et divina eos protegente gratia, de omni numero suo non perdiderunt die illo nisi octo tantum peregrinos; nec fuit a longis[a] retro temporibus auditum bellum, quod maiori miraculo debeat ascribi. Iste comes Simon propter virtutem admirabilem — patria ecclesie triumphantis.

De rege Petro[b] Arrogonum dicitur, quod non sine dolore utriusque exercitus occubuit, quia multa prelia egerat in fide catholica. Et quia Tolosanus[53] duxerat unam eius sororem[54] et filius[55] eius alteram[56], idcirco in illorum parte inventus est, quia qui tetigerit picem inquinabitur ab ea; tamen factus fuerat vassallus domni pape et habebat privilegium[57], quod sine speciali mandato domni[c] pape a nullo poterat excommunicari, et idcirco christianam sepulturam optinuit. Tertia vero soror illius dicta est Constantia regina Hungarie et imperatrix Alemannie, uxor scilicet Frederici II. cui peperit Henricum Alemannie regem[d], et unus frater eius dictus est Sanctius, et alius dictus est Fernandus. De isto Sanctio, qui neptem[58] duxit comitis[59] de Fontecalcarie[60], natus est Iohannes[61] comes Provincie, cuius filiam, nomine Margaretam, duxit Ludovicus rex Francorum uxorem. Uxor quoque eiusdem regis dicta est Maria Guilelmi de Montepessulano[62] filia, de qua natus est rex[c] Iacobus Arrogonensis, qui est[63] Montispessulani domnus.

Comes autem Montisfortis pro terra de Bediers[e. 64] iam fecerat hominium eidem regi Arrogonensi. In predicto quoque certamine frater Tolosani Balduinus[f] pro catholicis optime se probavit. Post mortem vero regis bene 15000[g] de Tolosanis fuerunt occisi et comes Symon dedit Balduino quidquid acquisitum erat in dyocesi Cadurcensi[65].

Regina Hungarie Gertrudis, uxor regis Andree, per conspirationem principum et baronum de Hungaria interficitur, tribus filiis et filiabus duabus superstitibus relictis. De morte autem huius regine quedam archiepiscopi Iohannis Strigoniensis[66] publicate sunt littere amfibolice, duplicem habentes constructionem, ita quod per unam illarum videbatur idem archiepiscopus consentire neci regine et per aliam contradicere. Unde per istam summi pontificis iudicium dictus est evasisse. Cuius tenor litterarum talis esse perhibetur: *Reginam interficere nolite timere bonum est, et si omnes consenserint, ego solus non contradico.*

Guil. Arm. 89. Ex historia regum: Rex vero Iohannes in Anglia episcopos per septennium eiecerat, Arturum nepotem suum occiderat et parvulos plurimos 184 suspenderat et flagitia innumera perpetraverat. Unde super hiis omnibus sibi metuens composuit cum clero, missis nunciis ad summum pontificem, qui Pandulfum subdyaconum suum in Angliam misit, ut pacem inter regem et clerum[h] reformaret.

Littere summi pontificis diriguntur ubique de concilio congregando Rome ab instanti omnium sanctorum festivitate in biennium[67]; item alie littere de cruce signandis pro via Ierosolimitana et subventione terre sancte. In hiis litteris meminit domnus papa, quod

Inn. ep. XVI, 26[68]. omnes pene Sarracenorum provincias populi christiani antiquitus usque post[i] tempora beati Gregorii possederunt, sed ex tunc quidam proditionis filius Machometus pseudopropheta surrexit, qui per seculares illecebras et[k] voluptates carnales multos a veritate seduxit, cuius perfidia etsi[l] usque ad hec tempora invaluerit, confidimus in Domino, qui iam nobiscum fecit signum in bonum, quod finis huius bestie appropinquat, cuius numerus secundum apocalipsim Iohannis infra 666[m] clauditur, ex quibus iam plene[n] 600 sunt anni conpleti.

Nota, lector, quod iste est annus alhigere 607. Que alhigera conputari incipit ab anno 23. ante mortem Machometi, quia per annos 23 scelestus[o] ille predicavit et sibi adherentes seduxit. Quid sit alhigera, quere in anno 1143.

Inn. ep. l. c. Certe preter[p] priores iniurias graves ac grandes Redemptori nostro pro nostris offensis a perfidis Sarracenis illatas nuper in monte Tabor, ubi discipulis suis[q] future glorificationis speciem demonstravit iidem perfidi Sarraceni quandam[r] munitionis arcem in confusionem christiani nominis erexerunt, per quam civitatem Acon sibi valde vicinam de facili cogitant occupare.

Missus est in Franciam legatus magister Robertus de Corceto natione Anglicus presbiter cardinalis tituli Sancti Stephani in Celio monte.

---

a) longe 2. b) Petro rege 2. c) *deest* 1. d) uxor — regem *desunt* 2. e) Biterrensis 2. f) Balduini 2. g) milia *deest* 1. h) clerum et regem 2. i) ad 2. k) ac 2. l) si 2. m) 660 2. n) pene 2. o) *prius*: celestis; *correctum* scelestis 1. p) propter 1. q) sue 2. r) quamquam 1.

52) *Gratia sancti Spiritus* usque *sententia in hostes,* haec in cod. Lond. Guillelmi leguntur; conf. Recueil 772. 53) Reymundus VI. 54) Eleonoram. 55) Reymundus VII. 56) Sanctiam. 57) Innocentii III. epist. XVI, 83. 58) Gersendim de Sabran. B. 59) Wilhelmi II. 60) Forcalquier. 61) Non Iohannes, sed Raimundus Berengarius. 62) Montpellier. 63) 1213—1276. 64) Beziers, départ. Hérault. 65) Cahors, départ. Lot. 66) Gran. 67) Innoc. III. epp. lib. XVI. ep. 30. ed. Baluze II, 756. 68) ap. Baluze II, 752.

1213. Oct. 1. Moritur dux Lotharingie Fredericus post festum sancti Remigii[69]. Post quem factus est dux Mosellanorum et Lotharingie Theobaldus, natus de filia[70] comitis Barri, qui per uxorem suam Gertrudem, filiam comitis Alberti Dasburgensis[a], fuit etiam comes de Dabor[71]. Iste dux Theobaldus formosissimus erat[b] omnium hominum existentium in illa provincia vel in multis aliis.

Oct. 13. Hugo Leodiensis episcopus de duce Lovanii et de Brabantinis per beatum Lambertum mirabiliter triumphavit loco, qui vocatur custodia sive gardia de Stepes, que est inter Hutam et Montengni[c] castellum. Ceciderunt in parte ducis 2200, qui omnes mortui sunt excommunicati, et bene 5000 captivi. De Leodiensibus vero et de adiutoribus[d] eorum 10 circiter cecidisse dicuntur. Actum[e] est hoc bellum in vigilia Calixti pape dominico die, et fuit introitus ad missam: *Iustus es, Domine* etc. De hoc bello quidam hunc versum conposuit:

Ac Brabantini ceduntur nocte Calixti[72].

Occasione huius victorie quidam archidyaconus Leodiensis magister Hirnardus quendam libellum cronice de hiis tantum, que suo tempore contigerant, dicitur edidisse, ubi ea que facta sunt ibidem diligentius exequitur[73].

1214. Anno 1214. Comes Petrus Antisiodorensis per uxorem suam que dicebatur Hyolenz factus est comes Namucensis; fuit enim soror comitis Philippi Namucensis nuper[74] defuncti et imperatorum Constantinopolitanorum[75], matertera videlicet domni Ludovici regis Francorum.

Patriarcha Ierosolimitanus post Symonem et Albertum dicebatur Galtherus, qui hoc anno a quodam pessimo christiano cultello occisus est. Cui successor factus est magister Radulfus, qui erat in Sarepta Sidoniorum episcopus.

Comes Barri Theobaldus moritur et iuxta patrem suum comitem Renaldum in abbatia sancti Michaelis[76] sepelitur. Huius autem mater fuit Agnes nobilis comitissa, que in abbatia Trium Fontium est sepulta. Dictus autem comes Theobaldus primam habuit uxorem Loretam, filiam comitis Ludovici, sororem comitis Gerardi Losensis[78] dyocesis Leodiensis, de qua genuit Agnetem Lotharingie ducissam; secundam vero duxit post mortem prime, Isabellam nomine, relictam domni Anselli de Triangulo[79], sororem comitis[f][80] de Barro super Sequanam et episcopi Manasse Lingonensis, de qua natus est comes iste Barrensis Henricus, multis probitatibus famosus. De tertia eius uxore Ermensende filia Henrici ceci scilicet[g] comitis Namucensis Ysabellam filiam[h] genuit, quam iunior Walranus longus[81] habuit, et ei peperit postmodum Walleranum de Poilewache[82]. Ista Ermensendis nupsit postea seniori Wallerano filio Henrici, cui plures peperit filios, una eius filia Katherina est[83] Lotharingie ducissa.

Guil. Arm. 90. 91. In quadragesima Iohannes Sine-terra transfretavit in Aquitaniam et reconciliatus est comiti Augi et comiti Marchie et Gaufrido de Lisinia qui prius favebant regi, et venit in Andegaviam, et occupavit Bellum Forte, Ulconem, Andenisium et ipsam civitatem Andegavorum, et ceperunt sui iuxta Nannetum Robertum, fratrem Petri ducis Britannie primogenitum, et alios 14 milites Francigenas. Ludovicus filius regis morabatur Kynone ad tuendas partes illas, et erat in eius auxilium predictus dux Petrus de Britannia, cui rex dederat filiam Guidonis de Thoarcio, sororem iuvenis Arturi ex matre, et per illam acceperat totum ducatum Britannie. Elyenordis vero soror Arturi, primogenita Gaufridi ducis filia, iam per annos 18 tenebatur a patruo suo rege Iohanne incarcerata in Anglia et eius iussu tandem dicitur esse interfecta.

Eodem anno Gaufridus Silvanectensis episcopus propter debilitatem corporis et etatem renunciavit episcopatui, et factus est monachus, cui succedit frater Garinus, qui regis Philippi specialis consiliarius effectus quasi secundus a rege negotia regni tractabat.

ibid. 92. Eo tempore Gaufridus vir sanctissimus, Meldensis episcopus, episcopatui similiter renuncians et se Deo mancipavit. Cui succedit Guilelmus cantor[i] Parisiensis. Et ita[k] fuerunt tres fratres uterini simul episcopi et sibi contemporanei[l], Stephanus Noviomensis, Petrus Parisiensis et Guilelmus Meldensis, filii Galtheri Francorum quondam camerarii, fratres Galtheri iunioris et aliorum trium militum, viri satis virtute laudabiles et in palatio regis preclari.

a) Dalburgensis 2. b) fuit 2. c) Montegni 2. d) victoribus 1. e) Factum 2. f) comitum 1. g) ceci scilicet *desunt* 2. h) filiam Ysabellam nomine 2. i) cantor Guil. 1, *sed ut* 2, *ita Guil. Arm. ipse.* k) sic 2. l) non temporanei 1.

---

[69] Obiit die 10. Oct.
[70] Agnete, Theobaldi comitis filia.
[71] Dachsburg in saltu Vosago, a Strassburg ad occidentem.
[72] Cf. Aeg. Aureavall. III, 113.
[73] Cuius operis adhuc tertia tantum pars prelo data ap. Chapeaville II, 603. 604 exstat: *Triumphus sancti Lamberti in Steppes obtentus.*
[74] Die 8. Oct. 1212.
[75] Balduini et Heinrici.
[76] Saint-Mihiel, départ. Meuse, arrond. Commercy.
[78] Looz a Leodio inter septentrionem et occidentem.
[79] Trainel, départ. Aube, arrond. Nogent-sur-Seine.
[80] Milonis III.
[81] Dux Limburgensis.
[82] Poilvache, prov. et arrond. Namur.
[83] 1225—1255.

1214. Rex Iohannes Sine-terra civitatem Andegavensem usque ad Medianam fluvium cepit circumvallare et obsedit Guil. Arm. 93. castrum quod Rupes Monachi vocatur a Guilelmo de Rupibus edificatum nuper[a]. Paganus de Rupeforti, qui erat in parte eius, ab illis de castro letaliter vulneratus occubuit. Ludovicus vero movit a castro Kynonis, quod a Kayo dapifero magni Arturi nomen accepit, et ivit succursum ferre obsessis. Rex Anglie adventum eius non sustinens, dimissis omnibus petrariis, mangonellis, papilionibus et aliis belli utensilibus et prede expositis, per vada Ligeris navigio et quibus modis potuit fugiens, parte suorum non modica submersa et dum fugeret interfecta, equitavit die illo 28[b] miliaria, nec postea ausus est accedere ad locum quo audiret dictum Ludovicum esse vel venturum esse. Ludovicus itaque castrum de Bello Forti evertit et castrum de Moncontor in terra vicecomitis Thoarcii solo adequavit, civitatem Andegavorum recuperavit et muros eius destruxit.

Hic obiit marescallus Henricus Francorum, laudabilis in militia etiam timens Deum, qui erat in parte Ludovici; filius fuit Clementis[c] fratris Gilonis de Tornella[84], soror autem huius Henrici peperit magistrum Galtherum Cornutum, qui fuit archiepiscopus postmodum[85] Senonensis. Predictam Ludovici victoriam in spatio unius mensis secutus est celeberrimus regis triumphus in Flandria, de quo ibid. 94. prosequendum est diffusius. Otto itaque qui dictus est imperator illectus pecunia erat in terra Fernandi apud castrum de Valencinis. Comes Bolonie Renaldus, comes Saleberie Longaspata Guilelmus et ipse Fernandus, dux de Lemborch Henricus et dux[d] Henricus Brabantie, cuius filiam Mariam duxerat in uxorem Otto predictus. Erant cum eis multi alii comites de Alemannia et proceres. In crastino beate Marie Magdalene rex de Perona movit[e], usque Flandriam intravit et venit Tornacum, ubi premiserat fratrem Garinum Silvanectensem electum et comitem Sancti Pauli Galtherum. Otto autem venit ad castrum de Moretonia, quod per[f] tres leucas a Tornaco distat. Quo audito rex magnanimus sabbato post festum sancti Iacobi proposuit illos invadere, sed barones propositum eius[g] mutaverunt, ita quod die crastina sexto Kalendas Augusti movit rex et venit ad castrum de Insula. Et Otto movit ipso die de Moretonia, et rex nesciebat quod venirent post ipsum, sed vicecomes Melduni et frater Guarinus electus, divertens versus partes illas, venerunt in locum eminentem et prospexerunt acies hostium properantes ad pugnam. Reversus[h] est itaque continuo[f] frater Garinus electus[i] ad regem, et dixit pugnandum esse de necessitate. Hostes tamen fingebant quod vellent proficisci Tornacum. Venit itaque regis exercitus[k] ad pontem Bovinum nomine, inter locum qui ibid. 95. Sanguineus dicitur et Cysonium. Iam maior pars exercitus pontem transierat[l], sed rex sub umbra fraxini iuxta ecclesiam beati Petri modice quieti vacabat, et ecce nuncii qui dicebant hostes advenire! Rex intravit ecclesiam et breviter oravit ad Dominum, et exiens armis induitur et equum insilit letus et hilaris acsi ad nuptias vocaretur. Clamatum est: *Ad arma, ad arma!*[m] Revertuntur qui pontem transierant, et vexillum beati Dyonisii revocatur. Rex cursu rapido in prima fronte belli se posuit. Quem videntes hostes nimio horrore sunt perculsi[n], et diverterunt ad dexteram ex inproviso ad partem septentrionis, non precaventes quod solem ferventem ante oculos haberent. Et exercitus regis per providentiam ut dicitur et consilium quorundam seniorum militum fuit a parte australi, solem habens in humeris. Rex itaque erat in medio exercitus extensi in prima fronte, cuius lateri adherebant Guilelmus de Barris, flos militum, Bartholomeus de Roia, vir provecte etatis et sapiens, Galtherus iuvenis, vir prudens et maturi consilii, Petrus Malusvicinus Roberti filius, Gerardus Stropha, Stephanus de Longo Campo, Guilelmus de Mortuo Mari, Iohannes de Roboreto, Guilelmus de Garlande et Henricus comes Barri, hic iuvenis etate, animo senex, virtute et forma venustus, patri suo regis consobrino nuper defuncto successerat in honore et onere comitatus; et cum istis plures alii viri virtute spectabiles et in armis exercitati. In parte opposita erat Otto imperator in medio agminis confertissimi, qui sibi pro vexillo erexerat aquilam deauratam super draconem pendentem in pertica oblonga[o] erecta in quadriga. Brevis sermo regis ad milites: *In Deo,* inquit, *tota spes et fiducia posita est; — dabit de nostris et suis hostibus triumphare.* Hiis dictis petierunt milites a rege benedictionem, ipse autem manu elevata oravit eis benedictionem a Deo et statim tube insonuerunt[p], et insultum viriliter fecerunt. Capellani retro regem decantabant[q] psalmos[r] *Benedictus Dominus Deus qui* ibid. 96. *docet* etc. *Exurgat Deus et dissipentur* etc. *Domine in virtute tua letabitur rex* etc.[s]; primus tamen impetus pugne non fuit ibi sed contra Fernandum, ubi erat frater Guarinus Silvanectensis electus, qui quidem non pugnabat, sed alios animabat, et cum eo nobilissimus dux Odo Burgundie et comes Sancti Pauli Galtherus, qui dixit fratri Guarino: *Frater Guarine, quidam dixerunt me proditorem regis esse, sed hodie bonus ero proditor;* eo quod quibusdam erat suspectus[t]. Et cum istis erat Matheus de Montmorencei, miles probissimus, comes Bellimontis Iohannes et milites Campanie 180 numero; probioribus ergo et ferventioribus in prima acie positis dixit eis frater Guarinus: *Campus amplus est — pugnare possitis.* Hiis dictis premisit de consilio comitis[r] Sancti Pauli ante milites satellites probissimos de valle Suessionis. Super quo valde indignati sunt Flandrenses, et declinaverunt ab eis contra milites Campanienses; sed superveniente quodam probo armigero Petro de Remi et eius sociis[u], capti fuerunt de parte adversa Galtherus de Guistella et quidam alii, qui erant cum Balduino Buridando, viro admirande fortitudinis; et Eustachius de Maquelinis, qui eis adherebat et clamabat[v]: *Ad mortem Francorum, ad mortem Francorum!* primus fuit occisus. Crevit itaque virtus et audacia Francorum; et comes Sancti Pauli mira velocitate adversarios perforavit a dextris et a sinistris, equos et homines feriens et prosternens et nullum capiens. Quem sequitur comes Bellimontis et Matheus cum suis et ipse dux Burgundie cum Campaniensibus. Dux, qui erat valde carnosus et flegmatice complexionis, prosternitur in terram, equo suo ab hostibus occiso; densantur circa illum cunei Burgundionum, et alius equus adducitur; dux suorum manibus elevatur, equo sistitur, gladium vibrat, dicit se velle ulcisci lapsum suum, et invadens hostes cum iracundia non discernit cui obviet, sed in omnibus sibi obviantibus casum suum ulciscitur, non aliter quam si equum ipsius eorum ibid. 97. quilibet occidisset. Ibi erat vicecomes Melduni, qui mirabiliter preliabatur et eodem modo, quo comes Sancti Pauli, perforabat hostes. Comes Sancti Pauli unum militem suum[r] de maximo liberans periculo, 12 lanceis uno momento inpellebatur ab[w] hostibus, et tamen non potuit ab[x] equo suo evelli. Cum itaque spatio trium horarum durasset ibi pugna,

---

a) nuper edificatum 2. b) 24 2. c) in parte — fuit Cle *desunt* 1, *de verbo* Clementis *superest:* mentis. d) et dux *desunt* 1. e) *deest* 1. f) *deest* 2. g) eius propositum 2. h) Conversus 2. i) electus 1; et venit 2. k) exercitus regius 2. l) transierant 2. m) ad arma *desunt altera vice* 1. n) perpulsi 1. o) longa 2. p) et — insonuerunt *desunt* 1. q) cantabant 2. r) *deest* 2. s) Domine — rex etc. *desunt* 1. t) eo quod — suspectus *desunt* 2. u) socii 1. v) clamat 1. w) *deest* 1. x) de 2.

84) La Tournelle. 85) 1223—1241.

captus est Fernandus multis confossus[a] vulneribus, qui Hugoni de Maroil et Iohanni fratri eius specialiter se reddidit, 1214. et ita conpleta fuit ista[b] prima victoria. Interea legiones communiarum Corbeie, Ambianensis, Belvaci, Conpendii et[c] Attrebati cum vexillo beati Dyonisii ad signum regale[d] accurrunt, videlicet vexillum floribus lilii distinctum, quod ferebat die illo Galo de Montigniaco miles fortissimus, sed non dives. Communie ergo penetraverunt cuneos militum et se posuerunt ante regem, sed milites Ottonis audacissimi eas repulerunt; milites regis se opposuerunt[e] militibus Ottonis, solum regem furore Teutonico querentibus. Quibus, scilicet militibus regis, precedentibus et procedentibus pedites Teutonici ferreis uncinis et gracilibus lanceis regem de equo ad[f] terram detraxerunt, et cum penitus occidissent, nisi dextra superna[c] et incomparabili protegeretur armatura. Galo predictus vexillo superius inclinato auxilium revocabat, quidam armiger Petrus Tristandus de Suessione sponte ab equo descendens se pro rege ictibus exponebat. Rex citius a terra surgens inopinata levitate equum ascendit. Ante oculos ipsius regis occiditur Stephanus de Longocampo, miles probus, cultello in capite percussus longo, gracili, trialemello, quem falsarium nominant. Sed per Dei adiutorium prevaluerunt gladii Francorum, qui repellentes aciem Ottonis pervenerunt usque ad ipsum. Petrus Malusvicinus, plus armis Guil. Arm. 98. quam prudentia probus[g], ipsum Ottonem per frenum apprehendit, et Gerardus Scropha cultellum dedit in pectus eius, sed ledere non valuit; in secundo ictu descendit cultellus mira fortitudine in cerebrum equi Ottonis, qui vulneratus in partem qua venerat se gyravit, et ita imperator ostendit militibus nostris dorsum et a campo recessit, aquila cum carro dimissa et prede exposita. Quo viso rex ait suis: *Hodie amplius non videbitis faciem ipsius.* Cum igitur paululum processisset, labitur equus et statim adducitur alius equus recens, in quem cum ascendisset, fuge velociter se mandavit. Non enim poterat nostrorum militum sustinere virtutem. Nam et Guilelmus de Barris, qui plus quam alii processerat, bis ipsum per collum tenuerat, Galtherus enim iunior, Guilelmus de Garlanda et Bartholomeus de Roia non iudicabant bonum esse regem solum dimittere. Dictus vero Guilelmus de Barris, amisso equo factus pedes, captus aut interfectus fuisset, nisi Thomas de Sancto Walerico supervenisset, qui habebat 50 equites et 2000 peditum. Capti fuerunt de sociis Ottonis Bernardus de Horstemale[h], miles fortissimus, Otte de Tinkeneburch[i], qui dicebatur comes hirsutus[86] — huius comitis frater fuit Adolfus episcopus Osnoburgensis[k], — comes Conradus de Tremognia et Gerardus de Randenrode. Carrus discerpitur, draco frangitur, aquila alis evulsis et confractis ad regem Philippum defertur. Comes Bolonie ab ipso pugne initio nunquam pugnare cessavit, nec poterat ab aliquo superari. Iste comes Bolonie arte quadam mirabili usus erat; fecerat enim sibi quasi vallum quoddam de satellitibus armatis et consertissimis duplici serie ad modum rote ad instar castri obsessi, ubi patebat aditus quidam, quasi porta qua recipiebatur, quotiens vel spiritum volebat resumere vel ab hostibus urgebatur acrius; et sic faciebat sepissime. Qui omnibus aliis omissis ad regem in ipso pugne initio pervenit, sed eum timore quodam reveritus, ab ipso declinavit, et congressus est Roberto comiti Drocarum. Sed et Petrus comes Antisiodori cognatus regis viriliter pugnabat pro rege, licet proch dolor! Philippus filius eius staret ab[l] opposito. Dux interea Brabantie, ibid. 99. dux de Lemborch et Hugo[m] de Bovis per centenarios et quinquagenarios fugiebant. Comes Bolonie cum sex quibusdam militibus suis assidue pugnans campum nolebat dimittere; Petrus de Turnella gladium infixit in ventrem equi ipsius, elevata equi tectura. Quod videns unus de militibus illius Boloniensis, invitum a conflictu conabatur retrahere; Cono et Iohannes frater eius de Condeio eundem militem prosternunt, et continuo labitur equus comitis, ita quod habuit collum suum super femur dextrum comitis ipsius. Hugo et Galtherus de Fontibus et Iohannes de Roboreto inter se contendebant, cui ascriberetur captio comitis. Supervenit Iohannes de Nigella cum suis militibus, miles procerus quidem corpore et forme venustissime, sed virtus animi venustati corporis non respondebat, et volebat laudis[n] aliquid mendicare, si detinuisset comitem, sed supervenit[o] frater Guarinus, cui comes se reddidit, rogans ut solum vite illius faceret misereri. Captus fuit cum eo Arnulfus Dadenarde, qui in eius auxilium properabat. Cum adhuc starent in campi medio pedites Brabantiones 700, misit rex Thomam de Sancto Walerico cum suis, qui multos ex eis interfecit et reliquos fugere conpulit. Captis itaque quinque comitibus, Fernando, Renaldo et Guilelmo Longaspata et duobus Teuthonicis et 25 nobilibus, quorum quilibet vexillum ferre solebat, ipse rex in sero, tanquam mitis et misericors, vitam omnibus condonavit, quamvis illi de regno rei essent lese maiestatis, eis itaque incatenatis et quadrigis ibid. 100. inpositis iter versus Parisius direxit, et ecce cum adhuc esset apud Batpalmes, nunciatum est regi, quod comes Renaldus Boloniensis miserat post Ottonem, suggerens ut Gandavum accederet et vires recolligeret et auxilio Gandavorum et aliorum Flandrensium bellum renovaret. Unde rex iratus ad eundem Renaldum accessit et ei improperavit, quod cum esset dudum homo suus legius, fecerat eum novum militem; cum esset pauper, fecerat eum divitem; ipse vero pro bonis mala retribuens una cum comite Albrico patre suo ad Henricum quondam regem Anglie in regis et regni perniciem se transtulerat, postquam resipiscens in magnam ipsius amicitiam est receptus, et preter comitatum Domni Martini, qui, Albrico comite[p] patre eius in partibus Neustrie in servitio regis Anglie defuncto, ad eum fuerat iure hereditario devolutus, addiderat ei cum uxore totum comitatum Boloniensem. Ipse vero postmodum culpam culpe adiciens ad regem Anglie Richardum transivit, et quamdiu idem Richardus vixit, ei contra ipsum semper adhesit. Defuncto vero Richardo rege, iterum ipsum[q] in suam recipiens amicitiam, cum dobus comitatibus predictis addiderat ei tres comitatus, Moretonii[r], Albemarne et Warenarum. Hiis omnibus beneficiis oblivioni traditis, sine causa commovit contra ipsum universam Angliam, Teutoniam, Flandriam, Haynalliam, Brabantiam, Hollandiam; naves etiam apud Damportum anno preterito cum aliis diripuerat; nuper cum reliquis eius mortem iuraverat; corporaliter contra eum pugnaverat[s]; post pugnam, post vitam misericorditer ei[t] condonatam, missis nuntiis Ottonem et alios, qui de bello evaserant, ad bellum iterum incitare volebat. *Hec omnia*, inquit, *mihi fecisti*, *vitam tamen tibi*[u] *non adimam*, *quia ori meo osculum pacis et homagii fecisti*, *sed dum hec omnia luas*, *ergastulum non evades.* Et cum hoc dixisset rex, fecit inde[p] eum Peronam adduci et ibidem[v] in turrim munitissimam includi et cautissime custodiri ligatum conpedibus mira subtilitate perplexis et fere indissolubilibus, coniunctis invicem catena tante brevitatis, quod vix passum efficeret semiplenum. Eiusdem catene medio inserta erat et alia catena longitudinis decem pedum, infixa caput alterum cuidam trunco mobili[w], quod duo homines vix movere poterant, quotiens comes iturus erat ad secreta nature. Fernandum vero Parisius devectum, in turri nova extra muros inclusum artissime custodie mancipavit. Comes[x] Salesberiensis ipso die pugne

---

a) confossis 1. b) *deest* 1. c) *deest* 2. d) regale signum 2. e) apposuerunt 2. f) in 2. g) quibus 1. h) Hoerstemale 2. i) Tinquenebute 2. k) Oseburgensis 2. l) in 1; *sed ut Guil. Arm. ipse, ita* 2. m) dux 2. n) *deest* 1. o) pervenit 1. p) *deest* 2. q) ipsum iterum 2. r) Maretonii 2. s) nuper — pugnaverat *desunt* 2. t) ei misericorditer 2. u) ibi 1. v) ibi eum 2. w) nobili 1. x) Guilelmus *add.* 1.

86) Comitem Hirsutum, quem nos dicimus Rhein- und Raugraf, quum ei idem nomen esset, Otto scilicet, cum Tecklenburgensi noster confudisse videtur.

1214. traditus est[a] a rege comiti Roberto Drocarum, ut per illum rehabere posset Robertum filium suum, a rege Anglie captivatum, sed rex Anglie nature contrarius carnem suam semper odio habuit et extraneum pro fratre suo commutare
Guil. Arm. 101. noluit, cui bene congruit quod Merlinus ait: *Procedet,* inquit, *ex*[b] *eo,* videlicet ex patre eius, quem leoni conparavit, *linx penetrans omnia, que ruine proprie gentis imminebit. Per illam namque utramque insulam amittet, Neustriam et*
ibid. 102. *pristina dignitate spoliabitur.* Sed o! quam iusta et quam recta, quam irreprehensibilia sunt iudicia Dei, qui quod mali ad exterminium bonorum temere disponunt[c], semper vertit in contrarium ad vindictam malorum, laudem vero bonorum! Revera nisi victoriam istam Dei clementia providisset, maxima in sancta ecclesia plaga facta[a] fuisset. Ecce non solum isti in hoc bello confecti conspiraverant contra regem, sed et comes Herveus[d] Nivernensis et omnes proceres trans Ligerim et Cenomanie et Andegavie, excepto solo Guilelmo de Rupibus et paucis aliis, iam regi Anglie suum spoponderant[e] favorem, occulte tamen propter metum regis sua vota tegentes, quousque certi essent, quis esset pugne exitus futurus; omnes isti cum supradictis iam quasi de victoria presumentes regnum inter se diviserant universum.

Albricus: Dux autem Brabantie Henricus cum vidisset partem[a] cui favebat deteriorem, in se reversus fertur misisse Francorum regi[f] litteras excusatorias et super victoria ista congratulatorias, maxime quia gener erat regis et filiam eius nuper duxerat in uxorem.

ibid. 103. Cum timpanis autem et choris et gaudio maximo civitatem Parisius campanis per ecclesias pulsantibus comes
ibid. 102. Fernandus intravit secundum prophetiam cuiusdam[a] amite sue, que dum sortes iecisset, certificata fuit[g] ab angelis
ibid. 103. Sathane in hec verba, ut vulgatum est: *Pugnabitur, et in ipsa*[h] *pugna rex prosternetur in terram et equorum pedibus conculcabitur et carebit sepultura, Fernandus post victoriam cum maxima pompa a Parisianis recipietur.* Hec omnia ita evenerunt ad Fernandi tamen[h] confusionem et ad regis honorem. Amfibologice namque loqui demones solent iuxta illud:

Cresus perdet Alim transgressus maxima regna.

Unde Iuvenalis: *Ambiguo deceptus Apolline Cresus.*

Accidit etiam casu mirabili, quod equi, lecticam Fernandi trahentes, essent coloris ferrandini, et Fernandus ab omni populo vocatur Ferrandus[i], unde dicebatur a singulis: *Modo bene ferratus est Ferrandus et bene vinculatus.* Scolares vero Parisius choros, cantus et tripudia atque convivia per septem dies[k] agere non cessabant; postea rex ivit contra Iohannem Sine-terra regem Anglie, qui adhuc erat in Pictavia, et venit Loudunum Pictavie oppidum, ubi venerunt ad eum nuntii vicecomitis Thoarcensis, et ita mediante comite Petro[h] Britannie ipsum vicecomitem rex in amicitiam recepit; et ipse rex Iohannes misso Renulfo comite Cestrie et legato magistro Roberto de Corceto quinquennes inducias optinuit, licet rex Philippus duo milia militum secum haberet, et ipsum in brevi opprimere posset.
ibid. 107. Comiti Herveo Nivernensi mandavit rex et aliis de quibus tetigimus, ut de cetero magis fideles existerent quam huc usque fuissent; postea filia[87] dicti comitis Nivernensis desponsata est Philippo primogenito domni Ludovici[88], et ita fuerunt amici. Eodem vero Philippo mortuo dictam puellam habuit Guido primogenitus Galtheri de Sancto Paulo[89].

Caes. Heist. Dial. III, 6. Eodem tempore magister Oliverus Coloniensis scolasticus crucem predicavit in partibus Brabantie, ubi demon qui vocabatur Cohoth puellam quandam virginem et religiosam vexabat; ad quem multi vicini et patriote venientes sciscitabantur ab eo de rebus suis certis et incertis. Quibus diabolus acta[l] occulta palam omnibus denudabat, illis exceptis de quibus facta est confessio.

In terra Albigensium hoc anno contigit, quod archiepiscopus Arnaldus Narbonensis et comes Montisfortis Symon pro quodam principatu dissenserunt, ita quod archiepiscopus dictum comitem, quem huc usque manutenuerat, ex[m] toto deseruit et cum suis Narbonensibus Reimundum Tolosanum revocavit. Qui Tolosanus reversus de Anglia Balduinum fratrem suum captum martirizavit et apud Montem Albani[90] in patibulo suspendit. Venit de Francia Guillelmus senior de Barris[91] cum ducentis peregrinis; pugnatum est contra Narbonenses, vicerunt catholici[92].

Anno 1215. Obiit in Scotia rex Guilelmus vir sanctus, et regnavit Alexander filius eius.

In partibus Livonie martirizatus est domnus Theodericus[93], primus episcopus Estonie, cui successerunt duo, magister Hermannus primus episcopus Ogonie[94] et Godefridus, prior de Porta[95], episcopus circa maritima et Osilie insule[96]. Postea additi sunt alii duo Wescelo episcopus Rivalie[97] et unus de Dacia Ostradus episcopus Wironie[98].

In terra Albigensium quidam cardinalis magister Petrus de Benevento cepit treugas inter dissidentes et habuit colloquium suum apud Montem Pislerium[99]; et cum mandasset domnum Ludovicum de Francia, reddidit ei totam terram illam.

Guil. Arm. 107. Ex historia regis: Ludovicus[h] Philippi regis filius cruce signatus arripuit iter eundi in Albigenses, cui venit obviam Symon, ille nobilis comes Montisfortis, apud Montem Pessulanum — propugnaculis ad voluntatem Ludovici et Symonis comitis ex condicto dirutis, obsidio est soluta sub hoc pacto, quod omnibus hereticis converti nolentibus, de

---

a) *deest* 1. b) ab 1; ex 2 *et Guil. Arm.* c) disponunt temere 2. d) Heverus 2; Heneius 1. e) spoponderat 1. f) regi Francorum 2. g) fuerat 2. h) *deest* 2. i) Fernandus 1. k) dies septem 2. l) facta 2. m) de 2.

[87] Agnes.

[88] Vide tabulas pacis, mense Iulii 1215 initae, ap. Bouquet XVIII, 783.

[89] Saint-Paul, départ. Pas-de-Calais.

[90] Montauban, départ. Tarn-et-Garonne.

[91] des Barres.

[92] Haec omnia peregrinorum numero excepto e Petri Hist. Albig. c. 75 et 76 derivata esse si affirmes, non video quibus argumentis repugnare possim.

[93] Anno 1219.

[94] Hermannus erat Lealensis et postea sede mutata Torpatensis episcopus.

[95] Schulpforte.

[96] Oesel.

[97] Reval.

[98] Wirland.

[99] Montpellier.

civitate eiectis, catholice ecclesie de cetero et mandatis apostolicis obedirent. Eodem anno in pascha cives Colonienses — secuta est virum suum. 1215. Interea Fredericus rex obsedit castrum munitissimum nomine Werdam — Inde obsedit Estrivellam[a] et cepit et Aquisgrani accedens honorifice receptus est et dyademate totius Teutonie in festo beate Marie Magdalene[1] coronatus. Guil. Arm. 108. Consumptis ibidem[b] aliquot diebus cum gaudio tante sollempnitati debito equitavit Coloniam[c] et inposuit sibi ibidem iterum coronam propter loci et civium reverentiam et amorem.

A tempore quo Franci vel Teuthonici optinuerunt dinastiam imperii, hec semper apud eos consuetudo quasi lex inviolabiliter observatur, quod electus imperator nunquam coronatur et[d] consecratur a papa Romano, nisi prius rex fuerit coronatus Aquisgrani, et postquam semel ibidem[c] tulerit coronam, nichil restat, nisi ut in[e] imperatorem Romanum a summo pontifice coronetur[f] et consecretur, et hoc fit propter reverentiam et maiestatem Karoli Magni, cuius corpus requiescit ibidem. Eodem vero die sive sequenti, quo rex Fridericus coronatus fuit ibidem, statim cum multis nobilibus Alemannie[c] crucem assumpsit terre Ierosolimitane succursurus.

Interea magister Robertus de Corceto apostolice sedis legatus — succurrere terre sancte.

Castrum quod dicebatur Rista[2] in dyocesi Metensi, ipsi civitati iniuriosum satis et dampnosum, comes Barri[3] Henricus in ascensione Domini potenter cepit et subvertit. Mai. 28.

In terra vero Campanie guerra incipit, siquidem vir nobilis Erardus de Brena[4] cum una[5] filiarum[g] comitis Campanie Henrici apud Acram defuncti, quam de partibus transmarinis adduxit et in uxorem duxit, volens per illam[h] effici comes Campaniensis, guerram movit, et in[i] hoc plures habuit de parentela sua complices et maximos adiutores. Pater regis Iohannis Ierosolimitani, comes Erardus, fratrem habuit Andream de Venesio[6], titulis militie famosissimum, de quo natus fuit Erardus iste, qui talia presumpsit; Symon vero de Iovevilla[7], cum esset de illa parentela, castrum suum ad manendum et muniendum eidem Erardo exposuit.

Mense Novembri huius anni celebrata est sancta et universalis sinodus Rome in ecclesia sancti Salvatoris, que Constantiniana vocatur, presidente[k] domno Innocentio huius nominis tertio papa, pontificatus eius anno 18, in qua sinodo fuerunt episcopi 412, inter quos extiterunt de precipuis[l] patriarchis duo, videlicet Constantinopolitanus et Ierosolimitanus. Nov. Antiochenus autem gravi languore detentus venire non potuit, sed misit pro se vicarium Ancheradensem episcopum. Alexandrinus vero sub Sarracenorum dominio constitutus fecit quod potuit, mittens pro se dyaconum suum Germanum; primates autem et metropolitani fuerunt 71. Ceterum abbates et priores cuiuslibet ordinis affuerunt ultra 900; archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, priorum, capitulorum absentium non fuit certus numerus comprehensus; legatorum vero regis Sicilie Frederici in Romanorum imperatorem electi, imperatoris Henrici Constantinopolitani, regis Francorum Philippi, regis Anglie Iohannis, regis Andree Ungarie, regis Ierosolimitani Iohannis, regis Cypri Hugonis, regis Arrogonensis Iacobi nec non et aliorum principum et magnatum, civitatum et locorum aliorum ingens fuit multitudo. Et hec sunt capitula huius magni concilii numero 70 breviter annotata: Primum de fide catholica et de essentia sancte et individue Trinitatis. Secundum de hereticis, ubi dampnatur quidam libellus de Trinitate abbatis Ioachim et perversissimum dogma impii Amalarici[m], cuius mentem pater mendacii sic[n] excecavit, ut eius doctrina non tam heretica censenda sit, quam insana. Tertium de expositione terre hereticorum catholicis, et ne quis predicet nisi missus. Condempnamus universos hereticos, consentientes vero receptores, defensores et fautores eorundem ita excommunicationi subiaceant, quod qui satisfacere contempserit infra annum, ex tunc ipso iure sit factus infamis, ut non possit promoveri, nec ad testimonium admitti, nec testamentum facere, nec hereditare; nullus ei respondere[o] teneatur in causis, sed ipse aliis; si iudex extiterit, si advocatus, si tabellio, quidquid fecerit firmitate carebit; si clericus, ab omni officio et beneficio deponatur. Similiter quilibet regularis huiusmodi[o*] ab omni officio et beneficio ecclesiastico deponatur. Qui autem prohibiti vel non missi publice vel privatim predicationis officium usurpare presumpserint[p], excommunicationis vinculo innodentur[q]. Quartum de superbia Grecorum contra Latinos, quos in tantum ceperant abominari, quod inter alia, que in derogationem eorum impie committebant, si quando sacerdotes Latini super eorum celebrassent altaria, ea post tanquam inquinata lavabant, et baptizatos a Latinis rebaptizabant. Quintum de dignitate patriarcharum ecclesiarum, post Romanam ecclesiam Constantinopolitana primum locum optineat, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Ierosolimitana quartum. Sextum de provinciali concilio: Metropolitani singulis annis cum suis suffraganeis provincialia non omittant concilia celebrare. Septimum de correctione excessuum. Octavum de inquisitoribus. Nonum de diversis ritibus in eadem fide et dyocesi. Decimum de institutione predicatorum ab episcopis. Undecimum de magistris scholarum[r] non solum in qualibet cathedrali ecclesia, sed etiam in aliis quarum sufficere poterunt facultates. Metropolitana vero ecclesia theologum nichilominus habeat. Duodecimum de capitulis monachorum et regularium canonicorum de triennio in triennium celebrandis in singulis regnis sive provinciis

---

a) Strivellam 1 *et addit:* id est Drivels. b) ibi 2. c) *deest* 2. d) vel 2. e) ut in *desunt* 1. f) coronaretur 1. 2. g) filia 2. h) illum 1. i) *deest* 1. k) precedente 2. l) principibus 1. m) Almarici 2. n) sic pat. mend. 1. o) resp. ei 1. o*) *Verba:* huiusmodi — deponatur *in utroque codice infra post verba:* a Latinis rebaptizabant. p) presumpserit 2. q) innodetur 2. r) scholarium 2.

[1] Error, non 22. die Iulii, sed 25. coronatus est. [2] Riche, départ. Meurthe, arrond. Château-Salins. [3] Bar-le-duc. [4] Brienne, départ. Aube, arrond. Bar-sur-Aube. [5] Philippina. [6] Venisy, départ. Yonne, arrond. Joigny. [7] Joinville, départ. Haute-Marne, arrond. Vassy.

1215. salvo iure dyocesanorum pontificum. Decimum tertium de novis religionibus prohibitis: Ne nimia religionum diversitas gravem in ecclesia Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cetero novam religionem adinveniat, sed quicunque voluerit ad religionem converti, unam de probatis assumat. Similiter qui voluerit religiosam domum de novo fundare, regulam et institutionem accipiat de religionibus approbatis. Decimum quartum de punienda incontinentia clericorum. Decimum quintum de arcenda ebrietate. Decimum sextum de indumentis clericorum. Decimum septimum de commessationibus episcoporum et negligentia ipsorum super divinis officiis[a]. Sequuntur et alia multa[b] capitula usque ad 70.

Guil. Arm. 109. Ex historia regum[c]: In eodem concilio papa comitem Sancti Egidii — fere concilium reclamabat. Excommunicavit autem papa in eodem concilio multis contradicentibus barones Anglie et conplices eorum, unde repetere
ibid. 108. oportet a principio ea que facta fuerant in Anglia hoc anno. Iohannes rex Anglie cruce signatus est, et statim oritur bellum intestinum in Anglia, et omnes proceres et fere universi populi insurgunt — admittere in
ibid. 109. eisdem. Iohannes vero rex Anglie licet senatui — per multa prelia defensabant, et hoc est quod supra dicitur, quod papa in concilio excommunicavit barones Anglie et conplices eorum.

ibid. In diebus illis Iohannes rex obsedit civitatem Roucestriam et tandem cives ad deditionem coegit.

Ad subsidium terre sancte 30000 librarum concessit domnus papa, assignaturus etiam 3000 marcarum argenti de depositis quorundam fidelium.

Episcopus Gerardus Cathalaunensis episcopatum dimisit. In electione nominatus est magister Fredericus archidyaconus, qui per unam noctem solummodo onus illud portavit, et in crastino renunciavit. Unde electus est Guilelmus de Pertico[8] consobrinus regis, frater Rotroti quondam episcopi.

ibid. 107. Anno 1216. Eclipsis lune generalis fuit in Martio die Martis ante[9] festum beati Gregorii et duravit a galli cantu usque ad solis ortum.

Coloniensis archiepiscopus Theodericus, qui post Brunonem de Sena[10] fuerat institutus, se deposuit. Adhuc vivebat alius quondam archiepiscopus Adolfus, qui ante ipsum Brunonem fuit depositus. Duobus itaque predictis archiepiscopis ita cedentibus electus est maioris ecclesie prepositus domnus Engelbertus, filius comitis Engelberti de Monte Veteri[11], frater comitis Adolfi. Mater[12] huius archiepiscopi fuit soror comitis[13] de Gellera. De alia sorore[14] fuerunt comites de Los[15], et de tertia, Agnete dicta, fuit comitissa de Luscelenborch Ermensendis, relicta videlicet comitis Barri[16], uxor Waleranni.

ibid. 109. Ex historia regis: Domnus papa anxius de succurrendo regi Anglie — sedit autem 18 annis et mensibus 6,
ibid. 110. obiit 5. Idibus Iulii. Eodem igitur anno in pentecoste — tutius elegit fugere quam pugnare. Et Ludovicus Londonias venit et Londinianis cum gaudio est receptus, et dederunt ei manus rex Scotie et multi proceres alii, sed et Longaspata Guilelmus pro eo, quod ei certo innotuit relatore, Iohannem fratrem eius cum ipsius uxore, rupto federe naturali, commisisse incestum, dum ipse esset in Francia. Ludovicus Doveram obsedit, sed nichil ibi profecit; Iohannes interea trans Humbram fugerat, ubi vitam finivit, malitiam eius Domino finiente. Quo mortuo Gualla cardinalis Henricum filium eius necdum duodennem coronavit, et statim Longaspata et principes alii reconciliati sunt novo regi et a Ludovico defecerunt. Ludovicus treugis datis — ei verbo communicare voluit.

Iun. 6. In terra Albigensium sessio catholicorum apud castrum Bacaire[17] die lune post Trini-
Aug. 24. tatem usque ad sanctum Bartholomeum per 13 ebdomadas. In burgo erant inimici, qui nostros in castro obsederant. Ad nostros de foris obsidentes venit nuntius de apostasia Tolose; et accelerantes nostri Tolosam ex una parte succenderunt. De episcopo civitatis[18], de 500 hostagiis, de armaturis et cathenis, de 80000 marcis; — et sic fuit comes Simon in Tolosa per hyemem usque ad quadragesimam.

Guil. Arm. 110. Successerat autem pape Innocentio Cencius maior, natione Romanus, presbyter cardinalis Sanctorum Iohannis et Pauli, qui in consecratione sua vocatus est Honorius.

Obiit episcopus Laudunensis Robertus, frater comitis de Sancto Paulo[19], et succedit Anselmus.

Vir etiam nobilis Guido de Dampetra[20] hoc anno mortuus est, tres filios relinquens de Beatrice filia Erchenbaldi de Borbon[21] et filias tres. Primogenitus Erchenbaldus ditissimus est[22] in Alvernia non solum per hereditatem matris, sed per patrimonium uxoris, que fuit filia[23] alterius Erchenbaldi de Monte Lucionis[24], sed per industriam et calliditatem patris exaltatus nimis. Secundus Guilelmus de Moyelen[25] et de Dampetra domnus duxit

---

a) et sup. div. off. negl. episcoporum 1. b) *deest* 2. c) regis 2.

8) Le Perche. 9) Die Martis post, non ante festum beati Georgii, die scilicet 17 Martii, hanc eclipsim evenisse iam Bouquetius monuit. 10) Sain. 11) Altenberg. 12) Margaretha. 13) Ottonis I. 14) Maria. 15) Looz a Leodio inter septentrionem et occidentem. 16) Bar-le-duc. 17) Beaucaire. 18) Folcuinus. 19) Saint-Paul, départ. Pas-de-Calais. 20) Dampierre-Saint-Diziers, départ. Haute-Marne, arrond. Vassy. 21) Bourbon-l'Archambaud, départ. Allier, arrond. Moulins. 22) 1215—1241. 23) Beatrix. 24) Montluçon, départ. Allier. 25) Moëslain, départ. Haute-Marne, arrond. Vassy.

Margaretam, comitisse Flandrie[26] sororem, quam Buchardus clericus de Avennis rapuerat, 1216. cum esset vir nobilis, et ex ea duos filios genuit Iohannem et Balduinum. Tertius Guidonis filius Guido adhuc erat infantulus.

Nunciatur interea mors imperatoris Henrici Constantinopolitani et eligitur comes Petrus Autisiodorensis in imperatorem, sororius eiusdem.

Magister Iacobus de Vitriaco religiosus predicator factus est in partibus transmarinis Aconensis episcopus. Sive Ptolemaidis dicatur, sive Acon, ipsa est que Acra nunc vocatur.

Anno 1217. In terra Albigensium comes Fuexensis[27] de parte adversa firmat Montem 1217. Grenier[28]; obsederunt nostri, et redditum est in pascha[27*]. Elegerunt centum milites ad Mart. 26. custodiam Nemausi[29] usque ad portas sancti Egidii. Venit in Franciam comes Symon circa festum sancti Iohannis pro auxilio. Captio de Berniz[30]. Venit interea cardinalis Iun. 24. Bertrannus et misit Romam archiepiscopum Narbonensem[31]; apud civitatem Vivariensem[32] facta sunt promissa de castro, quod dicitur Crista Arnaldi[33]; Tolosa iterum perdita et iterum obsessa in festo sancti Michaelis anni sequentis[34]. Sept. 29.

Apud civitatem Bituricas post sanctum Guilelmum factus est archiepiscopus Geraldus decanus Clarimontensis, qui post annos[a] novem[35] in via Romana decessit. Huic successit vir honestus et nobilis Symon cantor Bituricensis, frater Erchenbaldi de Soilliaco[36] super Ligerim, cuius pater Egidius fratres habuit archiepiscopum Henricum Bituricensem[b] et episcopum Odonem Parisiensem; et horum soror Radulfo de Castro Radulfi[37] peperit matrem Guilelmi de Chavigneio[38]. Horum omnium pater, nomine Odo, dicitur frater extitisse magni comitis Campanie Theobaldi, sed quia nullius valoris fuit et balbus, et quandam nobilem puellam, que erat in servitio matris sue, filiam domni de Soilliaco accepit, idcirco a comitatu alienatus fuit.

Ex historia regum: Ludovicus itaque, viribus prout potuit recollectis, in Anglia est reversus et iterum Doveram Guil. Arm. 110. castrum obsedit fere per annum. Interea Guallo cardinalis congregato Anglorum exercitu civitatem Lincolinum contra Ludovicum obsedit. Ludovicus misit illuc Robertum, filium Galtheri, et Thomam comitem Pertici, filium comitis Gaufridi natum de sorore[39] imperatoris Ottonis, et Symonem Pissianitam cum suorum multitudine Anglicorum. Pars adversa fugiens ex inproviso in eos irruit, et interfectus est Thomas ille nobilis comes[c] anno 22. etatis, et captus ibid. 111. Robertus filius Galtheri, et Symon Pissianites tristis ad Ludovicum rediit. Hoc audito in Francia Robertus de Cortenaio, cognatus regis, et multi alii mare ingressi sunt, ut succurrerent Ludovico, et capta est navis eorum, et Eustachius cognomento Monachus, miles tam mari quam terra probatissimus, et Drogo Roma[d] rediens clericus et multi alii capti fuerunt et decollati. Ludovicus igitur[e] ita destitutus, pace prout potuit[e] inter ipsum et novum regem Anglie reformata, recepta a fisco pecunia 15000 marcarum argenti pro reditu, optenta a rege Anglie et[e] a summo pontifice sibi et suis omnibus absolutione in patriam repedavit. Vicecomes Melduni[40] Adam ibi mortuus est, duo viri nobiles de Burgundia[f] ibi mortui fuerunt, Guischardus de Belloioco[41] et Guilelmus de Monte sancti Iohannis[42].

Expeditio cruce signatorum, qui per papam Innocentium III. fuerant incitati, que inter generales expeditiones contra Sarracenos sexta dici poterit, ita cepit, quod quidam principes moverunt hoc anno, quidam in anno sequenti, quidam etiam in subsequenti. Rex igitur Andreas Ungarie, Lepoldus dux Austrie, Otto dux Meranie et multi comites de Ungaria et episcopi nonnulli per mare Adriaticum iter suum aggrediuntur. Archiepiscopus Albricus Remensis et quidam alii moverunt de Francia. Guillekinus autem comes de Hollandia et Georgius comes de Weda[43] cum sibi adiunctis per mare Anglicum Hispanias penetraverunt. Quibus apud Ulixibonam Sarracenos, qui advenerant, in districtis locis obsidentibus occurrerunt ex[g] improviso, ordinante Deo, fratres militie de Calatrave et fratres militie ordinis[h] de Spata et tanta cede in Sarracenos debachati sunt, quod, Deo dante victoriam, 46000 cesa fuerunt. Magister vero Iacobus Aconensis episcopus de duce Austrie

---

a) *deest* 2. b) frater Echenbaldi — Bituricensem *desunt* 1. c) comes ille nobilis 2. d) a Roma 2. e) *deest* 1. f) de Burgundia nobiles 2. g) et 1. h) *deest* 2.

26) Iohanne 27) Raimundus Rogerii. 27*) — *redditum est castrum in vigilia dominicae Resurrectionis.* Petr. Vall. Sarn. c. 84. 28) Montgrenier, départ. Arriège, arrond. Foix. 29) Nîmes. 30) Bernis, départ. Gard, arrond. Nîmes. 31) Arnaldum. 32) Viviers. 33) Le Crest, départ. Drôme, arrond Die. 34) Non sequentis, sed eiusdem anni. Cf. Petri Hist. Albig. c. 85. Qui annum cum conceptione Mariae incipiens, quum obsessionem castri Montis Garnerii, mense Februario inceptam, anno 1216. tribuisset, forte nostrum in errorem seduxit. 35) Anno 1218. 36) Sulli, départ. Loiret, arrond. Gien. 37) Châteauroux, départ. Indre. 38) Chauvigni, départ. Vienne, arrond. Montmorillon. 39) Mathilde. 40) Melun, départ. Seine-et-Marne. 41) Beaujeu, départ. Rhône, arrond. Villefranche. 42) Mont-Saint-Jean, départ. Côte-d'Or, arrond. Beaune. 43) Wied.

et de aliis, qui transierant mare, scribit ita: Postquam a Cesarea recessimus, in via que ducit Ierusalem munitionem ereximus[44] etc. usque: Soldanus quoque pre dolore turris mortuus est. Huc usque magister Iacobus. Sequitur ex alia relatione[45]: Soldanus iste mortuus hic ipse erat Saffadinus[*], frater Salahadini, qui filios fratris sui Salahadini vel interfecit vel exheredavit preter Sanguinum, qui Halapiam tenuit et qui regnum Damasci reclamabat. Soldanus autem de Yconio, qui tenuit[a] totam Turkiam inter Armenios et Georgianos non fuit de istorum genealogia. De 15 vero filiis dicti Saffadini talis habetur narratio: Primus, Meffadinus nomine, tenet Kayrum, Babiloniam et Damietam et totam terram Egypti a meridie, et debet esse dominus omnium fratrum suorum. Secundus Coradinus tenet Damascum et Ierusalem et totam terram promissionis. Tertius Melchifais tenet Camalam, que est inter Tripolim et Laodiciam et Antiochiam. Quartus Meliamoden tenet Haman et terras[b] versus Mesopotamiam. Quintus Melchisenafast tenet Saco, ubi Cain occidit Abel, et civitatem que dicitur Malbers. Sextus Melchinoor tenet quasdam provincias in regno de Baldach, ubi est apostolicus eorum. Septimus Balafas sine terra ferebat vexillum patris, et quilibet fratrum suorum mittebat ei per annum unum equum optimum et 1000 bisantios. De aliis octo dicitur quod duo custodiunt cum quinque christianis Syris sepulchrum Domini, et valet eis per annum 20000[c] bisantios, quatuor tenent tributum aque de Lizalis, que rorat semel Egyptum in Aprili, et valet cuilibet 10000[c] bisantios, alii duo tenent offerendam ad sepulchrum Mahumeti apud Meccam[d], et valet eis per annum 30000 bizantios. Et de istis hucusque[e].

In Tullensi dyocesi hoc anno contigit[f] grande malum, quod episcopus Tullensis[g] Apr. 10. Renaldus a predecessore suo quondam, nec dicendo episcopo Matheo interficitur 4. Idus Aprilis; et antequam finiretur mensis, idem Matheus occisus est a nepote suo duce[g] Theobaldo, ne de manu eius requireretur[h] sanguis episcopi Renaldi. Qui Matheus positus est in scrinio et elevatus in nemore in trunco cuiusdam arboris excelse.

Et hoc eodem anno mortui sunt episcopi Robertus Virdunensis, Philippus Belvacensis, Renaldus Carnotensis.

Namucensis[i] comes Petrus, qui dicebatur Autisiodorensis, Romam profectus cum sua coniuge, Hyolenz nomine, benedictus est et consecratus a summo pontifice Honorio in imperatorem Constantinopolitanum; sed mox ut Greciam attigit, captus est a duce Durachii, Theodoro nomine, Michaelis successore, qui de armis eius et divitiis et omni supellectile eius, permittente iusto iudice Deo, factus est fortior et potentior ad persequendum catholicos. Evasit tamen cum filiabus uxor eiusdem Petri, que quamdiu vixit terram illam et imperium gubernavit. Unam filiarum eius, Hyolenz nomine, duxit Andreas rex Ungarie; secundam, nomine Sibiliam, habuit Radulfus de Essolduno[46] in Bituria, quam postea duxit comes Henricus de Vienna[47] et Ardenna; tertiam[48] habuit Lascarus Grecus, qui dicebatur imperator Nicee, sed de ista filios non habuit; quartam Gaufridus iunior de Villa Harduini[49], filius[50] Gaufridi principis de insula Montionis[51]; quintam[52] Galtherus de Barro super Sequanam, comitis Milonis filius, quam postea duxit Odo, Alexandri filius[k], frater ducis Burgundie Odonis. Filii vero eiusdem comitis Petri fuerunt quatuor, Philippus dictus de[l] labra comes Namucensis, titulis militie famosissimus, Robertus imperator Constantinopolitanus, Henricus comes Namucensis et iuvenis Balduinus, qui modo[53] est imperator. Omnes isti filii et filie fuerunt de predicta Hyolenz imperatrice, secunda scilicet comitis Petri uxore; nam de prima uxore, que dicta est Agnes et fuit unica filia comitis Guidonis Nivernensis[54], genuerat idem comes Petrus filiam unam, Mathildem nomine, que comiti Herveio, Gaufridi filio de Giem[55] et de Dunzeio[56] filiam unicam peperit, quam habuit Guido[m] comes de Sancto Paulo[57], primogenitus comitis Galtheri, et predicta Mathildis Nivernensis nupsit postea comiti Guigoni[n] Forensi[o.58].

---

[*]) Saffadinus 1. 2. a) tenet 1. b) terram 2. c) milia *desunt* 1. d) Mettam 1. e) Et — usque *desunt* 2. f) contigit hoc anno 2. g) *deest* 1. h) acquireretur 1. i) Namucenensis 2. k) filius Alexandri 2. l) dictus de 1; ad 2. m) *deest* 2. n) Guidoni 1. o) mortuo sine liberis 1.

44) Iacobi litterae extant apud Martène Thesaur. anecd. III, 289. 45) patriarchae scilicet Hierosolymitani, cuius in litteris, ad papam directis, Iacobus quoque Vitriacensis apud Bongars p. 1125 nititur. 46) Issoudun, départ. Indre. 47) Vianden. 48) Mariam. 49) Villehardouin, départ. Aube, arrond. Troyes. 50) Non filius, sed nepos, ut iam Bouquet monuit. 51) Morea. 52) Elisabetham. 53) 1228—1261. 54) Nevers. 55) Gien, départ. Loiret. 56) Donzi, départ. Nièvre, arrond Cosne. 57) Saint-Paul, départ. Pas-de-Calais. 58) Forez.

Anno 1218. Guerra Campanie apud Iovevillam[59] per Erardum[60] fervente, fiunt prede et incendia et rapine, et concremata est Sarmasia[61]. Inde cum circa ascensionem Domini nunciata fuisset mors Ottonis, qui dictus est imperator, dissipati sunt omnes eiusdem Erardi coadiutores[a].

1218.
Mai. 24.

Ex historia regis: Mortuus est autem predictus Otto quondam imperator[b] — absolutione nihilominus excommunicationis postulata cum contritione, qua per multos annos fuerat innodatus.

Guil. Arm. 112.

Comes vero Campaniensis[62] consilio et industria sue matris[63] firmavit castrum fortissimum quod dicitur Montesclaire[64] in finibus Tullensis dyocesis, et comes Barri[65] castrum quod dicitur Fau[66] ante Tullum firmavit.

Gerardus Metensis primicerius, frater comitis Hugonis de Waudani Monte[67], in episcopum Tullensem electus moritur; et cantor Odo in episcopum promovetur.

Quidam adveniens predicator de partibus transmarinis Rome, a patriarcha missus, maximam populorum multitudinem cruce signavit, et aliis interim se preparantibus alii iam revertebantur.

Archiepiscopus Remensis Albricus in revertendo de transmarinis partibus apud Papiam moritur et in ecclesia beati[c] Augustini sepelitur.

Apud Acram moritur episcopus Lemovicensis Iohannes, qui prefuerat annis plus quam 50.

De Frisonibus autem, de quibus in superiori pagina continetur[68], in captione turris ante Damietam cum multi repatriassent, eodem mense vel eadem ebdomada, qua domum reversi sunt, impetu maris inundantis, sicut Dominus previderat, mortui sunt. Siquidem hoc anno in partibus Frisie terminos suos mare egrediens, multarum provinciarum terras occupavit, villas delevit, ecclesias lapideas deiecit, tantam hominum extinguens multitudinem, ut summa 100000 transcenderet. Ita exaltati sunt fluctus eius, ut turrium altitudines operire viderentur, et procella procellam inpellens generale diluvium terris minaretur, et sicut dictum est abbati[69] de Valle sancti Petri[70], cum eodem anno visitationis gratia Frisiam intrasset, quod fluctus etiam[d] furentes usque Coloniam pervenissent, si non is, qui eos excitaverat, genitricis sue precibus compescuisset.

Dissensio quedam fuit inter comitem Barri Henricum et eius nepotem Theobaldum ducem, unde et castrum de Sathanaio[71] ab eodem comite subvertitur, et postea pacem fecerunt.

Comitissa vetus de Flandria[72] relicta comitis Philippi apud Claramvallem iuxta virum suum tumulatur.

Moritur dux Ziringie Bertoldus, de cuius interitu et damnatione multa referebantur auditu mirabilia[e][73].

Et mortui sunt hoc eodem anno principes nominatissimi, Symon comes Montisfortis et dux Odo Burgundie; et ille quidem comes Montisfortis Symon dicebatur dux Narbonensis provincie et comes Tolose, quam ipse cum aliis catholicis pro fide catholica obsederat; fuit autem percussus in capite petra emissa de petraria in crastino sancti Iohannis. Odo quoque dux inclitus Burgundie apud Cistercium fuit sepultus, qui decessit crucesignatus et condito testamento — ad succurrendum terre sancte. Et preter istos mortui sunt lantgravius Toringie[74] et Hermannus[75] pater Ludovici lantgravii, comes de Los Ludovicus cum fratre suo Henrico, ubi factus est comes tertius nomine Arnulphus.

ibid.
Iun. 25.

In vigilia assumptionis quidam latro cum aliquot diebus — ad valorem 900 marcarum pretio estimatos. Eodem anno racemi congelati; Sequana et Ligeris congelati et[f] glacie indurati gradibiles viantibus se prebuerunt.

Guil. Arm. 112.

Anno 1219. In epiphania Domini abbas Cisterciensis domnus Conrardus a papa[g] Portuensis cardinalis consecratur, et abbas Nicholaus[76] fit Tusculanensis, et domnus Galtherus abbas Pontiniaci[77] ordinatur episcopus Carnotensis.

1219.

---

a) adiutores 2. b) Pred. Otto quondam imp. mortuus 2. c) sancti 2. d) *deest* 2. e) horribilia 2. f) congelati et *desunt* 1. g) a papa *desunt* 2.

[59] Joinville, départ. Haute-Marne, arrond Vassy.
[60] comitem Briennensem; cf. supra ad annum 1215.
[61] Sermaise, départ. Marne, arrond. Vitry-le-François.
[62] Theobaldus.
[63] Blancae.
[64] Montéclair, départ. Haute-Marne, arrond. Chaumont.
[65] Henricus.
[66] Foug.
[67] Vaudemont, départ. Meurthe, arrond. Nancy.
[68] Auctor recurrit ad litteras Iacobi Vitriacensis, quarum supra initium tantum finemque dedit, accurata de Frisonibus narratione omissa.
[69] Henricus, quem Caes. Heisterb. Dial. XII, 26 hoc anno monasteria Frisiae visitasse narrat.
[70] Heisterbach.
[71] Stenay, départ. Meuse, arrond. Montmedy.
[72] Mathildis.
[73] Cf. Caes. Heisterb. Dial. XII, 13.
[74] Ludovicus III, iam anno 1190. mortuus est.
[75] Hermannus I, comes palatinus Saxoniae et landgravius Thuringiae 1217. die 26. April. obierat.
[76] de Claromonte.
[77] Pontigni, départ. Yonne, arrond. Auxerre.

1219. Ian. 8. Sexto Idus Ianuarii in principio anni auditum est quoddam tonitruum, quod in Alemannia fertur fuisse dampnosum.

Expeditionem autem crucesignatorum ad partes transmarinas conduxerunt hoc anno archiepiscopus Mediolanensis Henricus et Galtherus episcopus Eduensis[78], Petrus Parisiensis episcopus cum fratre suo Galthero regis camerario, Milo Belvacensis electus cum Andrea fratre suo, Herveius comes Nivernensis[79], Hugo Brunus de Marcha Pictavie comes cum Herveio de Verzone[a][80], comes Milo de Barro super Sequanam cum filio suo Galthero et cum Iohanne de Arceis[81], filiastro suo, Andreas de Essipissia[82] ex parte Odonis ducis Burgundie defuncti, Guido de Tilia[83], Pontius de Granceio[84], comes Renoldus de Cestra[85] in Anglia cum Savarico de Malleone[86]; fuerunt etiam multi alii boni milites, qui omnes cum multis Romanis ante Damietam venerunt, quorum circiter 10000 Sarracenis congressi detrimentum passi sunt et afflictionem sustinuerunt, multis de ipsis et eorum collegio aut captis aut occisis aut per se mortuis. Capti fuerunt de nostratibus Iohannes de Arceis et Galtherus camerarius et Milo Belvacensis electus, et cum propter multiplicem sui defensionem nec per terram nec per aquam manifeste capi posset civitas Damieta, sed iam quasi de occupatione desperaret exercitus christianus, tandem Deo propitiante non de virtute vel probitate alicuius viventis, sed solius Dei dextera pugnante mirabiliter[b] pro Nov. 8. nostris, capta est Damieta sexto Idus Novembris, intempeste noctis silentio adeo miraculose, quod in ipsius captione nec unus de nostris extitit interfectus, nec etiam, quod minus est, leviter vulneratus, preter unum qui tanquam per flebotomum ictum sagitte[c] recepit in pede. De Sarracenis vero tot ceciderunt ea die in ore gladii, quod nostris quoque displicuit. Maiores tamen admiraldi in muris et turribus et munitionibus capti, reservati sunt ad vitam, pro quibus captivos omnes non solum rehabere sperabant, sed etiam pecuniam infinitam. Inventa est civitas ipsa plena auro et argento et pannis sericis et lapidibus pretiosis[87], frumento et ordeo et aliis pluribus divitiis, quibus ditatus est exercitus christianus, spoliatis Egiptiis. Que — sicut captivi in ipsa reperti dicebant — munita extitit, quando obsessa fuit, in gyrum 45000 pugnatorum preter decrepitos, parvulos et mulieres[d], qui fuerunt 15000 estimati. Preter dictos vero ante captionem civitatis 240 de nocte civitatem intrarunt, a soldano missi, et 200, qui eadem nocte reperti fuerunt, a nostris interfecti sunt. Quos omnes communiter, sed diversimode in manibus fidelium suorum miraculose Dominus[e] conclusit. Eadem vero ebdomada, qua capta fuerat Damieta, nondum ipsa ebdomada finita, captum est castrum fortissimum supra[f] mare, quod fuit antiquitus civitas Thanis, et in Thanis secundum Ysidorum Pharao regnavit, et ibi Moyses signa fecit. In civitate quoque sancta Ierusalem Sarraceni muros destruxerunt, ex toto recedentes, ita quod a solis Surianis et aliis christicolis inhabitatur tempore aliquanto, nec tamen tutum erat[g] nostris eam sibi[h] vendicare, cum non haberent manum ita validam, nec tantum populum, nec ita[h] rebus necessariis munitum, ut[i] ad singulos Sarracenorum impetus et cotidianos assultus possent sine muris resistere. Habet Damieta per circuitum duos muros, turres maiores 32 et parvas turres absque numero. De Damieta usque ad montem Synay 33 diete conputari dicuntur, et de monte Synay usque Ierusalem diete 23 sunt, item de Ierusalem usque Baldach 12 diete sunt, et inde quatuor usque Meckam; ultra Baldach ad 5 dietas nova Yconium, que est ad tres dietas de Mecca. Terra hec in hyeme est nimis frigida et in estate nimis calida. Super montem Synay ecclesia est sancte Katherine, quam honorant Sarraceni. Apud Kayrum, ubi sedes est regni Egypti, ubi sunt palme, et ibi est palma, que se inclinavit ad pedes beate Marie, frequenter fuit incisa, et semper recrevit[k], et modo Sarraceni eam valde honorant.

---

a) Wenzone 2. b) mirabiliter pugnante 2. c) *deest* 1. d) mulieres et parvulos 2. e) Dominus miraculose 2. f) super 2. g) erat tutum 2. h) *deest* 2. i) usque 1. 2. k) recrescit 2.

78) Autun. 79) Nevers. 80) Vierzon, départ. Cher, arrond. Bourges. 81) Arcis sur Aube. 82) Epoisses, départ. Côte-d'Or, arrond. Semur. 83) Til-Châtel, départ. Côte-d'Or, arrond. Dijon. 84) Grancei, ibidem. 85) Chester. 86) Mauléon, hodie Chatillon, départ. Deux-Sèvres, arrond. Bressuire. 87) Haec quamvis ad verba epistolae cuiusdam, ab Iacobo Vitriacensi Lotharingis scriptae, ap. Bongars 1147 accedant —: *aurum vero et argentum, pannos sericos cum vestibus pretiosis et aliam multam supelectilem repperimus*, — attamen noster alia atque Iacobi narratione usus est. Nam Iacobo teste pauca victualia in civitate inveniuntur et, quum maxima thesauri pars aut a Sarracenis abscondita, aut a latronibus rapta esset, *vix* 40000 *byzantinorum precium colligi et inter milites dividi potest*. Quibus nostrum prorsus repugnare vides. Nec caetera cum litteris laudatis conveniunt.

1219. Ibi prope sunt vinee balsami, et nusquam nisi ibi modo crescere dicitur, quia ibi est fons, ubi beata Maria lavabat pannos Iesu, et hunc fontem similiter Sarraceni honorant[1]. De Kayro usque Alexandriam 3 diete per terram et 6 per aquam. Hoc flumen[a] non est iuxta muros Alexandrie, sed aliquantulum longe, et est ibi farus, unde vident in mari naute ignem lucere de nocte, ut possint portum tenere. In Alexandria est ecclesia sancti Marci et sunt ibi multe ecclesie Surianorum et Iacobianorum.

Ex historia regis: Herveius de Leone, vir inter Britones armis et divitiis potens, — iter arripuit in patriam redeundi, et eius occasione multi alii secum ad 6000, et perierunt naves eorum iuxta Brundusium et omnes submersi sunt preter 80 qui in tabulis evaserunt; et ita qui cupiditate — et honore sepulchri. Guil. Arm. 113.

Comes Barri[2] Henricus nuptias suas fecit ducens in uxorem filiam comitis Roberti de Brana[b][3] nomine Philippam.

Hic tangendum est breviter, quod patruus regis Philippi, comes Robertus, de prima uxore[4], matre Rotroldi comitis de Pertico[5], que nata fuit de Anglia filia comitis Salesberiensis, genuit filiam Alaydem, de qua Guido de Castellione[6] genuit Galtherum Sancti Pauli[7] comitem et episcopum Laudunensem Robertum et illam scilicet Alaydem[c], quam habuit Guilelmus, qui Noblez appellatus est; eandem Alaydem duxit Iohannes castellanus Noviomensis[8], frater castellanorum de Coci[6], et genuit Iohannem de Torota[d][10], qui sororem habuit domni de Dampetra[11]. Predictus comes Robertus duxit secundam uxorem Agnetem, comitissam de Barro super Sequanam, et genuit comitem de Brana Robertum, patrem comitisse Philippe Barensis, et duos episcopos, Henricum Aurelianensem et Philippum Belvacensem, et duas sorores eorum, matrem Engelranni de Coci Petronillam nomine[e] et matrem Symonis de Castro Villani[12]; de matre vero comitisse predicte Barrensis, que dicta est Hyolens, quere supra in anno 1168.

Eadem vero ebdomada mortuus est dictus[f] comes Robertus[f] qui filiam suam comiti Barri dederat in uxorem.

Episcopo Roberto de Podio occiso, succedit Bernardus de Monteacuto[13], nepos ex fratre Eustorgii de Alvernia, Nichosiensis archiepiscopi, et episcopi Limiconiensis[f*][14] Fulconis et fratris Fulconis et fratris Petri magistri Templariorum et fratris Garini[g] magistri Hospitaliorum.

Guilelmus episcopus Lingonensis, frater Symonis de Iovevilla[15], fit archiepiscopus Remensis 5. Idus Iunii. Iun. 9. Hugo vero filius Anserici de Monteregali[16] factus episcopus Lingonensis, et Haymo cantor eiusdem ecclesie ordinatur episcopus Masticonensis.

Item fuit hoc anno in ascensione Domini expeditio cruce signatorum in partes Albigensium per Ludovicum regis ibid. filium et per episcopos Noviomensem, Sylvanectensem, Tornacensem et Petrum comitem Britannie cum multis aliis episcopis, comitibus et baronibus et cum infinita multitudine militum peditumque; inveneruntque[h] comitem Aumaricum[i], comitis Symonis filium, in obsidione Miromande, quam cum eodem ceperunt[i*], interfecerunt omnes municipes cum mulieribus et parvulis, omnes indigenas usque ad 5000[k], inde profecti obsederunt Tolosam et tepide oppugnaverunt eam, quibusdam de nostris perniciose impedientibus negotium crucifixi. Orta vero inter ipsos discordia propter quandam proditionis notam, quam quidam contra domnum[l] Ludovicum moliri videbantur[m], infecto negotio redierunt in patriam, minus laudis quam vituperii reportantes; reliquit tamen domnus Ludovicus 200 milites ad annum ab Augusto. Erat ibi legatus apostolice sedis vir eximius Bertrannus Sanctorum Iohannis et Pauli presbiter cardinalis[m], qui multum laboravit pro hereticis destruendis.

Ex historia regum: Hoc anno fuit aquarum habundantia. In crastino nativitatis beate Marie fulmen, veniens Guil. Arm. l. c. in turrim beati Dyonisii, deiecit gallum auratum cum lebete deaurato in terram, et duravit ignis putens[n], consumens lapides per biduum[o]. Vindemia passa est multa inconvenientia, et racemi fuerunt quasi acimum[p] in torculari et secuta est aquarum habundantia.

a) fulmen 1 *manu prima*, flumen *superscripsit manus saec. XV.* b) de Brana *desunt* 2. c) sc. Alaydem *desunt* 2. d) Corota 2. e) Petronillam nomine *desunt* 2. f) *deest* 2. f*) Lucoviensis 2. g) Garrini 2. h) iuveruntque 1. i) Aumariensem 2. i*) cepissent 1. 2. k) milia *desunt* 1. l) *deest* 2. m) card. presb. 2. n) et *add.* 2. o) triduum 2. p) acinium 1.

1) Quae hic de Cairo sede regni, de arbore et fonte beatae Mariae necnon de balsamo nusquam nisi ibi reperto narrantur, haec satis conveniunt cum Iacobi de Vitriaco Hist. Iheros. ap. Bongars 1128. Nec vero ipsi debentur, sed eodem e fonte defluxere, quo et Iacobus usus est. Cf. supra pag. 906 not. 45. 2) Bar-le-duc. 3) Braine, départ. Aisne, arrond. Soissons. 4) Havisia. 5) Le Perche. 6) Châtillon-sur-Marne. 7) Saint-Paul, départ. Pas-de-Calais. 8) Noyon. 9) Couci, départ. Aisne, arrond. Laon. 10) Thourotte, départ. Oise, arrond. Compiègne? 11) Dampierre-Saint-Diziers, départ. Haute-Marne, arrond. Vassy. Cf. annum 1239. 12) Château-Villain, départ. Haute-Marne, arrond. Chaumont-en-Bassigny. 13) Montaigut, départ. Puy-de-Dôme, arrond. Issoire. 14) Limiso in insula Cypri. 15) Joinville, départ. Haute-Marne, arrond. Vassy. 16) Monréal, départ. Yonne, arrond. Avallon.

Sanctus Drogo, qui primo[a] apud Seburgum[17] in Haynaco tumulatus, nunc apud castrum Bincium[18] requiescit, multa facit miracula.

1220. Anno 1220. Post captionem Damiete quedam inventa est prophetia in templo Sarracenorum litteris Chaldeis scripta, quam domnus Pelagius, Albanensis episcopus cardinalis et legatus in partibus illis, in Latinum fecit transferri, et misit Romam domno pape, quam quidam magister Iacobus, constitutus a domno papa legatus Hibernie, a Roma detulit Claramvallem, tendens Hiberniam. In hac prophetia astronomica multa continebantur de hiis, que preterita sunt in terra promissionis, de Noradino, de Salahadino, de captione Ierusalem, de duobus regibus Philippo Francie, Richardo Anglie, qui Acram recuperaverunt, de subversione Ascalonis et de multis aliis, iam factis in terra promissionis, et quod anno 29. ab Acra recuperata capienda esset a christianis Damieta, et de Pelagio cardinali multa ibi notabantur, que forte aliter se habuerunt. Huiusmodi enim prophetia, licet in aliquibus verum dicat, in multis tamen decipit. Notabatur etiam in illa prophetia, quod a parte orientali debet venire quidam rex, qui vocabitur nomine David, et a parte occidentali debet venire alius rex, qui terram Sarracenorum usque Ierusalem destruet, et quod mense Iulio debet[b] fieri bellum apud[c] Kayrum in Egypto inter[d] Sarracenos et christianos.

In terra Albigensium ceperunt amittere nostri castrum de Cervian[19], quod apostataverat post pascha cum 300 adversariis. Mart. 29. Mittitur interea a summo pontifice[e] in partes[f] Albigensium et in[g] Burgundiam legatus domnus Conradus Portuensis et Sancte Rufine episcopus, abbas quondam Cisterciensis. Deinde frater comitis Aumarici Guido, cum esset comes Bigorrensis, apud Castrum Novum[20] interficitur in crastino octavarum sancti Iohannis, Iul. 2. et nostri Castrum Novum obsederunt.

Amedeus archiepiscopus Bisuntinensis, cum esset vir senex et emeritus, cessit. Due sunt in illa civitate ecclesie contendentes de maioritate, sancti Stephani scilicet et sancti Iohannis. Una die in ambarum capitulis cum fieret electio et altera ignoraret, quem altera eligeret, nominatus est et electus domnus Conradus legatus, et de communi tandem consensu ipsum a domno papa postulaverunt, nec tamen obtinuerunt, quod[h] eum super gentes et regna constitutum ad lucra maiora domnus papa sibi reservabat. Electus est igitur in archiepiscopum vir nobilis Gerardus Sancti Iohannis decanus, filius Theobaldi de Rogemont[21], filii Humberti, comitis Stephani consobrinus, et habuit fratres Humbertum et Theobaldum. Humberti filius Ugo de filia Haymonis de Falcongneis[22] genuit Haymonem modernum.

Febr. 9. Remis dominica ante cineres tres episcopi consecrati sunt, Iacobus Suessionensis, Godefridus Cameracensis et Galtherus Tornacensis.

Abbas Cluniacensis magister Giroldus fit episcopus Valentie, Guillelmus episcopus Autisiodorensis, frater episcopi Manasse Aurelianensis, fit de licentia et concessione domni pape episcopus Parisiensis.

Comes Namucensis Philippus, comitis Petri Autisiodorensis filius, contra Walerannum varios habuit conflictus, sed tandem per episcopum Leodiensem[23] et archiepiscopum Coloniensem[24], bonis viris mediantibus, firma pax interponitur.

Frater eiusdem Philippi Robertus nomine in imperatorem Constantinopolitanum tanquam heres assumitur, in cuius diebus de iis, que in Grecia fuerant acquisita, Latini perdiderunt multa, cum ille esset quasi rudis et idiota.

Moritur sine liberis[i] Theobaldus iuvenis dux Lotharingie, cuius relictam, Gertrudem nomine, comitissam de Daburc[25], iuvenis comes Theobaldus Campaniensis duxit in uxorem, quam tamen, ventilata postmodum affinitate, de precepto ecclesie post biennium dimisit.

Apud Cantuariam in Anglia celebrata est elevatio sancti Thome martiris, ubi affuerunt persone sublimes ecclesiastice et seculares tam de Francia quam de Anglia.

Apud Bononiam civitatem Italie Azo legum interpres optimus et renovator, cum esset

---

a) primum 2. b) deberet 2. c) *deest* 1. d) apud 1. e) a — pontifice *desunt* 2. f) terra 2. g) *deest* 2. h) quia 2. i) sine liberis *desunt* 1.

17) Sebourg, départ. Nord, arrond. Valenciennes.
18) Binche inter Mons et Charleroi.
19) Servian, départ. Hérault, arrond. Beziers.
20) Castelnaudary, départ. Aude.
21) Rougemont, départ. Doubs, arrond. Baume-les-dames.
22) Faucogney, départ. Haute-Saône, arrond. Lure.
23) Hugonem.
24) Engelbertum.
25) Dachsburg a Strassburg ad occidentem.

1220. apud legistas opinione celeberrimus, hoc anno decessit; non magister appellabatur[a], sed domnus legum.

Fredericus rex tendens Siciliam papam per manum validam Romam introduxit, iam ab ea per septem menses exclusum. A quo in imperatorem consecratus, in octava sancti Martini[26], Romanos eidem reconciliavit.

Obiit quedam religiosa et sancta puella Mathildis de Lapion[27], regis Scotie filia, que fugiens nuptias, venit occulte in Franciam et admirabilem egit vitam. In dyocesi Laudunensi sepulta est apud Sanctum Vincentium Laudunensem.

1221. Anno 1221. Hic scribit summus pontifex Honorius[28] omnibus archiepiscopis Galliarum, cardinalem Pelagium scripsisse a partibus transmarinis[29], quod rex David, qui presbiter Iohannes appellatur, vir timens Deum, in manu potenti Persidem ingressus et soldano Persidis bello campestri devicto, terram eius per 24 dietas invadens et occupans, in ea tenet quamplures munitas civitates et castra; tantumque ab illa parte processit, ut nonnisi per 10 dietas distet exercitus eius a Baudas[b], maxima et famosa civitate, que calife, eius videlicet, quem Sarraceni suum summum sacerdotem appellant, sedes esse dicitur specialis. Cuius timore soldanus Halapie, cognatus soldanorum fratrum Damasci et Babilonie, vires suas, quas preparaverat contra christianum exercitum, qui Damiate consistit, compulsus est contra regem convertere[c] memoratum; et quod idem legatus Pelagius misit nuncios suos in Avigniam, terram Georgianorum, qui sunt viri catholici et potentes in armis, rogans et obsecrans, ut et ipsi ex parte sua guerram moveant Sarracenis. In litteris etiam, quas miserunt Templarii, legebatur, quod idem rex David in partibus Orientis iuxta Persidem quoddam regnum acquisivit, in quo sunt 300 civitates, exceptis castellis et casalibus, et aliud regnum, in quo sunt 300 circiter cum castellis, flumina 66 currentia, et quod exercitum suum[d] in 40 partibus divisit, et qualibet parte 100000 pugnatorum[e] constituit. Et que hic scribuntur de rege David, facta sunt hoc anno[f]; quidquid inde, factum est anno precedenti. In isto quoque anno nunciatum est in Francia, quod idem rex David vel eius, ut quidam dicebant, filius iam venerat in Comaniam, que est ultra Hungariam et in partibus[g] Russie. Ubi quasdam terras incredulorum destruxit et maxime Comanorum, et habuit ibi[h] fortissimum bellum per menses 5; de Russis etiam sibi resistentibus multa milia, de Prutenis quoque paganis absque numero interfecit; et quod magna civitas Tornax, id est Ornacia, ab eis destructa est, ad quam mercatores de longinquis partibus ibant; et ferebatur, quod in exercitu eorum erant reges 40, archiepiscopi vel episcopi 60; et moratus est idem rex David circa partes illas fere per biennium; et multa alia de eis incredibilia sunt dicta, sed hec pauca sufficiunt; dicunt enim quidam, quod neque[i] christiani sunt neque Sarraceni[k].

In Grecia regnabat apud Nicheam post Lascarum Grecum gener eius, Vastachius nomine, qui nostros ita permittente Deo devastavit, quod Eskisiam abstulit et Troadam et Militenem insulam et totam fere terram, que acquisita fuit ultra brachium. Predictus siquidem Lascarus plures habuit filias de prima uxore[29*], Andronici filia, quarum unam habuit iste catholicorum devastator Vastachius, aliam duxit dux Austrie, tertiam rex Bela, regis Andree filius primogenitus, quartam Anselmus de Kiev[l, 30], de Pontivo[31] natus. Dux etiam Durachii Theodorus Grecus Tessalonicam[m] abstulit et de duce se regem constituit; hic est qui comitem Petrum Autisiodorensem captivavit. De Damieta insuper perdita libentius vellem tacere, quam aliquid dicere[n], dum enim nostri qui erant intus vellent ultra progredi et civitatem nove Babilonis acquirere, que est iuxta Kayrum, longius progressi a soldano conclusi sunt ex inundatione Nili ita quod omnes potuisset submergere soldanus et interficere, si voluisset. Unde Damietam reddere conpulsi sunt, et qualicunque conditione non cum suo honore, sed cum honore soldani evaserunt et quibusdam captivis invicem redditis, trebas firmaverunt. Et hoc totum adscribitur illi cardinali Pelagio, qui contra voluntatem et sine con-

---

a) appellatur 2. b) ab audas 1, *correctum in margine* a baudas. c) convertere contra regem 2. d) *deest* 2. e) pugnatores 2. f) hoc anno *desunt* 2. g) partes 2. h) *deest* 1. i) nec 2. k) Chr. nec Sarrac. sunt 2. l) Kien 1. 2. m) Thessalonicam 2. n) loqui 2.

26) Error, non die 18. Nov., sed 22. eiusdem mensis imperator coronatus est. 27) Lappion, départ. Aisne, arrond. Laon. 28) Huius epistolae fragmentum invenitur in chron. Dunstap. ed. Hearne pag. 107. 29) Pelagii relationem de Davide rege Eccard. Corp. hist. II, 1451—1454. edidit auctoris nomine omisso. Cf. chron. Dunstap. 111. 29*) Anna, filia Alexis Angeli, ex qua genuit Helenam uxorem Vastachii, Sophiam uxorem Friderici II. ducis Austriae, Mariam reginam Ungariae; nomen quartae filiae frustra quaesivi. 30) Cayeux, départ. Somme, arrond. Abbeville. 31) Ponthieu.

1221. silio regis Iohannis exercitum christianum de Damieta exire conpulit, ut alias civitates acquirerent sine providentia, cum illam quam tenebant custodire cum maxima cautela debuissent.

Item in terra Albigensium de hiis, que acquisita fuerant per annos 15, maximam partem perdiderunt catholici, itaque apud Damietam, apud Albigenses et in Grecia hoc anno detrimentum patitur sancta ecclesia, unde Spiritus, qui omnia scrutatur, papam ad hoc, ut multimode predicatores aggregaret, inpulit.

Theodericus Estonie episcopus martirizatur in Livonia pro Christo[32].

In civitate Aurasica[33] vir honestus et religiosus Guilelmus Helie cognominatus eiusdem civitatis episcopus obiit.

Apud Atrebatum Poncius post Radulfum episcopus instituitur[a].

Apud Rothomagum post archiepiscopum magistrum Robertum Pulanum[b] fit[c] archiepiscopus Theobaldus thesaurarius filius domne Humeline Ambianensis. Versus de istis duobus archiepiscopo succedit[d] Galthero,

Successit non laude minor nec moribus impar,
Forma gregisque[e] vita clarus verboque Robertus
Hinc est scribendus Theobaldus obinde canendus,
Quod laudare piam satagebat ubique Mariam.

Trecis inventum est corpus sancti Vincentii eiusdem civitatis episcopi decimi.

Obiit Henricus dux de Lemborc[f], vocatus senior, pater Waleranni, de quo superius diximus[g][31].

1222. Anno 1222. Albricus: Supra dictus rex David et exercitus eius quos Hungari et Comani Tartaros vocabant — et adhuc sequaces eorum in partibus transmarinis Tartar cognominantur, — cum audissent Damietam esse perditam, per insulas maris prout melius potuerunt in patriam suam recesserunt[h] et tota fama que de illis sparsa fuit in brevi evanuit.

Mai. 17. Theobaldus comes Campaniensis cingulo militie accingitur in pentecoste cum Philippo regis filio. Iste comes Campaniensis primo[i] duxit in uxorem Gertrudem comitissam[k] Daburgensem. Postea dimissa illa domna, de qua supra diximus anno 1220, duxit Agnetem sororem Humberti, filiam Wichardi de Belloioco[35], consobrinam scilicet domni Ludovici[36]: de huius Agnetis matre que dicta est Sibilia habetur in anno 1191. et in 1168. Mater autem domni de Belloioco Wichardi, nomine Agnes de Montepancerii[37] in Alvernia, fuit etiam mater Mathildis comitisse Nivernensis; pater autem dicti Wichardi senior Humbertus fuit nepos ex sorore comitis Sabaudie.

Archiepiscopus Senonensis magister Petrus de Carbolio[l][38] doctor opinatissimus moritur.

In Burgundia, sicut frequenter fieri solet, fuit principum discordia. Unde et[m] Gerardus Viennensis[n] comitis filius occubuit. Qui Gerardus de sorore[39] comitis Forensis[40] Guigonis filiam[41] unicam genuit, per quam unus[42] fratrum Philippe comitisse Barrensis[43] Iohannes factus est comes Masticonensis[44].

Fundata est per Blancam Campanie comitissam[o] abbatia nova monialium de Argenteolis[45] iuxta oppidum, quod dicitur Virtutum[46].

Mortuus est frater Dominicus vir sanctus, primus magister[p] fratrum Predicatorum.

In vigilia natalis Domini auditum est tonitruum et fuit terre motus in Italia, sed violentior in civitate Brixa, cuius pars fere media[q] subvertitur, absorptis[r] omnibus in ea parte; repertis locis etiam maritimis et maxime in Cypro terre motus fertur esse nocivus.

Fredericus abbas Prumiensis fit etiam abbas Stabuliensis.

1223. Anno 1223. Apud Senonas factus est archiepiscopus magister Galtherus qui dicebatur Cornutus, nepos ex sorore Henrici quondam marescalli Francie.

---

a) Apud — instituitur, *haec iis, quae de Rothomagensibus sequuntur, in 2 postposita sunt.* b) magistrum Robertum archiepiscopum Pulanus 2; *sed deletum est verbum* Pulanus. c) fuit 1. d) *deest* 2. e) gregis 2. f) Lemburch 2. g) vocatus — diximus *desunt* 2. h) reverterunt 2. i) Iste Theobaldus comes primo 2. k) *deest* 2. l) Corbeio 1. 2. *Cf. annum* 1198. m) *deest* 1. n) Nivernensis 1, *in marg. ab eadem manu correctum:* Viennensis. o) comitissam Campanie 2. p) *deest* 1. q) pene *add.* 2. r) absortis 2.

32) Anno 1219. Cf. supra annum 1215. 33) Arrouaise, départ. Pas-de-Calais, arr. Arras. 34) Anno 1198. 35) Beaujeu, départ. Rhône, arrond. Villefranche. 36) filii regis Franciae. 37) Montpensier, départ. Puy-de-Dôme, arrond. Riom. 38) Corbeil, départ. Seine-et-Oise. 39) Guigonna. 40) Forez. 41) Alicem. 42) Iohannes comes de Braine. 43) Bar-le-duc. 44) Mâcon. 45) Argenteuil, départ. Seine-et-Oise, arrond. Versailles. 46) Vertus, départ. Marne, arrond. Châlons-sur-Marne.

1223. Parisiensi quoque episcopo Guilelmo mortuo factus est episcopus Bartholomeus Carnotensis decanus.

Moritur etiam magister Herveius Trecensis episcopus, in cuius corpore inventa sunt quedam asperam vitam testificantia.

Rex Francorum Philippus 44. regni sui anno moritur pridie Idus Iulii, ad cuius affuerunt Iul. 14. sepulturam domnus Conrardus legatus et rex Iohannes[a] Ierosolimitanus et 27 tam archiepiscopi quam episcopi, qui omnes ea die in pontificalibus celebraverunt. Tale fecit testamentum quod eidem regi Iohanni 100000 librarum, Templariis 100000 librarum[b], Hospitalariis 100000 librarum et in communes[c] elemosinas 100000 librarum delegavit, item comiti Almarico pro negotio contra Albigenses 30000[d] librarum et illis de Sancto Dyonisio, ubi sepultus est, 15000 librarum[47]. Succedit in regnum[e] Ludovicus filius eius, qui coronatus est Remis 8. Idus Augusti. Extunc supra dictus legatus Romam revertitur. Aug. 6.

Eodem anno factus est cancellarius Parisiensis Philippus, optimus theologus, de ipsa civitate oriundus, cuius patruus fuit Galtherus senior camerarius.

Rome per unam diem pluit terra rubea quasi sanguinolenta hebdomada illa, que fuit ante Letare Ierusalem. Apr. 2.

In Hungaria ignis casualis Strigonium[48] et Boduariam devastavit.

In terra Albigensium[f] hoc anno senior ille Reymundus quondam comes Tolosanus inventus fuit, ut dicunt, in lecto suo mortuus. Item dum hereticorum multitudo, cum iuvene Tolosano ex insperato erumpens, quosdam christianos revertentes[g] invaderet, postquam transierat[h] aquam Bedieres[49], viriliter restiterunt catholici et plurimos occiderunt, quorum fuit unus senescaldus Arragonensis. Non multo post comes Almaricus de Monteforti[50], dum Carcassonam retinere non valeret, reliquit eam et in Franciam rediit.

Huc usque magister Oliverus Pateburnensis[i] episcopus perduxit historiam suam Ierosolimitanam incipiens eam ab anno creati mundi.

1224. Anno 1224. Quedam revelata est prophetia, quod in ascensione Domini huius anni in triennium fieret acquisitio a christianis cuiusdam regni paganorum, et quod in sequenti Augusto eiusdem anni victoriam de Sarracenis habebunt[k] in Hispania christiani.

In festo apostolorum Petri et Pauli in illa reclusa de Vernoieh[51], que dicebatur soror Iun. 29. Giluidis et erat vestita pellibus ericinis, ita quod de illius corpore vermes ebullirent; et quia que de illa dicebantur, multi non credebant, ex parte regis et ex parte episcopi multotiens fuit observata. Dicebatur enim, quod post communionem non comedebat, nisi quod ei angelus deferebat[l], et quod lampas ante illam absque corda vel adminiculo dependebat. De qua lampade dicitur, quod primo quidem pendebat cum catenula, quam cum dyabolus rupisset, Dei voluntate lampas immobilis remansit in materia, que cum arderet absque iunco tota ebdomada, semper in sabbato apparebat oleo repleta, et multa alia de ea dicta[m] sunt, que alii approbabant[n], alii non credunt.

Mortuo Conrado Spirensi et Metensi episcopo, factus est Spirensis episcopus Berengarius eiusdem ecclesie decanus, episcopus, autem Virdunensis Iohannes postulatus est Metis et concessus de permissione[o] summi pontificis. Ad cuius receptionem rex Iohannes Ierosolimitanus aliis de causis advenerat[p] Metis. Qui rex Iohannes de voluntate summi pontificis Honorii dedit filiam suam Ysabel[52] imperatori Frederico in uxorem[q] cum regno Ierosolimitano, quod ei competebat iure hereditario, quibusdam tamen conditionibus bona fide interpositis. Huius Ysabelle matris[53] sororem germanam habuit uxorem Rupinus de Antiochia. Predictus vero rex Iohannes Ierosolimitanus duxit in uxorem filiam[54] regis Gallicie, sororem Fernandi de Castella.

Rex Francorum Ludovicus cum fratre suo Philippo et cum exercitibus suis contra

---

a) Iohannes rex 2. b) Templariis — librarum *desunt* 2. c) omnes 2. d) milia *deest* 1. e) regno 2. f) Albingensi 2. g) revertens 1. h) transierant 2. i) Pateburgensis 2. k) habuerunt 1. l) nisi — deferebat *desunt* 2. m) dicta de ea 1. n) approbant 2. o) promissione 2. p) venerat 2. q) ex qua genuit Conradum patrem Conradini regem *add.* 1.

47) Cf. Guil. Armor. 115. 116. 48) Gran. 49) Beziers. 50) Montfort-l'Amaury, départ. Seine-et-Oise, arrond. Rambouillet. 51) Verneuil, départ. Marne, arrond. Epernay? aut départ. Aisne, arrond. Laon? 52) Iolantham, non Isabellam. 53) Iolanthae. 54) Berengariam.

1224. regem Anglie Rupellam[56] in Pictavia et abbatiam sancti Iohannis Angeliacensis[57] cum oppido et castrum de Niort[58] potenter obtinuit.

Iun. 2. In pentecoste universitas Hoiensium, tam senes quam iuvenes masculini sexus, antiquos ludos, vestibus mulierum induti, barbis rasis reducunt ad memoriam. Habebant enim precellentes personas secundum diversitates locorum, imperatorem videlicet, regem, ducem, comitem[a] et abbatem. Quidam eorum erant armati loricis et galeis fulgentibus gladiosque nudos portantes[b] in manibus suis. Pellifices enim habebant pellicea grisea et vulpina, pilum de foris habentia, et alii omnes prout poterant ad modum mulierum erant adornati. Qui quolibet die festi pentecostes[c], nullo domi remanente, ibant processionaliter bini et bini per vicos et plateas cantando et ad diversa loca extra oppidum choreas ducendo. Quibus autem diebus ecclesie sancti Mengoldi et sancti Martini in foro renovabantur, et eis offerentes primo die videlicet sancto Mengoldo[d] 20 marcas et sancto Martino 15[e].

Aug. 3. Ventus validus extitit ultra modum nocivus in inventione sancti Stephani in diversis terrarum partibus, segetes ad medium excutiens.

Aug. 25. Apud Montempessulanum[59] dominica post octavas assumptionis beate Marie de mandato domni pape fuit concilium magnum seu colloquium ab universis fere prelatis totius provincie pro facto Albigensium celebratum, ubi affuerunt iuvenis comes Tolosanus Reymundus et Rogerus Bernardi comes Fuexensis et vicecomes Biterrensis[60], filius Rogerii heretici combusti, qui ex toto exheredatus[f] est, et hereticorum infinita multitudo, querentium ita pacem facere, ut heretici remanerent vel palam vel occulte. Quidam episcopi fuerunt restituti[g] in hiis dignitatibus, quas perdiderant et quas de manu laycali tenere solebant; quedam etiam ecclesie restitute fuerunt[h] et quedam non, et hec restitutio potius ex timore fuit[i] regis, qui erat in Pictavia, quam ex devotione. Ordinatum est in eodem concilio et dispositum quod fieret collecta mille marcarum argenti, et missi sunt ad curiam Romanam solempnes nuncii, archiepiscopus Arelatensis[61] cum quibusdam[k] episcopis et duo abbates[62] Sancti Saturnini Tolosani et de Caunis[63]. De hoc archiepiscopo Arelatensi scriptum[l] est[m] in quibusdam litteris, quod in supra dicto colloquio ecclesiam Dei vendidit, angariavit et etiam annihilavit vili pretio et enormi: *Velit ergo Deus,* ut in eisdem litteris legitur[n], *ne a talibus ecclesia Dei suffocetur.*

Domnus cardinalis Conradus, a Roma regressus et per imperium Alemannie constitutus legatus, Leodium venit ibique Vallem Benedictam[64] ordinis Cisterciensis de novo
Iun. 2. fundatam circa pentecosten consecravit, deinde Tullum venit in octavis beati Martini cum
Nov. 11/18. Coloniensi[65] et Moguntinensi[66] archiepiscopis et cum imperatoris filio rege Henrico et maioribus Alemannie. Rex quoque Francie Ludovicus cum suo colloquio et consilio fuit[o] in eodem confinio, apud castrum Valliscoloris[67], et sequenti die utriusque regni consiliatores in unum convenientes congruum colloquium ad invicem habuerunt.

Mortalitas maxima animalium, veniens a partibus Orientis per Greciam, eodem anno transivit per Hungariam, et anno sequenti fuit in Alemannia et sequenti anno altero in Francia.

1225. Anno 1225. Littere summi pontificis de facta hoc anno sollempni dampnatione cuiusdam libelli Iohannis Scoti[68]: *Honorius episcopus servus servorum Dei archiepiscopis et episcopis* etc. *Inimicus homo zizania bono semini superseminare non cessat* etc. *Nuper siquidem, sicut nobis significavit venerabilis frater noster Parisiensis episcopus, est quidam liber, qui*[p] *Perifisis*[69] *intitulatur, inventus tot scatens vermibus heretice pravitatis, unde a venerabili fratre nostro archiepiscopo Senonensi et suffraganeis eius in provinciali concilio congregatis iusto est Dei iudicio reprobatus. Quia igitur idem*[q] *liber, sicut accepimus*[r], *in nonnullis monasteriis et aliis locis habetur, et nonnulli claustrales et viri scolastici, novi tamen forte plus quam*

---

[a] *deest* 2. [b] portantibus 1. [c] *deest* 1. [d] Maingoldo 1. [e] *aliqua omissa esse videntur; quae suppleri possint alii videant.* [f] heredatus 2, *et secundum Pabst item* 1. [g] erant instituti 2. [h] erant 2. [i] fuit ex timore 2. [k] aliis 2. [l] *deest* 2. [m] fuit 2. [n] *deest* 1. [o] *deest* 2. [p] *deest* 1. [q] *deest* 2. [r] recepimus 2.

[56] La Rochelle, dép. Charente-Inférieure. [57] Saint-Jean-d'Angeli, ibidem. [58] Niort, départ. Deux-Sèvres. [59] Montpellier. [60] Trencavellus de Beziers. [61] Hugo. [62] Iordanes et Geraldus. [63] Caunes, départ. Aude, arrond. Carcassonne. [64] Vaulx-Benoist. [65] Engelberto. [66] Sigefrido. [67] Vaucouleurs, départ. Meuse, arrond. Commercy. [68] Vide annum 878. [69] Περὶ φύσεων μερισμοῦ.

expediat amatores, se studiosius lectione occupant dicti libri, gloriosum reputantes ignotas 1225. *proferre sententias, cum apostolus prophanas novitates doceat evitare; nos iuxta pastoralis sollicitudinis debitum corruptele, quam posset ingerere liber huiusmodi, occurrere satagentes, vobis universis et singulis in virtute sancti Spiritus districte precipiendo mandamus, quatenus librum ipsum sollicite perquiratis, et ubicunque ipsum vel partem eius inveniri contigerit, ad nos, si secure fieri poterit, sine dilatione mittatis sollempniter conburendum, alioquin vos ipsi publice conburatis eundem, subditis vestris expresse iniungentes, ut quicunque ipsorum habent vel habere possunt in toto vel in parte exemplaria*[a] *dicti libri, ea nobis non differant resignare, in*[a*] *omnes qui ultra* 15 *dies post huiusmodi mandatum seu denunciationem ad notitiam eorum pervenerit, librum ipsum totum aut partem scienter retinere presumpserit excommunicationis sententiam incurrisse notamque pravitatis heretice non evadent. Datum Laterani* 10. *Kalendas Februarii* etc. De libello supra dicto testatur magister Hugo de Sancto Victore in libro Didascalicon, quod Iohannes Scotus scripsit theologiam de decem cathegoriis in Deum. De quo Iohanne habetur in historia nova Anglorum[70], quod martyr estimatus est; lege supra[b] in anno 878[c]; non est igitur mirum, si libellus hic, ante 300 circiter annos editus, et magnum concilium nuper[71] celebratum evasit et hoc anno dampnationem incurrit propter novos Albigenses et falsos theologos, qui verba bene forsitan suo tempore prolata et antiquis simpliciter intellecta, male intelligendo pervertebant et ex eis suam heresim confirmabant.

Comes Campaniensis Theobaldus, quibusdam amicis suis secum assumptis, ad avunculum suum[72] ad partes Navarrorum abiit. Quo tempore rex habebat filium, nomine Guilelmum[d], bastardum tamen, quem populus terre sibi proficere[e] videbatur magis quam comitem; et episcopus Pampelone[73*], frater uterinus eiusdem bastardi, simili modo contradicebat comiti. Unde videns comes nichil eo tempore[f] se[g] posse proficere, revertitur cum suis.

Apud Virdunum in cathedra pontificali de voluntate et consilio Metensis episcopi Iohannis positus fuit consobrinus eius, cantor Radulfus Laudunensis[h], filius domni de Torota[73], appellantibus ad papam archidyacono Henrico Malapota, Montisfalconis[74] preposito, cum aliis personis que erant in parte eius. Et huius cause ventilatio ultra annum processit eo quod pars appellantium innitebatur consilio et auxilio comitis Barrensis[75]. Sed cum captus fuisset[i] idem comes ante natale Domini in Burgundia a Iohanne Cabilonensi[76], filio comitis Stephani, et ab Henrico Viennensi, fratre Gerardi iam defuncti, tandem post suam redemptionem et reversionem cum eodem electo Radulfo pacem habuit et cum ipso Virdunum obsedit.

Monstruosa res et deceptione plena contigit in Flandria hoc anno. Iste siquidem est annus vicesimus, ex quo comes Balduinus, qui fuit imperator Constantinopolitanus, dicebatur pro certo apud Ternoam in Bulgaria fuisse interfectus, et ecce in cena Domini huius Mart. 27. anni quidam pseudopropheta, qui videbatur quasi penitens et heremita in Viconia[77], a quibusdam persuasus, imo quasi compulsus, Valentianas venit, Theoderico abbati Sancti Iohannis de Valencianis et abbati[78] Sancti Vedasti Atrebatensi et quibusdam burgensibus et militibus, maxime nobilibus et religiosis se manifestavit, cicatrices lateris, manuum et pedum et capitis ostendit, ita quod illis, qui primo comitis Balduini familiares extiterant, per multa intersigna imperatorem Balduinum se esse persuasit. Ducem Lovanii[79] et barones et viros nobiles et milites ultra mille preter ignobiles in parte sua habuit, duobus fere mensibus regnavit, crucem ante se ferri quasi imperator fecit, coronam in die pentecostes Mai. 18. tulit, decem novos milites creavit, novas cartas sigillavit et feoda divisit, sed cum de eo murmur incresceret et multitudo, que sequebatur eum, inciperet esse suspecta, per regem Ludovicum apud Peronam Veromandie tertio Kalendas Iunii[k] evocatus est ad colloquium, qui dixit ei Rein. Leod. 1125. in prima salutatione: *Domine, si estis avunculus meus, ut dicitis, bene veneritis.* Itaque super quibusdam interrogatus et examinatus, quasi mente alienatus seu indignatus respondere noluit, immo non potuit, inducias tantummodo usque post suam dormitionem

---

a) exempla 2. a*) *abhinc locus valde corruptus est, de sensu dubitari non potest.* b) *deest* 1. c) 877. 2. d) Guilelmum nomine 2. e) perficere 2. f) eo tempore se nichil 2. g) *deest* 1. h) Laud. Rad. 2. i) fuit 2. k) Iulii 2.

[70] Guil. Malmesb. §. 122. [71] Anno 1215. [72] Sanctium VII. [73] Thourotte, départ. Oise, arrond. Compiègne. [73*] Remigius. [74] Montfaucon, départ. Aisne, arrond. Château-Thierry. [75] Henrici II. [76] Châlon-sur-Saône. [77] Vicogne, départ. Nord, arrond. Valenciennes. [78] Odoni. [79] Henricum.

1225. requirendo et suorum consilium. Unde rex eundem cum neque a sorore, neque a filiabus, neque a nepotibus, neque ab episcopo Leodiensi Hugone[a] cognosceretur, a regno sub interminatione conpulit exire. Hoc autem non est silendum, quod in hac dissensione maxima pars terre destructa est et multa facta sunt mala, dum alii partem istius, alii partem comitisse defenderent. Hic igitur cum multis de terra exiens et paulatim de die in diem omnes[b] preter duos aut tres a se dimittens, Coloniam venit et per Teuthoniam transiens, uno solo clerico comite contentus, quasi Romam iturus, in Burgundiam Bisuntinensi dyocesi militibus occurrens, per Clarenbaldum de Cappis[80] capitur et adductus apud castrum de Cachenay[81] custodie mancipatur. Interim comitissa[82] Flandrie, auxiliis copiose aggregatis[c], Valencianas et alia castra seu villas munitas, in quibus ille regnaverat, ad deditionem coegit et redemptionem. Dehinc fama volante captivus de voluntate regis traditur comitisse, ipso rege dicente, quod pro omnibus que fecerat non eum reum mortis esse iudicabat. Tandem cum aliquamdiu reservatus esset, ut aliquid per confessionem audirent, ab ore eius detecta est machinatio eius. Ne subito per violentiam raperetur ab iis, qui primo fuerant in parte eius, per Arnulfum de Audenarde[83] et per pares Flandrie maiores mortis reus iudicatur, opprobriis, iniuriis[d] deridetur, affligitur et per castella et vicos circumductus, ad ultimum prope Insulam suspenditur. Et de multorum cordibus cogitationes revelantur, aliis factum hoc approbantibus, aliis improbantibus. Laqueatus fuit in furcis eminentissimis, multis per circuitum armatis et observantibus per ebdomadam deputatis custodibus. In tantum vero persuasio hec prevaluit et[e] adhuc prevalet in cordibus multitudinis, quod nullo[f] modo sedari quorundam cogitationes potuerint[g], quin ipse fuerit imperator Balduinus. Sed si frater Symon de Alna[84], vir religiosus et[h] timens Deum, qui erat contra eum, aliquam de illo veritatem cognovit[85], quomodo eam celare potuit? Dicit ergo episcopus Semigallie, domnus Balduinus de Alna, quod frater Symon veraciter dixit, sibi tamquam revelatum fuisse, eum absque dubio deceptorem fuisse, sed et ipse aliquando confessus fuit se esse Bertrannum de Rais.

Romanus Sancti Angeli dyaconus cardinalis per regnum Francie, per Burgundiam et[i] Provinciam constitutus legatus, potestative que disponenda sunt disponere intendit. Huius
Oct. 19. auctoritate Remis in crastino sancti[k] Luce magister Iohannes de Abbatisvilla[l][86], vir honestis moribus preditus et[k] ad predicandum optimus theologus, Ambianensis decanus, consecratur in archiepiscopum Bisuntinensem.

Apud civitatem Narbonensem mortuus est archiepiscopus Arnoldus.

Comitissa Gertrudis cum esset heres unica de Daborch[87] et de quodam castro Leodiensis dyocesis quod Musacum[88] dicitur cum appenditiis, et esset primo ducissa Lotharingie, deinde comitissa Campanie, novissime vero de Linengis[89] comitissa, tandem moritur sine herede.

Longam concertationem habuit Metensis episcopus[90] contra comites, qui castra dicte comitisse sibi vendicabant maxime ex vicinitate, et ille de Linengis ex dote vel remanentia uxoris, que recipere debebat[m] de manu episcopi, qui per comitem Barri[91] de ipsis triumphum optinuit.

Episcopus autem Leodiensis[92] castrum Musaci cum appendiciis, tam emptionis titulo quam iure mortue manus, potenter et victoriose retinuit[n], duce Lovanii pro posse suo resistente.

Fredericus imperator de Sarracenis, qui montanas tenebant in Sicilia, nobiliter triumphavit.

Patriarcha Ierosolimitanus magister Radulfus moritur, cuius cathedram sortitus est episcopus Valentie magister Giroldus.

Archiepiscopus Coloniensis Engelbertus, vir et genere et mente nobilis et maxima
Nov. 7. ecclesie columpna, 7. Idus Novembris interficitur a quodam cognato suo Frederico comite

---

a) Hugone Leod. ep. 2. b) *deest* 2. c) copiosis congregatis 2. d) inmiciis 2. e) quod 2. f) ullo 1. g) *deest* 1. 2. h) ac 2. i) per 2. k) *deest* 2. l) villa Abbatis 2. m) debebant *prima manu;* n *erasum est* 2. n) obtinuit 2.

80) Chappes, départ. Aube, arrond. Bar-sur-Seine. Hoc verbo lacuna in Reineri Leod. codice M. G. SS. XVI, 679 suppleri licet. 81) Chancenay, départ. Marne, arrond. Vassy. 82) Iohanna. 83) Oudenarde. 84) Aulne-sur-Sambre. 85) De hoc Symone, qui *vidit omnes homines adstare coram Domino, et singulorum conscientias, ac si in libro legeret, novit*, vide Chapeaville Gesta ep. Tungr. II, 244. n. 3. 86) Abbeville, départ. Somme. 87) Dachsburg. 88) Moha, prov. Lüttich, arrond. Huy. 89) Linange. 90) Iohannes. 91) Henricum II. 92) Hugo.

de Ysenberg[1], eo quod eum amovebat ab advocatia nobilis abbatie dicte Essendie[2] quarundam 1225. monialium, quam cum defendere debuisset, destruebat. Fredericus ille fugiens excommunicabatur ubique auctoritate cardinalis domni Conradi. Querebatur etiam auctoritate regis, et propositum est maximum premium ei, qui sciret et indicaret, quomodo capi posset. Itaque circa annum fere conpletum reversus a Roma sub habitu mercatoris et a quibusdam Leodii cognitus est, et quod Hoyum tenderet, illico demandatum est Balduino militi de Genefia[3], qui sine mora veniens eum in valle Amaniensi[4] cepit et Coloniensibus pro magno pretio[a] apud Viziacum[5] tradidit. Inde Coloniam ductus et per vicos[6] et plateas ut canis vilissime tractus, tandem in rota eminentissima rotatus est, martirium suum recipiens cum omni contritione et devotione, et cum expirasset et domni Colonienses alta[b] voce *Te Deum laudamus* etc. decantassent, eo quod vindicta de nece archiepiscopi esset consummata, ex tunc archiepiscopus, qui hucusque miracula faciebat, ea facere omisit. Post quem prepositus Bonne, Henricus nomine, comitis de Sena[7] consobrinus in archiepiscopum Coloniensem eligitur 17. Kalendas Decembris. Nov. 15.

Hoc[c] etiam anno in tantum carum tempus fuit, quod modius frumenti vendebatur 28 solidis Leodiensium.

Magister Guilelmus Alvernus, theologiam legens Parisius, novam domum filiarum Dei inchoavit et plures communes mulierculas predicatione sua a peccato[d] retraxit, et harum exemplo in aliis civitatibus cepit hic ordo dilatari.

Hyemps hoc anno fuit longissima, a festo sancti Luce usque ad quindenam post pascha, Oct. 18. et de lunatione in lunationem satis aspera.

Bituricis civitate concilium celebratum est in festo sancti Andree, Romano cardinali Nov. 30. presidente, de statu ecclesie et Albigensium. Qui cardinalis Parisios reversus nuper tumultum fecerat maximum, quoddam privilegium magistrorum et doctorum scindendo per medium; et vulnerati fuerant duo de familia eius[e]. Scandalum amovit et absolvendos absolvit et turbatos pacificavit.

Annos 1226. In crastino purificationis domnus cardinalis[f. 8] et legatus apud Leodium 1226. Febr. 3. habuit concilium contra Monasteriensem episcopum[9] et Osnaburgensem electum[10], qui erant fratres Frederici interfectoris archiepiscopi. Ibi probatum est contra eos, quod fratrem iam ubique excommunicatum de substantia sua et de militibus suis iuvissent contra ecclesiam et contra imperium, et quod unus eorum dixisset[g] fratri quoddam[h] verbum, unde magis commovit eum in necem archiepiscopi. Quid multa? Suspensi ab officiis, episcopus autem etiam a beneficiis[i], Romam ire conpulsi, depositi sunt, et alii in loco eorum instituti. Idem cardinalis domnus Conradus et sublegatus eius ab eo institutus, domnus abbas Conradus[k] de Benbinhusen[11], multa milia hominum nobilium et ignobilium pro via Ierosolimitana cruce signaverunt. Iste abbas Conradus multa tunc temporis fecit in Alemannia.

Cardinalis autem Francie Romanus cruce signavit regem Ludovicum cum exercitu valido pro via Albigensium. Rex Ludovicus cruce signatus super Albigenses cum exercitibus suis abiit, civitatem Avennionem obsedit, post multam de suis amissionem et multa pericula civitatem ipsam potenter optinuit, de ea et de habitatoribus eius sicut voluit triumphavit. Tota provincia usque circa Tolosam subiugata fuit et subiecta, duos etiam episcopos domnus rex, unum[12] in Avennione et unum[13] in Carcassona renovavit.

Sed antequam predicta fieret expeditio, moritur episcopus Cathalaunensis Guilelmus; electus est igitur solempni electione in episcopum Henricus Remensis archidyaconus, thesaurarius[l] Belvacensis, sed recipere noluit. Electus est iterum communi electione magister Petrus de Collemedio, sed non acquievit. Tertia electione, que fuit in crastino Trinitatis, maximam habuerunt discordiam, et prima quidem pars, que maior et sanior Mai. 26.

---

[a] *deest* 2. [b] cum alta 2. [c] in hoc 2. [d] peccatis 2. [e] sua 2. [f] *deest* 1. [g] dixit 2. [h] *deest* 2. [i] episcopus — beneficiis *desunt* 1. [k] et sublegatus — Conradus *desunt* 1. [l] thesaurius 1.

[1] Isenberg. [2] Essen. [3] Jeneffe, prov. et arrond. Lüttich. [4] Amay, prov. Lüttich, arrond. Huy. [5] Visé, prov. Lüttich, arrond. Daelhem. [6] *Coloniam perductus et per vicos et plateas* etc. Reiner. Leod. M. G. SS. XVI, 680. Cuius librum quin noster prae oculis habuerit haud dubito; nec solum haec, sed etiam cetera, quae Reinerus de nece archiepiscopi tradit, etsi non verbis, ut loco allegato, attamen rebus satis conveniunt. Sane non omnia a Reinero narrantur. [7] Sain. [8] Conradus. [9] Theodoricum. [10] Engelbertum. [11] Bebenhausen. [12] Nicolaum. [13] Clarium.

1226. videbatur, magistrum Bartolomeum nominavit, natione Lombardum, eiusdem ecclesie canonicum, satis nominatum[a] et discretum theologum, pars altera iuvenem nobilem nominavit[b] Robertum de Torota[14], fratrem episcopi Radulfi Virdunensis. Et ita[c] fuit huius[d] partis consensus, ut dicebant, licet quidam eorum aliter sentirent, quod si non possent habere dictum iuvenem, nominabant cantorem ecclesie Cathalaunensis Hugonem. Quis horum finis extitit, in sequentibus dicetur[15]. Cum itaque tanta difficultas extiterit, mortuo episcopo Guilelmo, in[e] ecclesiastica dignitate, maior etiam difficultas extitit de eius successione in comitatu Pertici[16]. Rex tamen maiorem partem super ceteros habuit. Domna Ambazie[17], comitissa Carnotensis[18], partem suam ibi clamabat feodum quoddam quod de ea movebat. Regina Berengaria[19] et soror[f] eius Campanie[20] comitissa[g], cum pater earum rex Sanctius Navarrorum per matrem suam[21] extiterit de genere Pertici, licet aliquantulum a longe, partem suam ibi habuerunt.

Comes Barri Henricus cum esset captus in Burgundia, ut supra tetigimus[22], fuit ibi Iun. 7. usque ad pentecosten. Redemptus ergo pro 16000[h] librarum Pruvinensium liber dimissus est, promittendo quod pacem cum eisdem principibus haberet, qui ipsum tenuerant[i], nec eis[k] fidem servavit.

Mai. 24. Tempore rogationum tempestas sevissima et nostris temporibus inaudita cecidit in territorio Laudunensi, specialiter tamen apud abbatiam Fusniaci[23], ita quod[l] ipsius abbatie et sex grangiarum eius domos discooperuit et pomeria ex maxima[m] parte eradicavit et confregit et secundum estimationem per sex leugas in longitudinem et unam solam in latitudinem cucurrit[n]. In ecclesia vero eiusdem abbatie quoddam mirabile contigit, dum quedam vitrea fenestra a loco suo violenter evulsa, magnum crucifixum in medio ecclesie miro modo concussit, ita quod idem crucifixus faciem avertit a choro conversorum et faciem habuit ad chorum monachorum.

Oct. 4. 4. Nonas Octobris beatus Franciscus, plantator ordinis fratrum Minorum, feliciter migravit ad Dominum, cuius corpusculum in Lombardia[24] in civitate Assisii honorifice traditur sepulture.

Obiit Waleranus de Ardenna dux[o], vir corpore decorus et satis audax, post decem[25] annos, ex quo pater eius senior Henricus de Lemborc decesserat, qui ambo sepulti in ecclesia de Rode[26] ordinis sancti Augustini.

Ludovicus etiam comes de Cisneio[27] in Aureavalle[28] sepelitur, ubi et avus eius Albertus comes decentissime iacet.

Agnes ducissa Lotharingie in abbatia Belliprati[29] sepulta est.

De illis autem, qui mortui sunt in expeditione Avennionis et Albigensium, primus obiit in partibus Andegavorum Amalricus de Creona[30], vir nobilis cruce signatus, qui mortuus est antequam ad alios veniret, et ante Avennionem de nobilioribus primus obiit comes Guido de Sancto Paulo petra de petraria emissa in capite percussus.

In reditu apud Sanctum Florum[31] in Alvernia moritur famosissimus comes Philippus Namucensis et sepelitur iuxta capitulum abbatie de Vacelles[32]; similiter apud Sanctum Nov. 5. Florum moritur archiepiscopus Guilelmus Remensis Nonis Novembris quinta feria, cuius corpus, sicut petierat[33], cum monachis in cemiterio sepultum est. Rex autem Ludovicus Nov. 7. moritur apud Montem Panterii[34] iuxta civitatem Clarimontis in Alvernia septimo Idus Novembris die sabbati; regnavit annis 3 cum 5 mensibus; corpus eius relatum est apud Sanctum Dyonisium, ibique iuxta patrem sepultum. In hac abbatia reges 17 requiescunt.

---

a) satis nominatum *desunt* 2. b) iuvenem nominavit nobilem 2. c) *deest* 1. d) *deest* 2. e) et 1. f) sorores 1. g) comitissa Camp. 2. h) milibus *desunt* 2. i) tenuerat 1. k) ipsis 2. l) ut 2. m) *deest* 2. n) occurrit 2. o) dux de Ardenna 2.

14) Thourotte, départ. Oise, arrond. Compiègne. 15) Vide annum 1228. 16) Le Perche, cuius heres erat Guillelmus, die 18. Martii huius anni mortuus. 17) Amboise, départ. Indre-et-Loire, arrond. Tours. 18) Isabella. 19) Uxor quondam Richardi regis Angliae. 20) Blanca. 21) Margaretam, filiam Gisleberti de Aquila et Iulianae Perticensis; vide annum 1063. 22) Anno 1225. 23) Foigny. 24) Ut infra anno 1228. legendum est: *in Tuscia*. 25) post quinque annos, nam ut ipse Albricus anno 1221. annotaverat, eo anno Henricus obierat. 26) Rolduc. 27) Chiny. 28) Orval. 29) Beaupré-sur-Meurthe. 30) Craon, départ. Mayenne, arrond. Château-Goutier. 31) Saint-Flour, départ. Cantal. 32) Vaucelles, départ. Aisne, arrond. Laon. 33) Hic forte verba: *ad monasterium Clarevallis translatum ibique* ab interpolatore omissa sunt. Claravalle enim, non Sancti-Flori Guilelmum sepultum esse epitaphium ap. Marlot Hist. de Reims III, 568 docet. 34) Montpensier, départ. Puy-de-Dôme, arrond. Riom.

Reliquit rex in terra Provincie cognatum suum Humbertum de Belloioco[35] cum militibus 500. 1226.

Dominica prima adventus Domini coronatus est Remis ab episcopo Suessionensi[36] Nov. 29. Ludovicus filius Ludovici regis; fratrum eius hec erant nomina: Robertus[a], Iohannes, Alfonsus, Dagobertus, Karolus et soror Ysabella.

Regi Iohanni Ierosolimitano, cui gener suus imperator Fredericus[b] adversabatur, commisit papa civitates suas et castra plurima in Tuscia; et Romani et Lombardi eum habebant[c] in reverentia maxima, cum e contrario imperatorem odirent. Imperator iste dicitur[d] tantos in auro et argento thesauros habere, quantos ullus[e] de antecessoribus eius[f] habuit a tempore Karoli Magni, scilicet propter ditissimum regnum Sicilie et Apulie.

Anno 1227. Comes Flandrie Fernandus, per annos 12 et menses 5 in custodia regis 1227. Francorum detentus, tandem relaxatur et Flandrensibus redditur. Pro socio eius Renaldo Boloniensi[g] comite quidam laborabant, sed in vanum. Qui interim circa sequens pascha Apr. 11 voluntaria, ut dicitur, morte vitam finivit.

Remis in electione solempni celebrata Hugo Leodiensis episcopus in archiepiscopum nominatur et postulatur. Qui cum fuisset per maiores Remensis ecclesie[h] personas requisitus, ut consentiret, gratias illis agens recipere noluit, sed humiliter et rationabiliter se excusando per magistrum Iacobum de Vitriaco Aconensem episcopum, qui responsum eius protulit in publicum, nam presens aderat, sedem illam inventus est recusasse, quam nullus ante ipsum nec modernis, nec antiquis temporibus recusavit. Unde secunda electione, que fuit sexta[i] feria post purificationem, electus est archidyaconus Remensis Henricus, qui Febr. 5. anno nondum finito electioni Cathalaunensi renuntiaverat; hic igitur in octavis pasche Apr. 18. consecratur.

15. Kalendas Aprilis, hoc est quinta feria ante Letare Ierusalem, domnus papa Hono- Mart 17. rius decessit, et factus est summus pontifex Hugo Hostiensis episcopus cardinalis, cognomine Hugelinus, vir nobilis et religiosus et acutissime literatus, de civitate Anagnia prope Romam oriundus. Hic est Gregorius IX.

Patriarcha Constantinopolitanus erat hoc anno Matheus, tertius illorum, qui de Latinitate in eadem sede assumpti sunt, primus namque eorum dictus est Thomas, de Venetia natus, secundus Gervasius, de Tuscia assumptus, tertius iste Matheus iterum Venetianus. Quo cedente et electoribus vota sua per consilium transferentibus et in magistrum Iohannem archiepiscopum Bisuntinensem consentientibus de voluntate domni pape, dictus archiepiscopus Romam adiit postulatus, onus illud subire non consensit adoptare[k]; unde domnus papa cardinalem eum instituit et secum retinuit, dans ei Sabinensem episcopatum. In Constantinopolim vero factus est patriarcha Symon archiepiscopus de Tyro.

Moritur archiepiscopus Lugdunensis Renaldus, qui fuit filius comitis[37] Forensis; succedit episcopus Clarimontensis de Alvernia Robertus, cuius frater fuit Guido comes Alvernensis.

Obiit frater Garinus Silvanectensis[38] episcopus, succedit magister Adam, sufficiens predicator et theologus.

Magister Iacobus Aconensis episcopus Romam abiit cum festinatione evocatus a summo pontifice et paulo post mare transivit.

Frater regis Anglie comes Richardus, qui ante biennium Riolam[39] et partes circa Burdegalam contra regem Francie saisiverat, per cognatos regis, Humbertum Belliioci domnum et Britannie comitem Petrum, victus est in bello, et sic in Angliam revertitur.

Rex Dacie Waldemarus contra Henricum comitem[40], a quo captus fuerat, bellum habuit. Archiepiscopus Bremensis contra regem in parte comitis primus facta sorte dimicavit; tribus episcopis Dacie captis et 1000 circiter viris occisis, rex cum paucis evasit.

In Frisia episcopus Otto Ultraiectensis contra quendam Radulfum pessimum tyrannum[41] quoddam optinuit oppidum; tyrannus ille Frisonibus aggregatis episcopum cum suis in ipso[l] oppido obsedit[42], ignem apposuit; ignis violentia oppido destructo, capitur

---

a) Albertus 2. b) Fridericus imp. 2. c) habebant eum 2. d) *deest* 2. e) ullus 2. f) suis 2. g) Bosoniensi 2. h) ecclesie Remensis 2. i) secunda 2. k) attemptare 2. l) *deest* 2.

35) Beaujeu, départ. Rhone, arrond. Villefranche. 36) Iacobo. 37) Guigonis III. 38) Senlis. 39) La Réole, départ. Haute-Garonne, arrond. Toulouse. 40) Schwerinensem. 41) de Koevoerden. 42) E contra episcopus, quum ad oppidum Koevoerden obsidendum egressus esset, a Radulfo ei obviam facto manusque cum eo conserente capitur.

1227. episcopus et crudeliter interficitur, ita quod 200 circiter tam milites quam militum filii cum eo fuerunt occisi.

In Hungaria magister Robertus Vesprimiensis[43], vir bonus et religiosus de Leodiensi dyocesi natus, factus fuerat[a] archiepiscopus Strigoniensis[44]. Eo igitur cruce signato et in procinctu itineris constituto, occurrit illi filius principis de Comania et ait: *Domne, baptiza me cum 12 istis, et pater meus ad te veniet ultra sylvas in tali*[b] *loco cum 2000 viris, qui omnes desiderant de manu tua baptizari.* Quo facto abiit archiepiscopus[c] ultra silvas in occursum patris illius cum Bartholomeo[d] episcopo Quinqueecclesiensi et Guilelmo Vesprimiensi et Guilelmo Ultrasilvano[45] episcopis, et ibi baptizati sunt Deo dante[e] ultra 15000 hominum.

Fredericus imperator naves suas paraverat apud Brundusium, quasi transiturus mare, sed subita infirmitate tactus, vel vera vel simulata, remansit.

Ibi lantgravius Thoringie Ludovicus iuvenis cruce signatus obiit, cuius ossa in patriam suam relata sunt.

Dux autem Henricus Lemburgensis cum quibusdam aliis ex parte imperatoris transiit, et ibi fuerunt quidam de Anglia episcopi. Cum autem Iacobus monachus Sancti Galgani[46], vir religiosus et simplex, die quodam missam celebraret, apparuit ei nebula, scilicet inter crucem et calicem, et cum sublevasset caput ab oratione que dicitur: *Supplices te rogamus,* prospiciens et admirans vidit lumen ardens in nebula in modum lucis candele ardentis, et cum hoc intueretur, exivit manus de nebula et lumine et extendens se[f] super corporale, quod positum erat super altare, scripsit multa ad correptionem humani generis depravati et in quatuor apparuit missis diversam in qualibet prophetiam describens[g].

Quidam frater Petrus de Boreth de ordine Minorum, exsistens[h] apud Acram, scripsit quasdam litteras episcopo Basacensi[47], ubi dicit, quod Antichristus erit in Martio decem annorum. Cui non consentiunt scripture, quia antequam veniat Antichristus hec signa — ut quidam sapientes dixerunt — debent venire[i]: Reedificatio turris Babel, et montes Capsii[k] fient pervii[l] et transmeabiles, et fluvius Ethan debet fluere. Unde et[f] scribitur: Ps. 73, 15. *Tu siccasti fluvios Ethan.* Et ydolum Machometi debet corruere.

In pago Hasbanio dyocesis Leodiensis habetur oppidum cum abbatia, que dicitur Sancti Trudonis[48]. Qui sanctus Trudo antiquitus, dum adhuc viveret, dederat villam suam beato Stephano Metensi; item beatus Lambertus Leodiensis habebat ab antiquo villam de Maideriis[49] supra Mosellam iuxta castrum Montionis[50] in dyocesi Metensi. Itaque in hoc anno episcopus Hugo Leodiensis, videns et perpendens posse commutationem in huiusmodi commodius fieri, dedit villam de Maideriis episcopo Metensi[50*] pro oppido Sancti Trudonis et pro duabus abbatiis Walciodoro et Hasteriis[51], et insuper 2000 marcas argenti eidem episcopo et 500 marcas capitulo sancti Stephani, et hoc modo oppidum Sancti Trudonis[m] acquisivit ecclesie Leodiensi in perpetuum, secularem videlicet iustitiam, cum iam ibi haberet christianitatem ab antiquo[52]. At contra comes Barri cum sit hereditario iure advocatus de Maideriis, huic commutationi per multum tempus contradixit et totum, quicquid episcopus Metensis per excambium in Maideriis acquisierat, saisivit, ita quod per annum unum et ultra totum sibi vendicavit, donec viris honestis mediantibus pax intervenit, et ecclesia Metensis decimas ibi retinuit, episcopus vero Leodiensis, quidquid acquisiverat, in pace tenuit.

Sept. 18. Rome sabbato in quatuor temporibus in Septembri fecit papa Gregorius IX. sex honestos viros cardinales, quorum fuit unus magister Iohannes, Bisuntinensis archiepiscopus quondam, qui iam factus erat, ut premisimus, Sabinensis[n] episcopus, alius magister Bartholomeus Lombardus, qui factus est presbiter cardinalis Sancte Potentiane, tertius magister Sygebaldus presbiter cardinalis Sancti Laurentii in Lucina, quartus Gaufridus cancellarius

---

a) fuit 2. b) *deest* 1. c) episcopus *manu prima* 1; *corr. manus saec. XV.* d) Bertholomeo 2. e) Deo dante *desunt* 2. f) *deest* 2. g) scribens 1. h) consistens 2. i) evenire 2. k) *suprascriptum est* 1, *nescio qua manu:* Caspii. l) parvi *manu prima* 1, pervii *manu saec. XV.* m) sancti Trudonis oppidum 2. n) Sambiensis 1.

[43] Veszprim. [44] Gran. [45] Weissenburgensi. [46] San Galgano prope Volterra. [47] Bazas, départ. Gironde. [48] Saint-Trond vel Truijen. [49] Maidières, départ. Meurthe, arrond. Nancy. [50] Mousson, ibid. [50*] Iohanni. [51] Waussor et Hastières. [52] Conf. diplomata hac de commutatione scripta ap. Chapeaville Gesta ep. Tungr. II, 246—249. Vide etiam supra annum 941.

Mediolanensis presbiter cardinalis ad titulum Sancti Marci, quintus dictus Otto Sancti 1227. Nicholai in carcere Tullii[a], sextus vero camerarius domnus Renaldus.

Apud Virdunum maximum inter cives et episcopum et clericos vertebatur scandalum, cum idem episcopus secunda vice cum comite Barri[53] et principibus aliis civitatem obsideret per circuitum; et hac occasione fuit destructio edificiorum non modica circa ecclesias et abbatias urbis.

Apud Dinantum, Leodiensis dyocesis[b] oppidum, super ecclesiam, que in valle sita erat, rupes maxima, que de monte diu perpenderat, in crastino sancti Thome apostoli cecidit Dec. 22. et 36 viros, missam pro presenti defuncto auscultantes, oppressit et plures alios debilitavit, presbiter tamen missam celebrans illesus permansit.

In Polonia dux Cracovie[c] celebri laude memorandus, Listet nomine, interficitur a quodam cognato suo, viro improbo, iuniore Logescelao, Odoysei[d] filio[54]. Qui Listet cum fratre suo Conrado[e] de rege Russie, Romano nomine, quondam nobiliter triumphaverat[55]. Hic autem Logescelaus dux Guenessie[f] [56] post patruum suum magnum Logescelaum[57], postquam dictum Listet interfecit et ducem Henricum de Vresscelavia cepit[58], virum catholicum, tandem Dei iudicio a luxuria interficitur hoc modo: quandam iuvenculam Teutonicam secum de nocte collocavit, que non ferens oppressionem suam, canipulo, quod secum occulte portabat, ventrem illius fortiter pupugit, et ita mortuus est[59]; et dux Henricus, cum esset senior omnium ducum Polonie, Cracoviam optinuit[60]. Hec omnia infra sex[61] annos gesta[b] causa continuationis[62] hic explevimus.

Anno 1228[g]. Fredericus imperator litteras misit archiepiscopo Treverensi[63] et aliis 1228. principibus imperii, per quas ultra modum de summo pontifice conqueritur[64], et e contrario papa litteras suas ubique dirigit, per quas precipit imperatorem ubique excommunicari[65]. Siquidem hoc eodem anno cardinalis Romanus, a Roma regressus pro facto Albigensium et pro discordia principum Francie, misit generali capitulo Cisterciensi duo paria litterarum, quas ei miserat summus pontifex. In quibus dicitur, quod papa omnes, qui iuramento fidelitatis Frederico imperatori erant astricti, et specialiter homines regni, a sacramento absolvit et absolutos denunciavit, 2. Kalendas Augusti[66]; et multa mala ibi publicata sunt contra eum, quod sit hostis ecclesie et discipulus Machometi[67].

Archiepiscopus Robertus Strigonensis[68] de Hungaria novum fecit episcopum in Comania, Theodericum nomine.

In Prutia vero, que est ultra Poloniam et ultra Pomeraniam, episcopus Mutinensis Guilelmus, missus a papa legatus, ingenio et sapientia sua, non fortitudine multos paganos ad fidem attraxit, et linguam eorum ex magna parte didicit. Insuper[h] principium artis grammatice, videlicet[i] Donatum, in illorum[k] barbaram linguam cum maximo labore transtulit. Erant autem hoc anno in illis partibus quinque tantummodo provincie paganorum acquirende, ista videlicet de qua agitur Prutia, Curlandia, Letonia, Withlandia et Samlandia[l] [69].

---

a) iulii 2. b) *deest* 2. c) Cranonie *manu prima* 1, Cracovie *manu saec. XV.* d) Logestelao Odosei 2. e) Girardo 2. f) Guenesie 2. g) 1224. 2. h) Inper 1, su *suprascripsit man. saec. XV.* i) scilicet 2. k) illam 2. l) Sambiter 1. 2.

53) Henrico. 54) Perperam hoc loco Bouquetii continuatores Leskonem V. a Suentopelko duce Ulterioris Pomeraniae occisum esse annotarunt. Nostro auctor annalium cap. Cracov. Mon. Germ. SS. XIX, 596 astipulatur. 55) Conf. de eadem re annum 1205. 56) Gnesen. 57) Logescelaus non patruum, sed patruus ipsum cepit. 58) Henricus dux Wratislaviae a Conrado Masoviae duce captus est. 59) Anno 1239. 60) Anno 1234. Cf. Roepell Gesch. Polens I, 459. 61) Potius infra 12 annos, inde ab anno 1227. scilicet usque ad 1239. 62) Cave ne viro docto Ernst Hist. de Limburg II, 6—8 praeeunte verbum *continuatio* Germanico nostro *Fortsetzung* transferas. Sed verbum alteram hoc loco notionem habet, notionem, inquam, ei ab omnibus Latinis subiectam, *Zusammenhang* scilicet. Quod si Ernstius animadvertisset, certe non statuisset, quae *infra sex annos* 1221—1227 gesta sint, a scriptore secundo addita esse, partem reliquam tertio deberi. 63) Theoderico. 64) Vide imperatoris encyclicam, cuius habemus exemplaria ad crucesignatos et Veronenses missa. Huillard-Bréholles Hist. dipl. Frid. sec. III, 36. 65) Huiuscemodi litterae ad praelatos Apuliae datae exstant ap. Huillard III, 52. 66) In litteris, quas Non. Aug. ad cardinalem scripsit, — Huillard III, 73 — se homines regni a sacramento absolvisse, Gregorius IX. non refert; exstant vero eiusdem litterae, 3. Kal. Septemb. ad Senenses scriptae, quae ad verbum cum excerpto nostro conveniunt. *Ad vestram*, inquit papa, *et aliorum notitiam volumus pervenire, quod nos in colloquio apud Perusium celebrato omnes, qui Friderico imperatori sunt iuramento fidelitatis adstricti, et specialiter homines regni, a iuramento, quo sibi tenentur, absolvimus et denuntiavimus absolutos.* Huillard III, 494. 67) Haec in epistola ad cardinalem scripta, quam in annotatione praecedente adhuc superesse dixi, inveniuntur. 68) Gran. 69) Wirland et Samland.

1228. In Tuscia apud Assisiam, Perusio proximam, facta est canonisatio beati Francisci confessoris, patris fratrum Minorum. Quidam autem de isto ordine, qui publice quasdam hereses Parisius predicaverat[a], captus fuit et incarceratus.

Eodem anno[70] fugitivi quidam a diversis ordinibus, sibi associati Rome, dum papa moraretur in Anagnia civitate sua[71], falsum papam et falsarium sibi prefecerunt, habentes quosdam nobiles furtive causa lucri sibi ad hoc adiutores, et per sex circiter ebdomatas maximam fecerunt deceptionem, ita quod multitudinem cruce signatorum, redemptione accepta, a crucibus et peregrinationibus absolvebant et de falsa bulla quam habebant litteras peregrinationis sigillabant. Unde cum quilibet a cruce absolvendus daret ad minus quatuor marcas, maximam de tali furto collegerunt pecuniam. Qui tandem capti fuerunt et diversis membris mutilati.

Archiepiscopatum Bisuntinum magister Nicholaus optinuit predicator et bonus theologus.

Parisius quoque mortuo episcopo Bartholomeo, episcopatum magister Guilelmus Alvernensis, et ipse theologus optimus, post multorum electionem optinuit.

Apud Cathalaunum tandem transacto biennio electus est in episcopum decanus Parisiensis Philippus et in instanti Remis consecratus. Cuius pater dictus est Ursus camerarius regis, frater Galtheri iunioris, et habuerunt fratres episcopos tres supranominatos, Parisiensem, Noviomensem et Meldensem[72], quere superius[b] in anno 1214, et in fine anni 1204.

Interim tamen mortuo episcopo Noviomensi Gerardo, fratre episcopi Iacobi[c] Suessionensis, factus est episcopus Noviomensis Nicholaus Turonensis decanus, nepos ex sorore viri nobilis[d] Bartholomei de Roia[73], in curia regis Francie nominatissimi.

Apud Lemovicas post Bernardum Guido factus est episcopus.

In Anglia mortuus est archiepiscopus Cantuariensis magister Stephanus de Languenton, super omnes sui temporis nominatus theologus, qui multas expositiones theologicas fecit et scripsit et libros ad memoriam posteris reliquit, ex quibus unum super Ysaiam et alium super duodecim prophetas[e] et super epistolas Pauli quasdam postillas. Factus est archiepiscopus quidam magister Richardus, magnus Lincolinensis quondam cancellarius.

Moritur episcopus Odo Tullensis, cui succedit abbas Garinus Sancti Apri[74], senex et emeritus.

Comes Hugo Reitestensis[75] moritur, qui apud Eslantium[76] abbatiam sepelitur.

Nov. 10. Ventus validissimus[f] extitit ante vigiliam sancti Martini et in plurimis[g] nemoribus in[h] multa quantitate ceciderunt quercus et fagi, et ecclesia Trecensis corruit, et caput sancti Philippi[i] apostoli in illo casu[k] se mirabiliter abscondit.

In Dacia sanctus Guilelmus abbas canonizatus a papa multa miracula fecit de die in diem.

1229. Anno 1229. Romanus cardinalis concilium tenuit apud Senonas in natali Domini pro Febr. 2. facto Albigensium, similiter apud Silvanectim in purificatione. Et hec est forma pacis[77], que fuit pertractata per magistrum Petrum de Collemedio et disposita inter regem et comitem Tolose: *Comes retinet sibi Tolosam cum toto episcopatu ad vitam suam et episcopatum Albigensem contra Tarnum usque Fugiacum*[78] *et Ruthenensem*[79] *episcopatum et Aginum*[80] *cum toto episcopatu et Carducensem*[81] *episcopatum, excepta civitate Carducense*[l]*, ipsam quoque civitatem Albiam retinet in manu sua rex, non autem episcopatum*[m]*. De hiis autem quinque episcopatibus intelligitur hoc solum sibi retinere comes, quod possidebat in tempore Philippi regis Francorum, salvo semper in omnibus et per omnia iure ecclesiarum,*

---

[a] predicabat 2. [b] supra 2. [c] *deest* 2. [d] nobilis viri 2. [e] prophetias 1. [f] validus 2. [g] plurimis 2. [h] et 1. [i] Stephani 1. [k] *deest* 1. [l] *verba:* excepta civitate Carducense *ex actis addidi, ne verbum* quoque *loci sequentis:* ipsam quoque civitatem Albiam retinet *sensu careat.* [m] ipsam — episcopatum *desunt* 1.

[70] Non eodem, sed antecedente anno antipapam electum esse, docuit Winkelmann Gesch. Friedrichs II. I, 285 n. 2. [71] Gregorium IX. anno 1227. inde a 31. die Maii usque ad 10. diem Octobris Anagniae degisse diplomata probant. [72] Petrum, Stephanum et Guillelmum. [73] Roie, départ. Somme, arrond. Montdidier. [74] Saint-Evre vel Epure-lez-Toul. [75] Réthel, départ. Ardennes. [76] Elant, départ. Ardennes, arrond. Mézières. [77] Quam in Hist. générale de Languedoc III. Pr. 329—335 editam nostrum inter ipsum scribendum prae oculis non habuisse, quae hic illic differunt probant. Nec vero quin aliquando auctor foederis acta legerit, dubium mihi videtur. [78] Figeac, départ. Lot. [79] Rhodez, départ. Aveyron. [80] Agen, départ. Lot-et-Garonne. [81] Cahors, départ. Lot.

viduarum et militum et omnium, qui in hiis episcopatibus debent aliquid iuris habere. Item 1229. *debent ad voluntatem regis dirui muri Tolose.* — Quod iam factum est. — *Et fossata explanari et turres et fortes domus destrui. Et rex debet munire* 10 *castra, in quibus sunt Castrum Narbonense*[a] [82]*, due Penne*[83]*, Vireron*[84]*, Podium Celsi*[85]*, Castrum Sarracenum*[86]*, et debent dirui* 30 *castra fortia. Item debet dare comes* 24000 *marcarum argenti, quarum* 10000 *marcas debet distribuere cardinalis*[b] *ecclesiis pro emenda; de residuo vero debent dari* 4000 *marce octo magistris, qui debent docere in civitate Tolose, quatuor in artibus, duo in theologia et duo in decretis*[87]*; aliud vero residuum assignatur ad predicta*[c] *castella munienda. Item debet dare filiam suam regi, et rex debet eam dare uni de fratribus suis. Item debet restituere ecclesiis villas et fortia, de quibus manifestum est, quod sunt earum*[d] *ecclesiarum. Item debet abrenuntiare decimis et conpellere omnes milites, barones et burgenses et alios ad abrenunciandum. Terra vero Provincie ultra Rhodanum erit domni pape, citra vero domni regis, quam terram comes penitus abiuravit. Item debet manifestos hereticos secundum iura damnare; ruptarios vero et hereticorum fautores et receptores de terra expellere. Item debet facere homagium regi et debet esse suus liges in perpetuum ad modum etiam et ad formam alicuius comitis provincie Gallicane.* Predictum itaque homagium fecit comes regi in cena Domini et eadem die[c] reconciliatus est ecclesie. Iam vero in ista hyeme Apr. 12. captus fuerat et igni traditus ille pestifer, qui dicebatur apostolicus Albigensium, Guilelmus nomine. Dehinc in ista etate profecti sunt exercitus cruce signatorum contra Albigenses, et omnes viri equites et bellatores de Tolosa, recepto episcopo suo Fulcone, nostris adiuncti sunt, et licet per aliquas difficultates et assultus et gravamina, que sustinuerunt ante castrum de Cabara[88], tota tamen terra Deo dante recuperata est. Comes quoque Fuexensis qui erat fortissimus adversarius, videns se non posse evadere manus Tolosanorum, qui sciebant omnia latibula eius, et ipse tandem paci consensit et ad consilium principum catholicorum se habuit. Post que omnia comes Tolosanus quosdam satellites elegit, qui per terram suam ubique scrutarentur hereticos et inventos manifestarent, proponens quoddam premium in promisso de reditibus suis ei, qui hereticum poterit publicare vel ubi sit insinuare.

Guerra pessima nimis et crudelis orta est Parisius intrante quadragesima inter clericos Febr. 28. et laycos satis pro nichilo, et qui tenebantur eam extinguere et reprimere, ferventius illam instigatione sua in odium clericorum incitaverunt, et inde culpabantur regina et ipse[e] domnus cardinalis, sed quot[f] sunt capita, tot sententie. Post multos tractus cum non possent ad pacem in integrum reformari, paucis remanentibus in civitate, exierunt omnes alii, maxime eminentiores magistri, et quibusdam ad patriam suam reversis, quibusdam in itinere Romano mortuis, tandem infra triennium reversi sunt quicunque voluerunt, omnibus dissensionibus pacificatis.

Moritur comitissa Blancha Campaniensis pridie Idus Martii. Mart. 14.

Magister Iacobus[89], dimisso episcopatu suo[90], in partes Leodii reversus et inde Rome[g], a papa accersitus, fit cardinalis episcopus Tusculanus. Post quem fuit Rome consecratus in episcopum Aconensem magister Iohannes de Pruvino[91] decanus Parisiensis, qui mare transivit et infra biennium obiit, et ita post ipsum electus est magister Rodulfus Tornacensis.

Hugo Leodiensis episcopus cum per quadragesimam magna detineretur infirmitate in castro Hoyensi, presentibus quam plurimis personis ecclesiasticis et aliis, omnibus rebus suis, Aegid. Aur. III, 127. tam exterioribus quam interioribus, ad se et ad episcopatum[h] pertinentibus, satis laudabiliter et honeste dispositis[92],

---

a) Carbonense prius 1. b) cardinalis distrubere 2. c) *deest* 2. d) *deest* 1. e) ipsa regina et domnus 2. f) quod 1. g) Roma 2. h) episcopum 1.

82) Château-Narbonne, départ. Haute-Garonne, arrond. Toulouse. 83) Penne-d'Agenois et Penne-en-Albigeois. 84) Legendum est: *Verdunum* = Verdun-sur-Garonne, départ. Tarn-et-Garonne, arrond. Castelsarrasin. 85) Puicelcy, départ. Tarn, arrond. Gaillac. 86) Castelsarrasin, départ. Tarn-et-Garonne. 87) En exemplum quomodo nostri narratio ab ipsa pace differat: 4000 *marcharum deputantur a nobis quatuor magistris theologiae, duobus decretistis, quatuor magistris artium liberalium et duobus grammaticis regentibus Tolosae.* Hist. générale de Languedoc l. c. 88) Cabaret, départ. Aude, arrond. Carcasonne. 89) de Vitriaco. 90) Acconensi. 91) Provins, départ. Seine-et-Marne. 92) Hac tantum morientis episcopi rerum dispositione et qui inferius sequuntur versibus noster cum Aegidio ad verbum consentit; quod ad caetera attinet, sane non discrepat, sed quum Aegidius eadem verbis multo diversis narret et, quamquam pleraque fusius tractet, eo tamen a nostro superetur, quod nihil de Iacobo Aconensi ep. oleum consecrante referat, nostrum integram de episcopi morte et sepultura narrationem ex Aegidio descripsisse minime contenderim.

1229. magistro Iacobo quondam Aconensi episcopo in ecclesia Novi Monasterii oleum consecrante,
Apr. 12. tempore sacrificii pridie Idus Aprilis, qui illo anno in cena Domini evenit, moritur; corpus
eius processionaliter hora cene cum luctu omnium in ecclesia beate Marie et in crastino,
Apr. 13. hoc est die parasceues, delatum est Leodium et in ecclesia beati Lamberti collocatum,
ibique convenientibus abbatibus, nobilibus et ceteris personis, tam ecclesiasticis quam secu-
Apr. 16. laribus, honestissime feria secunda in paschate in eodem loco, ubi beatus Lambertus occubuit, traditur sepulture, tam parvis quam magnis lugentibus. Constructaque est super eum lamina enea [1] hos versus continens:

Francia me genuit, cathedravit Legia; morum
Me decoravit apex, sensus, gena, sanguis avorum;
Hugo fui Petraponte satus; locus iste relictum
Corpus habet: capiunt vermes e corpore victum.
Sic perit omnis honor, sic defluit[a] *omne decorum!*
Posce Deum, lector, ut me collocet arce polorum.

Iste siquidem episcopus 72000 marcas[b], ut dicunt[2], in diversas elemosinas dividendas assignavit. Iohannes maioris ecclesie prepositus, filius Margarete sororis eiusdem, de communi omnium assensu[c] eligitur et in episcopum consecratur.

In terra Campanie capitur abscondite archiepiscopus Lugdunensis Robertus et de castro in castrum nocturno tempore oculis velatis deducitur, sed per probitatem et constantiam comitis Barri[3], antequam scandalum ingravesceret, liberatur. Unde ab hoc tempore cepit[d] simultas et discordia esse inter comitem Barri et comitem Campanie[4], cum huc usque esset inter eos concordia[e] et unanimitas et alterius[f] erga[g] alterum in periculis et necessitatibus consilium et auxilium. Insuper dux Lotharingie Matheus, cum haberet discordiam contra comitem Barri avunculum suum, alligatus est comiti Campanie per homagium, et Conradus de Rista[5] alligatus est duci in comitis Barri preiudicium. Quia vero, dicto[g'] archiepiscopo Lugdunensi mediante, cognatus eius dux Hugo Burgundie comitis Roberti de Brana[6] filiam[7] hoc anno duxerat in uxorem, quod comes Campanie in suum gravamen et preiudicium causabatur fieri, — ea[h] de causa facta fuisse dicitur specialiter dicto archiepiscopo illa iniuria, quam premisi. Siquidem hoc eodem tempore, quibusdam occasionibus adinventis, comes Bolonie Philippus et comes Robertus predictus et fratres eius et cognatio eorum Ingelrannus de Coci[8] et Thomas frater eius, comes Hugo de Sancto Paulo[9] et omnis illa cognatio, comes etiam Nivernensis[10] et omnes fere barones et magnati de Francia comiti Campanie adversabantur, et quando[i] dux Burgundie filiam accepit predicti comitis, factus est de illorum sorte; comes tamen Campanie habebat in sua parte Fernandum comitem Flandrie, qui detrimenta inferebat comiti Bolonie, regem
c. Iul. 8. et reginam Francie. Post quindenam itaque sancti Iohannis hinc inde congregati, dicti principes cum sua parte apud Tornodorum[11] resederunt et circa Sanctum Florentinum[12] cucurrerunt; comes vero suum exercitum congregavit in civitate Trecensi, ubi ad eum rex et regina mater sua venerunt, et licet utraque pars multa expenderit, mediantibus tamen abbatibus et religiosis personis et ipso rege et regina matre eius et insuper orationibus, non omnia mala, que[k] facere intendebant[l], perfecerunt; et sic de die in diem inducias dando et accipiendo motus suos cohibere videntur ad tempus.

Interea mortuo sub tutela Ingelranni de Coci comite Namucensi Henrico puero, voluit Fernandus comes[k] Flandrie comitatum Namuci optinere, sed eo alias occupato, soror interim mortui iuvenis Sibilia[13] comitissa Vienne[14], que est in dyocesi Treverensi, castrum Namuci intravit tanquam heres legitima et illud forti animo vendicavit, Fernandus autem duo appenditia Namuci saisavit et sibi retinuit[m], castrum scilicet de Veteri Villa[15] et castrum de Golezinis[16].

---

a) defuit 1. 2. b) *deest* 1. c) consensu 2. d) *deest* 2, *suprascriptum est* 1, *qua vero manu, an eadem an posteriori, ignoramus.* e) discordia 1, concordia *correxit manus saec. XV.* f) et alterius *desunt* 1. g) *deest* 2. g') predicto 2. h) et 1. i) quoniam 2. k) *deest* 1. l) intentabant 1. m) Fernandus — retinuit *desunt* 1.

[1] Cuprea fuit secundum Aeg. Aur. II, 127. [2] Episcopum 32000 marcas erogasse narrat Reiner. Leod. ad hunc annum et eundem secutus Aeg. Aur. l. c. [3] Heinrici II. [4] Theobaldum V. [5] Riche, départ. Meurthe, arrond. Château-Salins. [6] Braine, départ. Aisne, arrond. Soissons. [7] Yolandam. [8] Couci, départ. Aisne, arrond. Laon. [9] Saint-Paul, départ. Pas-de-Calais. [10] Guigo. [11] Tonnerre, départ. Yonne. [12] Saint-Florentin, départ. Yonne, arrond. Auxerre. [13] Margaretha. [14] Vianden. [15] Viesville vel Vieuville, prov. Hainaut, arrond. Charleroy. [16] Golzinne, prov. et arrond. Namur.

1229. Mai. Intrante Maio facta est elevatio sanctorum Quintini, Victorici atque Cassiani quondam Eduensis[18] episcopi apud Viromandiam.

Aug. Apud Coloniam intrante Augusto 24 corpora sunt inventa de societate 11000 virginum; ubicunque autem corpora virginum debent inveniri, candele ardentes videntur[a] super tumbas apparere, et illas candelas non possunt nisi virgines videre pueri vel puelle.

Apud Fusniacum[19] mortuus est quidam conversus frater Alexander, de quo inventum est, quod filius esset regis Scotie et frater Mathildis[20], qui requiescit in villa de Lapion[21].

Imperator Fridericus, licet a papa excommunicatus, mare transivit, quandam pacem cum soldano Egypti[22] fecit et coronam Ierosolimis dominica Oculi mei[b] tulit. Mart. 18. Cui tamen paci contradicebant patriarcha Gyroldus et Templarii et Hospitalarii; minutus vero christianorum et peregrinorum populus, quibus per illam pacem licuit ire libere ad sepulchrum Domini, ipsam pacem gratanter recipiebant[c] et imperatorem inde magnificabant. Habebat autem guerram idem soldanus Egypti contra tres filios fratris sui Conradini[d. 23] ante biennium defuncti, et contra eos Damascum obsedit et optinuit.

Quidam falsus christianus, nomine Martinus Garsilii[e], ab Hospitalariis apostatavit et factus Sarracenus relictam dicti[b] Conradini[d] in uxorem duxit et predictos tres fratres manutenuit contra soldanum in quodam castro fortissimo. Et quia imperator favit soldano contra istos, fecit pacem, sicuti ei visum est, sine papa, sine patriarcha et sine Templariis.

Patriarcha interea domno pape[f] misit[g] quasdam litteras[24], et papa rescripsit archiepiscopis et[h] episcopis. In quibus litteris multa dicebat[i] de inhonestis moribus et infidelitate imperatoris, et quomodo vita eius parum distat a vita alicuius Sarraceni. Rex vero Iohannes quondam Ierosolimitanus et comes Galtherus[25], nepos eius, et quidam principes Apulie, quorum erat unus comes Thomas[26], quondam imperatoris baiulus, et unus cardinalis Iohannes de Columpna, a papa transmissus, recuperare ceperant contra imperatorem civitates et castella in Apulia usque ad 60, ut dicitur, sed imperator a partibus transmarinis reversus in brevi fere omnia ad se retraxit, et facta interfectione civium maxima nimis crudeliter[k] se vindicavit et multa mala commisit.

In Livonia mortuo episcopo Rigensi Alberto facta est electio bifaria[27].

Mai. 24. In ascensione Domini in Bituricensi et Lemovicensi[l] dyocesi inaudita cecidit tempestas, et apud Beneventum una maxima massa de sebo subnigro, maior quolibet magno bove, unde facte sunt candele, que lumen croceum reddebant cum maximo fetore. Una ardens allata est coram episcopo Lemovicensi[28], qui cum fecisset contra eam[m] signum crucis extincta est.

Bellum fuit in Lombardia inter Mutinenses et Bononienses, et confusione respersa est civitas Bononiensis et quasi dyployde operta. Bis etenim contra Mutinenses, quibus Cremonenses et Parmenses patrocinio iuncti[n] erant, in bello congressi, bis ab illis in bello fuerunt turpiter debellati, et maxime in ista secunda[h] pugna, que die Mercurii ante nativitatem beate Marie contigit Sept. 4. et duravit ab hora nona usque ad noctem mediam, luna[o] quasi in adiutorium Mutinensium clare illustrante omnia. Cremonenses maxime[h] et Parmenses, tanquam leones fame avidi et tigrides raptis felibus[o*], Bononiensibus insultabant; primo tamen Bononienses carrochium Parmensium invadentes 700 pedites, illud ut sacrum custodientes, in ore gladii interfecerunt, et dum carrochium illud in castra sua violenter ducere se crederent, Parmenses ex quibusdam fruticibus[p] subito emergentes, ipsos animosius repulerunt, ita quod Faventini[q] et Ymolenses, qui Boloniensibus non tam mente quam corpore iungebantur, terga hostibus exponentes, alas pedibus addiderunt. Bononienses cum insultum hostium diutius sustinuissent, se solos invenientes et peregrino auxilio destitutos, paulatim atque paulatim retrocedere cogebantur, ita quod castra atque tentoria sua longe per unum milium retro reliquerunt et tandem Bononiam, cesis ante et retro equis suis, inglorii refugerunt, tentoria sua, plaustra et papiliones cibariis, bladiis, vestibus,

---

a) videntur ardentes 2. b) *deest* 2. c) accipiebant 2. d) Coradini 2. e) Grasilii 2. f) papa 1 *prima manu*, pape *corr. man. saec. XV*. g) misit domno pape 2. h) *deest* 1. i) dicebant 2. k) crudeliter nimis 1. l) Lemonensi 1. m) eum 1. n) victi 1. o) lana 1. o*) fetibus 1. 2. p) fructibus 1. q) Favenrini 1; Faverini 2.

[18] Autun.

[19] Foigny, départ. Aisne, arrond. Vervins.

[20] De qua vide annum 1220.

[21] Lappion, départ. Aisne, arrond. Laon.

[22] Malek el Kamel.

[23] Malek al Moadham Scharferdin.

[24] Patriarchae litterae exstant ap. Huillard-Bréholles Hist. dipl. Frid. sec. III, 120.

[25] de Brienne.

[26] de Celano et Molise.

[27] De qua annum sequentem videas.

[28] Guidone II.

1229. donariis et ornatibus plena relinquentes, quod potissimum ipsis adcrevit ad cumulum verecundie et doloris, pauci tamen[a] ex eis fuerunt interfecti.

Obiit archiepiscopus Rothomagensis Theobaldus 8. anno pontificatus sui.

Mortuus est vir nobilis Galtherus de Vangionis Rivo[29], cuius filius Galtherus nobili matrimonio sibi copulavit Aaliz relictam comitis Kyburgensis[30], sororem[31] ducis Lotharingie Mathei, natam ex sorore[32] comitis Barrensis[33].

1230. Anno 1230. Otto dyaconus cardinalis Sancti Nicholai in carcere Tullii missus est a domno papa ad submittendum et conciliandum animos archiepiscoporum et[a] episcoporum[b] et baronum terre domno pape in depositionem regis Alemannie Henrici, filii imperatoris Frederici, a domno papa excommunicati, et ad electionem alterius, qui repertus fuisset idoneus. Sed inter factum et dictum multa frequenter impedimenta occurrunt. Febr. 13. Qui legatus in vigilia Valentini veniens Hoyum honorifice a Iohanne episcopo recipitur in castro Hoyensi.

Comes Barri super ducem Matheum nepotem suum[34] statim post natale Domini combussit villas 700 ut dicitur ultra. Dux vero cum comite Campanie[35] et Symone de Iovevilla[36] et multis aliis vel tantum mali vel amplius operati sunt super comitem Barri et quoddam castrum in villa, que dicitur Monasterium super Sauz[37], contra eum firmaverunt. Quod comes Barri eodem anno penitus abrasit. Item Metenses duci Matheo confederati pontem de Maydiers[38] contra comitem Barri confregerunt; comes autem Campanie et comes Flandrie comitem Hugonem[a] Sancti Pauli dampnificaverunt in multis. Ceteri autem principes cum comite Barri adunati, quorum caput erat comes Boloniensis Philippus, incenderunt Sparnacum[39], Sezanniam[40] et Virtutum[41] et quasdam villas in Campania, et turrim de Fimiis[42] obsederunt et in multis locis terram Campanie vastaverunt predando et spolia abducendo; sed et ipse comes Campanie villas suas timore eorum, antequam illi advenirent, incendebat. Et ecce rex Anglie, a comite Britannie[43] invitatus et a quibusdam aliis, ut dicitur, maxime ex huius dissensionis occasione mare transivit, apud Nannetum[44] in Britannia resedit et plures assultus contra exercitum regis in Pictavia et Normannia fecit. Nullus autem ita fideliter iuvit regem Francie, sicut comes Campanie, ut dicitur, contra regem Anglie.

Maxima fuit in principio huius anni tempore hyemis aquarum inundatio. Rome autem de inundatione Tyberis ultra 7000 hominum dicuntur submersa[c] fuisse. Apud abbatiam de Fusniaco[45] et illam de Valle Regis[46] et quasdam alias[c*] . . . . . . et in dyocesi Leodiensi apud Hoyum, Hoyolus ibi fluens[d] enormia dampna intulit oppidanis.

Apud Tullum episcopus Garinus se deposuit, et post multos qui ibi fuerunt nominati factus est episcopus magister Rogerus primicerius Virdunensis, vir nobilis et litteratus.

Comes de Grandiprato[47] Henricus moritur.

Ad generale capitulum Cisterciense huius anni venerunt littere, quod Alfunsus, frater regis Castelle et Toleti Fernandi, in Hispania 32000 Sarracenorum interfecit et magnam terram contra eos acquisivit et in castro novo ante Cordubam fratres ordinis de Calatrave[e] collocavit.

Iun. 2. Apud Hoyum in pentecostes octavis Iohannes Leodiensis episcopus in ecclesia Novi Monasterii suam celebravit generalem synodum[48].

In curia Campanie lecte fuerunt quedam littere de eo, quod soldanus Egypti vicit soldanum Persidis, et de bello regine Avignie[49] contra Turcos.

Nobilis dux Austrie Liepoldus ad papam venit et, omnimodam eidem exhibens humilitatem, optinuit, quod cum imperatore pacem faceret; domnus papa consensit; in tantum

---

a) *deest* 2. b) episcoporum et archiep. 1. c) submersi 1. c*) *hoc loco verba nonnulla omissa esse elucet.* d) fluvius 2. e) Caltrave 1.

29) Vignory, départ. Haute-Marne, arrond. Chaumont. 30) Kiburg a Winterthur inter meridiem et orientem. 31) Elisam. 32) Agnete. 33) Henrici II. 34) Lotharingiae. 35) Theobaldo. 36) Joinville, départ. Haute-Marne, arrond. Vassy. 37) Montiers-sur-Saulx, départ. Meuse, arrondissem. Bar-le-duc. 38) Maidières, départ. Meurthe, arrondissem. Nancy. 39) Epernay, départ. Marne. 40) Sézanne, départ. Marne, arrond. Epernay. 41) Vertus, départ. Marne, arrond. Châlons. 42) Fismes, départ. Marne, arrond. Reims. 43) Petro. 44) Nantes, départ. Loire-Inférieure. 45) Foigny, départ. Aisne, arrond. Vervins. 46) La-Val-Roy, départ. Ardenne, arrond. Réthel. 47) Grand-Pré, départ. Ardennes, arrond. Vouzières. 48) Cf. Aegid. Aureavall. III, 129. 49) Vir cl. Reinaud minime dubitabat, quin hic laudetur Georgiae regina Rousoudan, quae Aviniae incolis seu Avinianis, nunc Abkhaz vel Aphkases, dominabatur. B.

tamen iam imperator prevaluerat et tanta fecerat, quod ipsa necessitas pacem requirebat. 1230. Predictus dux nobilissimus non multo, postquam[50] pax ordinata et facta fuit inter papam et imperatorem, moritur et in abbatia ab ipso fundata, que Lilenveld[a], id est campus liliorum, dicta est, sepelitur. Cui succedit in ducatu Austrie Fredericus filius eius.

Alsanus rex Bulgarie, frater Alexandri, successorem Michaelis[b], videlicet ducem Durachii Theodorum, cepit et excecavit, qui quondam comitem Petrum Autisiodorensem captivaverat. Isti duo Alexander et Alsenz nepotes fuerunt Burilli.

Cardinalis Alemannie domnus Otto fuit in Dacia et dissensionem, que in electione Rigensis[c] episcopi emerserat in Livonia, perfecte determinavit, ita quod illum, qui eligebatur ex parte Bremensis capituli, cassavit et Nicholaum de Medeborch canonice electum[d] confirmavit[e].

Mense Decembri[f] concilium regis Francorum apud Meldunum[g. 51]. Institutio talis est: *Ludovicus Dei gratia Francorum rex. Noverint universi, quod nos pro salute anime nostre et inclyte recordationis regis Ludovici genitoris nostri et antecessorum nostrorum, pensata summa ad hoc utilitate totius regni nostri, de sincera voluntate nostra et de omni consilio baronum nostrorum statuimus, quod nos et barones nostri Iudeis nulla debita de cetero contrahenda faciamus habere; nec aliquis in toto regno nostro poterit retinere Iudeum alterius dominii, et ubicunque aliquis invenerit Iudeum suum, ipsum*[h] *licite poterit capere tanquam proprium servum, quantamcunque fecerit moram Iudeus sub alterius dominio vel in alio regno. Debita vero, que usque nunc Iudeis debentur, solventur tribus terminis.* — Quod iam factum est[54]. — *De christianis usurariis eodem modo statuimus, quod nullas usuras de debitis*[i] *contrahendis eos faciemus habere nos seu barones nostri. Usuras autem intelligimus quidquid est ultra sortem. Hec vero statuta servabimus et faciemus servari in terra nostra, et barones nostri in terris suis; et si*[h] *aliqui barones noluerint hoc servare, ipsos ad hoc conpellemus, ad quod alii barones nos iuvare bona fide pro posse suo tenebuntur. Et si alii in terris baronum invenirentur rebelles, nos et alii barones nostri iuvabimus ad conpellendum rebelles predicta statuta servare. Hec autem in perpetuum volumus illibata servari a*[i'] *nobis et heredibus nostris, et barones nostri similiter concesserunt, et se et heredes suos hoc perpetuo servaturos. Ego Philippus comes Bolonie ea, que premissa sunt volui, consului et iuravi. Ego Theobaldus comes Campanie. Ego Almaricus comes Montisfortis*[55] *Francorum constabularius. Ego Robertus de Cortenai*[56] *Francorum*[k] *buticularius. Ego Henricus comes Barri*[57]. *Ego Hugo comes Sancti Pauli*[58]. *Ego Radulfus comes de Augo*[59]. *Ego Iohannes Cabilonensis*[60]. *Ego Iohannes*[61] *vicedomnus Lemovicensis*[l]. *Ego Ingelrannus de Coci*[62]. *Ego Erchenbaldus Borbone et fratres mei Guilelmus de Dampetra*[63] *et Guido. Ego Iohannes de Nigella*[64]. *Ego Guilelmus de Vergi*[65]. *Hec omnia voluimus et*[k] *consuluimus et iuravimus pro salute animarum nostrarum et antecessorum nostrorum. Et Iudei litteras ostendant domnis suis.* Huc usque littere regis.

Obiit 10. Kalendas Ianuarii regina Berengaria, domna Cenomanensis, relicta quondam Dec. 23. regis Anglie Richardi.

Milo Belvacensis episcopus, innumeris obligatus debitis, ad papam abiit, qui constituit eum domnum ducatus Spoleti et marchie que dicitur Garneri; et totam terram illam per triennium fere potenter optinuit. In reditu vero tetenderunt ei insidias vicini Lombardi, ita quod plus ibi perdidit, quam lucratus sit.

Mortuus est Rome magister Guilelmus Autisiodorensis, theologus nominatissimus et in questionibus profundissimus, cuius habetur magna summa theologica et eius abbreviatio, quam fecit episcopus Florentie magister Andegus Papiensis [66].

---

[a] Liliveld 2. [b] Michalis 1. [c] Riginensis 2. [d] electum de Medeborc canonice 1. [e] consecravit 2. [f] Septembri 1. [g] Medunum: 1. [h] *deest* 1. [i] diebus 2. [i'] et 1. 2. [k] *deest* 2. [l] Lemericensis 1.

[50] Die 28. Iulii 1230. [51] Melun, départ. Seine-et-Marne. [52] Haec regis constitutio saepius prelo subiecta est; eam e. g. ap. Duchesne Scr. rer. Franc. V, 421 invenies. Nonnulla a nostro paullulum mutata sunt vel etiam omissa. [53] Hic Albricus omisit: *videlicet in instanti festo omnium sanctorum tertia pars, in sequenti festo sanctorum tertia pars et in alio sequenti festo omnium sanctorum residua pars.* [54] Haec verba ab auctore addita sunt. Cf. eiusdem generis additamentum supra in pace, anno 1229. inter regem Franciae et comitem Tolosae inita. [55] Montfort-l'Amaury, départ. Seine-et-Oise, arrond. Rambouillet. [56] Courtenai, départ. Loiret, arrond. Montargis. [57] Bar-le-duc. [58] Saint-Paul, départ. Pas-de-Calais. [59] Eu, départ. Seine-Inférieure. [60] Chalon-sur-Saône. [61] Guido. [62] Couci, départ. Aisne, arrond. Laon. [63] Dampierre-Saint-Dizier, dép. Haute-Marne, arrond Vassy. [64] Nesle, départ. Somme, arrond. Péronne. [65] Vergi, départ. Côte-d'Or, arrond. Dijon.

1231. Anno 1231. Occasione archiepiscopi Mediolanensis Henrici viri catholici, in Lombardia hoc anno mortui, qui civitatem suam ad honestatem et devotionem Gallicanam in diebus suis reduxit, dicimus hic et [a] tangimus que tangenda sunt. Primo quod instituit de hereticis, ut addantur singulis annis institutiones de dampnatione hereticorum, et ut nullus instituatur [b] potestas civitatis nisi primo iuret repulsionem et devastationem hereticorum, tam in ipsis quam in eorum fautoribus. Unde nota quod quolibet anno, in die palmarum, quilibet archiepiscopus Mediolanensis a diebus beati Ambrosii usque in presens in loco determinato sanat leprosum unum in ecclesia videlicet beati Michaelis, que est inter Sanctum Ambrosium et Sanctum Laurentium. Item nota quod quicunque baptizatus fuerit, ut dicitur, in sacris fontibus Laudensis [c] episcopatus totius [d], qui est iuxta Mediolanum, non potest esse leprosus, et si peregrinus leprosus moratur in eadem Laudensi dyocesi [e] tribus diebus, quarta die oportet eum vel [e] mori vel recedere. Quod sanctum Bassianum Laudensem episcopum dicunt a Deo impetrasse. Electus est autem in archiepiscopum Mediolanensem post predictum Henricum Hugo eiusdem ecclesie canonicus.

Moritur archiepiscopus Sifridus [f] de Moguntia, cui succedit filius fratris sui Godefridi de Hepestein [67], alter Sifridus, natus de sorore archiepiscopi Treverensis [g] Theoderici.

Factus est hoc tempore [68] Ratisbonensis episcopus quidam iuvenis Sifridus, natus de sorore Garneri de Boslande [69]; et mater huius Garneri fuit soror Godefridi de Hepestein et domni archiepiscopi nuper mortui.

Episcopus Cenomannensis magister Mauritius, vir religiosus, fit archiepiscopus Rothomagensis, per papam repudiato et cassato magistro Thoma.

Igitur cum domnus Otto cardinalis voluisset in Alemannia concilium suum tenere apud Herbipolim civitatem [70], que Wesceburch dicitur [h], inmisit [i] contra eum litteras istas dux Saxonie cum suis baronibus in hunc modum: *Venerabilibus domnis archiepiscopis et episcopis Alemannie et* [k] *aliarum ecclesiarum prelatis Albertus Dei gratia dux Saxonie, Henricus frater eius comes Aschanie* [l] *cum aliis nobilibus per Saxoniam constitutis promptum in omnibus famulatum. Intelleximus quod cardinalis tam in partibus Saxonie quam in aliis imperii partibus prebendas dare disponit* [m], *insuper alias servitutes ac* [n] *oppressiones ecclesiis vestris* [o] *inducere meditatur. Propter quod si vultis evadere iugum perpetue servitutis . . . . . Pro legibus* [p] *patrum conservandis, et quia possessiones ac* [q] *sancta in manus exteras tradebantur, Machabei, quorum festum ecclesia solempnizat, bella Domini strenue pugnaverunt. Verissime dignitas clericalis maiori hodie subiacet servituti, quam tempore Pharaonis, qui notitiam non habebat* [r] *divine legis. Nam cum tempore famis possessiones omnium mense sue deservirent, res tamen sacerdotum a talibus erant immunes, quin imo de publicis horreis eis alimoniam preberi mandavit. An nescitis quod estis inter episcopos aliarum terrarum singulari privilegio decorati, cum non tantum episcopi, sed et principes et domni sitis? quare ergo vos trahi permittitis* [s] *ad tam remota loca contra constitutiones hactenus approbatas?* Et quedam alia significata sunt, per que archiepiscopi et episcopi habito cum rege concilio instituerunt, quod totum illud concilium remansit. Et cum idem cardinalis transacto tempore exiret portam civitatis Leodiensis, quidam de mandato regis, ut dicitur, ipsum interficere voluerunt, unde et crimen illud, quod unus vel duo ribaldi attemptabant, cardinalis in totam civitatem retorsit, et hac occasione ipsa civitas fere per annum gravi interdicto subiacuit.

In quadragesima huius anni Templarii contra Sarracenos bellum habuerunt, ita quod duo potentes Sarraceni ibi dicuntur [t] fuisse [u] occisi.

Mart. 22. Quod sacer ignis in vigilia pasche huius anni in ecclesia dominici sepulchri tardavit venire usque ad initium noctis, de quo igne quod [v] legitur supra in anno 1099. require; et

---

[a] *deest* 1.
[b] constituatur 2.
[c] Laudunensis 1 *prius, in marg. corr. eadem manu* Laudensis.
[d] totius episcopatus 2.
[e] *deest* 2.
[f] Sefridus 1.
[g] et *add.* 1.
[h] dñica 1.
[i] misit 2.
[k] ac 2.
[l] Ascharie 1. 2.
[m] disposuit 2
[n] ad 1.
[o] nostris 2.
[p] legis 2.
[q] et 2.
[r] haberet 2.
[s] permittis 1. 2.
[t] dicuntur ibi 2.
[u] *deest* 2.
[v] *deest* 1. 2.

[66] Ardingum, non Andegum, natione Papiensem fuisse litterae Gregorii IX. ap. Cerrachini Cronologia di vescovi e arcivescovi di Firenze 72 approbant.
[67] Eppstein a Frankfurt ad occidentem.
[68] Anno 1227.
[69] Kirchheim-Bolanden.
[70] Cuius de concilii tempore vide Böhmer Reg. imp. inde ab 1198 p. 379.

1231. quod Salahadinus columbam celestem ignem ferentem[a] sagittari fecerit nec ledere potuit, testantur sagitte in testudine lapidea infixe in dicta ecclesia sepulchri.

Apr. 13. Rex Francie iuvenis Ludovicus consilium suum habuit Parisiis dominica Iubilate de pace regni et principum et de comite Britannie et rege Anglie, et firmate sunt treuge in triennium.

Obiit episcopus Cabilonensis Durannus[b].

Iul. 11. Obiit Agnes comitissa Campanie 5. Idus Iulii, sepulta est in Clarevalle in capella comitis Flandrie[71], matris sue[72] avunculi; unicam filiam[73] reliquit dicta comitissa mortua comiti Campanie[74], marito suo[c].

Rome tres episcopi cardinales a papa electi sunt, videlicet domnus Renaldus camerarius in Hostiensem, domnus Romanus in Portuensem, domnus Thomas in Albanensem et domnus Iacobus abbas Trium Fontium[75] in episcopum Prenestinum.

Aug. 11. In crastino sancti Laurentii triste satis spectaculum[d] visum est apud grangiam[e] Clarevallis, que Fontarsia dicitur, fulmen scilicet de celo cadens, quod totam grangiam frumento plenam, sicut Domino placuit, combussit; ad 7000 librarum[f] et ultra fuit dampnum estimatum.

Rome Cantuariensis archiepiscopus Richardus obiit.

Rex Arrogonensis[76] in manu potenti insulam Maioricam acquisivit.

Iun. 11. In Hesperie[g] civitate Padua 3. Idus Iunii[h] obiit sanctus Antonius de ordine fratrum Minorum, et eum papa in sequenti anno canonizavit propter miracula, que maxima fiebant per ipsum.

Bellum intestinum Lombardorum et castrum, quod dicitur Clavais[i. 77], ab eis subiugatum est contra marchisum[78].

Dux Bavarie Ludovicus a quodam sicario Assacino occiditur, a veteri de Montana transmisso. Quod audiens rex Hungarie eidem veteri multa transmisit in auro et argento exenia[k] et eius gratiam impetravit et optinuit.

Pacem, quam in terra transmarina fecerat[l] imperator, recepit ex parte pape Ierosolimitanus patriarcha[79], et ecclesia sancti sepulchri ita fuit reconciliata cum peregrinis suis, qui presentes fuerunt, Antiochenus[80] et Aquileiensis[81] patriarche cum 14, ut dicitur, episcopis.

Moritur episcopus Radulfus Attrebatensis, post quem consecratur in episcopum magister Aszo.

Episcopus Cameracensis Godefridus civitatem suam cum ipsis civibus fortiter edomuit et sibi subiecit, quod predecessores eius nunquam facere potuerunt, ut ad tantam, vellent nollent, pervenirent humilitatem.

Obiit Fulco Tolosanus episcopus, cui succedit magister Guilelmus dictus Remundus.

Comes Campanie[82] communias burgensium et rusticorum fecit[m], in quibus magis confidebat, quam in militibus suis.

Guilelmus de Moelen[83] . . . .[84].

Moritur in dyocesi Lausanensi quidam vir sanctus Guilelmus, qui mirabilis extitit vita et operibus, et modo facit magna miracula.

1232. Anno 1232. Rome episcopatum Nivernensem suscipit quidam magister Radulfus Belvacensis.

Quedam Margareta in abbatia monialium de Silva[85] Lugdunensis dyocesis multa vidit secreta celestia: dicitur enim de ea, quod dixerit domne Beatrici[86] de Borbon[87], matri domni Erchenbaldi et Guilelmi de Moelen, domnum Guidonem de Dampetra[88] maritum suum absque ulla recuperatione in inferno dampnatum esse[n].

---

[a] afferentem 2. [b] Duramus 2. [c] marito suo *desunt* 2. [d] triste spectaculum satis 1; triste satis spectaculum satis 2. [e] granniam 1. [f] libras 2. [g] Hispania 1. 2; Italia *suprascriptum manu posterioris aevi* 1. [h] Iulii 2. [i] Danais 2. [k] xenia 2. [l] fecit 2. [m] fecit et rusticorum 2. [n] dampnatum esse in inferno 2.

[71] Philippi. [72] Sibillae, uxoris Wichardi de Belloioco. [73] Blancam. [74] Theobaldo IV. [75] Conf. supra pag. 640 not. 87. [76] Iacobus I. [77] Chivasso. [78] Guilelmum de Monteferrato. [79] Geroldus. [80] Albertus. [81] Bertholdus. [82] Theobaldus. [83] Moëslain, départ. Haute-Marne, arrond. Vassy. [84] Guilelmus de Moelen idem est ac Margaritae de Flandria coniux, de quo cf. annum 1216. Certe ad eum verbum sequens: *moritur* referendum non est: obiit enim anno demum 1241. Quare aliqua a scriptore omissa esse elucet; quae vero fuerint, equidem eruere non potui. [85] Huiusce nominis monasterium in Lugdunensi diocesi non erat. [86] Mathildi. [87] Bourbon-l'Archembaud, départ. Allier, arrond. Moulins. [88] Dampierre-Saint-Dizier, départ. Haute-Marne, arrond. Vassy.

1232. Obiit apud Altam Tumbam[89] domnus Henricus, quondam Magne Troie episcopus. Item obiit episcopus Lingonensis magister Hugo de Monte Regali[90], et factus est[a] episcopus post eum Robertus de Torota[91] frater Radulfi Virdunensis episcopi.

Rex Dacie Waldemarus filium habuit primogenitum, nomine Waldemarum, quem in regem fecerat coronari. Quo mortuo fecit in isto anno secundum coronari, nomine Ericum. Tertius autem filius dictus est dux Abel. Horum mater Berengaria, nata de Portugallia, fuit soror comitis Fernandi de Flandria.

Comes Campaniensis Theobaldus[a] duxit in uxorem Margaretam filiam Erchenbaldi de Borbona[b] et hac de causa quorundam baronum incurrit odia.

Mortuo Belicensi episcopo Bernardo, eligitur unus[92] filiorum comitis Thome[a] de Sabaudia, qui comes eodem anno decessit; alter namque[c] filiorum eius, nomine Guilelmus, iam erat Valentie electus; tertius autem Thomas archidyaconus iam erat cassatus de episcopatu Lausensi vel[d] Lausanensi et archiepiscopatu Lugdunensi.

Mortuo archiepiscopo Symone Bituricensi, post aliquas electiones positus est quidam magister Petrus de Castro Radulfi[93].

In Hispania civitas Ubeda nobilissime[e] a christianis acquisita est.

Comes Renaldus[f] de Dampetra[94], post annos 30 redemptus[95] et a Sarracenis dimissus, revertitur.

Duo de fratribus regis Francie, Iohannes et Dagobertus, moriuntur.

De civitate Metensi non est pretereundum, quomodo episcopus Iohannes per quoddam castrum Sancti Germani[96] cum coadiutoribus[g] suis fere per biennium cives inpugnaverit, et quomodo comes Barri[97] episcopum deseruit et mediante pecunia Metensibus, quos inpugnabat, reconciliatus et eis associatus, multa castra urbi contraria deiecit, episcopum et ducem[98] Matheum nepotem suum inpugnavit, donec dux ipse, relicto episcopo de necessitate, reconciliatus est avunculo suo[h], et ita factus est Metensium[i] adiutor.

Nov. 19. 13. Kalendas Decembris obiit in Alemannia Elizabeth domna sancta, quondam Ludovici Thoringie lantgravii, qui in Brundusio decesserat, relicta, regis autem Andree de Hungaria filia de regina[98*], que fuerat occisa. Hec Elizabeth tanta ac talis fuisse dicitur, quod per eam Dominus multa facit miracula, et, ut dicitur, iam 12 mortuos suscitavit. Sepulta est cum magna reverentia apud hospitale de Maerburch[k], quod ipsa construxit.

Domnus Balduinus de Alna[99], ad partes Livonie a cardinali Ottone transmissus, quibusdam terris paganorum in magna quantitate acquisitis revertitur, veniensque ad curiam Romanam invenit ibi quosdam adversarios suos, qui se vocabant milites Dei. Isti ab episcopo Theoderico primo fuerunt instituti, et cum dicant se Templariorum ordinem tenere, in nullo tamen subiciuntur Templariis, sed cum sint mercatores et divites et olim a Saxonia pro sceleribus banniti, iam in tantum excreverunt, quod se posse vivere et sine lege et sine rege credebant. Cum itaque domnus[l] Balduinus significasset domno pape que facta sunt, constitutus est episcopus Semigallie et legatus totius Livonie.

Primus episcopus Selonie[99*] fuit domnus Bernardus, secundus Lambertus, tertius domnus[h] Balduinus predictus, et vocatur episcopus Semigallie. Cur Semigallia dicatur illa terra, revolve historiam Brennii et Beli et Senonensium Gallorum, qui capta Roma Senam veterem et Senegalliam et quasdam Italie civitates edificaverunt. Horum quidam per mare Adriaticum et per brachium sancti Georgii mare Ponticum intraverunt, inde per fluvium Nepre iuxta Russiam quandam provinciam obtinuerunt, quam Semigalliam vocaverunt, et talis est concordia novorum et veterum.

De rege Anglie dicitur, quod religioni valde consentit et quod nuper in Londoniis, ubi sunt ditissimi Iudei, pulcherrimam domum, quam pro synagoga dedicanda[l] erexerant, fecit fieri ecclesiam beate Marie virginis et in honore eius in instanti[m] dedicari et in primis ibi quatuor capellanos[n] instituit; pauperibus etiam benivolum se exhibet et munificum et

---

a) *deest* 2. b) Burbon 2. c) autem 2. d) Lausensi vel *desunt* 2. e) nobilissima 2. f) Renardus 2. g) adiutoribus 2. h) *deest* 2. i) Metensis 2. k) Maerburch *secundum Pabst,* Maerburch *secundum Turles* 1; Meideborc 2. l) *deest* 1. m) ecclesiam in honore beate virginis in instanti 1. n) ibi quatuor capellanos in primis 2.

[89] Haud dubito quin legendum sit: *Altam-Cumbam* = Hautecombe. [90] Monréal, dép. Yonne, arr. Vassy. [91] Thourotte, dép. Oise, arr. Compiègne. [92] Bonifacius. [93] Châteauroux, dép. Indre. [94] Dampierre-le-château, dép. Marne, arrond. Sainte-Ménéhould. [95] Cf. an. 1202. [96] Châtel-Saint-Germain, dép. Moselle, arr. Metz. [97] Henricus II. [98] Lotharingiae. [98*] Gertrude. [99] Aulne-sur-Sambre. [99*] Selburg.

Iudeos baptizatos de regiis donariis precipit sustentari et alios sua benevolentia provocat ad baptismum et ista etiam[a] eius humanitas[b] in pauperes[c] de die in diem accipit incrementum.

Anno 1233. Rex Ludovicus de civitate Belvacensi sibi resistente, in qua fuit facta 1233. enormis dissensio inter divites et plebeios, ita se vindicavit, quod 1500 de mediocribus civitatis conprehensos[d] Parisius et alibi adduci fecit et carceri mancipari per[e] 19 communias, quas ibi convocavit; et terram de Mallione[1] eodem anno mortuo Saverico[f] obtinuit.

De sancto clavo apud Sanctum Dyonisium perdito et iterum reinvento mirabiliter et de miraculis et contingentibus circa hanc inventionem gestis scripsit optimam narrationem magister Philippus cancellarius Parisiensis.

Magnus princeps hereticorum Vigorosus de Baconia, qui dicebatur episcopus eorum, captus fuit[g] et in Tolosa conbustus; per Alemanniam vero facta est tanta hereticorum conbustio[2], quod non possit numerus conprehendi, et dictum est de quodam quod non potuit conburi, donec allatum est ante ignem corpus Domini. Et ultra Coloniam fuit quedam synagoga hereticorum, ubi responsa dabat ymago Luciferi, sed ubi catholicus clericus advenit et pixidem cum corpore Domini de sinu suo protulerit, pestifera ymago corruit.

Item quod quedam specialis amica Luciferi, ad ignem deducta, sublata est a demonibus, et non comparuit. Et in hunc modum multa dicta et facta sunt et multi nobiles accusati sunt et multi, ut dicebatur, iniuste dehonestati; et hac de causa congregatum est concilium Moguntinum pro fide[h] in presentia regis et archiepiscoporum regni et episcoporum et principum. Tertio vero die post concilium interfectus est magister Conradus[i] de Marborch in die Abdon et Sennes, et cum eo duo Minores. Deinde diligenti facta inquisitione super Iul. 30. ista pestifera secta Luciferianorum et super predictis, archiepiscopus Moguntinus[3] et frater Bernardus de ordine Predicatorum quondam penitentiarius domni pape rescripserunt domno pape secundum[k] hec verba: *Quod magister Conradus, contra pauperum Lugdunensium astutias zelo fidei armatus, nefandam heresis Manicheorum filiam olim absconditam ita putavit ex toto deprehendere, si testes, qui se confitebantur aliquantulum criminis eorum conscios et participes, in illorum absentia reciperentur, et dictis eorum simpliciter crederetur, ita ut*[l] *accusato talis daretur optio, aut sponte confiteri*[m] *et vivere, aut innocentiam iurare et statim conburi. Et ecce falsos testes ab hereticis, ut credimus, subornatos adduxit inimicus: quedam femina vaga Aleydis*[n] *annorum 20, casu veniens Pinguiam*[4]*, finxit se hereticam, secte illius fuisse suum virum, apud Cruneburch*[o] *concrematum, et se velle cremari, innuens a latere, quod si ecclesia verbis suis credendum decerneret, hereticos absconditos et fautores eorum manifestaret. Hec missa est magistro Conrado, qui nimis ei credidit, et ipsa primo apud Clavelt villam, de qua oriunda fuit, cognatos et notos et affines, qui eam exheredare videbantur, fecit conburi, subornato etiam quodam Amfrido, quem modo fecimus in vinculis detineri, qui confessus est, quod multos innocentes alios ad ignem, alios ad tonsuram*[p] *per testimonium suum coegerit, magistro Conrardo iudicium fulminante. Et horum accusatio paulatim cepit ascendere a rusticis ad burgenses honorabiles et eorum uxores, et tandem ad milites et eorum uxores, inde ad castellanos et nobiles et*[q] *in fine ad comites prope et longe positos. Et magister nulli quantumvis alte persone locum dedit legitime defensionis, nec etiam confiteri proprio sacerdoti, sed accusatum oportuit confiteri se hereticum esse, buffonem, cattum*[r]*, pallidum virum et huiusmodi monstra diffidentie pacis in osculo salutasse. Taliter quidam catholici abiudicati maluerunt innocenter cremari et salvari, quam mentiri de crimine turpissimo, cuius non erant conscii, et suplicium promereri. Quibus ipse magister martirium promittebat. Alii infirmi potius elegerunt mentiri, quam conburi, quibus tamen oportuit scolas nominare et respondebant: „Nescio quem accusem; dicite mihi nomina, de quibus suspicionem habetis.“ Cumque proponeretur de comite Seynensi, de comite Arnesberg, de comitissa de Loz*[5]*, respondebat evadere volens: „Illi ita rei sunt ut ego, et illi ubi in scolis fuerunt, et ego fui.“ Et sic frater fratrem, uxor virum, domnus servum et*[s] *servus domnum accusavit.*

---

a) *deest* 1. b) humanitas eius 2. c) in pauperes *desunt* 2. d) conprehensis 1. 2. e) et per 2. f) Severico 2. g) *deest* 2. h) pro fide *desunt* 2. i) Conrardus 2, *inferius* Corardus. k) in 2. l) sicut 1; ut sicut 2. m) conferri 1. n) Alaidis 2. o) Cruneborch 2. p) torsuram 1. q) *deest* 2. r) tactum 2. s) domnus servum et *desunt* 1.

[1] Mauléon, hodie Châtillon-sur-Sèvre, départ. Deux-Sèvres, arrond. Bressuire. [2] Cf. annum 1160. [3] Sigfridus III. [4] Bingen. [5] Sain, Arnsberg, Looz.

Alii dabant pretia tonsoratis, ut docerent modum evadendi, et facta est confusio a seculis inaudita. Ego archiepiscopus magistrum Conradum primo solus, postea cum duobus archiepiscopis Coloniensi[6] *et Treverensi*[7] *monui, ut moderatius et discretius in tanto negotio se gereret. Qui non acquievit, sed tandem contra nostram monitionem crucem publice predicavit Moguntie. Quo viso quidam ex illis interfecerunt eum prope Marburch. Tandem*[8] *congregati apud Frankenvort cum archiepiscopis et episcopis usque ad 25 et multis imperii principibus,* 1234. Apr. 2. *deinde dominica Letare Ierusalem apud Moguntiam examinavimus comitem Seynensem et alios, de quibus habita est questio, et restituimus eos fame et possessionibus. Mendacibus pro periurio iniuncta est penitentia septennalis; eos qui innocentes accusaverant ad pedes domini pape transmisimus; qui magistrum Conradum occiderant, excommunicati sunt; de pueris scolaribus, qui cum aliis ad ignem cucurrerunt, inquisitio, si sint irregulares; de innocenter mortuis queritur consilium pape*[9]. Quid ad hoc domnus papa rescripserit, nondum scimus, nisi quod penitet eum satis[10], quod tantam dicto magistro Conrado potestatem permiserit, unde talis confusio emerserit. Insuper visio quedam visa est in Alemannia de novo, per quam connicitur, quod idem Conrardus sit dampnatus. Que vero sit ratio[a] de tam subita inundatione huius heresis breviter attende: Est[b] villa quedam, que dicta est Maestrecht[c], inter Brabantiam et Coloniam; ibi adveniens quidam magister Toletanus, nigromanticus totus dyabolo deditus, dum sederet ad mensam inter clericos, quos voluit permisit comedere, quos voluit fecit dormire. Adheserunt ei octo vani clerici, postulantes ab eo ut iuvaret eos in explendis desideriis suis. Qui respondit talia sine circulo non posse adimpleri, et fecit maximum circulum cum caracteribus suis, ita quod omnes octo posuit in ipso circulo. Tres autem sedes preparavit in una parte circuli et dixit clericis, quod ibi sessuri erant tres magi de ewangelio. Extra circulum vero preparavit et ornavit quoddam maximum sedile et floribus decoravit satis accurate. Et incipiens de media nocte operari, excoriavit cattum[d] unum, et duas columbas scidit per medium; deinde tres demones illos advocavit, quos habebat pro regibus, et novissime magnum illum principem, quem Epanamon[e] nominavit. Dixit quod ipsos ad parvulam cenam invitaverit, ut illos clericos iuvarent in petitionibus suis. Cattum excoriatum tribus illis demonibus apposuit, quem totum in momento devoraverunt; duas columbas magno demoni apposuit, et statim devorate fuerunt. Habebat vasculum vitreum et coniuravit magnum demonem, ut se in tantum exinaniret, quod in illud intraret; quo facto cera signavit, alpha et omega[f] superscripsit[g]. Postea dictum est clericis, ut peterent quidquid vellent. Unus petivit, ut posset habere consensum cuiusdam[h] nobilis mulieris, et concessum est ei; alter petivit familiaritatem ducis Brabantie, et optinuit, et omnes alii quidquid petierunt optinuerunt preter unum[i], qui petebat consensum masculi cuiusdam nobilis adolescentis, quod dyabolus ad se pertinere negavit, nec sibi esse licitum in tam illicito desiderio ei prebere adiutorium, et ita ad aliud se convertit. Postea audientibus illis clericis, cepit ille magister multa contraria loqui de Christo cum demonibus suis et de omnibus christianis et ipsos clericos in maximam perversitatem induxit, circulum exire non permisit usque ad solis ortum; et in ipso egressu oportuit, ut quilibet diceret: *Deus homo factus est, in hoc honore vivo;* alioquin rapuissent eum demones, et qui eos conpellebat ad negandum misterium incarnationis, non poterat sanos educere de circulo sine confessione ipsius incarnationis. Qui hec retulit dixit, quod a duobus vel tribus de[k] illis clericis istud accepit. Per istos ergo accrevit et dilatata est infidelitas illa de cultu Luciferi. Tante perversitatis magister volens transire in Angliam submersus est in mari et adiunctus est tali domno quali servivit.

Mai. 31. Die Martis post dominicam Trinitatis quedam mala per fulmen et tonitruum facta

---

[a] narratio 2. [b] Et 1. [c] que dicitur Maestraiectum 2. [d] cactum 2 *et ita inferius quoque.* [e] Apanamon 2. [f] o 1; ω 2. [g] scripsit 1. [h] unius 2. [i] unus 1. [k] *deest* 1.

[6] Heinrico. [7] Theoderico II. [8] 1234. 2. Febr. [9] Litteras non ad verbum descriptas esse quum initium tum finis probat. *Quod magister Conradus* etc. haec magis orationi obliquae respondent; et: *queritur consilium pape,* ad papam ipsum scribens certe nemo dixisset. Simili modo auctor iam supra ad annum 1213. litteras pontificales communicavit, ab oratione obliqua in rectam deflectens: — *meminit domnus papa, quod omnes — confidimus in Domino* etc. Nec solum mutavit, verum etiam omisit: epistola ineunte res parvas prolixius enarrat; ad finem properans quae summi momenti sunt ea vix tangit. Itaque litteras decurtavit, sicut supra pacem anno 1229. inter regem Franciae et comitem Tolosae initam et leges anno 1230 contra Iudaeos latas. [10] Eum minime poenituit; cf. supra p. 646 n. 34.

1233. Iun. 1. sunt, et sequenti die, hoc est feria 4, Kalendis Iunii[a], apud Leodium Iohanne eiusdem civitatis episcopo generalem synodum in ecclesia sancti Lamberti celebranti, presentibus universis totius episcopatus ecclesiarum prelatis, ceciderunt lapides glaciei mire magnitudinis et maxime super predictam ecclesiam; fuerunt qui dicerent grossitudinem istorum lapidum ad modum ovorum columbarum.

Henricus de Vienna in Burgundia occiditur.

Regina Hoilenz de[b] Hungaria in presentia Iacobi[c] cardinalis[11] et episcoporum moritur et in abbatia de Egris[12] sepelitur. Qui cardinalis per Hungariam hoc anno concilia sua tenuit.

Adhuc vivebat Theodorus in Grecia, quem Alsanus gener regis Hungarie excecaverat, in partibus transmarinis Iohannes de Baruth, filius Bethuliani[d] de Guibeliu[e, 13]. Hic dicendum est, quod vir nobilis Bethulianus de Guibeliu duxit relictam[14] regis Almarici, que fuit de Grecia, et genuit Iohannem de Baruth, patrem Bethuliani, Radulfum et Hugonem et uxorem Renaldi[f] de Sidone, de qua Guido de Monteforti[15] genuit filium. Et quia isti tres fuerunt fratres regine[16] Ierosolimorum, hic Iohannes de Baruth regimen negotiorum regni sibi competere quasi iure hereditario reclamavit[g], cum illud iam antea rexisset, et secundum predicta fuit filius matris illius[h] regine[17], que marchiso Conrado[18] data[i] fuit, et quam comes Campaniensis[19] habuit; et hac de causa balivos expellebat imperatoris[20].

Fernandus comes Flandrie moritur et sepelitur in abbatia delle Marckete[21].

Imperator civitatem Messanam sibi repugnantem mirabiliter oppugnavit.

Quidam vero frater Iohannes de Vincentia de ordine Predicatorum magna faciebat miracula.

Frater Dominicus levatur, et in sequenti anni pentecoste canonizatus est.

Mortuo episcopo Roberto Trecensi electus est magister Nicholaus archidyaconus.

Obiit episcopus Henricus Autisiodorensis, cui succedit eiusdem ecclesie decanus Bernardus.

Constantinopolim post mortem patriarche Symonis vacavit sedes per annum et ultra, et domnus papa de consensu illorum Spoletanum episcopum[k] in patriarcham consecravit et eis transmisit, magistrum Nicholaum de Placentia, qui fuit vicecancellarius pape.

In Lotharingia dux Matheus cum avunculo suo comite Barri[22] pacem fecit et simul cum Metensibus Sanctum Germanum[23] contra episcopum[24] obsederunt, et episcopus cepit comitem Theodoricum de Linengis[25] cum multis aliis, et comes Campanie[26] castrum de Nongento[27] in Bassigneio obsedit.

Rex vero Iohannes super Grecos terram acquirebat sed tepide, et quandam civitatem super eos occupaverat, que gallice Azispigalz[28] appellatur, et filiam suam, Mariam nomine[l], dedit Balduino iuveni, qui est heres illius imperii, filius videlicet comitis Petri[29].

De morte principis Antiochie, qui dicebatur Boemundus, nunciatum est. Hic interseratur, quod post principem Antiochie, qui dictus Renaldus de manu Salahadini fuit occisus, erat princeps, licet parvo tempore, filiaster eius Boemundus. Huius Boemundi erant duo filii, Reimundus pater Rupini — huius Rupini materteram duxit Henricus rex Cypri, et sororem[30] eiusdem Henrici duxit Galtherus comes Brenensis[31] — et iste Boemundus Strabus, comes Tripolis et princeps Antiochie hic mortuus, qui duos reliquit filios, Boemundum principem Antiochie et Henricum.

Obiit archiepiscopus[32] de Maideburch, succedit Buchardus.

Post patriarcham Antiochie Petrum fuit patriarcha quidam Renerus de Tuscia et post eum diebus istis sedem obtinebat Albertus episcopus quondam Brixianus[m].

Anno 1234. Tertio Idus Februarii constitutiones regis et principum Alemannie apud 1234.

---

a) Iulii 2. b) in 1. c) *deest* 2. d) Bethiliani 2; *sic inferius quoque.* e) Guibelino 2; moritur *add.* 2. f) Reinaldi 2. g) reclamabat 2. h) matris illius *desunt* 2. i) dicta 1. k) *deest* 1. l) Mariam nomine *desunt* 2. m) Brixanus 1.

11) Praenestini episcopi, quondam Trium Fontium abbatis. 12) Egris dioec. Chonad. 13) Balian de Ibelin. 14) Mariam Comnenam 15) Montfort-l'Amaury, départ. Seine-et-Oise, arrond. Rambouillet. 16) Eschivae de Ibelin. 17) Isabellae. 18) de Monteferrato. 19) Henricus II. 20) Friderici II. 21) Marquette, départ. Nord, arrond. Lille. 22) Henrico II. 23) Châtel-Saint-Germain, départ. Moselle, arrond. Metz. 24) Iohannem. 25) Linange. 26) Theobaldus. 27) Nogent-le-roi, départ. Haute-Marne, arrond. Chaumont-en-Bassigny. 28) Spiga in Anatolia. 29) Altissiodorensis. 30) Mariam. 31) Brienne, départ. Aube, arrond. Bar-sur-Aube. 32) Albertus.

1234. Febr. 11. Frankenvort[a]. *Inprimis omnibus imperii fidelibus, ne in reysa publica procedant, omnibus modis inhibemus. Ad hec universis iudiciariam potestatem habentibus auctoritate regia precipimus, quatenus ad reprimendam hereticorum perfidiam toto nisu solerter intendant, ac iniuste persecutioni[b] iudicii preferant equitatem. Et ut in iudicando diligentie formam omnibus preferamus, ecce in manus principum promisimus, quod in quolibet mense, ubicunque in imperio fuerimus, quatuor diebus ad minus volumus personaliter[c] iudicio[d] publice presidere. Quod etiam a quolibet iudice fieri[e] volumus temporibus ad hoc iuxta[f] consuetudinem constitutis. Quod si princeps facere neglexerit et de hoc convictus fuerit, ut exigit iuris ordo, domno regi 100 libras auri in pondere Karoli persolvet; comes vero vel alius nobilis iudicium habens, si non iudicaverit iuxta[f] provinciarum consuetudinem, sicut predictum[g] est, domno regi 100 marcas argenti conponet. Item si quis alium leserit vel guerram ei moverit absque precedente querimonia, si princeps extiterit, 100 marcas auri[e] regie camere presentabit; si vero comes vel nobilis vel alia persona extiterit, 100 marcas argenti conponet. Item statuimus quod, si quis[e] treugas datas violaverit, si[e*] cum ipso, in cuius manum treuge fuerant compromisse, et cum duobus aliis sinodalibus hominibus treugas esse violatas[h] convincere potuerit[i] et testari, violator manum perdat. Item si quis fide data promiserit aliquid et convictus fuerit cum[k] tribus sinodalibus hominibus, fidem non servasse, continuo proscribatur nec a proscriptione poterit absolvi, nisi dupliciter persolvat quod promiserat et pro quo fidem dederat, et iudicet ius suum. Item si quis de principibus aut comitibus vel nobilibus pro delicto iudicii penam ter pertulerit constitutam, postmodum iudicio quod habuit est privandus. Preterea statuimus, ut sententia proscriptionis tantum in locis publicis promulgetur, nec proscripti aliquatenus absolvantur, nisi sufficienti cautione fideiussoria precedente. Quod siquidem si iudex non fecerit, ablata in integrum restituat dampnum passo; quod etiam promittimus nos facturos. Item monetas falsas et iniustas ac iniusta thelonia, que a tempore domni Frederici imperatoris proavi nostri absque consensu et conniventia principum sunt statuta, per sententiam cassamus et precipimus amoveri; et nos thelonia nostra noviter instituta primitus amovemus, transgressores manu potenti et extento brachio coercendo. Principesque curie presentes ecclesiastici et mundani fide data efficaciter in nostras manus[l] promiserunt, quod ad reprimendam transgressorum proterviam et ad iusta iudicia prosequenda fideli nobis auxilio assistant. Item statuimus, ut nullus in persona vel in rebus alicui dampnum inferat, nisi prius eum, cui dampnum inferre voluerit, ad minus trium dierum et noctium spatio diffidaverit, et tunc[k] uterque pacem ab altero per predictum terminum habebit; alioquin per sententiam proscribatur. Reysam, que keymszuche dicitur, si quis commiserit, proscribatur. Item precipimus, quod nullus conductum alicui prebeat, nisi forte conductum a nobis et ab imperio iure possideat feodali. Item in omnibus civitatibus, oppidis, munitionibus, villis et aliis locis regni nostri iurisdictiones[m] archiepiscoporum, episcoporum, archidyaconorum et sententias eorum precipimus firmiter observari. Item omnia privilegia a domno[l] imperatore patre nostro[n] et a nobis tam principibus, quam nobilibus indulta per omnia volumus esse salva.*

Nota, lector, quod in Alemannia omnes archiepiscopi et episcopi et quidam excellentiores nigri abbates et omnes duces et quidam marchiones et lantgravius Thoringie et palatinus comes de Reno, omnes isti vocantur principes; ceteri autem sunt vel comites vel castellani vel nobiles.

Iacobus Prenestinus episcopus cardinalis et legatus in Hungaria fratrem Iohannem Predicatorem de penitentialibus domni[l] pape fecit episcopum in Bossena[33] Ragusie.

Circa idem tempus mortuus est dux Andreas, vir forma decorus[o], regis Andree filius.

Cum esset hucusque simultas et invidia et maxima discordia baronum Francie contra comitem Campanie, contigit in hac hyeme tres mori, Robertum videlicet archiepiscopum Lugdunensem, comitem Philippum Boloniensem, patruum regis, qui apud Sanctum Dyonisium antecessoribus suis coniunctus est, et comitem Robertum[34], fratrem archiepiscopi Mart. 5. Remensis[35] et comitisse Philippe Barrensis, qui dominica Esto mihi sepultus est. Quibus

---

a) Frankevoert 2. b) iniusti persecutione 1; prosecutione 2. c) personaliter volumus 2. d) *deest* 2. e) *deest* 1. e*) violatus *omissum esse videtur*. f) secundum 2. g) dictum 2. h) violata esse 1. i) potuerat 2. k) *deest* 1. l) *deest* 2. m) iuredictiones 2. n) patre nostro imp. 2. o) decor 1.

33) Bonna-Saraï. 34) de Droca = Dreux, départ. Eure et Loire. 35) Henrici II.

de medio factis[a], optinuit[b] cum regina Cipri[36] pacem facere, que istis instigantibus et consilium cum auxilio ferentibus calumpniam movebat contra consobrinum suum comitem Campanie. Unde 40000 librarum habuit in instanti[c] pro debitis et expensis et 2000 quolibet anno[37]. Et ipse Theobaldus comes Campanie post pascha dominica Misericordia Domini in regem elevatur Navarrorum, avunculo suo Sanctio sine herede mortuo, in cuius thesauro 1700000 librarum invenisse dicitur. 1234 Mai. 7.

Rex Francie Ludovicus iuvenis duxit in uxorem Margaretam filiam comitis Iohannis[38] de Provincia, natam de Katerina[39], filia Thome comitis Sabaudie, videlicet sorore trium episcoporum[40]. Postea guerram habuit contra comitem Petrum de Britannia[d], fratrem illius Roberti, qui nuper decesserat. Quem cum sibi subegisset non absque detrimento aliquo, receptis obsidibus et munitionibus et facta pacis conpositione, ipsum adduxit Parisius.

Metenses etiam cum comite Barri Metensi episcopo Deo dante reconciliati sunt, mediante episcopo Rogero Tullensi.

Magister Edmundus vir approbatus fit episcopus Cantuarie.

In episcopatu Leodiensi et circa partes illas cruce signati sunt: Henricus iuvenis dux Brabantie et sororius eius comes Hollandie Florentius, Guillekini filius, et alii multi ad destruendam quandam Frisie insulam ad Stadingas, ubi increverant heretici, ipsa insula iam diu in excommunicatione constituta. Narratio de Stadingis, quam Fredericus de Sinu sancte Marie[41] prepositus misit abbati Premonstratensi[42]. *In Bremensi archiepiscopatu ab ipsa metropoli ad duas leugas erat insula* et cetera, que ibi continentur.

In partibus transmarinis tempore induciarum veniebant multi[f] de remotis terris ad sepulchrum Domini; et inventum est novem esse leges seu novem speciales esse ordines christianitatis, de quibus singulis ad sepulchrum Domini[f] peregrini ibi more suo celebrant presbiteri de omnibus videlicet ordinibus istis. Horum primus est ordo nostrorum[g] christianorum, Latinorum videlicet, id est Romanorum, et bene sunt in ordine isto 700 episcopatus, qui obediunt domno pape specialiter. Secundus est ordo Grecorum atque Russorum, qui licet a se differant in quibusdam, pro uno tamen ordine conputantur. Tertius ordo Surianorum est ab origine christianitatis in partibus transmarinis existentium; istis annectuntur[h] Nestoriani, qui adhuc degunt in partibus illis. Quartus ordo Armeniorum prope Antiochiam et ultra Minorem Asiam degentium, et cum eis conputantur Moriani[43]. Quintus est ordo Georgianorum et Avignianorum[i][44] christianorum, ultra Armenios[k] terram magnam incolentium; horum autem clerici habent coronas rotundas, layci vero quadratas. Sextus ordo Iacobianorum, qui a diebus imperatoris Marciani viri catholici et impiissimi Nestorii cepisse dicuntur; isti uno solo digito se signant et signum crucis faciunt. Septimus ordo dicitur Nubianorum christianorum, quorum terra maxima est, et multi ex eis tributarii Sarracenorum sunt. Octavus ordo totam illam multitudinem christianorum continet, que presbitero Iohanni subiecta est. Nonus ordo est Maronitarum. Isti patriarcham suum[l] habent in latere montis Libani, qui formam ecclesiasticorum officiorum acceperant ab Innocentio papa in concilio Lateranensi et eam servant, quantum eorum littera permittit, que est Caldea vel Caldee proxima. Istis[m] adiuncti sunt in eodem montis latere Nossorite[45], qui legem habent coopertam, quam filiis et nepotibus non exponunt nisi anno 30. etatis eorum; hec est lex pessima, que vult occultari nec vult in lucem videri. Magister Oliverus episcopus: Cumque transeuntes per partes illas scire vellemus, quare nullo unquam tempore uxoribus suis vel filiabus aut sororibus suis legem suam revelaverint, respondit unus de senioribus: *Mulieres a dyabolo formatas esse.* Et nos intulimus: *Cum huiusmodi mulieribus amplexibus vacatis, ergo diabolum amplectimini.* Unde confusus a nobis recessit. Oliv. H.Dam. c. 36. Tempore quo Greci et Armenii Syriam tenuerunt, fuit quedam religiosa a seculo remota Deo serviens ad sex leugas Damasci apud locum, qui dicitur Sardenay[46]. Huic sanctimoniali monachus quidam dedit in tabula depicta[n] ymaginem beate virginis pulcherrimam, que primo cepit oleum de facie sudare et postea de toto corpore. Ad quod oleum veniunt infirmi et sanantur. Monialis maiorem ecclesiam statuit, vicinum presbiterum et honestum advocavit ad trans-

---

a) Qui — factus 2. b) oportuit 1. c) in instanter 1. 2. d) Petrum comitem Britannie 2. f) *deest* 1. g) nostrorum ordo 2. h) annectunt 2. i) Aviguianorum 1. k) Armeniam 2. l) suam 1. m) Isti 1. n) *deest* 1.

36) Alix, filia Henrici II. comitis Campaniae. 37) Cf. pacis tabulas in epp. Innoc. III. lib. 16. app. 20. ed. Baluze II, 847. 38) Raimundi Berengarii. 39) Beatrice. 40) Infra sub anno 1236 duos tantum filios comitis Thomae episcopos novit. 41) De hac praepositura ante annum 1571 extincta vide Hugonis Annal. Praem. II, 819. 42) Guillelmo. 43) Secundum cl. virum Reinaud Moriani iidem sunt ac maioris Armeniae incolae. B. 44) Cf. supra pag. 926 not. 49. 45) Nossairis. 46) Zardena.

1234. lationem dicte ymaginis, sed de parva ecclesia ymago removeri non potuit, et die tertia presbiter obiit. Ymago preterea postmodum crescente fidelium devotione cepit inspissari et quasi in carnem commutari. Dicitur etiam et scriptum est, quod quidam admiraldus Damasci oculum perditum ibi recuperavit, qua de causa ipse et eius successores[a] quolibet anno eidem ecclesie dabant ad luminaria et ad alias utilitates 60 mensuras olei usque ad tempora Salahadini, qui terram invasit. Et dicitur de oleo ymaginis quantumcunque dividatur, quod[b] non minuitur, et quod ibi conveniunt Sarraceni in assumtione et in Septembri et[c] orant sanctam Mariam secundum legem suam.

Tres sunt ecclesie in partibus illis[b], que miraculose se defendunt: ista de Sardena, secunda illa de Bethleem, tertia sancte Katerine de monte Synay.

In Apulia mortuus est[d] hoc tempore quidam, senex dierum, qui[e] se[b] dicebat fuisse armigerum Rollandi Theodricum, qui dux Guidonius dictus est, et imperator ab eo multa didicit.

Hoc anno in capitulo generali apud Cistercium recepta est translatio corporis beati[f] Benedicti inter precipuas solempnitates. Qualiter autem translatum sit venerabile corpus a monte Cassino ad Aurelianensem Gallie provinciam, habetur supra in anno 674. Tamen Cassinenses se confitentur veraciter habere corpus beati Benedicti, cum illi e contrario de Sancto Benedicto super Ligerim omnibus presentibus nude et aperte demonstrant. Forte piissimus Dominus ob devotionem utriusque cenobii operatus est in eis, ut utrumque monasterium sui piissimi patris haberet presentiam. Simile quidem legitur in passione beati Lamberti[47] de quadam sancta virgine Landrada, quod eius corpus cum[b] sepultum esset in Bilisia[48] presente sancto pontifice Lamberto, post triduum ipsius precibus inventum est cum ipso sarcofago angelicis manibus translatum et sepultum esse in villa de Wentreshovio[49]. Item legitur de quodam sancto Laudunensi[50] in Wallia, qui dictus est sanctus Telianus[g], quod in eius obitu tres ecclesie contendebant de ipsius[g] habendo corpore. Tandem de communi consilio et consensu totum hoc negotium divine dispositioni et ipsius sancti voluntati commiserunt. Orationibus consummatis et diligentissime obserata ecclesia[h] de nocte, in qua iacebat corpus, mane reversi pro uno feretro et uno corpore, quod ibi dimiserant, tria decentissime locata invenerunt, in singulis feretris unius forme et unius qualitatis et quantitatis, et ita quelibet ex eis[i] tribus ecclesiis corpus sancti Teliani[k] se habere gloriatur.

Quidam magister Robertus de ordine Predicatorum, qui antea fuerat hereticus, nunc ad fidem catholicam reversus, hereticos per Franciam investigat et[l] auctoritate pape vel ad reversionem absolvendos vel ad iudicium comburendos attrahebat.

Milo Belvacensis episcopus apud Camerinam[51] civitatem Italie moritur, post quem Gaufridus in episcopum eligitur.

Cum esset guerra inter papam et Romanos, ab exercitu pape et ab exercitu imperatoris iuxta Biterbium[m][52] confecti sunt Romani, quibusdam ex eis aut captis aut occisis.

Archiepiscopus Bituricensis Petrus deponitur.

In curia Romana talem petitionem proposuit rex Castelle Fernandus, quod nomen imperatoris et benedictionem volebat habere, sicut habuerunt quidam antecessores eius.

Otto dux Meranie et Thomas comes Sabaudie moriuntur.

Moritur etiam Galtherus Carnotensis, succedit Hugo.

Aurelianensis post episcopum Philippum fit episcopus alter Philippus.

Nova compilatio decretalium, sub bulla domni pape canonizata, allata est Parisius, et ciciderunt quinque paria decretalium, quarum summa redacta est in istam conpendii gratia et intelligentie[n] facilioris[o].

1235. Anno 1235. In hac hyeme scilicet in principio huius anni inundatio aquarum post
Febr. 9. liquefactionem nivium enormia dampna multis intulit. Sicut in Hoyo 5. Idus Februarii feria 6. Hoyolus[p] cepit intumescere circa mediam noctem usque ad tertiam cum tanto inpetu, quod eius inundatio perveniens usque ad quintum gradum Petronii in foro siti et

---

a) sorores 1. b) *deest* 2. c) ut 2. d) *deest* 1. e) qui 2 *manu priori, posteriori:* quem. f) sancti 2. g) eius 2. h) ecclesia observata 2. i) illis 2. k) Reliani 2. l) vel 1. m) Viterbium 2. n) intelligentia 1. o) factoris 1. 2. p) Hoylus 2.

47) Nicolai canon. cod. Gesta s. Lamberti c. 12 ap. Chapeaville Gesta pont. Tungr. I, 391. 48) Münster-Bilsen. 49) Wintershoven. 50) Corrige: *Landavensi.* 51) Camerino. 52) Viterbo.

1235. usque ad ecclesiam sancti Mayngoldi fluendo pervenit transiensque ad Sanctum Martinum descendit in Mosam per vicum, qui Platea Gonherii [a] nuncupatur. A tertia vero usque ad vesperas paulatim impetum suum reprimens alveum intravit, ita quod itum est per vicos et plateas totius oppidi ab ipsis civibus querendo et investigando, quid actum sit de amicis suis et consanguineis. Muri etiam in introitu et exitu ipsius fluvii ob eius inpetum mira celeritate corruerunt atque plus quam 300 domus seu collapse seu disrupte referuntur; in hoc autem tam subito periculo nisi tantum 10 inter parvos et magnos submersi fuisse dicuntur.

Iudex Sardinie Barasonas Mariani filius, puer 15 annorum a suis crudeliter occisus est, et membratim detruncatus et mutilatus. Quidam Pisanus Balduinus, habens sororem eius in matrimonium, iudex post illum efficitur.

In civitate Cathalaunensi, presente fratre Roberto et cancellario Parisiensi magistro Philippo, conbusti fuerunt heretici. Horum unus Arnolinus tonsor, totus demoni deditus et ultra modum fetidus, multos in civitate decipiebat. Similiter in Cameraco multi conprehensi sunt, inter quos vetula quedam, Alaydis nomine, que videbatur et credebatur esse valde religiosa et elemosinaria ultra modum, tandem accusata conprehensa est. De ista dictum est, quod quadam die per illum, qui clamabat per civitatem: *Vinum bonum, vinum optimum, vinum pretiosum*, dato pretio fecerit clamari: *Deum pium, Deum misericordem, Deum bonum et optimum*, per totam civitatem ipsa sequente et affirmante: *Bene dicit, verum dicit.* Et hoc totum fecit causa laudis humane, ut post apparuit; ista itaque conbusta fuit cum aliis fere 20, et 21 inclusi, et in Duaco [54] et circa partes illas bene 30 conbusti sunt.

Rex Navarie [55] rediens in Campaniam cruce signatur, et cum eo multi barones; Flandrie barones apud Hesdinium [b][56], ubi se exercebant ad tabulam rotundam, cruce signantur. Item cruce signati sunt dux Hugo [c] Burgundie, Iohannes Cabilonensis [57], comes Guido Forensis et Nivernensis [58], comes Almaricus Montisfortis [59], comes Britannie [60] et quidam alii.

Rex Navarie, recuperato per iudicium castro de Nongento [61] in Bassigneio, reparavit [d] illud et refirmavit.

Item matrimonium imperatoris Alemannie Friderici cum sorore [62] Henrici regis Anglie [e] procuratum per archiepiscopum Coloniensem [63] et per ducem Brabantie [63].

Discordia eiusdem imperatoris contra filium suum Henricum [f], accusatum de proditione et conspiratione contra ipsum et per quasdam litteras convictum. Qui negans ipsum esse filium suum, deposuit eum de regno et misit eum [f] in Apuliam captivum, — habebat ibi quendam filium alterum, sed bastardum —, qui [64] in eadem captivitate mortuus est.

Dux Austrie Fredericus a rege Hungarie devictus et quasi a probitatibus patris omnino alienus, de die in diem se habet deterius ut iuvenis.

In die pentecostes canonizata est a domno papa sollempniter [f] sancta Elizabeth, vidua Mai. 27. Ludovici Thoringie quondam lantgravii relicta, regis Hungarie Andree [f] filia, que aliqua in vita sua fecit miracula et post mortem innumera fecerat miracula, plures etiam mortuos resuscitando.

Rex Arrogonum [65] quoddam nobilissimum castrum super Sarracenos hoc anno recuperavit, unde maximum incurrerunt detrimentum; uxorem suam Alienor, de qua filium [65*] genuit, causa tertii gradus consanguinitatis dimisit et filiam regis Hungarie, Hyolenz nomine, duxit.

In octavis [g] assumptionis beate Virginis Fredericus imperator celeberrimam curiam Aug. 21. omnium principum Alemannie tenuit apud Maguntiam.

Henricus dux [f] Brabantie, cum ab eadem curia reverteretur, Colonie moritur; item in reversione eiusdem curie mortuus est Bisuntinus archiepiscopus Nicholaus.

Andreas rex Hungarie moritur [h] et sepelitur in civitate Waradino [66], reclamantibus abbate et fratribus de Pelicio [67] et super hoc causam agitantibus [i].

Eodem anno ultra silvas iuxta Kerte apparuit quedam, ut dicitur, demonum ludificatio,

---

a) Hongerii 2. b) Heldinium 2. c) Hugo dux 2. d) recuperavit 2. e) regis Anglie Henrici 2. f) *deest* 2. g) octav̄ 2. h) qui duas uxores habuit Agnetem et Hyolenz 1. i) agentibus 2.

54) Douay. 55) Theobaldus. 56) Hesdin, départ. Pas-de-Calais, arrond. Montreuil. 57) Chalon-sur-Saône. 58) Forez et Nevers. 59) Montfort-l'Amaury, dép. Seine-et-Oise, arrond. Rambouillet. 60) Petrus. 61) Nogent-le-roi, dép. Haute-Marne, arrond. Chaumont-en-Bassigny. 62) Elisabetha. 63) Heinricum I. 64) Henricus scilicet, non alter filius. 65) Iacobus. 65*) Alfonsum. 66) Gross-Wardein. 67) Pelschotz.

apparuerunt rubei homines, qui de montana quadam exierunt in equis rubeis[a], minoris tamen stature, quam sint nostri, homines fere 200, qui discursus varios spectante populo faciebant. Irruentibus contra eos illis de oppido, caveam suam intraverunt, nec postea comparuerunt, unus tamen, aliquantulum ab uno de oppido retentus, fecit eius manum omnino esse rubeam et sic effugit, que quamdiu vixit rubea permansit. Fere omnes illi, qui eos viderunt, aliquod infortunium eodem anno incurrerunt.

1236. Anno 1236. Rex Navarre Theobaldus repetebat a rege Francie quedem feoda sua, que supra 40000 librarum Parisiensium, ut dicunt, obligaverat eidem ante istud triennium[68] loco pignoris, videlicet de comitatu Blesensi et comitatu Carnotensi et Sanctodorensi comitatu atque vicecomitatu Castriduni[69] versus Vindocinum[b][70], cum eorum appenditiis; et quia dicta[c] pecunia termino prefixo non fuerat restituta, rex Francie quasi de iure sibi retinuit dicta[c] feoda et appropriavit. Unde super hoc et super aliis quibusdam articulis mota est inter eos controversia; cum interim rex Navarre filiam suam[71], quam in fide et sub quibusdam religionis pactionibus[d] regi Castelle[72] promiserat pro filio suo[73], dedit, inconsulto rege Francie, Iohanni filio comitis Britannie[74]. Que causa fomes extitit tanti scandali, quod tota terra fuit commota, et ita parate atque instaurate fuerunt acies hinc inde, quod se mutuo cogitabant invadere. Sed tot et tantis honestis personis mediantibus rex Navarre venit ad misericordiam regis et se et[e] terram suam et quidquid petebatur eidem submisit, ita quod non solum dicta feoda sunt omnino regi quittata in perpetuum, sed et ipse rex habuit custodias suas[e] in Monasteriolo[75] et in Brai super Sequanam[76], que tamen postea regi Navarre reddidit.

Mart. 29. Quarto Kalendas Aprilis, quod eodem anno in vigilia pasche accidit, obiit domnus Alexander[f], primus abbas nostre ecclesie Novi Monasterii Leodiensis dyocesis et in medio choro traditur sepulture cum honore anno administrationis sue 28; fuit hic vir laudabilis vite, forma decorus et magne pulchritudinis, cuius temporibus floruit ecclesia tam in personis quam in rebus temporalibus. Postea facta electione divisa est ecclesia, sed tandem per honestos viros Hermannus eius consanguineus abbas constituitur circa festum sancti
Iun. 24. Iohannis.

Item[g] Henricus rex Anglie duxit in matrimonium sororem[77] Margarete regine Francie, alteram videlicet filiam comitis Iohannis[78] de Provincia, tertiam[79] vero filiam habuit frater regis Francie Karolus comes Andegavensis, et quartam[80] filiam habuit frater regis Anglie Richardus comes Cornubiensis. Harum supra dictarum reginarum originem altius repetimus sic: Margareta filia domni de Fusceneis[81] de matre Guilelmi, filii Humberti comitis Gebenensis, comiti Thome de Sabaudia nupsit et peperit comitem Amedeum et duos episcopos, Valentinum et postmodum Leodiensem Guilelmum et Belicensem[82] Bonifacium, et duos prepositos ecclesiarum Petrum et Philippum et comitem Thomam de Flandria et Katerinam[83] comitissam Provincie, que Iohanni comiti peperit supradictas reginas et earum sorores. Sororem matris istarum iam habebat comes de Kiburgh[h][84].

Postquam rex Iohannes Constantinopolitanus vicerat multa bella Grecorum et aliarum gentium per circuitum, Vastachius et Alsanus duo reges potentissimi, qui[i] erant invicem adversarii, facta pace inter se, ita quod filius Vastachii filiam debet habere[k] Alsani, Constantinopolim obsident; Theodorus vero Thessalonice rex cecatus non se intromittit de predicta obsidione; frater eius Manuel privatus fugit ad domnum Gaufridum[85] et factus est homo illius; sororius quoque Theodori, comes qui dicitur maximus Iacincti[86], factus est homo domni[l] Gaufridi; et cum rex Iohannes indigeret adiutorio, iste Gaufridus cum 120 navibus seu vasis bellicis succursum prestitit obsessis; et cum adversarii 300 vasa

---

a) rubeis equis 2. b) Windocinum 2. c) predicta 2. d) pactionis religionibus 1 *manu prima*; religionis pactionibus *in marg. corr. man. saec. XV.* e) *deest* 1. f) Allexander 1. g) *deest* 2. h) Kiburg 2. i) que 2. k) debet habere *desunt* 2. l) *deest* 2.

68) Mense Septembri 1234. Cf. diploma hac de re scriptum ap. Bry Hist. des pays et comté du Perche 242. 69) Blois, Chartres, Sancerre et Châteaudun. 70) Vendôme. 71) Blancam. 72) Ferdinando III. 73) Alphonso. 74) Petri. 75) Montereau-faut-Yonne, départ. Seine-et-Marne, arrond. Fontainebleau. 76) Bray-sur-Seine, départ. Seine-et-Marne, arrond. Provins. 77) Eleonoram. 78) Raimundi Berengarii; idem error sub anno 1234. 79) Beatricem. 80) Sanctiam. 81) Faussigny in Sabaudia. 82) Belley. 83) Beatricem, cf. eundem errorem anno 1234. 84) Kiburg, a Winterthur inter meridiem et orientem. 85) de Villehardouin. 86) Ianthe.

1236. haberent, ipse per medium illorum Constantinopolim intravit et 15 vasa eorum contrivit; habebat 100 milites, 300 balistarios et 500 archarios; et ex quo rex Iohannes venerat ad partes illas, mittebat quolibet anno 22000 perpres[87] ad conducendos auxiliarios. Frater eius Guielmus, qui custodit terram suam, habet filiam Nargaldi[88], natam de filia Livernas et sororis[a][89] regis Francie. Sub predicto domno Gaufrido duo sunt archiepiscopi, ille de Patras, qui est primas, et archiepiscopus Corinthi; primus unum habet episcopum de Oliva, id est de Andrevilla, secundus tres Mecenensem, Corone et Lacremonensem[90]; sub Guidone duce Atheniensium, filio scilicet Ottonis de Rupe[91] Burgundi[b], duo archiepiscopatus, Atheniensis cum episcopo[c] de Argis et archiepiscopus Thebanus cum episcopo de Negrepont.

Mai. 1. In Kalendis Maii elevavit de terra propriis manibus Fredericus imperator[d] caput sancte Elizabeth vidue et coronam auream gemmis pretiosissimis adornatam sanctissimo capiti imposuit in presentia archiepiscoporum et episcoporum[e] et[f] principum Alemannie, et est[g] tanta peregrinatio provinciarum omnium per circuitum, quanta[h] fere ad Sanctum Iacobum.

Imperator Fredericus repetit a rege Hungarie[92] tributum 47 annorum, quod videlicet ex quo mortuus est avus eius magnus imperator Fredericus solutum non fuerat.

April. 11. Feria secunda ad quindenam post pascha fuit interfectio crudelissima scolarium Aurelianensium, ita quod de media nocte prepositus civitatis cum suis 11 hospitia effregit, innocentes multos etiam a lectis extrahendo[i] trucidavit et bigis inpositos in fluvium proiecit; numerus interfectorum et submersorum vel usque ad 80 vel usque ad 100 estimatus est, secundum quod pro favore partium alii factum hoc vel extenuant vel[k] aggravant.

Aug. 3. 3. Nonas Augusti eclipsis solis facta est hora diei quasi 6, dominico die.

Radulfus Lugdunensis archiepiscopus cum magna devotione moritur.

Sunt quidam versus Hispaniam fratres milites ordinis de Caltrave, Cisterciensem ordinem professi. In vicinia autem Cordube fratres isti magnam prioriam habebant, tenentes quoddam castrum, unde frequentes assultus faciebant et terram ab illa parte custodiebant. Cum interim maior balivus Cordube, Machometus nomine, cum domno suo rege[l] de Maroch, que Nova Carthago dicitur, discordiam habuit super ratiociniis sue dispensationis et villicationis, querente ab eo predicto rege collectam et enormem pecunie summam, inducias ille requisivit dicens, quod tractaret super hoc. Convocatis igitur supra dictis priore videlicet[m] et militibus ordinis de Caltrave promisit, quod fieret Deo dante[n] christianus et ipse baptizaretur et tota domus eius et quod absque dilatione volebat eis nobilem civitatem Cordubam tradere; diem assignavit precipiens[o], ut plures cordas ad scalas sibi componendas adquirerent et ut[o] campanam unam in quadriga secum adducerent et socios et auxiliarios undecunque[p] colligerent. Paratis in velocitate, que dixerat, secuti sunt illum pedetentim sine strepitu, sine tumultu. Qui non introduxit eos per aliquam de portis, ubi vigilantior erat custodia, sed per quendam tutum locum et remotum, ubi nullus timebatur assultus, cum esset ibi aqua et quedam alia obstacula, propter quod[p] et nulla fuit ibi custodia. Ibi super scutum se fecit per lanceas elevari et de nocte, scalis[q] cordarum crenellis adaptatis, nostros introduxit et convocatis turrium custodibus modo istis modo illis, habita contra illos questione, quod male custodirent, fecit omnes a nostris militibus decapitari et in turres nostros introduxit; dictam campanam in una turrium de nocte pulsavit, et ecce turbatio[r], conmotio et tumultus civitatis insonuit, ceperunt clamare: *Traditio, traditio!* huc et illuc fugiendo; et ipse rex, qui erat intus in palatio suo, fugit per mare, et dicitur, quod in occisione multitudinis hac et illac discurrentis, qui nesciebant, quo deberent fugere, fuerunt equi nostrorum usque ad genua in sanguine. Capte fuerunt in brevi turres circiter 300 et custodibus nostris deputate, et cum non haberent sufficientem copiam ad reliquam partem civitatis[s] invadendam, mandaverunt regi Castelle[93] per celeres

---

a) sororem 1. 2. *corr.* b) filio — Burgundi *desunt* 2. c) archiepiscopo 1. d) imp. Fred. 2. e) episc. et archiepisc. 2. f) *deest* 1. g) ibi 2. h) quantum 2. i) trahendo 2. k) *deest* 1. l) cum rege suo 1. m) scilicet 2. n) Deo dante fieret 2. o) *deest* 2. p) *deest* 1. q) scalas 1. 2. r) conturbatio 2. s) civitatis partem 2.

87) De hoc Byzantinorum nummo vide Ducangium sub voce Hyperperum. 88) de Toucy. 89) Agnetis. 90) Secundum episcopatuum notitiam, quam e codice saec. XIII. ineunt. Weidenbach Calend. hist. edidit, episcopatus Mothonensis (= Mecenensis Albrici), Coronensis et Lacedemonensis (= Lacremonensis Albrici) non ab Atheniensi, sed Patracensi archiepiscopatu pendebant. 91) Roche-Aimon. 92) Bela IV. 93) Ferdinando III.

1236. nuntios, ut citissime veniret et admirabilem eventum festinare procuraret. Rex ille quotquot habuit congregavit, ceteris ut sequerentur demandavit et[a] per tres menses et amplius forteritias civitatis obsedit et ita tandem per famem[b] coactos Deo triumphante subegit. Et de istis cotidie meliora melioribus a peregrinis nunciantur.

Frater Robertus, qui hoc tempore hereticos per Galliam[c] comburebat, cum esset vir magne religionis apparens et non existens, circa tempus magni concilii[1] apostatavit, secutusque mulierculam manicheam Mediolanum abiit, et factus est de secta illa pessima per annos 20, ita quod inter eos fuit perfectissimus. Qui de novo resipiscens ad mandatum pape multos hereticos denudavit; per solam loquelam et per solos gestus, quos habent heretici, deprehendebat eos.

Moritur comes Rodulfus Suessionensis.

Magister Gaufridus Parisiensis archidyaconus fit[d] Bisuntinensis archiepiscopus.

Comes Stephanus de Burgundia cruce signatus terram suam Iohanni filio suo[e] guerpivit, et ad abbatiam de Caritate[2] se contulit, quam avia[d] eius comitissa Alaydis fundavit.

Iohannes archidyaconus Senonensis in episcopum Pictavensem est promotus.

Guido Apulie unus episcopus, ab imperatore quondam pulsus, factus est a papa Nannetensis[3] episcopus[4].

Magister Heymericus[f] Parisiensis archidyaconus in archiepiscopum Lugdunensem eligitur.

Episcopus Balduinus Semigallensis episcopatum suum in manus[g] domni pape reddidit[5], ita quod possit facere benedictiones et ordines.

Mai. 18. Circa pentecosten Aquisgrani palatium miserabili incendio et[h] fere totum oppidum concrematur.

Dux Austrie Fredericus ab imperatore omnino exheredatus[i] esse videbatur, specialiter a ducatu Stirie[6].

Moritur Hugo episcopus Carnotensis, succedit ei magister Albricus[k] Cornutus, frater archiepiscopi Senonensis.

Mortuus est episcopus Belvacensis, post quem Robertus decanus fit episcopus.

1237. Anno 1237. In die nativitatis Domini obiit cancellarius Parisiensis Philippus, satis adprobatus theologus et philosophus optimus et apud fratres Minores est sepultus titulo istiusmodi supposito:

Sensus, divitie viventi quid valuere?
Si caream requie, nil possunt illa valere.
Me modo terra tegit; teget et te. Te precor, ora,
Ut mihi sit requies, sit hec tibi mortis in hora.
Qui me novisti, nunc hic scis menbra recundi,
Dicere cuique[l] *potes: „Sic transit*[m] *gloria mundi.“*

Huius sermones et omelie et cetera que fecit, habentur a pluribus. Et magister Guiardus Laudunensis fit cancellarius Parisiensis.

Ian. 25. Dominica die in conversione sancti Pauli Mosa magnus adeo extitit, quod nulla etas recordari poterit[n] unquam[o] a priscis temporibus tam magnum extitisse; fuit enim apud nos equalis fere[p] planitiei claustri nostri videlicet Novi Monasterii.

Quidam machinatores contra regem Francie clam procuraverant matrimonium comitisse Flandrie cum viro nobili Symone de Monteforti[7], fratre comitis Almarici. Qui Symon alienatus erat a Francia, eo quod esset suspectus in regis curia propter redditus, quos habebat in Anglia et fidelitatem, quam Anglorum regi fecerat. Quapropter istud matri-

---

a) *deest* 2. b) famam 1 *manu prima*, famem *corr. man. saec. XV.* c) per Galliam hereticos 2. d) *deest* 1. e) filio suo Iohanni 2. f) Henricus 2. g) manu 2. h) *deest* 1. 2; *addidi.* i) heredatus 1. k) Albericus 2. l) cui 2. m) transeat 2. n) poterat 2. o) nunquam 1. p) fere equalis 2.

[1] Lateranensis scilicet, anno 1215. habiti.

[2] La Charité, départ. Haute-Saône, arrond. Vesoul.

[3] Nantes, départ. Loire-Inférieure.

[4] Inter Nannetenses episcopos huiusce temporis Guido non recensetur. Falso nomine supposito Albricus de Roberto II. agit.

[5] Balduinus ineunte anno 1234. a Gregorio IX. papa sede episcopali privatus est.

[6] Hoc loco nostrum optime de rebus Austriacis instructum esse, Winkelmann Gesch. Friedrichs II. II, 54 n. 1. docuit. Quodsi vero Albricum fontibus deperditis usum esse affirmat, haud video quibus argumentis vir cl. sententiam suam probare possit. Verisimilius mihi quidem videtur, auctorem omnia illa, quae de partibus remotis bene refert, in annuo capitulo, Cistercii habito, a confratre quodam audiisse.

[7] Montfort-l'Amaury, départ. Seine-et-Oise, arrond. Rambouillet.

monium[a] perdidit, sicut et illud comitisse Bolonie[8] perdiderat, sed Deus ei providit sororem[9] regis Anglie, relictam videlicet marescalli Guilelmi[10], qui erat unus de regulis Hibernie. Soror eiusdem Symonis vocabatur Petronilla. 1237.

Eodem anno comitissa Flandrie Iohanna nupsit Thome, filio comitis Thome de Sabaudia, clerico quondam et archidyacono Lugdunensi.

Apud Conpendium[11] in octavis pentecostes in presentia regis et omni frequentia Iun. 14. nobilium Francie frater eiusdem regis Robertus, cingulo militie de novo accinctus, nuptias suas celebravit cum Mathilde filia ducis Brabantie[12], et rex dedit ei comitatum Attrebatensem et Sanctum Audomarum et Ariam[13] et cetera de matre[14] domni Ludovici patris eius ibi contingentia. Ibi, sicut dicitur, usque ad 140 novi milites creati sunt. Et illi qui dicuntur ministelli, in spectaculo vanitatis multa ibi fecerunt, sicut ille, qui in equo super cordam in aere equitavit, et sicut illi, qui duos boves de scarlata vestitos equitabant cornicantes ad singula fercula, que apponebantur regi in mensa.

Et eodem fere anno alter regis frater Alphonsus nuptias suas fecit cum filia Raymundi comitis Tolosani.

In Constantinopoli moriuntur rex Iohannes et uxor eius[15]; et filius comitis Petri[b] Autisiodorensis ultimus, Balduinus iuvenis, cum esset heres illius regni, in Franciam venit. Qui etiam comitatum Namucensis castri contra sororem[16] suam recuperavit iure prelii, non sine sanguine aliquorum, et de consensu nobilium terre parti eius faventium, cum illa fratrem nec cognoscere vellet, nec habere pro fratre.

Comes Barri Henricus Romam abiit et de manu pape crucem pro via transmarina accepit.

Littere mirabiles fratris Philippi prioris transmarini de fide Iacobianorum et multis aliis et de 70 provinciis patriarche Iacobianorum subiectis[17]: *Sanctissimo patri ac domno Gregorio divina miseratione summo pontifici frater Philippus, fratrum Predicatorum in terra sancta prior inutilis, in omnibus obedientiam devotam et debitam. Benedictus Deus et pater domini nostri Iesu Christi, qui vestris temporibus, pater sancte, oves a tantis temporibus erroneas sua clementia reduxit ad pastorem, — diebus enim nostris donum sue benignitatis demonstravit nobis et campos suos implere fecit ubertate — et quia nationes, que ab unitate ecclesie iam*[b] *diu recesserant, ad nostram obedientiam et sancte matris ecclesie mirabiliter reduxit unitatem. Nam patriarcha Iacobianorum*[c] *Orientalium, vir venerabilis scientia, moribus et etate cum maximo comitatu archiepiscoporum, episcoporum et*[b] *monachorum sue gentis in hoc anno venit adorare in Ierusalem. Cui*[d] *verbum catholice fidei exponentes ad tantum divina cooperante gratia*[e] *pervenimus, ut in ramis palmarum processione sollempni, que die illa a descensu montis Oliveti fieri consuevit, obedientiam sancte Romane ecclesie promitteret et iuraret, omnem heresin pariter abiurando; et confessionem et confederationem suam nobis tradidit litteris Caldaicis et Arabicis in testamentum sempiternum, adhuc*[f] *et habitum nostrum recepit in recessu. Ipse preest Caldeis, Persis, Medis*[d] *et Armenis, quas terras Tartari pro magna parte vastaverunt; etiam in aliis regnis in tantum dilatatur eius prelatio, quod 70 provincie ei obediunt, in quibus habitant innumerabiles christiani, servi tamen et tributarii Sarracenis, exceptis monachis, quos liberos dimittunt a tributo. Quemadmodum eandem formam fecerunt duo archiepiscopi, unus Iacobitus de Egypto et alter Nestorianus*[g] *in Oriente. Suas tamen prelationes habent in Siria subditas et Fenice, et nos festinavimus quatuor fratres in Armenia transmittere ad linguam addiscendam, eo quod preces regis et baronum nos urgebant. De alio quodam, qui appellatur Iakelinus, qui preest omnibus, quos Nestoriana*[h] *heresis ab ecclesia separavit, cuius prelatio per Indiam maiorem et per regnum sacerdotis Iohannis et regna magis proxima dilatatur, iam plures litteras recepimus, quod fratri Guilelmo de Monteferrato, qui cum aliis duobus fratribus, linguam illam scientibus, apud eum aliquamdiu commoratus est, promiserit, quod velit obedire et redire*[i] *ad gremium ecclesie et veritatis. Misimus etiam fratres in Egyptum ad patriarcham*[k]

---

a) istud matrimonium istud 2. b) *deest* 2. c) Iacoborum 1. 2. d) *deest* 1. e) gratia cooperante 2. f) adlf 1. g) Neustorianus 1. h) Neustoriana 1. i) redire et obedire 1. k) Pharaonem 1. 2.

[8] Iohannae, quae Iohanni filio Gautheri comitis S. Pauli et Blesensis nupserat. [9] Eleonoram. [10] de Pembroca. [11] Compiègne. [12] Henrici II. [13] Arras, Saint-Omer et Aire. [14] Isabella. [15] Berengaria. [16] Margaretham. [17] Litteras, quarum finem noster reiecit, integras Matthaeus Paris tradit. Utriusque ope textum mendis purgatum ediderunt Echard et Quetif Scr. rer. Praed. I, 104.

1237. *Iacobitarum Egyptiorum, qui multo*[a] *amplius errare solent quam Orientales, aliis erroribus circumcisionem ad modum Sarracenorum addentes, a quo recepimus similiter, quod velit redire ad ecclesie unitatem, et iam elisis multis erroribus suos subditos prohibuit circumcidi. Huic subdita est India minor*[b]*, Ethiopia et Libia cum Egypto; et Ethiopes et Libii non sunt subditi Sarracenis. Mauronite, qui habitant in Libano, iam diu est, quod*[c] *ad ecclesiam redierunt et in obedientia perseverant. Et cum omnes nationes predicte doctrine veritatis et predicationibus nostris adquiescant, soli Greci in malitia perseverant. Qui ubique latenter atque*[d] *aperte Romane ecclesie contradicunt, omnia sacramenta nostra*[e] *blasphemant et omnem aliam sectam, a sua alienam, sectam*[e] *pravorum hereticorum appellant. Unde videntes tantum ostium apertum, ut veritas ewangelii dilatetur, dedimus nosmet ipsos ad linguas gentium addiscendas, et eas*[f] *ad studium in singulis conventibus statuimus laborem novum veteri apponentes; et iam per Dei gratiam similiter fratres nostri linguis*[g] *locuntur novis et predicant et maxime in Arabica, que communior est inter gentes.*

Erant enim[18] hoc tempore Tartari quidam populus barbarus[h] sub potestate presbiteri Iohannis constitutus. Quos cum presbiter Iohannes in bello, quod habuit contra Medos et Persas, in adiutorium suum advocasset et eos in forteritiis et munitionibus locasset, illi, videntes se esse fortiores, presbiterum Iohannem occiderunt et terram eius ex magna parte occupaverunt, regem unum super se statuentes, quasi ipse esset presbiter Iohannes; et ex tunc fecerunt multa mala[i] in terra, ita etiam quod hoc anno 42 episcopos in maiore Armenia[k] interfecerunt. Igitur rumor erat, hunc populum Tartarorum in Comaniam[l] et Hungariam velle venire; sed utrum hoc verum sit, missi sunt de Hungaria quatuor fratres Predicatores, qui usque ad veterem Hungariam per 100 dies iverunt. Qui reversi[m] nunciaverunt, quod Tartari veterem Hungariam iam[n] occupaverant et sue ditioni subiecerant.

April. 12. Philippus episcopus Cathalaunensis in die palmarum moritur; et magister Guilelmus factus est episcopus Aurelianensis.

Iun. 23. In partibus Austrie pluit sanguis in vigilia sancti Iohannis, videlicet in Carentana et in dyocesi Pataviensi. Et eodem tempore fuit bellum exheredati ducis Austrie[o][19] apud Cremes[20] super Danubium dirum et forte nimis.

Rome obiit magister Iohannes de Abbatisvilla[21], cardinalis episcopus Sabinensis.

In partibus autem transmarinis post festum sancti Iohannis Templarii, a castro Peregrino[22] contra predatores suos egressi, — 120 fratres, ut dicitur[p], cum magno magistro, qui erat Pictavinus[23], et archariis et balistariis in magna quantitate — omnes capti sunt aut occisi preter novem fratres, qui cum magistro evaserunt. Quo tempore[23*] fuit comes Ioppensis, cum quo erant duo filii domni[o] de Baruth[24], quorum consilium sequi noluerunt fratres supra dicti.

Moritur senior regina Francie, nomine Guineburgis[q] sive Indeburgis de Dacia, que erat domna Aurelianensis.

1238. Anno 1238. Mortuus est Cameracensis episcopus Godefridus, et magister Ginardus[r] cancellarius Parisiensis fit episcopus, et novus cancellarius dictus est magister Odo de Castro Radulfi[25].

Galerannus domnus de Poylevache[s][26], filius quondam ducis Galerani de Lemborch, multa mala horribilia et nefanda faciebat contra vicinos suos et precipue contra episcopum Leodiensem Iohannem. Quapropter idem Iohannes, sicut erat vir animosus et nobilis, Febr. 2. congregans exercitum copiosum circa purificationem beate Virginis, castrum predicti Waleranni situm super Mosam, quod dicitur Pilansvaccam[26], viriliter obsidet. Post aliquantulum ad mandatum episcopi venit ad obsidionem Thomas comes Flandrie, qui erat homo legius ratione feodi Hayniaci, cum nobili turba Flandrensium et Haynensium, adducens secum bibliam petrariam et cetera bellica instrumenta; eratque cum istis comes Arnulfus Losensis[27] et cum eo multi nobiles vicini, qui cotidie magnos et diros faciebant

---

a) multum 2 b) maior 1. 2. c) *deest* 1. d) et 2. e) alienam, sectam *desunt* 1. 2. f) *deest* 1. 2. g) linguis 1 *add. man. poster.* h) *deest* 1. i) multa mala fecerunt 2. k) Armenia maiore 2. l) Comoniam 2. m) quibus reversis 1. 2. n) iam veterem Hungariam 2. o) *deest* 2. p) ut dicitur *desunt* 2. q) Guindeburdis 2. r) *deest* 1; *in marg. scripsit man. post.* Guiardus. s) Poilenache 2.

18) Auctor ad ea recurrit, quae quasi praeteriens frater Philippus de Tartaris dixerat. 19) Friderici. 20) Crems. 21) Abbeville, départ. Somme. 22) Id est Petra incisa sive Districtum, postea castrum Filii-Dei et Peregrinorum castrum. B. 23) Alias: Petragoricensis. Eius nomen: Armandus vel Hermannus. 23*) Galtherus Briennensis comes, cuius nomen omissum esse videtur. 24) Iohannis de Ibelin. 25) Châteauroux, départ. Indre. 26) Poilvache, prov. et arrond. Namur. 27) Looz.

assultus, iaciendo, sagittando et ad muros assaliendo. Et quia bene[a] non erat munitum 1238. nec aquam haberet sufficientem, cito illi deintus reddidissent castrum episcopo, nisi quidam proditores[a], ut dicitur, fuissent, qui omnia consilia episcopi eis revelabant, et ut fortiter se defenderent, clam exhortantes, quia obsidio solveretur.

In quadragesima moritur archiepiscopus Coloniensis Henricus; filius vero comitis Lotharii[a] de Hoestaden[b, 28] Conradus electus est in archiepiscopum, natus de sorore comitis Henrici[a] Viennensis[29]. Hanc postea habuit uxorem Henricus frater comitis Losensis, quondam prepositus Traiectensis, genuitque ex ea Ymainam abbatissam de Salesines[30].

Cum adhuc obsidio esset ante supra dictum castrum Pilansvaccam, Iohannes Leodiensis episcopus 2.[c] Kalendas Maii[31] in castro Dyonanto[32] moritur. Mors eius propter Apr. 30. obsidionem omnibus nisi quibusdam fidelibus celatur, et per duos sibi fideles[d] servientes in Vallem sancti Lamberti[33] transmittitur, ibique eum abbas eiusdem loci, a predictis ministris sub forma confessionis recipiens, honorifice de nocte sepulture tradidit, presentibus tamen duobus monachis et duobus conversis. Crastina vero die mortis episcopi illi, Mai. 1. qui erant ad[e] crenellos[f] defensionis, ludentes et gaudentes dicebant foris astantibus: *Recedatis, recedatis, domnus vester mortuus est.* Sic manifestata[g] est proditio, de qua superius mentio incidit. Deinde Gallerannus, sicut erat vir bellicosus et in bellis nimium exercitatus, quotquot habere potuit in unum colligens exercitum, Mosam transiit. Quod audiens exercitus episcopi sine dilatione — quot[h] capita, tot fuge — infra Dyonantum se recepit; tamen postea comiti Flandrie sub nomine regis fuit redditum.

In crastino sancti Iohannis electio Leodii facta est. Primicerius Metensis Iacobus, qui Iun. 25. erat prepositus Leodiensis et frater ducis[34] de Nanceio, dedit partem suam et auxilium suum preposito Ottoni Aquensi. Archidyaconus autem Galtherus, frater comitis de Retest[35], partem suam et auxilium dedit fratri comitis Flandrie, scilicet electo Valentie Guillelmo, pro quo etiam cardinalis Otto, qui erat in Anglia, scripsit Leodiensi capitulo; sed inprimis ille de Traiecto vel de Aquis per Conradum Coloniensem electum et per Conradum filium imperatoris et per ipsum imperatorem, quantum ad regalia, factus est superior. Inter hec autem electus Valentie, antequam sciret de electione Leodiensi, erat in presidium in Cremona pro parte imperatoris contra Lombardos et cum suis Burgundionibus disconfecit[i] Placentinos, ita quod multi ex eis interfecti et vulnerati sunt et plus quam 1000 capti fuerunt; et hac occasione regalia sua habuit ab imperatore auro sigillata, ubicunque in imperio eligeretur sine loco determinato. Ambo isti electi Romam profecti sunt, similiter et electus Conradus Coloniensis[k]. Summus autem pontifex Traiectensem Ottonem cassavit, electum Valentie Guillelmum in Leodiensem electum confirmavit. Coloniensis electus aliter gratiam pape habere non potuit, nisi illum Traiectensem abiuraret et electo Valentie assensum et gratiam et auxilium suum efficaciter accommodaret. Quod ita factum est, licet ille Traiectensis diu restiterit et repugnaverit.

Aquis[l] quedam pretiosissime reliquie[m] declarate sunt[n] per decanum loci positum in extremis, videlicet panniculi, quibus involutus fuit puer Iesus in presepio, et illud linteamen, quo succinctus fuit in cruce, respersum eius sanguine, et una camisia beate Marie, que omnia idem decanus anno preterito cum carticulis[o] suis invenerat in exportatione supellectilis ecclesie, que facta fuit occasione ignis tunc grassantis in villa et excrescentis.

Nunciatur mors magni soldani Babilonie, nec non et soldani Yconii et illius de Halapia.

Moritur episcopus Ambiensis, cui succedit magister Arnulfus.

Rex Tartarorum imperatori Frederico scripsit mandans, ut sibi in hoc consuleret, quatinus officium aliquod[p] in sua curia eligeret et de se terram teneret. Ad quod imperator respondisse[q] fertur, quod satis scit de avibus et bene erit falconarius.

In transmarinis partibus Tartaris terras depopulantibus, occurrunt eis[r] quidam nigri monachi Siriani vel Greci cum cruce et cereis et aqua benedicta, volentes eos sibi facere propitios; et cum ille rex inquisisset ab eis de vita et moribus eorum et de Deo suo et de substantia eorum, tandem cum omni substantia eorum inclusos fecit omnes[s] conburi, dicens: *Ego facio eis magnam gratiam, qui cum substantia sua transmitto eos ad Deum suum.*

---

[a] *deest* 2. [b] Horstal 2. [c] secundo 1; pridie 2. [d] fideles sibi 2. [e] a 1. [f] cretellos 1. 2. [g] manifesta 1. [h] quod 1. [i] discumfecit 1. [k] Col. Conrad. 2. [l] Aquisgrani 2. [m] pret. rel. 1 *bis*. [n] declarate sunt qued. pret. rel. 2. [o] cartulis 2. [p] aliquot 1. [q] respondisse imp. 2. [r] ei 1. [s] eos 2.

[28] Hochstaden. [29] Vianden. [30] Salzine, prov. et arrond. Namur. [31] 6. Non. Maii secundum Aegid. Aureaval. III, 132. [32] Dinant. [33] Val-Saint Lambert. [34] Matthaei II. [35] Réthel.

1238. Obiit Laudunensis episcopus Anselmus, succedit eidem magister Garnerus archidyaconus.

In Hispania rex Castelle[36] Sibiliam civitatem Sarracenorum ditissimam obsidet, et
rex Arrogonensis[37] Valentiam magnam, quam acquisivit triumphante Deo in festo sancti
Sept. 29. Michaelis; et archiepiscopus Narbonensis[38] ibi strenue militavit.

Renaldus frater ducis Lotharingie factus de Bitis[39] domnus[a] et per uxorem[40], quam sibi usurpavit, comes de Castris[41] effectus est.

Moritur episcopus Iohannes Metensis, cui succedit[b] primicerius Iacobus frater ducis[42] Lotharingie.

Sed et domna de Charmeto[43], soror uterina comitis[44] Barri, mortua est.

Archiepiscopus Moguntinus[45] pro abbatia de Laurissa[46] contra ducem Bawarie Ottonem, qui per suam[47] uxorem[c] erat magnus comes de Reno, guerram habebat et expugnavit[d] oppidum de Walehuse[48]. Hic Otto fuit de matre[49] Alberti Bovenarii[50], regis Hungarie nepte[e. 51].

1239. Anno 1239. 17 sunt casus contra imperatorem annotati, inter quos est quedam illius contra christianam legem blasphemia, quam domnus papa tangit in litteris ad archiepiscopum Senonensem[52]: *Tres,* inquit, *baratores*[f] *sive guillatores fuerunt in mundo, Moyses, Christus et Machometus; et ita tantum honorem tribuit Machometo, quod eum consociat Moysi et Christo. Nunquam tamen Machumetus Moysen vel Christum baratores appellavit, et in hoc imperator iste deterior est Machometo. Sed et die quadam fertur dixisse uni de suis, cum vidisset sacerdotem corpus dominicum ad quendam infirmum deferentem: „Heu me“, inquit, „quamdiu durabit truffa ista?“ Propter has blasphemias et propter*[g] *alios casus enormes Dominus facit eum per totum mundum excommunicari et excommunicatum denunciari.*

Misit Romam domnus[g] rex Francie episcopum Lingonensem Robertum et domnum
Adam militem de consilio suo ad temperandum summi pontificis animum et animum impera-
Aeg. Aur. III, 133. toris, si aliqua posset inter eos reperiri pacis et concordie forma[53]. Hac etiam de causa noster
electus Leodiensis, ille de Valentia, a domno papa confirmatus, moram dicitur fecisse in eisdem partibus, qui etiam a domno papa optinuit, ut unus de fratribus eius[h] sit pro eo electus in Valentia. Unde[i] cum Leodienses de die in diem expectarent et desiderarent succursum illius[54], cum omnis regio graviter vastaretur a vicinis principibus, imo predonibus, ille, sicut Deo[k] placuit, mense Octobri obiit in reditu itineris Romani.

Mai. 13. In anno isto ebdomada ante pentecosten 6. feria factum est maximum holocaustum et placabile Domino in conbustione Bulgrorum, siquidem 183 Bulgri[l] conbusti sunt in presentia regis Navarre et baronum Campanie apud Mont Wimer, qui ab antiquo Mons Wedomari[m. 55] dicitur, ubi affuerunt Remensis archiepiscopus Henricus[n], Suessionensis episcopus Iacobus, episcopus Tornacensis magister[o] Galtherus, episcopus Cameracensis magister Guiardus theologus, episcopus Attrebatensis magister Alzo, episcopus Morinensis[56] Petrus, episcopus Noviomensis Nicholaus, episcopus Laudunensis magister Garnerus, episcopus Silvanectensis magister Adam, electus Belvacensis Robertus, electus Cathalaunensis Gaufridus, patruus comitis de Grandiprato[57]; episcopus Aurelianensis magister Guilelmus, episcopus Trecensis magister Nicholaus, episcopus Meldensis Petrus, episcopus Virdunensis Rodulfus de Torota[58] et frater eius Lingonensis episcopus Robertus,

---

a) domnus de Bicis 2. b) successit 2. c) uxorem suam 2. d) expugnabat 2. e) neptis 1. 2. *corr.* f) barones 1. g) *deest* 2. h) suis 2. i) Inde 2. k) domino 2. l) sive Bulgari 2. m) Wodemari 2. n) *deest* 1. o) *deest* 2.

36) Ferdinandus III. 37) Iacobus I. 38) Petrus III. 39) Bitsch vel Bitche prope Saargemünd. 40) Elisabetham. 41) Bliescastel a Zweibrücken ad occidentem. 42) Matthaei II. 43) Charmes, départ. Haute-Marne, arrond. Vassy? 44) Henrici II. 45) Sigefridus III. 46) Lorsch. 47) Agnetem, filiam Henrici palatini comitis Rheni. 48) Wallhausen. 49) Ludmilla, quae priori coniuge Alberto de Bogen mortuo, Ludovico Bavariae duci nupserat. 50) id est: *de Bogen.* 51) Bela III. erat avus Ludmillae. 52) Galtherum III. 53) De hac legatione Aegidius quoque Aureaevall., quem nostrum in usus suos traxisse sequentia probant, c. 133 paucis egit, bene cum nostro conveniens: *Rex Francorum Ludovicus iunior Romam fertur misisse legatos ad Frederici et summi pontificis animos mitigandos et ipsos ad unitatis et pacis concordiam revocandos.* 54) — *expectabatur fere per annum novus episcopus a clero et populo ardenti desiderio.* Aeg. Aur. l. c. 55) Mont-Aimé, départ. Marne, arrond. Châlons-sur-Marne. 56) Idem ac Teruanensis = Térouanne, départ. Pas-de-Calais, arrond. Saint-Omer. 57) Grand-Pré, départ. Ardennes, arrond. Vouziers. 58) Thourotte, départ. Oise, arrond. Compiegne.

1239. et multi alii ecclesiarum prelati, abbates videlicet, priores et decani. Non tamen omnes isti interfuerunt conbustioni, sed in ipsa ebdomada, cum fieret examinatio, advenientibus aliis recedebant alii. Affuit etiam tanta populi multitudo[a] utriusque sexus, etatis et conditionis, quod numerus eorum ad 700000 estimabatur, et sicut antiquitus, ut dicitur, canes in eodem loco undique convenientes bellum ad invicem habuerunt quodam presagio futurorum et se invicem laceraverunt, ita isti Bulgri peiores canibus uno die ibi ad triumphum sancte ecclesie exterminati sunt. Prefectus eorum magister, qui dicebatur archiepiscopus de Moranis, alta voce dicebat ad illos: *Vos omnes salvi eritis, per manus meas absoluti, ego solus dampnatus sum, quia superiorem, qui me absolvat, non habeo.* Habebant autem[b] isti quasdam vetulas, quibus nomina subornata inposuerunt, ita ut una diceretur sancta Maria, altera sancta[b] Ecclesia sive Lex Romana, altera sanctum Baptisma seu Matrimonium sive sancta Communio vocabatur, et quando dicebant in examinatione: *Ego credo quidquid credit sancta Ecclesia seu Lex Romana*, eorum erat intentio ad illam vetulam, quam ipsi vocabant Ecclesiam et sic de aliis[59]. Fuit etiam ibi vetula magne fame de Pruino[60], Gisla nomine, que dicebatur abbatissa, cuius mors dilata est, eo quod promiserit fratri Roberto, quod adhuc alios in quantitate magna manifestabit. Quedam alia mulier recognovit ad instantiam fratris Roberti, qualiter ipsa translata fuit in sexta feria[c] parasceues usque ad[d] Mediolanum, ut ibi serviret ad mensam Bulgris, et demonem reliquerit iuxta virum suum in similitudinem eiusdem mulieris transformatum. Que sit opinio istorum hereticorum vel que assertio, qui originem habent a detestando Manicheo, vel que[e] ipsi faciant in abscondito, non est modo necesse in medium proferre, quia sunt fetida et horribilia, et ipsi inter alios ita fetent, quod etiam ipso fetore deprehenduntur a sapientibus. Invenit etiam frater Robertus et secundum hoc publica currit opinio, quod ille Fortunatus Manicheus pessimus, quem beatus Augustinus de Affrica expulit, venit eodem tempore ad partes illas[f] Campanie et invenit Widomarum principem latronum in eodem monte cum suis latitantem, hunc ad suam sectam cum sociis convertit; et a tempore illo circa montem illum in proximis villulis nunquam defuit semen istud pessimum Canaan et non Iuda.

Moritur Isabella domna de Baia[61], mater Symonis de Castro Villani[62]. Ingelrannus de Coci[63], qui natus est de sorore[64] dicte domne de Baia, regi Scotie Alexandro filiam[65] suam dedit in matrimonium. Hic Alexander primo habuit unam[66] de sororibus regis Anglie, que sine liberis obiit. Sunt ergo due regine in cognatione de Moelen[67] vel de Dampetra[68], ista de Scotia et uxor[69] regis Navarre[70] filia Erchenbaldi. Pater namque Erchenbaldi Guido de Dampetra tres sorores habuit: una Ysabella mater domni Roberti[g] de Asperomonte[71], et una Oda mater illorum de Torota[72], tertia Helvidis domno Iohanni de Montemirabili[73] peperit Mariam, uxorem Ingelranni de Coci[h].

Sequitur de hiis, que fiunt in partibus transmarinis: *Domno Galthero de Avesnis*[74] *frater Hermannus magister militie Templi salutem. Quoniam desideratis audire nova, solidanus novus Babilonis nullius est valoris, cuius imperitia tam a suis quam alienis cognoscitur manifeste, et cum soldano de Hamant continuam habet guerram. Soldanus vero, qui dicitur Naissere, quondam Coradini filius, domnus Crati de Monteregali, magnam habet guerram cum soldano similiter Damasceno, id est cum Hesduino, cuius filiam habuit Martinus, qui apostatavit. Soldanus autem de Haman habet guerram cum Persidis Halapinis. Soldanus autem de Novo Ychonio, qui est ultra Baldach ad 5 dietas, qui soldanus Sychila dicitur, filius quondam Kenet de Haymant, continuam habet guerram. Quidam vero predictorum soldanorum, cuius ad presens tacetur nomen, in iocundo cruce signatorum adventu, terram suam totam christiane subiciet ditioni, sicut promisit, baptismum et alia suscipiens sacramenta.* Hucusque de litteris.

---

a) mult. pop. 2. b) *deest* 2. c) sexta feria *desunt* 2. d) *deest* 1. e) *deest* 1. 2. f) illas partes 2. g) Goberti 2. h) qui genuit Ingelrannum, qui nunc est 1.

59) De dolo vetularum quarundam, huic simillimo, Albricus sub anno 1200. retulit. 60) de Pruvino? = Provins, départ. Seine-et-Marne. 61) Baye, départ. Marne, arrond. Epernay. 62) Château-Villain, départ. Haute-Marne, arrond. Chaumont. 63) Coucy, départ. Aisne, arrond. Laon. 64) Alice, filia Roberti comitis de Dreux. 65) Mariam. 66) Iohannam. 67) Moëslain, départ. Haute-Marne, arrond. Vassy. 68) Dampierre-Saint-Dizier, ibid. 69) Margaretha. 70) Theobaldi. 71) Apremont, départ. Meuse, arrond. Commercy. 72) Cf. annot. 58. 73) Montmirail, départ. Marne, arrond. Epernay. 74) Avesnes, départ. Nord.

1239. Ceterum quidam homines, qui Tartari appellantur et quorum magne multitudinis numerus ignoratur, usque ad calife de Baldach provinciam sunt extensi, ipsam iugiter totaliter destruentes. Horum forma, sicut ille qui vidit testimonium perhibet, talis est: Caput habent grossum et collum curtum, pectus valde grossum, brachia valde[a] grossa, crura parva et grossa[b]; mirabilis est eorum fortitudo; nullius sunt pietatis; nihil timent, nihil credunt nec[c] adorant nisi suum regem, qui se appellat regem regum et domnum dominantium. Si quis autem horum Tartarorum terram, genus, originem et mores plenius scire desiderat, legat Historiam que intitulatur Tartarorum, editam a fratre Iohanne de palatio Carpini[75], ordinis fratrum Minorum, ab apostolica sede ad partes illas destinato in anno Domini 1246. Ceterum de istis Tartaris predictis fama publica ita terruit regem Hungarie, quod duo castra contra eos firmavit ultra silvas et nemora in partibus illis fecit indaginari, id est in plasseta redigi; postea intellexit, quod Comani sub specie Tartarorum ipsum terrere voluerunt, sed de eis viriliter triumphavit ex magna parte et cepit unum regem eorum, nomine Cutanum[d], et unam reginam; et multa milia ex eis pervenerunt ad baptismum, dolose tamen. Contra Tartaros vero[e] misit comitem Ultrasilvanum, qui in quodam angusto transitu paludum Meotidarum ita confregit primum cornu illorum, quod ceteris retro respicientibus, iam in illis partibus perisse putabatur memoria eorum cum sonitu.

Ad succurrendum terre sancte moverunt in estate huius anni[f] Henricus comes Barri, dux Burgundie[76], comes Nivernensis[77], rex Navarre[g, 78] et comes Britannie[79] cum fratre suo[80] comite Masticonensi[h, 81]. Hic notandum est, quod nullus abhinc comes erat Masticonensis[i], nisi domnus rex Francie, quia non solum iste cum uxore[82], sed et alii heredes totum vendiderunt quidquid habebant ibi[k] domno regi vel habere poterant; specialiter autem uxor predicta mortuo marito totum vendidit. Hic perdit Iohannes, qui dicebatur Cabilonensis[83], feodum suum, quia comitatus Masticonensis movet de eo et de patre eius comite Stephano; et domnus rex nunquam erit homo illius. Comiti Almarico Montisfortis[84] contulit rex Francie arma sua, et misit eum vice sua in obsequium crucifixi, dans illi 32000[l] librarum Parisiensium[m], et ille regratiando ad pedes eius venit. Omnes isti Massiliam venerunt, ubi mare intraverunt, numerus autem peregrinorum, postquam[n] pervenerunt[o] in partes transmarinas, estimabatur ad 1500 milites et armigeros 40000, pedites vero non eis sufficiebant. Soldanus autem de Hamant[p], qui baptizari proposuerat et petebat, propter defectum, quem in nostris, ut dicitur, deprehendit, a proposito suo[q] resiluit. Mortui autem sunt ex eis Robertus de Corteneio[85], comes Iohannes Masticonensis et Anselmus de Triangulo[86]. Comes autem Britannie primam fecit predam super Sarracenos, ut dicitur, et Nov. 13. comes Barri captus fuit in die sancti Brixii[r], et ut dicitur, ad mortem vulneratus est in bello, quod aggressus est sine consilio inter Ioppem et Ierusalem; et captus est comes Montisfortis, et viri nobiles capti sunt cum eo plus quam 80, multis tamen Sarracenis interfectis et quibusdam captis et ad exercitum nostrum transmissis; et ex tunc et viribus et corde et consilio nostri ceperunt deficere. Constantinopolitani peregrini moverunt post Iun. 24. festum sancti Iohannis. Iste iuvenis imperator Balduinus, Petri comitis Autisiodorensis filius ultimus, habuit in comitatu suo viros nobiles Thomam de Marla[87], fratrem Ingelranni de Coci, de parentela sua Humbertum de Belloioco[88], cognatum suum Iosserannum Grossum de Burgundia, quendam archiepiscopum[89], qui fuerat Thessalonicensis, et episcopum Balduinum quondam Semigallensem, qui factus est archiepiscopus Viscienensis[s, 90]. Erant usque ad 700 milites preter armigeros et balistarios, bene fuerunt in equis 30000 preter pedites. Cum maxima difficultate terram Alsani transierunt et duas naves fractas per-

---

a) *deest* 2. b) ossa 1. c) credunt nec 2. d) nomine Cutanum *desunt* 1. e) tamen 2. f) huius anni *desunt* 1, *sed in margine addita*. g) com. Nivern. rex Nav. *desunt* 1. h) Matiscon. comite 2. i) in Matiscone 2. k) ibi habebant 2. l) milia *desunt* 2. m) parum 1. 2. n) *deest* 1. o) venerunt 2. p) Haimant 2. q) *deest* 2. r) Briccii 2. s) Visoinensis 2.

[75] Corrige *Plano Carpini*. Iohannis librum primus edidit d'Avezac in Recueil des voyages et mémoires IV, 603—773. [76] Hugo IV. [77] Guigo. [78] Theobaldus. [79] Petrus. [80] Iohanne. [81] Mâcon. [82] Alice comitatus herede. [83] Châlons-sur-Saône. [84] Montfort-l'Amaury, départ. Seine-et-Oise, arrond. Rambouillet. [85] Courtenai, départ. Loiret, arrond. Montargis. [86] Trainel, départ. Aube, arrond. Nogent-sur-Seine. [87] Marle, départ. Aisne, arrond. Laon. [88] Beaujeu, départ. Rhône, arrond. Villefranche-sur-Saône. [89] Warinum. [90] Forte legendum est: *Verisiensis*, cuius nominis archiepiscopatus inter Constantinopolitanos in serie Weidenbachiana p. 277 recensetur.

